
nil · si ne · deo

# SANCTI BERNARDI ABBATIS PRIMI CLARÆ-VALLENSIS VOLUMEN II.

CONTINENS DUOS POSTERIORES TOMOS V. & VI.
ſeu Opera ſuppoſiticia & aliena, cum ejus Vita & miraculis.

*Poſt* HORSTIUM *denuo recognita, repurgata, & in meliorem ordinem digeſta, ſecundis curis* D. JOHANNIS MABILLON, *Presbyteri & Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri.*

Ex Libris S. Petri Eydalonensis.




PARISIIS.

Sumptibus PETRI AUBOUYN, Bibliopolæ & Typogr. Sereniſſimi Burgundiæ Principis, PETRI EMERY, CAROLI CLOUZIER, Ad ripam PP. Auguſtinianorum, ſub ſigno Scuti Franciæ, & Crucis aureæ.

M. DC. LXXXX.

*Cum Privilegio Regis, & Facultate Superiorum.*

# PRÆFATIO
## IN SANCTI BERNARDI TOMUM V. ET VI.

I. *Genuinis sancti* BERNARDI *Operibus omnibus in primum volumen congestis, superest ut in hoc alterum suppositicia, & aliena concludamus. Quod qua ratione, quove ordine fiet, hic paucis explicandum est.*

II. *Hoc posterius volumen duobus Tomis constat: in quorum altero* GILLEBERTI *Continuatio in Cantica, aliaque ejusdem Abbatis Opuscula & Epistolæ; simulque dubia seu controversa, & Bernardo falso adscripta continentur: in altero* GUERRICI *abbatis, sancti Doctoris discipuli, Sermones, Bernardinis stilo & pietate affines; atque* GUIGONIS *ejusdem amici quædam Epistolæ exstant.*

III. *Primum in tomo sexto locum sibi vindicat continuata per Gillebertum Expositio in Cantica canticorum: ut quam proxime Bernardinos in eadem Cantica Sermones, qui extremum in superiori volumine locum occupant, hæc Continuatio subsequatur. Gilleberto cognomen fuit de Hoilandia, quod vocabulum est insulæ seu provinciolæ, Anglis & Scotis conterminæ, quam Velandus & Lindus fluvii circumfluunt: qua in insula situm erat monasterium Svvinhetense, cui Gillebertus abbas præfuit, Lincolniensi diœcesi attributum. Duplex videtur fuisse illud monasterium, virorum ac virginum, quod tum ex Ælredo abbate Rievallensi, tum ex ipsius Gilleberti sermonibus nonnullis ad easdem virgines habitis colligitur. Ælredus quippe sermone secundo in Isaïam mentionem facit* de monasterio virginum, quæ sub venerabili, & cum summa reverentia nominando sancto patre Gilleberto uberes pudicitiæ fructus quotidie transmittunt ad cælos. *Et quidem Gillebertus ipse sermones quosdam in Cantica apud illas virgines peroravit, nempe XVII & XVIII. In priori enim inter alia leguntur hæc verba num.* 8. Tibi, Domine, commendo hunc Libanum, egregium hunc chorum virginum, sacrarum cœtum feminarum. *Itaque partim ad monachos, partim ad sanctimoniales habiti sunt isti sermones, numero octo & quadraginta, qui paullo minus habent succi, sublimitatis, & virtutis ad persuadendum, quam Bernardini. Hos porro Gilleberti Sermones, qui in nova hac editione innumeris mendis repurgati prodeunt, cum veteri exemplari Vallis-claræ diligenter contulit rogatu nostro religiosus ac pius vir D. Johannes Baptista* de Noinville, *ejusdem loci Prior, amicus meus, qui & Gaufridi S. Bernardi notarii libellum adversus Gilberti Porretani errores ex codice Longi-pontis nobis suppeditavit. De Gilleberto abbate quod superest, eum in Gallicano Trecensis diœcesis monasterio Ripatorio decessisse tradit Chronicon Claræ-vallense his verbis.* Anno Domini M C LXXII. Gillebertus, quondam abbas de Hoilandia, qui fecit Sermones super Cantica canticorum in modum beati Bernardi, apud Ripatorium obiit. *His Sermonibus subjiciuntur quidam Tractatus, & nonnullæ ejusdem auctoris Epistolæ: quæ omnia Johannes Pitseus in libro de illustribus Angliæ Scriptoribus indicavit cum aliis ipsius Gilleberti commentationibus in Psalterium, in Matthæum, in Epistolas Pauli &c. ubi librum item unum de vita S. Bernardi eidem tribuit post Gesnerum: qui liber fortasse non alius sit, quam liber Guillelmi à S. Theoderico de hoc argumento. Plura de Gilleberto vide sis apud Sixtum Senensem, & apud Manricum ad annum MCLXIII. cap. III.*

*IV. In istis Gilleberti Sermonibus multa occurrunt in primis lectu & observatione digna ad morum ædificationem, non solum pro monachis, sed etiam pro ecclesiasticis viris. Contra eos qui plus lectioni, quam precationi tribuunt, in sermone VII. præclara habentur num. 2. Qualis debeat esse concionatorum oratio docet, sermo XVI. num. 5. Sermo vero sequens, prædicationis officium non ultro à quoquam captandum. At Sermone XXVI. num. 2. egregie præstringit auctor concionatores, plausum & gloriolam sectantes. Ibidem etiam utile eisdem monitum dat, ut conciones suas ad captum & utilitatem auditorum conforment. Huc etiam pertinent Sermo XXXI. num. 4. & Sermo XXXVI. num. 5. Admirabile vitæ religiosæ specimen exhibet Sermo XXIII. & Sermone XLV. num. 8. apprimè reprehenduntur prælati, curis & rebus temporalibus plus æquo dediti. Ad hæc, scribendi studium in monachis commendatur Sermone XLVII. at scribendi nihilo minus facultatem non cuivis esse concedendam subjungitur. Ceterum Theologi elogium, quod recentiores eidem Gilleberto tribuunt, comprobant varia in eisdem Sermonibus loca, in primis quæ de libero arbitrio leguntur in Sermone XXXIX. & quæ de sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento in Sermone VII. num. 8. Ardentem ac purum ejusdem auctoris zelum commendat Sermo XXX. ubi Alexandrum III. pontificem arguere non veretur. Denique non minoris momenti sunt ejusdem Tractatus & Epistolæ: quorum omnium argumenta Index proximus explicabit.*

V. *De subsequentibus Opusculis non est necesse diutius præfari hoc loco, quando singulis præfixæ sunt Admonitiones, quæ longioris Præfationis vicem supplere possunt. Duo tantum hic observare juvat, suis locis prætermissa. Unum est, quatuor Sermones in Antiphonam* Salve Regina, *quos sancto Bernardo abjudicavimus col. 721.* BERNARDO archiepiscopo Toletano *tribui à Claudio de Rota in Notis ad pseudo-Liutprandum pag.* 451. *ubi auctor prædictæ antiphonæ* PETRUS COMPOSTELLANUS *appellatur. Huic posteriori sententiæ præivit Guillelmus Durandus in Rationalis lib. IV. cap. XXII.* Petrus vero Compostellanus episcopus fecit illam *antiphonam*, SALVE REGINA MISERICORDIÆ, *omisso* mater, *uti etiam in Sermonibus prædictis. Plura de hac antiphona in Notis ad eosdem Sermones.*

VI. *Alterum quod hic præmonendum restat, illud est, prolixam illam precationem seu adspirationem ad sanctissimam Virginem, quæ habetur col.* 187. *esse Ekkeberti abbatis, ut passim testatur Richardus à sancto Laurentio, qui ante annos quadringentos scripsit, & plagulas ex illa precatione decerpens, Ekkeberto tribuit, ut Theophilus Raynaudus in sua Api Gallica pridem observavit. Is est Ecbertus abbas Schonaugiensis, cujus Sermones adversus Catharos exstant in tomo XII. Bibliothecæ Patrum editionis Coloniensis. Hæc pauca te volebam, Lector: perge, & lege.*

# CONTENTA IN TOMO QUINTO.



SERMONES VARII.



# CONTENTA IN TOMO SEXTO.



S. BERNARDI

# SANCTI
# BERNARDI
## ABBATIS
## CLARÆ-VALLENSIS
## TOMUS QUINTUS.

GILLEBERTI CONTINUATIONEM IN CANTICA,
atque Opera dubia, & S. Bernardo perperam adſcripta
complectens.

GILLEBERTI

# GILLEBERTI
## DE HOILANDIA
## ABBATIS ORDINIS CISTERCIENSIS.
## *SERMONES IN CANTICUM SALOMONIS,*
### *Ab eo loco, ubi B.* BERNARDUS *morte præventus desiit.*

### SERMO I.

*In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* CANT. 3. a.

Amantium affectus varii Sermonis ordinem negligunt.

1. VARII sunt amantium affectus, quia casus varii. Ideo sponsæ verba aliquoties interrupta videntur, sicut ipsa dilecto suo vel ex voto fruitur, vel præter votum fraudatur. Nunc ut super montes revertatur invitat: nunc in lectulo quærit elapsum. Quam hic assignabis consequentiæ seriem? Quæ docebitur ordinis ratio? Non videtur ratio, sed interruptio. Vota amoris uniformia non sunt. Ideo sermo serie non tenetur. Affectus in amore loquitur, & verba interrumpit: B quia nec ipse sibi semper in uno statu cohæret. Jure & ipse sponsus hinnulo comparatur, sic fallens, & sic fugiens dilectam. Varietas hæc nec consequentiâ, nec ratione caret. Verba tam subitò commutata continuationem servant, dum affectuum ordini serviunt. Videte jam quæ sit in hac varietate series continuationis. Elapsus erat dilectæ suæ super montes, quasi hinnulus vagus & volitans: & ipsa ad se relapsa de montibus illis in quibus mirabiliter illuminata erat, & illustrata visione dilecti; de montibus, inquam, illis ad convallem lacrymarum, ad lectum doloris relapsa, ad lectum & ad noctem de montibus luminosis. Quidni sic recidat ipsa, ubi sic recedit dilectus suus? ipse C enim sponsæ suæ salus & illuminatio. Ideo recedente ipso, illa recidit ad lectulum infirmitatis, & ignorantiæ noctem. Jam versatur super stratum infirmitatis suæ. Super hunc tamen stratum memoratur dilecti; & jam non in matutinis, sed in nocte meditatur in ipso, quærens quem diligit anima sua. Non pigrè agit in hoc lecto ad quem relapsa est. Non lascivit, non delectatur in lecto concupiscentiæ: sed magis reluctatur memorata dilecti solius: non obnoxia infirmitati, sed caritati. Sic interpretetur cui sic videtur. Ego tamen non hic accipio lectum doloris, nisi fortè doloris illius, quem amor parturit de absente sponso: deliciari videtur velle magis quàm sanari, & amicum D quæsisse, non medicum. Juxta hunc sensum sic continuare potes. De montibus se raptim contulerat ad lectulum sponsæ, ubi illa exercitata, & deficiens ubertate delectationis obdormivit, exhausta inter amplexus dilecti. Oblectata obdormivit somnum dulcem, sed expergefacta non invenit illum hæc mulier deliciarum in manibus suis. Gaudia itaque illa gaudia ineffabilia silentio transiens, in hanc tandem vocem erupit: *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* Pro continuatione nunc ista sufficiant. (Cant. 3. a.)

2. Jam verba singula consideremus. *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* (Cant. 3. a.) Dulce satis est te, bone JESU, quærere, dulcius tenere. In uno pius labor, in altero perfecta lætitia. Dulcis utique est attrectatio tui: nam & ipse tactus fructu non caret. Mulier illa evangelica felici furto attigit fimbriam Jesu, & statim stetit in illa fluxus sanguinis, fluxus carnalis illecebræ, carnalis delectationis & curæ; & restricta & desiccata sunt quæ priùs in illa fluida erant, & totum hoc contigit ex contactu fimbriæ. Quid si caput ipsum amplexari contigisset? Non modò staret & exsiccaretur sanguinis fluxus, sed emanaret impetus fluminis illius, quod lætificat civitatem Dei. Bonus ergo tactus, sed attrectatio melior. In turba, in publico vix tangitur Jesus. Ideo sponsa quæ non tantùm tangere, A sed amplexari & attrectare verbum vitæ desiderat, devitans publicum, secretum elegit, secretum & lectuli & noctis. Bonum opus vel quærere JESUM, vel tenere: sed opportunitas & loci & temporis huic adhibenda est operi. Et quæ major & accommodatior ad usum amoris, quàm lectuli & noctis opportunitas? Nisi quieta mente quæri non potest delectatio sapientiæ, nec intranquillus in illam aspectus dirigitur. Nihil inquinatum incurrit in illam, nec impacatum quidem. Illa verò in animum quietum & purum ultro incurrere solet, & gratis influere. In pace enim locus ejus, & habitatio ejus in Sion: hoc est in speculatione. Pax præponitur quasi præparatio quædam speculationis. Oculus turbatus vel irâ, vel curâ, quomodo lucem illam inaccessibilem intuebitur, quæ nisi serenis non attingitur mentibus, nec illis tamen semper ad libitum? Quid, inquies, paci ad lectulum? Multùm planè secundùm hunc modum, quòd sicut in lectulo, sic in pace dormitur & quiescitur. *In pace*, inquit, *in idipsum dormiam & requiescam.* Quidni libenter requiescat anima sancta, ubi locus est dilecti? In pace enim locus ejus. Ideo hunc tibi locum primo acquire, ut in eo quem diligit anima tua vel adlapsum teneas, vel elapsum requiras. In lectulo enim & secreta quadam mentis quiete potest investigari liberiùs, inveniri citiùs, & tutiùs teneri; fortè & diutiùs, si tamen potest diutius morari in deliciis illis quæ ferè solent in ipsis intercîdi principiis. Nam & hæc velut inter ipsos elapsa amplexus, & fugientes insectans delicias, dilectum rursus anxius quærit, & hoc in lectulo. Bene collocaris in lectulo, si otio quodam ab occupationibus mens tua liberè feriatur. Libertate & otio quid accommodatius ad usum amoris? Et libertas illecebram parit. In otio & expeditur affectus, & non parum impenditur illi. Sic est. Quanto fuerit expeditior animus, tanto quidem impensior erit in illud quod amat. Usu evenit ut cùm fuerimus otio redditi, tunc sentiamus acriorem morsum amoris divini. Econtra insensibilem pænè reddit affectum frequens cura mundi, & quasi callum quemdam menti obducit. Animum cura implicat, quies explicat. Explicita desideria in quæ putas incrementa se dilatant?

Quomodo quærendus Jesus.

Psal. 75. a

Psal. 4. b

Psal. 75 a

3. Vides quanta bona contineantur in lectulo? Quies, libertas, illecebra. In lectulo enim quietis & vacuitatis vota magis inardescunt. Locus accommodatus oblectamento caritatis sponsam ad quærendum urget ardentiùs. Illic enim ægriùs caret dilecto, ubi poterat uberiùs frui. *In lectulo*, inquit, *meo*, & *per noctes.* Quæ per noctes quærit, non videtur mihi tam aspectus quàm amplexus sectari. Tenere magis optat quàm intueri. Bona quidem visio est, sed adhæsio arctior. Nam qui adhæret Domino, unus est spiri- E tus. Melior tamen utraque. Nam conjunctæ vicissim incrementis se cumulant gratiarum. Utramque si te apprehensurum non arbitraris, sectare tu quod sponsa sectatur. Amplexus quære dilecti. Ignorantiæ tuæ nox, immo noctes ignorantiarum tuarum, serenam tibi visionem adimit secretorum cælestium. Tu suavia sequere. Quære ut persentias illa, si scire non potes. Nox non præscribit deliciis, nam & ipsis aliquoties illustratur. *Nox, inquit, illuminatio mea in deliciis meis.* In deliciis, ait, non in scientiis. Ita & tu noctem si non potes scientiis, pertenta illuminare deliciis. Quicquid hîc videmus per speculum & in ænigmate, totum in nocte est. Et in hac nocte potest Jesus meus magis dulci quodam affectu suaviter sentiri, quàm sciri ad

1. Cor 6. d

Psal. 38. d

Quam fructuosum quærere & tenere Jesum.

Math 9 c.

Psal 45. a

purum. Ideo etsi nondum ad contuitum admittitur, contactum tamen sectatur, dilectum in lectulo, & per noctes quærens. A

4. Quid si ad inventionem dilecti & nox operatur? Cooperatur planè, & accommodatè satis. Sicut in lectulo sanctæ quietis accipis otium, sic oblivionem quamdam intellige in nocte. Utrumque sapientiæ & contemplationis negotio opportunitatem ministrat. Nec Salomon vult te scribere sapientiam, nisi in tempore otii: nec Paulus in anteriora extenditur, nisi priùs eorum quæ retro sunt oblitus. Miraris quòd bona nox, & dies malus est? *Diem hominis*, inquit Propheta, *non concupivi*. Nescio quo pacto sibi adversantur, & alterutro se obscurant dies Domini, & dies hominis. Siquidem dum alter exoritur, alter reconditur. B *Diem*, inquit, *hominis non concupivi*, hoc est, humanum favorem, hominum gloriam; & inter reliquos, immo præ reliquis spectabilis videri. Rectè hanc diem Propheta abjurat, quæ perturbationis ministrat materiam. Melior ergo hæc nox die: siquidem nox à perturbatione abscondit, dies exponit. Denique primi parentes nostri statim ut eorum oculi in hanc aperti sunt lucem, erubescentes confundebantur. Quanto feliciùs clausa priùs tenuêre lumina, & meliori cooperta nocte, peccati pruriginem nescientes! Abinde sumpsit hic malus dies originem, qui vitiorum denudavit semitas, illicientes species demonstravit, oculo concupiscentiæ sollicitantem ingessit materiam. Heu me! quomodo me circumfulget dies ista, quomodo affectum C meum ad se abripuit! quàm claro versantur in lumine ante mentis oculos, & quidem satis importune impacata simul & impudica! Nusquam ferè declinandi, nusquam delitescendi copia; nullæ satis tutæ sunt latebræ. Ita ubique erumpunt & emergunt in cogitatum cuncta quæ spiritum vel turbent vel deturpent, sive diligenter attrectata, sive tacta leviter. Licèt enim animus castigatiore repellat illa proposito, solo tamen irruentium cogitationum sordidatur attactu. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab illa*. Denique secundum legis scita quarumdam rerum tenuis etiam inquinat attactus. Non imputantur cùm violenter importantur, culpam non inferunt tales cogitatus; aliquam tamen injuriam irrogant affectatæ munditiæ. Quid cum se con- D templanti animo corporeæ offundunt imagines? Fortè carnalem appetitum non provocant, sed tamen spiritualem tardant intuitum. Alia turbant, alia deturpant, alia tardant, hoc est lacerant, alliciunt, illudunt. Nonne melius * hujusmodi omnia obscurari quam illustrari, cæca oblivionis involvi caligine, quam memoriter recenseri?

5. Bona ergo nox, quæ prudenti oblivione dissimulat omnia temporalia, ad illum qui æternus est quærendum tempus expediens, & explicans occasiones: quæ mundi concupiscentiam abscondit, curam, cogitatum. Hoc est enim mundum habere absconditum, vel mundo abscondi. Sic etiam abscondi poterimus in abscondito faciei tuæ Domine: non dico plena notione, sed tamen tota devotione, & E libera investigatione, & aliquanta inventione. Hanc absconsionem, hoc secretum, has latebras, quibus mundani diei declinamus vel amorem, vel imaginationem; quibus humanum diem, aut ablatum non repetimus, aut oblatum respuimus; noctis nomine appellari nunc à sponsa crediderim. Denique in superioribus dicit: *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Fructus iste suaviter pascit, si tamen priùs umbra protexerit. Bona umbra, quæ carnis prudentiam obscurat, concupiscentiam refrigerat. Intelligis quæ sit umbra? Inde tibi refulget occasio, quomodo & hîc noctem intelligas; nisi quod quædam occultiores latebræ & magis abditæ, & accommodatæ magis ad investigationis & contemplationis E usum sub noctis exprimuntur, quàm sub umbræ vocabulo. In umbra, rerum visibilium oblivionem aliquantam accipe: in nocte omnimodam. Quis mihi dabit sic advesperascere? Quis, inquam, dabit mihi, ut rerum temporalium memoria oblivionis hujus vergat in vesperam? Bona quidem nox, quando imaginationes vanæ animum non vexant, nec versantur in eo; quando absconditæ sunt ab oculis quærentis dilectum. Dilectio ipsa hanc noctem inducit, quæ reliqua omnia nec respicit, nec nota reputat, dum ad illum quem diligit intenta suspirat.

Eccl. 38. c
Phil. 3 c
Ier. 7. b
Dies Domini & dies hominis male conveniunt.
Gen. 3. b
Eccli. 13. a
Lev. 4. 5. 6. 7. 8.
*Supple esset.
Bona nox quæ mundi & temporalium nobis abscondit aspectum.
Cant. 2. a

6. *Per noctes*, inquit. Multæ sunt noctes ejus, nec est una nox illi jugis & continua. Noctes ejus frequenter interpolantur præsentiâ sponsi. Cum adest, lux est: cum abest, nox est. Ideo multæ sunt noctes sponsæ: quia multi sunt elapsus sponsi, multæ latebræ. Beata planè, quæ dilecto adhæret tota die, & quærit illum totis noctibus. Provocent studium tuum qui audis ista, & instructus exemplo sponsæ, *Consurge* & tu *in nocte, in principio vigiliarum tuarum, & effunde cor tuum*, ut liquefiat & currat, & decurrat usque in conspectum Dei tui. Illi liba principia vigiliarum tuarum; nihil in te peregrinæ curæ decerpant. Quare per singulas noctes dilectum tuum. Quid dico per singulas? Totas noctes tuas in hoc opus continua. Ne cesses & ne quiescas, donec egrediatur ut splendor dilectus tuus, & ut lampas accendatur tibi. Tunc poteris illud Pauli dicere: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*. Nam quod sequitur, *Abjiciamus opera tenebrarum*, huic non potest nocti adaptari. Nescit enim hæc nox opera tenebrarum, sed magis lucem ministrat iis qui permanent in agone quodam quærendi dilectum. Bona quidem nox, quando absconderis à conturbatione & ab incursione imaginationum. Et quamvis nondum absconderis in abscondito faciei dilecti tui, bonum tamen est ut abscondatur tibi facies & pompa inanium & carnalium cogitationum. Nox est ut illam non attendas, non videas; sed tamen in hac nocte non extinguetur lucerna tua, ut dilectum quæras.

7. Utinam ego tales mihi possim noctes numerare, tam latebrosas, & tam luminosas! Et quis nostrûm gloriabitur omnes se tales noctes habere? Quisquis est, felix est, cui omnes noctes in usum talem decurrunt, qui in occulto suo nihil agit occultatione dignum. Unusquisque suam conveniat conscientiam. Quid enim mihi aliorum percutere conscientiam infirmam? Non percutio nec discutio quidem: etsi infirma est, fœda saltem non sit. Non agat in occulto, nec cogitet quidem quæ turpe est & dicere. Ad talem stratum Jesus declinare non novit. Offendit illum, & fugat confusa conscientia. Confusio conscientiæ non invitat illum, sed magis evitat. Caritas autem *de corde puro & conscientia bona*, ipsa est quæ quærit. Sic enim habes: *Quæsivi quem diligit anima mea*. Nihil bonâ tutius conscientiâ. Bona conscientia audet, & caritas ardet. Illa non formidat; ista inflammat. Illa pro delicto non confunditur; ista confidit super dilecto. Magna vis amoris. Alieno non nititur suffragio, propriis contenta meritis. Semper amari se præsumit, quæ amare se sentit. Denique non respectis aliis majestatis nominibus, solùm sponsa dilectum memorat, quæ singulariter intus tolerat æstum amoris.

8. Hoc autem attendendum quàm frequenter dilecti recenset vocabulum quocunque ex mysterio. *Dilectus meus candidus & rubicundus; & talis est dilectus meus*. Et in præsenti: *Quem diligit anima mea*. Magna certè sermonis hujus gratia. Nec mirum si frequentatur in ore, quod in corde fervet. Ideo & animam commemorat. Non enim verbo tantùm diligit, sed voto: nec solo actu, sed magis affectu. Quid verò sibi vult quòd *animam*, non spiritum dicit? Forte quia dilecto quem adhuc quærebat, nondum adhærebat. *Qui enim adhæret Domino, unus est spiritus*. Et quidem nusquam in toto hoc cantico spiritum nominat, sed, *anima mea liquefacta est; & anima mea conturbavit me*; & hoc ipsum frequenter: *Quem diligit anima mea*. Id quoque ferè, nusquam nisi cum absentem quærit, vel abesse quæritur. Solent his nominibus gradus quidam distingui animæ perfectioris, & minùs perfectæ. Apostolus dicit: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei*. Ego animam hanc ita amantem & æstuantem, ferventem & quærentem, numquam non spiritualem dixerim. Quippe quæ licet nondum plena visione, voto tamen propensiore illi adhærebat, quem vehementer diligebat. Possumus autem non inconvenienter sicut in spiritu subtilem & attenuatum intellectum, sic in anima suavem & tenerum affectum accipere. Per Prophetam in promissione Dominus dicit: *Dabo vobis cor carneum*. Si ergo *carnis* nomen in bono alicubi accipitur, cur non magis *anima*? Ego beatam hanc animam (ut licenter loquar) non lapideam sed carneam magis judicaverim, & nihil habentem in se rigoris vel duritiæ; sed mollem, teneram, tractabilem, & sensibilem ad singulos divini ver-

Thren. 2. f
Rom. 13. d
1. Tim. 1 b
Cant 3. a
Caritatis & conscientiæ bonæ collatio.
Cant 5. c
Ibid.
1 Cor 6. d
Cant 5. c
Animæ nomen cur tam frequens in cantico amoris.
1. Cor. 2. d
Ezech. 11 d

bi aculeos. Denique quæ dicat: Neque caro mea ænea est: A sed quam spiritualis pertranseat gladius, & caritate se vulneratam gaudeat. Jure ergo animam suam diligere dicit, exprimere volens intimam quamdam & vividam & animatam affectionem erga dilectum suum Jesum-Christum Dominum, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO II.

*In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* Cant. 3. a.

1. SUper hesterno capitulo hodiernum vobis instauramus convivium. Nec enim ibi cuncta dicta sunt quæ B dicenda occurrunt: quædam verò nec tacta quidem sunt. Illa hoc sermone discutienda suscipimus: id est cur dicat *in lectulo*, & non in lecto: & cur *in lectulo meo*. Nam alibi *lectulum nostrum* dicere consuevit. Hæc reputate vobis in sortem. Si quid autem novæ disputationis super iis quæ jam discussa sunt adjecero, in lucri rationem (ut sic dicam) referte. Quid putatis mysterii signat hoc ipsum quod dicit, *in lectulo?* laudisne aliquod occultæ continet, an suggillationis? Etsi utrumque potest, libentiùs tamen hic laudem accipio: & ideo primitus in hunc sensum inflectamus sermonem. Ego planè in hoc verbo coarctationem quamdam intelligo, ut soli secum dilecto sufficiat. Cur enim non in bono coarctatio accipitur, si strati dilatatio in pro- C brum vertitur? *Dilatasti*, inquit Dominus per Prophetam, *stratum tuum, juxta me suscepisti adulterum.* Vides quomodo objurgando & exprobrando strati dilatatio objicitur animæ adulteræ. Bonum est ergo non dilatare, sed magis contrahere stratum cogitationis, & cordis lectulum. Ideo sponsa jure sibi applaudit de lectulo. *Coangustatum est*, inquit Propheta, *stratum, ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non potest.* Utrumque, id est virum & adulterum. Breve enim & angustum est cor hominis ad concipiendas Dei verbi delicias, etiam cum in illa totum extenditur. Quomodo non multo brevius, si fuerit ad alia distentum? Sufficiat dilecto tuo vel brevitas ista. Noli illam magis breviare, lectulum communicando alteri. Bona qui- D dem hæc brevitas lectuli, quæ nescit nisi dilectum suum, id est Christum suscipere. Est enim brevitas, quæ non nisi illum suscipere novit: & est brevitas, quæ illum plenè suscipere nequit. Illa caritatis est & disciplinæ: hæc verò infirmitatis & naturæ. Utraque brevitas intelligi potest in lectulo, vel quâ cum plures non dilecto suscipit, vel quâ nec illum plenè. Magna certè voluptas lectuli, sed magna brevitas: & ideo bene *lectulus* magis quam lectus dicitur.

[Cant 1. d]
[Isa. 57. b]
[Isa. 28 c]
[Lectulus cordis angustus cum sponso non admittit adulterum.]

2. Delectabilis lectulus est de quo legis in proverbiis: *Secura mens quasi juge convivium.* Foris nox, foris turbatio, sed tranquilitas intus quasi quieti lectulus quidam. Non est hic illud lamentabile dicere: *Foris interficit gladius, & domi mors similis est.* Immo si foris gladius est, intus gaudium. E *Spe*, inquit, *gaudentes, in tribulatione patientes.* Ad noctem tribulatio refertur, ad lectulum spes & gaudium. Fortè propter hoc non lectum, sed *lectulum* appellat. Parco * vocabulo: quoniam totum gaudium nostrum fere in spe est adhuc & ex parte. Bonus ergo lectulus conscientiæ, quies & munditia. *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, sed redundant fluctus in conculcationem & lutum.* Est ergo cor impii turbulentum, & tabidum, & lutosum, & secum semper colluctans. Siquidem non est pax impiis: regnum verò Dei justitia est & pax. *In pace*, inquit, *in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter* F *in spe constituisti me.* Utrumque complectitur spei nomen, & lectulum & gaudium: quia in spe gaudemus, & in spe requiescimus. Sed unde spes nisi de securitate conscientiæ? Jure lectulum dixerim mentem securam & liberam. Securam propter conscientiæ bonum: Liberam autem à tentatione; liberam ab exteriore occupatione, liberam à levi cogitatione. Quanta tamen esse potest in hoc corpore quies & libertas mentis? Brevis & exigua, & lectulo similis angusto. Multum inde decerpit reficiendi necessitas corporis, multum conquirendi quæ necessaria sunt cura, multum consumendi hora, multum animæ casus imminens, multum causa latens. *Gloria nostra hæc est*, inquit Paulus, *testimonium conscientiæ nostræ.* Suavi certè se collocarat in lectulo.

[Prov. 15 b]
[Lectulus conscientiæ quis.]
[Thre. 1. g]
[Rom. 12. c]
[* id est diminutivo]
[Isa. 57. d]
[Ibidem.]
[Rom. 14. c]
[Psal. 4 b]
[Mentis quies & libertas in hoc corpore quam brevis & exigua]
[2. Cor. 1. c]

*Nihil*, ait, *mihi conscius sum*, Sed quantum illum dilatat & extendit; magis istum arctat & contrahit: *sed in hoc*, inquit *justificatus non sum. Qui autem judicat me, Dominus est.* Vides quomodò Paulus, audet, & dicit, *Cor nostrum dilatatum est.* Vides quomodo gloriam & testimonium conscientiæ, divinæ coarctat respectus sententiæ.

[1. Cor. 4. a]
[Ibid.]
[2. Cor. 6. c]

3. Bene ergo lectulus mens secura, sed minimè superba; quieta non elata; bona de se sentiens, sed alta non sapiens, magis autem suspectam semper habens incerti noctem judicii. *In lectulo*, inquit *per noctes*. Multæ noctes, sed unus lectulus. Multæ enim tribulationes justorum: sed tamen quasi non sentientes, nec respicientes uno dormiunt & requiescunt in lectulo, in ea in qua vocati sumus una spe vocationis nostræ. Transit nox & nox: sed illi non deserunt tranquillitatis suæ lectulum, donec tota transeat iniquitas. Multæ noctes, & altæ tenebræ: sed tamen ab altitudine noctis non timent, nec turbantur: quia sperant in Domino. Non timent à noctibus, qui in hujus spei lectulo quiescunt. Nam & ipse novit dare carmina in nocte tribulationis: & in nocte mandat canticum ejus. Accepistis quare sponsa dicit *noctes*; & quare plures: quare *lectulus* dicatur, & quare unus.

[Psal. 31. d]
[Justi quales in tribulationibus.]
[Iob. 35. c]
[Psal. 41. b]

4. Nunc accipite quare dicat sponsa, *in meo*. In lectulo suo, & quasi singulariter suo est, quamdiu singulariter in spe est. Cùm verò ad spem res accesserit, vel magis successerit spei, cùm jam ex parte tenuerit dilectum; non jam suus est hic lectulus sponsæ, sed magis communis sponsi & sponsæ. Suus est, cùm quasi sola sine delicto quiescit: communis est, cum ipse adest. Suus est sponsæ, cùm quietatis & pacatis, & compositis moribus intra se collecta quiescit: communis est, cùm jam incipit oblectari in sponso. Fortè est & aliquis proprius sponsi, quando sui oblita penitus, & se exuta tota transit in ipsum, & quasi induitur ipso dilecta ipsius. In lectulo suo nec effluit extra se, nec turbatur in se, In lectulo communi affluunt illi deliciæ quædam de præsentia sponsi. In illo qui solius est, sponsi amoris exagitata incendio ebullit, & excrescit effusa & effluens. Tota transfunditur in ipsum, & in similem absorbetur qualitatem. In primo penes se est: in secundo penes illam sponsus: In tertio penitus est ipsa penes ipsum, &, si dici potest, non est nisi ipse. In primo quærit: in secundo adhæret: in tertio unitur illi. In primo tranquillitatem propriam possidet: in secundo quamdam meretur communitatem cum dilecto: in tertio assumitur & absorbetur in quamdam caritatis & gratiæ unitatem. Melior hic lectulus tertius quàm secundus, quantò expressior est unitas quàm communitas. Bonus tamen primus, per quem ad istos paratur accessus.

[Triplex sponsæ lectulus.]

5. Quòd si ad carnalis infirmitatis illecebras lectuli sensum deflectere velis: nec erras, nec laboras sic assignando. Solius enim sponsæ sub hoc intellectu lectulus est, nec communicatur sponso. Nam etsi novimus Christum secundùm carnem, secundùm carnis concupiscentiam tamen non novimus. Communis quidem carnis natura, sed non est communis illi carnis illecebra. Non refutavit lectum doloris nostri, sed non se reclinavit usque ad sensum delectationis nostræ. Ideo cùm istum designat, *in lectulo meo* dicit; non communiter, in nostro. Alibi siquidem legitur: *Lectulus noster floridus.* Qui communis est, floridus est, vetustatis nihil habens, nil corruptionis. Quando verò proprium suum lectulum dicit, nulla ibi fit mentio floris. Suus sponsæ hic est, sed insuavis est: non floridus, sed horridus illi videtur. Dura satis conditio, si vel sola corruptio foret: nunc verò ad infirmitatem accedit adversitas, duplicatum incommodum, lectulus & nox, infirmitas & adversitas. Sed magna vis amoris, quam neutra compescit, nec illa innata, nec ista illata. Non enim vel lectulo tenetur, vel terretur nocte, sed in lectulo suo & per noctes quærit quem diligit anima ejus. Claustralium videtur vox ista maximè fratrum, qui & quieti à sollicitudine, & quasi perditi & absconditi sunt in multitudine, habentes in altero lectulum, in altero noctis obscurum. Quodammodo enim absconditur cujuslibet quàmlibet excelsa conversatio, ubi in æqualem altitudinem tota se fratrum numerositas attollit, juxta illam de Salvatore prophetiam: *Ambulant in tenebris, & non est eis lumen*, sed humanæ laudis lumen, ut liberiùs *sperent in nomine Domini, & innitantur super Deum suum.*

[Alia lectuli interpretatio.]
[Cant. 1. d]
[Amor nec infirmitati naturæ nec adversitati cedit.]
[Isa. 50. d]
[Religiosorum à sæculo]

abditorum quies.

Quorum absconditus est vultus eorum. Unde nec reputavimus eos, immo qui seipsos intus non reputant; qui se mundi ad usus foris non aptant; qui nec hominum ab ore gloriam exoptant, sed illam quæ ex solo Deo est, juxta quod legitur: *Ego gloriam meam non quæro.* Et, *Qui gloriatur in Domino glorietur:* hoc est, non pro donis Domini in hominum favore quiescat; nec finis hujus admixtione, spiritualis gloriæ adulteret in aliquo gaudia, sed illi referat gratiam, & quærat in illo gloriam: hoc est enim ipsum quærere. Habet iste in tranquillitate lectulum, in humilitate noctem. Non illum mordaces curæ circumvolant, inquietudinum non exasperant injuriæ; sed totum lectulus & nox, totum pax & quies, & latebræ. (Joan. 8. f. 1. Cor. 10.)

6. Numquid satis est? Fortassis satis, sed laboranti; nam non satis amanti. *Dulcis* enim laboranti *somnus.* Amantis anxietas illum dormire non sinit, somnolentiam excutit, vigilias inducit. Amor de quiete ipsa inquietior redditur. Quiescit tentatio, quiescit occupatio, quiescit afflictio, sed quiescere dilectio nescit. Tunc magis vires exercet dulce incendium, & flamma vorax de latibulis evadens vacuo liberiùs evagatur in animo, altiùs possidens, & avidiùs depascens. Occasione accepta suum nescit amor non exercere negotium. Semper enim quem amat, vel præsente eo se oblectat; vel absentem desiderat. *In die,* inquit, *tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis.* Longè differentior quærendi ratio nunc à sponsa proponitur. Illam non impellit afflictio, sed trahit affectio. Ille in psalmo quærit adversùs tribulationem; ista ad amoris usum & oblectationem. Ad hoc enim refert & quietis lectulum, & noctis latibulum, ut quem diligit, & inconcussè recolat, & sincerè sapiat, & dulciter sentiat. Ergo multo potior in diligente quàm in indigente quærendi ratio: quamvis jure dici possit, quòd sanctâ quadam semper eget amor avaritiâ. Semper enim ad secretiora exæstuat, & quæ tenet non reputans, volubili se raptat in anteriora rotatu; & vitalis instar rotæ spirituali levitate ad superiora toto conatu attollitur, de terra vix paululum aliquid attingens. Denique & in Paulo nondum se comprehendisse arbitratur: sed ipse ad anteriora extensus, quasi rationalis rota sequitur, quò illum rapit spiritus ferventis desiderii. Siquidem & *cum consummaverit homo, tunc incipiet.* In præsenti quoque sponsa dum tenet lectulum, non hoc contenta, ardentiùs requirit dilectum. Ille illi lectulus: ille dilectus. Lectulus, dum infirmam & fatigatam suscipit: dilectus, dum inflammat & succendit. Lectulus & dilectus, quia quiescit in illo, & concupiscit & deficit in ipsum. (Eccl. 5. c. — Amor in otio & quiete numquam quiescit. — Psal. 67. — Philip. 3. c. — Eccl 18. a — Christus lectulus.)

7. Miraris quod dico lectulum? Audebo & adjiciam vilius aliquid, immo sublimius super omnem gloriam laudis ejus. Quanto enim pro me egit viliora, tanto bonitatis suæ dedit indicia majora. Ipse parvulis lectulus, ipse pullis est nidulus: *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum ubi ponat pullos suos.* Vis audire qualis lectulus? Jacta cogitatus tuos implumes adhuc & infirmos in Domino, & ipse te enutriet, donec formetur & firmetur Christus in te; & occurras in virum perfectum qui fluctuare non possit. Bene ergo lectulus, qui mihi factus est à Deo justitia & pax, & redemptio, & sapientia. Quis dabit mihi tali collocari in lectulo? Quis, inquam, dabit mihi istos pulvillos, & cervicalia hujuscemodi assui sub cubito & capite meo? Felix cervical, quod sibi sponsa supponit: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Alterum jam possidet, alterum sibi pollicetur. Lævam tenet, sed dexteram quærit. *Delectationes* enim *in dextra tua usque in finem.* Quasi de lectulo tendit ad lectulum. Suavissimum mihi cervical, bone Jesu, spinea illa capitis tui corona. Dulcis lectulus illud crucis tuæ lignum. In hoc ego nascor & nutrior, creor & recreor, & super passionis tuæ altaria memoriæ mihi nidum libenter recolloco. Quod si majora datur & arcaniora persentire divinæ majestatis mysteria, nihil illud à lectulo & nocte differt, si quis ad futuram contempletur plenitudinem, non formulam perfectionis humanæ. Nam & perfectius nostrum imperfectum est, & (ut veriùs dicam) vix adhuc inchoatum. Propterea & *initium aliquod* dicimur *creaturæ* Dei, & tantum *primitias* accepisse Spiritus. (Psal. 83. a — Cant. 2. a — Psal. 15. c — Jac. 1 c — Rom. 8. d)

Moralis expositio.

8. Temerarius forsitan videar, qui conor inexperta exponere & de sponsæ lectulo, quæ illum suaviùs forsan & secretiùs collocavit, quàm conjectura nostra possit attingere. Quapropter de mysteriis ad mores descendamus, & dicamus hoc esse dilectum *in lectulo,* & *per noctes* quærere, cùm post cordis strepitum & carnis motum, quietis & præsentium obliti, primitivas quasdam futuræ dulcedinis captamus delicias. Habes ergo (ut breviter colligam) in hoc capitulo occasionem, actum, & causam. In diligente causa, actus in quærente: opportunitas verò & occasio in lectulo & nocte innuitur. Breve autem capitulum, quoniam bonus lectulus, in quo suscipit mens fatigata fomentum, immo fervens incendium, in quo amor dum offendiculum non habet, desiderii usum exercet ardentiùs. Sed jam nos hic paululùm quiescamus, & in illo utinam lectulo, in quo sponsa dum quievit, dilectum quæsivit: ut experientiæ sensu in nobisipsis ediscere possimus quod nunc alios docere conamur, quàm dulce sit in hoc lectulo quiescere, & dilectum quærere JESUM-Christum Dominum nostrum.

## SERMO III.

*Quæsivi illum, & non inveni.* Cant. 3. a.

1. Non solet sponsus semper, vel pro tempore, vel pro quantitate animæ se quærentis voto respondere. *Quæsivi,* inquit, *& non inveni illum.* Gratum certè verbum, *quæsivi:* sed, *non inveni illum,* grave. Quidni grave & intolerabile sic quærenti, & sic amanti? Nemo enim eo quod ardenter quærit, non anxiè caret, tantóque cumulatiore angustia, si vicina spe jamjámque apprehensura fraudatur. Quanto magis illa, quam expertæ & perditæ internæ dulcedinis provocat esuries? Credibile est secundùm multitudinem retractatæ & revolutæ in corde dulcedinis, acriori ad quærendum ictu everberari animum amantis. Denique ad dilectionis mensuram, non invenientis pendatur affectus. Si quis in se umquam talem expertus est vel dilectionis vel desiderii sensum, proprii æstimare potest conjecturâ exempli, quàm querulo sponsa corde protulerit: *Non inveni illum.* Nusquam consolatio, nusquam refrigerium, sed ubique tribulationem & dolorem inveni, dum illum quem ardenter diligo, & instanter quæro, non inveni. Denique posuisti me, non dico tibi contrariam, sed à te quasi extraneam, & facta sum mihimetipsi gravis. Gravis planè, quam tædet vitæ, tædet luminis hujus, quoniam lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum. Ubi erit foris consolatio, si intus in meipsa te absente turbatio? *Conturbatum est cor meum, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Tria hæc tecum abierunt, virtus, veritas, identitas. Quomodo enim virtus erit in doloris lecto, in nocte lumen, & in divisione & separatione idipsum? Ad me nunc respicit illa prophetalis exprobratio: *Quousque dissolveris filia vaga?* Denique & Cain, ex quo egressus est à facie Domini, vagus factus est & profugus. Ego quidem non ita vaga & profuga: magis enim quærens quàm fugiens, & (ut licentiùs loquar) tibi fuga plus competit. Annon vaga, quæ de lectuli angustiis transeo ad ambitum urbis, discurrens per plateas, per vicos, per vigiles? *Qui adhæret Domino, unus est spiritus.* Dulce hoc ipsum, & ideo dura separatio. (Amanti quærere & non invenire, grave est. — Job. 7 d — Psal. 37. b — Jer. 31 d. — Gen. 4 c — 1. Cor. 6 d)

2. Quomodo dissipata est hæc identitas, dissiliit unio, & ad me dimidiata redii? Nam tota à te non discessi. Desiderio enim in te feror, sed à præsentia differor: habeo aliquod in desiderio solatium, sed totum illud abscondit & absorbet de dilatione supplicium. Quo pacto non absconditur omne solatium, quamdiu abscondis faciem tuam à me? Denique sicut ait Propheta: *Consolatio abscondita est ab oculis, quia facta est inter dilectos divisio.* Sed mihi abscondita, quoniam mihi fuerat hæc unio indulta. Tu enim bonorum meorum non eges. Bona enim mea, dona tua sunt: ideo mihi incumbit desolatio, dum à te separari contingit. Tu virtus mea: Tu lumen oculorum meorum: Tu mihi ipsum: Tu mihi totum. Denique defecit caro mea & cor meum, ut de reliquo in me, nec carnalis affectus, nec cordis mei sensus respiret; sed sit Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Si hanc partem perdidero, inanis & vacua remanebo, quasi terra sitiens, & quasi vas perditum. Adsume, adsume qui ebrius es sitientem, & vacuo vasi tuæ ple- (Ose. 13. d — Psal. 72. d — Pia sponsæ querimonia de absentia sponsi.)

nitudinis portionem infunde. Quid parcis torrenti illi ubertatis tuæ? Heu me, quàm raptim transit torrens iste nostris in convallibus. Citò quidem transit, sed trahunt me post se in æternum desiderium impartitæ deliciæ. Deliciæ abeunt, sed desiderium relinquunt. Illæ excurrunt, & istud excruciat. Quanto sunt enim prærogata dulciora, tanto molestior de dilatione mora. Itane Domine suave videbitur tibi miseram mora tali torquere animam, & de pœnis diligentis & quærentis te ridere? Si majestas te abducit, misericordia inclinet. Si te non indulges dilectæ, miserere vel afflictæ. Afflicta sum & humiliata nimis, & à gemitu cordis mei mecum illud rugiens, non inveni illum. Ubi nunc multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum? Diu & nimis diu continuerunt se super me. Dilecta tua absentis desiderio in dolorem se fundit, & tu te contines? Joseph malè meritos de se miseratus fratres, non poterat se
Gen. 43. g
continere: sed commota sunt viscera ejus, & quis esset, blandè innotuit. Et quidem tenerior esse solet ad gratiam sponsi pietas, quàm fratris. Tu mihi plus quàm Joseph. Tu enim frater; tu sponsus. Quis dabit mihi te fratrem meum? Ego me totam ad quærendum impendo, & tu me suspendis sponsus & frater? Ergo eris in dilectione minor, qui es majestate superior? Magis sibi respondent amor & humilitas, quàm amor & majestas. Paululùm majestatis oblivisćere, ut misericordiæ recorderis. In te omne desiderium meum. Ut quid non ante te? Ut quid absconditus est à te gemitus meus, qui totus est pro te? Dissimulas & differs, & avertis faciem tuam à me, & facta sum conturbata. Propterea queror & causor & clamito: *Non inveni illum.*

3. Felix conditio, quando dicere datum fuerit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Nunc verò ego dilecto meo, sed nondum *ad me conversio ejus.* Amara quidem amanti commutatio. Idcirco pro vice vocem commuto: *Non inveni*
Eccl. 3. a
*illum.* Omnia tempus habent, & suis spatiis universa sub sole transcurrunt. Quando erit ut cum sole permaneant, & ante mutabilitatem lunæ, ut in æternitate stent, & non transcurrant cum tempore? Nunc verò omnia tempus habent, & habet forsitan suum tempus æternitas ipsa. Dicuntur enim & tempora æterna. Æterna ergo in se æterna sunt, sed nobis parata sunt tempore suo. Omnia tempus habent: tempus amplectendi, & tempus ab amplexu longe fieri. Quod ergo erit aptum magis, quàm nox amplectendi tempus? Immo quis erit aptior ad amplectendum, vel lectulo locus, vel nocte tempus? In pace locus tuus: & ideo quietis tempus; & pacis tibi paravi in corde meo lectulum. Veniat dilectus meus, veniat delectatio mea, & requiescat in cubili suo. Tu forsan dispensatoriè differs: sed non capit amor impatiens de dispensatione solatium. Scio mihi repositum tempore suo: sed de fugacis tarditate temporis amor causatur. Tu differs: ego quidem diutiùs non fero, sed surgam & circuibo civitatem. Contemno lectulum, & initium sermonis derelinquo, ut ad perfectiora ferar.

4. Nam etsi sponsa sum & perfecta pro regulæ modulo humanæ, initium tantùm accepisse me reputo, ad quod respiciens: *Surgam & circuibo civitatem, quæram per*
Cant. 3. c
*vicos & plateas.* Jesu bone, quid est quòd alicubi non inveniris, qui ubique crederis? Multæ quidem mansiones in
Deus ubique vario modo.
domo Patris tui sunt: sed numquid alias deseris ad alias transiens, qui infinitus ipse & immensus es? Ubique creaturarum totus es, creans & continens: sed infinitatem tuam creatura nulla potest exprimere, quamvis virtutem nulla non possit ex parte innuere. Ubique totus es per exsistentiam: sed non æqualiter in singulis per efficientiam. Nam etsi ex toto te ubique opereris, non tamen totum quod potentiæ tuæ est ubique, immo potiùs nusquam, operaris. Indifferenti enim virtute efficis in minimis minima, & in magnis majora. Cùm ergo virtus tua ubique & tota operetur, nusquam tamen tota expenditur: quia cùm volueris, suppetit tibi efficere majora; nec tota exprimitur, quia veritatem non possunt ad integrum æmulari simulacra. Omnia ergo te mihi monstrant ad cognitionem, sed non omnia me movere possunt intus ad devotionem. Ubique in te impingo, sed non ubique compungor. Ubique te mihi ingerit rerum species & usus & ordo, sed Verbum sapientiam, non Verbum salutem. Verbum autem sapientiæ & salus, id est Christus Jesus, tantùm in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Propterea *surgam, & circuibo civitatem.* *Surge,* inquit Paulus, *qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Surgam ego, non de mortuis operibus; Eph. 5. b
non de pravis moribus: sed de bonis ad meliora, de moribus ad mysteria, de mysticis ad manifesta, de serenis ad suavia. *Surgam & circuibo civitatem illam,* de qua dicitur: 1. Par 16. c & Psal. 47. a
*Magnus Dominus & laudabilis nimis, in civitate Dei nostri in monte sancto ejus.* Ergo surgendum est ei qui in montana vult cum Maria conscendere. Et prodigus ille filius in se reversus: *Surgam,* inquit, *& vadam ad patrem meum.* Prudenter ait, *surgam,* iturus ad eum, qui in cælis est Patrem. Luc. 15. d
Sed nimis exilem & macilentam spem reposuerat in sinu suo, mercenariam conditionem patrem rogaturus. Modestè quidem pro meritis, sed de paternæ miserationis copia humiliter nimis & injuriosè sentiens, verè famelici dans in hoc animi indicium & inediâ confecti. *Dicam,* inquit, *ei: Pater, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Non enim poterat jejunam & macram spem ad majora porrigere. *Surgam,* inquit, *& vadam ad patrem meum.* Iste de quærendo nil movetur patre, tantùm de flectendo sollicitus. Quæ sponsa est, certa de gratia postulat præsentiam tantùm. *Surgam,* inquit, *& circuibo civitatem, & quæram quem diligit anima mea,* inventionem sufficere reputans.

5. Vide si non in præsenti hæc possit observari distinctio, quoniam patris exposita est & parata cunctis indulgentia: deliciæ vero fugaces & reconditæ, & latibulis gaudentes. Ideo ille dicit: *Surgam & vadam.* Illa verò: *Surgam & quæram.* Denique & pater occurrit pœnitenti, sponsus se subducit diligenti. Misericordia sui profusior est, delectatio parcior. Id autem non incongruè ab utroque positum intelligitur, quod dicitur, *surgam.* Non permittit te Paulus quæ sursum sunt quærere, nisi priùs resurrexeris. Non potes quæ sursum sunt sapere, nisi priùs illa quæsieris. Quid enim est illa bona quæ sursum sunt, invenire, nisi quodam dulcedinis & experientiæ gustu persentire illa? Ideo cuncta perlustrat & scrutatur, ut quod amat, alicubi degustet. *Surgam,* inquit, *& circuibo civitatem, quæram per vicos & plateas, quem diligit anima mea.* Multum sibi fiduciæ sanctus amor adsumit. Quantum enim putas diligebat, quæ tantum præsumebat? *Surgam,* inquit, *& circuibo civitatem.* Non veniet in conspectum tuum Domine omnis hypocrita. Abscondit se Adam, ex quo bonæ conscientiæ ausum amisit, & inventum se doluit, qui magis quærere debuerat. Qui fictè diligit, fugit conspectum tuum: quæ vero sponsa est & caritatis dotata munere, etiam fugitantem insectatur. Quò ibis bone Jesu, à facie vehementis desiderii? Si ascenderis in cælum, illic est: si descenderis in infernum, adest. Ubique te sequitur curiosa scrutatrix, & per singulos operum tuorum gradus discurrens, quod fide tenet, conatur transfundere in affectum, & admirandæ majestati devotione respondere. Ad dilectionis incentivum omnia Evangelii documenta deducit: ut in quibus veritatem suscipit, virtutem persentiat teipsum sponsum suum Christe Jesu, qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia Dei cunctis patet, non deliciæ.

Coloss. 3. a

Gen. 3. b
Amor ubique dilectum sequitur.

## SERMO IV.

*Surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Cant. 3. a

1. Circuitus iste non est pervagationis, sed investigationis. At si vagatur quæ circuit, non evagatur tamen, non excedit terminos civitatis, non loca quæ dilectus perambulare solet. In circuitu ambulat, sed intus ambulat per vicos & plateas civitatis. Sapientia enim in his viis se ostendit hilariter, & in plateis dat vocem suam. Ideo in istis circuit, quia novit ubi soleat illi uberior occursus esse dilecti. *Circuibo,* inquit, *quærens per vicos & plateas.* Frequens tibi est ô felix anima, talis circuitus, & accessus familiaris, & nota sunt tibi omnia civitatis hujus: circuitus & recessus intimi, angusta vicorum, & lata platearum. Introduxit te rex in cellam vinariam. Numquid non & in omnes alios secretiores recessus? Omnia tibi sunt aperta & pervia, & usû quodam ad beatum hunc expeditam te sentis circuitum. Ideo non cunctanti, sed confidenti similis dicit: *Circuibo civitatem.* Et quantum putatis, fratres, quantum solatii confert invisere interim & crebrò conterere

gressu loca in quibus stare solebant pedes ejus, quem diligit? Nescio quo pacto loca, in quibus aliquid boni experti sumus, expressiùs idipsum imprimunt memoriæ, & ex ordine ante mentis depingunt oculos, & quod jam experti sumus in ipsis, iteratò speramus. Ego loca ista non corporalia, sed spiritualia crediderim, opportuna ad animæ exercitationem spiritualem; propterea in his accipiamus circuitum.

Quis si iste sponsæ circuitus,

2. Circuitus iste aut recordationis est, aut investigationis. Circuit enim, qui vel nota recolit, vel ex ipsis notis colligit, quæ nondum sunt nota. Circuit quodammodo qui nota recordatur, vel perscrutatur nova. Circuitus quidam est, cum ea quæ jam fide & intelligentia tenemus, ordine retractamus. Circuitus quidam est, cum ex his quæ jam tenemus, ad occultiora tendimus & penetramus. Circuitus ille oblectationis est, iste rationis. Ille amicabilior, iste acutior. Et quamvis ille circuitus magis accommodatus sponsæ videatur; neutrum tamen illi negabimus. Sive enim nota & comperta revisit, sive investigat nova; in omnibus amoris tantùm fomitem quærit. Bonus quidem rationis circuitus: sed quando ratio ipsa intra fidei regulas se continet, & ejus terminos non excedit, de fide ad fidem, vel de fide ad intelligentiam pertingens.

Intelligentiæ, fidei & rationis connexio.

Intelligentia quidem etsi fidem excedit, non tamen aliud contuetur, quam quod fide continetur. In intelligentia quàm in fide non certitudo major inest, sed serenitas: neutra vel errat, vel hæret. Ubi vel error vel hæsitatio est, intelligentia non est: ubi hæsitatio est, fides non est. Et si fides admittere posse videtur errorem, non est vera nec catholica fides, sed erronea credulitas. Fides (ut sic dicam) veritatem rectam tenet & possidet; intelligentia revelatam & nudam contuetur; ratio conatur revelare. Ratio inter fidem intelligentiamque discurrens, ad illam se erigit, sed istâ se regit. Ratio plus aliquid quàm credere vult. Quid aliud? Conspicere. Aliud est credere, aliud est cernere: non tamen aliud, quàm quod fide concipit, conspicere conatur. Et si nondum sincerè videre potest, quibusdam tamen accommodatis experimentis conjicere tentat, quæ jam solida fide concepit. Ratio supra fidem conatur, fide tamen nititur, fide cohibetur. In primo devota est; in secundo prudens; in tertio sobria: & (ut sic dicam) fides tenet, tuetur ratio, intelligentia intuetur. Bonus iste circuitus, in quo mens rationis ductu pervestigando procedit, sed à fide non recedit, instructa à fide, & restricta ad fidem. Erronea planè, si non cuncta ad ejus referat examen, & citum rationis incessum ad fidei maturitatem castiget. Bonus circuitus, ubi justitia Dei revelatur ex fide in fidem. Bonus circuitus, ubi quis transformatur à claritate in claritatem tamquam à Domini spiritu. Bonus circuitus, ubi quis posteriorum oblitus, ad anteriora extendit semetipsum, si quo modo comprehendat. Bonus certè circuitus, non modo cùm nova semper & occultiora comprehenduntur, sed cùm jam apprehensa novo & recenti semper affectu revolvuntur: cùm non modò quod restat, penetratur; sed quod jam penetratum est, frequenter iteratur. Jucundus circuitus, & sponsæ non ignotus. Ideo confidenter dicit: *Surgam, & circuibo civitatem.*

Philip. 3. c

3. Quæ aptius esse poterit civitas quàm illa, de qua dictum est: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei?* Et quidem universitas creaturæ dici potest non inconvenienter civitas Dei, ab eo condita, & ab eo disposita. Gloriosa planè & pro specie, & pro ordine. Nam pro actibus minùs justis, quos depravatæ mentis producit libertas, quantum in ipsis est, *minùs in gloria: nec ex ipsis est, quòd ordinem divinæ dispositionis non effugiunt, quem non intendunt. Soli autem verè gloriosi sunt, qui divinæ dispositioni supponunt studium, solliciti primæ conditionis integram servare gratiam, vel resarcire corruptam. Isti gemino quidem modo gloriosi efficiuntur: naturali cum ceteris conditione, & voluntaria præ ceteris coaptatione ad ordinantis & dirigentis Dei nutum. Dicitur ergo civitas Dei universitas creaturæ; quippe legibus administrata dispensationis ipsius. Ipse universæ creaturæ speciem existentiæ præstat in proprio genere, in usu efficaciam, consequentiam in ordine, ut & in seipsa pulcra sit, & in universitate supervacua non sit, & cum reliquis inconsequens & repugnans non sit. Sive enim res naturæ agatur motu, sive libero arbitrii nutu, sive divinæ instinctu gratiæ, sive singulis his rationibus, sive conjunctis res agatur: quælibet à divinâ intus invisibiliter operante efficaciâ, & modum accipit & motum. Modum & quasi legem quamdam ordinis & motum actionis. Non modò enim ab eo cujuslibet motionis nativa facultas, sed cujuslibet facultatis administratur motio, ut simul ab ipso sit & virtus, & motus virtutis. Motus verò intentionis pravæ, & ab ipso habet quod motus est, & ab ipso non habet quod pravus est. Neque enim ab ipso est, quòd in minùs ordinatum finem dirigitur: sed ab ipso est, quòd inordinatio ipsa mira prorsus ratione in ordinem redigitur.

Psal. 86. a

* al. nimis.

Quomodo omnia divinâ providentiâ reguntur.

Et virtus motiva, & ipsa motio à Deo pendet.

4. Vide venditionem Joseph, descensum in Ægyptum: egressum & insectationem Pharaonis, submersionem exercitûs, & ereptionem Israël, quomodo incarnationis & passionis Christi, & ereptionis nostræ serviant mysteriis: & multis quidem in locis similia diligens reperiet. Non ergo possent antiqua delicta novis deservire sacramentis, nisi occultâ ratione divinâ intus operante providentiâ. Nec enim illa antiqua casu quodam & indifferenter ita provenêre, quibus nova postmodum à prudenti dispensatore & observatore diligenti adaptarentur mysteria: magis autem illa ad horum sunt significationem (non homine illud intendente, sed Deo disponente) præparata, quàm hæc illis aptata. Quid denique quòd Dominus eo potissimùm tempore ad passionem addictus, quòd hac hora, hoc die, hoc mortis affectus genere? Quis ista aut neget mystica, aut credat fortuita? Quo die est homo conditus, eo reparatus: qua hora sententiam pertulit, indulgentiam meruit. Per lignum mors inducta, per lignum vita restituta. Et nescio quis ista non divinitùs dispensata, sed humanitùs administrata contendit. Habes Agni Paschalis tempus, habes immaculatam hostiam; habes ereptionis Israëliticæ de Ægypto horam, habes ereptionis tuæ gratiam de sæculi errore, de vanitate, de nativitate corrupta: & hoc simpliciter contigisse credis, Deo non dispensante, sed Judæo operante, quamvis non observante? Hæc, inquam, quæ tam aptè concurrunt de crucis ligno, de tempore, de hora, de die, & reliquas quæ observari prudenter possunt, circumstantias, Judaïcæ deputas dementiæ, non divinæ sapientiæ? Prorsus in eam salubri remedio, & cum antiquis in unam formam concurrente sacramentis, & fortuitus casus excluditur, & humanus intuitus, sed non divinus nutus. Et in Isaiæ prophetia invenies ad Ezechiam dictum: Data sunt omnia hæc in manus Chaldæorum. Ubi data esse dicit, ostendit non tantùm propheticè prædicta, sed etiam judiciaria quadam æquitate dictata. Ex his & hujusmodi passim per omnem scripturarum textum, cui dubium residebit, divinam pariter virtutem & sapientiam justis legibus pravas rationalis creaturæ non inspirare quidem, sed dispensare voluntates? Quod si ita est, multo minus ambigi potest motus ceterorum animantium, quæ naturali ducuntur affectu, & sensuum vel imaginationis tantùm aguntur judicio, non arbitrio rationis à divina dispositione minimè exemptos. Et ut semel concludam, universarum vel essentiam, qua in hoc aut in hoc rerum genere sunt, vel exsistentiam quâ sunt, vel usum quo aliquid efficiunt, justissimus, potentissimus, prudentissimus moderator æternis & immutabilibus movet, & mutat, & continet decretorum regulis, & cunctam creaturam nusquam exorbitante regit justitiâ, quasi ordinatissimam & dispositissimam civitatem.

Quomodo ordinet peccata.

Isa. 39.

5. Hæccine ergo civitas est universitas creaturæ, quam sponsa circuituram se proponit? Circuierunt sapientes hujus sæculi rerum naturas, & in artificio suo operantem adverterunt sapientiam Dei. Operantem dico, sed non opus de quo legitur: *Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Cognoverunt in opere artificem, sed non glorificaverunt, aut gratias egerunt. Fidelis anima omnia replicat & recenset in laudem Dei, & omnem creaturam provocat ad glorificandum, ut seipsam excitet in gratiam, & universitatis contuitu divinum stimuletur in amorem. Circuivit Salomon, & de cedro Libani disputavit usque ad hyssopum. Circuivit in Ecclesiaste, & de elementorum postquam disseruit circuitu, ad humanos actus disputationem derivavit, ut de transeunte rerum vanitate ad permanentem transiret veritatem. Circuivit Job, immo circumductus est magis à Domino per terræ fundamenta,

Cognitio Dei per creaturas.

Psal. 73. c.

Rom. 1.

3. Reg. 4 d.

Eccl. 1.

Job. 38. a.

per mensuram, per lineam & bases, & lapidem angularem, & astra matutina, & filiorum Dei jubilum: per maris ostia, & vulvam, & vestimentum, & caliginosos infantiæ pannos: per terminos, vectes, & ostia, per ortum diluculi, & auroræ locum, & certas quasdam ceterarum rerum naturas. Omnes enim numerare longum erat, quæ omnia prudenter intuenti admirationem Conditoris facerent, & piè consideranti amorem. Et hæc communiter omnibus proposita sunt ratione utentibus, & Conditoris sui majestatem manifesta pulcritudinis suæ specie commendant. Sub tam pulcro tamen velamine pulcriora sunt, quæ latent salvationis nostræ sacramenta, & multiplicia spiritualium dona gratiarum.

[Psal. 149. a.] 6. Denique & David in fine psalmorum cùm omnem creaturam in laudes Dei concitasset: *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia Sanctorum.* Verè *novum*, cujus nescit antiquitatem materia, fastidium gratia: quæ semper est amore recens, usu recentior. Verè enim *novum*, quod hominum animos ad æternam innovat beatitudinem. [Isa. 43. c.] Denique legitur: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini; nova quoque ego facio.* Jure nova, quæ ab antiquo currentis naturæ nequaquam conclusa sunt legibus. [Psal. 149. a.] *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.* Quodam utique excellentiæ privilegio, non tantùm æquitatis dispensatione, sed gratuito sanctitatis dono & munere. [Diversimodè laudatur Deus in creaturis.] *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum*: quoniam ita laudem ejus sanctorum ostendit actus, ut illam attendat affectus. Sancti enim excellenter gratiarum dona suscipiunt, devotionem persentiunt, gratulationem persolvunt. Ideo quodam laudatur privilegio in Ecclesia Sanctorum: extra Ecclesiam laudatur ministerio insensibili & muto rerum, vano hominum. In rebus insensatis conditio; in hominibus non renatis aliquanta cognitio, in neutris tamen dilectio. Nam dilectio Conditoris sui in primis nulla, in secundis non sancta. *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.* Sanctus enim & quæ condita sunt, ut naturaliter sint; & quæ dispensata sunt, ut inconvenienter & inordinatè non sint; & quæ prædestinata sunt, ut beatè sint; universa perscrutatur & æstimat quantum datur: ut per hæc auctoris juxta vires colligat notionem, migret ad æmulationem, rapiatur in affectionem.

[Triplex materia contemplationis.] 7. Hæc ergo civitas spiritualis est, hæc Ecclesia Sanctorum, quam circuituram sese sponsa præsumit. Deus bone, quanta hîc utilium copia speculationum! Quis enim satis existimare possit, quàm pulcra & quàm plurima sint ubique spectacula in sacramentis, exemplis, miraculis? Prima salvationis, secunda conversationis, attestationis sunt tertia. Quid vero cùm de mysteriis, cùm de moribus ad remunerationes æternas temporalium meritorum admiratura mens assurgit? Quantum ibi profusis votis refunditur gaudii? [Psal. 4. d.] *Filii hominum ut quid diligitis vana, & quæritis mendacium?* ut quid animum ad aliena oblectamenta convertitis, laboriosè quæritis labentes delicias? Quasi ad manum materiam fidei nostræ tenetis mysteria, ad memoriam prompta, ad meditandum profusa, ad subsistendum perpetua, ad sufficiendum plena. Filii, inquam, hominum, immo filii excelsi, alumni religionis, qui regularis disciplinæ limina teritis, [Exortatio ad contemplanda divina.] ut quid arida fauce aquas cœnulentas sititis, cælestes fastiditis? Ut quid cogitationes admittitis in animum, ad quarum actiones non mittitis manum? Quod agere penitus detrectatis, ut quid studiosa mente retractatis? Experti frequenter estis, quòd omnem hanc inanem pompam recogitatæ turpitudinis citus excipere solet exitus pœnitudinis. Denique & pudor est prodere, & pœna reticere. Meditationis ergo mutate materiam, sed servate instantiam. Quàm fœdum est tunc studia vestra minui, cùm mutantur in melius? Hoc autem dico; sicut exhibuistis animum ad cogitatus affectuosos fœdæ turpitudinis, ita exhibete nunc ad fœcundos circuitus pulcræ veritatis. *Circumdate Sion*, [Psal. 47. c.] inquit Psalmista, *& complectimini eam.* Circumdate meditando, complectimini amando. Complectimini eam, ut ejus sit & comprehensio integra, & collocatio intima. Plus aliquid innuere videtur complexus quàm circuitus. Complexus simul continet totum, circuitus de alio in aliud facit transitum. In hoc tamen circuitus præstare videtur, quod [Complexus & circuitus differentia.] ea quæ complectimur, indifferenter & involutè constringimus: ubi verò circuitus est, singula seriatim discutimus. Ille contentus est summâ, iste discurrit per singula.

8. Esuriens enim & quærens animus, dum illum non satiant aliqua, semper rapitur ad reliqua: & quodam volvitur circuitu, currentis desiderii protractus rotatu, donec repleatur in bonis esuries amoris, & occupet in illo cursus sui statum, in quo terminum non invenit. [In Deo solo quies animæ.] Nulla enim quæ creata sunt, in conditionis suæ statu infinita sunt: & ideo mens quæ circuit, universa pertransit, nusquam requiem capiens ubi finem reperit. Solus ille requies est amanti & refectio, qui finis est omnium, & cujus nullus est finis. Propterea sponsa, in circuitu suo cuncta pertransit, ut pertingat ad ipsum: *Surgam*, inquit, *circuibo civitatem.* Circuibo in cunctis, eum quem diligo quærens, sed nusquam reperiens. [Rom. 1. c.] *Invisibilia ipsius per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: sed tamen nullius creaturæ quamlibet excellentis, & ad ipsius accedentis imitationem, plenè vel instruor indicio, vel incendor officio. Tantum enim & pigrum, & tardum, & inefficax ad Conditoris commendationem eorum quæ condita sunt, redditur ministerium, quantum noscitur à veritate distare simulacrum. Ergo *circuibo civitatem*, universa pertingens, universa pertransiens; pertingens, qua ex parte ipsius imaginem differenter præferunt; pertransiens, ubi citra perfectum subsistunt. *Circuibo civitatem*, ubique capiens refrigerium, & fastidium patiens. Quonam enim modo non me refrigerat, quod amoris mei pignus aliquod portat, præfert indicium, indicit memoriam, notitiam inducit? Sed iterum quonam pacto non tolero tædium, dum quadam me recogito præludi imagine, & umbra detineri, nudam & simplicem non tenere veritatem? *Circuibo civitatem*, quoniam in toto ejus tam pulcro ambitu ubique refoveor, sed nusquam reficior.

[Circuitus beatitudinis quis.] 9. Nec me fatigabit iste circuitus, donec pateat plenior aditus, ut intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis ejus. Habebit ibi circuitus terminum, cùm repleti fuerimus in bonis domus tuæ, Domine, cùm intellexero in novissimis ejus illum qui primus est & novissimus, initium & finis. O qualis ibi circuitus erit, pergere ab ipso in ipsum, ire & redire: desiderio ire, delectatione redire; dum semper ejus, quod experientia desiderat, præsentia satiat: ut mens possidentis & contuentis, & illi fit per appetentiam intenta, & illo sit sufficienter contenta! Sic enim pennata illa & oculata animalia *in medio & in circuitu sedis Dei* leguntur. [Apoc. 4. b.] In *medio*, quia voti sui perducuntur ad intima: in *circuitu*, quia redivivo semper voto feruntur in eadem ipsa. In *medio*, quia eorum jam completum est votum: in *circuitu*, quia non sufficiunt comprehendere totum. In *medio* sunt admissa per gratiam, & in *circuitu* sunt exclusa per differentem naturam. In *medio* sunt, quia unita per contemplationem: & in *circuitu*, quia disjuncta per comparationem. Quæ est enim sedes ista, nisi ea de qua loquitur Apostolus, lux inaccessibilis, quam inhabitat Deus? [1. Tim. 6. c.] Denique quantumlibet oculata sint beata illa animalia: & illuminat illa ut quantum possunt, capiant; & excedit, ne ad totum sufficiant. O quàm ampla ibi speculatoria, quàm latæ plateæ in illa luminis infinitate patent, quàm coarctati & coüniti & protensi in illa simplicitate, caritate, æternitate vici? Viæ illæ viæ pulcræ, & semitæ pacificæ. Non est in illis vel errare, vel laborare semitis. Undique occurrit ibi sponsus, & læto (ut sic dicam) vultu se offert & influit cordi dilectæ, ut de cetero non indigeat quæri JESUS Christus qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

## SERMO V.

*Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.*
Cant. 3. a.

1. Longum hesternus sermo in exsequendo sponsæ circuitu traxit limitem. Gratiæ tibi Domine Jesu Christe, quòd fecisti tam dulcia faucibus meis eloquia tua, [Eloquiorum sacrorum suavitas.] super mel ori meo. Ideo vix ab ore quæ semel gustata sunt discedunt, ut alia succedant: cum mora ruminantur, & si deglutita fuerint, suavi quodam ructu denuo redeunt ad ruminandum. Poterant hæc omnia breviter & cursim dici; sed materiæ quæ tractatur gratia, comedentis blanditur palato, & quamdam sui appetentiam facit, non facilè cedens, cùm semel adducta fuerit in discussionem. Nam & quem mandendum infantulo nutrix comminuit panem,

jam satis studioso dente subactum aliquoties eum in ore detinet, gustûs illecta sapore. Et nos Cantici hujus solidos aliis, si qui fortè indigent, comminuentes cibos, gustatæ suavitatis jacturam facere nequimus: sed ita alieno inservimus usui, ut & nostro satisfaciamus in parte desiderio. Denique cùm terminatum reor sermonem, & competenti fine conclusum, impatienti exhalatione epulæ verbi redeunt ad labia: & dum abundantiæ suavitatis eructatur memoria, ad discussionem revocatur materia. Quid enim? Cur non ficus frequenter concutitur, cujus fructus plenè numquam excutitur? Quid mirum si convellitur sæpius, quæ propria exspoliatione fœcundior effecta, cum vellicantis videtur certare manu, & decerpentis aviditatem ubertate convincere? Non talis illa cui maledixit Dominus Jesus, nihil in ea fructûs inveniens, pro sterilitate, ariditate æterna condemnans illam.

Marc. 11. b

Fides Christi evacuavit Judæorum traditiones & Philosoph. dogmata.

2. Vide quomodo aridas fecit fides Christi Judæorum traditiones & dogmata Philosophorum. Quomodo arefecit flumina Ægypti. Non est in eorum doctrinis & interpretationibus fructum invenire, de quo legitur in Psalmo: *Terra nostra dabit fructum suum.* Non potest in eorum vicis & plateis Christus inveniri. Jam ô Judæi emigravit à vinculis vestris. Jam dimisit domum suam, dereliquit hereditatem suam. Denique facti estis quasi tugurium in cucumerario, quasi civitas quæ vastatur. Sed & de plateis nihilominus legitur, quia *corruit in platea veritas.* Siquidem de gentium Philosophis dictum est, quòd veritatem Dei detinuerunt in mendacio. An non tibi videtur congruè accipi in vicis, Israël secundùm carnem; quoniam de uno erant semine Abrahæ, & in unum compacti & coarctati ritum, unâ lege constricti? Sapientes autem gentium jure adumbrantur in plateis; quoniam effrenata libertate & licentia, extra veritatis evagati sunt tramitem, de majestate divina sentientes & asserentes non minùs absona dignitati, quàm reluctantia veritati. Judæi paupertate intelligentiæ circa divinæ singularitatem constricti substantiæ, usque ad Filii & Spiritus-sancti personas non potuerunt fidei incrementa dilatare. Gentium Philosophi per planum diffusi, & nullo divinæ eruditionis obice tardati, deorum induxerunt numerositatem in naturis, infinitatem in personis, sententientes inter se singuli varia, universi vana.

Psal. 48. b.

Jer. 12 b
Rom. 1. b

3. Sed quæ jam anima in istis vel vicis vel plateis inquirit sponsum? Concubina est, si qua est, aut adultera, quarum altera contubernium cum sponso non habet perpetuum, altera malefidum. Quid enim ibi quærat, ubi casta non occurrit sapientia, sed peregrina & meretricia? Talis tibi depingitur in Proverbiis, occurrens vecordi juveni ubi transit in platea prope angulum, advesperascente die, in noctis tenebris & caligine, mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula & vaga; nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. Suspecta est mihi talis platea, in qua mulier tam varia & versipellis, blanditiarum suarum insidias vecordi machinatur juveni. Nescio enim quid obscurum & distortum & fucatum mihi significat nox, & angulus, & ornatus meretricius. Suspecta est mihi omnis doctrina, aut certè despecta, quæ nullam inducit de Christo mentionem: quæ ejus me nec sacramentis renovat, nec præceptis informat, nec promissis inflammat. Nam Judæi quidem habent in pagina illum, sed in interpretatione non habent. Adhuc enim velamen est magis in eorum mente quàm lege. Nec enim auferri potest, nisi cùm conversi fuerint ad Dominum. Suspecta est mihi tam in divinis sensibus quàm in humanis usibus unius licentia, alterius restrictio, obstinatio utriusque. Unius in divina natura numerositas, alterius singularitas, utriusque cæcitas. Ideo sponsæ non dederim in istis vicis & plateis quærere dilectum. Alios illi assignemus vicos, alias plateas, quam sibi Christus desponsavit in fide & veritate.

Prov 7. b
Qualis doctrina suspecta debet esse Christiano.

Fidelium duplex conversatio lata & arcta.

4. Et quidem gemina quædam est conversatio fidelium. Alii latam sectantur viam. Alii arctissimæ se tradunt disciplinæ. Nam etsi scribitur, Arcta via quæ ducit ad vitam: est tamen quæpiam in hoc genere distinctio, & arctioris respectu alia reputatur latior. An non tibi videtur latitudo mandati, ubi nemo compellitur ad perfectionem, sed infirmæ non modò valetudini, sed etiam voluntati inferioris gradûs permittitur licentia? Gratias tibi Domine Jesu-Christe, quòd nobis salutis occasiones paras, & ita vegetis & alacribus propositis consilium, ut etiam ægrotis disponas remedium, & pigris dispenses ascensum. Non modò vicos districtè viventium habet civitas tua sancta Jerusalem, sed etiam plateas humiliora & planiora diligentium. Sic in omni professione & ordine, quæ sponsa est, ejus quem castè diligit, vestigia quærit: quatenus habeat undecumque; & operationis exemplum, & amoris incendium. Non dedignatur ab his etiam qui foris sunt, qui nulla arctioris disciplinæ regula constringuntur, mutuari virtutis insignia: reputans ferventiorem ibi frequenter affectum, ubi inferior fuerit ordinis gradus.

A

Perstringit fastidiosos religionum censores.

5. Quid dicemus de his qui nusquam salutis occasiones B quærunt, ubique causantes, & remissionem in plateis, & in vicis indiscretionem? Denique tales multi sunt, qui omnes perscrutantur professiones & ordines, sed in eis nulla inveniunt quæ illos trahant, sed cuncta quibus ipsi detrahant, calumniantes quòd districtio in aliis sit nimia, in aliis nulla. Istorum dicere est, & quidem quàm miserè tam verè: Non inveni illum. Pravus certè sensus, ut dicas, Ecce Christus hìc est, immo ecce illic. Pessimus verò, si dicas, Nec hìc, nec illic. Utrobique quærit sponsa, & hìc, & illic. *Quæram per vicos & plateas quem diligit anima mea.* Per *vicos* districtionem accipe, per *plateas* dispensationem. Neutram in ministris Ecclesiæ sinistrè interpreteris. Utramque Ecclesia recipit, in utroque sponsa quærit Christum: C Noli in altero tantum; in utroque Christum quære. Vicis plateas in te ipso conjunge. Quæris quomodo? Si te coarctat afflictio, aut voluntariè suscepta, aut violenter impacta; intus in corde gaudio dilatare spirituali, & jam vicis plateas copulasti. Nonne tibi videtur utrumque tenere, qui in tribulatione dilaratum sibi lætatur? Apostolus in arcto tribulationis quamdam latitudinem optabat illis quibus ait: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Denique ad spem latitudo refertur: *Habentes*, inquit, *tantas promissiones carissimi, dilatamini & vos.* Angusta est nobis in præsenti res, spes verò lata. Arcta possessio, exspectatio quidem profusior. Ergo ad latitudinem spei plateas istas referto. *Spe gaudentes* Apostolus dicit. Propheta verò: *Adhuc replebun-* D *tur plateæ tua choris ludentium.* Vides quomodo sibi de spe & plateis sentiunt consona Apostolus & Propheta? Uterque enim gaudium assignat.

Psal 5. a
Rom. 12.
1. Cor. 6. c
Zachar 8 a

Alia interpretatio.

6. Simul etiam hoc advertendum juxta aliam distinctionem, quòd etiam in vicis mansio est ad domesticas utilitates: in plateis feriatio quædam ad jucunditatem. In plateis enim chorus est & conventus ludentium. Ergo vacationis & lætitiæ usus in plateis est. Bonæ quidem plateæ, in quibus alacri satis agilitate in leves contemplationis saltus animus se spiritualis exagitat. In plateis ergo quærit sponsa quem diligit, dum domesticis evoluta curis, dum extra corporis effecta mansionem, & domum terrestrem quantum datur deserens, quàm liberè, tam læte contemplari studet. E In vicis est mansio diuturnior: in plateis quidem brevis, sed dulcior. In vicis virtutum usus est & exercitium, quæ necessariæ nobis sunt, dum in corporis hujus habitaculo moramur: in plateis verò feriata quædam felicitatis futuræ præludia. Et vide nunc verborum seriem. Primò ponit vicos, consequenter plateas. Habes & in psalmo simile: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Miraris sponsæ sedulitatem? ordinem sequere. Noli te prudentiorem vel promptiorem sponsâ præsumere. Primò exerce te in opere virtuali, ut deinceps ad veritatis speculatorium conscendas. Quid illac ingressum paras quà exitus est? Cum sponsa per vicos ad plateas veni, & cum Psalmista post tabernacula F virtutum ad ampla veritatis atria: alioquin ordinem si convertis, pervertis. Quanto magis coangustati sunt vici, tanto uberiora & liberiora sunt intus otia mentis. Quid otia dico? devotionem dicerem justiùs. Arcta exteriùs disciplina animam interiùs dilatat. Sive libertatem, sive lætitiam in plateis intelligas, ubi ampliores quàm in hoc Ordine nostro plateas reperies? Sed nec facilè dixeris, ubi sint arctiores vici, ubi major libertas, & ad usum & ad exercitium virtutis, quàm in hoc Ordine & conventu sancto. Et ideo major ad bonum libertas, eò quod sit minor licentia in malum. Quò major districtio, eò major directio. Arctiores

Psal. 83. a.

Ubi arctior disciplina ibi amplior mentis lætitia.

vici

vici, ampliores plateas efficiunt. Quid ergo est per vicos & plateas Jesum quærere, nisi hoc se modo & restringere & extendere ad capiendam de ipsius illustratione lætitiam?

7. Vis ut utraque intus in mente assignem, plateas & vicos? Nonne tibi videtur in vico quodam & velut in arcto positus is, cujus vexatur patientia, castitas arcetur, coangustatur caritas? Qui in nullo virtutis studio liberè & sine labore versatur, sine labore & anxio conatu animi, num tibi quasi in vicis locatus videtur? Et quamvis non sine labore, non sine conatu quærunt: tamen etiam qui tales sunt, quietem in illo quem diligit anima sua, quasi per vicos quærunt. De quibus Propheta: *Domine in angustia quæsierunt te, &, in semita judiciorum tuorum Domine sustinuimus te.* (Isa. 26 c.) Rudibus & novitiis istud sæpius evenit, qui solent vel variis tentamentis, vel quodam tædio laborare, quando eos aut carnis desideria coarctant, aut virtutum non exhilarat oblectatio. Et beatus qui non est scandalizatus in istis, qui non offenditur, qui non perdit Jesum, sed magis quærit per vicos tales, qui in angustia quærit, non sicut de quibusdam dicitur: *In angustia quæsierunt te; in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* (Ibid.) Immo & exercitia virtutis, & doctrinam Patris intelligit in angustiis illis, & protendit à fine usque ad finem fortiter, donec de vicis ad plateas evadat: & qui perfectiores sunt & plateis assueti, aliquoties ad angustias vicorum subitò sinuntur relabi. (Vicissitudo tentationis & consolationis.) Et quis perfectior illâ quæ sponsa dicitur? Ecce & ipsa per vicos & arctos quosdam meatus quærit dilectum. Non est otiosa difficultas ista quærendi. Per hanc enim & exercetur ejus humilitas, & desiderium excitatur. Quoties in inextricabilibus me sensi quasi vicis errantem, & angustiis animi conclusum, cùm subitò vicinas in plateas evasi, & eduxit me in latitudinem bonus Dominus? In vicis exspiravi ferè, sed in plateis respiravi statim. Latitudo quædam & libertas exoccupatæ & expeditæ mentis in plateis tibi commendatur.

8. Sed considera, ne libertatem istam des in occasionem carnis, ne coacerves lutum in platea tua, lutum illicitæ cogitationis. (Consolationi meditatio jungenda.) Alioquin sicut lutum platearum delebit te Dominus. *Lubricaverunt*, ait Propheta, *in plateis vestigia nostra*: (Thren. 4. d. Cavendum ne cedat in occasionem carnis.) lutosas volens intelligi eas, in quibus fit lubricus incessus. Non luto, sed auro sternantur plateæ tuæ. Non ibi sit lutum, nec tamen siccitas & ariditas quædam sit tibi; sed fluant flumina ibi aquæ vivæ, spiritualis quædam fluenta meditationis. In plateis aquas istas divide in latitudine liberæ mentis. Sapientia, *Quasi platanus*, inquit, *exaltata sum juxta aquas in plateis.* (Eccl. 24 b) Non in plateis solùm, nec solùm juxta aquas, sed *juxta aquas*, & *in plateis* exaltata sum, inquit. Ut læta prodeant genimina sapientiæ, quantum putas cooperatur & otium liberum, & irrigatio crebra sanctæ meditationis? Jure quasi platanus exaltatur, quæ sic plantatur. O beatas verè plateas, in quibus sapientia sic crescit, sic exaltatur & supereminet, perspicuam se ostendens, & non indigens quæri! Et vide quomodo sæculari prudentiæ aliqui totam sui cordis latitudinem exponant, quantum distendant animum & dilatent in plateam, ut plantent ibi plantationem infidelem, hoc est germen alienum: (Differentia sapientiæ sæcularis & divinæ.) quomodo & continuis exercitiis & meditatione frequenti & doctrina illam irrigent. Ideo cernas in illis lætam & uberem & exaltatam sæculi sapientiam, & fructificantem hujus mundi sensum: sapientiam verò quæ ex Deo est, humilem & obscuram, & inveniri non posse penes illos.

9. Exi in plateas & vicos civitatis: otia discute, scrutare negotia eorum qui judiciis vacant, qui tenent cathedram, qui sedent pro tribunalibus: contemplare quid agant in publico, quid in cubiculo. Numquid apud illos pura & vera cælestis eminet sapientia? Numquid expressa est in moribus, quæ in sermone versatur? numquid in prospectu invenies illam? numquid exaltatam sicut cedrum in Libano, & sicut cypressum in monte Sion? nam & in his montibus exaltatam se gloriatur. Nomina ipsa mysterium continent: nec otiosus est etiam ordo verborum. Præcedit *Libanus* in laude sapientiæ, *Sion* subnectitur: post cordis mundi candorem ad contemplandæ veritatis fulgorem ascendis. Munditia meretur notitiam, non hanc litteratoriam tantùm, sed quamdam dulcem & intimam, ac ipsis animæ medullis infusam. Denique puritas veritatis socia est, & comes est, & prævia est. Idcirco montes istos *Libanum & Sion* in laude sua sapientia copulat. Montes istos apud quos illorum assignare poteris, qui litibus aut exercendis aut dirimendis vacant? (Sapientia fugit lites.) Non potest apud illos inveniri sapientia, in quibus non invenitur locus sapientiæ. Amat Libanum, amat Sion, amat plateas, libertate gaudet & sublimitate. Quanta perversitas, si sapientia quæ litibus vacat, quæ lucra sectatur, supereminet, & divina latet? Supereminet litigiosa, & ea quæ pudica est, quæ pacifica, quæ bonis consentiens, contempta delitescit velut in obscuro. Illa excolitur, ista negligitur, ac si sterilis & parum lucrosa. Neglecta plantatio in altum non crescit. Raro in plateis quasi platanum exaltatam invenies. Non est obvia, non est frequens. Ideo dicit: *Quæsivi, & non inveni illum.*

10. Ubique teritur, ubique vertitur in quæstione, ubique venerabile est nomen Jesu. (Apud quos Jesus.) Et utinam quod vox sonat, vita depromat; exprimat imitatio, emineat & eluceat in moribus. Qui penes te sapientiam quærit assidentem, inveniat illam in ipsis foribus tuis, in ipsis sensibus, in modestia & compositione hominis exterioris. Nam quasi fores sunt, per quas interioris prodeunt habitatoris indicia. A fructibus cognoscitur, si apud te Jesus moratur. Accedit ad te sponsa, folia vertit ficulneæ tuæ, quærit in te fructum, quærit dilectum. Hic est enim fructus dulcis gutturi ejus. Felix es cùm hoc abundaveris fructu, cùm Domini tui sponsam isto satiaveris cibo. Esca ejus, esca electa. Deliciæ ejus sunt tecum esse dilectum suum. Non invidet, non zelatur. Dilectum suum omnium vult esse dilectum. Ideo apud omnes quærit, ut illum apud omnes aut inveniat, aut invitet. Quærit enim apud illos Jesum, quorum quærit profectum in ipso. Quærit per vicos & plateas, sed non in omnibus invenire potest. *Quæsivi*, inquit, *& non inveni illum.* Paulus omnium sitiebat salutem, in visceribus omnium Christum invenire cupiebat, omnes cupiens in visceribus Christi. Sed enim audi quid dicit, quomodo quosdam deplorat. *Neminem*, inquit, *unanimem habeo. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* (Phil. 2. e.) Putas quòd apud eos inveniri Christus queat, qui ipsum ut inveniant, non quærunt? Et multos quidem sic quærentes reperies aliud præter ipsum, sed tamen per ipsum. Tractatur in consiliis, disceptatur in judiciis; in scholis disputatur, cantatur in ecclesiis. Religiosa sunt hæc negotia: sed vade ad exitus aquarum, & pensita quis generalior istorum finis est operum: Vide si non per hæc omnia quædam exerceantur mercimonia de Christo. Quæstuosa res nomen est Christi. Nil pensius, nil optatius. Felix tamen qui nominis hujus virtutem sectatur. Apud illos tractetur, disceptetur, disputetur super hoc nomine. Nobis satis est, si nostris in claustris saltem adametur. Nusquam commoditas major: ideoque major confusio nusquam, si penes nos non invenitur Christus. Non invenitur forma justitiæ, si piorum operum non est intentio pura. Nam ipsa lætitia est mentis quædam divina alacritas, quæ de ipsius præsentia concipi solet, & quam verè possumus præsentiam ipsius interpretari. Hæc, inquam, cælestis & excedens affectio, non est res facilis & passim obvia. Hanc præcipuè sponsa, ut puto, designat, dicens: *Quæsivi, & non inveni illum quem diligit anima mea*; Christum Jesum qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO VI.

*Num quem diligit anima mea vidistis?* Cant 3. b

1. Sponsa moram in quærendo patitur, & quamdam illi difficultatis umbram sponsus obtendit, copiam sui non statim indulgens. Illa tamen, calente studio, sedulitatem continuat, querelam ingeminat: *Non inveni illum.* Fratres, si sedulitas submovetur, desidia quando admittetur? (Fervor & constantia in oratione necessaria.) Si non invenit amor, quando inveniet tepor, quando raritas orandi, quando remissio? Quid ergo nunc contra raritatem orandi & remissionem inter vos disputo? Non est opus medelam adhibere morbo quo non laboratis. Peregrina sunt à vobis hæc vitia. Quis enim vestrûm, qui non sit & frequens & fervens in oratione? Et si torpor abest, videte ne vos dilationis tædia defatigent, & infringant desideria vestra. Utrobique reatus est, si sit anima vestra, vel in postulatione remissa, vel in exspectatione deficiens. Sponsæ desideria audis dilata: & tu ad primum

orationis tuæ pulsum, inspirationis divinæ delicias tibi non affluere querulus causaris? Nunc cœpisti,& tam citò à directione sua tuus infringitur spiritus? Quid si tibi illud de
Mat. 26. d
Evangelio improperetur: *Sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum?* Vigilate ergo & orate, quia nescitis quâ horâ dilectus vester adveniat. Pertinax oratio pertingit ad finem. Et si tibi in initiis sicca & velut saxea videatur; oleum tamen gratiarum elicies de hoc saxo durissimo, tantùm si perseveres, si te longior mora non dissolvat, si non dilatione tua vota lentescant. Molesta planè amanti dilatio: sed solent protracta desideria ampliùs crescere. Quid vobis nota ingero? Vexatio crebra ipsa vobis hujus rei dabit intellectum, immo jam dedit, idque frequenter. Crebrò vos exercitatos inveni in hujusmodi studiis. Non possum gloriari hos me genuisse affectus in vobis: gaudeo tamen invenisse vos in istis. Et si non hæc in vobis studia formavi, utinam in illis fovere vos possim. Et ipse custos sum; ideo illam
Cant. 3. b
mihi sponsæ vocem sæpe replicatis: *Num quem diligit anima mea vidistis?* O beata anima, quam tam sancta desideria exercent! Desideria dilectæ, dilectæ, quæ nescit nisi de Christo rogare, quæ talem inventa erumpit in vocem: *Num quem diligit anima mea vidistis?*

2. Denique sponsa est, quæ talibus invenitur occupata scrutiniis: *Invenerunt me*, inquit, *custodes civitatis.* Qui ficti & fallaces sunt, nihil tam refugiunt, quàm ab his inveniri custodibus: & si deprehenduntur, non facilè convincuntur. Caïn factus est vagus & profugus super terram,
Gen. 4. b
inveniri formidans. *Omnis*, inquit, *qui invenerit me, occidet me.* Non vult peccatum occidi, non vult pati salutarem in confessione verecundiam, medicinalem castigationem magistri. Non vult inveniri, quia non vult mori. Nam ubi non veretur interfici, sed magis se foveri confidit, impudenter se jactat indisciplinatus affectus. Sed sponsa ultrò se offert, læta sponsi occurrit sodalibus. Quidni læta? Non invenitur quasi fugiens ultorem, sed quærens amatorem.
Negligentia Pastorum notatur.
*Invenerunt me custodes*; non sunt inventi, sed invenerunt. Diligentia ipsorum in hoc commendatur. Pigri custodes & malè fideles nullam in hoc adhibent diligentiam: non circumeunt, non quærunt si quem inveniant cauteriatam habentem conscientiam, signo amoris casti & studio quærendi prodentem dilectionis incendium. Non conveniunt subditos, & fortè molestum ducunt si compellantur ab ipsis. Nonnisi interrogati proferunt verbum solatii quidam, nec tunc quidem. Littera quod habet in pagina, tantùm proponit, nil superadjiciens, vel industriæ, vel diligentiæ. Alia est planè custodis ratio: prævenire debet, non tantùm reponere: excitare magis quàm exspectare quæsituros: quasi de specula super filios prospicere, qui sit intelligens & requirens Deum. Custos tuus sum, da mihi Domine linguam eruditam, ut sciam eum qui lapsus est sustentare verbo, & ad verbum dirigere.

3. Et quid aliud optat sponsa, cum dicit: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Vides illam non tam fatigatam quàm excitatam studiis spiritualibus. Intellexisti pertinaciam ejus in quærendo dilectum: vide nunc humilem prudentiam. Nescit custodes contemnere. Nec enim tutum arbitratur inconsultos præterire, quos scit dominici & conscios secreti, & nuncios mandati. *Num quem diligit anima mea vidistis?* Quid tamen sibi vult hæc interrogatio sub ambiguo posita? An in hoc admonere te voluit ut non credas omni spiritui, sed probes si ex Deo sit spiritus? Denique non omnium est certum sponsi præstare indicium, qui custodis officium vel susceperunt, vel arripuerunt. Multi enim sunt quorum est oculus in universa terra, & juxta alterius loci proverbium, *in fini-*
Prov. 17. d
*bus terræ.* Non est lumen eorum cum ipsis, nec possunt illud ultra terræ porrigere limitem, levare ad cælum. Satis quidem fideles sunt & seduli: sed hucusque ut terrena coacervent, & terrena servent. Oculus, inquit, eorum in universa terra. Inexplebilis aviditas in universa terra se extendit: propterea terrenis incrassata mens curis, & illius mensæ serviens qui perit sibi, cælestis epulæ nescit dispensare viaticum, & de supernis theoriis aliquid serenum temperare subjectis. Nam & si fortè qui tales sunt, de spiritualibus rogentur secretis, planam fidei & morum respondent sufficere viam. In hoc sterilitatem solantes

A suam, vel ex tepore proprio aviditatem alienam metientes. Languidus enim & remissus amor, culpabili quadam patientia non tam optat, quàm exspectat futura bona. Qui verò ferventior est, ardenti fertur desiderio, repositam plenitudinem furtim & ex parte deflorare tentans. Quia tales plurimos novit sponsa custodes, quodam sub ambiguo interrogationem librat: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Sit prudens, sit fidelis, sit custos sedulus; & disciplinæ diligentiâ hostium coërceat irruptionem ab ovili. Non tamen statim sciet amatoria canere, & sponsi internuncius ejus monstrare præsentiam, & in recessus secreto raptim admissus stillare de intima aliquid dulcedine. Valde enim est imparis gratiæ, furtiva & fu-
Judicium de spiritualibus ad quos spectat.
B cata adulteri deprehendere lenocinia, & legitimos sponsi adventus conciliare. Malorum quia frequens est experientia, facilis est notitia. Spiritualium verò sensuum quia rarus usus est, & exile judicium, tenue satis est indicium de ipsis, nec possunt spiritualia nisi à spiritualibus dijudicari. Et ideo non possunt nisi à spiritualibus demonstrari, qualia sunt de quibus legitur: *Quàm pulcri super montes pedes annunciantium pacem, annunciantium bona.* Isa. 52. b

4. *Num quem diligit anima mea vidistis?* Non est una nec simplex nec uniformis visio sponsi. *Exultavit* Abraham *ut videret diem* ejus: *vidit & gavisus est.* Vidit Jacob *Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima* ejus. Vidit Moyses, sed posteriora vidit. Vidit Isaïas *Dominum sedentem super*
Varia Dei visio seu apparitio. Joan. 8. g Gen. 32. g Exod. 33. d Isa. 6. a Ezech. 1. b Dan. 7. d
C *solium excelsum.* Vidit Ezechiel: vidit Daniel in hominis similitudine, cùm nondum hominem suscepisset. Sed omnis ante incarnationem hujusmodi visio in corporali monstrata est specie, non in corporis humani veritate. Viderunt Apostoli in ipsa carnis veritate, & palpaverunt & attrectaverunt. Utrique tamen intus fide Deum viderunt. Dictum est Philippo: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Quæ visio, quia referatur ad fidem, quod adjunctum est, declarat: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera credite.* Quæ enim consequentia, ut ad probandum quòd Patrem viderit, inducat quia se viderit, nisi quòd in utroque eam voluit visionem intelligi, quæ per fidem fit? Propterea & de credulitate consequen- Joan. 14. b
D ter adjungit: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* Si enim habitat Christus per fidem in cordibus nostris, & si ipsa corda nostra mundantur per fidem, cur non & in cordibus nostris videtur per fidem? Superiorum verò visionum, quarum altera facta est in imagine, altera in carne, utraque plena est vel jucunditatis vel utilitatis; sed cùm tertiæ, quæ est per fidem, servatur integritas.

5. Nam ut de Verbi apparitione, quæ in carne erat, loquar: præter vitæ verba, quæ de ore ejus procedebant, quantum putas virtutis insigne in ipso exteriori renitebat habitu? quàm manifesta ejus, quæ intus erat, dabant indicia oculus, vox, vultus? Denique gestus omnis quomodo
E divinam spirabat gratiam? Jucunda planè visio illa, sed Deum in homine credenti. Et quidem illa quæ Prophetis & Patribus ante Christi incarnationem facta est, divinum quiddam spirabat in apparente imagine, quantum mea se habet fides, inæstimabilem delectationem & menti & sensui infundebat cernentis: nec nisi quorum mundus erat animus, apparebat obtutibus. Nam & post resurrectionem in ipsa carnis suæ veritate nonnisi testibus præordinatis à Deo apparuisse legitur. Felices illi custodes, si quibus tamen apparet frequenter & familiariter talis visio, præsertim illa quæ est in carnis jam glorificatæ aspectu, qualem eum Petrus & Johannes viderunt in monte transfiguratum: sed tamen & illa prior non vera, & ista non ple- Act. 10. f Mat. 17. a
F na. Nam illa Moyses delectabiliter detentus, non tamen contentus: *Ostende mihi*, inquit, *teipsum.* De altera verò ipse Dominus: *Expedit vobis ut ego vadam, alioquin Paraclitus non veniet.* Bona ergo visio, quam Paraclitus adveniens inducit: spiritualis est, quia facta intus per Spiritum. Denique & *spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.* Visio hæc vel in revelata spiritualiter veritate per intelligentiam, vel in suavitate infusa per gratiam. Nam & hoc ipsum experiri videre est. *Gustate*, inquit, *& videte quoniam suavis est Dominus.* Suavissima certè hæc visio, & quamvis futurum juxta modum nondum plena, vicina ta- Exod. 33. c Johan. 16. b Thren. 4. b Psal. 33. b Visio Dei per gratiam, seu

Divinæ dulcedinis experientiam.

men, vicina qualitate, non æqualitate. Visio hæc humano non est supposita ingenio, vel proposita studio, etsi aliquando desiderio gratis indulta. Denique non est talis quæ intelligentiæ concepta viribus, continuo tenore moram in animi memoria protelare queat. Subitanea est & sui juris hæc visio, in spiritu vehementi vadens & veniens. Subitanea est & momentanea, repente veniens & repente vadens: & si momentanea est, manent tamen reliquiæ cogitationis, tam succensæ, tam serenæ, & diem festum agunt in animo recordantis. Manet quidem memoria degustatæ & deglutitæ visionis: cujus suavitatem qui gustare possunt, eructare norunt, & hora hac maximè. Eructat enim bonum verbum cor recenti adhuc incalescens gratia, & fervida meditatio similes effundit sermones. Multùm enim intimæ dulcedinis sapit in verbis, & gratissimi sunt sermones, qui de gratiarum ubertate prorumpunt.

Qualis sermo Pastoris esse debeat.

6. Si custos es, scito quoniam talia te oportet præparare in occursum sponsæ. Ut quid occurris, si nihil dulce, nihil novum nunciaturus venis? Si nova non potes, vetera profer. Ingere nota, si nova non habes. Non tamen ingeritur quod exigitur. Non quærit qualem videris, sed si videris. Sufficit nunciare qualem ipsa novit. Augmentum tamen affert gratiarum si nova annuncias. Denique quod non est vel ignotum vel insolitum meditationi, sponsæ novâ quadam gratiâ dulcescere solet. Non fastidit auditus, quando fervet aviditas: tantùm de sponso disputa, & novâ protulisti in auribus sponsæ. Non suppetit tibi de illo excellenti & excedenti visionis modo semper respondere. Sublimis illa & subtilis est, & subitò præoccupare solet animum, quem mundum & exoccupatum invenerit. Subitò præoccupat, sed non occupat diu. Subtilia ista non adsunt ad votum, dulcia deducit in medium. Simplicis fidei capitula singula quodam dulci disputationis temperamento suavissimos gignunt in audiente mentis affectus & excessus. Delicata est sponsa: dulcia vult magis quàm fortia, nisi quòd omnia potest in eo qui eam confortat sponsus. Narrent alii fabulationes, controversias meditentur. Os tuum meditetur sapientiam, & lingua loquatur delicias, qui

Malach. 2 b

sponsæ loqueris. Nam & illa tales vult qui de dilecto narrent & nuncient. Labia sacerdotum custodire debent scientiam: ideo legem requirit ex ore eorum, legem videndi & inveniendi dilectum. *Num quem diligit anima mea vidistis?*

Cant. 3. b

De visione illorum se visuram præsumit: ideo diligenter investigat custodum visionem, eorum sperans alloquio vel in secretiora reduci, vel dulcioribus affici. Id enim est videre quem diligit, Dei sapientiam & virtutem propenso affectu & pura concipere mente. Benè illum conspicit, qui hoc utroque concipit modo, purè cernens, & piè sentiens. Dulce puto susurrium, quod inter sponsam custodesque vertitur: & grata collatio, si tamen collatio. Nulla enim illorum hic responsio memoratur. Secreta valde est, si qua est, quam alto tegendam putat silentio. Secretum sibi: Secretum suum sibi.

Isa. 24 c

Nec audemus hic aliquid inde conjicere quod sponsa curavit reticere. Cum eorum silentio claudamus nunc sermonem, prorogantes in crastinum sponsæ transitum, quo se vigiles paululùm pertransisse dicit, & invenisse quem diligit anima sua.

## SERMO VII.

*Paululùm cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Cant. 3. b

1. IMprobi exactores estis, & nimis instanter repetitis debitorem vestrum; dignum tamen veniâ est, dummodo justa postuletis. Sed vos exigitis ut solvam ad quod non me obligavi. Tractaturus eram de transitu sponsæ. Ad hoc enim & ordinis & sponsionis nostræ ratione teneor, & vos adhuc mihi ingeritis illud cum sponsa: *Num quem diligit anima mea vidistis?*

Cant. 3 b

Sed illa modestiùs interrogationem temperat ambigenti similis, quærens magis quàm urgens. Novit enim nec omnibus, nec omni tempore de hac visione adesse sermonem. Ex quo enim abscondit vultum suum, quis est qui contempletur eum? Vos autem urgetis me, ut legem vobis ponam contemplandi dilectum, & disciplinam inventionis hujus & visionis tradam. Quid ergo? Vultis ut muneris divini largitatem concludam sub regula?

A Visio hæc non est industriæ, sed gratiæ: revelationis est, non investigationis. Si quid tamen ad hæc potest industria cooperari, illud primum observate quod scribitur: *Lavamini, mundi estote.*

Isa. 1. d
Eccl. 38. c
Contemplationis adminicula.

Secundò, ut scribatis sapientiam tempore otii. Qui enim minoratur actu, recipiet eam. Tertiò, ut violenti sitis, & gaudium regni, quod vobis diutiùs surripitur, præripiatis: id est ut habeatis cor purgatum, paratum, improbum. In primo efficiêris dignus, in secundo devotus, in tertio vehemens: hoc est idoneus, obvius, urgens. Idoneus gratiæ percipiendæ, obvius venienti, urgens morantem. In primo præpararis, in secundo assimilaris sponsæ exspectanti dilectum quando revertatur à nuptiis: in tertio properas, & sponsa non exspectat, sed prope-
B rat, & ipsos præterit custodes. Dixissem melius si dixissem, pertransit. Quod enim præterimus, non respicimus, non attingimus, sed contemnimus: quod verò pertransimus, intelligimus illud discutere, & quasi disquirere & penetrare. Nec inutilis hæc pertransitio. Paululùm enim cum pertransisset, invenit dilectum. Videtis fratres, quid proficiat consultatio custodum? Devotam, sed vagam animam ad inventionem dilecti perducit. Utilis quidem consultatio: & frequenter quod non confert eorum qui consuluntur eruditio, consulentis meretur humilitas. Bonum est ut sis ad quærendum sedulus, non tamen assiduus. Nam & sponsa non tam ex studio, quam occasione custodes interrogat, & id in transitu. Trahebat enim illam ulteriùs amor dilecti;
C nec vacuum esse sinebat ex otio conferre cum illis. Currebat in cordis siti, hausto forsitan de sponsi vicinia spiritu: & ideo minùs intendebat in his, qui benedicebant ore, tendens ad illum qui benedicit in spiritu, qui est super omnia benedictus in sæcula Deus.

De lectionis & orationis temperamento utilè monitum.

2. Advertite istud vos qui in transitu oratis, & cum mora legitis: qui ad legendum fervetis, in orando tepetis. Debet lectio orationi servire, præparare affectum; non horas præripere, nec succidere moras. Cùm legis, erudiris de Christo: orans verò, familiare cum ipso seris colloquium. Et quanto suavioris est gratiæ cum illo, quàm de illo loqui? Si quædam spiritualium detrimenta sustinent visitationum propter orandi raritatem qui lectioni vehementiùs vacant;
D quid dicemus de his, quos aut indisciplinatæ collocutiones dissolvunt, vel anxiæ quæstiones scindunt? Denique monachorum est non colloquium, sed silentium: non quæstiones, sed quietem sectari. Aut si admittenda est inquietudo, dilectionis esse debet, non contentionis. Habet enim amor sanctus inquietudinem suam, sed qualem legis apud Prophetam: *Non tacebo, & non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus, & salvator ut lampas accendatur.*

Isa. 62 a

Annon similem animi sui passionem intimat ista cum dicit: *Cum pertransissem illos?*

Cant 3. b

Ferebatur impetu ferventis amoris, ideoque pertransisse se perhibet, quasi aviditate & desiderio supergrediens quicquid dici poterat. *Cum pertransissem illos, inveni quem diligit anima mea.* Pertransivit illos vel eventilando doctrinam, vel æstimando naturam.
E Pertransivit & quod potuit ab illis dici; & quod potuit in illis conspici. Quilibet enim sint custodes isti, licèt Cherubim interpreteris; licèt Seraphim; non possunt totum quod de Christo est, nec eloquendo depromere, nec æmulando exprimere. *Cuncta res difficiles, nec valet homo eas explicare sermone.*

Eccl. 1. b

Si tanta difficultas est in rebus conditis, rerum Auctorem quis indicabit, vel dignè, vel plenè? Ideo dicit: *Cum pertransissem illos.*

3. Utinam nos tales simus auditores verbi Dei, qui non succumbamus his quæ dicuntur, vel tardante ingenio, vel tepente voto; ne nos illa pertranseant, ne nostram excedant tam aviditatem quàm capacitatem; sed magis docentis quàm commonentis pertranseamus conatum, majora etsi nondum capientes, conjicientes tamen, aut certè concupiscentes. Quadam enim ratione pertransit quod sibi pro-
F ponitur, qui ampliora sectatur, quamvis non consequatur statim. Sponsa verò consecuta est: propter quod electa * decantat. *Cum pertransissem illos, inveni quem diligit anima mea.*

* al. læta.

Quidni pertranseat illos, quorum & scientiæ est numerus, & naturæ modus? Ille verò qui quæritur, magnus & immensus, & non æstimabitur alius ad illum. Non ergo potest alieno documento, aut exemplo ex æquo perpendi. Reliqui omnes pertransibiles sunt: solus ipse pertransiri

Eccli. 24. c
Deus immensus capi non potest.
Luc. 6. f

non potest. Denique dicit: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Transite, inquit, ad me, non pertransire. Quonam enim modo pertransiri potest, quod immensum est? *Mensura bona, & coagitata, & conferta, & supereffluens dabitur*, inquit, *in sinum vestrum.* Vobis immensitas dispensatur in mensura: nam in se immensa est. Non ait, replens, sed, *supereffluens.* Si ergo mensura capi non potest, immensitas ipsa quando capietur? Quo pacto pertransiri poterit, quod nec capi plenè potest? Denique nec sponsa pertransire vult, sed dicit: *Tenui, nec dimittam illum. Paululùm cum pertransissem illos, inveni quem diligit anima mea.* Fortè propinqui erant sponso vigiles hi, quos cum paululùm pertransisset, invenit dilectum. Quod si juxta divinam ejus accipimus dici naturam, quis creatorum spirituum ad immensitatem & majestatem illam proximè accedit? Nam etsi similitudo inesse intelligitur, longè tamen inferior & dissimilis dignoscitur. Non est enim, Domine, quis similis tui. Proximitatem fortè ergo hanc, quam excludit conditio, cognitio admittit.

1. Tim. 6. c
Isa. 46. d.

4. Sed quis audeat abyssum illam divinæ sapientiæ, cujus non est numerus, ingenio creati spiritus perceptibilem diffinire? *Lucem*, inquit Apostolus, *habitat inaccessibilem.* Lux ista nobis inaccessibilis est, sed nos non sumus inaccessibiles illi. Propter quod dicit: *Prope feci justitiam meam, & salus mea non elongabitur.* Propè facta est, quia incarnata: proximior, quia revelata: magis autem proximè facta, quia donata. Propè facta est justitia Dei Patris Christus Jesus carnis nostræ susceptione, sed gemino hominum genus omne excessit privilegio, quantùm spectat ad humanæ naturæ statum, æquitate & integritate: quia præter illum nemo mundus à sorde, nemo immunis à corruptione. Dotatus est ergo duplici hoc munere, præcessitque participes suos. Itaque & reliquos omnes fides tua pertranseat, ut in illo solo perpendas æquitatem justitiæ, & integritatem consimilis naturæ. Sed tamen paululùm pertransi: quoniam sicut nos longè excedit justitia & incorruptione, sic propè factus est naturæ indifferentis conditione. Nescierunt Judæi in illius existimatione pertransire Moysen, pertransire Abraham, pertransire reliquos vel Patriarchas vel Prophetas: qui illum sicut unum de reliquis æstimabant, nec aliquid habere gratiæ præcellentis. Denique dicebant: *Abraham & Prophetæ mortui sunt, & tu dicis: Qui manducat meam carnem, non morietur in æternum? Quem teipsum facis?* Noluerunt Johannem pertransire, sed dicebant, quia *Johannes ipse est Christus.* Non passus est tamen eos in se remanere Johannes, sed opinionem infideliter præsumptam à se avertit: *Non sum ego*, inquit, *Christus: medius autem vestrum stat, quem vos nescitis.*

Humanitas Christi, duplici privilegio ceteros homines excellit.
Johan. 8. g
Johan. 1. c
Ibid.

5. Nescit Synagoga pertransire, sed ad ceterorum mensuram æstimavit illum: & quasi blasphemiam opponebat ei, quia cùm homo esset, se faceret Deum. Sed Ecclesiæ pertransivit fides, & invenit illum unctum *oleo lætitiæ præ consortibus suis.* Et quàm uberi unctus erat oleo, de cujus plenitudine omnium nostrûm infudit vulneribus! Nos enim sumus saucius ille qui descendit in Jerico, qui incidit in latrones, qui exspoliatus est, & vulneratus est, & semivivus relictus. Pertransierunt plurimi, & nullus erat qui salvaret. Pertransiit magnus ille Patriarcha Abraham: non enim erat ille justificans, sed tantùm justificatus in fide futuri. Pertransiit Moyses: non enim erat gratiæ dator, sed legislator, & ejus legis quæ neminem ducit ad perfectum. Nec enim ex lege justitia. Pertransiit Aaron. Pertransiit sacerdos, & eisdem hostiis quas indesinenter offerebat, non poterat mundare conscientiam ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Pertransiit Patriarcha, Pontifex, & Propheta arido tam animo quàm opere, immo & illi in hoc saucio saucii erant. Solus ille Samaritanus verus viso illo misericordia motus est, sicut misericordia totus est, & infudit oleum vulneribus, seipsum cordibus, mundans per fidem corda omnium. Ideo Ecclesiæ fides omnes pertransit, pertingens ad illum qui solus illam pertransire non poterat, imponens in jumentum suum, & factus est ipse jumentum. Et paululùm pertransit ut inveniat illum, quem sic credit exsortem corruptionis, ut consortem prædicet conditionis. Sic illum habet principem gratiæ, ut confiteatur participem naturæ.

Psal. 44. a
Luc. 10 e
Allegoria Samaritani Evangelici.
Heb. 9. d

6. Quòd si & cælestes illos angelicos Spiritus contuitu sanctissimæ quam sortitus est animæ, ipsum supereminere dicamus; non erit à fide alienum, sed omnino congruum dignitati ejus personæ. Etenim si minoratus est paulò minùs ab Angelis propter partem, qua indutus est, carnalem: par tamen est illis secundùm substantiam spiritualem, & superior secundum prærogativam virtualem. Et hos ergo sponsa pertransi. Nam & illi custodes tui, & curatores tui sunt qui dicunt in Propheta: *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Hos, inquam, pertransi, & in dilecto tuo privilegii singularis dotes contemplare. Illi administratorii spiritus, non operarii salutis: ipse verò magni consilii Angelus, qui operatus est salutem in medio terræ. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen. Jucunda contemplatio, in cælesti familia contueri essentiæ simplicitatem, serenitatem mentis, & mutui suavitatem amoris. Jucunda contemplatio contueri perpetuitatem exsistentiæ, puritatem intelligentiæ, scientiæ profunditatem: tum etiam humilitatem in obedientia, tranquillitatem in diligentia, facultatem in efficacia. Omnes tamen pertransi, & intuere quantus sit iste qui ingreditur ad salvandas gentes. Quem ingredientem in orbem terræ Angelicæ laudes inducunt, & triumphaliter regredientem, cum admirationis Cantico reducunt: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola*, utique carnis suæ.

Anima Christi excellentior Angelicis spiritibus
Ier. 51. a
Isa. 63 a

7. Jure quidem formosus in stola sua, quæ sine commixtione concepta est, & de Virgine nata est, & ab omni non modò corruptione, sed etiam corruptionis fomite immunis conservata est, & in sepulcro dissoluta non est, & die tertia resuscitata, quadragesima in cælum assumpta, omni die (quod super omnia mirandum & amandum) in salutis cibum credentibus proposita. Quis non ad singula ista miretur amanter & dicat: *Quis est iste tam formosus in sua stola?* Cucurristi per hæc omnia admirationis genera, immo stupidus per singula substitisti, & ecce denuo nova tibi admirationis materia inde exsurgit. Satis in illis exercitatus fueris: hîc iterum ad stupendum excitaris, quasi illud tibi dicatur Prophetæ: *Ne memineris priorum, nova ego facio.*

Carnis Christi elogia.
Isa. 45. c

8. Quid magis novum, quàm quod in mysterio Dominici Corporis mutatur materies, & species servatur? Pristina manet forma, sed nova gratia, quia nova substantia. Nova quidem non in se, sed in hujusmodi specie. Novum planè quòd carnis Dominicæ substantia, in aliena specie sumpta, sanctificationis virtutem animæ confert, & spiritualem emundat substantiam in mysterio Altaris immaculata caro. Novum quidem, & supra reliquorum usum sacramentorum, quòd non modò sanctificationis nova gratia datur, sed substantia naturalis mutatur. Nam per sacramenti benedictionem accipit oblatus panis hanc ineffabilem mutationem, & ex mystica consecratione & Verbi viventis copulatione hæc vivificatrix gratia in carnem Christi redundat. *Caro* enim *non prodest quicquam, sed spiritus est qui vivificat*, sacrosanctæ carni conferens in sollemni sacramento spiritualem efficaciam ad vivificandos tanti participes mysterii. Formosus ergo in stola, hoc est, in carne sua, sed multo formosior in assumpto spiritu, qui utique carne præstantior, quia Verbo viciniot. Et in hoc spiritu unctum eum intellige præ consortibus suis: id est, non modò præ filiis hominum, sed etiam præ Angelorum agminibus. Quidni unctus sit præ illis oleo gratiæ, qui non sicut alii participatione, sed personali unione uberrimæ illi consertus est olivæ, ex qua unctio omnis emanat? Annon tibi velut oliva videtur Veritas & Verbum Dei, cujus unctio docet nos de omnibus, cujus molliti sunt sermones super oleum, cujus unguentum effusum nomen est? Huic olivæ personali unione consertus conditionis, non corruptionis nostræ oleaster, (ut sic dicam) & pinguedinis illius factus particeps.

Transubstantiationis in Eucharistia illustre testimonium
Joha 6 g
Gratiæ plenitudo in Christo.

9. Quid luminis, quid dulcedinis, quid suavitatis, quid omnimodæ virtutis acceperit, operum ejus indicia loquuntur: nisi quòd longè excellebat quod sensit in spiritu, quam quòd expressit in actu. Denique ad omnia virtutis indicia dicere potes: *Oleum effusum nomen tuum, absque eo quod intrinsecùs latet.* Nec enim consentaneum est, ut quàmlibet mirificum foris animæ opus illius virtutes exæquet. Non

Cant. 1. a

possum Domine, quæ in prospectu sunt, omnia opera tua comprehendere. Confortata enim sunt, & nequeo æstimare illa: & eam quæ intrinsecus latet quonam modo experiar gratiam? Oculus non vidit, beatissima anima Christi, præter te munera quæ divinitus collata sunt in te. Ideo angelici spiritus deficientes in comprehensione, non desinunt ab admiratione: & quasi nescientes, sed stupentes in laudem supra positam erumpunt: *Quis est iste sic formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Hanc considerans prærogativam virtutum in dilecto, jure sponsa custodes se *pertransisse* dicit, & *paululum* pertransisse: quia sic in eo singularem miratur gratiam, ut tamen communem constituat naturam, beatamque illam Christi animam esse cum reliquis ejusdem quidem generis, sed differentis excellentisque virtutis. Parabam adhuc alium vobis explicare transitum: sed quod materia opportunè suggerit, vel magis exigit, sermo refugit jam urgens ad exitum. Nos interim ad quod venimus, in eo permaneamus, quatenus ex hoc gradu, cùm otium dabitur, ad altiora transeamus mysteria sponsi Ecclesiæ Jesu Christi: qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Isa. 63. a

## SERMO VIII.

*Paululùm cum pertransissem eos inveni quem diligit anima mea.* Cant. 3. b.

1. Pertransisti, ô sponsa Domini, custodes tuos, consortes & participes suos: consortes naturæ, participes gratiæ. Pertransisti illos, & pervenisti ad Dilectum. Quidni illos pertranseas, qui & ipsi pertransirent quasi fumus, nisi in dilecto suo starent? Invenisti Dilectum, & invenisti illum unctum oleo spiritûs præ consortibus suis. Perpendisti in illo virtutum privilegia quædam in consimili natura. Invenisti sanctam ejus animam quædam habere dona singulariter, quædam excellenter. Ideo pertransisti illos, quia illum prætulisti, & paululùm pertransisse te dicis, quia consideratio tua in hac prælatione nondum recessit à generis ejusdem communione. Sed numquid hic subsistes? In ulteriora & altiora ex hoc gradu urgenda est profectio, pertingendum in finem. Sapientia enim attingit à fine in finem. Denique & hæreticus, ut superiorem dilecto tuo gradum conferat, hunc tollit. Tantum carnem Verbo copulat in Christo, animam negat: aut si hanc non audet (propter evidens ipsius Christi testimonium dicentis: *Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam, & iterum sumo eam*) animam sensificantem donat, sed ratiocinantem tollit spiritum. Correxit in parte errorem, sed non potuit longiùs ab Ægyptiis recedere tenebris. Non potuit tridui iter conficere. Ecclesiæ fides humanitatem nec solam constituit in Christo, nec dimidiam. Utramque naturam collocat in Christo. Et quia divina simplex est & distinctione carens: in homine triplicem illam, quam ponit Apostolus, distinctionem fatetur, id est integrum corpus, & animam, & spiritum. Alioquin non hominem, quem reformaturus in se fuerat, suscepit. Denique & rationalis animæ pars humanæ indiguit mediatoris remedio: quia ignorantiæ fuscata nubilo, & concupiscentiæ succensa igniculo, utramque naturam, id est humanam & divinam, integram fatetur in Christo Ecclesia ejus, & sicut evangelica mulier in satis tribus humanæ farinæ, divinæ sapientiæ fermentum recondit.

Sap. 8 a

Johan. 10 d Hæresis Arianorum & Apollinaris junioris.

1. Thess. 5. d

Luc. 13. d

2. Sed quid? Indigebat rationali spiritu Christus, Verbum ipse Patris & sapientia & veritas? Nec quod lateret ipsum aliquid esse poterat; sed ipse *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quâ ergo consequentiâ creato & illuminato indigeret lumen creans & illuminans? Nullâ planè. Ille non indiget, sed mea est hæc indigentia. Ratio hæc est meæ cæcitatis, non claritatis illius: non assumentis Verbi, sed assumpti spiritûs. Ego indigebam, ut & hæc naturæ meæ pars Verbo uniretur, & sic clarificatæ in Deo portionis merita in universos per fidem refluerent. Omnes nos mediante consubstantiali nostro reformamur in Christo, accedentes per fidem ad ipsum. Et ideo totum oportebat adsumi, ut gratia refunderetur in totum, quia corruptio fermentaverat totum. Manent ergo in una persona naturæ geminæ, sicut integræ, sic & impermixtæ. Divina enim incon-

Johan. 1. a

Christus cur assumpserit etiam animam rationalem.

A vertibilis & incommutabilis est: nec potest converti in aliam, nec in se finit aliam converti. Non valet in aliam ex se deficere. Defectus siquidem illi foret omnis mutatio: nec magis in illam alia proficere potest. Non commutare, sed communicare illam possumus; utendo * certè, non existendo.

*profruendo

3. Manet itaque naturis istis sua cuique tam integritas quàm proprietas. Consequenter etiam competentes his comprehensiones, & affectus, & contemplationes, & beatitudines impermixtæ sunt; & distinctæ, & differentes, & numerabiles sine numero personæ. Nam quis assereret beatissimam Christi animam aut nihil sentire penitus dulcedinis & gaudii, aut iterum gustum intimum illi permit-

An scientia animæ Christi & Verbi sit una & eadem.

B tere suavitatis & saporis; & beatitudinis illius quâ beatissima perfruitur Trinitas? Majoris siquidem est excellentiæ esse illud vitale bonum quàm participale, longéque expressior est experientia & domestica magis in essentia quàm in usu ipsius. Esse utique idipsum uti est, non tamen usus essentiam confert. Quomodo ergo essentia perfruitione solâ non potior, quia proximior? Deinde licèt anima hæc in Verbo omnia videt, & ipsum Verbum in Verbo videt: tamen quia admissa non est in societatem essentiæ, nec admitti potest in æqualitatem notitiæ. Nam hoc ipsum essentialiter Deum esse, & sapientiam esse, & summam bonitatem esse, & virtutem summam, & solam, & sempiternam, quid habeat delectationis & gaudii, cui

C dabimus nosse, nisi qui datum est & esse? Verbum ergo Patris tanto magis intimè & sincerè & simpliciter seipsum novit, & universa per seipsum; quanto meliore nititur privilegio essentialis unitas, quàm unio personalis.

4. Hæc ad hoc replicamus, ad discernendas scilicet unius Jesu Christi virtutes, pro gemina in Christo natura; id est, Verbi essentialiter ex Patre nati; & spiritus ex tempore creati: maxime propter illos qui de unitate personæ æqualitatem, vel magis unitatem inducunt & virtutis, & scientiæ. Qui tamen cùm omnia dicant animam habere per gratiam, quæ habet Verbum per naturam: ipsi videntur quasdam distantias & gradus (ut sic dicam) inducere per distinctionem nominum istorum; id est natu-

D ram & gratiam. Quantùm illi denegant, qui hoc ipsum non dant per naturam habere vel nosse? Nam etsi anima Jesu Verbo unita, excellenter & per gratiam illuminata sit; numquid & illud habere dicetur ex gratia, ut naturaliter & essentialiter & simpliciter lumen sit, & illuminans sit? Aut quonam modo erit naturæ quàm gratiæ notitia præstantior, si non expressior? At illud adducunt quod legitur, & verissimè legitur, quia *omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum.* Si omnis sapientia à Deo & cum illo est, & ante ævum: quomodo ergo multæ sapientiæ sunt cum illa, quæ à Deo est, & illi coæterna est, quia cum illo ante ævum est? Non multæ nec variæ & diversæ sapientiæ, sed una sola & invariabilis est.

Eccl. 1. a

E 5. Quæstio hæc non jam circa unam Domini Jesu solam restringitur animam, sed se dilatat ad omnes quæ alicujus sunt participes sapientiæ: ut similiter quæri possit, an omnes unam habeant cum Verbo Dei sapientiam, immo an omnes aliam non habeant quàm ipsum Dei Verbum sapientiam. Quod si ita est, una jam & indivisa erit omnium sapientia. Et qua ratione dicitur omnis, si nonnisi una est? Quid si ideo numerosè dicitur, non quia in se numerabilis sit, sed propter numerositatem habentium eam? Nam & una dicitur fides, propter unam rem creditam, cùm tamen cuique sit sua. Quare ergo una res non dicatur numerosè, cum multæ singulariter dicantur? Denique &

An & quomodo una sit omnium sapientia.

F multæ scientiæ, & multæ voluntates ejusdem personæ dicuntur, & eodem tempore, propter multitudinem rerum quas vel scit vel vult etiam simul. Ad res ergo scitas respicientes, non ad ipsius mentis vim, qua quisque scit omne quod scit; & unius multas, & multorum dicimus unam scientiam. Cùm itaque dicitur, *Omnis sapientia à Domino Deo est*, nihil officit ad astruendam unitatem sapientiæ: quia hoc non ad ipsam, sed ad illa quæ sciuntur per ipsam, refertur quod dicitur, *omnis*. Neque enim quia multa sunt, quæ illuminantur ut videri possint, aut multi ut videre possint, ideo multiplex lumen est, quod & visa illuminat, & videntibus lucet. Quid ergo? Dicemus unam & eamdem esse scientiam animæ Jesu cum Verbo, immo

omnium rationalium spirituum, & inter se, & cum Dei Verbo unam esse sapientiam, quia Dei Verbum? Jam ergo de sola anima Jesu non erit hæc disceptatio: & nullus jam erit nobis exitus ad tuendam superiùs positam diversitatem scientiæ inter Verbum & animam Jesu. Et quomodo patebit exitus, cùm hoc modo omnium una convincatur sapientia, quia unum lumen quod illuminat omnes? An fortè quia diverso modo illuminatio fit, etiam diversæ inter se illuminationes sunt, & ab eo per quod fiunt lumine differunt: ita etiam in animis rationalibus, & divinitùs illuminatis, & lumen quo illuminantur, & ipsa illuminatio quæ per lumen fit, ab invicem discernentur? Nam illuminatio quidem fit in illuminato, & ex tempore fit: lumen autem ipsum non fit, sed est, & ex æterno est. Hoc modo in una mente quis neget multas scientias esse, in qua intelligit multas comprehensiones esse, quamvis una sit mentis vis quæ comprehendit & videt: & unum lumen illuminans, ut comprehendere & videre queat? Hæc ergo distinguenda sunt diligenter, lumen, & illuminatio quæ per lumen fit in animo intelligentis. Nam hoc ipsum intelligere, & illuminari, & scire est. Quis itaque non videat (quamvis nisi subtilissimè non discernatur propter nonnullam similitudinem) Quis, inquam, non videat differre inter se lumen per quod illuminatio fit, & illuminationem quæ per lumen fit in quovis illuminato? Alterum enim creatum est, alterum creans; alterum illuminatum, alterum illuminans. Nec potest essentialiter esse eadem sapientia quæ fit per gratiam, cum illa quæ per naturam existit: illa quæ fit in tempore, cum illa quæ nata est ab æternitate.

Quomodo divinitas nobis proxima.

6. Si hæc distinxisti in dilecto, ô sponsa, & ab his quæ juxta statum humanæ substantiæ in illo sunt virtutes, ad Verbi pertransisti divitias, tunc jure & excellenter dicere potes: *Paululùm cum pertransissem illos, inveni quem diligit anima mea.* Sed quomodo aptabimus illud quod ponitur, scilicet, *paululùm?* Inæstimabiliter prærogat omni creaturæ divina majestas, & quasi vicina & familiaris sit, dicit: *Cùm pertransissem illos paululùm, inveni quem diligit anima mea.* Denique chaos magnum firmatum est inter nostram & ipsius naturam. Quale quæris chaos? utique ina- D nitatis nostræ. *Omnes gentes*, ait Propheta, *quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihil & inane reputatæ sunt ei.* Jure inanis reputatur nostra substantia, in cujus assumptione exinanisse se dicitur illa plenitudo. Quæ ergo poterit assignari convenientia & vicinitas inanis cum solido, nihili cum immenso? Qua ergo ratione dicit: *Paululùm cum pertransissem illos, inveni quem diligit anima mea?* An fortè pennigera est caritas, & præpeti volatu ardentis desiderii interjacens hoc, de quo loquimur, prætervolat vacuum? Utique sic adsentior. Nam amare, jam tenere est; etiam adsimilari & uniri est. Quidni, cum Deus caritas sit?

Esa. 47. d

Imaginis ratio in creatura rationali qua in re consistat.

7. Sed aliam hic ego paro rationem. Post rationalis contemplationem creaturæ sursum ascendenti primo se statim gradu divina offert & occurrit natura, nullíusque alterius præstantioris naturæ interponitur distinctio. Non enim inter imaginem & veritatem medium assignari quid potest, superius uno, inferius altero. Quod enim veritas non est, quomodo proximiùs accedit ad eam, quàm ut ipsius simulacrum & caracter sit? In quo ergo attenditur in rationali spiritu ea, quæ ad divinam est naturam, imago? Primo quidem loco, quia est veritatis & justitiæ capax. Secundò si capiat illas, & fiat verus & justus per gratiam, quod Deus est per naturam. Tria hic mihi distincta sunt, id est, capacem esse boni summi, ipsum habere, & esse ipsum. Imago attenditur in primo, similitudo in secundo, veritas in tertio. Primum commune est omnium intellectualium spirituum, secundum electorum tantùm, tertium solius increati spiritus. In primo propè accedimus, in secundo proximè, tertium ipse est. Propè accedimus per aptitudinem, proximè per coaptationem. Propè per naturæ primæva, proximè per virtutis privilegia. Propè, quia capaces; proximè, quia capientes. Quonam enim modo non de vicino accedit immortalitas ad immutabilitatem, incorporalitas ad simplicitatem, illocalitas ad immensitatem; ratio ad veritatem, virtus ad bonitatem? Et ut expressiùs loquar; quid esse vicinius & similius potest quàm sapientia sapientiæ, justitia ju- A stitiæ; quàm illuminata illuminanti, justificanti justificata? quid similius alii, quàm causativum causæ, formatum formæ? Nam in formato ferè nihil aliud attenditur quàm forma. Denique & quod dulce est, super omnia simile videtur dulcedini; & quod lucidum est, luci. Itaque proximum non injustè videtur, quod illi tanta æmulatione componitur; proximum, quia nihil interponitur. Nam etsi finitum nostrum incomparabiliter excedit divinæ immensitatis infinitas; imaginis tamen ad veritatem nonnulla dignoscitur esse affinitas.

8. Jure ergo dicit: *Paululùm cum pertransissem illos, inveni quem diligit anima mea.* O quàm felix, quàm lætus proventus tam longi circuitus! Beati gradus illi, per quos in B talem evaditur terminum. Quæsivit in lectulo, circuivit civitatem, interrogavit custodes. Primo loco quærit per se & penes se. Secundò extra se, sed per se. Tertio verò nec per se, nec penes se. Et hoc loco quanto humiliùs quærit, tanto quidem efficaciùs; quantoque à sui confidentia longiùs recessit, tanto reperit citiùs. *Inveni*, inquit, *inveni illum*: qui me prior quasi ovem errantem, & quasi drachmam perditam quæsivit & invênit, & misericordia ejus prævênit me. Me, inquam, prior invênit perditam, prævênit nihil meritam. Invênit errantem, prævênit desperantem: invênit differentem, prævênit diffidentem: invênit qualis essem mihi indicans, prævênit ad sua me revocans: vagam invênit in erroribus, vacuam gratiæ prævênit muneribus: C invênit ut non ego ipsum, sed ipse me eligeret; prævênit ut prior diligeret. Sic ergo electa & dilecta, quæsita & acquisita, inventa & præventa, quomodo non secundùm vires conatu, & supra vires affectu illum & diligam & quæram? Quæram, donec voti compos vocem lætitiæ proferam: *Inveni quem diligit anima mea.* Ego inventionem hîc ad veritatis & gratiæ non refero initium, sed augmentum. Pergens enim & proficiens anima de virtute in virtutem, de veritate in veritatem, dum ubique novis informatur mysteriis, & infunditur gaudiis, per singulos profectuum gradus dicere potest: *Inveni quem diligit anima mea*, Verbum Patris Christum Jesum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO IX.

*Tenui illum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ.* Cant. 3. b.

1. *Tenui illum, nec dimittam.* Ego hujus capituli sensum ad futuram volui tantùm felicitatem referre, quando sponsus dilectæ manifestam præsentiæ suæ exhibebit plenitudinem; ut nihil sit quod interrumpat perpetuitatem. Nam & quod præmittitur, *Cum pertransissem illos*, non incongruè ad id refertur: *Cùm evacuaverit omnem principatum & potestatem, ut sit Deus omnia in omnibus.* Ante illud enim tempus, quis ex sententia dicere potest: *Non* 1. Cor. 15. c E *dimittam illum*? Sed hunc arctat & everitit intellectum, & ad præsens facit referri illud quod sequitur: *Donec introducam illum in domum matris meæ.* Sed jam vigilanter singula consideremus. Primò considera quàm sint lætitiæ plena hæc verba. *Inveni*, inquit, *tenui, nec dimittam.* Magnus ille Patriarcha Abraham legitur vidisse Dominum, non invenisse. Apparuit enim ei ultrò stanti in ostio tabernaculi ad meridiem. Denique egressus de tabernaculo obvius, sedulus sub ilice exhibuit officium: in tabernaculum verò introducere non meruit, nedum in cubiculum. Vidit & Moyses apparentem sibi in Oreb Dominum, sed tenere non meruit, qui nec permissus est propiùs accedere. Vidit Jacob Dominum, sed vidit in somnis, & de longe vi- F dit scalæ innixum. Nam etsi apprehendit Angelum, non tamen retinuit: sed quadam luctæ violentiâ benedictionis extorsit gratiam, amisit præsentiam, & idcirco dicere non potuit: *Non dimittam illum.* Invênit illum Maria Magdalene, sed prohibita est non dico tenere, sed etiam tangere, quia penes monumentum vitam quæsivit. Suscepit diu exspectatum, & insperato inventum senex ille Simeon in ulnas suas, & gratulationis lætus erupit in canticum, sed vocis hujus usum sibi non præsumpsit: *Non dimittam illum.* Denique sic ait: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Utique in pace dimittitur

Ibid.

Gen. 18 a

Exod. 19. & 34. d

Gen. 28. c

Johan. 20. d

Luc. 2. d

ſolutus & ſequeſtratus à carne, ut non ampliùs concupiſcat adversùs ſpiritum, & illi repugnet. Ille ad novi amplexum pueri, ſeneſcentis depoſuit hominis vetuſtatem, & in tranquilliorem ſtatum à corporis corruptibilis pœna, & carnis pugna dimitti ſe, vel poſtulat, vel exultat: Sponſa verò dilectum à ſe non dimittendum præſumit. Et quanto præcellentis eſt gratiæ non dimittere quod ames, quàm evadere quod horreas?

Cui contingat Chriſtum inventum non dimittere.

2. Omnes hi etſi in carne, vel carnis ſpecie viderint; quoſdam vel viſionis, vel apprehenſionis gradus diſtinguunt humanis in mentibus. Quod nulli eorum indultum legimus, iſta uſurpat, cujus tentamus eventilare ſermones. *Inveni, tenui, nec dimittam. Inveni* per aſpirationem, *tenui* memoriæ retractatione; *non dimittam* continuatione jugi. *Tenui illum.* Et tu cum inveneris Chriſtum, cum inveneris ſapientiam, cum inveneris juſtitiam, ſanctitatem, redemptionem (hæc omnia enim nobis factus eſt Chriſtus) cùm iſta inveneris, tene affectu, tene ſtudio. Quod intelligentiâ inveneris, diligentiâ tene, & retine (ut ſic dicam) renitentes virtutes, & lubricas ſpecies arctiori tibi aſtringe amplexu, donec vice verſa ultro tibi inhæreant, & amplexentur te gratis, & ſine ſtudii tui labore te teneant, nec ſinant vel longiùs abſcedere, vel diutiùs abeſſe. Etſi quando declines ad officia humanæ neceſſitatis, ibi te inſectentur & revocent, & arripiant ad ſe, ut ſi non poſſint aſſiduè ſtudium, ſemper habeant obligatum affectum. Nam nonnulla mihi videtur diſtinctio, an tu teneas Chriſtum Dei virtutem & ſapientiam, an tenearis ab ipſo. *Ama*, inquit, *ſapientiam, & amplexabitur te.* Denique & de quibuſdam dicitur, quòd *tenuit eos ſuperbia.* Quid eſt tenuit, niſi irretivit, & implicavit, & inolitæ conſuetudinis * indiſſolubili obligavit vinculo? Hoc enim eſt quod ſequitur: *Operti ſunt iniquitate & impietate ſua,* ut non facilè evolvere & explicare ab illa ſe poſſint. Et ut ampliùs dicam, quaſi cute quadam, ſi aliqui pravâ operti & involuti ſunt conſuetudine vitiorum, ut illam dediſcere & deſueſcere, non tam exſpoliari ſit, quàm excoriari. In cujus rei indicium, fortè inſtitutio legis continet hoſtiæ pellem abſtrahi.

1. Cor. 1 d
Prov. 4. a
Pſal. 72. a
* al. delicato.
Ibid.
Conſuetudo vitiorum ægre exuitur.
Lev. 1. b

3. Nam è regione quòd ſtrictâ ſacerdos indui jubetur lineâ; Veritatis te vult illius quæ de terra orta eſt, habitu arctiùs aſtringi, ut per ſe caſtimoniæ & puritatis & innocentiæ tibi virtus inhæreat, & agglutinetur tibi: ſed & omnia ſacerdotis indumenta, vel catenulis, vel balteis, vel vittis aſtricta & colligata ſibi vult eſſe lex: ut cùm indueris Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, cum te indueris viſcera miſericordiæ, benignitatem, caritatem, & reliquas quas apud Apoſtolum legis virtutes; cùm Chriſti te fide memoriter veſtieris, & contemplandæ veritatis inviſceraveris affectum; omnia tibi coaptentur & cohæreant, & conſtricta ſint, nihilque circa te vagari & fluctuare poſſit, & tentationis vel diſſolutionis vento follicare. Qui ſe tali virtutis veſtierit habitu, ut ei in naturam verſa videatur, non ego hunc tam tenere quàm teneri dixerim. *Tenuiſti*, inquit, *manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me. Tenuiſti* ne pergerem in defectum, *deduxiſti* in multiplicem profectum. *In voluntate tua deduxiſti me*, id eſt, in voluntate quæ à te eſt, & quæ ſecundùm te eſt. In voluntate quæ magis trahens quàm tracta eſt. Nam & bonam voluntatem cum multo labore nonnumquam attrahere nitimur, & magis proſequimur quaſi fugientem, quàm ſequimur ducentem. Sic enim legitur: *Concupivi deſiderare.* Bona talis voluntas, ſed nondum placens. Juſta, ſed nondum jucunda. *In voluntate tua deduxiſti me.* In illa quæ blando conſtat boni ipſius guſtu: nec tantum (ut ſic dicam) pigrâ nititur ratione, quàm piâ boni ipſius oblectatione.

Exod. 28. c
Col. 3 b
Pſal. 72. d
Pſa. 118. c

4. *Tenui nec dimittam illum, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Multo planior videretur ſenſus ſi ita dixiſſet: Non dimittam illum cùm introduxero in domum matris meæ, illius ſcilicet quæ ſurſum eſt Jeruſalem cæleſtis, quæ eſt mater omnium noſtrum. Nam ante illud tempus omnia hîc incerta ſunt, & inter ſpem & metum fluctuant, & pendulo nituntur gradu. Et quæ erit certitudo de gratia, dum mutabilis eſt natura? Denique & ille ait: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum. Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Annon tibi ſimilia dixiſſe videntur Pſalmiſta & Sponſa? Quid enim aliud eſt, *Non movebor in æternum*, quàm quod hîc ponitur; *Non dimittam illum?* Sed ibi quidem manifeſta præſumptio, quia vicina ultio. *Avertiſti*, inquit, *faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Cùm ſit ergo in hac carne facilis caſus, & frequens impulſus, citus lapſus & certus labor; quomodo non videbuntur præſumptionis & nimis promptulæ devotionis eſſe hæc ſponſæ verba: *Non dimittam illum?* Quis enim hîc in eodem ſtatu permanere poterit, præſertim illo ſubtiliſſimæ contemplationis, qui vix attingi poteſt tenuiſſimo mentis ictu? Fortè ergo verba hæc non ſecuritatem, ſed ſollicitudinem ſonant. Nec enim ſecuritas eſſe poteſt, donec introduxerit dilectum in domum matris ſuæ, & in cubiculum genitricis ſuæ. Non erit tunc retinendi ſollicitudo, quia erit certitudo manendi in illo felicitatis ſtatu: abſque ſtudii noſtri uſu & diſciplinæ cuſtodia ultro nobis affluent, immo intrinſecùs de quodam inexhauſto animæ ventre flumina fluent aquæ vivæ & indefeſſæ delectationis. Nulla tunc erit neceſſitas in altum fodere, nullus labor vel purgare puteos, quos Philiſtæi repleverint, vel propugnare ne repleant. Hîc ille labor exigitur, nam inde excluditur. Quod ergo dicit: *Non dimittam illum?* Studium polliceri videtur & diligentiam, ut ſemper ſollicita ſit, quoadusque plenè poſſit eſſe ſecura: ne ſibi elabatur de reliquo dilectus ſuus Dominus Jeſus, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 29. b
Omnia in hac vita incerta & mutabilia.
Gen. 26. d

## SERMO X.

*Non dimittam illum, donec introducam illum in domum matris meæ.* Cant. 3. b.

1 QUæ infirmitatis exempla ſuæ aptavimus ſponſæ præterito ſermone: hodierno quæ ſunt virtutis aptemus de ſcripturis ſacris. De Anna legitur, cum intentè profuſoque exoraret affectu, quòd *non ſunt vultus ejus ampliùs in diverſa mutati.* Vultus animi interpres eſt, & ab intimo affectu habitum trahit. Ideo ab ejus conſtantia, interioris quæ in anima eſt, perſeverantiæ ducitur argumentum. Non ſunt vultus ejus in diverſa mutati, quia nihil imminutum eſt deſiderii ſemel concepti. Et quid aliud ſonat quod dicit: *Non dimittam illum*, niſi non mutabo in diverſa vultum, & intuitum mentis aliò non divertam ab ipſo? Sed & Apoſtolus ſimile quid hortatur: *Sine intermiſſione orate.* Et item; *Gratias agentes ſemper*; illud quoque, *Gaudete in Domino ſemper.* Continua & non interrupta hæc vult eſſe Apoſtolus: orationem, gratiarum actionem, & gaudium in Domino. Sed quis iſta ipſo mentis habitu, & affectu animi indefeſſo explere ſufficiat, niſi cui dicere permiſſum eſt: Quis nos ſeparabit à contemplatione Chriſti? Apoſtolus dicit: *Quid nos ſeparabit à caritate Chriſti?* A contemplatione dicere non poterat. Nam aliquando à contemplatione ſegregari Chriſti illum compellebat caritas, *Sive*, inquit, *mente excedimus Deo, ſive ſobrii ſumus vobis. Caritas enim Chriſti urget nos.* Caritas ergo quadam diſpenſatione contemplationi ſe ſubducit, cujus tamen proprius eſt & familiaris in ipſa uſus. Omnia quæ agit caritas, quamdam habent indefeſſæ orationis & gratulationis vicem, & efficaciam. Sed tunc iſta profuſiùs & excellentiùs exſequitur, cum ſingulariter in iſtis exercetur. *Abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa orabit pro te ad Dominum.* Eleemoſynæ vocabulo non incongruè cenſentur univerſa, quæ indigentibus miſericorditer impenduntur; non modò iſte corporeus cibus & indumentum, ſed etiam doctrina, exhortatio, correctio, conſolatio, & univerſa, quæ ſolius ad animæ commoda ſpectare videntur. Opera ſunt hæc caritatis, & orationis vim obtinet, cùm ſolius Dei fiunt intuitu: ſed non ſunt hæc ſpecialia & propria ipſius. Quid enim tam proprium quàm dilecto ſoli intendere, & liberè in amoris ſe exercere negotio? Ab hoc ſpiritualis jucunditatis exceſſu & ebrietate ſobrium fieri, & propter fraternas neceſſitates ab alienatione mentis temperare, quid niſi vultum in diverſa mutare eſt? Denique & Martha ſollicita erat, & turbata circa plurima. Illa circa multa turbatio, videtur quædam vultûs in diverſa mutatio. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

1. Reg. 1. b
Quæ immutabilitas in via poſſit homini contingere.
1. Theſſ. 5. d
Eph. 5 d
Rom. 8 g
2 Cor. 5 d
Opera caritatis ſunt oratio.
Eccl. 29. B
Luc. 10. g

Discrimen activæ & contemplativæ vitæ.

2. Optima pars contemplationis & dilectionis est usus. Nam etsi illa sunt opera caritatis, quæ exhibebat Martha: ibi tamen servit caritas necessitati, non caritas sibi. In sublevandis alienis necessitatibus bonum opus, sed molesta causa. Bona enim misericordia, sed molesta miseria. Bona curatio, sed circa quem versatur non bonus languor. Bonus in hujusmodi compassionis affectus; sed non bona compassionis occasionem ministrans alterius passio. Fraternis in necessitatibus caritas intuetur cui condoleat, quo moveatur ad miserationem, quid amovere nitatur. At cum dilecti contemplantur virtutes, totum placet, totum delectat, totum allicit: nihil ibi videt quod horreat, sed cui dulciter adhæreat. Hic proprius amoris usus est, hoc ejus officium: ut totus sit in amando. Sic est planè, cum una & individua jucunditas omnia convolvit & complectitur; officium, finem, & causam. Officium amor est, causa visio, finis utrumque: neque ullus esse potest beatior finis, quàm ipsa visio & dilectio Dei. Omnia ad hunc finem Sanctorum vota suspirant. Finis iste ipse sibi finis est, seipso contentus in melius aliquid exspectationem porrigere non valens. Hoc est illud unum quod *necessarium* dicitur, quod à Maria non tollitur, in quo Psalmista gratulatur: *Mihi*, inquit, *adhærere Deo bonum est*. Hic est ille mentis excessus, qui usque ad tertium cælum Paulum rapuerat. Hæc ebrietas temulento similem Annæ vultum expresserat. Hoc musto madebant Apostoli, cum illos vehemens repleverat Spiritus, & illius, quod novum pollicitus est Jesus, vini virtutem primò sensere. Hoc vino infusus Noë, spiritualis passus est soporis excessum, & carnis curam posthabuit, totus factus in spiritu, posteriora contemnens, quem anteriora tenebant ex integro. Felix si instar Annæ hujus vini numquam digessisset virtutem. Illa enim foris castigato corpore mentis est passa temulentiam, & sanctam quam postea non evacuaret ebrietatem. Nam hoc sibi vult quòd non ulterius vultus ejus sint in diversa mutati. Talem sibi apprehensæ jugitatem præsentiæ sponsa polliceri videtur cum dicit: *Non dimittam illum*. Quid enim præclarum, quid spirituale, quid sponsâ dignum diceretur, si ad fidem, si ad justitiam, si ad humilitatem, ad continentiam, ad beneficentiam, & ad reliquas, quæ Christus esse dicitur, virtutes id referret, quod ait, *Non dimittam illum*? Nam nec his vacua credenda est etiam cum dilectum quæsivit. Denique & communes hujusmodi virtutes, & ita habentibus commodæ, ut caruisse nefas credatur.

Psal. 72. — 1. Reg. 1. c — Act. 2. c — Mat. 26. c — Gen. 9. d

3. Eximium ergo & singulare quippiam hæc indicat inventio, per quam dilectum & comprehensum applaudit, & non dimittendum præsumit. Fortè primitiæ aliquæ sunt futuræ contemplationis & gloriæ, propter quod adjungit: *Donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*, in illam cælestem Jerusalem quæ mater est omnium nostrum, cujus muros salus occupat, & portas laudatio, cujus in pacem positi sunt fines. In illum locum lucis & lætitiæ, laboriosæ vitæ hujus introduci non possunt virtutes: quæ si ingrediuntur per meritum, tamen excluduntur per usum. Cælestem ergo aliquam affectionem & supermundanum saporem in dilecto experta, non jactando, sed gratulando dicit: *Non dimittam illum, donec introducam in domum matris meæ*. Sed numquid non jam ascendit ad Patrem? Numquid non præcursor introivit pro nobis? Et quomodo tu introduces quò ipse prior ascendit? Tu magis indiges ut ipse te ducat, cui dicitur: *Deduc me in via mandatorum tuorum*. Vado, inquit, parare vobis locum, & cum paravero, iterum venio & assumo vos ad meipsum. Quomodo ergo introduces illum quò jam ipse ascendit? Ascendit quidem per se, sed adhuc in te foris exsistit: in te introducitur, quo per se prior ascendit. Quidni? In te nascitur, in te formatur, & in te non introducitur? *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. In nobis ergo Christus & parturitur, & perficitur, nec semel sed sæpius, & iteratâ crebrò parturitione. Neque possumus omnes Christi simul virtutes adaptare nobis, equidem ne unam quamlibet ad plenum. Idcirco semper insistendum est, quia nonnisi sensim fit in nobis spiritualis parturitio Christi. Qui ergo in membris suis? In sponsa sua nascitur, cur non introducitur? Non enim vel parturitio hæc, vel introductio ad Christi potest referri personam, sed ad virtutes & gratiam. Ideo frequens est sicut parturitio, sic introductio. Nam & consedere dicimur in cælestibus cum Christo. Sed sicut una est vera & æterna sessio in cælis, sic & introductio. Perambulavit Abraham terram promissionis antequam possideret. Felix omnino cui datur beatas illas perambulare regiones, & visentis instar volucri calcare vestigio locum omnem, quem accepturus est in possessionem. Cui licèt stare non permittitur, ascendere tamen datur in montem Domini: & quamvis per umbram adhuc cursim, tamen perlustrare cuncta, & se tali visu refovere.

Psal. 118. c — Joan. 14. a — Gal. 4. c — Virtutes Christi paulatim acquirendæ. — Eph. 2. b — Gen. 12. b — 17. b

4. Quæ autem vera est & plena introductio, hîc innui videtur cum dicitur: *Donec introducam illum in domum matris meæ*. Felix omnino quæ adeo illigare potuit Verbum Dei, & arctius adglutinare sibi, & in exilio collaterare, quousque copulari in cubiculo detur. *Non dimittam illum, donec introducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*. Quod tunc fiet, quando corpore & mente plenè portabit imaginem cælestis, ut *domûs* intelligentiam ad corpus, *cubiculi* verò ad mentem reducas. Aut si magis placet, in *domo* possessionem accipe securam, *in cubiculo* secretam; in *domo* sempiternam, in *cubiculo* internam; in *domo* (ut dicit Ecclesiastes) æternitatis, & in *cubiculo* caritatis. In cubiculo, ubi clauso ostio non jam ores Patrem, sed de cetero adores in spiritu & veritate; in domum non dicit patris, sed matris; & in cubiculum genitricis. Novit illa mensuram suam, & ideo spem suam extendit ad illam æternitatem, veritatem, caritatem, quam assecuta est Ecclesia primitivorum in cælis. Nam quantum ad ea quæ Dei sunt spectat, solus habet immortalitatem; & ipse lucem habitat inaccessibilem, & supereminet scientiæ plenitudo caritatis Christi, qui nos impleat in omnem plenitudinem in seipso, qui est benedictus Deus, & regnat in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Eccl. 12. — 1 Tim. 6. e — Eph. 3. d

## SERMO XI.

*Tenui, nec dimittam illum, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*. Cant. 3. b

1. Delicata est species amoris affectio, & tenui occasione læditur lætitia spiritualis. Amor occupationum externarum impatiens est; suis satis habens inservire negotiis: otio gaudet, quiete fovetur, ad internam delectationem libera habere tempora volens. An non hoc ipsum tibi videtur sponsa innuere, dilectum suum ad cubiculi secretum trahens? Novit illa dilectum suum non posse foris securè possideri, nec integrè quidem. Et quàm durum est amanti animum dimidiare cum Christo & mundo! Quàm durum est inquam, in dilectionis jura peregrinas admittere curas & cæleste secretum sæcularibus infestare turbis! *Memor fui*, inquit, *Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus*. Si delectatio memoriæ Dei negotio se exercet, & exhaurit spiritum Prophetæ: quomodo plura poterit & peregrina cum isto complecti negotia? Jure ergo sponsa cum dilecto cubiculum petit, ut libero illi intendat studio, & ex animi sui arbitrio perfruatur, & quieto pectore penitus amplexetur. Apparet illam spiritu caritatis duci, & ex sponsæ affectu locutam, opportunitatem exercendi quæ sic quærit amoris.

Amor distractionum impatiens. — Psal. 76.

2. Et quomodo nos si quid vel tenuiter attingimus de Christo, de sapientia, de suavitate, de contemplationis gustu, non contenti gratia, nec mensuram contemplantes nostram, statim erumpere conamur, & cubiculo fastidito festinamus egredi à requie, & ab illa requie? *In pace*, inquit, *in idipsum, dormiam & requiescam*. Maria ad Domini pedes sedens idipsum tenebat: turbabatur Martha circa plurima. In multis turbatio; porrò unum est necessarium, immo & jucundum. Denique quàm bonum & quàm jucundum, habitare amantes in unum. Alioquin non est habitatio in unum, nisi in amore, qui inhabitare facit unius moris in domo. Quid est unius moris, nisi fœdere conformes amoris? Amor humanum animum Deo conciliat, & unit. *Similes*, inquit, *ei erimus, cum apparuerit*. Quidni similes? commendat seipsam mundis revelata mentibus majestatis divinæ inæstimabilis pulcritudo, & intuentis

Psal. 4. b — Luc. 10. — Psal. 67. — 1 Johan. 3. d

Contemplationis præ actione præstantia.

intuentis in se affectum rapit, & quadam ratione sibi facit similem, dum aliud cogitare non finit. Odore trahimur, transformamur autem visione. Bonus ergo contemplationis usus, qui unius moris efficit & conformat humanam mentem, & summam majestatem. Bona hîc mansio, ultra quam nec vota nos trahunt, nec citra tenere nos debent. Quis det mihi ut hæc sit requies mea in sæculum

Psal. 131 c
Luc. 10. g.

sæculi? Felix qui ex corde potest dicere: *Hîc habitabo quoniam elegi eam*. Maria *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Scientiæ destruentur, evacuabuntur prophe-

1. Cor. 13. b

tiæ, linguæ cessabunt: sola contemplatio non excidet in futuro. Ideo hanc tibi partem elige in præsenti, quæ non auferatur umquam, ut dicat anima tua: Pars mea Do-

Thren. 3. c
Ibid.

minus, propterea contemplabor eum. Propheta dicit: *Propterea exspectabo eum*. Rectè quidem. Exspectat enim boni plenitudinem, cujus portionem jam tenet. Qui contemplationis bono hic fruitur, amplius quid exspectare potest in hoc genere, sed aliud quid non debet.

3. Bona hæc, bona sunt reposita in annos multos, immo in annos cunctos. Ideo felix anima quæ bono hoc frueris: epulare, comede: quia pars hæc non repetetur à te, sed refundetur & reformabitur uberiùs. Hæc requies tua in sæculum sæculi, hîc habitabo quoniam elegi eam: hîc inhabita, ut cum illo inhabites, qui sedet super Cherubim, super scientiæ plenitudinem, qui lucem habitat inaccessibilem. Et ideo in speculationis luce sit locus tuus. Hic matris tuæ Ecclesiæ proprius & domesticus locus, hæc ejus domus: cetera quæ exercent temporalis necessitatis officia, istum ad finem respiciunt. Actionis officia transeunt: permanent contemplationis. Bonum est hîc tibi esse, hîc tibi tabernaculum fac. Non tibi unum, & dilecto tuo unum, sed tibi & ipsi unum. In hoc cubiculum dilectum tuum introduc, ingredere in requiem tuam, ut

Sabbato comparatur.

requiescas à laboribus tuis, sicut & à suis Deus. Septimâ requievit ab opere institutionis; septimâ requievit à labore restitutionis: in illa postquam mundum condidit; in ista quando se in monumento recondidit. In illa postquam fundavit mundana, in ista postquam reformavit humana. Si quæsisti, si invenisti, si tenuisti dilectum tuum, tene quem tenes; tene, inhære, imprime te illi, ut ejus in te velut expressa reformetur imago, huic fias conformis si-

1. Cor. 6. d

gillo. Eris autem si adhæseris: *Qui enim adhæret Deo, unus est spiritus*. Fortè sicut duræ materiæ difficulter in te primò fit ejus impressio: etsi laboriosa impressio, sed dulcis adhæsio. Laboriosa est reformationis tuæ sexta, sed dulcia sabbata quietis sequuntur.

Apocal. 14. c

4. Consepelire ergo cum Christo per hunc sabbatismum in mortem. *Beati* enim *mortui qui in Domino moriuntur: amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis*. Spiritus hoc dicit, collatæ utique quietis exhibitione & effectu gratiæ, quomodo & ipse testimonium reddit spiritui nostro. Spiritus hoc dicit, quia spiritus hoc efficit. Ipse dicit, quia ipse donat. *Amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis. A laboribus*, inquit, non ab operibus: *Opera enim illorum sequuntur illos*. Opera sequuntur spiritum, sicut calor ignem, umbra corpus, lux solem, effectus causam. Qui sabbatizat in spiritu, non habet opus sectari opera: opera enim sequuntur illum. *Opera illorum*. Quæ sunt opera illorum? Quæ sunt opera quiescentium, opera mortuorum in Christo, consepultorum cum Christo, opera sabbatizantium? Festiva sunt, feriata sunt: otium valent opera ista. Festina ingredi in hanc requiem, in hunc sabbatismum. Sed vide quod non relinquitur sabbatismus nisi consepultis cum Christo, non relinquitur nisi post sextam diem, post sextam illam, in qua aut vetus homo crucifigitur, aut novus perficitur. Nam propter illum dicitur, ut qui mortui sunt in Christo, requiescant à laboribus suis; & propter istum, quod novo condito homine die sexta, septima requi-

Gen. 2. b

evit ab operibus suis Deus. Et tu quoque sabbatum tibi compara, redime tempus, & liberas ab exteriori occupatione horas vindica tibi.

Vitandum otium in quiete.
Psa. 45. b
Eccli. 38. c

5. Sed vide ne hostes derideant sabbata tua, ne illis serviant otia tua, ne illis vaces, qui vacare Deo debueras. *Vacate*, inquit, *& videte quoniam ego sum Deus*. Bonum est otium, sed sapientiam scribe in tempore otii tui. Scribe illam super latitudinem cordis tui. Latum enim cor, quod curæ

A non arctant. Imprime in intimo cordis tui litteras quæ non deleantur, & exara in tabulis spirtualibus signa sapientiæ, ut dicere possis: *Signatum est super nos lumen vultus tui Do-* Psal 4 b
*mine, dedisti lætitiam in corde meo*. Lætare & diem festum age cum dilecto, & epulare, sicut scriptum est, in introitu gloriæ hujusmodi. *Sabbatum*, juxta quod dicit Isaïas, *deli-* Isa. 58. d
*catum est, & sanctum, & gloriosum. Delicatum*, inquit, *&*
*sanctum. In desideriis est omnis otiosus*, sed non sunt omnia Prov. 21. d 1 Tim. 6. b
sancta desideria, qualia eorum qui volunt divites fieri, & per hoc incidunt in desideria multa inutilia & nociva. Vides quomodo Apostolus multitudinem desideriorum in vitio ponit. Quid si & immunda fuerint? nam & multi qui
B agere non possunt, in occulto cogitant quæ turpe est & dicere, tenui se in hoc solantes remedio. Ad horum distinctionem non contentus dicere *sabbatum delicatum*, adjecit, *& sanctum, & Domini gloriosum*, ut non sit in confusione gloria tua. Si vacas, sabbatum habes: si vacas & vides, & contemplaris delectationes Domini; jam sabbatum tuum *delicatum* est & *sanctum*, & sabbatum *Domini gloriosum*: sabbatum ex sabbato, id est vacatio de vacatione. Prima vacatio est bona, si mundo non vacas. Secunda quidem est melior, si tibi ipsi & vaces, & cogites quomodo placeas Deo. Tertia est & optima, si etiam tui oblitus, soli Deo vaces, & cogites quæ Domini sunt, quomodo tibi placeat ipse. Non sit desidiosum sabbatum tuum, operare in sabbato tuo opera Dei. Opus enim Dei est ut credas in eum. Fide vides. Videmus enim nunc per speculum: ideo vaca ut videas. Delicatum planè opus est visio & visio Dei. Non
C est tibi necessitas de reliquo dimicare pro fide, sed tantùm deliciari in ea. Erepta est jam de contradictionibus persequentis populi, & pervertentis hæretici. Constitue eam in caput cogitationum tuarum, ut cogites cogitationes fideles antiquas, Amen.

Vacatio sancta describitur.

Vacatio triplex.

## SERMO XII.*

* Hic Sermo in cod. Vallis-claræ continuatur cum superiori.

*Tenui, nec dimittam illum, donec introducam illum in domum matris meæ*. Cant. 3. b

Quid agendum in otio.

1. NEsciunt cogitationes antiquas habere, qui novitates verborum exquirunt, qui nova excudunt dogmata, qui juvenilia desideria non declinant, qui nihil
D habent gravitatis, nihil auctoritatis, nihil antiquitatis plenum: non est ibi *amen*, ubi est aut disceptatio, aut deceptio cogitationum; ubi aut infidelitas est, aut fluctuat fides ipsa. Ingredere in tutos recessus fidei, introduc dilectum in cubiculum matris tuæ, ut quicquid de Christo sapis, quicquid sentis, intra Ecclesiæ constringas regulas, ad ejus castiges censuram: hujusmodi opera operare in sabbato tuo. Alioquin si vacas, & talibus non vacas studiis, facilè in vacuo animo cogitationes vanæ & venenata
E erumpent consilia. Denique sicut habes *agrum hominis pi-* Prov. 24. d
*gri urticæ & spinæ* obsident, & Evangelia tibi dicunt, quia Mat. 24. d
*duo erunt in lecto; unus adsumetur, alter relinquetur*. Quasi lectus quidam est otiosa vita & quieta in Ecclesiæ gremio degentium, eorum qui nullo sunt ecclesiastici muneris onere occupati, nec providentiæ & dispensationis sollicitudine distenti, sed libero utuntur otio sub alieno regimine. Non tamen hoc otio omnes ritè & jure debito fruuntur, sed libertatem quam obtinent temporis, dant in occasionem torporis.

2. Bonus enim lectus, si quis eo legitimè utatur, & opportunitatem exterioris quietis in voluptatem convertat visionis internæ. Hi sunt qui assumentur ab hoc Ecclesiæ
F cubiculo ad illud cæleste, ut ubi Christus est, & ibi sint cum ipso. Denique ubi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Esto tu quasi aquila, & acutis utere luminibus: spirituali assuesce contemplationi, commane in petris, & in præruptis commorare silicibus, immo in singularis illius petræ, quæ Christus est, cavernas ingre- Mat. 24. c
dere. Intra, juxta Isaïæ verbum, in cubicula tua, claude Is. 26. d
ostia tua, & abscondere modicùm ad momentum, donec pertranseat indignatio. Magis verò abscondere, in æternum ut delectatio maneat. Intra in cubiculum pacis, in potentias Domini: quia pax in virtute ejus. Memorare justitiæ ejus solius, ut in te sibi obvient pax & justitia. Memorare justitiæ ejus solius, quia quid habes quod non ac- 1. Cor. 4. b

cepisti? Justitiæ ejus solius. Bona justitia, quam adversùs A titillantia vitia tibi pugna quadam defendis. Felicior, ubi non dimicas pro justitia, sed magis delectaris in ea: ubi non conflictationi studes, sed delectationi; non feris cum vitiis jurgium, sed commercium cum virtute contrahis. Istam possides, non impugnas illa: ubi posteriorum oblitus, non cogitas quæ hominis, sed quæ Domini, & memoraris justitiæ ejus solius, cum justitia & pax in te osculatæ se fuerint: *Regnum* enim *Dei justitia, & pax, & gaudium.* (Rom. 14. c) Si regnum, quare non & domus & cubiculum? *In pace enim factus est locus ejus, & habitatio ejus in Sion.* (Psal. 75. a) Ingredere in cubiculum pacis, hujus quidem exterioris, sed magis illius interioris, in habitationem speculationis: quia Sion speculatio interpretatur. *In pace*, inquit, *in idipsum* B *dormiam & requiescam.* (Psal. 4. b) Idipsum ad speculationem refer, quia hæc est pars optima quæ non auferetur. Denique & sponsa obdormivit cum dilecto in cubiculo matris suæ, & quemdam passa est soporatæ mentis excessum in amplexu sponsi. Ideo sequitur; *Adjuro vos*, & cetera.

3. Et tu ergo si sponsum apprehendisti, tene, nec dimittas donec introducas in domum & in cubiculum matris tuæ. (Contemplationis jucunditas.) Quid ego nunc tibi persuadeo, ad quod te ipsa experientia perceptæ dulcedinis multo magis invitat & allicit? Si quis enim feriato animo furtim & quasi in raptu prælibare potuit liberæ meditationis festiva gaudia, nescio si quid umquam libentiùs agat, quàm ut huic totum & ex integro se studio tradat & expediat. Denique trahebant C sponsam prima pulcræ contemplationis blandimenta, & ad quietis provocabant cubiculum, quò dilectum introducturam se læta gratulatur. *Non dimittam illum donec introducam.* Annon tibi videtur quasi dicere his verbis illud de psalmo: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino?* (Psal. 131. a) Omnia dimitto, ne dimittam illum. Omnia detrimentum facio, ut Christum lucrifaciam, propter supereminentem lætitiam præsentiæ ejus. *Si dormierint duo, fovebuntur mutuò: unus quomodo calefiet?* (Eccl. 4. c. Quies & somnus contemplationis.) Ecclesiastes hoc dicit. Bonum est foveri & inflammari in amplexu verbi; (Ignitum enim eloquium Domini vehementer) & spiritualibus æstuare desideriis: ideo non dabo somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec introducam illum in cubiculum matris D meæ. Tunc quiescam, & suavis erit somnus meus. Quasi dormivit Johannes recumbens in pectore Jesu, ubi reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Ibi veræ quietis locus, intelligentiæ serenum, sanctuarium pietatis, delectationis cubiculum. Hîc dormi, ut videas quod ipse vidit, *Verbum in principio*, (Johan. 1.) Verbum apud Deum, & Verbum Deum, & intelligas in Christo cum Patre exsistendi coæternitatem, personalem diversitatem, & unitatem consubstantialem. Quid tibi videtur similius somno? Huc se non possunt humani jactare intuitus, irrumpere ratio. Denique non videbit hæc homo, & vivet. Bonum est ergo te obdormire, & humanorum sensuum & affectuum E oblivione sopiri, ut hujusmodi somnia somniare possis. Hoc Apostolorum cubiculum est, qui nos genuerunt in Christo. Quasi mater est Paulus, cum dicit: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* (Gal. 4. c) Matrem habes: vis habere cubiculum? *Nostra*, inquit, *conversatio in cælis est.* (Philip. 3. d) Vis somnum? *Mente*, inquit, *excedimus Deo.* (2. Cor. 5. c)

4. Huc ergo transi cum dilecto, hîc mane, hæc meditare, in his esto: aut si istò pertingere non potes, temperatiùs age: si non potes recumbere in pectore Jesu, ubi indefessæ puteus sapientiæ; requiesce inter scapulas, ubi patientiæ ejus exempla & mysteria contempleris. (Contemplatio imperfectorum quænam.) Inter humeros ejus: quia *principatus factus est super humerum ejus.* (Isa. 9. b) F Et de Benjamin dictum est, quòd *amantissimus Domini inter humeros requiescet.* (Deut. 33. b) Requievit quidem & obdormivit Jesus in cruce, ut & tu cum ipso in passionis ejus fide & memoria dormias: vel potiùs inter istas sortes discurre inter pectus & humeros, inter fidei mysteria, & manifestationem veritatis. In altero fac tibi domum, in altero cubiculum. Amantissimus Domini Benjamin quasi in thalamo morabitur tota die, & inter humeros requiescet. Vides quomodo inter humeros thalamum collocat? Quid ergo erit in pectore? Utrobique planè contemplationis pulcræ A locus, & inter humeros, & inter ubera. Sed uberior gratia in pectore, ubi amoris locus, cogitationum sedes, amplexûs occasio, & cernendi copia vultûs. Bene ergo in pectore Jesu thalamus, immo & thesaurus. Ibi enim & deliciæ Sponsi & divitiæ Verbi: quia in illo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. In hos ingredere thesauros, absconde te in abscondito faciei ejus à conturbatione hominum, & nemo te exsuscitet neque evigilare faciat, donec ipse velis. Denique & hoc habet ea quæ subsequitur adjuratio sponsi Christi Jesu, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO XIII.

*Tenui nec dimittam illum*, &c. Cant. 3. b

1. Adhuc capituli hujus nos discussio tenet: *Tenui, nec dimittam illum.* Itane adhibenda est diligentia & studium, ut dilectus tuus apprehensus retineatur? Si sponsus est, amanti respondet ex æquo: quomodo non ultro cohæret tibi, & adstringitur gratis? Denique hoc habet impatiens zelus amantium, ut etiam expulsus importunè se ingerat, & pudorem dediscat æmulatio dura. Nunc autem dicis: *Non dimittam illum*, quasi declinare volentem si non instantiùs retineatur. Quomodo si amat, aut declinare volet, aut avelli se sinet? An fortè suspicionibus amatoriis moveris, & supervacuo quodam metu amittendi, pro multo affectu retinendi? (Non timenda desertio à Deo sed à nobis.) Non est tamen supervacuus timor, ubi exitus in ancipiti pendet. Non est supervacuus inter pericula metus. Sed domestica tibi magis metuenda est levitas. Nam Deus ille, & non mutatur. Innata tibi levitas vicina est lapsui, & instabili quodam vagæ mentis motu facillimè abriperis, si non firmè adhæseris.

2. Sed nos jam ad primitivam verba hæc referamus Ecclesiam. (Allegorica expositio.) Ejus enim esse videntur, fidei & caritatis jura adversùs persecutionum injurias prophetica quadam præsumptione sibi defendentis. Vide etenim quàm multi conati sunt spirituale hoc Christi & Ecclesiæ, vel divellere, vel adulterare connubium. Contemplare adhuc initia lactentis Ecclesiæ, quando velut nova nupta in primos Christi D properabat amplexus. Quid furoris, quid fraudis illis, Jesu bone, sustinuit diebus! Oportebat quidem hæreses esse, oportebat & persecutiones esse, ut tanto adhæreret dilecto tenaciùs, quanto ab ejus vel fide, vel confessione vehementiùs se abrumpi videbat. *Quis nos*, inquit unus pro universa Ecclesia, *separabit à caritate Christi?* (Rom. 8. g) Denique non est in illis vel fidei corrupta veritas, vel confessionis obturata libertas. *Propter Sion*, inquit, *non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam.* (Isa. 62. a. Act. 5. g) Cæsis in Synagoga Discipulis denunciatum est ut tacerent. Sed illi propter Sion non tacent, & propter Jerusalem illam carnalem non quiescunt. Vere carnalis Synagoga, quæ vivificantem in se extinxit spiritum, & Ecclesiæ extorquere conatur. Non probavit E Christum habere in notitia; ideo tradita est in reprobum sensum. Reprobavit enim lapidem probatum, lapidem electum: tenuit legem, sed Christum nescivit: tulit clavem scientiæ, nec ipsa introivit, nec alios intrare permisit. Quid nobis claudis, quibus Christus aperuit? Super humerum ejus clavis domûs David, quæ aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. (Isa 22. d. Judæorum cæcitas & reprobatio.) Aperuit gentibus, & clausit Judæis. Cæcitas enim in Israël contigit ex parte, ut gentium plenitudo intraret. Cæca est Judæa, & in litteræ velamine ostium invenire nescit. Synagoga prædicat velamen, F reprobat veritatem, non rectè vel offerens, vel dividens. Rectè enim divideret, si litteræ observationem ab ejus interpretatione distingueret: si aliud tempus illius antiquitati, aliud hujus novitati daret. Tempus enim suendi, & tempus scindendi. (Eccl. 3.) Simul enim & illa præcepta sunt, & ista prædicta sunt. Sed in illis figura, ista sub figuris. Ecclesia jam ista dividit & scindit quæ fuerant consuta: & si novit litteram aliquando secundùm carnem, sed jam non novit Synagoga quem involutum quasi tenuit, revelatum dimittit.

3. Ecclesia dicit: *Tenui nec dimittam.* Synagoga reprobat, immo & exprobrat: sed Ecclesia non veretur à voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis. Denique servus ille nequam dicit in corde suo: *Moram* (Matt. 24 d)

Matt. 24. d — Ecclesia non recedit à Christo propter tormenta.

*facit Dominus meus venire.* Et ideo percutit pueros Domini, quia jam ejus noverunt & nunciant adventum: sed illi propter Sion non tacent, & propter Jerusalem non quiescunt. Corpus possunt percutere, non possunt ab animo Christum excutere. Flagellis firmius ligata est in corde eorum affectio Christi. In Synagogis flagellati sunt, in custodias traditi, ad cathedras tracti: sed gaudent in his omnibus, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumelias pati. *Tenui, nec dimittam illum.* Tenuit, quia non timuit. Non timuit dum turbaretur omnis terra, & majores mundi hujus potestates transferrentur adversùs illam in cor amaritudinis. Adglutinata est sponso funiculo qui rumpi non poterat, funiculo caritatis qui nescit excidi, quia illa numquam excidit: fiducialiter egit, quia caritate adhæsit. Qui enim adhæret Deo, unus est spiritus: ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Ideo liberè egit, & spei suæ confessionem tenuit indeclinabilem. Et tunc quidem fatuitatis res fides videbatur, & confusione digna confessio. Quid confusionem nomino? Extremi res erat periculi. Non tamen timere poterant eos qui occidunt corpus. Spiritus enim vitæ ante faciem illorum, Christus Dominus. Ideo & à carne avelli se faciliùs passi sunt, quam ab ejus caritate. Nihil sibi de se retinuit, ut illum teneret. Ideo dicit: *Tenui, nec dimittam illum.* Planè inter tot pervertentes & persequentes tenuit strenuè, & dum adhuc tenera erat nostræ fidei ætas.

(Marg.: 1. Cor. 6. d. — Thren. 4. d)

Ecclesiæ pax & quies à persecutionibus.

4. *Donec introducam illum in domum matris meæ.* Jam introducta est fides nostra in tutum. Non est qui palam impugnet illam; sed qui fuerant persequentes, facti sunt obsequentes: & qui pervertentes, facti sunt dirigentes. Jam introducta est de campo in domum, de pelago in portum. Jam in favorem versus est persequentium furor principum, & versutæ hæreticorum cavillationes, catholicæ fidei sincera veritate redargutæ siluerunt. Jam erepta est fides nostra, ereptus est Christus de contradictionibus populi. Jam constitutus est in caput gentium, nec positus est nunc in signum cui contradicatur. Post tot desudata martyrum pro fide Christi certamina; postquam tot fregit persecutorum violentias, & hæreticorum refellit versutias; postquam non est ampliùs in cruce Christi scandalum, sed gaudium, & facti sumus mundo huic non theatrum contumeliæ, sed triumphus gratiæ; post tot enavigata pericula, nonne tibi videtur, quasi de campo quodam pugnæ & laboris, in pacis & quietis introduxisse cubiculum dilectum suum Ecclesia Christi?

Periculosa in tranquillitate securitas.

5. Vides ergo in initiis Ecclesiæ nascentis necessariam diligentiam, ne dilectus tamdiu desideratus, & tandem apprehensus posset extorqueri. Quid ergo nunc de cetero fiet, quando in tutum introductus est, & quasi in thalamum per fidem? Dabitur de reliquo desidiæ locus, & diligentiæ valedicemus? Periclitabitur in tranquillo, qui in tempestate non potuit? Annon periclitatur qui moritur? *Sine operibus, mortua est fides.* Commendat Apostolus fidem, sed illam quæ per dilectionem operatur. Ubi dilectionis opus est, vel dilectio operis, ibi vita est fidei. Quid si est in credulitate veritas, in confessione libertas, & non ibi per dilectionem vita? Funiculus iste triplex non est, & facile rumpitur. Denique imaginaria libertas est, quæ de radice non oritur caritatis: nec tam nititur confessio talis libertate sua, quàm alienâ licentiâ utitur. Precaria est, non propria; ex principum favore pendet, non procedit de calore fidei. Fides fervore caritatis animatur ad vitam. Pigra, planè ubi discrimen impendet, si non confessionis sibi vindicet libertatem beneficio dilectionis. Alioquin à mortuo, quasi qui non sit, perit confessio. Est ergo sine caritate & fides mortua, & confessio vana. Apostolus dicit Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Numquid per mortuam? Si intus est veritas, & foris vita, divisus est Christus: ipse enim est veritas & vita. Nondum ex integro introduxisti dilectum tuum, ubi dimidius est foris. Quid si nec dilectum? Quomodo enim dilectus, si fidei non fuerit sociata caritas? Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur; sed sibi non moritur: vide ne tibi, aut magis tu ne illi moriaris, alioquin quæ poterit esse mortui, vel cum mortuo dilectio? Quanam ergo ratione dilectus esse dicetur, ubi dilectio non est? Si habitat Christus in corde tuo per fi-

(Marg.: Iac. 2. d — Gal. 5. f — Fides sine caritate mortua & sine Christo. — Item confessio vana. — Eph. 3. d — Rom. 6. d)



A dem, sed foris est per dilectionem, vereor, immo verum est, quia vel dimidius in te est, vel mortuus. *Vivo,* inquit Paulus, *jam non ego, vivit verò in me Christus.* (Galat. 2. d)

6. Potes & tu tibi vocis hujus usum assumere, si tamen cum eodem dicere potes; *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* (Rom. 5. a) Sed est in aliis hæc vita laboriosa, in aliis libera, & in spiritualibus quibusdam deliciis agens. Quod si adhuc in carnis jura totus transisti, & principibus tenebrarum in cordis tui recessus facilis & familiaris aditus patet, & immundis amatoribus animam tuam prostituisti; quæ erit tibi conventio Christo ad Belial? quæ societas luci ad tenebras? Si verò vitiis & incentori vitiorum indixisti pro Christi caritate

B conflictum; jam quidem dilectum tenes, sed nondum tibi res est in tuto. Turbaris adhuc, & thalami tranquillitate non frueris. Fides in portu est, sed pravæ consuetudinis impetus, & tentationum vel emergentium, vel frequentium cumulus adhuc tibi frangendus, aut certè fugiendus est. Tene constanter inter discrimina ne te effugiat, donec introducas dilectum in domum matris tuæ, & in cubiculum genitricis tuæ. Tene cum labore, ne minùs cauto & parum curioso citiùs elabatur. Fide tenes, professione tenes: tene moribus, tene conversatione, nec dimittas. Non est de cetero nunc pro fidei veritate conflictus, sed spiritualis hujus certaminis æstus adversùs mores bonos & vitam honestam totus incanduit. Instant his diebus novissimis tempo- (2. Tim 3. a)

(Marg.: Persecutio præsens Ecclesiæ in moribus.)

C ra periculosa, quando sunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, inventores, immo & incentores malorum. In exortu fidei Christianæ persecutio nominis hujus grandis erupit: hodie pestilentia morum fœda satis & lenta nimis exhalat. Corrumpunt enim mores bonos exempla mala. Trahe nos, bone Jesu, in odore unguentorum tuorum, ne pestilens aura de vicino erumpens, salem sapientiæ in nobis infatuet. *Sermo vester,* Paulus inquit, *semper in gratia sale conditus sit.* (Coloss 4. a) Numquid solus sermo, & non potius visus, auditus, incessus, omnis denique exterior gestus sale condiri debet? *Placete,* inquit, *omnibus per omnia, sicut & ego.* (1. Cor. 10. d) Quòd si infatuati sunt Ecclesiæ principes, plebes in quo * salientur? (* al. salient.)

D 7. Et nos, fratres, qui religionis professores sumus, sal esse terræ debemus. Si ergo & in nobis sal evanuerit, in quo salietur? Factus est sacerdos sicut populus, ut licentiùs populus sicut sacerdos fiat. Mundo se monachi studiose conformant: & qui in mundo sunt, errorem suum nostrorum satis versutè & nimis verè tuentur exemplo. Mutuis ad vitia sese, aut informant, aut fovent exemplis, pastores & populi, sæculares & religiosi. Promptuaria plena sunt hujusmodi, eructantia ex hoc in illud, aut turpis, aut tepidæ conversationis spiritum pestilentem. Heu quàm avido cordis ore pravum hunc attrahimus spiritum, & corrumpentem haurimus auram! Pestilentia hæc passim influit per fenestras nostras. Jesu bone, quando erit, si tamen aliquando

E erit, sicut fides integra, sic & incorrupti mores? Quando continget ut sicut cum veritate pax, sic non sit pugna pro virtute? Quando integrum te, & ex arbitrio in contemplationis & quietis cubiculo complectemur? Pauci sunt in Ecclesia qui in hunc statum pervenerunt, sed tamen pro parte profitentur: *Tenui nec dimittam illum, donec introducam illum, in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Non est tota talis Ecclesiæ facies, sed tamen multa talis, ut dicere possit: *Tenui nec dimittam illum, donec introducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Fides profusior est, contracta sunt negotia caritatis. Numquid in universitate credentium hanc advertere est distinctionem, & non etiam in singulis nobis? Quis enim erit cui sicut

F veræ & indubitatæ fidei, sic etiam affectuum piorum integritas constet? Magnus planè est, si quis est, qui sicut numquam titubat in fide, ita passionibus animi nullis turbatur. Planè talem ego dixerim cubiculi secreta ingressum. Bonum cubiculum cordis tranquillitas. Cum aliis laborat sapientia; sed cum humili & tranquillo quiescit Spiritus Domini, & in pace locus ejus. Sed hîc quiescat interim sermo noster, magis verò sensus noster in hoc utinam requiescat secreto cubiculi: ut quod experientia docuerit, expressiùs refundat sermone sequenti, præstante Domino nostro Jesu-Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit

& regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

## SERMO XIV.

*Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas, cervósque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Cant. 3. b

PAtet illam obdormisse, pro qua talis est facta adjuratio. Quidni dormiat cum dilecto ingressa matris cubiculum, deliciarum recessus? Dormit cum patitur mentis excessum de accessu dilecti. *Adjuro*, inquit, *vos ne suscitetis dilectam.* Beata planè, quæ dilectum hunc & tenere permittitur, & dimittere non compellitur. Tene quod tenes, tene & attrecta morosè & diligenter verbum vitæ: revolve volumen vitæ, volumen quod revolvit Jesus, immo quod est Jesus. Involve te illi; involve te illâ qua involutus est ipse sindone; quia amictus est lumine sicut vestimento. Induere dilectum tuum Dominum nostrum Jesum-Christum. Excide tibi memoriale diligenter in petra, monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Christus enim petra. Semper nova reperiri possunt in Christo. Ad nova potest penetrari. Multi sunt in illo recessus, thesauri sapientiæ innumerabiles. Non est uno contentus vellere: sæpius tonderi potest. Bona vellera sunt sensus mystici, sacrati affectus. Talibus abundat Jesus: nudari & exspoliari non potest. *Lætabor*, inquit, *super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* His te vesti spoliis, involve velleribus, ut calefiant, sicut scriptum est, latera tua: Eloquium enim ejus ignitum. In his quiesce, ut suavis sit somnus tuus, sicut Salomon ait. Denique & sponsus istum dilectæ suæ somnum tuetur & fovet, illam exsuscitari vetans. *Adjuro vos*, inquit, *per capreas, cervósque camporum.* Nova planè adjuratio, nec plus habens admirationis in specie, quàm in virtute mysterii.

*Psal. 118. 10* — *Ibidem.* — *Prov. 3. c*

2. Quærens quid in se sacramenti involutum contineant hæc animalia; quamdam liberæ mentis alacritatem, & agilitatem spiritûs, cursim se & saltuatim (ut sic dicam) ad superiora ferentis, intelligo adumbrari in illis. An non & tibi velut capreæ & cervi quidam videntur, qui licèt in corpore commorantes, corporis tamen evaserunt incommoda, & spirituali levitate pondera carnis pænè non sentiunt, & terrenæ molis materiam nesciunt mentis beneficio? Hi sunt qui spiritu ambulantes, ultra non sentiunt desideria carnis: aut si sentiunt, languida certè & quasi palpitantia, ad extremum ducentia halitum. *Vos*, inquit Apostolus his qui hujusmodi sunt, *non estis in carne, sed in spiritu.* Denique *etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus.* Jam totus spiritualis factus est, jam se ad solitudines cælestes contulit, jam conscendit ad superiora. Ideo dicit Ecclesia: *Similis est dilectus meus capreæ hinnulóque cervorum super montes Bethel.* Ad hos te montes invitat qui dicit: *Si consurrexistis cum Christo &c.* Quasi capream te spiritualem fieri vult Paulus, qui ad illos te cælestes montes provocat, qui singularis illius hinnuli te vestit imaginem. *Sicut*, inquit, *portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus qui de cælo est.* Bonus cervus & ipse Paulus, qui ait: *Nostra conversatio in cælis est.* Bonus planè cervus, quem spiritus Domini vegetat & agit. Spiritus enim Domini subtilis & mobilis. Boni cervi, quos vox Domini præparat, quibus revelat condensa mysteriorum, condensa in quibus benedictus ille latitat hinnulus. Bona certè caprea, quæ ad omnia, quæ vel sibi proposita sunt, vel imposita, impigra & indefessa devotione spiritûs dicere potest: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Quæ ea quæ retro sunt oblivíscens, ad anteriora extenditur.

*Per capreas & cervos homines mente alacres & agiles spiritu intelligi.* — *Rom. 8. b* — *2. Cor. 5. b* — *Cant. 2. b.* — *Coloss. 3 a* — *1. Cor 15. f* — *Philip. 3. d* — *Psal. 56 b*

3. Audisti communia: audi singularia, ut aliquid distinctionis inter hæc assignemus animalia, nec confusa & indifferens sit de utrisque disputatio. In cervis antiquitatem attende vivendi, & videndi acumen in capreis. Cervi quadam arte naturali à senio se tueri perhibentur, & vergentem in defectum vitam rediviva novitate ab interitu revocare. Christus singulariter non tam cervus quàm hinnulus dicitur: qui nititur æterna novitate, nec habet aliquid vetustatis admixtum, quod subinde renovatione indigeat. Ille singulariter caprea videndi privilegio. Denique *nemo novit Patrem nisi Filius, & cui ipse voluerit revelare.* Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus. Ergo & hi quoque quasi capreæ quædam spirituales intelliguntur, qui revelatos habent mentis oculos in agnitione Dei: qui spirituales effecti dijudicant omnia & perscrutantur: qui revelata facie gloriam Domini contemplantur. Cervi verò sunt in eo quod in eamdem imaginem transformantur à claritate in claritatem tamquam à Domini spiritu: qui veterem deponentes hominem, novum induunt eum, qui creatus est in justitia, & sanctitate veritatis: qui senescentem devotionem, & quodam languentem tædio, in novum denuo fervorem reducunt, & perseverantiæ fastidia nesciunt reparatione frequenti. *Qui*, inquit Isaias, *confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem:* non quidem ut veterem perdant, sed ut novam adjiciant. Mutabunt fortitudinem instauratis frequenter incrementis. *Mutabunt*, inquit, *fortitudinem: current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Mutatio hæc profectuum videtur innovatio jugis sine defectu, sine fatigatione. Bona quidem fortitudo quæ currens licèt cum labore, ad defectum tamen declinare non novit. Melior planè, quæ nec laboris sentit molestias; sed oppositarum difficultatum transilit scandala, & velut in campestri planitie explicitis gressibus utens, juxta quod scribitur: *Cursor levis explicat vias suas.*

*Luc. 10. d* — *Renovatio spiritualis.* — *Isa. 40 g* — *Jerem. 2 e*

4. Hoc est quod in præsenti cervos camporum dicit, quòd illis quælibet aspera & ardua quælibet, plana sint & pervia, & inoffensis exposita cursibus quasi planioris æquora campi. Vox Domini, vox intimæ inspirationis mentis auribus suaviter illapsa. Illa est utique quæ cervos hujuscemodi præparat, quæ revelat condensa. Nam si qua condensa sunt, & crebris scandalorum quasi spinarum aculeis obsita; illis condensa non sunt, quorum Dominus perficit pedes quasi cervorum: qui nullo injuriarum obice tardari possunt, magis autem complacent sibi in tribulationibus, & acceptas habere norunt injurias, aut nec respicere penitus, ex vehementia desiderii ad superiora properantis, & intendentis in anteriora. O misera hæc tempora nostra! quomodo ab hac regula in contrarium omnes pæne resilimus, etiam quæ pietatis plena sunt specie, ad injurias interpretamur? Ubique ferè obicem patimur, & impingimus in planis, & lubrica facta sunt in plateis vestigia nostra, sicut dicit Jeremias. Omnia nobis obstrusa querimur, siquidem iter pigrorum quasi sepes spinarum. Ad querelarum occasiones gratulamur, ad suspiciones parati, ut (quemadmodum scriptum est) terrere nos videatur sonitus volantis folii, & animi molestias manibus & verbis accersire nitamur. Inde est quòd spiritualium virorum nimis crebrò inquietamus quietem, interrumpimus otia, & mentis ad superiora intentæ pertubamus soporem, & à gratissimo sponsi avellimus amplexu.

*Torpentes notantur.* — *Thren. 4. d* — *Prov. 15. d* — *Levit. 25. f*

5. Hujuscemodi ergo molestias, quas vel perversitas quærit, vel infirmitas parit, à dilecta sua sponsus avertit, filias Jerusalem ad spiritualem quamdam alacritatem invitans. Hoc enim sibi vult quòd per capreas & cervos adjurat, ut spiritualium ad æmulationem provocentur virorum, & ab infestatione importuna dilectæ quiescant. *Adjuro vos ne exsuscitetis dilectam donec ipsa velit.* Utile vobis est, ut dilecta evigilet: sed exspectate donec ipsa velit. Ejus exspectetur arbitrium, ad cujus cura vestri spectat officium. Tunc volet, cùm Spiritus illam velle docuerit. Unctio Spiritûs docebit illam. Adhærens enim dilecto, unus cum illo effecta est spiritus. Ideo dicere potest: *Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me, evangelizare misit me.* Ergo evangelizabit vobis, cùm acceperit tempus à Spiritu. Interim bibula hauriat quod refundat uberiùs. Contemplationis gratia compassionem non evacuat, sed informat; & mentis excessus temperantem reddit infirmis. Denique cùm dormit Adam, virilis costa in infirmiorem mollescit sexum; & propter socialem copulam de latere viri formata est mulier: immo in sociam mulierem Adam ipse convertitur, & conformatione quadam transiit in conjugem. Ideo dum evigilat, caritatis vocem primam emittit, in compari sua seipsum agnoscens: *Hoc nunc os*, inquit, *de ossibus meis, & caro de carne mea.* Annon tibi Paulus videtur virilem dignitatem in humiliorem sexum deflectere cùm dicit se factum infirmis infirmum? Quasi spiritualis Adam Eva efficitur, dum subjectis compatitur apostolica firmitas: & subli-

*Quies sancta Pastorum cedit in bonum subditorum.* — *Isa. 61. a* — *Gen 2. d* — *1 Cor 6. d*

mitas virtutis & scientiæ sobrietate quadam capacitati temperatur infirmorum. Et si mente excedit Deo, sobrius tamen fit aliis. Mentis excessus bonus est sopor: non superbiam inducens, sed sobrietatem docens. *Adjuro vos ne exsuscitetis dilectam donec ipsa velit:* etsi mente interim excedit Deo, iterum tamen sobria fiet. Si modò dormit, evigilabit rursum, & vina quæ reperit, cum temperamento quodam vobis refundet. Ipsa novit quando dividat prædam domesticis, & cibaria ancillis. Quomodo non miserebitur filiarum uteri sui, quæ nec ancillas præterit? Bonæ tamen filiæ ancillas se reputant, & naturalem nesciunt libertatem, dum veritatis spiritu liberatas se esse recensent. Verè enim liberæ sunt, quas liberat veritas: & ideo aliam libertatem ignorant, quæ per adoptionem liberatas se gaudent. Denique quanto magis est gratuita adoptio, tanto est abjectio devotior. Eædem ergo & ancillæ sunt, & filiæ: quia ubi major est in adoptione dignatio, ibi justior in subjectione devotio.

Qualis libertas filiorum Dei.

6. *Ne suscitetis eam donec ipsa velit.* Ipsa novit quando dividat prædam domesticis, & cibaria ancillis. Non est de ista metuendum quod legitur: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Struthio pennæ speciem habet, caret tamen effectu volandi. Nescit per mentis excessum volare; propterea speciem non visitat suam, sed derelinquit in terra ova sua. Obliviscitur quod pes conculcet ea, bestia conterat. Non novit in contemplationis soporem assurgere struthio, ideo se compassionis affectu non induit. Ad commodum enim spectat filiarum in mentis excessu dormitio matris, & totum de compendio est quod spiritualis ejus somnus protrahitur. Ideo dicit: *Adjuro vos ne exsuscitetis dilectam, donec ipsa velit.* Bona adjuratio, per quam & matri parcitur, & profectus quæritur filiarum. Quanto enim liberiùs vacat & videt, tanto uberiùs adolescentulas revisit. Quanto sublimiùs suspenditur, tanto descendit humiliùs, condescendit utiliùs. Quid vultis tempora dispensare, quæ sponsus posuit in voluntate dilectæ? *Ne exsuscitetis*, inquit, *illam, donec ipsa velit.* Tunc volet cùm ab oculis ejus evolaverit visio dilecti. Lubrica est ejus præsentia, & elabitur subitò. *Ego*, inquit, *dilecto, & ad me conversio ejus.* Quid tam sanctum tentatis commercium ante tempus divellere? Beata collatio, sed brevis hora. Sufficiat illi brevitas sua: quid illam decurtare vultis? Nihil tam exiguo imminuendum est momento. Fruatur interim liberè hora fugaci. Exsuscitare eam vultis, & avellere ad vos quam Christus exsuscitat, & in se evigilare facit? Denique etsi dormit ipsa, sed cor ejus vigilat in Christo. Petrus & qui cum ipso erant in monte gravati sunt somno, & evigilantes viderunt majestatem Jesu. Bene gravati somno, in quibus humanus reprimebatur sensus. Gravabatur & reprimebatur in ipsis quod erat ex ipsis, ut ad ea quæ mundi sunt cæci & hebetes, tantùm ad cognoscenda quæ Dei sunt, spiritu evigilarent excitati divino. *Evigilantes*, inquit, *viderunt majestatem.* Bene ergo vigilat, qui talia videt, qui videt gloriam Unigeniti à Patre; qui audit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Non licet ei dici in quo filius Dei nondum resurrexit. *Videte*, inquit, *nemini visionem dixeritis, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Non potest ei dici visio, in quo nondum Christus resurrexit. Denique simile dictum est Mariæ: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.* Non licet ei dici, qui non est raptus in paradisum, in locum deliciarum, in locum de quo Petrus dixit: *Bonum est nos hic esse.* Bene exsuscitatur, qui in hunc cum Paulo rapitur paradisum; qui ascendit cum Petro in montem, qui vel unà cum Christo potest horâ vigilare, quem non homo tangit, ut exsuscitet & evigilare faciat Christus. Et Petrum ipse tetigit, ideo evigilavit & vidit majestatem ejus. Denique & hæc ipsa dilecta vide qualis exsurgat de sponsi amplexu. *Quæ est ista*, inquit, *quæ ascendit quasi virgula fumi?*

Thren. 4. a
Non facile interrumpenda Prælatorum contemplatio.
Cant. 7. d
Luc. 9. d
Matt 17. b
Johan. 20. d
Matt 17. a
Cant. 3 c

7. Sed nos jam hîc ascendentem revocemus sermonem, & capitulum hoc alteri servemus principio, immò illi qui de seipso dicit: *Ego principium, qui & loquor vobis.* Qui utinam nobis sit & sermonis principium, & cordis verbum: ut quæ locuturi sumus de ipso, prior ipse loquatur in nobis. Loquere Domine, loquere mihi, & loquere pro me. Increpa pro me filias, non Jerusalem, sed Babylonis: dic ut sedeat & taceat filia Chaldæorum. Deus bone, quantæ sunt hodie filiæ Babylonis, quæ nesciunt cantica Sion, propter quas organa nostra suspendimus! Quanti sunt filii Edom, qui nos exinaniunt & exhauriunt lætitia spirituali! Compescis filias Jerusalem ab infestatione dilectæ. Utinam mihi Domine à filiabus parcas Babylonis. Dispar enim est, & satis molestior vexatio malignantium, quàm amantium. Sed tamen nescio quâ nostri temporis hujus miseriâ ipsi amantes facti sunt malignantes. Quanta malignatur hodie amicus in sancto? dixisse debui inimicus, sed dixi quod magis dolet. Ipsi amici facti sunt inimici. Amici professione: inimici affectione. Specie amici: sed amicitiæ virtutem diffitentes. Amicus Absalon, quia filius; sed quanta malignatus est sceleratus in sancto, filius in patre, Absalon in David? Absalon pax patris dicitur. Bonum planè nomen: sed ipse nominis hujus virtutem abnegabat. Affectavit regnum, incestavit cubile. Felix tamen David, cui inter tot filios, non nisi unus persecutor erupit. Quem mihi dabis hodie inter magistros, cui non nisi unus Absalon insidietur? Annon quasi Absalones sunt quidam, qui, sicut scriptum est, *pacem prædicant, & mordent dentibus?* Affectant locum patris, fœdant cubile, dum pravis susurriis socios corrumpunt: & subvertunt corda innocentium, in quibus patris spiritus suaviter quiescebat. Imitatione Absalon est, qui magistri & locum sibi arrogat, & vitæ derogat; pacem prædicat, & mordet dentibus. Malus est morsus derogatio, malus cibus de quo dicitur: *Dulce est enim in ore ejus malum, & abscondit illud sub lingua sua.* Abscondit donec evomat in tempore virus collectum. Quanta malignatur amicus in sancto? Denique quæ non videt suspicatur. *Posuerunt*, inquit, *signa sua signa, & non cognoverunt.* Ponunt quæ non inveniunt: ponunt quæ pravè postea exponunt. *Signa*, inquit, *sua.* Seipsos enim in signum ponunt, cum ex suæ pravitatis regula alios metiuntur. *Signa*, inquit: quasi dicat, tantum signa, & non veritatem: signa non certitudinis, sed suspicionis. *Et non cognoverunt.* Non enim cognitione, sed conjecturâ nituntur. *Malignatur inimicus in sancto.* In quo sancto? In sancto sanctorum; in sancto qui dicit: *Qui vos spernit, me spernit.* Temerarium est, ut dicit Apostolus, alienum servum judicare. Tu ergo qui es qui dominum tuum judices? Qui enim potestatem dijudicat, ordinationem Dei dijudicat.

Johan. 8. d
Præstringit eos, qui superiores suos murmurando, &c. perturbant.
Mich. 3. b
Iob. 20. b
Psal. 73. a
Ibidem.
Luc. 10. c
Rom. 14. a

8. Denique conqueritur & dicit: Tulerunt à me homines judicium meum*. Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Vanitatem utique diligitis prælationis, & ideo quæritis in Prælatis vestris mendacium pravæ suspicionis. Vani enim filii hominum, mendaces in stateris, mendaces in judiciis. Et utinam pro minimo mihi sit ab humano die judicari, dum æterni diei exspecto judicium. *Cùm*, inquit, *accepero tempus, ego justitias judicabo.* Ipse justus Judex tempus exspectare se dicit, ut justitias judicet: & tu tibi ante tempus assumis judicium? Pater omne judicium dedit Filio: & tu tibi quod non accepisti judicium assumis, & hoc in patrem? Vide ne fortè in eum Patrem, à quo omnis paternitas in cælis & in terris nominatur. Viperea generatio matrem suam comedit, & dente venenato doctoris vitam corrodit. Non sunt istæ filiæ Jerusalem, pacis filiæ, sed Babylonis. Quando increpabis illas, & dices: Filiæ Babylonis nolite flere super me, sed super vosipsas flete? Siquidem improperia eorum qui vices tuas gerunt, in te redundant: nec est murmur eorum contra nos, sed contra Dominum. Parcite ergo à murmuratione, quæ non prodest vobis, & aliis nocet. Tu Domine, tu potiùs obstrue os loquentium iniqua, & ne claudas ora te canentium. Sed quid jam nunc querelis his ulterius immoror? Non id nunc gero propositi, ut nostra defleam, sed ut aliena cantem. Sufficiat paucis nostra deplorasse: Jam à lamentis revertor ad cantica, illo nobis animum præstante & os & otium, qui cohibet inquietos à sponsæ somno Christus-Jesus, unà cum Patre & Spiritu-sancto regnans per omnia sæcula. Amen.

* in Doctr. PP. lib. contra judic. temer.
Psal. 61. c
Psal. 74. a

## SERMO XV.

*Quæ est ista quæ ascendit per desertum quasi virgula fumi ex aromatibus ?* Cant. 3. c.

QUæ est ista quæ ascendit per desertum quasi virgula fumi ex aromatibus ? Videte fratres, sicut & videtis, quàm sit efficax ad incrementa gratiarum tranquillitas mentis : quales metat fructus de interna quiete Christi dilecta. Videte, inquam, qualis procedat de sponsi amplexu. Qualis ergo progreditur à me ne quæsieritis : sponsi potiùs super hoc sodales consulite. Quid si & ipsis quasi nova & insolita de secreto dilecti sinu procedit ? Nova planè. Nam ipsa
Per orationem innovatur homo. novitas admirationem inducit. *Quæ est ista quæ ascendit ?* B Attende profectum. In superioribus custodes interpellat, & de visione rogat dilecti. Hic ipsis custodibus admiranda prorumpit, & nova sub specie. Quidni nova procedat de
Apoc. 21. b complexu dilecti ? ipse est enim qui de se dicit : *Ecce ego omnia nova facio.* Etiam quæ nova sunt, ipse renovat. Puta caminus est : aurum admove ; si purum est, purgatius reddit, & rutilans metallum recentem de fornace fulgorem
Psal. 118. a educit. An non caminus Christus ? *Ignitum*, inquit Psalmista, *eloquium tuum vehementer.* Hoc camino decocta non potest nisi nova, & velut altera prodire creatura in Christo.
Luc. 9. d Denique & ipsius dum oraret species facta est altera : sed tibi altera cùm oras ejus fit species. Nam in se manens unus, innovat omnia. Altera facta est corporalis Domini species cùm oraret, & voluit per hoc in mente tua orationis commendare virtutem, quòd illa sit quæ te in intimis alterum faciat, & novum commutet in hominem, & meditatio innovet. *Nos*, inquit Apostolus, *revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transfor-*
2. Cor. 3. d *mamur*, hoc est in eamdem quam intuemur, transformamur.

2. Fortè & sponsa de speculationis arcano eam, quam intuebatur, sponsi imaginem vestita prodiit. Nova planè. Nam sodalium circa ipsam admiratio novitatem protestatur : *Quæ est ista quæ ascendit ?* ac si dicat, non est cum illa sicut heri & nudiustertius. Non jam ampliùs circuit civitatem : non discurrit per vicos, per plateas, per vigiles. Non errabunda vagatur, sed itinere directo ascendit. Quæ est in hac ipsa hæc tam subita novitas ? *Quæ est ista quæ*
Mundus desertum sterile & aridum. *ascendit, & ascendit per desertum?* Desertum verè & aridum & sterile reputat sæculum omne hoc per quod ascendit. Et quanam ratione nobis factus deserti hujus odor, sicut odor agri pleni, & quasi ei benedixerit Dominus ? Quantos trahit ad se deserti hujus odor, & tenet ne possint avelli ? Odor iste est odor mortis ad mortem. Inanitas est quam putatis ubertatem. Denique *terra sitis* est, & *imago mortis*,
Jerem. 2. b. sicut dicit Jeremias Propheta. *Terra*, inquit, *sitis.* Cupiditates enim mundanas magis irritat, quam satiat. Infructuosa est ista quam putas plenitudo : & si quid est fructus, id fluxum est, & mutabilitate sua mortis præfert imaginem. Quomodo ubi mortis vides imaginem, odorem vitæ sentire te reputas ? Odorem vitæ Christi spirat ubertas. Ipse enim est ager verè plenus, ager fertilis, ager cui benedixit Deus Pater. Alium præter istum agrum sponsa nescit, sed desertum reputat, & terram salsuginis.

Bonum desertum, Cor ad vitia sterile. 3. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum ?* Bonum erit certè desertum, si non fuerit cor tuum insulcatum inimici vomere : si non fuerit ejus irriguum stillicidiis, impinguatum rore ; si non quæ superseminat zizania in te læta luxurient, immo renascantur quidem quasi fœcundo in solo. Sterile sit cor tuum, ne tale vel germen proferat, vel se-
Psal. 142. b men suscipiat. *Anima*, inquit, *mea sicut terra sine aqua tibi.* Bonum desertum talis anima, bonum etiam desertum caro integra, caro intacta, caro immundis non exarata concupiscentiis, caro carnalis voluptatis nesciens semina.
Gal. 6. c Qui enim seminat in carne, de carne metet corruptionem.
Item uterus virg. Deiparæ. Bonum denique desertum alvus virginalis. Talis erat beatæ illius & specialis virginalis uterus, quem nullius impudici motus, affectionis immundæ temeravit læsio. Caro ipsius sicut terra deserta, & invia, & inaquosa, in qua Christus apparuit. Non tamen deserta penitus, quæ Christum parturivit : irrigua est, sed fluentis virtutum. Ideo quasi puteus dicitur aquarum viventium, quæ fluunt impetu de

A Libano, quòd virginalis munditiæ candor spirituales refundat gratias. Hortus conclusus venter ejus castimoniæ virginalis disciplina, eo quòd integritatis sepem carnalis desiderii non dissipaverit ardor : propterea in talibus irriguus aquis fructum dedit in tempore suo. Vis audire qualem hæc terra deserta fructum dedit ? Osee te docet, qui Osee. 13. d
dicit : *Adducet Dominus ventum de deserto urentem, & desiccabit venas mortis.* Quis alius mortis desiccavit venas, nisi Christus Jesus, quem nobis intemerati ventris desertum refudit ? Et bene ventus : quia Spiritus ante faciem Christus vento comparatur
nostram Christus Dominus. Denique dictus est secundus Thren. 4. d
Adam in spiritum vivificantem. Hujus flatu apostolicæ nu- 1. Cor. 15. f
bes volant, quas Isaias miratur. Quid mirum si ventus di- Isa. 9. a
B citur, quem & nubem legis ? *Ascendet*, inquit, *Dominus super nubem levem.* Nec hic levem quasi vagam & instabilem accipias : sed levitatis intelligentiam ad spiritualem aptitudinem trahe, quòd corpus incorruptibile nullam animæ gravitatem attulerit, nec depresserit terrena commoratio sensum multa, immo cuncta cogitantem. An non quasi venti sancti sunt omnes, qui spirituali levitate à terrenis elapsi, conversationem sibi in cælo collocant ? Sed ipse speciali ratione ventus, qui reliquorum ambulat super pennas ventorum, & spirituum omnium virtutes excedit. Jure ergo ventum eum vocat, & ventum urentem, quòd ejus flatu peccati sint in nobis frigora resoluta, & capitivitas nostra conversa tamquam torrens in austro.
C Hujus se æstu exustos Discipuli senserunt, cum dicerent :
*Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur ?* Et Luc. 9. 24. c
nescio si uspiam libentiùs spirat, quam in castæ & illæsæ integritatis deserto & invio. Hæc loca libenter perflat, & casti corporis animam caritatis fervore decoquit, & spiritualibus liquefactam desideriis tenues resolvit in vapores, & veluti fumi virgulam exsurgere facit.

4. *Quæ est*, inquit, *ista quæ ascendit per desertum quasi virgula fumi ?* Et bonum desertum caro castitatis exhausta & desiccata virtute, quæ nullam delectationis immundæ nebulam exhalet, nec ignem extinguat, sed nutriat, quem Domini flatus succendit. Ignis hic aromaticam si invenerit animam, succendit, & alteram commutat
D in speciem, & quasi virgulam fumi exhalat in superiora. *Quasi virgula*, inquit, quòd per cogitationum disciplinam ab exteriori fit ad interiora constricta, & ab inferiori ad superiora directa : quasi virgula, quòd sese & ad seipsam colligat, & supra se porrigat. Sed quid sibi vult, quòd illam fumi virgulæ comparat ? An fortè per hoc Fervor transiens virgulæ fumi comparatur.
innuere voluit, quòd non sit perpetua ac solida spiritualis hujus suavitatis gratia, & mentis ascensus, sed facilè sicut fumus liquescat ? Suavis est planè & omninò spiritualis vapor fumi, in quem se aromata concremata relaxant. Sed ego virgulæ isti teneræ & delicatæ turbines metuo, ne illam ventorum flabra diverberent, ne circunferat procella curarum, ne tentationis aura illam dissolvat, &
E cedat omni vento. Exempla nobis metum suadent. Multos enim videmus & dolemus tam insperatò cessisse, quàm subitò erupisse. Meditatione subtiles sunt, orationis impensi studio, pingues gratiâ, devotione quadam dulci uberes, effusi in lacrymas, cum subitò levis impatientiæ occasio quælibet spirituales has contristat delicias & exhaurit. Annon ergo quasi fumus tam facilè evanescens gloria ? Jure quasi virgula fumi talis ascensio, quæ vel propria mutabilitate deficit, vel accidenti molestiæ cedit. Ego tamen non audeo super Sponsæ persona fumum pro defectu interpretari. At si tu contentiosè resistis, eum tibi do defectum accipere, quem tibi Psalmista commendat : *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. Defecit in salutare tuum* Psal. 118.
F *anima mea.*

5. Utinam hoc, Domine, defectu attenuentur oculi mei & deficiant. Utinam hoc defectu deficiat anima mea, deficiat & liquefiat, & eloquio tuo calefacta, eloquio vehementer ignito, ab omni crasso intellectu in tenuiorem spiritualis habitudinis auram laxetur. Utinam si quid fuerit in me corpulentæ* intelligentiæ, & hebetis desiderii, in * al. torpulentæ.
subtilioris gratiæ usum deficiat, & attenuatione quadam, & acumine spirituali à crassitudine sua vertatur in virgulam fumi. In talem utinam deficiat fumum animæ meæ virtus : & non deficiat sicut fumus, ne dicat : *Defecerunt sicut* Psal. 101. a

*fumus dies mei.* Aliud est omnino ita deficere sicut fumus, ut omnino non sis: aliud ita deficere, ut sicut fumus attenuatus animo, & spiritualis sis. Benè defecerat Psalmista, cum diceret: *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Quonam enim modo non deficit, quem Christus inflammat? Ignis ipse est, sicut scribitur, & *ignis consumens.* Qui, inquit, approximat ad me, approximat ad ignem. Quis mihi dabit, ut hunc possim ignem ligare in sinu meo? ut inflammet cor meum, renes commutet, & ad nihilum me redigat? Jure quasi virgula fumi ascendit, quæ de calore processit cubiculi, de Verbi igniti complexu. Suaves tua flamma Christe vapores evomere solet, & odoris aromatici fumum producit. *Quasi virgula*, inquit, *fumi ex aromatibus.* Et fumum lego, qui de Leviatan ore procedit. Et item fumum de puteo abyssi prodeuntem: sed non ibi virgulam, non aromata lego. Nihil ibi directum, nihil dulce, sed horror summus, & ordo nullus. Fumus erroris est, qui de puteo procedit abyssi. De hoc fumo impii dixisse leguntur: *Fumus afflatus est naribus nostris, & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum.* Meis utinam, Jesu bone, naribus fumus afflertur, quem tuus ignis agit: & de camino tuo sermo scintillæ ad commovendum, immo & ad commutandum cor meum. Ignis tuus ignis consumens est: vitia si invenit consumit, & confessionis fumum emittit. Sed non est iste fumus ex aromatibus. *Qui tangit*, inquit, *montes, & fumigant.* Bonus ignis qui tumores extenuat animorum, & attactu suo elationes terrenas per emissos pœnitentiæ fumos evanescere facit. Sed alterius odoris & gratiæ fumus est, quem aromata virtutum cremata refundunt. Ignis iste, ignis quem Dominus misit in terram, & voluit vehementer accendi, non tantum vitia consumit, sed virtutes ipsas in suavioris gratiæ affectum commutat. Aromata cùm integra sunt, olent suaviter; sed hoc igne liquefacta alium longe spirant odorem.

Psal. 83. a — Heb. 12. g — Fumus multiplex. — Job. 41. b — Apoc. 9. a — Sap. 2. a — Psal. 103. b — Luc. 12. f

Myrrhæ thuris & pulveris pigmentarii tropologia.

6. Hujus odoris fragrantiam sentientes in sponsa sponsi sodales mirantur & dicunt: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Habes in myrrha continentiæ virtutem: in thure orationis studium: in pulvere pigmentario inter virtutum copias cordis contriti humilitatem. Et bona myrrha, quæ carnalem petulantiam reprimit, & fluxos motus lascivire non sinit, & carnem non esse carnalem compellere nititur. Sed continentiæ nostræ myrrha corpulenta videtur, & minùs castigata, & quasi vicina carni, nisi fuerit hoc igne cælesti, hoc amoris divini fervore liquefacta. Bona quidem continentiæ myrrha, quæ pergentem ad illicita cohibet appetitum: sed alterius est suavitatis & gratiæ, quando caritatis ardore liquescens crassum omnem & carnalem nescit affectum. Quid verò thus? Nonne ipsum est odoris exigui, dum integritas illi & corpulentia sua manet? Cùm verò flammis subactum effluere cœperit, in odoriferos totum fumos exspirat. Simili ratione nonne tibi videtur crassa & pigra oratio, & corporea quadam tarditate segnis igniti & intimi eloquii, si non fuerit virtute succensa? Utique in thure ego accipio orationis materiam, & in fumo gratiam. *Dirigatur*, inquit, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Nescit itinere directo ad Deum ire oratio quæ succensa non fuerit. Oratio quæ frigido fuerit de corde expressa, subitò relabitur: nec potest esse perpetua, quæ non est prompta. Vim patitur, & non est sui juris. Sed nec sui juris est planè succensa oratio. Illa contra conatum reprimitur: ista supra conatum abripitur. Illa conatur, & recidit; ista præter conatum ascendit. Illa violenter dirigitur; ista voluntariè fertur. Illa vix exhibetur; ista nec cohibetur. Illa laboriosa; ista libera. Illa tristis; ista læta. Illa bona; sed ista optima. Denique est oratio temperatè media inter frigidam & fervidam: illam excedens, sed non accedens ad istam. Et (ut sic dicam) prima coacta est: secunda directa: tertia abrepta. Prima (ut sic dicam) sitiens, secunda sobria, tertia ebria est. Ista enim est, quæ mente excedit Deo: ideo *ascendit quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi*, inquit, *pulveris pigmentarii.*

Psal. 140 a — Orationis frigidæ & fervidæ discrimina — Triplex oratio.

Mirè humilitatis virtus pulvere pigmentario exprimitur.

7 Mirè in pulvere pigmentario humilitatis expressit virtutem, quòd ea de magnis meritis nil magnum sentire noverit, non altum sapere: sed humili æstimatione reliquarum attenuet merita virtutum, & earum soliditatem quasi ad quamdam pulveris exiguitatem deducat. Et bene post orationis commendationem sub figura pulveris pigmentarii de humilitate subjunxit. Oratio enim humiliantis se, nubes penetrat: immo sine humilitatis gratia oratio quantumlibet acuta, hebes tamen est, & tristem refundit odorem elatæ myrrha castitatis, neque fluxos carnalium bene restringit motus cogitationum continentiæ myrrha, quæ animum in superbiæ fumum lascivire permittit. Contritione multa pigmenta rediguntur in pulverem. Et bona contritio, quoniam cor contritum & humiliatum Deus non despicit. Bona planè contritio, quæ nihil relinquit indiscussum, nihil tumidum, nihil non humiliatum, nec in virtutibus ipsis: justitias ipsas dijudicat, & arguit non modò de peccato, sed de justitia, & de judicio. An non quasi comminuitur quod redarguitur? An non quasi humiliatur justitia quæ dijudicatur? *In veritate*, inquit, *tua humiliasti me.* Non omnium est hoc dicere. Infirmiores in vanitate sua humiliantur, perfectiores in veritate Dei. Non potest vanitas veritatem dijudicare, sed veritas vanitatem, & veritas veritatem. Spiritus enim dijudicat omnia. Quod humano solidum & integrum videbatur judicio, cùm venerit spiritus veritatis, evacuat & comminuit illud. In spiritu enim vehementi conteruntur virtutum pigmenta in pulverem, & justitia judicatur. *In turbine*, inquit Job, *conteret me.* In turbine spiritus sui, spiritus vehementis, in turbine spiritum meum abripientis. *In hoc turbine conteret me, & multiplicabit*, inquit, *vulnera mea.* Integra mihi videbatur, antequam veniret spiritus vehemens, justitia mea: sed ipse dijudicat, ipse conterit, ipse vulnerat, & multipliciter confringit bonorum præsumptionem meritorum, sauciam & languidam humanam docet esse virtutem.

Eccl. 35. d — Psal. 50. d — Duplex humilitas, de vanitate & de veritate. — Psal. 118. k — Job. 9. b

8 Utinam mihi hoc modo conteri obveniat, redigi in pulverem omnium bonorum affectuum, piarum meditationum. Utinam, Jesu bone, turbo spiritus tui talem animæ meæ pulverem afflet de plateis cælestis Jerusalem, ut in hoc pulvere calefiam, in pulvere sedeam, in pulvere dormiam, sed pulvere pigmentario. Beatus qui in hoc pulvere moratur; cui suaves, & spiritualiter pulvereæ cogitationes undique allabuntur. *Expergiscimini*, inquit, *& laudate qui habitatis in pulvere.* Denique & sponsa de felici expergefacta somno, quasi virgula fumi exsurgit ex aromatibus universi pulveris pigmentarii. *Universi*, inquit. Et veritas ipsa bonorum universitatem operum ad quemdam te docet pulverem & velut sterilitatem deducere. *Cùm omnia feceritis*, inquit, *dicite, servi inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus.* Felix qui tantum & talem sibi colligit pulverem, ut quæ jubentur faciat omnia, & reputet quasi nulla: qui universa bona quæ colligit, per humilitatem illa conterit. Paulus ad Corinthios operum suorum aromata multa enumerat: *In itineribus*, inquit, *sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in mari, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus.* Quid deinceps? *Quotidiana* ejus *sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis*, inquit, *infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non uror?* An non velut quemdam bonorum operum pulverem tibi collegisse videtur Apostolus hæc & hujusmodi plura percurrens? Vis adhuc sublimiores aliquas virtutum ejus species audire? Veni cum illo ad visiones & revelationes Dei, ad raptum in paradisum, in tertium cælum, ad beatam illam ignorantiam nescientis, utrùm in corpore an extra corpus ecstasis illa facta fuerit, non jam pulvis, sed fumus. Sed ne tamen fumo huic spiritualis contemplationis se jactantiæ fumus immisceat, audi quid sequitur. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ.* Paulus stimulatur ne extollatur: & quomodo qui hæc audis, refugis stimulari? Quomodo te ipsum inter ubertatem donorum aut conterere desinis, aut conteri non sinis? Molestus stimulus, sed tamen vexatio præstat humilitatem profectui. Molestus stimulus carnis, sed non caritatis. Et passio amara, & discussio severa: utraque virtutes humiliat.

Isa. 26. d — Luc. 17. c — 2. Cor. 11. f — 2. Cor. 12. a — Stimuli humilitatis passio & discussio.

Amor omnia commendat.

9 Sed omnia dulciùs & efficaciùs prodeunt de camino quodam succensi amoris. Flamma hæc non modò virtutes,

humiliat, ſed etiam immutat, & in novam convertit ſpeciem, & de ſpiritualibus ſpiritualiores facit. Continentiæ myrrha, orationis thus, & in pulvere pigmentario, omnium humilis conſcientia virtutum, omnia magis ſerenum producunt vultum & gratam ſpeciem, cum de hac prodeunt officina. Bona enim contritio, ſed concrematio melior. Suavis pulvis pigmentarius, ſed fumus excellit. Neſcio enim quid magis ſuave & ſpirituale magis in fumo quàm in pulvere ſignificatur. Ideo quodam igniti verbi beneficio inter ſponſi flagrans amplexus, de pulvere pigmentario in fumi tenuitatem liqueſcit: de humiliatarum pulvere virtutum in fumum gloriæ. Qualis eſt putas perventio, cùm tam delicatus ſit aſcenſus? Quò tendit quæ talis aſcendit? Quantus deliciarum eſt locus, in quem aſcenſiones iſtas diſponit? Lectulus fortè dilecti eſt. Nam ad illum præcipuè ſponſa debet adſpirare. Ita planè eſt. Ideo ſequitur: *En lectulum Salomonis ſexaginta ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.* Et pulcher ordo, ut de lectulo ad lectulum veniat: de lectulo ſuo, de cubiculo matris ſuæ, ad ſui lectulum Salomonis. Nec minùs congrua varietas quòd deliciis iſtis immiſcet fortia, & lectulum ſuum Salomon tam munitâ cuſtodiâ vallat. Sed verbi proruentis jam reducamus habenas, novo capitulo novum dedicaturi ſermonem, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen. *Cant. 3. c*

## SERMO XVI.

*Lectulum Salomonis ſexaginta ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.* Cant. 3. c.

1. O Quàm delicata ſponſa aſcendit, quàm pæne ſine mole corporis, & quàm penitus ſine corruptione carnis! Quænam erit corpulentia, ubi fumo confertur? Quæ corruptela, cum illum non caro fluxa, ſed aromata cremata exhalent? Delicatè aſcendit, & digna lectulo Salomonis. Eſther & lotam, & unctam lego, ut regios unguenti ſuavitate mulceret amplexus. Hæc verò jam unguentis non utitur in ſponſi gratiam, ſed liquefacta effecta eſt odore ipſo unguenti. Sed non omnes verbum hoc capiunt, non omnes his poſunt deliciis perfrui. Si omnes fruerentur, omnes fraudarentur: & in hoc eſt & pulcra varietas, & pia caritas, quia alius eſt qui fruitur, alius qui tuetur. In hoc aliorum & tuta, & læta ſunt otia, quòd aliorum ſunt munita cuſtodia. Ideò *lectulum Salomonis ſexaginta ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.* Non vult Salomon noſter lectuli ſui turbari delicias, dulces attenuari affectus, ne attentari quidem: pacata diligit qui pacificus dicitur. Quis noſter Salomon, niſi Jeſus Chriſtus? *Ipſe eſt pax noſtra, ipſe qui fecit utraque unum.* Ipſe pacificavit ſanguine ſuo non modò quæ in terris, ſed quæ in cælis ſunt. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Diſciplinam debitæ nobis pœnæ ſuſtinuit, ut nobis juſtitiæ pacem refunderet. Ipſe punitus, tu repropitiatus: & tu punitus, ſed pœna tua pacem tibi parturire non potuit. Hoſtia immunda contaminatos mundare non poterat, non modò alios, ſed ne ſeipſam quidem. Diſciplina ergo ſuper nos, ſed non erat illa nobis ad pacem diſciplina. Erat in nos mortalitatis & afflictionis illata ſententia; ſed non erat injuſtitia revocata. Tu quidem judiciariâ ſententiâ ligatus, ſed tuus non erat ſolutus reatus: & pœna erat, & pax non erat. O miſera & gravis diſciplina ſuper filios Adam! conteris & non protegis; punis & non purgas; conſumis, & non concilias; conſumis, ſed carnis ſubſtantiam, non culpam. Quid tibi & paci? Quando pacem conferes, cui eſt cum peccato commercium? Quando conferes gratiam, quæ non aufers culpam? Juſtitia enim & pax oſculatæ ſunt. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, qui nobis attulit fructus pacatos juſtitiæ. Dictus eſt ille ſolus Salomon noſter verus pacificus, quod in diebus ejus orta nobis ſit *juſtitia, & abundantia pacis.* Abundans verè pax, quæ non modò præterita ſuffecerit repropitiare delicta, ſed omne etiam abundet in ſæculum. Abundat enim donec auferatur luna, donec auferatur labor mutabilitatis noſtræ, labor mortalitatis noſtræ, alternantium labor defectuum. Verè abundans pax, quæ non eſt data ad menſuram meriti. Non enim meritum invenit, ſed contulit. Quomodo non abundans pax, quæ & remi-

*Eſther. 2. 2. a* — *Eph. 2. c. Col. 1 c* — *Iſa. 53 b* — Chriſtus pacificator noſter. — Sine illo pœna hominum inanis. — *Pſ. 64. b* — *Pſal. 6. b* — Pacis abundantia nobis per Chriſtum collata.

A ſit offenſam, & priorem cumulavit gratiam? Erat homini primo in paradiſo pax, ut non poſſet invitus abduci: ſed non erat virtus, per quam poſtea poſſet, cum vellet, reduci. Erat gratia, ut poſſet non exire; ſed non erat ut poſſet, cùm vellet, redire. Modò pax uberior in gratia Chriſti, quæ poſt iteratos exceſſus ultro offertur; & pœnitentes non repudiat, ſed revocat. Bene pax abundans, quæ nullâ poteſt exhauriri injuriâ, paratior ad veniam quàm ad vindictam. Pax hæc à remiſſione peccatorum incipiens, uſque ad divinæ participium abundavit naturæ. Qui enim adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. *1. Cor. 6. a*

2. Vides quanta repropitiationis abundantia, ut non jam pax cum Deo, ſed magis unitas cum eo dici poſſit. B O beatum confinium! ubi ſublatus eſt inimicitiarum paries medius. Beatum quidem confinium, ſed nondum tutum. Adhuc hoſtis noſter hos tentat pervadere terminos, fines convellere. Eſt nobis in Chriſto pax cum Deo Patre, ſed nondum pax ab hoſte communi. Abundabit autem pax hæc, donec deſtruatur noviſſimus inimicus, mors. Interim etſi non eſt pax ab ipſo, protectio tamen eſt contra ipſum. Erit ipſe pax noſtra, cum Aſſyrius venerit in terram noſtram, & calcaverit in finibus noſtris. Proximos ſibi poteſt Aſſyrius fines infeſtare ſpirituales, ulteriores non poteſt: calcare poteſt, ſed ſtare non poteſt in finibus noſtris. Erit enim Chriſtus pax, cum calcaverit in finibus noſtris Aſſyrius. Habemus confinium & C confinium. Confinium cum Deo, & confinium cum mundo: confinium cum ſpiritu, & confinium cum carne. Et ſi quibuſdam dictum eſt, *Vos non eſtis in carne, ſed in ſpiritu*; confines tamen ſunt carni vel propter ſubſtantiæ naturam, vel propter carnis curam. Hoſtis ergo carne noſtra quaſi caſtro utens, regiones ſpiritûs de vicino infeſtat, & de contermino præſidio inſidias machinatur. Sed erit iſte, id eſt Chriſtus, pax, cum Aſſyrius calcaverit fines noſtros. Ille Salomon noſter, pacificus noſter; qui præſtat nobis pacem ſuper pacem; pacem cum Patre, pacem ab hoſte; ipſe ponet fines noſtros pacem. O confinium & confinium, quantum diſcrepatis ab invicem! D quantis tu abundas gaudiis, & quantis tu es vicinum & obnoxium ſcandalis! O finis & finis! tu quàm lætè teneris, & tu quam laborioſè regeris! Utrobique Chriſtus limes eſt medius: iſthinc ſeparans, illinc fœderans: iſthinc inchoans, illinc conſummans. Sapientia enim attingit ab hoc fine fortiter uſque ad finem illum, diſponens in illo fine cuncta ſuaviter. Finis ille lectulus eſt. Ideo de muliere forti dicitur: *Procul & de ultimis finibus pretium ejus. Pretium ejus eſt*, propter quod ipſe ſe impendit, quod ipſe ſe æſtimat, quo ejus expletur aviditas. Quid id aliud eſt, niſi ſponſi amplexus & lectulus? Ultimus finis eſt, ultra quem ſe non poteſt aviditas extendere, nec facultas comprehendere ſufficit. Finis eſt, ubi ipſe à te E deficis, ubi exhauriris, ubi alius eſſe incipis, totus in Chriſto, & ſolus in te Chriſtus. O vera pax, & plena pax, quando de regno Dei tollentur ſcandala; quando non erit timor in finibus noſtris, quando non erit finis & finis, ſed unus tantùm finis, & ſupradictus finis. Finis Deo fœderans, & conformans tantùm: finis lectuli gaudiis fruens, non gladiis agens.

Pax per Chriſtum reddita: ſed nondum plena ſecuritas. — *Rom. 8. b* — *Pſal. 147.* — *Sap. 8. a* — *Prov. 31. c*

3. Nunc verò ut quieta ſint quantulacumque ſunt lectuli gaudia, neceſſaria quidem eſt cuſtodia fortis. Ideo *lectulum Salomonis ſexaginta ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.* Et in Evangelio habes: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.* Uberior hic commemoratur cuſtodia, quia uberior eſt gratia lectuli quàm atrii; & ſponſæ ſollicitudo major quàm poſſeſſionis. Et ad portam paradiſi angelicam cuſtodiam cum gladio flammeo poſitam lego. An non quidam paradiſus lectulus Salomonis? *Lectulus*, inquit, *noſter floridus.* Denique ipſe flos campi, F ipſe lignum vitæ. Bene paradiſus deliciarum lectulus talis. Vides quomodo amplæ deliciæ arctâ cinguntur cuſtodiâ? Lectulum enim Salomonis ambiunt ſexaginta fortes ex fortiſſimis Iſraël. Non multùm nunc de numeri hujus diſputo ratione: illos tamen videtur ſignare, qui prærogant & juſtitiâ operis, & notitiâ legis. De fortibus Iſraël ſunt, qui fide fortes ſunt, qui ſtant in fide, & viriliter agunt; qui omnia poſſunt, ſed in eo qui eos confortat Chriſtus. Malè fortis

Spirituales indigent forti cuſtodia. — *Luc. 11. c* — *Gen. 3. d.* — *Cant. 1. d.*

[Quæ bona, quæ vitiosa fortitudo.] fortis est, qui adversùs scientiam Dei se extollit; qui adversùs illam inflexibilis & rigidus est: cui fortitudo lapidum fortitudo ejus, & cor ejus æneum; ut nec vexatio det intellectum auditui ejus: quales denique sunt quibus Paulus ait: *An æmulamur Dominum?* [1. Cor, 10.] Numquid fortiores illo sumus? Non est de fortibus Israël, qui cùm vulneratur non dolet; cùm verberatur non sentit, stupidus manens ad omnes stimulos ancipitis gladii verbi penetrabilis, & gloriatur si contra sapientiæ stimulos calcitret. Non talis Maria, cujus animam ac si mollem materiam gladius pertransivit. Me utinam facilè obtineat verbum validum; in me operetur ejus efficacia, & animam meam hic penetret gladius, ut & ipsa quasi in gladium convertatur contra spirituales pugnatura nequitias.

[Contra Prælatos indoctos & forenses.] 4. Quid mittis manum ad fortia, qui ex fortissimis non es? Custodiam ut quid suscipis, qui desidiam non excutis? Quid lectulum ambis, qui gladium non habes? aut si gladium habes verbi, habes illum in vagina*, non habes in lingua? [* al. pagina.] Non tenes manibus linguæ, verbi Dei versatilem gladium. Volubilis est sermo, spiritus flammeus est: sed nescio quomodo contra naturam suam pigrescit in manu tua: restringitur & hebetatur, qui acutior est & penetrabilior omni gladio ancipiti. Non est velôx verbum in ore tuo; non currit velociter; non est versatile in manu tua pro varietate negotii, quod tamen ad omnes spiritualis certaminis usus abundat. Quid tibi usurpas officium, cujus usum non habes? *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* [Cant. 3. c] Sine causa gladium portas tu, qui bellandi sufficienter non habes peritiam: aut si doctus es belligerare, magis te exerces ad negotia sæculi, quàm ad negotia Christi: forensi jure plus uteris quàm ecclesiastico, plus sæculari quàm spirituali certamine calles. Paratum vult virum ecclesiasticum Princeps Ecclesiæ, paratum eum vult ad reddendam rationem de ea quæ est in nobis fide & spe. [1. Petr. 3. c] Et quonam pacto piger & imperitus ad ista gloriaris, si promptè respondeas de jure publico? Decentius multò in ore clerici, in ore monachi sacra quàm sæcularis littera sonat. Quid in Jerusalem vis loqui linguâ Ægyptiâ? Non sic Isaïas: *Erunt*, inquit, *quinque civitates in terra Ægypti loquentes linguâ Chanaan:* [Isa. 19. c] scilicet quia penitus Hebræâ non poterant, ea loquerentur quæ est vicina Hebrææ: quia linguâ sanctâ non poterant, vel eâ loquerentur quæ sanctæ affinis est. Quid vis media ex parte loqui Azoticè, qui Judaicè debes? Sic enim habes in Esdra: *Loquere linguis non hominum, sed Angelorum.* [2. Esd. 13. d] Angelus enim Dei es, qui sacri profiteris verbi ministerium. *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* [Mala. 2. b]

5. Evangelicè ex toto loquere, qui vir evangelicus es. Sermo ergo tuus legem redoleat, Prophetas, Apostolos; eorum verbis linguam tuam exacue, mutua ex eis arma potentia Deo, ad debellandas munitiones, ad redigendum omnem intellectum extollentem se adversùs scientiam Dei. [Prædicatorum verbi Dei sermo debet esse evangelicus.] [2. Cor. 10. d] Versatilis sit in manu tua gladius spiritûs, ut ad omne quod tibi emergit negotium famuletur; nec te destituat sermonis sacri facultas, cum temporalis & subita deposcit occasio. In labiis tibi sit, non in foliis verbum validum & efficax: *Labia enim*, non folia, *sacerdotis custodiunt scientiam.* [Mala. 2. b] Sacculum pecuniæ tolle tecum. Gladius verbi tibi sit à latere, non in latebris: proximus tibi sit. Accingere eo super femur tuum, ut potens sis & promptus, & exhortari in doctrina sana, & contradicentes redarguere. Non tibi sit ensis sub femore, & verbi sacri studium carnis prudentiæ non supponas. *Uniuscujusque ensis super femur suum.* Alii datur sermo scientiæ, alii sermo sapientiæ, & unicuique doctori sua datur à Spiritu gratia. [1. Cor. 12. a] *Uniuscujusque ensis super femur suum:* ut ubi est tentationis occasio, ibi major verbi præoccupatio fiat, commonitio crebrior. *Uniuscujusque ensis super femur suum:* ut seipsum primò corripiat, seipsum custodiat, seipsum dijudicet. Docet te Paulus quasi super femur tuum ensem habere: *Considera*, inquit, *teipsum, ne & tu tenteris.* [Gal. 6. b] Ensis cujusque super femur suum, propter timores nocturnos, propter lapsus subitos, præoccupatos casus. Quasi timorem nocturnum Apostolus innuit dicens: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.* [1. Cor. 2. c] Nocturnum est enim quod improvisum est, quod subitum: nocturnum etiam quod insidiosum est. Ideo dicit: *Ut non circumveniamur à satana. Non enim ignoramus insidias ejus.* [2. Cor. 2. a] Idem Paulus alibi timebat à timore nocturno. *Timeo*, inquit, *ne sicut serpens seduxit Evam: ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ est in Christo.* [1. Cor. 6. b] Bona simplicitas, ubi Christo adhærens unus es cum illo spiritus. Simplicitas est ubi unitas est: simplicitas est, si jam non ipse vivis, sed vivit in te Christus: si te devoret sapientia Dei, si te spiritualis absorbeat lætitia, & intimis recondatur visceribus. Et ubi est tanta simplicitas nisi in lectulo?

6. *Uniuscujusque ensis super femur suum.* Super femur, non propter femur, sed propter timores nocturnos: fortè quia non est illis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, qui signatur in femore; sed adversùs mundi rectores, tenebrarum harum. [Eph. 6. b] Ideo propter timores nocturnos, contra spirituales nequitias. Quanto feliciorem sortita es luctam, quæ Salomonis contineris in lectulo? non contra carnales nequitias, ne contra spirituales quidem, sed cum spirituali lætitia, cum Salomone, qui pacifici nomine prærogat. Ideo pacifica colluctatio cum ipso. Et pacifici nomen, & sapientiæ personam Salomon gerit. *Ama*, inquit, *sapientiam, & amplexabitur te.* [Prov. 4. d] Amplexus, colluctationis quamdam speciem præfert. Amplexare, ut amplexetur te. *Glorificaberis ab ea, cum illam fueris amplexatus*, sicut dicit in Proverbiis. [Ibid.] Amplectere verbum, utere eo sicut in lectulo, non sicut in bello. In lectulo locus est non ensibus, sed amplexibus strictis. Noli fortis esse, ne tibi foris esse contingat. Intus utere verbo, non quasi gladio, sed quasi sponso, ut verbo ipse oblecteris. Oblecteris veritate ipsa, non contra errores oblucteris & vitia; aliis hoc munus & officium relinque. Quid tibi cum conflictu, cui totum de affectu constare debet? Quæ sponsa est, non disputantis & confligentis sectatur negotium, sed otium amplexantis. Alii lectulum ambiant, tu cupitis amplexibus fruere.

7. Quid tamen est quod de ipso lectuli nobis apparatu nil dicit? quod ejus vel in modico depromit delicias? Fortè verbum hoc verbum ineffabile est, & quod non licet homini loqui. Qui experitur, intelligit: & tantisper dum experitur, ne memoria quidem præteritas integrè recenset delicias. Quod potuit Scriptura expressit. Lectulum dixit, & lectulum Salomonis. Satis dictum est, sed sapienti. Et *thronum* lego Salomonis, & *ferculum*: [3. Reg. 10. c] [Cant. 3. c] sed utrumque ambitioso exstructum apparatu, & sicut regias decet delicias. Numquid ergo lectulum intelligemus neglectum? Absit: sed sufficiebat scribenti, ut lectulum diceret, qui sponsæ loquebatur. Illa enim nihil in lectulo diligit nisi quod lectulus est, & quod in eo copia sit suum amplectendi Salomonem. Magnum & multiplex mysterium reperies in lectulis per omnem Scripturarum textum, sed non est comparatio ad lectulum Salomonis. [Lectulii in Scriptura varii.] Est lectulus, quem sibi Job sternit in tenebris; & est lectulus, quem David rigat in lacrymis: est lectulus, in quo languens decumbit; & est lectulus, in quo defunctus resurgit. [Job. 17. d] [Psal. 6. b] [Marc 5 b] [4. Reg. 4 f] [3. Reg. 17. d] Talis Elisæi, talis lectulus Eliæ. Uterque defunctum hospitæ mulieris filium in lectulo suscitavit. Ille expandit se super mortuum, iste incurvavit. Unus in utroque Christus. [Allegoria Eliæ & Elisæi suscitantis mortuum.] Ille exinanivit se, ut formam servi susciperet, & æternitatis suæ longitudinem intra temporalis brevitatem naturæ contraxit. Ipse expandit se, cùm Spiritum sanctum abundè in nobis infudit. Sinus ille matris defunctum premere poterat, non vivificare. Littera enim occîdit, spiritus autem vivificat. Sed verus Elias illum in cœnaculum tulit, ad spiritualem provexit intellectum. Frigidus erat litteræ sinus, nec poterat ejus intelligentia vitalem spirare calorem. Bonus Eliæ lectulus, qui defuncto vitæ calorem infudit. *Justus ex fide vivit.* [Heb. 10. g] Ideo tribus metitur vicibus, ut Trinitatis cognitionem conferat, & dividat mensuram fidei. Plangit lex litteræ sensum extinctum, sensum carnalem: sed Christus hunc sensum tulit, spiritualem restituit. Novum & vitalem intellectum reddidit litteræ, quem suum verè agnoscat ipse Elias, qui restituit omnia, & nova facit: & Paulus legi se mortuum dicit, ut vivat in Christo. [Gal. 2. d] Bonum est, ut & tu moriaris non modò veteri legi, sed & veteri homini, ut suo te vivificet in lecto, qui peccata nostra tulit in corpore suo, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. [1. Pet. 2. d] Tu enim quod seminas, non vivificatur, nisi priùs moriatur. In hoc resuscitato in-

telligimur omnes ; & ideo communis reſurrectio hæc. Sed A privata quædam in lectulo Salomonis gratia, & ſolius ſponſæ prærogativæ ſervata.

Inter religioſos quinam mortui & quomodo curandi.

8. Etiam nunc ſi quis matris noſtræ ( conventus hujus ſancti ) viduæ apud quam utcumque ſuſtentaris Jeſu bone, ſi quis filius ejus moritur, tu reſuſcita. Mortuus eſt qui vel tædii, vel deſperationis mole obruitur, in quo nihil eſt vividæ devotionis, fervidi ſpiritus : qui etſi legis præcepta non deſerat, & intra Regulæ gremium ſe concludat, frigido tamen & moribundo languet affectu, in opere ſancto ſuave nil ſentiens. Totius illum Ordinis triſtis exanimat facies. Molli & femineo matris eſt ſinu fovendus, ut non exaſperatus abundantiore triſtitia abſorbeatur. Non expe- B dit ei extra materni ſinus ambitum reperiri, ne forte non tollat illum verus Elias in cubiculum ſuum. Quos reſuſcitat Chriſtus, mulierum ubique fletibus donat. Sic viduæ filium, ſic ſanctarum fratrem mulierum, ſic parentum precibus ſuſcitavit puellam. Tolle bone Jeſu, & hunc mortuum noſtrum de matris gremio. Regularis hæc & exterior obſervantia neminem ad perfectum adducit. Introduc illum ad molliorem lectum melioris ſpei, per quam approximet Deo. Experiatur quod exſpectat, quoniam bonus Dominus exſpectantibus ſe, animæ quærenti illum. Unius horæ experientia, multorum temporum labores exhilarat. Tunc redditur matri quem illa priùs amiſerat, dum non teneret ejus affectum ; ſed mortuam devotionem C defleret. Novus redit ad nos, poſtquam tu illum teipſo veſtiſti. Ideo te ſuper ipſum expandis, ut quod eſt in eo fœdum, operias; quod nudum, veſtias. Bonus hujus lectuli uſus, qui brevi hora in tempora ſequentia vitalem alacritatem transfundit. Major in Salomonis lectulo gratia, in quo ſponſa matrem carnalem derelinquens, perpetuo jure dilecto adhæret, & unus cum illo efficitur ſpiritus.

Luc. 7. c
Joan. 11. d
Luc. 8. g
Thren. 3. e

Lectuli Salomonis elogium.

9. Bonus ergo lectulus, in quo nullus languor eſt, niſi fortè languor amoris : qui non verſatur in infirmitate, ſed in jucunditate. Bonus lectulus, qui non rigatur lacrymis ; qui non in tenebris ſternitur, qui nihil habet in ſe triſte ; nihil tenebroſum, ſed totum lux & lætitia eſt : qui non indiget ſterni tapetibus de Ægypto, quibus in Proverbiis D mulier hæretica lectulum ſternit. Nihil enim in ſe habet lectulus Salomonis alieni ornatus ; nihil picti, nihil mundani ; ſed totum ſancta voluptas & ſolida veritas. Magnum & varium Sacramentum in ſanctorum lectulis, ſed ſupergreſſus eſt univerſos lectulus Salomonis, nec ſponſæ lectulus huic valet comparari. In lectulo ſuo quem quærit dilectum non invenit ; ideo ſurgit & circuit donec ad iſtum pertingat. Feſtina filia ſacrata virgo, feſtina iſtam ingredi requiem. Noli ſtrictos in circuitu enſes vereri. Enſes iſti ; enſes verbi ſuper femur, & propter timores nocturnos, vel carnis configunt laſciviam, vel timidi cordis abſcidunt ignaviam. Hoc quidem in aliis : te verò ſuavius vulnerant, ut caritate transfixa nocturnum ignores timorem, nec E quicquam habeas frigidi timoris admixtum : ſed tota tranſeas in affectum igniti amoris, quæ in ſolum amoris es uſum dicata, & in caritatis locum aſcenſura ſtratum dilecti, lectulum Salomonis veri Jeſu-Chriſti, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Prov. 7.

## SERMO XVII.

*Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani.*
Cant. 3. d

1. AUdiſtis, ſacræ virgines, ſponſæ Chriſti, audiſtis heſterno ſermone de lectulo veſtri Salomonis : ulteriùs hodierno pergitis quærere de ferculi ſacramento. Omnes vultis hujus Cantici ſermones ad amoris uſum de- F flectere, & ad veſtras interpretari delicias. Vobis ſolis hæc putatis eſſe conſcripta carmina? Nullus ſapit vobis ſermo, qui non amatoriis vernet affectibus, & dulcem caritatis odorem aſpiret. Habetis ergo & hîc aliquid quod amatorium ſonat blandimentum : de ferculo vobis alludit ſermo divinus. Nullam vobis reſidere patitur dilectus excuſandi materiam. Grata quidem ſunt promiſſa lectuli gaudia : ſed poterat aliqua in vobis adhuc ſuſpicio de perveniendi difficultate ſubmurmurare. Ideo vobis ſermo ſacri vehiculi, quo eſtis ad lectulum portandæ, pulcra varietate deſcribit ornatum. Etiam in itinere ſponſus vobis procurat ipſe delicias. Ferculum hoc quidem gratum eſt materia, ſed auctore eſt gratius. Ipſe enim Salomon ferculi hujus eſt auctor & artifex. *Ferculum enim ſibi fecit rex Salomon de lignis Libani, columnas fecit argenteas, reclinatorium aureum.* Audi filia, quàm glorioſo apparatu portaris ad lectum. Non ſinit te ſponſus ſine reclinatorio, & illo aureo, fortaſſe ex illo auro de quo legis: *Caput ejus aurum optimum.* Multus reclinatorii uſus eſt, ſed inferior quàm lectuli. In reclinatorio habet ſpes feſſa jucundum ſuſtentamentum, oblectamentum in lectulo. Hîc ſponſæ votum fovetur, ibi votis fruitur. Quantùs te putas exſpectat apparatus quæ tali deduceris ornatu? Quid ego nunc ſermone B frequenti cuncta exaggerem, ligna cedrina, ligna Libani, columnas argenteas? Ipſo auditu ſe nobis iſta commendant, & corporalis pulcritudo in figuram adducta ſpiritualem, quemdam & intelligibilem conatur indicare decorem, & ſanctæ animæ deſignare vehiculum. Hæc enim corporalia intelligi, lectionis circumſtantia non ſinit. Quid enim aurum materiale caritate conſterneretur? Sed omnia ſpiritualia ſunt, quia ſpiritualis eſt amor, cui tam ambitioſus ferculi blanditur apparatus.

Cant. 5. c

2. Poſſem hæc & ſimilia de ferculo hoc ad noſtrum derivare ſenſum. Sufficiat iſta breviter diſputaſſe, ad veſtram vel ſatiandam, vel provocandam aviditatem. Quid? Vo- C bis ſolis vultis hæc cantica ſervire? Sinite adoleſcentulæ paſcantur : ſinite ad ſuam commoditatem, ut vel pauca inflectant capitula. Sapientibus & inſipientibus debitor eſt Chriſtus. Nihil vobis imminuitur, ſi aliis pro ſuo ſenſu abundet. Eſtote contentæ lectulo : inferioribus vel ferculi permittite uſum inſervire. Illius gratia parcior, hujus popularior. In illo includitur, in iſto ingreditur Chriſtus. Vobis ſe uberiùs & quadam ſpecialitate indulget : ſed tamen alias non obliviſcitur, quæ veſtram nondum valent ad menſuram pertingere. Poteſtis & vos ferculi participare ſacramento, & vice perfungi, ſi Sponſum quem incluſum tenetis, ad nos quaſi reporteris, ſi deferatis pacem, ſi annuncietis bona, ſi gaudia foris prædicetis quæ intus vide- D tis. Quidni ferculum erant, de quibus in Eccleſia canitur: *Portantes pacem & illuminantes patriam?* Sed nemo vel prædicationis officium adſumat, nemo ſibi ſumat honorem niſi vocatus à Deo. Quid teipſum ſuper candelabrum ponis, qui teipſum non accendis? Ille te ponat in ſublimi, qui lucernam te fecit. Per illum aſcende, qui te accendit. Denique nemo ſeipſum ferculum facit, ſed ipſe Salomon fecit ſibi ferculum de lignis Libani. Eſt & ferculum, ſi quis non ſolùm in ore, ſed & in corpore ſuo Chriſtum portet. *Glorificate & portate Chriſtum in corpore veſtro*, dicit Paulus. Portari vult à vobis Chriſtum, ſed glorioſè, non cum tædio, non cum murmure, non cum indignatione & fluctuante propoſito ; denique portari, non trahi. Tra- E henti enim oneroſus eſt Chriſtus, oneroſa caſtitas, oneroſa humiliatio, obedientia gravis, pauperies ſordet : deformiter portas qui ſic converſaris. Faſcis quidam grandis tibi videtur fides, & pietas ponderoſa. Non potes dicere : *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Quid? Fœnum tibi videtur fides tua, ſub cujus onere ſic ſtrides, ſic gemis, ſic murmuras, quomodo plauſtrum ſtridet onuſtum fœno. Non eſt fœnum Chriſtus, ſed flos eſt, ſed fructus eſt, ſed lignum vitæ, lignum quod dat fructum in tempore ſuo : & tu non vis exſpectare? Beati qui veſcuntur tempore ſuo. Denique patientia neceſſaria eſt, ut reportetis promiſſiones. Portate ergo patienter onera, immo onera pietatis. Pietas enim & ipſa partem jam habet repromiſſionis, ſicut ſcriptum eſt.

In offic. de Apoſt.
Hebr. 5. a

Prædicationis officium non ultro captandum.

1. Cor. 6. d
Cant. 1. d
Eccl. 10. d
Hebr. 10. g
1. Tim. 4. c

F 3. Ergo portate imaginem ejus qui de cælis eſt, & glorioſè portate. Onus enim ejus leve. Eſtote non ignominioſum offendiculum, ſed glorioſum vehiculum, quale fecit ſibi Rex Salomon. Miro autem modo ita virtutum diſtinguit varietatem, ut primo loco elationis vanitatem excludat. *Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Si ferculum es, non tu te, ſed ipſe te fecit. *Ferculum* enim *ſibi fecit rex Salomon de lignis Libani.* Et ligna ipſa quis fecit? nonne ipſe? ipſe plantavit cedros Libani. Quòd ſi tu cedrus es alta Libani, noli tamen altum ſapere, ſed time, ne fortè inde evella-

Prælatis fugienda elatio.

1. Cor. 4. f

ris propter elationem, ubi plantatus es per electionem. A Non enim tu te, sed ipse elegit te in opus ministerii: ipse ministerii officium, ipse ministrandi confert gratiam, id est, facultatem & dignitatem. Agnosce à quo plantatus es, & non tibi veniat radix superbiæ, ut non moveat te manus tentatoris. Non ascendat, ut succidat te securis inimici, cujus ne novacula quidem super caput Sanctorum ascendit. Ferculum Dei ille sibi præripere gestit, & in usus suos de Libano ligna succidere. Denique apud Ezechielem gloriatur & dicit: *In cathedra Dei sedi.* Vide ergo ne per elationem de cathedra justitiæ efficiaris cathedra pestilentiæ & ferculum scandali, & per te vel exempla, vel sermo malus ad multorum perniciem ut cancer serpat. Esto ferculum B Dei, ut ejus in te imaginem portes, & odorem notitiæ suæ per te manifestet. Tale Paulus ferculum erat, de quo Dominus ipse profitetur: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum.* Ipse qui elegit, ipse ferculum fecit.

Ezech. 28. a.

Act 9 c

4. *Ferculum sibi fecit rex Salomon de lignis Libani.* Ligna hæc ligna cedrina sunt, & natura sui & nomine loci nescio quid magnum commendant. Libanus candorem sonat, cujus ligna nulli obnoxia sunt corruptioni: & sicut substantiæ suæ non admittunt putredinem, ita suavissimum spirant odorem. Bene Libanus Paulus, qui serviebat Deo, ut ipse dicit, in conscientia pura. Quid enim purâ candidius conscientiâ? Quid imputribilius illo, quem nulla creatura separare potuit à caritate Dei? Momentaneæ virtutes, & quæ ad horam subsistunt, mihi non videntur tam ligna quàm olera, quæ citò decidunt. At in Paulo quædam erat indefessæ caritatis imputribilitas. Ideo bonum certamen certavit, cursum consummavit, de cetero exspectans coronam justitiæ, coronam de manipulis, cujus jam quasi de vicino attraxit odorem. Denique & ipse bonum exhalavit odorem, odorem vitæ ad vitam, odorem notitiæ Dei. Bonus odor fama bona: bonus etiam odor conscientia bona. Illa aliis bene olet, ista sibi. Hæc enim gloria Sanctorum, testimonium conscientiæ. Futuræ enim beatitudinis fructus jam nobis in bonitate vitæ cœperunt olere. Et bene imputribilitati bonus odor adjungitur: nam è contrario putredo fœtorem emittit. Qui enim seminat in D carne, de carne metet corruptionem, de corruptione tristem odorem, sicut de integritate suavem.

2. Tim. 1 a
Bonæ conscientiæ incorruptio in Paulo.

2. Tim. 4. b

2. Cor. 2. d

2. Cor. 1. c

5. Et bene de integritate inducta est mentio; quod virginalis candor expressus videatur Libani lignis. Nam & bonum virginalis continentia vaporat odorem, & ejus est perpetuus usus. Sive enim conjugii servitus evacuabitur; sive desolatio viduarum cessabit, virginalis verò integritatis libertas & gratia non excidet umquam: quia qui non nubunt, nec nubuntur, jam sunt quasi Angeli in cælo. Denique & Libano in scripturis legitur comparata virginitas. *Ego*, inquit, *quasi Libanus non incisus evaporavi, & sicut balsamum non mixtum odor meus.* Meritò Libanus venter immaculatus, venter impollutus, venter intactus, venter E non incisus. Non incisus est, cujus manet integritas, cujus non sunt resignata claustra pudoris. Propter munditiam Libanus: propter integritatem non incisus. Meritò non incisa, quæ non est divisa. Vis audire incisam? *Mulier nupta cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro, & divisa est*, utique in Deum & virum divisa: & fortè non æqualiter divisa, sed in virum propensior. *Mulier autem innupta & virgo non cogitat nisi quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Quasi Libanus non incisus evaporavi habitationem meam.* Matris Domini specialiter hæc verba videntur. Illa vere Libanus, & Libanus non incisus. Illa vobis evaporavit, sacræ virgines, habitationem suam; habitationem cælestem; habitationem angelicam, quando virginalis conversationis exempla in vos transfudit, & perpetui pudoris inspiravit amorem; & satis expressit habitationis suæ gratiam, quam evaporare se dicit. Quid enim habitatione virginea vapori similius? Nihil habet hæc conversatio carneum, nihil mundanum, sed totum cæleste. Supermundanum totum, spirituale totum: & ideo simile vapori. sed quali vapori? *Et tamquam balsamum*, inquit, *non mixtum odor meus.* Tamquam balsamum non mixtum, tamquam balsamum non corruptum, tamquam balsamum non adulteratum. Est mixtura, quæ balsamum simulat & mentitur: & est mixtura, quæ etsi non habet balsami similitudinem, bonum ta-

Virginitas Libano comparata.

Mat. 22. c

Eccli. 24 b

1. Cor. 7. f

Ibid.

Mariæ maximè.

Eccle. 24. b

men contristat odorem. Est ergo (ut sic dicam) balsamum verum & solum; & est balsamum etsi verum, non solum: & est balsamum, nec verum nec solum. Primum in perfectis est: hoc ultimum in deceptis: medium in illis, qui etsi nullâ illuduntur fallaciâ, aliquâ tamen virtutis gratiâ destituuntur. Meritò itaque illa quæ sola gratiâ plena erat, quasi balsamum non mixtum odorem suum dicit.

6. Quod si tu virginitatem oles, si orationum instantiam, si jejuniorum abstinentiam; bene oles, & balsamum oles. Si verò impatientiæ adhuc morbo laboras, si vaniloquium, si levitas consiliorum, si ardor explendæ propriæ voluntatis, si tristitia, si tædium, si horum aliquod unum in te nominatur; mixtus est jam odor tuus, & non purum balsamum spiras. Modica enim stilla admixtionis peregrinæ, totam balsami massam contristat. Bene quidem cum illo agitur, qui si quid triste fortuitò & velut subitò redolet, statim abolet. *Nam in multis offendimus omnes*, dicit Apostolus. Ex subito quidem lapsu, sed statim correcto, nullus est odor æstimandus; magis verò ex eo in quo quis est sedulus vitio. Periculosa & pessima mixtura est, quando vitium quodlibet virtutis mentitur speciem; & angelus satanæ in angelum lucis se transfigurat, & quasi balsamum facit venenum spirare. Unguentarius est satanas, nolite ab illo oleum emere. Non enim tam confector est quàm corruptor unguenti. Denique sicut scriptum est, *fervescere facit quasi* C *ollam mare*. & ponit sicut cùm unguenta ebulliunt. Mors in hac olla. Ollam hanc succensam vidit Jeremias, & faciem ejus à facie aquilonis. Qualis unguentorum artifex, qui de mortis olla vitæ vapores exire simulat? Qualis artifex, qui ollæ succensæ faciem quasi ab austro fervere facit, per quam potiùs ab aquilone mala exardescunt in terra? Aut filius Prophetæ est, aut certè Propheta, qui mortem in olla deprehendit, & vapores ejus ab aquilone venire. Sulphurei sunt vapores, quos olla carnis tuæ succensa evomit: & tu in his balsami tibi videris odorem sentire? Si per te nescis balsamum merum à mixto discernere; veni ad Prophetas, veni ad filios Prophetarum Apostolos, qui te mixturarum differentias doceant, qua in olla mors sit. Talis Paulus, qui dicere ausus est: *Non ignoramus astutias ejus.* Si non sufficit manus tua, ut purum habeas balsamum, sancti te doceant quomodo misceas. Attulit Nicodemus mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum, & Mariæ emerunt unguenta. Sed Maria Domini mater unguenta non tam comparat, quàm spirat: quæ unctum oleo lætitiæ ipsum parturivit Christum. *Tamquam balsamum*, inquit, *non mixtum odor meus.*

Vitia virginitatis balsamum corrumpentia.

Iac. 3. a

Satanas falsus unguentarius 2. Cor. 11.

Iob 41, d

Ierem. 1. c

1. Cor. 2 c

Iohan. 19. g

Marc. 16. a

Eccle. 24 b

7. Si mixturæ rationem ignoras, veni ad Doctores Ecclesiæ, ad eos qui columnæ quædam sunt & firmamentum veritatis, & columnæ argenteæ in Domini ferculo, & sacri dispensatores eloquii: ab his disce quomodo cogites quæ Domini sunt, & quomodo sollicita sis pro Christo ut sibi placeas. Tunc & tu columnas habebis in te argenteas, si utriusque testamenti fueris suffulta scientia. Ideo & hîc post Libani ligna, columnas subtexit argenteas sermo divinus, ut habeas mysterium fidei in conscientia pura. Mysterium fidei, quam sacrum tibi præscribit eloquium, eloquium argenteum est: ut evangelicis & apostolicis subnixa præceptis, illa mediteris, illa conserves & conferas in corde tuo; nec patiaris inerti situ cohærere & obliterari, & oblivionis ærugine denigrari divini verbi argentum.

8. Sed non possumus nunc in sermonem hodiernum has inserere columnas. Hunc enim tractatum Libani præoccupaverunt ligna, & in eorum odore longiùs quam putabam noster sermo excurrit, suavitate illectus materiæ. Tibi Domine hunc commendo Libanum; Libanum egregium, hunc chorum virgineum, sacrarum cœtum feminarum. Tu custodi ut non succidatur, ut non incidatur, sed sua illi servetur integritas, servetur castitatis candor, quia Libanus candorem sonat: servetur puritas mentis, ut sanctæ sint & corpore & spiritu. Custodi Libanum hunc, cujus ligna in ferculi tui dedicasti materiam. Procul ab illo sit prophetica comminatio: *Aperi Libane portas tuas, comedet ignis cedros tuas.* Portæ istæ claudantur aliis, soli aperiantur tibi. Tu illi clavis sis & claustrum, tu signa & resigna, ut nec signaculum nec clavem, præter te recipiat Christe Jesu, qui Deus es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO XVIII.

*Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani.* Cant. 3. d

Rom. 14 d
Act. 15 c

1. Lignis Libani incorruptio carnis, & munditiæ vobis eſt candor expreſſus. Bona quidem eſt caſtitas: ſed *quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Fide*, ſicut ſcriptura, *purificans corda eorum.*

Iohan. 15. a

Non enim ſola carnis continentia caſtitas cenſetur: cordis multo magis eſt æſtimanda puritate. *Jam vos*, inquit Jeſus, *mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* Bonus fidei ſermo qui mundat: & ideo in hoc ferculi cultu poſt ligna Libani columnas producit argenteas, & virginalis mentem munditiæ ad ſacri provocat meditationem eloquii, eloquii caſti, eloquii quod argento examinato confertur. Bonæ ſunt in pectore virginum erectæ columnæ, ſi ſacræ fuerint Scripturæ ſuffultæ & cognitione fideli, & recogitatione frequenti.

Iſai. 11. b

S Scripturæ meditatio commendatur.

Bonus Libanus es, ſi mundum cor habes, mundum à cogitatione fœda, & à cogitatione infideli. Magna fœditas ſpiritûs, fidei corruptela. Quòd ſi ſana fuerit in te firma forma fidei, jam unam habes columnam. Noli tamen eſſe hac contenta, adjunge & alteram: meditare in lege Domini die ac nocte. Infidelitatem & fornicationem puta, ſi mens tua vel modicum à fidei recogitatione declinet. Bonæ columnæ ſunt, divinæ notitia & memoria legis: recta credulitas & recordatio fidei. Columna es, ſi fueris in fide firma: argentea, ſi divini fueris uſu inſtructa ſermonis.

Pſal. 32. a

*Rectum eſt*, inquit, *verbum Domini, & omnia opera ejus in fide.* Bonæ columnæ fides, & verbum fidei. Verbum hoc propè ſit in corde tuo: nam in ore prope eſt: prope ſit, & perpetuo ibi ſit. Ex abundantia cordis oris ſermo erumpat. *Septies in die*, inquit

Pſal 118. 1.

Propheta, *laudem dixi tibi.* Vos ſacræ virgines dicite ſemper: Septies quidem dicite laudem propter horas ſollemnes: ſemper autem cantantes & pſallentes in cordibus veſtris.

2. Argenteæ ſint linguæ veſtræ. Argenteæ ſunt, ſi de ſacra Chriſtum pagina ſonant. Non mittatur maſſa plumbea in os veſtrum. Plumbeum os eſt, quod nil ſubtile loquitur, nil acutum, nil de ſupernis, ſed totum remiſſum eſt, totum hebes, totum de imis, fortaſſe & de iniquis. Nam

Zach. 5 b
Matt. 22 a

iniquitas ſedet in talento plumbi. Homo ille evangelicus peregrè proficiſcens, non talia ſervis ſuis talenta diſtribuit. Nolite de talibus negotiari talentis, in theſauris veſtris hujuſmodi non inveniantur.

Eph. 4. g.
Sermones inanes ſeu inutiles fugiendi.

Paulo dicenti intendite: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed qui bonus eſt ad ædificationem fidei.* Ad ædificationem, inquit, non ad everſionem fidei. Ferreum os eſt quod fidem evertit, quod ſanctam ſubruit converſationem, quod inſtrumentum eſt belli, ſeminarium litis, quod murmur & amaritudinem ſonat. Beſtia talis in Daniele deſcribitur, dentes & ungues ferreos habens, commandens & comminuens omnia. Nulla inter oviculas, immo inter amicas Domini beſtia talis

Dan. 7. b

reperiatur. In hoc grege virgineo nulla virulenta, nulla violenta ſit: nullus in hoc paradiſo ſerpentis ſibilus ſonet. Virgineum os virulenta verba non decent. Quid? Pravis polluta verbis oſculum in ſponſi labia porriges? Candor ipſe lucis æternæ, & nil inquinatum attingit illum. Memento os tuum cæleſtibus oſculis & oraculis conſecratum. Sacrilegium puta, ſi quid non dulce, non divinum, non de ſancta pagina ſonet. *Buccinate*, inquit, *in neomenia, tubâ, in*

Pſal. 80.

*inſigni die ſollemnitatis veſtræ.* Omnis dies vobis ſollemnis debet eſſe; ſemper neomenia, ſemper ſabbatum. Ideo os veſtrum quaſi tuba ſit ductilis, tuba argentea: tuba quæ non lites, ſed lætitiam ſonet, ſed ſollemnitatem, ſed cantica ſpiritualia.

3. Neſcio quomodo de columnis argenteis ad tubas noſtra deflexit oratio: niſi quòd optima columna eſt in domo Domini, qui tale os portat. Bona columna eſt in quo feſſi

Iſa. 50 b

ſuſtentantur. Habes in Iſaia: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut ſciam eum qui lapſus eſt ſuſtentare verbo.* Eru-

Prov. 15. a

dita planè lingua Chriſti Jeſu, annunciantis pacem, prædicantis bonum. Lingua placabilis lignum vitæ, columna & firmamentum veritatis. Et tu virgo in hoc ſponſi imaginem porta, ut habeas linguam eruditam, linguam placabilem; non erroneam, non vagam, non labilem ad otioſa, ſed quæ loquatur judicium; quæ verbum ſolatii proferat, quæ columna quædam ſit & firmamentum ad ædificationem fidei, vel tuæ, vel alienæ. Propè ſit verbum fidei in ore tuo, & in corde tuo. Vis columnam audire argenteam? *Lex*, inquit, *Dei ejus in corde ipſius:* ecce argentum.

Rom. 10. b

*Et non ſupplantabuntur greſſus ejus:* ecce columna. Jure columna, quæ ſubverti non poteſt. *Verbo Domini cæli firmati*

Pſal 33 f
Pſal. 32. b

*ſunt*, inquit Pſalmiſta. Hoc verbo confirmetur cor virginis; ut cælum ſit, ut ſedes Dei, ut reclinatorium poſſit aureum fieri. In argento, fidei rationem & ſcientiam accipite: in auro, intelligentiæ & veritatis fulgorem. Reclinatorium hoc aureum ſuper hujuſmodi columnas imponitur. *Niſi* enim *credideritis, non intelligetis.* Fidei eruditio

Iſa. 7. b

ad intelligentiæ puritatem gradum præſtat. Fundamento huic contemplationis innititur gratia. Dum in ſermone Dei meditaris fideliter, & per patientiam & conſolationem Scripturæ ad ſpem te ſupernam erigis, columnam te exhibes. Reclinatorium aureum tunc exſurgis, cum nuda tibi ſine ſermonis involucro raptim incipit coruſcare veritas.

4. Sed jam perfectiùs ordinem intuere, & provectum quemdam de Libani lignis ad columnas argenteas, & aureum reclinatorium. In Libano cordis munditia; in argento divinæ legis notitia; in auro ſive ſermonis miniſterio myſteria ſacra manifeſtè reſplendent. In primo mentis oculum purgas: in ſecundo proſpicis: perſpicis autem in tertio. Vel ſi mavis ita dici, mundaris, meditaris, ſpecularis. *Confeſſio*, inquit, *& pulcritudo in conſpectu ejus.* In Li-

Pſal. 95. b

bano pulcritudo, in argento confeſſio, in auro divinæ conſpectus præſentiæ tibi commendatur. Quàm magna eſt confeſſionis & pulcritudinis hujus gratia, quæ in conſpectu tantæ majeſtatis admittitur? Vis alibi in Pſalmo hanc diſtinctionem audire? *Cor*, inquit, *mundum crea in me*

Pſal. 50. c

*Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me à facie tua.* Vides quomodo abyſſus abyſſum invocat; quomodo diverſa ſcripturæ capitula ſibi concinunt. Primum ad Libani candorem refer. Beati enim mundo

Mat. 5 a

corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Secundum ad argenti columnas. *Rectum eſt* enim *verbum Domini.* Tertium

Pſa. 32. a

ad aureum reclinatorium, ubi Domini facies ſine velamento ſincerè videtur: & in auro rutilat majeſtas regia, hoc eſt, purgatum, inſtructum, & (ut ſic dicam) præſtrictum ſpiritum ſibi poſtulat dari. In Libano purgatur, in argento inſtruitur, in auro præſtringitur. Præſtringitur enim verè in contemplando quælibet purgatæ mentis acies: & coruſcationes intimæ lucis ad modicum ſuſtinet.

Gradus ſeu ordo profectuum ad culmen contemplationis.

Hos profectuum gradus relege tu quæ ſpeculationis adſpiras ad gratiam. Nihil in te fœdum, nihil infidele reſideat, ut nuda tibi poſſit fulgurare veritas. Primò emundare, ſecundò exercitare, tertiò intuere. Emundare à lege carnali, exercitare in lege fidei, intuere & perſpice in lege perfectæ libertatis, in lege ſpirituali. *Ubi* enim *ſpiritus Do-*

2. Cor. 3. d

*mini, ibi libertas.* In lege quæ litteræ velamine caret, in qua nec errori, nec ignorantiæ, nec ænigmati locus eſt. Error ubi eſt, ſeducit. Ignorantia ubi eſt, non ducit. Ænigma ubi eſt, etſi ducit, non tamen perducit. Quis ibi erret? Reclinatorium enim eſt, & quies, & votorum finis. Quis ignoret? Aurum enim eſt, & rutilat ad lucem. Quod ibi ænigma? Votorum finis, & ſerena veritas, ænigmatum figuras non recipit. Ibi nihil falſum, nihil occultatum, nihil figuratum: aurum eſt, & fulget; reclinatorium eſt, & fovet; dulcis fomes, ſed hora fugax. Et fulgor iſte fulguri comparatur. In momento fit, in ictu oculi, in noviſſima

Divinæ irradiationes furtivæ ſunt.

tuba. Noviſſima tuba eſt, quando non jam in pagina, ſed in ipſa præſentia innoteſcit; quando quis efficitur docibilis Dei; quando poſt Apoſtolorum & Prophetarum ſermones noviſſimè in ſeipſo Dei filius Patris Verbum loquitur. Tuba hæc neſcit incertum ſonum dare, non ſonat niſi ad ſollemnitatem, niſi in neomenia, & novæ lucis exordio.

5. Buccina nobis tu, bone Jeſu, in neomenia tuba, in inſigni die ſollemnitatis noſtræ. Verè inſignis dies, ubi divina majeſtas ſe manifeſtat: nihil inſignius, ſed nil ſuccinctius. Diem dixi: hora eſt. Hora verè inſignis, & verè ſollemnis. Eructa tu nobis, Jeſu bone, æterni illius diei horas aliquas. Diem illum ſtatim efficies, cui tuæ lucis verbum eructas, qui dies es æternus. Fulgura nobis coruſcationes tales. Fulgur efficitur, cui tu fulguras. Similem tibi reddis ſi quem irradias. *Similes*, inquit, *ei erimus cum*

1 Iohan 3. a

*apparuerit.* Montes quos tali radio tangis, non fumigant,

ſed fulgurant. Aurei fiunt, tuum quibus aurum refulget. A Caput tuum aurum optimum reclinatorium aureum non invenit, ſed reddit ubi ſe reclinat. Jam non eſt illud de Evangelio dicere: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Videſne, Domine Jeſu, quot hic habes reclinatoria? Numquam ſe majeſtatis tuæ caput libentiùs reclinat, quam in virginitatis aureo ſinu. Reſpice virginea pectora hæc, pectora vacantia tibi: in his frequenter reclinas, & recumbis, & cubas in meridie, & aureo claritatis quodam ſereno. Non hîc vulpes foveas habent, nec nidificant volucres cæli. Solidius eſt reclinatorium hoc, quàm ut hîc ſubdola valeat vulpes infodere. Nullus doloſitati relinquitur hæreticæ B locus, ubi ſerena fulgurat veritas. Sublimius eſt quàm ut huc aut ſubdola vulpis, aut ſuperba volucris accedere queat. Abſcondita ſunt hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelata ſunt parvulis, qui humilem ſectantur aſcenſum, aſcenſum purpureum, & paſſionis Chriſti veſtigiis inſiſtunt. Verè purpureus aſcenſus, quem Chriſti ſignavit cruor, & paſſionis ejus coloravit fides.

Luc. 9. g.

6. Sed illud attendendum, quomodo, immo quàm congruo modo ſibi concinunt columnæ argenteæ, & aſcenſus purpureus. In illis ſapis fideliter: in iſto ſentis humiliter. In illis meditatio: in iſto imitatio. Non enim in ſermone tantùm eſt regnum Dei, ſed in virtute. Quid tu iſtic C dices, qui humiliationem ſervitutem putas? Servilis non eſt, quam regalis nobilitat purpura. Ornamentum eſt etenim purpura regium. Hos ſi tu vel dedignaris, vel horres gradus, reſpice quod purpurei ſunt. Humilitas ſuſcepta pro Chriſto, regiam præfert dignitatem. Tu verò Sponſa Chriſti candido preme pede gradus purpureos. Nobilis eſt ſemita quam dilectus tuus prior inceſſit. Quàm pulcri ſunt etenim gradus purpurei, quos pede ſacro Chriſtus prior ſignavit pedibus illis, quibus nullus pulvis adhæſit, pedibus niveis, quos cruoris ſui ſignavit veſtigio? Hæc tu ardenter veſtigia relege: aufer calceamentum carneum de pedibus tuis. Sanctus enim aſcenſus eſt, quem tibi diſponis. Nudo & expedito inſiſte veſtigio gradi- D bus iſtis. Purpuram hanc non conchylii, ſed Chriſti ſanguis intinxit. Hîc tu pedem libenter pone, ut pes tuus intingatur in ſanguine Chriſti. Non veniat tibi pes ſuperbiæ, ſi humilem ſecteris aſcenſum, qui Sponſi tui cruore ſacro ſignatur. Huic tu non modò pedem, ſed etiam manum & caput intinge, ut tota purpurea, tota regalis, & paſſione Chriſti tota nobilitata aſcendas. Nam ſi compateris, conregnas. Noli te ſæculi nobilitate caram reputare. Vilior eris ſi reſpexeris ad illam, ſi natales tuos Sponſo imputes, ſi te pro ſæculi faſtu præferas aliis, aut aliquid habere privilegii putes. Contra humilitatem propoſiti de proſapia carnis evacuaris à gloria Chriſti, ſi alia te nobilitari præſumas. Hæc tibi purpura ſufficiat ad faſtum, ſufficiat ad aſ- E cenſum, ſufficiat ad gloriam, ut non glorieris niſi in cruce Domini tui Jeſu-Chriſti. Aſcenſus te purpureus reclinatorium perducet ad aureum: quoniam humilibus & quietis contemplationis debetur gratia, à ſapientibus autem & prudentibus abſconditur, revelanda parvulis. Purpura hæc magnum quoddam eſt pignus amoris, quem tibi dilectus exhibuit. Verè magnum pignus amoris mortis paſſio. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Tale præſtitit, tale pignus repoſtulat paſſio tua, humiliatio tua. Quid pro te pertulit, memoria tibi reducat, & quantum adamavit, pro qua ſe tantum humiliavit. Ama ergo tu illum qui priùs & plùs dilexit. Non exigunt hæc tempora ut ſanguinem effundas. F Effunde animam tuam; effunde ſicut aquam cor tuum. Nam etſi tradideris corpus tuum ita ut ardeat, caritatem non habeas, quid tibi proderit? Denique & ultimo loco quaſi finalis omnium clauſula gratiarum ponitur caritas, & *mediâ* velut ornamento quodam *caritate conſtrata* dicuntur propter filias Jeruſalem.

1. Cor. 4. d
Humilitas regia virtus.
Gradibus purpureis Chriſti patientis inſiſtendum.
Religioſis gloriandum de ſola cruce.
Johan. 15. b
Cor. 13. a

## SERMO XIX.

*Media caritate conſtravit propter filias Jeruſalem.*
Cant. 3. d

1. NOvum aliquid vultis audire? ſed ego novum quid non habeo, niſi ut vos innovet amor. Mandatum hoc novum do vobis: nihil vobis notius, & nihil eſt novius. Non eſtis in iſto rudes & inexercitatæ negotio. Veſtrum hoc proprium officium eſt. In amoris enim præcipuè munus eſtis dedicatæ. Denique & propter vos fercula Salomonis media caritate conſtrata dicuntur. *Media*, inquit, *caritate conſtravit propter filias Jeruſalem.* Quodam quaſi privilegio hic ſermo vobis delegavit uſum amoris. Æmulamini filiæ Jeruſalem chariſmata meliora, magis autem ut ametis. Amor omni ſupereminet gratiæ: & in hujuſmodi deſcriptione ferculi, caritas reliquarum quaſi ornamentum & clauſula ſuperponitur gratiarum. Plures in hoc ferculo enumerantur gratiæ, ſed caritate cumulantur omnes. Caritas cumulus eſt, caritas fundamentum. *In caritate*, inquit, *radicati & fundati.* Illa in primis, illa in ultimis, illa in intimis: illa inchoat, illa conſummat, illa communicat chariſmatibus ceteris: ideo in medio collocatur quaſi ornamentum quoddam commune, & totius clauſula ferculi. Et color purpureus, & auri fulgor obſcurior eſſet, ſi non caritate veſtiretur. Quanta ejus eſt gratia, quæ ipſum contemplationis aurum exornat? Ipſa media eſt & reliquarum quaſi medulla gratiarum. Nulla tam eſt intima virtus, nulla ſic animos penetrat & perfundit, & arcanos cordis implet receſſus. Ipſis animi medullis amor imbibitur, & ſecretis influit venis. *Media*, inquit, *caritate*. Bene media, quæ ſic intima eſt. Plenitudo legis eſt caritas. Ideo lex vacuatur, ſi fuerit deſtituta caritate. Vitalis quædam vena legis eſt, & reliquarum caritas virtutum. Ceteræ quaſi in partem ſe contrahunt: illa omni communis eſt gradui. Sive mente excedas, ſive ſobrius ſias; ubique caritatis & neceſſarius & jucundus eſt uſus. Reliquarum officia variantur gratiarum, & vicibus alternantur: caritatis continuantur jura quodam jugi tenore. Sive mente excedamus, Deo; ſive ſobrii ſimus, urget nos caritas Chriſti. Vos vere, ſicut arbitror, urget caritas Chriſti. In quid vos urget? in ſeipſam. Aliorum alia ſunt officia, veſtrum ſpeciale munus eſt amor. Improbus ſui provocator eſt amor, & dulcem agit in patientes tyrannidem. Amor ſeipſum in provectus ſemper urget uberiores.

Caritatis elogium.
Eph. 3. d

2. Æmulamini filiæ Jeruſalem chariſmata meliora, magis autem ut ametis. Æmulatio vos hæc ſemper amplius urgeat. Mandatum hoc vobis ſemper ſit novum. Et novum eſt, niſi in veſtro dulcis Jeſus veteraverit affectu. Utinam ſemper in vobis ille recens ſit, nec mora temporis aliquid imminuat gratiæ. Utique recens in vobis veſter Jeſus eſt. Ipſe ſemper recens, ſed non Deus alienus. Verè recens, in quem ſemper anxio inhiatis amore. Denique id ſolum habetis in votis, ut vobis ſemper ampliùs placeat. Quantùm placet, qui ſatis placere non poteſt? Nulla magis vos ratione placere poteſtis, quàm ſi vobis placeat ipſe. Animum vult, aliud non quærit. Solus ſufficit, ſi tamen totus impenditur. Satis eſt pro viribus tuis, ſed parum eſt pro ejus meritis. Si te tibi conferas, & tua metiaris ex regula, ſufficit: ſed ſi de te; nil tibi relinquitur. Si autem ex ipſius te regula metiaris, & velut in libra colloces, quid tu momenti adversùs illum tenebis? Si infra vires tuas amor ſe cohibet & contrahit, iniquus eſt: & ſi juxta vires tuas, exiguus. Quid ergo? ſupra vires caſſo te extendes conatu? Quidni? amor non capit de impoſſibilitate remedium. Nulla ſatis magna ſunt amori officia, ubi tamen ipſe non intepuit amor. Quomodo erit in ſuo parcus, qui in alieno fidelis exiſtit? Quomodo erit in officiis propenſus, in ſeipſo parcus? Amor ſeipſo nihil impendit libentiùs, nihil uberius poteſt. Quæ major ubertas quàm ubi nihil decerpitur? Amor exæſtuat, ſeipſum non capit, ſuperfluit ſibi, immenſitatem æmulatur, dum metam neſcit affectui ponere. Oleum eſt quod ſtare neſcit, niſi cum vaſculum deſit, niſi quòd nec tunc novit compeſci. Muſti præfert amor inſigne, quod nativitatis ſuæ fervore quodam & velut ætatis laſcivia excreſcit & ſuperfluit, capi neſciens, & novo ſemper exferveſcit & fermentatur affectu. Amor infirmitatem non cauſatur, ſed magis accuſat. Amori nihil ſatis eſt, nihil minus ſeipſo. Amor ſeipſo ſatiari non poteſt, & tamen niſi ſeipſo paſci non poteſt: ipſe ſibi dulce ſatis eſt pabulum. Amor nil magis vult quàm amare. Quam dabit homo commutationem pro amore? Quam dabit, vel quam accipiet? Nihil gratius amore impenditur, nil dulcius ſen-

Mandatum amoris, quomodo ſemper novum.
Chriſtus ſine modo diligendus.
Amor ſine meta.
Simile.

titur. Amor & dulciter optat, & dulciter utitur, dulciter deliciatur, & dulciter dolet. Verè dulcis amor, & ſolus dulcis amor, & omnis dulcis amor, ſed non eſt amor ad amorem Chriſti. Super omnem enim pulcritudinem pulcritudo ejus. *Super omnem pulcritudinem*, inquit, *dilexi ſapientiam*. Quomodo non decorus, qui candor eſt lucis æternæ? *Frater mi Jonatha, quàm amabilis es & decorus valde!* Volebam Jeſum dicere, ſed de conſuetudine Jonathæ produxi vocabulum: & tamen gratus error, qui gratiam expreſſit. Error in nomine, ſed in re nominis hujus eſt ſervata proprietas. Jonathas columbæ eſt donum, illum ſignificans, qui ſpiritualis gratiæ eſt plenus, puerum qui datus eſt nobis: ſive Jonatham, ſive Jeſum dicam, Jeſum intelligo. Quam amabilis es frater mi Jonatha, & decorus valde! Præſumptionem putatis quòd fratrem eum dico? Verba hæc non meam temeritatem, ſed ejus caritatem ſonant. Præſumptio fuerit, ſi non ipſe hunc mihi indulſerit auſum. Denique & ipſe cognationis hujus & aſſumpſit habitum, & exhibuit affectum; & juxta Apoſtolum; Non confunditur nos fratres vocare. Si non confunditur, cur non & tu ipſe confidenter dicas: Frater mi Jonatha. Aut ſi domeſtico magis vis uti vocabulo, Frater mi Jeſu amabilis es & decorus valde; amabilis es ſuper amorem mulierum. Anxio & vehementi affectu veſtra, ſanctæ mulieres, in Chriſtum inardeſcunt vota: ſed ipſe multo magis eſt amabilis, quàm amatur à vobis.

Sap. 7 a
2 Reg. 1. d.
B
Heb. 2. c

3. Æmulamini ergo chariſmata meliora, magis autem ut ametis. Enumerat ligna Libani, columnas argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum pupureum, ad ultimum caritate cumulans omnia. Quidni? *Adhuc*, inquit Paulus, *excellentiorem vobis viam demonſtro*. Bonæ ſunt etenim columnæ argenteæ, & ſacri magna quidem eſt eloquii gratia. Sed *ſi linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus ſum ut cymbalum tinniens*, vocis inanem dans ſonitum ſine ſenſu caritatis. Reclinatorii aurei ingens eſt gloria, per quod tibi myſteriorum arcana ſignantur. Sed quid? *Si noverim myſteria omnia & omnem ſcientiam, caritatem autem non habuero, nihil ſum*. Per gradus aſcendis purpureos, & paſſionis Chriſti te gaudes habere inſignia? *Sed ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, inquit Apoſtolus. *Caritas non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt:* medio gaudet, & quaſi in communi ſua bona proſtituit. Media enim caritate conſtravit. *Non inflatur*, inquit, *non eſt ambitioſa*. Non enim caritatis bonum ſingulare: aut ſi habet, amat; aut ſi non habet, optat. Non vult aliis præcellere, ſed nec ipſum magis habere bonum. Multi meritorum ſuorum infirma cognoſcunt. Ideoque de ſe magnum nil ſentientes, non inflantur iſti, ſed fortè ambiunt. Unde inflentur, non habent: ſed inflatè ſatis optant ut habeant. Privatam & hi amant excellentiam, dum aut concupiſcunt ut ſit, aut contabeſcunt quòd eſſe non poſſit. Caritas verò cum invidia contabeſcente iter non habet, non quærit quod ſuum eſt: & quomodo poterit quod eſt alienum decerpere?

C
1. Cor. 12. d
1. Cor. 13. a
Ibidem.
D
Ibidem.
Ibidem.
E

Invidiæ ſpiritualis deteſtatio.

4. Quid tu invidiâ alienum vis corrumpere bonum? Numquid tibi adjicies quod ab alieno decerpis? ita forſitan; ſed ſi corporalis aliquid pecuniæ ſubtrahas. Non ergo in clauſtralibus rapacitatis hujus vitium vereor: eſt ſubtilius quoddam rapacitatis invidæ genus. Quid enim? Rapacitatem non putas, ſi pecuniæ parcis, famam decerpis? Non concupiſcis poſſeſſionem, & laceras opinionem. Quid tibi emolumenti aliena diminutio confert? Aliena ſi corrodis bona, quid tibi inde accreſcit? Evidenti forſitan veritate alienæ virtutis conteruntur in ore tuo dentes, quos ad derogandum paraveras. Non audes corrodere, non tamen potes collaudare. Jam alienum bonum verbo non carpis; numquid ideo non rapis? Quomodo non rapacitas, ubi evidens bonum debito defraudas teſtimonio, & veram alterius gloriam etſi mendacio non corrumpis, ſilentio tamen ſupprimis? Vis audire in ſola etiam æſtimatione rapacitatem eſſe? *Non rapinam*, inquit Apoſtolus, *arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*. In invidam animam non poteſt intrare æſtimatio bona de bonis alienis. Non vult enim intelligere quod alius bene agat: etſi palam non audet, penes ſe tamen vel diſſimulat, vel attenuat alterius merita. Ut quid iſtud,

Detractio eſt, etiã cum virtus proximi celatur.
F
Philip. 2. a

A niſi quòd livor dum privatam ſemper excellentiam cogitat alienam obſcurat? *Caritas autem non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate*, & ut ſic dicam, ſuper inæqualitate, *congaudet autem veritati*. Privatum non cogitat; medio quodam & communi lætatur: quæ ſua ſunt non quærit, ſed quæ Chriſti Jeſu. Ejus in omnibus gloriam, vel amat, vel optat. Communis eſt Chriſtus, mediator enim eſt. & ideo ejus non ſunt quæ media non ſunt, ſed in partem ſe reſtringunt. Quid tu livore Chriſtum vis in partem contrahere? Avaram vis eſſe gratiam Spiritûs, cujus circa te ſolum optas beneficia reſtringi? Sine ut excreſcat & exuberet, & effundat ſe ſuper omnem carnem Spiritus Domini, & repleat orbem terrarum. Noli communem omnibus beneficientiam intra cordis tui anguſtias incarcerare. Dives eſt enim in omnes: & tu minuere tentas affluentiam gratiæ, & immenſitatem redigere ad minutias? Æmuli cordis avaras dedignatur Chriſtus anguſtias. Neſcit æmulatione tua ejus bonitas detineri. Proflua eſt: non tibi ſoli, ſed viciniis etiam ſe vaſis ejus oleum infundit. Fac ut illa mutuò tua ſint. Erunt autem, ſi communi fueris bono lætatus. alioquin & animæ tuæ oleum evacuas, & illis nihilominus tamen infunditur mediator Chriſtus; & ideo quæ ſua ſunt media vult eſſe. *In hoc*, inquit, *cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem*.

1. Cor. 13. b
Ibidem.
1. Tim. 2. b
B
Rom. 10. c
Iohan. 13. b

Caritas ſine timore.

5. Vides quomodò caritas ſpeciale quoddam eſt inſigne diſcipulatûs Chriſti, & doctrinæ ejus ſingulare indicium? Ideo hîc in ultimo loco quaſi ornatus quidam aliarum inducitur gratiarum. *Media*, inquit, *caritate conſtravit*. O quàm molle eſt ſtratum caritatis. Proximi caritas livore, caritas Chriſti timore caret. Nihil habet pœnale caritas. Timor pœnam habet: ideo non eſt in caritate timor, ſed perfecta caritas foras mittit timorem. Quid enim timebit caritas? Veteres offenſas? ſed caritas operit multitudinem peccatorum. Infirmitas propriæ conſcientiæ timebit ne decidat? ſed fortis eſt ut mors dilectio. Utrumque metum caritas foras mittit. Sed nec perfecta caritas temporales pro Chriſto timebit moleſtias. Sed nè quidem æternæ ſi fuerint, defatigari & evaneſcere poterit conſummata dilectio. Non poteſt ſemel hauſta cognitione tantæ non delectari dulcedinis. Non ideo amat caritas ne pereat: ſed mavult foris pœnaliter in æternum perire, quàm uſu amoris æterni privari. Si enim dederit homo omnem ſubſtantiam pro caritate, quaſi nihil deſpiciet eam. Verè hoc molle ſtratum, in quo etiam inter injurias tam ſuaviter quàm ſanctè quieſcitur. Da mihi Jeſu bone, ut ſuper ſtratum hoc memor ſim tui, & mediter in te in matutinis. Dulcis planè memoria, quam amor inducit: grata meditatio, quam ſuggerit caritas. Nihil enim eſt quod non jam dulciter & gratè de Chriſto cogitetur. Amor proximi compaſſionem habet, & quemdam minus ſuavem guſtum, dum gementibus novit condolere. Chriſto in quo condoleas? etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei. Non condolendi, ſed congaudendi in ſe vobis undique materiam præſtat. Totus deſiderabilis & concupiſcentia totus, & quaſi caritate conſtratus. Quid enim videbis in Chriſto, quod non ejus nobis & caritatem exhibeat, & noſtram exigat? Totus nobis eſt caritatis illecebra, irritamentum amoris. Nullum in ſe meticuloſo relinquit locum affectui. Totus amari vult, qui totus meretur amari. Noli, virgo, ad tormenta reſpicere, cui tanta propoſita ſunt oblectamenta in ſponſo. Otioſus debet eſſe timor, ubi tot inſignia relucent amoris. Dedignatur caritas timoris commercium; cogi neſciens, quæ nequit compeſci.

C
Cant. 3. b
1 Iohan. 4. b
1. Pet. 4. b
Cant. 8. b
Vis perfecti amoris.
D
Cant. 8. c
E
In Chriſto omnia ſpirant amorem & exigunt.

6. Ideo caritas perfecta foras mittit timorem, velut inutilem & ſupervacuum; ſed non timorem illum, qui caſtus permanet in ſæculum ſæculi. Eſt enim timor, quem foras mittit caritas: & eſt timor, quem mittit veritas: & eſt timor, quem intromittit & caritas & veritas. Primus cautus; ſecundus caſtus, ſed non permanens in ſæculum ſæculi; tertius & caſtus & permanens. Primus veretur pœnam, ſecundus offenſam, tertius totus libera quædam & ſecura reverentia eſt. Et primus quidem timet offenſam, ſed propter pœnam: ſecundus offenſam ſed propter ipſam. Et quidem injuria quædam juſtitiæ eſt, ſi metu pœnarum in gratiam veniat. Satis ipſa per ſe meriti obtinet; ut hominum in ſe ſtudia provocet, & concilret affectus.

Iohan. 4. d
Caritas qualẽ excludat timorem.
F
Caritas imperfecta, quæ timoris indiget ſtimulo.

*Caritas imperfecta, quæ timoris indiget stimulo.*

Hunc ergo timorem caritas perfecta excludit. Quomodo enim perfecta caritas, quæ timoris stimulo indiget ad cultum justitiæ? Perfecta dilectio meritem in solidum possidet, omnia soli sibi justitiæ munera deputari volens. Frigidus timor est, & pigrè incedit, satis habens tantùm impunè evadere. Amor fastidium nescit, fervidus est, & in anteriora extentus: metus contractior, necessitate tantùm justitiæ subit officia. Amor perfectus soli quod agit, debet justitiæ, nihil in ea juris relinquens timori. Quidni? Annon satis in se obtinet meriti ad omne bonum opus justitia? Christus enim nobis factus est justitia. Quid ergo? Christus non satis in se habet dotis ad placendum? Alieno ergo & ipse ut placeat, indiget adjumento? Si non eius obtentu solius obtemperatur ipsi, quomodo erit ejus perfecta dilectio? Diligam te, bone Jesu, diligam te virtus mea, quem non possum gratis diligere, nec possum tamen satis diligere. Dirigantur in te ex integro studia mea, nec alieno deducantur & distrahantur affectu. At quàm exigua sunt etiam cùm integra sunt in te studia nostra? quomodo ergo diminuam, quod cùm integrum est, tam exile est? Totus in te, Deus bone, ex desiderio ferar. Trahe me tu in te ipsum, ut nullo indigeam timoris impulsu, sed perfecta caritas usum ejus excludat.

7. Quid igitur? non sunt metuenda æterna supplicia? Metuenda planè sunt, & cavenda. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed vehementior Christi dilectio motu timoris non eget in affectum justitiæ. *Eph. 5. f.* Amor iste nihil tam veretur quantum offensam: sed propter offensam, non propter pœnam. At istud quidem, quamdiu in incerto humanæ res fluctuant, & non est tuta laus hominis in vita ipsius. At cùm ad veritatem post vitam fuerit introductus, hujusmodi de reliquo metus cessabit, timori tertio faciens locum, qui prioribus quidem succedat, sed nulli cedat: permanet enim in sæculum sæculi. Primus ergo timor meruit ne temeritatis offensam luat: Secundus ne infirmitate offendat: Tertius quod metuat non habet. Quid enim metuat completa felicitas, & consummata caritas? Timor hic de plantario oritur caritatis. Non audeo dicere quod caritas est; nec tamen audeo negare. Quid enim nisi amor esse conatur, qui jam nescit affectum timoris? quomodo non amor, qui jam pæne timor esse desiit? quanam enim ratione timor nil metuens? Timorem illum tam tutum homine impartirem amoris, nisi quod Deus ipse ibi quidem amat nos, non tamen timori in tanta majestate permittitur locus. Sed in nobis quomodo à caritate timor ille separabitur? Et quid aliud est ibi timere, nisi non tumere adversus Dominum majestatis? Quid est timor ille nisi votiva subjectio, obedientia non coacta, ultrò impensa reverentia? Quomodo timor qui offendere non timet? non enim valet. Sed iterum quomodo non timor, qui offendere non audet? Et timor ergo non videtur, quia nihil vel peccati vel periculi metuit: & timor est, quia nihil audacter vel temerè præsumit. Quid est timor ille, nisi reverentia humilis ex debiti quasi necessitate impensa; sed necessitatis nihil passa? Est enim obsequendi necessitas jure conditionis; sed necessitatem ignorat libertas dilectionis. Quid est timor ille, nisi temeritatis & negligentiæ magis privatio; quam necessitatis coactio? Vides quantum timor iste approximat ad caritatem? pænè illa est, sed plenè non est. Causa distat; par est affectu. Quæris qua causa? inferioris conditionis respectu obsequendi ad omnem nutum tantæ majestati. Incumbit tibi justa necessitas; sed ad causam istam caritas non respectat: divinæ majestatis admiratione rapitur; non contuitu infimæ conditionis. Ergo rationem quam timor respicit, caritas nescit causis præventa potioribus.

*Timor permanens in patria quis.*

*Qui differat à caritate.*

8. Causis ergo distant timor & amor, obsequio & affectu libero cognati. Primus ergo timor metuit puniri: Secundus privari: Tertius neutrum. Primum illum perfecta caritas exterminat: Secundum ad tempus tolerat: Tertium sibi indivisè collaterat. Hunc vos filiæ Jerusalem timorem captate. Primum cavete illum, quem caritas foras mittit: *Media*, inquit, *caritate constravit.* Ubi media dicit, totum dat intelligi. Et vestri cordis medium caritas consternat, caritas vestiat. Vestis hæc est & ornamentum nuptiale. Quæ si à nuptiali exigitur conviva, quanto magis à nupta? Sola præoccupare & possidere vult omnes mentis vestræ recessus. Nolite illos degeneri & alieno communicare affectui. Molle quidem & delicatum est stratum caritatis, molesto ne ad modicum quidem vult metu contristari. *Propter filias*, inquit, *Jerusalem.* Jure quidem: pax enim multa diligentibus legem tuam. *Psal. 118.* Si quis de indulta gloriatur gratia, quanto magis & vos? nam etsi constat spiritualium donorum magnas esse divitias, sed caritas supergressa est universas. Non modò supergressa, sed etiam complexa. Et dulcis & dives est caritas. Denique sicut habet psalmus, *Inter medios virtutum cleros*, & in spiritualium communione gratiarum super stratum dormitur caritatis. *Psal. 67. c* Caritas quasi media omnibus communicat, & quasi melior omnes cumulat virtutes. Æmulamini ergo filiæ Jerusalem charismata meliora. Magis autem ut caritatem habeatis, & abundantiùs habeatis, totæ in affectum amoris transite. Totus enim amabilis est dilectus noster Jesus-Christus, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

## SERMO XX.

*Egredimini, & videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.* Cant. 3. d

1. Audistis quò invitatæ sunt filiæ Sion: sed unde jubentur egredi, nondum audistis. Id enim est quod non exprimit littera. Unde ergo? numquid de Sion? Sed videbitur Deus deorum in Sion. *Psal. 83. d* Non ergo de Sion eas vocat, quas ad videndum Deum vocat. At fortè non ad visionem Dei, sed ad videndum Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua? Ideoque nil obstat, si filia Sion egredi jubeat de Sion. Sed numquid non homo ille natus est in Sion? Ergo si de Sion evocantur, non tamen vocantur nisi ad Sion: de Sion superiori ad inferiorem Sion. Nec enim dignum aut consentaneum videtur, ut filiæ Sion egrediantur de ea, præsertim ad videndum ipsum, cujus habitatio in Sion, & qui natus est in ea. *Psal. 86. b* Memini disertum & eruditum quemdam virum, cùm super hoc disputaret loco, dixisse: Malè locatæ videntur quæ jubentur egredi. Satis commodè pro tempore dixit, ad audientium quod proposuerat utilitatem deflectens. Mihi tamen nimis bene locatæ videntur, ad quas præsentis verbi hortatus intenditur. Ubi quæris? In reclinatorio aureo, de quo præcessit sermo hesternus. Delectabilis ille locus est, & uberior ad lætitiam, quàm humana queat affectio capere. Delectationis nimietas seipsam exhaurit, & ebibit animum voluptas exundans. Vicibus alternatur hoc gaudium, nec potest esse continuum, quod est nimium. Bonæ tamen vices, ubi non disceditur à sponso. Non datur in carne commoranti hereditate possidere reclinatorium aureum. Ideo jubentur egredi filiæ Sion, sed quomodo si dicat, ne longiùs abeatis.

2. *Egredimini*, inquit, *& videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.* Non vult eas à Christo discedere, sive mente excedant, sive sobriæ fiant. Bona sobrietas simplicitas fidei, quam intuentium possit aspectus ferre; & quâ possit foveri. Felix qui hoc gradu cùm descendit, excipitur: & cùm ascendit, incipit. Ascendentibus enim hic speculationis locus primus occurrit. Bona enim speculationis æmulatio: sed scientia necessaria est. *Ad contemplationem per gradus tendendum.* Reclinatorium ad illud aureum succenderis & succingeris, locum verè speculatorium. Studium probo, sed exspecta ut componam tibi gressum; & gradum ponam. Specula est, & specula verè sublimis, specula omnis terrenæ exhalationis supergressa nebulas. Inassuetus quid illuc saltum paras? Manibus (sicut scriptum est) nitere, *Prov. 30. d* ut adsuescas morari in æde regis Salomonis. Interim repe, donec rapiaris. Non enim saltus, sed *ascensiones*, *Psal. 83 b* inquit Psalmus, *disposuit in corde suo.* Erit autem quando ascensio in saltum, magis verò in assumptionem convertetur. Quæ sunt autem istæ ascensiones, nisi quædam mentis purgationes? Ideo in valle lacrymarum, quoniam delicta quæ plorantur purgantur. Felix qui satis lavit lectulum cordis, qui sufficienter ploravit: cujus completa est tristitia, cujus ad cor consolationes inspiratio loquitur.

divina, & de convalle plorationis evocat, cujus à furore Judicis non turbatur oculus, ut videre valeat regem Salomonem tranquillo aspectu in die lætitiæ cordis ejus.

3. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem.* Illi enim habentur digni hac læta visione, qui se quadam pœnitentiæ lege concluserint, & disciplinæ coarctaverint custodiâ, quorum renuit anima consolari. Vis nosse quàm bona sit conclusio? *Hortus conclusus, fons signatus. Surge, propera amica mea, & veni.* Vides jam quomodo illam invitat, & amicam vocat, quæ seipsam concludere novit? Quòd si conclusæ estis, nolite egredi, donec Christus vos invitet. Egressa est Dina, non educta, & egressa est non ut regem Salomonem, sed ut mulieres videret regionis B illius. Quid invenerit, vos nostis. Vos egredi nolite, nisi quando vos aut sponsus, aut sponsi invitant sodales. Egressus est Lazarus cùm illum Dominus evocaret ad vitam. Egressus est Noë de ea quæ ipsum inter huius mundi fluctus illæsum arca conclusit; sed egressus est cùm ei reclusit ostia Dominus. Egressus est Abraham de terra sua, ut repromissionis terram videret; sed vocatus egreditur. Et vos egredimini filiæ Sion, invitatæ ad felicioris gratiam visionis. Conclusus est, & conclusus miserè, qui beatam ad hanc visionem egredi nec nititur, nec meretur. Servilis conclusio, egressio libera. Denique *cum fueris*, inquit, *conversus ad Dominum, auferetur velamen*, velamen ignorantiæ & ignobilitatis: Dominus enim spi- C ritus est. Ubi spiritus Domini, ibi libertas. Ubi major abundantia spiritûs, ibi libertas uberior. Qui concluditur & involvitur, tenuem habet respirandi libertatem.

4. Egredimini ergo filiæ Sion, ut cum Paulo dicere possitis: *Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem transformamur.* Visio Dei, quodam est cum affectu semper accipienda. Et verè efficax est & violenta visio tua bone Jesu, quæ intuentium in se rapit affectus. Nonne dulcem quamdam desiderij sui passus est violentiam Moyses, ut transiret & videret visionem illam magnam? Vis accipere quàm sit efficax? *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quid vero cum humiliatus fueris ad terram, nonne omnium ad te D trahis animos? Ego, bone Jesu, resurrectionis tuæ non exspecto gloriam, nec admirationem meam ascendentis in cælum reservo potentiæ; sed statim in initio annunciationis, vel nativitatis tuæ voces angelicæ aures meas percellunt, & rumor novus stupefacit me, & ad se rapit insueta lux exorta in tenebris. Nuda visio, & quæ se in affectus condignos non transfert, ignorantiæ & cæcitati connumeratur. Vultis visionem fructuosam accipere? *Viderunt insulæ, & timuerunt, & extrema terræ obstupuerunt, & accesserunt*, ait Esaïas. Videtis quos virtutum fructus Dei visio pariat: timorem, stuporem, amorem. *Viderunt*, inquit, *& timuerunt, obstupuerunt, & accesserunt. Viderunt* te ad intelligentiam, *timuerunt* ad reverentiam, *obs-* E *tupuerunt* ad novitatem, *accesserunt* per conformitatem. Visio comprehendit, timor comprimit, suspendit stupor, rapit & unit accessio. Illi enim accedunt qui æmulatione accenduntur. Videntis animum timor humiliat, stupor quasi infatuat, amor conglutinat. Cassa visio est, nec contemplationis digna vocabulo, quæ talibus non est vestita affectibus. An illum videre diffinies, qui de mysterii cognitione nec timet, nec stupet, nec ardet? Timore sobrius fit animus, stupore absorptus, accessu consertus & consociatus. Hujusmodi virtutibus contemplationis gratia constat, sed stupore magis & amore. Nam stupore & admiratione mens excedit, amore accedit. Nec æstimanda est virtus contemplationis tam ex materia, F quàm ex modo. Utraque attendenda sunt & genera rerum contemplandarum, & gradus affectuum. Sed satius inferiori in genere ampliùs affici, quam in superiore minùs. Visio hæc absondita est à sapientibus & prudentibus, & revelata est parvulis. Ideo dicit: *Extrema terræ obstupuerunt, & accesserunt.*

5. Quod humiles capere sufficiunt, id magis solet afficere, & quamdam sui admirationem & amorem importare. *Cum exaltatus*, inquit, *fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Omnia que in te sunt, bone Jesu, quamdam

Cantic. 4. c — Cant. 2. c — Gen. 34. a — Johan. 11. f — Gen. 8. — Gen. 12. a — 2. Cor. 3. d — Ibid. — Exod. 3. a — Johan. 12. c — Effectus visionis seu contemplationis Dei. — Isa. 41. b — Math. 11. d — Johan. 12. c — Quæ mate-

A habent alliciendi efficaciam, & cogitantes sollicitant in affectum: sed ad omnia non possumus omnes attingere. Sublimia solis sublimibus sunt, humilia omnibus. Quæ major humilitas, quàm exaltari in cruce? Etiam de hac ait: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Efficax ad trahendum humilitas ista. Quidni? Quis non ad simplicem cogitatum hujus rei stupore & ecstasi repleatur? Cujus non affectum fides hæc exhauriat & infatuet, & reddat insufficientem? Facilis ad contemplandum locus, sed fœcundus ad gratiam. Simplicitas fidei hujus minus habet intelligentiæ, satis magnum & admirationis & amoris incitamentum habens. Accessibilis locus, sed excessus dulcissimos pariens. Nolite hunc contemplationis locum dedignari. Non est difficilis ad recogitandum, & est dives ad gloriam. *Mihi*, inquit Paulus, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu-Christi.* Et quid vultis audire? Crux ipsa corona est gloriæ, diadema regni. Denique in cruce triumphavit, exspolians principatus & potestates, & mundi Principem ejecit foras. Gloriosa visio triumphi ipsius.

6. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Videte carnem, quam humano sumpsit ex genere triumphantem in ligno. Et felix caro, quam sibi Christus non quasi carcerem, sed quasi coronam assumpsit: quæ fuit ornamento, non oneri. Nos omnes in carne quasi in domibus carcerum absconditi sumus, compediti & servientes legi peccati. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia*, inquit, *Dei per Jesum-Christum.* Deus enim *mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne.* Veritas carnis in Christo, peccati pondus non sentiens, nobis omnibus de peccato victricem palmam advexit. Bene quasi diadema accipitur corpus immaculatum, corpus triumphi; corpus honoris & gloriæ, corpus cujus cruore peccati deletur chirographum, justitiæ & salutis signatur conscriptio, nuptialia sunt instrumenta confecta. Denique hic dies desponsationis, quando veteres repudians ritus, nova Ecclesiæ sacramenta instituit: quando in perpetui matrimonii signum & copulæ nuptialis, de latere ejus sanguinis & aquæ mixtura profluxit. Hodie synagogæ dedit libellum repudii, & à priore odiosa ad posteriorem dilectam transivit. A veteri transivit ad novam, quam sibi ipse exhibuit gloriosam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Novitatis signum est quod rugâ caret. Explicuit Christus litteræ rugas, & quod inerat novitatis elicuit. Quid vultis vos Sion & synagogæ filiæ rugas contrahere, quas Christus explicuit? Novis supervenientibus, quid veteribus adhuc gloriamini? Egredimini filiæ Sion de cavernis litteræ, de angusta & ignobili intelligentia. Egredimini & videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua. Corona nobis est Incarnatio, quam vos putatis contumeliam. Et videte jam quomodo benedixit coronæ anni benignitatis suæ, quomodo campi eius repleti sunt ubertate. Videte coronam, videte & copiam. Coronam victoriæ, virtutum copiam. Unde hæc, nisi quia granum frumenti cadens in terram mortuum fuit? Denique hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Et ipsa credentium multitudo corona est & ornamentum Christo. *Eris*, inquit, *corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Numquid hoc dictum vobis usurpatis? an non per vos nomen Dei blasphematur? Egredimini filiæ Sion, & videte quàm gloriosus sit Deus in Sanctis suis, si fortè visio hæc ad æmulationem vos adducat, & de solitudine vestra ad Ecclesiæ frequentiam transire faciat. Etsi deserta fuisti, sed *non vocaberis*, inquit, *ultra derelicta: & terra tua non vocabitur amplius desolata.*

7. Sed iam desistamus ad eos qui foris sunt sermonem proferre. Ipsi potiùs videre delectemur, quomodo jam pinguescunt speciosa deserti, quomodo credentium coronâ Christus in Ecclesia cingitur. *Quæ est spes nostra, & corona gloriæ? nonne vos ante Dominum?* Si Paulus hoc dicit, quomodo non magis Christus? *Vivo ego*, dicit Dominus, *quia his omnibus velut ornamento vestieris.* Advertisti quomodo credentium agmina ornamentum esse

riæ contemplationis affectibus movendis aptiores. — Gal. 6. d — Caro Christi ipsi fuit honori, nobis est oneri. — Rom. 7. d — Ibid. 8. a — Repudium synagogæ, desponsatio Christi cum Ecclesia. — Eph. 5. — Psal. 64. — 1. Johan. 5. — Isa. 62. a — Ibid. — 1. Thess. 2. — Isa. 49. c

Christi

Coronæ seu diadematis tropologia pulcra ad religiosos.

Christi in Ecclesia diffiniat. Quare non & corona sunt? A Sed corona habet quamdam insignem & illustrem præ ceteris ornamentis dignitatem: quia cetera cùm sint corporis, ista est capitis. Et temporis ratio ad ejus commendationem aliquid affert. Sollemnibus tantùm usus ejus est accommodatus feriis. Jam erectam video alacritatem vestram: jam ad vos hujus verbi interpretationem deflectitis. Jam vestrum in coronæ prærogativa intelligitis privilegium, qui purioris estis vitæ & professione adstricti, & exercitio instructi, & indefessi studio, & otio festivi. Jure diadematis censentur nomine, quos jam non tam pugna sollicitat, quàm triumphus lætificat: quibus non est colluctatio adversùs carnem & sanguinem, qui serpentis jam caput non observant, sed Christi exornant. Vos estis B corona Christi & gaudium: & ideo sicut cœpistis, sic state carissimi, sic state in Domino, immo sic capite Dominum. Sublimis locus est, nihil illuc vilioris afferte materiæ. Videte vocationem vestram, videte quem estis in usum assumpti. Nihil fœni, nihil ligni, nihil stipularum in Domini velitis diademate texere. Nihil denique quod ignem mereatur vel vereatur. Spinæ complexæ igne comburantur. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris eos qui spineam capiti Regis nostri imposuere coronam. Tale diadema non honorem, sed horrorem adducit. Horret Christus magis asperitatem morum, linguæ stimulos, quàm aculeos spinarum: in his præsertim qui in silentii vocati sunt simplicitatem, in caritatis negotium, in otii C quietem, in humilitatis scholam, in subjectionis votum, & vinculum unitatis. Sed non est bonum vinculum, quando sibi mutuò confœderantur, & in aliorum obtrectationem dexteras conserunt, Judæorum more dicentes: *Tollamus justum, quia inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris.* Vos autem æmulamini pacis bonum in bono semper.

Christus magis horret morum & linguæ aculeos quam spinarum.

Sap. 2. c.

8. Denique species coronæ quoddam unitatis præfert indicium. Non sola corona est æstimanda materies, sed & forma ejus pulcræ intelligentiæ rationes administrat. Ea enim est coronæ species, quæ & in orbem cohæret, & in altum se erigit. Vis habere cohærentiam quamdam communem & idipsum? *Credentium*, inquit, *erat cor unum, & anima una.* Quis hujus unitatis finis? Propter D spem utique, quæ reposita est in cælestibus. Jam ergo habes cohærentiam in unitate: erectionem in spe. Et Apostolus: *Galeam*, inquit, *salutis assumite.* Et bene de galea introducta est mentio, eo quòd habeat quamdam cum corona viciniam. Nam utraque capitis est, sed altera munimentum, altera ornamentum. Ideo nihil impedit spem ad utramque referri: *Spe enim salvi facti sumus.* Ista nunc de forma perstricta sufficiant. De materia quid quæritis? Ipsi enim scitis quòd fragilem & obscuram materiam dedignatur locus sublimis. Aurum vult & lapides pretiosos. Posuisti enim in capite ejus coronam de lapide pretioso. Aureas in Apocalypsi coronas legis. Pretiosa materies, sive solum sit aurum, sive quædam auri gemmarumque E mixtura. Sed nescio quid majoris gratiæ significare videtur, quod auri mentione sublata, *de lapide*, inquit, *pretioso posuisti in capite ejus coronam.* Et adhuc excellentiorem vobis demonstro materiam. *Apparuit signum magnum in cælo, mulier amicta sole, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Apostolorum tibi & numero & specie chorus monstratur. *Qui enim ad sapientiam erudiunt multos, quasi stellæ splendent ad perpetuas æternitates.* Hæc corona fratrum stetit in circuitu Jesu, sicut scriptum est. Et in Apocalypsi diademata multa in capite sponsi, secundum diversitatem gratiarum & graduum: sed illud præcipuum quo coronatus est in die desponsationis suæ: in die quo sibi in discipulis desponsavit Ecclesiam. Desponsavit eam F in fide, desponsavit eam dando in cordibus eorum arrham & pignus, & primitias Spiritus. Et desponsatio dicitur participatio Spiritus, quando adhærens Deo jam non duo, sed unus spiritus est. Denique & ipse eit homo qui reliquit patrem & matrem, & adhæsit uxori suæ, & facti sunt duo in carne una. O beatum commercium! facta es cum sponsa in carne una, & ipsa cum sponso in uno spiritu.

Act. 4. f

Eph. 6. c

Rom. 8. a

Psal. 20. a
Apoc. 4. a

Psal. 20. a
Apo. 12. a

Dan. 12. b
Lu. 24. c
Apo. 19. b

Desponsatio Christi quid.

1. Cor. 6. d

Eph. 5. g

9. Quomodo oportuerat de tali te gaudere conjugio fidelis anima? quomodo lætari, & diem festum agere? Induere, induere vestimentis gloriæ tuæ, civitas sancta, sponsa agni: gaude & lætare Sion adjuncta Christo. Quomodo tu non gaudebis, cum gaudeat ipse? *Gaudebit sponsus*, inquit, *super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.* sed quanto gaudio? *In die*, inquit, *desponsationis ejus, & in die lætitiæ cordis ejus.* Non levem dedit intelligi lætitiæ motum, quem esse cordis expressit. Lætitiam dico? deliciæ sunt. *Deliciæ*, inquit, *meæ esse cum filiis hominum.* Quam caró tibi, Jesu bone, constant illæ lætitiæ. Non gratis eas possides, quas carnis passione comparasti. Ideo cordis tantùm hanc dicit lætitiam. Injuria est sponsi, si ipse lætatur, & tu non ex corde applaudis, non congratularis, non congaudes. Vel fastidij, vel despectionis instar est, cum gaudente non gaudere, & hoc in desponsationis die. Affectum tuum cujus alliciat species, si non ejus qui speciosus est forma præ filiis hominum? Gaudens gaude in Domino, & exultet anima tua in sponso tuo, in Deo tuo: qui si Deus non esset, & homo purus esset, quantas tamen haberet in se amoris illecebras homo talis, tot gratiarum abundans muneribus? Nam si à radice conceptionis ejus recensere cœperis, totus tibi stellatus videbitur juxta conditionem humanam, tam singularitate, quàm excellentia virtutum: homo innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus: ut interim sileam quòd excelsior cælis factus est, infirmitatibus nostris potens compati, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato. Diffusa est gratia in labiis, misericordia in visceribus, virtus in manibus; conversatione singularis, sermone communis, prudentia in responsis, vita in verbis. Quid? quòd conceptus est ex fide, natus ex Virgine, non consumptus in morte, & assumptus in gloria.

Isa. 62. a

Ibid.

Prov. 8. d

Christi elogium.

Heb. 4. d

10. Reticeo nunc credentium numerum, & merita populorum, quos misso Spiritu sibi in fide & caritate sociavit. O verè magnum pietatis sacramentum Christus, irritamentum amoris, qui manifestatus & infestatus est in carne, justificatus est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatus est gentibus, creditus est mundo, assumptus est in gloria. Quis det mihi istas discurrere & recurrere frequenter per lineas, & per singulos virtutum & operum gradus dicere: *Domine quis similis tui?* Quis mihi det ut scribantur sermones isti in corde meo, ut exarentur stilo, & quasi in silice scribantur, ut non deleantur? Bonus stilus digitus tuus, Domine, digitus quo scribebas in terra verba arcana, verba, quorum virtutem calumniantes ferre non poterant. Inclina teipsum Deus meus, & incide in corde meo legis tuæ tabulas. Lapideum est cor meum, sed durus lapis naturæ obliviscitur ad digiti tui impressionem; facilè cedens, ubi tu incidis. Sed jam multa diximus pro eo quod oportebat sponsam lætari & gaudere in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis sui dilecti. Magna in hac die lætitiæ ratio, & quæ cordis & affectus humani fines excedat. Nec est huc peregrina inducenda lætitia, sed diei isti sufficit lætitia sua. Dulcis es Domine, & directus est ad nos spiritus tuus, spiritus suavis. Humanas tibi animas per fidem & amorem quodam sponsi associas affectu, & de conversione lætaris. Durum cor quod sibi lætitiæ hujus materiam subducit, occasiones attenuat, imminuit rationes. O me impudentem & ingratum, si non ego talem diligam, tam absolutum à corruptione, & tanta circa me adstrictum compassione, necessitati non obnoxium, & pietate obnixum. Diligam te dulcis Domine, etsi non pro me, pro te tamen; ut tuo satisfaciam desiderio, deliciarum tibi causas subministrem, argumenta lætitiæ, in die desponsationis, & in die lætitiæ cordis tui.

1. Tim. 3. d

Psal. 34. b

Iohan. 8. a

## SERMO XXI.

*Egredimini, & videte Regem Salomonem, &c.* Cant. 3. d.

ET vos audeo confidenter ad visionis hujus invitare lætitiam, filiæ cælestis Sion, Jerusalem quæ in cælis est. Vos veræ & plenæ filiæ Sion, quæ semper intuemini faciem Patris. Vos, inquam, multorum millium Angelorum frequentia, vos invito & voco. *Egredimini & videte*, egredimini de recondito illo sinu intimæ visionis, de secreto lucis inaccessibilis. Novum vobis terra nostra præstat spectaculum: Novum enim fecit Dominus super terram. Ab

Ier. 31. d

æternis ad terrena vos provoco. Mira hæc invitatio: sed nescio quo pacto æterna illa, quæ in seipsis semper & nova & miranda sunt, in eo quod factum est in terra novum, nova magis & mirabiliora refulgent. O beata hæc in terris novitas temporalis: quæ antiquam illam & æternam novitatem angelicis in aspectibus ampliùs innovavit. *Novum faciet Dominus super terram: femina circumdabit virum.* Quem virum? *Ecce*, inquit, *vir, Oriens nomen illi.* Oriens splendor lucis æternæ femineo, sed virgineo circumdatur utero, & carne vestitur. Hoc est illud novum, quod ipsa sui novitate nimia credulitatem obstrueret, si non esset inauditis priùs signis fides elicita. Denique inter tot & propheriarum & prodigiorum manifesta testimonia, ad novitatem istam adeò quorumdam sensus obstupuit, ut dum novitati fidem abrogant, signis evidentissimis non accommodent credulitatem. Sed quid vos ad egrediendum invito, qui ipsos etiam ubique prævenitis & instruitis Apostolos? Ubique seduli estis ad admiratores & annunciatores novitatis istius. Angelus concipiendum nunciat Mariæ: natum pastoribus Angelus nunciat; immo & ipsis Angelis, non tantùm pastoribus Angelus nunciasse videtur. Unus prædicat, alii applaudunt. *Facta est*, inquit, *cum Angelo multitudo cælestis exercitus laudantium, & dicentium, Gloria in altissimis Deo.* Unus annunciat, quod alii æquè noverant: & tamen quasi novum & recens audiunt, quod illis ignotum esse non poterat. O beata hæc novitas, quæ angelico gaudium præstat auditui, & (ut sic dicam) delectat illos ab alio audire, & quasi discere quod eos ab initio ipsa Veritas edocuit. O humilis & indefessa devotio, & ad Deum, & ad invicem.

Zach. 6. c.
Luc. 1. c.
Luc. 2. c.

Verbum Dei etiam à scientibus religiosè audiendum.

2. Est hîc aliquid, quod nos utinam observemus, immo & servemus. Quid illud? Ut angelico exemplo humilem & attentum præbeamus auditum alieno sermoni, etiam in illis quæ non ignoramus. Non tamen alienus est, qui de Deo est, nisi nos à Deo alienos reputaverimus. Et si alienus est, auctoritatem illi tribuit divina materia. Nota fastidire, aut curiositatis est, aut contumaciæ signum. Angelici spiritus, quibus à principio innotuit sacramentum Incarnationis, non abstinent ab admiratione in novitatis hujus exhibitione; & antiqua cognitio non modò visione nova, sed novo gaudet & lætatur auditu. In temporum fine egressus est Christus, ideo egrediuntur & ipsi. Et egressus ejus à diebus æternitatis. Sed in temporum fine de utero ejus egressus est quæ circumdedit eum feminæ. Ideo egrediuntur cælestis filiæ Sion, admiraturæ in completione quod semper admiratæ sunt in exspectatione. Angelus in annunciatione, Angelus in nativitate, Angelus in baptismate: Angelus apparuit oranti, testis est resurgenti, adstat ascendenti. Quàm vehementes putas amatores sunt tam seduli annunciatores, & indefessi admiratores? Per omnes hujus sacramenti gradus circumeunt & immolant hostiam admirationis, hostiam vociferationis; cantant, & psalmum dicunt Domino. Et omnis hæc veneratio extrinsecùs exhibita est, absque ea quæ intrinsecùs latet. Et si novum fecit Dominus super terram, cælos tamen novitatis hujus odor replevit. Femina circumdabit virum, quomodo circumdat corona caput. Caput enim Ecclesiæ Christus. Gloriosus plane in illo splendore gloriæ, & paternæ figura substantiæ: sed superaddito nostræ quodam velut fuco naturæ, & colore inducto, dum sublucet, plus placet: nec illis tantùm qui secus ferre non poterant, sed in his etiam quibus purè se splendor ille refundit.

Angelorum admiratio de mysterio incarnationis.
Mich. 5. a
Luc. 1. c
Luc. 2. b
Luc. 3. c
Luc. 22. c
Luc. 24. a
Act. 1. b
Eph. 5. e

Incarnatio Christo gloriam & decorem attulit.

3. Hæc autem dico, quòd dignatio hæc ipsa, quâ voluit incarnari, quemdam videtur attulisse decorem dignitati majestatis. Quomodo enim non plus placebit humiliata sublimitas, exinanita immensitas, & divinitas incarnata? Ista varietate quid pulcrius? Varietatem dico? contrarietas videtur, eo ad contemplandum pulcrior, quòd hæc sese contraria non impugnant, sed congruunt sibi. Mirabilis in se divina simplicitas, sed (ut sic dicam) multo hæc compositio mirabilior, quia novior. Non possum mixturæ hujus artem satis mirari, & puto nec Angeli. Et quidem illis mirandi ratio major, quibus divinæ naturæ mera simplicitas sincerius innotescit. Illa incomparabiliter mera est, & ideo mixturam hanc mirabiliorem reddit. Quænam hæc mixtura, cùm sua cuique naturæ constet integritas? Nam nec alterutra in alteram transit, nec ex utrisque quasi tertia & nova quædam consistit. Novum tamen est quod in una persona conveniunt. Contemplatio utraque quædam est velut cella vinaria. In illam introducti sunt Angelici spiritus cellam nectaream majestatis æternæ, immo à conditionis suæ initio positi. Jam nunc in temporum fine hæc nostra in terris cella mustum novum eructat. O promptuaria plena, promptuaria exundantia & eructantia ex hoc in illud! Egredimini filiæ Sion de cella vini meri ad hoc mustum, quod miscuit sapientia in cratere novo. O calix inebrians quàm præclarus es, & ideo claritate inebrians! Liquor æternus novo huic infusus calici majore cum caritate hauritur, quamvis cum claritate temperata: idcirco etiam amor esse debet intemperatus. Quis enim se ab amando temperet, quando nostræ se capacitati contemperavit immensa majestas? O calix non hominum tantùm, sed & Angelorum mentes inebrians, & in se à contemplatione meræ divinitatis mixturâ hac novâ convertens! Egredimini filiæ Sion de copia illa vini meri ad hunc calicem temperatum. Egredimini & gustate quàm suavis est Dominus. Ibi suavitatis divinæ simplex natura prospicitur; hîc suavitatis ejus usus & indicia proponuntur. Ibi in se videtur; hîc in effectu suo: hoc ultimo in genere, utrumque mirabile est: & nescio quid magis mirer, in una persona naturarum compositionem, an compositionis causam. Quid jam in unitate divinæ essentiæ tres esse miramur personas? Plures jam ex integro in una persona naturas mirare. Quid non hîc ad contemplandum suave, quidque non afficiat?

Quàm admirabilis, & suavis ad contemplandum.

Item causa illius & circumstantiæ.

4. Denique ad admirationis cumulum causa accedit. Causa nec consequentiâ rationis, nec salvationis efficaciâ caret, nec gratiâ compassionis. Vis audire consequentiam? *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Et idem: *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituuntur multi.* Quid consequentius? Magna consequentia, sed ex parte justitiæ efficacia major. Denique, *etsi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Ubi delictum, ibi seductio & fallacia intercessit; & ideo non omni ex parte voluntarium videtur. In gratia verò nihil non ex proposito, nihil non libitum. Quomodo ergo non efficaciora sunt voluntaria bona, quàm velut aliqua ex parte coacta mala? Et verè efficax gratia & artificiosa. Nescio quid magis mirer, artificium coaptationis, an efficaciam salvationis. Utrumque in beneficio gratum est, & voluntas, & eventus. Adde & tertium, modum ipsum & rationem. Nihil voluntate hac affectuosius. Quæ dilectio major, quam ut ponat quis animam suam pro amicis suis? At hoc fecit pro inimicis. Et inimici erant in seipsis & amici, quia ante mundi constitutionem dilecti. Quid operis hujus eventu uberius? Larga effusio Spiritus super omnem carnem, satis manifestat. Effusio sanguinis Christi spiritualem nobis effusionem impetravit. Quos lavit sanguine suo, quomodo non perfunderet Spiritu sancto suo? Ideo priùs mundavit, ut essent super quos altius postea Spiritus inundaret. Ad ordinem quid consequentius? Coarctor in hujus materiæ consideratione, & quid potissimum ad contemplandum è tribus eligam ignoro: pietatem, an prudentiam, an proventum. Certant hæc inter se in contemplatione nostra: & cùm in alteram partem intenditur, in alteram trahitur. Blandiuntur hæc mihi, & affectione diversa permulcent. Inardesco, stupeo, gaudeo. Gaudeo pro utilitate, ad prudentiam stupeo, inardesco propter impensum mihi pietatis amorem.

1. Cor. 15.
Rom. 5. d
Ibidem.

Maxime pietas, prudentia & proventus.

5. Quid ista dispertior? Confunduntur hæc inter se, & in uno quoque genere permiscentur frequenter. Nam & modus, & commoditas, & affectio; sive malis sic dicere, prudentia, proventus & pietas: hæc inquam tria sive simul, sive sigillatim considerata, animum ad se meum & trahunt citiùs, & tenent diutiùs, & quamdam in admirationem & exultationem convertunt. Matris Ecclesiæ fides talium varietate virtutum ejus diadema contexuit. Hunc ibi numerum, hoc pondus, hanc mensuram assignant. In ordinis ratione & consequentia numerus deprehenditur, & concordiæ modus. In pondere pietatis affectus vehementior. Et verè vehemens pondus gratiæ, de cælis ad terram majestatem immensam deducens. Immensitas hæc omnem incomparabiliter excedens creaturam, ad mensuram se contraxit, mensuram pertingendi usque ad nos. Non enim quasi non condescendens

ad nos superextendit seipsam, sed in mensura nobis distillat dona Spiritûs. Mensuram interpretor in effectu munerum. Ad mensuram enim dat nobis Deus Spiritum. In mensura contra mensuram: in mensura gratiæ, contra mensuram injustitiæ. Nam sicut abundavit delictum, abundavit & gratia. An non hîc mensura contra mensuram? Certè & supra. Superabundavit enim & gratia. Numquid tantùm super mensuram delicti? Non utique tantùm super mensuram delicti, sed etiam super mensuram gratiæ. Et contra & supra mensuram injustitiæ abundat gratia, & supra mensuram gratiæ, sed non contra abundat gratia. Ubi enim una abundat, necesse est & altera superabundet, & detur abundantiùs abundanter habenti. Mensura hæc mensura bona & conferta, & coagitata, & superfluens. Superfluitas videtur, quando non tantùm necessaria suppetunt, sed etiam exuberant voluptuaria. In donis Spiritûs quædam expediunt, quædam docent, quædam delectant, sanant, exornant exhilarant. Quomodo non superfluunt quæ sic excrescunt? Sed hæc jam sufficiunt de numero, & mensura, & de pondere diadematis, quod Salomoni Regi mater ejus composuit. Quoddam enim illi quasi sertum gloriæ confert: dum coaptat quod à nobis assumpsit, & quod nobis exhibuit. Videtis quibus hoc diadema dotibus gratiarum constet. Sed quid de gratiis ad diadema? *Dabit*, inquit in Proverbiis, *capiti tuo augmenta gratiarum.* Pater dat, & mater coronat. Ipsa coronat, quia ipsa credit, ipsa circumdat, ipsa coronat Mater. Ecclesia seipsâ te, Jesu bone, exornat, seipsâ te vestit: seipsâ te calceat & coronat. In profectione calceamentum est, in perfectione corona. Mira mutatio, ubi excusso pulvere, si quis adhæserat, de calceamento corona efficitur.

Rom. 5. d Gratiæ mira abundantia.

Prov. 4. b

6. *In die desponsationis lætitiæ.* Vide ordinem. Unus dicitur desponsationis & coronationis dies. Si istud scis, beatus es si sequaris. Convertis ordinem, si vis priùs desponsari quàm coronari: si priùs vis ad jucunditatem & quietem devinciri Christo, quàm cum Christo vincere. Anticipatio quidem beata, sed non ordinata, si ante triumphum thalamum tibi optas collocari: si ante laborem præsumis lætitiam. Unus est his tribus constitutus dies: diademati, desponsationi, & lætitiæ cordis. Et quod est cor Salomonis nostri? *Vos*, inquit, *estis corpus Christi, & membra de membro.* Felix planè quodcumque membrum capitis hujus; sed qui cor est ejus, de præcipuis est. Et vide, si non cor est, qui quodam in ventre secretorum Dei fovetur, in vitali affectionum calore, in medio meditationum. De corde enim cogitationes, non operationes exeunt. Jure ergo cor est, qui in medio spiritualium locatus est cogitationum, in pinguetudine gratiarum, in quodam ventre veritatis, in utero sapientiæ, cujus in typo Salomon ponitur. E quidem una eadémque vel Ecclesia, vel anima, & corona est, & cor, & sponsa. Corona in capite, sponsa de latere, cor in ventre. Corona in summo, sponsa in proximo, cor in intimo. Quid hîc non optimè collocatum? Quid non festivè? Egredimini hinc nostræ filiæ Sion, & videte, ut & vos transeatis in affectum cordis hujus, in sponsæ gratiam, in diadematis speciem. Nolite nomine casso gloriari. Estote quod esse dicimini, speculationis filiæ. Usus ipse attestetur nomini. Festus enim est desponsationis iste dies, & Dei susceptione dignus, & ab hoc ad festiviorem, qui nuptiarum est dies, pertingitur: in quo non datur libellus repudii, non intercedit divortium: non abit vir via longissimâ, ne brevissimâ quidem, sed est semper in domo sua sponsus Christus Jesus, qui vivit & regnat cum Deo Patre & Spiritu-sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Cant. 3. b Desponsationis, coronationis & lætitiæ unus dies constitutus.

1. Cor. 12. d

Quis cor Christi

Matth. 15. d

## SERMO XXII.

*Quàm pulcra es amica mea, quàm pulcra! oculi tui, columbarum; absque eo quod intrinsecùs latet.*

Cant. 4. a

1. NOn veretur ne suis intumescat laudibus, & humilitatis jacturam faciat, cujus ipse sibi pulcritudinem cum expressione tanta sponsus commendat. Frequenter ex multo placendi desiderio subest metus displicendi; & propensior devotio conscientiæ securitatem imminuit & furatur. Quid ergo mirum si sponsus applaudit illi de pulcritudine, affectumque blanda allocutione demulcet, quem metus invexerat? Quanam enim ratione deformitatem non vereatur



A suam hominis anima quælibet, quæ nostri Salomonis in matrimonium adsciscitur? Audivit illum in diademate suo, in die desponsationis & lætitiæ cordis, in illa abysso gloriæ solito festiviorem: poteratque jure vereri repulsam, si deformitatis & abjectionis suæ respectaret ad causam. Oportuit itaque ut securior reddita resumeret animum, & infusa alacritas mentis faciem vivido quodam colore perfunderet. Nam totius vitæ & operum pulcro vultui plurimum adjicit mentis hilaritas. Propterea in hunc modum amicam sponsus alloquitur: *Quàm pulcra es amica mea!* Similia ferè dicta sunt supra in præcedentibus, ubi sic legitur: *Ecce tu pulcra es amica mea, ecce tu pulcra.* Idem pæne videtur: *Ecce tu pulcra es, & quàm pulcra es.* Utrobique pulcritudo prædicatur ipsius, & iterata commendatio confirmationem declarat. Sed quantum ipse advertere possum, aliquanta hîc innuitur distinctio. Nam ubi dicit, *Ecce tu pulcra*, agit tantùm de pulcritudine: hîc verò de nimietate pulcritudinis. *Quàm pulcra es amica mea, quàm pulcra!* Ibi simplex attestatio quasi subito deprehensæ pulcritudinis; hîc autem admiratio nimietatis. Ibi attestatur quàm pulcra; hîc oblectatur quòd tam pulcra. Hîc enim majore pronunciatur cum pondere affectuque mirantis, & prolationis modus motum oblectatæ mentis declarat: *quàm pulcra es amica mea quàm pulcra!* Et quidem in processu Cantici perfectiora ad sponsam dici oportuit. Hæc à nobis de similium distinctione verborum. Nam quæ super pulcritudine sponsæ interpretanda fuerant, copiosè & accuratè suis explicata sunt locis. Et quæ vir (utrum eruditior, an eloquentior nescio) suis disputavit in homiliis*, nec minimo (ut sic dicam) digito decuit à nobis ad discutiendum attingi.

Cant 1. d

* Bernardus hom. 40 in Cant.

2. Hoc verò non negligenter attendendum, quòd post generalem commendationem pulcritudinis particulatim amicam depicturus, loco primo ab oculis orditur. Prudenter quidem: quoniam si simplex oculus fuerit, totum corpus lucidum erit. Et ideo columbarum comparat oculis, ut juxta Evangelii doctrinam, suam amicam simplicem doceat sicut columbam. Denique universum corpus operationis simplex illustrat oculus intentionis, & facit ut coram Deo luceant opera, quæ per se coram hominibus poterant lucere. Nam quando foris bonum lucet opus, sed operis bonitatem non intendit animus; quasi corpore claro oculus cæcatur. Opera quidem ipsa aliquoties in genere suo bona sunt, & aliis commoda; sed operum bonitas in actorem non refunditur, qui simplicem oculum in ipsis non habet. Ideo tenebrosa sunt, quod intentionis sinceræ lumine carent. Bonus itaque simplex oculus, non habens ullam partem tenebrarum, conversationis corpus totum serenans. Aut totus enim tenebrosus est oculus, aut totus lucidus, aut habens aliquam partem tenebrarum admixtam. Totus tenebrosus est, cùm operi malo propter malum intendit: totus lucidus, cùm operi bono non nisi propter bonum intendit. Cùm verò in opere bono non tantùm in ipsum bonum, sed etiam in alium aliquem finem intentio dirigitur; vel cùm in opere non bono quod inesse credebatur bonum, errando diligitur: aliqua ex parte oculus caligat, & non est mera simplicitate purus. Quid cùm opus bonum prætenditur, & non ipsum bonum, sed aliud totum intenditur? Oculusne iste tenebrosus dicetur, ex toto, an ex parte caligans? Mihi quidem magis tenebrosus ex toto videtur. Nam etsi lux deputetur in opere, nulla tamen agnoscitur in intentione. Quomodo autem intentio bona, quæ bonum non optat; aut quomodo simplex, quæ sub boni velamine seipsam occultat? In oculis verò sponsæ utraque commendatur, & simplicitas, & spiritualitas: ideo columbarum dicuntur. Et bene in amica sua primò lucem commendat, ut sibi demonstret similem, qui & ipse dicitur lux mundi, & in quo tenebræ non sunt ullæ. In sex dierum conditione lux omnium prima creata dicitur, & in describenda pulcritudine sponsæ, lucis in primis inducta decenter est mentio.

Matth 6. c Mat. 10 d Recta intentio in operibus solicitè curanda.

Est primum sponsæ ornamentum. Joan. 8. b 1. Joan. 1. b Gen 1. a

3. *Oculi tui columbarum.* Quid te amicam esse præsumis, tu quæ nescis oculos habere columbæ? Opera quantumcumque fuerint bona, si impurus est animus, de pulcritudine frustra tibi applaudis. Quomodo amica es, quæ pulcra non es? Sed quomodo non es inimica, quæ malignaris in sancto? Malignatur in sancto, qui malignatur in bono sive in

*In propriis actionibus cavenda mala intentio, in alienis prava interpretatio.*

suo, sive in alieno. In tuo malignaris bono, cùm bonum ipsum non conspicaris: in alieno, cum de bono malè suspicaris. Et prava intentio, & perversa interpretatio; utraque malignatio est: utraque fellea, utraque falsa, nihil habens cum columbarum natura commune. Oculi columbarum sunt, qui nec falli volunt, nec fallere norunt. Nescis quòd sponsus tuus veritas est? Quomodo dicet tibi, *Columba mea, amica mea*, quæ simplicitate non gaudes? Amica est veritati simplicitas: ideo cum simplicibus sermocinatio ejus. Denique simplicitati amicæ applaudit dicens: *Oculi tui columbarum*. Bona enim est oculata simplicitas, ita simulationem excludens, ut non caliget in veritate. Rara hæc hodie in terris avis: & si qua est ejus usquam frequentia, occulta satis, & latens in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, & desuper rivos aquarum. Quomodo autem obscuratus est aut occultatus est oculus columbinus? Quis est qui sæculi calliditates non sectetur, qui illis se uti non gaudeat, qui non amet habere, aut saltem nominari in se non velit? Quis est qui non verecundetur oculos columbinos, glorietur se habere milvinos? Si Christi amicam dici te velis, quid tibi cum prudentia carnis, quæ inimica est Deo? An istas inimicitias evacuare conaris, ut utrasque carnis & spiritûs prudentias condas in te ipsa? Modicum fermentum totam massam corrumpit. Quid ergo fiet, ubi multum est fermentum, massa modica? Quæ societas legi cupiditatis, & legi caritatis? Non debet illa huic esse conjuncta: quia nequit esse subjecta. Prudentia enim carnis legi Dei aut repugnat, & inimica est: aut omnino perit, & nulla est: aut resistit, aut ex toto desistit. Potest perimi ut penitùs non sit: non potest premi ut ei contemperata sit. Tuum ergo & os & cor hujusmodi exercitatum optas habere prudentiâ, quæ legi Dei non potest vel associari, vel subjici. Prudentia spiritûs vita est & pax. Vitalis est enim prudentia spiritûs, usum habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Prudentia verò carnis in præsenti tantum exercetur vita, nullum in ea quæ sequitur, habitura locum. Cupiditatis enim apud inferos nec opus, nec usus est, sed excruciatio. Ista pax est, illa litigium. Et bene pax, cui hoc est evacuari, quod paci non vacare. Talem prudentiam ad sponsæ pulcritudinem Christus commemorat. Talis in oculis columbarum depingitur, quæ simplicitatem & spiritualitatem redoleat, eò quòd in columbæ figura Spiritus-sanctus intelligi soleat. Non solet esse vacua talis simplicitas: multum enim subest latentis gratiæ.

*Prov. 3. d*
*Simplicitas rara.*
*Rom. 8. a*
*1. Cor. 5. b*
*Prudentia carnis & spiritus incompatibiles.*
*Rom. 8. b.*

4. *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecùs latet.* Magnum nescio quid illud est, & verè magnum, quod manifestè vel dici non debuit, vel dici non potuit; nec aliquo, ut gratiæ ceteræ, simili figurari, sed in suspicione & conjectura sola relinquitur iis qui similia fortè patiuntur. *Absque eo*, inquit, *quod intrinsecùs latet*, quasi non sint intrinsecùs aliæ gratiæ & dona Spiritus. Et quomodo omnis gloria filiæ regis ab intus? Denique & intrinsecus ipsi oculi columbarum, ubi simplicitas fidei corda purificat, & illuminatos reddit oculos cordis: ubi non modò oculus, sed totus absconditus homo cordis dicitur. Sed licèt ab intus omnis sit gloria, est tamen gloria gloriæ respectu interior: & sicut in ipso homine exteriori, sic & in illo interiori alia aliis magis sunt intima, & latentia penitus, soli tantùm nota dilecto: fortasse & aliqua etiam ipsi sunt sponsæ ignota, nec collatorum divinitùs ad plenum habet notitiam munerum. Quid enim si occultatur sublimitas, dum servatur humilitas? Secretum tuum tibi, Jesu bone, secretum tuum tibi, & in absconditis sponsæ solus deliciaris. Cur non vel ad modicum illud nescio quid latens nobis communicas, & occultam, qua delectaris, figuras pulcritudinem? Plus nos ad quærendum allicis, dum illud latere intrinsecùs dicis: & curiositatem nostram ampliùs irritas, tantum silentio mysterium premens. Plus nos dum taces, trahis. Quàm magna multitudo dulcedinis hujus, quàm abscondendam judicas, dum non explicas. Quidquid illud est, latet intrinsecùs: sed de latebris istis suavissimus odor adspirat. Nescio enim quo pacto dum illud admirabiliter dulce esse conjicio, admirabiliter dulce jam sentio: jam illud pensat affectus, ad quod non penetrat intelligentia. Conditum est hoc penes sponsam, & signatum in thesauris ipsius; soli fas est dilecto istos ingredi, & gloriæ latentis arcana revolvere.

5. Hoc autem dico quòd non facile est virtutem cujusquam ex indiciis diffinire. Frequenter enim exiguis exstantibus signis, eximia sunt quæ latent intus secreta. Ideoque manifestas debemus sic virtutes laudare, ut hac in singulis adjectione utamur: *absque eo quod intrinsecùs latet*. Denique ipsam hanc, de qua nobis est sermo, commendatam in sponsa columbinam inspicite simplicitatem, quàm gratifica, quàm est in seipsa suavis & placens: majores tamen in se reconditos habet thesauros, & dulci est (ut sic dicam) medullata secreto. Quæritis quid sit illud? Dixi jam, & si adhuc vultis audire, ignorare me fateor. Possem piam hanc vobis commendare simplicitatem, & ad ejus vos æmulationem hortari, quæ tam inexplicabile & dulce mysterium continet, fortasse & confert. Id autem ipsum si fuero conatus evolvere, forsitan ad aliquid occultum & latens pertingam vel experientiâ, vel conjecturâ. Sed numquid illud erit cujus tam involutè meminit sponsus in laude dilectæ? Quamliber potuero occultum eruere, aliquid adhuc latebit intrinsecus. Altis illud latet in tenebris: nec nostro subjacet vel stylo, vel studio. Venerabor ipsum silentium tanti mysterii. Nam quamvis non est datum definitè nosse quid sit, eò quòd siletur; satis relictum est credere quòd aliquid singulariter dulce & sponso gratum sit. Non potest investigari quale sit, sed potest æstimari quàm magnum sit, vel eo ipso quod verbum tam arcanum dici non licuit.

*Columbinæ simplicitatis arcanum.*

6. Ut tamen aliquid dixisse videar, & non ex toto siluisse, (ad hoc enim instatis) accipite quod mihi videtur in hac parte verè dici posse: utrum accommodatè ad præsens capitulum, vos videritis. Virtutes ipsæ suapte natura intùs in animo locatæ sunt, sed usus quarumdam in exterioribus viget: quædam verò suam in interioribus exercent potentiam. Et illa quidem carnales declinat illecebras, ista verò spiritualium deliciarum latebras amplexatur. Illa vel sollicitantes occasiones refugit, vel insolentes affectiones compescit; & quamvis interim necessario, molesto tamen exercitio laborat: Ista tali delectatur materia, quæ non jucunditate magis, quàm honestate præcellat. Illa simplici intuitu & oculo columbino exteriores dum percurrit species, vel odit vel despicit: ista curiosiore prospectu cælestes perlustrat species, perspectis ampliùs inardescit. Possumus talem quamdam distinctionem formare, ut dicamus alias exteriores esse, alias interiores, alias intimas. Aliæ enim se à carnalibus retrahunt, aliæ spiritualibus intendunt, aliæ quasdam jam tenent primitias. Primæ se à mundi illecebra, quam contemnunt, compescunt: mediæ se ad id quod spiritualiter concupiscunt, adhuc componunt: ultimæ, immo intimæ optatis avidè jam utuntur. Deus bone, quantum lucis & deliciarum in illis est latebris! quantus excessus in recessibus illis! Utinam tales me concludant latebræ, ut illud de psalmo dicere possim: *Nox hæc illuminatio mea in deliciis meis.*

*Virtutum distinctio in exteriores, interiores, & intimas.*
*Psal. 138.*

7. Ecce nunc aliquid latens attigi in hoc ultimo gradu, & fortè vel hoc est, vel aliquid simile quod sponsus signavit. Volo de cetero deferre mysteriis: nec enim fas est audaci sermone orationum arcana nudare, & minùs sanctis manibus linguæ convolutas delicatè Sancti sanctorum revolvere species, & reconditum manna contrectare, quod aurea & urna continet, & arca recludit. Et ipsum mannæ nomen aliquid ostendit arcanum, & de quo magis possit quæri, quid est hoc, quàm dici quid sit hoc. Et cui melius quàm mannæ latens illud comparaverim? Dulcis quidem & cælestis est manna cibus: sed videtis quam secretè reconditus in urna, in arca, in sanctis sanctorum, ut curiosus & minùs idoneus ab hujusmodi aspectus arceatur, oculus ille qui columbinus esse non novit, quem non dirigit & pia credulitas, & intentio pura. Rogamus autem vos, fratres, amplectimini sanctam simplicitatem, quietem mentis, meditationes puras, liberas orationes: quoniam in talibus vasis, & (ut ita dicam) in arca sanctæ meditationis & interiori orationis urna, divina nobis est locata refectio, & portio gloriæ, de qua legitur: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Cujus plenitudo vitam nobis æternam conferat per Jesum-Christum, cui est honor & gloria per omnia sæcula sæculorum, Amen.

*Mysteria seu arcana homini impervia, [illegible] reverenter tractanda.*
*Psal. 16. d*

## SERMO XXIII.

*Capilli tui sunt greges caprarum quæ ascenderunt, de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, &c.* Cant. 4. a

Ecclesiæ (ut bene nostis) hæc blandimenta dicuntur, & de spiritualibus ejus oculis præcedenti disputatum est sermone. Sed quia tales sunt, numquid rari sunt? Vide totum corpus ejus quomodo plenum sit oculis ante & retro. Oculi ejus Prophetæ, oculi ejus Apostoli, qui vel futura prædicunt, vel jam facta prædicant. Oculi ejus sunt utrorumque interpretes & doctores populorum: quorum officio spiritualia animæ vel commoda, vel scandala, & cernimus, & discernimus. Sed nescio, si omnes qui oculi habent officium, teneant & usum. Duces cæci, nec tantùm cæcorum, sed, quod indignius est, & videntium, nonne videntur oculi habere & locum & speciem, sed virtute carere? Utinam vel id sufficeret, & virtute providendi bona carerent, essentque ad communes utilitates cæci, dùm non ad privatas arguti commoditates. Nunc autem & cæci sunt, & callidi; hebetes ad Ecclesiæ lucra, ad propria acuti. Sed quomodo oculus est columbæ, qui columbæ non inservit, columbæ non videt, columbæ non providet: qui columbam non ducit, sed magis abducit Ecclesiam, & quantum in ipso est, pravis præcipitat exemplis? De talibus Apostolus loquitur: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu-Christi.* Tales occupant locum, & pervertunt usum: cùm è diverso sint alii, qui oculi non habent officium ex promotione, sed usurpant ex præsumptione. Et quidem frequens hæc turba. Quem dabis nunc ex numero discipulorum, qui Prælatorum opera penes se velut quodam locatus in tribunali non carpat, non corrigat, non castiget? Isti non jam sunt oculi membrorum, sed quidam oculi oculorum: quomodo si pennæ & plumæ in corpore columbæ ipsa velint oculorum dirigere lumina. Nolo locum hunc nimis urgere, ne vos, fratres, exagitare videar. Estote vestrâ contenti mensurâ. Nihil omnino in corpore columbæ officio vacat, nihil caret honore: & ea quæ abscondita sunt, abundantiorem habent honorem. Denique & capillis sponsæ suus est honos. Si enim in oculis Prælati; in capillis qui sunt intelligendi, nisi Discipuli? Et boni discipuli, qui se capillorum more tractabiles & flexibiles exhibent ad omnem nutum magistri, sicut ad motum venti: qui graciles, & spiritualibus extenuati disciplinis, pæne sine corpore sunt, & penitus sine carne, ad omnem insensibiles injuriam, ut nec tondentis instrumenti sentiant læsionem: in hoc tantùm passionis sustinentes molestias, si à capite cui inhæserunt, contingat evelli. Reliquo enim emortuo corpore, vitalem ibi tantùm sensum retentant; ubi capiti, de quo oriuntur, junguntur. Quos ipsi vicini cerebro, ubi sapientiæ dicitur recessus, quasi ad intima ipsius arcana nituntur intrare: quibus hoc eradicari & quasi inde evelli videtur, ad exteriores qualibet occasione curas vocari. Nam qui inde sine sensu doloris effluunt, quomodo ibi aut nati, aut radicati credentur?

Prælati mali perstringuntur.

Philip. 2. c

Prælati per oculos, Discipuli seu subditi per capillos designantur.

2. Denique quòd non decidant capilli sponsæ, sed assurgant, audi quòd sequitur: *Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascendunt de monte Galaad.* Quasi grex caprarum, eò quòd in sublimibus pasti & positi, & tendentes semper ad alta ut capræ, altum tamen nil sapiunt, sed carnalis conscii sunt infirmitatis. Elatio namque ipsa descendit, ascendit humilitas. Ideo quasi capræ, quòd semper & alta petant, & ad infirma sua respectent. Et bene de monte Galaad ascendunt: sed tamen non nisi in monte Galaad, qui testimonii acervus interpretatur. Et quis ille nisi Christus, super quem omnia Prophetarum coacervata sunt testimonia, cui Prophetæ, cui Johannes, cui Pater, cui opera ipsa testimonium reddunt? Hic mons Ecclesiæ caput est. Noli de hoc monte defluere, si capillus es. Quid nobis separationem minaris, & velut avulsum iri à reliquorum grege capillorum? Numquid casus tuus Ecclesiæ calvationem inducet? Nescit illa decalvari. Nam & capilli ejus omnes numerati sunt. Ad Synagogam illa interminatio facta est in Propheta: *Erit pro crispanti crine calvitium.* Crispi

A sunt Ecclesiæ crines, ad suum semper recurrentes caput, circa illud ambitu amico revoluti, in ipsa capitis secreta conantes intrare. Ideo capilli ejus non decidunt, sed ascendunt de monte Galaad, operum Christi majora sibi semper ad imitandum exempla cumulantes. Utinam fidei quam habeo in Christo, omnia opera mea attestentur, & jugi profectu congesta acervum mihi ascensionis constituant. Quàm paucos ego mihi testimonii hujus contuli lapides! Vereor equidem, ne & in contrarium multos congesserim. Quid enim? Nonne tibi videntur non pro fide, sed magis contra fidem testimonia congessisse, qui sic vivunt, ut alterius videantur fidei, quàm Christianæ? Denique tales quàm multos videmus, de quibus jure dici possit: Isti non sic conversantur, ut qui Christi redemptos B se sanguine credant, qui aliam sperent vitam, qui futurum vereantur judicium, qui tandem evangelica præcepta divinitus data fateantur. Talia utinam penes me testimonia pauca reperiantur: mallem nulla, ne modicum fermentum acervum fidelium operum totum denigret.

Isa. 3 d

Vita multorum fidei non concor-

3. Et fratres mei (ut modicum de communi glorier, qui de privato non possum) si totius vitæ vestræ respexeritis ordinem, & regularis observantiæ cursum; non erit exiguus, quem boni testimonii coædificatis, acervus. Nam si à Nocturnis vigiliis, quas impigro velut primitias quasdam prælibatis affectu, & effunditis à principio vigiliarum sicut aquam cor vestrum ante conspectum Dei; si, inquam, à capite singulos per gradus conversationis divinæ seriatim velitis incedere; quid ibi reperietur quod disciplinam non sonet, quod non concinat fidei nostræ, quod non vel corpus atterat, vel mentem erigat, vel dirigat erectam? C Inter psallendum quanta est disciplina in corpore, & quàm major quorumdam in mente, dum ne ad modicum, vel certè tantùm ad modicum à sensu verborum illam sinunt abire? Nam ibi, id est in ipsis quæ cantantur verbis, aut ligatam tenent, aut ad cognata relaxant, ad peregrina nequaquam. Quod si contingat, (fugax est enim mens humana) quantâ statim castigant censurâ, & moræ hujus usuras à se reposcunt? Sed nec ipsa communium horarum intervalla nocturna vacant. Deus bone, hora illa noctis, quàm sine nocte est, quàm nox illa illuminatio in deliciis! Orationes illæ privatim fiunt, sed privata non petunt. Submissior quidem vox, sed mens intensior, & preces tacitæ D multum habent acuminis. Denique frequenter vocem eripit oratio vehemens: & verbis nec eget, nec utitur, quæ puro & pleno fertur affectu. Amor in auribus Domini solus obstrepens, corporalium strepitus dedignatur verborum, quæ sicut inchoanti excitamenta sunt, sic impedimenta solent esse perfectè oranti. Quid deinde? ipsis horis matutinis quasi de recenti orationes instaurant, frequentant confessiones, & verecunda, sed manifesta revelatione etiam exiguos purgant excessus. Non tamen exiguum reputant, si à Christo vel tenui memoria titubant. Hostis callidi, si quid fuerit improbitate suggestum, sibi E imputant iniqui in hac parte æstimatores, dum proprium arbitrantur casum, quòd alienæ sunt fraudis casso conatu tantum provocati. Quid quotidianus manuum labor, quo corpus & satis atteritur, & tenuiter pascitur? Labores manuum suarum non soli manducant; sed de insufficienti partiuntur egenis, ut & illis sit tribulatio, dummodo aliis abundet. Intervallis quibusdam levant labores, sed fesso corpore fervet affectus. Illic tacitæ lacrymæ ubertim volvuntur, prodeunt gemitus, erumpunt suspiria: ut qui juxta sedent, si fortè ex se frigidi sint, vicinis possint scintillis accendi. Quid denique quod non de crastino cogitant, nec de hodierno quidem? omnem curam projicientes in ipsum qui eis præest: non præmium, sed F solùm quærentes regnum Dei. Quid? quod pænè prætereram, in Capitulo singulis diebus examinandi Abbatis adstant judicio, quasi ad Christi præsentati tribunal. Ib quisque in primis accusator est sui, accusanti se locum aliis præripere festinans. Quid ipsum continuum silentium, & quædam compositionis gravitas? nonne totam conversationem venustat, & quadam sanctitatis pulcra vestit facie? Ipse somnus quoque sanctitatis testimonium reddit, nec in acervo testimoniorum est tantorum sine confessione. Nam reliquiæ cogitationum confitentur

Descriptio strictæ observantiæ Cisterc. tempore Gilberti.

Christo, ubi somno corpus obruitur. Quomodo enim dormientis poterunt non versari ante oculos totius diurnæ conversationis imagines depictæ, & in animo vigilare *.

* f. vigilatæ

4. Nonne tibi magnus hic videtur testimonii acervus erigi, nisi quòd non acervatim & sine ordine fiunt ista, sed serie certa, & suis singula sunt distincta temporibus? Nonne hæc testimonia credibilia facta sunt nimis, eò quòd domum tuam talis decet sanctitudo Domine? Utinam cordis mei radices super istum densentur acervum. Nescit sterilis esse tantus bonæ conversationis cumulus. Locus est altus & uber, qualem Propheta commemorat: *Vinea facta est dilecto in cornu, in loco uberi.* Et magnum planè fertilis soli testimonium, fructuum proventus uberior: sicut e contrario loci ubertas, arboris qualitatem redarguit de infructuositate sua. An non arbor mala, quæ terram bonam occupans, fructus condignos non parit, sed nec ullos bonæ spei parturit flores? Forsitan & ficulneam illam sterilem, quam Dominus jussit succidi, fertiles de vicino vineæ condemnabant. Periniquum est, in sancta conversatione plantatum, nil sanctum moliri, & excusationes prætendentem cognatis exemplis convinci, & inde descensiones disponere in corde suo, unde alii ascendunt. Sufficiat tibi qui talis es, descensus tuus. Quid bonorum acervum operum, quem alii alacritate conscendunt, detrahere moliris, & regulares observantias immutare, quarum & numerum, & rigorem causaris? Noli prohibere eos qui bene faciunt; si potes, & ipse ascende. Audi de quanto & quali acervo Sancti ascenderunt. *Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus & in speluncis, & in cavernis terræ, qui omnes testimonio fidei probati sunt.* Vides quanto sit eorum fides probata scrutinio, quibus testimoniis examinata? Quid à vobis tale vel expetitur, vel exspectatur? Et vestra hæc inferiori genere testimonia credibilia satis, eò quidem credibiliora, quod non ea necessitas imposuit, sed supposuit se voluntas. Voluntas ergo voluntas sit, & primæ libertatis jure nitatur, liberam se ad persistendum exhibeat, non æstimet ad recedendum. Agnoscat necessitatis debitum, sed non sentiat jugum. In bono libera sit, & ad bonum nihilominus libera; in illo quod jam tenet, & ad illud quò tendere debet: sed ad ea quæ retrò sunt, nullam sibi licentiam permissam existimans.

Isa. 5. a
Luc. 13. b
Religiosus infructuosus sociorum exemplis condemnatur.
Heb. 11. g

5. De quanto acervo testimonii Paulus ascenderit, tandem audite. *Ipse*, inquit, *quidem Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei.* Quantus uno in hoc testimonio acervus! Sed foris numquid non perhibuit testimonium? *Deo*, inquit, *attestante signis & prodigiis & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus.* Et tamen tanto constitutus in acervo virtutum & attestantium gratiarum: *Nondum*, inquit, *me arbitror comprehendisse. Unum quidem quæ retro sunt oblitus, ad anteriora extendor.* Et nos ergo tantam habentes impositam nubem testimoniorum, deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis. Illorum enim testimonia prærogativâ quadam dicuntur testimonia, id est martyria, qui pro fide Christi sanguinem fuderunt. Videre primum ipsum martyrem Stephanum de quanto lapidum acervo ascenderit ad Christum, quem & omnes sequuntur animæ justæ. *Quasi grex*, inquit, *caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad.* Gestabant thesaurum fidei in vasis fictilibus, sed sublimitas erat virtutis Dei. Ideo quasi ascendentes dicuntur, quòd eos immania tormenta non tam infregerunt, quàm firmaverunt ad reddendum testimonium virtute magna. Quid hîc eis animi est, qui nec unam, & eam levem, & amicam Præpositorum increpationem sustinent: sed ad unum austerius verbum totus liquescit boni propositi, quem sibi firmaverant, rigor? Istorum tot suffulta adminiculis testimonia vix stare possunt;

Rom 8. c.
Heb. 2. a
Phil. 3. c.
Heb. 12. a
Sanctorum invicta constantia nostram arguit ignaviam.

A illorum tot repressa tormentis uberiùs eruperunt. An non quantus numerus suppliciorum, tantus & acervus testimoniorum? Etsi morte affecti tota die, & æstimati sicut oves occisionis, in omnibus tamen superaverunt, & velut superascenderunt de Galaad, de acervo martyrii. Non enim de conservanda corporali vita certamen inierunt Sancti, sed de vita fidei, ex qua justus vivit. Ideoque in omnibus superant quibus salva causa consistit. Quomodo enim non superant, cùm aut persistendo in confessione redditi sunt æternitati, aut persuadendo persecutores informaverunt veritati? Denique B etsi æstimati sunt sicut oves occisionis, quibusdam tamen innocuis dentibus ab infidelitatis radice hostes præciderunt suos, ut inter Ecclesiæ vitalia reconderent viscera.

6. An non hoc sibi vult quod subnectitur? *Dentes*, inquit, *tui quasi grex detonsarum.* Advertis quales oves istæ sint, quæ possunt quidem detonderi; sed dentes earum non possunt conteri. Occidi possunt, & flecti nequeunt. Immo ipsi persecutores infregerunt suos, & invincibilis doctrinæ sermonibus emollitos quasi dentibus mansos, in fidelium trajecerunt unitatem. Petro dictum est ut *Macta & manduca.* Et Moysi dentes non sunt moti: Dentes enim eorum arma & sagittæ. Arma spiritualia potentia Deo ad debellandas munitiones. C An non quidam Ecclesiæ dentes, de quibus dicit Apostolus: *Intret infidelis aut idiota, dijudicatur ab omnibus, convincitur ab omnibus, occulta cordis ejus manifesta fiunt, & sic cadens in faciem pronunciat quia verè in vobis sit Deus.* Nolite fratres, istorum vereri morsus dentium: non sunt cani, sed ovini. Detonsarum enim gregi conferuntur. In canibus non dilaceratio, sed latratus commendatur. *Canes muti*, dicit Isaïas, *non valentes latrare: canes impudentissimi, nescientes saturitatem.* Ac si quibusdam exprobret, quòd in altero se canum officio exuant, in altero se canes exhibeant: latrare non valentes, & non desinentes lacerare. Tales sunt qui invicem mordent & comedunt, & consumuntur ab invicem. D Utinam hucusque sufficiat ut invicem mordeant & comedant, nec tentent ipsos detonsarum lacerare dentes. Ipsi doctores Ecclesiæ & præpositi nonne tibi videntur dentes quidam, qui redargutionis benevolæ velut morsibus subjectos convincunt, dijudicant, manifestant, & ad meliorem emolliunt statum? Quod si tu prædurus es, & emolliri non potes, quid remordere paras? An non remordes, qui vel in occulto detrahis, vel palam contradicis? Quid dentem contra dentem paras, dentem improbum contra dentem pium? Mordere potes, sed consumere non potes. Dentes enim sunt: & duri sunt & firmi; & detrahentes non metuunt, memores se cum Propheta inter scorpiones & incredulos commorari: & sicut oves missos inter lupos, ut ipsos lupos in oves rationa- E bili tolerantia & exhortatione commutent. Et bene *detonsarum* dicuntur, quòd illorum non sint morsus fugiendi, qui bonorum operum exempla, sicut vellera quædam, subjectis ministrant.

Act 10 b.
Deut. 34. b.
1. Cor. 14.
Dentes Prælatorum salutares in remordendis aliorumvitiis.
Isa. 56. d
Notantur qui Prælatis mordentibus obstrepunt.
Ezech. 2. c
Matt. 10. b

7. Non tamen usus dentium in alienis tantùm remordendis & convincendis erroribus æstimatur. Est & potior quidam eorum usus, si qui idonei sunt solidum cælestis edulii mandere panem, & sublimioris doctrinæ secretos dijudicare & discernere intellectus, quibus non jam lacte opus est, sed solido cibo, ipsumque quodammodo attenuare & infirmare possint, & quodam temperamento vel dispen- F sationis vel disputationis illis sobrium reddere, qui ad solidum per se insufficientes erant, sed tantummodo lactis participes. Quodam enim solidioris instrumenti ad mandendum utuntur ministerio, qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali: immo etiam boni & boni, non tantùm judicantes inter noctem & diem, sed omnem judicantes diem. Et jure *de lavacro* ascendere dicit, ut mundando cordi studiosos probet, eo quòd mundis corde divina sit repromissa cognitio. Vides quomodo lautos, & irreprehensibiles esse oportet eos, qui aliorum excessus debent remordere & corripere: quomodo lautos & mundos corde, qui divini sermonis dispensare debent alimoniam, & arcanos secretioris verbi discutere sensus, sapientiæ intima rimari, & ruminare viscera.

Dentes masticantes solidum animæ cibum.
Corripiens alios ipse sit inculpabilis.

8. *Dentes tui quasi grex detonsarum.* Quare ergo quasi grex? Utique quòd sese non impugnent, & adversentur

sibi, sed in simplicitate & unitate sensûs sui concinunt & A concordant Ecclesiæ dentes, *Quasi grex detonsarum quæ ascenderunt de lavacro.* Veterem enim deponentes hominem, & onere supervacuo levati ac loti, alacriùs ad superiora conscendunt. Siquidem ipsi pili veteres oneri jam esse incipiunt, cùm primò nova vellera germinant, cùm hiems transiit, cùm imber abiit & recessit. Ideoque si veteri & supervacuo levium & inanium rerum vellere te involui adhuc necessarium ducis, nondum tibi hiemalia congelatæ mentis frigora transierunt. Bene ergo detonsi & de lavacro ascendunt, quasi nihil veteris vel sarcinæ vel sordis habentes. Attendis quòd non tibi sufficit detonderi, non sufficit exonerari, non sufficit lotum & novum fieri, B nisi statim ascendas, & spiritu incedas, qui renovaris in spiritu? *Si spiritu*, inquit, *vivimus, spiritu & ambulemus.* Tu igitur si ascendere disponis, ascende semper de lavacro, semper novus & mundus. Lava per singulas noctes lectum tuum lacrymis. Aut si te peccatum non quasi nox involuit, sed sicut nubes prætervolat; tu tamen lavare per singulas noctes, etiam levium vestigia delictorum lacrymis dele. Hic enim in convalle lacrymarum locus est lavacri. Quid est quòd sordes congestas, & peccati purgamenta futuri reservas lavacro sæculi? Quid scis si non erit illic conflatorium magis, quàm lavacrum? Nam quæ hic facilè poterant ablui, ibi non tam in misericordiæ, quàm in spiritu judicii & ardoris purgantur. Et felix C qui de sæculo, non quasi de cœno, sed quasi de lavacro ascendit, non habens necesse ut aliquid in se lavet, sed est mundus totus. Iste planè dignus habebitur dealbatis dentibus, id est animæ sensibus, panem Angelorum manducare; non jam panem doloris, sed panem qui lætificat cor hominis: illum utique panem quem significavit Propheta dicens: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Sic enim illa gloria dum non apparet, pascit; reficit dum revelatur. Hujus siquidem gloriæ revelatio plena, quid est, nisi sapientia vera? Quæ nos ad seipsam edendum invitans, non aliàs à nobis manditur, nisi cùm illam meditamur velut vitales puræ mentis delicias, & indeficientem refectionem. Hic ergo purgatos & exercitatos animi sensus habeamus, non D jam ad discretionem boni & mali, sed tantùm ad perceptionem tanti boni. Actitemus hîc crebro quod ibi continuè agemus: præoccupemus frequenter, in quo indesinenter occupandi erimus. Summum nobis hîc negotium sit, quod solum ibi erit. Contemplatio namque sapientiæ, æterna refectio est. Nihil omnino spiritualibus animæ dentibus dulcius ruminatur, quàm ille Panis vivus, qui Patri ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum:* qui vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Gal. 6 a

Psal. 16. d

Delicta hic potius purganda, quam Purgatorio reservanda.

Meditatio cælestis gloriæ.

Johan. 17. a

## SERMO XXIV.

*Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Sicut vitta coccinea labia tua.* Cant. 4. a. E

1. Audistis præcedenti commendatos sermone sponsæ dentes. Jure quidem: quòd non exigua sit pulcritudinis ratio in dentibus posita, si candidi sint, si æqualiter conserti. Nec tantùm aptitudo, sed & utilitas in dentibus placet. Quid enim? Johannes in Apocalypsi involutum, quod sibi ab Angelo porrectum est, quomodo comederet volumen sine idoneis ad talem cibum dentibus? Durus videbatur cibus liber integer: & ideo dentibus opus erat, qui illum comminuerent integrum, & emollirent durum, ut leviùs deglutiri posset. Et bonus planè dens intelligentia exercitata, intelligentia spiritualis, quæ omnia dijudicat, omnia discutit, omnia ruminat & scrutatur, etiam profunda Dei: quæ etiam ipsam involuti libri medullam mandit, & intima sapientiæ comedit viscera. F *Stultus*, sicut scriptum est, *complicat manus suas, & comedit viscera sua.* Cibus iste cruentus, cibus carnalis est, cibus qui perit, immo qui perimit. Quàm dulciùs & utiliùs viscera sapientiæ comeduntur, & sacri verbi arcana? Non potest cruentis attingi dentibus, sed lotis & candidis, quia candor est ipsa lucis æternæ, & ipsius sponsi dentes lacte candidiores dicuntur. Propterea tales in sponsa commendat, qui suis sint similes: *Dentes tui sicut grex*

Apoc. 10. d

Intelligentia per dentem significata.

Eccl. 4. b

*detonsarum, quæ ascenderunt de lavacro.* Non modò lotos, sed & liberos oportet mentis sensus habere, si quis illos ad divini verbi scrutinium parat.

2. *Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Sterilitas reputatur, si vel uno fueris fœtu contentus. Si potuisti ad sacratum aliquem in scripturis intellectum pertingere, unum jam peperisti fœtum. Bonus profectus & ingens, sed insufficiens sacrato sensui, si affectus non respondeat. Sterilis est intelligentia, quam non coæva & germana comitatur devotio. Ubique tibi in scripturis spargitur quasi semen quoddam, unde gemellum hunc possis fœtum concipere. Non tantùm subtilia, sed suavia ibi sunt omnia. Et præceptum Domini lucidum est, & ignitum eloquium. Sterile est in te verbum Dei, ex qua parte horum alterutrum non operatur. Si per intelligentiam vides, sed gelido adhuc riges affectu; nonne sterilis & inefficax reputatur in te verbi Dei virtus ignea? Denique etsi ad ignem spectat ut illuminet, multo ampliùs ut succendat. *Verbum*, inquit Dominus, *quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Ad quæ? Habes in Evangelio: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut succendatur?* Semen est verbum Dei, & in eo (sicut apud Job legis) *& lux, & æstus spargitur super terram.* Sed nescio quo pacto lux amplius germinavit, & dilexerunt homines magis lucem, quàm fervorem: nisi quòd ipsi magis sibi de luce placeant, qui idipsum quod lucet non amplectuntur. An non tibi videtur perdidisse aut dedidicisse naturam ignis non succendens? Cum audis aliquem quasi gloriantem & dicentem: Non me ille Scripturæ sacræ sermo ædificat: quid aliud videtur tibi dicere, quàm, Perdidit in me efficaciam verbum ignitum: non me succendit, non inflammat, non exercet in me vim genitalem? Sterilitatem suam imputat verbo, quod, quantum in se est, crescit & fructificat. Quàm gloriosa, frater, jactantia, quòd non te sermo divinus ædificat, qui ista loqueris? Forsitan eversa & evulsa nondum sunt: vetera ideo nova superædificari non valent, non germinare, non gigni. Felix in quo amoris mundani desiccatus est humor, & vigor deficit: in eo facilè igniti verbi vis operatur. Verbum Dei & lucet; & ardet. Neutra in te virtute privetur, sed geminum de isto semine concipe fœtum. Sterilis reputatur uterus qui istis fœtibus non gravidatur. In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. Bonus planè fœtus dilectio: quia caritas in fructibus Spiritûs connumeratur. Denique velut gemelli fœtus gemina caritas. *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Illud primum, istud secundum: utrumque maximum, quia istud simile illi. Boni & sufficientes isti fœtus gemelli, quia in his tota lex pendet & prophetæ. Denique *& finis præcepti caritas*, quæ etiam alibi *vinculum perfectionis* dicitur.

3. Et congruè de coccineo vinculo sequitur, de quo in laude labiorum sponsæ assumpta est similitudo. *Sicut vitta coccinea labia tua.* Ea enim labia ligant & rutilant, quæ de tali ventris fructu loquuntur. Concepta in corde caritas, quasi ignis flammigerans, coccineo colore labia inficit, per quæ erumpit. Calor de excelso missus in corde, germanum labiis præstat colorem. Quid enim aliud sibi vult quòd coccinea dicuntur, nisi quòd in hoc flammea demonstrantur, eò quod coccus igneo rubet colore? Labia hæc non jam altaris carbonibus purgari indigent, & exteriori igne aduri. Ipsa enim de interiori flamma jam flammea sunt, & conceptum visceribus ignem de excelso aliis seminant. Salutarem utique disseminant scientiam, legem igneam, quam Dominus venit in terram mittere. Bene coccinea labia, quæ hunc ignem non solùm in terram, sed & in cælum mittunt. Denique & ipsum Dominum cæli succendunt. Ideo coccinea commendat labia, quod illi coccinea sunt, quod illi calentia videntur, quod illa flammea fetitit, & in mutuam amplius succendunt caritatem. Mira res: ignis ipse est, & nostris tamen inardescit scintillis. Quidni? Et gladius est Verbum Dei, & tamen vulneratur. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum*

Sterilis est si sine affectu

Psal. 18. b

Luc 12 f

Job 38 c

Semen Verbi divini cur in multis non fructificet.

Gal. 15. a

Matth 22 d

1. Tim. 1 b Coloss. 3. c

Labia coccinea seu flammea divinis apta colloquiis.

Eph. 6. g

Cant. 4. c

*suorum.* Ita & ignis est, & tamen inflammatur. Vulneratur A oculo, labio inflammatur, etiam & ligatur: ideo vittæ comparatur. Sed caritas vulnus est, caritas vita est, caritas coccus est. Vides quàm acuta, quàm tenax, quàm ignea est caritas? Talibus in orando utere labiis, tenaci velut vitta vinculo memoriæ cordi tuo dilectum adstringe, agglutina, succende illum succenso affectu. Quàm dulce, si dicat & alludat tibi: Ignitum eloquium tuum vehementer, & sponsus tuus diligit illud. Osculare me osculo oris tui, quia pulcra sunt labia tua sicut vitta coccinea. Osculandi siquidem desiderium labiorum innuit commendatio. Labia sua tuis desiderat imprimi, ut fiat os unum & labium unum, & post impressionem dicat tibi: Hoc nunc os ex ore meo, & labium B de labio meo. Diffusa gratia in labiis ejus in tua se refundit, & de cocco suo tua sunt effecta coccinea. Bona imimpressio, quæ tantam exprimit gratiam in labiis sponsæ. Memineris tamen non me nunc labia significare carnalia, sed spiritualia, sed interiora, sed illa de quibus Apostolus loquitur: *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* (Eph. 5. d) Si sponsa es, in hoc unum debent esse constricta, debent esse succensa labia tua, ut dilecto tuo supplicent, ut confabulentur cum illo, ut illi canant, & dicas cum Propheta: *Exultabunt labia mea cum cantavero tibi.* (Psal. 70. d) In tam sancta confabulatione nil sit in labiis tuis fluidum, & quasi vitta sunt: nil frigidum, & habes illa coccinea. Quis mihi det, Jesu bone, talia habere labia in C conferendis tecum sermonibus, tam prompta, tam exerta, tam succensa: succensa & exultantia, ut tantùm tibi cantent, & de te cantent? Talia sint utinam labia mea, quæ subtili quodam ductu & succenso affectu indiruptæ meditationis, funiculi coccinei specimen exprimant.

(Item humanæ instructioni.) 4. Hujusmodi labium in sponsa Christus commendat, non tantùm in oratione, sed etiam in exhortatione, ut potens sit exhortari in doctrina sana. Quæ enim se labia in ejus alloquio adstringunt, jure quidem salutarem diffundunt & disseminant scientiam, si dulci & fervida utantur oratione, ut audientium corda excitent: coccinea sunt, quia inflammantia. Si verò simul exhortentur & doceant, & ea doceant quæ sanam deceant doctrinam, quæ regulis concinant fidei; jam quasi vitta sunt, & non solùm salutarem, D sed etiam insolubilem disseminant scientiam. Quid enim tam sibi cohærens, tam tenax, tam insolubili contextum nodo, quàm ratio fidei? Talia Paulus discipulum informabat dicens: *Attende exhortationi & doctrinæ.* (1. Tim. 4. d) Sed & in sermone communi, ubi fidei non tractantur mysteria, etiam sic vittæ coccineæ labia tua conferuntur, si fuerit sermo tuus subtili mensura districtus, & discretus, & parcus, & grato verecundiæ rubore coloratus: si Crucis Christi eò frequenter, quò libenter mentionem usurpet. (Et communi sermoni.) O beata hæc labia, Christi & osculo, & alloquio verè digna; labia tam sincera, & tam succensa. In fide sincera, & in amore succensa. Succensio ista de intimis & de summis est, nil habens de infimis.

(Jac. 3. b — Lingua prava vitia accendit.) 5. Nam est succensio quædam de inferis erumpens. Ja- E cobus ait: *Lingua, modicum membrum, inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata & ipsa à gehenna.* Quomodo potest bene inflammare lingua tam pessimè inflammata? Vitiatæ nativitatis mobilis corruptela per se nimis rotatur ad malum, & volubilitate propria fertur in præceps. Et quid necesse est inflammare rotam hanc, quæ firmari non potest, sed per se fertur in malum? Denique diligenter appositum est: Cor hominis in malum ab adolescentia sua. (Gen. 8. d) A prima nativitate impulsa nescit cursum inflectere: & tu illam linguâ parvâ impellis ampliùs & inflammas? Lingua prava iracundiæ & indignationis occasiones requirit; injurias vel falsas simulat, vel veras exaggerat, quas debue- F rat dissimulare: ad offensam officia etiam interpretatur, & venenati sermonis scintillas adhibet ad commovendum cor suum. Quid lingua nequam cordi tuo talem adhibes flammam? Sufficiat illi flamma sua, sufficiat illi concupiscentiæ ardor carnalis, & levitatis calor innatæ, quibus cor tuum ac si volubilis rota impellitur. Hanc tibi flammam nativitas prima ingenuit, sed renascendi gratia restringit. Noli ignem igni adhibere, & concupiscentiæ addere malitiam. Ignem hunc quem evomis, hauris de gehenna. Inde incipit, & illò rapit. *Lingua,* inquit, *inflammata à* (Ja. 3. b) *gehenna.* Lingua hæc mala coccinea est, sed vitta non est. Non enim ligat, sed dissipat. Malè succendit, quia succidit unita, qui dissidii verba scintillat: & flamma talis de inferis est. Nam flamma quæ de sursum est, pudica est, pacifica est, bonis consentiens, & bonos faciens. Verbum enim dulce & multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Quasi flammam flamma consumit, inferiorem superior, infernalem cælestis: dum sapiens & suave verbum vincit malignum, & dulce durum emollit. Et ideo dicit: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* (Cant. 4. a) Non enim decent Sponsam nisi verba dulcia, verba amoris, verba quæ delicati funiculi vice funguntur, verba quæ Sponsum irretiant & trahant vinculis caritatis. Felix anima, quæ hujusmodi novit dulcium verborum nectere retia, quibus Jesum illaqueet, alliget Verbum Patris animi affectibus, velut affatibus Christum includat, amatorio detineat sermone & delectet, ut ejus eloquium dulce fit ei, qui habet verba vitæ æternæ, & est Verbum æternum, quod cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

## SERMO XXV.

*Sicut fragmentum mali punici, sic gena tua, &c.*
Cant. 4. b

1. QUàm suaves sunt putas sponsæ genæ, quæ mandi possunt, quæ salubris fructus obtinent gratiam. Et re vera etiam corporales genas alicujus ita grata videas venustate refertas, ut ipsa exterior facies intuentium animos reficere possit, & de interiori quam innuit, cibare gratia. Venustas vultûs mentem interpretatur, & internos affectus facies loquitur. Vides quàm consequenter post candidos dentes & coccinea labia, genarum inducitur mentio. (Vultus mentem explicat & verbis dat gratiam.) Genæ satis germanæ sunt labiis, & ipsis tacentibus quodam visibili verbo mentis arcana demonstrant. Genæ ipsæ vocis usum habent; & oris aut supplent officium, aut ampliùs exornant. Quantumvis fuerit dulcis & fervidus sermo, omnem ejus gratiam procax vultus exasperat, & levitate sua eloquii gravitatem imminuit. Ideo de genis sequitur, quòd earum modesta maturitas coccinei labii accumulet gratiam. Denique quamdam earum maturitatem tacitè videtur innuere, quas fructui comparavit. In fructibus enim semper grata maturitas. Et in præcedentibus genas ejus descripsit ut turturis, eò quod nihil lascivum, nihil leve, nihil petulans in ejus appareat vultu, sed desideriorum æstus genas dulci gravitate dejiciat. Affectus anxii vultum lascivire non sinunt, & amatoriæ meditationes omnem à genis levitatem ablegant. Turtur siquidem avis sollicita est, avis gemebunda. Talem vult Paulus virginem esse, ut sollicita sit *quomodo placeat Deo,* (1. Cor. 7. f) quæ dicere soleat: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini?* (Psal. 41. a) An non tibi videtur vox hæc esse gementis? Gemitus tuus dulcis, quem genuit amor. Quomodo non graves & maturæ genæ, quas gemebundus informat affectus? Gemitus isti non tantùm gemitus, sed refectionis gratiam tenent. *Cibabis,* inquit, *nos pane lacrymarum.* (Psal. 79. a) Et in præsenti malo punico sponsi genas assimilat, eo quod sollicitus & amatorius affectus cognata quadam maturitate, & vultum vestiat, & cibet intuentes. Relucens enim in facie mentis gratia, videntes quasi reficit, dum dulciter afficit, & suam in alios transfundit passionem. Non possum non dulciter moveri, dum talem penes me vultum depingo; & amatoriæ genæ in me similem gignunt affectum dum recogitantur. Quanto magis dum videntur? Nam expressior visio quàm cogitatus. Pulcræ omnino genæ, in quibus tanta venustas eminet, quas grata commendat humilitas: nil in se altum habentes, nil rigidum, sed quæ sunt ad modestæ humilitatis compositionem quodam disciplinæ exercitio infractæ.

2. *Sicut fragmen,* inquit, *mali punici, sic gena tua.* An non tibi quasi fractas habuisse genas videtur ille, qui eas dedit percutientibus, dedit vellentibus, & non avertit à conspuentibus? (Isa. 4. a) Bona quidem hæc fractio, per quam interior cœpit virtus eminere, & quæ intra carnis corticem concludebatur, erumpere gratia. Quasi confracta videtur tanta dignitas, ad passionis inaniens seipsam injurias: sed per hæc fragmenta

fragmenta salutis se nobis ubertas effudit. Et tu si adimpleas ea quæ desunt passionum Christi in carne tua, si portes stigmata Christi Jesu in corpore tuo: jam tibi dicit Christus, quia *sicut fragmen mali punici, sic genæ tuæ.* Si confractæ sunt, & quasi crucifixæ genæ tuæ, si quadam edomitæ & excultæ disciplina, nonne tibi videntur velut fragmina cujusdam boni fructus? Et in consequentibus ad sponsum dicitur: *Quia genæ ejus sicut areolæ aromatum*, eò quòd exaratæ sint & cultæ & compositæ aromatibus confovendis. Sic & hîc sponsæ genas sicut fragmen mali punici esse dicit. Et bona confractio, per quam non mors ingreditur, sed spiritualis fructûs specimen elucet. Bonæ ergo genæ, quæ per humilitatem ita confractæ sunt, ut fructus interni non perdant, sed magis prodant gratiam. Denique & ipsa mala punica gratam modesti vultus verecundiam, corticis rubei colore designant. Optimum planè in Christi sponsa decoramentum, verecundia. Verecundia, quasi aurora quædam, omnium actuum colorat principia, & virgineo virtutes reliquas venustat pudore. Verecundia bona sua non petulanter jactat, sed parcè eloquitur, contenta tenuiter innuisse, & cùm urget necessitas. Jesu bone, quanta ubique verecundia in sermonibus tuis! quàm propriis parcus in laudibus, quas poteras sufficienter eloqui, tam sine humilitatis jactura, quàm sine damno veritatis! Et cùm propria exprimeret, tamen nomen suppressit. Poterat plenius eloqui, sed ipse ad sponsæ exemplum modesti pudoris colorem assumpsit. Non hanc modò prædico verecundiam, quæ corporali rubore solet ora suffundere, sed eam quæ totius conversationis venustat faciem. Nam sicut corporis, ita & conversationis genæ sunt quædam, in quibus nihil est eo colore gratius, si operum omnium habitus humilitatem redoleat, si plus occultet in corde, quàm ostentet in facie. Denique & hic dicit: *Sicut fragmen mali punici, sic genæ tuæ, absque occultis tuis.* Bonæ genæ, quæ sicut nihil habent simulatum, ita multum habent occultatum; quæ sicut nihil fingunt, sic nec totum effundunt: quæ minùs prætendunt in specie, quàm tenent in virtute.

3. Possunt hæc ad interiores animæ genas referri, quæ in conscientiæ facie sunt, ubi non homo, sed Deus videt. Habet cujusque conscientia quamdam propriam faciem. Ejus genæ verecundo humilitatis rubent colore, si penes se opera non jactet, non magnificet merita, non illa eximia putet, sed tam exigua pudeat. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Si accepit, quomodo gloriabitur quasi non acceperit? Et tamen ipsa quæ accepit dona, quis intelligit? Nam si delicta non intelligit, quanto minùs dona? Dona desursum sunt, descendunt à Patre luminum. Quæ verò Dei sunt, nemo novit, nisi spiritus Dei. Ideo si cui Deus per spiritum suum revelat, non tam ipse novit, quàm spiritus Dei in illo. *Nos*, inquit Paulus, *accepimus spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Numquid omnia? aut si omnia scire potuit, nunquid omnino? Ne unum quidem (ut arbitror) ex integro: & si in flagello, non potuit intelligere donum. Utiliter ipsa sibi conscientia absconditur in parte, & ipse proficiendi amor nimius incrementa sui profectûs ignorat. Denique non ipsa virtutum velut pomorum integritas, sed tantùm fragmina in genis sponsæ eminere dicuntur: quia quod in genis est, in evidenti est. Et si novit quis veram in se virtutis alicujus gratiam, numquid vehementiam, numquid constantiam, numquid perseverantiam? *Non est*, inquit, *occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto.* Et si mihi occultum est, non tamen tibi. Spiritus enim tuus omnia scrutatur, etiam occulta mea. Utinam talia in me occulta multa habeam cognita tibi, Jesu bone, & reposita in thesauris tuis. Periculosa repositio istorum in mea scientia, ideo tuæ magis tutò illa committo. Sed non ego tam illa committo tibi, quam tu non committis mihi. Penes te adhuc tutiùs foves quod fecisti in occulto. Nec sponsæ perfectio tanta sinitur ipsi patêre & prodire in genas.

4. Sic, inquit, *genæ tuæ, absque occultis tuis.* Sunt quædam occulta tempore congruo producenda in lucem, & in facie collocanda. Interim latent in semine, tempore suo plenam acceptura speciem. Nunc igitur sponsa es, sed nondum apparet quid eris. Quis putas similis mei cum apparuero? Et nunc similitudinem tenes in parte, quia ex parte cognoscis. Revelata facie jam gloriam meam specularis, sed tamen adhuc transformaris à claritate in claritatem. Dùm transformaris, nondum integrè tenes. Transformari proficere est, non esse perfectum. Perfectum autem tuum nondùm tui, sed jam oculi mei vident: penes me jam es qualis futura es. Jam in libro descripta es vitæ, & in manibus depinxi te. Facies tua coram me semper, coram me fulget, quæ in te nunc est obfuscata. Jam drachmam imaginis meæ in te inveni, sed adhuc quadam squalet rubigine, & occultatur species ejus. Jam fides tuis rubet in genis, & vitæ colorem infundit; sed adhuc fidei res est in occulto. Ideo *sicut fragmen mali punici, sic genæ tuæ, absque occultis tuis.* Grata satis fidei facies, sed de occultis tuis mihi commendabilior appares. Patientiæ virtus in evidenti, & quasi in genis tuis satis jam placet; sed ego de posteriore te magis æstimo gloria. Et reverà, fratres, non sunt condignæ, non dico passiones, sed & ipsa patientia hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Cujus jam quædam in nobis jacta sunt semina, quæ occulta operatione seipsa ad maturitatem perducunt, & ad perfecti fructus substantiam. Substantia hæc per quamdam seminalem gratiam nunc occultatur in nobis. *Substantia mea*, inquit, *in inferioribus terræ.* Vides ubi occultatam eam dicit? *in inferioribus terræ.* Feliciter cum eo agitur quod non in infimis. Ego quædam terræ superiora accipio, quædam inferiora, quædam infima. Superiora sunt ipsa corporis humani natura: Inferiora ipsius naturæ corruptela: Infima quædam iniquitas & culpa de corruptela procedens, & ipsam magis corrumpens. Ideo non dicit substantiam suam in infimis, quòd nullum habeat spiritualis gratia (quæ summa Prophetæ substantia) cum iniquitate commercium: sed *in inferioribus terræ.* Substantia mea, eò quòd medicinaliter gratia Spiritus in infirmitate carnis sit occultata, & quasi fermentum abscondita sanans & operans, donec absorbeatur mortalitas à vita. Nam non debet massa fermentum corrumpere, sed magis à fermento in similem converti saporem.

5. Sed & alibi idem dicit: *Substantia mea apud te est.* Ergo & in inferioribus terræ ejus substantia est, & apud Dominum. Distantibus est in locis abscondita, in superioribus cæli, & in inferioribus terræ: in æternitate, & in infirmitate. Ibi per providentiam, hîc per inoperantem gratiam. Et bona gratia, quæ sic virtutum profectus operatur, ut quemdam perfectionis saporem nobis vicissim aspiret, & eructet abscondita ab origine mundi, abscondita mundo, & abscondita in Deo, ubi vita nostra abscondita est cum Christo. Et verè magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti, sed timentibus te, non amantibus. Ideo nec sponsæ fortè hæc furtiva dulcedo. Illa ipsa occulta sunt sponsæ, de quibus dicit: *Ita genæ tuæ, absque occultis tuis.* Ideo non propter illam tantùm hæc vox facta est, sed propter circumstantes, magis verò propter longè stantes, & propter resistentes: propter illos qui se timidè retrahunt à sancta conversatione, & propter illos qui invidè detrahunt. Quorum alii vitam secretam, vitam sanctorum, vacuam putant & sine honore. Alii quidem etsi non vacuam, tamen totum ejus excursum cum summo horrore; nam exitum sine honore suspicari non audent. Alii vanam, alii amaram religionem putant. Illi non venerantur, & isti verentur accedere. Ideo de occultis sponsæ curavit tenuiter innuere, quasi ex obliquo illos tangens, & istos trahens, dum sic latenter de intimis ejus admonuit deliciis: *Sic*, inquit, *genæ tuæ, absque occultis tuis.* Ac si dicat: Si cognovissent & alii quibus absconditis adimpletus est venter tuus ô sponsa, quàm facilè omnia detrimentum facerent ut illa lucrarentur! quàm libenter & bona perderent, & mala perferrent, ut absconditæ dulcedinis participes efficerentur! Nunc autem abscondita est ab oculis eorum, quæ sanctis animabus in occulto per vices alludit. Grata tamen vicissitudo, quæ multorum molestias mitigat temporum: nec exiles deliciæ, quæ in futura tempora abundant. Quid egestatem in illa veremini? Deliciæ in occultis ejus, & abundantes deliciæ. Abundantia enim in turribus tuis ô sponsa. Denique *sicut turris David collum tuum*: etsi latent deliciæ, sed virtus eminet. Quomodo

non eminens, turri collata? Sed differamus hunc in crastinum sermonem, dicturi de hac turre quod ipse David dederit auctor ejus & tutor Jesus Christus, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO XXVI.

*Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, &c.* Cant. 4. b

Cant. 1. c. 1. JAm fortia ad sponsam & de sponsa loquitur, nam delicata in superioribus, ubi sic ait: *Collum tuum sicut*
Psal. 92. a *monilia.* Et simile quid habes in psalmo: *Dominus decorem induit, induit fortitudinem.* Bona hæc indumenta, quorum unum ornat, alterum armat. Primum illud posuit quod magis proprium sponsæ videtur. Nunc se ad ejus quamdam fortitudinem convertit. Virtus fortitudinis tan-
Prov. 31. a to in sponsa pretiosior, quanto rarior. Rara planè: *Mulierem* enim *fortem quis inveniet?* Et si potest, tu tamen Jesu bone, non tam invenis quæ talis sit, quàm prævenis ut sit. Non se ipsa hæc turris ædificat, sed ipse sine quo in vanum laborant ædificantes. Et vide quàm fortem velit intelligi, quam turri David assimilat. *Sicut turris*, inquit, *David collum tuum.* Noli in hoc collo inflexibilitatem & duritiam accipere. Hæc enim non possunt ad laudem de-
Gen. 49. a flecti, sed maledictionis sententiam provocant. *Maledictus*, inquit, *furor eorum, quia pertinax: & obstinatio, quia*
Isa. 48. a *dura. Nervus*, inquit, *ferreus cervix tua.* Ad condemnationem intorta sunt ista, non ad commendationem prolata. Rigida pervicacitas solet libertatem mentiri, quam in his verbis accipio: *Sicut turris David collum tuum.* Libera planè cervix, & servilis conditionis ignara, tam erecta, tam munita ut turris David. Non puto quòd aliquo abjectæ servitutis jugo collum istud atteratur. Grave jugum super filios Adam à die nativitatis eorum: sed hæc jam non videtur de filiabus Adam. Jam veterem nativitatem
Eccl. 40. a regenerationis novitate mutavit, carnalem nesciens Adam, ex quo transivit ad Christum: ex quo secundo adhæsit, unus spiritus effecta cum illo. Ideo libera, quoniam ubi spiritus Domini, ibi libertas; libertas quâ nos Christus liberavit: libertas data, non innata. Nam à nativitate eorum grave jugum super filios Adam. Verè grave, quod mulierem illam evangelicam annis decem & octo incurvaverat, ne sineret sursum respicere: multùm dissimilem ab ista, quæ cervicem in turris modum sustulit in cælum.

Jugum grave super genus humanum.

2. Grave planè jugum, quod totum humanum genus in hac inclinata muliere excutere non poterat. Non poterat deponere & non desinebat apponere & iniquitatem super iniquitatem, & infirmitatem super infirmitatem, & utramque super alteram: fœcunda satis, sed infelici nimis fructificatione. Vis audire apponentem jugum super jugum? Audi quali se excusatione unus de invitatis ab
Luc. 14. d evangelica subduxerat cœna. *Juga boum emi quinque.* O stolida anima, tam invalida cervice, & attrito collo! unum illud portas, quod tibi corrupta imposuit nativitas, & plura comparas? Non indiges emere quod gratis innascitur. Alia adjicis emere, & ab hoc quo premeris, collum eximere non potes. *Juga*, inquis, *boum emi quinque*: & unum hoc tam grave, tam generale gratis excutere non potes. Nec tibi tamen pretium suppetit unde te redimas. Nescis quàm gravi jugo teneris? nisi sanguine Christi auferri non valet. Abundas ut plura emas; non abundas ut ab isto te redimas. O miseræ divitiæ tuæ! satis es locuples non ut mitiges, sed ut multiplices vincula colli tui, & compedes aggraves. Sufficiat tibi illud jugum grave quo premeris. Jugum hoc, si nescis, quædam est delinquendi necessitas, & impossibilitas resurgendi. Jugum hoc difficultas est ad bonum, & aviditas ad malum. Jugum hoc & iniquitas est qua reus teneris ad supplicium, & infirmitas qua pronus in vitium traheris. Originalia tibi sunt ista, & de propaginis vitio: & tu adhuc voluntaria accumulas onera? Curiositate quinque sensuum dum exteriores intendis in species, interiorem concupiscentiæ flammam provocas, quæ nisi sanguine Christi extingui non potest. Concupiscentia cùm sola est, satis inardescit: exterior verò materia si accedit, insanit. Geminum in-

Stoliditas hominum juga sibi ipsis aggravantium.

Jugum Adæ quale.

Concupiscentiæ fomes

A commodum, naturæ corruptio, & curiositas quædam exteriùs ejus irritamenta explorans. Duplicatum incommodum, proprius impetus, & hostilis impulsus. Duplicatum incommodum, flamma concupiscentiæ, & flatus incentoris.

sensuum curiositas.

3. *Juga boum*, inquit, *emi quinque.* Bene utique *boum*, quòd brutas mentes curiositatis atterat labor. Jugum si optas, non habes necesse comparare. Tolle super te jugum Christi, jugum gratuitum, jugum gratum, non grave. *Jugum enim*, inquit, *meum suave est & onus meum leve.* Ju- Matt 11.
gum hoc non est jugum boum, quia jugum rationale est; jugum non quod laborem infligat, sed requiem comparet.
B Et vide quomodo jugum hoc leve dicat. Nam illud superius grave, quod est super filios Adam à die nativitatis usque ad diem mortis eorum. Cujus putas mortis? utique ejus, de qua habes: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Bona hæc mors, quæ veterem sepelit nativitatem, novam inducit. Mors bona, quæ servitutem absorbet, generat libertatem. Nam hujus nativitatis liberi Coloss. 3. a
sunt filii. Bonus hic exitus, ut veterem exuentes Adam, simul grave jugum abjiciamus. Hic vitæ carnalis exitus captivitatis nostræ jugum dirumpit: ultra gravare non potest, sed computrescit à facie olei, ex quo cœpimus nomine alio vocari, & invocatum est super nos nomen secundi
C Adam, cujus ut oleum effusum nomen ejus. Vis audire utrumque jugum hoc grave & dirumpi, & putrescere? *Qui* Cant. 1. a
*propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Iniquitas tota & semel dimittitur. Diruptum Psal. 102 a
est jugum, infirmitas adhuc sanatur, jugum computrescit. Denique quod computrescit, lentè deficit, non desinit semel. Propositum voluntatis præcidi quidem potest, & quasi dirumpi: sed inveterata passio non tam deciditur quàm dediscitur. Et quando operandæ salutis impossibilitas aufertur per gratiam, tunc quasi dirumpitur captivitatis jugum. Sed quæ residet adhuc boni difficultas, dum paulatim sanatur, ejus videtur jugum computrescere. Computrescet, inquit, ut quamvis non semel totum, tamen quandoque putredine conficiendum donet intelligi. Quod com-
D putrescit, utique corrumpitur. Quomodo non liber, cujus jugum, vel semel dirumpitur vel sensim corrumpitur? Et jugum, & vinculum corruptum, utrumque usu suo privatum videtur. Nam nec graviter premit, nec tenaciter stringit. Felix planè, cujus computruerunt vincula, ut nulli sint usui; cujus computruerunt & corruptæ sunt catenæ à facie olei.

Jugum Christi suave quomodo capiendum.

Voluntatis corruptio non statim sanatur.

4. Sed dices: De collo sponsæ sermonem institueras: quid nunc circa jugum immoraris? Quid de jugo ad collum? Utinam nihil. Nunc autem contritio magna. Jugum enim ad quid, nisi ad collum? Sed non ad collum sponsæ, quia jam soluta vincula colli ejus, jam nescit servitutis jugo
E contineri. *Sicut turris*, inquit, *David, sic collum tuum.* Exuberantissima per hoc monstratur libertas, & depressione ab omni libera, non tamen nuda, sed quæ habeat aliquid fortitudinis admixtum. In turre non sola erectio, sed munimenti fortitudo attenditur à facie inimici. Restituta est quidem libertas, sed securitas tibi nondum permittitur. Captivitatis contritus est laqueus. Hostis aliunde quærit innectere: jus perdidit, non deposuit recuperandi spem, non Luc. 15. d
pervicaciam infestandi. Liber effectus es, libertatis tuendæ de cetero tibi incumbit negotium. Collum amplexibus sponsi deditum noli ne in modico quidem degeneri expone-
F re jugo. Denique revertenti filio pater obvius procidit super collum ejus. Pia sarcina, & jugum dulce: quod tamen Psal. 58. b
sustinere nec sentire meruit, donec primò in se reversus servilem conditionem dirupit, sic regessus ad patrem. Erecta est cervix tua: esto fortis sicut turris David, ut dicere possis: *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Ipse enim David, ipse Salomon, Christus scilicet Dei virtus & Dei sapientia. Ejus turris es, si non infimè, non infirmè sentias circa ipsum. Sed si sublimitas virtutis Dei, non ex teipso. Quasi turris est, non turris David, sed magis adversùs David, qui inflatus sensu carnis suæ extollit se adversùs scientiam Dei. Sublime hoc collum: sed superborum & sublimium colla sapientia calcat, humilium exaltat. Humilitas ipsa sumptus necessarios subministrat ad ædificationem evangelicæ turris. Nec verendum est ne sponsæ sumptus desint, quos abundanter de sponsi potest arca mutuari.

*Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum & humilis corde*. Nondum intelligis qua ratione sumptus humilitas præstet in ædificationem turris? *Qui se*, inquit, *humiliat exaltabitur*. Et bene de humilitate in præcedenti latenter est suggestum capitulo, ubi sponsæ occulta commemorat, eo quòd humilitatis pulcra sit species, meritorum laudes occultare. Si ibi de humilitate, consequenter de sublimitate istic annectit. Non potest abscondi diu turris in humilitate fundata.

Luc. 14. & 18. c

5. *Sicut turris David collum tuum*. Vide privilegium sponsæ. Apostolus Petrus hortatur nos coædificari *in domos spirituales*: hæc verò non tantùm in domum, sed etiam in turrim ædificatur. Paulus in *habitaculum Dei* coædificari nos optat: sed sponsa hoc non contenta, etiam propugnacula adjungit, ut sublimis & securior sit habitatio. Fortè & hæc una de illis turribus est, de quibus dicitur: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*. Omnino convenit, ut in turre non desit ubertas. Dura, quia duplicata necessitas, vbi foris obsidio, fames intrinsecùs. Quid proficit clausos & munitos esse aditus omnes, si intus sævus hostis fames cuncta contristat? Mala fames, fastidium. Clausæ sunt januæ & exteriores muniti aditus, si per sensuum tuorum fenestras mors non ingreditur, nec experientia indisciplinatorum sensuum de exteriori materia mali incentiva admittit. Si projicis avaritiam ex calumnia, si obturas aurem ne audias sanguinem, si claudis oculos ne videas malum; jam clausus es, jam habitas in excelsis, & munimenta saxorum sublimitas tua. Numquid satis est? Quid prodest tam munita sublimitas, si quæ intus sunt, fames & fastidii vastat crudelis egestas? Quid prodest dura saxorum & inaccessa sublimitas, si non ibi panis est, si non aquæ fideles sunt? Bona quidem protectio, si tamen non desit refectio. Bona sunt munimenta saxorum, si tamen talia sint de quorum possit duritia & mel, & oleum elici. Et quidem ipsa observantiarum duritia, & petra disciplinæ, frequenter largos effundit rivos olei, & mentis faucibus dulcedinem devotionis ministrat Ordinis quidam lapideus rigor. Denique sic habes: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*, ô Jerusalem, sed *abundantia diligentibus te*. Alioquin, qui non amat, etsi intus sit, esurit tamen. Quomodo autem egestas erit in hac spirituali turre, in turre David, in collo sponsæ, in quo jugi commercio spiritus vitalis trahitur & refunditur; in quo verbi sacri commeatus assiduus est, & vocalis spiritus discurrit? Quomodo fames in collo, per quod abundantia suavitatis eructatur, & verbum bonum de cordis libertate? Collum quoddam videtur commercium, & quoddam glutinum, & cordis cum ore, & corporis cum capite, utriusque ad alterum. In collo vinculum est & via. Quod aliud erit vinculum nisi caritas, per quam capiti corpus cohæret, Christo Ecclesia? Quæ alia via spiritus nisi caritas? Hæc enim excellentior via, immo hæc est spiritus vadens & rediens, & ad suam recurrens originem; unde nascitur, illò revertens. Ab hac lex pendet & prophetæ.

1 Pet. 2. a

Eph. 2. d

Psal. 121. d

Nihil prodest muniri exteriùs, si intus sit fames.

Psal. 121. b

6. Ideo *mille clypei pendent ex ea*. Omnis enim sermo Domini ignitus clypeus est, & propugnacula ipsa ad sermonem referuntur. In sequentibus dicit: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea*. Propugnacula de ipsa solent esse turris materia, & quasi de eodem cum ipsa corpore. Et vide quomodo caritas consubstantialia & sibi concorporalia propugnacula gestat. Vide quomodo innata sit caritati sollicitudo quædam, prudentia quædam, & pervigil cautio ad declinandas vel depellendas infestationes & machinas hostiles. Habent propugnacula aliquid clausum, habent & apertum aliquid. Per istud insidias explorat: per illud assultus declinat. Illic providens: istic se protegens. Talibus est caritas cum propugnaculis ædificata quia talis est ei tam fortis, tam prudens sollicitudo innata. Ipsa magnum est sibi firmamentum quoddam. Denique fortis est ut turris dilectio. Ipsa novit tentamenti occasiones & cùm opus est fugere, & ubi fugiendi non subest copia, fortiter ferre: & cùm ipsa tantum firmamenti habere videatur, aliena tamen adjumenta non refugit. Propugnaculis munita assumit & clypeos. Bonus clypeus conversationis ordo, & lex ab hominibus tradita. Hæc etsi non est caritati necessaria, non tamen reputatur supervacua, nec onerosa quidem. Spiritualis est caritas: nec indiget lege, nec tamen legem dedignatur, sed legitimè utitur, eâ protecta, non oppressa. Bonus etiam clypeus sacri meditatio verbi Omnis enim sermo Domini ignitus clypeus est.

Cant. 8. c

Caritas propugnaculo comparata.

Prov. 30. g

7. Non est contenta caritas spiritualibus, quas ipsa gignit, meditationibus: & cùm ipsa Domini lex sit, in ipsis tamen legis sermonibus meditatur: inde sibi testimonia assumit, inde se * tuetur, & multiplici protegit clypeo. Et cùm magnum habeat intus testimonium Spiritûs, ab ipsis tamen litteris sacris patrocinia sibi decerpit. Et bona protectio, quam vel caritatis experientia suggerit, vel sermonis sacri peritia tradit. Paulus in epistola sua quædam caritatis tibi propugnacula depingit. *Caritas*, inquit, *patiens est, benigna est*. Percurre totum illum de caritate locum; non ne tibi tot propugnacula videntur exsurgere, quot gratias distinctas enumerat? *Non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*, &c. usque *non excidit*. Vides quot propugnaculis turrita consistat? numquid non ista concorporalia caritati videntur, & velut de fundamento ejus exsurgere? Et tamen istos affectus, quos caritas quasi naturaliter gignit, doctrina dirigit, disciplina regit, erigit exercitatio; & bonum originale, quantum ad caritatem, Ordo hic ab expertis præscriptus, vel fovet, ne deficiat; vel promovet ut crescat: ideo caritas interna inspiratione non contenta, sermonis sacri undique sibi, velut clypeos, institutiones memoriter appendit. Ipsum inspice Sponsum, qui mediator & sequester quidam est inter homines & Deum, quasi collum medium inter corpus & caput, turris fortitudinis à facie inimici. Ipsum, inquam, inspice, qui propriis abundabat, quomodo assumpsit scripturæ clypeos, & velut ad auctoritatem se contulit, scuto veritatis fraudulentas interpretis maligni propulsans insidias.

* al. sentit.

1. Cor. 13. b

Ex scriptura sacra clypei assumendi.

8. Tu quoque si fueris mediator quidam & sequester inter homines & Deum, & velut collum corpus & caput conjungens; mille clypei in te pendeant, omnimodi clypei divini sermonis. Sacra tibi præsto sit auctoritas, & ad omne patrocinetur negotium, non tantùm ut tibi sufficiat, sed ut reliquis abundet. Esto paratus ad reddendam rationem omni poscenti de ea quæ in te est fide & spe. Quasi poscere videtur fidei tuæ rationem, qui fidei contraria persuadere conatur, & ipsam infringere. Bonum ergo à collo tuo scutum pendet, si fueris scuto fidei munitus, scuto veritatis, scuto bonæ voluntatis, sacri scuto sermonis. Omnes hos in scripturis clypeos legis. Sed & si fueris in sublime per caritatem erectus velut turris; si per contemplationis gratiam, quasi collum, reliquum corpus excedens; accedas ad caput Domini, & abscondaris in abscondito faciei Domini, in secretario sponsi, in thalamo veritatis: nonne tibi videris delicato protectus clypeo? Et nescio si quod scutum ad protegendum efficacius sit, quàm talis amplexus dilecti. Igneus est, & ideo omnia tela nequissimi ignea extinguit, & ignis ignem consumit. Si fidei scutum illa extinguit, quomodo non magis veritatis bono protegitur clypeo, qui absconditur in calore ejus? Est enim veritatis fervida meditatio, suggestiones inimici malè ignitas antè extinguit, quàm ad mentem pertingant. Inter sponsi amplexus & caritatis negotia, non vacat sponsæ peregrina tela suscipere. Benè talis clypeus à collo sponsæ dependet, eò quòd tam succensi amplexus gratiam experitur sola dilectio, sola tales novit excessus: & mentem faciens adhærere Deo, unum ad horam cum illo spiritum efficit. Beatum planè collum, in quo sermo Domini igneus moratur; à quo velut scutum gratis dependet amplexibus Patris Verbum, veritas, & virtus. An non tibi delicatè protectus videtur, qui talibus coronatur & circumdatur undique scutis ante & retro? Fidelis paxillus, in quo tot diversa vasorum genera pendent. Bene hæc à collo caritatis pendent, quòd ipsa sit unctio quæ nos docet de omnibus, & omnia suggerit: quòd in ipsa omnes gratiæ conferuntur, & referuntur ad ipsam, & ex ipsius pensantur & penduntur mensura. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Armatura planè, quam Paulus ad Ephesios numerat. *Omnis armatura fortium*, id est amantium. *Fortis est* enim *ut mors*

1. Pet. 3. c

Quadruplex clypeus in scriptura.

Eph. 6. c

Cant. 8. b

*dilectis.* Quid ergo? Tantum ibi sunt arma fortium, non infantium ubera? Si excedit quasi turris quædam, caritas non condescendit? Sive mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis. Caritas Christi urget nos.

2. Cor. 5. c

Caritas excedens & condescendens.

9. Audistis excedentem: vultis sobriam & condescendentem accipere sponsam? *Ubera,* inquit, *tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Bona turris sponsa, quæ se per conversationis disciplinam undique claudit, & per scripturarum doctrinam sibi clypeos copiosè appendit, & per contemplationis excessum in sublime assurgit. Ipsius etiam continentia fortis, & doctrina fidelis, & excessus cælestis: tamen & ejus sublimitas condescendere didicit, & doctrinæ copia ad sobrietatem deduci, & rigor liquescere in quamdam rationabilis lactis dulcedinem, & arma fortium in infirmorum ubera converti. Ubique illam urget caritas Christi, sursum ad illum rapiens, deorsum propter illum trahens, sed non tenens diutius, dum ad suas subinde delicias in excessum recurrit. Ideo dicit: *Ubera tua sicut hinnuli capreæ gemelli,* quòd semper circumspicit montes pascuæ suæ, quòd ad pascuæ locum illam convertat & rapiat nota refectio, quòd ad sponsi lilia levi saltu subito relabatur, unde delicatè refecta cælestium succis herbarum, distenta ubera ad parvulos iterato reportet. Sed quæ de uberibus istis dicenda sunt, non possunt aures fatigatæ forsitan & hora fugiens portare modo, & potum lactis ab uberibus istis exprimere. Uberius otium & horam liberiorem orantibus vobis, cùm Dominus dederit, oris nostri officium non denegabo, ipso, in ejus præconia præstante copiam, qui præstat affectum, Christo Jesu, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

## SERMO XXVII.

*Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, &c.*
Cant. 4. b

1. Videtis fratres, quomodo nec ubera sponsæ laude privantur. Et quidem uberum usurpatio frequens tum in aliis locis, tum in istis præcipuè Canticis: *Vino* ubera præfert, *botro* confert, adsimilat *turri.* Et quod nunc in præsenti est, *Duo,* inquit, *ubera tua duo sicut hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Videtis quàm multiplex uberum commendatio. Si mater est, maternum pectus uberibus carere non decet. Ubera noverat Paulus habere cum diceret: *Facti sumus parvuli in medio vestrum, quomodo si nutrix foveat filios suos.* An non tibi videtur factus quasi hinnulus, qui factus est quasi parvulus? Unde fovebat filios quasi nutrix, si non habebat ubera? Quasi duo hinnuli capreæ duo filii Ecclesiæ: alter de Circumcisione, alter de Gentibus. Vide quomodo Paulus utrisque ubera coaptat. *Factus sum,* inquit, *Iudæis quasi Iudæus: his autem qui sine lege erant, quasi sine lege essem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam.* An non ubera hinnulis istis coaptaverat, omnia factus omnibus? Omnibus omnia factus est non simulantis astu, sed compatientis affectu & habitu coaptantis. Denique utrisque se conformabat: nunc se cum illis à licitis cohibens, nunc ad licita condescendens, utrorumque ubique declinans scandalum, ubi fidei non obsistebat injuria. Omnibus omnia factus est, nec Judæis ritum in initiis licitum tollens, nec ad eorum irritationem gentiles compellens. Omnibus omnia factus est, pro audientium capacitate & præcipiens moralia, & differens mystica. In hac duplici materia velut duo ubera porrigit, doctrinæ planioris lactea ubera parvulis temperans. Interna compassio ubera quidem habet, sed coaptatio foris ubera exhibet. Illa miseretur, sed ista medetur. Quid enim mihi prodest si tantum compateris, & infirmitati & quasi infantiæ meæ contemperare te commmode nescis? Quid mihi prodest si compatientis affectu causam in te meam transfers, si curam quam debes non affers? Utraque necessaria est, & compassio, & quædam disciplinæ & doctrinæ compositio. Compassio affectum conformat, compositio te ad lactandum parvulos utiliter incurvat. Neutro in genere sancti doctores auditoribus desunt, facti sicut illi, & pietatis affectu, & conformationis usu.

Cant. 1. a
Cant. 7. b
Cant. 8. d

1. Thess. 2. b

1. Cor. 9. d

Paulus quomodo omnibus omnia factus

Prælato & doctori duo necessaria, misereri & mederi.

2. Utinam istud attendant qui facturi sunt in conventu fratrum sermonem. Student magis alta quàm apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Erubescunt humilia & plana docere, ne sola hæc scisse videantur. Erubescunt ubera habere, nudare mammam, lactare parvulos. Quid istud est? Ideone consedisti in medio cathedram tenens, ut scientiam jactes, an ut teneram subditorum lactes infantiam? Subtilia texis: artem qui audiunt mirantur; eloquentiam laudant. Bene quidem, tamen si gratiam sentiunt, si te disputante audientium moveatur affectus, intellectus instruatur. Alioquin quid ad præsens negotium peregrina quædam adducere, quæ auscultantes non capiant? Magna eloquentiæ laus est, causam quam susceperis apte exsequi, ad ejus commodum cuncta referre, suscepto inservire negotio. Nusquam evidentius eloquentiæ tuæ signum dabis, quàm si humilem materiam exsequaris ornatè; & sermonis temperamento attollas, quæ per se jacêre videbantur, & velut contemptibiles sententias commendabiliores efficias. Nec tam debes attendere quæ te dicere deceat hominem litteratum, quam quæ debeant audire quos instruis. Quid enim inde consequuntur, si ambulas in magnis & in mirabilibus, non dico super te, sed super eos qui assident? Noli altum altè sapere, sed condescende humilibus. Sublimia loquens, sed non in tempore, quid aliud affectare videris, nisi ut tibi soli taceant homines, & dicatur de te quod dictum est de Salvatore, quia *nunquam sic locutus est homo?* Ascendisti cathedram, ut alios ædifices, non ut teipsum infles: ut impleas, non exinanias teipsum, nisi fortè eo modo quo se Salvator exinanivit, formam servi accipiens, ut nos carnis suæ lacte nutriret in salutem. Bonus imitator Magistri Paulus ubera non occultat, sed habere se jactat. *Tamquam parvulis,* inquit, *in Christo lac vobis potum, dedi non escam.* Et item: *Nihil me arbitror scire inter vos, nisi Iesum-Christum, & hunc crucifixum.* Ipse novit cui mensam paret, & quibus ubera porrigat. Ideo ubera ejus sicut hinnuli, quia doctrinæ suæ verba emollita sunt, qualia parvuli in Christo capere possunt.

Prædicatores plausum & vanam gloriam sectantes perstringit.

NOTA utile monitum concionatoribus.

Johan. 7.

Phil. 2.

1. Cor. 3.

1. Cor. 2.

*. al. ubera

3. Audisti jam qui sunt isti hinnuli, & quare duo. Vis nosse quare gemelli? Quia in fide non est distinctio Judæi & Græci. Vacant tibi privilegia meritorum, & regeneratio nullos distinguit, quæ cunctos æqualiter absolvit. Omnes enim egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius. Fides utrosque populos æquè nobilitat, sed Judæus aliter reputat. In communi clementia jura sibi privata deposcit. Quid mirum si vult esse primus, quando voluit esse solus? Unigenitus esse non potest, affectat vel primogenitus. Vide quanta objecta sint Petro in Actibus Apostolorum, quòd ad homines præputium habentes introiisset, quòd illos suscepisset ad fidei mysteria. Vide quantum in epistola ad Romanos Paulus desudet adversùm Judæos, quòd in gratia sibi fidei privilegia vindicarent quædam, & quos una fides conjunxit, distinguerent gradibus. Ibi affectabant esse in gratia soli hîc summi, nolentes habere compares, quos non poterant non habere participes. Gentes autem fecit Deus cum Israël concorporales & comparticipes testamentorum, & in nullo discrevit, fide mundans corda earum. Ideo dicuntur gemelli, quia fides nullis gradibus separat, quos æque regenerat. Alioquin qui nesciunt esse gemelli, effecti sunt nulli: & in convivio locum occupantes primum, jam nec habent novissimum. Quæ ratio non inter illos tantùm vertitur, sed se dilatat ad omnes, ut nemo alii in gratia, quocumque in gradu fuerit, aut participium, aut parilitatem invideat. Quis enim merita prætendat, ubi in munere sola est gratia? Non debent vetera præjudicare, ubi nova facta sunt omnia. Et in hinnulis regenerationis novitas intimatur, sicut in gemellis, in regeneratione parilitas. Qui bene capreæ dicuntur, id est Ecclesiæ filii, propterea quòd sicut capreæ acute cernant. Acuta sunt enim Ecclesiæ lumina, contemplantis non quæ videntur, sed quæ non videntur.

Rom. 10.

Rom. 3.

Act. 11.

Gal. 2.

Iudæi Gentibus invidentes gratiâ exciderunt.

4. *Ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis,* si tamen liliorum sentiant gratiam: si ipsis lilia redoleant ut lilia, & non insuavem odorem refundant. Bonus & gratus est odor lilii: sed tamen ipsum lilium aliis redolet lilium, aliis absinthium. Lilium convallium, lilium singulare Christus: lilia erant ipsi imitatores ejus. Audi quid liliorum unum loquitur: *Christi bonus odor sumus: aliis odor mortis in*

1. Cor. 2. d

A *mortem: aliis vita ad vitam.* Vides quomodo singulare lilium illud, in quo bonorum omnium plenitudo olebat, tristem tamen videbatur quibusdam odorem spirare. Isti sunt qui ponunt dulce in amarum, & lucem in tenebras. Sed ille verè inter lilia pascitur, qui liliorum odore potitur. Lilia sunt exempla castitatis, quæ non solùm moderna & præsentia, sed & præterita & longè posita optimè redolent. Lilia sunt etiam sacri sermones, in quibus æternæ vitæ olfacimus gaudia, & odorum attrahimus spiritum. Quàm multis, fratres, estis hujusmodi vallati liliis. Etsi omnes Ecclesiæ filii, vos copiosiùs: quorum naribus singulis

Lilia sunt exempla castitatis. Idem sacri Sermones.

B ferè momentis nunc Prophetarum, nunc Apostolorum, nunc Evangelistarum spirant casta eloquia, tamquam lilia, & verba & vita eorum grato fragrant odore. Quæ enim lilia suavius redoleant, quæ poterunt illorum æquare fragrantiam? Qualem tibi refundit odorem Maria, qualem Johannes, qualem Petrus, qualem alii evangelici viri, qualem denique ipse Jesus? qui singulariter & in se redolet, & in reliquis omnibus solus ipse sentitur, quicquid suave fragrat in ipsis. Ejus verba novum mundo spargunt odorem,

C cùm mysteria revelant Trinitatis, cùm Redemptionis gratiam, cùm copiam virtutum, cùm gloriam Resurrectionis, cum æternæ vitæ statum exponunt. *Verba vitæ æternæ habes*, Petrus ait: Et *ad quem ibimus*? Et nos idem dicamus dulci ejus odore perfusi. In te Jesu bone, Patris Deitas olet, qui est in te. In te gratia Spiritûs, qui unxit te: in te Matris virginitas, in te propriæ carnis integritas, in te nostri medela languoris. Omnia hæc nobis olent in te: & ad quem alium vel amore, vel memoriâ ibimus? Injuria est planè talium liliorum, si aliquis peregrinus odor se illis immisceat, qui suavitatem illorum contristet, animique afflatus naribus ipsum corrumpat, & convertat ad sæculum, & post cœni fœtorem currere faciat. Injuria est, si tibi suaviùs fragrant vitia, quàm virtutum lilia. Fastidiosus est

Johan 6. g Odor Christi suavissimus.

D verè, qui lacte & in liliis pasci non delectatur. Non est enim omne lac parvulorum. Nonne tibi quasi lac videtur omnis doctrina, omnis affectus pius animo illapsus dulciter? Quicquid facilè & dulciter sugitur, lac videtur.

Lac sponsæ quid.

5. Tali lacte abundabant ubera sponsæ: & ideo dicuntur *sicut hinnuli*, quòd sit in illis recens, & quasi semper nova & renascens consolatio verbi, & doctrinæ alacris copia. Ubera hæc vetustatis nil habent, ideo meliora sunt vino, sed similia musto. *Ubera*, inquit, *tua botri*, non habentia scilicet austeritatem vini, sed musti novam dulcedinem. Ubera alia pascunt; ista inebriant. Bene ergo ubera sicut hinnuli: quia nulla vetustate infracta. Magnum sponsæ pectoris ornamentum, si ubera integra habeat; non laxa, non fractas mammas in hujus Ægypto sæculi. Ideo

Cant 7. c

E dixit; *Ubera mea turris*. Inexpugnabilia ubera hæc, & lactis ubertate tumentia, quæ in turris excreverunt modum. Bona ergo ubera tam distenta, ubera pietatis, ubera gemina, eo quod pietas consolationem habeat vitæ, quæ nunc est, & futuræ. *Gaudete*, inquit, *gaudio magno, ut potemini à lacte, & satiemini ab uberibus consolationis ejus. Et cum avulsi fueritis à lacte, epulemini ab introitu gloriæ ejus.* Videtis quo lactis usus adducat? *Ut epulemini*, inquit, *ab introitu gloriæ*. An non tibi videntur ubera sponsi epulari ab introitu gloriæ, quæ sicut hinnuli pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ? Quàm dulciter

1. Tim. 4. c

F suguntur ubera quæ sic pascuntur, ubera de cælo plena, quia cælestibus refecta in liliis! Ipsa liliorum fragrantia pascit. Odor eorum cibi gratiam tenet. Odor enim quidam fructus est: *Ego*, inquit, *quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*. Vide quomodo Sapientia odorem suum in fructibus reputat. Spiritualis iste cibus est, nil habens corpulentiæ, nec dente tactus, nec labore mansus, sed haustus spiritu, ipsis statim uberibus influens, & ubera distendens. Unde etenim *fragrantia* dicuntur *unguentis optimis*, nisi quod in ipsis de vicinis haustus liliis spiritus redolet, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ?

Eccles. 24. d

6. Dulce quidem inter lilia exspectare auroram surgentem: & fortè vicinus est dies istis liliis, & inter lilia ejus frequenter aura quædam & vapor hauritur; & ipse sponsus in liliis pascitur, qui ipse & lilium est convallium, & lumen diei. Dulce est ergo compascendo cum ipso præstolari ipsum, præstolari inter lilia, donec diei lumen aspiret. Tempus illud declarat, de quo dicitur: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Tunc verus & æternus aspirabit dies, cùm ænigmatum in quibus adhuc videmus, umbræ inclinabuntur. Plures hîc umbræ sunt: umbra fallaciæ, umbra refrigerii, umbra figuræ. In prima serpens dormit, in secunda sponsa quiescit, in tertia sponsus delitescit. De prima dicitur: *In umbra dormit.* De secunda: *In umbra ejus, quem desideraveram sedi.* De tertia: Quia *sapientia in mysterio absconditur.* Omnes istæ reclinabuntur umbræ cùm aspiraverit dies, umbra fraudis, umbra fidei, umbra

Psal. 16. d

Umbræ variæ in hac vita.

Job 40 c Cant. 2. a 1. Cor. 2. b

mysterii. Tunc erit umbra nulla, quia veritas nuda. Tunc ergo reclinabuntur, quæ modo sunt exaltatæ. Vultis nosse quàm altæ? *Operuit montes umbra ejus.* Magnus mons Paulus: opertum tamen hac umbra se dicit, tantùm in speculo & ænigmate videns. Magnus mons, & tamen facilè raptus in tertium cælum. Felix raptus, & multo felicior illo, quo mons ille evangelicus ad Apostolorum imperium in mare mittitur. Raptus est, quia sapientia Dei immutavit sensum illius. Ideo raptus in tertium cælum, in cælum intelligentiæ puræ, unde umbræ & ænigmata procul ablegata sunt. Inferiores sunt umbræ, & reclinatæ quodammodo ejus respectu, qui in cælum rapitur. Raptus in cælum est, raptus & in paradisum. Serenitatis locus est cælum, paradisus voluptatum. Pulcrè in utrumque rapitur, eò quòd semiplena fit contemplatio, quæ alterutro caret. Denique in quodam paradiso deliciarum & voluptatum locata videtur, quæ pascitur inter lilia, donec aspiret dies. Antequam aspiret dies, nox est. Sed nox ista nescio quid videtur habere diei: *Nox*, inquit, *illuminatio mea in deliciis meis.* Illuminationis etenim vicem tenent ex parte deliciæ. Pulcherrimus contemplationis locus est, ubi simplex consideratio fidei cælestes & suaveolentes aspergit affectus, & æterni luminis gratiam spirat. Non sunt istæ deliciæ quas beatus Job commemorans de sapientia dicit, quia *non invenitur in terra suaviter viventium.* Quædam sapientiæ portio est in istis deliciis. Quomodo non sapientiæ portio est, ubi ipsa veritas nondum intellecta, sed jam credita dulciter sapit? Ipsæ spirituales deliciæ experientiâ sui satis edocent, & quantùm expetendum sit quod de ipsis restat, & quantùm respuendum quicquid illis obstat.

Psal. 79. b 1. Cor. 13. d

Psal. 138. b

Job. 28. d

Spiritualium deliciarum vis.

7. Tria hic observanda occurrunt: tempus, opus, & locus. Tempus, id est nox, tempus quietis & vacationis est. Opus refectionis est, quia pascuntur. Locus delectationis est, eò quòd inter lilia. Jure distenta ad parvulos reportat ubera, qui sic pascitur, qui in meditationibus pascitur fidei, liberrimè, uberrimè, voluptuosè. Putas quòd Salomon in omni gloria sua vestitus est sicut Sponsa, quæ inter lilia pascitur? Quomodo non gloriosè vestita, vallata liliis? Nam etsi umbra obscurat speciem, sentit tamen odorem, sentit vestimentorum fragantiam: & in his sapientiæ quasi famam odoratur, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ: id est, donec aspiret dies, & sempiternus dies. Quamdiu dies & nox vices alternant, non videntur umbræ reclinatæ ex toto, dum statum habent. Ubi ergo reclinatæ sunt? Apud Patrem utique luminis, apud quem non est vicissitudinis obumbratio. Omnis vicissitudo obumbrationis instar habet, & dum alii aliud succedit, quodammodo abscondit & obumbrat quod præcedit. Hoc ergo est quod dicit, *donec aspiret dies, & inclinentur umbræ*, id est, donec aspiret dies, & plenus sempiternus meridies, qui umbras omnes annihilet. *Qui pascuntur*, inquit, *in liliis donec aspiret dies, & inclinentur umbræ*: hoc est, qui sapientiæ oblectantur & pascuntur odore, donec ipse lucis æternæ candor illucescat. Utrumque commendatur in liliis, candor, & odor. Et odor quidem quid aliud nisi gratia fidei, & candor nisi gloria speciei? In nocte odor sentitur, sed candor non cernitur, donec aspiret dies: quia candor ipse est dies, non habens ullam partem umbrarum. Ille cùm aspiraverit dies, jam non erunt ubera necessaria. Omnes enim erunt docibiles ipsius diei. Interim ergo sponsæ ubera sunt sicut duo hinnuli qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies de die, Christus Jesus.

Iac. 1. d

## SERMO XXVIII.

*Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Cant. 4. b

1. Ubera, inquit, *tua sicut hinnuli capreæ gemelli.* Videtis quanta gratia sponsæ: parvula est & quasi juvencula, & ubera habet. Quid enim nisi juvenculam notat dum hinnulis comparat? Ergo & mater est, & parvula est, alios pascens, & pasci indigens. Et si quis sit Paulo similis, nondum tamen evacuavit quæ sunt parvuli, in carne commorans. Et si aliis abundat, nondum tamen se arbitratur comprehendisse. In speculo videt, in ænigmate videt: ideo sicut parvulus, sicut hinnulus in umbra pascitur, donec aspiret dies. In umbra, sed inter lilia pascitur. Infelix planè qui quidem inter lilia positus, inter lilia sanctæ congregationis, ubi variæ undique virtutes redolent, nihil tamen suave, nihil liliorum simile novit odorari. Bonus planè & sponsæ privilegio gaudens, cui ipsa intrinsecùs virtutum nascuntur lilia, qui inter lilia pascitur, inter lilia reficitur, lilia esurit. Beati enim qui esuriunt & sitiunt lilia justitiæ, lilia castitatis, omnium lilia gratiarum. Si esurire beatum, multo magis inter lilia pasci. Et ipsa virtutum esuries pascit, & delectat aviditas. Odor cibat, sed nondum satiat. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* (Psal. 16. d) Denique ipsarum virtutum (ut sic dicam) gloria latet adhuc. Totum quod inde hauris in odore est. Occultatur forma, sed famam audimus. Tenuis quidem in fama, in fumo, in odore cibus; dulcis, sed tenuis. Et nos jam saturati sumus, jam divites facti, solo virtutum odore contenti. Nescio tamen si vel odorem haurimus, quos perfectionis non trahit aviditas. Suavis quidem liliorum odor, sed cumulata in specie gratia. Suavis quidem liliorum odor, sed suavitas tenuis, si odor tantùm. Denique *qui pascuntur*, inquit, *in liliis*, id est, inter lilia, non in ipsis liliis, sentientes viciniam, non fruentes substantiâ. Exiguus virtutum usus exprimitur in odore, non copiosa, non solida & quasi corpulenta refectio. Non enim omnimodis reficitur qui pascitur: ideo non dicit qui reficiuntur; sed *qui pascuntur in liliis donec aspiret dies.* Deliciosa tamen exspectatio lucis inter lilia. Et vide qualibus sponsa pascatur in liliis. In liliis non caducis, in liliis non marcescentibus, in liliis denique quadam incorruptibilitate myrrhatis. Nam myrrha incorruptionem demonstrat.

2. Jure post lilia de myrrha subtexitur, ut sponsæ lilia quadam incorruptionis perpetuitate commendet. *Vadam*, inquit, *mihi ad montem myrrhæ.* (Castitas mortificatione conservatur.) Quid est bone Jesu, quod Sponsa tua, dilecta tua, alibi exspectat, tu aliò vadis? Illa pascitur & exspectat in liliis, & tu vadis ad montem myrrhæ? Quare non magis ad lilia vadis, ubi Sponsa moratur donec aspiret dies? An fortè lilia hæc non sunt aliena, nec longe posita à monte myrrhæ, sed magis oriuntur in illo? Ita quidem est: nusquam lætiùs nascuntur lilia, quàm in monte myrrhæ, nusquam magis illæsa servantur. In monte myrrhæ nec corruptioni, nec corruptibilitati locus ullus relinquitur. Ibi in monte myrrhæ, ubi carnis universi mortificantur affectus, ubi lilia castimoniæ, lilia gratiarum & purè nascuntur, & perpetuò florent. Ergo & in liliis, & in monte myrrhæ Sponsam satis delicatè locatam advertis. Nam alterum tibi sermo præsens expressit, alterum tu ipse potes per interpretationem exprimere. Quonam enim modo aliò iturum se diceret, quàm ubi dilectam esse cognovit? Sicut enim illa avide exspectat, sic ille ardenter properat. *Vadam*, inquit, *mihi.* Quid ergo? Sponsæ non vadit? an ideo sibi ipsi vadit quod ad illam vadit? (Cælestis sponsi mira benignitas.) *Vadam* ergo, inquit, *mihi.* Mihi vadam, non soli illi vadam. Non illa sola de meo capit adventu lætitiam, sed & mihi nihilominus alacritatem refundit. Mihi dulce, mihi jucundum est quòd ad illam vado. Jam vadam mihi. Mihi sic ire proficit, me delectabiliter afficit, ideo vadam mihi. Jam mihi de monte myrrhæ suavis aspirat fragrantia, ideo vadam odore illectus. Vadam mihi, quia deliciæ meæ cum Sponsa morari. Itane Jesu bone, de Sponsæ colloquio oblectamenta tibi captas, ideo tibi vadis, nec velut fastidiosus amator declinas cùm excluderis, sed stas ad ostium? Stas & pulsas, & quamdam repulsæ passus injuriam, stas

A tamen & pulsas, tantùm ut aperiatur. Asperge Sponsa, asperge cubile tuum myrrhâ & aloë. Christus in odore currit unguentorum tuorum. Asperge cubile tuum myrrhâ, quam Paulus commemorat: *Mortui*, inquit, *estis, & vita vestra abscons a est cum Christo.* (Col. 3. a) Tali myrrha asperge, irriga, perfunde cubile tuum, vel potius esto mons myrrhæ. Uberior enim gratia, ubi myrrha nascitur, quàm ubi respergitur. In hoc monte colloca cubile tibi, immo dilecto, in quadam myrrhæ copia, ubi hæc species aromatica magis oritur quàm advehitur.

3. In multis scripturæ locis usus myrrhæ ad mysteria sumitur. Cum myrrha Magi ad Christum veniunt. (Matt. 2. a) Venit & Nicodemus ferens mixturam myrrhæ, quasi libras cen- (Iohan. 19. a)
B tum. Magna hîc copia: sed quid ad collationem montis? Ferens, inquit, id est secum ferens, non ex se proferens; portans, non patiens. Bona utraque, & quæ offertur, & quæ oritur, sed ista potior. Denique illa ad Christum advehitur, ad hanc ipse vadit. Vadit enim sibi ad montem myrrhæ. Bene mons myrrhæ, qui morte Christi circumfert in seipso, non in parte, nec quasi respersam, sed uberem, & continuam, & eminentem; nec ad horam & quasi veterascentem, sed magis renascentem. Bene mons myrrhæ, qui Christi in se mortificationem & incorruptibilitatem quamdam, & resurrectionis futuræ imaginem non tam gestat quam germinat. Numquid tibi mons myrrhæ videri potest, in quo futuræ incorruptibilitatis nil magnificum,
C nil eminens, nil nisi ad horam apparet? Beatus planè mons, qui hujus myrrhæ germine undique vestitur, non respergitur per partes, nil in se nudum, nil habens sterile, sed totum hac felici fœcundum specie. Quomodo non beatus, qui Christum ad se trahit in sui odore aromatis? Bonus odor (Iohan. 12. a) non tantùm Leprosi domum replens, sed etiam cæli palatium, thalamum sponsi. Bonus odor planè Sponso Christo, inter ipsas Deitatis gratus delicias. Denique super tantas delicias, deliciæ tamen ejus esse in monte myrrhæ. Ideo dicit: *Vadam*, inquit, *mihi ad montem myrrhæ.*

4. O beatum montem ad quem vadis Jesu bone, ad quem venis, quem perambulas, quem inhabitas, & inhabitas in finem: quem solus inhabitas, & hoc usque ad ter-
D minum loci. Veni Jesu, incipe hunc montem possidere. Nullus tibi quæstionem moveat, nullus dicat: Numquid habitabis in hoc monte tu solus? Mons uber, mons pinguis, mons abundans, mons affluens unguentis. Hæc unguenta exinaniri non possunt. Magna enim unguenti moles in monte myrrhæ. Non deficient unguenta de hoc monte: ideo qui vadit ad montem myrrhæ, unguentis non indigebit, ne odoramentis quidem, qui vadit ad colles Libani. Non enim deficient thura de Libano. Nam & Libanum dicunt thus intelligi. Veni Jesu bone ad hos colles, ut fluant thura à facie tua. O quantus incensi fumus ascendit de collibus istis cùm tuo, immo cum te fuerint igne succensi. (Iesu præsentia in animo orandi æstus accenditur.) Magnam habet in collibus thuris ignis tuus materiam, pa-
E buli, & magnum incensi fomitem. Non citò consumuntur hæc thura. Incensi hujus fumus non facile evanescit. Tanta thuris moles, tanta copia collis thuris non potest pugillo concludi, non comprehendi thuribulo: vasculo non capitur, mensuram nescit, quia nescit intermitti. Bene ergo collis thuris, qui sine intermissione orat, &, quod satius est, sine remissione. Qui in oratione nihil habet remissum, nil exile, sed velut cujusdam fornacis magnæ fumus pinguescit, sic pinguescentium votorum & desiderii exuberantis agit volumina. Veni ergo Jesu bone, ad col-
F les thuris: copiosum orationis incensum fumigant montes, quos tangis. Quid simile, fratres, habent orationes nostræ? quam citò thura nostra inanescunt! Et quodammodo vix succenduntur, & statim extinguuntur. Ut quid istud? utique quoniam exiguam nobis incensi congessimus materiam.

5. Ego spiritus angelicos, & si qui inter homines illorum æmuli sunt, quosdam velut colles thuris interpretor, (Angelici spiritus & homines eorum æmuli ardenter orant.) quorum oratio quasi incensum dirigitur semper in conspectu Dei: qui devotionis suavissimos vapores gignunt, cælestium glomerant nubes affectuum. Beatus utique sacerdos, qui thura tanta offert, quem tam suavis nebulæ vapor operit & involuit. In Apocalypsi legis *phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* (Apoc. 5. a) Et quæ con-

ventio collibus thuris ad phialas? quæ enim phiala capiat A collem thuris? Bona phiala plena odoramentorum. Sed ecce plusquam phiala hîc. *Ascendit*, inquit, *fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli*. Sed quæ manus integro colli sufficiat? Quæ, inquam, manus, nisi tua, Jesu bone, manus, qui montes ponderas, & terram palmo concludis, qui libras montes in pondere, colles in statera? In manu tua Domine omnes fines istorum collium, & si fas est dicere, in sinu tuo. Denique in sinu tuo Sanctorum oratio convertitur, in conspectu tuo intrat: ibi conversatur, ibi convertitur: illi in te & tu in illis. Propterea *vadam mihi*, inquis, *ad colles thuris*. Veni ergo Domine, veni & noli tardare, veni & ne transilias colles istos. Quid si & ad B te transiliunt colles thuris? Mobiles sunt montes myrrhæ, & colles thuris, ubi ipse adveneris. Quomodo non mobiles, qui liquescunt, qui fluunt, qui fumigant, qui ascendunt sicut fumus aromatum in conspectu Domini de manu tua? Vade ergo tibi ad colles thuris: ubi incensa multa sunt, ubi incensa cuncta sunt: nam in colle thuris nil sine incenso. Incensa hæc data tibi sunt, ideo veni ut adoleas ea in conspectu tuo.

Apoc. 8. a

6. *Vadam mihi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*. Veni de Libano, veni. Jam exclusum est cur vadat: ut quid enim nisi ut vocet, ut intret, ut dicat, Veni? Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare in collibus istis, ad quos Verbum Dei vadit, quos revisit: de quibus Sponsam vocat, & vocat ad coronam. *Veni*, inquit, *de Libano, veni coronaberis*. Libanus candorem sonat. Quidni candidus de C nive cælesti? *Non* enim *deficiet*, sicut scribitur, *nix de Libano*. Nix illa quæ descendit de cælo, quæ infundit terram & inebriat, & germinare facit. Beati montes, super quos nix ista cadit, & colles quos operit. *Sic*, inquit Dominus, *erit verbum quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum*. Videturne tibi vacuum reverti verbum, quod vadit ad montes myrrhæ, & colles thuris, quod cadit super hos montes, & colles operit? Nescit vacuum reverti. Ideo vocat & dicit; Veni de Libano, veni. An mysterio vacare putas, quod post montes myrrhæ & colles thuris commemorat Libanum? Quæ res animum sic reddit mundum & candidum, quomodo orationis usus? Primò quidem myrrha mortificat, deinde thus purificat. Nec enim pura pote- D rit emanare oratio, si non omnis pravus primò fuerit odor repressus, & exhalatio carnis. In myrrhæ unguento mens stringitur, ut ad quamdam, immo omnimodam unitatem se coarctet: per thus incensum dirigitur & dilatatur & se diffundit, & cælestes replet regiones ex odore incensi. Illic se liberæ veritatis auræ immiscet, & confundit: & quæ primò ad se anima ipsa contracta est, ibi rarescit & attenuatur & deficit, suspensa & suspiciens in excelso.

Cant. 4. c

Ierem. 18. c.

Esa. 55. c

Orationis usus animum reddit mundum & candidum.

7. Oratio utriusque, & myrrhæ, & thuris, ministerium explet. Orantis affectum in primis colligit, & stringit in seipsum: deinceps diffundit & transfundit in Deum. Quid myrrhæ similius, ubi tanta in divinam unionem transfusio? Quid incenso similius, ubi tanta divini cujusdam sensus E diffusio? Jure tota pulcra vocatur & sine macula, quam orationis ardor incanduit, quam coloravit & candidam reddidit candor lucis æternæ. *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te*. Tota pulcra es, quia tota pulcra es hac hora maximè, hora orationis, hora incensi. Tota pulcra es amica mea, tota pulcra es: quia tota amica es, & solo amoris candens affectu. Tota pulcra es, & sine macula, peregrini nil habens coloris admixtum. *Veni de Libano, veni de Libano, veni de Libano. Veni de Libano*, quia sine macula es: *veni de Libano*, quia tota es pulcra: *veni de Libano*, quia plenè lota. Veni de Libano, ex toto illustrata: veni de Libano, carens culpa: veni de Libano & candens gratia: *veni coronaberis*. Felix omnino qui de Libano candentis affectus, de colle thuris, de orationis intentæ copia F vocatur ad coronam. Felix, inquam, anima, quæ horâ incensi ascendit ad Patrem, quæ sine intervallo de Libano ad coronam vocatur, coronam gloriæ, quam reddet illi in hora transitus justus Judex & dulcis Sponsus Jesus-Christus cum Deo Patre per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Myrrha & thus perfectæ orationis symbola.

Cant 4. c

## SERMO XXIX.

*Tota pulcra es amica mea. Cant. 4. c*

1. *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te: veni de Libano sponsa mea, veni de Libano; veni, coronaberis*. Quis mihi dabit istud trium (ut sic dicam) dierum iter conficere? Quis, inquam, dabit mihi hanc viam indefesso incessu percurrere? Viæ istæ, viæ pulcræ, & semitæ pacificæ sunt, venire de Libano ad Libanum, de Libano ad regnum. Nam Sponsa ad coronam vocata, invitata videtur ad regnandi consortium. Dulcis est hic viæ terminus, sed nihilominus dulcis est transitus. Quidni dulcis, qui nescit à Libano deflectere? Non hæc est via lata, non hæc est via laica, nec potest per eam transire pollutus. Non est currentis, nec volentis, sed miserentis Dei. Miserentis cur dico? dixissem melius desiderantis. An non æstuantis desiderii vota designat vocatio trina? Vehementis affectus argumentum est quod tertiò vocat. Percurre animo præcedentia Cantici hujus: nusquam reperies, vel tam crebrò vocatam, vel tam expressè commendatam pulcritudinem Sponsæ. Ter vocat, & totam pulcram dicit. Denique in præcedentibus sic habes: *Ecce tu pulcra es amica mea, ecce tu pulcra*. Et iterum alibi: *O quam pulcra es amica mea, quàm pulcra es!* Hoc autem tertio in loco totam pulcram diffinit. Illis in locis vel demonstrat quod pulcra est, vel miratur quod tam pulcra est: non tamen diffinitè determinat quod ipsa sit ex integro pulcra, sicut in præsenti. *Tota pulcra es amica mea*. Quomodo non tota pulcra pulcritudini, & toti pulcritudini collaterata ex toto? Quomodo non tota pulcra, in quam lucis æternæ candor immensus emanat? Bene tota pulcra, & superpulcra, in quam uberi illapsu sese transfudit omnis pulcritudo Domini. Exaltata quidem est super sidera, species tamen pulcritudinis ejus in Sponsa. *Species*, inquit, *ejus in nubibus cæli*. Quamdiu Sponsa nubes cæli est, nubes lucida & levis, & quasi ad Solem accedens, & ipsum suscipiens, tamdiu in ea solus Solis splendor relucet, & pulcritudinis ejus species manet.

Rom. 9. c

Trina vocatio argumentum vehementis affectus.

Cant. 1 d

Cant. 4. a

2. Plane tunc nubes est Sponsa, quando spiritualis obtinet affectionis levitatem, & lucem intelligentiæ. Quandiu spiritualis anima per orationis & contemplationis usum in supernis suspenditur, sicut lucida nubes & levis, tota interim pulcra est, quia tota amica est: & maculâ carens, quia in fervidæ caritatis versa est colorem: horâ istâ gloriosam sibi Sponsam exhibet, non habentem maculam vel rugam, mundans illam non tam in sanguine, quàm in lumine suo. Quomodo non tota pulcra, in qua tam expressa divinæ pulcritudinis species apparet? Quam mihi dabis animam, quam audeas ex toto pulcram diffinire, nisi in hac hora tantùm, quando per amoris æstum plus imbuitur, quàm induitur specie Sponsi? Aliis quidem horis sine macula deputatur, dum culpa non imputatur. Hoc autem momento quòd sine macula dicitur, non est indulgentiæ, sed dilectionis, sed desiderii, sed devotionis. Quis enim dabitur veniæ locus, ubi vota caritatis tantùm exæstuant? Amor indulgentiâ non eget: totum enim gratiosum est, ubi solus est. Denique vide nunc quomodo & offensa excluditur, & gratia commendatur & sola gratia. *Tota* inquit, *pulcra es amica mea, & macula non est in te*. Blandimenta hujusmodi non videntur indulgentis, sed diligentis, sed amantis, sed admirantis. Oblectatus pulcritudine, optat præsentiam. *Veni de Libano, veni de libano: veni, coronaberis*. Invitatio crebra prodit affectum, vota manifestat.

Orationis & contemplationis tempore anima tota pulcra est.

3. Alii trinæ vocationis scrutentur sacramenta, & gradus adsignent: mihi quidem sufficit divinæ majestatis humanam adversùs animam affectum mirari. Istud sufficit, sed ipse succumbo. Utinam mihi nihil incumbat negotii, nisi suspensò semper stupore mirari impensam gratiam, ita tamen ut admirationi huic vota jungantur, & germana sit caritas. Affectus enim affectum meretur, & abyssus abyssum similem provocat in voce profluentium cataractarum. Bonæ siquidem cataractæ sunt, quæ tuum, bone Jesu, distillant affectum, infundunt amorem. Amor mutus non est, usum habet vocis. *Quod* enim *continet omnia, scientiam habet vocis*. De Spiritu scriptum est hoc, & bene nostis, quanta sit

Sap. 1. b

affinitas (ſi non potiùs identitas) caritatis ad Spiritum. Illa continet omnia, quia *plenitudo legis eſt caritas*. Spiritus loquitur myſteria, & amatoria plane loquitur. Ipſe ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, utique & blandimentum loqui poteſt. Sonus ejus ſenſus amoris eſt & deſiderii, vota inſtar habens vocis. Experimentum gratiæ ipſum eſt utique quod loquitur, quod invitat, quod dicit: *Veni de Libano.* Ter vocat, fortaſſe idcirco quod funiculus triplex difficilè rumpitur. Tenax enim funiculus, amor. Amor affectuosè trahit, cui eſt idipſum alloqui, quod eſt allicere. Nihil amoris tenacius vinculo, nil trahentius. Audi quomodo lex divina triplicem hujus oſtendit nexum funiculi. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omni mente tua.* Ac ſi dicat: Diliges Dominum Deum tuum cordis propoſito, animæ affectu vitali, integro & rationabili quodam mentis arbitrio: ut amoris in te & propoſitum ſit, & ipſum propenſum ſit, & perſpicax ſit. Bona ſiquidem cordis in Deum intentio pia: ſed quid ſi pigra ſit, ſi emortua, ſi nihil habens in ſe vitale, nil animatum? Bona ergo intentio pura, quam vividam reddit & velut animatam fervida & dulcis affectio. Affectum hunc, qui eſt quaſi quædam anima boni propoſiti, informat meditatio, ſi diſcreta eſt; & refovet, ſi crebra eſt. Funiculo ſic tripliciter nexo, ad meritum repoſitæ coronæ quid uberius, ad experimentum quid expreſſius? An non tibi videtur invitare, & quaſi tripliciter dicere, Veni, hæc trina dilectio?

Rom. 13. c
1. Cor. 14. c
Amoris vis trahendi ſumma.
Matt. 22 d

4. Denique quaſi invitat, dum confert & audaciam pro merito, & aviditatem pro experimento. *Veni*, inquit, *de Libano, veni coronaberis*. In Apocalypſi quaſi de Libano venientes ſic legis; *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & unde venerunt? Hi ſunt qui venerunt de magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine Agni. Stolas*, inquit, *ſuas candidas fecerunt in ſanguine Agni.* Utique & credendi fide, & converſandi forma, qui in tribulatione ſua ſequuntur hunc Agnum, non aperientem os ſuum, cùm ad occiſionem duceretur, & coram tondente ſe obmuteſcentem. Qui non ſunt triſtes neque turbulenti, donec * ejiciant ad victoriam judicium, & certamen ad coronam. *Non enim coronabitur, niſi qui legitime certaverit.* Et quia de certamine corona, ideo forſitan dilectam ſic invitat ad coronam, ut exprimat cauſam. Ait enim: *Coronaberis de capite Amana & Sanir, de montibus pardorum, de cubilibus leonum.* Neſcio enim quid aſperum, quid ferum, quid fraudulentum in his vel nominibus, vel naturis datur intelligi. Ideoque de his coronari dicitur, dum hæc triumphata coronæ miniſtrant materiam. Ille quidem per tribulationis tolerantiam coronatur, qui mitis, qui manſuetus, qui velut agnus de tribulatione magna venit: qui in caritate venit, candidatus, non conſumptus, quem nulla impatientiæ & murmuris macula denigrat. Hi ſunt qui de Libano veniunt, & coronantur de capite Amana & Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Per hæc enim coronantur, qui per hæc tentamentorum genera probantur. Numquid non colligunt iſti de ſpinis uvas, de tribulis ficus? *Quod in præſenti eſt*, inquit Apoſtolus, *momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Paſſiones ergo hujus temporis cooperantur quidem, etſi non comparantur, ad futuram gloriæ coronam, quæ reſervatur nobis. Cumulata planè materies præmiorum, quando inter totius puritatis merita paſſionibus variis atteritur. Pulcherrimus coronæ nexus, quando puritas vitæ, & humilis preſſurarum tolerantia ſibi cohærent. Magnum quidem eſt preſſurarum pondus: ideo forſitan montium eſt expreſſum nominibus. Ingens moles, ſed fides ſuperfertur neſciens opprimi. Capita montium iſtorum conculcat, & percutit ipſum caput de domo impii. Jure ergo caput ipſum triumphans coronatur de capite, quia & tentationum initium conterit, & tribulationum vehementiæ non cedit. In omni re quaſi caput eſt quod vel primum eſt, vel maximum. Sic ergo caput hîc accipe, quaſi rerum quæ his montibus figurantur, vel principium vel cumulum donet intelligi. De capite Amana coronatur, de vertice Hermon & Sanir, qui injuriarum cumulum quemdam exſuperat, & tribulationum molem extollentem ſe adversùs humilem ſcientiam Chriſti. Sed moles iſta tanto videtur minùs ponderis habere, quanto totum eſt momentaneum quod tumet.

Apoc. 7. c
Iſa. 53. c
* donec pro quamdiu.
2. Tim. 2. a
Tribulatione paratur corona.
2. Cor. 4. d

5. Denique etſi mons eſt, tamen ſcriptum legis: quia *mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo.* Et vide quomodo defluxerunt, quomodo tranſlati ſunt montes iſti. Tranſlati ſunt, quia tranſmutati ſunt. Quaſi tranſlatos & triumphatos indicat illos Apoſtolus, quibus loquitur: *Et hæc aliquando quidem*, inquit, *fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis*, hac ablutione & emundatione quæ fit per verbum fidei. Pardus depoſuit varietates ſuas, totus immaculatus effectus, totus unius coloris, id eſt unius fidei & moris. Velut pardus quidam videtur homo hæretici dogmatis varietate reſperſus: ſed & nihilo minus pardo ſimilis eſt homo diſſimilis ſibi, homo varius & inconſtans, & ſubinde mutans conſilia. Quaſi enim (ut ita dicam) vult & non vult pardus. Trahe iſta ad converſionem Gentium, & mox intelliges quomodo per unitatem fidei & ſpei, unum induiſſe colorem videntur qui converſi ſunt ad Dominum: nec modo varietatem, ſed & feritatem exuiſſe perſpicies, & non in cubilibus leonum. Non in cubilibus, inquam, & impudicitiis, ſed in cubilibus & in hortis aromatum, & commorari in lectulis non ferinis, in lectulis non fœdis, ſed floridis. Floridus enim lectulus ſponſi & ſponſæ. Non videtur ſponſa de Libano libens egredi, & de Judæa tranſire ad Gentes. Abſcedit enim invita, quæ toties vocatur non vult deſerere Libanum, ut tranſeat ad montem Amana, ad verticem Sanir & Hermon. Sed tranſitu ſuo montes hos ſteriles, montes barbaros convertit ipſa in Libanum.

Job. 14. d
1. Cor. 6. c
Hæreticus pardo ſimilis.
Converſio Gentium.

6. Sed jam montium iſtorum nomina intuere. *Amana* populus vanus intelligitur vel coanguſtans. *Sanir* hiſpidus, *Hermon* anathema. Quid vanius illo populo, quorum ipſi doctores evanuerunt in cogitationibus ſuis; & dicentes ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt? Quid anguſtius illis, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt immunditiæ? Anguſtum enim cor, quod finem votorum intra temporalis jucunditatis metas contrahit, neſciens ſpem ad æterna dilatare. Quid magis hiſpidum & magis incompoſitum illis, de quibus Apoſtolus dicit: *Sine affectione, ſine fœdere, in malitia & in invidia agentes?* Nonne iſti velut Sanir reputandi ſunt? Nam Hermon accipiuntur qui ſunt alienati à ſenſu Chriſti, promiſſionis ſpem non habentes, non cives ſanctorum, non domeſtici Dei, ſed omnino ſine Deo in hoc mundo. Et hæc quidem, Gentes, fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu: ideo de vobis ſponſa coronatur, quæ de veſtra immutatione gloriatur. Bona mutatio, ubi Sanir convertitur in Libanum. Et Libanus quidem, ille prior Libanus Judaicus converſus jam in Sanir videtur & Hermon: ideo veni de Libano, & veni, & vide pro Libano illo exiguo & brevi quanti tibi exſurgant Libani. Leva in circuitu oculos, & vide, omnes mundi iſtius montes tibi ſunt in Libanum convertendi. Moleſtum planè gentis tuæ detrimenta & deſolationem videre: ſed moleſtiam hanc tam lucroſa commutatio compenſat, ut unius damna redimat proventus uberior. Noli ergo moram nectere, ſed veni de Libano, qui jam deſinit eſſe Libanus: veni, ut de Gentium fide & converſatione coroneris. Vis omnes hos montes non in Judæa & Gentibus, ſed in Eccleſia tantùm intelligere? Non erit diſſonus intellectus, ſi interpretationem in hanc partem velis deflectere. Invenies hîc & Libanum, & Amana, & Sanir, & Hermon. Invenies hîc & montes pardorum, & leonum cubilia.

Ad Tit. 3. a

7. Utinam in hoc Libano noſtro, in hoc ſacro monachorum conventu, quem & profeſſio, & converſatio venuſtat & candidat: in hoc, inquam, Libano, utinam non detur cernere caput Amana, non verticem Sanir & Hermon. Cùm videris in cœtu & congregatione Sanctorum quemquam efferentem ſeipſum, inflatum ſenſu carnali, jactantiâ vanum, intus & foris tumidum & turbidum, otioſitatis anxium vanitate (otium enim acediam parit) cùm talem videris, quid aliud quàm caput Amana cum Libano cernis? Nil otio vanius, nil anxius acedia, nil tumore turbatius. Nam & Amana populum vanum vel turbidum ſonat: ideo de Amana venitur ad Sanir, ad hiſpidum & piloſum. Ubi enim acedia, ibi tumor: ubi turbatio,

Vanitatem & acediam in religioſis notat.

turbatio, ibi nil lene, nihil compositum, nihil ordinatum, sed totum horridum: & qui talis est, sine fœdere est, sine affectione, inimici sensus & alienati, immo anathematizati, quod Hermon significat. Non hic domesticus Dei, non civis, ne advena quidem & hospes: propter quod nulla ad eum gratia, devotio nulla declinat. Non divertit ad illum sponsus, ut vel in transitu visitet, & sicut hospes ad commorandum. Commorantur autem in eo pardi, dæmones quidem varii & versipelles, & leones cubant ibi. Non circumeunt ut transvolent, sed securi possident, & cubilia collocant. Sed qui tales sunt, desperandi non sunt. Etenim multi istiusmodi in sponsi prædestinantur ornatum. Ideo dicit: *Veni coronaberis de capite Amana, & de vertice Sanir. Veni*, inquit, *de Libano, veni.* Vide si non morosè egreditur de Libano, quæ toties vocatur. Mora tamen hæc non est contumaciæ, sed cautelæ. Quis enim à contemplationis candore, à quietis internæ & puritatis sereno libens discedit? Cui non erit molestum, vel ad momentum de loco deliciarum secedere? Forsitan sperata in discipulis lucra blandiuntur, sed molestus labor. Optanda quidem lucra, sed metuendus est lapsus. Suspecta mihi sunt lucra, quorum incertus est proventus, vicinum propriæ periculum salutis, certum internæ suavitatis damnum. Quid mirum si moretur venire, cùm & molestum sit de Libano discedere, & metuendum sit ad montes illos barbaros & bestiales accedere? Et forsitan sponsæ mora, festinationem nostram suggillat & arguit, qui nimis prompti & parum providi, vires nostras minùs pensantes, festinamus ingredi in labores prælationis, in sollicitudinum molestias, & materiam lapsûs: nec exspectantes vel semel vocari, ultro nobis ipsi honorem sumimus, vocationem vel prævenientes, vel arte procurantes. Non debet esse tanti muneris improvida præsumptio, sed nec pertinax metus.

Cur timenda prælatio, non affectanda.

8. Denique præsumendum est ubi Christus jubet, ubi Sponsus vocat, & proventus uberes pollicetur, sicut in hoc loco: *Veni*, inquit, *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cùm in subjectis mutatur morum barbaries, cùm de cubilibus & impudicitiis ad florida & honesta transferuntur cubilia, & in hortos aromatum; ad cubilia, in quibus non est fremitus, sed fletus; ad cubilia, in quibus compunctio est cordis, non pugna cogitationum: cùm aufertur maculosæ varietatis velamen, & nuda succedit simplicitas, moribus ministerio suo in melius commutatis; coronari sponsa satis aptè accipitur. Bene quidem de talibus coronatur, cùm jam vertuntur in ornatum, quorum antea mores horrebat: cùm ordine quodam caritatis sibi cohærent in unum, qui ferinis prius affectibus diffidebant. Grata planè sponso est hæc unitatis cohærentia: ideo forsitan sequitur, & *vulneratum* se dicit *in uno oculorum, in uno crine colli ejus*, scilicet sponsæ. Capituli hujus ratio in aliud differenda est tempus. Hoc autem in fine admonuisse sufficiet, si quem alieni cura profectus ad gradum altiorem sollicitat, non dissuadeo, nec suadeo planè. Unum autem hortor, quisquis is es, æmulare & cunctationem, & candorem sponsæ, quæ non est contenta semel vocari, nec digna penitus, nisi de quodam puræ & dealbatæ conscientiæ Libano. Non enim nisi de Libano dilectam vocat ad coronam Christus Jesus sponsus ejus, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO XXX.

*Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, &c.* Cant. 4. c

Dignatio Dei erga animam piam.

1. O Cor durum, & malè durum, in quo verba ista vulnera non generant. Stupidum planè est cor, quod verborum istorum virtutem non persentit, quod non stupet ad dignationem tantam. Quid dignationem dico? etiam plus est. Et quantum esset, si vel dignatio esset? Magna enim res, & omni admiratione digna, si vel dignatur tanta majestas humanam infirmitatem sororis & sponsæ impartiri vocabulo. Nunc autem non tam digna-



A tio est quàm devotio. Vultis autem devoti & propensi affectus argumentum audire? *Vulnerasti*, inquit, *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Cordis vulnus vehementiam designat amoris. O verè dulce cor, quod nostris movetur affectibus ad rependendam vicissitudinem dilectionis. Et necessitudo hæc, & vicissitudo: necessitudo in sororis & sponsæ nomine, vicissitudo designatur in vulnere. Magna necessitudo sororis, sponsæ major: illa cognationis, ista dilectionis. Ibi significatur, quia de uno sunt: hîc quia unum. Soror est, quia divinæ consors naturæ: Sponsa verò, quia in singularitatem assumpta personæ. Expressa planè necessitudinis hæc vocabula sunt, quæ vel naturam, vel gratiam sonant. Quantum amare B oportet, quæ tantis affinitatibus fœderatam Christo se novit? Quantumcumque amat, non amat, sed redamat. *Ipse* enim *prior dilexit nos.* Amor ad illum noster, quantumcumque propensus fuerit, non impenditur, sed rependitur: debitus est, non gratuitus; æquari ei qui jam impensus est amori non potest. Et quonam modo mereri potest, quomodo obligare potest qui ne plenè quidem solvere sufficit? Non potes, Sponsa, amatori tuo vicissitudinem plenam rependere. Ipse tamen non desinit superimpendere. Quod impendit tibi, nondum plenè solutum est, & tamen obligatum se putat. Quicquid illi rependis amoris, non accipit quasi debitum, sed quasi gratuitum. Quasi provocatum ad dilectionem se persentit, dum cor C suum vulneratum fatetur.

1. Johan 4. b

2. Quid est hoc miraculi, fratres? Nonne beatam hanc reputatis animam, quæ ipsum cor Domini nostri Jesu-Christi piis affectibus transfigit & penetrat? Acutus & efficax, & verè violentus affectus ille est, qui tuum, Jesu bone, meretur & movet affectum. Magna & violenta est vis caritatis, ipsum affectum Dei attingens & penetrans, & velut sagitta jecur ejus transfigens. Quid mirum, si regnum cælorum vim patitur? Ipse Dominus violenti amoris vulnus sustinet. Sed vide quibus jaculis vulneretur. *Vulnerasti*, inquit, *cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Ne parcas, sponsa, talibus Sponsum telis appetere. Aspectibus piis quasi spiculis utere. Noli in hoc negotio remissiùs agere, noli D contenta esse dilectum vulnerare semel, sed concide ipsum vulnere super vulnus. Felix es si sagittæ tuæ infixæ sunt illi, & amores tui militent in Christo, si oculus tuus defixus indefessè sit in illo. Bonum vulnus, de quo virtus egreditur. Tetigit mulier fimbriam, & virtutem de se sensit Christus exire. Quanto magis cùm cor ejus non leviter tangitur, sed vulneratur, gratiam de se emanare sentit? Vulnus istud non est sine sensu: ideo puri aspectus in illum spicula vibra: reputa illum quasi signum positum ad tales sagittas. Tales favorabiliter excipit, quia tales jacit. Respexit Petrum, & cor ejus percussit, & compunxit ad pœnitentiam. Vulnerati cordis lacrymæ dant signa. Denique E clementi respectu cor illud vulnerat, quod ad aliquem virtutis movet affectum. Talia in me utinam multiplicet vulnera à planta pedis usque ad verticem, ut non sit in me sanitas. Mala enim sanitas, ubi vulnera vacant quæ Christi pius infligit aspectus. Aspectus aspectum provocat: ideo tuo illum tenta vulnerare prospectu. Oculi tui semper ad Dominum, ut amoris tui nutibus capiatur, illaqueetur criniculis

Caritas ipsum Deum vulnerat.

Mat. 11. b

Luc 8. f

Vulnera salutaria & optanda.

3. Non tamen dicit in oculis, & in criniculis quasi in pluribus, sed quasi in uno. *Vulnerasti*, inquit, *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum & in uno crine colli tui.* Si plures habes oculos, omnes alios claude: ut hoc uno utaris, quo solo dilectum intueri soles, & quo F solo vales. Qui directiùs intueri volunt, alterum oculum claudunt, alterum intendunt, & eum ipsum quo cernunt stringunt, ut strictò efficaciùs contemplentur acumine. Oculus tuus unus est, si purus est: unus est, si ad plura non est: unus est, si quodammodo simplificatus & strictus & directus in unum est, non fissus, non diffusus, non sparsus in multa. Oculus tuus unus est, si intendis & intueris semper in unum, & in illum unum. Denique si amoris oculus est, unus est. *Unam*, inquit, *petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum, ut videam voluntatem Domini.* Oculus iste unus est, unum petens, & unum prospiciens. *Et in uno crine*

Quo oculo sponsus vulneratur.

Psal. 26. b

*colli tui.* Non oportet ut crines fluitent, ut ſine lege evagentur, & ſparſi & errantes oculorum effundantur luminibus. Non decet ut ſtrictus ſit oculus, & crinis laxus. Oculus enim offenditur, cùm crinis effunditur. Si intentio in oculo intelligitur, quid in crine niſi cogitatus deſignatur? Vis unum habere utrumque, & crinem & lumen, & intentionem & meditationem? Cujus eſt in lege Domini voluntas ejus, & in ea meditatur die ac nocte: iſte etiam in voluntate uniformi unum poſſidet oculum, & crinem unum in meditatione. Alioquin ſi uniformis & ſimplex intentio in Deum tibi non fuerit, ſi cogitationes tuæ ſine diſciplina fluitent: intentum retundunt oculum, & ſimplicem intentionis diverberant aciem, & cor diſſipant peregrinæ & indiſciplinatæ mentis volutationes. Intentioni puræ cogitatus reſpondeat, unus ſit, ſicut & illa uniformis eſt. Bonus enim crinis qui fuſus non eſt, non incultus, ſed collectus in unum, & collo inhærens, collo utique illi de quo dicitur: *Collum tuum ſicut turris, de qua mille clypei dependent.*

Quo crine.

Cant. 4. b

Scripturæ meditatione religandæ cogitationes.

4. Collum hoc ſacram Scripturam intellige, per quam ad nos divinæ nuntia voluntatis verba profluunt. Bene ergo *crinis colli*, cogitatus aſſiduus in lege Dei. Ideo *colli* dicitur, quia omnis cogitatus tuus, omnia ſenſa tua & intellectus tuus ſacro non debent præjudicare ſermoni, ſed ex ejus præſcripto pendêre, & prodire ab ipſo. Quòd ſi diviſi & quaſi laceri ſunt crines tui, & nihil in ſe compoſitionis habentes; collo licet inhæreant, non tamen placent ſponſo, nec ejus cor vulnerant; non movent affectum, nec gratiam merentur. Utrumque exigit, ut & couniti ſint, & collo inhæreant, & obtineant in ſe tam ordinem, quàm auctoritatem. Quid enim proficis, ſi meditationes tuæ in lege Dei ſint, & ipſæ in ſeipſis ſine lege ſint? Sine lege ſunt, quæ ſine ordine ſunt, & paſſim feruntur. *In uno*, inquit, *crine colli tui.* In collo, ſacri ſermonis auctoritas intelligitur, quæ cogitationes informet: Ordo autem in unitate. Bonus enim ordo, ubi colliguntur in idipſum, & feruntur in unum, & in unum illud quod non aufertur. Vel ideo dicit *in uno crine colli tui*, ut liberam & revelatam ſignificet ſponſæ faciem. Crines enim pro velamine habentur. Vult ergo in ſponſa exertam & revelatam faciem ad ſpeculandam gloriam Dei, ad intendendum ſine offenſione oculum contemplationis: ideo commendat crines compoſitos, & reductos à vultu ad collum.

Et intentionis unitate.

Expoſitio allegorica.

5. Quid hoc in una ſingulariter intelligimus anima? Derivemus hunc ſenſum ad Eccleſiæ ſtatum. Gratius eſt enim quod commune eſt. Denique nihil ſponſo gratius communitate, immo unitate credentium, & compage Eccleſiæ. Multa bona in ſponſæ cumulavit præconium, quibus ſe delectatum oſtendit: ſed numquam ſic expreſſit congaudentis affectum ſicut hîc, ubi & luminis crinis commemorata eſt unitas. Quomodo non maximum erit ejus gaudium, ubi maximum conſervatur mandatum? *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.* Oculi Eccleſiæ, doctores ſunt, quos qui tangit, tangit pupillam oculi Domini. Crines verò, plebes credentium. In utriſque eſt ſponſo grata unitas. *In hoc*, inquit, *cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Conſenſus duorum vel trium preces impetrabiles facit: quanto magis totius Eccleſiæ in Chriſto conſenſus? Quomodo non impetrat unitas, quæ ipſum cor Domini penetrat? *Vulneraſti*, inquit, *cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Quid enim in toto muliebri ornatu plus allicit & afficit amantis affectum, quàm crines compoſiti? Sed quid conamur laudibus cumulare crines ſponſæ ambitioſo comptos & collectos ornatu? Magis ſubeſt plangendi copia quam applaudendi.

Johan. 13. d

Ibidem.

Matth. 18. c

6. His diebus cernimus divulſos miſerè & laceros ſponſæ crines, & inter ſe pugnare Eccleſiæ plebes pro Eccleſia. Cernis hoc & tu, Jeſu bone, & nihil te movet iſta divulſio, non te ſponſæ tuæ vulnus tam grave vulnerat? Si unitas ad gratulationem cor tuum vulnerat, diſſidium ad compaſſionem vulnerare te debet. Movet te unitatis & uniformitatis diſpoſitio: moveat te eorum quæ unita fuerunt, diſſipatio. Diviſi ſunt crines tui & diſparati ab invicem, immo & contra invicem. Utrique à ſponſæ collo pendere ſe jactant, & de proprietate gloriantes alios à ſe divellere tentant. *Novit Dominus qui ſunt ejus, & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Geminum hoc habens ſignaculum, ut Paulus loquitur, immobilis manet ſponſa ipſius inter impias manus undique convellentium illam & lacerantium. Reges terræ & principes convenerunt in unum adversùs Chriſtum Dominum, & adverſùs ſponſam ejus. Sed ſponſa Sponſum novit, ut non ſequatur alienum, ſed ipſum. Non ignorat ſeipſam, non ignorat cujus ſponſa ſit: ideo non vult egredi, nec abire poſt greges ſodalium. Et ſi ſodales fuerunt, jam quidem non ſunt. Exierunt ex nobis, ſed non ſunt ex nobis. Quomodo ſodales ſunt, qui amici non ſunt? *Amicus enim ſponſi ſtat & audit, & gaudio gaudet propter vocem ejus.* Iſti verò non audiunt, nec gaudent ad vocem ſponſi, ſed magis ad vocem Imperatoris Romani. Niſi (quod verius fatemur) non tam gaudent, quàm timent ad rugitum ejus. Sed novit Dominus qui ſunt ejus, non qui ſunt Imperatoris. Ideo moveri non poſſunt ad fremitum Leonis, quia immobili divinæ notitiæ continentur ſignaculo.

Deplorat ſtatum Eccleſiæ per diſſidia & ſchiſmata laceratum.

2. Tim. 2.

Pſal. 2. a

Johann. 3.

7. Bonum enim ſignaculum notitia Dei. Notitia quæ ſecundùm propoſitum eſt, ſecundùm quod vocati ſunt ſancti. Firmum eſt ſignaculum hoc notitiæ ejus, quia nihil ei deperit. Non tantùm non deperit ei nihil: ſed ipſa ſalvandos parit, ipſa prædeſtinat, ipſa ſignat quos ſuos eſſe velit. Geminum ſignaculum, divinum propoſitum, & humanum ſtudium: divina providentia, & humana diligentia. Nam de diligentia ſubdit Apoſtolus: *Et diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Vide duas hujus ſignaculi partes: unam divinæ tantum gratiæ, alteram & gratiæ & libertatis. Illam propoſiti, hanc adjutorii. Secunda hæc pars libertatis noſtræ infirmum arbitrium dirigit, nam prima prædeſtinando diſponit. In prima qui ſunt ejus Dominus prævidendo novit: in ſecunda nobis innoteſcit. Illa cauſa, hæc eſt illius effectus. Illud ſignaculum immobile eſt; hoc probabile. Illud ſignaculum eſt, iſtud ſignaculi ſignum. Illa radix eſt, hic fructus; & à fructibus iſtis cognoſcetis eos, qui nominant nomen Domini. Nam ipſe in beneplacito ſuo novit qui ſunt ejus, & ponit eos ut fructum hunc plurimum afferant. Ideo dicit: *Diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*: qui ejus eſſe ſe dicit, non diſcedat ab unitate. Nec diſcedere poteſt quiſquam illorum quos divina formavit & firmavit notitia. Denique & capillus de capite Eccleſiæ non peribit. Capilli enim ejus omnes numerati ſunt, omnes ſignati ſignaculo prædeſtinantis notitiæ. Sine pœnitentia eſt iſta notitia: ideo firmum ſtat fundamentum, Domini habens ſignaculum, divini propoſiti adjutorium, & arbitrii noſtri conatum. Iſto qui ligantur crines ſignaculo, non poterit eos quiſquam rapere de capite ſponſæ. In manu tua, Domine, omnes crines ſponſæ, & non rapiet eos quiſquam de manu tua. Tene, Jeſu bone, quos tenes, & recollige quos noſti: & qui tuum ſe novit, qui dicit, Domini ego ſum; qui nominat nomen Domini, diſcedat ab iniquitate, accedat ad unitatem Eccleſiæ, ad unitatem capitis & corporis, id eſt, ſit crinis colli, & crinis unus.

Signaculum geminum, divinum propoſitum & humanum ſtudium.

2. Timot. 2.

Prædeſtinatio, ſeu notitia divina infallibilis.

8. Nihil ſic ſponſi cor vulnerat, nihil permovet affectum, & animum penetrat, quomodo unitas ſponſæ, & ea ipſa inter diripientium ſervata, & quaſi ſolidata conatus. Epiſcopi religioſi proprias deſerunt ſedes, de civitate in civitatem fugiunt à facie perſequentis. Deo devoti & clerici, & monachi, tribulationibus & contumeliis affecti, rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinent, cognoſcentes ſe meliorem habere & manentem ſubſtantiam in unitate fraternæ & eccleſiaſticæ caritatis. Si enim omnem ſubſtantiam ſuam dederit homo pro caritate, quaſi nihil deſpiciet eam. Quidam equidem libertatem eccleſiaſticæ communionis muneribus redimunt. Bona redemptio, ſed venditio turpis. Quid vendis quod ipſe condemnas? Si ſchiſmaticos reputas qui à te ſeparati ſunt, non debueras pretio inductus erroris ſui illis permiſiſſe licentiam. Si ſchiſma reputas, cur libertatem ejus muneribus venditas? Si autem eccleſiaſticæ unitatis apud nos veritas eſt, quid illam divel-

Unitas Eccleſiæ quam grata ſponſo.

Cant. 8. d

Papam perſtringit in ſchiſ-

lere tentas? Si Petri sedem successionis jure tenes, cur non Petri sententias vindicas in eos, quos schismaticos arbitraris? *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem.* Nunc verò dicis: Pecunia tua salva mihi sit, anima verò eat in perditionem. Quomodo enim non perditio est, ubi ab unitate corporis separatio est? *Nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed dividatur.* Ita & tu pecunias tollis, cùm animas non potes. Tolle quod tollis: munera tolle tibi, animas Ecclesiæ relinque. Nam & ipsa nisi animas non quærit. Corporalia autem apud te bona spargant, ne bona animæ dispergant tecum. Qui enim non colligit cum Ecclesia, dispergit. Signanter satis ait: *Qui non colligit meum, dispergit.* Collectio namque unitatis rationem continet, sicut dispersio innuit separationem. Ecclesia cum sponso dicere novit: *Qui non est mecum, contra me est.* Nihil medium relinquit: aut colligis cum illa, aut certè dispergis: aut cum illa es, aut contra illam. Tu autem dicere (ut aiunt) soles: Si non vis dispergere mecum: saltem non colligas cum illis. Si non es mecum, saltem non sis contra me. Sufficit si nec noster sis, nec adversariorum.

icos cau- pecuniæ ius seve-

f. 8. d

Reg. 3. d

uth. 12. c

9. Sed non ita noster Jesus, qui ait: *Noster es, an adversariorum?* medium nil relinquens. Numquid Jesu bone, non est resina in Galaad? Quare ergo non est sanata, Domine, contritio sponsæ tuæ, vulnus & livor & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo? Potasti, Domine, satis dilectam tuam vino compunctionis? quando oleo fovebis, oleo sancto tuo? Oleum autem peccatoris non impinguabit eam. Nam & qui ex adverso sunt, oleum habere se jactant. Quid enim nisi oleum venditant, dum blandiuntur, dum pollicentur honores, dum munera proponunt? Oleum istud non sanat, sed magis scindit. Ideo sicut vinum eorum, ita & oleum eorum. Æqua lance pensanda sunt verba & verbera eorum. Renuit consolari anima mea ab uberibus consolationis eorum. Ipsi enim sicut lamia nudaverunt mammas: lactant inde catulos suos, non Ecclesiæ filios. Ecclesia enim mammas suas habet. Idcirco in laudibus ejus statim sequitur: *Quam pulcræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa.* Revoca, Domine Jesu, filios tuos, qui aberrant, ad lactis hujus dulcedinem; ut ex ore lactentium perficias laudem, cum destruxeris inimicum & Victorem. Ideo festina & ejice ad victoriam judicium, ut habitent in unum qui invocant nomen tuum: quoniam in hac unitate mandas benedictionem & vitam per omnia sæcula sæculorum, Amen.

f. 5. d

r. 8. g

2. 1. b

hren. 4. d

ant. 4. c

*NOTA LECTOR. Non alius hic num.* 8. *pungi videtur, quam Alexander III. cui objectus fuit à Frederico Imperatore Antipapa Victor. Hunc auctor destructum cupit in fine sermonis: ubi* ultorem *antea legebatur, non* Victorem, *qua genuina lectio est ex codice Vallis-claræ.*

## SERMO XXXI.

*Quàm pulcræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! Pulcriora sunt ubera tua vino, &c.* Cant. 4. c.

1. LEniter sunt à nobis perstringenda nunc ubera sponsæ, quæ superius non uno in loco studiosiùs pressa sunt; & nescio an ex toto expressa. Fortasse & modò tacta novum aliquid nobis effundant. Quis non avidè & cum spe bona ad ubera currat, quæ sic sponsus laudare curavit? Hæc ubera sunt, quorum nos Petrus quasi modo genitos infantes lac concupiscere hortatur. Et commendatio præsens nonne vim quamdam invitationis videtur obtinere? *Quàm pulcræ sunt*, inquam, *mammæ tuæ, soror mea sponsa.* Non est simpliciter & sine expressione laus tanta profusa, sed ipse pronuntiationis modus admirationem & oblectationem proferentis demonstrat. Quæ tamen est hujus ordinis ratio? Cur post oculum & crinem statim ad mammas sermonem deflectit? aut cur in illis unitas commendatur, in his commemoratur pluralitas? Mihi quidem in capitulo superiori mentis quidam & cogitationum excessus ad Deum videtur innui; sobrietas verò & temperantia ad parvulos in isto. Ibi unum necessarium est, hîc sollicitudo, & sermo doctrinæ partiendus in plura. Ibi intemperantia fervidi amoris & collecta in

2. Pet. 2 a

A unum, & constricta, & penetrans, ipsum dilecti pectus sauciat: hîc temperata doctrina, & sermo sobrius lacteo quodam potu parvulos satiat. Vides quomodo nihil medium relinquitur in laude sponsæ: sed cum Paulo aut mente excedit Deo, aut condescendit nobis. *Caritas enim*, inquit, *urget nos.* Ad quid urget nos? Numquid ad excessum? Non utique ad excessum, sed ad condescensum. Res illa est voti, hæc obsequii: illic intemperantis affectus summus, hîc contemperantis. Bonus odor planè haurire ibi, & hîc exhauriri. Primò ibi infundi, postea hîc effundere: inebriari ibi, & hîc inebriare. Bona vicissitudo talis, si tamen modò talis.

2. Cor. 5. c

B 2. Ordinatione tua, Domine, hæc vicissitudo perseverat, vicissitudo contemplationis & consolationis. An non beatus, cui omnia vitæ momenta in hoc decurrunt, ut vel Christo vulnera caritatis infigat, vel pietatis ubera porrigat subditis? Ego si quando (si tamen aliquando) inebriatus ab ubertate domus tuæ, Domine, distenta ubera inde reportare videor; tot, tam variis & tam molestis exsiccantur negotiis incurrentibus, ut mox arentia reddantur, quæ priùs eruditionis & gratiarum ubertim lacte rorabant. Felix quidem qui sancta interpolatione aliqua talia in se continuat studia, ut vel in ipsum (ac si ita dicam) sapientiæ cor & secretarium penetret; aut ubera inde referat voluptatis illius ubertate referta. Sponsa planè est,

Contemplationis ad Deum & consolationis erga proximum vicissitudo.

C quæ novit hujusmodi variare vices. Ideo in laude ipsius post contemplationis excessum, de consolationis & doctrinæ uberibus sermo statim contexitur: *Quam pulcræ sunt mammæ tuæ!* Purus oculus, & pulcræ mammæ. Ille sponso, & hæ filiis sponsi. Ille ideo unus dicitur, hæ plures: quia varia debet esse uberum temperatura, pro sugentium qualitate diversa. Vide quomodo Paulus Judæis factus est Judæus, & iis qui sine lege erant, quasi & ipse sine lege esset, infirmus infirmis. Nonne velut tot applicat discipulis ubera, qui se in tot transformat genera? Quid aliud molitus est temperaturâ tam multiplici, nisi ut leniter & lactis more teneris auditorum ejus doctrina influeret animis? Tot videtur abundare mammis, quot

1. Cor. 6. e

D modis arte ingeniosa capacitati se infirmorum coaptabat. *Factus sum*, inquit, *in medio vestri tamquam parvulus in medio parvulorum, quomodo si nutrix foveat filios.*

1. Thess. 2. b

3. Et si vultis, duas vobis mammas maternæ pietatis assignabo, immo idem ipse Paulus assignat cum dicit: *quia pietas ad omnia utilis est, consolationem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* His uberibus geminis erga subditos abundare debet, qui doctoris & patris in Ecclesia locum occupat; his muniri mammis à dextris & à sinistris, ut qui ei commissi sunt potentur à lacte, & satientur ab uberibus consolationis ejus. Harum alteram reputa sinistram, alteram dextram. Sinistram in temporalibus

1. Tim. 4 b
Doctoribus & Prælatis gemina habenda ubera.

E subsidiis, dexteram in spirituali consolatione. Qui miseretur in hilaritate, qui tribuit, in simplicitate. Qui juxta Apostolorum Principem gregi commisso providet non coactè, sed spontaneè, mammam hic sinistram exhibet: & Ecclesiæ promittitur in prophetia Isaiæ, quod *regum mamillâ lactabitur. Mamilla*, inquit, & non mamillis, eo quod regum est temporalibus præcipuè bonis Ecclesiam fovere: hæc enim sinistra ejus est, in qua sunt divitiæ & gloria. De dextra quidem mamilla sic nos Paulus informat: *Consolamini*, inquit, *pusillanimes, & consolamini eum qui hujusmodi est, ne abundantiore tristitia absorbeatur.*

Rom 12. d

1. Pet. 5. a
Isa 60. c
Regibus & Principibus magis convenit mamma sinistra.
Prov. 3. b
1. Thess. 5. c

F Item, *vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis.* Et (ut ita dicam) sunt qui sinistram tantùm mammam ex officio habent, sicut ii, quos supra diximus, reges & principes. Et sunt quibus ex officii sui jure impendet dexteram maxime præbere mamillam, sicut sacerdotes Domini & doctores, quorum labia custodiunt scientiam, & lex Domini requirenda est ab eis. Hi enim magis à subditis plebibus carnalia metunt, quibus spiritualia seminant. Qui vero possessionibus cunctis renunciant, qui rebus temporalibus valedicunt, se suaque omnia monasterio tradentes, & ex toto in jus Abbatis transeunt, nullam sui sibi curam relinquentes de cetero; tales utique gemino consolationis lactandi sunt ubere. Ideoque neutro hoc carere debent qui talibus præsunt, ne mutilum & velut detruncatum videantur pectus gestare, unâ

Gal. 6. a
Prælatis & Sacerdotibus competit dextera.
Mala 2. b

Prælatis regularibus utraque.

deformiter mamilla contentum. Qui vero utroque deſtituuntur, locum hunc in Eccleſia & ſibi damnoſe tenent, & quantum ad alios periculoſe, ne forte lingua lactentis adhæreat palato, dum arentia ſunt ubera matris. Peregrina eſt plane hæc laus ab illis in præſenti facta ad ſponſam: *Quàm pulcræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa.* Simulque adverte, quòd non omnes pulcræ ſunt mammæ. Non eſt enim ſpecioſa laus in ore peccatoris. *Fili,* inquit, *ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.* Vide quomodo quorumdam ubera non modò non vult ſpecioſa haberi, ſed vult ſuſpecta. Idcirco iſta commendat, ut bene noris ad quæ te debeas tuto conferre.

Eccli. 15. b
Prov. 1. b

4. *Quàm pulcræ ſunt mammæ tuæ! Meliora ſunt ubera tua vino.* Duo ſunt quæ ponit in laude uberum iſtorum; pulcritudinem & virtutem. Alterum convenit amanti; alterum lactenti. Quid enim lactentis refert, ſi pulcra ſunt ubera, dummodo ſint ubera, & redundantia lacte ſalubri? Pulcritudinem ergo pro ſe commemorat; & lactis gratiam pro ſuis. Et ſi non ipſe melius ſapis, pulcritudinem ad converſationis venuſtatem refer; ad doctrinam & eruditionem, quod reſtat in commendatione mammarum. Dulcius ſugitur, ubi vita venuſtat ſermonis virtutem. Et ſi ſpirituale aliquid vis, & expreſſum de pulcritudine earum audire, ad mulierum te ſtudia mitto, quæ corporei decoris & cultus & operam gerunt, & aſſecutæ ſunt artem. Quid enim magis affectant in ornatum pectoris, quam ne mammæ ſuperexcreſcant: & deformiter fluitent, & pectoris ipſius occupent ſpatia? Ideo excreſcentes & fluitantes faſciis pectoralibus ſtringunt, naturæ vitio arte medentes. Pulcra ſunt enim ubera, quæ paululum ſupereminent, & tument modice: nec elata nimis, nec tamen æquata carni reliquæ; quaſi repreſſa, ſed non depreſſa; leniter reſtricta, non fluitantia licenter. Hoc quidem exemplo qui verba bona, verba ſpiritualia * debet proferre, mulierum imitetur & ſtudia, & induſtriam. Caſtigato utatur ſermone, verborum non fluitent ubera, non ſine lege ferantur; non pectus & quoddam ſecretarium mentis magis occupent, quam ornent; non habeant plus materiæ quam gratiæ; non plus carnis quam lactis. Purus & prudens ſit ſermo pro tempore. Accedat huc pietas, & pulcritudinis numeros teneat. Non habeat plus oris, quam pectoris, nec lactis fluxum patiatur. Ex pectore debent ubera prodire, & inhærere illi, non ipſum converti in illa. Ex abundantia cordis os loquatur, loquatur ex illa, non totum effundat. Reſtringenda ſunt ubera, ne nimis exuberent. Videas aliquos dum verba conſolatoria plus æquo ſectantur, in vana devolvi: & dum auditores longo pertæſos ſilentio, & quaſi quadam ſubtriſtes acedia exhilarare volunt, petulantis laſcivia linguæ poſt utilia profluunt ad ſcurrilia, & modico frumento multum zizaniorum aut præſeminant, aut ſuperſeminant. Loquuntur placentia, & doctrinæ *panem in riſu faciunt,* ſicut ſcriptum eſt: ſed paulo poſt riſum, ſine pane, ſine pane verbi ſalutaris. Non eſt adulterandum verbum Dei, nec admixtione corrumpendum peregrina. Suis ſit contentum uberibus, uberibus utriuſque Teſtamenti. Hæc tibi memoriter in pectore hæreant, hæc tibi conſolatorium & quaſi lacteum ſermonem miniſtrent, iſta ſuggerant quod alii ſugant. De pectore tuo erumpant radicitus, ut non ſint affectata quæ dicis, ſed de puro & præcordiali prolata affectu, juxta illud: *Si vis me flere, plorandum eſt primo tibi ipſi.* Compaſſionis & congratulationis affectus intus naſcatur tibi, ſed per Scripturæ ſacræ verba ac ſi ubera quædam ad educationem audientium profluat. Pudice quidem, ut in re ſeria, & petulantia abſit, & ſerenitas adſit. Ad pulcritudinem enim mammarum accedit, ſi ſe paululum attollant, & tumeant, modice tamen, ut habeant auctoritatis quantum ſat eſt, auſteritatis nihil.

Mulierum ſtudium in ornando pectore & uberibus, utiimitandum.
* al. conſolatoria.

Utile monitum de ſermone ſpirituali recte formando.

Eccl. 10. d
2. Cor. 4. a

5. Ideo & *vino meliora* dicuntur ubera. Sic enim in laude eorum ſtatim ſequitur: *Meliora ſunt ubera tua vino.* Ubera gratiæ, ubera conſolationis, auſteritatis & duritiæ vino meliora ſunt, quia efficaciora, & accommodata magis ad commutandum triſtes & exaſperatos affectus, & ad confovendum imbecilles & teneros. Facilius movent, & fovent ſuavius. Verbum enim dulce, & mitigat inimicos, & amicos multiplicat. Dulce Evangelii verbum, durum Legis. Et vide quomodo verbum dulce effera gentium corda convertit, & quaſi marinos & ſalſos fluctus in lactis ſaporem. *Inundationem,* inquit, *maris quaſi lac ſugent.* De Apoſtolis hoc dictum eſt ſub typo Zabulon & Iſachar. Hodie quis amarus & turbidus fluit? Ne deſperes, adhibe ubera, inſtilla lac, forte & ipſe cras lacteus fluet. Quis ſcit ſi non modica ſtilla totam maſſam convertat? Dabit enim Dominus verbum evangelizantibus virtute multa. Sterilis & infirma eſt ſeveritas legis; & ſine gratia præcipit, & ſine venia punit, utroque ubere caret. In præfiguratione hæc continet, ſed in actu non exhibet.
B Memento non Legis, ſed Evangelii miniſtrum te eſſe, miniſtrum Jeſu, qui in paſſione acetum, & in cœna vini veteris reprobavit acorem. Novatianus non habet mammam veniæ, nec Pelagius gratiæ. Ille naturæ inveteratæ & corruptæ bona prædicat, & ad juſtitiam ſufficere dicit: hic divinæ naturæ bonitatem tollit, dum pœnitentiam negat. Ille (ut ſic dicam) revocat petentes, hic non ſuſcipit pœnitentes. Vetuſtatem ille propinat, hic auſteritatem. Non habet ejus doctrina gratiæ lacteam novitatem, nec hujus dulcedinem. *Paraſti,* inquit Pſalmiſta, *in dulcedine tua pauperi Deus.* Pelagius dives eſt, non eget hac dulcedine: innaſcitur ei, non paratur. Pelagius dicit, Non indigeo: & Novatianus, Non indulgeo.
C Alter prædives eſt, alter prædurus. Para Domine, para in dulcedine tua pauperi tuo Deus. Tu para, tu repara, & nonniſi in dulcedine tua. Magna multitudo dulcedinis, quæ de uberibus tuis, Domine, ſugitur. Quoties poſt graves exceſſus ad iſta acceſſi, preſſi inſtantius; & quantam lactis expreſſi copiam, tu Domine noſti. Ubi abundavit delictum, abundavit & gratia. Sufficiebat mihi ut divitiæ computarentur, ſi vel mererer veniam: & ecce abundavit & gratia. Mammarum preſſi unam, & utraque influxit ubertim. Ideo ſponſa tua gratiæ lacte potata, & ſatiata ab uberibus conſolationis, didicit & ipſa ubera magis præbere quam vinum. Meliora enim ſunt ubera ejus vino. Vinum vetuſtate aceſcit: ubera totum
D novum, dulce totum effundunt. Denique & timor foras mittitur, & caritas numquam excidit. Hoc eſt mandatum novum ejus, ſemper recens dulcedo. Non poteſt amor eſſe, & dulcis non eſſe.

Suavitas Evangelii potior & efficacior, quam ſeveritas Legis.

Eccl. 6. a
Deut. 33. c
Pſal. 67. c

Novatianus & Pelagius gratiæ Dei inimici.

Ibidem.

Rom. 5. d

1. Cor. 13.

6. *Meliora* ergo *ſunt ubera tua vino.* Vinum non malum ſed ubera meliora. Meliora quidem ſunt, mixturam tamen non refugiunt vini. Nam in ſequentibus aliquanto poſt dicet: *Bibi vinum cum lacte meo.* Melius tamen ſi bibat lac ſolum, & ſine vino: quia in vino terror eſt, in uberibus compaſſionis & gratiæ lene blandimentum. Nam vinum licet in bono valeat & ſoleat accipi: hîc tamen ex collatione uberum aliquid durum & forte ſignificare videtur. Meliora ſunt ubera ejus vino: quia
E melior eſt dulcis & fraterna compaſſio, quam indignantis animi durus & immitis affectus. Quaſi non habentes ubera Paulus notat, quos *ſine affectione* vocat. Non poteſt in humano pectore uberibus carere pietatis ſponſa ſponſo ſuo adhærens. Ipſi enim mons uber, mons incaſeatus, mons coagulatus, mons pinguis. Quomodo de tanta lactis copia nil ſponſa capiet, cui beneplacitum eſt in hoc monte habitare? Et ſi in hoc monte ſine intermiſſione habitare nondum poſſumus, recurramus frequenter: aſcendamus, inebriemur uberibus. Sic enim Scriptura habet: *Ubera ejus inebrient te omni tempore, & in amore ejus delectare jugiter.* Videte ad quem ſenſum uberum interpretationem deflectat: ad ebrietatem & oblectationem
F amoris.

Cant. 5.
Rom. 1. d
Prov. 5. d

7. Quid neceſſe eſt diutius in quærenda uberum ratione morari? magis vero quæramus ipſis inebriari. Meliora enim ſunt ubera vino, quia melior eſt miſericordia ſuper vitas: melior eſt amoris affectio quam afflictio carnis, & lacteus potus ſpiritualis novitatis, compunctionis vino. Ibi enim oſtenduntur & guſtantur dura, dum vetus homo repellitur & deſtruitur: hîc in novitate vitæ, divini favoris lactea capimus blandimenta, nec fugæ ſed refugii ſignificationem. Bonum quidem vinum, ſed ubera dulciora: bona compunctio, ſed melior unctio. Odor enim unguentorum tuorum ſuper omnia aromata. Jam ſtudia

Pſal. 62. c

A vestra ad audiendum redintegrata video. Aviditatem vestram excitavit odor unguentorum sponsæ. Indiscreta quadam esurie illa vultis hodie uberibus superaddi: date inducias usque mane. Hodie sufficiant ubera, crastino accedemus ad unguenta, eo votis nostris præstante effectum, qui uberum & unguentorum sponsæ suæ & commendator est & dator, Jesu-Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO XXXII.

B *Meliora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Cant. 4. c

1. Exiguum est mihi olei & unguenti, fratres, & vos hodie vasa affertis tanta, tam vacua? Nec ducatis ad injuriam, quod vacua vasa vestra dico. Ego non inania per hoc, sed magis capacia volo intelligi, eò quod & avida, & idonea sint vobis ad capiendum ingenia. Quis ista implere sufficiat? Attenditis ad unguenta sponsæ, quanta sit illi aromatum copia: quasi non & instrumenti habenda sit ratio, per quod ad vos manare debent. Copiosa quidem materia: sed nihilominus attendite quid C minister queat. Fiat quod vultis: non causabor inopiam, ne vos me non observatæ sponsionis incusetis. Instillabo modicum quod habeo olei vasis ingentibus, atque utinam aliquis Elisæus jubeat, cujus virtus nostro proventum bonum conatui tribuat. Quid ergo? Nonne hic multi assident Elisæi, multi Prophetæ, aut certe filii Prophetarum? & hi omnes jubent: & si merita inferius essent, numerus ipse magni unius alicujus poterat vicem supplere. Instillabo ergo aliquid de reliquiis unguentorum. Nam ipsa in capite libri copiose & sufficienter effusa meministis, & forte fæx illorum nondum est exinanita. Numquid & ego modo sum exhausturus illam? Ne speretis id à me; nec enim D præsumo. Fertilis apud Sponsam est unguentorum apotheca. Non est quod dicatis: Exhaurite, exinanite usque ad fundamentum in ea. Utinam contingat mihi in hac fæce infigi, nec solum pedem intingi in oleo, sicut scriptum est de Aser. (Deut. 33. d) Fratres, si non meremur in olei dolium, in unguentorum copiam, cum Evangelista Johanne immergi, si non meremur tam uberem unctionem, numquid desperabimus vel intinctionem, numquid saltem odorem? Nam & odor hic tantum commendatus est. Et *odor*, inquit, *unguentorum tuorum super omnia aromata.* Ubera prosunt ut crescas, unguenta ne deficias. *Meliora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Et ut hodiernum capitulum cum hesterno copulemus, dicamus ubera tenerorum esse, unguenta E fortium.

2. Conferamus inter se ista tria, vina, ubera, unguenta. (Vini, uberis, & unguenti collatio mystica.) In vino veteris hominis defectio, in ubere novi refectio, in unguentis quædam delectatio. Vino carnalis sensus inebriatur, & consopitur, & obruitur: ubere novus nutritur, unguentis adultus deliciatur. In primo homo vetus conficitur: in secundo novus reficitur; in tertio jam appropinquans ad perfectionem ineffabili lætitia afficitur. An non ordo bonus, ut de refectione ad delectationem accedas, post lactis primitias ad unguentorum delicias? Et à principio Cantici hujus utraque ista, unguenta & ubera, & commemorata & copulata sunt in F præconiis sponsæ. Nec exigua horum gratia, quæ toties replicat in laudem dilectæ, non contentus commemorasse semel. Nonne delectatum putas laudibus istis, quas tanto affectu, tam frequenter recenset? Est & quod ad te trahas de tanta sedulitate iteratæ laudationis: invitationem tuam puta hanc iterationem. Curre & tu in odore unguentorum istorum; immo cura magis ut hæc in te unguenta redoleant, ut & tu audire dignus sis, quia *odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Nec tantum semel hoc audias, sed iterato has tibi laudationes os dilecti loquatur. Recentia in te sint & quasi nova semper unguenta: non arescant, non exsiccentur, non exinaniantur. Oleum exinanitum nomen dilecti. Sed vide ut exinaniatur usque in te, non exinaniatur à te. Bonum est si cum sponsa inchoes ab unguentis: sed non bonum nisi consummeris in unguentis. Alioquin tibi dicit Paulus: *Cum spiritu cœperis, nunc carne consummaris.* (Gal. 3. a) Bene ungeris, si spiritu ungeris. Ideo sic ungere, ut caro in te immutetur propter oleum. Oleum non immutetur aut minuatur propter carnem. Oleum, immo & unguentum non de capite tuo discedat, sed exuberet & descendat usque ad pedes: quia utraque in Christo Jesu non tam uncta quam perfusa sunt unguento. Intret oleum interiora tua, ipsis imbibatur affectibus, ut carnalitas omnis in te mutetur propter oleum. Erit enim quando & caro immutabitur propter oleum. Unctus est & perfusus oleo lætitiæ præ consortibus suis. Ideo solus ante resurrectionis tempus dicere potuit: *Caro mea immutata est propter oleum.* (Psal. 44. b; Psal. 108. d) Jure anticipavit communis horam immutationis caro immunis à carnalitate. O hora optabilis, ô dulce unguentum, quando & per quod caro dissoluta ascendet in incorruptionem. Nam ante illum statum quidni descendat in corruptionem?

3. Vidistis hesterno die, fratres, aspexistis lacrymabilibus oculis carnem miseram commutatam, carnem descendentem de corruptibilitate in corruptionem. Et quidem satis lente & cum mora descendentem, nec posse penitus corrumpi. Videbatur velle corpus quod occupaverat hereditario possidere ipsa corruptio; & ne desineret putrescere, non sinebat perputruisse. Cohibebat vires, quasi nollet substantiam celeriter consumere, ut diutius inficere posset. Nam cùm fuerit caro redacta in pulverem, quid habet ultra corruptela quod faciat? *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos fœni. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* (Isa 40. b; 1. Pet. 1. d) His verbis Propheta velocitatem defectionis expressit, qua facile caro florida & vitali pubescens calore, & roseo colore pulcra, sed de terra succisa viventium, exsiccatur quidem subito, sed non computrescit tam cito. (Caro florida cito deflorescit, & putrescit.) Ergo fœni collatione celeritatem subitæ commutationis ostendit, non lentæ & putridæ corruptionis expressit horrorem. Videres in illo cadavere ossa quæ tecta fuerant, quædam denudata, quædam quidem adhuc non tam tecta quam polluta & involuta putredine. Grassabatur in carne misera longa corruptio, & attingens à fine usque ad finem fortiter, miserabiliter dissipabat omnia. Poteram & ego dicere, disponebat omnia carnis ejus, eò quòd dissipatio illa nutui divinæ dispositionis serviebat. Misera commutatio, sed pulcra ratio, qua Deo placuit ut carnis gloria nonnisi per putredinem deducatur in pulverem. Sæviat mors, sæviat & grassetur ipsa corruptio in carnem humanam: depopuletur eam quantum potest, deducat eam primo in saniem, deinde in cinerem. Nam hucusque potest, & non amplius, quam in pulverem deducere, scilicet carnis gloriam. Non ad nihilum consumere valet carnis substantiam, nec penitus consumere, nec perpetuo possidere. Donec atteratur cælum, non consurget, sed tamen tunc consurget. (Iob 14 b) Tunc enim effundet Dominus de Spiritu suo super omnem carnem, tunc caro Sanctorum erit immutata propter oleum, eò quòd Spiritus Domini unxerit eam. (Ioel 2. g) Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur. (1. Cor 15. g)

4. O quanta virtus unguenti illius, à cujus facie corruptionis tam vetustæ jugum computrescet, & caro quæ consumpta fuit à suppliciis, revertetur ad dies adolescentiæ suæ, adolescentiæ quæ non discedat alia ætate succedente. (Unguentum mysticum spes resurrectionis.) Efficax omnino unguentum, per quod tam inveterata sanabitur contritio, & tam annosa sanies in sanitatem incorruptibilem convertetur. Ecclesiæ proprium est hoc unguentum: ideo Christiani dicuntur filii ejus à Sponso suo Christo, id est uncto. Et jam accepimus hoc unguentum in baptismate. Sed sicut ibi operatum est ad sanctificationem, ita & in fine temporum operabitur ad gloriosam illam immutationem, quando caro immutata erit propter oleum. Quis scit si non interim morbus sinatur desævire, ut ex violentia morbi virtus declaretur remedii? Bene ergo unguenti hujus odor commendatur, eò quòd gratiam ejus ac si de longe adhuc odoramur. Quod aliud dabis antidotum tam efficax ad mitigandum omnem mentis quæ potest accidere desolationem, quomodo fidissima spes est resurrectionis futuræ, & felicis illius commutationis? Non habet doctrina Gentilium resurrectionis credulitatem, & Judæorum traditio non te-

net qualitatem. Illi non credunt, isti minus plene, sed A parum pure de spirituali resurrectionis gloria, & angelica similitudine sentiunt. Gentiles unguenti hujus odorem non trahunt: Judæi quidem non ipsum & proprium, sed nescio quem alium & adulterinum pro eo. Apud solam Ecclesiam unguenti illius odor & integer, & proprius exsistit. Ideo odor unguentorum ejus super omnia aromata.

Duplex unguentum, impassibilitatis & patientiæ.

5. Bona unguenta, impassibilitas & patientia. Per illam caro resuscitata lædi non poterit: per istam mens pia inter provocationes & injurias illæsa consistit. Per illam quieto & inconcusso jure carnis nostræ terram hereditate possidemus: per hanc verò ipsam animam. *In patientia*, B inquit, *vestra possidebitis animas vestras.* Ipsa patientia quid aliud est, nisi velut quidam futuræ impassibilitatis odor? Illic mala nulla inferuntur: hic verò patientiæ beneficio, ac si unguento quodam mitigatorio, etiam quæ illata sunt, non sentiuntur. Efficax & utile omnino unguentum, quod & inter carnis vexationes animum ab injuria tuetur, & continet ne fatiscat, ne deficiat, ne laboret. Ego utilitatem unguenti hujus prædico, tu forte voluptatem quæris. Ne in hoc quidem deero, & adhuc vobis excellentiorem unctionem demonstro. *Omne gaudium*, inquit, *existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* An non tibi videtur excellentiori unguento perfusus, qui novit in adversis gaudere, quam C qui didicit in ipsis non contristari? Minus enim est quo dolor excluditur, quam quo lætitia suadetur. Denique & inimicos non modo tolerare, sed & amare jubetur sponsa Christi. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros.* Bona ergo ejus unguenta, quæ in tristibus lætitiam redolent, & hostibus dilectionem præstant. Dilectio enim major est omnibus sacrificiis & holocaustomatibus. Ideo odor unguentorum tuorum præcellit omnibus aromatibus. Bonum plane orationis aroma, bonum incensum: sed audi quid Evangelium præferat. *Si offers*, inquit, *munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, dimitte ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Advertis satis quo- D modo unguentum reconciliationis aromati præfert orationis. Quid est reconciliatio, nisi iterata animorum dissidentium conciliatio? Et de conciliatione & caritate fraterna dicit tibi Psalmus: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Hæc est excellentior via juxta Paulum, & aliis major charismatibus, quasi cunctis aromatibus. Unguentum hoc descendit de capite in barbam & oram vestimenti. Christus enim caput nostrum prius dilexit nos, ut nos diligamus eum.

Luc. 21. d

Jac. 1. a.

Luc. 6. c

Dilectio fraterna præfertur orationi & sacrificio.

Math. 5. c

Psal. 132. a

1. Cor. 12. d

Psal. 132. a

Dilectio duplex Dei & proximi.

6. Ideo & Sponsa se currere dicit in odore unctionis, id est in æmulatione dilectionis. Non dicit unguenti, sed unguentorum: eò quòd gemina sit dilectio. Una qua diligimus ipsum, quoniam ipse prior dilexit nos: Alia qua diligimus invicem, sicut & ipse dilexit nos. Utriusque dilectionis habemus ab ipso & exemplum & donum. Ipse E enim dilectionis & viam monstrat, & ministrat virtutem. Ideo scriptum est: *In odore unguentorum ejus curremus.* Ipsa connexio & suavitas, & amor Patris, & Filii, & mutua complexio per Spiritum amborum, nonne grato nos odore perfundit, & ad similem nos invitat æmulationem, ut & nos unum simus, sicut & ipsi unum sunt? Felix quidem qui sequitur & currit in odore caritatis illius, suavitatis illius, dilectionis illius, unctionis illius. Ipse enim Spiritus utrosque quasi perungit, quos tanta amoris dulcedine conjungit. Imitemur unctionem istam, curramus in ejus odore. Divinæ illius & essentialis unitatis æmula est, & quasi imago fraterna caritas, & quæ- F dam velut umbra unguenti illius & dulcedinis, & amoris mutui. *Ecce enim quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite quod descendit, &c.* Atque utinam de capite nostro, quod sursum est, quædam unguenti istius in nos umbra descendat, ut & ipsi audire mereamur, quoniam *odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Percurre animo virtutes reliquas, usum & opera singularum recense: nihil in illis tam suaviter redolet quantum pura de corde caritas. Quem odorem tibi spirent jejunia, quem odorem

Cant. 1. a

Psal. 132. a

Virtutes ceteræ sine caritate inanes & insuaves.

eleemosynæ, si non in illis caritas olet? Castitas ipsa & tolerantia passionum, si non fuerint caritate condita, quid tibi suavis odoris refundent? *Si tradidero*, inquit Paulus, *corpus meum ita ut ardeam*, & quasi aroma incensum liquescam totus in igne, *caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Non potest gratis suscipi, quod non cum gratia offertur. Caritas radix est, quasi rami virtutes ceteræ de illa pullulant; & ideo pinguedinis illius participes esse debent. Quid prodest ramus in bona oliva, si non in eo sentitur radicis pinguedo & gratia? Ita quidem nec virtutes, nec opera virtutum, si non in eis caritatis & dilectionis virtus redoleat.

1. Cor. 13

7. Maria cujus etiam modo tibi nomen de Evangelio sonuit, quid in ea aliud quam dilectio redolebat? *Dimissa sunt ei*, inquit, *peccata multa, quoniam dilexit multum.* Bonus hujus unguenti odor, cujus gratia veteris corruptelæ fœtorem delevit omnino, & totam Ecclesiæ domum suavitate grata perfudit. Dum esset Rex in accubitu suo, nardi pistici alabastrum confregit, & effudit super caput recumbentis. Et nardus illa dedit, & adhuc dat, & in finem sæculi dabit odorem suum. Bonum in ara pectoris sui Christo domino incendit aroma, ac si unguentum exinanitum cor ejus, & liquefactum flamma caritatis. Sepulto Domino, vide quam officiosa, quam sedula monumentum frequentat. It & redit, videt Angelos, Apostolos invitat, abeuntibus illis non abiit illa. Ardens est, inquit, cor meum; desidero videre Deum meum: quæro & non invenio eum. Nonne tibi anxietas ista quærentis, eximiæ dilectionis videtur odorem spirare? Hæc verba dum in ejus memoria cantantur, nonne qui cantant & ipsi quoque inflammantur? Denique & ipse Jesus qui desideratur, unguenti illius fragrantiam odoratur; & quasi currit ad illam in odore vehementis amoris. Quidni ad cognata libenter recurrat unguenta? Quasi in matutino festinat ad illam, & surgens mane prima sabbati, primo apparet Mariæ, & ungit eam oleo lætitiæ præ consortibus suis, dum se jam resurrexisse manifestat in gloria. Jam aromata illius in unguenta convertit, & desideria ejus in delectationem commutat.

Luc. 7. g Mariæ excellens erga Christum caritas.

Marc. 16. b

8. Aroma mihi videtur offerre, qui orat & optat. Tunc autem unguento perfunditur, cum ejus quem amat, potitur copia, cum præsentia delectatur. Bonum quidem orare & desiderare Dominum: sed amare, & habere, & frui melius. Et (ut ita dicam) cum non habes, bonum est mendicare, sed melius manducare. Si potes absentem amare, quanto magis cum adest, cum copiam sui indulget, cum experientia dulcis alimenta ministrat amori? Tunc enim & spiritualius & profusius ungitur anima, cum illi qui unctus est spiritu & virtute, arctius jungitur. Tunc præcipue dilecto placet, tunc suavius redolet, cum tota fuerit in ipsum transfusa, cum adhærens illi, unionis fragrat unguento, unguento illo quod de sponso redundat in sponsam. Jucunde omnino & suaviter redolet cohabitatio ista in unum, sicut unguentum in capite quod descendit, &c. Ideo *odor unguentorum ejus super omnia aromata.* Et si unguenta ipsi etiam sponsæ alia sint; nulla talia sunt, quale illud, quod descendit in ipsam, hora hac maxime qua dilecto cohæret, quando inter ejus ubera moratur, quando cubat in secretario cordis: denique quando rex est in accubitu suo, tunc nardus sponsæ spargit odorem suum, odorem bonum super omnia aromata, odorem sponsi, magis vero odorem sponsum. Ipse est enim dilectæ suæ unguentum, ipse est odor: nam ipse in dilecta sua complacet sibi, ipse redolet. Atque utinam unguentum hoc de capite nostro non discedat, & odoris ejus fumus ascendat de cordibus nostris in sæcula sæculorum, Amen.

Suavitas contemplationis.

## SERMO XXXIII.

*Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*
Cant. 4. c

1. Dies ista Dominicæ Resurrectionis annua celebritate sollemnis, de unguentis repetito tractatu me compellit instaurare sermonem. Veniunt hodie mulieres cum aromatibus, venit & Nicodemus ferens mixturam

Sermo iste habitus est in die resurrectionis Dominicæ.

rhæ & aloës quasi libras centum: Maria Magdalene A ipsa prævenit ungere corpus Jesu in sepulturam. Videtis quanta mysteria celebrantur in unguentis. Magna mysteria, & quis ad ista idoneus? Quis digne unguentorum assignabit distinctionem, proprietatem exponet? Disputatio hæc experientis est, non conjicientis. Non est enim facile cuiquam de unguentis tractare, nisi quem ipsa docuerit unctio. Hodie unctus est Dominus oleo lætitiæ præ consortibus suis, non tamen sine consortibus suis. Quomodo enim consors est, qui non congratulatur, non congaudet, qui resurgenti non consurgit in novam lætitiam? Opportuna quidem occasio de unguentis vobiscum disserere, sed multo magis opportuna unguentis redolere. Vos exigitis à me sermonem, & ego à vobis unguentorum odorem deposco. Qua ratione cum sanctis mulieribus Domini Jesu frequentatis monumentum, si nullum spirituale defertis ad illud unguentum? Caro Domini hodie gloriose est immutata propter oleum. Nonne condignum videtur, ut corda nostra immutentur & convertantur in oleum spirituale, in oleum exultationis & lætitiæ? Instituerам de unguentis sermonem, & ecce disputatio nostra hæsit in oleo. Et quid oleo cum unguentis? Multum quidem, & si non per omnem modum idem est, accedit tamen ex parte aliqua & assimilatur eis. Oleum enim, quamvis non fragrat, mitigat tamen: non bene olet, sed bene ungeris ex eo. Hic autem non tam unctionem quam odorem commendat in unguentis sponsæ. *Et odor,* C inquit, *unguentorum tuorum super omnia aromata.*

2. Non omnis anima odoriferis abundat unguentis, sicut & mulier illa in Regum libro loquitur ad Prophetam: *Non est in domo mea nisi paululum olei quo ungar.* Non habet hæc mulier unguenta odoriferis speciebus composita, sed oleum ad unctionem simplex & exiguum. Maria Magdalene, non Legis, sed evangelica mulier, unguentum defert nardi spicati pretiosi, nec exiguum, sed libram integram. Et ipse Simon redarguitur à Domino, quod nec oleo quidem caput ejus perunxerit, cum illa caput ejus perfuderit unguento. Vides quomodo unguenta oleo præferuntur, & odorifera unguenta? Nam præter hoc quod unctionis habent effectum, quodam odoris spiritualis beneficio prærogant. Unctio quidem parcior est, sed fragrantia se diffundit in plures. Etiam qui solus ungitur, non solus odorat. Virtus ista communis est, si in omnes se spargit. Ergo unctio tibi, odor & aliis & tibi. D Bene ungitur & bene redolet, qui diligit bona coram Deo, & providet bona coram hominibus. *Gaudete,* inquit Paulus, *in Domino semper, & iterum dico, gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Gaudium ad unguenta, modestiæ notitiam ad odorem refero. Audi quomodo ipse Paulus odorem ad notitiam trahit. *Et odorem,* inquit, *notitiæ suæ per nos manifestat in omni loco.* Bonum ergo unguentum, & bonus odor spiritualis in Domino exultatio, & modesta exhibitio: lætitia & notitia. Bene ungitur, cui Dominus in conscientiæ interioris gaudio placet, qui delectatur in ipso: & bene olet qui cum E Paulo omnibus per omnia placet, & non placet nisi in Domino: in cujus modesto habitu, discreto opere, sermone docto, interioris alacritatis & gratiæ fragrant unguenta. Bene ungitur, qui gloriatur in Domino: & bene olet, per quem Dominus glorificatur coram hominibus. Et ipsi qui redolet, odor suus suaviter fragrat, si non gloriatur seipsum commendari, sed per se Dominum.

3. *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Vultis ut inter unguenta & aromata differentiam vobis assignem? Ipse ergo sermo Cantici distinguere videtur, non reprobans aromata, sed unguenta præponens. Quantum ergo in consimilibus & conjunctis rebus invenire distantiæ possum, unguenta videri possunt dona gratiarum quæ F in Spiritu-sancto conferuntur: aromata vero ipsa officia, quæ devote referuntur. In operibus & in officiis honestatis quædam naturalis species grata est, in unguentis gratia Spiritus. Dominum Jesum legis unctum spiritu & virtute: ita & sponsam ejus in hoc decuit assimilari, ut & ipsa spiritu & virtute ungatur. Bona quidem sunt aromata virtutum, & per se redolere videntur: sed cumulatiore gratia fragrant, cum de unctione Spiritus suavitatis

Reg. 4. a

Marc. 14. a Luc. 7. g

[Un]ctio bo[nor]um con[sc]ientiam, [o]dor bonam [fa]mam desi[gn]at.

Philip. 4. a

2. Cor. 2.

2. Cor. 10. g

Unguentorum & aromatum differentia.

Virtutum opera sine

asperguntur odore. Opera ipsa & virtutes cum his qui foris sunt communia nobis esse possunt, unguenta non possunt. Denique etsi per se pulcra sunt, plus placent cùm procedunt de Spiritu. Quomodo videntes opera bona glorificant Deum, nisi quia intelligunt quod ipsum opus bonum & à Deo venit, & ad ipsum vadit? Si qua sane in me bona sunt, gratiora mihi quidem sunt, cum deputantur gratiæ Christi, cum ejus in me unctio commendatur, cum Spiritus redolet, magis quam cum naturalis arbitrii prædicatur facultas, aut fructus industriæ. Denique sine unctione Spiritus, & natura libertate destituitur *, & virtus veritate, & opus merito. Nam sine gratia Spiritus & fide Christi, & voluntatis conatus effectu caret, & virtus quæ videtur fucata est, & opus æternæ mercedis B non assequitur fructum. Ideo *odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Etenim qualiacumque aromata fuerint, non meræ suavitatis spargunt odorem, nisi cum in eis spiritualis gratiæ redolent & redundant unguenta.

4. Vultis ut aliquod vobis unguentum proponam, cujus odor super omnia ecclesiasticorum donorum excellat aromata? Quis odor in Ecclesia suavius fragrat odore misericordiæ & remissionis? Quanti cucurrerunt in odore unguenti istius, & per hoc Christo concorporati & agglutinati sunt? Bene redolet quod veteris corruptelæ & peccati ab antiquo inoliti sub momento delet fœtorem. Mulier illa quæ erat in civitate, Maria nomine, quam fœtida erat quando accessit ad pedes Jesu in domo Simonis leprosi! Quantum ipsi fœtebat Simoni, qui præsentiæ ejus non sustinuit horrorem portare! quam fœtida, inquam, accessit ad Jesum! & ecce jam in toto mundo & pœnitentiæ, & dilectionis, & gratiæ, quam reportavit, spargitur odor. Non est sera gratia Christi: in ipso convivio, quo mulier hæc Domini pedes rigavit, tersit & perunxit; & lota, & extersa, & peruncta est, & ipsius Domini testimonio Pharisæo præfertur. Non est enim parca clementia Christi, nec pigra quidem: plus rependit, & sub hora rependit. Quid mirum si pœnitenti occurrit indulgentia, ubi ad pœnitentiam patientia adducit? Mulier illa deprehensa in adulterio & relicta in medio, vide quomodo clementiam Jesu redolebat, quæ mœchiæ culpâ prius fœtebat. Revolve Evangelium: ubique Jesum invenies & citum, & copiosum ad veniam. Denique etsi quatriduanus mortuus est, & publicati criminis famâ jam fœtet: ubi Jesus evocat & educit de tumulo pravæ consuetudinis, ubi Jesus solvit, & remissionis infundit unguentum; statim à facie ejus fugit omnis fœtor antiquæ putredinis. Quis enim retractabit quod non imputat Dominus? Quis tenebit errata quæ ipse remittit? Non potest male olere quod ipse abolet. *Domine,* inquit Martha, *quatriduanus est, & jam fœtet.* Erras Martha, Jesus non tam fugit fœtida, quam solet ipsum fœtorem fugare. Exemplum dedit Ecclesiæ suæ, ut quemadmodum ipse fecit nobis, ita & nos invicem faciamus: hæc illi reliquit unguenta.

5. Quanti desperantes semetipsos tradidissent immunditiæ omni & avaritiæ; omniumque vitiorum præcipites se dedissent in gurgitem, si non medicaminis hujus retraherentur odore? Tribularer, inquit *, si nescirem misericordias Domini: misericordias in capite, & misericordias in corpore ejus quod est Ecclesia. Nam & ipsa accepit à Domino, quod & filiis tradit: ipsa, inquam, accepit misericordiam in munere; ipsa etiam in mandato, ut sit ministra miserationum. Bonum quidem misericordiam ministrare, sed melius misereri. Misericordiam, quam debes ex loco, ex animo solve. Exprime in te Christi affectum, cujus officium & vicem suscepisti. Minister es ejus qui dives est in misericordia. Noli in alieno prædurus inveniri. Eroga conservis tuis unguenti hujus mensuram in tempore. Si in alieno infideles estis, quod vestrum est quis dabit vobis? Affectus tuus sit misericordiæ: nam Domini est effectus veniæ. Qui læsam conscientiam gestat, tectum * vulnus sub pectore: tuto se tibi committet, si penes te unguenti hujus odorem præsenserit. Si sciretis quid est, *Misericordiam volo & non sacrificium,* numquam condemnassetis innocentes. Non sic tu Domine, non sic, non modo non innocentes, sed ne nocentes quidem condemnas, sed emendas eos. *Emendabit,*

unctione Spiritus insipida & ingrata.

* Quid Auctor de libertate sentiat, Vide ser. 39. n. 3 & 4.

Misericordiæ & gratiæ odor quam suavis.

Luc. 7. f.

Christus quam facilis & pronus ad indulgentiam.

Iohan. 8 a

Iohan. 11. c.

Spes misericordiæ Dei erigit desperabundos.

* In Resp Eccl. Dom. 1. Quad. juxta Brev. Rom.

Misericordia Christi Pastoribus imitanda.

* al. cæcum.

Matt. 12. a

Psal. 140. b

inquit, *me justus in misericordia, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Distinguit hîc Psalmista inter oleum & oleum: inter oleum adulationis, & oleum miserationis. Illud demulcet & sauciat: istud demulcet & sanat. An non tibi super omnia aromata bene redolet unguentum, per quod universa delicta tam facile delentur? Filius ille junior in se reversus, unguenti hujus uberem copiam odoratus est in Patre de regione longinqua, & inter greges porcorum patris ei cœpit fragrare clementia. Ideo attractus est, & currere cœpit ad patrem in odore unguentorum ejus. Vide facilem, vide profluam Domini Jesu gratiam: cum pœnitente filio gaudere eum oportet & epulari. Manet in domo Zacchæi, publicanum in discipulatum adsciscit: & cum Lazaro post tumulum instaurat convivium. Quibus propitiatur, improperare nescit: dimidiata uti non novit clementia: familiaritatis in gratiam suscipit quibus indulget.

*Luc. 15.* — *Luc. 19.* — *Iohan. 11.*

6. Bonum ergo misericordiæ unguentum, quod peccata remittit, prævenit merita, comitatur, accumulat, super omnia fragrat aromata, eo quod omnis Ecclesia Sanctorum plus misericordia quam meritis nititur. Denique remissionis unguentum ultimum Sacramentum. Unguentum hoc & peccatoribus, & justis, & commune, & commodum est. Nam sunt alia quædam specialia Sanctorum, & solis ipsis accommoda. Sunt enim unguenta quæ sanant: sunt unguenta, quæ fovent: sunt unguenta quæ sanctificant: sunt quæ delectant. Et prima quidem ægritudinem depellunt; secunda jam sanis conferunt alacritatem; tertia sanctificant in opus ministerii, sicut regium, & sacerdotale unguentum: quarta non jam in opus sunt, sed in otium, non in administrationem, sed in amorem, sed in gloriam, sed in delicias, sed in usum sponsi & sponsæ. Bonum est commorari in unguentis; sed quoniam alibi* satis disputatum est super unguentorum distinctione, ungendi modos nunc breviter distinguamus. Alii tanguntur, alii asperguntur, alii inunguntur, alii perfunduntur. Relege Pentateuchum, Evangelium revolve: & diversitates istas ungendi, quas corporaliter & exterius factas advertis, ad mores deflecte. Non ego nunc de natura unguentorum, sed de mensura ago ungendi. Et alii quidem semel, alii sæpius, alii semper unguenta frequentant. Bona quidem copia, si adsit & gratia. Neutra deesse videtur in unguentis sponsæ, nec suavitas, nec ubertas, quorum odor omnia aromata superat.

*Unguenta varia.*

** Bern. serm. 10. in Cant.* *Ungendi varii modi.*

7. Ad Ecclesiam generaliter hanc laudem derivavimus: ad specialem aliquam in Ecclesia personam declinemus sermonem, quæ singulari quodam amoris & familiaritatis beneficio sponsæ debeat nomine censeri, in qua non modo necessitatis, sed dignitatis & voluptatis ubertim unguenta aspirant. Non hanc crediderim ego sacro unguine vel tactam in parte, vel respersam per partes, sed perfusam & perunctam abundantius in sponsi delicias. Copiosæ penes hunc sponsum aromatum cellæ eructantes ex hac in illam, sicut regales oportet habere divitias. Sed credibile est excellentioribus reginam unguentis redolere. Nihil tamen nobis de virtute unguentorum exprimitur, præterquam quod solus odor commendatur in ipsis. Non eloquitur quid efficiat unctio, delicias solas memorasse contentus, & eas delicias quæ spiritualem magis caritatem accendunt. Unctio solo tactu sentitur, cum fuerit carni superfusa. Odor vero tactum diffugiens, tantùm spiritu sentiri se patitur. Et unguenti quidem liquor sensim in inferiora liquatur: odor vero cum omni facilitate superiora petit, cerebro illabitur, sensuum sedem dum occupat, recreat. Multo ergo subtilior & sublimior, multo magis unguentorum est odor quam liquor. Et in blandimento Sponsæ magis delicata & magis accommoda spiritualibus oblectamentis, & fæculentiæ minus habentia oportuit commemorari. Aliæ unguentis & oleo indigent, ut motus carnis aut mitigent, aut immutent. Hæc autem jam non in carne, sed in spiritu, ut Domini sponsam decet, spiritualibus abundat deliciis. *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Etsi solus odor commemoratur, forte non solus operatur: operatur & unctio. *Qui sunt Christi*, ait Apostolus, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Ubi unctio est, non videtur crucifixio necessaria. Illa mortificat, & hæc immutat. Et quidem crucifixio doloris sensum habet, unctio lenitatem. Suavis unctio est, efficax tamen, quæ sine læsione oleo exultationis & lætitiæ à corruptione carnem illæsam conservat, corruptionem aufert, & cruciatum non importat. Domini Jesu passionem unguenta præveniunt, unguenta subsequuntur: ut discas & tu carnis tuæ (si quis est) cruciatum unguentorum exuberantium perfusione lenire. Bis unctus est, ut & crucis non sentiret injuriam; & resurrectionis suæ novitatem consequeretur, & ut quasi per hoc sacramentum spiritualis unctionis gratiam commendaret. Bonum ergo unguentum, cujus (ut sic dicam) liquor carnem immutat, & odor spiritum recreat.

*Unctionis & odoris discrimen.*

*Gal. 5. d*

8. Et ut summarim hæc recapitulemus, unctio est mentis exultatio, odor oratio. Unctio spiritualis lætitia, odor quædam eorum quæ animo gestantur, exterior per famam notitia: unctio interna delectatio, odor quoddam de gaudiorum experientia desiderium suaviter profluens. Ideo *odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Omne enim orationis incensum & desiderii vehementiam excedit desiderium illud, quod de cælestium blandimento gaudiorum gignitur, & concupiscentia, quæ de Spiritus unctione quasi suavissimus quidam odor ubertim exhalatur. Bonum hoc desiderium, quod vim habet orationis, & non habet afflictionis molestiam. Sponsa est, cui privilegium hoc unguenti & odoris defertur. Quid mirum si præcellentius redolet, quæ specialius ungitur? quid mirum si avidius optat, quæ gustat suavius? Æquum enim est, ut amplius oret, quæ arctius hæret. Adhærens Sponso, unus cum illo effecta est spiritus. Idcirco nonnisi Spiritus redolet in ea, qui unxit eam, & orat pro ea affectibus inenarrabilibus. Propterea odor unguentorum ejus super omnia aromata. Et in Apocalypsi legis *phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Aromata, sicut Exodus docet, geminos in usus distribuuntur, id est chrismatis, & thymiamatis.

*Quid unctione & odore designatur.*

*Apoc 5. d* — *Exod. 25. & 30.*

9. Nonne tibi videntur etiam nunc in laudibus Sponsæ hæc utraque conjungi? Unguenta ejus, & unguenta sunt, & odorifera valde: Odor enim eorum super omnia aromata. Unguentum (ut dictum est) donorum perceptio: odor de perceptione actio gratiarum, desiderium æternorum, & quidam inter sublimia bona sensus humilis. Oratio enim humiliantis se, ipsas nubes penetrat. Vides quomodo ascendit odoramentum humilis orationis? Ascendit Pharisæus ille in templum ut oraret: sed orationis ejus odor nescivit ascendere. Dona gratiarum sibi divinitus collata secum reputat, & quasi unguenta recenset. *Non sum*, inquit, *sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri.* Audis præ quibus unctum se gloriatur? gloria ejus in confusione aliorum. Non magna gloria, magna tamen ipsi videtur. Ipsi redolet, non tamen super aromata, sed super sulphura ceterorum. Audisti quibus præferantur: audi nunc quid in se gratiæ præferant unguenta, in quibus Pharisæus gloriatur. *Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo, & si quem defraudavi, reddo quadruplum.* Bona hæc legis elementa redolent, non evangelicam doctrinam*. Non jejunat per omne tempus, non renunciat omnibus quæ possidet, ut non habeat unde possit vel primitias, vel decimas dare. Defraudata reddit in quadruplum, non se patitur defraudari, non quod reliquum est exponit partem auferenti, non acceptas se habere dicit injurias. Pharisæe inter infirma * opera supra modum tumes. Pharisæe non rogas, sed prope astanti Publicano injurias irrogas. Tu de teipso perhibes testimonium, exiguum est testimonium tuum. Duo quædam in oratione tua non tam redolent quam fœtent, tumor & tepor. Tumor est in eo quod Publicano improperas: Tepor quidem, quia omnino nihil rogas. Quomodo enim non tepebit oratio, elationis vento & inanitate satiata? Pharisæe non oras, sed effers teipsum. Tu de teipso perhibes testimonium, & testimonium tuum non est verum. De operatione tua exiguum est, de prælatione non verum. Audi enim testimonium Veritatis: *Amen, amen*, inquit, *dico vobis, descendit hic justificatus ab illo in domum suam.* Non *enim qui seipsum commendat,*

*Eccli. 35. c* — *Luc. 18. b*

*Pharisæi oratio fœtebat coram Deo.*

** al. perfectionem.*

** f. infima*

*Ob tumorem & teporem.*

*Ibidem.* — *1. Cor. .o.*

*commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* A Ideo felix anima ad quam ab ipsa veritate tam excellens commendatio profertur: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Magnum exhibitum est Publicano testimonium, huic autem cui laudes istæ canuntur, multo majus. *Descendit ille justificatus à Pharisæo*, hoc est ab homine elato, ab homine injusto, *in domum suam:* hujus autem unguentorum odor omnia excedit aromata. Ingens præconium, sed ipsa non ab homine testimonium accipit, sed ab illo qui corda scrutatur, qui per fidem & dilectionem in corde ipsius & inhabitat & operatur. Non se commendat, non improbat alios. *Favus enim distillans labia ejus.* Capitulum hoc ordine sequitur, sed hodie tractari non potest. Crastina disputatio auditui vestro & B aviditati dabit gaudium & lætitiam in Domino Jesu. Quod ipse præstare dignetur qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

## SERMO XXXIV.

*Favus distillans labia tua sponsa, &c.* Cant. 4. c.

1. F*Avus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Vehementer dulcia sunt quæ nunc dicta sunt ad sponsam. Sed quæritis quomodo superioribus ista conveniant. Semel vos commonuisse sufficiat, à necessitate continuationis liberam esse legem commendationis. Non tenet C seriem, sed utitur vaga licentia. Ubi laudum ratio vertitur, non potest ordo quidem exigi: sed nec debet respui, si assignari queat. Post unguentorum laudes statim labiorum gratia profertur in medium. Quid enim scis, si non de unguenti virtute hæc in labiis diffusa est gratia? Evangelium revolve, & aliquid tale de sponso ipso dici invenies. *Spiritus*, inquit, *Domini super me, eo quod unxerit me: evangelizare pauperibus misit me.* Oportuit ergo & sponsam in hoc assimilari sponso, ut & ipsa in opus Evangelii unctione Spiritus ungeretur. Spiritus enim & ad officium ungit, & ad efficaciam. Utrumque ab illo est, & ministerii gradus, & gratia ministrandi. Sine gratia gradus inutilis, & sine gradu præsumptuosus est usus gratiæ. D *Quomodo prædicabunt nisi mittantur,* aut quomodo mittentur nisi ungantur? sicut scriptum est. *Spiritus Domini unxit me; evangelizare pauperibus misit me.* Spiritus ordinat in officium, Spiritus & os aperit, & format in usum. Idcirco in laudibus sponsæ, prius agit de unguentis, deinde de dulcedine labiorum ejus, quia etsi dulcia loquitur, non ipsa est quæ loquitur, sed Spiritus sponsi qui loquitur in ea. Denique audi quid ipse sponsus Jesus primitivæ pollicetur sponsæ, id est Apostolis, qui primitias Spiritus acceperunt: *Ego*, inquit, *dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri.* Magna quidem virtus sermonis divini, & adversantes revincere potest, & non adversantes allicere. Et hoc ip- E sum de præconiis ejus: quod nunc in disputatione vertitur, ad blandimentum plus spectat, quàm ad redargutionis effectum. *Favus distillans labia tua.* Familiare quidem est illi, & quasi innatum dulcia loqui. Si quando autem increpat dure, peregrinum illud ab ea, & de longe adscitum, & non insitum, nec sic est affecta, sed magis coacta. Cum dulcia loquitur, de propriis loquitur: cum vero dura, non habet hoc oris ejus qualitas, sed pravitas audientium. Ergo de proprio & de familiari laudat Sponsam, cum dicit. *Favus distillans labia tua.*

Luc. 4. c. Isa. 61.

Unctio Spiritus duplex.

Rom. 10. Luc. 4. c. Isa. 61.

Luc. 21. c

Labia sponsæ cur favo comparentur.

2. Sed quia de continuatione aliquanta jam audistis, vultis ut & de continentia commendationis hujus edisseram? Tria quædam laus ista complectitur, dulcedinem, F plenitudinem, parcitatem. Dulcedo consideratur in genere, plenitudo in copia, parcitas in effusione. Quid effusionem dico? Distillatio magis est quàm effusio. *Favus enim distillans labia tua.* Quid necesse est in assignandis singulis immorari? Ipsi enim scitis, quia favus non nisi dulcedinem effundit, nec nisi de pleno effundit. Et de plenitudine quidem ipsa, non totam ipsam. Ideo *favus* non effundens, sed *distillans labia tua.* Est ergo in labiis sponsæ & dulcedo sola, & dulcedo plena, & dulcedo sobria. Plene quidem possidetur, sed non plene effunditur, sed prout auditorum capacitas exigit. Vultis etiam ipsius sponsæ de labiis suis habere testimonium? *Quam dulcia*, inquit, *faucibus meis eloquia tua, super mel & favum ori meo.* Dulcia quidem sunt labia sponsæ: Eloquia enim Domini distillant ab eis. Eloquiorum Domini est ista dulcedo. Non enim de suo loquitur, sed quasi sermones Domini; idcirco diffusa est gratia in labiis ejus. Accipite jam ex parte qualia mella sacri favus distillat eloquii, & unicuique sicut Deus divisit vasi, cui instilletur, mensuram. Remittit, permittit, promittit, præmittit. Delicta remittit, infirma permittit, æterna promittit, & ipsorum primitias quasdam præmittit. Sapientiam loquitur inter perfectos, sapientiam quidem non hujus mundi, sed Dei sapientiam in mysterio absconditam, & inter minus spiritualiter sapientes nil arbitratur se scire nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum. Cohortatur ad perfectionem, non cogit; sed magis consolatur pusillanimes, suscipit infirmos, & si inquietos corripit, correptio ipsa dulcedinem sapit maternam. Peccanti compatitur, converso indulget, nec indulgentiarum numerum & quasi terminum quem non transgrediatur præfigit, cui præcipitur septuagies septies in die delicta toties confitenti donare.

Psal. 118. n Eloquia divina instar favi distillant dulcedinem.

Quatuor officia s. scripturæ.

3. Vide quam magna multitudo dulcedinis in labiis sponsæ, quæ quoties ipse perefflui s in malum, toties si convertaris ipsa tibi distillat in bonum, & præbendæ veniæ vicibus non exhauritur. Denique instar Angelorum Dei non insultat, sed exultat super peccatore pœnitentiam agente. Bonum ergo est labiis ejus auditum præbere. Nam & Dominus precibus ejus aurem accommodat, sicque tuum provocat & invitat affectum, ut prodat & suum. Loquere sponsa quod loqueris, quia audit cum desiderio dilectus tuus sive disputantem de se, sive colloquentem sibi. Sed cum ipsi Sponso sponsa loquitur, tunc loquitur in loquela dulcioris labii, & lingua altera. Tunc cordis labia vere mella delectationis stillant divinæ, immo non tam distillant quam fluunt, quoniam hora illa in melleas affectiones anima tota convertitur. Beata vicissitudo, quando de corde sponsæ quædam fluenta mellis emanant in dilectum, & ab ipso redundant in sponsam. Ad locum enim unde exeunt hæc mellis flumina, revertuntur ut iterum fluant. Boni favi in labiis sponsi & sponsæ eructantes ex hoc in illud, & invicem rorantes amoris dulcedinem. Ille desuper irrorat gratiam: illa de deorsum actionem gratiarum. Ipse Jesus in anima dilecta roris hujus mellei stillas genuit. Dulces omnino stillæ roris, affectiones illæ divini amoris, quando sponsa liquefacta tota distillat à facie ejus, quem diligit, à facie Dei sui. Ideo quasi favus distillans labia ejus, eo quod vehementer dulcis est sic affectæ mentis succensio, sed velox succisio, propter illum dulcem in excessum mentis raptum, & propter citam interruptionem.

Luc. 15 b

4. *Favus distillans labia tua.* Purgata omnino hæc ego crediderim labia, de quibus ipse Jesus dulcedinem melleam haurire se reputat. Isaïæ labia forcipe & carbone de altari tacta purgantur. *Misit*, inquit alius, *manum suam Dominus, & tetigit os meum.* Quæ Sponsa est, non carbonem, non digitum optat, sed oris contactum. *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*: labia labiis debentur. Nec enim de sponsæ labiis exprimerentur dulcedines, si non labiis imprimerentur dilecti. Quid autem nisi osculi suavitate, quod de labiis sponsæ rapit, se delectatum gaudet cum dicit: *Favus distillans labia tua?* Propter utrumque, & propter osculum caritatis, & propter oraculum veritatis. *Favus*, inquit, *distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Istud jam proprie ad eloquii gratiam respicit. Nam labiorum usus etiam ad osculum est; linguæ vero ad eloquium tantum. Non tantum dulcedo in lingua sonat, sed *mel & lac sub lingua tua.* Simulata dulcedo est, quæ tantum sonat in lingua, & non sentitur sub ipsa. Exigua est, quæ tota est in labiis & in lingua, & non pars ejus major sub lingua. Non est dulcedo tantum in ejus lingua, nec tota est in lingua, sed sicut ipse qui novit testatur: *mel & lac sub lingua tua.* Ideo eructat verbum bonum: verbum tam melleum quam lacteum, propter

Isa. 6 c. Jer. 1. b Cant. 1. a

Linguæ simulata dulcedo.

Deitatis majestatem, & propter Incarnationis mysterium. A Lingua & labia ac si quidam argenteus canalis sunt, per quem de cordis fonte rivuli lactis & mellis erumpunt. Utrumque dulce, sed distincta dulcedo. Lac parvulorum est, ut Paulus loquitur. Et idem inter perfectos dulcem & divinam & quasi melleam sapientiam docet.

1 Cor 3. a
2. Cor. 2. b

5. Alii mel tantum habent sub lingua, & non lac: alii tantum lac, & non mel. Mel autem & lac utraque pariter sub lingua sunt sponsæ. Nec mel fluit, sed magis distillat. Nec enim passim & intemperanter profundit sublimes illos & reconditos sensus secretorum cælestium & Deitatis arcana, nec lactis potum sine delectu propinat. *Mel*, inquit, *& lac sub lingua tua*. Non enim sermo est vel interna dulcedine vacuus, vel internæ dulcedini coæquatus. In promptu est illi dulcia loqui, sub cujus lingua mel & lac. Beata lingua, quæ velut favus distillat, & velut ubera quædam parvulorum lacte distenditur; quæ mel distillat, & lac fluit. Omnis clamor & amaritudo & blasphemia longe ab istis proscribitur labiis, sicut Apostoli suadet hortatus. Nec est juxta psalmum sub lingua ejus labor & dolor: sed *mel & lac*, inquit, *sub lingua tua*. *Favus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus.* Non tamen mel & lac sub lingua ejus: non in intimis ejus, non in ultimis ejus, *sed novissima ejus amara sicut absinthium, & acuta ut gladius biceps.* De muliere vero forti hoc idem in Proverbiis inquit: *Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo.* Spiritualem illum & vere beatum risum jam nunc parturit os ejus, & quasi dulcedo ejus sub lingua latitat. Ebullient autem quæ nunc subsunt mel & lac, in plenam lætitiam in die novissimo. Tunc nulla ex parte quasi sub lingua premetur silentio, sed pressum diu prorumpet gaudium, & implebitur os ejus risu. Os, inquam, mulieris, cujus fortitudo & decor indumentum ejus. Vide quomodo non oportet nudam inveniri, quæ promissa sibi exspectat gaudia reddi.

Mel & lac sub lingua sponsæ quid significent.
Ephes. 4. g
Psal 9. c
Prov. 5. a
Ibidem.
Prov 31. d

6. Quis scit si non hæc ipsa sunt indumenta, de quibus in hoc eodem Cantici loco subsequitur: *Quia odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris?* *Operui*, inquit Psalmista, *in jejunio animam meam.* item, *Humiliabo in jejunio animam meam, & oratio mea in sinu meo convertetur.* Bona vestis jejunium, in cujus sinu quodam secreto oratio commoratur. Vestis est quæ sinum habet: *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Habes hîc utrumque, si advertas, & in jejunio indumentum fortitudinis, & in oratione odorem thuris. *Oratio*, inquit, *mea in sinu meo convertetur.* Cur vero ait *in sinu?* An forte defectum orationis tepidæ & infractæ dedit intelligi, in ipso primo evanescentis processu; ideoque dicitur in sinu suo converti, ibidem scilicet occidens ubi exhauritur? Sed quomodo convertitur & redit, quæ perit? Magis quidem in sinu converti videtur, quæ celerem precis reportat effectum, & si nondum plene, ex parte tamen humilis & devotæ petitionis fructu potitur. Habet enim dulcedinem multam vehemens, & devota oratio: & dum dirigitur in conspectu Domini quasi incensum, suavem ipsa odoris sui sensum haurit. An non bonum indumentum, cum vapor hujus modi nebulæ ipsam offerentis operit & vestit animam? Bonum plane. Sed nos, sicut cœpimus, vestimentorum interpretationem secundum exteriores actus exsequamur.

Psal. 68. a
Psal. 34. a

7. Opera enim bona & priorem deformitatem operiunt, ne ad noxam imputetur: & decorem quemdam & venustatem conferunt, ut ad gratiam reputetur. Bona ergo vestimenta, bona sunt opera: quæ simul ornant, & orant. Et quod ornent, manifestum quidem est: sed non omnium ornatus redolet thura, non orationis specimen tenet. Denique cujus opera & patentia, & publica, ostentationem & inanem jactantiam redolent, non supplicationis instantiam, non sollicitudinem placendi Domino, non impetrandæ vota gratiæ. Quomodo enim aptabitur odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris? Qui vero omnia agit ut ei placeat cui se probavit Deo, ut ejus mereatur favorem, utique odor vestimentorum ejus sicut odor thuris. Et quidem thura nisi Deo soli nec offerri solent, nec debent: ideo odor vestimentorum ejus sicut odor thuris; cum quicquid sive palam, sive clam agit, ad impetrationem placationis refert divinæ. Idem videtur, esse oleum in vasis, & in vestimentis odorem, sed odorem thuris. Quid aliud, quàm gaudia illa spiritualia & æternam delectationem Deum exorat, qui omnem aliam abjurat & horret? *Sitivit*, inquit psalmus, *in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea?* Vides in his verbis, quomodo & ipsum carnis vestimentum quasi orationis habet vicem, dum Deo sitire dicitur. Caro voluntariis afflicta disciplinis, nonne Deum ad propitiationem flectere nititur? ipsa ejus propter Deum supplicia, quædam ad eum supplicationes sunt. Eleemosyna pauperi misericorditer impensa exorat: carnis propriæ delectatio discrete repressa, cur non & ipsa orationis habet effectum? Voluptatis repressio, quædam est votorum expressio, & desiderii delectationem aliam suspirantis. Orationis fervidæ effectus in sinu cordis vertitur & convertitur. Thura in exterioris abstinentiæ vestimento suaviter fragant. Et bonum omnino vestimentum, quando anima non tam carne vestitur, quàm carnalium jejunio quodam & temperantia voluptatum. Bonum omnino vestimentum continentia virginalis: suavem redolet & velut thuris odorem, vel illi quem diligit, vel sibi quæ diligit. Quicquid cum dilectione offertur, non potest ejus delectatione non perfrui ipsa quæ offert. Omnis enim hæc dulcedo quæ prædicatur in ea, sentitur & ab ipsa. Ab ipsa manat, & in ipsa manet. In labiis favus, sub lingua mel, & in vestimentis ejus redolentia thuris. Proxima sunt ipsi universa hæc, quorum tam gratus est sensus, & perfruitio dulcis. *Erunt*, inquit David, *ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Habetis hîc utraque hæc: & ne quid desit ad cumulum gratiæ, sub vestimentorum vocabulo operum qualitas tertio loco profertur in medium. In labiis stillant eloquia: sub lingua meditationes melleæ fluunt: vestimentorum ornatus thuris spirat odorem.

Opera bona vestimentis assimilantur.
Psal. 62. Bona opera orationis vicem habent.
Psal. 18.

8. Quid illi censes deesse ad gloriam, in qua hæc tria complacent, os, animus, opus? Hoc numero omnia comprehensa sunt, sed ordine conversa sunt. Ab operibus enim inchoandum est, non ab eloquio. Cornelii Centurionis primo opera & orationes exauditæ sunt: fide corda mundata sunt: deinde super ipsum & super suos Spiritus cecidit, & erant loquentes linguis. Ipsi Apostoli post Ascensionem Domini unanimes perstiterunt in oratione: completis promissionis diebus repleti sunt Spiritu: postea profecti prædicaverunt ubique. Primo in oratione profusi sunt, deinde Spiritu infusi sunt: & sic quam susceperant aliis gratiam ipsi profundunt. Primo exspectatione & desiderio conversi sunt ad Deum: secundò ad ipsos facta est Dei conversio: tertio ipsi conversi conformant & confirmant fratres suos. Sed sive sanctitatem vitæ, sive visitationem divinam, sive verbi ministerium in Apostolis attendas; omnia hæc vestimentorum vicem tenent, his omnibus operti & ornati sunt. Quid in illis relictum est aut nudum, aut vetustate pristina sordens, qui tam festivo & verbi & virtutis cultu resplendent? Eximius itaque cultus in illis, sed nec copia minor. Quidnam hæc vestimenta redolent? qualis est odor eorum? Numquid non sicut thuris? Cum Domini pecuniam conservis erogant, non inde penes se quicquam vel furtim residere passi sunt, nihil inde fraudulenter sibi decerpentes: etiam à laudis munere manum excutiunt, omnia referendo ad gloriam Dei. Quasi cæli decoro vestiti sunt lumine, sed cæli enarrant, non suam, sed gloriam Dei. Ipse tibi Paulus subtilia & indissolubilia quædam vestimenta verbis suis contexit, & pro capacitate tua, luminis & intelligentiæ coaptat amictum, non tamen in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus. Ideo vestimenta quibus vel ipse tegitur, vel quæ tibi contexit, nonnisi thuris habent odorem. Nam affectata verborum lascivia & cultus, inanis & levis gloriæ redolere videtur affectum. Et qui non leporem eloquii, sed lubricas & fallaces disputationes subtilioris sectantur materiæ, dum se nimis propter inanem favorem extenuant, aliquoties intexunt blasphemias. Non ergo odor vestimentorum ejusmodi sicut odor thuris. Nullum in vestimentis sponsæ excipere videtur, dum indefinite pronunciat: *Odor vestimentorum tuorum*

Act. 10. a Tria nos commendant, os, animus, opus.
Apostoli & viri Apostolici non suam sed Dei gloriam quærunt.
1. Cor. 2 a Affectatus verborum & subtilitatis cultus vanitatis indicium.

*sicut odor thuris.* O me felicem, si vel unum, vel alterum in me vestimentum, integrum reddat thuris odorem, nec aliqua admixtione peregrina corruptum. Nam ad hanc mensuram, ut omnia ejus indumenta velut thura redoleant, neminem accessisse puto, qui necdum in sponsarum sortem meruit ascisci à Domino Jesu sponsarum sponso.

## SERMO XXXV.

*Hortus conclusus es, soror mea sponsa &c.* Cant. 4. d

1. HOrtus *conclusus es, soror mea sponsa: hortus conclusus, fons signatus.* Primo ex verbis suis laudatoris hujus affectum pensate. Oblectatus videtur, qui non est contentus B laudasse semel. Et quantum esset, si vel simpliciter & sine repetitione ejus quam alloquitur, eloqueretur præconia? Nunc autem & exquisitis ad illam utitur blandimentis, & congratulando ipsa congeminat. Quidni quam in matrimonii delegit gratiam, non ejus dotibus eximiis aggaudebit? Non poterat in tam dulcis necessitudinis jura nisi digna eligi, nec jam electa tepide diligi. Numquid non æquum est, ut & ipsa in talibus ei placere studeat, qui sic ipsam probavit? Ipse probat, ipse talem parat, ipse plantat sibi paradisum voluptatis, ipse qui talem eam parat, ipse comparat paradiso deliciarum. *Ecce*, inquit Isaac, *odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* (Gen. 27. d) Hæc autem non agro confertur, sed horto; ubi spiritualis videtur plantatio florum, & aromatum cultus uberior. C In hunc hortum, Jesu bone, libenter descendis ad areolas aromatum: ut cubes in eo, ut colas & custodias illum. *Hortus*, inquit, *conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus.*

Horti mystici expositio.

Per hortum internas, fratres, intelligite delicias; per conclusionem, disciplinam custodiæ. Quem dabitis horto similem, nisi cujus anima spiritualibus sic affectibus redolet, sicut aromaticis floribus hortus? Quàm jucundum penetral, quàm suavis recessus in pectore sponsæ, in pectore tam florigero, ut horto comparetur! Nulla in eo radix amaritudinis sursum germinans, per quam horti hujus impediantur deliciæ. Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cælestis, non invenietur in eo. Denique ipse plantavit hunc hortum voluptatis, ut solus D operetur & custodiat illum. Gemino quidem operatur modo, plantans & purgans. Plantat, ut sit omne ei semen verum: purgat vero, ut fructum plus afferat. Et plantatur ut semen verum sit, & purgatur ut semiplenum non sit. Quid proderit plantatio facta ad veritatem, si purgatio desit ad ubertatem? Nihil conferet cultura diligens disciplinæ, si custodia desit. Neutro destituitur qui assimilatur horto, & horto concluso.

Horti cultura inutilis sine custodia.

2. *Hortus conclusus, soror mea sponsa.* Male hortum, in quo positus erat, custodivit Adam contra lubricum fraudulenti serpentis ingressum. Jucundus quidem ille corporalium paradisus lignorum: sed ego multo meliorem in E ejus animo plantatum intelligo. Nihil obfuisset in illum corporalem irrupisse, si non irrepsisset in istum. Admissus est coluber, & statim ejus persensit venena. Qui enim dissipat sepem, mordebit eum coluber. (Eccl. 10. b) Bona custodia sepes, quæ culta ab incultis separat, & servat illæsa.

Adam infelix horti custos.

Circumda ergo hanc horto tuo sepem, ne si fuerit ablata sepes, destructa maceria, in direptionem & conculcationem fias. Non erat ille reclusus hosti: ejecto & exuli inde quam graviter est interclusus? Cum difficultate regreditur unde incauta facilitate prolapsus est. In sudore vultus pane vescitur suo, qui in paradiso de vitæ ligno ad libitum poma carpebat. Hîc vescitur pane suo, ibi vitæ F fructibus. In paradiso produxit Dominus omne lignum pulcrum visu, & ad vescendum suave. Laborat in terra ejectus Adam; & non Dominus, sed ipsa terra spinas & tribulos germinat operanti. Paradisus gratis dat fructus suos: terra laboranti nec suos. Commutatio misera, sed tu Domine perdis, & juste, omnes qui fornicantur abs te. (Psal. 72. d) Jure perditur, qui tam caras necessitudines perdit fornicando: nec ultra meretur hæc blandimenta audire, ut vocetur *soror*, ut *sponsa*, ut *hortus*, & hortus *conclusus*, qui neminem nisi dilectum admittat. Porta paradisi tui semper clausa sit, soli principi pateat. Non dejiciatur in securi, & ascia janua ejus. Unus sit ibi aditus, & hic com-



A missus Cherubim. Nihil admittatur non examinatum prius gladio flammeo, nihil quod verbum Dei reprobet, quod non approbet caritas, quod non ad perfectionem & plenitudinem legis accedat. (Horto nost. spirituali quadam adhibenda custodia.) Plenitudo ergo scientiæ Cherubim, & plenitudo legis caritas: in qua omnia concluduntur mandata. Hæc sit tibi custodia flammea, ut quicquid irrumpere indignum tentaverit, sub momento & non lente consumat. Numquid non commode dilectioni est assignata conclusio, quæ sponsæ semper constringit affectus, & concludit in idipsum, ad interiora semper convertens, ubi deliciæ ejus sint esse cum Filio Dei? Bonus dilectio murus: sed habet hic murus B antemurale. Dilectio quasi murus est, antemurale regularis districtio. Illa cogitationes sanctas, & affectus dulces includit; hæc occasiones delinquendi repellit & excludit. Hæc opportunitatem vacationis ad amoris præstat officia; illa perfruitur. Ille murus gratus est; hic necessarius. Ille te cælestes inter delicias claudit; iste proscribit mundanas. Si tibi votivum est, cor tuum velut hortum deliciarum præstare Christo, non ægre feras hoc antemurali si concludaris. Delicias perdere vult quas habet (si tamen habet) qui de munitione submurmurat. Hortus nescit esse, qui nescit esse conclusus.

3. *Hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.* In tribus hujus horti laudes absolvit, conclusus, & irriguus, & C aromaticus. Primum securitatem confert: secundum fertilitatem; tertium & ad germina quæ producit, respicit, & ad gratiam. (Tria ad commendationem hujus horti.) Nonne nobis gratus hortus iste videtur, tam integer, tam uber, tam utilis? Nec tantum utilis est, sed aromaticis etiam abundans deliciis. Quis nostrum has ad se laudes audeat attrahere? Quis hæc sibi dici blandimenta præsumat? Atque utinam sicut irrigationem & germinationem optamus aromatum, sic concludi signarique non detrectemus. Non enim immissiones illas aromatum producit, nisi hortus conclusus, & fontis signati fluentis irriguus. Signetur ergo fons tuus, ut non effusione prodiga totus exsiccetur: signetur, ut ad irrigandum tibi sufficiat. In plateis tuis aquas tuas divide: habeto eas solus, ut non D sint alieni participes tui. In plateis, inquam, sed in tuis aquas divide, ut virtutum aromata tibi accrescant; ac si juxta aquam in plateis. Quomodo non erit fons signatus, qui de fonte illo vitæ profluit, quem signavit Deus Pater? *Qui*, inquit, *biberit de aqua hac, quam ego do: fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* (Iohan. 4. a) In fonte hoc quem signatum vocat, signatam quamdam, & spiritualem, & propriam, & à sæculari sejunctam doctrinam intellige; aut doctrinam, aut certe devotionem privilegio dulcedinis signatam, & quasi singularem, copiose fluentem & jugiter. Hæc est quæ omnia virtutum læta reddit germina. (Devotio cor exhilarat & virtutum germina fœcundat.) Hæc est fortium operum exhilaratio, ac si quædam irrigatio ossium. Gaudium enim cordis exhilarat faciem E hæc singularis & insignis devotio in Deum, quasi fons signatus & proprius, segregatusque in hoc ministerium, ut cor sponsæ, ac si hortum quemdam, irriget in sponsi delicias. Signetur ergo, ut non fiat juxta quod scriptum est: *Fons tuus turbatus pede, & vena corrupta.* (Prov. 25. d) Alioquin nescit tuus dilectus de puro * fonte potare. *Signatum est*, inquit, *super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* (Psal. 4. b; * f. impuro.) Lætitiam ad irrigationem deflecte. Denique *in stillicidiis* fontis hortus *lætabitur germinans.* (Psal. 64. c) Nonne recolis de Genesi, quod fons ascendebat, & irrigabat totam faciem terræ? (Gen. 2. a) Adhuc terra dedit fructus suos, nondum novit spinas & tribulos. Quis dabit hortulo meo hanc F aquam, & areolis meis hunc fontem signatum? Quis dabit ut tota hortuli mei facies irrigua sit lætitiæ & lucis rivulis, ut nihil in eo aut sterile sit, aut quadam indevotione triste? Vicina sterilitati videtur operatio tristis, & spiritualis gaudii carens irrigatione. Denique & si quid nascitur, quasi radix ascendit de terra sitienti. Quasi radix, non quasi flores, non quasi fructus. Quasi radix: hoc est aut parum, aut nihil plus habens in radice.

4. Ideo fontis inducta est mentio, ut germina læta credas erumpere in horto irriguo. Et est equidem hortus, cujus aquæ fortuitæ sunt, & quasi deforis adscitæ, non perennes, non propriæ. Bonus autem hortus, cujus fons

Fons signatus quis. in ipso nascitur. Fons signatus & proprius, *Fons*, inquit, & *fons signatus*: id est jugiter intus erumpens, & non valens corrumpi. *Fons*, quia ubertim fluit: *signatus*, quia nequaquam pereffluit. Aut ideo dicitur fons signatus, quia etsi aliis alii fontes sunt, sorori & sponsæ specialis fons est & proprius, & quadam prærogativa signatus. Bonus omnino fons sapientiæ, sed adhuc sub signaculo nobis emanat: dulciter sapit, sed nondum dilucide scitur. Signatus est, & clausus sub figuris. In Apocalypsi (Apoc 5 a) liber ostenditur in manu sedentis super thronum, signaculis septem signatus. Utriusque ratio, & fontis, & libri, ad sapientiæ spectat intellectum; sed uterque signatus est figuris, & ænigmatibus involutus. Signatus est, quibusdam enim nobis intimatur indiciis, & occultatur in ipsis: & sicut in Apocalypsi libri signati legis apertiones, ita & hîc signati fontis emissiones. *Emissiones*, inquit, *tua paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Fons iste signatus quidem est, sed exsiccatus non est, cujus tam gratiosæ sunt emissiones. Signatus est fons sapientiæ, (Zach. 13. a) sed ab emissionibus ejus cognoscetis eam. *Erit*, inquit, *fons patens domus David in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Ille patet, hic signatur: ille abluit, hic alluit: ille lavat, hic rigat: ille purgat delicta, hic producit delicias: ille communis multorum, hic specialis est sponsæ. Ibi remissiones fiunt, hic emissiones. In psalmo pro octava vide quomodo primo lectum lavat, deinde rigat. Non enim est satis à fœditate lavari, nisi & fœcunditas sectetur.

5. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* Ita Jesu bone, ita est. Emissiones istæ, immissiones sunt tuæ, immissiones per Angelos bonos. Non posset tales emittere delicias, nisi tu intrinsecus delectationes aquæ vivæ im- (Psal. 4. b) misisses. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Signatum est super nos, quod desuper nobis impressum est. Cui divini luminis imago desuper imprimitur, intus in corde lætitiæ spiritualis ubertas exprimitur. Ideo gloriosæ emissiones filiæ regis abintus sunt. *Emissiones tuæ paradisus.* Non sunt exiguæ deliciarum intrinsecus copiæ, de quibus integer paradisus emittitur. Utrumque habes, & paradisum conclusum, & paradisum emissum. Ille est in puritatis affectibus, hic in actibus pietatis. Ille intus est, hic de illo procedit, & probat illum. Utraque delectabilis est, & conscientia, & conversatio sponsæ. Omnia enim & proponit utiliter, & disponit suaviter. Ideo quasi paradisum quemdam cernas in ejus habitu & opere exteriori, dum honestas placet in singulis, & series in collatis, & suavitas in dispositis. Modeste & cum tranquillitate omnia agit, ut virginalis in ea verecundiæ non violetur serenitas. Denique & paradisi dotes enumeraturus incipit à verecundia, in ejus designationem propter colorem similem punica mala proponens. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.*

(Conscientia & conversatio sponsæ, instar paradisi.)

6. Potest & in malis punicis Martyrum intelligi patientia, eo quod proprio sint sanguine rubricati. Et bona pudicitiæ comes patientia, quæ in laude sapientiæ sibi connectuntur, sicut scribitur: *Sapientia quæ desursum est, primo quidem pudica est, deinde pacifica.* Pudicitia modeste se & pro dignitate temperat: patientia alienam immodestiam æquanimiter portat. Illa proprios motus informat, hæc alienos impetus infringit. Illa decor est, hæc fortitudo. Ideo dicitur: *Fortitudo & decor indumentum ejus. Primo*, inquit, *pudica est, deinde pacifica*: & post aliquanta subjungit: *Plena operibus bonis.* Bonum est enim persecutionem pati, sed propter justitiæ fructus. Ideo emissiones ejus malorum punicorum sunt, sed cum pomorum fructibus. Bona quidem pudicitia: sed si otiosa non est, non affectata, non ficta, sed fructum afferens in patientia. Illa disponit suaviter, ista protegit fortiter. Illa modesta: hæc longanimis. Ideoque his duabus nunc annectuntur, quasi consummatio & finis operum fructus pomorum.

(Jac. 3. d Patientiæ & pudicitiæ affinitas.) (Prov. 31. d)

7. Transeundum jam erat ad arborum aromaticarum disputationem, ad delicatiores species, ad emissiones cypri cum nardo: nisi mala punica odore suo nos adhuc traherent, & festinantem ad alia retinerent sermonem. Nos malorum punicorum parabola respicit, qui regulares celebramus conventus, qui sub uno continemur Ordine, quasi grana sub cortice. Atque utinam hæc grana imitemur, similiter in cohærentia cordis unanimes, sicut in conclusione quadam Ordinis. Pæne indiscreta facie hujus sibi mali grana cohærent: numeri singularitate magis distant quam specie. Discamus & nos ab invicem numero differre, non animo. Non rixantur invicem, non contra corticem murmurant, non tentant illum perrumpere, patienter se sinunt ejus quasi alvo concludi, ut quodammodo dicere illud videantur: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum.* An non, fratres, in hoc Ordine nostro, ac si in cortice punico, passionis Christi per imitationem color rutilat? Denique velut quædam hujus mali grana sunt, qui sibi nativum ducunt sub disciplinæ regularis corio contineri; nec tam premi se censent, quam protegi. Absit amor proprietatis, absit amor privatæ potestatis, & hujus te mali granum exhibes. Discant alii nostro invitati exemplo quam bonum sit, & quam jucundum habitare in quodam arcto communionis, & sub munimine corticis. Caritas uniat, & cortex muniat. Quot videtis ordinata collegia, tot intelligite velut quædam mala punica, quæ de fonte fluxere baptismatis. Denique *credentium*, ut legimus, *erat cor unum, & anima una.* Ex illis quasi granis tantarum congregationum ordinate & unanimiter viventium mala punica prodierunt. Illos primos credentium conventus non adstringebat adhuc institutio Ordinis, sed instinctus amoris. Non modo ducebant utile, non modo bonum, sed etiam jucundum habitare in unum: sicut unguentum quod descendit in barbam, barbam Aaron, in oram vestimenti, ab ipso capite Christo Jesu: qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(Religiosi conventus assimilantur malis punicis.) (Psal. 132. a) (Act. 4. f)

## SERMO XXXVI.

*Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, &c.* Cant. 4. d

1. EMissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis unguentis.* A cypro incipiendum est; nam ibi terminavimus. Septem hic enumerantur arbores aromaticæ, quæ dicuntur emitti de fonte signato. Et quidem verba hæc videntur verba libri signati. Ita est, signata sunt & obserata. Quid nobis, Jesu bone, sponsæ tuæ laudes proponis, si non quid virtutis * intus continent, ipse depromis? Tu tenes clavem hujus horti conclusi; tu signasti, tu resigna, tu solve; tu, inquam, solve septem ista signacula. Nemo novit quæ sunt illa intima sponsæ, illa abscondita tua, quibus adimpletus est venter ejus. Nemo novit illa nisi tu, & cui volueris ipse revelare. Utinam & nos simus, qui facie revelata gloriam sponsæ, quæ ab intus est, speculari possimus. Magna gloria ejus in mysterio tam numeri, quam nominum istorum. Et quidem hic, quantum donante Domino quimus inspicere, septenarii sacramentum, aut spiritualitatem, aut universalitatem indicat gratiarum. Id enim frequens & usitatum est in sacris Litteris, ut septenarius numerus interpretetur dona illa, quæ perfecta sunt, & quæ desursum sunt. Divisiones gratiarum sunt, & divisiones ministrationum sunt, & divisiones operationum sunt: idem autem Spiritus dividens singulis prout vult. Alias aliis dividit, sed in sponsa quasi colligit & confert universas. Non particulatim dividuntur illi, quasi divisæ sint in illa. Aliis & dividit, & donat; illi non tam dividit, quam totum donat: nisi in hoc eum dividere illi intelligas, quod selectim & prærogative confert illi, vel in eodem genere gratiarum amplius, vel specialiter in alio. Posset alias arbores aromaticas enumerasse; sed sufficit septem, propter eam, quam diximus, vel spiritualitatis, vel universalitatis significantiam.

(* al. veritatis) (Septenarius numerus in scripturis quid significat. 1. Cor. 12 a)

2. Nunc arborum istarum nomina, & naturas in discussiones adducamus: & sub umbra istarum immorari jucundum videtur, & fructus earum dulcis erit gutturi nostro. Umbram, figuram ipsam intelligo: fructum veritatem earum. Quomodo non dulcis sensuum fructus,

(Arborum mysticarum significationes.)

quando ipsa verborum grata sunt folia? Et scitis quantam auditui vestro dat affectionem & lætitiam tam dulcium frequentia vocabulorum. Poterant ad permovendum affectum ista sufficere: sufficit quidem affectui simplicitas ista: nam intellectui sufficere nequit. Mos gerendus est ipsi, qui pasci vult sensuum veritate. Dulciter auditur hæc dulcium inculcatio verborum. *Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, myrrha & aloe.* Absit autem ut non multo dulcius intelligantur. Magnæ sunt corporales in arboribus hîc enumeratis deliciæ, sed quanto majores spirituales sunt quæ figurantur in istis? *Emissiones*, inquit, *tua paradisus malorum punicorum sunt*: sunt etiam cypri cum nardo. Bonus enim ordo, post labores patientiæ, post verecundiam pudoris ad unguenta proficisci, & unguenta regalia. Nam & de cypri semine regale confici solet unguentum. Et quia in malis punicis regularem interpretati sumus unanimitatem; consequenter his verbis & unguentis regiis excellentem quamdam sublimitatem intellige. *Qui se*, inquit, *humiliat, exaltabitur*. In patientia & in unanimitate, quid nisi humilitas? Humilitas nec contra injuriantes tumet, nec supra consortes se tendit. In malis ergo punicis humilitas, in cypro sublimitas: in illis labor, in his deliciæ. Cypri (ut aiunt) semen decoqui oleo solet, ut unguentum exprimatur ex eo. Alii seminant in lacrymis, sed Sponsa in oleo. Semina nostra, opera nostra sunt. Hæc si habent hilaritatem, quasi in oleo decoquuntur. Non satis est oleo intingi, nisi sint cocta & confecta in oleo, & quasi in ipsum oleum conversa. Quod in oleo calente decoquitur, olei ipsius imbuitur naturâ. Coquuntur & conficiuntur semen cypri & oleum in unam unguenti qualitatem. Mira quidem confectio laboris & lætitiæ, eo mirabilior, quòd in labore non labor, sed lætitia sola sentitur. Opus enim exultationis in oleo decoctum, in ejus transit naturam. Opus ipsum (ut sic dicam) obliviscitur opus se esse, dum amoris pinguedine totum inficitur. Sed & ipsa interior exultratio de opere capit augmentum: sic enim & oleo semen confert, & oleum semini, quando cum exultatione operatur Sponsa, & de ipso opere magis exultat.

[Luc. 14. & 18.] [Labor amore seu lætitia dulcescit.]

3. Unguentum hoc regium est. Jesus ipse libenter ex hoc inungitur: *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Et si unxit eum Pater Deus spiritu & virtute, etsi unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis: vult tamen à consortibus suis ungi, & devotionis nostræ optat unguentum. Quis dabit mihi tantam olei copiam, in qua omnes operum meorum fructus decoqui possint, & cor meum totum confrigi? Evangelista Johannes sub typo vitæ contemplativæ sub sponsæ figura, in plenum oleo fervente dolium descendit *. Quis dabit mihi tantam abundantiam olei, & olei ferventis, ut totus immergar & conficiar? Quis dabit mihi tantam abundantiam olei & seminis cyprini, ut unguentariæ confectioni sufficiat? Non omne semen hæc olei decoctio recipit, non omnem vult fructum. Denique non omne opus contemplationis immisceri lætitiæ potest. Opera exterioris sollicitudinis, & usus contemplationis confici simul non possunt, nec in unam coagulari qualitatem. Quos ergo fructus hæc confectio recipit? Illos planè quos Apostolus enumerat: *Fructus autem Spiritus gaudium, pax, patientia, longanimitas, fides, mansuetudo, modestia, continentia, castitas.* Hi fructus cum oleo contemplationis conveniunt, & quasi in unam coeunt naturam. Sed & illud semen huic confectioni maximè convenit, de quo legitur: *Semen est verbum Dei*. Denique & semen cypri, cum manna similitudinem quamdam habet, in quo verbum Dei figuratum accipimus. Utrumque enim & manna, & cypri semen album est, & simile semini coriandri. *Lex Domini immaculata est*. Hæc non vult aquâ sæcularis discuti sapientiæ, non ejus assertionibus firmari, sed oleo Spiritûs, ut spiritualis sensus, ut unctio Spiritûs exprimatur ex ea. Hujus meditatio & contemplationis lætitia facillimè commiscentur, cum sibi conjungitur verbi studium, & gratiæ oleum in contemplatione: & dum illud per istam decoquitur, facillimè ex hac confectione spiritualis exprimitur intelligentia, & unctio quæ docet de omnibus. Et vide quia non ait simpliciter, *cypri*, sed

[2. Cor. 9. b] [* Hieron. de script. Eccles.] [Gal. 5. d] [Luc. 8. b] [Psal. 18. b]

A *cypri cum nardo*. Nardo se Dominus fatetur præunctum in sepulturam. Quid ergo in nardo, nisi mentis quietem intelligis? Ideo cum cypro jungitur, eò quod omnis contemplationis usus quiete mentis indigeat.

[Matth. 26. a]

4. *Cypri*, inquit, *cum nardo, nardus & crocus*. Bona connexio. Crocus enim flos quasi aurei coloris, ad sapientiæ rutilum refertur colorem. Ergo in cypro intelligitur vestigatio, in nardo vacatio, in croco visio sapientiæ. Jure nardus ponitur in medio; utrique necessaria, id est vestigationi & visioni. Nam nec investigari sine vacatione mentis veritas potest, nec videri cum inventa fuerit. Accipe ergo in cypro studium, in nardo otium, in croco B utriusque fructum. Noli de cetero, sponsa, noli dicere quia fusca sum; noli amplius te decoloratam vocare. Jam enim sponsi ipsius testimonio croceo colore resplendes, quæ crocum emittis. Bene croceo niter colore, quem non infuscat fatuitas, quem non tædii & deficientis animi moribundus pallor inficit: sed sapientiæ fulgidus, & rutilus caritatis color exhilarat.

5. Si velimus hæc ad Christi personam reflectere, congrua planè interpretatio sequitur. Quis magis oleo decoctus est gratiæ? Ipse in manna intelligitur, ipse seminis cypri speciem tenet, ipse passionis cruce pressus sacramenta salutis & unguenta gratiæ profudit: ipse in cypro patitur, & in nardo sepelitur, & de corde terræ resurgit in croco. Quasi novus flos & rutilus, quando per resurrectionem ejus caro refloruit. Et fortasse in fistula C ascendit ad cælum. Hæc enim arbor in altum excrescit; & sponsa ejus quasi compatitur in cypro, consepelitur in nardo, & in croco conresurgit. Quid ergo consequens est, nisi ut coascendat in fistula? Si enim conresurrexit sponso, quæ sursum sunt quærere debet, quæ sursum sunt sapere, ubi sponsus ejus est in dextera Dei sedens. *Fistula & cinnamomum*. Fistula exsurgit in altum, cinnamomum parum quidem excedit à terra. In fistula altum cernit, sed in cinnamomo altum non sapit. Illa ascendit, illud condescendit. Fistula est quando sponsa excedit Deo: cinnamomum quando contemperans est nobis. Etsi se contemperat, totum tamen est spirituale quod profert. Cinnamomum enim cum frangitur, visibile spiraD mentum emittit. Quando frangitur, nisi cùm aperitur, cum exponitur? Sic enim Jesus cum accepit panem, fregit & dedit. Tunc ergo doctor contemperans seipsum quasi frangit, cùm se cœperit aperire: cùm eviscerare illa quæ intus de supernis latent secreta: cùm memoriam abundantiæ suavitatis eructat. Hoc est quòd cinnamomum fractum visibile dicitur spiramentum emittere. Quare spiramentum, & quare visibile? Spiramentum, quia spiritualia sunt quæ dicit: visibile, quia manifestè docet. Qui enim de sublimibus ad ludicra & vanas fabulationes prolabitur, non condescendit, sed cadit. Fractè quidem loquitur, sed spiramentum suave non emittit. Quasi fistula quæ crescit in aquis, ita inter orationum lacrymas exsurgis in altum. Pulcra ascensio: sed vide ut E descensus cinnamomo sit similis. Cùm te ab ascensu illo & excessu aliqua rationabilis causa revocat & restringit, esto velut cinnamomum. Colloquia tua, conversatio communis gratiam spirent. Etsi de voluntate tua & proposito aliquoties reflecteris, ad senioris arbitrium reflexa & quasi fracta sit voluntas: non murmur resonet, non querimonia. Esto cinnamomum: emitte spiramentum gratiæ, non responsum injuriæ. Ideo confractum visibile spiramentum emittit, eò quòd virtus humilitatis in infirmitate vexationis, & velut fractionis, proficit & probatur. Et spiramentum, & visibile dicitur. Spiramentum, quia tranquillitas servatur in corde; visibile, quia relucet in facie.

[Coloss. 3. a] [Marc. 14. c] [Doctor se attemperet captui auditorum.]

F 6. His annectit & omnia ligna Libani. Et vide quod nulla nisi Libani ligna ponit, nec aliqua quæ sunt Libani prætermittit. *Cum omnibus*, inquit, *lignis Libani*. Ligna Libani & imputribilitatem habent, quia cedrina sunt; & puritatem, eò quòd sunt Libani. Sola Ecclesiæ ligna sunt, quæ habent mysterium fidei in conscientia pura, & quamdam quasi imputribilitatem continentiæ: sola ejus ligna, & puritatem & perpetuitatem habent. Bonum planè lignum vir ecclesiasticus: in quo concurrunt & obviant sibi for-

titudo disciplinæ, & decor fidei. Fortitudo & decor indumentum ejus. Eruperunt his diebus ligna quædam, quæ non plantavit Pater cælestis, ligna quæ non sunt plantata in Libano nostro. Fortitudinem prætendunt operis, injuriarum insensibilitatem, parsimoniæ tolerantiam. Cedrina videntur: sed Libani non sunt, quia immunda est eorum mens & conscientia. Infidelibus enim nihil est mundum. Fortitudo quidem quæ ostentatur & virescit in conversatione, in confessione putrescit. Quod ibi quasi fulget, hîc fœtet. In opere quidem videtur pietas, in interrogatione infidelitas putet. Fortitudo lapidis, fortitudo eorum, & caro ænea est. Scilicet non degenerant à patre suo, de quo in Job scribitur: *Induratum est cor ejus quasi lapis, stringitur tamquam malleatoris incus.* Malè fortes sunt, non pro fide, sed contra fidem. Non enim emollivit Omnipotens cor eorum, non emollivit, non emundavit, nec fide candidum fecit: ideo non sunt Libani ligna. *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* quomodo non multo magis quod est contra fidem? Non sunt ligna Libani, quæ fidei non irrigat puritas. Steriles sunt virtutes, quæ non fœcundantur per fidem: sed & ipsa fides sine virtutibus mortua est. Candorem ejus nulla incontinentiæ fœdat putredo. In ecclesiasticis lignis utraque obviant sibi, forma fidei, & operis fortitudo. Talis cedrus nostro plantatur in Libano. Hîc est, & alibi non est puritas fidei, & perpetua & quasi incorrupta perseverantia virtutis.

Prov. 31. d
Ad Tit. 1 d
Notantur hæretici tempore hujus scriptoris exorti.
Job 41. c
Rom. 14. d

7. Hîc enim emittitur *myrrha & aloë cum omnibus primis unguentis.* Hæ species ea etiam quæ per se corruptibilia sunt, à corruptione illæsa servare noscuntur. Quid enim hæc post ligna Libani unguenta produceret, si nihil in eis esset distantiæ? Nam etsi videntur similia, distinctionem tamen recipiunt. Illa enim, id est Libani ligna, incorruptibilitatem in se habent: ista, id est myrrha & aloë, non habentibus exhibent. Illa imputribilia sunt, ista imputribilitatem conferunt. Bonum ergo lignum, & verè plantarum in paradiso Domini, in monte illo egregio, in monte Libano: quod & ipsum se continet ne per illicita defluat, & sermonis sui myrrhâ à tali fluxu alios reddit immunes: cujus corpus quasi cedrinum est, & à labiis myrrha distillat. *Myrrha*, inquam, *& aloë cum omnibus primis unguentis.* Possumus quidem & hæc ad quatuor cardinales virtutes interpretando deflectere, si intelligamus in *cedro* fortitudinem, in *Libano* fidem, quæ ipsam prudentiam informat; in *myrrha* temperantiam, continentiam & justitiam; in *aloë* puritatem. Nam hujus arboris gummi dicitur stomachum purgare. Per myrrham ergo exteriora constricta sunt, per aloë interiora in hypocrisi ficta non sunt. Habes jam in his hæc quatuor expressa. Primò constantiam, ne ad tempus credas, & in tempore tentationis recedas. Deinde prudentiam, ut sit rationabile obsequium tuum. Sic myrrha mortificandæ carnis sequetur, cùm habueris zelum secundùm scientiam. Quartò loco aloë, cum ipsum cor offertur & adoletur: ut simul sit & in myrrha mortificatio carnis, & in aloë emundatio conscientiæ ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi: ne simus servientes ad oculum, nec quasi hominibus placentes, sed magis Deo. Nonne beata verè sponsa, cui tot blandimenta dicuntur? Multùm immissum est ei, quæ tot emittit munera grata dilecto. Nam in his omnibus ipse gloriatur, & sponsæ suæ applaudit muneribus Jesus-Christus: qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Quatuor virtutes cardinales.

## SERMO XXXVII.

*Fons hortorum, puteus aquarum viventium, &c.* Cant. 4. d

1. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* In capituli principio istius *fons* dicta est sponsa: & nunc in fine *fontis* eam impartit vocabulo dilectus suus. Ab ubertate inchoat, & in senecta uberi multiplicatur: origini finis respondet. Multæ sunt emissiones ejus, sed ipsa emissionibus non exhauritur. Non arescit morâ, non exsiccatur emanatione. In initio hujus capituli dicitur *fons signatus*; hîc innuitur non exsiccatus. Ibi quales sint emissiones ejus, hîc quàm sint indefessæ docetur. Copiosi ex hoc fonte rivuli gratiarum emanant, & semper tamen fons manet. Ab eo in quo inchoat non se cohibet: ideo hîc & ibi fons dicitur. Sed & jam vide, quo in loco ejus aquæ fluunt: ubi, nisi in hortis? Fons enim est hortorum, & delicate fluit, qui non ab hortis egreditur, qui non lavat, sed rigat: cujus in hoc omnis usus est, non ut auferat fœditatem, sed ut fœcunditatem afferat. Bonus quidem fontis usus mundare, sed melior fœcundare. Ille abluit inquinamenta: iste quasi alluvione quadam, gratiarum comportat augmenta. Ille germina lota reddit; hic læta. Ille patens est in ablutionem peccatoris & menstruatæ: hic signatus est in deliciis sponsæ. *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Ideo nonnisi fons hortorum dicitur, fons deliciarum.

Cant. 4. b

2. Denique quàm varius & multiplex est cælestium deliciarum modus, tantus videtur & numerus hortorum. In alio rubent rosæ, in alio candent lilia, coloremque flores violæ purpureum reddunt. Tot horti sunt, quot virtutum plantationes simul collectæ: ubi tantùm flos unus est, quis ibi hortum esse diffiniat? Sic nec una castitatis plantatio, sed nec una justitiæ horti potest integritatem explere. Salomon qui delicatus & tenellus dictus est, ipse sibi fecit hortos & pomaria, & consevit ea cunctis generis arboribus. Non arbore consevi, inquit, sed *arboribus*: nec unius generis, sed *cuncti generis. Exstruxi*, inquit, *mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium.* Dives quidem in deliciis, qui non rara ligna, & quæ præ paucitate numerari & scribi possent, sed integram possedit silvam, silvam lignorum germinantium. In horto quippe sapientiæ nihil sterile, nil non germinans. Sic & sponsa plures habet hortos, & cuncti generis virtutum copiosè virgultis est consita. Et in sequentibus sponsæ sponsus applaudit dicens: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te. Fac me audire vocem tuam.* Jure omnino. Quid enim nisi dulce auscultare illi, quæ in hortis moratur, & de hortis loquitur? Non auditur foris vox ejus, nec extra hortum: ideo amicus est qui in hortis commoratur cum ea. Nec tam in hortis est quàm hortus ipse. Ipsa hortus, & ipse fons, hujus hortos doctrinæ suæ fluentis irrigans. Felix sponsa, quæ non habet nisi hortos irrigare.

Prov. 4.
Eccl. 2.
Cant. 8.

3. An non in hoc frequenti conventu tot horti, quot animi? Propter unanimitatem hortus unus: propter differentes gratias horti plures. Utinam in his hortis nulla radix amaritudinis sursum germinet, nullum sit lignum inutile, nullum quod hortum sponsæ dedeceat, nullus sit hîc hortus olerum, quia olera herbarum citò decident. *Qui enim*, inquit, *infirmus est, olus manducet.* Vos autem oleribus non indigetis quasi infirmi. Quod enim infirmum est in vobis, fortius est sæcularibus. Illorum infirmitas quiescit in licitis; ad perfecta vestra laborat. Illorum infirmitas est uti concessis; vestra quidem citra perfectum subsistere. Quid est in vobis esse infirmum, nisi non esse perfectum? Quid est in vobis esse infirmum, nisi summum non apprehendere? Et quid forte, nisi ut apprehendatis, contendere? Ideo infirmum nostrum fortius est sæcularibus, & (ut sic dicam) melior est infirmitas monachi, quam sæcularis benefaciens. Opera quæ penes nos putantur infirma, quanti crederentur, si ab ipsis fieri viderentur? Perfectorum solidus cibus est: quotquot tamen in nobis imperfecti sunt, esum olerum dedignantur. Quæ sæcularibus licent infirmis, nostris nec exhibentur, nec ipsi exigunt. Apud nos perfecta professio, quamvis infirma expletio. Perfectæ plantationes, sed incrementa infirma. Irrigandæ sunt ut crescant, sed spiritualibus aquis. Paulus bene novit quibus aquis quemlibet hortum irriget. Conjugatis copulæ maritalis usum dispensat, consolatur pusillanimes, suscipit infirmos, carnalibus potum lac præbet, sapientiam loquitur spiritualibus qui dijudicant omnia, sapientiam autem non hujus sæculi, sed quæ ex Deo est, sapientiam absconditam in mysterio. Et si quis alius loquitur decorem domus Domini, locum habitationis gloriæ ejus, thalami delicias, gaudium quo gaudet sponsus super sponsam, & quo vicissim ipsa gaudens gaudet in Domino: planè

In religiosis conventibus quales horti.
Psal. 36. a
Rom. 14. a
Discrimen perfectionis religiosæ & sæcularis.
1. Cor 7. b
2. Thess. 5.
1. Cor. 2. c

hic non hortum olerum irrigare talibus debet aquis. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Et omnino quisquis spiritualia vel agenda præcipit, vel intelligenda proponit, nonne tibi videtur aromaticis in hortis quasi fons purus manare? Et bene purus, cui non est necesse propter auditorum perfectionem, qui in hortis auscultant, nisi de spiritualis vitæ puritate disputare, & quasi paradisi incolis de paradisi propinare fluentis. *Ibidem.*

*Discrimen fontis & putei.* 4. Juxta hunc sensum, hortum auditores intellige, fontem doctores. Sed si fons sunt, quomodo puteus? Nostis enim quantum inter se distent hi noti fontes & putei. Puteus infoditur, fons gratis fluit. In illo aquæ reconditæ sunt, in isto quasi propositæ, & seipsas offerentes ultro. Magna est in istis differentia, nec possunt utraque in alterutris inveniri. Non potest vel fons putei, vel puteus fontis propria & domestica vindicare sibi uterque naturæ suæ continetur limitibus. Corporalia & terrena angusta sunt, spirituales abundant divitiæ. Ad spiritualia si referamus ista, in eodem erit invenire fontem & puteum, & alterutra ab invicem propria communicari. Communicemus ergo hæc, si vultis, invicem propria, & in eodem assignemus utraque. Accipiamus in fonte sufficientiam doctrinæ, in puteo secretum: in illo abundantiam, in isto alta mysteria. Et quidem bonus doctor, qui quasi de quodam alto puteo, ita de abdito sapientiæ thesauro copiosè profert nova & vetera. Puteus est, quia quæ Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*: & quasi fons quidam producit in medium, & virtutum hortos irriguos reddit. Habetis ergo in puteo occultationem, in fonte copiam; profusionem in fonte, & sensuum profunditatem in puteo. Puteus altus est, sed non indiget hauritorio: fons est, & gratis fluit. Qui sitit, veniat, & bibat de aquis sponsæ, de aquis Bersabee, ut novus ex ea Salomon nascatur. Et Bersabee puteus septimus interpretatur: id est puteus quietis, puteus sapientiæ. Nam sapientia in spiritualium catalogo munerum ascendenti sursum septima occurrit. *1. Cor. 2. c*

*Prov. 1. a Sapientia acquisita & infusa.* 5. Sicut & puteus sapientiæ, ita & fons sapientiæ legitur. Et fortè in his duobus geminus ejus modus exprimitur. Unus qui fit per investigationem, alter qui fit per inspirationem. Fontis aquæ ultro prorumpunt: in puteo verò terræ perrumpitur moles, & soliditas penetratur: ut ad aquam vivam pertingas. Utraque alteri necessaria est, & industria gratiæ, & gratia industriæ, & vicariam opem sibi communicant. In vanum enim laborat, qui puteum fodit, si non ipse fons vitæ gratis affluat. Sed & tibi gratis foderis puteum, & receptaculum aquarum præparaveris, si fuerit neglectus puteus tuus & situ squalens, non descendent in illum aquæ vivæ, non fluent impetu de Libano. Aquæ quæ descendunt de Libano, nesciunt colligi nisi in puteum candidum: & aquæ quæ cum impetu fluunt, volunt puteum habere capacem. Altum & capacem efficies cordis tui puteum, si curas terrenas egeras; si locum efficias in animo tuo lætitiæ spirituali; si os tuum aperias ut attrahas spiritum, & fluant in ventrem tuum flumina aquæ vivæ. Ad hoc opus præparata sunt foramina tua in die nativitatis tuæ, sicut scriptum est de principe Tyri. Capacitas intelligentiæ naturalis, qua in die creationis tuæ præ ceteris animantibus privilegiatus es, ingentis receptaculi vicem tenet ad comprehendendas continendasque aquas visionis & vitæ. Legimus enim viventis & videntis puteum. Qui si post peccatum vitiis, vel innatis, vel superadditis, obstrusus videtur, aperiat illum fides, spes in altum instanter diffodiat, dilatet amor. Otium & exoccupatio cohærere situ turpi non sinat. Siquidem feriatas mentes ab anxiis curis volunt habere festiva gaudia, & vacationem sibi vindicat visio Dei. Annon tibi quidam puteus altus videtur ille, in quo reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei? An Mariam quasi puteum aquæ purissimæ inficiaberis, quæ conservabat omnia verba de Christo, conferens in corde suo? Esto & tu talis puteus pro modulo tuo, puteus altus & amplus. *Qualis dispositiones ad sapientiam* *Ezec. 28. d* *Gen. 16. d* *Luc. 2. g*

*Gen. 26. d* 6. Isaac post calumniæ puteum, post puteum inimicitiarum, post hos, inquam, duos puteos relictos, duos

A puteos effodit; puteum latitudinis, & puteum satietatis. In illo cœpit non rixari cum vitiis, in isto cœpit fructu deliciari virtutis. Noluit cum Philistæis puteum habere communem, qui interpretantur potione cadentes. Puteos inimicitiarum, & calumniæ reliquit Philistæis. Corruunt planè, qui bibunt de erroris & schismatis puteo. Tales puteos fodiunt auctores, bibunt auditores. Sic infodit Arius, sic Donatus. Alter fidei calumniam induxit, alter fraternitatis copulam in partes diduxit. Ille Trinitatis æqualitatem hæretica diffinitione distinxit gradibus; iste Ecclesiæ unitatem sua præsumptione distraxit partibus. Dathan & Abiron puteos calumniæ foderunt ad-
B versùs Moysen & Aaron, & inciderunt in foveam ipsi quam fecerunt, quos terra vivos absorbuit: potione quam ipsi foderunt, præcipitati sunt, nomen Philistæorum interpretantes eventu. Bonus autem puteus, de cujus aquis qui biberit, exaltabit caput, non potione cadet. Quasi foveam fodit, qui terreni sensus acumine Scripturæ soliditatem penetrat, & violenter scindit hortulum Ecclesiæ, quoddam incognitum dogma producens, & obscura mysteria. Sed & qui subtili scrutinio & dolosa machinatione fraternæ caritatis * solida perforat, & discordiæ venam aperit; qui se conspirationam claudit & signat in puteo, non acquiescens egredi, sed magis ac magis ingrediens in interiora schismatis, & ejus effodiens abys-
C sum: Philistæorum est hic puteus, nihil tibi sit commune cum illo. Sensim primò & secretò crescunt, & de terrenæ & brutæ mentis erumpunt visceribus, donec postea cum impetu fluant, sed non fluunt de Libano. Non hæ aquæ fideles sunt, non aquæ vivæ. Non potest sibi constare discordia, non potest inter parientes schisma perpetua pax servari. Ipsum schisma infidum est sibi, nequit sibi cohærere diutiùs, quod caritatis pertentat dissolvere glutinum. Si quis te ad hos puteos invitaverit, dirumpe, si potes puteos Philistinorum, & aquas pestilentes exsicca: relinque Philistæis puteos suos, puteos inimicitiarum.

*Hæretici fodiunt puteos calumniæ, & dissidii.* *Num. 16 a* ** al. unanimitatis.* *Schismatici similiter.*

7. Sectare puteos cælestium deliciarum, puteos aqua-
D rum fidelium, & aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Esto flos horti, & horti conclusi, ut non diripiatis: & videbis quomodo tibi dirumpet Dominus fontes & torrentes. Conversare in horto, si fortè & ipse convertaris in puteum, & de ventre tuo flumina fluant aquæ vivæ. Quænam sunt aquæ vivæ, nisi aquæ non deficientes? Et quidem bonæ aquæ, haustus quarum æstum desiderii sine defectu refrigerat. Sæculi oblectamenta universaliter falsam præferunt refrigerii speciem, & sæcularem concupiscentiam sedant ad horam: sed quasi sub ipso ortu statim arescunt, nec fluunt vena perenni: quasi torrens raptim transeunt, & non est invenire in hoc torrente aquas vivas. Alio quodam Isaac fodit in torrente, & aquas vivas invenit. Est enim tor-
E rens, qui suavis videtur, sed salutaris non est, nec sempiternus quidem, sicut sæcularis ille, quem prædiximus, fluxus voluptatis. Et est torrens salutaris quidem: sed non sempiternus: si tamen effoderis in eo, aquas vivas reperies. *Habemus*, inquit Petrus, *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec illucescat dies, & lucifer oriatur in cordibus vestris*. Non exstinguetur in nocte ista lucerna: interim enim usus ejus necessarius est. Sed cum dies æternus eluxerit, propheticæ lucerna cessabit doctrinæ, & litterarii sermonis exsiccabitur torrens. Sive enim prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur; futuræ manifestationis respectu turbidus (ut sic dicam) in modum torrentis fluit
F sacræ sermo Scripturæ, instruens nos per speculum & in ænigmate. Illius autem, quæ est facie ad faciem, visionis, veræ, puræ sunt & perennes aquæ. Non deerunt illæ tibi, non tu illis. Cum mortalitatis hujus transierit torrens, transibunt cum mortalitate mysteria nubila, & sine velamine serena veritas, propter quam hic torrentem effoderas, hilariter erumpet. Istic locus est speculo; illic directæ speculationi. Solet tamen aliquo modo hæc speculatio locum alienum pervadere: & in loco peregrinationis se viantibus hilariter ostendens; invitat ad patriam. Verè quidem festivus, sed furtivus adhuc istius

*Sæculi oblectamenta fallacia ac fugacia.* *Gen. 26. d* *1. Petr. 1. d* *1. Cor. 13 c Mysteriorum nunc obscura demum clara & manifesta cognitio.*

æterni & luminis radius, & fluminis rivus. Non enicat, non emergit nisi in hortis, & in hortis aromaticis. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm similis es puteo? Non potes exhauriri, aquas vivas effundis, & aquas salubres & uberes.

8. Quis dabit hortulo meo has aquas, & cordi meo hunc puteum deliciarum? *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* Fac me Libanum; *asperge me & mundabor, lava me & super nivem dealbabor. Emunda me à delicto maximo, & erunt ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Fac me Libanum ut has tibi semper aquas effundam. *Erunt*, inquit, *ut complaceant.* Quid est *complaceant*, nisi ut utraque placeant, & utrique placeant? Cui utrique, nisi mihi & tibi? Quæ utraque, nisi eloquia laudis, & meditatio cordis? Aquæ istæ viventes sunt, quia semper complacent, semper fluunt: sed non fluunt nisi de Libano, nec lentè quidem, sed cum impetu. Magnus impetus violenti sensus amoris: dulces tamen, non difficiles aditus habet. Magnus impetus ejus, quia usque ad affectum pertingit efficaciter, & exhaurit suaviter. Magnus impetus ejus, cujus vehementiæ resistere nil potest: *Cum impetu*, inquit, *de Libano.* Expressit causam redundantiæ, nomine Libani. Munditia locus est redundantis lætitiæ, & aquas sapientiæ salutaris effundit: de candido prorumpunt, & candidius reddunt. Congere in unum, & quasi in acervum accumula delicias istas. Vide & considera puteum, Libanum, impetum, aquas vivas. Deprehendes in his (si animo advertas) aquas istas & serenas esse, & secretas, & vehementes, & non deficientes. *Puteus* secretum designat, serenitatem *Libanus.* In *impetu* omnis alius exhauritur affectus, aquæ vivæ nesciunt exhauriri. Bonus etiam Libanus fides, eò quòd fide corda mundentur. Ab hoc Libano serenæ intelligentiæ aquæ vivæ fluunt: quia nisi credideritis, non intelligetis. Intellectus autem bonus, cujus contemplatio manet in sæculum sæculi. Hic est verè vivens. Nam vita æterna hæc est ut cognoscamus unum verum Deum, & quem ipse misit Jesum Christum. Et ipse Christus noster est Libanus, delectationes vivas fundens cum impetu in sinum dilectæ. Ipse Libanus, & ipse rivus: si quidem ipse est candor lucis æternæ, & emanatio sincerissima. Delectabilis planè puteus affectus est sponsæ, in quem æterni candoris radii, acsi quidam de Libano rivuli & colliguntur & effunduntur, ut flores & hortos irrigent sponsi. Bonus ergo Libanus, in quem nihil inquinatum incurrit: & magnus impetus, qui nullo compesci obice potest.

*Psal. 18. d*
*Psal. 50. b*
*Psal. 18. d*
Amoris impetus.
Fides Libano comparatur
*Isa. 7. b*
*Johan. 17. a*
Item Christus.

9. Denique illi aquæ cum impetu fluunt, quem nec persecutio, nec fames, nec periculum, nec nuditas, nec gladius separare potest à caritate Dei. Tot credentibus populis objecti sunt obices scandalorum, tot oppositæ moles tormentorum, & tamen semper fluunt aquæ de Libano. Aquæ enim populi sunt. Magni obices, sed major impetus. Si coneris compescere, plus increscit, & perrumpit obstantia. Repulsus exsurgit in cumulum, & impedimento lucra conquirens, se diffundit uberiùs. Puro amori etiam ipsi obices cooperantur in bonum, & incrementa capit vexata virtus injuriis. Nonne me silente ista possunt percutere conscientias eorum, quorum amor incertis & locis & horis fluit: qui quidem ad tempus diligunt, & in tempore tribulationis recedunt? Quid dico tribulationis? Etiam exiguæ & dubiæ tentationis numquam molem, sed obicem passi, facilè compescuntur, & reflexo proposito impetu irrevocabili ad sæcularia ruunt. Si inclamaveris juxta Prophetam: *State, state:* non est qui revertatur. Nulla illos persuasio revocat, non persecutio pia magistri, non infelicitas, quæ frequenter & ferè semper est in viis eorum. Fluunt & ruunt & corruunt, ut bibant in via de torrente voluptatis, quæ non exaltabit, sed conquassabit in terra capita eorum. Beati quidem immaculati in via, qui ambulant in lege caritatis, qui ambulant in impetu ubicumque fuerit impetus spiritus, & non revertuntur, nec aliquo separantur obstaculo à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

*Apoc. 17. d*
Fideles olim contra vim persequentium invicti.
Religiosi tepidi & molles perstringuntur.
*Num. 2. c*

## SERMO XXXVIII.

*Surge aquilo, & veni auster; perfla hortum meum.* Cant. 4. d

1. AFfectiones dulces & sanctæ, sunt sponsæ aromata. Nam ipsa est hortus. Austro flante ista fluunt in delicias sponsi, sed Aquilonis hæc iterum inclementia sistit. Frigidus est enim ventus Aquilo, & ad flatum ejus aromata congelantur. Quamdiu Domine adversitatis Aquilo regiones nostras premet? quamdiu incumbet hortulis nostris? quamdiu, Jesu bone, constringet aromata nostra rigor Aquilonis? Parce Domine, parce ab Aquilone sponsæ tuæ. Diu est quòd urget, quòd premit, quòd incubat spiritus hic durus & vehemens. Cumulata nos undique premit adversitas. Dic ei Domine, ut surgat, ut cedat, ut sinat locum esse respirandi. Infortunii paupertas sterilis est, & graves undique parturit casus. Res infirmæ facilè læduntur, & infelicitatis abyssus aliam invocat in voce cataractarum tuarum. Occultè adversùm nos vocas adversa: & quomodò si dicas Aquiloni, insurge, preme, posside? *Fumus*, inquit Isaïas, *ab Aquilone veniet.* Nobis autem non tam fumus quàm flamma jam imminet, ollæ succensæ à facie Aquilonis. Ab Aquilone frigus, & ab Aquilone flamma. Ita est Domine. In duritia manus tuæ adversaris mihi, misericordiæ tuæ venas restringis; ideo exæstuat animus meus, & in meditatione mea exardescet ignis. Gravis iste anxiæ sollicitudinis ignis est, & calore ejus aromata non fluunt, sed magis si qua sinis fluere, siccantur fluenta: præsertim ubi magis magisque adversitatum aperire se videtur occasio.

Calamitatem sui temporis deplorat.
*Isa. 14. g*

2. Domine dolor meus in conspectu tuo est, & gemitus meus à te non est absconditus. Sollicitudinis meæ ratio nota est tibi, sed mœroris magis dicere debueram: sollicitudo enim in mœrorem jam cœpit tota transire. Ubi concilii non fulget occasio, ubi bonæ spei se vel umbra non offert, ibi non sollicitudinis, sed mœroris sunt partes. Multi gemitus mei, & cor meum mœrens. Parvuli petunt panem, & non est qui frangat eis. Deest enim qui frangatur, non dico de verbi pane, sed de hoc quotidiano corporis alimento. Non potest tamen cælestis illius panis pinguedine repleri anima mea: dum quotidiani hujus panis inopia maciem quamdam mœroris inducit. A voce gemitus istius oblitus sum comedere panem illum cælestem. Durus aquilo, exterior adversitas, sed multò durior mentis anxietas. Altera, fratres, vos urget: me premit utraque. Ego communi attritione laboro in vobis, & domestica quadam præ vobis, quia pro vobis. Hinc infortunii casus, hinc forenses insurgunt calumniæ. Alii submurmurant, & alii insultant: & quod non est humanæ industriæ providere ne contingat, improperant cùm acciderit. Quidam irritant, quidam irrident, adversam fortunam ad fatuitatem trahentes. Successus bonos quibus exuberant, sibi imputant, & quasi aut providentiæ, aut meriti credunt, non muneris esse divini. *Abundant*, inquit Job, *tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cùm ipse omnia dederit in manus ipsorum.* Quidam & prædones & provocatores sunt, qui quod Dei est, ipsi tollunt, dum sibi tribuunt; & divinæ donum gratiæ ad propriæ inflectunt effectum industriæ. Quid impensa desuper vobis beneficia improperatis nobis? An quia clementiæ divinæ circa vos oculus bonus est, ideo vester erga nos nequam est? Cur vos divina beneficia paratiores reddunt ad derogandum, quam ad erogandum?

*Thren. 4. a*
*Job. 12. a*

3. Vides Domine quot ex partibus aquilonis nos flabra molestant, undique perflant incommoda, murmura, probra. Inter hujusmodi dolores distractus & constrictus animus, austri lenia nescit flabra recipere. Exsurge Domine, non prævaleat Aquilo, satis est, quod jam diu insurrexit, quòd incubuit: dic ut surgat, ut discedat, ut cedat austro. Succensa jam pridem est olla à facie Aquilonis, sed tu Domine austrum emitte, qui faciat medium fornacis hujus quasi ventum roris flantem. Non audeo continuos austri flatus rogare: sufficit si vel interpolatione ejus Aquilonis malignitas temperetur. Extendis (sicut in Job legimus) Aquilonem super vacuum, non super

*Ierem. 1. d*

super hortum. Non est vacuus hortulus sponsæ, in quo superius annumeratæ plantantur tot aromaticæ species. Et quomodo quibunt meditationis aromata læta profluere, ubi à mœrore libera non sunt studia, ubi contristat adversitas, aquilo stringit? Esto, Domine, zelotes, æmulare sponsam, dic aquiloni ut surgat, & cum austro dimidiet tempora sua. Sic quidem fiet secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, si consolationes tuæ lætificent animam meam. Videtis, fratres, qualiter aquilo ad mensuram sui austrum parturiat: & fortè ubi abundavit aquilo, superabundabit & auster. Auster enim & prosperè flabit, & quas intulit aquilo compensabit injurias. Ergo surgat aquilo, sæviat, quantumlibet fremat, dummodò occasionem, & quasi vim * præstet flatibus austri. Nonne tibi videntur graves pertulisse aquilonis flatus, quos in epistola ad Hebræos Paulus alloquitur? *Magnum*, inquit, *certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti, in altero socii taliter conversantium effecti. Nam & vinctis*, inquit, *compassi estis*. Sed inter tanta aquilonis flabra nullas sibi vices vindicavit auster? Immo planè. Denique audi quod sequitur: *Et rapinam*, inquit, *bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam*. Quid cùm Apostoli irent *gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*: nonne tibi videtur contra aquilonis graves impetus leniter ipsis auster spirasse? Considera tristia illa sabbata Sepulturæ dominicæ. Nonne velut ad aquilonis flatum, Apostolorum corda infidelitate & timiditate quadam diriguerunt? Resurgente Domino cœpit auster lenis hortum ejus perflare. Totis his denique quadraginta diebus in multis argumentis dominicæ Resurrectionis & veritatis fides, & libertatis fiducia sensim incrementa sumpserunt. Ipso die Pentecostes, quando factus est spiritus vehemens in cœnaculo ubi erant Apostoli sedentes, soluta est omnis congelatæ mentis frigiditas, sicut torrens in austro: & deinceps verbi virtutumque profluxerunt aromata.

[margin: ...entationis consolationis vicissitudo.] [margin: al. materiam.] [margin: ...br. 10. f] [margin: ...ct. 5. g] [margin: ...Apostolis.]

4. Sed numquid idcirco aquilo durus quievit? Nonne multo vehementius persecutorum insurrexit procella, & impetus hæreticæ tempestatis? Numquid non æmulatione quadam tentationis aquilo, austro se opposuit gratiæ? Quasi solus hortum perflare conatur quodam rigore duri spiritus, aromata restringere volens ne fluant: sed tanto latiùs fluunt. Adversitatis & prosperitatis alternis motibus nunc provocata, nunc pacata sponsa Christi Ecclesia ejus, aromata virtutum proferre non destitit vel non desinit. In persecutione virtus enituit, in pace auctus est numerus. In illa fortes probantur: in ista foventur infirmi. Quid ergo primitivam Ecclesiam nunc memoro, cum adhuc, etsi non tam vehementes, frequentes tamen aquilonis impetus sustinet hortus sponsi? Alternant circa illum vices auster & aquilo. Gravis impetus hoc tempore Ecclesiam impulit, & quidem ab aquilone. Nam inde est origo schismatis: inde oritur, & ibi moratur; solus illic aquilo premit. Dic ei, Domine, ut surgat, ut discedat. Voca & dic austro: *Veni, perfla hortum meum, & fluant aromata illius*. Non dico austrum felicitatis & securitatis terrenæ, nam hic auster frequenter aromata stringit & exsiccat: sed austrum voca gratiæ tuæ. Et si ita necesse est, & aquilonem in illum sterilem hortum mitte, non obstinationis, sed vexationis aquilonem, ut ipsa vexatio det intellectum auditui ad obediendum. Aquilonis rigore flagella hortum tuum: hoc quasi verbere excita torporem ejus, ut avidius ad austri se lenia spiramina conferat. Tam partibus quàm temporibus auster & aquilo circa hortum nostrum vices alternant. Sicut enim nunc flat auster, nunc aquilo: ita hîc auster, & illic aquilo. Aliquoties autem & simul flant: sed alter foris, & alter intus. Foris aquilo, & intus auster: ille furens, & iste fovens. Fremat aquilo, & tumultuetur foris: tantummodo hortum intus non perflet, intro non penetret, intimam quæ est in Christo, non constringat cordis lætitiam. Quando Domine ex integro gelidus ille spiritus quiescet; quando erit, ut jam non timeatur à facie frigoris ejus? Fundata est civitas tua, hortus plantatus in lateribus aquilonis.

[margin: ...i Ecclesia] [margin: Persecutiones Ecclesiæ salutares.]

A Hic ventus in scripturis dexter vocatùr. Ideo Job talem super eo deponit querelam: *Ad dexteram*, inquit, *Orientis calamitates meæ ilico surrexerunt*. Jure ventum illum *dextrum* vocavit, qui nihil ei quivit sinistrum inferre: quin etiam gloriæ viro justo comportavit augmentum, quando virtus & probata enituit, & provocata excrevit. De vicino in hortum tuum impingit: situs est enim in lateribus aquilonis. Effice illum nobis, Domine, dextrum; tempera illum flatibus austri. Cooperatur enim nobis etiam aquilo in bonum tuæ dilectionis, etiam austro afflante. Sive jussus, sive permissus surgere aquilo tribulationis, non nos terreat. Modicum enim & consolationis auster succedet, etsi non interim intercidat. Ubi enim abundavit afflictio, abundavit & B gratia.

[margin: Iob 30. b]

5. Sed quid vobis, fratres, de exteriori disputo tribulatione? Alius solet vos aquilo perurgere. Ab hoc vobis Deus aquilone parcit, alios interponens, qui sæcularis tumultus & tribulationis impulsus frequentes excipiant. Exterior vos cura gravis nulla perstringit, quia de jure nulla contingit: nec tamen immunes esse vos finit. Quos exterior cura non valet, interior afficit tædio. Bene cum illis agitur in hac parte, quod exterioribus non patent: sed nihilominus aquilonem non effugiunt, dum sibi in interioribus non placent. Festiva priùs gaudia vertuntur in fastidium, & hilarem mentis faciem tristitia commutat. C Felix, cui non est hæc commutatio. Sed quis tamen est? quis enim est, quem non aliquoties & tædium conficiat, & exulceret tristitia? Denique ubi prospero ferebamur navigio, ibi paulo post vadosa incurrimus: & secunda ferentibus aura turbo adversus erumpit. Etiam ubi non exstat ratio, instat turbatio. Causa non eminet, & ira imminet. Irascitur homo iræ quam irrationabiliter patitur, & cujus detestatur motum, nescit exortum. Spiritus hic durus ubi vult spirat: & nescis unde veniat, & forte quo vadat. An magis quò evadat? Nam ex se ad malum talis affectio vadit, sed frequenter evadit ad bonum. Non pertingit quò pergit, sed facit Deus etiam de tentatione proventum. Quando vult ipse inducit aquilonem, quando vult dicit, *Aquilo, surge*. Et si interim de ejus molestia quereris, scito te tali magisterio & commemorari, & commoneri. Commemoraris, ut aquilonis viciniam attendas; commoneris, ut rigorem ejus effugias. Non subest tibi, D dum in lateribus aquilonis situs es, ejus viciniam fugere: sed tamen violentiam evadere potes. Dum hîc sumus, semper vicinus est. Non est semper violentus: sed postquam gyravimus per aquilonem, sæpe reflectimus per meridiem. Etiam cùm impulsum non sentis, habe suspectam viciniam ejus.

[margin: Aquilo religiosos infestans.] [margin: Fastidium & tristitia.]

6. Quando tamen ejus turbines evades, nisi lenis auster vocatus adveniat: & sic expandas ad austrum alas tuas, ut in cæleſtem plumescas volatum? Si tamen se intermiscere nititur aquilo, & nascentes in novitate pennas gelido restringere spiritu; pennas à volatu, & aromata E restringit à fluxu. Stringit, inquam, non tollit. Vehemens enim tædium & amaritudo cordis virtutes ipsas exercet, non evertit. Hic turbo propositum sanctum impellit quidem, non tollit. Stringit lætitiam, non tollit constantiam. Tædio afficitur animus, sed non conficitur. Tristatur, sed obluctatur tristitiæ suæ. Non est minus fortis sic affecta virtus, sed minus felix. Quid illi cum vitio, cum quo rixatur, cui bellum indicit. Quasi suum non est fastidium, cum quo fœdus non contrahit. Molestum patitur, non propitiatur illi. Denique non ipse animus hoc operatur, sed magis aquilo, in cujus lateribus habitat. Ideo detestatur illud, eo quod adversus virtutem ejus molimi-F na sentit. Qui sentit, ipse scit quanto cum tædio illud bonæ conversationis tædium tolerat, quomodo fastidit fastidium illud, quanta cum amaritudine obluctatur amaritudini illi, amaritudini violentæ, quæ de jugitate exercitii disciplinaris invito se ingerit. Ad austrum animus ex voto se vergit: & ecce aquilo adversanti, & invito se importune immergit. Durum est sustinere à facie frigoris hujus, & fugere non subest ad votum. Laborat animus & disciplinæ tædio, & hujus tædii odio. Molesta est utraque affectio, & non dulcescere quod elegeris, & sentire quod

[margin: Sed si hæc involuntaria, non nocent.]

oderis. Molestum utrumque, & propugnare disciplinam, & propulsare desidiam.

Aspiratio ad Christum pro hujusmodi afflictis.

7. Quomodo, Jesu bone, tantam tamdiu toleras vexationem dilectæ sponsæ tuæ? Desidiam invita patitur, & quasi voluntariam in se sic puniendo persequitur. Ægerrime tolerat quod non ad votum in te, qui bonum ejus es, solum deliciari valet. Sibi imputat quod suffert invita. Stimulator ab aquilone venit illi, sed stimulus iste ad preces sponsam instigat. Hoc stimulo castigata, ad supplicationes se confert, quæ se prius in amplexus paraverat. Mitiga sponsæ tuæ, Jesu bone, à diebus his malis. Nisi enim adjuves eam, habitabit in aquilone anima ejus. Quis enim consurget adversus aquilonem, nisi tu Deus, qui venis ab austro? Bonum aroma, propositum sanctum & conscientia pura: sed non fluit illi, qui boni istius deliciis non fruitur. Veni, Jesu bone, veni; perfla hortum tuum, ut fluant aromata ejus sicut torrens in austro. Ipsa est hortus, esto tu auster. Te irrigante erit anima ejus sicut hortus irriguus, & te flante non deficient ejus aromata, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

## SERMO XXXIX.

*Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Cant. 4. d

1. Exple, Jesu bone, quod jubes, transfer austrum de cælo, & induc illum in hortum tuum, in animam sponsæ tuæ. Hoc flatu leni solve tædium, solve tristitiam ab ejus affectu. Nam utrumque in vitio est, & præfert speciem aquilonis: utrumque mentem ligat, & præpedit à puræ profluvio quodam lætitiæ. Quid timor? nonne & ipse rigore gelido constringit affectus? Ab alienis parce Domine sponsæ tuæ. Quid magis alienum ab ea, quàm timor qui non est in caritate, cum ipsa tota sit in caritate? Ille servilis est, illa in libertatem vocata. Vidistis, fratres, hesterno sermone virum meticulosè incedere, ut institutionis prima subiret elementa; quàm morante, & quàm nutante proposito disciplinæ rudimentis se passus est insigniri! Et bene nostis, dum adhuc sæcularis erat, quam largos eleemosynarum rivulos manus ejus fundebant. Quid erat causæ, nisi quod mentem ejus in hac parte timoris perstrinxerat aquilo? Auster scilicet illam ex parte afflavit, sed non perflavit; ideo eleemosynarum prompte profudit aromata. Sed abrenuntiationis pretiosissimus ille aromaticusque liquor post multos conatus vix tandem ab ejus animo tenuiter exprimi potuit. Plane similis erat evangelico juveni, qui apud Dominum de legis observatione gloriatus, evangelicæ perfectionis coarctatione proposita, tristis abscessit; nisi quod ille tristis abscessit, hic quamvis tristis, accessit tamen. Videte timoris aquilonem flantem sub lege: ideo de præcipuis electisque aromatibus rara fluxerunt in ea. Ideo die Pentecostes, quando Spiritus vehemens flavit ab austro, tot hominum millia, veritate, verbo, vita spiritualiter profluxerunt. Non eos rei familiaris cura constrinxerat de reliquo.

Timor bono proposito adversatur.

Mat. 19. c

Act. 2. a

2. Libera quidem ab hoc aquilone satis duro corda, largius profluunt in contemplatione & caritate Dei. *Non accepistis*, inquit, *spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Ille aquilonis spiritus erat, hic austri: ille gravis, hic gratus. Ideo illi, tamquam gravi & ponderoso prementique dicitur, *Surge*; hic tamquam lætus gratusque invitatur, ut veniat & perflet hortulum sponsi. Ille pœnam habet, hic proflua gaudia. Ille minax est, hic blandimentis deliciisque manans. *Rogabo*, inquit, *Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis*: hoc est austrum invitare, & dicere ut veniat, & perflet hortum suum. *Perfla hortum meum, & fluent aromata ejus.* Quidam fructus, nisi pressi coactique, liquorem non fundunt. Fructus autem qui sunt in horto tam delicatè depicto, pressionem non exspectant: cogi nesciunt, sed austro perflante fluunt ultro. Intuemini mundi sapientiam. Nonne violenter expressa videtur, & longo elaborata tam exercitio, quàm studio? At in nostræ auctoribus philosophiæ, & velox, & vehemens sapientiæ prorupit abyssus. Vultis velocitatem audire? *Cum steteritis ante reges & præsides, nolite præmeditari; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Vultis vehementiam? *Ego*, inquit, *dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere adversarii vestri.* Quomodo hæc tam subita & tam serena profluerent, nisi hoc austro afflante? Audivistis jam unde venerunt aromata veritatis tam proflua & parata tempore suo.

Rom. 8. c Discrimen spiritus servitutis & spiritus libertatis.

Iohan. 14. b

Matth. 10. b

Mat. 23. b

3. Caritas nonne & ipsa diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis? Multa sunt aromata quæ profluunt per Spiritum, nec nisi per Spiritum, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, modestia, continentia, castitas. Hæc non modò provenerunt, sed etiam profluxerunt. Quod profluunt, copia designatur: quod ad flatum austri, coactio tollitur. Caritas non potest cogi, gratis fluit, non necessitate, sed arbitrio fertur, austro tamen flante. Arbitrii enim quid conferret libertas, si non aspiraret auster gratiæ? Nam etsi arbitrium ubi est, semper liberum est; non tamen liberum ad omnia id esse damus: nec electionem, nec exsecutionem omnium liberam habet. In eligendo semper est libertas, sed non est semper ad eligendum. Eligere namque nisi liberè non potest: sed est aliquid, quod non eligere per se potest. Sui juris voluntas est; libera est cum adest: sed non est animus ad omnem quam oportet adesse voluntatem liber, cum abest. Nec magis sui juris est, quod intensam habeat voluntatem, quam habet, nec quod habeat voluntatem bonam. Sed quantum post lapsum in libertate consistit arbitrii, quod vult animus, semper liberè vult: sed non est liberum ei quodlibet, etiam quod oportet, velle. Est enim libertas, quæ sine voluntate non est, & sine qua non est voluntas: & est libertas quædam, quam non semper comitatur voluntas. Illa est in voluntate, hæc est in quadam volendi facultate. Illa est in ipsa; hæc quasi ad ipsam. Istam possumus, & illam cogimus. Et visus quædam est videndi virtus in oculo, & visus nihilominus quædam passio in videndo. Sic & in animo dicitur intellectus & potentia naturalis ad intelligendum, & usus potentiæ. In arbitrio similiter hæc occurit distinctio, ut uno sub nomine, & aptitudo intelligatur, & actus. Utrobique arbitrii libertas est, & ad arbitrandum, & in arbitrando: & cum in malo est, semper serva est. Illa quidem eo ipso serva, quo infirma tam ad bonum, quàm contra malum. Libera est voluntas mala eo ipso quod voluntas: sed servilis eo ipso quod mala. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati. Peccatum enim quem occupat, stringit & ligat: captivat dum cogit.

Rom. 1. a

Gal. 5. d

Libertas arbitrii nihil confert, si non aspiret gratia.

De libertate arbitrii pulchre differit.

Iohan. 8. d

4. Sed tu, Domine, converte captivitatem nostram sicut torrens in austro. Emitte spiritum tuum, & renovabitur antiqua libertas: renovabitur, inquam, non recreabitur. Nam etsi obliterata est, ablata tamen non est. Manet quæ creata est, sed movere se nequit ad quod est data; vivit, non viget. Sic & in phreneticis non minuitur innata rationalitas, sed in sic affectis nullus ejus motus exsistere valet. Cum fuerit curata gravis passio, non redditur, sed resuscitatur consopita ratio. Sic & concreata homini libertas arbitrii, non est penitus vel ex parte ablata, sed peccato ligata: eadem est quæ facta est, sed est aliter affecta. Et (ut sic dicam) est libertas conditionis, est libertas dispositionis, est libertas affectionis. Prima naturæ est, & ideo semper bona est: sed nisi sanata fuerit, nec secunda erit ad bonum, nec tertia in bono. Prima in naturali aptitudine consistit, secunda in habitu bene vel male constitutæ mentis, tertia in usu. Ideo nisi fuerit aptitudo naturalis adjuta per gratiam, nec habitus, nec actus voluntatis ad virtutem spectabit. Invalida est arbitrii libertas: propterea ubi arbitrium succumbit, afflet auster, & statim aromata fluent. Non habet generosam hanc libertatem & verè liberam, quæ est ad bonum & in bono, nisi Spiritus liberaverit. Idcirco, Domine, emitte Spiritum tuum, ut conferat & posse, & velle per gratiam, qui primo possibilitatem ad utrumque contulit, dum naturam hominis condidit. Tres supra enumeravimus libertates. In tertia velle quidem adest, in secunda subest, in prima consideratur ad duas reliquas potentia naturalis. Ergo prima vocetur potentia, secunda potestas, tertia voluntas. Non videtur idem, naturalem potentiam ad aliquid habere, &

Psal. 125. a

Libertas non ablata in statu naturæ corruptæ.

Libertas triplex: conditionis, dispositionis, affectionis.

illud posse. Multa siquidem ad quæ naturaliter potentes sumus, non statim illa possumus, ubi connata facultas, aut infirmitate præpeditur, aut arte usuque destituitur. Frequenter ad horam oculus videre non potest: cùm tamen naturali non deficitur potentia visus: adest habitus, & abest usus. Naturaliter potens est videre, sed actualiter non potest. Sic & naturalis libertas arbitrii manet quidem, sed impedita peccato: ideoque non valet habere tertiam illam libertatem, quæ est in bono, nec secundam quæ est ad bonum. Prima manet mutata quidem, non imminuta: reliquæ nec manere dicendæ sunt. Non enim post peccatum, liberum nobis relinquitur bonum velle: ideo nec residua libertas est, quæ consistit in bona voluntate: sed per gratiam hæc ultima inspiratur, & secunda reparatur, & prima naturaliter creatur.

5. Dicta hæc sint de libertate, qua bonum volumus; quoniam est ex gratia. Sed est alia libertas nihilominus per gratiam, qua non modo bene volumus, sed bonum ipsum affectuose. Illa libertas semper in voluntate est, ista non sic. Semper enim liberè volumus, affectuosè non semper. Affectus ad libertatem non spectant arbitrii. Nec tamen planè libera est bonæ voluntatis libertas, si affectuosa non fuerit: sed cum auster afflaverit, statim affectiones aromaticæ fluent. Non premuntur ut exprimantur: libere fluunt. Voluntatem sanctam frequenter tædium quoddam & tristitia comitatur; sed affectiones dulces cum illis iter non habent. Aromaticæ sunt odoratu, & tactu pariter gratæ: dulciter sentiuntur, & dulciter recoluntur, dulciter fluunt, & dulciter profluunt. Sibi fluunt, & aliis profluunt. Aromatici utrique sunt intus affectus; & foris affatus. Ad ista potest aspirare libertas arbitrii, sed de arbitrii libertate non pendent. Sicut affectiones malæ contra bonam voluntatem sæpe sunt, sic bonæ cum adsunt, etsi cum ipsa sunt, ex ea tamen non sunt: libera est sine istis, & quasi liberalis redditur ex istis. Voluntatem ipsam liberiorem efficiunt, sed ex ejus libertate non fluunt. Fluunt autem cùm auster perflaverit. O dulcis Auster & verè optabilis, cujus spiritu hyemalis rigoris horrida solvitur facies, & jucundæ novitatis verna temperies arridet in hortis, & nova temperies, & autumnalis ubertas. Nam in fluxu aromatum, fructuum signatur maturitas. Ecce quàm bonum, & quam jucundum in cubilibus & in hortis aromatum auram hanc exspectare tam dulcem, renovantem & recreantem fructus Spiritus, profundentem aromata, spargentem odores. Mitte Domine hunc Spiritum nobis, qui post Aquilonis horrorem hortulum nostrum nova facie vestiat, luctum nostrum vertat in gaudium. Aut si quid boni significat Aquilo, illum cùm Austro simul invita. Jungant officia, & partes suas assequatur uterque. Aquilo stringat, auster resolvat. Stringat ille lasciviam, hic animum in gaudia proflua laxet. Ille continentiam præstet, iste conscientiam exhilaret. Ille contineat, & iste repleat. *Factus sum*, inquit, *sicut uter in pruina, & justificationes tuas non sum oblitus.* Bonus uter sic congelatus & infusus. Foris continentiæ pruina, intus repletio justitiæ. Bene uterque flat, quando exteriora gelido quodam continentiæ spiritu rigent, & interiora rigantur profluis gaudiis.

6. Et ut austri flatum ad interiora deflectas, *Perfla*, inquit. Qui perflat, in intimis flat, & impenetrabile nihil est illi: spiritus iste subtilis est, acutus, & mobilis, perflans non inflans. Scientia inflat: caritas perflat. Caritas interior est quam scientia, & ad secretiora pertingit. Omnia interiora perflat Spiritus, qui scrutatur etiam profunda Dei. Ubi perflaverit, & quasi perflaverit ista: ibi scientiarum aromata utiliter fluunt, meditationes, orationes, suspiria, singultus, lacrymæ, ipsa colloquia. Omnia velut aromata fluunt, quæ de caritate ducunt originem. Omnia quæ procedunt de ea, quasi aromatica sunt, gratiâ plena. Cara sunt, & copiosa sunt; aromatica sunt, & fluentia sunt. Plena sunt quæ de caritatis plenitudine procedunt. Plena sunt, & expressa non sunt, nec torcularis violentiam patiuntur ejus aromata. Torcular in hoc horto non legis exstructum: nam vicem torcularis obtinet auster. Afflata quàm calcata melius fluunt. Gratuita enim (ut diximus) sunt, non extorta metu, sed spiritu fusa.

ia libertas ille bonum ere, alia ille bonum ectuose.

al. 118. 1

Cor. 8. a

c caritate scientia nnia fluunt aviter & tiliter.

A Sunt qui aquilonem & austrum ad hujus sæculi adversa, & prospera trahunt. Et quidem gemina hac tentatione vexata Ecclesia Dei, bonæ semper affectionis & opinionis abundat aromatibus. Ideo his tentationibus perflandum dimittit, eo quod abundare novit, & inopiam pati. Locus iste latiorem, exsecutionem exoptat: sed in calce hæc tantum quasi leviter tetigisse sufficiat. Sequens sermo ad mutuas invitationes sponsi & sponsæ transibit, si gratiam nobis præstare dignetur Jesus Christus, qui vivit & regnat Deus.

## SERMO XL.*

* Habitus est in festo S Laurentii ut ex contextu apparet.

B *Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea sponsa. Messui myrrham meam*, &c. Cant. 5. a

1. Quam longe, fratres, à conversatione mea sunt verba votorum istorum. Aviditatem Dominus novit, sed ausu destituor. Quidni? Non est hortus mihi, qualem supra Christus depinxit: non sunt poma, quibus avidè vescitur; non fructus aromatici; non fons irrigans, non altus puteus aquarum viventium: magis autem in hortum meum ascendit horror spinarum & veprium. Non audeo te, bone Jesu, in talem hortum vocare, nisi forte ut evellas, & disperdas, & dissipes primo, & plantes postea; & sic tempore congruo de plantatione comedes dexteræ tuæ. Felix anima quæ te invitare digna est ad fructus jam maturos, ad fructus paratos, & acerbitatis nihil habentes. Atque utinam acerbitas sola nostris accusetur in fructibus; utinam immaturi sint, dummodo mali non sint. Frequenter poma quæ genere bona sunt, tempore nondum grata sunt, sed immaturitate sola displicent. Felix hortus cujus, omnes fructus & natura boni sunt, & tempore congrui. Neutrum deesse novit pomis suis sponsa, ad quorum comestionem dilectum provocat. *Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.* Vide quam morose & modeste, & post multa præconia facta sit hæc invitatio. Non enim præsumit hæc dilectum invitare: non sitit delicias, donec delicate satis se novit descriptam. Quid enim? Putatisne Jesum delectabilem illum adventum præsentiæ suæ illis indulgere, qui prædictis non sunt præditi dotibus; nec laudibus digni? Temerariæ præsumptionis puta, si priùs quam aptus sis ad contemplationis usum, Jesum invitas. Tu illum ad deliciandum tecum sollicitas, qui fortè sordes adhuc delictis? Hortus tuus sentibus horret & sterilescit; & illuc Jesum invitas? Invita illum, non ut jam delectetur, sed ut deleat quod plantavit dextera tua. Invita illum ut purget primò, postea plantet. In utroque labor est, sed cum delectatione decerpere veniet fructus maturos.

Confessio humilis.

2. *Veniat*, inquit, *dilectus meus.* Non tantùm blanditur & applaudit præsenti, sed etiam in absentem inardescunt vota ipsius. Falsus amor, & simulatorius absentem obliviscitur, præsenti blanditur. Non sic sponsa, non sic, sed absentem desiderat, præsente lætatur. *Veniat*, inquit, *dilectus meus in hortum suum.* Ad me quid austrum invitat? Ipse veniat, & sufficit mihi. Ipse auster est meus, ipse aroma est meum. Ipse auster meus, ipse amor meus. Deus ab austro venit, & auster venit cum eo. Denique ipse plenus est gratiæ & veritatis. Bene auster meus, qui serenus illustrat, & suavis illabitur. Auster meus est Christus meus, ipse hortum perflat, ipse comedit poma. *Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.* Putationis tempus jam transiit; flores pepererunt fructus quos parturierunt, hyems abiit; recessit ver, æstatem jam inclinatam maturior autumnus impellit. *Veniat* jam *dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructus pomorum suorum.* Ecce jam venit plenitudo temporis: ideo *veniat dilectus meus in hortum suum.* Poma præmatura sunt: ideo comedat fructum pomorum suorum. Ficulneæ prima poma desiderat. Cùm nondum tempus esset ficorum, accessit ad ficum secus viam, vertit folia, & nihil fructûs invenit. Ante tempus comedendi; & ante tempus fructuum, accessit ad eam mane esuriens. Novi ego ficulneam matutinos à prima pueritia fructus ferentem, fructus primitiarum, fructus gratiæ virginalis. Nec erat hæc ficus plantata secus viam, sed in horto,

Amor falsus absentis obliviscitur, præsenti blanditur: verus contra.

Marc. 11. b

& in horto concluso, in horto, quem circumdat disciplinæ materia, & arcta custodiæ sepes. Fœcunda planè ficus, & pulcherima inter alias specie. Frequenter declinavit ad eam Dominus Jesus, illud fortè dicens: *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* (Cant. 2. a)

3. Sed utinam fructus quos protulit servasset. Utinam improba furis manus non deprædata esset eam. Nunc autem optimos fructus tulit, & eos qui renasci non possunt. Alii succreverunt in locum eorum, id est, pro virginali continentia, amara pœnitentia. Quam dulcius illo nativo fructu, quàm hoc subsecutivo & te & dilectum cibabas? Væ miseræ tibi, quando veniet dilectus tuus, quæ tibi mens, quæ facies, quis vultus erit? quo te vertes præ pudore, quæ pudicitiæ fructus perdidisti? quo te vertes? cum accedet, cùm vertet folia tua, & solitos fructus non inveniet, pudebit illum præ confusione tua. Recole verba voti virginalis, consecrationis tuæ verba recense. Sub his foliis attende, quia jam non est proprius fructus, fructus integritatis, fructus virginitatis. Tales consecrati sunt, sed jam ablati sunt. Non bene conveniunt consecratio, & corruptio. Læsa virginitas condonari solet, sed redonari non valet. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei, sed ignominiosa facta sunt in te. Cum confusione duplici & rubore de cetero in planctu agnosce partem tuam. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo lapsam non vilem de plebe, sed quasi primam in virginali grege? Quis, inquam, dabit mihi fontem lacrymarum? Nam ipsa quæ lapsa est, lacrymis tota perefluit, per ora irrigua lacrymarum rivi defluunt. Alta suspiria & anxii gemitus produnt, quod contigua semper culpæ confusio supprimit. Vidi in misera facie dejectum vultum, fractas genas. Singultus sermones intercidebat: à lapsu continere noluit, à lacrymis continere non valet. Age quod agis, fructus dignos pœnitentiæ. Innovet te dolor, mœrore consumere, cum Propheta dic: *Nolite incumbere ut consolemini me, amare flebo.* Flebo & ego tecum. Fortè dilectus tuus & ipse collacrymabitur tibi, qui Lazarum flevit. Fortè plus ille flet. Plus dolet qui plus diligit. Miserationes ejus multæ sunt: *ideo*, inquit Propheta, *non sumus consumpti.* Denique nec tu consumêris, quia consiliarius est tibi & consolator, convertens animam tuam. Quomodo (ut dicam quod intelligi vix potest) non permovebit ipsa, dissimiliter tamen, ejus affectum, luctus tui miserabilis facies; dum ipse qui retracto mœroris tui seriem, dolore cordis tangor intrinsecùs? Si feceris dignos pœnitentiæ fructus, revertetur iterum dilectus tuus in hortum suum. Nam pœnitentiæ poma libenter comedit. Beatius tamen, si primævæ puritatis fructus intactos quis servet. Bonum est in maturitate prævenire, & perseverare in ea.

(Virginitatis jacturam deplorat.) (Isa. 22. a) (Johan. 11. d) (Thren. 3 c)

4. Ideo sponsa prævenit in maturitate, & dicit: *Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Vehemens amator est Dominus Jesus: ad unam invitationis vocem advolat libens in hortulum sponsæ. Quasi prævolat & prævenit in maturitate. *Veni*, inquiens. Accipiatur hoc verbum imperativi sensus, & aptè cohærebit quod dicit, *Veni*. Non est piger, non parcus retributor, sed incontinenti sponsam reinvitat: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa. Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Durus est affectus, quem non permovent invitationes & reinvitationes istæ tam dulces. Quid hac vicissitudine gratius, quid mirabilius est hoc commercio? O admirabile commercium! Dilectus Dei Patris, gloria cæli, Angelorum deliciæ, ad hortulos nostros invitari se permittit, & ad suos reinvitare non prætermittit. Et qui noster est hortus, veriùs dicitur ipsius. Non enim ait: *Veniat dilectus meus in hortum* meum, sed in *hortum suum.* Jure quidem, *in suum*, quoniam ab ipso datum, & ipsi debitum, & certè deditum. *Veniat dilectus. Veni soror mea sponsa.* Magna dulcedo, & apta distinctio. Illa desiderat, & ille imperat. Hæc dicit, *Veniat:* hic dicit, *Veni. Ego*, inquit, *sto ad ostium, & pulso. Si quis aperuerit mihi, introibo & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Non habes necesse, ô bone Jesu, morari ad ostium sponsæ: ipsa enim te votis ultro interpellat. Redde vicem, reinvita illam. Sedisti ad mensam ejus, vide quanta sint apposita tibi, sciens quia & tanta oportet te præparare. Tanta, inquam, & sufficit ei. Hoc autem dico: totam se impendit, tu te totum repende. Quomodo totum erit, si illa se totam dat, tu te dimidias? Exiguum tuum, plus est toto illius. Totum ejus, portio est quædam gratiæ tuæ: ideo & suus tuus est, & tuus suus est hortus.

(Apoc. 3. d)

5. *Veni in hortum meum.* Ego, fratres, in horto sponsi copiosum illum, & delicatum, & gloriosè consitum paradisum virtutum Christi libenter accipio, quas secundùm geminam naturam vel ab æterno habuit, vel accepit in tempore. Ergo secundùm hunc modum hortum sponsæ statum animæ vel Ecclesiæ interpretare, & virtutum affectuumque dotes, quibus ditatur à sponso. In isto considerantur bona corporis, in illo capitis. Pulcra utrobique contemplationis cibatio. Sed quid illa ad istam? Quanto gloria Christi, vel animæ, vel Ecclesiæ præcellit virtutes, tanto delectabilior in hunc hortum ingressus. Ad illum operatio plus spectat, ad istum contemplatio sola. Sponsa etsi lætatur de illo, laborat cum illo, & in sudore vescitur pomis suis: in istum cum introducta fuerit nihil reliquum est nisi deliciæ tantùm. Suum tuetur, & istum intuetur. Nec intromittitur in istum nisi de illo, hoc est de actione ad usum speculationis. Aut si contemplationem in illum sponsæ hortum admittimus, similis est actioni. Utrique de illis multis ordine commodo venitur ad hanc myrrham. Non enim nisi in abundantia virtutum ingredietur in hortum dilecti. *Ingredieris*, inquit Job, *in abundantia sepulcrum.* Meliùs tamen hîc sonat in hortum. In sepulcro innuitur quies & quædam à curis occultatio: in horto exprimitur intuitus & epulatio. In sepulcro feriamur: in horto fruimur. Sicut ergo in sepulcrum non nisi in abundantia ingredimur, sicut scriptum est; multo minùs in hortum. Ideo sponsam de horto in hortum invitat: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Ingredere, ingredere sponsa in contemplationem virtutum dilecti tui, ingredere in delectationes ejus, memorare justitiæ ejus solius. Ibi Deus, Deus tuus docebit te in jucunditate, & deducet te mirabiliter dextera sua. Cibabit te pomis vitæ & intellectus. Myrrham & aromata messuit tibi.

(Job 5. d)

6. *Messui*, inquit, *myrrham meam cum aromatibus meis.* Immortalitatem enim & incorruptibilitatem messuit post mortem. Myrrhæ siquidem beneficio corpora mortuorum perdurant illæsa. *Myrrham*, inquit, *meam.* Bene suam, quam & primus accepit, & solus impartit. Primitiæ enim Christus, deinde qui sunt Christi. Per illum resurrectio mortuorum, qui primus resurgens jam non moritur. Bona talis myrrha, & melior quàm hæc usitata, quæ carnem mortuam non sinit putrescere: nam ista redivivam non sinit deficere. Erat & myrrha ejus præcellens & singularis illa castitas virginalis, quæ nullum titillationis motum surgentem sensit, nec fomitem habuit: in quo nec motus est talis repressus, nec fomes remissus: præventus est enim in unctionibus myrrhæ, & myrrhæ suæ. Aliorum eatenus est efficax myrrha, & continentia pertingit, ut servet à corruptione: hæc à corruptibilitate carnem dominicam custodit intactam. Aliorum myrrha corruptionem carnalis incentivi subsequitur: hæc incentivum prævenit omne. Illorum excludit, & hujus præcludit. In Jesu nec causa, nec corruptio: in ejus Matre etsi causa, non tamen corruptio: in aliis omnibus & causa, & corruptio. Myrrha nostra motus exsurgentes carnalis concupiscentiæ reprimit: myrrha Mariæ tales motus nescivit: myrrha Jesu taliter movendi nec causam, nec originem habuit. De plenitudine ejus omnes accepimus, & myrrham de myrrha. Myrrha nostræ castitatis, munere & imitatione ipsius est: ideo cùm in nobis myrrham metit, suam metit. Utinam in me multam myrrham inveniat, quam metat. *Myrrham cum aromatibus*: id est abstinentiam mali cum affectibus boni; districtionem carnis, & devotionem cordis; sive temperantiam à licitis, sive tolerantiam in injuriis accipiamus. In myrrha bene utriusque virtutum aromata socientur. Hæc est enim gratia si benefacientes flagellamur; si ipsi nosmetipsos foris affligentes,

(Myrrhæ significationes mysticæ in Christo.) (Differentia castitatis in Christo, Maria & aliis.)

De S. Laurentio Martyre. eo ipso suaviter intus afficimur. Multam de martyris Laurentii, cujus festa nunc agimus, agro myrrham demessuit, aromata multa; confessionis myrrham, confessionis aromata. Ad ignem enim applicatus Christum confessus est, corpus suum tradidit, ita ut arderet: facultates dispersit pauperibus. Caro ejus cremata est propter Christum, sed cor magis in Christo: ideo de craticula vocatur ad hortum. Et dum in craticula erat, ab horto non aberat. Nunc tantum in horto, non tamen totus in eo. Caro ejus adhuc in corruptione tenetur, nondum refloruit: reflorebit autem cum fuerit corpus humilitatis nostræ conforme corpori claritatis Jesu. Tunc metet immortalitatis myrrham, quam ipse præmessuit, & aromata multimodæ gloriæ. Tunc vere invitabit & dicet: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Tunc gloriabitur plene cum aromatibus suis se myrrham messuisse. Tunc enim & passionis suæ & precum, quæ in aromatibus signantur, potietur effectu. Cum clamore siquidem valido & lacrymis preces offerens, exauditus est pro sua reverentia, factus omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. *Volo*, inquit, *ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.* Ubi, nisi in horto suo? Erit hoc in generalis resurrectionis completione: nihilominus tamen & modo fit per contemplationem.

[Heb. 5. c.] [Joan. 12. & 17. d]

7. Quasi enim in hortum ejus ingredimur, cum affectuose condigneque & desideranter speculamur quales futuri sumus per ipsum, & qualis jam resurgens factus est ipse pro nobis, & in exemplum nobis. Quid dico resurgens? & ante resurrectionem omnis conversatio ejus, horti pulcherrimi gratiam præfert; sed quod ante plantavit, postea messuit. In resurrectione & maturitatis, & messionis est tempus, quando unusquisque laborum suorum fructus percipiet. Quod ergo nos in hortum suum vocat, quod myrrham & aromata sua se messuisse subnectit; ad contemplandam resurrectionis gloriam hortatur, quæ futura est per ipsum in nobis, vel quæ jam in ipso præcessit pro nobis. Nonne jucundus & vere delectabilis progressus introire in hortum Christi, introire in plantationes Domini quodam prospectu de virtute in virtutem ejus? Prospectu, inquam; non audeo provectum dicere. Nam ad virtutum ipsius veritatem & plenitudinem quis sibi provectum pollicetur? Jucundus digressus plane, & commodus quidem. Nusquam magis humanæ mentis fastus reprimitur humiliatione, nec fames contemplatione satiatur, nec fastidium excitatur æmulatione. Comparatio humiliat, imitatio exercet, consideratio delectat. Prima premit: secunda provocat: tertia pascit. Premit immensitas, provocat honestas, pascit veritas.

8. Denique paulo post ipse dilectus, ipse sponsus amicos & carissimos sibi invitat, ut comedant & bibant, & inebrientur: quoque major illis innascatur aviditas, de suo prius blanditur & proponit convivio. *Comedi favum cum melle meo.* Tuum, Jesu bone, utrumque est, & illud mel quod das, & illud quos es. Sed hoc in loco mel illud quod es ipse, nostræ intelligentiæ se promptius offert. Cur non dicis favum tuum, sicut mel tuum? Cur hac distinctione nunc uteris? Et favus tuus est, sicut & mel tuum: quamvis manifeste istud exprimas, cum illud sileas. Tua est utraque natura: sed divina tua, & quasi naturaliter tua; humana non est quasi naturaliter tua, sed magis assumpta, & dignatione tibi effecta est naturalis. *Comedi favum cum melle meo.* Ante sacræ conceptum Virginis quasi mel solum erat, & sine favo nondum incarnata Divinitas. Postea mel in favo, Deus in homine: nunc autem favus in melle, homo Deitate vestitus. *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed jam non cognovimus*, ait Apostolus. Sicut erat Deus reconditus in carne, sic nunc vice versa ipsa caro est occultata in Deo: & si glorificata est caro illa, ut jam spiritualis sit, & infirmitatis nil habens: tamen est occulta quodammodo, dum magis eum, in eo quod ipse est Deus, attendimus & adoramus. Quodammodo carnis favus Deitatis in melle reconditur, dum admirationem nostram & fidem ad se traxit ex integro manifestatæ reverentia majestatis. Jam ergo post resurrectionis gloriam Christus comedit favum cum melle suo, & sine carnalis infirmitatis injuria in assumptæ carnis substantia delectatione divina & sibi soli nativa perfruitur. *Comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo.* Jam dicis tuum esse utrumque tam lac quàm vinum. Tua sunt enim utriusque jura naturæ, utriusque propria, non alterius vitia: & sicut bibit vinum novum, ita & lac novum. *Cum lacte*, inquit, *meo*, id est cum lacte novitatis tuæ, non infirmitatis nostræ.

[Divinitas in carne, et quasi mel in favo.] [2. Cor. 5. d]

9. Curre, sponsa, propera ad tam dulce convivium, ubi vinum est sponsi, ubi lac, ubi favus non inanis, non vacuus, sed melle plenus. *Mel invenisti, comede quod sufficit*; nam tu ad totum non sufficis. Ipse autem Jesus non comedit ad mensuram sed totum comedit, qui sufficit ad totum. Tibi dicitur, *Ne sis scrutator majestatis, ut non opprimaris à gloria*: ipse scrutatur omnia etiam profunda Dei. Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Ipse totum comedit, ipse cui vult, & quantum vult impartit: quasi participium tibi pollicetur hujus cibi, se refectum gloriando. Si datum fuerit in escam tuam fel, & aceto in siti fueris potatus, memento quia talia passus est Jesus. Gustavit illa in cruce, non bibit: velocem amaritudinis transitum signans. Bibit autem vinum cum lacte suo. Non turbatur amplius ad monumentum pro Lazaro, non tristatur usque ad mortem, non sub ipsa morte aceto & felle potatur. Vetera transierunt, nova successerunt. Turbatio illa, tristitia, tædium, dispensatoriè ad horam suscepta de homine veteri, in lactis dulcedinem novam demigrarunt. Bonum vinum, quo hausto oblivioni traduntur priores angustiæ, & non ascendunt super cor, sed novis, & puris, & lacteis in carne jam resuscitata potatur affectibus: quando nulla jam de reliquo injuria, molestia nulla, aut in anima, aut in carne, sicut prius, vel assumitur, vel sustinetur: sed acetum cum felle mixtum quod degustavit, prælibans non bibens, in vini & lactis transivit saporem. Hanc & tu, fidelis anima, quæ sponsæ dignitate perfungeris: hanc, inquam, & tu tibi commutationem futuram confide. Ideo hæc in se completa prædicat, ut tibi tu similia discas sperare; tecum enim convivari vult, tecum bibere. *Non bibam*, inquit, *de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno meo.* Hoc tibi regnum significat, cùm ad hortum te vocat, ad hortum deliciarum, ad paradisum voluptatis, ad fructus maturos, ad fructus jam perceptos à se, & à te percipiendos. Tunc bibes vinum cum lacte, ut obliviscaris prioris angustiæ, & novæ resurrectionis degustes dulcedinem, præstante Domino nostro, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

[Prov. 25. b.] [Ibidem.] [Matth. 11. d] [Matth. 27 d] [Fel dolorum & laborum Christi in mel & lac dulcedinis transiit.] [Matth. 26. ?]

## SERMO XLI.

*Messui myrrham meam cum aromatibus meis, &c.* Cant. 5. a

1. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Putate, fratres, vocationem hanc ad sæculi finem referri, quando completis omnibus sacramentis Ecclesiæ, ipsa invitatur ad regnum; quando mittet Dominus messores Angelos, eo quod regiones albæ tunc erunt ad messem. O felicia tempora primitivæ Ecclesiæ! Quàm uber tunc erat ager illius, quàm copiosos producebat fructus! quanta in Martyribus erat fœcunditas myrrhæ, quot apes perfectioris & mysticæ doctrinæ favos operantes! Putares inter ipsa initia fidei, cum verbi semina mitterentur, messionis jam esse tempus, & quasi maturas ad falcem regiones albere. Quid moratis, Jesu bone? cur sponsam non invitas in hortum? Nonne jam dicere potes: quia *messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo*? Ubi nunc martyres in myrrha, ubi doctores in favo, ubi ferventes spiritu, qui signantur in vino, & simplices in malo, quos lactis dulcedo figurat? Annon ager Ecclesiæ tuæ jam tanta gloria nudatus videtur? Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam? Multi credentium fructus, sed aromata pauca. Præcessit autumnalis ubertas primis illis nascentis Ecclesiæ diebus: nunc hyemalis horror perurget. Præcesserunt ubertatis anni, nunc sterilitatis incum-

[Ecclesiæ primitivæ felix & optabilis status.] [Isa. 9. a]

bunt. Post spicas florentes & lætas, steriles & uredine confectæ exsurgunt. Cur non dicis jam, bone Jesu: *Veni in hortum meum soror mea sponsa?* Quid exspectas; cur moras nectis? An ut post hanc hyemem autumnus redeat? Lætabuntur adhuc coram te, sicut lætantur in messe.
Ibidem. Tunc benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi
Psal. 64. c tui ubertate replebuntur. Pinguescent speciosa hujus nostri quod nunc videtur deserti; & persecutionis fervor novissimæ, maturitatis canam albedinem messibus nostris inducet. Multiplicabuntur in senecta non deficiente, non
Psal. 92. c confecta, non sterili, sed in senecta uberi: & bene patientes erunt ut annuncient. Patientes propter martyrium, annunciantes propter verbum. In patientibus myrrham metes, in annuntiantibus comedes favum. Tunc electos tuos compunctionis vino potabis, consolationis lacte immixto. Nisi enim abbreviasset Dominus dies illos, salva esse non posset omnis caro.

2. Metit etiam nunc Dominus, etsi non quantam tunc myrrham, tamen multam myrrham afflictionis spontaneæ. Favum comedit cum melle, & expressa spiritualium dulcedine sensuum, continentibus figuris nos facit oblectari. Vinum cum lacte bibit, quia sublimes sensus & excedentes contemplationes fidei & morum simplicitate temperat & indulcat. Zeli fervorem diligit, si tamen adsunt lactea quædam fomenta parvulorum. Cum fuerint expensa hæc omnia, cum pertransierint tempora martyrum: cum doctores quasi quidam favi sapientiam continentes in mysterio absconditam, ministerium compleverint suum, & disputationibus hæreticorum pressi, melleam doctrinam profuderint; cum numeros suos & dies compleverint vel parvuli qui lacte foventur, vel ferventes spiritu qui inebriati vino gratiæ obliviscuntur quæ retro sunt; cum consummata hæc omnia fuerint (non
Math. 5. b enim transibit unus apex aut unum iota de lege donec omnia fiant) tunc exsultabit omnis Ecclesia sanctorum à tam dulci auditu: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa. Messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Messui, comedi, bibi: præteriti sunt temporis hæc verba, & consummationem completam significant, acsi dicat: Consummatum est. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa. Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* In hortum illum, ubi prope erumpens nulla urtica liliorum gratiam contristet, ubi vernantem rosam asperitas spinarum non violet, ubi arbor nulla est, cujus sit interdictus accessus. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa. Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Audite quia non metit nisi quod suum est, nisi quod ipse præseminavit. Vere servus ille malus & piger, qui pigritiæ suæ causam in Domi-
Math. 25. c num interpretatione maligna transfudit: *Scio quia homo austerus es, tollens quod non posuisti, & metens ubi non seminasti.* Bene piger, in quo Dominus non invenit quod meteret: & vere malus, qui diligentiam metentis Domini in duritiam perverso sensu convertit, infructuose quod acceperat servans, & injuriose de bono Domino sentiens. Non metit Dominus Jesus nisi quod seminavit, non metit nisi suum. Quod inimicus homo superseminat tritico suo, non metit illud, sed mittet Angelos qui col-
Math. 13. d ligant zizania, & faciant fasciculos ad comburendum, qui colligant de regno ejus omnia scandala. Ergo prius regnum suum purgat à scandalis, agrum suum à zizaniis, & hortum suum ab inutili germine, ut nonnisi suum metat & colligat.

3. Si modo veniat Jesus, sonet vox Angeli, terribiliter intonet novissima tuba, producatur judicium, ignis in conspectu ejus exardescat, advocetur cælum de sur-
Psal. 49. a sum, & terra discernere populum suum, si jam hæc omnia subito vos præoccupent; de meritis vestris quam teneretis sententiam? Ubi vestro essetis collocandi judicio? Inter sanctos ejus qui congregabuntur illic, an inter eos qui congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum? Inter zizania, an inter aromata? An forte etiam vestrum de vobis arbitrium hæsitat? Quis gloriabitur in agro suo se nihil habere zizaniorum? Felix in quo parum quid est, & idipsum non exultum, non fotum, sed furtivum & latitans in quadam aromatum ubertate, & quod

A statim cum advertit, avellit homo ab horto suo. Væ mihi Domine ab imperfectione mea, si homo durus es, si exactor austerus, si tollens quod non posuisti, & metens quod non seminasti. Væ mihi si totum metis quod seminasti, sine remissione & pietatis respectu: nam non totum, quod in me seminasti, excrevit. Utinam myrrhæ meæ acceptum digneris habere fasciculum, ut in medio uberum tuorum commoretur. Utinam aromatum meorum vapor exiguus ad modicum parens ad te ascendat. Nam quando tibi offeram integrum favum mellis? quando tibi offeram meditationem assiduam in lege tua? quando puram & plenam intelligentiam spiritualium sacramentorum? quando sapientiam melleam, quam Paulus loqui-
B tur inter perfectos? Nam sicut cellulis favus mellis, ita 1. Cor. 2. b
purissimis figurarum sacramentis cælestis sapientia continetur, ut mutua collatione & sacramenta veritas figurata commendet, & non parum gratiæ trahat ipsa veritas talibus quasi cellis expressa. Quando tibi in quodam cordis mei cratere, vini & lactis illam potero temperaturam miscere? Rara est mixtura hæc, ut qui mente excedit Deo, sobrius esse discat, ut alta sciens consentiat humilibus: parvulus fiat, qui puriori inebriatur intellectu.

4. Quantus favus, quam ingens, quam uber ad cælestis his diebus est translatus convivium, domnum Rievallensem dico Abbatem*, cujus nobis dum locum istum
C tractamus, nunciatus est transitus. Videtur mihi in illo, dum sublatus est, hortus noster esse nudatus, & grandem agricolæ Deo resignasse fasciculum myrrhæ. Nullus talis in alveariibus nostris relictus est favus. Utrumque in illo cernere erat, & mellis favum, & myrrhæ fasciculum cum aromatibus bonis. Quis illo vel vita purior, vel doctrina prudentior? Quis magis illo vel ægrotus in carne, vel alacer in spiritu? Sermo ejus, quasi cereus, melleam effundebat scientiam. Carne languidus, magis tamen intus in spiritu cælestium amore languebat. Myrrhata carne, mente aromatica, crematione continua, indefessi amoris odoriferum incensum offerebat. Corpore defic-
D cato & arido, anima ejus sicut adipe & pinguedine replebatur: ideo labiis exultationis laudabit Dominum semper os ejus, favus distillans labia ipsius. Nam totus conversus in labia, modesto vultu, & totius corporis habitu tranquillo, serenos animi prodebat affectus. Sensu perspicuus erat, sermone non præceps. Modeste rogabat, reddebat modestius, molestos sustinens, molestus nulli; acute intelligens, morose referens, æquanimiter ferens. Memini frequenter illum, cum coeptum de aliis dentibus aliquis interrupisset sermonem importune, verba suspendisse, donec alter totum effudisset spiritum suum: & cum importuni sermonis impetuosus defluxisset gurges, eadem qua sustinuerat tranquillitate, suspensum verbum resumpsit, opportune loquens, & opportu-
E ne silens. Velox ad audiendum, ad loquendum tardus, sed non tardus ad iram. Quomodo ad iram dicendus est tardus, ad quam magis inventus est (ut sic dicam) nullus?

* n. Aelredum Abbatem Rievall. in Anglia, qui obiit anno ætatis suæ 50. sub Henrico 2. Rege Anglor. Anno Domini 1166. v. Notas ad 1 Epist. S. Bern.

Patientia Aelredi.

Iac. 1. c

5. Bene favus: quia sinceris undique compositus & consitus cellis, in omni actu, sermone & gestu internæ putabatur dulcedinis mella sudare. Felix in quo Jesus integrum favum, quem comedat, invenit, crassum, non exsiccatum. Vide naturam favi: quasi galeato capite est, propter formam vasculi cui innascitur. Deinde de superioribus pendet, & de superioribus prodit. Bona, secundum Paulum, galea spes salutis æternæ. A spe siquidem supernorum, omnium actuum caput & totius intentio vitæ 1. Thess. 5. b
F inchoare debet, & illi cohærere, ad hanc tendere, & hac se contra omnia tentamenta tueri. Si videris hominem propter spem supernorum in omni actu, etiam adverso casu, repleri gaudio spiritus, qui super mel dulcis est: quid hunc nisi favum credideris in cunctis cellulis melle redundantem? Quid cum hominem cernis capacem sensu, conversatione compositum, actuum & vitæ æquabili commensuratione cohærentem sibi, talibus undique vasculis consertum, vacuis tamen, & spei quæ est reposita in cælis, melleo exhaustis liquore: numquid aliud tibi quàm favi arentis siccitatem depingit? Du-

A spe incipiendum, &c.

plicatum quidem incommodum, si simul fuerit & dissi- A patus dissolutione, & indevotione quadam deficcatus. Aliud tamen est si servat speciem, ut mentiatur virtutem: aliud si integritatis formam, & infundendæ favorem spe bona gratiæ refert, ut dono spiritualis dulcedinis receptacula apta non desint, & idoneæ cellulæ melli superno.

6. Noster autem hic favus, de quo loquimur, integer erat, & interno liquore exuberans. Plenus erat cellularum, hac illacque distillabat dulcedinem, sermonis divini assiduus operator favos componebat. Boni favi, quibus adhuc integris multorum quotidie indulcantur fauces. Molestam non sectabatur subtilitatem, quæ plus contentionis, quam instructionis ministrat materiam. Circa moralem operosus scientiam, cultissimis illam verborum cellis committebat. Prudens erat eloquii mystici, quod inter perfectos dispensabat. Lactea in salutem & consolationem parvulorum exuberabat doctrina, cui tamen lætificantis & inebriantis sermonis vinum sæpe latenter immiscuit. Ita est. Lac ipsius vini obtinebat virtutem. Simplex ejus institutio, & sermo lacteus animum auditoris in quemdam inebriantem alienatæ mentis excessum furtim arripere consuevit. Unde qui potabatur, jure dicere poterat: quia bibi vinum cum lacte. Immo in lacte noverat ista temperate miscere, & in altero utrumque largiri. Facili ad ædificandum utebatur materia, sed vehementiam inebriantis gratiæ sentires in verbis. Facilis inerat ei intellectus, sed affectio vehemens.

[Margin: Aëlredi sermo, studium, & doctrina qualia.]

[Margin: Ejus opera habes in Biblioth. SS. PP. & in Biblioth. PP. Cisterc. Tomo 3.]

7. Dolendum quidem, quod tanti viri subtracta est nobis copia: sed nihilominus gloriandum, quod talem de hortulis nostris fasciculum myrrhæ ad cælestem illum hortum præmisimus. Illic ornamentum est, qui nobis hîc fuerat adjumentum. Et si vacuata videntur alvearia nostra, & hortus nudatus; multos tamen reliquit manipulos, de quibus potens est Deus per virtutum incrementa creare fasciculos. Quod & in tota operatur Ecclesia, donec per successiones continuas, omnium graduum dispensatione completa, sponsæ suæ jam perfectæ & consummatæ dicat: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa: messui myrrham meam, cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici & bibite, & inebriamini carissimi.* Quod quidem etsi in generali illa Ecclesiæ introductione in Domini gaudium, quæ post resurrectionem fiet, perfectissime speratur: quotidie tamen angelicos cives ad congratulationis convivium invitari credimus, cum sancta quælibet anima (sive qualem supra meminimus, sive inferioris perfectionis & gratiæ) in paradisi amœnitatem transfertur, in hortos semper virentes, in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

8. Hæc recolite, fratres, hæc recordamini, & effundite in vobis animas vestras. Ignita est hæc recordatio: liquescere faciet animam tuam, & in delectationes & desideria effundi, cum transibis in locum tabernaculi admirabilis. In voce enim exultationis & confessionis sonus epulantis. Dulcis ibi uterque sonus, & amici epulantis, & Domini invitantis. Invitantis est enim vox: *Comedite amici & bibite, & inebriamini carissimi. Amici*, inquit, *& carissimi.* Blanditiarum hæc sunt nomina; sed hæ blanditiæ adulationem non sapiunt; officis & dilectionis sunt plenæ. Et hæc ipsa à Domino blandimenta prolata, inebriandi non carent effectu: efficacia sunt ad emulcendos eorum quibus fiunt affectus. Habent tamen inter se distinctionem, & aliquid amplius gratiæ præfert *carissimi*, quam *amici* vocabulum. *Vos*, inquit Apostolis Dominus, *amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Jam non*, inquit, *dicam vos servos, sed amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis.* Videte & hic quamdam distantiam. Illic dicuntur *amici* & hîc, sed differenter. Ibi quia faciunt: hic quia sciunt. Ibi propter ministrationem, hic propter mysterium. Ibi comedunt, & hic bibunt. Utrimque *amici*, nondum tamen *carissimi*. Carissimis in potatione cedit ebrietas. Ipsa nominis forma superabundantiam quamdam latenter insinuat, & significat plenitudinem caritatis. Carissimus est, qui caritate plenissimus est. Carissimus est, qui caritate infusus & imbutus est, cujus medullæ & ossa & omnia interiora caritatis liquore rigantur. Nec quia carissimus est inebriatur, etsi inde carissimus est quia inebriatur. Denique quid aliud est inebriari, nisi caritatis perfectissimæ delectatione repleri? Aut forte sic distinguere volumus, ut sint *carissimi* plenissime diligentes, *inebriati* perfectissime delectati. *Comedite amici & bibite, & inebriamini carissimi. Amici* sunt qui vel agunt vel audiunt; *carissimi* qui adhærent. *Amici* agunt pro eo, & audiunt ab eo; *carissimi* inebriantur eo. *Amici* sunt, quibus nota fecit quæ audivit à Patre: *carissimi*, quibus plenam ipsius Patris infudit notitiam. Ibi multa docentur, hic diligitur unum. In carissimis non est operum vel doctrinæ distensio, sed diffusio sola, & summa amoris. Amici sunt qui contemperantur divinæ voluntati: carissimi qui inebriantur & imbuuntur amoris divini voluptate.

[Margin: Johan. 15. b]

[Margin: Ibid.]

[Margin: Qui amici, qui carissimi.]

9. *Comedite amici.* Jam non dicitur, *Edent pauperes & saturabuntur*; sed, *Comedite amici, & inebriamini.* Quomodo pauperes, qui inebriantur ab ubertate domus Domini? Quomodo paupertas ubi ubertas? *Comedite amici & bibite, & inebriamini carissimi.* Amici vos & carissimi mihi: amici propter dilectionem socialem, carissimi propter sponsalem. *Inebriamini carissimi.* Introduxi vos in cellam vinariam, ut ordinarem in vobis caritatem. Nec est caritas ordinata, nisi cum mens vestra fuerit vehementia caritatis inebriata. Non est ordinata, nisi cum omnibus aliis fuerit affectibus superordinata. Bonus ordo, supereminentia amoris: supereminens amor carissimos efficit. Carissimi sunt, in quibus nihil est vel caritate vacuum, vel alii negotio vacans. Ordo plenus est, cum de caris in carissimorum gradum transitur. Ordo plenus est, cum caritatis cumulo nihil adjici potest. *Comedite amici & bibite, & inebriamini carissimi.* Omnes ibi amici, & omnes carissimi. Omnes potantur, & omnes inebriantur. Non sic autem in hac convalle lacrymarum, non sic: sed multi amici, pauci carissimi: multi potantur, non inebriantur omnes: & qui inebriantur, iterum temperantes fiunt. Ad horam mente excedunt, & ad sobrietatem solitam denuo redeunt. Soporantur & excitantur; somnolenti fiunt, & post paululum iterum vigilant. Ideo sequitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hæ tamen vigiliæ non videntur dormitioni succedere, sed ipsam comitari. Præstet nobis Dominus Jesus quæ super hæc sunt dicenda vigilanter intelligere, & vobis audire. Qui vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

[Margin: Psal. 21. f]

[Margin: Caritas ordinata quæ.]

[Margin: Inebriatio spiritualis in hac vita brevis.]

## SERMO XLII.

*Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi, soror mea, &c. quia caput meum, &c.*
Cant. 5. a

1. EGo dormio, *& cor meum vigilat.* Post hesternum capitulum qua rationis consequentia talis responsionis sermo infertur? Tunc erat generalis invitatio, hæc est responsio quasi singularis. Ibi plures invitantur, hic unus respondet. Ibi dicitur, *Inebriamini carissimi*: hic quæ carissima est, quia sponsa est, dormire se refert. *Ego dormio.* Quid mirum si ad communem invitationem responsum redditur singulare? Multi carissimi, sed omnium est cor unum, & anima una. *Una est*, inquit, *columba mea.* Amor unit, & amor inebriat. Vides quam juste fit omnium unica responsio, quos in Ecclesia caritatis vehemens liquor infundit? Vere vehemens virtus amoris, inebrians & abalienans. Vultis audire quomodo caritas abalienet animum, quem inebriat? *Ego*, inquit, *dormio*, acsi dicat dilecto: Tu me ad ebrietatem vocas, & ego tota huic muneri vaco. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ab aliis dormio & quiesco negotiis: ideo cor meum liberius vigilat ad sectandam hanc ebrietatem, & vinum potandum. Ordo mirabilis. De ebrietate dormitio, & de dormitione vigiliæ. Ille dicit, *Inebriamini*, & illa dicit, *Ego dormio.* Bonus sopor mentis excessus, & alienatio ab affectibus carnis, & (si id etiam dicitur) à sensibus corporis. Tunc magis viget & invigilat amor spiritualis, cum consopitur penitus omnis passio & affectus animalis. Et dormitio, & inebriatio utraque aliena-

[Margin: Cant 6. c]

[Margin: Amor spiritualis viget ac vigilat, cum animalis sopitur.]

cionis vicem præfert. Et quiddam in hoc ipso ad invicem tenent commune, quod mentem tam hæc quam illa sibi abripit, & penes se manere non sinit. Utraque statum pristinum ipsi animæ (ut sic dicam) furatur, & novos informat affectus. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Dormiunt alii somnum suum, & delectatio eorum in propria voluntate & voluptate quiescit. A talibus ego dormio, & vigilat cor meum tibi. Ab increpatione tua Domine dormiunt alii, ego ab incrapulatione. Dura hæc increpatio satis, quando dissimulando suæ hominem permittis desidiæ, sicut est magna increpatio desertionis signum. Ab hac increpatione dormit, qui ex dissimulatione divina somnolentæ securitati se tradens, dissimulantis patientiam non attendit parturire impœnitentis repulsam. Patientis longanimitas, & interim non percutientis, in verecundis mentibus vim habet; & eadem Domini tolerantia, quæ mentes honestas facit sollicitas, duras ipsa reddit securas.

*Psal. 75. a*

2. *Ego*, inquit, *dormio, & cor meum vigilat.* Dormio non increpata, sed incrapulata à vino, ad quod vocas carissimos tibi. Crapula ebrietatis tuæ mundo me tollit, & tibi tradit: soporat, & excitat: sæcularium oblivisci me facit, & tui non sinit. *Ego dormio*: dormi mecum, juxta illud quod ipse in Salomone diffinis: *Si dormierint duo simul, fovebuntur mutuo.* Sic fiet ut ex dilecti præsentia ob vehementiam amoris cor meum vigilet amplius. Cor meum vigilat, cum tuus amor in eo amplius viget. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Dormio propter amici requiem, propter raptum invigilo. In somno dulci quietis meæ, sollicitudo vigilantis te vigilantiùs somniat. Dulcis somnus, & dulce somnium, nescire alia, solum te scire: vacare tibi, & te videre, sicut hic datur per somnium (ut sic dicam) & umbram & ænigma. Bona crapula, copia vacationis & visionis istius. Visio ista habet aliquid somnio simile, eo quod non humano arbitrio & industria fiat, non ex investigatione nostra, sed ex visitatione orientis ex alto. Paulus quasi dormit, cum mundo moritur: quasi vigilat, cum vivit Christo. Dormiat utinam, fratres, anima mea dormitatione ista, & fiant vigiliæ meæ talium similes. Utinam juges sint, non interpolentur. Nunc autem versa vice ego vigilo, cor meum dormit; dormit spiritus, caro vigilat: & si caro dormit, non tamen statim spiritus vigilat. Indulgetur animo requies, nondum tamen ab illa gloriosa ebrietate sorbetur & rapitur. Dormit tentamentis, nondum tamen excitatur illis inebriantibus blandimentis: & quamvis frequenter gustentur, rediviva tamen novitate animam, quam inebriant, excitant.

*Eccli. 4. c*

*Somnus & vigilia spiritualis, dormire mundo, vigilare Christo.*

3. Jure vigiles dicti sunt, qui numquam vinum illud inebrians digerunt: qui semper madent æternæ delectationis ubertate. Tales in Danielis libro vigiles legis. Bene vigiles, in quibus nihil est quod soporatione indigeat, sed totum invigilat Deo. Bene vigiles, quorum non interpolantur vigiliæ. Nullus in eis animalis affectus sentitur quem deceat consopiri, ut expeditiores fiant cordis vigiliæ. Sunt quædam vigiliæ sollicitudinum repletæ molestia, de quibus Petrus: *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Et Paulus inquit, *Vigilate & state in fide.* Sed illæ vigiliæ nihilominus sollicitudine non carent, quibus Ecclesiæ vexantur doctores, sicut evangelici illi pastores vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Vigiliæ istæ quadam torquentur molestia ob imminentis mali cautelam. Vigiliæ sponsæ dormientis non continent mali cautionem, sed copiam boni. Exoccupatæ enim menti vehemens amor aviditatis inexpletæ vigilias indicit. Vigiliæ quædam sunt vel desiderium optatæ præsentiæ, vel delectatio indeptæ. Vigiliæ bonæ, vigens & non somnolenta devotio, sive in copia dilecti præsentis, sive in concupiscentia absentis. Hæc nec vigilat, nec viget, nisi inquieta, & quantum ad sæculi vel studia vel desideria consopita mente. Ideo dicit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et in Job legitur, quod in visione nocturna, cum sopor irruit super homines, & dormiunt in lecto: tunc aperit Deus aures, tunc loquitur, tunc pulsat. Ideo hic sequitur:

*Dan. 4.*

*1. Pet. 5. b*

*1. Cor. 16. c*

*Luc. 2. b*

*Job. 33. b*

4. *Vox dilecti pulsantis: Aperi mihi.* Jure vigilat nes-

A ciens qua hora venit dilectus ejus. Quasi continuæ sunt vigiliæ sponsæ, & vox dilecti. *Cor*, inquit, *meum vigilat.* & statim adjecit; *Vox dilecti pulsantis: Aperi mihi.* Cor meum vigilat, & dilectus meus non dormit. Vox ejus pulsat, & dicit: *Aperi mihi.* Cor meum vigilat, & ipse statim advolat, & auditur vox ejus: *Vox*, inquit, *dilecti.* Hæc mihi vox nota est, hæc mihi grata: ad alias obsurdesco voces, ad hanc expergefacta sum, statim cum insonuit in auribus meis, exultavi præ gaudio. Multæ voces obstrepere solent, & falsas insusurrare blanditias, sed non sicut vox dilecti. Magna, fratres, prudentia sponsæ, & discretione spiritus pollens, quæ sic distinguere novit inter versutias dæmonum, & blanditias veras dilecti.

B *Vox*, inquit, *dilecti pulsantis.* Quæ talis vox qualis Jesu? Numquid Philosophorum? Numquid hæreticorum? Num Legis? Num Prophetarum? Valida vox ejus est, *Stultam fecit hujus mundi sapientiam.* Lex & Prophetæ neminem ad perfectum adduxerunt: vox Jesu consummationis summam complectitur, vox ejus consummationis præcepta continet, vox ejus movet affectus. *Vox*, inquit, *pulsantis.* Pulsat enim & penetrat efficax instar ancipitis gladii: leniter illabitur, & blande persuadet, quod nulla potuit alia doctrina obtinere. Non altus sermo, sed alta mysteria. Humilitatem conscientiæ, morum contemperantiam, obtemperantiam obedientiæ, carnis munditiam, contemptum mundi, concupiscentiam æternorum,

*1. Cor. 1. c*

*Vox Christi, quam efficax ad docendum & persuadendum.*

C divinitatis notitiam, quæ umquam disputatio, quæ districtio tanta aut sermone tradidit, aut inspirando persuasit? Resurgendi gratiam, impassibilitatem resurgentium, æternitatem vitæ, majestatis revelationem hac docente sperare didicimus, & suspirare. *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.* Numquid tantum? Numquid tam expressum? Numquid tam impressum? Numquid tam sparsum? *In Israel magnum nomen ejus*: sed non eatenus magnum vel evidenti doctrina, vel vehementi devotione, vel numerosa populositate credentium. *Olim loquens Deus patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Ideo vox valida, vox virtutis, vox dilecti: sed Judæorum convalescere nequivit in auribus. Audi-

*Psal. 75. a*

*Heb. 1. a*

D vit gentilitas, & confessa est, & non negavit dicens: *Vox dilecti pulsantis.* Utrumque agnosco esse dilecti, vocem & pulsum, verbum & virtutem. Utroque mihi gratus dilectus meus, utroque me demulcet & movet, voce & pulsu, & (ut sic dicam) cantico & psalmo. Bene pulsat & quasi tympanizat, qui verbi & operis concordem movet symphoniam. Tympanum puta Jesum: accede, tange, discute, pulsa mores, opera, verba, vitam. Omnes in eo chordæ extentæ & sonoræ sunt, tactæ melodiam dulcem resultant. Jesus ipse pulsat seipsum. *Nemo*, inquit, *tollit animam meam, sed ego pono eam, & iterum sumo eam. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Vide quid tibi sonet ista positio,

*Omnia in Christo vocalia, & sonora.*

*Iohan. 10. d*

E sumptio, & utriusque potestas; quid ipsa sic pulsandi causa. Nonne & ipsa maxime ad cor nostrum pulsat & excitat, ut nos velut cithara quædam effecti, sic sonanti consonare nitamur?

5. *Vox dilecti pulsantis.* Bene *dilecti* inquit, quasi ex dilectione sola & gratia loquentis & pulsantis. *Aperi mihi: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Refrigescit in Judæa caritas, jam transmigratio fit juxta scripturam ad gentes. Illi missum est verbum salutis, sed repulit illud, indignam se judicans æternæ vitæ. Exclusus sum ab ea, tu aperi mihi: *quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Caput Christi Deus. De Deo Patre gloriantur Judæi, ejus se jactant

*Act. 13. g*

F habere notitiam, Filium reprobant & blasphemant, tu aperi mihi. *Caput meum plenum est rore.* Non tales desiderat, non sitit, sed magis fastidit: ideo plenum est. Plenum est rore, eo quod sensu leves sint, rationis carentes pondere, non habentes aliquid in assertione momentum: ratione leves, obstinatione graves, quasi ros & guttæ inefficaces & pertinaces. *Et cincinni mei guttis noctium*, quæ gelidæ sunt & tenebrosæ. Nam est quidam ros qui noctis non est. Ros tuus, ait Isaias, Deo ros lucis. *Et cincinni mei sunt pleni guttis noctium.* Figuris adhæserunt, scientes litteraturam, nescientes sensum spiritualem. De unius scientia

*Isa. 26. d*

scientia Dei, de figurali legis observatione Judæi gloriantur, mysterium inficiantes Trinitatis & præfigurationis veritatem, de superfluis & emortuis signis se jactant. Molesti sunt mihi, discipulos meos premunt, qui sunt velut quoddam capitis mei ornamentum & decus: ideo fugio, aperi mihi.

Hæretici scripturis abutuntur.

6. Quidam hæretici Christi divinitatem, ad quam nec fide volunt, nec ratione possunt attingere, conantur extinguere. Subtilia & consona litterarum testimonia, & quæ divina nituntur auctoritate, quasi quosdam cincinnos capitis, non cohærentibus disputationum suarum argutiis, & velut quibusdam roris instar minutiis, inficiunt, corrumpunt, opprimunt. Hi quoque notitiam Dei præsumentes & spiritualium subtilitatem sensuum, quasi in B ipso Dei capite & capillis superbe locatis, rori conferuntur, & guttis noctium: ut intelligas eos minutos, gelidos, fluidos, & non cohærentes sibi. Sed & si quem videris sanam, quasi caput ipsum, tenere fidem, sacramentis superficie tenus communicare, subtili vigere sensu; gelida tamen est propter malam conscientiam, & propter hypocrisim obscura, & propter velocem transitum

...20. a

fluida. Gaudium enim hypocritæ instar puncti. Hunc talem Jesus foris esse judicat; opprimentem, & quasi gravem sibi refugit. Hujusmodi non tam ambulant, quàm volitant in magnis & mirabilibus super se, superba elatione pendulo vagi in aëre. Ambitiosa quidem negotiatione perambulant in tenebris. De religione lucrum venantes, C spiritualem se simulantes habere doctrinam, fluidum instar roris eloquium, incerta & occulta, & quasi nocturna nosse mysteria sapientiæ Dei, sanctitatis tenere caput & culmen, & in ipso Christi hærere vertice, eminendi magis, quàm intrandi studium gerunt.

7. Istos moleste ferens & fugitans Jesus, dicit: *Aperi mihi soror mea.* Quæ intus es, quæ non vagaris foris, quæ non in sublimibus volitas, quæ non vis tam eminere foris, quàm intus te tenere, aperi mihi. *Aperi mihi, aperi mihi:* quæ quæris nisi me? Tota es mea: tota mea, & multiplici jure mea. Quam multiplici? Audi quam multiplici. *Soror mea, proxima mea, columba mea, immaculata mea. Soror mea,* quia in assumpta carne cognata. *Proxima* D *mea,* quia de latere, cum in cruce dormiret, de fecundo Adam Eva nova est creata: ut non jam sint duo, sed una caro. Ibi est cognatio naturalis, hic conjunctio personalis. Ibi soror, hic sponsa. *Columba mea,* per spiritus gratiam: *immaculata mea,* per remissionem & disciplinam. In carne *soror,* in sacramentis *sponsa,* in spiritu *simplex, immaculata* in sanctitate: in his omnibus *mea. Aperi mihi.* Age quod agis, aperi mihi. Tibi intus sum, sed aperi mihi in illis, in quibus adhuc foris commoror. Aperi illis, invita, introduc in locum tabernaculi admirabilis. Pulsa, ut aperiatur tibi ostium magnum & evidens, sicut Paulus dicit, ut pateat introitus persuasionibus tuis ad affectus eorum. Penetra ad illos, ut ad te post hæc introducas. Exi E ad illos, ut intrent ad te qui foris congelato frigescunt affectu. Exitus tui damna aliorum introductione redime. Quid dicis, *Exui me tunica mea, quomodo induar illa?* Quid dicis, *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Exuisti te tunica tua, tunica carnalis curæ, tunica certe molesta, & forte polluta. Tunica tua te exuisti: mea induere. Zelus domus meæ comedit te: ideo juxta Isaïam induere pallio zeli. Insta, argue, prædica, obsecra, opportune, importune. Non est pedes polluere, hac incedere via. Si quis adhæsit pulvis, excutias illum de pedibus tuis. Non pollutos, sed pulcros commendat Isaïas pedes cum dicit: *Quam pulcri super montes pedes annunciantium pacem, annunciantium bona.* Ne cuncteris; ope- F rum meorum exempla te moveant. Tangat manus, si pigritaris ad verbum. Zelotes ego sum; tu quoque pro me zelare. Otia dulcia sepone, paululum meis implicare negotiis. Omnis militans Deo, istis, cum jubetur, se implicet oportet negotiis. Cum dives essem, pro omnibus pauper factus sum. Æqualis Deo, exinanivi meipsum, ministrandi * formam accipiens. Pro omnibus mortuus sum, ut qui vivunt, jam sibi non vivant, sed mihi.

...rta sponsæ ...gia.

...hristi desiderium inducendi ...pulos in ...cclesiam.

...Cor. 16. b

...a. 59 d ...Tim. 4 a

...a. 52. b

...f. ministri.

8. Attentis talibus in dilecto sponsa, & his mota exemplis ad æmulandum, sic ait: *Dilectus meus misit manum* A *suam per foramen, & ad tactum ejus intremuit venter meus.* Per arctum paupertatis, persecutionis, & mortis foramen, operum suorum ad me intromisit exempla. Hæc me tangunt, hæc me movent. Nam tremor ventris, motus est mentis. Audi denique motionis effectum. Sequitur enim: *Surrexi ut aperirem dilecto.* Audite & intelligite qui præpropere satis & proterve nimis ad Ecclesiæ properatis honores. Sponsa enim, ad quam Cantici hujus blandimenta cantantur, morose & cunctanter accedit, etiam postquam se sororem, proximam, columbam, immaculatam audivit vocari. Contemplare si hæc in te sint: & si sint, verere ne perdas: si non sunt, magis verere ne non accipias. Attende post quot & invitationes, & commendationes sic dicit: *Surrexi ut aperirem dilecto meo.* Et tibi vanum sit surgere antequam voceris, qui delectationis illius sanctæ panem manducas, & bibis vinum, de quo supra dicitur: *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini carissimi.* Vanum, immo verendum sit tibi, nisi cum invitata sis, surgere, cum dormis somnum dulcem, donec tibi dicat dilectus: *Aperi mihi.* Non ambitionis, non avaritiæ, non inquietudinis, non elationis vox moveat animum, non demulceat blandimento fallaci. Istæ tibi ignotæ sint voces, non tibi istæ opus bonum suadeant, sed tantum ad dilecti tui vocem assurge, qui vivit & regnat, &c.

Ambitiosi & honorum cupidi perstringuntur.

## SERMO XLIII.

*Aperi mihi, soror mea, &c. Caput meum plenum est rore. Exui me tunica, quomodo induar illa? &c. Manum suam misit per foramen, &c.* Cant. 5. b

1. Superiore sermone hunc locum ita discussimus, ut diceremus Jesum sponsæ suæ implorasse solatia adversus molestias eorum, qui fidei nostræ sinceritatem humanæ & perfidæ doctrinæ corruptela tentant inficere, & subtilium persuasionum immadidare rore nocturno: quem princeps tenebrarum, princeps aëris hujus, latenter & leniter instillat. Nam & alio Scripturæ loco queritur, quod aquæ inundaverint super caput suum. Heri ergo inductus est à nobis Dominus Jesus molestias fugiens: hodie inducetur gaudia ferens. Heri inductus est solatia implorans: hodie secum solatia portans. Heri plenus injuriis, hodie gratiis. Illa interpretatio raras respicit, ista refertur ad plures. Non omnes ad prædicationis opus vel idoneæ sunt, vel delegatæ. Non enim omnes corruptelas fidei repellere vel sufficiunt, vel huic muneri præficiuntur. Non possunt omnes esse matres & sponsæ: omnes possunt sorores & sponsæ. Non omnes possunt partus sustinere injuriam: omnes debent amplexus gratiam. Fuerat secundum hesternam interpretationem roris illius nocturni liquor molestus; hodiernus iste sit gratus. Ibi loquitur Jesus querelas deponens, hic loquitur blanditias suggerens. Ibi fugit infestos, hic solum ad sponsam festinat.

Thre. 3. f

2. *Aperi mihi, soror mea, proxima mea.* Disciplinam hic attende custodiæ, ubi janua passim non patet. Quis illuc intrabit ad arbitrium, ubi Jesus sine interpellatione non intrat; nec nisi cum fuerit audita & nota vox ejus? O me felicem, si de mea dici anima queat: Porta hæc clausa est, & per eam nec furtim, nec fortuito indisciplinatus affectus immittitur. Soli principi patet, si ponam ori meo custodiam, ut soli principi pateat, cum assistit ad illud. Aperi mihi portam justitiæ: & ingressus in eam convivabor tecum, comedam in ea, & bibam, & inebriabor, denique & ego inebriabo te guttis meis. Non accedo sterilis, sed madens suaviter illabente rore gratiarum. Aperi mihi. Intus jam tibi sum nunc; sed aperi mihi, ut amplius intrem. Aperi mihi. Jam quasi novus accedo, & recenti rorans affectu. Ut ros tibi fluet eloquium meum, cum Deitatis meæ tibi instillabo arcana. Caput meum rore abundat, & contemplatio divinæ in me naturæ subtiles & fœcundos parturit sensus. Quid circa humanitatis mysteria solum moraris? Quid tamdiu solos ad pedes resides? Surge, ascende ad caput, illi aperi. Aperi mihi in hoc, *quia caput meum plenum est rore.* Humanitas gratiam comparat, Divinitas confert: humanitas impetrat, Divinitas impertit: humanitas fudit cruorem, Divinitas infundit amorem. Caput meum plenum est. Ipsum est

Ad sublimiorem contemplationem invitatur sponsa.

ros ipse. Illabitur animæ, & ejus medullas irrigat. Usque ad aliquid ingressus sum: aperi mihi, ut pertingam ad intima, ut Divinitatis meæ dulcis notitia influat, & inficiat totum quod est in interioribus tuis. Aperi mihi, ut Divinitatis meæ subtilis ros cordis tui terram infundat, & inebriet eam. Et revera sic est fratres. Ubi in materia major est gloria, ibi in meditatione major est gratia. Quod plus habet excellentiæ, plus sibi exigit reverentiæ, plus refundit & gratiæ. Quod quodam naturæ suæ merito prærogat, perceptio ejus oblectationis plus erogat. Plus omnibus placet, quod omnibus præstat. Singulari materiæ peculiaris debetur cernendi modus. Non est humani juris: non est enim moris humani. Quietæ & pervigili donatur menti, non tamen ad votum, sed cùm ipse vult & dicit: *Aperi mihi.* Quid est dicere, *Aperi mihi*, nisi quodam blandimento affectum illicere, movere concupiscentiam, ut mens ex parte tacta tantæ lucis corusco, ad pleniorem perceptionem se præstet purgatam? Sic lux quasi oculo dicit, Aperi mihi: quæ ex modica perceptione ad majus participium sui quamdam aviditatem prægenerat.

Apoc. 3. b

3. *Aperi mihi, soror mea.* Quid est, Jesu bone, quòd rogas aperiri? Tu ipse habes clavem David: aperis, & nemo claudit. Apparitio tua, apertio est. Appare, & nemo tibi claudit. Cui ex minima parte majestatis tuæ cœperit gloria scintillare, animum ad se subitò convertit & rapit. Non finit sibi claudi, dum ipsa coruscat. Cor quod penetras, aperis tibi: apertum tenes, dum te non subtrahis. Et fortè utraque necessaria est, & cognatæ sunt sibi apertio sponsi & apertio sponsæ. Apertio sponsi apparitio ejus est: apertio sponsæ, apparatus ejus & coaptatio ad tam dulces usus. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Caput plenum est, & eo madent qui adhærent illi. Delectabilis est Deus in se, & delectabilis in Sanctis suis, qui de ipso per gratiam oriuntur, & ordinatione sua quasi quidam distincti cincinni perseverant in eo. Pulcra utraque contemplatio, vel essentiæ ejus, vel gratiarum quæ procedunt de eo. Divisiones enim gratiarum sunt, acsi quædam distinctio cincinnorum. Invisibilia enim ipsius quamdam præferre distinctionem videntur, ad nostræ tamen capacitatis mensuram. Nam distinctis signis & sermonibus aliud & aliud significare conantibus, quæ in ipso sunt unum, quasi plura & varia innotescunt nobis. Quædam ad solam ejus magnitudinem respiciunt: unum hoc cincinnum puta. Quædam ad solam potentiam: sic & hoc quasi unum intellige. Similiter quæ ad sapientiam, quæ ad bonitatem, quæ ad prædestinationem, ad providentiam, ad gratiam, ad indulgentiam, consilium, cogitationes Dei generaliter, quæ una significationis complectitur ratio, & quasi ad unam pertinent, pro uno cincinno interpretare: quæ ad aliam, pro alio crede. *Invisibilia ipsius*, ait Apostolus, *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus divinitas.* Illa plurali protulit, hanc singulari intellectu. Hanc ergo velut caput accipe: illa velut cincinnos. Nam divinitas in se una & simplex est; secundùm affectum autem in subjectis, & effigiem particulariter impressam subjectis, variæ significationis recipit numerum. Ideo essentialia nomina mutuò de se dici possunt, non sic autem denominata. Essentia Dei scientia ejus est, cum conversionis veritate, & substantiæ identitate: non tamen, cùm verum est Deum nosse aliquid, & sequenter verum erit illum id esse. Sic & potentia cum voluntate in Deo unum idemque essentialiter est: denominata verò ab his non se mutuò consequuntur. Denominationes enim istæ cum aliquem circa creaturas effectum continent, cognatam ab illis multitudinem trahunt, & se nequeunt comitari. Mira identitas, & mira diversitas: utraque inexplicabilis, utraque admirationis est plena, devotionis & reverentiæ occultissimas & efficacissimas causas continens.

1. Cor. 12. a

Gratiæ & operationes Dei variæ pro varietate attributorum.

Rom. 1. c

Varia nomina recipit simplicitas Deitatis.

Caput & cincinni sponsi rore madentes quinam.

4. Accede sponsa ad hoc caput dilecti, ad cincinnos ejus: stringe rorantes crines; multùm inde dulcissimi liquoris elicies. Pleni sunt guttis noctis, guttis occultis, guttis non ignota dulcedine refrigerantibus. Erit quando guttæ tales expressæ frequentiùs integri fluminis efficient impetum. Bonus quidem: qui desiderium æstuantis amoris refrigerat. Sive supradictis modis caput cin-

A cinnosque intelligas, sive in capite illam deitatis nudam notitiam quæ est facie ad faciem, cincinnos autem illam quæ per speculum fit & in velamento ænigmatis, in utroque refrigerii uberem rorem reperies. Ideo fortè capiti ros simpliciter assignatur, guttæ verò cum adjectione noctis cincinnis attribuuntur, quòd hæc visio quæ per speculum fit & ænigma, nocturnæ quiddam habet qualitatis, minus fulgens, & minus fervens. Æmulare sancta anima sponsum, caput & capilli devotionis rore madescant. Caput intentionis, cincinni cogitationis*. Ad modum madentium capillorum stricti sint, extentæ sint, pingues sint, continentiæ extenuatæ disciplinâ, continuationis perseverantiâ protentæ; exultatione spiritûs pingues, ne ad modicum tenebroso & gelido malitiæ & nequitiæ rore inficiantur, quem princeps aëris hujus leniter & latenter aspergit. Cave fallaces infectiones ejus; sponsi tui illum cælestem se mentitur habere rorem. Claude illi: & si dicat, Aperi mihi soror mea: nullam tibi cum eo cognationem esse responde. Quæ illi cognata est, immaculata non est. Prava cognatio, quàm contagio sequitur. Christus quam sororem dicit, immaculatam subjungit. Ausculta quando dicere possis: *Vox dilecti pulsantis.* Hostis primo aggressu timide agit. Tentantis modo deprehendi timens, palpat, non pulsat: Dilectus tuus innotescere volens, pulsat audenter. *Aperi mihi, quia caput meum*, inquit, *plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Ac si dicat: Aperi mihi, quia rore gratiæ refertus illabor. Aperi mihi, aptam C te præpara tantæ præsentiæ.

*l. cogitationum.

Satanæ fallacia cavenda.

B

Excusatio sponsæ curam & prælationem subterfugientis.

5. Tunc illa: *Exui me tunicâ, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos?* Tu dicis, Aperi migi: ecce aperui, parata sum; sed domesticis turbari denuo curis refugio. Nolo quam semel exui, reindui tunicâ. Quomodo induar ea? Quomodo? Nullo modo. Non acquiesco, non possum non ægre reinduitionis verbum audire. Laneam exui vestita subtilibus. Novi quàm laboriosæ sint partes Marthæ, quàm onerosa operta sit tunicâ: quomodo circa frequens discurrendo ministerium, inquinatos oportet illam affectuum pedes habere, & operum gressus. Non possum de Maria in Martham degenerare. Optimam partem elegi, apertum & paratum ef- D ficere cor meum ad adventum dilecti. Non videtur in partibus Marthæ passus molestias, qui semel absolutus ad illas iterum reverti festinat. Nuda ab omni materia mundi, & sine impedimento velaminis, libera & quasi revelata facie gloriam contemplatura dilecti, surgam ut aperiam ei. Via hæc via pulcra est: non potest per eam pes pollutus incedere, nec pollui in ea. Brevis via: nam dilectus stat ad ostium vociferans & pulsans, quasi moræ impatiens. Pulsat ad ostium, explorat aditus, & ardentius diligens properantem prævenit me.

6. *Manum suam misit per foramen, & ad tactum ejus venter meus intremuit.* Quid sibi vult hoc loco quod sponsa, quæ clauserat ostium cubilis * sui, non hoc quoque obtu- E ravit foramen, ne ad illam quid ingrederetur incautè? In ceteris cautius agens, cur hic locum negligentiæ reliquit? An forte hoc in se minus ipsa novit foramen? Quis enim in se omnia potest nosse foramina, omnes aditus, omnes aptitudines, nisi ille qui, sicut in Ezechiele legitur, in lapide pretioso foramina præparavit? Ipse foramina ubi vult parat, quia ubi vult, ipse manum mittit per foramen, per aptum aditum, inspirationis occultæ virtutem. *Per foramen*, inquit, id est per aptum, per abditum, per arctum ingressum. Arctus enim ingressus satis, ubi manum tantùm immittit Jesus, ejus respectu, per quem ostii apertionem sibi fieri petit. Non moveretur ille venter sponsæ, non surgeret, non aperiret dilecto, nisi ipse prior inspirationis suæ manum immisisset occultam. Occulta ratio vocationis primæ, la- F tens causa, & nondum latus ingressus. Dilatatur autem, cum præoperanti sponso anima cooperatur, conatur, assurgit & aperit. Prima solius Dei manus agnoscitur, secunda Dei simul & hominis. Et cùm magis Dei sit propter munus, soli tamen homini deputatur ad meritum. Arcta est etiam & quasi per foramen concepta cognitio Dei, ea quæ per operum ejus contemplationem percipitur, & quasi tactus manus, non visio vultûs ejus. Adverte trinum contemplandi mo-

* al. cubiculi.

Ezech. 28. d

Gratia Dei præveniens.

Triplex contemplandi modus.

dum, in capite; in cincinnis, in manu. In capite naturam, in cincinnis figuram, in manu facturam. De hoc ultimo sic ait: *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Possumus etiam sic illa vocare, essentiam, signa, opera. Divinæ illius naturæ notitiam signa per quamdam in suo genere similitudinem depromunt, opera probant. Signa, ut sic dicam, exprimunt, & opera astruunt. Ultimus hic contemplationis modus simplicium est; secundus eruditorum; primus purissimorum. Verumtamen, sicut jam diximus, immissio manus per foramen, immissionem illam latentem & occultam significat inspirationis, quam divinæ virtutis tactus operatur.

[... .93. a]

7. Hic etiam est advertere tria quædam in sponsa. Quæ tria? Primò quod tremit, secundò quod surgit, tertiò quod aperit. Primum fit quidem in ipsa, sed non ab ipsa: duo sequentia sic fiunt in ipsa, quòd etiam ab ipsa. In primo præoccupatur, in secundo conatur, in tertio captat. Cùm tremit, nil ipsa agit, sed magis patitur: cum surgit & aperit, propriæ aliquid industriæ adhibet. Tremit, cùm motum occultum inspirationis sanctæ dulciter sentit: assurgit, cùm consentit & sequitur quò illa ducit: aperit, cùm huic totam se operi mens indulget, & reddit capacem. Verumtamen quanto magis se huic usui aperit, tanto ex nimia affectione & vehementia citius deperit. *Memor fui*, inquit, *Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, defecit spiritus meus.* Memoriam ventri, tremori delectationem, exercitationem surrectioni confer, & apta. Nam quòd dicit, *defecit spiritus meus*, ad illud spectat, quod hoc sequitur in loco; *Pessulum ostii mei aperui dilecto, & ipse declinavit.* Tunc declinat, cùm tu deficis ferre non valens. Cum tu afficeris vehementiùs, tunc ipse citiùs avolat. Quanto affectuosiùs captas dilecti amplexus, & quasi aperto corde totum absorbere & deglutire conaris, tanto velociùs declinat labilis præsentia dilecti tui.

[...l. 76. a]

8. Sed jam redeamus ad seriem litteræ. *Surrexi ut aperirem dilecto. Manus meæ distillaverunt myrrham: digiti mei pleni myrrha probatissima.* Quid est quod de apertione locutura præmittit de manibus? An fortè suggerere voluit, quibus te manibus oporteat aperire dilecto tuo, quibus operum meritis contemplandæ veritati aditum præparare? Bonæ quidem myrrhatæ manus, quæ carnis mortificationem operantur, quæ fluxum ejus compescunt, stringunt lasciviam, ut latiùs influat oblectatio verbi. Annon velut quasdam myrrhæ stillas censes opera hæc regularis conversationis, quæ vicissim sibi succedentia mentem ungunt, & carnem stringunt? Vigiliæ, jejunia, castigatus & parcus victus, asper pannus & panis ater, plagæ virgarum voluntariè susceptæ, in matutinis psalmodiæ vociferatio, & silens oratio, utraque in spiritu cordis vehementi, sed hæc tanto vehementior, quanto corporalis spiritus minùs est continens; quidni distillant nobis, dum vicissim succedunt sibi? Jure conferuntur myrrhæ, quia carni amaritudinem vexationis inferunt, & devotionis velut unguento mitigant animum. Et ut discretionem adesse intelligas, & obsequium rationale: *Digiti*, inquit, *mei pleni myrrha probatissima.* Manus opera sunt, discretio digiti. Myrrha tam actio carnis, quàm unguentaria exhilaratio cordis. Hæc myrrha probata est: nam est quædam myrrha quæ reproba est. Cùm videris quorumdam puerilium hominum digitos prohibita passim signa distillare, agilem manum undique petulantis, vel perversi affectus indicia spargere; ut arbitror, indisciplinatæ conversationis amaritudinem, quasi reprobam myrrham, istos fundere non negabis. Annon quasi myrrha lascivia talis, quæ & fratrum disciplinatos mores contristat, & sibi in posterum confusionis & pœnitentiæ est paritura mœstitiam? Probatissima verò myrrha est, quæ in multis argumentis exercitii regularis est reperta laudabilis. Et regularis exercitatio & hostilis vexatio, utraque probabilis est, cùm patientiæ virtus, servata integritate sua, amaritudine nimia non corrumpitur ac degenerat. Recole tempora, quibus juvencula adhuc Ecclesia ad aures pulsavit Gentilium, ut dilecto suo Christo ad corda ipsorum ostium aperiretur, pateret aditus: quàm innumeros desudavit agones, quanta confecit martyria, quam continuis est vexata suppliciis? Verè digiti ejus pleni myrrha probatissima, eo quòd omnimodarum passionum argumentis honestata est virtus ejus in laboribus suis.

[...era regu... ...is obser... ...tiæ stil... ...ti myrrhæ ...mparata.]

[...em Eccle... ...e persecu... ...nis.]

9. Cùm hujusmodi manibus satagite, fratres, aperire Verbo, speculationis dulcedini aditum præparare. Bonorum actuum meritis, mentis vestræ recessus Christo uberiùs reserabitis. Videte si laboris & fatigationis vestræ myrrha multis est experimentis reperta laudabilis, sicut aurum quod per ignem probatur. *Digiti mei*, inquit, *pleni myrrhâ probatissimâ.* Discretionis significatur subtilitas, & unctionis ubertas. Et digitos enim dicit, & plenos. *Distillant*, & *pleni sunt.* Vicissitudinem habent, non evacuationem. Interpolantur jejunia refectione, labores requie, vigiliæ somno. Vicissitudo refectionem affert, non defectum. *Digiti*, inquit, *mei pleni sunt myrrha probatissima.* Contemplationis optas delicias, sponsi amplexibus ex otio perfrui, illum solum cordis tui continere secreto? noli ad aperiendum vacuis, noli aridis occurrere manibus. Actio contemplationem præcurrit. Quanto magis myrrha continentiæ & afflictionis mortificaveris affectus animales, tanto uberiorem aditum dilecto paraveris. Denique sequitur: *Pessulum ostii mei aperui dilecto.* Non possumus in angustia terminandi sermonis hujus ostium aperire capituli. In alium differamus tractatum, gratiam ab eo expetentes & exspectantes, qui habet clavem David, sine qua nemo aperit, Jesus-Christus: qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO XLIV.

*Pessulum ostii mei aperui dilecto; at ille declinaverat atque transierat. Anima mea liquefacta est ut locutus est.* Cant. 5. b.

1. HOdie vobis, fratres, de apertione ostii disserturi sumus. Nam hesternus sermo de operatione, quæ velut quædam ad apertionem est via, ultimum tractatus nostri digessit articulum. Bona planè operatio, quæ immortalitatis & incorruptionis spem & speciem semper præfert, quæ non seminat in carne, ne corruptionem inde metat. Utinam in veritate ego dicere possim, quia myrrha in manibus meis semper. *Si quis*, inquit Jesus, *fecerit voluntatem Patris mei, cognoscet de doctrina mea.* Iohan. 7. b
Ecce qualiter pietatis actus aditum reserat veritatis. Boni certè actus, qui & quadam contemperantia & moderatione discreti sunt, & unctionis devotione repleti. Jure manibus unguentariis aperitur Christo, qui de unctione nomen accepit. Et forsitan nisi per unctum ostium ingredi nescit. Ideo in templo de lignis olivarum ostiola facta sunt, per quæ in sancta sanctorum aditus pateret. Hujusmodi enim & ligni materia unguentarii est ministra liquoris. Ostiola dicta sunt, & olivarum arctùs introitus: sed in pinguedine gratiæ sine difficultate illaberis, ubi subtilis est intelligentia, & secretum mysterium. Non laboriosus patebit ingressus, si devotionis & caritatis oleo quasi ostio volueris uti. Et puto quòd conveniens est de templo testimonium prolatum: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Habe ergo in templo tuo ostia, per quæ summus Pontifex solus ingrediatur in intimum cordis tui recessum. Claude ostium, obde pessulum, nisi quando dilectus tuus pulsat ingredi volens. Si ostium non est, passim patebit ingressus omni transeunti. Si ostium clausum est, sed pessulo non obseratum; facili cedet & patebit impulsui, clausuram non habens firmiorem. Habe utrumque ostium circumstantiæ, & pessulum constantiæ. Prospice circumstanter, resiste constanter. Oblivio & ignorantia non surripiat, improbitas non irrumpat. Et si ita mavis distinguere, sollicitam præmeditationem reputa ostium, orationem quasi pessulum. Tali firmatum repagulo, hostili non patebit impulsui ostium tuum. *Confortavit*, inquit Psalmista, *seras portarum tuarum.* Nonne in seris & portis velut ostium & pessulum tibi videris audire? Utrumque necessarium est, sed contra insidias inimici. Ubi vocem & pulsum audis dilecti, ubi manus ejus subtilem, & per foramen sentis attactum; aufer pessulum, ostium aperi; cuncta cedant obstacula: si fieri po-

[1. Cor. 3. d. Ostium cordis nostri soli Deo aperiendum.]

[Psal. 147. a]

rest, medium parietem totum aufer, ut liberè se tibi dilectus tuus infundat. Sollicitudo adversus tentamenta dæmonum in securitatem vertatur de præsentia sponsi: cautelam hostem repellendi in perfruendi dilecti copiam verte. Ostium aperuisse se novit, qui dixit: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*

Psal. 107 a

2. Quomodo ostio eget Jesus, qui in Evangelio ait: *Ego sum ostium?* Miranda ratio. Ostium est, & pulsat ad ostium. Intrare vult per quem quisquis introierit salvabitur, & pascua inveniet. Magna est ostiorum distantia. Est enim ostium quoddam in argumentis naturæ, est ostium in sacramentis Ecclesiæ, est ostium in experimentis gratiæ. In primo illo ostio naturalis rationis ductu innotescit nobis per opera operans sapientia, & ad aliquid veritatis intromittimur: divinitatis colligimus notitiam, non tamen personalem in Deitate distantiam. In hoc ostio non distinguitur persona, nec confertur gratia. Ideo non debet esse assiduus, non nimius ad hoc ostium pulsator. Per secundum in eo quod salutaribus initiamur sacramentis, ad Ecclesiæ unitatem intramus ad communionem Sanctorum. In hoc secundo ostio, sic quidam intus sunt, ut tamen quasi foris sint, donec ad tertium accedant: quod familiarem interpretamur accessum per caritatis affectum, in copiam quamdam & contemplationem dilecti. Ostium hoc tam secretum, tam intimum non omnibus patet, sed soli sponsæ præbet accessum. In Ezechiele multas ostiorum distantias legis, quas modò longum esset prosequi. Verumtamen parum quid interesse reputo, tunc ad illum ingrediaris, an ad te ipse: nisi quod tunc videris ingredi ad ipsum, cùm tu quasi prævenis & prior rogas; ipse verò ad te, cum ipse te prævenit, pulsat affectum, improvisus illabitur, & nil tale meditantem insperatæ dulcedinis movet attactu.

Johan. 10 b.

Ostia diversa ad Deum.

Ezech, 40. & 41.

3. Quando pulsat hoc modo ad ostium tuum, noli morari: surge, festina, ne fortè declinet. Nam & in hoc loco sic habes: *Pessulum ostii mei aperui dilecto; at ille declinaverat atque transierat.* Cur abis Jesu bone? cur declinas? cur defraudas dilectam à desiderio suo? Tu desiderium inducis, tu delectationem subducis. An fortè hoc modo in majorem aviditatem & ardentius desiderium concupiscentiam protrahis, dum copiam subtrahis? Ita est. Planè ita est. Istæ amoris fallaciæ ipsum amorem magis inflammant, ad ejus cumulum proficiunt dum sic decipiunt. Illæ dominicæ resurrectionis apparitiones quàm breves erant, quàm subitæ, quàm succisæ. Quibusdam vix jam agnitus est, & statim elapsus est. Non se patitur ab aliquibus tangi. Aliis clausis illabitur januis, ostii apertione non indigens. Illud enim ostium maxime illi aperitur, quod aliis omnibus negotiis clauditur. Cùm putatur teneri, quasi furatur præsentiam gratam: furtim accedens, & furtim recedens. Gaudium enim contemplationis instar est puncti. Velociter recedit, & excellenter transcendit omnem humanæ capacitatis virtutem. Quò ipsa vadit, non possumus æquis eam in hac carne passibus sequi. *Dixi*, inquit Salomon, *sapiens efficiar: & ipsa longiùs recessit à me, multo magis quàm antea erat.* Perceptio ejus melius quàm privatio* docet, quàm sit transcendens ejus majestas. Eo ipso quo vehementior est, velocius transit: *Ipse*, inquit, *declinaverat atque transierat.* Ideone, Jesu bone, declinasti ad sponsam, ut tam citò declinares ab ea? *Ipse*, inquit, *declinaverat atque transierat.* Quid est, *transierat*? Transierat me, transierat vires meas, pertransiit me. Ideo quasi ferre & subsistere non valentem transiit me. Gladius est verbum Dei, gladius est Jesus, animam sine mora & difficultate pertransit: non subsistens, dum ejus vehementiam liquefacta mens sustinere non valet. Flammeus hic gladius est. Ideo sicut cera fluit à facie ignis, sic anima succensa à facie ejus. *Anima*, inquit, *mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Videtis qualiter ad ignitum eloquium liquefecit animam.

Desideria frustrata crescunt.

Eccl. 7. d

* Vide an legendum, privatio ejus, melius quàm perceptio.

Eph. 6. d

4. *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ipse declinaverat atque transierat.* Ita in manifestatione dominicæ resurrectionis, quæ facta est duobus illis euntibus in Emmaus, ut aperti sunt oculi eorum ad cognoscendum Jesum, sub ipsa apertionis hora evanuit ab oculis eorum, & quasi pertransiit cor illorum, ut ipsi fatentur. Ardens

A erat in ipsis in collocutione, sed in apparitione liquefactum est in illa visione vehementi, soliditatem & constantiam non obtinens. Quid enim est Jesum evanuisse, nisi illos in gloria apparitionis subsistere non valuisse? Declinat in dilectam ut flumen pacis, sed ut gloriæ torrens pertransit, sicut torrens igneus liquescere faciens animam, quam inundat, quam reficit, quam transit. Quàm dulcis hora, quando anima huic igneo torrenti liquefacta miscetur: quàm subtilis est in illo momento, quàm extenuata, quàm mobilis! Nihil tunc teporis habet, nihil duritiæ reliquum, nihil rigoris: tantummodò calens & liquens. Cognata sunt sibi invicem liquidum & calidum. B In his duobus contemplationis usus consistit. Quod liquidum est, calorem promptiùs concipit: & conceptus calor vice versa quod liquidum reperit, liquidius reddit. Quod dico calidum & liquidum, hoc est, ac si aliis dicatur nominibus, succensum & sincerum. Calidum est, eo quod amat; sincerum & liquidum, quia quamdam amati in se speciem repræsentat. Calidum, quia ardet: liquidum, quia videt. Calidum, quia inflammatur: liquidum quia dilecti imagine informatur. Quod liquidum est, nil habet impurum, nil pigrum, facilè cernens, & facilè sequens. Sed tanta gratia liquidi non est C cùm calor non est. Bene liquidum, quod & ex puritate dilecti claritatem percipit, & quasi percitum & promptùm extra se effusum post dilectum festinat, qui jam pertransierat. *Ipse*, inquit, *jam pertransiit à me*, qui totam pertransiit me. Velox transitus; sed violentiæ non parum habens in tactu, liquefactam post se reliquit animam meam, effusam uberiùs, & conantem transire usque ad dilecti transitum, nihil præsumens in ejus præsentia. In voce exultationis liquefacta sum statim ut locutus est ipse. *Anima mea liquefacta est*, inquit. Quid est, *liquefacta est?* id est crescens facta est, currens, clarescens. Crescens super se, currens ad ipsum, ex ipso clarescens. Virtute crescens, currens votis, veritate clarescens; hoc est lata, labilis, lucens.

Luc. 24. e

Ardor & liquefactio animæ in contemplatione.

D 5. Ex hac fortè liquefactione præstitum illi est quòd manus suæ myrrham distillant, mens liquefacta est. Cur tertium præterimus, quod canticum illud apponit? Habet enim sic connexum ex ordine; *Venter tremit, distillant manus, anima liquefacta est.* Potest istic etiam leviter hanc lectionem transcurrens, ordinatum quoddam augmentum advertere; non tamen facile est & planum gradatæ distinctionis rationem assignare. In omnibus quidam modus signatur, sed major in secundo quàm in primo: & major in tertio quàm in secundo. Plus est enim distillare quàm tremere; sicut liquescere quàm distillare. Totum præstat præsentia sponsi sponsæ suæ, quod ejus venter tremit, distillant manus, anima liquefacta est. Totum est ex tactu manus ejus & vocis auditu, totum est ex E tactu & (ut sic dicam) ex pertransitu ejus. Quia tangit, tremit: distillat, quia perstringit & pertransit illam in spiritu vehementi, cujus vocem audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat. Ideo liquefacta est anima ejus, ut locutus est ipse. Vox subtilior manu est, vehementius movet, & velociùs transit. Sermo Jesu subtilioris & sublimioris doctrinæ plus continet, quàm aliqua operum prodere queant exempla. Omne transit exemplum de majestate Deitatis sermo, quem inter discipulos fudit: omnem experientiam pollicitatio gloriæ futuræ, quæ revelabitur in nobis. Huic intelligentiæ & perceptioni si aperis ostium ut comprehendas; statim declinat & pertransit: ideo & tu transi in affectum liquefacti cordis. Ad hanc F vocem dilecti dic: *Mirabilis facta est scientia tua ex me. confortata est, & non potero ad eam.* Et anima mea liquefacta est deficiens à comprehensione, & non sufficiens ex vehementi & violenta dulcedine persistere & morari in admiratione. Propter hæc & hujusmodi, inquit: *Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est.*

Psal. 138. a

6. Quid putatis, ut aliquid præter seriem & quasi ex abundanti ad cohortationem præsumam; quid, inquam, putatis, quod non hic sermo quorumdam suggillat duritiam, quorum viscera gelido austeritatis nimiæ rigescunt affectu, quorum viscera nullum misericordiæ distillant liquorem, nec exiguo tremunt & moventur affectu

erga pœnitentes; misericordis manus tactum non sentiunt, piissimi Jesu non igniuntur alloquio, pulsantem in pœnitente Jesum foris non audiunt? Vereor ne declinet ab eis & pertranseat, ne non inveniant cùm quæsierint, & cùm clamaverint non exaudiat eos. Cur durantur viscera tua ad filios, quasi non sint tui? Poteras forsitan tuos inclementi oculo respicere, & resupino fastu præterire, si tamen tui tantum essent, & non Domini tui. Quàm durus fores, si de tuo largiri deberes, qui Domini substantiam tam avaro & imminuto etiam filiis affectu dispartiris? *Dispersit*, inquit, *dedit pauperibus*. Sed tu forsitan pauperes nescis. Quid si dicat tibi Deus: Imperfectum meum non viderunt oculi tui? In libro tuo nonnisi perfecti sunt scripti, de perficiendis nulla te cura tenere consuevit. Malus medicus, qui non est opus ægrotis, sed bene habentes fortasse exulcerans. Sis non vis errantem quærere, saltem occurre revertenti. Aperi januam misericordiæ, & si non pœnitentem propter Christum, suscipe vel Christum in pœnitente. Liquescat anima tua misericordiæ rore, & ad clamantis & pulsantis Jesu succendatur eloquium. Vox pœnitentis, vox pauperis, vox est Jesu. Ideo cùm audis hanc vocem, clementi affectu liquescat anima tua, ut & tu cum sponsa dicere queas: *Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est*. Ausculta & recole quid locutus Mariæ Magdalenæ, quid mulieri in adulterio deprehensæ, quid Samaritanæ, Cananeæ, Zacchæo, Petro, Centurioni. Ad tot pietatis sermones & clementiæ cujus non mollescat affectus, viscera liquescant? Ad tam vehementes flatus austrinos, etiam de durissimo pectore quantumlibet annosa poterat glacies solvi. Sentio me affluentis olei liquore perfundi, & simili affectu liquescere, quoties misericordiæ tuæ opera, verba, præcepta recenseo. Ignitum eloquium tuum hoc vehementer, & servus tuus diligit illud. Diligit, quia indiget: ideo amat anima mea, & præ gaudio liquescit ubi tu loqueris.

7. Istam liquefactionem oportet ut sentiat omnis sanctus. Nam illa superiùs disputata liquefactio nonnisi perfectorum est, & eorum non semper, sed in tempore opportuno. Et ne infructuoso subducam silentio quod mihi suggeritur, breviter vobis absolvam quod adhuc de hac liquefactione intellectu concepi. Non cernitis quod liquefit, qualiter de quodam rigore & immobilitate moveri incipit, seipsum egredi & deserere nititur, de tumore & mole pristina defluit & descendit, & evanescit, seipsum ducentem & ad humiliora loca facilè sequitur; vel eadem per seipsum sectatur, præcurrens frequenter ducentis conatum. Magna in liquefactis ad sequendum mobilitas, & prompta voluntas. Intelligitis jam (ut arbitror) in liquefactis ad obediendum aptitudinem grandem, humilis animæ affectum tractabilem. Hanc humilitatem non metus infligit, sed calor amoris informat. Metus mentem violenter infringit, amor emollit, & teneram ac liquidam reddens effingit ad libitum. Humilitas de caritate profluens, nil molestiæ patitur, ultrò ad imum tendit, quiescens, cum apprehenderit inferiora. Habetis jam in liquefactione, humilitatis illius generosæ, habetis & obedientiæ expressam sub brevitate naturam. Vultis & testimonia? *Dominus aperuit mihi aurem*, ut audiam eum quasi magistrum. Audistis loquentem Dominum: audite liquefactum affectum discipuli. *Ego*, inquit, *non contradico, retrorsum non abii*. Audistis quomodo sequitur: audite jam ad quàm infima. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me*. Annon iste quasi ad aspera & abjecta descendit, non rigidè resistens, sed liquefactus, effectusque tractabilis ad auditum calentis eloquii? Ergo qui hujusmodi humilitatis & obedientiæ liquescit affectu, non frigida tumentique mole immobilis & rigescens, pro suo jure, hujus sibi verbi usum gloriose præsumit: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est*. O mira vis verbi, & ignita vehementer! Inflammat cor, commutat renes, in nihilum in conspectu suo respectu Dei sui animam redigit; à seipso liquescere & deficere facit, ut jam anima non sit secum, sed sicut sequentia continent hujus versiculi: *Ego semper tecum*. Ideo non in se, non secum, sed cum Deo suo est, semper obsequens, & quantum datur, sequ[...] assequens semper pro voto, nec illo excellent[...] sponsæ cum sponso competit. Nam & hìc sequ[...] *sivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit*. capitulum hoc alterius temporis eget tractatu, ex[...] cuti volens. Sufficient ista non pro magnificentia [...] pro nostris disputata viribus, qualiter anima spo[...] quescit ad loquelàm dilecti sui Jesu-Christi, qui vi[...] regnat per sæcula sæculorum, Amen.

[Margin: Spiritiam & austeritatem erga pœnitentes reprehendit.] [Margin: Psal. 111. b] [Margin: Psal. 118. f] [Margin: Liquefactio animæ ad humilitatem & obedientiam.] [Margin: Isa. 50 b] [Margin: Ibidem.] [Margin: Ibidem. c] [Margin: Mira vis verbi Dei.]

## SERMO XLV.

*Quæsivi & non inveni illum: vocavi & non respondit mihi. Invenerunt me custodes civitatis, percusserunt & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum, &c.* Cant. 6. b

1. Cum tibi fuerit dilectus tuus elapsus, nón tibi redit ad libitum: vexatio hæc dat intellectum amori, & augmenta affectuum. Nunc visitat, nunc evanescente visitatione vexat amicam. Varietas hæc amantis cor & desiderium rapit, & reparat ad usum. Ut dilectus locutus est, liquescit anima tua. Anima tua liquefacta deficit, ferre non valens; & dilectus tuus declinat. Defectio tua, fuga ipsius est. Præsente & loquente dilecto liquescis, deficis, exspiras: absente eo respirare permitteris. Absens vires reparat, quas præsens exhaurit. Delectationum vehementiam intervalla temperant, cujus continuationem ferre non potes. Quid continuationem dico? nonne ipsa te inchoatio reddit exhaustam? Statim enim ut loquitur dilectus, liquescit anima tua. Denique & in sequentibus dicit; *Oculi tui avolare me fecerunt*. Quomodo dilectum avolare fecerunt, nisi dum nimio affectu in eum defecerunt? Modum nescis: ideo dilectus tuus moderatur, & præsentiæ suæ mensuram tibi distribuit in tempore. Ideo quæris, & non invenis; vocas, & non respondet. Attendite, fratres, vehementiam & vim amoris. Nec abesse dilectum sustinet, nec sufficit præsenti. Ibi vota anhela laborant, hic exhausta deliquium patiuntur. O felix amor! qui continua quadam vicissitudine aut liquescit in ipso, aut quærens anhelat ad ipsum. *Quæsivi & non inveni illum*, inquit, *vocavi, & non respondit mihi*. Alibi scriptum est hoc, hoc modo: *Quærent me mali, & non invenient: vocabunt, & non exaudiam*. Quidnam est hoc quod hoc ipsum tam commune est bonis & malis? Cur indifferenter utrisque te, Jesu bone, subducis? Verum quidem non indifferenter, sed multum differenter. De malis dicitur: *Quærent, & non invenient*. Sponsa verò non se inventuram diffidit, sed non invenisse causatur. *Quæsivi, & non inveni illum: vocavi & non respondit mihi*.

2. O quoties quæsivi Dominum Jesum meditando, invocavi orando: sed nec meditatio effecta est dulcis, nec pinguis oratio! Ideo non inveni illum, nec respondit mihi. Nec inveni illum ipsum, nec sua, sed supra modum dulcia sunt quæ respondit mihi. At utinam mihi frequenter respondeat cum vel lego, vel oro. Ita Jesu bone, responde mihi quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta mea ostende mihi. Absconde paulisper faciem tuam, ut mea mihi fœditas salubriter innotescat vel in meditatione mea, vel in lectione sacrarum scripturarum. Tunc enim me inveniunt custodes civitatis, doctores sancti, cum meos in eorum scriptis mores invenio. Tunc me inveniunt, cum meos mores & vitia depingunt; percutiunt, cum discutiunt; vulnerant, cum increpant. Sacri scriptores, ac si quidam custodes civitatis sanctæ Jerusalem, quæ est Ecclesia, varios animorum investigant affectus, & inveniunt singulorum passiones, bonos mores, & morbum quo quisque laborat: nullius vel cogitatio non invenitur ab illis. Quoties illa lego, quasi inventum me & deprehensum puto. Illa me exhortationum jaculis feriunt, illa vulnerant, dum quod integrum arbitrabar, saucium esse convincunt. Illa simulationis tollunt velamen, ignorantiæ vel oblivionis involucrum, falsæ pallium gloriæ. Illæ ac si pallio quodam, sic dissimulationis spoliant operimento, & elationis ornamento. Illa me quodam præsumptæ fallaciter gloriæ pallio spoliant, dum conscientiæ denudant infirma. Utiliter ergo à custodibus in hunc modum invenior, quam-

[Margin: Cur vicissitudo consolationum.] [Margin: Vis amoris.] [Margin: Prov. 1. d] [Margin: Job. 13. c] [Margin: Commendatur lectio SS. Patrum.]

vis dilectum ad votum invenire non queam. Denique jam minus in me in quo glorier, minus in quo quiescam inveniens, amoris in dilectum facibus inardesco.

3. *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Per me non audeo accedere, non hanc familiaritatem mihi præsumo, non sui copiam mihi adhuc Jesus indulget: ideo filiæ Jerusalem ad vos accedo, vos ambio, vobis causam commendo, committo negotium, nuntiate dilecto. Quasi ignorat, dum dissimulat. Custodes spolient, filiæ nuntient, doctores exhortentur, exorent filiæ. *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Nuntiate, ingerite: frequens suggestio dilectum inflectet. Jam exuta sum, jam spoliata sum meipsa, jam idonea dilecto vestiri. Spoliata & exoccupata mens languet amore, *Nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Fratres, si vos increpatorius doctoris sermo tangere specialiter videtur, vestros expresse ferire mores, mentis vestræ nudare vulnera, vel occultatæ, vel excæcatæ conscientiæ tollere pallium: ad incentivum amoris, non ad odii illud invertite fomitem. Cur privatam trahis ad injuriam, quod in commune profertur ad omnes? Forsitan ad te quod dicitur respicit, te tamen nominatim non exprimit. Amoris languorem generalis tibi ministret correctio, non murmuris passionem. Et si nondum dulcis illius amoris desiderio langues, bonum est si interim langues pudore delicti; si langues pœnitentia, si timore judicii configuntur carnes tuæ. Convertere in ærumna, tua dum configitur spina: delictum confitere, & operimenti pallium quo injustitias dissimulanter abscondis, sine ut tibi tollat: noli pertinacius, noli strictius hypocrisis te pallio operire, involvere tegumento. Non convertetur ad te Jesus, nisi simulationis & fallaciæ à te fuerit ablatum velamen, quod tibi confusio quædam & displicendi metus prætexuit. Operuit confusio faciem conscientiæ tuæ: aufer velamen confusionis, confessionis induere. Nam & Dominus confessionem induit, confessionem non suam, sed tuam. Hoc se ornatum pallio reputat, hoc à te mutuatur: hoc illi pallium trade, quod affectuose tollit quasi pignus amoris, & reconciliationis signum. Tunc incipies amore languere, cum prius pœnitentiæ fueris affectibus languida. Tunc te incipient filiæ Jerusalem commendare dilecto: Tunc cælestes spiritus & animæ spirituales congratulantes languorem nuntiabunt amoris.

Pastorum correptio bono animo ferenda.

4. Sed nos ex abundanti super pœnitentiæ statu versamus hunc locum, cujus tota facies perfectiora quædam videtur spirare, & ejus consona gratiæ, quæ sponsæ meretur conditione censeri. *Quæsivi*, inquit, *& non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi: invenerunt me custodes civitatis.* Meditando quærit, vocat orando: audiendo doctores invenitur, percutitur, vulneratur, exuitur. Et ne quid desit ad cumulum, filiarum Jerusalem, fidelium scilicet animarum, commendatione adjuvatur. Quatuor hic quædam adverte, vel in illa, vel circa illam; investigationes, vota, præcepta, & preces. *Investigationes* meditationis, desiderii *vota*, *præcepta* doctorum, & sanctorum * *orationes.* Annon doctorum præcepta & exhortationes frequenter commodè sentiuntur ab his, quos & anxia investigatio, & sincera oratio poterat lassare? Nonne pigra vota, verborum sæpiùs stimulis excitantur? Denique quæ fervida sunt, his fomitibus efficiuntur ferventiora. *Invenerunt me custodes civitatis.* Boni & prudentes magistri vago quodam & quasi venatico genere dicendi utuntur, & varios ad mentium status vertunt sermonem, si forte inveniant quem tangant, quem stimulent, quem permoveant, si quis audientium glorietur, & dicat: *Invenerunt me custodes civitatis, percusserunt me, & vulneraverunt me.* Quo quis perfectior est, vulneratur faciliùs, & tener affectus verborum citiùs sentit aculeos. O felicem animum, ad quem tam sublimia exhortationis jacula veniunt, quem inveniunt suis aptum vulneribus: quando non abeunt retrorsum, auditorum vel duritia, vel stoliditate repulsa! Non sunt passim hujusmodi jacula fundenda, nec in omni multitudine, sed tantum ubi idoneæ mentes creduntur inveniri, quas tam excellens doctrina non effugiat. Quasi fulgura sunt hæc: summa feriunt, submissa effugiunt; summa inveniunt, summa feriunt.

Iterum lectio SS. Patrum commendatur.

* al. sociorum.

5. Ideo dicit: *Invenerunt me custodes civitatis, percusserunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum.* Tulerunt pallium, quo involutus erat pœnaliter Adam, prioris simplicitatis splendore nudatus: tulerunt imaginationum operimenta, quibus impediebatur intrinsecus, pallium figurarum velamen tulerunt, veritatem intulerunt. Revelata, nudata, simplex veritas gignit fervorem amoris. *Ideo filiæ Jerusalem nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Quamdiu non placet, non rapit affectum, non succendit perspecta veritas: quantumlibet sincerè se frui quis putet aspectu intelligentiæ, velamen patitur, operimentum lippitudinis, obductionis pallium. Cum autem ablatum hoc velamen fuerit, tunc rutilat veritas, tunc scintillat, & succendit amorem, tunc alios ad congratulandum, qui hoc patitur, poterit invitare, dicens; *Nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Videte Judæam, quamdiu sub legis operimento latebat veritas, quamdiu cæcitatis ipsa tolerabat velamen: metu torpebat, affectu rigido nil poterat dulce sentire, nec vulnerari jaculo caritatis. Cum autem conversa ad Dominum velamen deposuit, cum ablatum hoc illi pallium erat, tunc cœpit gloriosæ hujus confessionis verbum usurpare: *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Tunc gloriata de novæ & insolitæ dulcedinis gustu, filias Jerusalem ad gratias agendum invitat, & suo gentis consortes exemplo sollicitat. Audi denique quid tali sollicitatione provocatæ respondeant: *Qualis est dilectus tuus? & quæremus eum tecum.* Vides quomodo participes fidei hujus & doctrinæ fieri gerant in votis. Doce qualis est dilectus tuus, & quæremus eum tecum. Fac nos tantæ consortes gratiæ, ut quærendi studio amoris incipiamus affectu languere. Sufficiat interpretatione mystica hæc perstrinxisse breviter.

Pallium Synagogæ ablatum quale.

6. Jam ad id redeamus, cujus ex occasione in hunc sumus locum delapsi, dum ablati pallii utilitatem exposuimus. Nam inde est sumpta occasio quod ait: *Tulerunt pallium meum.* Hæreamus adhuc paululum hoc in loco, explicemus hoc pallium. Non est enim simplex pallium, quo etiam sanctæ mentes involvuntur. Est enim diplois, id est, duplex pallium, fortasse & triplex, & quadruplex. Quot vobis palliorum genera proposuimus? Annon adhuc grave & onerosum satis est pallium animarum cura, & administrandæ necessitatis sollicitudo? Propria incommoda expressiùs loquar. Novi quid sit hoc pallio premi, quàm arentem sortitus sum terram, & ficulneam sterilem. Jam multi elapsi sunt anni, quod venio, immo adsto, quærens fructum in ea, & non invenio. Quoties spes nostras elusit, & fefellit operam, exspectationem nostram frustravit? Jure onerosum hoc pallium dico, & eo magis onerosum, quo minùs utile. Nam onera sollicitudinis leviora sunt, quæ proventuum levat ubertas. Væ mihi, quòd invenerunt me custodes civitatis, quod aliquid in me tali dignum onere se invenisse putaverunt. Percusserunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum, & plagis impositis abierunt semivivo me relicto. Tulerunt pallium meum, pallium simplicitatis, pallium lucis, amictum lætitiæ, ardentis vestimentum affectus. Quoties solebam hujusmodi palliis totus involvi, foveri in croceis? Nunc autem tota die mente amplector & verso, quæ Paulus arbitratur ut stercora. Hæc dulcia, hæc gloriosa mihi pallia tulerunt, onerosa induerunt. Quando hæc tollentur à me? Quando projiciam hæc, si tamen projicere licet? Felix dies, quo hoc exutus & expeditus pallio, liberiore vos ad congratulandum mihi invitabo affectu filiæ Jerusalem, cùm vos (quæ nihil estis expertæ hujusmodi quale nunc deploro) pro renovato in vobis amoris languore gratias referetis. Miser quidem est qui hujusmodi pallio spoliatus, mœrore & molestiâ tabescit, non languet amore. Quæ sponsa est, sic spoliata vel officio sollicitudinis, vel usu, non fastidio languet, sed amoris studio. Ideo ipsa alias ad congaudendum sibi & gratias agendum dilecto exorat.

Pallium onerosum, prælatio.

7. Ecclesia primitiva cùm quæreret Christum in Judæa, repulsam passa, non invento ei loco in eis, non invento ibi Jesu, transivit ad Gentes: quæsivit in eis, vocavit, & in multis non invenit, non accepit responsum,

nisi mortis responsum. Denique à principibus hujus mundi, quasi custodibus civitatis, quomodo vulnerati, spoliati bonis, laniati corpore, carnis suæ exuti pallio in initiis Martyres nostri? Inter tanta & tot flumina & gurgites tormentorum non est in eis extincta caritas, sed magis augmento quodam languebant amoris. Jucundum plane videtur, ex præsenti occasione verbi, Martyrum inter tot vexationum & mortis genera caritatem indefessam recolere: quomodo passiones corporis passione intrinseca temperabant amoris. Nam si ad illos hunc locum referas, non est querelæ, sed gloriæ vox ista, qua dicunt: *Percusserunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum.* Eo modo nos oportet non ægre ferre, si quando nos spoliant, vel molestæ sollicitudinis, vel non bonæ aut periculosæ actionis, quo stricte involvimur pallio, custodes murorum. Jecit Elias pallium dum raperetur: fugit Joseph dum teneretur: sponsa tulit dum tolleretur. Speculi & imaginis velamen projecit Elias raptus ad faciem. Mundi ornamenta velut magna onera fugit Joseph sentiens fomitem. Sollicitudine exuta, dilecti liberius captat sponsa favorem. Imaginatione quasi velamine tenetur intellectus, ne sinceram contempletur veritatem. Honorum & dignitatum affectus obvolvitur pallio, ne libere pergat in ea quæ Dei sunt. Sollicitudo omnem in anima lætitiam obnubilat, imaginatio obscurat, honor tentat. In primo tenebræ, in secundo illecebræ, in tertio labor. In primo caligo, in secundo cupiditas, in tertio cura. *Tulerunt pallium meum custodes murorum.* Boni custodes: bene norunt cui curarum impedimenta tollant, quam exonerent animam, & ad deliciandum cum dilecto suo reddant expeditam ad delectandum, & ad quærendum. Nam frequenter elabitur, nec quæri potest nisi expedito affectu. Norunt ergo boni custodes, cui parcant ab oneribus & actionum angustiis molestiisque, ut expeditius in occursum amplexumque properent verbi, cui pallium persuasionibus auferant suis. *Exui me*, inquit, *tunica mea.*

[margin: ...zelati non ...re ferant ...ui hoc ...lio.]

[margin: ...Reg. 2. c ...n 39. c]

8. Hoc quidem in anterioribus, nunc autem dicit: *Tulerunt pallium meum.* Nudæ & puræ se simplicitatis innotescit, & libero affectu in amoris negotiis. *Tulerunt pallium meum*, quodammodo dicentes: Quid compedita curis quæris dilectum? Quid istis te convolvis molestiis? Si non penitus deponis officium, cur non sollicitudines ad horam saltem seponis? Non detractamus studiis, sed instantiæ volumus detrahas. Noli nimietatem quæstus, necessitatis verbo prætexere. Quid bonum in te sinis ingenium terrenis obrui? Quid illos æmularis, qui in honoribus positi, jumentis comparantur, terrenis inhiant, terrena mandunt, studio ruminant, vorant affectu, ponuntur in sublimi, sed volutantur in limo? Noli æmulari in istis vehementibus; nec zelaveris hanc facientes iniquitatem. Annon iniquitas & inæqualitas multa, ad transitoria intensum impendere animum, ad æterna remissum? Quid quod non semper intendunt negotiis? Quid quod quidam sub obtentu providentiæ necessitatis, & ab opere manuum, & à meditatione ac studio scrutandæ veritatis excusant se; plus dant negotiationi quam quieti; plus scurrilitati verborum, quam scripturæ sacræ collationi; plus otio quam operi? Fratrum officinas circumeunt & cellas, otiose, curiose, verbose. Noli æmulari in sic negotiantibus, nec in sic otiantibus. Otia, vel oblata, vel parata, in usum amoris, in sapientiæ meditationem, in dilecti vel quærendi studium, vel inventi complexum tota converte. His & hujusmodi hortamentis tulerunt pallium meum custodes murorum. Custodes isti sunt de quibus ait Isaïas: *Super muros Jerusalem custodes constitui, tota die & tota nocte non tacebunt.* Sed nos jam hic taceamus; taceamus à sermone hoc, orationum & laudum debita solventes, ore aliquando tacituri, animo semper reddentes sollemnia laudum Domino Jesu, Regi & sponso cælesti per infinita sæcula sæculorum, Amen.

[margin: ...zelati curis negotiis temporalibus ...us æquo ...diti notan- ...r.]

[margin: ...sa. 62. 6]

## SERMO XLVI.

*Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, ut annuncietis ei, quia amore langueo, &c.* Cant. 5. c

1. ORdo conveniens. Post exhortationem doctorum, orationum à sodalibus suffragia videtur rogare; nec simpliciter rogare, sed cum obsecrationis obtestatione: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, ut annuncietis ei quia amore langueo.* Adjuratio vehementiam precandi manifestat. Anxia vota suis nesciunt esse contenta meritis: ideo alienæ precis mendicant suffragia. Perfecta humilitas de meritis semper alienis præsumit. *Adjuro vos*, inquit, *filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum.* Conditio ista non dubitantis est, sed temperamentum rogantis: acsi dicat, *si inveneritis*; hoc est cum inveneritis: conditionaliter suspendo, non ambigens de inventione vestra, sed magis consulens verecundiæ. Nam sub conditione ancipiti hæc vobis dici temperantius auditis, quam si dicatur præcise, cum inveneritis. Non veretur ne suspensivam rogationem ad injuriam trahant: novit verecundiam filiarum Jerusalem, novit humilem spiritum, & quod tenerum pudorem plus læderet præcisa diffinitio, quam suspensa conditio. *Si*, inquit, *inveneritis.* Dico, *si inveneritis*; non dico, cum inveneritis. Illud dico, sed istud intelligo. De meo affectu dubitatio ista non prodit, sed affectui vestro & humillimæ existimationi de vobisipsis morem gero. *Si inveneritis*, hoc est, cum inveneritis, mementote mei, cum bene vobis fuerit: tunc mementote mei, ut suggeratis, ut annuncietis dilecto. Non oportet in hujus loci disputatione morari: ad mores vestros, fratres, vos mitto.

2. Recolite qualiter ab invicem, quam humili affectu, quanta votorum instantia, & cum adjuratione, orationum mendicatis solatia: non quod omnes auderetis petere nunciari de vobis quod sitis amore languentes: alium soletis invicem languorem deplorare, non gloriari de isto. Et si potest quis ad horam gloriari, non expedit quidem, ne forte immissione inanis gloriæ gloria vestra nihil sit. Sunt tamen nonnulli, qui & conversationis indicio, & oris officio, divini in se languorem amoris occultare non possunt. Concepta vota non potest non aliquando amantis os parturire. Nam ad aliorum consolationem verbum latenter elicit spiritus interiora replens, infusæ gratiæ copiam eructat. Denique & in hoc loco sponsa non loquitur, sed Spiritus est qui loquitur in illa. In collationibus sanctis suspiria, singultus de imis prodeuntes præcordiis, crebri gemitus, nonne sunt quædam eructationes spiritus & conceptæ gratiæ? Talibus indiciis nonne se prodit languor amoris? Non est occultatus languor, quando gemitus non est absconditus. Ipse se prodit languor, cum hæc producit indicia. Quid ergo percepta signa? nonne quamdam admirationis vim habent, ut eos qui hæc deprehendunt, ad congratulationis permoveant affectum? Etiam si sermo sileat, conversationis piæ sanctitas rogat. Commendari vult, dum se quibusdam prodit indiciis. Quid enim? Cum in aliquo cælestem hunc deprehendero amorem, non me quasi adjuratum putem, ut propensas pro eo gratias agam? Num commendabo precibus piis conceptum languorem, quem gemitus altus prodit? Durus ego si non tam sanctam & divinam in fratribus passionem qua possum orationis instantia foveam, supplicatione commendem, replicem & annunciem dilecto, si copia detur. Quid tu, qui fratrum mavis vitia numerare quam virtutes, damna quam dona, condemnare quam commendare? Si te ad commendationem adjuratum non sentias, non es jam Jerusalem filia, sed filia Babylonis. Filia Babylonis misera, quis retribuet tibi retributionem istam? retribuetur enim tibi. Dedisce Babylonis filia esse, barbaros depone mores. Desine in sanctis numerare magis detrimenta, quam lucra. Sufficiat tibi vel numerandi malitia. Noli saltem foris nunciare, noli prædicare sodalibus tuis. Nam sodales sponsi aurem non accommodant si deroges sponsæ. Ipse sponsus ægre audit injurias dilectæ. Cuicumque dicis, illi dicis: Auris enim zeli audit omnia. Temerarium est dilectam condemnare

[margin: Indicia amoris vix reprimi possunt.]

[margin: Fratrum virtutes potius quam vitia numerandæ vel publicandæ.]

[margin: Sap. 1. c]

dilecto. Bona sibi mavult nunciari de sponsa, & commendationi promptius aurem præbet.

3. Novit hoc sponsa. Ideo dicit: *Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, ut annuncietis ei, quia amore langueo. Ut annuncietis*, inquit. Annunciatio precationis tenet effectum. Humanum recogitate morem in rogando. Nonne apud miseratorem alicujus commemorare miseriam, ipsum rogare est? Efficax precatio est modesta suggestio, oppressi infirma exponere, fortunæ infelicitatem, insolentiam hostium. Hæc, inquam, exponere in aure potentis, quid aliud est quam ipsum verecunda quadam prece ad auxiliandum inflectere? Quot in locis apud Psalmistam hunc precis modum invenies? In Evangelio inquit Maria ad Jesum: *Vinum non habent.* Non precatur Dominum, nec imperat filio, defectum vini tantum nunciasse contenta. Cum beneficis & ad liberalitatem propensis ita agendum est. Non est enim gratia violenter exprimenda, sed proponenda occasio. Commenda sponsam sponso, dotes ejus enumera. Nonne hoc est ejus inflammare concupiscentiam, stimulos adhibere? *Nunciate dilecto.* Hoc nunciare, ipsum provocare est ad rependendam vicem, ad refocillandum amore languentem. Ipse consolationes disponit in corde suo, sed nostris exspectat precibus compelli. Quod facit, faciet citius nobis pulsantibus, fortasse & uberius. Dilatio hæc cruciatum mihi parit, sed consolationis parturit cumulum. Multiplicatis precibus exspectata solatia uberius refundet. *Nunciate dilecto, quia amore langueo.* Vos nunciate, quibus patet ad dilectum familiaris accessus. Vos nunciate, quæ estis expertæ, quanta sit amatori virtus languoris, quam sit fortis ut mors dilectio, quam sit ut infernus æmulatio dura. *Adjuro vos ut annuncietis dilecto, quia amore langueo.* Narrate & annunciate, & exaudiet vocem vestram, ut refoveat vota mea. *Annunciate quia amore langueo.* Non languet amor, sed languet amans. Ubi viget amor, ibi viget languor, si absit quod amatur. Quis est hic languor, nisi affectio quædam de absente dilecto, amantem conficiens?

4. Amor vehemens patientis simul afficit & carnem, & mentem. Illius extinguit lasciviam: hujus & lætitiam præstringit. Carnis extinguit motus: mentis hilaritatem præstringit quodam tristi affectu, & desiderio absentis dilecti. Languet caro, dum ejus languidior & remissior motus efficitur: languet animus, dum æstuantis voti nimietate conficitur. Carnis languor est motus ejus, vel nullus, vel perexiguus: animæ languor est motus ejus nimius. Nonne eo ipso caro conficitur, quo mens abstracta ab ejus amore, in alia quædam avertitur? Carnis motus non sentitur, dum animus vehementior factus vix sustinetur. Aliquoties quidem nec sustineri potest, quando nimius exæstuans amor patientis animi vires exhaurit. Quæ est enim humanæ mentis fortitudo ut sustineat, cum eam ille cælestis amor sponsi impatienter exagitat? Liquefactus in hac exercitatione se fugit animus, amoris violentiam ferre non valens. Sic enim in consumpta materia & jam deficiente, languidiora redduntur ignis incendia. Et Deus noster ignis consumens est. Sentit omnino vim sermonis hujus, qui vehementiori languet affectu, in meditatione Dei sui delectatus, & exercitatus, & deficiens. O potens & præpotens passio caritatis! si non temperatur, non toleratur. Jure potens, quæ animum quem possederit, sui ipsius efficit impotem. Cum semel fuerit accensa in mente, attingit à fine usque ad finem fortiter: facit ad quod venit, & prosperatur, & crescit, nec deficit donec deficientem reddiderit animam. Sicut enim hic corporalis languor non est semper æqualis vehementiæ, sed est aliquoties ejus intensior passio; sic & amoris affectio, etsi jugi desiderio se tendit in dilectum, aliquando quidem intensioribus votis exæstuat, hora orationis maxime. Tunc quidem languet amans, quia spiritus vehemens pertransit in illo, & non subsistit. In exitu horæ illius dicere potest: *Filiæ Jerusalem, nunciate dilecto quia amore liquesco.* Ante hanc horam languor est, sed in exitu ejus in liquefactionem vertitur languor. Ideo cum tu oras, non sinas animum fluctuare, non declinare ad alia: ut cum felici fuerit hac passione tactus, ad illam se stringat, donec plenius inficiatur, & percurratur, & consumatur. Non enim desinet, quousque totum percurrat & ebibat hominis spiritum. Sic vir desideriorum elanguit Daniel ex visione cælesti, ut nihil virium remaneret in ipso. Cum pertransierit illa vehemens passio, ad tolerabiliorem quemdam & humanum magis languorem sponsa redit, qui ei continuus est, quia tam concitatus non est. Hic plane etsi non deficit, tabescit tamen absentis amore dilecti. Bonus hic languor, per quem carnalis affectus se languide movet. Aliud est si impetus carnis fortiter surgens, fortiore superveniente reprimitur: aliud si languens & quasi exspirans moribundo pulsu molliter tentat.

5. Sentio adhuc alios quosdam languores molestos, omnes utiles tamen: languorem timoris, languorem tædii, languorem tristitiæ. Quidni consumar timore & mœrore præ conscientia nequiter transactæ vitæ; timore pro facilitate lapsus vitæ inter laqueos agendæ, vitæ tædio, in imagine pertranseuntis vitæ? *Universa* enim *vanitas omnis homo vivens.* Utinam tibi Domine aliquæ filiæ Jerusalem nuntient languores meos, si qui sunt in me, qui commendari tibi digni sint. Nam multi sunt in me indigentes curari. O me felicem, si aliquis Centurio cælestis dicat tibi: *Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, & male torquetur.* Utinam Domine statim respondeas: *Ego veniam, & curabo eum.* Dic Domine verbo, & sanabor. Verbo enim ades, quia Verbum es. Magna curationis virtus in Verbo, & quod tu es Domine, & quod à te per tuos est. Sensit hoc Centurio qui dixit: *Domine dic tantum verbo, & sanabitur puer meus.* Sed vacuus est tamen omnis sermo docentis, si tu Domine intus non loquaris. Dic verbo, & sanabitur languor meus, forte & generabitur in me languor te loquente, ut & ego dicere audeam: *Filiæ Jerusalem, nunciate dilecto quia amore langueo.* Bonus uterque languor, sive vehemens & concitatus, sive hic continuus & temperatus: nisi quod in eo iste continuus non est, quod frequenter revertitur ad ipsum, propter incontinentiam ardentis desiderii excrescens, & non se compescens. Non convertitur donec deficiat iterum. Si ad horam diligis, & post horam desistis, non est amor: si diligis, & ex amore absentis dilecti non tabescis, non est languor. Ut ergo amor languor sit, habeat utrumque, & continuationem, & confectionem. *Nunciate*, inquit, *dilecto quia amore langueo.* Qui in infirmitatibus sunt, languores nuntiari volunt medico; quæ dilectionis sunt, amico: illi quidem ut curentur, isti autem ut recreentur. Æmulamini, fratres, meliorem hunc languorem, quem sicut absentantis se dilecti desiderium creat, sic se præsentantis delectatio recreat Domini Jesu, sponsi Ecclesiæ & animæ sanctæ, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Insinuatio necessitatis efficax apud amicum oratio.

Iohan. 2. a

Languor quid.

Languorem mentis & carnis producit amor vehemens.

Deut. 4. d

Amor in oratione magis exæstuat.

Dan. 10. g

Languores varii.

Psal. 38. b

Mat. 8. b

Ibid.

Languoris amoris quis sit.

## SERMO XLVII.

*Qualis est dilectus tuus ex dilecto, &c.* Cant. 5. c

1. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus, quoniam sic adjurasti nos?* Magno profusæ videntur affectu interrogationes istæ tam vehementes. Arbitror in filiabus Jerusalem ex confabulatione sponsæ languentis similem languorem aut creatum ut sit, aut excitatum ut auctior sit. Et in sequentibus dicunt: *Quo abiit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.* Quasi dicant: Quæremus tecum, sed & nobis quæremus, illo tecum frui volentes. Denique non dicunt, Quæremus tibi, sed, *quæremus tecum*, participium inventionis beatæ optantes & sibi. Magna utrimque humilitas, & in sponsa, & in filiabus Jerusalem. Illa se rogat commendari sponso: istæ se instrui rogant de sponso, nec simpliciter: sed illa cum adjuratione, hæ cum ingeminatione. Non est enim leviter rogantis, vel quod illa adjurat, vel quod istæ ingeminant. *Qualis est*, inquiunt, *dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quoniam sic adjurasti nos?* Utiliter adjuratæ sunt, quæ sic animatæ sunt. Non est exigua sanctæ collationis utilitas. Verbum est, & quo caritatis languor generatur, & quo infirmitatis curatur. Novit Centurio vim medendi efficacem in verbo, ideo dicit: *Dic tantum verbo.*

Cant. 6. a

Mat. 8 c

2. Bonum

2. Bonum est si dicantur verba, sed nihilominus bonum est si scribantur verba. Volat enim irrevocabile verbum, nisi scripto ligetur. Scriptura verbum & stabile facit, & visibile; mandatum paginæ reposcetur cum voles. Bonus depositarius est liber, integre quod acceperit resignans: cum voles sumes, ubi voles leges, quamdiu voles moraberis. Scriptura memoriæ reparatrix est, quia verbi repræsentatrix est. Tuto verbi medicamenta illic condis: servantur enim illæsa. Si verbum medendi vim habet cum dicitur, cur non habet cum legitur? Si bona curatio cum dicis, cur non bona cum legis? Non curetur hoc modo languor meus. Hoc est dicere, qui primo audit, verbi utilitatem capiat, ad posteros & longe positos non pertingat: ubi primo sonat, ibi suffocetur: exhauriatur omnis ejus commoditas auditu primo, æterno prematur silentio. Non iterum cadat in terram bonam ut fructum faciat. Hoc medicamentum qui primus acceperit, convalescat æger; virtutem ejus post illum persentiat nullus. In piscina illa post aquæ motum sanabatur unus, sed in uno illo signata est caritas, non singularitas. Post primum curatum non est dictum de piscina illa: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea; aquæ salutaris nec vestigium maneat. Bonus aquæ motus, disputatio & exagitatio sacræ paginæ. Bene enim movetur, cum prudenti ventilatione ad spiritualem promovetur intellectum: bene enim movetur, cum ejus discussione auditor promovetur. Sicut medicamentum, sic & cibus est verbum. Et quomodo dicitis, cibus quem vos operamini pereat, non permaneat? Sed tamen non est passim omnibus hæc permittenda licentia; nec aquæ motus sanabat, nisi cum Angelus descendens tempore suo movisset eam. Ille utique Angelus, cujus labia custodiunt scientiam, ex cujus ore est exquirenda legis scientia. Ergo (quod quidem fatendum est) magna texendi verbi salutaris utilitas: sed cum alicui hoc opus permittitur, vel magis cum exigitur ab eo. Ideo non videtur nostrorum redarguenda cautela majorum (quæ superabundans non nocet) quæ generaliter imponit silentium: ne aliquibus utiliter indulta licentia, aliis præsumptionis temerariæ scandalum fiat; simul ne quis dum in onere sibi non imposito occupatur, otietur ab imposito.

3. Et ut revertamur ad propositum; multum excitatæ & animatæ sunt ex collocutione & adjuratione sponsæ filiæ Jerusalem. Quomodo non animentur ad rogandum de pulcritudine ipsius, pro cujus amore sponsam languentem, & fere exanimatam vident? Deprehensus in sponsa languor amoris, in hanc illas quærendi curiositatem protraxit. Videntes enim in sponsa amorem esse vehementem, causas & irritamenta tanti affectus arbitrantur in sponso. Affectuose quærunt qualis sit in sponso pulcritudo, de quo non possunt non præsumere quin admirabiliter pulcher sit, & sponsæ pulcritudinem in argumentum assumunt pulcherrimi sponsi. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* Pulcherrima mulierum Ecclesia est, quæ singularum animarum pulcritudo est. Pulcherrima est, in qua omnis pulcritudo est, & deformitas non inest. Denique & qua ex parte de Ecclesia sunt, deformes non sunt. Si quibus videtur inesse deformitas, etsi aliquibus de membris ejus ad horam respergitur deformis macula, non tamen imputatur dum non immoratur. Fortasse plus accipit pulcritudinis post maculam detersa, quàm deformitatis contraxit subito respersa. Bene itaque *pulcherrima*, & omnem pulcritudinem habens, & omni fœditate carens. Sed & multæ fideles & spirituales animæ in eo pulcherrimæ sunt, quod aut per sanctam conversationem maculam non admittunt: aut per sollicitam & sinceram confessionem subinde diluunt. Pulcherrima est quodammodo, non omnes alias excellens, sed non excedens. Quasi excessus non est, ubi citus regressus est. Pulcherrima ergo est, decorem & confessionem induens, amicta lumine sicut vestimento. Pulcherrima est, quæ vel ipsum lumen est, vel amicta lumine: per confessionem amicta lumine, per conversationem exsistendo lumen ipsum.

4. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus?* Non vacat multo affectu hæc ingeminatio, nec mysterio vacat. Quod si ita dixisset, Qualis est dilectus tuus ex dilecta; sicut dicit, *Qualis est dilectus tuus ex dilecto:* nemo ambigeret; quin alterum referendum esset ad eam generationem, quæ est ex Patre, alterum ad eam, quæ est ex Matre. In utraque enim mirabilis est & concupiscibilis nimis, sed ex conjunctione mirabilior multo. Naturarum duarum alterutram, aut cùm Patre habet, aut cum Matre communem. Conjunctio ista propria est ipsi. Personalis ejus proprietas communiter consideratur in istis, quia integraliter conficitur ex istis. Constat enim ex duabus naturis; sed nihilominus constat in duabus illis: ex conjunctis constat, & in singulis constat. Ex conjunctis, & non in singulis, constat proprietatis ejus integritas, per quam simul distat & à Patre, & à Matre. Non enim in alterutro, sed in copulatis distat ab utroque, & à quolibet qui non est ipse. In singulis, & non in copulatis, consistit naturalis ejus essentialitas secundùm quid: & simpliciter & per se Deus est, sicut & Pater; & simpliciter, & per se homo, sicut & Mater. Non est ex parte & secundùm quid Deus, nec est ex parte & secundùm quid homo: ideo totus dictus est Deus, & totus dictus est homo: non totum quod ipsius est, sed quod ipse totus: nec quasi in omni parte sit Deus, & in omni parte homo; sed quia non est pro parte Deus, & pro parte homo. Quod ergo dicitur totus Deus, & totus homo; magis partes excludit quam colligit, essentialem simplicitatem in utraque natura inducens: non quòd utraque essentia simplex sit, sed quòd ipse simpliciter est utraque. Propter quod & habitu inventus dictus est ut homo: quia cùm non sit connaturalis divinitati humanitas, per susceptionem tamen in persona Jesu quasi habitu quodam est vestiens & cooperiens eam. Non est divinæ naturæ humana natura connaturalis: sed tantum personæ ipsius Jesu, quæ humanæ naturæ propria sunt, naturaliter insunt. Sic est in natura hominis, quod naturaliter est homo, verus homo, & verè homo: verus homo propter veritatem animæ & humanæ carnis: vere homo, quia vere constans ex anima humana & carne; ex veris constans, & vere constans, non tantum veras habens, & vere habens partes humanitatis, sed vere etiam exsistens ex ipsis. Naturales habens, & naturaliter habens, sicut naturaliter Deus, sic & naturaliter, & non tantum habitu homo. Jure ergo sicut in veritate divinæ dicitur exstare naturæ Jesus, sed* in veritate humanæ naturæ creditur, utrasque naturas habens, & naturaliter.

5. Ideo filiæ Jerusalem distinctè quærunt, qualis sit secundùm utramque generationem, de ipsius optantes natura doceri. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto? qualis est dilectus tuus?* In nativitate divina est dilectus ex dilecto, in nativitate humana factus est dilectus ex dilecta: nisi quod non tam est ipse dilectus ex Matre, quàm ipsa est effecta dilecta per ipsum. Totum habet quod habet dilectus ex dilecto, sed non totum à dilecta; magis autem totum habet, quod habet ipsa, ab ipso. Ideo cum primum rogant filiæ Jerusalem, *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* non similiter adjungunt, Qualis est dilectus tuus ex dilecta? sed simpliciter, *Qualis est dilectus tuus?* quod ibi supra capacitatis suæ vires vota porrigunt, corrigunt incontinenti ad humaniorem quæstionem, & magis modestam se convertentes. Possumus autem utroque sensu hoc intelligere, ut aut interrogatio propter geminam in Jesu naturam accipiatur congeminata, aut illa prior quasi incapabilis hac sequenti sit revocata, ac si dicant: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* Hujus te fidei veritas, quam tenes de generatione dilecti de dilecto, inter omnes omnium professores sectarum te pulcherrimam facit. Ista fides te mundat, ista venustat, qua dilectum tuum dilecto, ex quo est, æqualem defendis. Talis est qualis ipse à quo est. Mira æqualitas, & mira qualitas. Æqualitas illa identitatem valet, qualitas substantialitatem. Si essent duæ naturæ, utraque summa, una in Patre, in Filio alia: esset quidem æqualitas, non esset identitas: sed æqualem sibi aliam divina natura non admittit. Una numero in utroque est qualitas, & substantialis qualitas, immo substantia qualitas. Ideo Filium, qualis est Pater, talem esse, est idipsum quod Pater est esse.

Marginal notes: [Præsu]mptionis [temerari]æ utilitas. — [Joa]nn 5. a — [No]n tamen [fac]ile cuivis [tu]rpanda. — [E]cclesia quo[m]odo pulcherrima, [qu]i membra [qu]ædam habeat defor[mi]a. — Duas Christi naturas erudite & eleganter expendit. — Phil. 2. d — * sic. — In Patre & Filio mira æqualitas, & mira identitas.

Qualis Pater est, talis & Filius: & ipsa qualitas est utterque, consubstantialis est illi, & eadem est cum illo substantia. Substantia non tantùm subsistere conferens, sed & ipsa subsistens, vivens, potens, intelligens.

6. Talem prædicas dilectum tuum ex dilecto, talem diffinis. Si fieri potest, hujus fidei nobis rationem edisſere, & sufficit nobis. Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Quomodo sciemus qualis est dilectus tuus ex dilecto, si non edoces, qualis est dilectus, ex quo est? Sed non est hoc, aut hujus temporis, aut hujus capacitatis nostræ: sed sufficit credere, quia talis est qualis est Pater. Quamvis non sufficimus comprehendere quæ illa qualitas est, doce qualis secundùm humanitatem est, secundùm quam dilectus est ex dilecta. Doce & dic qualis est dilectus tuus. Delectat nos de ipso jam audita readire. Replica nobis quæ de dilecto tuo, vel credi debent, vel capi valent. Utraque audita nos vehementer delectant: & quæ incapabilia nobis sunt, nos tamen capiunt illa: eo ipso admirationis & amoris æstu captæ sumus, quæ te sic captam, sic arreptam, sic æstuantem videmus. O qualis est, ô quàm amabilis est dilectus tuus! cujus in te semper amor capit augmenta, qui tibi fit semper de dilecto dilectus, immo de dilectissimo semper dilectior: cujus te facit amor pulcram, experientia avidam, aviditas anxiam. Anxii est enim & affectus votivi quòd sic adjuras nos: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quoniam sic adjurasti nos?* Quàm pulcher est, qui in te fœdum nihil esse sustinet, ideoque te pulcherrimam effecit mulierum. Quàm amabilis & gratiosus, sine quo nec ad horam esse sustines, propter quem sic adjuras nos.

7. Rogo, vos, filiæ Jerusalem, filiæ hujus terrestris Jerusalem, cur non has ad Ecclesiam interrogationes ingeminatis? Cur hanc utramque nativitatem in Christo, quem detractatis credere, dissimulatis addiscere? Cur vos non sentitis adjuratas ab Ecclesia, prolatis contra vos scripturæ vestræ cum fide testimoniis, collatis in fide spirituum gratiis, perlatis pro fide passionum martyriis? Cur non vos quasi adjuratas sentitis ab Ecclesia aptioribus, quas frequentat, ceremoniis; acutioribus, quas tractat, sententiis; altioribus, quæ exspectat, præmiis; arctioribus, quibus se se instituit, votis? Disciplina restrictior, doctrina instructior, expeditior ritus, eminentior virtus tibi poterant zelum generare, provocare affectum, & ad movendam æmulationem adjurationis habere vim. Sed veniet tempus (nondum est enim) cùm conversis vobis ad Dominum, auferetur ignorantiæ & dissimulationis velamen. Tunc quasi sensibiles effectæ, accepto Domini spiritu, adjurationum istarum sentietis virtutem: tunc in sanctam expergefactæ curiositatem, avide has interrogationes frequentabitis, dicendo: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus, quoniam sic adjurasti nos?* Judæorum, fratres mei, nondum tempus advenit, nostrum autem semper paratum est. Ideo omissis frivolis & fraudulentis sermonibus, hujusmodi admirationum, vel interrogationum commercia celebremus in conventibus nostris.

*Sacra collatio de divinis commendatur.*

8. Utinam vos tales fitis filiæ, quæ talia dogmata desideretis audire; utinam & ego talis sim sponsa, à qua valeatis parate talia petere! O beata vere mater quæ sibi dici audire meretur: O pulcherrima mulierum! Beata plane, si pulcritudinem tantam integram servet. *Candidiores*, inquit, *Nazaræi ejus nive: nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulcriores. Denigrata est super carbones facies eorum.* Magna certè collaudatio, sed misera commutatio. Candor nivis, lactis nitor, rubor eboris, puritas & pulcritudo sapphiri, carbonis obducuntur nigredine. *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Non sunt utique pro Nazaræis cogniti jam in plateis. Silebo de aliis. Ordinis nostri cernite viros, quàm admirabile erat nomen eorum in universa terra. In initiis, quando vix erant visi in plateis, statim cogniti pro sanctitatis signo erant in eis. Nunc autem nullo religionis discrimine, nullo privilegio conversationis, aut nullo, aut prætenui distincti & signati sunt à ceteris. Ideo non sunt cogniti quasi Nazaræi in plateis. Frequentia platearum decolorat Nazaræos, & peregrinam speciem inducit. Mutatus est color optimus: dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum: ideo non sunt agniti in plateis. Non agnoscitur in eis nativus candor, non nitor, non rubor, non pulcritudo. Quidquid enim ista significent, pulcritudinem magnam depingunt: *Ideo non sunt cogniti in plateis.* Hi Nazaræorum colores sunt, hi sponsæ etiam & sponsi sunt. Nam & sponsa hoc in loco loquitur & dicit: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Talis est Nazaræus noster, cui assimilatur Nazaræorum color, assimilatur & sponsæ color. Illa enim Nazaræa est, Domino se Jesu Nazaræo devovens & desponsans: quam cum talem invenerimus, collaudemus pulcritudinem ejus, consulamus peritiam. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus, quoniam sic adjurasti nos?* Sed jam ipsa dilecti sui laudes retexat Domini Jesu, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

*Thren. 4. b*

*Ibidem.*

*Ordinem suum à primæva sanctitate tepescere queritur.*

*Thren. 4.*

## SERMO XLVIII.

*Dilectus meus candidus & rubicundus, &c.* Cant. 5. c

1. D*ilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Studium quærendi dilectum intermittit ad tempus, sed ad tempus modicum, ut filias instruat. Delectabilia necessariis interrumpit; nec tamen sine delectione est quod sponsi memoriter recenset præconia. Dulces enim faucibus sponsæ laudes sunt sponsi. Pia mater & sponsa prudens filias informat, commendat dilectum. Jure prudens, tam parata & tam profusa habens quæ eloquatur de sponso. Diligenter illi singula ipsius & notata sunt, & recogitata sunt, quæ tam in promptu sunt. Trahunt singula affectum ejus, quæ memoriæ tàm tenaciter hærent. Color, caput, comæ, oculi, genæ, labia, manus, venter, crura, pes, guttur, omnia hæc figuratè describuntur in laude sponsi. Et quasi in clausula & brevi capitulo totum concludens: *Totus*, inquit, *desiderabilis*, utque in his amoris sui parata alimenta edoceat: *Talis est*, ait, *dilectus meus, & ipse est amicus meus.* Videte in his omnibus doctrinam sponsæ, videte devotionem, videte diligentiam, vel quærendo dilectum, vel instruendo filias, vel recolendo laudes ipsius. Obnixè adjurat, parate respondet, figurat ornate, distincte partitur, succincte pertransit, summatim stringit, & nescio an sufficienter exprimit. Scio quidem quod affectuòse concludit: *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus.* Laudum istarum magnus ambitus, & magnus plane amor laudantis.

2. Jam singulos laudis hujus articulos revolvamus. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Singularis mixtura est colorum, qui in sola persona Domini Jesu operatione divina convenerunt in unum, nec sic ut sint unus, sed ut sint in uno. O gratiosus sponsus & amabilis valde, in quo generatio divina candet, & rubet humana. Ipse est enim candor lucis æternæ: ipse etsi non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; de sanguine tamen Matris natus est, & nihil in eo ruboris illius de quo ait Isaïas: *Si fuerint peccata vestra rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Non sibi conveniunt, non se patiuntur lanæ albedo, & rubor vermiculi. Alius est quidam rubor, qui invenitur simul cum candore in vestimento Jesu. *Quare*, inquit Isaïas, *rubrum est vestimentum tuum?* Vestimentum Domini Jesu natura virgineæ generationis, candens munditiâ & innocentiâ sanctitatis, multo decentiùs colore passionis voluntariæ in credentium rubet affectibus. Qualis rubor, qui dealbandi non caret affectu? *Laverunt*, inquit, *stolas suas, & candidas fecerunt in sanguine agni.*

*Christus quomodo candidus & rubicundus.*

*Sap. 7.*

*Isa. 1. c.*

*Isa. 63.*

*Ap c. 7.*

3. Rubor hic in Jesu meo candorem invenit, non fecit: in nobis facit, non invenit. Rubor hic cruentæ nativitatis & propriæ iniquitatis superinductus colore, ruborem ejus in candorem convertit, fide corda mundans. Justificati enim sumus per fidem in sanguine Jesu. Bene tibi rubet pro te cruor effusus, si in animo tuo vicissitudinis accendit affectum. Bene tibi rubet, si tibi rutilat in effuso sanguine pro te nimia caritas Dei. Sic enim dilexit spon-

sam suam Jesus, ut lavaret eam in sanguine suo. Flammea est caritas, hæc mihi Dominum Jesum rubicundum facit. In eo mihi & veritas candet, & rubet caritas. *Dilectus*, inquit, *meus candidus & rubicundus*. Quidni candidus? Deus enim lux est, & in eo tenebræ non sunt ullæ. Quidni rubicundus? Deus enim ignis est, & ipse ignem venit mittere in terram. Si tibi ministrat intelligentiæ lucem, candidus est tibi: sed si non animum accendit ad amorem, non eum sentis rubicundum. In seipso utrumque est; sed tibi non est, nisi cùm eorum in te sentis effectum. Si sponsa es, æmulare mixturam gemini coloris hujus à sponso tuo, ut similiter candida & rubicunda sis, id est sincera & succensa. Nam ipse sicut serenandi, ita & succendendi vim habet. Qui approximat illi, approximat igni.

*Finis Sermonum* Gilleberti *Abbatis in Cantica, quos morte similiter præventus absolvere non potuit.*

# EJUSDEM GILLEBERTI
## TRACTATUS ASCETICI, ET QUÆDAM EPISTOLÆ.

### TRACTATUS I.

#### Ad quemdam R. * Religiosum.

*De contemplatione rerum cælestium ad amicum scriptus.*

[* ...logerum, ...quem ... V I.]

1. SAtisne protractum tibi videor sermonem texuisse, & quod in superioribus decurtatum fuerat, supplesse in isto? Nimius fortasse & in hac parte fuerim, & oneri tibi nunc fit nostra prolixitas, qui priùs de brevitate causabaris. Breves enim à me tibi dari non epistolas, sed clausulas verborum questus es, mi R. & dum adhuc ordirentur, succisas: illud adjiciens perjucundum tibi fore, si amici raritatem colloquii pagina compensaret prolixior. Me autem occupationes causante tuas, fastidioque parcendum esse lectoris, tu de reliquo jubebas esse securum. Itaque ut pro me fatear, nihil mihi jocundius hoc commercio, nihil suavius: dummodo ipsum sermonis habeamus materiam, quem amoris causam. Si ipse sonet in ore, serenet in corde; intus parturiat, quod depromat foras. Denique & legis: *Si quis loquitur quasi sermones Dei*, quasi à Deo datos, & quasi ad ipsum relatos. Ab ipso enim est gratia, penes ipsum causa, in ipso materia copiosa planè. Quis illam explicet? Quis, ut interim de essentia sileam, ejus loquatur beneficia, ejus & judicia? Nullus hîc sermo nimius: nullus satis multus. *Exaltate*, inquit Scriptura, *Dominum quantum potestis; major est enim.* Dives sane materia, dulce negotium. Quid enim dulcius? Quid hac occupatione gratius, quæ sola fruitionis angelicæ & futuræ conversationis superinduit & vestit imaginem? *Bonum est*, inquit Psalmus, *confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. Quia delectasti me in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Si sic delectat, sic lætificat magnificentia tua Domine, essentia quid faciet? Si complaces in operibus tuis, in te ipso qualis nobis eris?

[...lis viros ...igiosos ...o de-]

[...et. 4. c]

[... 43. d]

[...l. 91. a]

2. Felices qui id prælibare possunt; vacare & videre quàm suavis est Dominus! Heu me quòd non in hoc ipsum libere labuntur tempora: quòd distracto mordacibus curis animo, corrosus quodammodo & dimidiatus, ad tam pium accedo spectaculum: quòd de ejus jugitate cum Propheta gloriari non licet: *Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem: & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus.* Non illi in vacuum diffluebant tempora, immo non ipse vagabatur & volitabat cum tempore, qui tempora religata tenebat in sui custodia, vel in Domini specula illa expendens. Salubris quidem illa, sed ista suavior. Denique adverte illam nocti comparatam, istam diei. Quid enim ait Apostolus? *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Optimum planè immaculatum se custodire, nec conformari huic sæculo: sed longe præstantius futuro reformari, & transformari à claritate in claritatem. Huic speculationi instare, super speculam Domini stare est, & stare per diem. *Stans*, inquit, *jugiter per diem.* Quid ergo? Non sunt infirmata genua tua, benedicte Propheta, à jugitate? non sunt infirmata à jejunio? Et quidem non jejunium, sed suavis est magis epulatio hujusmodi speculatio. Denique qui habitat in excelso, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt.

[...is piis gra- ... non est ...tinue va- ...e divinis.]

[... 21. b]

[...Cor. 3. d]

3. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, ut volare possim in tam fidam & fœcundam stationem, ubi requies A est, & refectio? Rarus mihi illò accessus, si tamen ullus. Rarus, sed forte & interruptus statim, & sicut umbra cùm declinat, ablatus: donec iterum locustarum more subitum excutiar in saltum. Bonus quidem saltus, de quo legis in Psalmo: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est.* Denique & pro Idithun, id est, *pro transiliente*, hic Psalmus inscribitur. Transilierat cuncta quæ transeunt, ad ea quæ sunt & manent, mente transmigrans. Numerus ille sine numero, finis sine fine; finis miseriam exterminans, felicitatem non terminans. *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti*; Finis idem ipse fidei ad lætitiam omni cernenti. Siquidem ipse *Sapientia attingens à fine usque ad finem* B *fortiter, & disponens omnia suaviter.* A fine ad finem; à fide ad spem, attingens quasi via: disponens, quasi vita. *Ego sum*, inquit, *via, & veritas, & vita.* Via deducens, veritas docens, vita dulcescens. *Hæc* enim *est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum.* Cognitio hæc plena dulcedinis. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque ad finem.* In hoc fine disponemur suaviter, quando ipse fuerit omnia in omnibus; deletisque omnibus veteris hominis reliquiis, absorpta erit à vita mortalitas, à virtute infirmitas, à veritate cæcitas; & carnalis concupiscentia ab abundantiâ spiritali.

Psal. 38. a

Transilienda temporalia ut videantur æterna.

Rom. 10. d

Sap. 8. a

Iohan. 14. a

Iohan 17. a

Psal. 15. c

4. Quæ quoniam sibi dum hic vivitur adversantur, pugnandum est fortiter, ut pausemus feliciter, & pugna vertatur in pacem, sicut scriptum est; *In pace in Idipsum* C *dormiam & requiescam.* O vera pax & plena pax, tanto magis vera, quanto minus varia: tanto plenior, quanto perennior! *Idipsum* diversitatem excludit, pax adversitatem. *Non laborabunt frustra, nec generabunt in conturbatione.* Quasi dicat: Non laborabunt sine fructu; nec laborabunt ad fructum. Nullus hic sine labore fructus, sine fructu labor frequens. *Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos.* Modo parturimus & gemimus, tunc de partu gavisuri. *Non meminit pressura mulier cum puerum peperit*: peperit enim masculum, in quo imago est & gloria Dei. Sed quando fiet istud, quando adim- D plebitur quod legitur? *Scimus cum apparuerit quod similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Ad hanc visionem omnis creatura ingemiscit, suspirat, & parturit usque adhuc. Ipsa est verè sapientia, divinam nos suaviter disponens ad imaginem. In multis nunc vexati, tunc in cunctis bene disponemur: non per vices temporum, non per gradus profectuum: non de virtute in virtutem, nec de claritate in claritatem; sed simul & semel in omni virtute, & omni veritate. An non hoc ipsum Isaïas dicit? *Antequam parturiret, peperit; antequam parturiret, pe*- E *perit masculum?* Quæ est ista, quæ tanta cum festinatione, sine omni fatigatione peperit? Utique ipsa, de qua loquimur, Sapientia, quæ dicit: *Ego mater pulcræ dilectionis & agnitionis.* In hac parturitione nos ad plenum pariet, quando sine difficultate in æternitate, veritatem contemplabimur; caritati contemperabimur. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, ait Paulus. Ergo nunc parturit Apostolus, tunc ipse Dominus pariet. *Si ego qui ceteros parere facio, ipse non pariam: qui generationem præsto ceteris, sterilis ero? dicit Dominus?* Immo erimus omnes docibiles Dei, conformes ei.

Hic pugnandum ut perveniamus ad pacem.

Psal. 4. d

Isa. 65. d

Gen. 4. b

Iohan. 16. e

1. Iohan. 3. a

Rom 8. d

Sap. 3. a

Isa. 66. c

Eccl. 24. c

Isa. 66 c

5. Denique in hac conformitate de ejus visione nata, in

prolem renovamur masculinam : siquidem vir imago est A 1. Cor. 11. b & gloria Dei. Unde non debet vir velare faciem suam, id corporis prætendens habitu, quod tunc erit in spiritu : quando mentis revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem transformabimur imaginem, absque proficiendi articulo, & deficiendi periculo. Hoc enim est quod Isa. 66. c admirando dicitur : *Quis audivit umquam tale? aut quis vidit huic simile? Si nata est gens semel, & si parturivit terra una die ; quoniam peperit Sion filios.* Verè enim Sion, quæ *specula* dicitur, in die parit, & in die una illa, quæ in atriis Domini melior est super millia. De qua & Propheta alias: Isa. 60. d *Et erit dies una quæ nostra est Domino : non dies & nox. Et in tempore vesperæ lux erit. Quoniam quidem non occidet ultra sol tuus, neque luna minuetur : sed erit tibi Dominus in* B *lucem sempiternam.* Hæc est Dies quæ nota est Domino : Matth. 11. d hæc est enim dies, Dominus. *Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit revelare.* Ipsius revelatio etiam nos dies Psal. 138. c efficiet : similes ei erimus cum apparuerit. *Dies*, inquit, *formabuntur, & nemo in eis*, eorum utique quibus dicitur: Matth. 5. b *Vos estis lux mundi. Habetis nunc propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ, donec illucescat* 2. Pet. 1. d *dies.* Jam quidem lucerna reconditur, cùm Lucifer oritur. Evacuabitur enim sermo propheticus, evacuabitur apos- 1. Cor. 13. c tolicus & sermo & sensus. *Ex parte*, inquit, *cognoscimus. Evacuabitur autem quod ex parte est, cum venerit quod perfectum est.* Propterea ait Philippus ; *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Tu, inquit, & Patrem. Non alius C quàm tu; non aliud quàm ipsum ; *& sufficit nobis.*

Rom. 1. b Ad visionem beatam aspiratio. 6. *Invisibilia* quidem tua *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus & divinitas* : sed aliud est videre te, nullo mediante ; aliud alieno beneficio. Quid enim mihi lucernam accendis? ut solem conspiciam? Bona lucerna, sed infirmo oculo ; bona sunt ubera, sed parvulis in Christo ; bonum est speculum, sed melius est osculum. Ideo osculare me tu osculo oris tui ; oris, inquam, tui, non operis tui. Intus os, foris est opus. Cant. 8. a *Quis mihi det*, inquit, *te fratrem meum sugentem ubera meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te?* Quem inventum foris deosculari exoptat, vocat & sugentem ubera, de incarnationis exinanitione aliquid significans. Alio D autem modo, etsi in unione personæ, per operis tamen indicia Sapientia artifex foris relucet ; foris delectatur, etsi suaviter, non sufficienter. Fac quod sufficiat, ostende te ipsum, ego te foris studiose requiro, tardè invenio, cum difficultate retineo, & quodammodo fugitantem & elabentem votivè deosculor. Bona hæc oscula, sed sicut in imagine, sicut in umbrâ : bona hæc oscula, & ad tempus reficiunt, sed non sufficiunt : fac quod sufficiat. Deosculare me tu osculo oris tui, osculo Verbi, non carnis ; veritatis, non imaginis ; osculo voluntariè indulto, non violenter extorto ; osculo manifestationis tuæ, & conformationis meæ, ut tibi compositus, tibi copulatus, in uno 1. Cor. 6. d sim spiritu : *Qui enim adhæret Domino, unus est spiritus.* E Individuus iste amoris & unionis complexus, jure *osculi* censetur nomine. Et ideo tibi osculandi delego officium, auctoritatem attribuo, ubi totum est operis tui, non laboris mei ; indulgentiæ tuæ, non diligentiæ meæ ; manifestationis tuæ, non meæ investigationis.

7. Propterea dico, manifesta mihi teipsum, per te ip- Psal. 16. d sum, sicuti es, & sufficit mihi. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua* : cùm me infuderis vino illo, vino novo, quod ipse potas, ipse propinas in regno tuo. Merum illud volo, non mixtum ; purum, & sine lacte, quia lac parvulorum est. Evacuabuntur quæ sunt parvuli. Meliora sunt quidem ubera vino, sed non isto ; magis autem optimum Ebrietatis divinæ & beatæ desiderium. istud super ubera. Denique non hæc inebriant, sed illud ; F & mentis statum in novos quosdam inusitatosque transfundit sensus. Ubera dum suguntur, siccantur ; illud quod inebriat, exuberat jugiter. Nolo ejus fervorem, lactis frigore temperari : purum exspecto & perenniter manans. Sic etenim legimus: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Inusitata hæc planè ebrietas, quæ lumine fit, non liquore ; sinceritate, non sicerâ. Ideo emitte lucem tuam, & veritatem tuam ; plenitudinem, non pignus quod præsentiam tuam tardet, gratiam temperet, lumen obumbret : quod in umbra promittitur, præstetur in lumine. In umbra est, quod Propheta loquitur : *Oculus non* Isa. 64. b *vidit Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* Sed etiam quæ *in Numeris* hereditatem non possident, sed Num. 27 postulant paternam ; filiæ dictæ sunt Salphaad, id est *umbræ* : nec enim poterat Salphaad, non poterat *umbra* viros generare, in quibus imago est, & gloria Domini. Quod quidem non erit, quamdiu credimus : sed cùm videbimus, tunc erimus similes ei. Propter hoc qui sumus in corpore peregrinantes à Domino, postulamus cum filiabus Salphaad (quid enim postulemus, sicut oportet nescimus) Rom. 8. postulamus hereditatem paternam ; *Dominus* enim *pars hereditatis meæ.* Postulamus cum Apostolo : *Os-* Joha. 14 *tende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Non insisto ulterius, citra non subsisto : in hoc mihi desideriorum limitem pono, votorum colloco finem. Quis tandem ille finis? quem dicit Apostolus: *Finem vero vitam æternam.* Quæ est Rom. 6. ista vita æterna? quam dicit Christus : *Hæc est vita æter-* Johan. 17. *na ; ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.*

8. Ad hunc finem quasi ad conclusionem universorum voto transferat, qui loquitur in Psalmo : *Notum fac mihi* Psal. 38. *Domine finem meum*, finem boni, & finem mali : illius quia consumitur, hujus quia consummatur. Ideo verè finem, finem purum, plenum, perpetuum : à malo purum, in bono plenum, in utroque perpetuum : purè afficit, plenè sufficit, in neutroque deficit. Hoc enim est quod addit : *Et numerum dierum meorum, qui est.* Verè enim dies illi Ibidem. sunt simul, & non succedent ei : non minuitur, non mutatur illorum dierum numerus. Propterea dicitur, *qui est.* Quonam modo dies meus deficit, si sol meus non occidit? *Non occidet*, inquit, *sol tuus, & luna tua non minuetur.* Isa. 60. Ego luna, & ille sol : & ideo illa non minuetur, quia à perenni, & ubique præsenti sole non movetur. Dierum ergo Dies æternitatis quomodo plures. illorum nova quidem ratione non erit terminus, & erit numerus : erit ibi nobis jugis & indefessa sempiternitas, sed non erit omnimoda, & divinæ unitati conformis simplicitas. Cetera enim omnia licet sempiterna sunt, simplicia tamen nequaquam sunt, quibus non hoc est esse, quod hoc vel illud esse : nec hoc vel illud esse, quod quidlibet quod sunt, esse. Nam in creatura spirituali ; quæ sunt in seipsis infinita, sunt propter interminabilem perseverantiam, & ad se invicem quodammodo determinata, & definita propter certam quamdam naturarum affectionumque distantiam. Denique, *in domo*, inquit, *Patris mei,* Johan. 14. *mansiones multæ sunt* : mansiones planè luminum, quoniam ipse Deus lucem habitat inaccessibilem ; ut quod hic dicitur *numerus dierum*, illic intelligatur *multitudo mansionum,* 1. Tim. 6. non quòd singulis sunt singulæ, sed etiam alicui multæ juxta illud : *Et tu esto potestatem habens supra decem civitates.* Luc. 19. nam *& stella à stellâ differt in claritate.* 1. Cor. 15. In quo enim præcesserit virtutum numerus, multiplicabitur & numerus claritatum, sicut se habet promissio prophetica : *Implebit Dominus splendoribus animam tuam.* Isa. 58. b Felix planè anima, quæ non uno tantùm, sed multis fuerit repleta splendoribus, illis utique de quibus dicitur : *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum.* Psal. 109. Serenissimi splendores isti dies, & virtus claritatis.

9. Quis dabit mihi, ut trini splendoris hujus radio spiritus meus illustretur, ut dies meos beatissimus hic numerus expleat, compleat, & contineat? Triplex radius diei æternitatis. Quis, inquam, dabit mihi, ut æternitatis ad lineam se porrigant, in veritatis splendore fulgeant, & ferveant in spiritu caritatis? Sic enim, non ut in mundi prima conditione, mutuus vespertini & matutini temporis recursus plures disterminabit dies, sed continuus erit dies, & totus meridies. Ibi, ut ita dicam, inter mane & vesperam nox infelix explosa est : in isto utrosque terminos indeclinabiles occupabit meridies, juxta quod legitur : *In tempore vesperæ erit lux.* quoniam non erit vel temporis transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio. Sed quando erit istud? quando te ipsum nobis in illo meridiano, sicut es, manifestabis bone Jesu? In te enim videbimus Patrem, & sufficiet nobis. O pigra tempora, & tarda pectora! tarda ad cernendum ; nam ad credendum prompta.

10. Appropia, Domine, tu nobis, ut nos dicere possi-

Cant. 2. b mus; *Ecce hic venit saliens in montibus, transiliens colles.* A
Appropinqua, & præveni tarditatem nostram. Denique & modo lectum est, quomodo duobus illis euntibus in Emmaüs appropinquasti; fidei tarditatem in illis increpans, & teipsum de scripturis interpretans; intus aperiens, & foris apparens, sed nimis cito disparens; forsitan quia non pleno meridie te manifestasti, sed sub ipsa vespera & inclinata jam die. Denique in omni illa beatæ Resurrectionis apparitione, nusquam meridiem legisse me memini; sed vel fere nondum inchoatam diem, vel jam inclinatam: ut omnem hîc veritatis lucem quodam ignorantiæ temperatam obscuro intelligas. Simul grata in hoc advertenda distinctio, quòd quærentibus se studiose mulieribus diluculo ad monumentum apparuit; serò autem B die illa una sabbatorum, reclusis discipulis in domo. Utinam ergo & nobis, Domine, in hoc vel diluculo, vel crepusculo appareas, optimus planè super utrumque meridies. Sed in illo cubabimus in patria. Interim dum in via sumus, oramus Domine, ut vespertinæ lucis nos refocilles umbraculo. Sed nos jam cum die sermonem claudimus, sed te non excludimus: magis autem in te terminantes, & à te inchoantes, in matutino tibi gratias referamus, in illud Cantici erumpentes: *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi.*

(Luc. 24. — Tempus apparitionum Christi post resurrectionem. — Cant. 2. a)

## TRACTATUS II.

C

1. DEclinavit paululum Dilectus noster inter noctis tenebras: ubi ergo quæremus illum? Quem illum? illum utique qui ait, *Ego flos campi.* Si ergo illum quærimus, egrediamur in agrum; immo ingrediamur in hortum. siquidem ille *descendit in hortum suum, ad areolam aromatis.* Denique & in horto Maria dum quæsivit, invenit. Quæsivit ipsa lamentando; nos quæramus laudando. Dulce quidem negotium, sed dulcius præmium. Quale præmium? quod legitur in Psalmo: *Sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Ergo laudantibus manifestandus est Jesus. Quæramus cum laude, sed in horto quæramus; in horto est traditus, in horto est passus, & apparuit in horto. Quæ vidit, ideo D & ait: *Qui habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Amici, Petrus & Johannes. Amici Discipuli, qui audierunt: *Vos amici mei estis.* Fac me audire, quid illis annunciem; illi in agro, ego in horto. Illi quasi viri manum mittunt ad fortia; ego ad suavia. Felix mulier, quæ audire te meruit, felicior quæ vidit; vox enim tua suavis, & decora facies; sed felicissima, si ad quam manum tetenderat, tetigisset, tenuisset, & retinuisset. nunc autem dicitur, *Noli me tangere.* Quod una non potuit, plures potuerunt, illæ quibus dixit: *Avete. Et accesserunt, & tenuerunt pedes ejus.* Quod non potest singularitas, obtinet communitas, obtinet caritas. Quæramus ergo unanimiter, & quæremus utiliter. Denique, quæ cum un- E guento venerunt, illæ invenerunt. Bonum unguentum de quo legitur: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum! Sicut unguentum in capite.*

(Cant. 2. a — Cant 6. a — Johan. 20. d — Psal. 49. d — Quomodo quærendus Christus. — Cant 8. d — Johan. 15. b — Johan. 20 g — Matth 28. b — Nota. — Psal. 132. a)

2. Fortè nec tam se inveniri permisit, quàm ultro ingessit. *Pedes ejus*, inquit, *tenuerunt*, non tamen unguento perfuderunt. Viventem enim repererant, quem quæsierant cum mortuis. Veniebant, ut inungerent Christum, ut perungerent unctum; & ipse ad illas veniebat, totus spirans vitalem immortalium odorem aromatum. Ante passionem perungi se voluit, & postea sepeliendus permisit; sed resuscitatus non indiguit. Abundabat enim jam non modo immortalitatis, sed & regiæ supereminentisque potestatis unguento; sicut & ipse testatur: *Data* F *est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et, dedit illi Deus nomen quod est super omne nomen.* Propterea dicitur: *Oleum effusum nomen tuum.* Denique ad sua invitat unguenta: *Veni in hortum meum soror mea sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Quod, inquit, seminavi de tuo, sed de meo messui mihi, immo & tibi; mihi re, tibi in spe. Propterea invito; *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Grata vocabula, & plena dulcedinis, quæ vel naturæ, vel gratiæ copulam sonant. Consors factus naturæ, gratiæ vicem rependo. ideo sororem te

(Christus cur ante & non post resurrectionem se passus inungi. — Matt. 28. b — Phil. 2. b — Cant. 1. a — Cant. 5. a)

voco, sed in carne; sponsam, sed in Spiritu: in carne, in qua integra assumpta est humanitas: in Spiritu, per quem infusa est caritas. Veni ergo, soror mea sponsa. Veni tanto subarrhata pignore, secura de plenitudine. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Myrrham sorori, sponsæ aromata: myrrham carni, aromata spiritui: myrrham incorruptionis, aromata veritatis. Cognoscetis veritatem; sed cum vos mea docuerit unctio. Vos cum unguentis venitis, sed ego alia habeo, quæ vos nescitis, unguenta nova, immo & vetera: omnia enim nova & vetera coacervavi mihi. Futuræ etenim in mundi fine resurrectionis in me jam pullularunt initia: & antiquæ illius æternæ claritatis perseverat gloria. Siquidem clarificavit me Pater claritate quam habui, priusquam mundus fieret.

3. Verè Domine, optima hæc unguenta sunt, & ad sponsam tuam jam illorum pervenit fragrantia. Unde & dicit: *Ecce odor dilecti mei, sicut odor agri pleni.* Denique Gen. 27 d
quò tu præcedis, illa subsequitur. sic etenim dicit: *Trahe* Cant 1 a
*me post te, in odore unguentorum tuorum curremus.* O beata Isa. 60. b
tempora, cùm de se illud dici audient: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Nunc spiritus est promptus, sed caro est pigrior: vires infirmæ votum non æquant. Propterea *trahe me post te, in odore tuo curremus.* Bonus est cursus, sed tractus efficacior. Exspecta morantem, trahe volentem. Curram devotius, si mecum cucurreris; curramus simul, tu in unguentis, ego in odore. Felix anima, quæ post laborem jam in unguentis lætatur; in quam cognitionis & dilectionis tuæ se effundit unctio: magis autem assumpsit, & absorbuit in se voluptatis torrens, & multitudo dulcedinis. Beatè sane absconditur, qui ibi reconditur, consepultus cum Christo, immo in Christo, & est, sicut legitur, *sepulcrum ejus gloriosum*; gloriosum planè, Isa. 11 b
cujus *factus est in pace locus, & habitatio in Sion.* Ibi Psal. 75. b
qui sunt, te contemplantur in specula. Nam nos quid nisi in speculo, in speculo creaturarum, & scripturarum ænigmate? Nos in figuris, & obscuritatibus: in veritate & sinceritate illi. Vacant & vident, stant & auscultant, & gaudio gaudent propter vocem sponsi, & propter faciem sponsi. Vox enim ejus suavis & decora facies: ideoque juge desiderium, indefessa alacritas, in tam suavem auditum & contuitum superextendit participes unguenti: oleum enim effusum in illis nomen tuum. Oleum jure; nomen enim tuum & notitia, lux est & lætitia: lætitia profusa, lætitia diffusa in corde; non adhuc credentium, sed jam contuentium. Non est ibi cor & cor, sed cor unum omnium. O quàm bonum & quàm jucundum habitare, inquam, in unum: & ibi in unum. Ibi enim Dominus mandat, & emanat: mandat apertè, emanat abundè: & ubertim effundit benedictionem, & vitam usque in sæculum.

(Contemplationis viatorum & beatorum discrimen.)

4. Væ mihi quod non effundo plene quod utcumque capio. Væ ab ariditate sermonis, magis vero à sensuum. Nec enim satisfacit vel sermo affectui, vel affectus fidei: sed nec fides sufficit, quæ non plene reficit. *Satiabimur,* Psal. 16. d
inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* Cum ergo venerit species, abibit esuries, esuries egena, non esuries plena: esuries jejuna, non esuries refecta. Bona quidem refectio quæ fastidium evacuat, exacuit desiderium: bona aviditas, quam satietas parit. *Qui edunt me*, inquit, *ad-* Eccl. 24. d
*huc esurient.* Quid est epulari, nisi contemplari? *Epulen-* Psal. 67. a
*tur justi in conspectu Dei*, id est, conspiciendo Deum. Psal. 104. a
Quid est autem esurire, nisi semper quærere? *Quærite Dominum & confirmamini: quærite faciem ejus semper.* Quærite semper faciem, qui videris facie ad faciem: nos qui sumus in corpore, quid nisi posteriora conspicimus? *Trahe nos post te.* Trahe nos de posteriori ad faciem, de fide ad speciem, de odore ad unctionem. nam per fidem ambulamus, & in odore currimus. Felices qui sic cucurrerunt, ut jam comprehenderint, nec habent ultra quo currant, sed in veritate stant, & non vacillant, omnimodis perfusi unguentis immortalitatis, immutabilitatisque delibuti myrrha. Ibi te laudant tanto uberius, quanto liberius. *Cognoscetis*, inquit, *veritatem, & veri-* Rom. 8. d
*tas liberavit vos.* Ergo ad coruscum veritatis disparebit vanitas: *Vanitati enim creatura servit non volens:* & grave

corruptionis jugum computrescit à facie olei, ab affluentia unguenti. Mensura enim bona, & conferta, & superfluens dabitur in sinum vestrum. Tu Domine dabis, & teipsum nobis dabis: pars enim mea Dominus. Sed quid est quod in mensura te donas, qui ipse magnus & immensus es? Num pro vasculi capacitate infundis & oleum? Quid ergo est quod superfluentem dicis? an quia plus effundis quàm capimus? neque enim si omni nisu ad capiendum te nos extendimus, totum comprehendimus. Potens est Deus facere supra id quod petimus, & intelligimus: quanto magis id quod ipse est & factum non est, nostræ exsuperat modum appetentiæ, & intelligentiæ limitem? *Ecce*, inquit, *declino in eos, ut flumen pacis, & ut torrens inundans gloriæ:* Numquid ergo absorbere poterit homo flumen, cujus impetus lætificat civitatem Dei, & exhaurire Jordanem, ut totus in os ejus influat? Verè Domine, non angustiamur in te: tu enim das affluenter; nec paucis das, nec pauca das, nec parco & remordente animo; præveniens merita, & excedens vota: non angustiamur in te, angustiamur autem in visceribus nostris. Tantas habentes promissiones, carissimi, dilatemur & nos, dilatemur ad optandum, ut dilatemur ad obtinendum.

Isa. 10. g; Luc. 6. f; Beatitudinis præmium quomodo dicatur dari in mensura. Isa. 66. d

5. Tu Domine, tu potiùs placido & leni allapsu ubertatis tuæ (*viam enim mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*) qui cælum sicut pellem extendis, vetustam factam cordis mei pellem, & inerti contractam situ leniter extende: rugas ejus explica, extrahe sinus, dilata receptacula: ut sine mensura te concupiscam, & sine mensura capiam: capaciorem me faciat hæc sancta cupiditas. Sic enim experientiæ tenui prælibato gustu, quo fides persuadet, prævolabit affectus: & rationis impulsum fervida non exspectabit alacritas: ita inter tentationem dura ac diuturna minùs laborabit sancti constantia propositi, propensi desiderii & piæ spei exspectatione protracta. Sed exspectemus hîc & respiremus paululum fesso parcentes spiritui, ut brevi fotus intervallo fervidior exsurgat.

Psa. 119. b

## TRACTATUS III.

1. Nocturnâ quiete à te refectos dignum est nos, Domine, in matutino adstare tibi: adstare an sequi? Felix qui te assidentem foribus suis matutinis invenerit, ut astare possit, & astare in vesperum: ne subito elapsum volatu, vago vultu tenues inter auras quæreret. Tu enim tenebras ponis latibulum tuum. Lux es, & latibulum: lucem siquidem habitas inaccessibilem. Propterea nobis tenebræ, quibus est inaccessibilis: sed si inaccessibilis visui, non tamen & voci: quia quò non approximat ratio, pertransit oratio. *Clamor*, inquit, *meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.* Ergo & clamor noster intret in conspectu tuo, ut & ipse egrediaris in conspectu nostro; & indulgeas vel videri, qui te non sinis teneri. *Revertere, revertere ut intueamur te: ut intueamur*, donec teneamus. *Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ aut hinnulo cervorum, super montes aromatum. Similis esto*, inquit, *capreæ:* Videaris, & avoles: adsis, & elonges: adsis aspectui, absentans te tactui. Denique & mulieri dicitur: *Noli me tangere*; & quasi quadam experientiæ fidâ attrectare manu. Ecce Domine manum abstineo, oculum intendo. *Mane astabo tibi & videbo.* Væ mihi si & illud audiam: *Averte oculos tuos à me, quoniam ipsi me avolare fecerunt.* An fortè dum fugis aspectum, accendes desiderium, ut anxiùs quæraris, dum amplius amaris. Denique fuga tua nos avidiùs ad cursum sollicitat.

Psal. 17. b; 1. Tim. 6. d; Deus quomodo lux simul & tenebræ. Psal. 17. a; Cant. 6. d; Iohan. 20. d; Psal. 5. a; Cant. 6 d; Deus abscondit se, ut magis quæratur.

2. Quis ponet pedes meos quasi cervorum, ut possim expeditus & alacer hunc hinnulum sequi? domesticas dediscere curas, & cælesti in solitudine silvescere? Bonum est exonerari se ipso, onere gravissimo, & caprearum sensim in levitatem deficere. Propterea Propheta, *Non laboravi*, inquit, *te Domine sequens.* Verum est quod dicis benedicte Propheta, verum est, sed adhuc parum; non laborare non sufficit, nisi & læteris. Ideo quod tu minus eloqueris, alius perexplicat: *Cantent*, inquit, *in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.* Itemque: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Totum intus agitur, in corde enim canitur: nam & ibi curritur. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum.* Quæ est tamen ista ratio ascendentis cum lamento, & peregrinantis cum cantico, cùm aut lamentari non possit in patriâ, aut lætari in terra aliena? *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Sed fortè, immo certè qui super flumina Babylonis sedent & morantur, plorant: & qui egrediuntur, exultant. Et qui ascendit in valle lacrymarum, ascendit & de valle lacrymarum: & licet de lacrymis, non tamen cum lacrymis. Suavius enim est in monte gaudiorum esse, quàm in valle doloris. Quod si cum lacrymis, magis quia pigrè ascenditur, & nondum propè acceditur. Non enim quia ascensiones in corde suo disponit, statim & perficit: sed cùm benedictionem dederit legislator, tunc *ibunt de virtute in virtutem, ut videatur Deus deorum in Sion*: pergens & properans in lætitia cordis ad bravium, sicut qui intrat cum tibia in montem Domini, montem de quo Propheta: *Et faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Temperata est adhuc, & non defæcata ascendentis lætitia, & mixta cum lacrymis: *Calix* enim *in manu Domini vini meri plenus mixto.* Mixtum est pergentibus, merum pertingentibus, remanente apud pigros fæce. Miscuit hîc Sapientia in cratere vinum, ubi novam defæcabit vindemiam. Unum ibi est beatorum negotium spirituum, una anni jubilei feriatio: lætari cum Domino, & laudare ipsum: *Gaudium* etenim *invenietur in eâ, gratiarum actio, & vox laudis.*

Psal. 13. b; Ibidem. 118; Psal. 83. a; Gaudium & lacrymæ quomodo misceantur in hac peregrinatione. Psal. 136. a; Psal. 84. c; Isa. 25. b; Nulla hîc mera lætitia sine lacrymis. Psal. 74. b; Isa. 51. b

3. Lætare Jerusalem, erumpe & lauda: lauda majestatem, munifico, refer gratiam. Hoc à te votum semper exsolvitur, & semper exigitur: promptè exsolvitur, & piè exigitur. Exactio ipsa delectatio est. Commendat seipsam beatæ veritatis votiva perceptio, & serenitas afflata sensibus, simul cum luce lætitiam infundit: *Lux orta est justo, & rectis corde lætitia. Lætamini justi in Domino.* Quam pro lætitia vicem rependent? *Et confitemini*, inquit, *memoriæ sanctificationis ejus.* Ergo lætitia de luce, laus de lætitia: lætitia excrescens erumpit in laudem: & nesciunt perfusa viscera luminosæ veritatis felicem non eructare crapulam, & temperare à cantico, torrente inebriata dulcedinis. Siquidem & suavitas provocat appetentiam: & ubertas ministrat sufficientiam; & instantiam perennat æternitas. Denique sic ipsa attestatur suavitas, ubertas, æternitas: *Qui biberit aquam quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Beatorum indefatigabile Deum laudandi desiderium. Psal. 99. c; Ibidem. Iohan. 4. b

4. O beati spiritus & animæ justorum! O Ecclesia primitivorum, qui conscripti estis in cælestibus! vos verè primitivi qui prælibatis benedictionis futuræ primitias. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.* Bibite de cisterna vestra: & fluenta putei vestri excrescant & exuberent: affluant & discurrant in plateis cordis vestri aquæ deliciarum vestrarum. Non participent vobiscum alieni: sed nec omnes admittantur domestici. Nos enim cives sanctorum, & domestici Dei; cives conscripti, sed nondum suscepti; cives exultantes, cives peregrinantes, cives vagi & palantes. Siquidem iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Vos autem sedetis in pulcritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentiæ. Væ habitatoribus terræ, ubi rara pax? securitas nulla, jugis labor, & is egestatem parturiens. Nam & *militia est vita hominis super terram*, quamdiu caro concupiscit adversùs spiritum; & adversarius noster circuit quasi leo, quærens quem devoret: & in sudore vultus nostri vescimur pane nostro, & terra cordis nostri spinas & tribulos germinat operanti. Propterea dissipati, & dilacerati, & corde tabescentes abundantius habemus in manibus sollicitè de nobis adhuc gemere, quàm securè gaudere in Domino: nisi quòd spes bona, primitiarum argumento prospectans in finem, de tribulationum torcularibus consolationis exprimit oleum, quo facie exhilarata & impinguato capite, cum Apostolo in tribulationibus gloriamur, in contumeliis complacemus nobis: *Scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem*! quid vero spes,

Congratulatio de felicitate Beatorum. Isa. 64. b; Isa. 32. d; Job. 7. a; 1. Pet. 5 c; Solatium nostræ peregrinationis & exilii spes. Rom. 5. a

nisi superventuræ in nos gloriæ primitiva quædam jam A prælibare videtur gaudia? *Spe*, inquit, *salvi facti sumus*, &, *spe gaudentes.* Novit enim pia fides pigra prævolare tempora, & tamquam de præsenti affici, quod inconcussa sibi depingit fiducia: sed ea spes quam examinatæ conscientiæ puritas, non præsumptio parturit.

5. Lavamini, mundi estote: lavamini, & igne examinamini, ut pœnitentiæ & patientiæ exercitio quasi gemino conflatorio ad purum excoctos supernus vos respectus, & roris instar voluptatis suæ aspergine refrigeret, gratanter & glorianter mox in illam vocem erupturos: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Lavamini & B lætamini: lavamini frequentius, ut ferventius lætemini. Usurpate sæpius, quod sempiterne nondum potestis. Infelices montes Gelboë, siccitate æterna damnati, non estis perfusi hac pluvia voluntaria, nec descendit in vos stilla * antelucani: propter hoc non estis agri primitiarum, sed nec serotinus fructus exspectatur à vobis. Utinam Domine caput meum plenum sit isto rore, & cincinni mei guttis noctium. Quid enim nisi in nocte versamur, donec aspiret dies, & reclinentur umbræ? In meridiano quod exspectamus, nec umbra formidatur, nec stilla optatur. Fluit hic stilla de situla Jacob: sed erit ibi semen ejus in aquas multas. Felicia tempora, quando uniuersa facies terræ irrigua erit, & superne irrigua, nec sterilis quicquam possidebit ariditas: superius & inferius, utrimque irrigua, quando caro mea, & cor meum exultabunt in Deum vivum. Bonus plane fons, qui tunc ascendet & mundabit cor nostrum, primoque illo melior, quia non poterit exsiccari. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis nos: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Bonus certe fons, ex quo tales emanant rivuli, voluptas, ubertas, vita & veritas.

6. Irrora inde huc: prætende misericordiam scientibus te, etsi nondum totum te: prætende misericordiam, infunde gratiam, effunde Spiritum tuum super nos, qui innovet spiritum nostrum in visceribus nostris, Spiritum principalem, qui reformet & conformet nos sibi, conformet & confirmet: lætificet, & illuminet. *Justitiæ* enim *Domini rectæ, lætificantes corda; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, sicut est nostrum hic illuminari & lætificari. Alioquin plane *lætabimur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Lætabimur ibi quasi possidentes, hic quasi proponentes & præsumentes; & prosequentes donec consequamur. Ibi ergo de possessione, hic de promissione: illic de plenitudine, istic de portione. Quod enim inde huc aspergitur, stilla est, non fluvius: scintilla non caminus. Heu quam cito & scintilla hæc evanescit, & stilla arescit! *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate, & lætandum in lætitia, ut lauderis cum hereditate tua.* Visita ad nos videndum, lætandum, laudan- E dum: visita nos in salute & lumine; in lætitia & laude. Bona sunt hæc stillicidia, quamvis rara, & quasi rorantia. Rorate cæli desuper, æterni montes distillate nobis dulcedinem: in stillicidiis vestris lætabitur germinans.

7. Esto tu nobis Domine, sicut ros, ut & nos germinemus sicut lilium. Nescit verbum tuum semel emissum vacuum reverti, sed prosperabitur in his ad quæ mittitur. Denique ad irrigationem ejus *pro saliunca ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus.* Dum dejectos erigit & sublimat, dum carnis incentiva lenit & mitigat, dum desperatos locat, & conversari facit in cælestibus, dum exasperatos mollit, & contemperat mitibus. Jucunda F hæc visitatio; sed quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens. Jure rori matutino confertur quantalibet in carne contemplatio & mentis excessus: habet enim nescio quid, immo multum quid de noctis frigore, propter minus fervidum affectum: & de noctis caligine, propter subobscurum intellectum. Sed si ideo matutinus, quare ergo pertransiens? pertransiens à nobis, an pertransiens & penetrans in nos? *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio*, ut non tantum cutem foris signet, sed permeet ad interiora, ad medullam transeat, & fiat irrigatio ossium: sermones enim ejus molliti super oleum, & ipsi sunt jacula. An ideo, quia si expansum fuerit sicut cælum cor hominis, complicabitur sicut liber, & sicut fumus liquescet? Interpretetur quisque in sententia, sicut experitur in conscientia: perfectus, quod illum infundit & penetrat: proficiens, quod illum pertransit & prætervolat. Pertransit à nobis, ut nos attrahat post se, & transire faciat ad se, quasi ipsa fuga dicens: *Transite ad me, qui concupiscitis me.* Fortassis nos frequentius transimus à te Domine, quam tu à nobis: siquidem & accendis lucernam, & everris domum, & scrutaris nos, juxta Prophetam, sicubi invenias intus sordes latitantes, vanis & vagis, mollibus & molestis curis, & cogitationibus immersos, non modo cum Deo & mundo animum dimidiantes, sed in alteram propensiores & promptiores partem; etsi non pro cupiditate, tamen pro consuetudine. Nam & quæ utiliter admittuntur curæ, violenter se ingerunt: sicque cum non urget necessitas, tamen occupat supervacuitas. Denique videmur mihi silvam refugere, quæ fluit cum silentio, Babylonis flumina sectari. Sed nos jam aliquanta sermocinati sumus tecum Domine, & de te: & suaviter refecti sumus, quasi catelli de micis quæ cadebant de mensa tua. Si sic afficis transiens & transmeans, quid facis manens & commorans? Heu me! quod indigni sumus tam C dulci commoratione. *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies.* Vere inclinatur, cum tu declinas. Compellite eum, Fratres, precum vestrarum instantia. Vim ei intulerunt duo illi euntes in Emmaus, cum se fingeret longius ire. Quid ergo fingit, quod non facit veritas? Ire se finxit, manere compulsus; sed non permanere, nam inter cœnandum evanuit. Sed illa abeundi fictio manendi est occasio. Quasi abire se fingit, spiritualem attenuans lætitiam: sed occultus manet, justitiam continuans, humilitatem accumulans.

## TRACTATUS IV.

D 1. HAbes quod rogasti, sed habes illud quodam cumulatum fœnore. Ego tamen fœnus hoc meis assigno commodis; & inter lucra deputo. Omnino non possum bonis non deputare successibus, quoties confabulandi tecum alicunde occasio erumpit. Redarguis fortasse, quod fabulationis usus sim verbo: & quoniam nisi de re seria nil fere loqui solemus, majestati sensum tali injuriam vocabulo fecerim. An non tibi confabulatio videtur, cum & quod non videmus loquimur, & quod non audimus, testamur? *Oculus* inquit Propheta, *non vidit Deus, præter te, quæ præparasti exspectantibus te:* Sperantibus & exspectantibus, sed nondum spectantibus. Quod enim videt quis, quid sperat? Quod si id quod videmus, per speculum est, & in ænigmate: quanto magis id quod loquimur? non enim potest sermo, quantumvis disertus, sensuum perexplicare secreta. Et quidem mihi, meo pro sensu ut loquar, futuræ respectu veritatis quædam videtur quasi fabula, omnis ad illam intimandam figurata parabola. Specie grata sint, unitate compacta, usu commoda, virtute efficacia universa quæ creata sunt: sed quid ad illam divinæ essentiæ immensam & simplicem & æternam unitatem, sapientiæ pulcritudinem, pondus amoris & vires potentiæ? Denique & ipse est qui est, & sapientiæ ejus numerus non est: & plenitudo caritatis ejus scientiæ supereminens est. Et quis loquetur potentias Domini? omnia quæ ad illa nobis utcumque innuenda in sermonis assumpta sunt usum, inæstimabiliter sunt naturæ ratione dissimilia; & comparatione nulla. *Non comparabitur ei aurum de Æthyopia, nec componentur tincturæ mundissimæ.* Et tamen auro & tincturis, flore & fructu, & omni quæ creata est pulcritudine, quod super omne pulcrum est nobis coloratur & pingitur: ut quia penitus intimum est, juxta quod est omnino nos lateat: & per superinductos figurarum colores aliquatenus intimatum sub umbra interluceat. Bona quidem umbra, & ad horam refrigerans. Propterea dicitur: *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

2. O quam delectabilius, quam affectuosius non sub

[Left margin notes: ...8. c / ...12. c / ...tat ad ...lerium ...rnæ & ...næ feli...tis. / ...93. d / ...est roris. / ...35. b / ...c / ...18. c / ...9. c / ...tria spiri... in hac vi... nonnisi... la vel scin...a. / ...105. a / ...55. d / ...55. d / ...56. b ...ori matuti... comparatur. / ...eb. 4. c]

[Right margin notes: Sap. 1. Homo ad terrena quã cælestia propensior. / NOTA. / Isa. 1. d / Luc. 24. c Christus se fingit abire ut instantius rogetur manere. Ibid. / Sermo de rebus arcanis & divinis an confabulatio dici possit. / Isa. 64. b / Rom. 8. e / Ad res divinas explicandas impar omnis sermo. / Exod. 3. d Psal. 146. a / Iob 28. B / Cant. 2. a]

umbra, sed super umbram in te ipso, bone Jesu, sederet, & hoc desiderii sui fine posita quiesceret? Nunc autem sub umbra quiescit, & sub umbra se reficit. Sed qualis refectio, quam sequitur defectio? Ex parte enim cognoscimus: evacuabitur quod ex parte est, cum venerit quod perfectum est. Sunt hæc interim fulcimenta labentium, & fomenta languentium. Denique subsequitur: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Felix, in quo sanctus amor languor est, non passio. Sunt enim qui caritate subito vulnerantur, ut subinde sanentur: quasi Jonæ hedera, quæ sub eadem hora qua viruit, aruit. Ergo est passio desiderii affectus concitatus: languor continuus. O male sanum, immo vere insanum cor, quod esse nescit hoc vulnere saucium! *Vulnerata*, inquit, *caritate ego sum.* Non modo vulnerat, sed etiam necat: *Fortis est* enim *ut mors dilectio.* Denique Apostolus: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Dum vita reconditur, & votum accenditur; veritas jacet, & virtus languet: anxii æstus desiderii figurarum refrigeratur umbris, & primævis fulcitur floribus. Pulcræ satis hæ figuræ sunt: & laborantem recreant affectum, puerilibusque refocillant blandimentis, ut solitis & sensibilibus oblectamentis insuitatorum capiamus experimenta gaudiorum. *Platea tua Jerusalem sternentur auro mundo.* Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris: ponam desertum tuum quasi delicias, & solitudines tuas quasi hortum Domini, & cetera quam plurima à Prophetis & Apostolis in typo cælestis dicta Jerusalem. Cum ejus portæ & plateæ, muri & metalla, lapides & ligna, fontes & flumina describuntur, quantùm afficiunt & oblectant! quàm lætè audiuntur, quamvis parum dilucidè dicantur! Incomprehensibiliter enim aliud & incomparabiliter amplius relinquitur in suspicione, quàm ponitur in assimilatione. Lætatus est Jonas vehementer sub umbra hederæ, sed hedera illa aruit, & figura abivit. Propterea cùm de figuratis texuntur collationes sermonibus, quasi confabulationes quasdam licenter dixerim, non propter adumbratam interiùs æternam veritatem, sed propter obumbrantem exteriùs vanitatem: evacuabitur enim quod ex parte est. Denique habes in Evangelio, de duobus illis euntibus in Emmaus, quod *fabularentur & secum quærerent*: fortasse quia quærebant, & nondum tenebant; nutabant, & fide non stabant. Ideo quærentes & conferentes, ambulantes & confabulantes dicti sunt: sed tamen ita confabulantibus ipse Jesus appropinquabat, & ibat cum illis.

*[Marg.: 1. Cor. 13. c — Cant. 2. a — Ioi 10. 4. c — Languor & passio. — Cant. 5. c juxta lxx — Cant. 8. b — Colos. 3. a — Figuratum umbris refrigeratur ardor intuendæ veritatis. — Tob 13. d — Johan. 4. c — Collationes de rebus divinis confabulationes non ab re dici. — Luc. 24.]*

3. Unum suaviter recolis, quàm frequenter & cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, cum loqueremur de illo in via. Quæ enim de illo locuti sumus, ipse prior in nobis locutus est. Utinam sæpius istud mihi contingat, de illo totum quærere, conferre & colloqui; de illo, inquam, & tecum: nec tam loqui, quàm audire te loquentem. Pressus est sermo tuus, ut tamen quæ sentis, sufficienter exprimas: pauca verba, sed plena sensuum; videris mihi singula in judicium vocare, adeo tibi nullum inconsultum elabitur. Denique *favus distillans labia tua.* Ita enim quadam cum mora & deliberatione, & quasi de libra, quæ loqueris prodeunt, ut distillare magis quàm profluere credaris. Extenuata sunt, & subtilia sunt; & evaporata sunt: propterea distillantia sunt, secreta sunt, & suavia sunt, & de intimis erumpentia sunt: & ideo quasi favus sunt. Hoc sibi vult quod sequitur: *Mel & lac sub lingua tua. Sub lingua*, inquit, & non in lingua. Majus enim est quod sub ipsa latet, quàm quod in ipsa lucet. Quid si etiam supra linguam? *Sub lingua tua mel & lac.* Non enim tantùm in sermone est, nec totum in sermone est: sed sicut nihil habes in ore simulatum, ita multum est quod est in corde occultatum. In lingua sunt quæ manifestè loqueris: sub lingua sunt, quæ latenter suggeris: supra linguam sunt, in quorum edissertione elinguis est quàmlibet eloquens, & sermo silentium.

*[Marg.: Cant. 4. c — Ibidem.]*

4. Memini, nisi fallor, aliquoties in ipso orationis processu pressisse te sermonem, attentum & attonitum ad erumpentem in corde lucem vel lætitiam, vocem rupisse, ut verteretur in suspirium, quod formabatur in verbum. Nam etsi lingua sufficiat ad evidentiam *; intrinsecùs tamen stupor, & amor, & admiratio radiantis desuper luminis, prodeuntem per verba animum convertit ad se, rapit in se, & continet intra se: spiritualique cum Mose circumvolvit nebula, & nubem ponit amictum ejus, & tenebras latibulum, ut fiat ad interiora stupidus, ad exteriora mutus. Mel ergo sub lingua tua, & dulcedo sub voce tua, non quasi inferior, sed quasi interior: immo & sub mente tuâ, dum illa conceptæ necdum compos dulcedinis, pullulantia introrsus gaudia non potest vel ad plenum explicare, vel experta tolerare: totum se illis cedens, sed non ex toto illa possidens. *Defecerunt*, inquit Psalmista, *oculi mei in eloquium tuum*: non modo ad eloquium, sed etiam in eloquium, ad eloquium tuum illud concupiscendo, ad eloquium illud concipiendo; in eloquium tuum, ex qua parte est ignitum; ad eloquium tuum, quia vehementer est ignitum: ignitum enim eloquium tuum vehementer. *Propterea anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Quæsivi illum.* Anima mea liquefacta est, non sufficiens quod audit, capere; & dulci ex auditu avidior effecta, non desinens in illud concupiscere. Ideo adjungit: *Quæsivi illum.* Non satiatur auris auditu; nec tamen sufficit auris ad auditum.

*[Marg.: * al. erudiendum. — Exod. 24. — Psal. 118 — Cant. 5.]*

5. Ergo & defecerunt oculi mei in eloquium tuum, & anima mea liquefacta est seipsam contemnendo, & in ipsum contendendo & contuendo, admirando & amando, & ambiendo circa ipsum: nec valens, vel quantum cupit, intendere; vel quantum cepit, tenere. Quomodo ergo non interciditur loquentis spiritus, ubi meditantis interior absorbetur sensus? Sicut enim solida & corpulentior materia ignis in se virtutem difficilius admittit; subtilis vero & deficcata & tenuis voraci flamma citius & accenditur, & consumitur: ita meditationes spirituales & extenuatæ succensi amoris dulcem violentiam citiùs suscipiunt, & diutiùs non ferunt. *Spiritus vester*, ait Propheta, *sicut ignis vorabit vos.* Ego quidem meditationem reputaverim quasi materiam, amorem quasi flammam. *Et in meditatione mea exardescet ignis*: qui si vehementiori exæstuet incendio, omnem animi intentionem convertit & consumit in se; ut totum affectio fiat quod meditatio fuerat: nec potest sui compos esse ratio, cujus est eruere occulta, ambigua dijudicare: recensere & recolere quod piè novit, vi absorpta amoris. *Silui à bonis, & dolor meus renovatus est, concaluit cor meum intra me.* Silui, inquit, dolui, concalui. Concalui de aliquanta interioris boni perceptione: dolui pro imperfectione, & ideo silui. Gemina hac divisus, & discerptus, & absorptus passione, silui à bonis. Sed à quibus bonis? fortè de quibus dicit: *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

*[Marg.: Isa. 33. b — Meditatio quasi materia ignis, amor flamma. — Psal. 38. a — Ibidem. — Psal. 26.]*

6. Jure ergo silui & ab eis quæ nondum videntur. Sed si silet à precandis, non tamen silet à deprecandis. Ideo sequitur; *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum qui est, ut sciam quid desit mihi.* Quid ergo deest? verum quid adest? Audi quid adjungitur: *Substantia mea tamquam nihilum ante te. Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* Quid igitur adest, cùm totum, aut nihilum est, aut certè vanum? Quid ergo? fides ipsa & virtutes vanæ sunt? An hæc vita hominis interior dicta est vanitas, quæ & mors dicta est? *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo.* Quod si ista vanitas est, quoniam ex parte est, (*evacuabitur enim quod ex parte est*: justus siquidem ex fide vivit; finis enim quem optabat, non est in fide) fides abibit. Numquid justitia quæ ex fide est? quomodo ergo caritas numquam excidit, quæ sola verè justitia est? Quid si dixerimus universa quæ in præsenti sunt, vana esse, ad illud futurum bonum non relata, vel illi comparata? Universa ergo vanitas, aut inutili usu, aut veloci transcursu, aut futuri contuitu.

*[Marg.: Psal. 38. — Ibidem. — Fides ipsa & virtutes quomodo dicantur vanæ. — Co. 3. a — 1. Cor. 13. — Nota.]*

7. Quòd si vanitas est necessitas, quid est superfluitas? Si vanitas est, quæ in præsenti est veritas, quanta est ipsa vanitas? *Universa vanitas, omnis homo vivens.* Nec tantum vanitas, sed adversitas: *frustra* enim *conturbatur.* Frustra lætatur, & frustra conturbatur: in utroque vanitas, vel propter inutilem causam, vel propter non diuturnam subsistentiam. Et nunc in his malis & vanis *quæ est expectatio mea? nonne Dominus? Et substantia mea* apud

*[Marg.: Psal. 38. b]*

*apud te est. Substantia mea tamquam nihilum ante te*; sed A substantia mea substantia est apud te. *Notum fac mihi Domine finem meum, ut sciam quid desit mihi.* Nota mihi satis est humana vanitas ex proprio defectu; sed innotescat plane ex ipso boni gustu. Quando Domine replebitur in bonis desiderium nostrum, in bonis domus tuæ? Quando, inquam, replebimur veritate tua, ut nullus in nobis vanitatis vel gustus, vel odor resideat? sicut de
...m. 48. b Moab legitur; *quod gustus ejus remansit in eo, & sapor ejus non est mutatus.* Ibi non flebimus à bonis, sed erimus quasi promptuaria, non vana, sed plena, redundantia & eructantia ex hoc in illud.

8. Eructavi tibi quædam de inanitate nostra. Utinam & aliquid distillari mihi merear de plenitudine vestra, de ro- B re cæli, & de abysso subjacente, sed nondum plene erumpente; de abysso illa futuræ gloriæ, quæ revelabitur in nobis. Est ergo nunc in nobis, nondum tamen revelata, sed magis occulta, & seminaliter recondita; & quibusdam fidei inclusa venis, & conclusa ostiis, tam carnalium affectionum, quàm corporalium phantasiarum. Talibus
erumpit conclusum est ostiis mare: quando premitur, erumpebat*, quasi de vulua procedens. Bonum mare, de quo legimus:
...1. 11. a *Replebitur terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientis.* Bonum mare, sed grave ostium. Denique ipse primus Adam quodam inobedientiæ obice hoc mare compescuit, & per se prodeuntem & erumpentem veritatem Dei in injustitia detinuit. Primus homo injustitiæ nos ostio se- C movit: secundus illud removit, factus ipse nobis ostium, & per illum si quis introierit salvabitur, & pascua inve-
...th. 10. b niet. Deleta est injustitia, sed adhuc grave restat ostium, diei hujus malitia. Nebulosum satis ostium consuetudo
...es & rixæ ... tempora-...us. imaginariæ cogitationis, & sollicitudo necessariæ sustentationis; hujusmodi animum intendere, vere in terram fodere est, & fodere cisternam dissipatam, & puteum qui aquas continere non possit; & tamen quomodo rixantur, quomodo litigant, quas nobis calumnias struunt pro talibus Phi-
...26. d ...Isaac Gen. ...26. listæi puteis; pro aquis transitoriæ, non dico voluptatis, sed necessitatis! Felix * qui cum Patriarcha Jacob hujusmodi relinquit puteos, qui relinquit occasiones litigandi, & inimicitiarum materiam, ut fodiat in torrente, & D inveniat venam aquæ viventis; si tamen supradictis illam non concludat ostiis. Hæc tibi ego magis pervia crediderim, familiariorem & frequentiorem ad interiora accessum: ne tantum foris stes, introspiciens per fenestram, & auscultans per ostium. Jam ergo ponam ostium ori meo; ut, ut juxta proverbium, tibi fistula accommodetur, dum ego respiro.

## TRACTATUS V.

*Quo locum illum Apost. explicandum sumit*; Omne datum optimum & omne donum perfectum, &c. *sed potior Epistola aut Tractatus pars deesse videtur.*

1. INstanter exigis, quod incautiùs ipse promiseram, parum materiæ difficultatem contemplans. Accedit huc geminæ gravitatis forma, quia minus habita sit ratio temporis, & mensura comparationis. Tempus quidem, si aliæ proripuerunt causæ, comparationem cum aliis de hac materia sic habentibus prudens diffiteor, quam minus considerate præsumpsisse videbar: tamen quæstionem aggrediar, cujus solutione obligatus teneor. Tuæ autem nunc partes erunt, ut quod à me petis, ipse mihi prior impetres, ut orationis tuæ merito desuper nobis in-
..., 1. c fundatur, quod tibi uberius refundamus. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Quid ergo? quæ perfecta non sunt, quæ optima non sunt, inde non sunt? Unde ergo sunt, si inde non sunt? Quid habes quod non accepisti? Neque tantùm optima ab illo sunt, & minùs bona aliunde: sed sicut dicit
...m. 11. d Apostolus, *Omnia ex Deo.* An fortè nulla in his verbis exclusa sunt, quia cum omnia inde sunt, omnia perfecta & optima sunt? Quod si est, non per hæc verba, *optimum & perfectum*, inter magis & minus bona, facta distinctio; sed boni expressio. Et quomodo omne bonum *optimum & perfectum* est, cum omne desursum? Quid desursum? *Descendens*, inquit, *à patre luminum.* Qua ratione A apud Patrem luminum imperfectum aliquid intelligi potest? An fortè *omne datum optimum & omne donum perfectum* inde descendit, sed non ibi fuit? Nam quomodo ab eo descendere & discedere posset, quod in eo, id est, in Patre luminum esset? descensio enim non localem migrationem, sed magis virtualem minorationem innuere videtur.

2. Denique & ipse Dominus distinguere videtur inter perfectum & minus perfectum: *Hoc*, inquit, *fac & vives. Si autem vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Et Apostolus: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic.* Item; *Tamquam parvulis in Christo, lac* B *potum dedi vobis, non escam: sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Qua ratione ergo distinctè omne donum perfectum desursum esse dicit; cum nec omne perfectum sit nec nullum desursum non sit? aut si omne datum optimum est, & omne donum perfectum quia desursum est; quomodo non magis unum & idem, datum & donum, quàm omne dicendum est? Omne enim quod apud Patrem luminum est, simplex & uniforme, non multiplex censendum est. Quid si apud Patrem luminum & optimum & perfectum est, sed descendens in nos à Patre luminum, minùs bonum, & minùs perfectum est? sed hoc jam erit illam immutabilitatem mutabilium conditioni subjicere: minorari enim quodammodo mutari est. Qua C ratione ergo quod in se est, ab ipso descendere potest? sed iterum quod in ipso non est, quo pacto dicetur descendere ab ipso? aut si descendit ab ipso, quomodo non perfectum est? Et quoniam etiam Scripturæ auctoritas habet alia perfectiora esse, alia minùs perfecta; quid sibi vult quod tantum optimum & perfectum donum desursum descendere dicitur, cùm magis omne dicendum videtur? Deinde, quid sibi vult quod positum est, *datum & donum, optimum & perfectum*? Aliqua per nomina hæc innuitur distinctio. An solùm dicta sunt ad expressionem & commendationem?

3. Istas mihi difficultates capituli hujus verba parturiunt; sed jam ad ejus redeamus seriem, orantes Deum, D ut quod in eâ obstructum est, ipse reserare dignetur, & donet nobis quod de donis ejus digne proloquamur. *Omne datum optimum*, &c. Primo loco inter datum & donum talis mihi videtur quædam haberi posse distinctio. *Datum* est quod non habes à teipso; *donum*, quia non est à merito. *Datum*, dum accipis; *donum*, dum exinde promereris. *Datum*; dum illud habes ad usum; *donum*, dum possides ad fructum.

*Cetera desunt in codice Mss.*

## TRACTATUS VI.

*De mysteriis Redemptionis humanæ ad Amicum scriptus.*

E 1. SCripsisti mihi satis parcum sermonem, sed propenso, ut reor, affectu. Et quidem lætatus sum de ea quam mihi impendis gratiâ, sed de laude, quâ me prædicas, parum gratulatus. Ingenui est hominis, ad laudes erubescere, quas suas non novit. Ut verum fatear, amica quadam credulitate tuum in me oberravit judicium; pigrior est ad credendum fides, quàm pia non informat affectio. Inde est, quòd facilè credidisti, quod tanto creditum favore complecteris. Denique tria quædam in pagi- Qualis ad laudes amici. nulæ vestræ mihi vultu relucent; primum quod velim exuberare erga me; secundum temperari circa me; tertium averti à me, sed in te non minui. Hæc sunt affectus, fides, & studium: votivus affectus, favorabilis fides, pium F discendi verbi Dei studium. Affectum suscipio, castigo fidem, instigo studium. Amorem intende, favori detrahe, studium tuum ad alterum dirige. Omnino in me minùs invenies, quàm persuasum tenes. Fortasse loquendo tibi barbarus fiam, qui fueram silendo Philosophus.

2. Propterea doctrinæ studium jure in te prædico, sed docendi munus à me traduco. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Non est unde vel ægrotantem E z. 3 b sanem, vel egentem sustentem: sed tu nec æger es, nec egens, ut nostra indigeas aut arte sanari, aut pane satiari. Denique neutrum horum postulas; sed nescio quas

Luc. 10. c · 1 Cor 7. b · 1. Cor. 3 a

secretioris sapientiæ stillas, subtiles & suaves, delicatas & dulces. Numquid ego de illis tibi videor montibus qui distillant dulcedinem, & quasi unum de coagulatis me suspicaris montibus? utinam vel collis fuerim: *Colles* enim *fluent lac.* Nam etsi fluxus innuit copiam, lactis tamen nomen imminuit gratiam: lac enim parvulorum est. E contra distillatio videtur quiddam sonare exiguum, sed indeterminata dulcedo nos nutrit ad immensum. Quod enim indefinitè depromitur, quid nisi infinitum exprimitur? tanto omni quæ determinata est, dulcedine supereminens, quanto omnis proprietatis determinatione carens. *Stillabunt*, inquit, *montes dulcedinem, & colles fluent lac.* Lac dulce est, sed dulcedo non est. Dulcedo verò & dulcis est, & dulcedo est, & ex eâ dulcia sunt universa quæ dulcia sunt, sive genere differenter, sive gradu præcellenter: quæ enim ejus participatione dulcia sunt, comparatione tamen non sunt. Propterea dulcedo non hæc vel illa, sed simpliciter ponitur: ut ex modo vocabuli pendatur immensitas rei. Valde infinitum quiddam & intimum intellexit Propheta, intimare volens, explicare non valens: *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te.*

Joel. 3. d

Esa. 64. b

3. Refugit immensum illud divinæ majestatis pelagus humani cordis & oris angustias, & tenues quasi per rimulas vix inde ad nos aliquid distillat. Quomodo enim sermone concluditur, quod sensu non pertingitur? Nam etsi in quibusdam omnia etiam profunda Dei legitur spiritus scrutans, non tamen & penetrans. Non est nostri vel otii, vel ingenii pertingere ad illud intimum; & penetrare immensum, & in illam secretæ lucis abyssum caput immergere, & madentibus cincinnis guttis, non noctis, sed luminis (ros enim luminis, ut ait Propheta, ros ille) dulce tibi aliquid inde aspergere. Denique tales à me stillas deposcis, quantitate quidem exiguas, sed qualitate eximias; prudenter satis. Nosti enim ubique ferè scripturarum præponi profluis subtilia, profusis respersa, corpulentis comminuta. Denique hostiarum lex sanguinem jubet animalium fundere, avium distillare: & hoc ipso altare quod foris est, & basis ejus perfunditur; quod verò intus est altare & velum, vel leviter attingitur, vel septies respergitur. Manna quoque minutum legitur, & thus in pulverem redigitur: ut quæ in scripturis exilia quæ extenuata inveneris, spiritualibus attribuas & mysticis sensibus.

Esa. 26. d

Exod. 4 & 16. Lev. 16. c

Lev. 4 & 16. Exod. 16. c

4. Hæc ergo sunt, in quæ te sitis perurget ardentior. Bona hæc sitis: sed utinam, ut legitur, ebrius sitientem assumat, ille ebrius qui *plenus* dicitur *gratia & veritate.* Ille ebrius, de cujus plenitudine nos omnes accepimus: ille ebrius simul & inebrians, qui propinator est & poculum, vasculum & vinum, vinum merum & mixtum: miscuit enim sapientia in cratere vinum. O crater inebrians quàm præclarus es! præclarus plane, veritate radians, voluptate inebrians. Denique in eo reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Bona mixtura, ubi commiscetur veritati gratia, sapientiæ scientia, divinis humana. Quæ Deitatis sunt, mera penitus sunt, ubi nihil est vel partibus compactum, vel materialiter subjectum, vel formaliter affectum; & ideo nec simul, nec successione diversum: sed omnia, quæ in nobis, & per nos, nomine & notione distant, in unam indifferentem & essentialem simplicitatem concurrunt, & indiscrete permiscentur. Hæc ergo mera sunt & simplicia: sed humanis in unitatem personæ per Incarnationis commixta mysterium. In Christo Jesu intuere, quemadmodum personæ est unitas, & essentiæ Trinitas: foris corpus, intus spiritus, in intimis Deus. In ipso & æternitas incœpit, & immensitas crescit, & potentia defuit, & opulentia inanescit, & sapientia nescit, & sermo silescit; *Non clamabit*, inquit, *& non audietur foris vox ejus.*

Deut. 29. c Johan. 1. c

Prov. 9. a

Col. 2. a

Divinæ naturæ simplicitas.

Incarnationis miracula.

Esa. 42. a

5. Quid est, bone Jesu, quid est quod legimus: *Sapientia foris clamitat, & in plateis dat vocem suam?* Numquid non tu es Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodivit? quomodo ergo illa foris clamitat, & tu non clamas? non auditur foris vox tua, illa in plateis dat suam? Numquid non tu Sapientia es, de qua loquitur Apostolus: *Christus factus est nobis à Deo Sapientia?* nobis quidem factus, nam

Prov. 5. b

1. Cor. 1. d

A in se natus: nobis factus, magis autem nos facti in ipso: creati enim sumus in Christo Jesu sicut in operibus bonis, ita in sensibus piis. Immo & nos in ipso, & ipse in nobis. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Formatur in nobis ad vitam, formatur ad veritatem. *Vivo*, inquit, *jam non ego, vivit vero in me Christus.* quomodo non consequenter & dicere poterat: Sapio jam sed non ego, sapit verò in me Christus? Omnia in me: in me redemptio, in me sanctitas, in me sapientia. Non sapit in me Domine, nisi tu, sed non sapis in me nisi te, si tamen in te quæ sursum sunt, sapiam. Gloria enim in confusione eorum, qui terrena sapiunt. Merito ait Propheta: *Qui gloriatur in hoc glorietur, scire & nosse te.* Cum

Gal. 4. c

Gal. 2. d

Ierem. 9. d

B ergo ipse sit sapientia à Deo, & sapientia Deus; sapientia in te, & sapientia in nobis; sapientia scita, & sapientia sciens; sapientia foris, sapientia intus; foris operans & intus aspirans; in opere apparens, & in corde apericns: quid, inquam, est quod sapientia foris clamitat, & tu non clamas? non auditur foris vox tua, & illa in platea dat suam? An forte clamas per peris *evidentiam; sed nondum audiris ad plenam notitiam? Foris clamitas, dum quod es, nobis per indicia loqueris: & item non clamas, dum quod in te es, in veritate lates. Foris clamas, beneficia ostentans; & item non clamas, essentiam occultans. Felix auris, quæ susurrii illius venas percipere potest. Venæ sunt, quæ vitales sunt, & occultæ sunt, & clausæ sunt; &

* id est ignotis

C quod inde nobis tenuiter evaporat, susurrio, immo silentio est quam clamori vicinius.

6. Mira vehementer est Majestatis illius essentia, & intima & subtilior, quàm ut crasso possit corde comprehendi: ad illam capiendam crassum certe est cor omne quod creatum est. Propterea multiplici spissatur & pinguescit ænigmate, umbrarumque quadam & operum mixtura temperatur; & Incarnationis demum induitur habitu, ut possit à nobis facilius capi, frequentius recoli, teneri diutius, retractari devotius. Universa enim quæ sunt de Jesu, inveniuntur, si discutiantur, subtilia: si observentur, utilia. Jucunda in ore, fœcunda in opere, meditatione dulcia: etsi quædam sint imitatione aliqua-

Deus incarnatus ut possit à nobis facilius capi.

D tenus dura. Etenim hæc ipsa exterior afflictio, illa interiori cordis roratur & aspergitur gratia, ut sit molliter aspera, suaviter amara, pinguis & arida: & in craticula Crucis velut assa, sed bonæ spei oleo respersa, sicut scribitur: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Item in Canticis: *Bibi vinum meum cum lacte meo:* ubi & sponsæ ubera assimilata sunt botris. Bonus ille botrus, qui in crucis est torculari pressus, ut passionis suæ vinum myrrhatum & amarum in lactis nobis alimenta dulcesceret, & vulnera in ubera transirent. Contemplanti sunt ubera, & conversanti vina; meditanti suavia, imitanti subamara. In uberibus prælibando quæ futura sunt sapimus, in botris quadam ebrietate carnis motus sopimus; in uberibus

Rom 12. c
Cant. 5. a
Cant. 7. c
Christus botro comparatus.
Mysteriorum Christi quàm dulcis & utilis meditatio.

E complantati ad vitam, in botris consepulti cum Christo in mortem. Ubera nobis sunt, dum dominicæ passionis merito & munere gratiæ sempiterna bona speramus; botri nobis sunt, dum ejusdem æmulandæ passionis zelo à carnis sensibus animum separamus. In uberibus in id quod futuri sumus ex parte reformamur; in botris ab eo quod sumus, paulatim transformamur, donec ad quam creati sumus imaginem plenè conformemur: *Cum enim apparuerit similes ei erimus.*

7. Verè enim nunc cognoscimus ex parte. Donec ergo plene revelet, quod nostræ salubriter notitiæ sustulit; pie retractemus, vel bona quæ contulit, vel mala quæ pertulit, contemplantes non modo delectationes Domi-

F ni, sed & tribulationes. Erit autem quando totum occupabit delectatio, & absorbebitur mors in victoria. Hoc est, quod sequitur: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Vere in palmam ascenditur, quando novissimus inimicus destruetur, mors. Palma coronis est apta victricibus. *Statura tua assimilata est palmæ.* Fide stamus, & fide triumphamus: *Hæc enim est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Bona victoria quæ vincit mundum, melior quæ mortem: fide vincimus mundum, fide vincimus mortem. *Habetis*, inquit Apostolus, *fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vi-*

Cant. 7. d

Cant. 3. b

1. Johan. 5. a

Rom 6. d
Fides vincit mundum.

*tam æternam: hæc est enim vita æterna, ut cognoscamus verum Deum.* Ergo finis est cognitio, fides inchoatio; in fide stamus, & in fine ascendimus: in fide stamus erecti semper & rigidi, mundi hujus nec flexi blanditiis, nec fracti minis: in fine ascendimus, gravi corruptibilitate exuti, mundi nec egentes officio, nec laborantes supplicio.

8. Nec prætereunda distinctio, quod primò dicitur assimilari palmæ, in posteriori assumi in palmam; in quo similitudo non innuitur, sed exprimitur unio. Denique

Cor. 8. d

*qui adhæret Domino, unus est spiritus*; & totus est spiritus, spirituali perfusus & infusus luce & lætitia, totum se perdens, & illum solum apprehendens; nequaquam medicinali afflictione se perdens, ut ibi, *qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam*: sed feliciori quadam ratione, nec vana curiositate extentus extra se, & subtus se: nec sollicitudine necessaria distentus circa se, nec oblectatione privata contentus in se. Divinis mens illic occupata & absorpta theoriis, perfectissima & securitate tranquillatur, & serenitate irradiatur, & suavitate inebriatur: securitas sine periculo, serenitas sine nubilo, suavitas cum ineffabili jubilo.

Matth. 10. d

9. Sed hæc illorum sunt, qui jam avulsi à lacte, epulantur ab introitu gloriæ: confortata sunt ista supra nos, non possumus ad ea. Propterea ab his exclusi epulis, ad ubera redeamus, ab epulis contemplationis ad ubera consolationis, ad ubera, & ad botros; ab illa mera & epulatoria simplicitate, ad hoc poculum temperatum, quod miscuit nobis Sapientia in cratere illo, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis. De quo & dicitur: *Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.* Sit ergo & animæ tuæ umbilicus sicut crater tornatilis, quodam castigationis & disciplinæ ferro attenuatus & tersus, & subtilis effectus, & capax, ut copiose infundi possis & inebriari, meritoque illud tibi conveniat: *Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.* Denique & mulieri fornicanti dicitur: *Non est præcisus umbilicus tuus in die nativitatis tuæ.* Quàm multi hodie in nativitatis suæ die & primo conversionis tempore umbilicum præcidunt, posterioribus adducentes præputium! spiritu incipientes, sed carne consummati! Sit ergo umbilicus tuus non modo præcisus, sed & circumcisus, perpetuaque æqualitate tornatus: ut erasa omni corruptela, immo corpulentia, spiritualis poculi jugitate redundet quasi aquarum viventium puteus, & de cetero non venias huc haurire.

Cant. 7 a

Ezech. 16. a

## TRACTATUS VII. AD ROGERUM ABBATEM.

*Duæ sunt partes hujus tractatus. Priore redarguit ambitiosos, & præsumptuosos. Altera Rogerum commendat à dotibus ad prælaturam idoneis: & hortatur ut perseveret.*

### PARS PRIMA.

1. Persuaderi tibi postulas, mi Rogere, tenendum esse quod tenes, & periculosæ potestatis metum nostris allegationibus attenuari. Oleum certe me jubes adjicere camino, & tui unius occasione multorum cupiditates per se succensas flatu nostri inflammare sermonis. Sed quid flatu dico? *Tenuis*, sicut scribitur, *halitus prunas* hujusmodi *ardere faciet.* Quemcumque hac in causa dederis, satis disertus orator putabitur, & persuadebit facile: ad quod irrevocabiliter fere omnium apposita sunt corda, omnes appositè quodlibet persuademus: cùm autem ad id quod decet, ventum fuerit, ibi laborandum est, & in vanum verba fundenda. Denique & hoc ipsum Propheta se exprobrando subsannat: *Loquimini nobis placantia, videte nobis errores, nolite ea quæ recta sunt loqui.* Bona causa, quæ per se partes oratoris exsequitur, & sine artis opera auditorum animos allicit & emollit. Supervacua erit hæc persuasio, & nihil aliud affectatur, nisi ut de cupidis improbos faciat, & tenuem tollat pudoris obicem, qui solus ambitioni obstare videtur, & æstuantes motus quasi maris aquas in cordis utre concludit. Hoc erit non fenestram, sed ostium aperire, & succensæ fornaci follium admovere spiramina. Lascivus satis frutex ambitionis, & tam-

Job. 41. b

Ambitio non eget incentore.

Esa. 3. b

quam in læta non tam fructificat, quam luxuriat homo.

2. Hæc est radix amaritudinis, quæ sursum germinans impedit, & per illam inquinantur multi, & exstirpari non potest: & quid illam irrigari postulas? Inter manus volentium pullulat rediviva plantatio, & tu illam quadam diligentia exhortationum excoli rogas? Nam si in te prava radix hæc emoritur; sed circumquaque juxta te exoritur: cumque verbum cohortationis ad te missum utiliter fuerit, in aliis forsitan damnose cadet. Plantatio hæc ubique est, sicut myricæ in deserto. Et nescio sicubi lætius frutescit, quàm in terra sitis & salsuginis. Vide mihi istos quorum exsiccatum est corium; quorum pallent ora jejuniis, quorum operosam callus obducit manum, qui elongant & manent in solitudine, qui adoperiuntur sacco, & squalet sordibus cutis eorum: vide, inquam, si non in terra squaloris & solitudinis ipsorum ubertim ambitionis radices increscunt. Denique intra vitales paradisi arbores & læta germina, ubi non habebat homo vestium sinus, quibus peccata reconderet: in optimo solo pravus surculus erupit. Creavit enim Deus universa bona valde.

Ambitio ubique pullulat.

Jer. 17. a & 48 a

In desertis etiam,

& paradiso.

3. Sed quid ego de paradiso retexo? Cælestis illa solitudo, & angelici montes humana conditione & conversatione supereminenter deserti, germinis prædicti ex parte male feraces exstiterunt. Testatur illorum casus, præpositerum qui parabant ascensum. Audi quid princeps dicat: *Super astra cæli collocabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Dicebat hæc non voce, sed voto: non inter astra, inquit, & inter nubes, sed *super astra* & *super altitudinem nubium.* Ipse ergo inter astra matutina creatus & unus de filiis Dei, ceterorum sorte non contentus, solus hereditate possidere voluit sanctuarium Dei, *& in monte testamenti*, in hereditatis dignitate sedere: testamento enim paterni juris confertur hereditas. *Sedebo in monte testamenti.* Quo se proripit improba temeritas? Quid tibi usurpas, quod est Unici? Ipse Filius, ipse unicus, ipse imago est Dei invisibilis, ipse splendor gloriæ, & figura substantiæ, & tu dicis, *similis ero Altissimo?* Si similis eris, nondum ergo es: ipse vero Unigenitus semper est, & ex æquo similis est, & in hoc non adoptatus, sed natus est, & paternæ potestatis jura non accepit per gratiam, sed habet per naturam. Firmum & immobile, & æternum testamentum divinæ essentiæ, indifferens unitas: & tu tibi montem testamenti præsumis? *Super astra ascendam, & super altitudinem nubium.* Satis sit usque huc ausus extendisse temerarios, non esse aliorum communitate contentum. Hic poteris superbiæ posuisse metam: & ascensionis fixisse gradum. *Similis ero Altissimo.* Altitudinem nubium superas, & Altissimo te comparas? concreatis præfers*, & creatori te confers? Inordinati gradus isti, indebitum gradum usurpasti: propterea dejectus es de gradu tuo, & de statione tua: & *detracta est ad inferos superbia tua.* Plantavit te Dominus quasi vineam electam, omne semen verum; sed tu in die plantationis tuæ statim effectus es labrusca, & ante messem totus effloruisti. Effloruisti plane, evacuati sunt flores tui, & non sunt reservati ad messem, non sunt ad maturitatem perducti, sed sicut subjungitur, immatura perfectio germinavit: propterea præcisi sunt ramusculi tui, ramusculi steriles, & infructuosi divinæ sententiæ præcisi falcibus. Et tu ipse, juxta Prophetæ ejusdem insultationem, quasi stirps inutilis, de quietis & gloriæ tuæ loco projectus es, effectaque est habitatio tua in medio doli, & in medio doloris. Poterat superbiæ surculus in paradiso pullulare, sed non poterat perdurare; omnis enim plantatio, quam non plantavit Pater cælestis, eradicabitur. Plantare te voluisti in loco non debito, ideo quasi spuria plantatio non dedisti radicem altam. Denique & nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo: tu autem assumpsisti indebitum, idcirco consumpsisti datum.

Immo in ipso cælo.

Esa. 14. c

Luciferi superbia exagitatur.

* f. præs.

Isa. 34. a

Matt. 5. b

3. Heu me quomodo nullus tutus est ab hoc virgulto locus, nulla immunis regio! radix ista radix cupiditatis ubique fere crescit, & fructificat, occupans terræ faciem, & quasi memor ubi primo orta fuerit, in his peculiarius qui portant imaginem cælestis. Quando Domine eradicabis plantationem hanc infidelem, germen alienum? Quando adimplebitur quod dictum est per

Esa. 26 b Prophetam : *Deserta facta est vinea Sabama, Domini gentium exciderunt flagella ejus?* Sabama attollens altitudinem dicitur. Quid est altitudinem attollere, nisi merita magnificare? Lu. 18. c *Non sum*, inquit Pharisæus, *sicut ceteri hominum.* Aliter Christus nos docuit: *Cum*, inquit, *omnia feceritis, dicite quia servi inutiles sumus.* Docuit me altitudinem virtutum & operum non attollere, sed attenuare; Act. 1. a docuit & fecit, sicut scriptum est: *Cœpit Jesus facere & docere.* Cum enim *in forma Dei esset, semetipsum exinanivit*, & factus est sicut ceteri hominum. Ille inclinavit altitudinem suam, & tu attollis tuam? Quid ergo in vinea *Sabama* intelligitur, nisi ebrii sensus animi, sensus se attollens adversus sensum Dei, sensum de quo dicit Philip. 2. 4 a Rom 12 c Apostolus: *Hoc sentite in vobis, quod est in Christo Jesu, &c.* Et item: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Audi sensum alta sapientem, & se extollentem, & quasi fumum evanescentem in cogitatione sua: Isa. 10. c *Visitabo, dicit Dominus, super fructum magnifici cordis regis Assur, & super altitudinem oculorum ejus. Dixit enim: In fortitudine manus mea feci, & in sapientia mea intellexi.* Dan. 4. e Et alibi: *Nonne hæc est Babylon illa magna, quam ego feci?*

5. Audisti sensum, magnificum sensum se extollentem; intellexisti quid sit vinea Sabama, vinea quæ utinam deserta sit, & non sit qui excolat eam. Audi nunc Apostolum: audi Dominum, & Doctorem gentium: *Domini enim gentium exciderunt flagella ejus.* Audi, quomodo ipse excidat flagella Sabamæ: Rom. 11. c 1. Tim. 6. d *Noli altum sapere, sed time. Præcipe divitibus non superbe sapere.* Flagella, inquit, præciderunt, radicem nequiverunt: exciderunt quod eminebat, non potuerunt quod latebat. Radix ipsa cupiditas, flagellum honor & sublimitas: concupiscentia quasi radix, Honor flagellum. curæ quasi flagella. Adverte quàm signanter loquitur. Nos in sublimitatibus delicias arbitramur: Propheta flagella vocat. Flagellant verè & excoriant animum, & exulcerant tenerum & intentum in Christo affectum. Infelix plane, qui in exterioribus adeo induruit: ut non sentiat Esa. 16. b hæc esse flagella, sed gaudia. *Flagellaverunt me, & non sensi. Deserta facta est vinea Sabama.* Verè deserta à patribus nostris, qui nescierunt possessiones, sed pietatem excolere; non rebus intendere, sed religioni. O tempora! ô mores! Modò fere omnes mundi in se sensum excolunt, mundi hujus spiritum habere se gaudent, sapientiam hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum, quæ legi Dei nescit, immo nequit esse subjecta. Non enim potest cupiditas servire caritati, non novit aliorum onera portare: magis autem sua aliis impingere. Acerrimi corrogatores, parcissimi erogatores, ut verè in eis de Cis Saul natus videatur. Cis namque *durus*, Saul autem *petitio*, id est, de avaritia aviditas, de parcitate improbitas. Durus ventus Aquilo, ab eo congelatæ sunt aquæ: suavis Auster, ad cujus flatum misericordiæ & caritatis fluunt aromata. Durus pater Cis, suavis ille, de quo Math. 5. g Jesus-Christus: *Ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri, qui oriri facit solem suum super bonos & malos.*

Prælatos in temporalibus prudentes, in spiritualibus stupidos perstringit. 6. Quàm dissimiles rerum æstimatores in coëmendis & in transigendis non operibus, sed mercibus! quàm argutè de oris sui sacculo duplicia proferentes pondera! nati & edocti videntur, non apud monachatum, sed apud mercatum: in hoc sensu abundant, satis tenuiter & exiliter & siccè de Christo sapientes. Propter quod Esa. 53. a Propheta: *Brachium Domini cui revelatum est? & ascendit quasi virgultum coram eo, & quasi radix de terra sitienti.* Nihil validum, nihil sublime, sed infirmum & humile, & præter simplicis radicem fidei, sublimioris & divinæ vix aliquid attingentes sapientiæ. Paulus dicit: Col. 1. b *Fructificantes & crescentes in scientia Dei:* isti è contra, propria non contenti inscitia, contemnunt aliorum scientiam, & invidi æstimatores, sapientiæ studia stoliditatem interpretantur, sobriam subtilitatem insaniæ vel jactantiæ denigrant notâ, operantes ipsi cibum qui perit, non qui permanet in vitam æternam; ac si quando de agro revertantur domum, indignantur ad symphoniam & chorum, & junioris fratris ad gaudia grunniunt. Eph. 4. c Bonus junior ille, de quo dicit Apostolus: *Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est.* Bonus junior, de quo item ait: *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt, & facta sunt omnia nova.* 2. Cor. 5 Imprudens ille senior, qui laborem novit, lætitiam non novit. Jure senior, qui in vetustate perdurat, & quæ veteris sunt hominis curat, qui carnis agit curam, etsi non in deliciis, tamen in desideriis: in desideriis copiose possidendi, etsi non intemperanter utendi. *Qui volunt*, inquit, non 1. Tim. 6 delicati, *sed divites fieri, incidunt in desideria multa, inutilia & nociva.* In divitiis non tam abusus, & minus bendi appetitus damnabilis. Inutile & nocivum desiderium, ubi etsi necessitas est in causa, nimietas est in cura. Mala sitis ardor habendi. Hæc ergo est terra sitiens, de qua pietatis & fidei radix infirme & humiliter ascendit, vix se paululùm ab imis subrigens. Denique non potest ista non languere, ubi mundi desideria luxuriant, & vanæ dilatantur propagines. Felix qui has à se exciderit, in quo deserta neglecta est vinea Sabama, vinea scilicet quæ altitudinem suam attollit, altitudinem conversationis ad gradum prælationis. *Sabama* enim etiam aliqua conversio dicitur. nam qui conversionis aliquatenus videntur attigisse initia, hi, inquam, magis, quasi summa flagella, ambitionis agitantur vento. Per se satis hæc plantatio luxuriat; per se oritur, ubi non seminatur, & surgit dum succiditur: propterea non indiget plantari, sed amputari; non excoli, sed excidi.

In eos qui prælaturas non fugiunt quod solos putent idoneos. 7. Sed jam ista sufficiant pro eo, quod non expediat propter alios exhortationem quam exigis, facere. Sed quoniam jam aliquanta in ambitionem diximus, congruum erit si de præsumptione non penitus sileamus. Confutavimus illos ex parte, privata qui cupiditate ad alta feruntur: confundamus, immo & commoneamus & illos, qui fraternæ necessitatis obtentu se teneri gloriantur. quibus laudabiliter quidem occupatio gravis est, & grata quies; sed tamen inani, immo insolenti & tumido timore moventur, si magisterii gradum dimittant, ne non sit cui jure committant: qui sapientes sunt in oculis suis, & coram semetipsis prudentes: qui hoc vanitatis non contenti gradu, cum Elia soli relicti sibi videntur. 4. Reg. 19. Quemdam se Mosen reputant, se supra Mosen. Ille namque dicit: *Domine provide alium quem mittas;* isti dicunt, Exod. 4. Non est alius Domine, quem mittas. *Apprehendet*, inquit Isaïas, *vir fratrem suum, domesticum patris sui:* Isa. 3. b *Vestimentum tibi est, princeps esto noster.* Quid ille? *Non sum medicus, & in domo mea non est panis neque vestimentum. Nolite constituere me principem.* Ac si dicat, Non sufficit ut vestimentum mihi sit, nisi abundet, ut & aliis impertiam. Non est satis ut principatum obtineam, habere vestimentum disciplinæ, vestimentum exterioris conversationis & observantiæ, compositum habere hominem exteriorem, quo tamquam vestimento utor in omni actu & gestu. nam nec mihi satis, multo minus aliis satis. Exiguum est quod in me commendatur, majora expetenda sunt. Parum est, ut ipse sanus sim, nisi & alios sanare possim. Propterea dicit, *Nolite constituere me principem, non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum.* Non sum ego medicus: & iste dicit, Solus ego medicus. Denique quocumque circumspicit, aut imperitia, aut impuritas, aut dolus, aut desidia occurrit, ut solus sit qui prudens sit, & fidelis servus; & ideo in cogitatione sua dicat, Nolite alium constituere principem, ne forte detur puer princeps, & effeminati dominentur. Hujusmodi non indigent persuasione quam postulas. Quamvis enim superiori gradu non delectantur, laborum se tamen lucris solantur, quietis & pacis affectu labori resultant, sed alia ex parte ad uberes operum fructus exultant. Currentem hîc ego sermonem contraho, quia tu jam ad alia traheris, immo forsitan, ut fieri solet, per plura distraheris.

## ALTERA PARS TRACTATUS.

*Qua Rogerum commendat, uti instructum dotibus ad Prælaturam idoneis, & perseverare jubet: prius tamen difficultates & onera prælationis exponit.*

1. Sermone præterito studium gessimus præsumptuosos simul & ambitiosos reprimere: in hoc autem plus justo meticulosos animare. Bone Deus, quid in-

tervalli inter hunc & illum obvenit ! quantus ſæcularium irruens turbo calumniarum calamum excuſſit à digitis, pariterque manum & animum longe abripuit à materia ! Veni vere in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Quando, bone Jeſu, ſalvum me facies à tempeſtate : etſi nondum à tempeſtate, ſaltem à ſpiritus puſillanimitate ? Creſcit & increbreſcit undique tempeſtas, & ego puſillo ſum ſpiritu, & anguſto animo : nec poſſum turbinum impetus, & ventorum rabiem meditationum aura tranquillare. Non poſſum in cordis mei cratere forenſibus litigiis ſpiritualem miſcere lætitiam. *Coanguſtatum eſt ſtratum*, ſicut ait Propheta, *ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non poteſt*. Sanctus Jacob vicibus uxorum mutabat amplexus, & qui ſimul utramque tenere non poterat, ab unius thalamis in alterius jura difficilè tranſibat ; felix ſuo plane judicio, ſi ſolius Rachelis totus in poſſeſſionem cederet. Poterat occalluiſſe animus noſter frequenti tritus injuria, & uſu ipſo contra adverſa durior reddi. Et quidem frequenter ei callus obducitur, & ingruentibus duratur adverſis. O quoties firmum me reputo ad mundi perferendos turbines ! nec eſt jam quòd deliteſcere velim ; & ſicut ſcribitur, abſcondere me à vento, & à tempeſtate celare. At ſi quando inter molles Rachelis mens lenteſcit amplexus : ſolitam ſtatim remittor in teneritudinem, & ad ſufferentiam tribulationum rudis reddor & inſolens. Denique nihil melius arbitror, quàm humilis mutatione loci irruentes declinare injurias, & intrare cavernas petrarum à facie formidinis hujus.

…z. 28 c

…z. 32 a

2. Væ prægnantibus & nutrientibus, in his diebus præſertim. Beata plane ubera quæ non lactaverunt. qui enim lactis indiget alimento, parvulus eſt ; & à perferendam inopiam & rapinam bonorum imbecillem animum gerit. Tales ſunt pro quibus exercenda ſunt jurgia, ſectanda concilia, palpandi rectores, repellendi raptores, refellendi litigantes, redimendi judicantes, conformandi ſæculo qui cum Paulo converſabantur in cælo. Fuêre tempora quando ſugere ſolebamus lac gentium, & mamillâ Regum lactari ; & ecce jam repetunt inſtanter, quod nos forſitan paulò intemperantiùs ſuximus. Sed dum arida vehementiùs ubera premunt, cum temporalium lacte ſubditorum eliciunt ſanguinem, non hunc ſanguinem carnis, ſed illum animæ ſanguinem ; illum vitalem & interiorem, qui ſpiritualibus animi venis includitur, illum de quo Propheta, *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus :* illum, inquam, ſanguinem nimiâ abſorbent & ebibunt inquietatione. Heu quomodo rerum omnium viciſſitudo eſt ! In bello pax nobis, in pace bellum. In pace amaritudo amariſſima ; ſed nobis qui obligati ſumus mundi ad negotia, quos Ægyptia illa prælationis involutos pallio tenet, & providendi ceteris neceſſitate adſtrictos : qui animales adhuc ſumus, qualibus loquitur Apoſtolus : *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Qui autem ſpiritualis eſt, ipſe dijudicat omnia, & à nemine dijudicatur.*

…ælationis …oleſtiæ.

… Principi- …s maximè.

…al. 103. a

…om. 13. a

… Cor. 2.

3. Sed quorſum iſta ? An ut Ægyptiæ in manu ſuſcepti muneris pallium relinquas ? Relinquas, inquam, & refugias cum Joſeph quaſi periculoſum ; vel cum David deponas quaſi oneroſum. Denique ut frequenter expeditus ſeſe daret in ſaltum, exutus & nudatus eſt quo tegebatur pallio. Sufficit enim corpori pigritia ſua, & illud propria ſatis ponderoſitas gravat. Numquid ſuſcepti muneris te quoque velamine nudare volo ? At id contra propoſitum. Suſceptum eſt enim perſuadere tibi, ne onus abjicias paſtorale, quod & rite ſubjiſti, & ratione commoda adminiſtras. nam cùm id parum ex voto ſuſceperis, libens ſemper amoliris, vel periculi metu, vel quietis obtentu. Verendum autem erat ſic affecto, ne dum quodam mens in pendulo fluctuat, in adminiſtrandis aliquid obrepat incutiæ. Sed quomodo tibi perſuadere conabor ; quod jam mihi ferè diſſuaſi ? Sed longè diſſimilis ratio. Denique imperitus ego artifex in difficili habeo ſudare materia ; tibi ad votum concurrunt omnia, & ex ſententia reſpondent.

… Reg 5.

4. Diſſimulare non potes, quod rerum evidentia clamat. Exteriora ſi reſpicias, & ampla, & tuta ſunt : nulla te in illis coarctat inopia ; ſed ne injuria quidem inquietat. Locus ſecretus & conſitus, & irriguus, & fertilis, & nemoroſa vallis verno in tempore avium dulci cantu reſultat, ut poſſit emortuum recreare ſpiritum, delicati animi detergere faſtidia, indevotæ mentis emollire duritiam. Denique hæc vobis aut futuræ jucunditatis auſpicia depingunt ; aut primæ illius qualeſcunque exhibent reliquias, quas inter paradiſi amœna humanæ conditionis ſortita eſt integritas. Sed nullum inquies in hujuſmodi meritum virtutis collocari. Negare non poſſum, quippe cùm media ſint hæc : ſed ſicut ad comparandum meritum nulla, ſic ad quietem conferendam non parum ſunt commoda. Nec nos ita ab antiquis, qui nobis converſationis experimenta tradiderunt, quorum auctoritas antiquior, & puritas amplior : non, inquam, ita ab illis diſſentimus, ut quæ ipſi ad perfectionem impedimenta crediderint, nos virtutis inſtrumenta prædicemus. Illi fortioris animi impedimenta loca fertilia & amœna diffinivere : nos dicamus fomentum eſſe infirmioris, & ejus qui necdum dicere poſſit : *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum. Omnia poſſum in eo qui me confortat Chriſto.* Quæſiverunt antiqui Patres loca horrida, arida ; ut exercendæ haberent abſtinentiæ materiam, & diſtendendi per ſollicitudines animi non haberent cauſam. Corporali indulgentius ſeſe labori impenderunt, ut & cordis libertatem poſſiderent, & vagam evitarent diſcurrendi levitatem, ſimul & conquirendi improbitatem. Denique plus manuum artificio, quàm agrorum cultu vitam tranſigebant ; tenuis anguſtias ſubſtantiæ (ut non dicam nullius) lucro quietis levantes : quippe paucis contenti vel affligendi corporis, vel recreandæ mentis gratiâ. Anxie ſiquidem & miſere cor diſtenditur & diſtrahitur, cui multa providendi, & in longinquum incumbit neceſſitas. Servierunt illi tempori ſuo, nos noſtro ſerviamus. Hæc noſtra ætas in deterius vergens, alios attulit mores. Providentia nunc ſunt permanentibus copioſa, adventantibus curioſa. Nec hos dico adventantes, qui ſæculares ſunt : quid enim mihi de his qui foris ſunt, judicare ? Quamvis nec apud illos ſolita teneatur diſtrictio, ægrè ibi ferentes inopiam, ubi rerum omnium copias arbitrantur. Sed quid illos commemorem, quorum Deus venter eſt. Ipſi abſtinentiæ profeſſores & prædicatores, ipſi primates Ordinis quàm faſtidioſi ſunt alienis in domibus, quàm exquiſitas & elaboratas artificioſe requirunt epulas, quomodo contrahunt frontem, corrugant nares, avertunt oculos, ſi quid minus lepide, minus feſtive apponatur !

Situm monaſterii amœnum, & ſtatum commendat.

Pſal. 73. a

Phil. 4 c

Antiquorum & recentiorum Religioſorum collatio.

Philip. 3. d

5. Sed quoniam hujus temporis malitiâ ita comparatum eſt ; ad utrumque ſufficit manus tua, ut poſſit ſimul oſtentui ſervire, & uſui : pauperum neceſſitati, & divitum vanitati. Quid deinceps ? quales habes officiales ſocios, quàm ſtrenuos, quàm induſtrios, quàm ſollicitos, quàm, quod primum eſt, fideles ? Vix adminiſtrandæ exterioris ſubſtantiæ ad te ſummam deferri neceſſe eſt. Nuſquam fere de tabernaculo Domini egrederis ; in conciliis, in conventiculis, in capitibus platearum, ubi modo diſperſi ſunt lapides ſanctuarii (etſi tui aliquoties) tu rariſſime viderîs. Magnum in hoc argumentum, tibi non gratam inquietudinem, & remotam procedendi neceſſitatem. Te non manus, non oculus, non pes tuus ſcandalizat : alioquin quamvis cum dolore abſcindendum & ſeparandum erat potiùs membrum à capite, quàm caput à corpore. Nullam ergo in his habes deferendi materiam officii. Forte injurioſus videar, & nimis molles afferre conſolationes, erudito exercitatóque indignas animo. Quid enim ſi paupertas incumbat, ſi injuriæ, ſi calumniæ, ſi rei inopia familiaris, immo communis, ſi hujus etiam inopiæ direptio, ſi à latere periculum in falſis erumpat fratribus ; ſuccumbendum erit viro forti & fideli ? cedendum loco ; & contra Pauli monitum deſerenda collectio ? Immo quidem tenenda & tuenda tanto amplius, quanto periculoſior inſtiterit dies. Denique fere hæc omnia tranſcurriſti teſtamentorum genera : qui vero in arduis cucurriſti, numquid in planis effundentur greſſus tui ? aut qui egere didiciſti, abundare neſcies :

Officiales ſeduli & fideles, magnum prælatis ſubſidium & ſolatium.

Heb. 10. c

Philip 4. c

* Supple nesciens.

cum Paulo esuriens, sed cum Paulo saturari *? Immo utroque in genere bene instituti animi documenta præbuisti; susceptum conversationis iter continuo, nusquam interrupti tenoris filo deducens. Ego verò his fortioribus omissis, mediocri incedere via, & ea commemorare *, inquietudinis à te quæ causas amoverent: cum altissima in paupertate quietum te semper audierimus, plus fide & manu nitentem, quàm vel pudenda mendicatione, vel turpi nundinatione.

* Supple volui.

Duo Prælato necessaria, peritia & gratia.

6. Sed quoniam multa de facilitate administrationis diximus, consequens est, ut administrandi peritiam non transeamus. Peritiam dicam, an gratiam? immo & peritiam, & gratiam. Inepta erit quamlibet apta materia imperiti inter manus artificis; ipsa vero peritia aut perniciosa erit, aut inefficax, si gratia dirigente destituatur. *Nisi* enim *Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Collatas tibi dotes forsitan dissimulabis: sed quod humilitas dissimulat, utilitas clamat. Quid nunc ego commemorem prædia, quid pecunias, quid vasa, quid vestes, quid ædes, quid homines, quid omnia & orta, & aucta in manu tua, quæ vel rerum exteriorum sunt, vel religionis; ex quo te Dominus ligavit ad arandum loco suo, ad confringendas glebas vallium post se? quanta piarum surrexit seges animarum? quomodo valles tuæ abundant frumento, frumento de quo dicitur: Quid *bonum ejus, aut quid pulcrum, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Non potes administrare sine gratia, quod per te sic excrevit in gloria. Gloriosa plane facta sunt in civitate tua, sed per manum tuam. Pro eo enim quod fuit derelicta & contemptui habita, & non erat qui transiret ad illam; ecce quomodo posita est in superbiam sæculorum, paupertate tempestate convulsâ, absque ulla consolatione. Quomodo nunc strati sunt per ordinem lapides tui, & fundata es in sapphyris? Si in sapphyris fundata, ubi consummata? fundata es in sapphyris. Fundamentum humilitatem sonat, sapphyrus puritatem: humilitatem conscientiæ, & puritatem scientiæ; humilitatem conversationis, puritatem contemplationis. Fundata es, inquam, in sapphyris; propterea dicitur: *Nazaræi tui candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyris pulcriores;* in primo contriti, in secundo nutriti, in tertio roborati, in quarto purgati. In primo pœnitentes, in secundo innocentes; in tertio amantes; in quarto contemplantes. In primo mortificati; in secundo vivificati; in tertio inflammati; in quarto illuminati. Et hoc hoc totum, quoniam *fundata es in sapphyris.* Tu ipse fundamenti vice fungeris per exemplum & providentiam; sapphyrum te exhibes per verbum & sapientiam. Denique vox tua suavis, & decora facies; vox verbi, & facies exempli; vox prædicationis, & facies conversationis: propterea adolescentulæ diligunt te nimis. Quod si tu discesseris, cui alteri dicere poterunt, ostende nobis faciem tuam, sonet vox tua in auribus nostris? Cujus alterius poterunt & inniti exemplis, & intendere sententiis? quis similis tui, ut vocet & annuntiet, & Ordinem exponat? Fundamentum aliud tale quis poterit ponere, quale positum est, Abbas Rogere? Filii tui sicut novellæ plantationes; filiæ tuæ compositæ: circumornatæ ut similitudo templi: promptuaria plena; oves fœtosæ, abundantes in egressibus suis. Quomodo non beatum, quomodo non sanctum dicemus hominem cui hæc sunt? quomodo non Dominus Deus ejus, cujus tales divitiæ ejus?

Psal. 126. a.

Zach. 9. d

Thren. 4. b

4. Ordines Religiosorum.

Qualis debeat esse Prælatus.

7. Hæc ergo sunt, quæ manifesta dant indicia, quòd Dominus in ministerio tuo elegit te, & non abjecit te. Hæc tibi persuadent, ut teneas, quod tam utiliter tenes. Tantorum ubi te solatis conscientiâ operum, quid est in quo nostra tibi videbitur necessaria persuasio? Domesticæ tibi persuadent virtutes, ut teneas, ne alius accipiat locum; persuadet tibi tam domestica industria, quàm aliena ignavia; prosper successus, & pravus successor. Novi animum tuum, novi studia, novi mores, vel naturaliter collatos, vel industriâ comparatos; novi quàm facilè hoc onere careres, si inveniretur cui digne conferres. Contendunt inter se affectus & ratio: affectus humilitatis & utilitatis ratio. Gratum duceres tibi vacare, & Deo: sed

In regimine.

A grave item locum tuum deserere vacuum. Vacuum plane: quis enim supplebit illum? Quis dabit nobis alterum Jacob, qui in baculo suo transivit Jordanem, & nunc pluribus cum turmis regreditur? Quis, inquam, talem nobis parabit, qui sciat inter Liam & Rachelem moderatè discurrere, unius fœditatem fertilitate compensans, sterilitatem alterius decoræ formæ prætexens gratia. Non est tui similis, qui ita sit contemplatione suspensus, ne fiat operatione remissus; qui propter otia sapientiæ, providentiæ negotia non deserat, qui sub obtentu utilitatis in jura non transeat otiositatis; qui non ita Liam commendet, ut Rachelem condemnet, aut certe contemnat; cui nec Lia sit infœcunda, nec Rachel fœ-

Gen 32. In actione contemplatione.

B da. Qui die & nocte æstu aduratur & gelu, sollicitus ne gregis damnum sustineat; sollicitior si quid damni contigerit, de suo ut reddat; reddat lacrymis, reddat jejuniis, compassione, oratione, exhortatione. Qui in reditu suo avaritiæ nesciat idola: qui etsi illa habet in comitatu, non tamen habet in cultu: si habet in sarcinis, non habet tamen in sacris: qui pietati, non pecuniæ serviat, sicut legitur: *Pecuniæ obediunt omnia.* Denique & *avaritia idolorum est servitus.* Qui & avaritiam nesciat exteriori in occupatione, & corporalium quasi idola formarum æternarum in contemplatione; sed utrimque sit ejus, & pura & prudens, tam intentio quàm intuitio. Videbis multos tenero ad Deum affectu, generoso vultu,

In gregis detrimento.

In abundantia.

Eccli. 10. Col. 3. a

C pura & pulcra sicut Rachel facie, sive conversationis, sive cogitationis; sed infirmo & femineo adhuc consilio, alterius Jacob regi arbitrio egentes. Denique Rachel dum ad Jacob agenda non retulit, clam patris sui Laban idola tulit. Tulit, inquam, idola Laban, tulit quædam simulacra mundanæ honestatis, mundani favoris, mundanæ dealbationis. Laban enim *dealbatio* dicitur.

In consilio.

8. Annon tibi videntur quædam Laban idola in itinere tulisse, & sæcularis simulacra vanitatis, qui superfluos nescio quos lepores religioni superinducunt? qui antiquæ observantiæ regulas novellis dispensationibus temperant: & vinum suum aquâ miscent, qui laboriosam Patrum vineam in

In dispensationibus.

D molles olerum hortos transferunt, & monachorum duritiam in mundi delicias? sicut enim scribitur, *quorum Deus venter est:* similiter dici potest, quorum Deus vanitas est; & sic per singulas sæcularis dealbationis & delectationis species. Quantum vereor, ne nos revertentes de Mesopotamia Syriæ plurima hujusmodi nobiscum idola portemus, non jam clanculo, sed in propatulo; neque Jacob nesciente, sed planè consentiente. Quædam Rachel patris idola, quæ cupide sustulit, caute operuit, quod femineo & molli tenebat affectu, infirmitatis obumbrans & excusans obtentu. Sed quod Laban adoravit, & Rachel occultavit, Jacob ignoravit; quod apud Laban erat in honore, apud Rachel in amore, cognitum apud Jacob in

Phil. 3. d

E horrore. Propterea quod ille in propatulo coluit, illa in periculo ad tempus occultavit, iste in perpetuum sepelivit. Sepelivit, inquam, & suffodit deos alienos subter terebinthum: sub arbore fidei, ambitionis vanæ & sæcularis apparatus memoriam.

Gen. 35. a

9. Denique fideli animæ post tentationem in promissione dicitur: *Erit in ostensione sicut terebinthus, & sicut quercus quæ expandit ramos suos subter terebinthum, quæ est post urbem Sichimorum.* Sichima *humeri* dicitur. Boni humeri illi, de quibus legitur: *Posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Bonus humerus Christi Jesu: *Factus est enim principatus super humerum ejus.* Post hanc Sichimam posita est terebinthus; plantata est in passione

Isa. 6. d

Psal. 67. Isa. 9. b

F Christi & fide. Felix qui in hac arbore triumphat omnes principatus & potestates, & sub ejus radice vanitatis universa infodit simulacra: *Ventus enim & inane simulacrum eorum.* Et ideo mundi pompa simulacris jure confertur. Non est hoc infirmæ animæ, & femineæ, & fragilis; sed luctatoris cujusdam & supplantatoris. Denique non est Rachelis, sed Jacob; nam etsi plures Racheles, sed non multi Jacob. Rarus qui sciat Esaü supplantare, Laban fallere, deos ejus infodere; infodere, inquam, & sepelire veterem hominem, mundi imaginem, sæculi hujus conformitatem, ut non amplius confor-

metur huic sæculo, sed reformetur in novitate sensus pii, A complantatus factus similitudini mortis Christi, ut simul resurrectionis fiat. Hoc est enim damnare & delere & defodere idola Laban, si veteris & terreni quam portavimus hominis imago fiat in absconsionem, & novi & cælestis in ostensionem, sicut terebinthus.

10. Hæc idcirco tam sollicite distinguo, ne forte vir subjiciatur, & mulier præficiatur; ne fortis orietur, & fragilis negotietur; ne Jacob decedat, & Rachel succedat. Quamvis novelli isti, qui temporibus his prodire cœperunt, compositi & nitidi & dealbati, & quædam progenies Laban, qui *dealbatus* dicitur, nec Rachelis in hoc adæquant modestiam: quod illa vanitatis mundanæ formam infirmitatis obtexit & excusavit velamine: isti B vero sæcularitatis & superfluitatis negotium colore depingunt & palliant humanitatis, non expurgantes vetus fermentum, sed magis ostentantes peregrinis ciborum festivi confectionibus, & copioso conviviorum laudabiles apparatu. Longum erit si multa vanitatis percurrere velim genera, & jactantiarum catalogum texere. Hi sunt quos videas in gestu Thrasones *, in conviviis caupones, in conviciis Gnathones *: hi sunt qui sibi videri volunt in capitulis Catones, in causis Cicerones, in metris Marones; denique in collocutionibus sunt mimi, non monachi. Copiose jocosis verborum salibus fluunt, non illis de quibus Apostolus; *Sermo vester semper in gratia sale conditus sit.* Magis illo de quo Dominus: *Quod si sal in-* C *fatuatum fuerit & evanuerit, in quo salietur?*

11. Propter tales ergo videris mihi studiose retentandus, & non commutandus; & si qui alii, apud quos antiquæ (ut aiunt) rusticitatis resedere vestigia: ne si bonum salem abjiciamus, infatuatum suscipiamus, & contingat illud propheticum: *In siccitate messes illius conterentur, mulieres venientes & docentes eam.* Possem singulas tibi Patriarchæ appingere virtutes, & ampliorem ad commendationem in nomine Jacob assimilare: sed parco, ne dum amico grandi voce benedico, similis videar maledicenti. Tu tamen nisi penitus te non novi, licet ista aliquoties tecum reputas, tibi non imputas. Hæc ergo sufficiant, & de administrandi facilitate, & de gratiarum D ubertate, & de substituendorum raritate. Quid si commissum munus & facile potes, & commode exsequeris; & nescio, si modernorum quisquam commodius? Nihil jam quid obstet video, nisi forte inferiore in gradu uberiorem meritorum tibi gratiam polliceris: tibi quidem, sed non aliis: tibi, sed non Ecclesiæ Christi, & ideo nec tibi; in quo solo Christus compensare non potest, quod in pluribus perdet. Sed hoc si videtur, alteri tempori reservemus: nunc enim caram nostram sepelivimus, & sermo nostris psalmis mutandus est.

Marginalia (left): Perstringit [...], qui in [m]asteria [...]entu hu[man]itatis va[ni]tatem in[...]ducunt. — Thraso, [...]es vanis[...]us [G]natho, [...]alus vora[...]imus. — 4 a [Col]. 4. 5. b

## SERMO

*De semine Verbi Dei.*

1. UT abutar verbis apud vos Apostoli, quæ modo audistis: *Libenter sustinetis insipientem, cum sitis ipsi sapientes.* Paulus hæc dixerit exprobrando: ego dico commendando. Commendo aviditatem vestram, commendo & humilitatem: siquidem verbi Dei auditum ardenter æmulamini, & à me parum ad id idoneo reverenter audire dignamini. Denique, sicut scriptum est, cum ipsi ebrii sitis, nihilominus sitientem assumitis. Propterea dixi, libenter sustinetis insipientem, cum sitis ipsi sapientes: quamvis non tam me sustinetis, quam à me verbum extorquetis. A vobis accepi mandatum, à vobis materiam, quasi in omni possim solo viventis aquæ venas reperire, & seminare super omnes aquas, & sub hora verba mihi ad votum exuberent. Utinam tum mihi fiat juxta fidem vestram, & membra mea omnia in linguam laxentur, & cum Propheta dicere possim: *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tui?* 2 Cor. 11 d / Deut. 29. c / Psal. 34 b

2. Ego vero quantum possum pro tempore enitar, & labia mea non prohibebo. Tantum id cavete, ne verbum Domini ad me, immo ad ipsum revertatur vacuum. Neque enim revertetur, dummodo non cadat secus viam; non cadat supra petram, non cadat in spinis. Ab his, inquam, observate vobis, à viis, à petris, à spinis. Primi impedimenti causa inimici calliditas, secundi cordis nostri duplicitas, tertii curarum multiplicitas. In primo imprudenter nos custodimus; in secundo segniter excolimus; in tertio nimis diligenter aliena curamus. In primo molliter resistimus; in secundo ab incœpto desistimus; in tertio rebus supervacuis sollicite insistimus. In primo cogitatio nostra mollis; in secundo mobilis; in tertio molesta: immo in hoc tertio simul & mollis, & mobilis, & molesta: mollis in voluptatibus, mobilis in transitoriis divitiis & facultatibus; molesta in anxiis & sollicitis cupiditatibus. Anxiæ enim sunt & molestæ rerum transeuntium curæ, & cupiditates: quippe cum earum & difficilis sit quæstus, & citus transitus, & inanis, ut non inhonestus dicam, fructus. Mat. 13. a / Causæ cur verbum Dei non fructificet.

---

# EPISTOLÆ EJUSDEM GILLEBERTI.

## EPISTOLA I.

### Ad Fr. Richardum.

*Richardum correptione, ut apparet, vel nescio quo asperiore verbo offensum; sed jam denuo placatum commendat.* E

1. TAm vero quam veteri uteris, mi Richarde, proverbio: *Omnia cum amico deliberanda esse; de ipso tamen prius. Noli*, inquit Propheta, *amico credere, & in duce ne habueris fiduciam. Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.* Simulatæ amicitiæ veras in suspicionem adducunt, & virtutis hujus raritas facit, ut de veritate dubitetur. Felix qui neutram impingit in partem; sic in contrahendis amicitiis prudentem se exhibens, ne F sit in providendo nimius. Inutile siquidem arenæ mandare semina; miserius multo non seminare omnino, ad ventos & nubes respectantem. Vilissimis in rebus solliciti possessores sumus; in pretiosissimo possessionis genere (amicitias dico) omnino inutiles. Lapsantem amicum quis fere est qui relevet, cum domum ruentem nemo non suffulciat? Hæc idcirco dixerim, ut virtutem hanc in te commendet ipsius raritas, & multitudini collata negligentium clarior emineat. Mic. 7. b / Non facile credendum cuivis amico. / Amicorum delectus.

2. Perspecta Epistolæ tuæ facie philosophicum mox illud recensui: *Et post malam segetem serendum est.* Tanta aviditate ad amicitiarum mihi videris æstuare commercia, ut ubi paulo ante naufragium pertuleris, navigatione iterata restaures. Prudenter plane unius forsitan horæ felicior proventus longi temporis recompensabit incommoda. Et ut de domestica aliquid Philosophia ingeram, Apostolicum illud in te experior: *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Tanta verecundia amici castigas erratum, ut credaris veniam prætendere, non intendere querelam. Denique sic me amica mordacitate corrodis, illo ut me sale leniter perfricari sentiam, quem Domini sacrificiis abesse non licet. Volasti ad me unus de Seraphim succensus ac flammigerans totus: & urenti carbunculo quem de altari tulisti, labii nostri lapsum expurgas. Quanto mihi gravior culpa, tanto gratior correptio. Vere alium te experior quam arbitrabar. Nunc tandem aliquem mihi gustum prudentiæ tuæ dedisti: siquidem in patientia sapiens dignoscitur. Patientiam tuam admiror & veneror. Dissimulas injurias, provocantem reformas ad gratiam; complanas exasperantem, & immeritum muneras, immo male meritum. Munera tua munera mihi grata sunt, grata auctore, grata & usu. Illa & te mihi præsentant, & me informant. Nesciunt muta esse munera sapientis. Quid enim mihi in baculo innuis, nisi ut rectus sim & rigidus? Ne sim arundineæ flexibilitatis & Seneca Epist. 81 Ducil. / 1. Pet. 4. b / Lev. 2. / Prov. 19. d

Isa. 36. a. & 4. Reg. 18. d fragilitatis, juxta illud Prophetæ: *Baculus confractus* A *arundineus Ægyptus, in quo qui innititur perforabuntur manus ejus.* Talem tu me invenisti, & confractionis nostræ hastulis manus tuæ cruentari poterant; nisi quod illæ solidiores sunt, & oppositos retundunt aculeos. Benedictæ manus, quæ nesciunt calamum quassatum conterere, magis autem considerant*: neque linum fumigans extinguere. (* forte consolidant. Isa. 19. b) *Confundentur qui operantur linum, pectentes & texentes subtilia*, ait Propheta. Propterea confusionem indutus sum, qui lanæ simplicitatis tuæ, simulationis meæ linum subtexui: in cujus duplicitatis suggillationem geminum mihi forsitan calicem transmiseris. (Prov. 20. d. Abac. 2. c) *Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile. Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum & inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus: replebitur ignominia pro gloria.*

3. Quorsum ista, frater, nisi ut lenitatem tuam commendem, condemnem autem iniquitatem meam? Sed B quoniam longum est per singula currere capitula, verbum tibi abbreviatum & consummans facio. Insipienter locutus sum, & quasi una de stultis mulieribus. Agnosco delictum: ignosce tu. Rogatus non negabis veniam, quam gratis offers. Possem excusationes prætendere, attenuare immanitatem reatus, peccati pondus alii impingere; & in ferientis caput quo vulneratus sum, ferrum vibrare: sed parco, ad precem magis supplicationesque conversus. Nolo enim, dum scissa resarcio, utcumque sarta rescindere; & ut latus meum protegam, alterius C vulnerare. Hoc tamen non sileo: Domus vestra non bene compacta est; squamis se prementibus, una uni non firmiter cohæret: & nimis facile non pacis, sed dissensionis (Job 41. a) spiritus incedit per eas. De cetero quod diem protraxerim, quod diu noluerim, quod tarde facio, quod oneri te mihi futurum dixerim, strictim respondeo. Multa inter loquendum proferimus, alienum magis animum prætentando, quam præcipitando nostrum. Nam & nude tecum loquar, & ex cordis mei sententia: societatem tuam optavi & opto; sed distuli, ut commodius fieret, solatio te magis, quam oneri mihi futurum præsumens, propter morum forsitan studiorumque similitudinem. Utinam æternum te magis, quam ad tempus recipiam, D ad manendum, non ad remeandum. Vale.

## EPISTOLA II.

### Ad quemdam Adamum.

*Hortatur Adamum, ut aliquando memor propositi, religiosum statum amplectatur.*

1. **Q**Uantum te cupiam in visceribus Christi Jesu, mi Adam, utinam ipse nosses, quod noster tibi sermo explicare non sufficit. Jampridem id optaveram, sed temperabat votum desperatio quædam. Nunc autem solito uberius excrevit, & increbuit desiderium, exarsitque E in concupiscentiam conversionis tuæ, concepta jam spe, sed satis tenui, de verbis tuis: veritus (quod pace tua dixerim) ne verba illa levi tibi quodam exciderint mentis impulsu momentaneo. Sed dixeris ea ut libet, & fuerint vel nimis promptulo subitaneoque elapsa affectu, vel provida deliberatione prolata: omnino nisi bene de te sperare non possum, domestico commonitus exemplo. Atque utinam ipsum te nostra commoveant, immo commoneant exempla: & arreptis pennis columbæ in locum quietis felici me compendio prævoles, qui tardius cœperis. Quam latam & patentem ad æmulandum fenestram dederis, mox aliis futurus exemplo; & ut de nostris interseram, ingens ostium ad virtutis viam. Denique audire mihi videor de Canticis illud tibi decantatum iri: F (Cant. 1. a) *Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum curremus.*

2. Felix plane, & bis felix, si conversionem tuam salutis occasionem aliis effeceris: si ad vitam veritatemque traxeris, qui post te currunt modo; volebam dicere in vanitate, sed veritus sum, ne forte tenerum & nascentem adhuc in Christo affectum contristem. Non quod ego artium eruditioni derogo, & liberalium doctrinarum promptæ memoriæ, & perspicuæ intelligentiæ, in quibus scientiæ consistit integritas. Bona enim artium notitia, sed si quis eis legitime utatur, id est, tamquam gradu quodam & vestigio, non quo stetur & inhæreatur, sed quo utendum sit ad superiora quædam & sanctiora, & magis intima arcana sapientiæ; in reconditos & suaves recessus, & in ipsam lucem inaccessibilem, quam inhabitat Deus. (Studia [...]tium [...]lium [...]nus [...]da.) Quam artium omnium artem dixerim, & legem, & formam, & normam, & rationem, & exemplar universale, uniforme, invariabile: ultra quam sicut nec progredi possumus, sic nec citra subsistere debemus: cujus respectu omnis alia quæcumque & quantacumque fuerit sapientia, non modo vana est, si istam non æquat, sed etiam iniqua, si ad hanc se non dirigat: si ita studium nostrum sollicitet & alliciat ad se, ut delectationem nostram detineat & deludat in se, hocque fine contritus conquiescat animus, repulsam passus ne pergat ad secretiora: pastus inanitate & quasi pictis epulis, ut numquam esuriat & numquam degustet quam suavis est Dominus. Quid enim nisi suavis Dominus*? Delectat te vehementer, animum amoremque abripuit attraxitque ad se tuum exigua hæc & ambigua naturarum rationumque notitia, ad quam vix longo circuitu & sinuosis anfractibus pervenitur. (* forte, enim nisi Do[...]nus.) Quid ergo ipsa, à qua omnia hæc & instituuntur ut sint, & illustrantur ut nota sint, creatrix Sapientia? Nonne multo ambitiosius ejus se tibi commendabit perceptio; suavitatemque suam blandius serenatis infundet sensibus, inusitatis affectibus inexplebilem in se provocatura concupiscentiam? (Sapient[...] vina q[...] angustio[...] turali?) Siquidem *qui edunt me*, inquit, *adhuc esurient: spiritus enim meus super mel dulcis.* (Eccli. 24.)

3. Ampla quædam habes, amice, ad hoc ipsum mel receptacula; acre dico & exercitatum ingenium, multarum subtiliumque rerum scientiam. Sed ego hæc quasi capaces favorum cellas reputaverim, & adhuc vacuas. Accede ergo, ut infundaris, ut repleantur receptacula tua; exuberent & redundent & refundantur in nos, jure tibi applausuros in illud Cantici: *Favus distillans labia tua.* (Cant. 4.) O si quando in domo Domini disputantem te audiam, secretos sacratosque exponentem sensus, attingentem & distillantem tenuiter nobis aliquid de divinæ majestate essentiæ, de æternitate, immensitate, simplicitate: ubi nihil exiguum est, quia simplex est: nec multiplex, quia immensum est: sed totum infinitum est; non temporali successione, nec mole & distensione locali, sed vi essentialique potentia. (A sæcula[...] scientia [...] ad divina[...] dia horta[...]) Quæ quidem tota ubique est, sed in se tota: quoniam in nullo tota ejus virtus, veritas, voluntas vel expenditur, vel exprimitur. Ubi possunt disputandi gradus quidam esse, & distinctæ secundum nos significationes nominum, res autem unica & inseparabilis. Plena sunt omnia admiratione, & digna veneratione, & investigatione delectabilia. Denique ut scriptum est: *Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* (Eccl. 1. b.) De hujusmodi te libenter prophetantem audiam; & cum te in immensum pelagi hujus profundum immerseris curiosus scrutator, aspergentem his qui ad uberiora habiles non sunt, suavem vitalis rorem sapientiæ. Cum vero divina te converteris ad beneficia, tunc profusius explicantem, & expedientem copiosius quæ senseris de venia, gratia, gloria, de his quæ vel dedit, vel reddidit, vel addidit, & universis quæ pro nobis pertulit & contulit nobis Dominus; proponentem nobis præcedentes in Christo passiones, & futuras glorias, patientiam tribulationum, & exspectationem retributionum, elementa fidei, & morum instituta, & singulos percurrentem renovationis & profectuum gradus. Copiosa hæc plane materia & concupiscibile negotium: nec est ubi se fœcundius & fructuosius exercere potest quamlibet vel ardens vel eruditum ingenium.

4. Hæc idcirco dixerim, ne inanium te studio excuses litterarum: umbram secteris, privandus lumine: ne Aristotelicis distortus argutiis, silentium nostrum & simplicitatem causeris. In his enim vel maxime administratur occasio, ut revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformemur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu. (1. Cor. 3. d.) Otiosumne tibi nostrum videtur & iners silentium, in quo istud geritur negotii? In quo & traditur & exercetur ars quædam velut directam

tam ad lineam progrediendi in Deum, transformandi & transmutandi se in novum hominem, in novum Adam; & pertingendi usque ad sensum Christi, in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ Dei? Perennes omninò hic & fere in promptu sunt radiantes omnino metalli venæ, si tamen in altum quis fodere maluerit, quàm foris mendicare.

5. Non ego tibi nunc collata in te divina recenseo beneficia, gratias Domini, & ingratitudinem tuam; immo malam mercedem optimo relatam muneri. Non perniciosa sæculi oblectamenta, in quæ ardenti proruitur studio, ita ut Domino terga vertamus, & non faciem, quantum possum verbis extenuo; nec medicinales in præsenti expono molestias; non futuras intendo pœnas, & propono gloriam, nec in longinquum metum vel exspectationem tuam mitto. Tantum de instanti persuadeo pingere *, non de futuro præmio; de primitiis, non de plenitudine. Non est facultatis meæ rem verbis prosequi; nec dignum est tantæ majestatem materiæ angustiis oris nostri coarctari. Tantum experiri velis, & scies, quoniam cantabiles justificationes Domini, etiam in loco peregrinationis hujus: & futuræ in fine sæculi messes, primitivis seminantur in gaudiis. Noli dulcia * differre in annum: noli, quæ se tibi ultro ingerit obsistere gratiæ. Væ mihi si illam excluseris à te quam inveni penes te. Sequere alacri & impigro pede, quo te prima ejus vocant blandimenta. Jussisti ut mitterem ad te, atque utinam ibi inveniaris, ubi dereliqui te, in ipsis dico januis, & fere in limine, jamjamque exiturum de conversatione sæculari. Si tibi in aliquo necessarius videbor, totum me impendam, quia totum debeo. Præsentiam magis, quam epistolam exspecto. Vale.

## EPISTOLA III.

### Ad Fratrem Guillelmum.

*Dehortatur eum à periculosa profectione in Curiam, & aliam quamdam spiritualem profectionem commendat.*

Dilecto Fratri Guillelmo Fr. G. Salutem in Domino.

1. DEsideratissimus Frater noster R. abunde suo nos exhilaravit adventu: & nunciata incolumitate vestra, gaudio uberiore perfudit; salutationis obsequia deportans, repostulans suffragia orationum. Utinam copiosius solito ad munus istud manus nostra sufficiat, & tanto plenius absolvam, quanto parcere nobis in reliquis decrevisti. Audivi etenim te satis crebro repetitisque verbis plenis significantem frequentius ingessisse, orationes ut tibi sollicitius impenderem; de cetero fore me securum. Præclare, frater, omnino, & ut virtutis virum decet. Quid enim? aliudne est quod vel quisquam libentius rogare debeat, vel monachus licentius possit? Erubesce ad quorumdam impudentiam, qui cum omnia sperare debeant, necessaria quidem, à Patre monasterii; emendicatis undecumque suffragiis, subtiles quasdam & exquisitas exinde pelliculas comparant; portentuosas vestes & peregrina palliola, ceteraque quæ enumerare longum est, in odoribus, coloribus, saporibus, voluptatis irritamenta, instrumenta vanitatis. Denique quos temperare oportuerat ab his quæ concessa sunt usui; ostentui impudenter inservire videas. Quem nævum longe abesse moribus tuis, vox illa tua toties replicata declarat, & detergit à te lepræ hujus colorem nimis late respersum. Durus ego & inhumanus, & cum in reliquis formosus sim; ut ipsi aiunt, denigrata est in hac parte super carbones facies nostra, quod erogare non novi, nisi quæ consuevi rogare. Obloquantur quantum voluerint; improbitatem suam avaritiam nostram faciant, & de mollitie suâ cudant mihi duritiam. Ego quidem posui faciem meam ut petram durissimam; & confracto illorum malleo, spero, quoniam non confundar. Fuerim minus communis, fuerim tenacior; libenter hoc me nævo decolorari sinam: dummodo panem filiorum canes, immò catelli isti delicati & tenelli non comedant, nec sordes pauperum Christi, supervacuas aliorum munditias faciant; neque de rugiente fratris ventre vanum mihi nomen & falsos conquiram favores.

2. Sed me interim omisso ad te ut revertar, commoneamque aliquid à nobis esse petendum; orationes tu postulasti, ego ex abundanti ad exhortationem me verto; æmulor enim te Dei æmulatione. Timeo autem ne corrumpantur sensus tui à simplicitate quæ est in Christo: ne incassum pro te preces effundantur, qui ultro prorumpis ad casum; frustraque liberari te roges, ad laqueum consulto festinans. Profecturus es, ut audio, ad curiam, eoque profecturus, ubi impeditum iri te suspicaris. Veteres vadis cum Duce renovare necessitudines, sepulta, immo sopita suscitare desideria, juxta illam de struthione parabolam, compressas diu & complicatas in altum alas evecturus, cum tempus acceperis. Sed & ciconia & hirundo visitationis suæ diem cognoscunt, cum aura cœperit flare tepidior. Manifeste ad te loquor, quæ alii in occulto forsitan loquuntur de te. Ad curiam vadis, & ignoro an vocatus. Quid illic tamen acturus? Animæ tuæ curam cum Duce communicaturus; æstus cordis tui ejus refrigeraturus alloquio? Ita fortassis, sed eo frigore, de quo scriptum est: *Refrigescet caritas multorum.* Audi denique hujusmodi exprobrantem Prophetam: *Quid faciam tibi Ephraïm? Quid faciam tibi Juda? Justitia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Matutina plane, magis autem momentanea: cum enim vix spiritu cœperint, mox carne consummantur. Tales multos tolerasse se queritur sponsus in Canticis: *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Nam cum propter vitæ sublimitatem quasi Domini in caput ascenderint, hærent in crinibus; & majore in exterioribus & à vitali spiritu alienis occupatione insensibiles redditi, quæ Dei sunt, sapere nesciunt. Denique non habens in talibus, ubi caput reclinet, si quem intus repererit, aperiri sibi rogat.

Curiæ commercium religiosi propositi detrimentum.

*Job. 39 b* — *Ierem. 8. c* — *Mat. 24. a* — *Osée 6. b* — *Cant. 5. a*

3. Utinam & tu intrinsecus commoreris, & pulsantem statim ad ostium Jesum cum cordis susceperis hospitio, glorieris, & dicas: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Vicissimque gratam illam laudis vocem accipies: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus:* signaculo quidem luminis & cordis lætitia, signaculo septiformis Spiritus, quod solvere nemo nisi solus ipse poterit, qui portam orientalem singulariter ingreditur alienis clausam, juxta illud Prophetæ: *Alieni non transibunt per Jerusalem amplius.* Tali inclusus paradiso voluptatis, immo ipse sicut ager irriguus, & sicut fons hortorum, cujus non deficiunt aquæ, alienorum obsurdesces ad vocem. Si sæculi te vexaverit ambitio, si dignitatum occasio vocaverit, & invitaverit blanda pestis, spes honorum aliqua, sponsæ continuo respondebis verbis: *Exui me tunica mea, quomodo induam eam? Lavi pedes meos, quomodo illos inquinabo?*

*Isa. 24. c* — *Cant. 4. b* — *Ezech. 44. a* — *Cant. 5. a*

4. Vides certe, frater, quid est quod dimidiatis verbis & umbrarum similibus, rem magis comprimens quàm premens, sciens esse mihi cum sapiente sermonem: vides, inquam, quid est totum quod tibi suggerere volo; ut periculosa ab hac profectione te revocem, & falce quadam commonitionis nostræ celeris lapsus occasiones præcidam: ad Prophetæ præceptum, planum tibi faciens iter offensionis, lapides eligens de via. Multa mihi est sollicitudo pro te, multa fiducia apud te. Alioquin malim inveteratas tecum necessitudines attenuari ad tempus, quàm silentio supprimere, quæ ad salutem tuam spectare crediderim: perdere familiaritatem, quàm teneram & crescentem adhuc in te humilitatem periclitari. Currebas bene: cave ne fascinatio nugacitatis obscuret bona tua, & illibata manente conscientia, in discrimen ne vel fama ducatur. Currebas, inquam, bene: ubi nunc impigre properas? Currebas bene: sed quid si non consummaveris? Consummandus in brevi, consumere vis tempora multa, ut jam tibi exprobretur à Paulo: *Tanta passus es sine causa, si tamen sine causa.*

*Isa. 62. d* — *Sap. 4. c* — *Gal. 3. a*

5. Utinam præsens essem modo, & injecta quadam impigra vivæ vocis manu deducere te possem cum Abraham in terram Chanaan, id est, *motus.* Qui enim *confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem.* Bona mutatio, quam loquitur idem Propheta; *Erunt quinque civitates*

*Isa 40. g* — *Isa. 19. c*

*in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan: civitas solis vocabitur una.* Bona plane, de Ægypti tenebris educi in lucem; & post Pharaonis domum in Solis justitiæ civitatem dedicari. Bonus, inquam, motus, ubi transfunduntur & in lumen obscura, & in unum plura. Denique & in pluribus [*Luc. 10 f*] perturbatio est, & unum necessarium. Bonus motus, ubi convertitur & lippitudo Liæ, & sollicitudo Marthæ in Rachelis claritatem, & Mariæ tranquillitatem. Hoc enim est quod quæ Ægypti, id est tenebrarum, civitates fuerunt, Solis dicuntur: & pro quinarii numero, unius tantum fit mentio. Commutatum se noverat qui loquitur in Psalmo [*Psal. 102. a*]: *Benedic anima mea Domino, & noli* [B] *oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Loquitur hic lingua Chanaan, qui tot in se recolit commutationes: de iniquitate propitiationem, de infirmitate curationem, æternitatem de interitu; & per singulos gradus gratias exhibet auctori: piorumque indiciis profectuum, quasi quadam commutationis lingua, illud cum Psalmista eloquitur [*Psal. 76. b*]; *Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Et ut de prophetico semine apostolicas fruges metamus; quod Isaïas claudit, Paulus decla- [C] rat [*Eph. 5. c.*]: *Fuistis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Commutationem audivimus, de consummatione nos admonet: *Ut filii*, inquit, *lucis ambulate.* Qui ambulat in die, non offendit. Crescat lux tua usque ad consummatum diem; & cum consummaveris, inchoasse videaris. Audi quomodo ipse Paulus currebat & crescebat, non modo de tenebris in lucem, sed de luce in lucem [*2. Cor. 3. d*]. *Nos*, inquit, *revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem.*

6. Cum aliquos qui sæculo renunciarunt, in sæculo pros- [D] perari videris, gressus tui non effundantur: sed illis impingentibus quasi cæcis in meridie, ipse glorieris, & dicas: Non laboravi te Domine subsequens. Qui enim sperant in Domino [*Isa. 40. g*], innovabunt fortitudinem; volabunt, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient. Longum erit, si per singulas virtutum innovationes, quasi per quasdam mansiones terræ Chanaan ducere te velim. Et quidem primo loco pio Patriarchæ imitatori venien- [A] dum est in *Sichem*, ubi humiliatis suppressisque humeris (Sichem enim humeri dicuntur) levissimum Christi onus suscipiat. Siquidem *bonum est homini cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua.* [*Thren.*] *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Simulque observa in saturitatis verbo non levem quamdam tolerantiam, & summis prælibantem labris, projicientemque quæ amara præsenserit; sed inexplebilem edacitatem adversa tolerandi. Indeque post felicem afflictionem & medicinalem molestiam pertransitis *Geraris* [*Gen.*], & dissipata veterum maceria inimicitiarum, de foraminibus petræ & cavernarum scissuris, [B] liberis ad sponsi invitationem elapsus volatibus [*Ibidem*], ad *Bersabee* fluenta evadat. De *Sichem*, inquam, id est, de humiliatione & oratione ad *Bersabee* veniat; ad puteum *septem agnarum* [*Gen.* / *Iac.*], magis quidem omnium gratiarum. Humilibus namque dat Deus gratiam. Et quoniam alia ratione *puteus satietatis* dicitur, juxta invitantis vocem [*Matt.*], *Venite ad me qui onerati estis, & ego vos reficiam*; post afflictionem ad refectionem properat, suavissimique liquoris haustu majorem provocatus in esuriem, verum illud in se Sapientiæ præconium experiatur: *Qui edunt me, adhuc esurient* [*Eccli.*]. Tacere jam decrevi, quoniam te pridem forsitan [C] tædere cœpit ad garrulitatem nostram. Vale; & Hieronymum super Isaïam mihi, si placet, perquirito; ut cum misero, paratum eum habeas.

## EPISTOLA IV.

Ad quemdam amicum.

*Brevi epistola postulatis se annuere non posse significat.*

PAce vestra loquor, nimietas vestra obstinatum me reddit: immo illorum qui intercessorem te parant, ma- [D] jor importunitas meritorum in me tuorum aliquatenus pondus attenuat. Miror, quod non etiam dominum de Fontibus* adduxere super nos, ut gravium nube intercessorum iterato me obruerent. Ut brevi tamen tibi responso satisfaciam; rem hanc quam postulatis, silentio magis quam sermone negare volui. Verecunde quidem more meo, ut cetera, quæ nequaquam facere decrevi: differo tamen magis quàm definio responsum, donec in brevi simul conferamus. Vale.

* Abba[s] Cistercie[nsis] nomen [...] Eborac. Anglia

---

# ADMONITIO

## IN SEQUENTEM EPISTOLAM.

1. *DE auctore sequentis Epistolæ jam dudum cœpit dubitari: at eam Guillelmo seu VVillelmo monasterii sancti Theoderici prope Remos abbati tribuendam esse constat.*

2. *Dubitationem exprimit vetus codex viri doctissimi & humanissimi Leonorii* Foy *Canonici Bellovacensis, ante annos circiter quadringentos scriptus, in quo ista Epistola hanc præfert inscriptionem:* Incipit Epistola ad Cartusienses, quæ licet intituletur nomine abbatis Guillelmi, tamen Bernardo à pluribus adscribitur. *Et quidem hanc ipsam epistolam sub nomine Bernardi laudarunt Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis in sermone de Cœna Domini; eodemque tempore Johannes de Ragusio apud Henricum Canisium in tomo 3. antiq. lect. pag. 240. aliique passim post eos: cui sententiæ codices scripti non pauci suffragabantur. Nihil tamen ex hac epistola excerptum est in Bernardino seu in libro Florum ex Bernardo.*

3. *Dubitandi de auctore occasio potissimum nata est ex amanuensium vitio, qui genuini Auctoris, id est VVillelmi, nomen initio epistolæ præfixum decurtarunt, vel etiam penitus expunxerunt; immo & præfationis magnam partem, in qua Auctor texit catalogum suorum operum, quæ omnia VVillelmi abbatis esse exploratum est. Hanc vero Præfationem primus ad vetustos codices integram edidit, suoque auctori restituit religiosus ac pius vir Bertrandus* Tissier *in tomo IV. bibliothecæ Cisterciensis. Præter codices ab eo laudatos, qui hanc epistolam VVillelmo tribuunt, nempe Signiacensem, Carolilocensem, Longi-pontis & Fulcardi-montis; alios insuper invenimus idem attestantes, scilicet Flaviacensem, modo regiæ Bibliothecæ; Thuaneum, nunc Colbertinæ, & Ratisponensem sancti Emmerammi: in quibus omnibus epistola hæc ita inscripta est:* Dominis & fratribus H. Priori &c. W. Sabbatum delicatum. *Ubi vides VVillelmi nomen primis tantùm elementis expressum, uti & Haimonis Prioris, qui tunc Cartusiæ Montis-Dei præerat. Est autem Cartusia Montis-Dei in diœcesi Remensi, sub præfectura Mosomensi, ab Odone S. Remigii Abbate fundata anno* MC. XXXVI. *Gaufrido Priore primo, cui Haimo iste anno* MC.

XLIV. *successit: Haimoni vero tertio loco Gervasius, cujus suppresso nomine mentio est in Bernardi epistola* CC. XC. *successorem sortitus quarto loco Simonem, ut ex venerabili Patre Francisco Ganerone olim accepimus. Ceterum hanc Epistolam ab ipsis condita Montis-Dei Cartusiæ initiis scriptam fuisse intelligitur ex eo, quod* novitatis nomine *notantur primi ejus incolæ ex num. 3.*

4. *Hanc epistolam Guillelmus an abbas scripserit, an ex abbate factus monachus Signiacensis, non ita exploratum. Posteriori sententiæ illud favet, quod jam tum affectæ esset ætatis, cum istam epistolam scripsit. Accedit quod eadem epistola sub nomine* Guillelmi Clarævallis de vita solitaria *laudata est ante annos fere quadringentos à quodam Canonico regulari sancti Salvatoris apud Bononiam, nempe in libro 1. Sermonum cap.* XXIII. *ad Eremitas. Quo de auctore in Itinere nostro Italico pag. 197.*

5. *Ex his refellitur conjectura, aliàs haud improbabilis, docti ejusdem epistolæ translatoris, qui eam Petro Cellensi tribui posse existimavit. Nam præterquam quod VVillelmi nomen epistolæ præfixum, & enumeratio VVillelmi operum in Præfatione, stilique diversitas contrarium evincunt; certe auctor ipse in eadem Præfatione* senem *se* & deficientem *dicit. Quod quidem VVillelmo abbati convenit, non Petro Cellensi, qui virilem ætatem agebat Haimone Priore, cui epistola inscripta est, vixque tum annos triginta attigerat, ut probare esset in promptu, si res ita exigeret.*

6. *Nullum ergo dubium relinquitur, quin hæc epistola VVillelmo abbati tamquam genuino auctori restituenda sit. Et quidem in veteri codice sancti Theoderici prope Remos prima habetur in recensione VVillelmi operum, apud Marlotum in tomo 2. Metrop. Remens. pag. 287. in hæc verba:* Reverendus Pater Guillelmus abbas sancti Theoderici composuit multa devota opuscula, quæ misit fratribus de Monte-Dei, scilicet DE SOLITARIA VITA, SPECULUM ET ÆNIGMA FIDEI, DE CONTEMPLANDO DEO, DE DIGNITATE AMORIS, *&c.*

7. *Denique in brevi ejus vitæ compendio, quam ex veteri membrana Radoliensis monasterii habemus, eadem epistola cum aliis eidem auctori vindicatur. Membranæ verba huc referre non pigebit.* Porro ingenii sui ac studii monumenta non contemnenda reliquit, ex quibus ea solum notabo, quæ visu & lectione probavi. Vitam sancti Bernardi scribere aggressus, opus consummare non potuit: librum tamen unum, & ipsum primum, & non modicæ quantitatis, absolvit. Contra magistrum Petrum Abaëlardum, qui quædam fidei non consona suis operibus inseruerat, librum unum edidit eloquio venustum, fide catholicum, ratione nervosum. Fecit quoque duos libellos, quorum unum ÆNIGMA FIDEI, alterum SPECULUM FIDEI nominavit: in quibus breviter & aperte quid sit credendum ostendit. Super Cantica canticorum moralem expositionem composuit: cujus operis meminit in vita sancti Bernardi. Est alius ejusdem liber DE NATURA ET DIGNITATE AMORIS, quem secundum ipsius materiam Antinasonem possumus appellare. In eo enim verum instruit philosophum, quibus gradibus & modis possit & debeat in Dei dilectione proficere. Libellum etiam unum direxit FRATRIBUS CARTUSIÆ HABITANTIBUS IN MONTE-DEI: qui licet eis loquatur specialiter, cunctis tamen est commodus in Religione perfici cupientibus. De Physica, id est natura corporis & animæ, brevem compilationem formavit: ut quia seipsum cognoscere fructus est discendi præcipuus juxta illud, quod de cælo descendit, Γνῶτι σε αυτον: simplices lectores ad aliquam vel inchoativam sui cognitionem instrueret. Est & libellus ipsius, cui titulus est DE CONTEMPLANDO DEO: in quo sine dubio propter ædificationem legentium de sua loquitur contemplatione his verbis: Et nonnumquam Domine, quasi clausis oculis ad te hianti, mittis mihi « in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quippe sentio dulcem adeo confortan- « tem, ut si perficeretur in me, nihil ultra quærerem. Composuit & tractatum non parvum, cujus « est epigramma, MEDITATIVÆ ORATIONES, in quo non una utitur materia, sed diversa disserit capitula; & in plerisque Deum alloquens, propriam, multiformem discutit conscientiam. In hoc opere apparet præcipue viri istius in Deum non amor, sed ardor. Et revera, ut reor, quisquis hoc pie & sobrie leget, quantumlibet religiosus & sciolus, in timore tamen Domini, in sui majori cognitione & minori æstimatione proficiet. Non dubito quin alia cuderit opuscula: sed præter hæc hactenus nulla potui reperire.

8. *Hactenus vetus membrana, in cujus principio* Guillelmus apud Leodium claro genere natus, *fratrem habuisse perhibetur Simonem: cum quo Remos profectus, in abbatia sancti Nicasii, in qua* odor bonæ opinionis *tunc erat,* sacræ religionis habitum *sumsit. Processu temporis Simon factus est abbas Sancti Nicolai de Bosco, ubi cum fratribus* diu & religiose præfuisset, plenus dierum & virtute consummatus beato fine quievit. At vero domnus Willelmus in abbatem sancti Theoderici, qui locus urbi Remensi imminet, assumptus est, *nempe anno M. C. XX. post annos sexdecim factus monachus Signiacensis Ordinis Cisterciensis, ut in Notis fusioribus ad Bernardi epistolam* LXXXV.

9. *Ex his omnibus apparet, non solum epistolam ad Fratres de Monte-Dei, sed etiam tractatus* de contemplando Deo, ac de natura & dignitate amoris, *qui Bernardo suppositi fuerunt, esse ipsiusmet Guillelmi: cui proinde eos restituere, atque prædictæ epistolæ hac in editione subjicere visum est. Alia ejusdem Guillelmi opuscula, superius indicata, exstant in tomo IV. Bibliothecæ Cisterciensis.*

*Nunc exhibenda est Epistola ad Fratres de Monte-Dei, quæ veluti quoddam absolutissimæ vitæ monasticæ exemplar censetur ab iis, qui in eodem vitæ genere excellunt. tametsi Johannes Gerson in sermone de Cœna Domini lectorem monet,* ut de hac materia, *nempe de unione perfectorum cum Deo,* caute legatur Bernardus ad Fratres de Monte-Dei libro secundo, *hic num. 62. Ubi vides, hanc epistolam in duos libros aliquando fuisse distinctam.*

# GUILLELMI ABBATIS S. THEODERICI PROPE REMOS,

## Postea Monachi Signiacensis,

## EPISTOLA SEU LIBER

## Ad Fratres de Monte-Dei.

### PRÆFATIO.

**Carissimis fratribus & dominis, H. Priori & ceteris W. sabbatum delicatum.**

1. PÆne impudenter, & plusquam decebat, os meum patet ad vos, carissimi Fratres in Christo: non possum tacere; Deus scit. Ignoscite: quia cor meum dilatatum est. Dilatamini & vos, obsecro, in visceribus vestris, & capite nos; quia totus vester sum in eo, in cujus visceribus invicem cupimus vos. Ideo ex quo recessi à vobis usque nunc, qualemcumque laborem meum quotidianum statui dedicare, non vobis, qui non indigetis, sed fratri Stephano & sociis ejus fratribus junioribus, & novitiis venientibus ad vos, quorum doctor Deus solus est: ut habeant & legant, si forte ibi aliquid invenerint utile sibi ad solatium solitudinis suæ, & sancti propositi incitamentum. Offero quod possum, bonam voluntatem; ipsamque à vobis repeto cum fructibus suis. David saltando placuit Deo, non propter saltum, sed propter affectum. Similiter & mulier quæ unxit pedes Domini, laudata est à Christo, non quia unxit, sed quia amavit: & quia quod habuit hoc fecit, in eo justificata est.

4. Reg. 6. c
Luc. 7. f.

2. Deinde vobis etiam arbitratus sum dedicandum aliud quoddam opusculum, quod in consolationem suam, & in adjutorium fidei facere me compulit fratrum quorumdam plus anxia quàm periculosa necessitas; quorum tristitia plurimum mihi solet facere gaudium, nisi quod eos contristatos videre non possum. Præ magnitudine quippe non solum fidei, sed etiam amoris, exosum adeo habent quicquid videtur esse contra fidem, ut si vel ad modicum, seu ex spiritu blasphemiæ, seu ex ipso sensu carnis, fuerint super hoc attentati vel pulsati, quasi ex solo auditu, vel attactu læsam omninò in semetipsis æstiment conscientiæ puritatem *, & miserabiliter defleant semetipsos, quasi reprobos circa fidem. Quibus & contingit à sæculi tenebris ad purioris vitæ exercitia venientibus, quod contingere solet repente prodeuntibus ad lucem à diutinis tenebris; ut sicut in illis lux ipsa, qua cetera videnda sunt, primo irruens, infirmis oculis fit molesta: sic & isti ad primum fidei lumen cæcutiant, nec insolitos novæ lucis radios possint sustinere, donec ipso lucis amore assuescant.

Tenere religiosorum conscientiæ.

* al. pietatem.

3. * Dividitur autem illud Opusculum in duos libellos: quorum primum, quia planus & facilis, SPECULUM FIDEI; alterum vero, quia rationes & formam fidei secundum dicta & sensum Catholicorum Patrum summatim continere videtur, & est aliquantulum obscurior, ÆNIGMA FIDEI vocare statui; plus in hujusmodi studio fugiens otiositatem inimicam animæ, (quippe quem senium & ægritudo à communi labore, jam non quidem ut emeritum, sed ut pigrum & inutilem relaxat) quàm ceterorum eruditioni insistens, quæ revera non est speciosa in ore peccatoris; & illos tantummodo decet, qui quod dicendo plantant, vivendo confirmant. In primo quo accedere debeat; in secundo, quâ etiam cautelâ incedere, rudis docetur auditor. Nam hoc quoque ordine Dominus ad discipulos dicit: *Et quo ego vado scitis, & viam scitis*. Unde & propheta; *Divitiæ*, inquit, *salutis sapientia & scientia*. Nam etiam in psalmo primum *dies diei eructat verbum*, postea vero *nox nocti indicat scientiam*.

* Ab hac nota ad finem Præfationis deficiunt ceteræ editiones.

Johan. 14.
Isa. 33.
Psal. 44.

4. Sunt præterea & alia Opuscula nostra. Tractatus duo; primus DE CONTEMPLANDO DEO; alter DE NATURA ET DIGNITATE AMORIS: Libellus DE SACRAMENTO ALTARIS: MEDITATIONES Novitiis ad orandum formandis spiritibus non usquequaque inutiles: & super CANTICA CANTICORUM usque ad illum locum, *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*. Nam CONTRA PETRUM ABAELARDUM, qui prædictum opus ne perficerem effecit: (neque enim integrum mihi fore arbitrabar tam delicato intus vacare otio, ipso foris fines fidei nostræ nudato, ut dicitur, gladio tam crudeliter depopulante:) contra ipsum, inquam, quod scripsi, quia de fontibus sanctorum Patrum hausi quod dixi, quemadmodum in epistolam ad Romanos & in ceteris de quibus infra dicturus sum, in quibus aut nihil omnino, aut non multum de meo dixi; melius est, si ita placuerit, ut suppresso nomine nostro inter anonyma relinquantur, quàm, ut prædixi, quæ non peperi, congregare videar. Excerpsi enim ex libris S. Ambrosii quicquid in eis disseruit super Cantica canticorum, opus grande & inclytum. Similiter & ex beati Gregorii, sed diffusius quam Beda fecerit. Nam idem Beda, ut nostis, ultimum in ceteris libris suis, hanc ipsam exceptionem constituit. SENTENTIAS DE FIDE, quas de beati maxime Augustini libris extraxi, si vultis transcribere, fortes nimirum & graves sunt, cum supradicto Opusculo, quod ÆNIGMA FIDEI intitulari placuit, magis congruunt. Est etiam aliud opusculum nostrum DE NATURA ANIMÆ, scriptum sub nomine Johannis ad Theophilum: cui ut de toto homine (quasi enim congruere videbatur) aliquid perstringerem, præmisi etiam de natura corporis, hoc est eorum qui corporibus medentur; illud autem de eorum qui curandis animabus invigilant, libris decerpens. Itaque legite omnia, & si non primi, tamen, si ita videtur, vel ultimi: ne si in eorum manus devenerint, qui nihil ipsi facientes aliorum omnia rodunt; ego quoque, utpote senex & deficiens, sicut de Isaac legitur; deficiens, inquam, non gressu, sed sensu, illæsus non possim effugere. Denique melius arbitror, si inutilia reperiantur, ut ea amicorum non tam judicio, quam consilio ultor ignis absumat, quam ut in ea livor irruens detractorum offendat. In pace enim vocavit nos Deus, & providenda sunt bona non solum coram ipso, sed etiam coram hominibus: ut, si fieri potest, quod ex nobis est, cum omnibus pacem habeamus. Hoc enim summopere monet idem Apostolus judicandum, ne ponamus offendiculum fratri vel scandalum. Quamquam si quis fraterno animo legerit, etsi nullam consolationem ex eis vel ædificationem accipiat, nihil tamen in eis unde scandalizari vel stomachari, velut contra præsumptorem, debeat, reperturus est. Et ut de ædificatione taceam; qui amicus est, sustinebit & in hoc, si qua est, insipientiam meam; nec sinistro oculo interpretabitur simplicitatem meam: tum maxime propter causam quam superius dixi, quia scilicet forensium prorsus igna-

Ope... rum ... gum... instr...

SS. addi... mus.

Hum... Auct...

Gen

Rom.

Ibidem

rus operum, & non solum ætate, sed insuper infirmitate jam fractus, nisi sub hujus studii patrocinio, otiositatis, quæ teste Scriptura *multa mala docuit*, nullatenus effugere dominium valuissem.

Eccli. 33. d

## CAPUT I.

*Congratulatio de innovatione ferroris antiquæ religionis.*

1. FRatribus de Monte Dei, Orientale lumen, & antiquum illum in religione Ægyptium fervorem tenebris occiduis & Gallicanis frigoribus inferentibus, vitæ scilicet solitariæ exemplar, & cælestis formam conversationis, occurre & concurre in gaudio sancti Spiritus anima mea, & risu cordis in fervore pietatis, & in omni obsequio devotæ voluntatis. Quidni? etenim epulari & gaudere in Domino oportet, quia Christianæ devotionis ac religionis speciosissima portio, quæ cælos propinquius tangere videbatur, mortua erat, & revixit; perierat de mundo, & inventa est. Auditu auris audieramus, nec credebamus: legebamus in libris, & mirabamur de antiqua vitæ solitariæ gloria, & magna in ea gratia Dei; cum subito invenimus eam in campis silvæ, in monte Dei, in monte pingui: ubi jam pinguescunt speciosa deserti, & exultatione colles accinguntur. Ibi enim etiam per vos offert se omnibus, & in vobis se demonstrat, & ignota hactenus innotescit in paucis simplicibus, ipso eam vobis ingerente, qui in paucis simplicibus totum olim sibi mundum subjecit, ipso mundo mirante. Licet enim magna & divina plane fuerint miracula, quæ Dominus gessit in terris; hoc tamen unum super omnia alia enituit, & cetera cuncta illustravit, quod, sicut dictum est, in paucis simplicibus totum mundum & omnem sapientiæ ejus altitudinem sibi subjugavit: quod etiam nunc cœpit operari in vobis. Ita Pater, ita: quoniam sic beneplacitum est ante te. Abscondisti enim hæc à sapientibus & prudentibus hujus mundi, & revelasti ea parvulis. Nolite ergo timere pusillus grex, ait Dominus, sed omnino confidite, quia complacuit Deo Patri dare vobis regnum.

Maximum inter miracula Christi.

Matth. 11 d & Luc. 10. d

Luc. 12. d

2. Videte, Fratres mei, videte vocationem vestram. Ubi sapiens inter vos? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nam etsi sunt aliqui sapientes inter vos, per simplices tamen sapientes aggregavit, qui reges olim & philosophos mundi hujus per piscatores sibi subjecit. Sinite ergo, sinite sapientes hujus sæculi, de spiritu hujus mundi tumentes, alta sapientes, & terram lingentes, sapienter descendere in infernum. Vos autem, dum foditur peccatori fovea, sicut cœpistis, stulti facti propter Deum, per stultum Dei, quod sapientius est omnibus hominibus, Christo duce humilem apprehendite disciplinam ascendendi in cælum. Vestra namque simplicitas jam multos provocat ad æmulationem: vestra sufficientissima & altissima paupertas jam multorum confundit cupiditatem: vestrum secretum jam earum rerum quæ tumultum faciunt, vel facere videntur, pluribus incutit horrorem. Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium non meum tantummodò, sed omnium diligentium nomen Domini: ut in varietate vestitus deaurati de auro sapientiæ Dei reginæ assistentis à dextris sponsi, vestro studio, vestra instantia, ad Dei gloriam, & magnam coronam vestram, & gaudium omnium bonorum, hoc sanctæ novitatis instauretur ornamentum.

1. Cor. 1. d

3. Novitatem verò dico propter linguas nequam (à quarum contradictione abscondat vos Deus in abscondito faciei suæ) hominum impiorum; qui cùm manifestum lumen veritatis obnubilare non queunt, de solo novitatis nomine cavillantur; veteres ipsi, & in veteri mente nescientes nova meditari, utres veteres non capientes vinum novum, quod si eis infunderetur, rumperentur. Sed hæc novitas non est novella vanitas. Res enim est antiquæ religionis, perfectè fundatæ in Christo pietatis, antiqua hereditas Ecclesiæ Dei, à tempore Prophetarum præmonstrata, jamque novæ gratiæ sole exorto, in Johanne Baptista instaurata & innata; ab ipso Domino familiarissime celebrata, ab ejus Discipulis ipso præsente concupita: cujus transfigurationis gloriam cùm vidissent qui cum eo in monte sancto erant, continuo Petrus, in eo quidem abreptus sibi, & nesciens quid diceret, quia visa Dei majestate, commune bonum intra privatum suum visus est conclusisse; in eo autem præsentissimus sibi, & scientissimus quid diceret, quia suavitate ejus gustata, optimum sibi judicavit in hoc semper esse, vitam hanc in contubernio Dei & civium supernorum, quos cum eo viderat, concupivit dicens: *Domine bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* In quo si auditus fuisset, facturus proculdubio erat postmodum alia tria, sibi unum, Jacobo unum, & Johanni unum.

Adversus calumniatores novitatis.

Matth. 3 a Disciplina vitæ religiosæ non est res nova.

Quos habeat auctores.

Matth. 17.

4. Post passionem verò Domini, calente adhuc in cordibus fidelium effusi ejus sanguinis recenti memoria, solitariam hanc vitam eligentibus, paupertatem spiritus sectantibus, & in spiritualibus exercitiis & in contemplatione Dei pingue otium altero in alterum zelantibus, deserta repleta sunt. Ex quibus legimus Paulos, Macarios, Antonios, Arsenios, & alios quamplures in sanctæ hujus conversationis republica consulares viros, egregia nomina in civitate Dei, nobiles & triumphales titulos habentia de victoria hujus sæculi, & principis hujus mundi, & corporis sui, de cultu animi, & Domini Dei sui. Sileant ergo qui in tenebris de luce judicantes, vos arguunt novitatis ex abundantia malæ voluntatis: ipsi potius arguendi vetustatis & vanitatis. Sed & laudatores & detractores semper estis habituri, sicut & Dominus. Laudatores præterite; & bonum quod in vobis amant, hoc in eis amate: detractores dissimulate, & pro eis orate. Et obliti quæ retro sunt, prætermissis scandalis, quæ juxta iter vobis à dextris & à sinistris posita sunt, in anteriora vestra vos extendite. Si enim ad singula volueritis, vel laudatoribus respondere, vel cum detractoribus litigare, tempus perditis, cujus in proposito sancto non levis est jactura. A terris enim ad cælos festinantem qui moratur, etsi non detinet, plurimum tamen nocet.

Qualiter se habendum ad laudatores & detractores.

## CAPUT II.

*Quàm ardua & sublimis sit eorum professio.*

5. NOlite ergo negligere, nolite tardare: grandis enim vobis restat via. Altissima enim est professio vestra. Cælos transit, par Angelis est, angelicæ similis puritati. Non enim solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem. Non est vestrum circa communia præcepta languere, neque hoc solum attendere quid præcipiat Deus; sed quid velit, probantes, *quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Aliorum est enim Deo servire, vestrum adhærere. Aliorum est Deum credere, scire, amare, revereri: vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui. Magnum est hoc, arduum est hoc. Sed omnipotens & bonus est Deus, qui in vobis est pius promissor, fidelis redditor, & indefessus adjutor; qui magno ejus amore magna profitentibus, & in fide & spe gratiæ ejus majora viribus suis aggredientibus, & voluntatem & desiderium suggerit in idipsum, & qui voluntatis gratiam prærogavit; subrogabit etiam virtutem ad proventum. Cui cum fideliter fecerit homo quod potuerit, calumniante calumniatore, ipse misericorditer pauperi suo judicium faciet & causam, quia quod habuit hoc fecit.

Rom. 12.

6. Absit tamen, Fratres, à conscientiæ vestræ æstimatione, à parvitate & humilitate vestra, ab ore vestro omnis altitudo: quia altum sapere mors est; & facile est in alto se contuentem obstupescere, & de vita periclitari. Nomen aliud vestræ professioni imponite, alium titulum Ordini vestro inscribite. Feras vos potius indomitas, & incaveatas bestias (quæ aliter communi hominum more domari non poterant) existimate & appellate; longe supra vos virtutem eorum suspicientes, & admirantes gloriam, qui ambidextri fortissimi (sicut Ahod ille judex fortissimus Israel, qui utraque manu utebatur pro dextera) & quamdiu licet, devotissime intus vacare amant

Monet tertiò cavendam arrogantiam.

Judic. 3. e

caritati contemplandæ veritatis : & cum necessitas vocat, A
vel officium trahit, promptissime se foras mutant, non dant, pro veritate adimplendæ caritatis. Cave etiam serve Dei, cave ne quoscumque imitari non vis, damnare videatis. Volo hoc facias in ægritudine tua, quod cum sanissimus esset faciebat qui dicebat : *Venit Jesus-Christus peccatores salvos facere, quorum primus ego.* Neque enim hoc dicebat Paulus mentiendi præcipitatione, sed æstimandi affectione. Qui enim perfecte examinando semetipsum intelligit, suo peccato nullius peccatum par esse existimat, quod non sicut suum intelligat. Nolo ergo, ut nusquam arbitreris lucere solem communem diei nisi in cella tua, nusquam esse serenum nisi penes te, nusquam operari gratiam Dei nisi in conscientia tua. An Solitariorum Deus tantum ? Immo & omnium. Miseretur enim omnium Deus, & nihil odit eorum quæ fecit. Malo te cogitare ubique esse serenum nisi penes te, & pejus de te, quàm de aliquo existimare.

Tim. 1 d

Examen sui causat humilitatem.

Sap. 11. d

## CAPUT III.

*Virtus ferventer colenda in posterorum exemplum.*

7. CUm timore potius & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Nec quales sint alii, sed quales ex vobis fiant, quantum in vobis est, cogitate, non solummodo qui modo sunt, sed & qui post futuri sunt, quos in proposito sancto estis habituri imitatores. Ex vobis enim, ex vestro exemplo, & vestra auctoritate in regione hac pendere habet tota posteritas hujus vestri Ordinis sancti. Vos in eo patres, vos in eo institutores cum debita imitationis reverentia appellabimini à successoribus vestris. Quicquid à vobis statutum, quicquid vobis tenentibus & servantibus in consuetudinem fuerit admissum, absque omni retractatione à posteris vestris tenendum erit & servandum, nec fas erit aliquid immutari. Sic enim de vobis erit apud eos, sicut de incommutabilibus legibus summæ & æternæ veritatis est apud nos, quas scrutari omnibus expedit & scire, non autem licet alicui dijudicare. Deo autem gratias, quia nec indignum vobis erit, nec inutile posteris, si fortiter & vos tenueritis, & ipsi in vobis fideliter imitentur quod interim tenetis. Et si quid adhuc aliter sapere oportuerit, & hoc Deus vobis revelabit. Salvâ enim per omnia Cartusiæ debita sanctitate, & cum omni laude prædicanda reverentia, multa in Alpinis illis horridis & continuis frigoribus necessaria sunt, quæ frugalem sufficientiam, & voluntariam paupertatem sectantibus, in his dumtaxat regionibus non adeo necessaria videntur.

Cartusiæ sanctitas.

8. Intelligitis quæ dico : dabit enim vobis Dominus intellectum. Gaudeo enim in vobis, & licet absens corpore, sed præsens spiritu, & videns Ordinem vestrum, sed fervorem spiritus, sed abundantiam pacis, sed gratiam simplicitatis, in proposito rigorem, in dilectione E mutua ipsam sancti Spiritus suavitatem, & plenam omnino in conversatione vestra formam pietatis, in recordatione MONTIS-DEI totus exulto, & primitias sancti Spiritus, & pignus gratiæ in spe crescentis in eo relilgionis devotus adoro. Nam & ipsum MONTIS-DEI nomen bonæ spei præfert omen, scilicet quod sicut Psalmista dicit de monte Dei, habitatura sit in eo generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob; innocens manibus, & mundo corde; qui non accepit in vano animam suam. Ipsa est enim professio vestra, quærere Deum Jacob, non communi hominum more, sed quærere faciem Dei, quam vidit Jacob qui dixit : *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Faciem enim Dei, hoc est cognitionem ejus quærere, facie ad faciem, quam vidit Jacob, de qua etiam dixit Apostolus : * *Tunc cognoscam sicut & cognitus sum : & nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, videbimus eum sicuti est:* hanc in hac vita semper quærere per innocentiam manuum & munditiam cordis ipsa docet *pietas*; quæ sicut dicit Job, * *cultus Dei est.* Quam qui non habet, *in vano accepit animam suam,* hoc est frustra vivit, vel omnino non vivit, dum non vivit ea vita, propter quam ut in ea viveret accepit animam suam.

Mons-Dei.

Psal. 23 g

Gen. 32. b

* 1. Cor. 13. d

* Job 28. d juxta LXX. Quis in vanum animam accepit?

## CAPUT IV.

*Quæ sit vera pietas, quæ solitudo, quæve reclusio cella Religiosis competens.*

9. PIetas enim hæc est jugis Dei memoria, continua intentionis actio ad intelligentiam ejus, indefessa affectio in amorem ejus : ut nulla umquam inveniat servum Dei, non dicam dies, sed hora, nisi vel in exercitii labore & proficiendi studio, vel in experientiæ dulcedine & fruendi gaudio. Hæc est pietas, de qua Apostolum dilectum sibi Discipulum admonet dicens : * *Exerce temetipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Pietas vero ad omne opus bonum est utilis, habens promissionem vitæ quæ nunc est & futuræ.* Pietatis enim non solummodo formam, sed & veritatem in omnibus & præ omnibus habitus vester repromittit, propositum vestrum requirit. Nam sicut Apostolus dicit : *Sunt aliqui formam quidem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes.* Hanc quicumque vestrum non habet in conscientia, non exhibet in vita, non exercet in cella; non solitarius, sed solus dicendus est : nec cella ei cella, sed reclusio & carcer est. Vere enim solus est, cum quo Deus non est : vere reclusus est, qui in Deo liber non est. Solitudo enim, & reclusio sunt nomina miseriæ : Cella autem nequaquam debet esse reclusio necessitatis, sed domicilium pacis, ostium clausum; non latebræ, sed secretum.

1. Tim.

1. Tim.

Solus & [solitarius] q[uomodo] discrimi[nentur] v. Bern. 40. in C[ant.] n. 5.

10. Cum quo enim Deus est, numquam minus solus est, quàm cum solus est. Tunc enim liberè fruitur gaudio suo, tunc ipse suus est sibi, ad fruendum Deo in se, & se in Deo. Tunc in luce veritatis, in sereno mundi cordis ultro patet sibi pura conscientia & libere se in se fundit affecta de Deo memoria : & vel illuminatur intellectus, & bono suo fruitur affectus; vel libere seipsum deflet humanæ fragilitatis defectus. Propter hoc secundum formam propositi vestri habitantes in cælis potius quàm in cellis, excluso à vobis toto sæculo, totos vos inclusistis cum Deo. Cellæ siquidem & cæli habitatio cognatæ sunt : quia sicut cælum & cella ad invicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis. A celando enim cælum, & cella nomen habere videntur : & quod celatur in cælis, hoc & in cellis : quod geritur in cælis, hoc & in cellis. Quidnam est hoc ? Vacare Deo, frui Deo. Quod cum secundum ordinem pie & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, sancti Angeli Dei cellas habent pro cælis, & æque delectantur in cellis ac in cælis. Nam cùm in cella jugiter cælestia actitantur, cælum cellæ & sacramenti similitudine, & pietatis affectu, & similis operis affectu proximum efficitur : nec jam spiritui oranti, vel etiam à corpore exeunti, à cella in cælum longa vel difficilis via invenitur. A cella enim in cælum sæpe ascenditur, vix autem umquam à cella in infernum descenditur, nisi sicut dicit Psalmista : *Descendant in infernum viventes,* videlicet ne descendant morientes. Hoc enim modo sæpe cellarum incolæ in infernum descendunt. Sicut enim assidue contemplando revisere amant gaudia cælestia, ut ardentius ea appetant : sic & dolores inferni, ut horreant & refugiant. Et hoc est quod imprecantur inimicis suis orantes, scilicet ut *descendant in infernum viventes.* Moriens autem vix aut numquam aliquis à cella in infernum descendit : quia vix umquam aliquis, nisi cælo prædestinatus, in ea usque ad mortem persistit.

Solitudi[nis] religiosæ commod[a]

Cellæ & c[æli] cognatio [et] comparat[io]

Psal. 54. Cellæ elog[ium]

11. Filium enim gratiæ, fructum ventris sui cella fovet, nutrit, amplectitur, & ad plenitudinem perfectionis perducit, & colloquio Dei dignum efficit : alienum vero vel suppositum abdicat à se citius & projicit. Unde ait Dominus ad Moysen : *Solve calceamenta pedum tuorum : Locus enim in quo stas, terra sancta est.* Morticinium enim mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde, locus sanctus vel terra sancta nequaquam diu patitur. Cella terra sancta, & locus sanctus est, in qua Dominus & servus ejus sæpe colloquuntur, sicut vir ad amicum suum. In qua crebro fidelis anima Verbo Dei conjungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cælestia, hu-

Exod. 3. [b]

manis divina uniuntur. ſiquidem ſicut templum ſanctum Dei, ſic cella eſt ſervi Dei. Et in templo enim, & in cella divina tractantur: ſed crebrius in cella. In templo viſibiliter & figurative aliquando Chriſtianæ pietatis ſacramenta diſpenſantur: in cellis vero, ſicut in cælis, ipſa veritate, ipſo ordine, etſi nondum ipſa puritatis majeſtate, vel æternitatis ſecuritate, res ipſa omnium ſacramentorum fidei noſtræ aſſidue celebratur. Ideo, ſicut dictum eſt, alienum, qui non eſt filius, citius à ſe projicit quaſi abortivum, evomit tamquam inutilem ac noxium cibum; nec diu talem pati poteſt in viſceribus ſuis officina pietatis, venitque pes ſuperbiæ, & aſportat eum manus peccatoris, & movet eum: & expulſus non poteſt ſtare, ſed fugit miſer, nudus & tremebundus, ſicut Cain à facie Domini: expoſitus vitiis & dæmonibus, ut qui prior invenerit eum, morte animæ eum occidat; vel ſi aliquamdiu duraverit in ea, non virtutis conſtantia, ſed pertinaci miſeria, ſic ei cella eſt quaſi carcer, aut ſicut viventi ſepultura. *Peſtilente* vero *flagellato ſapiens ſapientior erit, & lavabit* juſtus *manus ſuas in ſanguine peccatoris.* Sicut ergo dicit Propheta: *Si converteris Iſraël, ad me convertere:* hoc eſt, perfectæ converſionis culmen apprehende. Nulli enim in eodem ſtatu diu eſſe conceditur. Servo Dei aut ſemper proficiendum, aut deficiendum eſt: aut ſurſum nititur, aut in inferiora urgetur. Ab omnibus autem vobis perfectio exigitur, licet non uniformis. Sed ſi incipis, incipe perfecte: ſi jam in profectu es, & hoc ipſum jam perfecte age: ſi autem perfectionis aliquid attigiſti, teipſum in temetipſo metire, & dic cum Apoſtolo: * *Non quod jam apprehenderim, aut perfectus ſim: ſequor autem, ſi forte comprehendam, in quo & comprehenſus ſum. Unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, & ad ea quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis in Chriſto Jeſu.* Deinde addit: *Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus.* In quo manifeſte Apoſtolo docente declaratur, quia perfecta eorum quæ retro ſunt oblivio, & perfecta in anteriora extenſio, ipſa eſt hominis juſti in hac vita perfectio: & perfectio hujus perfectionis ibi erit, ubi erit bravii ſupernæ vocationis perfecta apprehenſio.

non repro- ad fi- uique, itius 19. d 57. d 4 cien- indefi- er. p. 3. c ectio in

## CAPUT V.

*Triplex ſtatus vitæ religioſæ, Animalis, Rationalis, Spiritualis; alias Incipientium, Proficientium, & Perfectorum.*

12. HOc autem modo ſicut ſtella à ſtella diſtat in claritate, ſic cella à cella in converſatione, ſcilicet Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. Incipientium ſtatus poteſt dici *animalis*, Proficientium *rationalis*, Perfectorum *ſpiritualis*. Ignoſcendum eſt in aliquibus aliquando eis qui adhuc ſunt animales, in quibus ignoſci non debet eis qui jam habentur quaſi rationales. Ruſumque rationalibus in quibuſdam ignoſcitur, in quibus non ignoſcitur ſpiritualibus, quorum perfecta omnia eſſe debent, & imitatione & laude potius, quam reprehenſione digna. Et cum ex his tribus hominum generibus conſtet omnis ſtatus religionis, quæ ſicut propriis nominibus diſtinguuntur, ſic etiam dignoſcuntur ex ſuorum proprietate ſtudiorum: debent omnes filii Dei in die qui eſt, ſemper diligenter proſpicere quid deſit ſibi: unde venerint, quouſque pervenerint, & in quo proficiendi ſtatu ſingulis diebus, vel horis ſua ſe æſtimatio deprehendat. Sunt etenim *animales*, qui per ſe nec ratione aguntur, nec trahuntur affectu: & tamen vel auctoritate permoti, vel doctrina commoniti, vel exemplo provocati, approbant bonum ubi inveniunt, & quaſi cæci, ſed ad manum tracti ſequuntur, hoc eſt imitantur. Sunt *rationales*, qui per rationis judicium & naturalis ſcientiæ diſcretionem, habent & cognitionem boni, & appetitum: ſed nondum habent affectum. Sunt *perfecti*, qui ſpiritu aguntur, qui à ſancto Spiritu plenius illuminantur. Et quoniam ſapit eis bonum cujus trahuntur affectu, ſapientes vocantur. Quia vero induit eos Spiritus-ſanctus cujus affectu trahuntur, ſicut induit olim Gedeonem: Spiritus-ſancti indumento, ſpirituales appellantur. Pri-

A mus ſtatus circa corpus ſe habet: ſecundus circa animam ſe exercet: tertius non niſi in Deo requiem habet. Quorum ſinguli ſicut habent certam proficiendi rationem; ſic in genere ſuo certam habent perfectionis ſuæ menſuram. Initium boni in converſatione *Animali*, perfecta obedientia eſt: profectus, ſubjicere corpus ſuum, & in ſervitutem redigere: perfectio, uſu boni conſuetudinem vertiſſe in delectationem. Initium vero *Rationalis* eſt intelligere, quæ in doctrina fidei apponuntur ei: profectus, talia præparare, qualia apponuntur: perfectio, cum in affectum mentis tranſit judicium rationis. Perfectio vero hominis rationalis, initium eſt hominis *Spiritualis*: profectus ejus, revelata facie ſpeculari gloriam
B Dei: perfectio vero, transformari in eamdem imaginem à claritate in claritatem, ſicut à Domini ſpiritu.

(Margin: Singuli in ſuo genere ſuum habent initium, profectum & perfectionem.)

13. Ut ergo primum proſequamur de primo, ſcilicet de animali: Animalitas eſt vitæ modus ſenſibus corporis ſerviens: ſcilicet cum anima, quaſi extra ſe per ſenſus corporis circa dilectorum delectationes corporum affecta, eorum fruitione paſcit, vel nutrit ſenſualitatem ſuam; ſeu cum intra ſe regrediens, & corpora quibus forti glutino amoris & conſuetudinis adhæſit, in locum incorporeæ naturæ ſecum ferre non prævalens, eorum illuc ſecum trahit imagines, & amicabiliter ibi cum eis converſatur. quibus aſſuefacta cum nil putat eſſe, niſi vel quale foris reliquit, vel quale intus contraxit: inde quam-
C diu licet, jucundum habet ſecundum delectationes corporis vivere. Cum autem ab eis avertitur, neſcit niſi corporea imaginando cogitare. Cum vero ad cogitanda ſpiritualia vel divina ſe erigit, non aliud de eis quam de corporibus, vel de corporalibus poteſt æſtimare. Hæc averſa à Deo, fit ſtultitia, cum nimium intra ſemetipſam fuerit remiſſa, & tam bruta, ut regi vel nolit, vel non poſſit. Cum vero ipſa ſibi per ſuperbiam extra ſe nimium fuerit abrepta, fit prudentia carnis, & ipſa ſibi ſapientia eſſe videtur, cum ſtultitia ſit, dicente Apoſtolo: *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Porro ad Deum converſa, fit ſancta ſimplicitas, hoc eſt eadem ſemper circa idem voluntas: ſicut fuit in Job, qui dictus eſt *vir ſimplex*
D *& rectus, ac timens Deum.* Proprie enim ſimplicitas eſt perfecte ad Deum converſa voluntas, unam petens à Domino, hanc requirens, non ambiens multiplicari in ſæculo. Vel eſt ſimplicitas, in converſatione vera humilitas, ſcilicet virtutis magis conſcientiam amplectens quam famam, cum non refugit vir ſimplex videri ſtultus in ſæculo, ut ſit ſapiens in Deo. Vel ſimplicitas eſt ſola ad Deum converſa voluntas, ſed nondum ratione formata ut amor ſit, id eſt formata voluntas, nondum illuminata ut ſit caritas, hoc eſt amoris jucunditas.

(Margin: Animalis ſtatus deſcribitur. — Stultitia. — Prudentia carnis. — Rom. 1. c — Iob. 1. a — Simplicitas bona quæ ſit.)

14. Simplicitas ergo initium aliquod in ſeipſa habens creaturæ Dei, hoc eſt, voluntatem ſimplicem & bonam, quaſi futuri boni hominis informem materiam, in pri-
E mordio converſionis ſuæ offert auctori ſuo eam formandam. Jam enim cum bona voluntate habens initium ſapientiæ, id eſt timorem Domini, ex ipſo colligit, nec per ſe eam formari poſſe, nec quicquam tam expedire ſtulto, quam ſervire ſapienti. Itaque homini ſe propter Deum ſubjiciens, ipſam ei bonam voluntatem committit in Deo formandam in ſenſu & ſpiritu humili, jam timore Dei incipiente operari in eo omnem virtutum plenitudinem, dum per *juſtitiam* defert majori, per *prudentiam* non credit ſe ſibi, per *temperantiam* refugit diſcernere, per *fortitudinem* totum ſe obedientiæ ſubjicit, non diſcernendæ, ſed adimplendæ. Hæc enim uxor eſt, cui à Domino præcipitur: *Et ad virum tuum erit converſio tua.*
F Vir ejus, ratio vel ſpiritus eſt ſuus, vel alterius. Huic enim viro recte obedit vir ſimplex & rectus in ſemetipſo: rectius autem ſæpe ac tutius in altero, quam in ſemetipſo. Ex præcepto ergo Dei, & ipſo ordine naturæ habere debet uxor ad virum, animalitas ad ſpiritum ſuum, vel ſpiritualem aliquem virum, converſionem legitimam, hoc eſt obedientiam perfectam. Perfecta vero obedientia eſt maxime in incipiente indiſcreta, hoc eſt non diſcernere quid vel quare præcipiatur; ſed ad hoc tantum niti, ut fideliter & humiliter fiat, quod à majore præcipitur. Lignum enim ſcientiæ boni & mali in paradiſo, cenſura

(Margin: Gen. 3. c — Novitii virtus, obedientia cæca.)

diſcretionis eſt in converſatione religionis penes patrem ſpiritualem, qui di judicat omnia, ipſe vero à nemine judicatur. Ipſius eſt diſcernere, aliorum eſt obedire. Adam guſtavit in malum ſuum de ligno vetito, edoctus ab eo qui ſuggerendo ait: *Quare præcepit vobis Deus ut de ligno non comederetis?* (Gen. 3. a) Ecce diſcretio, cur præceptum ſit. Et addit: *Sciebat enim, quia qua die comederitis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii.* Ecce ut quid præceptum ſit, ſcilicet quod deos fieri non ſinat. Diſcrevit, comedit, & inobediens factus eſt, & de paradiſo ejectus eſt. Sic & animalem diſcretum, novitium prudentem, incipientem ſapientem, in cella diu poſſe conſiſtere, in congregatione durare, impoſſibile eſt. Stultus fiat, ut ſit ſapiens: & hæc omnis ſit ejus diſcretio, ut in hoc nulla ſit ei diſcretio. Hæc omnis ſapientia ejus ſit, ut in hac parte nulla ei ſit.

## CAPUT VI.

*Deus homini intellectum variarum artium & ſcientiarum capacem dedit, quo tamen alii male, alii bene utuntur.*

*Cur homini relicta ratio.*

15. IN eo vero in quo ſe ſibi animalitas ratioque conterminant, in natura animæ humanæ relictus eſt à creatore bono intellectus & ingenium, & in ingenio ars, in quo conſtituit Deus hominem ſuper opera manuum ſuarum, & omnia ſæcularia iſta ſubjecit ſub pedibus ejus; animali ſuperbo, in teſtimonium naturalis dignitatis, & ſimilitudinis Dei amiſſæ; ſimplici vero & humili, in auxilium recuperandæ dignitatis, & conſervandæ ſimilitudinis. In hoc quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. (Rom. 1. b) In hoc æſtimatur de creatura creator. In hoc cognoſcitur juſtitia Dei: & quia qui bene agunt, digni ſunt vita: qui vero aliter, digni ſunt morte. In hoc creatura quæ ſponte homini ſervit, ad naturam ſubjicitur & aptatur, ut ſerviat ad eam quæ ex peccato eſt neceſſitatem, & ad voluntatem & voluptatem. Hinc etiam quot & quanta vitæ huic neceſſaria, & bonis & malis utilia, & in genere ſuo pulcherrima, & à bonis & à malis hominibus facta ſunt & fiant, omnibus manifeſtum eſt. (*Varietas artium.*) Hinc enim in litteris, vel opificiis, vel ædificiis, per innumerabiliter multiplices hominum adinventiones, tot proceſſerunt modi ſtudiorum, tot genera profeſſionum, ſubtilitates, exquiſitæ ſcientiæ, artes, eloquentiæ, dignitatum, officiorumque varietates, & innumerabiles conquiſitiones hujus ſæculi, quibus homines illi, etiam qui dicuntur ſapientes hujus mundi, cum eis qui ſunt ſimplices & filii Dei, pariter utuntur ad neceſſitatem & utilitatem. (*Varius uſus.*) Sed illi abutuntur eis ad curioſitatem & voluptatem, & ſuperbiam: hi autem utuntur eis propter neceſſitatem, alibi habentes ſuam ſuavitatem. Ideo illos ſervos ſenſuum ſuorum & corporum ſuorum ſequuntur *fructus carnis* ſuæ, (Gal. 5. d) qui ſunt *fornicatio, immunditia, ſuperbia, luxuria, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, invidiæ, comeſſationes, ebrietates, & his ſimilia: quæ quicumque agunt, regnum Dei non conſequentur.* Hos autem *fructus Spiritus*, qui ſunt *caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, bonitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas; & pietas, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.*

*Diverſi ad conſcientiam regreſſus.*

16. Hi utrique quamdiu ſimul ſunt in actu, homines vident ſimiles actiones, Deus autem voluntates diſcernit & intentiones. Cum vero unuſquiſque redit in ſua, unumquemque ex fructibus intentionis ſuæ paſcit conſcientia ſua. Nec tamen ab utroque æque ad conſcientiam reditur: quia nemo ad eam redire amat poſt actionem, qui recta intentione ad agendum ab ea non proficiſcitur. Qui tamen redit ad conſcientiam, ſi nondum vicit concupiſcentiam ſuam, invenit ibi de ipſa concupiſcentia ſua vel ſuaves delectationes, vel graves corroſiones; & inde multiplicat cogitationes. Qui vero jam concupiſcentiam vicit, quamdiu tamen veri boni major concupiſcentia, vel major delectatio mentem ejus non obtinuerit, cum exoſa quadam voluptate, geſtorum, viſorum vel auditorum patitur imaginationes: unde in utroque lumbi implentur illuſionibus delectationum, & ad cogitanda divina vel ſpiritualia lumen ſuorum oculorum, & ipſum non eſt ſecum: qui cum pugnat contra concupiſcentias, patitur moleſtias: quia vincere adhuc non prævalet ad perfectum affectiones. Qui vero jam ad libertatem aſpirat, excutere à ſe non poteſt affectionum imaginationes, & noxias vel occupatorias vel otioſas, quæ exinde paſſim oriuntur, cogitationes. (*Diſtrac… imperfe… rum.*) Hinc in tempore pſalmodiæ vel orationis, ceterorumque exercitiorum ſpiritualium, in corde ſervi Dei, etiam nolentis & reluctantis, imaginationes volvuntur, & phantaſmata cogitationum verſantur: à quibus, velut ab avibus immundis inſidentibus vel circumvolantibus, ſacrificium devotionis vel omnino rapitur de manu tenentis, vel ſæpe polluitur uſque ad lacrymas offerentis. Fitque miſerabilis & iniqua miſeræ animæ diviſio, ſpiritu & ratione voluntatem cordis & intentionem, & corporis ſibi promptum obſequium defendente: animali vero improbitate ſibi affectum præripiente & intellectum, mente ſæpius ſine fructu remanente. Hinc in animis infirmioribus, & in quibus concupiſcentiæ carnis & ſæculi necdum perfecte mortificatæ ſunt, vitia paſſim curioſitatis ebulliunt. (*Unde c… ſitas & … dium ſo… dinis.*) Hinc ſolitudinis & ſilentii quæruntur inordinatæ, & propoſito inimicæ conſolationes, in via regia communium inſtitutionum furtiva propriæ voluntatis diverticula, ſolitorum faſtidium, præſumptio novitatum. quæ quidem ægri animi pruritum & tædium, quaſi confricando, videntur ad horam lenire: ſed calefaciunt & accendunt, & ut poſtea nequius ferveat, & amplius pruriat, efficiunt. Hinc quotidie fiunt novæ occupationes, novæ actionum & laborum adinventiones, lectiones diverſæ, non ad ædificandum animum, ſed ad fallendum tardantis diei tædium: ut cum damnaverit ſolitarius omnia vetera, omnia ſolita, & defecerint nova; non reſtet niſi odium cellæ, & fuga matura.

*Quomo… formand… Novitii.*

17. Propter quod pia ſimplicitas, & in profeſſione religionis & ſolitudinis novus homo, qui non habet vel rationem ducentem, vel affectum trahentem, vel diſcretionem moderantem, ſed vi quadam utitur in ſemetipſum tamquam à figulo figmentum; lege quadam mandatorum Dei, quaſi manibus alienis faciendus eſt, & formandus in omni patientia, & in rota volubilis obedientiæ, & in igne probationis ſuæ, plaſmatoris & formatoris ſui voluntati & arbitrio ſubdendus. (*Dotes ar… naturales different…*) Nam etſi callet ingenio, ſi viget arte, ſi præeminet intellectu, inſtrumenta ſunt hæc tam vitiorum quam virtutum. Non ergo refugiat doceri, uti eo in bono, quo & in malo uti poteſt, quod proprium virtutis opus eſt. Ingenium corpus adaptet, ars naturam informet, & intellectus non elatum faciat animum, ſed docibilem. Ingenium quippe, ars, intellectus, & alia hujuſmodi gratuito habentur, aliter virtus. (*Differunt… virtute.*) Virtus enim vult doceri cum humilitate, quæri cum labore, haberi cum amore. Nam cum omnibus his digna ſit, nec aliter, vel doceri, vel quæri, vel haberi poteſt.

## CAPUT VII.

*Religioſus novitius, ſeu rudis Eremita quæ primum docendus.*

18. PRimum itaque docendus eſt rudis incola eremi, ſecundum apoſtolicam Pauli inſtitutionem, ut *exhibeat corpus ſuum hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium ſuum.* (Rom. 12.) Qui etiam compeſcens in novitio fervore animalis hominis, qui nondum percipit ea quæ Dei ſunt, circa ſpiritualia ac divina præproperam & curioſam inquiſitionem, ſubjunxit dicens: *Dico enim per gratiam Dei quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* (Ibidem.) Quia enim omnis vel præcipue animalis hominis inſtitutio circa corpus eſt & exterioris hominis compoſitionem, docendus eſt rationabiliter mortificare corpus ſuum, & membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, & inter carnem ac ſpiritum, quæ invicem jugiter adverſum ſe concupiſcunt, juſtum rationis ac diſcretionis habere judicium, nec alicujus eorum in judicio (*1. Mortif… tionem c… poris doc… dus Nov… tius.*) accipere

accipere personam. Docendus est sic habere corpus suum, A sicut ægrotum commendatum, cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda, utilia vero etiam nolenti ingerenda. Sic de eo agere, sicut de non suo, sed ejus à quo pretio magno empti sumus, ut glorificemus eum in corpore nostro. Rursumque docendus est cavere, quod peccatori populo Dominus per Prophetam improperat: *Projecistis me*, inquiens, *post tergum vestrum*. Multumque esse cavendum, ne pro necessariis hujus vitæ vel commodis, à propositi rectitudine, vel dignitate naturæ, in amorem vel honorem corporis sui sinat in aliquo degenerare spiritum suum. Ideoque durius tractandum est corpus, ne rebellet, ne insolescat: sic tamen, ut servire sufficiat: quia ad serviendum spiritui datum est. B Nec sic habendum est tamquam propter illud vivamus; sed tamquam sine quo vivere non possumus. Fœdus enim quod habemus cum corpore, non quandocumque volumus, possumus abrumpere; sed legitimam ejus resolutionem patienter nos exspectare oportet, & interim quæ legitimi fœderis sunt observare.

[Cor. 6. d] [14. b] [...is quo- tra- um.]

19. Sic ergo nobis est cum eo convivendum, vel conveniendum, quasi non diu nobis sit cum eo commorandum: sicque ut si aliter evenerit, non urgeamur ad exeundum. In quo multum & scrupulose laborandum, & periculose sæpe fuerat errandum, nisi lex obedientiæ & cellæ plenam communis institutionis formam semel tradens, ingredienti de victu & vestitu, de labore & quie- C te, de silentio & solitudine, & omnibus quæ ad exterioris hominis cultum, vel necessitatem spectant, fratrem obedientem, & patientem, & quietum, in reliquum cautum redderet & securum. In quibus sic semel circumcisa sunt omnia, & præcisa superflua, sic intra congruæ sufficientiæ terminos & generalis continentiæ limites circumscripta sunt omnia necessaria; ut sit quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant: nec ulterius quantitas concessorum lædere possit in aliquo utentium cum gratiarum actione conscientiam, nec quæ sunt amputata, tentare debeant aliquatenus in servo Dei corporis bene morigerati, & recte educati sufficientiam. In quibus, sicut Salomon dicit: *Qui ambulat simpliciter*, D *ambulat confidenter: qui vero mentis est duræ, corruet in malum*. Licet enim necessitas sic sit ordinata, ut nec querelæ sit locus ullus, & omnis sit superfluitas amputata: si quid tamen vel publice, vel privatim addendum est, vel minuendum, hoc in Prioris est arbitrio, absque omni scrupulo obedientium subditorum, vel periculo.

[obedientiam uti- religioso.] [10. b]

20. Instituendus est ergo novus Eremita ad communis institutionis normam concupiscentias carnis suæ præteritorum peccatorum pœnitentia continua domare, & ad contemnenda cetera, ad sui ipsius contemptum venire. Præmuniendus est assidue contra tentationes, acrius in solitarium novitium desævientes; cum servum Dei gratis Deo servientem non cessent sollicitare vitia mercede oblatæ delectationis, diabolo suggerente, carne concu- E piscente, sæculo concupiscenda ingerente. Tentat enim nos Dominus Deus noster, utrum diligamus eum an non: non ut ipse quasi nesciens agnoscat, sed ut plenius hoc in ipsa nobis tentatione innotescat. Sed illæ tentationes facile vincuntur, & facile à ratione eis occurritur, quæ vel suspectæ sunt, vel prima facie malæ esse innotescunt: quæ vero sub specie boni se ingerunt, & difficilius discernuntur, & periculosius admittuntur. Sicut enim difficillime tenetur modus in eo quod bonum esse creditur; ita non semper tutus est omnis boni appetitus.

[...contra ...ationes ...munien-] [...tationes ...culosio-]

## CAPUT VIII.

*Otium quantopere omni religioso præsertim solitario fugiendum, & quæ illi occupationes conveniant.*

21. OMnium autem tentationum & cogitationum malarum & inutilium sentina, otium est. Summa etenim mentis malitia est otium iners. Numquam otiosus sit servus Dei, quamvis à Deo feriatus sit. Nomen quippe tam suspectum & vanum & molle, rei tam certæ, tam sanctæ, tam severæ imponendum non est. Otiosum non est vacare Deo, immo negotium negotiorum omnium hoc est. Quod quicumque in cella non agit fideliter & ferventer, quodcumque agit, quod propter hoc non agit, scilicet ut Deo serviatur, in eo quod agit, otiatur. Ubi pro vitando otio otiosa sectari ridiculum est. Otiosum autem est, quod nullam habet utilitatem, vel utilitatis intentionem. Non autem hoc tantummodo agendum est, ut cum aliqua delectatione, vel sine grandi nausea otii dies transigatur: sed, ut etiam de peracta dieta ad profectum mentis semper aliquid in conscientia resideat, aliquid quotidie in thesaurum cordis congeratur. Nec ea die bonus cellita se vixisse debet existimare, in qua nil eorum se egisse recolit, propter quæ in cella vivitur.

[...Contra ...um.] [...care Deo ...n est otio- n.]

22. Quæris quid agas, vel in quo te occupes? Primum extra quotidianum orationum sacrificium, vel lectionis studium, quotidianæ conscientiæ discussioni, emendationi, morum compositioni pars sua diei neganda non est. Deinde operandum est aliquid manibus quod injungitur, non tam quod animum delectando ad horam detineat, quam quod spiritualibus studiis delectationem conservet & nutriat; in quo remittatur ad horam animus, non resolvatur: unde se facile mox, ut sibi ad seipsum redeundum esse visum fuerit, expediat sine controversia inhibentis voluntatis, absque contagio contractæ delectationis, vel memoriæ imaginantis. *Non enim vir propter mulierem, sed mulier propter virum*. Non spiritualia exercitia sunt propter corporalia, sed corporalia propter spiritualia. Propterea sicut viro creato collatum est, vel comparatum ei adjutorium simile sibi ex ipsa hominis substantia: sic cum in adjutorium spiritualis studii necessaria sint, non tamen in hoc semper æque convenire videntur omnia corporalia exercitia, sed quæ cum spiritualibus propiorem videntur habere similitudinem & affinitatem: sicut ad ædificationem spiritualem meditari quod scribatur, vel scribere quod legatur. Subdivalia enim exercitia & opera, sicut sensus distrahunt, sic sæpe etiam spiritum exhauriunt, nisi cum graviore ruralium labore operum sit major contritio corporis usque ad contritionem & humiliationem cordis. Fatigationis enim suæ pressura exprimunt sæpe vehementioris affectum devotionis. Quod etiam in labore jejuniorum, vigiliarum, & omnium in quibus afflictio corporis est, crebro fieri manifestum est.

[Exercitia Cellitæ.] [Discretio laboris.] [1. Cor. 11.]

23. Serius tamen animus & prudens ad omnem se comparat laborem, nec in eo dissolvitur, sed per eum magis in seipsum colligitur: qui semper præ oculis habens, non tam quod agit, quam quo agendo intendit, omnis consummationis attendit finem: quo in quantum verius innititur, in tantum etiam ferventius & fidelius manibus operatur, totius sibi corporis sui subjiciens servitutem. Coguntur enim in unum sensus ad disciplinam bonæ voluntatis, nec lascivire eis vacat à pondere laboris, & subacti & humiliati in obsequium spiritus, docentur conformari ei, & in laboris participatione, & in consolationis exspectatione. Exordinata enim natura per peccatum, & à conditionis suæ rectitudine exorbitans, si ad Deum fuerit conversa, recuperat cito pro modo timoris & amoris quem habet ad Deum, quæcumque perdidit aversa: & ubi cœperit spiritus reformari ad imaginem conditoris sui, mox etiam reflorescens caro ex voluntate sua incipit conformari reformato spiritui. Nam & contra sensum suum incipit eam delectare quidquid delectat spiritum suum. Insuper & pro multiplici defectu suo ex pœna peccati multipliciter sitiens ad Deum, nonnumquam etiam contendit præcedere rectorem suum. Delectationes enim non perdimus, sed mutamus à corpore ad animum, à sensibus ad conscientiam. Panis furfureus, & simplex aqua, & olera, & legumina simplicia, nequaquam res delectabiles sunt: sed in amore Christi, & desiderio internæ delectationis, ventri bene morigerato gratanter ex his satisfacere posse, valde delectabile est. Quot millia pauperum ex his, vel ex aliquo horum delectabiliter satisfaciunt naturæ? Facillimum quippe & delectabile esset adjuncto amoris Dei condimento secundum naturam vivere, si insania nostra nos permitteret: qua sanata, statim naturalibus natura arridet. Eodem modo & de labore. Rusticus duros habet nervos, fortes lacertos: exercitatio

[Dispositio ad laborem.] [Reformatio naturæ.] [Delectationes servorum Dei.] [Parsimonia grata.]

hoc facit. Sine eum torpere, mollescit. Voluntas facit usum, usus exercitium, exercitium vires in omni labore subministrat.

24. Sed redeamus ad propositum. Hoc omnibus modis agat, & labor, & otium nostrum, ut numquam simus otiosi: & hoc semper sit negotium nostrum, ut perfecte consummetur in nobis, quod dicit Apostolus animalibus & incipientibus: *Humanum*, inquit, *dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Audiat hoc hactenus amicum corporis sui mancipium animalis homo, qui jam incipit corpus suum subdere spiritui, & adaptare semetipsum ad ea quæ Dei sunt percipienda, & ad exuendam fide servitutis necessitatem, & carnis suæ dominantem consuetudinem se accingat. Necessitatem sibi faciat contra necessitatem, & consuetudinem contra consuetudinem, & affectum sibi formet contra affectum: donec plenius mereatur accipere delectationem contra delectationem. ut delectationibus carnis ac sæculi secundum consilium Apostoli saltem tantum eum delectet carere, quantum eum delectabat primum eas habere: tantum delectet eum de membris sui corporis servire justitiæ in sanctificationem, quantum prius delectabat eum servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem. Hæc est perfectio animalis hominis in suo statu, vel novitii incipientis: qui cum consummaverit hoc animale vel humanum, si non respexerit retro, sed fideliter in anteriora se extenderit, cito perveniet ad illud divinum, ut incipiat apprehendere sicut apprehensus est, & cognoscere sicut cognitus est. Hoc autem opus non in uno fit momento conversionis, non est unius diei, sed multi temporis, multi laboris, multi sudoris, secundum gratiam Dei miserentis, & studium hominis volentis & currentis.

Rom. 6.

Ibidem.

Perfectio hominis animalis.

## CAPUT IX.

*Stabilitas in cella commendatur, & custodes proponuntur.*

25. Omnium vero bonorum horum officina est cella, & stabilis perseverantia in ea. In qua quicumque cum sua paupertate bene convenit, dives est: & quicumque bonam voluntatem habuerit, secum habet quicquid ad bene vivendum ei opus est: quamvis bonæ voluntati non semper credi expedit, sed frenanda est, sed regenda est, & maxime in incipiente. Regat sanctæ obedientiæ regula bonam voluntatem: illa vero corpus, & doceat illud posse consistere in loco, cellam pati, secumque morari. quod in proficiente bonæ compositionis initium est, & certum bonæ spei argumentum. Impossibile enim est hominem fideliter figere in uno animum suum, qui non prius alicui loco perseveranter affixerit corpus suum. Nam qui ægritudinem animi migrando de loco ad locum effugere nititur, sic est sicut qui fugit umbram corporis sui. Seipsum fugit, seipsum circumfert: locum mutat, non animum. Eumdem ubique se invenit: nisi quod deteriorem facit ipsa mobilitas: sicut lædere solet ægrum, qui circumferendo concutit eum. Ægrum enim se sciat, & vacet circa causarias partes ægritudinis suæ. Si non interrumpitur quies, remedia continuata cito proficient, & sanatus animus ab alienationibus, vel captivitatibus & tentationibus suis, totus in Deo suus efficietur. Cura eget, & non modica, non inquinata, sed infecta natura. Incumbat ergo immobiliter valetudinario suo; (sic enim solent appellare medici valetudinum curandarum officinam) & remedii suscepti prosequatur usum usque ad sanitatis experimentum.

4. Contra instabilitatem.

Loci mutatio nociva.

Lege Senec. Ep. 2.

26. Valetudinarium tuum, ô ægrote, ô languide, cella tua est: remedium in quo curari cœpisti, obedientia est, obedientia vera. Sed scito quod remedia crebro mutata nocent, naturam disturbant, & ægrum distterminant. Nam & qui aliquo pergit, si unam certam tenuerit viam, cito perveniet quo tendit, & itineris, & laboris faciet finem. Si vero multas aggreditur vias, errat, nec laboris aliquando finem facit: quia error finem non habet. Non ergo remedium mutes, nec aliud pro alio accipias, sed usque ad terminum perfectæ sanitatis, medicinalis obedientiæ remedio utere: nec abjicias eam, ut ingratus, cum factus fueris sanus; sed tamen in reliquum alio modo ea uti permitteris. Si ergo ad sanitatem festinas, vide ut nil, vel modicum de temetipso agere præsumas medico inconsulto; à quo si operam medicantis exspectas, necesse est ut vulnus tuum semper ei detegere non erubescas. Erubesce, sed tamen revela totum, nec abscondas. Sunt enim qui confitendo quasi fabulam enarrant suorum historiam peccatorum, ægritudines animæ suæ sine confusione dinumerant, & pæne sine pœnitentia, & sine affectu doloris. Cito enim lacrymas invenit, & resolvitur in gemitum, qui habet sensum doloris. Si vero malæ ægritudini desperabilior stupor accesserit, hic in eo quod non dolet, quanto sanitati videtur esse propinquior, tanto ab ea fit remotior. Quod si medicus quasi clementior fuerit, ut quasi unguentis & emplastris lenioribus omnia voluerit curare: tu age pro temetipso, & remedii fortioris & celerioris avidus, sanitatis ferrum require, cauterium exposce. Medicus tibi semper præsto est, paratus est.

Et remediorum.

1. Est Obedientia.

2. ... detegendus morbus ... mi.

27. Ne enim horrori sit tibi tua solitudo, & ut tutius in cella habites, tres tibi deputati sunt custodes, scilicet Deus, Conscientia, & spiritualis Pater. Deo debes pietatem, cui te totum impendas: Conscientiæ tuæ honorem, coram qua peccare erubescas: Patri spirituali obedientiam caritatis, ad quem de omnibus recurras. Insuper ut gratum me habeas, addam tibi & quartum: & quamdiu parvulus es, & donec plenius addiscas divinam cogitare præsentiam, pædagogum tibi procurabo. Elige tibi tu ipse hominem consilio meo, cujus vitæ exemplar sic cordi tuo insederit, reverentia inhæserit: ut quoties ejus recordatus fueris, ad reverentiam cogitati assurgas, & temetipsum ordines & componas: qui cogitatus ac si præsens sit, in affectum mutuæ caritatis emendet in te omnia emendanda, & tamen nullum patiatur damnum secreti sui solitudo tua. Hic præsens tibi adsit quandocumque volueris: occurrat sæpe & cum nolueris. Increpationes ejus describet tibi cogitata sancta ejus severitas; consolationes, pietas & benignitas, exemplum, sanctæ vitæ sinceritas. Nam omnes cogitationes tuas cum ab eo videri cogitabis: ac si videat, ac si arguat, emendare cogeris. Sic secundum præceptum Apostoli sollicite temetipsum custodi: & ut temetipsum semper inspicias, semper ab omnibus oculos averte. Egregium instrumentum corporis est oculus; si sicut cetera, sic etiam videre posset semetipsum. Quod cum interiori oculo concessum sit, si ad exterioris exemplum seipsum negligens, vacat circa aliena; etiam cum vult, non sufficit redire ad seipsum. Tibi vaca: multa tu ipse tibi sollicitudinis materia es. Exclude etiam ab oculis exterioribus quod desuevisti videre, ab interioribus quod amare: quia nil tam facile recrudescit quam amor, & maxime in teneriotibus & recentioribus animis.

Tres custodes.

Confer ... cam Epi... 4. ... gus ali... semper oculos ... bendus 1. Tim.

Vacandum sibi.

## CAPUT X.

*Officia & exercitia Cellitæ.*

28. Aude etiam nonnumquam sapere, & æmulari charismata meliora, & tu ipse tibi esto parabola ædificationis. Alia cella tua exterior, alia interior. Exterior est domus, in qua habitat anima tua cum corpore tuo: interior est conscientia tua, quam inhabitare debet omnium interiorum tuorum interior Deus, cum spiritu tuo. Ostium clausuræ exterioris, signum est ostii circumspectionis interioris: ut sicut sensus corporis per exteriorem clausuram foris vagari non permittitur; sic interior sensus ad suum semper interius cohibeatur. Dilige ergo interiorem cellam tuam, dilige exteriorem: & unicuique suum impende cultum. Tegat te exterior, non abscondat: non ut pecces occultius, sed ut tutius vivas. Non enim scis, ô rudis incola, quid cellæ debeas, si non cogitas quomodo in ea, non solummodo à vitiis tuis curaris, sed etiam non habeas rixari cum alienis. Nescis enim quem conscientiæ tuæ debeas honorem, quicumque in ea non experiris gratiam sancti Spiritus, &

Cella interior & exterior.

internæ suavitatis dulcedinem. Da ergo utrique cellæ honorem suum, & tu tibi in ea vindica primatum tuum. Disce in ea secundum communis instituti leges tu tibi præesse, & vitam ordinare, & mores componere, & temetipsum judicare, teipsum apud teipsum accusare, sæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat judicans justitia: stet rea & seipsam accusans conscientia. Nemo te plus diligit, nemo te fidelius judicabit.

...xamen. 29. Mane præteritæ noctis fac à temetipso exactionem & venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Vespere, diei præteritæ rationem exige, & supervenientis noctis fac indictionem. Sic districto nequaquam tibi aliquando lascivire vacabit. Singulis horis secundum communis instituti canonem sua distribue exercitia: cui spiritualia, spiritualia: cui corporalia, corporalia: in quibus sic exsolvat omne debitum spiritus Deo, corpus spiritui, ut si quid fuerit intermissum, si quid imperfectum; suo modo, suo loco, suo tempore non abeat impunitum, vel irrecompensatum. In quibus, extra illas horas, de quibus dicit Propheta, *Septies in die laudem dixi tibi:* matutinum, ac vespertinum sacrificium, ac mediæ noctis est maxime observandum. Non enim frustra ait Propheta: *Mane adstabo tibi, & videbo:* sed quia tunc à curis exterioribus adhuc sumus jejuni. &, *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum:* quia tunc ab hujusmodi impedimentis jam quodammodo invenimur digesti. Qui & in nocturnis vigiliis nostris (in quibus media nocte surgimus ad confitendum nomini Domini) confessionis ejusdem ordinem contexens: *In die*, inquit, *tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* Istis enim horis potissimum coram Deo debemus nosmetipsos constituere quasi facie ad faciem; & in lumine vultus ejus perspicere, tribulationem & dolorem nobis de nobisipsis invenire, & nomen Dei invocare, scopendo spiritum nostrum, donec incalescat: ambiendo ad memoriam abundantiæ suavitatis suæ, donec ipse in cordibus nostris dulcescat. Sed tunc maxime nobis agendum est, quod dixit Apostolus: *Malo in ecclesia quinque loqui verba sensu meo, quam decem millia verborum sine intellectu.* Et illud: *Psallam spiritu, psallam & mente. Orabo spiritu, orabo & mente.* Tunc enim menti & spiritui aggregandi sunt fructus sui, ut exinde vel in abundantia benedictionis Dei in quietem noctis relaxemur: vel surgentibus nobis ad laudes Dei, omnis exinde tenor operis nostri in ipsius laudibus formetur ac vivificetur. Idcirco in præveniendis nocturnis vigiliis non expedit multitudine psalmorum obruere intellectum, & exhaurire spiritum, vel exstinguere. Sed quamdiu sobrius invenitur, pietati afficiendus est, & suo itinere dirigendus ad Deum: donec dilatato corde currere incipiat usque ad finem operis Dei, postmodum fervoris sui modum, sive tenorem habiturus: nisi magna intercidatur negligentia, vel omittatur voluntaria miseria.

...editatio ...otidiana ...ominicæ ...assionis. 30. Scit etiam quicumque sensum Christi habet, quantum pietati Christianæ expediat, quantum Dei servum, & servum redemptionis Christi deceat & utile ei sit, una saltem aliqua diei hora, passionis & redemptionis ipsius attentius recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, & recondendum fideliter in memoria: quod est spiritualiter manducare corpus Christi, & bibere ejus sanguinem in memoriam ejus, qui omnibus in se credentibus præcepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* In quo etiam propter peccatum inobedientiæ, quam impium sit hominem tantæ Dei pietatis immemorem esse, palam omnibus est: cum amici hominis abeuntis sub quolibet signo commendatam memoriam nefas sit oblivisci. Siquidem sanctæ hujus ac reverendæ commemorationis mysterium, suo modo, suo tempore, suo loco celebrare licet paucis hominibus, quibus hoc creditum est mysterium: rem vero sacramenti vel mysterii in omni tempore, & omni loco dominationis Dei, modo quo traditum est, hoc est debitæ pietatis affectu, agere, contrectare, & sumere sibi in salutem omnibus

Officium di... ...num Psal 118. b — Psal. 5 a — Psal. 140 a — Psal. 76. a — 1 Cor 14. h Orandi regu... — Luc 22. b — ...ommunio ...iritualis ...equens.

A in promptu est, quibus dicitur: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Nam & Sacramentum sicut accipit ad vitam dignus, sic ad mortem suam & judicium indignus: rem vero Sacramenti nemo percipit nisi dignus & idoneus. Sacramentum enim sine re Sacramenti sumenti mors est: res vero sacramenti, etiam, præter sacramentum sumenti, vita æterna est. Si autem vis, & vere vis, omnibus horis, tam diei quàm noctis, hoc tibi in cella tua præsto est. Quoties in commemorationem ejus qui pro te passus est, hoc facto ejus pie ac fideliter fueris affectus; corpus ejus manducas, & sanguinem bibis. Quamdiu in eo manes per amorem, & ipse in te per sanctitatis & justitiæ operationem: in ejus corpore & membris ejus computaris.

1. Petr 2. b

31. Deinde etiam certis horis, certæ lectioni vacandum est. Fortuita enim & varia lectio, & quasi casu reperta, non ædificat, sed reddit animum instabilem; & leviter admissa levius recedit à memoria. Sed certis ingeniis immorandum est, & assuefaciendus est animus. Quo enim spiritu scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant: ipso etiam intelligendæ sunt. Numquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis in lectione ejus, & studio assiduæ meditationis, spiritum ejus imbiberis. Numquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsos psalmorum affectus indueris. Sicque de reliquis. Et in omni scriptura tantum distat studium à lectione, quantum amicitia ab hospitio, socialis affectio à fortuita salutatione. Sed & de quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ demittendum est, quod fidelius digeratur, & sursum revocatum crebrius ruminetur; quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat. Hauriendus est sæpe de lectionis serie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuo animum ad intelligentiam lectionis restituat. Intentioni servit lectio. Si vere in lectione Deum quærit qui legit, omnia quæ legit cooperantur ei in bonum, & captivat sensus legentis, & in servitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum: nihilque tam sanctum, tam pium invenit in scripturis, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per pravum intellectum non applicet, vel malitiæ, vel vanitati. In omnibus enim scripturis legendis initium debet esse timor Domini, ut in eo primo solidetur intentio legentis, & ex eo ordinetur, & exsurgat totius lectionis intellectus & sensus.

Fixa Lectio Confer. Senec. Ep. 2. — Qualiter facienda. — Lectioni oratio jungenda.

## CAPUT XI.

*Corporalium exercitiorum, item cibi somnique modum tradit.*

32. A Spiritualibus vero exercitiis in corporalia numquam longe; vel in totum recedatur: sed facile ad ea posse redire animus assuescat, & cum illis se mutuat, istis semper inhæreat. Sicut enim supra dictum est, non vir propter mulierem, sed mulier propter virum: nec spiritualia propter carnalia, sed carnalia propter spiritualia. Corporalia vero exercitia nunc dicimus, quæ manuali opere corporaliter exercentur. Nam sunt & alia corporis exercitia, in quibus necesse est corpus laborare, sicut sunt vigiliæ, jejunia, & alia hujusmodi: quæ spiritualia non impediunt, sed juvant, si cum ratione discretionis fiant. Quæ si ex indiscretionis vitio sic agantur, ut vel deficiente spiritu, vel languente corpore spiritualia impediantur: qui sic est, corpori suo tulit boni operis effectum, spiritui affectum, proximo exemplum, Deo honorem: sacrilegus est, & horum omnium in Deum reus. Non quod secundum Apostoli sensum non videatur humanum etiam hoc, & non deceat, & justum non sit caput aliquando dolere in servitio Dei, quod olim sæpe usque ad dolorem laboravit in vanitate sæculi: esurire ventrem usque ad rugitum, qui sæpe repletus est usque

Corporalibus exercitiis qu modo vacandum. 1. Cor. 11. b — Indiscretio vitanda.

1. Tim. 4. b.

ad vomitum: ſed modus in omnibus habendus eſt. Affligendum eſt corpus aliquando, ſed non conterendum. Nam *corporalis exercitatio ad modicum quidem valet, & pietas ad omnia utilis eſt*. Propter quod & ad modicum, hoc eſt non in concupiſcentiis, ſed tamen cura carnis agenda eſt. Agenda vero eſt ſobrie, cum ſpirituali quadam diſciplina, ut neque in modo ejus, neque in qualitate, neque in quantitate appareat aliquid, quod non deceat ſervum Dei. Eis enim quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honorem circumdare debemus. Honeſta, vero noſtra nullius egent. Non ſolum autem hoc, ſed & omnem vitam noſtram, quamvis hominibus occultam, exhibere debemus Deo ſanctam & honeſtam, & omnem converſationem noſtram ſanctis Angelis conſpicabilem agere & delectabilem, quamvis inter domeſticos parietes incluſam. *Omnia veſtra*, inquit Apoſtolus, *honeſte fiant in vobis*. Grata Deo res eſt honeſtas, & ſanctorum Angelorum amica. Propter quod etiam jubet Apoſtolus velari mulieres propter Angelos: qui cum proculdubio tam die quam nocte vobiſcum ſint in cellis veſtris, vos cuſtodientes, & veſtris ſtudiis congaudentes, & cooperantes: placet eis, ut etiam nullo homine vidente, omnia veſtra honeſte fiant.

Honeſtas ubique.

1. Cor. 14. g

1. Cor. 11 b

Modus in refectione.

33. Sive ergo manducetis, ſive bibatis, ſive aliquid aliud faciatis: omnia in Domino agite, pie, ſancte, & religioſe. Si manducas, menſam tuam, per ſe ſatis ſobriam, ſobrietas tua perornet. Et cum manducas, nequaquam totus manduces, ſed corpore tuo ſuam refectionem procurante, mens ſuam non negligat: ſed de memoria ſuavitatis Domini, vel Scripturarum aliquid, quod eam paſcat, meditando, vel ſaltem memorando ſecum ruminet & digerat. Sed & ipſa neceſſitas, non ſæculariter, non carnaliter expleatur: ſed ſicut decet monachum, ſicut convenit ſervo Dei. Nam etiam quoad ſanitatem corporis, cibus quanto honeſtius & ordinatius ſumitur & ingeritur; tanto facilius & ſalubrius digeritur. Obſervandus eſt ergo ſumendi modus & tempus, cibi quantitas & qualitas: fugienda ſuperflua & adulterina condimenta. Obſervandus eſt, inquam, ſumendi *modus*, ut non effundat qui comedit ſuper omnem cibum animam ſuam: *tempus*, ne ante horam: *qualitas*, uti quibus utitur communitas fraternitatis, excepta cauſa manifeſtæ neceſſitatis. De condimentis vero ſufficiat, obſecro, ut comeſtibiles fiant cibi noſtri, non etiam concupiſcibiles, vel delectabiles. Sufficit enim concupiſcentiæ malitia ſua: quæ cum vix aut nullo modo pertranſire poſſit ad finem explendæ neceſſitatis, niſi per viam quantæcunque delectationis; ſi cœperit accipere irritamenta ab eis qui perpetuum ſuſcepere bellum adverſus ejus oblectamenta, fiunt duo contra unum; & ſic periclitatur continentia.

In ſomno.

34. Deinde ſicut de cibo dictum eſt, ſic & de ſomno. Cave in quantum potes, ſerve Dei, ne totus aliquando dormias, ne ſit ſomnus tuus non requies laſſi, ſed ſepultura corporis ſuffocati: non reparatio, ſed exſtinctio ſpiritus tui. Suſpecta res eſt ſomnus, & ex magna parte ebrietati ſimilis. Exceptis enim vitiis, quibus in dormiente, cum corpore dormitante ratione non eſt qui contradicat; quantum ad debitum continui profectus, nihil temporis tam deperit de vita noſtra, quam quod ſomno deputatur. Iturus ergo ad ſomnum ſemper aliquid defer tecum in memoria vel cogitatione, in quo placide obdormias, quod nonnumquam etiam ſomniare juvet: quod etiam evigilantem te excipiens, in ſtatum heſternæ intentionis reſtituat. Sic tibi nox ſicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis tuis. Placide obdormies, in pace quieſces, facile evigilabis; & ſurgens facilis & agilis eris ad redeundum in id, unde non totus diſceſſiſti. Sobrium enim cibum, ſobriumque ſenſum, ſequitur ſobrius ſomnus. Carnalis vero ſomnus, & brutus, &, ſicut dicitur, leteus, abominandus eſt ſervo Dei. De quo vero poſt congruam quietem facile eſt ſenſus corporis & mentis evocare, & quaſi ſervos domus patrisfamilias ad opera neceſſaria ſpiritui ſuſcitare & emittere: hujuſmodi ſomnus tempore ſuo, modo ſuo aſpernandus non eſt. Sic prudens & Deo deditus animus habere ſe debet in cella ſua & in conſcientia ſua, ſicut prudens paterfamilias in domo ſua. Non habeat, ſicut Salomon dicit, in domo ſua *mulierem litigioſam* carnem ſuam, ſed ad ſobrietatem morigeratam & aſſuefactam ad obedientiam, & ad laborem paratam, ubique inſtitutam & eſurire, & ſaturari, & abundare, & penuriam pati. Habeat ſenſus exteriores non duces, ſed ſervientes: interiores ſobrios & efficaces. Habeat omnem omnino domum, vel familiam cogitationum ſuarum, ſic ordinatam & diſciplinatam, ut dicat huic, Vade, & vadat: & alii, Veni, & veniat: & ſervo ſuo corpori, Fac hoc, & abſque contradictione faciat. Qui ſic ſemetipſum ordinat, & regit in conſcientia ſua, optime ſibi credendus & committendus eſt in cella ſua. Sed hoc eſt perfectorum, vel perfici jam incipientium. quod ideo propoſuimus incipientibus & novitiis, ut ſciant quid deſit ſibi, & quo extendere habeant intentionem ſtudii ſui.

Pſal. 138. b

Prov. 21

Animus paterfamil[ias]

## CAPUT XII.

*Quinam idonei habitatores Cellæ: ſumptuoſa ædificia improbantur.*

35. Sciendum vero eſt, quia cum de carnali, vel de animali ſenſu, vel de rationali ſcientia, vel de ſpirituali ſapientia diſſerimus: unum hominem deſcribimus in quo ſecundum diverſos profectus & profectuum proventus, & intentionis affectus, hæc omnia diverſis temporibus poſſibile eſt inveniri; & tria hominum genera, ſingula ſecundum ſtatuum horum proprietates in profeſſione religionis in cellis militantia. quamvis cellæ dignitas, & ſanctæ ſolitudinis ſecretum, & ſolitariæ profeſſionis titulus, non niſi perfectis convenire videtur: quorum, ſicut Apoſtolus dicit, *eſt ſolidus cibus: & qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.* in quo etſi rationalis, qui proximus eſt ſapienti, utcumque videretur eſſe tolerandus: ſed certe animalis qui non percipit ea quæ Dei ſunt, penitus putaretur arcendus. Sed occurrit Petrus Apoſtolus, dicens de quibuſdam: *Si Spiritum-ſanctum ipſi acceperunt, ſicut & nos: ego quis eram qui prohiberem Deum?* Spiritus enim ſanctus bona voluntas eſt. Nec enim ſine grandi ſcrupulo mentis à quacunque profeſſionis altitudine arcendus eſt, cui teſtis inhabitantis & trahentis Spiritus-ſancti bona voluntas eſt. Siquidem ex duobus hominum generibus cellarum habitatio ſupplenda eſt: ſcilicet vel de ſimplicibus, qui & ſenſu & voluntate ad aſſequendam religioſam prudentiam ferventes apparuerint & humiles: vel de prudentibus, quos religioſæ & ſanctæ ſimplicitatis conſtiterit eſſe æmulatores. Stulta vero ſuperbia, vel ſuperba ſtultitia, à tabernaculo juſtorum ſemper procul ſit. Eſt autem omnis ſuperbia ſtulta: quamvis non omnis ſtultitia ſit ſuperba. Stultitia enim ſine ſuperbia, nonnumquam ſimplicitas invenitur: quæ ſi ignorat, forſan eſt docibilis: & ſi nequit doceri, forſan eſt tractabilis. Et eſt propria civitas refugii ſimplicitati, cohabitatio religionis: niſi ſit talis quæ nolit humiliari, vel tam bruta, ut non poſſit regi vel tractari. Bona tamen voluntas, etſi multum ſit bruta, non tamen eſt deſerenda, ſed ſalutari conſilio ad laborioſam & actuoſam vitam tranſmittenda. Superba autem, quantumvis prudens ſibi videatur, dimittenda ſibi eſt, & abigenda. Si enim admittitur ſuperbus, prima die qua ingreditur habitare, incipit leges dare: nimium vero ſtultus diſcere non poteſt, quas invenit. Sollicite ergo & prudenter perpendendum eſt, quis admittatur ad habitandum ſecum. Qui enim habitat ſecum, non niſi ſeipſum, qualis ipſe eſt, habet ſecum. Malus autem homo numquam tuto ſecum habitat, quia cum malo homine habitat: & nemo moleſtior ei eſt, quàm ipſe ſibi. Nam inſani & nimium dementes, & qui non ſatis quacumque de cauſa mentis ſuæ bene compotes ſunt, cuſtodiri ſolent, nec ſibi relinqui vel committi, ne ſolitudine ſua male utantur. Admittantur ergo animales homines, pauperes ſpiritu ad cohabitationem cellarum: ſed ut fiant ipſi rationales ac ſpirituales, non ut propter eos ipſi qui jam hoc eſſe meruerunt, convertantur retro, & efficiantur animales. Suſcipiantur in omni benevolentia

Hebr. 5. ...

Act. 11.

Quales ad religionem admittendi.

Superbi ipſi rejiciendi.

caritatis; portentur in omni patientia benignitatis. Sed qui eis compatiuntur, non eis conformentur: nec sic quærant eorum profectum, ut propter eos cogantur incurrere propositi in religione rigoris defectum.

36. Inde enim jam subintravit de ære alieno sumptuosa, &, quantum pudor vix finit, ambitiosa cellarum ædificatio: & abjecta sancta simplicitate & rusticitate, sicut Salomon dicit, ab Altissimo creata, quasi religiosas
I.7.b quasdam nobis creamus habitationum honestates. In quibus tantum compassium est animalibus, ut pæne omnes in hoc effecti simus animales. Dimissam enim nobis à Patribus nostris jure hereditario formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem, verum decorem domus Dei, alienantes à nobis & à cellis nostris, per manus artificum B exquisitorum cellas, non tam eremiticas, quàm aromaticas ædificamus nobis, singulas in titulo centum solidorum, concupiscentias oculorum nostrorum de eleemosynis pauperum. Amputa, Domine, opprobrium centum solidorum à cellis pauperum tuorum. Cur non potius centum denariorum? Cur non potiùs nullorum? Cur non potius gratis filii gratiæ ipsi sibi ædificant? Quid responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum? *Vide*,
...od 25.d inquit, *omnia facito secundum exemplar quod ostensum est tibi in monte*. Non à sæculi hominibus decet fieri tabernaculum Dei cum hominibus. Ipsi quibus in altitudine mentis ostenditur exemplar veri decoris domus Dei, ipsi ædificent sibi. Ipsi quibus sollicitudo interiorum suorum C contemptum & negligentiam indicit omnium exteriorum, ipsi ædificent sibi formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem, & paternæ frugalitatis lineamenta. Nulla enim sic aptabit artificum industria, sicut eorum negligentia.

...læ sump-
...sæ repro
...itur.

37. Ergo obsecro in peregrinatione hujus sæculi, in militia hac super terram, ædificemus nobis, non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deserendum: utpote cito inde vocandi, & emigraturi in patriam & civitatem nostram, & in domum æternitatis nostræ. In castris quippe sumus, in alieno militamus, in alieno laboramus: facile est quicquid naturale est. Numquid non facile est solitario, & sufficiens naturæ, & utile conscientiæ, ipsi sibi D cellam de virgis contexere, de luto plasmare, undecumque operire, & decentissime inhabitare? & quid amplius est requirendum? Credite fratres, & utinam experiri vobis non contingat: quia pulcritudines istæ & forenses honestates cito utile propositum enervant, & masculinum animum effeminant. Nam etsi ipso sæpe usu sopiuntur earum delectationes, etsi sint aliqui qui utantur hujusmodi quasi non utentes: tamen contemptu melius, quam usu exstirpantur, & vincuntur hujusmodi affectiones. Conferunt etiam non modicum interioribus nostris exteriora nostra, ad similitudinem mentis aptata & composita, & bono proposito suo modo respondentia. Pauperior enim cultus in aliis frenat concupiscentiam: in aliis circa amo- E rem paupertatis afficit conscientiam. Sed & intentum in interioribus suis animum magis decent inculta omnia & neglecta exteriora: quibus animus ipse sæpius alibi conversari dignoscitur; seque alibi magis occupatam intentio sancta denunciat; & efficaciter bonæ conscientiæ conciliat interiora, cui omnia exteriora viluisse renuntiat. Obsecro ergo, ut maneant cellæ illæ delicatiores sicut factæ sunt, sed non crescat numerus earum: sintque in valetudinaria fratribus animalibus & infirmioribus, donec convalescant: hoc est incipiant desiderare, non valetudinaria infirmorum, sed tabernacula militantium in castris Dei. Maneant in exemplum posteris vestris, quia tales habuistis, & sprevistis.

...ncola do-
...us.

## CAPUT XIII.

*Exemplo priscorum Monachorum, Eremitarum, immò Christi Apostolorum & primorum Fidelium, hortatur ad modestiam, otii fugam, & paupertatis amorem.*

38. VOs autem qui spirituales estis, sicut Hebræi, id est transeuntes, non habentes hîc civitatem manentem, sed futuram inquirentes; ædificate vobis, sicut A cœpistis, casulas in quibus habitetis. In casulis enim habitaverunt patres nostri, habitantes in terra repromissionis quasi in aliena; cum coheredibus repromissionis exspectantes civitatem habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus: non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes & salutantes, & confitentes, quia hospites sunt & peregrini super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere meliorem, hoc est cælestem. Idcirco Patres nostri in Ægypto & Thebaida, sanctæ hujus vitæ ardentissimi æmulatores, in solitudinibus degentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: ipsi sibi cellas ædificabant, in quibus tecti tantummodo & circumsepti à turbine & à pluvia tutabantur, in quibus eremiticæ frugalitatis deliciis affluentes, locupletabant multos ipsi egentes. Quos quo nomine dignius appellem nescio, homines cælestes, an angelos terrestres, degentes in terris, sed conversationem habentes in cælis. Laborabant manibus suis, & de labore suo pauperes pascebant; esurientes ipsi, de vastitate eremi urbium carceres alebant & infirmos, & in quibuslibet necessitatibus positos sustentabant, viventes de labore suo, & habitantes in labore manuum suarum.

39. Quid ad hæc dicemus nos, non animales, sed animalia terrena; adhærentes terræ, & sensibus carnis nostræ, in sensu carnis nostræ ambulantes, & ex alienis manibus pendentes? Quamvis consoletur nos in hoc ipsum aliquatenus ille, qui cum dives esset, pauper pro nobis factus est; & qui voluntariæ paupertatis dedit præceptum, ipse ejusdem paupertatis in semetipso nobis formam dignatus est demonstrare. Ut enim sciant evangelici pauperes quid eis faciendum sit, ipse etiam à fidelibus pasci voluit: nonnumquàm & ab infidelibus, sed ut fideles faceret, vitæ necessaria accipere non recusavit. Sed etiam in primitiva Ecclesia pauperes illos sanctos, qui pro Christo rapinam bonorum suorum perpessi fuerant, vel secundum perfectionis consilium omnia reliquerant & vendiderant, ac fratribus fidelibus communia effecerant; quanta sollicitudine, quanta pietate sancti Apostoli alendos à fidelibus procurabant, & liber Actuum Apostolorum, & Paulus in epistolis suis manifestè demonstrat. Quod etsi conceditur liberiùs, hoc ipsum Domino præcipiente & ordinante, Evangelium annuntiantibus de Evangelio vivere; ex Apostolorum tamen auctoritate non negatur, etiam evangelicè viventibus, sicut sanctis illis pauperibus qui tunc erant in Jerusalem: qui etiam sancti pauperes ob hoc vocantur, quia in professione sanctitatis & communis vitæ nomen dederant, & semetipsos in hoc ipsum sponte pauperes effecerant. Quod enim Apostolus severissima auctoritate quibusdam denuntiat, ut qui non vult operari, non manducet; continuò ostendens de quibus diceret, subjunxit dicens: *Audivimus enim quosdam ambulantes inter vos inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem qui hujusmodi sunt, denuntiamus & obsecramus in Domino Jesu-Christo, ut cum silentio operantes panem suum manducent. Suum*, hoc est suo labore partum & acquisitum. Et tamen ne illos, quamvis inquietos, nihil operantes, & curiose agentes, nomen tamen Domini invocatum super se habentes, quasi exposuisse videretur & abjecisse, statim intulit dicens: *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes in Christo Jesu Domino nostro.* Ac si diceret, Et si illi perseverant in malitia, sive negligentia sua; vos tamen in sustentandis eis nolite deficere à beneficentia vestra.

An liceat vivere de alieno labore.

2. Cor. 8. b

Luc. 18. d

Act. 2. g & Ibidem 4. g 1. Cor. 6 & 2. Cor. 8. à & alibi.

Rom. 15. f

Th. 3. b

Otiosis panem tollit Apost.

Ibidem.

F 40. Cum ergo severissime superius denuntiaverit, non manducandum nolentibus operari; postmodum verò volentibus operari, sed nihil operantibus, aliquanto se exhibuerit clementiorem: possemus dicere secundum textum verborum ejus (nec omnino aberraret à vero) non volentibus quamvis valentibus, intentatam esse illam severitatem: volentibus autem, sed non valentibus, indulgentiam istam. Sed etiam cum istis denuntiet, & obsecret in Domino Jesu-Christo, ut cum silentio panem suum manducent: videntur panem non suum manducare, nisi eum suum efficiant operando, quan-

tum operari possunt testimonio Dei & conscientiæ suæ. Ignosce, Domine, ignosce: excusamus, tergiversamur, sed non est qui se abscondat à lumine veritatis tuæ: quod sicut illuminat conversos, sic etiam ferit aversos. Non est enim occultatum os nostrum à te, quod fecisti in occulto hominum. Nos autem nobismetipsis facimus id occultum; quia vix est aliquis in eis quæ ad te sunt, qui experiri velit quid possit, & quod promptissime potest quandoque secundum carnem vel sæculum, sive timor impulerit, sive cupiditas traxerit. Sed & si fallimus homines inscios, non nos permittas, ut quasi volentes fallere te, fallamus nosmetipsos. Nos non laboramus, quia vel non possumus, vel non posse nobis videmur: vel consuetudine otii & deliciarum nostrarum nos non posse efficimus.

41. Adoremus ergo semper, & procidamus, & ploremus coram te, qui fecisti nos, & qui in hoc ipsum peccato nostro manifesto, judicio tuo occulto formasti nos, ut forsitan quia non multum hoc volumus, non possimus: vel quia non voluimus cum potuimus, cum volumus non possumus. Vescamur saltem secundum pœnam Adæ pane nostro, si non possumus in sudore vultus nostri, in dolore cordis nostri; in lacrymis doloris, si non possumus in sudore laboris. Magnam hanc jacturam professionis nostræ suppleat pietas, ac devotio conscientiæ humilis. Sint nobis lacrymæ nostræ panes die ac nocte, quamdiu dicitur animæ nostræ, Ubi est Deus tuus? hoc est, quamdiu peregrinatur à Domino Deo nostro, & à lumine vultus sui. Unum quidem erat necessarium: sed qui nec in uno figimur, nec in multis exercemur, in quo ordine computabimur? Utinam cum illo de quo Apostolus dicit: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputabitur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.* Utinam cum peccatrice, cui multum dimissum est, quia multum dilexit: & beata anima hoc judicio apud Deum meruerit justificari, judicio diligentium nomen Domini; ut omissa omni justitia operum, & fiducia meritorum, in hoc solo justificetur, quoniam dilexit multum. Nam in diligendo te Deus, retributio magna est diligenti conscientiæ ipsa dilectio tua, deinde vero vita æterna. Sic fratres, obsecro vos, non excusemus nos, sed accusemus nos, & confiteamur. Et qui magni nominis umbram, & personale quoddam figmentum perfectionis apud homines induimus; apud Deum conscientiæ nostræ cognoscentes paupertatem, non usquequaque recedamus à veritate, & veritas liberabit nos.

Rom. 4. a

Luc. 7. g

## CAPUT XIV.

*Quomodo animalis incipiens, seu tiro religiosus docendus sit appropinquare Deo per amorem & orationem.*

42. DEinde docendus est animalis incipiens, & Christi tirunculus Deo appropinquare, ut & Deus appropinquet ei. Sic enim admonet Propheta: *Appropinquate Deo, & ipse appropinquabit vobis.* Non solum enim faciendus est homo & formandus, sed & vivificandus. Primo enim formavit Deus hominem: deinde inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Formatio hominis, institutio est moralis: vita ejus, amor Dei. Hunc fides concipit, spes parturit, caritas format & vivificat. Amor enim Dei, vel amor Deus Spiritus-sanctus, amori hominis se infundens, afficit eum sibi. Et amans semetipsum de homine Deus, secum unum efficit, & spiritum ejus, & amorem ejus. Sicut enim non habet corpus unde vivat, nisi de spiritu suo: sic affectus hominis, qui amor dicitur, non vivit, hoc est non amat Deum, nisi de Spiritu-sancto. Amorem ergo Dei, in homine ex gratia genitum, lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat & illuminat. Animali vero & novo in Christo homini ad exercitanda ejus interiora melius & tutius proponuntur legenda & meditanda Redemptoris nostri exteriora: & ostenditur in eis exemplum humilitatis, provocatio caritatis, & affectus pietatis: & de Scripturis sanctis & sanctorum tractatibus Patrum moralia quæque & planiora. Proponenda sunt ei gesta & passiones Sanctorum: ubi nec laborandum ei sit in planitie historiali, & semper aliquid occurrat quod novitii animum excitet ad amorem Dei & contemptum sui. Porro aliæ historiæ delectant quidem cum leguntur, sed non ædificant, quin potius mentem inficiunt: & in tempore orationis vel spiritualis meditationis, inutilia quæque vel noxia faciunt scaturire de memoria. Lectionis quippe modum similis meditatio sequi solet. Difficilium etiam lectio scripturarum fatigat, non reficit teneriorem animum: frangit intentionem, hebetat sensum vel ingenium.

Jac. 4. b

Gen. 2. b

Religiosi formatio & vivificatio.

Qualis Novitio(rum)

43. Docendus est etiam in oratione sua sursum cor levare, spiritualiter orare, à corporibus vel corporum imaginibus, cum Deum cogitat, quantum potest recedere. Admonendus est quanta potest puritate cordis intendere in eum, cui sacrificium orationis suæ offert: seipsum attendere qui offert, intelligere quod offert: quantum enim videt, vel intelligit eum cui offert, tantum ei in affectu est, & ei amor ipse est intellectus: quantumque ipse ei in affectu est, tantum sapit ei hoc ipsum si dignum Deo est quod offert: & in eo sibi bene est. Hujusmodi homini oranti vel meditanti, melius ac tutius, sicut jam dictum est, proponitur imago dominicæ Nativitatis, Passionis & Resurrectionis: ut infirmus animus, qui non novit cogitare nisi corpora & corporalia, habeat aliquid cui se afficiat, cui juxta modum suum pietatis intuitu inhæreat. Est quippe in forma Mediatoris, in quo, sicut legitur in Job, *visitans homo speciem suam, non peccet:* hoc est, cum intentionis suæ intuitum in eum dirigat, humanam in Deo speciem cogitando, à vero non usquequaque recedat; & dum per fidem ab homine Deum non dividit, Deum aliquando in homine apprehendere addiscat. In quo pauperibus spiritu, & simplicioribus filiis Dei, tanto primum solet esse affectus dulcior, quanto humanæ naturæ propinquior. Postmodum vero fide migrante in affectum, amplexantes in medio cordis sui dulci amoris amplexu Christum Jesum, totum hominem propter hominem assumptum, totum Deum propter assumentem Deum, incipiunt eum non jam secundum carnem cognoscere, quamvis eum necdum secundum Deum plene possint cogitare. Et sanctificando eum in cordibus suis offerre ei amant vota sua quæ distinxerunt labia sua: obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro tempore, pro causa congruentes.

Oratio (spiritua)lis.

Job. 30.

44. Sunt enim orationes aliæ breves ac simplices, sicut eas format voluntas, seu necessitas orantis pro causa incidenti: aliæ prolixiores & rationabiles, sicut in inquisitione veritatis petentes, quærentes, pulsantes, donec accipiant, inveniant, & aperiatur eis: aliæ alacres spirituales & fecundæ, in affectu fruentis, & gaudio gratiæ illuminantis. Et ipsæ sunt quas Apostolus alio ordine dinumerat, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Nam *Postulatio* quam primam posuimus, est circa obtinenda temporalia, & necessaria aliqua vitæ hujus, in qua Deus postulantis quidem approbans bonam voluntatem, facit tamen ipse quod melius judicat, & dat libenter ei, * quod bene postulat. Ipsa est de qua Psalmista ait: *Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum.* Hæc est etiam hominum impiorum, quia omnium communiter est, sed maxime filiorum sæculi hujus, desiderare tranquillitatem pacis, sanitatem corporis, temperiem aëris, & alia quæ ad vitæ hujus usum spectant, & necessitatem, & abutentium voluptatem. Pro quibus qui fideliter postulant, quamvis non ea postulant nisi ad necessitatem: tamen in hoc ipso voluntati Dei suam semper subjiciunt. *Obsecratio* vero est in exercitiis spiritualibus anxia ad Deum instantia: in quibus ante gratiam succurrentem, qui apponit scientiam, apponit & dolorem. *Oratio* vero est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio, & statio illuminatæ mentis ad fruendum, quamdiu licet. Porro *gratiarum actio* est in intellectu, & cognitione gratiæ

Orationis diversitas

1 Tim. 2.

Postulatio

* al. sequ bene postulantem.

Psal. 140.

Obsecratio

Eccles. 1. d

Oratio.

Gratiarum actio.

Dei bonæ voluntatis indeficiens ad Deum & indefessa A intentio: etiamsi aliquando, vel non sit, vel torpeat, sive actio exterior, sive interior affectio. Hæc enim est de qua dicit Apostolus: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Ac si dicat: Semper quidem velle adest, sed aliquando jacet, hoc est inefficax est: quia perficere opus bonum quæro, sed non invenio. Hæc est caritas quæ numquam deficit. Ipsa est enim sine intermissione oratio, seu gratiarum actio, de qua Apostolus ait: *Semper sine intermissione orantes, semper gratias agentes.* Est enim jugis quædam bonitas mentis & bene compositi animi, & ad Patrem Deum in filiis Dei bonitatis ejus quædam similitudo, orans pro omnibus semper, & gratias agens in omnibus, tot modis in oratione, vel gra- B tiarum actione in Deum se jugiter refundens, quot in suis necessitatibus vel consolationibus, in proximi etiam vel compassionibus, vel congratulationibus causales in hoc materias invenit pius affectus. Hæc autem jugiter in gratiarum actionibus est: quia qui sic est, semper in gaudio sancti Spiritus est.

45. In *postulationibus* ergo pie ac fideliter orandum est, sed non est in illis pertinaciter inhærendum: quia nos nescimus, sed Pater cælestis scit quid in temporalibus istis necesse nobis sit. *Obsecrationibus* vero insistendum est, sed in omni humilitate & patientia: quia non afferunt fructum, nisi in patientia. Nonnumquam enim cum celerius gratia non subvenit, fit obsecranti cælum æneum, C & terra sua ferrea. Et cum relictâ sibi cordis humani duritiâ, ad votum exaudiri non meretur, anxietas desiderantis negari sibi æstimat, quicquid differtur. Cumque sicut Cananæa illa præteriri se ac despici ingemiscit, quasi immunditiam carnis, præterita sibi peccata sua imputari, vel improperari imaginatur. Nonnumquam vero sine labore petens accipit, quærens invenit, & pulsanti aperitur: & consolationes ac suavitates orationis invenire tandem aliquando meretur labor obsecrationis.

46. Nonnumquam etiam puræ orationis affectus, & bona illa orationis suavitas non invenitur, sed quasi invenit eum non petentem, non quærentem, non pulsantem, & quasi nescientem gratia prævenit: & tamquam D genus servorum recipitur in mensa filiorum, cum rudis adhuc & incipiens animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro præmio sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Quod cum fit, agitur ut vel in judicium suum non liceat scire negligenti quid negligat, vel ut provocatio caritatis amorem in eo ultro se offerentis accendat. In quo prô dolor, plurimi falluntur, quia cum pascuntur pane filiorum, jam se esse filios arbitrantur: & deficientes unde proficere debebant, ex visitante gratia evanescunt à conscientia sua, arbitrantes se aliquid esse, cum nihil sint, & de bonis Dei non emendantur, sed indurantur; & fiunt, de quibus Psalmista dicit: *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula. E Et cibavit illos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos.* Pascuntur enim à Patre Deo, aliquando de pretiosiore gratiæ substantia servi, ut affectent esse filii: ipsi vero gratia Dei abutentes efficiuntur inimici. Ut enim abutantur etiam Scripturis sanctis in peccatis, vel in concupiscentiis suis, redeuntes ad eas per orationes, dicunt sibi illud uxoris Manuæ: *Si Dominus voluisset nos occidere, non suscepisset sacrificium de manibus nostris.*

47. * *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, in quibus passer invenit sibi domum, & turtur nidum ubi reponat pullos suos.* Passer, inquam, naturaliter animal vitiosum, mobile, leve, importunum, garrulum, ac F pronum in libidinem. Et turtur luctus amica, opacæ solitudinis familiaris incola, forma simplicitatis, exemplum castitatis. Ille sibi invenit in eis domum quietis & securitatis: illa nidum sibi, ubi reponat pullos suos. Quæ sunt hæc; nisi juvenum naturaliter calidus sanguis, & fervidus animus, ætas labilis, curiositas inquieta, & virilis maturitas, serius animus, castus, sobrius, pertæsus exteriorum quantum potest, & intra semetipsum recondens semetipsum? Quorum alterum in tabernaculis Domini virtutum, in disciplina cellarum invenit sibi ab omnibus vitiis quietem, firmamentum stabilitatis, & mansionem securitatis: alterum vero in secreto cellæ secretiorem recessum conscientiæ, ubi reponat & nutriat sanctarum affectionum suarum fructus, & spiritualis sensus contemplationis. Passer solitarius in tecto, hoc est in altitudine contemplationis, calcare amat habitationem carnalis conversationis. Turtur in inferioribus fœcundatur, & gaudet in fructibus humilitatis. Perfecti enim quique & spirituales, qui turturis nomine designantur, cum ad firmamentum & robur virtutis suæ per virtutem obedientiæ & subjectionis perveniunt, premunt se semper ac dejiciunt in id quod incipientium est: & unde infra se descendunt, inde ascendunt supra se: & humiliando se magis proficiunt, propter fructus solitudinis, qui sunt frequentes & sublimes excessus contemplationis, non arbitrantes esse negligendam conscientiam voluntariæ subjectionis, usum socialis vitæ, & dulcedinem fraternæ caritatis.

48. Ideo vir spiritualis & corpore suo spiritualiter utens, servitutem ejus, quam habet animalis homo per vim coactam, rationalis per consuetudinem subactam, accipere meretur quasi naturaliter affectam. Ubi illi est obedientia necessitatis, iste eam habet caritatis. Ubi ille virtutes laboris plenas, iste habet eas versas in mores. Illi vero passeres Dei sursum nitentes ad ea quæ sunt perfectorum; non elationis præsumptione, sed pietatis amore, in paupertate spiritus sui sublimati, non repelluntur ut elati, sed suscipiuntur ut devoti: & aliquando hoc merentur experiri, quo spirituales frui: & semper affectant imitari eorum vitam activam, ad quorum ambiunt consolationem contemplativam. Sicque uno spiritu, licet non uno gressu gradientes, æque proficiunt & spirituales in humili, & incipientes in sublimi. Et hæc sunt cellarum bene ordinatarum sancta commercia, studia veneranda, otia negotiosa, quies operosa, caritas ordinata, mutuo in silentio sibi colloqui, & in absentia ab invicem se ad invicem magis frui, proficere de invicem: & cum se non vident ad invicem, in alio videre quod imitandum est, in se ipsis non nisi quod flendum est. Ego vero, sicut dicit Jeremias, *vir videns paupertatem meam,* cum alienas divitias computo, in memetipso erubesco, & suspiro, quia quod tracto in alieno, mallem experiri in proprio. De duobus quippe malis tolerabilius est quod amas non videre, quàm videre, & non habere; quamvis non sic de bonis Domini. Bona enim Domini videre, amare est: amare vero, habere est. Ideo nitamur, in quantum possumus ut videamus, videndo intelligamus, & intelligendo amemus, ut amando habeamus. Domine, super hoc ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

## CAPUT XV.

*De Secundo statu vitæ religiosæ, id est Rationali.*

49. DE animali verò statu transeuntes ad rationalem, ut de rationali transeamus ad spiritualem tractando, & utinam proficiendo: primo scire debemus quia Sapientia, sicut in libro nominis ejus legitur, *præoccupat eos qui se concupiscunt, & occurrit eis, & ostendit se in viis suis hilariter,* sicut in proficiendo, sic & in meditando & tractando, *attingens ubique propter sui munditiam.* Adjuvat enim Deus vultu suo se intuentem, movet ac promovet, & attrahit species summi boni se contemplantem. Cumque ratio proficiendo in amorem sursum ascendit, amanti & desideranti gratia condescendit. Unum sæpe fiunt, quæ illos duos status efficiunt, quæ sunt Ratio & Amor, & quæ ex eis efficiuntur, scilicet Scientia & Sapientia. Nec jam possunt altrinsecus tractari vel cogitari quæ jam unum & unius operationis ac virtutis sunt, & in sensu intelligentis, & in gaudio fruentis. Quamvis ergo distinguendus sit alter ab altero, tamen cum sic se res obtulerit, & cogitandus & tractandus erit alter cum altero, & in altero. Quia ergo, sicut jam supradictum est †, quemadmodum in profectu religionis statuс Animalis vigilat circa corpus & hominem exteriorem componendum, & aptandum studio virtutis;

Marginalia (left): Rom. 7. c — 1 Thess. 5. d — omodo gulis orationis species ... utendum — Matth. 15. c — ...ctus in ...tione cur ...quando ...vitiis datur — ...usus — Psal. 80. c — Judic. 13. d — * Hic in plerisque MSS. ... Lib. 2. ... Psal. 83 a — ...fferis & turturis tropologia.

Marginalia (right): Perfecti humilibus infimant. — Quomodo perfecti & imperfecti ex mutuo exemplo proficiant. — Thren. 3 a — Sap. 6. b — † num. 14. & 19.

sic rationalis circa animum agere debet, vel faciendum si non est, vel excolendum & ordinandum si est: primo videndum est quis vel quid sit *Animus* ipse, quem ratio rationalem facit; quid ipsa *Ratio*, quæ animal mortale faciendo rationale, hominem perficit. Sed primo dicendum est de anima.

Quid Anima.

50. *Anima* est res incorporea, rationis capax, vivificando corpori accommodata. Hæc animales constituit homines, quæ carnis sunt sapientes, sensibus corporis inhærentes. Quæ ubi perfectæ rationis incipit esse, non tantum capax, sed & princeps, continuo abdicat à se nomen generis feminini, & efficitur *Animus* particeps rationis, regendo corpori accomodatus, vel seipsum habens spiritus. Quamdiu enim Anima est, cito in id quod carnale est, effeminatur: Animus vero vel spiritus, non nisi quod virile est & spirituale meditatur. Spiritus enim hominibus in appetitu boni subtilis & efficacis naturæ conditus, & in arte creatricis sapientiæ omni corpore melior, omni etiam luce corporea lucidior ac dignior, ob imaginem conditoris,& capacitatem rationis; vitio tamen carnalis originis implicitus, peccati servus effectus est, & captivus in lege peccati, quæ est in membris. Nec tamen omnino amisit arbitrium, id est judicium rationis in judicando & discernendo, quamquam libertatem suam amiserit in volendo & agendo [a] Nam in pœnam peccati, & testimonium amissæ dignitatis naturalis, positum est in signum ei arbitrium, sed captivum. Quod etiam ante conversionem & liberationem voluntatis, numquam perdere potest ex toto ulla aversione ipsius voluntatis. In quo etiam cùm eo abutitur in eligendo malum pro bono, sicut dictum est, melior est & dignior omni corporea creatura, & in se, & in arte * creatricis veritatis. Liberatur verò voluntas, quando efficitur caritas: cum *caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datur nobis.* Et nunc vere est ratio, hoc est habitus mentis per omnia conveniens veritati. Cum enim liberata voluntate per liberantem gratiam, spiritus agi incipit libera ratione, tunc suus est, hoc est seipso libere utens efficitur, & fit animus, & bonus animus. Animus, in quam, in quantum bene animans, & perficiens animal suum supplemento liberæ rationis. Bonus autem, in quantum jam amans bonum suum, quo bonus fit, & sine quo nec bonus, nec animus esse potuit. Fit autem bonus animus & rationalis, diligens Dominum Deum suum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in tota mente sua, & in omnibus viribus suis, & non nisi in ipso seipsum, & proximum suum sicut seipsum. Fit autem bonus animus Deum timens, & mandata ejus observans: hoc est enim omnis homo. *Ratio* vero sic diffinitur à diffinientibus, vel describitur à describentibus: Aspectus animi est, quo per seipsum, non per corpus, verum intuetur: aut ipsa veri contemplatio, aut ipsum verum quod contemplatur, aut vita rationalis, vel rationale obsequium, in quo conformatur veritati contemplatæ. *Ratiocinatio* vero est rationis inquisitio, hoc est aspectus ejus motio per ea quæ aspicienda sunt. Ratiocinatio quærit, ratio invenit. Aspectus hic in rem aliquam conjectus cùm eam videt, scientia est; cum non valet, ignorantia est hominis. Hæc ergo ratio est,& instrumentum per quod operatur, & opus quod operatur. Hæc semper exerceri amat in eo quod utile est & honestum, exercitio proficiens, desidiâ vero in semetipsa marcescens.

Animus & Anima quomodo differant.

* al. arce.

Rom. 5. a

Animus unde bonus.

Eccl. 12. d

Quid Ratio.

Quid ratiocinatio.

51. Nullum vero dignius & utilius exercitium est homini eam habenti, quàm in eo quod melius habet, & in quo ceteris animalibus, & ceteris partibus suis præeminet, quæ est ipsa mens vel animus. Menti vero vel animo, cui cetera pars hominis regenda subdita est, nec dignius est aliquid ad quærendum, nec dulcius ad inveniendum, nec utilius ad habendum, quam quod solum ipsam mentem supereminet, qui est solus Deus. Nec longe est ab unoquoque nostrum, quia in ipso vivimus, movemur, & sumus. Et non sicut in aëre isto, sic in Domino Deo nostro; sed in ipso vivimus per fidem, movemur & promovemur per spem, figimur per amorem. Ab ipso enim & per ipsum conditus est rationalis animus, ut ad ipsum fit conversio ejus, ut sit ipse bonum ejus. Hic autem ex illo bono bonus, ad imaginem & similitudinem ejus conditus est: ut quamdiu hic vivitur, quam propius potest, accedat ad eum similitudine, à quo sola receditur dissimilitudine: ut sit is sanctus, sicut ille sanctus est: in futuro futurus beatus, sicut ille beatus est. Denique hoc solum magnum & bonum est, cum magnus & bonus animus suscipit, miratur & affectat quod supra eum est, & adhærere festinat similitudini suæ devota imago. Ipse enim imago Dei est. Et per hoc quod imago Dei est, intelligibile ei fit, & se posse, & debere inhærere ei cujus imago est. Ideo etsi in terris regit corpus sibi commissum, meliore tamen parte sui, scilicet memoria, intelligentia, & amore ibi semper conversari amat, unde quicquid est, quicquid habet, se novit accepisse, & ubi in perpetuum se mansurum, & cum plena Dei visione plenam Dei similitudinem adepturum, quantum in hoc homini sperandum est, sperare ei licet, si bonæ spei vitam suam non negligat conformare. Illuc ergo spectat unde pendet, plus cum hominibus commorans, ut vivificet eos vita Dei ad quærenda & capienda divina, quam ut animet vita ista mortali & humana. Sicut enim corpus quod animat, naturali statu suo erigitur in cælum, quod natura & loco, & dignitate, & loca omnia & corpora supereminet: sic spiritualis ipse natura, ad ea quæ in spiritualibus præeminent, hoc est ad Deum, & divina erigere semper amat semetipsum, non superbe sapiendo, sed pie amando, sobrie, & juste, & pie vivendo: qui quanto altius est quo nititur, tanto fortioribus exercitiorum studiis exercendus est, & quæ eum non perfundant, sed intingant, sicque afficiant ut perficiant.

Quibus occupari debeat animus.

Act. 7. f

52. Studia vero hæc etsi litteris aliquando adjuventur & utantur, non tamen litteratoria sunt, non cavillantia, non disputantia, non garrula, sed spiritualia, pacifica, & humilia, humilibus consentientia. Quæ etsi foris exercentur, intus potius aguntur in spiritu mentis, ubi renovatur homo de die in diem, induens novum hominem qui secundum Deum creatus est in sanctitate & justitia veritatis. Ibi enim fit animus, ibi fit intellectus bonus omnibus facientibus eum, cum secundum regulam ab Apostolo datam, in *omnibus exhibemus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis*, in carcere cellæ, *in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu-sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, & virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces, sicut ignoti & cogniti: quasi morientes, & ecce vivimus: ut castigati & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes: in labore & ærumna, in fame & siti, in frigore & nuditate.* Hæc & hujusmodi sunt studia sancta, exercitia apostolica, in quibus discutit se animus, & invenit, & emendat, mundans se ab omni inquinamento carnis, ac spiritus, perficiens sanctificationem in timore Dei. Studia hæc silentium amant, quietem desiderant cordis in labore corporis, paupertatem spiritus, & pacem in exterioribus pressuris, & bonam conscientiam in omni puritate cordis & corporis. Hæc faciunt animum: quia unde faciant, habent. Vana vero illa, nugigerula, verbosa, contentiosa, curiosa, ambitiosa, etiam sanctum animum vel jam perfectum dissipant & corrumpunt. Hæc studia scrutantur virtutum, non tam flores quàm radices, non ut luceant, sed ut sint: non ut sciantur, sed ut habeantur.

Qualia spiritualium studia.

2. Cor. 6.

2. Cor. 11

Discrimen inter studia sancta & vana.

53. Vitiorum vero plus in semetipsis metuunt appetitum, quam ab aliis impetum; plus contagium, quàm malitiam. Sicut enim aliquando magno labore, & studio perseverante, virtutes trahuntur in affectum & mentem bonam; sic vitia levissima remissioris licentiæ opportunitate transeunt in conspersionem, & quasi naturalia efficiuntur. Sed nullum vitium naturale est, virtus vero omnis

Vis consuetudinis.

[a] Sic habet MS Montis-Dei, in aliis legitur in eligendo & agendo: Homo vero istam dicitur amisisse libertatem intelligendo, non de libertate naturæ, sed gratiæ, siquidem infra dicitur liberari voluntas per Caritatem.

omnis homini naturalis est. Consuetudo tamen vel voluntatis corruptæ, vel inolitæ negligentiæ, plurima sæpe vitia quasi naturalia in neglecta conscientia efficere solet. Consuetudo quippe, sicut Philosophi dicere solent, est secunda natura. Omnis tamen malus animus priusquam indurescat, molliri potest malitia ejus: sed nec postquam induruerit, desperandus est. Hæc enim maledictio est Adæ, ut in terra laboris nostri, & in agro cordis vel corporis nostri, noxia vel inutilia gratuito passim ubique proveniant: utilia vero vel necessaria, & salubria cum labore. Virtus tamen quoniam naturæ res est, cum venit in animum aliquando, non venit sine labore, sed venit in locum suum, & sedet fideliter, & bene cum ea naturæ convenit, cum nullum præmium potius sit ei, quam in Deo conscientia sui. Vitium vero cum nihil aliud esse credatur, quam privatio virtutis: tamen vastitas ejus & enormitas tanta nonnumquam quasi sentitur, ut obruat & opprimat: fœditas tanta, ut inquinet & inficiat: adhæsio tam pertinax consuetudinis, ut vix à se eam natura excutiat. Omnis enim vitii frustra siccatur rivus, si fons non fuerit obturatus. Verbi gratia, remissa voluntas facit mentis levitatem, ex qua prodeunt instabilitas mentis, inconstantia morum, vana lætitia sæpe usque ad lasciviam carnis, vana tristitia nonnumquam usque ad ægritudinem corporis, & multa alia in negligentia vel transgressione propositi ex levitatis vitio venientia. Sic etiam superba ex usu voluntas in magna sæpe cordis inopia tumentem efficit animum. Unde procedunt vana gloria, fiducia sui, negligentia Dei, jactantia, inobedientia, contemptus, præsumptio, & ceteræ animi pestes, quæ profluere solent ex tumore & usu superbiæ. Et in hunc modum omnia genera vitiorum ex aliquo malæ voluntatis affectu, vel malæ consuetudinis usu, suam singula ducunt matricem originem: quæ quanto diutius menti inolita est, tanto fortius hæret, & fortioribus remediis eget, & curam requirit diligentiorem. Hujusmodi enim pestes vitiorum usque in ultimam solitudinem solitarium persequuntur. Et sicut bene concreta virtus, & fideliter animo insidens, possessorem suum in nulla deserit multitudine: sic vitium consuetudinis possessum suum liberum esse non patitur in qualibet solitudine. Nam nisi pertinaci studio, & prudenti opera expugnata fuerit consuetudo, leniri potest, vinci vix potest: & quomodocumque se componat animus, & in quavis solitudine habitet, secretum vel silentium cordis esse non patitur. Cui quo majorem contigerit inesse usum consuetudinis & voluntatis, eo nequior & rebellior in eo invenitur, non tam malitia spiritualis, quàm quasi manibus expellenda multiplex quædam collectio & dura corpulentia necessitatis.

...tia sponte ...cuntur, ...tutes ma- ...o labore.

...anta mala ...intur ex ...nissa vo ...tate.

...n ex su- ...bia.

54. Sed redeamus ad laudem virtutis. Quid est virtus? Filia rationis, sed magis gratiæ. Vis enim quædam est ex natura. Ut autem virtus sit, habet ex gratia. Vis est ex judicio approbantis rationis: virtus autem ex appetitu illuminatæ voluntatis. Virtus enim est voluntarius in bonum assensus. Virtus est æqualitas quædam vitæ, per omnia congruens rationi. Virtus est ad judicium rationis usus liberæ voluntatis. Virtus quædam est humilitas. Virtus quædam est patientia. Virtus quædam est obedientia. Virtutes, sunt prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, & aliæ quam plures: in quibus singulis non est aliud virtus, quàm (sicut dictum est) ad judicium rationis usus liberæ voluntatis. Bona enim voluntas in animo est origo omnium bonorum, & omnium mater virtutum. Sic è converso mala voluntas est origo omnium malorum & vitiorum. Ideo custos animæ suæ, valde sollicitus esse debet circa custodiam voluntatis suæ, ut prudenter intelligat, & discernat quid in totum velit, vel volendum sibi sit, sicut est amor Dei: quid propter illud, sicut est amor proximi. Ut enim in illo tuta sit omnis indiscretio, in hoc semper secundum obedientiæ regulas cauta & prudens debet esse dilectio. In dilectione quippe Dei non alia ratio, non alia discretio est, nisi ut sicut ille cum dilexisset nos, in finem dilexit nos: sic, si fieri potest, in infinitum diligamus eum nos, sicut beatus vir qui in mandatis ejus cupit nimis.

...tus quid.

...nta cura ...quomodo ...anda bo- ...voluntas.

...l. III. a



55. Sed cum nullum finem, vel terminum habere debeat devotio amantis: tamen terminos suos, fines & regulas habere debet actio operantis. Ubi ne aliquando oberret nimia voluntas, necesse est quod semper adsit mediante obedientia custodiens veritas. Nihil enim in bonum hominis in Deum proficientis, tam sibi convenit, quàm voluntas & veritas. Hæc duo sunt, quæ, sicut dicit Dominus, si consenserint in unum, quodcumque petierint, fiet eis à Deo Patre. Si duo hæc in unum perfecte consenserint, omnem in se continent virtutum plenitudinem sine vitio intercurrente; omnia possunt in homine etiam languente, omnia habent & possident in homine nihil habente: dant, mutuant, conferunt, prosunt in homine secum quiescente. Gloria & divitiæ in conscientia sancti viri illius, ex fructibus bonæ voluntatis ejus. Foris vero non ex uno latere, sicut scutum hujus mundi, sed undique eum circumdat scutum veritatis Dei. Hilarem enim eum & jucundum intus semper efficit bona voluntas: in exteriori vero actione serium & gravem, tutum ac securum reddit veritas. Ideoque supergressus humana homo ille, semper in sereno est: sicut de aëre illo homines ferunt, qui super globum lunæ est.

An in dilectione Dei debeat esse modus.

Matth. 18. c

56. Voluntas, naturalis quidam animi appetitus est, alius in Deum, & circa interiora sua: alius circa corpus, & circa exteriora & corporalia. Hæc cum sursum tendit, sicut ignis ad locum suum; hoc est, cum sociatur veritati, & movetur ad altiora, *amor* est. Cum vero promovetur, & lactatur à gratia, *dilectio est*. Cum apprehendit, cum tenet, cum fruitur, *caritas* est, unitas spiritus est, Deus est. *Deus enim caritas est.* In his autem cum consummaverit homo, tunc incipit: quia nulla horum in hac vita plena perfectio est. Cum vero declinat in ea quæ carnis sunt, concupiscentia carnis est. Cum in curiositatem sæculi, concupiscentia oculorum est. Cum vero in ambitionem gloriæ vel honoris, superbia vitæ est. Quamdiu tamen hujusmodi utilitati seu necessitati naturæ servit, natura est, vel appetitus ejus. Cum vero in superflua se exponit vel noxia, vitium naturæ est, vel sui ipsius. Quorum primo appetitu vel accessu, de temetipso tibi hoc capere licet argumentum. Cum in eis quæ ad corpus spectant, in rebus necessariis voluntas primo appetitui finem facit, naturalis animi appetitus est. Cum vero in appetendo semper ad ulteriora progreditur, ipsum se prodit, quia jam non tam voluntas quam vitium voluntatis est, avaritia, vel cupiditas, vel aliquid hujusmodi. Voluntati enim in hujusmodi cito satis est, vitiis vero ejus numquam satis est.

Voluntas sursum tendens, amor est, &c.

Iohan 4. c
Eccl. 18
Voluntas declinans concupiscentia est, &c.

57. Hæc in spiritualibus, & in eis, quæ ad Deum sunt, cum vult quod potest, laudanda est: cum vult quod non potest, & plusquam potest, regenda est: cum non vult quod potest; excitanda est & provocanda. Sæpe enim si non frenatur, impetum facit, & agitur in præceps. Sæpe si non excitatur, dormit, & tardat, & obliviscitur quo tendebat, & facile declinat quasi à latere in obligationes * oblatæ delectationis. Ideoque sicut in corpore etiam solet fieri, (melius enim corpus hominis ab alio videtur, quam seipsum videat) in hujusmodi nos sæpe melius videt alienus oculus, quam noster: & alius qui non est pariter in fervore ejusdem voluntatis, rectior sæpe judex est actionis: quia sæpe vel negligentia, vel privato amore nostri erramus in nobis. Bona ergo custos voluntatis est obedientia, sive imperii illa sit, sive consilii; sive subjectionis, sive solius caritatis. Purius enim ac dulcius secundum apostolum Petrum, ad pares, seu etiam ad minores suos, filii obedientiæ castificant corda sua in obedientia caritatis, quam ad majores subigant per obedientiam necessitatis. In illa enim sola vel præcipit, vel consulit, & obedit caritas; hic autem pœnam timet, vel minatur imperiosa auctoritas & meticulosa necessitas. Et in illa obedienti sæpe debetur major gloria: in ista vero inobedienti major semper intentatur pœna. Ergo in homine sursum cor habente propter exteriora sua regenda, moderanda, componenda, palam omnibus est quam necessaria sit voluntati custodia sua, amplius autem propter interiora sua. Animo enim sæpe seipsum vel Deum cogitanti, ipsa voluntas in omni cogitatione princeps est; &

Quomodo regenda sit.

* al. obliquationes.

Obedientia, custos voluntatis.

1. Pet. 5. a

P

necessario principium voluntatis sequitur omnis tenor cogitationis.

Tria ad cogitationem concurrunt.

58. Tria enim sunt quæ cogitationem faciunt, voluntas, memoria, & intellectus. Voluntas cogit memoriam ut proferat materiam, cogit etiam intellectum ad formandum quod profertur, adhibens intellectum memoriæ ut inde formetur: intellectui vero aciem cogitantis, ut inde cogitetur. Quæ quia in unum cogit voluntas, & facili quodam nutu copulat, à cogendo cogitatio nomen accepisse videtur. Hinc fiunt cogitationes omnes, aliæ bonæ & sanctæ, & dignæ Deo: aliæ malæ & perversæ, quæ separant à Deo: aliæ otiosæ & vanæ, à quibus aufert se Deus. Hinc enim dicitur quod *perversæ cogitationes separant à Deo*, & quia *Spiritus-sanctus aufert se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu*. In quibus verbis advertendum est, quia sine omni intellectu nullatenus cogitari potest, & nulla omnino cogitatio sine omni intellectu est. Sed alius est intellectus ex vi naturalis rationis, alius ex virtute mentis rationalis. Intellectus quidem idem ipse est, qui quocumque seu in bonum, seu in malum applicitus fuerit, naturaliter viget: sed alius invenitur sibi relictus, alius à gratia illuminatus. Ille sæculi rebus & seriis & nugatoriis se non negat: hic autem non nisi dignis se rebus, & similibus sibi seipsum accomodat. Ille sæpe operatur sicut sibi relictus, & vitio infectus ex vitio rationis, & vitio corruptæ voluntatis, texens perversas cogitationes, quibus semetipsum qui cogitat, sponte separat à Deo: hic autem semper sicut illuminatus, & virtuti affectus, operatur pietatem, quæ cogitantem conjungit Deo.

Cogitationes diversæ pro modo intellectus.

Sap. 1. a

59. Quæ vero secundo loco ponuntur cogitationes sine intellectu, ipsæ sunt vanæ illæ & otiosæ, neutro intellectui per cogitantis intentionem se applicantes, non repente perimentes, sed sensim & paulatim corrumpentes, occupantes tempus, necessaria impedientes, & animum inficientes: non tam cogitationes, quam ex veris vel imaginariis recordationibus simulacra quædam cogitationum, seu ipsæ recordationes ultro & multipliciter de memoria scaturientes. In quibus passio quædam voluntatis potius videtur esse quam actio, cum nulla sit in eis cogitantis intentio: cum quod sponte ebullit de memoria, formandum se offert intellectui non curanti, & quicquid agitur, videtur potius agi in somnio dormientis, quam in acie cogitantis. Ubi tametsi à se repellere Spiritum-sanctum non est in voto cogitantis, fit tamen ex culpa negligentis, ut spiritus disciplinæ merito auferat se à cogitationibus indisciplinatis. Quæ quamvis fiant per vim quamdam occultam rationis, non tamen fiunt ex ratione, ut attrahatur in eas intellectus, cum nullus sit in eis intelligentis assensus. Ubi vero serio de rebus seriis bene cogitatur, voluntas libero arbitrio de memoria evocat quodcumque opus habet, & intellectum formantem memoriæ adhibet, formatumque quicquid illud est intellectus adhibet aciei cogitantis, & sic peragitur negotium cogitationis.

## CAPUT XVI.

*Tertium statum vitæ religiosæ, id est spiritualem explicat.*

Cogitationis de rebus divinis modus & processus.

60. Cum vero de his quæ de Deo vel ad Deum sunt cogitatur, & voluntas eo proficit ut amor fiat; continuo per viam amoris infundit se Spiritus-sanctus; spiritus vitæ; & omnia vivificat, adjuvans seu in oratione, seu in meditatione, seu in tractatu infirmitatem cogitantis. Et continuo memoria efficitur *sapientia*, cum suaviter ei sapiunt bona Dei, & quod ex eis cogitatum est formandum in affectu, adhibet intellectui. Intellectus vero cogitantis, efficitur *contemplatio* amantis, & formans illud in quasdam spiritualis, vel divinæ suavitatis experientias, afficit ex eis aciem cogitantis, illa vero efficitur *gaudium* fruentis. Et tunc de Deo bene cogitatur secundum humanum modum; si tamen cogitatio dicenda est, ubi nil cogit nec cogitur, sed tantummodo in memoriam abundantiæ suavitatis Dei exultatur, jubilatur, & vere sentitur de eo in bonitate, ab eo, qui in simplicitate cordis quæsivit illum. Sed modus hic cogitandi de Deo non est in arbitrio cogitantis, sed in gratia donantis; scilicet cum Spiritus-sanctus, qui ubi vult spirat, quando vult, & quomodo vult, & quibus vult, in hoc adspirat. Sed hominis est jugiter præparare cor, voluntatem expediendo ad affectionibus alienis, rationem vel intellectum à sollicitudinibus, memoriam ab otiosis & negotiosis, nonnumquam & à necessariis occupationibus; ut in die bona Domini, & in hora beneplaciti ejus, cum audierit vocem spiritus spirantis, ea quæ cogitationem faciunt, continuo libere concurrant sibi, & cooperentur in bonum, & quasi symbolum faciant in gaudium cogitantis: voluntas exhibendo in gaudium Domini puram affectionem, memoria materiam fidelem, intellectus experientiæ suavitatem.

Volun... go di... rum c... tionum

61. Sic ergo voluntas neglecta facit cogitationes otiosas, & dignas Deo: corrupta perversas, quæ separant à Deo: recta necessarias ad usum vitæ hujus: pia, efficaces ad fructum Spiritus, & ad fruendum Deo. Fructus autem Spiritus sunt, sicut Apostolus dicit, *caritas, pax, gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Et in omni genere cogitationis, omnia quæcumque cogitanti occurrunt, conformantur intentioni voluntatis, agente in eis misericordia & judicio Dei, ut justus justificetur adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc. Ideo homini Deum amare volenti, vel jam amanti, suus semper consulendus est animus, examinanda conscientia, quid sit quod in totum vult, & propter quod vult: quicquid aliud vult spiritus vel odit, quicquid contra illud caro concupiscit. Incidentes enim quasi extrinsecus & decedentes cogitationes, & prætervolitantes voluntates, quibus modo vult, modo non vult, nequaquam inter voluntates, sed pæne inter otiosas deputandæ sunt cogitationes. Nam etsi aliquando fiunt usque ad delectationem animi, cito tamen inde se excutit animus compos sui. Quod autem in totum vult, primo considerandum est ei quid illud sit quod sic velit; deinde quantum velit, & quomodo velit. Si quod in totum vult, Deus est: discutiendum est ei quantum velit, & utrum usque in contemptum sui ipsius, omniumque quæ sunt vel esse possunt; & hoc non tantum ex judicio rationis, sed etiam ex affectu mentis: ut jam voluntas plusquam voluntas sit, ut amor sit, ut dilectio sit, ut sit caritas, sit unitas spiritus. Sic enim diligendus est Deus. Magna enim voluntas ad Deum, amor est; dilectio, adhæsio sive conjunctio, caritas, fruitio. Unitas vero spiritus cum Deo homini sursum cor habenti, proficientis in Deum voluntatis est perfectio, cum jam non solummodo vult quod Deus vult, sed sic est non tantum affectus, sed in affectu perfectus, ut non possit velle nisi quod Deus vult. Velle autem quod Deus vult, hoc est jam similem Deo esse: non posse velle nisi quod Deus vult, hoc est jam esse quod Deus est, cui velle & esse, idipsum est. Unde bene dicitur, quod tunc plene *videbimus eum sicuti est, cum similes ei erimus*, hoc est, erimus quod ipse est. Quibus enim potestas data est filios Dei fieri, data est potestas, non quidem ut sint Deus, sed sint tamen quod Deus est, sint sancti, futuri plene beati, quod Deus est. Nec aliunde hic sancti, nec ibi futuri beati, quam ex Deo, qui eorum & sanctitas & beatitudo est.

Gal. 5.

Apoc. 2.

Velle il... cuique... genter... munan...

Magna ... luntas ... Deum ... unitas ... tus qui...

Iohan. ...

Perfecti... finis ho... similit... Dei.

62. Et hæc hominis est perfectio, similitudo Dei. Perfectum autem nolle esse, delinquere est. Et ideo huic perfectioni nutrienda est semper voluntas, amor præparandus, voluntas cohibenda, ne in aliena dissipetur; amor servandus, ne inquinetur. Propter hoc enim solum creati sumus & vivimus, ut Deo similes simus, cum ad Dei imaginem creati simus. Est autem Dei *similitudo quædam* quam nemo vivens nisi cum vita exuit, quam omni homini in testimonium amissæ melioris & dignioris similitudinis creator omnium hominum reliquit: quam habet & volens & nolens & qui eam cogitare potest, & qui tam hebes est ut eam cogitare non possit: scilicet quod sicut ubique Deus est, & ubique totus est in creatura sua, sic & in corpore suo omnis vivens anima. Et sicut semper sibi indissimilis Deus indissimiliter dissimilia in

Triple...

creatura operatur, sic anima hominis quamvis totum corpus vivificans indissimili vita, in sensibus tamen corporis & in cogitationibus cordis indissimiliter operatur assidue dissimilia. Hæc similitudo Dei in homine, quantum ad meritum ejus, nullius apud Deum est momenti, cum naturæ non voluntatis ejus sit vel laboris. Sed est *alia* magis Deo propinqua *similitudo*, in quantum voluntaria, quæ in virtutibus consistit: in qua animus virtutis magnitudine summi boni quasi imitari gestit magnitudinem, & perseverantiæ in bono constantia, æternitatis ejus incommutabilitatem. Super hanc autem *alia* est adhuc *similitudo* Dei. Hæc est de qua jam aliquanta dicta sunt, in tantum proprie propria, ut non jam similitudo, sed unitas spiritus nominetur; cum fit homo cum Deo unus spiritus, non tantum unitate volendi idem, sed expressiore quadam unitate virtutis (sicut jam dictum est) aliud velle non valendi. Dicitur autem hæc unitas spiritus, non tantum quia efficit eam, vel afficit ei spiritum hominis Spiritus-sanctus, sed quia ipsa ipse est Spiritus-sanctus Deus caritas: cum per eum qui est amor Patris & Filii, & unitas, & suavitas, & bonum, & osculum, & amplexus, & quicquid commune potest esse amborum in summa illa unitate veritatis, & veritate unitatis; hoc idem homini suo modo fit ad Deum, quod cum substantiali unitate Filio est ad Patrem, vel Patri ad Filium; cum in amplexu & osculo Patris & Filii mediam quodammodo se invenit beata conscientia; cum modo ineffabili inexcogitabilique fieri meretur homo Dei non Deus, sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia.

63. Unde in catalogo spiritualium exercitiorum Apostolus prudenter interseruit Spiritum-sanctum, dicens: *In castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu-sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.* Vide enim quomodo tamquam omnia facientem, ordinantem, & vivificantem, in medio bonarum virtutum, sicut cor in medio corporis, constituit Spiritum-sanctum. Ipse est enim omnipotens artifex creans hominis ad Deum bonam voluntatem, Dei ad hominem faciens propitiationem, formans affectionem, dans virtutem, juvans operationem, agens omnia fortiter, & disponens omnia suaviter. Ipse vivificat spiritum hominis, & continet in unum: sicut & ille vivificat, & in unum continet corpus suum. Homines doceant Deum quærere, Angeli adorare: solus ipse est qui docet invenire, habere, & frui. Ipse enim est & sollicitudo bene quærentis, & pietas in spiritu & veritate adorantis, & sapientia invenientis, & amor habentis, & gaudium fruentis. Quicquid tamen de visione & cognitione Dei hic fidelibus impartitur, speculum est & ænigma; tantum distans à futura visione & cognitione, quantum à veritate distat fides, vel tempus ab æternitate, nisi cum aliquando fit quod de eo in libro Job legitur: *Qui abscondit lucem in manibus, & præcipit ei ut rursum oriatur, & annuntiat de ea dilecto suo quod possessio ejus sit, & ad eam possit pervenire.*

2. Cor. 6. b

Job. 36. d

64. Electo enim & dilecto Dei, aliquando vicissim lumen quoddam vultus Dei ostenditur (sicut lumen clausum in manibus patet & latet ad arbitrium tenentis) ut per hoc quod quasi in transcursu, vel in puncto permittitur videre, inardescat animus ad plenam possessionem luminis æterni, & hereditatem plenæ visionis Dei: cui ut innotescat aliquatenus id quod ei deest, nonnumquam quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, & eripit ipsum sibi, & rapit in diem qui est à tumultu rerum ad gaudia silentii, & pro modulo suo ad momentum, ad punctum idipsum ostendens ei videndum sicuti est; interim etiam & ipsum efficit in idipsum, ut sit suo modo sicut illud est. Ubi cum didicerit quid intersit inter mundum & immundum, redditur sibi, & remittitur ad mundandum cor ad visionem, ad aptandum animum ad similitudinem: ut si aliquando rursum admittatur, sit purior adhuc ad videndum, & stabilior ad fruendum. Nusquam enim se melius deprehendit modus humanæ imperfectionis, quam in lumine vultus Dei, in speculo divinæ visionis. Ubi in die qui est, plus & plus videns quid sibi deest, emendat in dies similitudine, quic-

Illustrationes spirituales ... Deus ... mittit.

...arum effectus.

A quid deliquit dissimilitudine: similitudine ei appropinquans, à quo longe factus est per dissimilitudinem; & sic expressiorem visionem expressior semper similitudo comitatur. Impossibile quippe est videri summum bonum, & non amari; necnon tantum amari, quantum dàtum fuerit videri: quousque amor proficiat in aliquam similitudinem amoris illius, qui Deum similem fecit homini per humiliationem humanæ conditionis, ut hominem similem Deo constituat per glorificationem divinæ participationis. Et tunc dulce est homini cohumiliari summæ majestati, compauperari Filio Dei, divinæ sapientiæ conformari, hoc sentienti in seipso, quod & in Christo Jesu Domino nostro.

B 65. Hæc enim est sapientia cum pietate, amor cum timore, exultatio cum tremore, cum cogitatur & intelligitur Deus humiliatus usque ad mortem, mortem autem crucis, ut hominem exaltet usque ad similitudinem divinitatis. Hinc emanat fluminis impetus lætificans civitatem Dei, memoria abundantiæ suavitatis ejus in intelligendis & cogitandis circa nos bonis ejus. In quo cum ad Deum amandum facile hominem adducant pensata, vel etiam contemplata ejus amabilia, per seipsa in affectu contemplantis elucentia, potentia ejus, virtutes ejus, gloria, majestas, bonitas, beatitudo: hoc potissimum amantem rapit in amabilem, quod ipse in semetipso est quicquid in eo amabile est, qui est totum quod est, si C tamen totum est ubi pars non est. Cui bono, amore ipsius boni sic se intendit pius affectus, ut non se inde revocet, donec unum vel unus cum eo spiritus fuerit effectus. Quod cum in eo fuerit perfectum, jam solo mortalitatis hujus velo dividitur ac differtur à sanctis sanctorum, & summa illa beatitudine supercælesti: qua tamen cum jam in fide & spe ejus quem amat fruitur in conscientia, jam quod superest vitæ hujus, tolerabili præstolatur patientia.

Unde excitatur amor in Deum.

66. Et hæc est destinatio solitarii certaminis, hic finis, hoc præmium, hæc requies laborum, consolatio dolorum. Et ipsa est perfectio & vera hominis sapientia: omnes in se amplectens & continens virtutes, non aliunde collectas, sed velut naturaliter insitas sibi, ad similitudinem D illam Dei, qua est ipse quicquid est: cum sicut Deus est id quod est, sic circa bonum virtutis, habitus bonæ voluntatis in bonam mentem sic consolidatus & affectus est, ut ex ardentissima boni incommutabilis adhæsione, nullatenus videatur jam posse mutari ab eo quod est. Cum enim sit circa hominem Dei assumptio illa Domini & Sancti Israël regis nostri; sapiens & pius animus per illuminantem & adjuvantem gratiam in contemplatione summi boni, speculatur etiam regulas incommutabilis veritatis, in quantum ad eas pertingere meretur intellectu amoris: & exinde format sibi modum conversationis cujusdam cælestis, & formam sanctitatis. Speculatur enim summam veritatem, & quæ ex ea vera sunt; summum E bonum, & quæ ex eo bona sunt; summam æternitatem, & quæ ex ea sunt. Illi veritati, illi caritati, illi æternitati se conformans, in istis se ordinans, illis non supervolitans judicando, sed suspiciens desiderando, vel inhærens amando; ista suspiciens, & eis se coaptans & conformans, non sine discretionis judicio, non sine examine ratiocinationis, & judicio rationis. Ex quo concipiuntur & oriuntur virtutes sanctæ, & imago Dei reformatur in homine, & vita illa Dei ordinatur, à qua homines quosdam alienatos conqueritur Apostolus, & colligitur robur virtutis, & duo illa in quibus contemplativæ vitæ perfectio constat, & activæ: de quibus juxta antiquos illos Interpretes * legitur in Job: *Ecce pietas est sapientia: abstinere vero à* F *malo, scientia est.* Sapientia enim pietas est, hoc est cultus Dei, amor quo eum videre desideramus, & videntes in speculo & in ænigmate credimus & speramus: & in hoc proficimus ut eum videamus in manifestatione. Abstinere vero à malis, scientia temporalium est, in quibus nos sumus: in quibus in tantum abstinemus à malis, in quantum ad bona studemus.

Finis & fructus religiosæ solitudinis.

Ex contemplatione animus elicit regulas vitæ.

Ephes. 4. d

* LXX. Interpr. Job. 28 d

Sapientia & scientia quid.

67. Ad hanc scientiam & ad hanc abstinentiam spectare inveniuntur primo omnium virtutum exercitia, deinde omnium artium vitæ hujus in qua versamur, disciplina. Quorum alterum, id est studium virtutum, respicere

potius videtur ad superiora, quasi superioris sapientiæ præferentia virtutem, & redolentia suavitatem. Alterum quod circa corporalia fit exercitia, nisi fidei religione regetur, defluit in inferiorum vanitatem. In quibus, cum scientia, sive ratione, fit res sive sensibus corporis comprehensa, & memoriæ commendata; si bene res perpenditur, id proprie quod apprehendimus sensibus, omnino scientiæ deputandum est. Quod vero per semetipsam ratio in hujusmodi apprehendit, hoc jam est in quo se sibi scientia atque sapientia conterminant. Quicquid enim aliunde discitur, scilicet per sensus corporis, quasi alienum & adventitium menti ingeritur. Quod vero sponte venit in mentem, sive ex ipsa vi rationis, sive incommutabilium legum incommutabilis veritatis naturali intelligentia, ex qua etiam impiissimi homines nonnumquam rectissime judicare inveniuntur; hoc sic ipsi inest rationi, ut hoc ipsum ipsa ratio sit: nec tam commendatur ei per doctrinam aliquam ut scientia sit, quàm vel alio commonente, vel ipsa commemorante hoc ipsum sibi inesse naturaliter intelligit. In quo hoc potissimum est, cum quod notum est Dei, Deo naturaliter revelante; manifestum fit homini, etiam impio. Deinde affectus virtutum naturalis, de quo licuit dicere ethnicum Poëtam: *Oderunt peccare boni virtutis amore:* deinde per inquisitionem ratiocinationum quælibet discretio rationabilium. Infima vero pars est scientiæ & deorsum vergens sensibilium animalis experientia, quæ fit per quinque sensus corporis, & concupiscentiam, & experientiam carnis, sive oculorum, sive superbiæ hujus vitæ.

*Scientiæ & sapientiæ affinitas.*

*Horatius in Epist.*

68. Cum ergo Ratio sapientiæ conformata, format sibi conscientiam, & ordinat vitam: in inferioribus scientiæ aptat sibi servitutem, & sufficientiam naturæ, in ratiocinationibus & rationabilibus ordinem vitæ, in obtentu virtutum formam conscientiæ. Sicque ab inferioribus promota, à superioribus adjuta; pergens in id quod rectum est, & judicio rationis, & adsensu voluntatis, & mentis affectu, & operis effectu erumpere festinat in libertatem spiritus & unitatem: ut, sicut jam sæpe dictum est, fidelis homo unus spiritus efficiatur cum Deo. Et ipsa est (de qua paulo ante diximus) vita Dei, quæ non tam rationis est profectus, quàm jam in sapientia perfectionis affectus. Hæc enim quia jam sapiunt sapienti, sapiens est: quia factus est unus spiritus cum Deo, spiritualis est. Et hæc in hac vita hominis perfectio est.

*Perfectio hujus vitæ.*

69. Jam enim qui hactenus fuit solitarius vel solus, efficitur unus, & solitudo ei corporis vertitur in unitatem mentis. Et impletur in eo, quod Dominus pro discipulis in clausula omnis perfectionis oravit dicens: *Pater volo, ut sicut ego & tu unum sumus; ita & ipsi in nobis unum sint.* Hæc enim unitas hominis cum Deo, vel similitudo ad Deum, in quantum propinquat Deo, in tantum inferius suum conformat sibi, infimum illi: ut spiritus & anima & corpus suo modo ordinata, suis locis disposita, suis meritis æstimata, suis etiam proprietatibus cogitentur: ut incipiat homo perfecte nosse seipsum, & per cognitionem sui proficiendo, ascendere ad cognoscendum Deum. Quo cum primum exsurgere & adspirare incipit proficientis affectus, in cognitione hujus similitudinis plurimum cavendus est error dissimilitudinis: scilicet ut spiritualibus spiritualia, & divinis divina comparando, non aliter de eis cogitetur, quam quod res habet. Cogitans ergo animus similitudinem Dei & sui, primo in hoc formet & aptet cogitationem suam, ut omnino fugiat secundum corpus cogitare seipsum: Deum vero non solum non secundum corpus, sicut locale; sed neque secundum spiritum, sicut mutabile. Quæ enim spiritualia sunt, tantum diversa sunt à corporum qualitate & natura, quantum ab omni locali circumscriptione remota. Quæ vero divina sunt, tantum supereminent omnia & corporalia & spiritualia, quantum ab omni loci vel temporis lege, vel mutabilitatis suspicione aliena, in suæ incommutabilitatis & æternitatis beatitudine incommutabilia manent & æterna. In quibus sicut quæ corporalia sunt discernit animus per corporis sensus, sic quæ sunt rationabilia vel spiritualia discernere non potest nisi per semetipsum. Quæ vero sunt Dei, non nisi à Deo quærat vel exspectet intellectus. Et quidem de nonnullis quæ ad Deum spectant, fas est & possibile homini rationem habenti aliquando cogitare & disquirere, sicut de dulcedine bonitatis ejus, de potentia virtutis, & aliis hujusmodi. Ipsum vero quod est idipsum, id quod est cogitari omnino non potest, nisi quantum ad hoc sensu illuminati amoris attingi potest.

*Johann. 17.*

*Deus quomodo contemplandus.*

70. Credendus est tamen Deus, & in quantum Spiritus-sanctus adjuverit cogitandus quædam vita æterna, vivens & vivificans, immutabilis, mutabilia omnia immutabiliter faciens, intelligens, & creans omnem intellectum & intelligentem, sapientia faciens omnem sapientem; veritas fixa, stans indeclinabilis, ex qua vera sunt omnia quæ vera sunt, in qua sunt æternaliter rationes rerum omnium evenientium temporaliter. Cuique vita ipsa essentia est, ipsa natura: & vita vivens ipse sibi est, quæ est ipsa divinitas, æternitas, magnitudo, bonitas, & virtus in seipsa exsistens & subsistens, excedens omnem locum virtute naturæ illocalis, æternitate vero omne tempus quod vel ratione, vel opinione comprehendi potest: quæ longe verius est & excellentius, quam quolibet sentiendi genere sentiatur. Certius tamen sensu humilis & illuminati amoris, quam quolibet cogitatu rationis attingitur, & semper melius est quam cogitatur; melius tamen cogitatur quàm dicitur. Ipsa est enim summa essentia, ex qua omne esse proficiscitur: ipsa est summa substantia non subjecta prædicamentis vocum, sed rerum omnium subsistens causale principium, in quo esse nostrum non moritur, intellectus noster non errat, amor non offenditur: qui semper quæritur, ut dulcius inveniatur; dulcissime invenitur, ut diligentius quæratur.

*Certius re quam gnition tingitur*

71. Hoc ergo ineffabile (cum nonnisi ineffabiliter videatur) qui vult videre, cor mundet, quia nulla corporis similitudine dormienti, nulla corporea specie vigilanti, nulla rationis indagine, nisi mundo corde humiliter amanti, videri potest, vel apprehendi. Hæc est enim facies Domini, quam nemo potest videre, & vivere mundo: hæc est species, cui contemplandæ suspirat omnis qui affectat diligere Dominum Deum suum in toto corde suo, in tota anima sua, in omni mente sua, & in omnibus viribus suis. Ad quod etiam non definit excitare proximum suum, si diligit eum sicut seipsum. Ad quod cum aliquando admittitur, in ipso lumine veritatis indubitanter videt prævenientem gratiam: cum inde repellitur, in ipsa sui cæcitate intelligit puritati ejus non convenire immunditiam suam. Et si amat, flere dulce habet, & non sine multo gemitu cogitur redire in conscientiam suam. Ad quod cogitandum omnino impares sumus: sed ignoscit quem amamus, & de quo digne nos non posse, vel dicere, vel cogitare confitemur: & tamen ut dicamus & cogitemus, amore ejus vel amore amoris ejus provocamur & trahimur. Cogitantis ergo est, in omnibus humiliare semetipsum, glorificare in semetipso Dominum Deum suum; in contemplatione Dei vilescere sibi: in amore Creatoris subjectum esse omni humanæ creaturæ: exhibere corpus suum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium suum. Præ omnibus autem non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & secundum datam à Deo mensuram fidei, bona sua non ponere in ore hominum, sed celare in cella sua, & recondere in conscientia, ut hunc quasi titulum, & in fronte conscientiæ, & in fronte cellæ semper habeat: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.*

*Mundan cor ad vi dum De*

*1. Pet. 2.*

*Rom. 12.*

*Isa. 24.*



# EJUSDEM GUILLELMI ABBATIS

## TRACTATUS * DE CONTEMPLANDO DEO.

*In quibusdam MSS. liber Soliloquiorum Bernardi.

### PROOEMIUM.

1. IN lacu miseriæ, & in luto fæcis jam pæne putrefactus, & in limo profundi infixus, in quo non est substantia, de profundis dolorum meorum ad te clamo Domine, Domine exaudi vocem meam. Siquidem in ultionem formæ tuæ (qua me tibi conformaveras, creator bone, creans me ad imaginem & similitudinem tuam) quam neglexi & perdidi, in hujus miseriæ formam qua miser sum, deformasti me, & cum iniquitate deprimente in limo peccati infixus sum inferius. Posuisti super me manum justi & occulti judicii tui, prementem super me, ne resurgam. Nec in lacu, nec in luto, nec in limo substantiam B Domine invenio, cui innitar ut exeam, quam apprehendam ut extrahar. Lacus inferni non habet fundum, nisi desperationis profundum. Lutum fæcis, corruptio naturæ, quo semper mergar habet, per quod resurgam, non habet; immo impedit & obligat. Limus profundi, amor carnis, ima semper petens, & insatiabilitatis profundum, justo judicio tuo tenet me infixum.

2. Sed ô Domine, abyssus abyssum invocat: abyssus profundissimæ miseriæ meæ abyssum altissimæ misericordiæ tuæ. Quærens substantiam cui innitar, quam apprehendam, nullam usquam invenio nisi te; qui vere certa & solida es substantia, non nisi ex teipso subsistens, à quo etiam quæ sunt, omnia habent esse. Sed C quid dico, invenio? Jam si te invenissem, solide subsisterem. Quæro ubi inveniam, quem dilexit anima mea. Circumeo civitatis hujus magnæ, sæculi hujus vicos. *Vivunt sibi qui* (sicut dicit Apostolus) *alienati sunt à vita Dei.* Circumeo plateas, latas sæculi vias, & omnia quæ intra me sunt, vel extra me, magnis clamoribus, certis scilicet rationibus ad interiora mea me revocant, testificantia ex te, regnum Dei intra me esse, ut intus in cubili cordis te quæram, quem exiens extra non invenio. Ecce intus sum. Annuntiate mihi omnia interiora mea, num quem diligit anima mea vidistis? Respondetque mihi memoria mea: Penes me est. Ubi? inquam. Tu enim *mare magnum, in te reptilia quorum non est numerus, animalia* D *pusilla cum magnis.* Non inquit, cum reptilibus, vel in homine eum quæras. Ubi ergo? In amore. Ibi est sedes ejus, ibi cubiculum ejus. Amoris affectus in te naturaliter est. Quem quæris, si in amore tuo est, in te est: si ibi non est, in te non est. Sed quem quæris, non quæreres, si non amares. Habes ergo quem quæris, & penes te est. Sed non eo frueris, nisi ego tecum tota adsim.

3. Noli ergo me in aliena dividere & dissipare, totam me ad te in eum collige: & habebis fruendi copiam, memoriam abundantiæ suavitatis ejus eructabis, & in justitia ejus exultabis. Immo totæ ingrediamur, ô memoria mea, & omnes affectiones meæ ingrediamur: & memorando, intelligendo, & videndo fruamur summo bono, E & omnibus bonis ejus. Prorsus penes me est, in amore meo eum invenio: quia certa conscientia amo eum, & amplius & perfectius amare amo & desidero. Totis ergo in eum feramur amplexibus, & osculis incumbamus. Amande, tremende, colende, suavis, & mitis, & multæ misericordiæ, dignare amplexum meum, qui dignatus es naturam meam, dignare me osculo caritatis tuæ, qui naturæ meæ dignatus es unire naturam tuam. Amplexus noster est ad te, affectuum & operum conatus & extensio ad fruendum te. Osculum nostrum, cum puræ mentis purum tibi porrigimus affectum: amplexus tuus ad nos, dignatio visitationis & consolationis tuæ. Osculum tuum, revelatio & infusio gratiæ tuæ. Læva etiam temporalis consolationis tuæ Domine non desit, sed sit sub capite meo ad utendum. Dextera vero tua spiritualis, de spiritualibus & æternis consolatio tua, totum me amplecta- A tur ad fruendum. Et in amplexu caritatis tuæ, in osculis dulcedinis tuæ, *in pace in idipsum dormiat & requiescat* anima mea: *quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Psal. 4.

### CAPUT I.

*Anima Deum amans se à terrenis & vitiis purgatam sursum elevari rogat.*

1. VEnite *ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas.* Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite ascendamus in montem, vel B locum, ubi Dominus videt, vel videtur. Curæ, sollicitudines, anxietates, labores, pœnæ, servitutes, exspectate me hîc, cum asino corpore isto: donec ego cum puero, ratio scilicet cum intelligentia, usque illuc properantes, postquam adoraverimus revertamur ad vos. Revertemur enim, & heu revertemur quàm citissime: abducit enim nos à vobis caritas veritatis, sed propter fratres abdicare & abjurare vos non patitur veritas caritatis. Sed licet retrahat vestra necessitas, non propter vos omnino omittenda est illa suavitas. *Domine Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam & salvi erimus.* Sed heu heu Domine Deus, quàm præproperum est, quàm temerarium, quàm inordinatum, quàm præsumptuosum, quàm alie- C num à tegula verbi veritatis, & sapientiæ tuæ, corde immundo velle videre Deum! Sed ô summa bonitas, summum bonum, vita cordium, lux oculorum interiorum, propter bonitatem tuam Domine miserere: hæc est enim mundatio mea, hæc fiducia mea, hæc justitia, contemplatio bonitatis tuæ bone Domine. Ergo ô Domine Deus meus, qui dicis animæ meæ, modo quo tu scis, *Salus tua ego sum:* Rabboni, summe magister, unice doctor videndi quæ videre desidero, dic cæco, mendico tuo, *Quid vis faciam tibi?* Et tu scis, qui jam hoc ipsum das: quàm ex omnibus suis recessibus, abjectis procul omnibus sæculi hujus altitudinibus, pulcritudinibus, dulcedinibus, & quicquid concupiscentiam carnis, vel oculo- D rum, vel ambitionem spiritus attentare potest, vel solet, tibi dicat cor meum: *Exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira tua à servo tuo.*

2. Impudens quippe, & improbus sum, ô adjutor meus antique & susceptor indefesse. Sed vide quia amore amoris tui hoc facio. [ Cum enim ex munere gratiæ tuæ Domine ad ea quæ carnis sunt, faciem cordis non habeam, sed posueris ea mihi deorsum; & mundum, & quæcumque ejus sunt, posueris mihi deorsum: quid est obsecro quod in toto corde meo exquirens te, cum faciem tuam apprehendisse me gratulor, quam solam facies mea desiderat, repente me invenio E seorsum? Cur eam abscondis? Numquid arbitraris me inimicum tuum? Num consumere tu me vis peccatis adolescentiæ meæ? Numquid ego non sum ad te conversus, vel tu adhuc es à me aversus? Si non sum conversus, Deus virtutum converte me. Si tu es aversus, Deus virtutum convertere. Tu dixisti: *Si converteris Israël, convertere.* Et iterum: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Tu scis donum gratiæ tuæ in corde pauperis tui: paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Præcipe quod vis, fac me intelligere quod præcipis; da posse, qui dedisti velle, & fiet in me vel de me quicquid vis. Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam & salvi erimus. ]

3. Respondet quippe mihi intus in anima mea, & mente mea tumultuans in me, & concutiens omnia interiora mea vox testificationis tuæ: & caligant oculi mei interiores à fulgore veritatis tuæ ingerentis mihi, quia non vide-

Margin notes (left): Ephes. 4. — Psal. 103. — Limo ex se à peccato non potest resurgere.
Margin notes (right): Isa. 2. a — Psal. 79. b — Luc. 18. g — Psal. 62. c — Quæ includuntur parenthesi, desunt in edit. Biblioth. Pat. Cisterc. — Jerem. 15. — Zach. 1. a

bit te homo, & vivere poterit. Ego enim vere in peccatis totus usque adhuc, necdum potui mori mihi, ut vivam tibi, sed tamen ex præcepto tuo, & dono tuo sto in petra fidei meæ, fidei christianæ, in loco qui vere est penes te; in quo ut possum interim fero patienter, & amplector, & deosculor tegentem, & protegentem me, dexteram tuam; & aliquoties contemplans, & videre gestiens posteriora videntis me, & percurrens semitam dispensationis humanæ Christi filii tui suspicio. Sed cum accedere
Math. 9. c gestio ad eum, vel sicut Hæmorroissa illa infirmæ & miseræ animæ meæ à salutifero tactu vel fimbriæ ejus quasi furari gestio sanitatem: vel sicut Thomas ille vir deside-
Iohan. 20. c riorum, totum eum desidero videre, & tangere; & non solum, sed accedere ad sacrosanctum lateris ejus vulnus, ostium arcæ quod factum est in latere, ut non tantum mittam digitum vel totam manum, sed totus intrem usque ad ipsum cor Jesu, in Sanctum Sanctorum, in Arcam testamenti; ad Urnam auream, animam nostræ humanitatis continentem intra se manna divinitatis: heu dicitur mihi, *Noli me tangere*. Et illud de de Apocalypsi,
Apoc. 22. c *Foris canes*. sicque cum dignis conscientiæ meæ verberibus expulsus & propulsus, improbitatis & præsumptionis meæ pœnas cogor luere, rursumque in petram meam me
Psal. 103. c recipiens, quæ refugium est herinaciis spinis peccatorum plenis, reamplector, & reosculor tegentem, & protegentem me, dexteram tuam: & ex eo, quod vel leviter sensi, vel vidi, magis accenso desiderio vix patienter exspecto ut à me auferas manum tegentem, & infundas gratiam illuminantem; ut tandem aliquando secundum responsum veritatis tuæ mortuus mihi & vivens tibi, revelata facie ipsam tuam faciem incipiam videre: & affici tibi à visione faciei tuæ.

4. Et ô facies facies, quàm beata facies, quæ affici tibi meretur videndo te; ædificans in corde suo tabernaculum Deo Jacob, & omnia faciens secundum exemplar quod ei ostenditur in monte, hic vero & competenter canta-
Psal. 26. c tur, *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Itaque ut dixi, ex dono gratiæ tuæ contemplans omnes angulos conscientiæ meæ vel terminos, unice & singulariter desidero videre te, ut omnes fines terræ meæ videant salutare Domini Dei sui, ut amem cum videro; quem amare, hoc est vere vivere. Dico enim mihi in languore desiderii mei: Quis amat quod non videt? Quomodo potest esse amabile, quod non est aliquatenus visibile? Sed te desideranti amabilia quidem tua occurrunt, & à cælo & à terra, & ab omni creatura tua se mihi ultro offerunt, & ingerunt, ô in omnibus adorande & amabilis Domine. Quæ quanto te manifestius & verius prædicant, & approbant amabilem, tanto ardentius te mihi faciunt desiderabilem: sed heu non ad fruendi perfectam suavitatem, & gaudium, sed ad intentionis * & defectus (non tamen sine aliqua suavitate) tormentum. Sicut enim mea non tibi perfecte placent oblata, nisi mecum: sic bonorum tuorum comtemplatio reficit nos quidem dulciter, sed non satiat perfecte nisi tecum.

* al. addunt. & intensionis.

## CAPUT II.

*Anima Deum desiderans mole corporis se gravari queritur.*

5. HÆc est animæ meæ assidua exercitatio, hinc assidue scopo spiritum meum; & cum bonis & amabilibus tuis, quasi pedibus & manibus, & totis innitens viribus sursum tendo ad te; in te summe amor, summum bonum: sed quanto tendo fortius, tanto retrudor durius in terram, in memetipsum, sub memetipso. Sic ergo respiciens & discernens & dijudicans meipsum, factus sum mihiipsi de meipso laboriosa & tædiosa quæstio: tamen Domine, certus sum per gratiam tuam, desiderium desiderii tui, & amorem amoris tui habere me in toto corde, & in tota anima mea. Huc usque te faciente profeci, ut desiderem desiderare te, & amem amare te: sed hoc amans quid amem nescio. Quid est enim amare amorem, desiderare desiderium? Amore amamus si quid amamus, desiderio desideramus quicquid desideramus.

A Sed forsitan cum amo amorem, non amo amorem, quo amo quod amare volo, & amo quicquid amo: sed me amantem, cum in Domino laudatur & amatur à me anima mea, quàm proculdubio detestarer, & odio haberem, si eam alibi, quàm in Domino, & in ejus amore invenirem. Sed & de desiderio quid dicemus? Si dicam, desidero esse desiderans; jam me invenio desiderantem. Sed numquid desiderium tui desiderantem, quasi non habeam, aut desiderium majus quàm habeam?

6. Cum igitur hoc modo deficiant, & caligent, & cæcutiant interiores oculi mei, oro ut citius à te aperiantur, non sicut aperti sunt Adæ carnales oculi, ut videret Gen. 3. b confusionem suam; sed ut videam, Domine, gloriam
B tuam: ut oblitus parvitatis & paupertatis meæ, totus erigar, & ruam in amplexus tui amoris, videns quem amavero, & amans quem videro: & moriens in me, vivere incipiam in te: & bene mihi sit in te, cui pessime est in se. Sed festina Domine, ne tardaveris. Habet enim sapientiæ tuæ gratia Domine, vel gratiæ tuæ sapientia, sua compendia: & quo rationis, vel ratiocinationis nullis argumentis, nullis discussionibus, quasi quibusdam scalis conscenditur, ad torrentem scilicet voluptatis tuæ, ad plenum amoris tui gaudium; cui hoc datum est, fideliter quærens, fideliter pulsans, sæpe repente ibi se invenit. Sed ô Domine, si quando, quod quam rarum est! me in aliqua hujus gaudii parte invenio; clamo, vociferor: *Domi-* Matth. 31
C *ne bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula*: fidei unum, spei unum, amori unum. Numquid nescio quid dicam, cum dico, *Bonum est nos hic esse*? Sed repente cado in terram, quasi mortuus, & respiciens nihil video, & me ubi prius eram, invenio, in dolore scilicet cordis & afflictione spiritus. Usquequo Domine, usquequo? *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde* Psal. 12. *meo per diem?* Quamdiu non permanebit spiritus in hominibus, quia caro sunt: sed venit, & vadit, & spirat ubi Gen. 6. Johan. 3 vult! Sed in convertendo Dominus captivitatem Sion, facti erimus sicut consolati. Tunc replebitur gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Interim heu mihi Psal. 125 quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habi-
D rantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Sed res- Psal. 119 pondet mihi intus in corde meo veritas consolationis tuæ, & consolatio veritatis tuæ.

## CAPUT III.

*An & quomodo detur inaqualitas amoris in Beatis.*

7. EST amor desiderii, & est amor fruitionis. Amor desiderii meretur aliquando visionem, visio fruitionem, fruitio amoris perfectionem. Gratias ago gratiæ tuæ, qui loqui dignaris ad cor servi tui, & anxiis ejus quæstionibus aliquatenus respondes. Suscipio, & amplector hanc Spiritus tui arrham, & lætus exspecto in arrha

Amor du[plex] desiderii [&] fruitionis

E promissionem tuam. Desidero itaque amare te, & amo desiderare te, & hoc modo curro, ut apprehendam in quo apprehensus sum; scilicet ut amem te perfecte aliquando, quia prior nos amasti, amande & amabilis Domine. Sed estne aliquando aut alicubi Domine, hæc amoris tui perfectio, hæc in amore tuo beatitudinis consummatio, ut sitiens anima ad Deum fontem vivum, sic satietur, sic impleatur, ut dicat, sufficit? Miror quicunque, ubicumque ille sit, si non deficit; si dicit, sufficit. Sed ubi istius sufficientiæ est defectio, quæ potest esse perfectio? Nusquam igitur, & numquam perfectio. Sed & injusti Domine, numquid regnum tuum possidebunt? Injustus autem est, qui non tantum desiderat, & debito-

Amoris p[er]fectio an [de]tur.

F rem se sentit & intelligit te amare, quantum ab aliqua creatura rationali possibile est amari te. Constat etiam beata illa Seraphin, quæ à vicinitate præsentiæ tuæ, à claritate visionis tuæ *ardentes* & interpretantur, & sunt, plus amare te, quàm aliquem qui minor est in regno cælorum. Qui si in regno cælorum non dicam minimus, sed nonnullus est utique, tantum desiderat amare te, quantum ab aliquo vel potes amari, vel debes, & hoc forsitan est, *in quem desiderant Angeli prospicere*. Desiderat ergo beatus ille minor, quicumque ille est, tantum te amare, quantum amat quicumque plus eo amat, non æmula

Seraphim [un]de dicant ardentia.

1. Pet. 1.

insectatione, sed pia & devota imitatione. Si vero & in amore proficit, quanto dulcius illuminantis oculus in interiora procedit, tanto dulcius sentit & intelligit, si ingratus non est & injustus, & te plus posse amari, & se debitorem plus amare, vel quantum te amant Cherubim & Seraphim. Sed qui desiderat quod assequi non potest, miser est. Miseria vero à regno beatitudinis prorsus aliena est. Assequitur ergo quod desiderat quisquis ibi aliquid desiderat.

ci quo- io sint ares in ore. 8. Quid dicemus adhæc? quid inquam dicemus? Loquere obsecro, Domine, quia audit servus tuus. Numquid & magni, & parvi omnes qui sunt in regno Dei, unusquisque in suo ordine amat, & amare desiderat, & & amoris unitas non finit ut sit diversitas; dum amat, cui B datum est hoc, ardentius: minor autem in amore sine invidia bonum ubicumque videt, amat quod ipse sibi desiderat; & habet utique amorem, quantuscumque est, quem in amante habet & amat? Nimirum amor est qui amatur, qui ex magna bonitatis suæ affluentia & natura amantes & coamantes, gaudentes & congaudentes, pari implet gratia, licet dispari mensura: & quanto se amantium sensibus largius infundit, tanto eos sui capaciores efficit, satietatem faciens, sed sine fastidio; de ipsa satietate non minuens desiderium, sed augens, remota omni anxietudinis miseria. Amor enim est, ut dictum est, qui amatur, qui à voluptatis suæ torrente omnem ab amatore suo repellit vel in satietate fastidii, vel in desiderio anxietudi- C nis, vel in zelando invidiæ miseriam: illuminans eos, ut dicit Apostolus, *à claritate in claritatem*, ut in lumine videant lumen, & in amore concipiant amorem. Hic est enim fons vitæ qui semper fluit, & numquam pereffluit. Hæc est gloria, hæ sunt divitiæ in domo beati amatoris tui, quia præsto est desideranti & amanti quod desiderat, & quod amat. Ideoque & qui desiderat, semper amat desiderare; & qui amat, semper desiderat amare; & desideranti & amanti quod desiderat & amat sic facis abundare, ô Domine, ut nec anxietas desiderantem, nec fastidium affligat abundantem. Et numquid obsecro Domine, hæc
al. 138 d est vita æterna, de qua cantat psalmus: *Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna?* Hæc est af- D fectio, hæc est perfectio: sic semper ire, hoc est perveni-
hilip. 3. c re. Unde Apostolus tuus, qui paulo ante dixerat, *Non quod acceperim aut perfectus sim, sequor autem si comprehendam à quo comprehensus sum in Christo Jesu: unum autem quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo*, inquit, *perfecti sumus hæc sentiamus.*

## CAPUT IV.

*Deum propter se, cetera omnia nonnisi propter Deum diligi debere.*

E

9. ET hoc est amare tuum, quo amas te amantes, à dulcedine bonitatis tuæ quam habes ad creaturam tuam, Creator bone, inspirare eis hoc desiderium amandi te; & amorem quo amant, & desiderare & amare te. Non enim afficeris ad nos, vel a nobis, cum nos amas: sed es, qui semper id ipsum es; cui hoc est esse quod esse bonum: bonum autem tibi in te, & omni tuæ in te creaturæ. Nos autem à te, ad te, & in te afficimur, cum te amamus, qui possumus misero aliquo modo esse, & non amare te; id est esse, & male esse. Tibi autem qui semper idem es, nihil accedit, si amando proficimus ad te: nihil decedit, si deficimus à te. Cum autem nos amas, nonnisi propter te nos amas; cum verissima summæ jus- F titiæ regula etiam nos nil amare permittat extra te. Et certe possibile est amori Deum amantis, ubi magna occurrit gratia, eo proficere, ut nec te nec se amans propter se, & te & se propter te solum amet: & per hoc reformatur ad imaginem tuam ad quam creasti eum, qui ex veritate præstantissimæ naturæ tuæ, & natura veritatis tuæ, nec te nisi propter te, nec Angelum, nec hominem amare potes nisi propter te.

10. Et ô felicem & felicissimam animam, quæ Deo sic à Deo meretur affici, ut per unitatem Spiritus in Deo A solum amet Deum, non suum aliquid privatum, nec nisi in Deo amet seipsum: & Deus in ipso amet vel approbet quod amare vel approbare debet Deus, id est seipsum; immo quod solum debet amari, & à creatore Deo, & à creatura Dei. Amoris enim vel nomen, vel affectus, nulli competit vel debetur, nisi tibi soli, ô vere amor & amande Domine. Et hæc est in nobis voluntas Filii tui, hæc pro nobis oratio ejus ad te Deum Patrem suum: *Volo ut sicut ego & tu unum sumus, ita & in nobis ipsi unum sint.* Hic Iohan. 17 est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium Domini, hoc est gaudium in Spiritu-sancto, hoc est silentium in cælo. Quamdiu quippe in hac sumus vita, hoc felicissimæ pacis silentio in cælo, id est in anima justi quæ sedes est sapientiæ, aliquando fruitur affectus; sed hora est dimidia vel quasi dimidia, intentio vero de reliquiis cogitationis diem festum perpetuum agit tibi. In illa vero beata & æterna vita de qua dicitur, *Intra in gaudium Domini tui:* sola erit perfecta & æterna Matth. 25 fruitio, & tanto felicior, quanto jam remotis omnibus quæ hoc tardare vel impedire videntur, amoris ejus indissolubilis æternitas, irrefragabilis perfectio, incorruptibilis erit beatitudo.

## CAPUT V.

*Supra Deum nihil amandum, ultra quem nihil appeti potest.*

11. O Amor veni in nos; posside nos. Dispereant à facie tua in nobis omnia fœditatis nomina, quæ à concupiscentia carnis & oculorum & superbia vitæ huic innascuntur affectui, quasi spuria quædam vitulamina: affectui, inquam, qui amor in nobis dicitur, & corrumpitur sæpius morbis animæ à te & ad te creatæ: ad te solum concreatus, & concretus, & reluctans noster affectus legi naturali & reclamans, cogitur vocari gula, luxuria, avaritia, & his similia, qui incorruptus & in sua permanens natura ad te solum est Domine, cui soli amor debetur. Est enim animæ rationalis amor, sicut dixit quidam servus tuus, motus vel quieta statio, vel finis, ultra quem nihil appetat, vel appetendum judicet voluntatis appetitus. Ultra te vero, vel supra te qui quærit aliquid tamquam melius te, nihil est quod quærit, quia nihil est melius vel dulcius te: ideoque nihil efficitur recedendo à te, qui solus amandus est vere, & fornicatur & luxuriat in alienis affectibus, aliena ut dixi nomina habentibus. Amor enim, ut dictum est, & sæpe dicendum est, ad te solum est Domine, in quo solo est quicquid vere est, ubi quieta & secura statio, quia Deum timere timore amoris casto, & mandata ejus observare, hoc est omnis homo.

Amoris corruptio unde.

Amor rationalis quid.

## CAPUT VI.

*Deum priorem dilexisse nos, & ad amandum nos provocasse per Filium.*

12. RECEDAT itaque ab anima mea omnis injustitia, ut te diligam Dominum Deum meum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis: recedat omnis zelotypia, ne tecum aliquid amem quod propter te non amem, ô vere unice amor, & vere Domine. Cum vero propter te aliquid amo, non illud amo, sed te, propter quem amo quod amo. Tu enim vere solus es Dominus, cujus dominari super nos, hoc est salvare nos: nostrum vero servire tibi, nihil est aliud quam à te salvari. Quæ enim salus tua, ô Domine, cujus est salus, & super populum tuum benedictio tua, nisi quod à te accepimus, ut amemus te, vel amemur à te? Idcirco Domine filium dexteræ tuæ, hominem quem confirmasti tibi, Jesum, id est Salvatorem appellari voluisti: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*; & non Matth. 1. d est alius in quo sit salus, qui docuit nos amare se, cum Act 4. c usque ad mortem crucis prior ipse dilexit nos, & lavit nos amando & diligendo, suscitans nos, ut amemus eum qui prior usque in finem dilexit nos. Hæc est justitia filiorum hominum: Ama me, quia amo te. rarus autem est qui dicere possit: Amo te, ut ames me. Hoc tu fecisti;

1. Johan. 4. d quia sicut clamat & prædicat servus amoris tui, prior dilexisti nos. Et sic, plane, sic est. Amasti nos prior, ut amaremus te: non quod egeres amari à nobis; sed quia id ad quod nos fecisti, esse non poteramus nisi amando te. Heb. 1. a Ideoque *multifariam multisque modis olim Deus locutus Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*, in Verbo tuo quo cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Loqui tuum in Filio tuo non aliud fuit, quam in sole, id est in manifesto, ponere tabernaculum tuum.

Rom 8. f Gal 2. d Sap. 18. c 13. Quantum & quomodo nos amasti, qui proprio Filio non pepercisti, sed pro nobis omnibus eum tradidisti, qui etiam dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis. B Hoc est Verbum tuum ad nos Domine, hic omnipotens Sermo, qui dum medium silentium tenerent omnia, profundum scilicet erroris, à regalibus sedibus venit, durus errorum debellator, & dulcis amoris commendator. Omnia in Christo vocalia ad amorem. Et quicquid fecit, quicquid dixit in terra, usque ad opprobria, usque ad sputa & alapas, usque ad crucem & sepulcrum, non fuit, nisi loqui tuum nobis in Filio, amore tuo provocans & suscitans ad te amorem nostrum. Sciebas enim Creator animarum Deus, in animabus filiorum hominum cogi non posse, sed provocari oportere affectum istum: simul etiam quia ubi coactio, jam nec libertas: ubi nec libertas, nec justitia. Tu autem Domine juste, salvare nos volebas, qui nullum salvas nec damnas nisi juste, ipse nobis formans judicium & C Psal. 9. a causam, sedens super thronum, & judicans justitiam, sed Rom. 3. c quam tu fecisti; ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: cum misereris cujus misereris; & Rom. 9. d misericordiam præstas cujus misertus eris. Voluisti ergo ut amaremus te: qui nec juste poteramus salvari, nisi amaremus te: nec amare te poteramus, nisi procederet à 1. Johan. 4. d te. Ergo Domine, sicut Apostolus amator tui dicit, & nos jam diximus, prior dilexisti nos, prius diligis omnes dilectores tuos.

## CAPUT VII.

*Quali amore Deus nos diligat.*

14. SEd nos, Domine, te diligimus affectu amoris à te nobis indito: tu vero conditor omnium & affectuum bonorum, & animarum afficiendarum, numquid accidenti vel incidenti amoris affectu amas quos amas: & aliquo modo in aliquo afficeris, qui & omnes facis, & omnia? Absit. Absurdum est; procul est à fide; alienum ab omnium Creatore. Quomodo ergo nos amas, si nos amore non amas? Sed amor tuus bonitas tua est, ô summe bone, & summum bonum, Spiritus-sanctus procedens Gen. 1. a à Patre & Filio, qui ab initio creaturæ fertur super aquas, id est, super mentes filiorum hominum fluctuantes, omnibus se offerens, omnia ad se trahens inspirando, adspirando, noxia arcendo, providendo utilia, Deum nobis, & nos uniens Deo. Sic enim Spiritus-sanctus tuus, qui amor E dicitur Patris & Filii, & unitas, & voluntas, per gratiam suam in nobis inhabitans, & Dei in nobis caritatem commendans, & per ipsam ipsum nobis concilians, Deo nos unit per inspiratam nobis bonam voluntatem: cujus bonæ voluntatis vehementia amor in nobis dicitur, Amoris definitio. quo amamus quod amare debemus, te scilicet. Nihil enim aliud est amor, quàm vehemens & bene ordinata voluntas. Amas ergo te, ô amabilis Domine, in te ipso cum à Patre & Filio procedit Spiritus-sanctus, amor Patris ad Filium, & Filii ad Patrem: & tantus est amor, ut sit unitas; tanta est unitas, ut sit homousion, id est eadem Patris & Filii substantia. Amas & teipsum in nobis, mittendo Spiritum Filii tui in corda nostra, à dulcedine amo- F ris & vehementia inspiratæ à te nobis bonæ voluntatis Rom. 8. c clamantem, *Abba Pater*: sic nos efficiens tui amatores, immo sic teipsum in nobis amans, ut qui primum sperabamus, quia noveramus nomen tuum Domine, & gloriabamur in te, qui diligebamus nomen Domini in te, ô Domine; jam per inspirantem nobis gratiam, per Spiritum adoptionis tuæ, omnia quæ Patris sunt, nostra esse confidentes, ipso te nomine invocemus per adoptionis gratiam, quo Filius tuus unicus per naturam.

A 15. Sed quia hoc abs te totum est, cujus amare hoc est benefacere; à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, summe Pater luminum: tu teipsum amas Iacob. 1. in nobis, & nos in te, cum te per te amamus, & in tantum tibi unimur, in quantum te amare meremur: & participes efficimur, ut dictum est, orationis illius Christi Filii tui: *Volo ut sicut ego & tu unum sumus, ita & ipsi unum in nobis sint.* Genus enim tuum sumus Domine: genus Dei, sicut dicit Apostolus tuus, transferens Ethnici sententiam de malo vase in vas bonum, ut non nisi ipsam & vas Actor. 17 Psal. 81 bonum sapiat. *Genus*, inquam, *sumus Dei*, & dii, filii excelsi omnes, cognatione quadam spiritali magnam apud te vindicantes affinitatem, cum per Spiritum adop- B tionis Filius tuus unum nobiscum nomen sortiri non dedignatur, & cum ipso & per ipsum præceptis salutaribus moniti & divina institutione formati audemus dicere: *Pater noster qui es in cælis.* Amas itaque nos, in quan- Matth. 6 tum nos efficis tui amatores: & nos amamus te, in quantum à te Spiritum tuum accipimus (qui est amor tuus) obtinentem & possidentem omnes affectionum nostrarum recessus, & perfecte eos convertentem in puritatem veritatis tuæ, & veritatem puritatis tuæ, in plenum amoris tui consensum: tantaque fit conjunctio, tanta adhæsio, tanta dulcedinis tuæ fruitio, ut unitas ab ipso Domino nostro Filio tuo vocetur, dicente: *Ut sint ipsi unum in no-* Iohan. 17 *bis*; tantæ dignitatis, tantæ gloriæ, ut subsequatur & di- C cat: *Sicut ego & tu unum sumus.* O gaudium, ô gloriam, ô divitias, ô superbiam! Habet enim sapientia etiam sui generis superbiam, quæ dicit: *Mecum enim sunt divitiæ* Prov. 8. *& gloria, opes superbæ & justitia.*

## CAPUT VIII.

*Per amorem nos fieri unum cum Deo.*

16. QUid autem est absurdius uniri Deo amore, & non beatitudine? Beati enim vere & unice, & singulariter & perfecte beati, qui vere & perfecte amant te. *Beatum enim dixerunt populum cui hæc sunt*: sed men- Beatus qui tiuntur, quia solus *beatus cujus est Dominus Deus ejus.* Quid Psal. 143 D enim est beatum esse, nisi non velle nisi bonum, & omnia habere quæcumque vult? Te igitur velle, & vehementer velle, quod est amare, & singulariter amare, qui amari non dignaris cum aliqua omnino re sive carnali sive spirituali, sive terrestri, sive cælesti, quæ non ametur pro te; hoc demum est non velle nisi bonum, hoc est habere quæcumque vult omnia: quia habet te quis, in quantum amat te. Ergo & amore, & beatitudine uniti Deo intelligimus, quod vere *Domini est salus, & super populum* Psal. 3. *tuum benedictio tua.* Ideoque orationes nostras, vota, & sacrificia, & omnia nostra offerimus tibi Pater assidue per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum; credentes & intelligentes ex te, à te, & ad te, per ipsum nobis esse, quicquid nobis bene est, à quo ipsum esse habemus.

17. Quæ omnia per subministrationem Spiritus-sancti tui habitantis in nobis credimus, & intelligimus, quantum intelligere fas est, qui, ut dictum est, confirmans sibi, & uniens spiritum nostrum, spirat in nobis, quando vult, quomodo vult, quantum vult: cujus sumus factura, creati in operibus bonis, exsistens sanctificatio nostra, justificatio nostra, amor noster. Ipse enim est amor noster, quo ad te pertingimus, quo te amplectimur. Alioquin, ô incomprehensibilis majestas, comprehensibilis esse videris animæ te amanti. Licet enim nullus sensus cujuslibet animæ vel spiritus te comprehendat, tamen totum Deum solu amor comprehendit. te, quantus es, comprehendit amor amantis, qui totum F te amat quantus es, si tamen est totitas, ubi non est particularitas: si quantitas, ubi non est tantitas: si est comprehensibilitas, ubi hæc omnia non sunt. Sed cum te amamus, afficitur spiritus noster Spiritui tuo sancto, per quem habitantem in nobis caritatem Dei diffusam habemus in cordibus nostris. Cumque amor tuus, amor Patris ad Filium, amor Filii ad Patrem, Spiritus-sanctus habitans in nobis ad te est quod est, id est amor, omnem captivitatem Sion, id est animæ nostræ, omnes affectiones in se convertens & sanctificans; amamus te, vel tu amas

amas te in nobis; nos affectu, tu effectu: unum nos in te efficiens per unitatem tuam, id est ipsum Spiritum-sanctum tuum, quem dedisti nobis, ut sicut non est aliud Patri nosse Filium, nisi hoc esse, quod est Filius; nihil aliud Filio nosse Patrem, nisi hoc esse quod est Pater; unde in Evangelio, *Nemo novit Patrem, nisi Filius, & nemo novit Filium nisi Pater*; & sicut Spiritui-sancto nihil est aliud nosse, vel comprehendere Patrem & Filium, quam hoc esse quod est Pater & Filius: ita nobis (qui ad imaginem tuam conditi sumus, & ab illa per Adam inveterati, per Christum ad illam renovamur de die in diem) amantibus Deum nihil sit aliud amare & timere Deum, & mandata ejus observare, quam esse, & unum spiritum cum Deo esse. *Deum* enim *timere, & mandata ejus observare, hoc est omnis homo.* Adorande, tremende, benedicende, da eum nobis. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Non enim in diluvio aquarum multarum, id est in perturbatione & confusione affectionum tam multarum, tam diversarum, ad Deum approximabunt. Jam satis Domine duravit cataclysmus iste, pœna filiorum Adæ. Adduc spiritum super terram: recedat mare, recedat antiquæ damnationis salsugo, & appareat arida, fontem vitæ sitiens. Veniat columba Spiritus-sanctus, expulso teterrimo alite, & cadaveribus suis incumbente: veniat, inquam, columba, ramo olivæ, id est ramo refectionis & luminis, pacem annuntians. Sanctificet nos sanctitas & sanctificatio tua, uniat nos unitas tua; ut Deo qui est caritas, velut cognata quadam affinitate per caritatis nomen sociemur, & per virtutem nominis uniamur.

18. Sed interest Domine, quomodo quis te amet. Multi enim, sicut ait quidam à te illuminatus *, amant veritatem lucentem, & non amant redarguentem; justitiamque multi colunt affectu, à qua procul sunt effectu, approbantes eam, & amantes eam in seipsa, non autem exercentes in se ipsis. Numquid isti vere te amant, ô vera justitia Deus, numquid isti vere te amant? Philosophi mundi hujus olim eam coluerunt & affectu amoris, & effectu operis, in tantum ut diceretur de eis ab eis:

*Oderunt peccare boni virtutis amore.*

Sed convincuntur justitiam non amasse qui non amaverunt te, à quo fons & origo, & in quem finis & recursus veræ justitiæ, & sine quo omnes justitiæ hominum, sicut pannus menstruatæ. Non enim habebant fidem quæ per dilectionem operatur, licet affectatum quemdam amorem, & opera quædam haberent honestatis. quæ quia ex fonte veræ justitiæ non prodibant, nec in veræ justitiæ finem ibant; tanto desperatius errabant, quanto fortius extra viam currebant. Via enim, Pater, Christus tuus qui dixit; *Ego sum via, veritas & vita.*

## CAPUT IX.

*Amorem constare observantia præceptorum.*

19. VEritas ergo tua, vel vita ad quam itur, via per quam itur, veram & simplicem nobis describit formam divinæ & veræ philosophiæ, dicens ad discipulos suos: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta Patris mei servavi, & maneo in ejus dilectione.* Ecce dilectus dilecti, sicut in Psalmo legitur, cum Pater diligit Filium, & Filius manet in dilectione Patris usque ad plenam mandatorum ejus observationem: rursumque dilectus dilecti, cum dilectus discipulus diligit magistrum Christum usque ad observationem omnium ejus mandatorum; & usque ad mortis necessitatem non perdit hanc voluntatem, in illuminatione veritatis & amoris ejus, rebus omnibus & idoneis ad bonum, & pronis in malum, & inter utrumque mediis bene utens in bono, quod proprium est Christianæ virtutis. Est enim virtus, sicut jam ante nos dictum est, bonus usus liberæ voluntatis: opus vero virtutis, bonus illarum rerum usus, quibus etiam male uti possumus. Exinde ne manca sit caritas, docemur amare proximum secundum legem caritatis puram: ut sicut Deus non nisi seipsum amat in nobis, & nos solum Deum dicimus amare: ita & proximum sicut nos incipiamus amare, in quo solum Deum amamus sicut in nobis ipsis.

20. Sed ut quid, Domine, tot verba? Sed nuda est Domine & gelida & algens misera anima mea & desiderans calefieri calore amoris tui. Ideo vestem non habens, panniculos hos undecumque collectos contraho & consuo ad tegendam nuditatem meam; & non ut sapiens illa Sareptana duo ligna, sed surculos istos minutos, de deserti mei vastitate, de cordis mei spatiosa colligo vanitate, ut aliquando ingrediar in tabernaculum domus meæ, & faciam mihi de pugillo farinæ, & de hydria olei, & comedam & moriar, vel non tam cito moriar: immo Domine, non moriar, sed vivam & narrem opera Domini. Stans igitur in domo solitudinis quasi onager solitarius, & habitaculum habens in terra salsuginis, & attrahens ventum amoris mei, os meum aperio ad te, Domine, & attraho spiritum. Et nonnumquam, Domine, quasi clausis oculis ad te inhianti mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem sentio, dulcem adeo, suavem adeo & confortantem, ut si perficeretur in me, nihil ultra quærerem: sed eum accipiens, nullo corporis visu, nullo animæ sensu, nullo spiritus intellectu advertere me permittis quid sit. Cum accepero, tenere & ruminare volo, & dijudicare ejus saporem; sed statim transit. Deglutio quidem illud, quicquid illud est in spem vitæ æternæ: sed operationis ejus virtutem diu ruminando omnibus animæ meæ venis & medullis quasi vitalem quemdam succum optabam transfundere, ut ab omnibus aliis affectionibus desiperet, & illud solum & semper saperet: sed festinat transire.

21. Et cum de inquisitione ejus, vel acceptione, vel usu, formata quædam lineamenta memoriæ gestio arctius impressa committere, vel etiam memoriam labilem scripto juvare, re & experimento cogor discere, quid illud sit quod in Evangelio dicis de Spiritu: *Et nescis unde veniat, aut quo vadat.* Quæcumque enim quasi quibusdam lineamentorum figuris commendare curavi memoriæ, quorum quasi quodam reductu, cum voluero, illuc me recolligam, ac per hoc subesse mihi velim posse quotiescumque voluero: audiens à Domino, *Spiritus ubi vult spirat*, & sentiens etiam in me, quia non quando ego volo, sed quando ipse vult spirat: omnia illa mortua invenio, & insipida, & ad te solum levandos esse oculos, fons vitæ, ut in tuo solo lumine videam lumen. Ad te igitur Domine, ad te sunt, & sint oculi mei ad te: in te, de te proficiant omnes animæ meæ profectus: & cum defecerit virtus mea, quæ nulla est, post te anhelent omnes ejus defectus. Sed interim quamdiu me differs, quamdiu miseram, & anxiam, & anhelantem post te animam meam protrahis? *Absconde me obsecro in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum, & protege me in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Sed jam asinus revocat, & pueri perstrepunt.

## CAPUT X.

*Professio cultus & amoris erga Deum.*

22. NUnc ergo, Domine, plena fide te Deum colo, unum te omnium Principium & Sapientiam, qua sapiens est quæcumque anima sapiens est; & ipsum bonum, quo beata sunt quæcumque beata sunt. Te unum Deum colo, adoro, benedico: te ex toto corde meo, ex tota mente mea, & ex omnibus viribus meis, vel amo vel amare desidero. Quisquis Angelorum, vel bonorum spirituum te diligit, scio quia & me diligit, diligentem etiam se in te. Quisquis in te manet, & potest sentire preces vel affectiones humanas: scio quod in te me exaudit, in quo & ego eorum gloriæ congratulor. Quisquis te habet bonum suum, in te me adjuvat, nec mihi tui participationem potest invidere. Solius enim apostatæ spiritus est, nostram miseriam suam facere lætitiam, nostrum bonum suum damnum: nimirum quia à communi omnium bono, & vera beatitudine lapsus, non est subditus veritati, privato suo gaudens, & commune omnium odiens bonum. Te igitur Deum Patrem, quo creatore vivimus;

Marginalia (left): Matth. 11. d; Luc. 10. d; Homo Deum amando vere ...; Eccl. 12. b; Psal. 103. d; Gen. 8. b; S. August. lib. 10 Conf. c. 23.; Horat.; Philosophi veræ virtutis expertes.; Joan. 15. b; Psal. 67.; Joan. 14. a; Ibid. 6. a; 1 Joh. 4. g; Rom. 12. c. Joan. 14. c

Marginalia (right): Luc. 10. e; Johan. 13. d; Rom. 13. e; 3. Reg. 17. b; Psal. 117. c; Osee 8. c; Divinarum rerum gustus cito elabitur.; Johan. 3. E; Psal. 30. f; Diaboli est nostro lætari malo, cruciari bono.

Letters A, B, C, D, E, F (column markers).

te Sapientiam Patris, per quam reformati ſapienter vivimus; te ſanctum Spiritum, quem & in quo diligentes beate vivimus, & beatiſſime vivemus; unius ſubſtantiæ Trinitatem, unum Deum, à quo ſumus, per quem ſumus, in quo ſumus; à quo peccando diſcedimus; cui diſſimiles facti ſumus; à quo perire non permiſſi ſumus; principium ad quod recurrimus, formam quam ſequimur; gratiam qua reconciliamur; adoramus & benedicimus tibi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

---

# EJUSDEM GUILLELMI,

## TRACTATUS

## DE NATURA ET DIGNITATE AMORIS.

## CAPUT I.

*Amorem homini naturaliter inditum, carnis vitio corruptum degeneraſſe.*

1. ARs eſt artium ars amoris, cujus magiſterium ipſa ſibi retinuit natura, & Deus auctor naturæ. Ipſe enim amor à Creatore inditus, niſi naturalis ejus ingenuitas adulterinis aliquibus affectibus præpedita fuerit, ipſe, inquam, ſe docet, ſed docibiles ſui, docibiles Dei. Eſt quippe amor vis animæ naturali quodam pondere ferens eam in locum vel finem ſuum. Omnis enim creatura ſive ſpiritualis, ſive corporea, & certum habet locum quo naturaliter fertur, & naturale quoddam pondus quo fertur. Pondus enim, ut ait quidam vere philoſophus, non ſemper fert ad ima: ignem ſurſum, aquam deorſum, ſic & de ceteris. Nam & hominem agit pondus ſuum, naturaliter ſpiritum ferens ſurſum, corpus deorſum, unumquodque in locum vel finem ſuum. Quis enim corporis locus? *Terra*, inquit, *es, & in terram ibis.* De ſpiritu vero in libro Sapientiæ: *Et revertetur*, inquit, *ſpiritus ad eum, qui creavit eum.* Vide hominem diſſolutum, quomodo totus pondere ſuo fertur in locum ſuum; cum res bene & ordine ſuo procedit, ſpiritus redit ad Deum, qui creavit eum; corpus ad terram, nec in terram ſolum, ſed in elementa, ex quibus compactum & formatum erat. Cum enim quiddam in eo terra, quiddam aqua, & quiddam aër ſibi vindicet; cum naturalis compactionis naturalis ſit diſſolutio, pondere ſuo unumquodque recurrit ad ſuum elementum: & tunc plena facta eſt diſſolutio, cum horum omnium in locum ſuum facta fuerit reſtitutio. Quæ utrum corruptio, vel putredo, & non potius, ut dictum eſt, reſolutio melius vocanda ſit, judicet qui vult. Et cum horum nihil à naturæ ſuæ tramite aberret; ſola miſera anima, & degener ſpiritus, cum per ſe naturaliter eo tendat, peccati vitio corrupta neſcit, vel difficile diſcit ad ſuum redire principium. Naturali quidem pondere ſuo ſemper eo impellitur: cum beatitudinem deſiderat, beatitudinem ſomniat, non niſi beatus eſſe quærit. Beatus autem ille, & non alius, cujus eſt Dominus Deus ejus. Sed beatitudinem quærens non in regione ſua, nec in via ſua, longe aberrat à naturali intentione ſua. Ideoque amiſſa doctrina ſua naturali, opus jam habet doctore homine, qui de beatitudine, quæ naturaliter quæritur amando, doceat admonendo, ubi, & quo, in qua regione, qua via quæratur.

Johan. 6. c
Gen. 3. d
Eccli. 12. c
Anima ſurſum, corpus deorſum tendit.
Pſal. 32. c
Cur duce homini opus ſit in via amoris.

2. Amor ergo, ut dictum eſt, ab auctore naturæ naturaliter eſt animæ humanæ inditus: ſed poſtquam legem Dei amiſit, ab homine eſt docendus. Non eſt autem docendus, ut ſit tamquam qui non ſit; ſed ut purgetur, & quomodo purgetur; & ut proficiat, & quomodo proficiat; ut ſolidetur, & quomodo ſolidetur, docendus eſt. Nam & fœdus amor carnalis fœditatis ſuæ olim habuit magiſtros, in eo quo corrupti erant & corrumpebant tam perſpicaces, tam efficaces, ut ab ipſius fœditatis amatoribus & ſociis, doctor * artis amatoriæ recantare cogeretur, quod intemperantius cantaverat; & de amoris ſcribere remedio, qui de amoris carnalis ſcripſerat incendio; qui in amoris incentiva vel vetera quaſi per quemdam pruritum exſecranda, vel in nova invenienda toto ſe effuderat ingenio. Non utique amoris carnalis fervorem videbatur ille docere, qui tam in docendis, quam in eo qui docebat, ſine quovis rationis temperamento naturali quodam igne æſtuabat: ſed naturalem ejus vim indiſciplinatis quibuſdam diſciplinis in quamdam erudiebat laſciviam, & ſupervacuis quibuſdam fomentis luxuriæ in quamdam perurgebat inſaniam. In illis enim pravis & nequam hominibus ex ſuperfluenti carnalis concupiſcentiæ vitio, totus deperierat ordo naturæ. Quippe cum debito naturæ ordine, ſpiritus eorum naturali pondere ſuo, amore ſuo ſurſum ferri deberet ad Deum qui creavit eum; carnis humiliatus illecebris, non intellexit, & comparatus jumentis inſipientibus ſimilis factus eſt illis, factique ſunt de quibus diceretur: *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt.* in quorum perſona, *Factum eſt*, inquit, *cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* In anguſta quippe corporis parte cor locatum (ubi quaſi medium, ſuperiorum ſenſuum arcem, & corporis inferioris, ſicut populi humilioris quaſi quamdam regeret & diſpenſaret rempublicam, totamque circumquaque cogitatuum & actionum regionem) ad concupiſcentiæ carnalis ignem degenere quadam mollitie liqueſcens, totum defluxit in ventrem, & in medium ventris; videlicet non ſapiens niſi ea quæ ventris ſunt, & de ventre in ventris inferiora, omnia confundens, omnia degenerans, omnia adulterans, amoris naturalem affectum pervertens in brutum quemdam carnis appetitum: non ſolum quæ non licet appetentem cum contumeliis corporis in paſſionibus ignominiæ, ſed adeo oblitum ſuæ antiquæ generoſitatis, ut qui creatus erat Deo ſoli, à corruptis & corruptoribus ſuis æſtimetur eſſe potius luxuriæ naturale domicilium & vitiorum omnium proſtibulum. Infelices, qui in tantum natura reclamante ſibi viluerunt, ut animæ ſuæ locum, qui proprius Dei creatoris erat, & nulli creaturæ communicabilis, ſedem Satanæ, ſedem ſpurcitiarum, & omnis immunditiæ conſtituerint.

* Ovidius.
Pſal. 48.
Gen. 6.
Pſal. 21.
Cor cur medio hominis collocatum.
Cordis corruptio.

## CAPUT II.

*De ortu & progreſſu Amoris.*

3. ACturi igitur de Amore, prout dederit ipſe cujus amori operis ipſius ſudat intentio, primum quaſi à primordiis ipſius narrationis ſeriem inchoantes, quaſi per ſuccedentes ſibi ætates profectuum ejus proceſſum ordiamur, uſque ad ſenectam uberem, quæ non eſt plena ſenilis doloris, ſed plena miſericordiæ uberis. Sicut enim ſecundum ætatum incrementum vel decrementum puer mutatur in juvenem, juvenis in virum, vir in ſenem; ſecundum qualitatum mutationes, etiam ætatum nomina mutantes: ſic ſecundum virtutum profectum voluntas creſcit in amorem, amor in caritatem, caritas in ſapientiam. Nec debet latere de Amore, de quo agimus, quibus ortus ſit natalibus, qua nobilitatis linea inſignis habeatur; vel quo oriundus loco. Primum igitur ejus nativitatis locus Deus eſt. Ibi natus, ibi alitus, ibi provectus; ibi civis eſt non advena, ſed indigena. A Deo enim ſolo amor datur, & in ipſo permanet, quia nulli niſi ipſi & propter ipſum debetur. Porro ſi de natalibus ejus agitur; cum Trinitas Deus hominem crearet ad imaginem ſuam, quamdam in eo formavit Trinitatis ſimilitudinem, in qua & imago Trinitatis creatricis reluceret; & per quam novus ille mundi incola, ſimili naturaliter ad ſimile recurrente, principio ſuo, creatori ſuo indiſſolubiliter inhæreret, ſi vellet; ne multiplici creaturarum varietate illecta, abſtracta, diſtracta, creata illa trinitas inferior à ſumma & creatricis Trinitatis unitate recederet. Etenim cum in faciem novi hominis ſpiraculum vitæ, ſpiritualem vim, id eſt intellectualem, quod ſonat ſpiratio & ſpiraculum; & vitalem, id eſt animalem, quod ſonat nomen vitæ, infudit, & infundendo creavit; in ejus quaſi quadam arce vim memorialem collocavit, ut Creatoris ſemper potentiam & bonitatem memoraret: ſtatimque & ſine aliquo moræ interſtitio, memoria de ſe genuit rationem: & memoria & ratio de ſe protulerunt

Origo Amoris.
Homo repræſentat in ſe Ss. Trinitatem.

voluntatem. Memoria quippe habet & continet quo tendendum ſit; ratio quod tendendum ſit; voluntas tendit: & hæc tria unum quiddam ſunt, ſed tres efficaciæ: ſicut in illa ſumma Trinitate una eſt ſubſtantia, tres perſonæ, in qua Trinitate ſicut Pater eſt genitor, Filius genitus, & ab utroque Spiritus-ſanctus; ſic ex memoria ratio gignitur, ex memoria & ratione voluntas procedit. Ut ergo Deo inhæreret creata in homine rationalis anima, memoriam ſibi vindicat Pater; rationem Filius; voluntatem ab utraque procedentem ab utroque procedens Spiritus-ſanctus.

4. Ecce quibus orta natalibus voluntas, cujus nativitatis, cujus adoptionis: cujus dignitatis, cujus nobilitatis. Quæ cum præveniente & cooperante gratia Spiritui ipſi ſancto (qui Patris & Filii amor eſt & voluntas) bono ſui aſſenſu incipit inhærere; & vehementer incipit velle quod Deus vult, & quod volendum memoria ſuggerit & ratio: & vehementer volendo amor efficitur. Nihil enim aliud eſt amor quàm vehemens in bono voluntas *. Per ſe enim voluntas ſimplex eſt affectus, ſic animæ rationali inditus, ut ſit capax tam boni quàm mali: bono replendus cum adjuvatur à gratia; malo, cum ſibi dimiſſus deficit in ſemetipſo. Ne enim à Creatore aliquid animæ deeſſet humanæ, libera in utramvis partem data eſt ei voluntas: quæ cum adjuvanti concordat gratiæ, virtutis accipit profectum & nomen, & amor efficitur: cùm ſibi dimiſſa ſe ipſa ſecundum ſeipſam frui vult, ſui in ſeipſa patitur defectum: & quot habet vitia, tot vitiorum ſortitur nomina, cupiditatis, avaritiæ, luxuriæ, & alia hujuſmodi.

*ide Tract. ...er. cap. 7. 13.*

5. Primo itaque profectu ſuo voluntas, quaſi in Pythagoricæ litteræ bivio, libera conſtituta, ſi ſecundum dignitatem naturalium ſuorum erigitur in amorem, ſecundum naturalem virtutum ſuarum ordinem de amore, ut dictum eſt, in caritatem, de caritate proficit in ſapientiam. Sin autem, nullo ordine ſui, juſta tamen ordinatione Dei, præcipiti acta ruina, tenebris confuſionis obruta ſepelitur in inferno vitiorum, niſi à gratia citius ei fuerit ſubventum. Si vero via inferni relicta, ſurſum cœperit greſſum attollere, & gratiam ſequens deducentem & enutrientem, adulta fuerit in amorem; jam in juventutis conſtituta fortitudine, à ſpiritu timoris, quo hactenus ut puer timebat pœnam, in ſpiritum pietatis incipit proficere, in eum à quo incipit jam novam guſtare gratiam, pie jam incipiens amare Deum & colere, de quo ſcriptum eſt: *Pietas eſt cultus ejus*. Hic ergo juvenis non ætatis, ſed virtutis naturalem fortitudinem exſerat, & virtutem; nec juventutis (licet à ratione ea vetetur corrumpere) naturalia perdat incentiva. Quibus ſi inſaniunt qui corrumpunt, qui in imagine pertranſeunt, quorum ſpiritus ut ſpiritus beſtiarum vel pecorum, quorum carnes juxta Prophetam, ut carnes ſunt aſinorum: multo magis eos qui in veritate ſunt amoris, & ſpiritualibus ejus aguntur incentivis, in ſpiritualis juventutis fervore ſuo licet modo inſanire. * Gravis enim opprobrii res eſt in naturam, ſi plus in deterius proficere poſſunt ejus corruptores, quàm in bonum veri amatores.

*..., 23. v. ... ſecun- ... LXX.* — *...ech. 23. c* — Nota.

## CAPUT III.

*De ſancta quadam amoris inſania, in homine vere religioſo requiſita.*

6. AUdi ſanctam inſaniam: *Sive mente*, inquit Apoſtolus, *excedimus, Deo; ſive ſobrii ſumus, vobis*. Vis adhuc audire inſaniam? *Si dimittis*, inquit, *eis peccatum, dimitte: ſin autem, dele me de libro quem ſcripſiſti.* Vis aliam? Ipſum audi Apoſtolum: *Optabam*, inquit, *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*. Nonne quædam mentis bene affectæ ſana quædam videtur inſania, quod impoſſibile ſit effectu, habere fixum in affectu; pro Chriſto anathema velle eſſe à Chriſto? Hæc ad ſancti Spiritus adventum Apoſtolorum fuit ebrietas: hæc Pauli inſania, cum diceret ad eum Feſtus: *Inſanis Paule*. Mirumne erat ſi inſanire pronuntiabatur, qui in ipſo mortis periculo ipſos judices ſuos, à quibus pro Chriſto judicabatur? ad Chriſtum convertere nitebatur? Non hanc inſaniam multæ litteræ in eo faciebant, ſicut dicebat rex veritatem intelligens, ſed diſſimulans: ſed, ut dictum eſt, ſancti Spiritus ebrietas, in qua & in parvo & in magno ſimiles eos ſibi facere geſtiebat, qui eum judicabant. Et ut cetera omittam, quæ major, quæ magis inopinata inſania, quàm hominem relicto ſæculo deſiderantem & ardentem inhærere Chriſto, pro Chriſto rurſum neceſſitate obedientiæ & caritatis fraternæ inhærere ſæculo; tendentem in cælum ſemetipſum mergere in cœnum? Hic eſt Benjamin adoleſcentulus, qui in mentis ſuæ exceſſu nec ſe, nec ſuum aliquid ſentit, ſed eum ſolum in quem totus exceſſit. Hac inſania inſani erant Martyres inter tormenta ridentes. Cur hic non dicam quod in fervore laſciviæ ſuæ laſcivus Poëta dicebat? *Inſanire libet.*

*...Cor. 5. c* — *...od. 32. g* — *...m. 9. a* — Inſania ſana Apoſtolis. — *...ct. 26. f* — *Pſal. 67. d*

7. Hic ergo licet emineat fervor juvenilis, & fervens religionis curſus; qui quamvis adhuc in hoc ſtatu nec habeat, nec habere debeat, frenum tamen patitur rationis. Fervorem enim noviriorum non docent illæ miſericordes in ſeipſum diſcretiones, & diſcretionum diſpenſationes, facileſque indulgentiæ ſuo judicio: non tamen recuſandæ ſunt alieno. A ſeipſo in ſeipſum rigida debet eſſe cenſura, & diſtricta ſeveritas: ad regentem autem vel conſulentem paternam vel fraternam caritatem & pietatem, lenis & obediens in omnibus humilitas. Si alterum deſit, vel in deſide & tepido, non ſpero curſus perſeverantiam; vel in præcipiti, timeo ruinam. Propter quod tota debet eſſe diſcretio Novitii, ſtultum ſe in omnibus pro Chriſto facere, & ex alieno pendere arbitrio; maxime ſi ſeniorem talem habet, de quo certum eſt, quod à Deo diſcit quod hominem doceat. Ubi tamen proficienti & obedienti non facile præſumenda eſt judicandi licentia, quamdiu manifeſte nil contra Deum præcipitur, donec longa, & patiens experientia intellectum ſuper his dabit auditui. Ad eam verò maxime ſe ſemper obedientiam ſtudeat exercere, de qua ſcriptum eſt: *Caſtificantes corda veſtra in obedientia caritatis*. hæc eſt enim Dei voluntas & beneplacens, & perfecta.

In Novitiis. — *1. Pet. 1. d*

8. Ad hæc autem obtinenda & conſervanda, continua appetenda ſunt præſidia ſedulæ & longanimis orationis: in qua tanta ſit fides, ut ſperet omnia; tanta devotio, ut Deum videatur cogere; tantus amor, ut omnia quæ petit, in ipſa oratione ſe ſentiat obtinere; tam benigna humilitas, ut in omnibus non ſuam, ſed Dei voluntatem in ſe fieri præoptet. Studeat etiam habere hic talis & amplectatur cordis puritatem, corporis munditiam, ſilentium vel verbum ordinatum; oculos ſtabiles, & non ſublimes; aures non prurientes; victum & ſomnum ſobrium, & qui faciat, non impediat boni operis dietam: manus continentes; greſſum mitem; non ridendo cordis prodere laſciviam, ſed leniter ſubridendo gratiam: meditationes ſpirituales & aſſiduas, opportunas lectiones, & non curioſas; ad majores ſubjectionem, ad ſeniores reverentiam, ad juniores dilectionem: non deſiderare præeſſe, amare ſubeſſe, omnibus cum quibus eſt, velle prodeſſe: non ſeveritate obrui; non lenitate exinaniri: in vultu ſerenitatem, in corde ad omnes habere dulcedinem, in opere gratiam. Hic etiam locus & tempus eſt voluptates amputandi; vitia omnia exſtirpandi, voluntates frangendi; ut ceteris non voluntatibus, ſed voluntatum ſimulacris præciſis & amputatis, ſicut adulterinis quibuſdam & ſponte naſcentibus ramuſculis, ſpes proficiendi augeatur naturali & veræ voluntati. Illæ enim non tam ſunt voluntates, quam appetitus animæ: *concupiſcentia* ſcilicet *carnalis, concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi.*

Orationis neceſſitas & conditiones. — Virtutes & mores viri Religioſi. — *1. Johan. 2. c*

## CAPUT IV.

*De ſtudio & conatu ad profectum ſeu perfectionem amoris.*

9. HIc qui plus amat, plus currat: hic labor, hic opus eſt; labor multorum ſudorum, opus multorum laborum: maxime cum cæcus adhuc amor quod facit faciat, ſed neſciat adhuc unde veniat, aut quo vadat: & ſic hujuſmodi operetur affectibus, ſicut cæcus manibus, qui manibus quidem operatur, ſed nec manus videt quibus

operatur, nec opus quod operatur. Sicut enim ſi videns quis in aliquod opus erudiat non videntem, trahit docendum, curvat, erigit & diſponit, in uſum quemdam potius quam in artem eum agens ſuſcepti operis: ſic per omnia quæ ſupra dicta ſunt, cæcus amor extrinſecus in quamdam vitæ & morum formatur honeſtatem. Cum vero interioris hominis ſubſtantia longo diſciplinæ uſu emollita plene poterit imprimi & informari in eorum formam, tunc fructum pacatiſſimum operabitur ſalutis; tunc in re, non ſpecie horum omnium & ſimilium percipiet utilitatem. Quæcumque enim obſervanda texuimus, nondum ſunt in affectu, ſed in deſiderio & rationis magiſterio: & de his omnibus humiliter adhuc cantat ad Deum: *Concupivi deſiderare juſtificationes tuas.* Sicut tamen dixi de cæco, quamvis adhuc non videat oculus, non ceſſet operari manus: ut qui proficere vult in magno, fidelis ſit in minimo: & in eo in quo ex conditoris largitate jam prærogatum habet jus poteſtatis, officium exhibeat bonæ voluntatis, in corpore ſcilicet proprio; faciatque quod dicit Apoſtolus: *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* ac ſi dicat: cum amor in caritatem tranſierit, cum anima perfectam ſuam adepta fuerit puritatem; tunc vobis dicam vel indicam longe aliud quid & divinum. Nunc interim accipite iſtud humanum: ut ſicut in tempore veteris negligentiæ & peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ; juſtitiæ in nullo, in omnibus autem peccato exhibentes membrorum officium, & hoc ad iniquitatem: ſic amodo exhibeatis membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. In quo ſi fidelis, ut dictum eſt, apparuerit, incipiet in ſeipſo experiri quod David dixit: *In nomine tuo levabo manus meas. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Si enim ſpiritu facta carnis mortificaverit, ſi Deum in opere ſuo glorificaverit; ex hoc anima adipe gratiæ, & pinguedine ſancti Spiritus repleta, renovari incipit *ſpiritu mentis ſuæ, & induere novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.*

Amor carnalis quomodo ſenſim in ſpiritualem transformetur.

Pſal. 118 c — Rom. 6 c — Pſal. 62. b — Rom. 8. c — Coloſſ. 3. b

10. Ex hoc enim jam rerum facies nova ei incipit apparere, chariſmata meliora, in quorum æmulatione hactenus laboraverat, familiarius ſe ei aperire; corpus ſanctis humiliatum diſciplinis, ex conſuetudine jam bona in ſpontaneum ſpiritus ſervitium tranſire: novi hominis interior facies de die in diem renovari, & uſque ad ſpeculanda Dei bona revelari: jam frequentes & improviſæ theophaniæ, & ſanctorum ſplendores animam continuo laborantem deſiderio incipiunt refocillare, & illuſtrare: quia ſapientia occurrens in viis hilariter, ſicut dicit Job, *Abſcondit lumen in manibus, & præcipit ei ut rurſus adveniat, & annuntiat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit aſcendere.* Ex quo jam diu laborans anima, inſolitas quaſdam & dulces affectiunculas incipit colligere, in quibus tenere requieſcit cum adſunt: cruciatur, cum auferuntur, & non redeunt ad votum. Sicut enim ruri enutrita & ruralibus aſſueta cibariis, cum affectiones has, quas diximus, quaſi in primo ingreſſu aulæ regiæ cœperit deguſtare, nonnumquam ignominioſe depulſa, violenter expulſa, in domum paupertatis ſuæ, vix ultra * redire acquieſcet: & frequenter ad januam recurrens, importuna, improba, & anxia, ſicut inops, ſicut mendica, ſperans, ſuſpirans inſpicit, ſuſpicit ſi quid ſibi porrigatur, ſi quando aperiatur: & aliquando improbitate & importunitate ſua ſic evincit omnia obſtacula & tranſgreditur; ut uſque ad interiorem ſapientiæ menſam præcipiti tranſſiliens deſiderio, impudens, & ilico reexpellenda aſſideat conviva & audiat: *Comedite amici, & inebriamini cariſſimi.* Ex hoc jam innaſcitur ſanctæ paupertatis amor, latendi ſtudium, odium ſæcularium diſtractionum, orationis uſus, pſalmodia frequens.

Hominis renovati & converſi gratiæ & privilegia.

Job. 36. d

Amantis & deſiderantis importuna poſtulatio.

* al. iterum, ultro, mendoſe.

Cant. 5. a

## CAPUT V.

*De periculis & damnis neglectæ gratiæ, & laudibus veræ caritatis.*

11. SEd grave, niſi impediatur, occurrit tentationis impedimentum, quod multorum curſum uſque huc proſperum & feliciſſimum vel graviter retardet, vel retro nonnumquam in quamdam teporis ignaviam reflectat. Quod enim à Patre pio in via accipit ne deficiat, ſic incipit habere quaſi ſufficiat: & hic proficiendi metam conſtituens, ubi deſinit proficere, ibi incipit deficere. Quin etiam conculcans gratiam Dei, & vanam de ipſa contra ipſam ſibi fabricans fiduciam, vel in ore, vel in corde jactat ſe non uſquequaque à Deo derelictum, toties ſibi judicium manducans & bibens, quoties viſitationis & conſolationis à Deo accipit gratiam, & inde non in Domini, ſed in voluntatum ſuarum exſecutionem præſumit fiduciam. *Inimici Domini*, ait Pſalmiſta, *mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula. Et cibavit illos ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturavit eos.* Audi cibatos, & audi inimicos: audi ſaturatos, & audi mentitos: audi non ſolum frumentum, ſed adipem frumenti: non petram, ſed mel de petra, occultam ſcilicet & divinam ſacramentorum gratiam, de qua ſaturati perhibentur, qui inimici convincuntur; quod ſi non fuiſſent inimici non tam cito potuiſſent ſaturari. Qui enim ſaturatus eſt, non plus petit quam accipit, quia plenus eſt: & quod habet, ei ſatis eſt. Hoc eſt, *poſt primam illuminationem*, ut ait Apoſtolus, *poſt guſtum doni cæleſtis, poſt participationem Spiritus-ſancti, poſt guſtum nihilominus boni verbi Dei, virtutumque futuri ſæculi,* voluntarie peccando poſt acceptam notitiam veritatis, rurſum ſibimetipſis Filium Dei crucifigere & conculcare, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducere, in quo ſanctificati ſunt, & ſpiritui gratiæ contumeliam facere. Quid enim aliud eſt Filium Dei ſibi crucifigere, quam facere mala, ut veniant bona, confidenter peccare, & cruci Chriſti quicquid peccant imponere? O ſi audiant quod ſequitur: *Terra ſæpe ſupervenientem imbrem bibens, & generans herbam opportunam his à quibus colitur, accipit benedictionem à domino: proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledictioni proxima, cujus finis eſt in combuſtionem.* Sed redeamus ad meliora, ut ait ipſe Apoſtolus, & viciniora ſaluti.

Gravis proficientium tentatio.

Pſal. 80. d

Gratiam Dei ſpernere aut negligere quanti ſit periculi. Hebr. 6. b

Hebr. 10. c — Hebr. 6. d — Ibidem.

12. Jam ergo bonæ ſpei juvenis, cujus Deus juventutem incipit lætificare, creſcere incipit in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Jam enim amor incipit confortari, & illuminari, & tranſire in affectum & nomen majoris virtutis, & amplioris dignitatis. Amor quippe illuminatus caritas eſt; amor à Deo, in Deo, ad Deum caritas eſt. Caritas autem Deus eſt: *Deus*, inquit, *caritas.* Brevis eſt laus, ſed concludens omnia. Quicquid de Deo poteſt dici, poteſt dici & de caritate; ſic tamen, ut conſiderata ſecundum naturas doni, & dantis; in dante nomen ſit ſubſtantiæ, in dato qualitatis; ſed per emphaſim donum etiam caritatis Deus dicatur, in eo quod ſuper omnes virtutes virtus caritatis Deo cohæreat, & aſſimiletur. De caritate quid dicemus? audivimus famam ejus, non novimus eam, non vidimus eam. Apoſtolus eam novit, qui excellentiorem viam eam appellans, in laudem ejus totum ſe effudit, dicens: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Caritas patiens eſt, benigna eſt: caritas non æmulatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Caritas numquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur. Nunc*

Epheſ. 4. c — Caritatis elogium.

1. Johan. 4. — 1. Cor. 13 — Sine caritate omnia cetera inania.

*autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem* A
*his est caritas.* Hoc est jugum Domini suave, & onus leve: onus quod portantem portat, & levigat: onus leve Evan-
Johan 15 b gelii, suave eis, quibus dicit ipse Dominus: *Jam non di-*
Onus Christi portantem portat. *cam vos servos, sed amicos meos.* Qui enim prius portare non poterat præcepta legis, postea illi levia sunt præcepta
Exod 21 c Evangelii per cooperantem gratiam. Qui primum non
1. Johan. 3. c poterat implere, *Non occides*; postea leve habet *pro fratribus animam ponere*, & sic de reliquis. sicut cum jumento imponitur onus grave, & refugit quasi importabile, adducitur quadriga volubilis, id est Evangelium, discurrens per totum mundum, & onus quod quasi grave refugiebat primum, postea sine labore trahit duplicatum.
V. eadem apud Bern. Epist. 72. Sic avicula quæ implumis est & sine alis, seipsam non B potest portare: pondere plumarum & alarum addito, advolat sine labore: sic & panis durus qui per se transire non potest, adjectione lactis vel alterius liquoris colabilis fit in gutture.

13. Amor ergo prius habuit conatum, & aliquem affectum; caritas effectum. Jam enim tanto levius operatur caritatis manus, quanto eam adjuvat illuminatus oculus. Primum quidem operamur per manum, deinde manu
Psal. 118. n tergimus oculum. unde dicit: *A mandatis tuis intellexi.* Jam enim incipit opera sua intelligere, & affectiones discernere: jam sic afficitur virtutibus, ut sicut Deo hoc est esse, quod bonum esse: sic jam justæ & sanctæ animæ non aliter sit esse quam sancte, & juste, & pie esse: sancte in C semetipsa, juste ad omnes, pie ad Deum. Ex augmento enim gratiæ Dei sic afficit justam animam justus affectus, ut jam in nulla sui parte, vel cogitatuum, vel affectuum, vel actuum sciat, vel possit esse nisi justa, in toto suo, in omni eo quod est justitiæ, plene & indissolubiliter affecta.
1. Cor. 13. c Unde dicit Apostolus: *Caritas numquam excidit.* Aliquando quidem titubat, vel deviat affectionis vel operis effectus, quamdiu in hac vita non potest videre caritas nisi ex parte & per speculum in ænigmate: sed integer tamen semper & solidus in sua virtute suus permanet affectus.

## CAPUT VI.

*Amorem conservari, etiam dum homo, quasi invitus, legi carnis & peccati servit.*

Affectus & affectionis discrimen. 14. Aliud quippe est affectus, aliud affectio. Affectus est qui generali quadam potentia & perpetua quadam virtute firma & stabili mentem possidet, quam per gratiam obtinuit. Affectiones vero sunt quas varias varius rerum & temporum affert eventus. Infirmitas enim carnis ex vitio primæ originis sæpe offendit, sæpe cadit, sæpe lædit graviter, & læditur mente interius dolente, & patiente potius quam agente quod perperam foris geritur; nec tamen caritatem perdente, sed ex caritate gemente &
Rom. 7. d clamante ad Deum: *Infelix ego homo, quis me liberabit de* E
Ibidem. *corpore mortis hujus?* Unde dicit Apostolus: *Ego*, inquit, *mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et rursum:
1. Johan. 3. b & 5. a *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* itaque quisquis ille est, sicut dicit beatus Johannes, secundum hoc quod natus est ex Deo, id est, secundum interioris hominis rationem, in tantum non peccat, in quantum peccatum quod corpus mortis foris operatur, odit potius quam approbat, semine spiritualis nativitatis, quo ex Deo natus est, eum interius conservante. Quod etsi
Homo justus quomodo non peccet. interim aliquando incursu peccati læditur & atteritur, radice tamen caritatis in altum defixa non perit: immo statim fœcundius & vivacius convalescit in spem boni fru-
1. Johan 3 b ctus, & surgit. Sic enim dicit beatus Johannes: *Omnis* F *enim qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Notanda vis verborum. *Non*, inquit, *peccatum facit*, quod patitur potius quam facit qui natus est ex Deo: & *non potest peccare*, perseverando scilicet in peccato; dum legi Dei, cui mente servit, etiam carnem festinat subigere, quæ tentatione & peccato incurrente, legi peccati vi-
Matt. 26. c debatur servire. Petrus cum peccavit, caritatem non ami-
* vide Notas. sit*: quia peccavit potius in veritatem, quam in caritatem, cum ejus se non esse mentitus est in ore, cujus totus erat in corde. Ideoque negationem falsitatis continuo lacrymis lavit veritas caritatis. Sic & David cum 2. Reg. 11. a
peccavit, caritatem non perdidit, sed obstupuit quodammodo in eo caritas ad vehementem tentationis ictum: & caritatis in eo nequaquam facta est abolitio, sed quasi quædam soporatio; quæ mox ut ad vocem arguentis Prophetæ evigilavit, continuo in illam ardentissimæ caritatis confessionem erupit: *Peccavi Domino.* & continuo 2. Reg. 12 e
audire meruit: *Dominus transtulit à te peccatum tuum, non morieris.*

15. Adhuc in laude caritatis, amor in fide est & spe; Caritas non potest esse sine fide & spe.
caritas in se ipsa est, & per seipsam. Potest etiam esse, ut fides & spes sint sine caritate: ut autem caritas fidem & spem in se non contineat, non potest esse. Fides enim quod amatur esse asserit, spes promittit. Amat igitur qui in fide & spe amat, sicut amari potest quod creditur tantum & speratur: caritas creditum & speratum jam habet, jam tenet, jam complectitur. Amor igitur fidei & spei Amor oculus.
Deum videre desiderat, quia amat: caritas quia videt, amat. Ipsa enim est oculus, quo videtur Deus. Habet enim anima etiam sensus suos, habet visum suum vel oculum, qui videt Deum. Sicut enim corpus habet suos quinque Animæ sensus.
sensus, quibus animæ conjungitur vita mediante: sic & anima suos quinque sensus habet, quibus Deo conjungitur, mediante caritate. Unde dicit Apostolus: *Nolite con-* Rom. 12 a
*formari huic sæculo, sed renovamini novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Hic ostenditur, quia per sensus corporis veterascimus, & huic sæculo conformamur: per sensum vero mentis renovamur in agnitionem Dei, in novitatem vitæ, Eph. 4. d
secundum voluntatem & beneplacitum Dei. Quinque enim sunt corporis sensus animales vel corporales, quibus anima corpus suum sensificat, (ut ab inferiori incipiam) tactus, gustus, odoratus, auditus, visus. Similiter quinque sunt sensus spirituales, quibus caritas vivificat animam, id est, amor carnalis parentum, amor socialis, amor naturalis, amor spiritualis, amor Dei. Per quinque sensus corporis, mediante vita, corpus animæ conjungitur: per quinque sensus spirituales, mediante caritate, D anima Deo consociatur. Quinque sensus corporales, totidem spirituales seu quinque Amores.

## CAPUT VII.

*Supradicti amores quinque sensibus comparantur.*

16. Tactui comparatur *amor parentum*: quia affectus Amor parentum comparatur Tactui.
iste promptus omnibus, & quodammodo grossus & palpabilis, sic se omnibus naturali quodam occursu præbet & ingerit, ut effugere eum non possis, etiam si velis. Tactus enim sensus est totus corporalis, qui ex quorumlibet corporum conjunctione conficitur: si tamen unum eorum, aut utrumque vivat, ut tactus esse possit. Sicut enim quoquo te verteris, corpus tuum non potest esse sine tactu: sic nec anima tua sine hoc affectu. Propter quod in Scripturis amor iste non multum commendatur; immo ne sit nimius coërcetur, dicente Domino: *Si quis* Luc. 14. f
*non odit patrem suum, aut matrem suam, non potest meus esse discipulus.*

17. Secundo gustui comparatur *amor socialis*, amor Amor socialis Gustui.
fraternus, amor sanctæ & catholicæ Ecclesiæ, de quo scriptum est: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare* Psal. 132. a
*fratres in unum.* Quia sicut per gustum vita administratur corporis; sic illi mandavit Dominus benedictionem & vitam*. Gustus etiam licet corporaliter exerceatur, saporem tamen introrsus generat, quo anima afficitur: * Addunt al. usque in sæculum.
propter quod corporalis quidem maxime hic sensus, sed tamen ex parte aliqua etiam animalis esse comprobatur. Sic & amor socialis, quia ex corporali cohabitatione in unum, ex similitudine professionum, ex parilitate studiorum, aliisque hujusmodi causis confœderatur, mutuisque officiis enutritur, maxime animalis esse videtur. Sed tamen ex magna parte & spiritualis est, quia sicut sapor est in gustu, sic affectus fraternæ caritatis flagrat* in af- * al. fragrat.
fectu, de quo scriptum est: *Sicut unguentum in capite,* Ibidem.
*quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus, sicut ros Hermon dit in montem Sion.*

Amor naturalis Odoratui.

18. Tertio odori comparatur *amor naturalis*, qui naturaliter ex ipsius naturæ similitudine & consortio absque omni spe recompensationis omnem hominem diligit: qui ex occultis naturæ recessibus veniens, & animæ se ingerens nihil humanum ab eo patitur esse alienum. Sensus autem iste magis animalis esse videtur quam corporalis, id est odoratus, qui ad creandum eum interius corpus nihil agit præter levem instrumenti sui, id est narium * attractum; & licet haustus per corpus, animam tamen afficit, non corpus. Sic & amor naturalis magis spiritualis esse videtur, quam animalis; quia præter solum connaturalis humanitatis respectum, non consanguinitas, non societas, nec aliqua omnino in eo necessitudo hujusmodi consideratur.

* *Crasso mendo legebatur* varium.

Amor inimicorum Auditui.

19. Quarto auditui comparatur *amor spiritualis*, amor inimicorum. Auditus enim nihil interius, id est intra corpus operatur, sed exterius quodammodo, id est ad aures pulsans, animam evocat ut exeat & audiat. Sic & amorem inimicorum in corde nulla vis naturæ, nullus alicujus necessitudinis suscitat affectus, sed sola obedientia, quæ per auditum significatur. Ideoque amor iste spiritualis dicitur. Ideo etiam quia ad Filii Dei similitudinem, & filiorum Dei proficit dignitatem, dicente Domino: *Benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est*, & reliqua.

*Matt.* 5.

Amor divinus Visui.

20. Quinto visui comparatur *amor divinus*. Visus enim principalis est sensus: sicut inter omnes affectiones principatum obtinet amor divinus. A visu oculorum ceteri sensus videre dicuntur, cum solus videat oculus. Dicimus enim, Tange & vide, gusta & vide, sicque de reliquis: sicque ab amore divino cetera dicuntur amari, quæ bene amantur: cum luce clarius constet nil debere amari, nisi propter Deum: nec amari rem quæ propter aliud quid amatur, sed id potius propter quod amatur. Unde est; *A quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur.* Visus vis quædam est animæ mera, & potens, & pura: sic & amor divinus potens est, quia magna operatur: sed est purus: quia, sicut ille ait *, nihil inquinatum in eum incurrit. Non enim dignatur Deus amari cum aliqua alia re, quæ propter ipsum non amatur. Visus item in eminenti corporis arce & insigni capitis loco positus, & secundum ipsius corporis formam infra habet, & ordine, & dignitate, & virtutis potentia omnia ceterorum sensuum instrumenta, ipsosque sensus, quos, ut ita dicam, animaliores, propinquiores; quos vero corporaliores, remotiores. Infimus enim omnium & ceteris ignobilior tactus, licet communis esse videatur totius corporis, tamen proprie manuum est. Sic mens quæ caput est animæ, & principale ipsius mentis, sedes esse debet amoris Dei, ut sub se habeat & regat, & illustret ceteros amores; nec sit in eis quod se abscondat à calore ejus, & lumine ejus: quos quidem spiritualiores, habens propinquiores; quos vero animaliores vel carnaliores, remotiores; cum dilexerimus Dominum nostrum ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra, & ex omnibus viribus nostris, & proximum nostrum sicut nos ipsos. Visus, ut diximus, in digniori corporis loco sedem habens, etiam super ipsam animalitatis virtutem aliquid moliri videtur: & mentis vel memoriæ, quantum fas est, gestit imitari virtutem, uno horæ momento medium cæli pervolans, in uno momenti puncto, plurima terrarum stadia transvolans: sic & illuminatus amor Dei, suam in anima Christiana sedem obtinens, ad quamdam divinæ potentiæ similitudinem eam provehit, dum omnem creaturam angustam & brevem, immo nullam videri facit ad comparationem Dei, dum confidit sua esse omnia quæ Patris sunt, dum omnia ei cooperantur in bonum, dum sive Paulus, sive Cephas, sive mors, sive vita, sive omnia quæ sunt, ejus sunt: *& fidelis viri totus mundus divitiarum est* *.

Videre ceteris sensibus tribuitur.

*Ephes.* 3. b

* S August. *in lib. Confess. & alibi.*

Visus dignitas.

*Rom.* 8. u

* Sententia hæc Ambrosio & Augustino frequentata tamquam sacra & è scriptura petita.

## CAPUT VIII.

*Ratione & amore fieri hominem ad omnia indifferentem & ad quævis ardua fortem ac intrepidum.*

Amor & ratio duo oculi ad videndum Deum.

21. Visus ergo ad videndum Deum naturale lumen animæ, ab auctore naturæ creatus, caritas est. Sunt autem duo oculi in hoc visu, ad lumen quod Deus est videndum naturali quadam intentione semper palpitantes, amor & ratio. Cum alter conatur sine altero, non tantum * proficit; cum invicem se adjuvant, multum possunt, scilicet cum unus oculus efficiuntur, de quo dicit sponsus in Canticis: *Vulnerasti cor meum, ô amica mea, in uno oculorum tuorum.* In hoc autem plurimum laborant suo unusquisque modo, quòd alter eorum, id est ratio, Deum videre non potest nisi in eo quod non est, amor autem non acquiescit requiescere nisi in eo quod est. Quid est enim quod ratio omni conatu suo possit apprehendere, vel invenire, de quo dicere audeat, hoc est Deus meus? In tantum enim solummodo potest invenire quid est, in quantum invenit quid non est. Habet etiam ratio suos quosdam tramites certos, & directas semitas quibus incedit: amor autem suo defectu plus proficit, sui ignorantia plus apprehendit. Ratio ergo per id quod non est, in id quod est videtur proficere: amor postponens quod non est, in eo quod est gaudet deficere. [Inde quippe processit; & naturaliter in suum spirat principium. Ratio majorem habet sobrietatem, amor beatitudinem. *] Cum tamen, ut dixi, invicem se adjuvant, & ratio docet amorem, & amor illuminat rationem; & ratio cedit in affectum amoris, & amor acquiescit cohiberi terminis rationis; magnum quid possunt. Sed quid est quod possunt? Sicut proficere proficiens in hoc, & hoc discere non potest, nisi experiendo, sic nec communicare potuit inexperto; quia sicut dicitur in Sapientia, *In gaudio ejus non miscebitur extraneus.*

* *al.* adeo

*Cant.* 4. c

Rationis & Amoris mutuum juvamen.

* *Hæc periodus in aliis infra transponitur.*

*Prov.* 14 b

Amor Dei extinguit affectum sæculi, & ad difficilia roborat.

22. Et hoc jam animam suavitate hactenus & deliciis amoris tenere enutritam, sed & nonnumquam paternæ pietatis disciplinis attritam: ex hoc jam, inquam, fortis ut mors dilectio pervadit dulci amoris gladio ab amore & affectu sæculi, sic occidens eam funditus & interimens, sicut mors interimit corpus: in tantum ut dici de ea possit, quod de Enoch, scilicet quod non invenitur in sæculi actibus, *quia transtulit eum Deus.* Sed corpus morte sua mortificatur ab omnibus sensibus suis: anima autem morte sua proficit magis, & vivificatur, & roboratur in suis; fortiter, & constanter & prudenter incedens jam in semitis suis, & omnibus gressibus; & quocumque hactenus ignorando, dubitando, & palpando vix audebat tendere pedem boni assensus. *Fortitudo enim simplicis, via Domini.* A sæculi ergo actibus, & affectibus se mortificat, sicut Paulus Apostolus: *Mihi*, inquit, *mundus crucifixus est, & ego mundo.* Cum enim alter non curaret de altero, cum suis ligati affectibus, ad se invicem non poterant, vel curabant accedere: sibi invicem crucifixi erant Paulus & mundus. Sed tamen, cum Pauli conversatio tota esset in cælis, non recusabat, quandocumque necessaria erat hominibus in terris. propter quod cum gemitu dicebat: *Cupio dissolvi & esse cum Christo. Multo enim melius.* Et ô quam melius est esse cum Christo! Esse enim Christum cum Paulo, sicut & ipse dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; sic, inquam, esse Christum cum Paulo, magna Pauli securitas: esse vero Paulum cum Christo, vel hic per contemplationem, vel ibi per beatitudinis præsentiam, beata & gloriosa Pauli felicitas. Caritas ergo Dei sursum eum attollebat: caritas vero proximi infra eum premebat, quasi à collo dependens. Unde sequitur & dicit: *Permanere autem in carne necessarium propter vos.*

*Gen.* 5. c
*Heb.* 11. a

*Prov.* 10. d

*Gal.* 6. d

*Philip.* 3. b

*Philip.* 1. c

*Matth* 28.
S Pauli Caritas.

*Philip.* 1 c

23. Affectus ergo caritatis Deo indissolubiliter inhærens, & de vultu ejus omnia judicia sua colligens, ut agat vel disponat exterius, sicut voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta dictat ei interius, dulce habet in vultum illum semper intendere: & sicut in libro vitæ, leges in eo sibi legere vivendi, & intelligere, illuminare fidem, roborare spem, suscitare caritatem. Jam enim & Spiritus scientiæ * evidenter sanctam docet animam, quid, quomodo sit faciendum: & Spiritus fortitudinis vires, vel virtutes subministrat faciendi; Spiritus consilii disponit. Et cum animæ illi vacat Deo inhærere, Deo efficitur similis per devotionis pietatem, & voluntatis unitatem. Cum vero ad homines & humana redire compellitur, à lege vultus Dei, & exhilaratam faciem

* *al.* Sanctus

Hominis caritate præditi mira ubique efficacia.

in oleo caritatis Dei, tam factis quàm dictis, & etiam glorificatione quadam & gratiâ exterioris hominis refert ad homines: ipso suo bonitatis quodam habitu, & gratiâ eam sibi exigit, vel efficit apud eos reverentiam, ut etiam in promptu habeat, in quo voluerit, eorum obedientiam. Nam etsi ex occulto illo ad vitia delinquentium, & corruptos mores errantium, aliquando exiens ex veritate & severitate judiciorum vultus Dei, quasi facies cornuta apparet & terribilis, ubi visa fuerit à corrigendis secundum insolubilem veritatis legem omnia agi & disponi in pondere, & mensura: ceditur* caritati; & ira illa caritatis intelligitur disciplina. Ideo rotæ in quibus est spiritus vitæ, semper eunt in voluntatem Domini perficiendam: nec revertuntur ad faciendam suam. Si jubentur præesse, præsunt in sollicitudine: si jubentur subesse, in humilitate: si aliquibus coesse, in caritate. Si prælati sunt, sunt sicut patres ad filios: si subjecti, ut filii ad patres suos: si convivententes, omnium servos se faciunt. Pius ad omnes affectus, dulcis in bono consensus: occursus in hilaritate, cohabitatio in gratia, discessus in ostensione caritatis. Ad minores, quovis modo, mitis affectio cum opere: ad patres amor usque ad subjectionem, ad majores reverentia usque ad servitutem. Non quæ sua sunt quærunt, sed quæ sunt omnium. [Si fieri potest in eis quæ sunt adversa, sua sæpe faciunt, quæ sunt omnium.*] Et ad hæc omnia, quodcumque lex illa summa ordinaverit, facile habent & membra corporis, & bonam voluntatem commodare, cum Spiritus-sancti arrham & pignus acceperint, servitutem istam creaturæ & membrorum suorum brevi transituram in adoptionem & revelationem filiorum Dei.

Exod. 34 d

Sap. 11. d

* al. creditur.

* Hoc al. deest.

## CAPUT IX.

*Cohabitationem hominum religiosorum, velut scholam quamdam amoris depingit.*

24. Sed veniamus ad eam quam dicit Apostolus societatem spiritus, & laudem disciplinæ; ad bonum illud & jucundum cohabitationis fraternæ in unum; ubi mandat Dominus benedictionem & vitam, de quo dicit Dominus: *Nolite timere pusillus grex, quoniam placuit Patri vestro dare vobis regnum.* Laus ergo hujus disciplinæ ab Apostolis sumpsit exordium, qui sicut à Domino didicerant, vel à Spiritu-sancto, cujus virtute nuper ex alto fuerant induti: modum convivendi sic sibi instituerunt, ut esset multitudinis cor unum, anima una, & omnia communia, & essent unanimiter semper in templo. Hanc apostolicæ institutionis formam quidam æmulantes, non habent domos, vel diverticula, nisi domum Dei, domum orationis. Omnia quæcumque faciunt, in nomine Domini faciunt, simul habitantes uno ordine, una lege viventes, nihil habentes proprium, nec ipsa corpora sua, nec voluntates in potestate sua habentes. Simul dormiunt, simul surgunt; simul orant, simul psallunt, simul & legunt. Fixum & immobile propositum eorum obedire præpositis suis, & subjacere eis. Ipsi vero pervigilantes pro eis quasi rationem reddituri pro animabus eorum, re ipsa ipsis prædicant, quod in Jeremia populo Israel Godolias legitur prædicasse: *Ego pro vobis respondebo Chaldæis qui veniunt ad vos. Vos autem colligite frumentum, vinum & oleum in vasis vestris, & habitate in urbibus vestris securi.* Risumque cordis sui, & gaudium Isaac quotidie Deo pro eis immolantes, filium liberæ, filium repromissionis; reservant & conservant Ismaël filium servitutis, cum propter eos fructum negligunt spiritus, & serviendo ipsorum saluti, actibus servitutis eorum omnes postponunt affectus profectuum suorum: ipsis vero perpetuum prædicantes sabbatum, à curis sæculi, à necessitatum anxietatibus reddunt alienos. Coactis enim in brevi necessitatibus ipsis, parvo vivitur. Vilitas in vestibus, sobrietas in victu, & ceteris omnia præfixæ legis terminata limitibus, ut nec plus habeat quis quàm licet habere, & sufficiat omnibus; nec plus habere libeat, si habent quod liceat habere.

Philipp. 2 a

Phil. 132. a

Luc. 12 d

Act. 4. f

Religiosæ vitæ idea seu delineatio.

Jerem. 40 c

Prælatorum officium.

25. Numquid non ista est non terrestris, sed cælestis paradisus? Sed in istâ paradiso solis Prælatis permittitur manducare assidue de ligno scientiæ boni & mali, id est, dispensationes* administrare discretionis: subditis vero, quorum est obedire, non discernere, si quis illud tetigerit, morte morietur. Omnes omni tempore student oris silentio, invicem cordis loquuntur affectu. Crebris eorum qui præsunt exhortationibus oleum additur camino, licet plus ipsi mutuo se excitent exemplo. Honore & obsequio invicem certatim se prævenient, secundum Apostolum, in provocatione se caritatis invicem provocantes, invicem suscipientes. Nullum inter se patiuntur esse solitarium, ne dicat ei Salomon: *Væ soli.* Solitarium eum deputant, qui in conscientia sua per confessionem non vult habere socium: vel qui novis & solitariis adinventionibus suis conturbat socie atem fratrum. Si quando res exigit, permittitur de rebus animæ vel corpori necessariis mite colloquium: sin autem, mitius ubique silentium. Ad studium orationis tanta & tam continua ubique devotio, ut locus orationis omnis, sicut locus divinæ dominationis: psalmorum tam pia, tam consona, tam fervens melodia; ut vitæ, & morum, & bonorum affectuum, non musicæ, sed caritatis regulis melos compositum quadam similitudine consonantiæ Deo repræsentare & sacrificare videantur. In communibus pietatis studiis, in quadam etiam vultuum, & corporum, & habituum gratia invicem, in seipsis bonitatis divinæ videntes præsentiam tantò se affectu complectuntur, ut, sicut Seraphim, in amorem Dei alter ardeat ex altero, nec ullo modo satis esse possit deferenti quodcumque alter deferat alteri.

* Locus hactenus corruptè lectus.

Heb. 10. c

Eccli. 4. c

Isa. 6. b

26. Hæc est specialis caritatis schola, hîc ejus studia excoluntur, disputationes agitantur, solutiones non ratiocinationibus tantum, quantum ratione & ipsa rerum veritate & experientia terminantur. Hîc qui in proficiendo lassus est, si residet ad sarcinas*, quas adhuc de suis & cohabitantium sarcinis, & necessitatibus secum trahit, nec morietur, nec retro regredi, nec ultra procedere lege compellitur: & si fideliter residens hic sarcinas custodierit; in triumpho victoriæ parum ei erit dissimilis, qui ulterius processerit. Nonne locus est sarcinarum, ubi patimur eos qui per potentiam nos opprimunt, quasi caput nostrum conculcantes, inimicos supra dorsum fabricantes; filios quasi in medio cordis amplexibus inhærentes*; foris pugnæ, intus timores; quotidiana immo continua omnium sollicitudo. Sed adhuc habet Idithum, quo transsiliat; adhuc grandis restat via ascendenti in montem Domini, & ad domum Dei Jacob. Ulterius tamen procedere fas non est cum sarcinis, sed & senectuti sua debetur reverentia. Ex hoc enim jam senectus incipit, sed venerabilis, non annorum, sed virtutum numero computata; spirans sapientiæ maturitatem & requiem laborum, quasi emeritæ militiæ præmium.

* Alludit ad locum 1. Reg. 30. ubi vult David, æquè esse partem descendentis ad prælium & remanentis ad sarcinas.

* al. male vulnerantes.

27. Suscipiens enim sapientia proficiendi iter perficiendum, caritatem quidem non abjicit, non deserit, sed provehit: sed tantum pertæsum habet, ut dictum est, sarcinas ejus portare, quæ aliis jam intendens rebus parare se, & aptare conatur ad intrandum in gaudium Domini sui. Odit ergo curas quascumque; & si quando aliquos suscipit labores, sed laborum non amat sollicitudines. Vires quidem non deficiunt ad portandum: sed refugit impedimentum. Excitans ergo in hoc proficiendi gradu Dominus, & provocans sanctam animam ad intrandum, ut dictum est, in gaudium suum: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua.*

Deut. 6. a

## CAPUT X.

*Gustum & saporem rerum divinarum nobis infundi per Christum.*

28. Quatuor in Deum à nobis & toti exiguntur affectus. In eo quod dicit, *Ex toto corde tuo*, totam sibi vindicat voluntatem: *in tota anima*, totum amorem: *in omnibus viribus*, virtutem designat caritatis: *in tota mente*, fruitionem sapientiæ. Primum enim ad Deum voluntas animam movet, amor promovet, caritas contemplatur,

sapientia fruitur. Sapientia vero digne in mente constituitur. Quæ cum ideo mens dicatur, quod meminit, vel eminet in anima; bene illi adscribitur virtuti, quæ super omnes eminent virtutes animæ. Est enim mens vis quædam animæ, qua inhæremus Deo & fruimur: fruitio autem hæc in sapore quodam divino est, unde & à sapore sapientia. Sapor autem iste in gustu quodam est. Gustum autem istum digne nemo potest exprimere, nisi qui meretur gustare: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Hoc gustu secundum Apostolum gustatur Dei verbum, gustantur etiam divitiæ sæculi venturi. Jam ergo de gustu isto, qui saporem habet illum, in quo sapientia sapit, subtilius inquirendum est. Primum dicendum, quia licet per gradus ad artem sapientiæ venerit qui ascendit; tamen nisi ubique in omni gradu usque ad ultimum, sapientia (sicut ipsa dicit in libro sui nominis) quærentes se quæsisset, & occurrisset in viis, ostendens se hilariter: nec voluntas movisset, nec amor promovisset; nec caritati contemplatio, nec sapientiæ provenisset fruitio. Itaque sicut cœperamus, prosequamur de gustu.

Psal. 33 b
Hebr. 6. a
Sapien. 6. c

Ecclesiæ membra seu sensus exponuntur.

29. Corpus Christi universa est Ecclesia, tam veteris quam novi Testamenti. In hujus corporis capite, id est prima & antiquiori & superiori parte, quæ est primitiva Ecclesia, quatuor sunt sensus, visus, auditus, odoratus, & tactus. *Oculi* sunt Angeli propter contemplationis subtilitatem: *Aures*, Patriarchæ propter obedientiæ virtutem: *Nares* vel odoratus, Prophetæ, propter absentium notitiam: *Tactus* vero communis est sensus. Omnes hi sensus ante Mediatoris adventum in capite erant, sed languebant inferiori corpore emortuo propter unius sensus absentiam, id est gustus, sine cujus adminiculo nec vivere corpus poterat, nec sensus vim suæ vivacitatis obtinere. Quicquid enim ad totius corporis spectat alimentum, cunctis sensibus, universo corpori appone, suppone, circumpone; si solus gustus deerit, quid proderit? Infunde auribus, intrude naribus, vel per quamvis aliam partem; obesse poterit, prodesse non poterit. Gustum autem quædam sequitur saporis dulcedo, quam in interiori suo sentiens anima, modo quodam singulari & ceteris sensibus incommunicabili, quæ suscipit, cuncta discernit, & dijudicat: seque omnesque sensus vegetat, & confirmat. Gustus ergo in capitis & corporis confinio, id est in gutture positus, velut utrumque connectens, eum designat qui per conditionem carnis paulominus est minoratus ab Angelis, & Moyse, & Elia ceterisque Patriarchis, & Prophetis. Per exhibitionem patientiæ & humilitatis minorem se quodammodo fecit, & humiliorem: cum illi potenti virtute, Dei & suos prosternerent inimicos; ipse vero suos doceret discipulos: *Si quis percusserit te in dexteram maxillam, præbe ei & alteram.*

Gustus attribuitur Christo.

Matth. 5. b
Luc. 6. f

30. Hic enim post Prophetas veniens & Patriarchas, limes quidam legis & gratiæ, capitis & corporis, per mysteria humanitatis suæ, & passionis, & resurrectionis, quæcumque in lege, & Prophetis, & psalmis, & hymnis salubria, quæcumque corpori vitalia vel utilia, quasi quoddam ipsius os degustans, id est intelligens, & per se intelligenda corpori trajiciens, homo Christus, interiori quodam divinitatis suæ sapore (quo sapientia nobis factus est sapientia Dei Christus) sapida ea habet; nobisque facit sapida vel utilia. In se enim vivens, & per se totum corpus vegetans & conformans, gaudium sibi, gaudium Angelis facit de consummatione corporis, gaudium Patriarchis & Prophetis de visione diei suæ, sicut ipse dicit: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit & gavisus est:* gaudium universo corpori & vitam; ita ut quodam mentis tripudio universali illo tactu spirituali vivificati & confirmati clamemus: *Quod vidimus & audivimus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Ideoque in omnibus orationibus nostris subjicimus, *Per Christum Dominum nostrum:* vel quia omnes orationes nostras & sacrificia ad Deum Patrem dirigimus per eum, sicut per mediatorem nostrum: vel quia quicquid speramus à Patre luminum, omne datum optimum, & omne donum perfectum, non per aurem, non per nares, sed per ipsum petimus infundi os nostrum, & gustum nostrum, & sapientiam

1. Cor. 1. d
Johan. 8. c
Johan. 1. a

Cur orationes Ecclesiæ concludantur *per Christum.*

Jac. 1. a

A nostram; ut sumenti possit esse proficuum.

31. Hic est gustus, quem in Christo facit nobis spiritus intellectus, intellectus scilicet Scripturarum & sacramentorum Dei. Unde cum post resurrectionem suam Dominus discipulis apparuit; *Tunc*, inquit Evangelista, *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* Cum enim Scripturarum interiorem sensum, & virtutem mysteriorum & sacramentorum Dei cœperimus non solum intelligere, sed etiam quadam, ut ita dicam, experientiæ manu palpare & tractare, (quod non fit nisi quodam conscientiæ sensu, & experientiæ disciplina intelligentis, B immo ut plus dicam, intus in semetipsa legentis, & sentientis bonitatem Dei, & virtutem quam potenti bonitate cum efficaci virtute in filiis gratiæ, opus ipsius gratiæ operatur:) tunc demum sapientia quod suum est exsequitur; tunc quos dignos judicat unctione sua, docet de omnibus: tunc apposito bonitatis Dei sigillo, omnia nostra pacata unctione illa & emollita imprimit & conformat: & si qua pura, si qua rigida invenerit, inculcat & infringit: donec lætitia salutaris Dei recepta, & sapientiæ spiritu principali confirmata sancta anima, læta ad Deum decantet, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Unde & Dominus, *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum-Christum.* Beata scientia, in C qua continetur vita æterna. Vita ista ex illo gustu est, quia gustare, hoc est intelligere. Ex hoc gustu per hunc saporem in hac sapientia minimus ille Apostolorum satiatus, exhilaratus, confirmatus, *Mihi*, inquit, *minimo omnium sanctorum data est hæc gratia, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit: ut innotescat principibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum in Christo Jesu Domino nostro, in quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus.* & post pauca, *Hujus*, inquit, *rei gratia flecto genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, D ut det nobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per Spiritum ejus in interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati & fundati, ut possitis comprehendere quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum.* Libet hic advertere, si forte in sensu apostolicæ sapientiæ aliquatenus penetrare possimus.

Luc. 24.
Psal. 4. b
Johan. 17.
Ephes. 3. b

## CAPUT XI.

*Quid Deo debeamus; & de necessitate Mediatoris.*

32. Contra quatuor Dei debemus duo. Quatuor sunt E in Deo potentia, sapientia, caritas, & veritas vel æternitas, quod unum est. Nihil enim vere est, nisi quod incommutabile est. Ad quæ duobus modis respondere nos convenit. Potentiæ quæ potest nos punire, & Sapientiæ, quam nil potest latere, debemus timorem verum, id est, quem non impedit torpor securitatis, vel refugium simulationis. Simulatio est vel quando fingimus laborem in præcepto, vel quando irrationabilem misericordiam simulamus in Deo. Caritati & veritati debemus amorem verum, id est, quem non impedit tepor affectionis, vel scrupulus suspicionis. Caritati enim quid debetur nisi caritas? Veritas vero caritatis, & caritas veritatis omnem removet scrupulum suspicionis. Suspicionem autem F dico, ne non amet caritas, ne decipiat veritas, ne defluat æternitas. Unde Paulus: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profunditas.* In sublimitate nota potentiam; in profundo sapientiam; in latitudine caritatem; in longitudine æternitatem, sive veritatem. Et hæc est crux Christi. Et alibi idem Apostolus exprimens evidentius summæ in nobis sapientiæ virtutem, *Propterea* inquit, *& ego audiens fidem vestram quæ est in Deum, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu-Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione*

Deo debemus amorem & timorem.

Eph. 3. b
Eph. 1. c

*agnitione ejus, illuminans oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus in sanctos, quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in sanctis, & quæ supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis.* A

33. Cum ergo orante Apostolo, & exaudiente Deo, datur nobis spiritus sapientiæ, & revelationis in agnitionem ejus, id est, ut agnoscamus eum, & sapiamus eum, vel sapiat ipse in nobis; cum illuminantur oculi nostri, ut videamus bonum, & bona boni intelligamus, ad quæ nos trahit spes vocationis ejus, scilicet divitias gloriæ æternitatis ejus in sanctis; in his omnibus nobis bonitas, vel benignitas apparet illuminantis, & vocantis: cum vero ut sequamur B vocantem, etiam virtus additur, per ipsam experientiam spiritus sapientiæ revelatur nobis, quæ, vel quam sit supereminens magnitudo veritatis ejus in nos. Ex hoc igitur, qui sic est, ex gustu divinæ contemplationis palato cordis sanato, omnia discernit, omnia dijudicat. In auctore omnium bonorum Christo, primum ei sapit sua ad Deum conversio, deinde peccatorum remissio; postmodum pro ira, cujus filii eramus, gratiarum multiplex augmentatio; & hæc omnia non nisi per Dominum nostrum Jesum-Christum. Ipse enim est mediator noster, & sapientia nostra, cujus quod stultum est, sapientius est hominibus.

1. Cor 1. c

Mediatoris necessitas.

34. Nam cum talibus bonitas Dei abundaret & offerretur omnibus, nec esset qui reciperet vel sciret recipere, C vel recipere doceret, nec qui illuc posset ascendere, ubi bona hæc distribuuntur, vel quod huc posset deferre: opus erat mediatore nos inter & Deum, per quem nostra appropinquarent Deo, & bona Dei nobis. Iniit ergo consilium tota Trinitas, consilium illud, de quo Propheta dicit: *Consilium tuum antiquum verum fiat.* Videbat quippe Dominus quantum ad hominem omnia confusa, omnia turbata: nihil stare in loco suo, nihil procedere ordine suo. Videbat hominem abiisse in regionem dissimilitudinis tam longe, ut per se nec sciret, nec posset redire. Angelus enim præsumpserat similitudinem Dei, dicens: *Ponam sedem meam ad aquilonem, & ero similis Altissimo.* Homo similiter Deus esse voluit, cui persuasum erat esse D *sicut dii.* Ergone, inquit, Deus Pater, Filius meus, splendor gloriæ meæ, & figura substantiæ meæ, in ipsa mei, similitudine tot æmulos habebit, & pares, & socios? Præcipitatus est uterque. Videns imago Dei Deus Filius Angelum & hominem, qui facti erant ad ipsam, id est imaginem Dei, per inordinatum imaginis & similitudinis ejus appetitum periisse: Heu, inquit, sola miseria caret invidia; sed subveniendum est ei, cui subvenire non prohibet justitia*. Exhibeo me igitur bonum hominem despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, ut zelet & imitetur in me humilitatem, per quam perveniat ad gloriam, ad quam præpropere festinat, ut possit audire à me: *Discite à me, quia mitis sum & humilis* E *corde, & invenietis requiem animabus vestris.*

Psal. 32. c secundum LXX.
Luc. 15 d
Isa. 14. c
Gen. 3. a
Heb. 1. a
* Similia habet Bern. serm. 1. de Adven. n. 4.
Isa. 53. a
Matt. 11. d

## CAPUT XII.

*Consilium & progressus humanæ redemptionis exponitur.*

35. Accingit ergo se quodam modo Dei Filius, & aggressus est per humilitatem recuperare eum, qui recuperari poterat, qui per superbiam perierat. Itaque inter Deum & hominem medium se faciens, qui recedens à Deo, captus & ligatus à diabolo erat, hoc modo boni mediatoris & personam induit & actum. Factus est homo: *Egressa est virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendit: & requievit super eum Spiritus Domini, spiritus* F *sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replevit eum spiritus timoris Domini.* Intelligite hic fortissimum scilicet agonothetam nostrum, quasi campum mundi ingressum inungi ad palæstram oleo Spiritus-sancti: & exultantem gigantem ad currendam viam dispensationis humanæ. Nota vero prophetam à superiori cœpisse, & descendisse ad inferiora: quia mediatoris annuntiabat descensum. Nos vero per easdem Spiritus-sancti gratias, ejusdem mediatoris Dei & processum operis, & ad superiora investigantes regressum, ab inferioribus, id est à timore incipimus. Christus ergo ad Patrem timorem habuit, sed justum, sed filialem, per quem in omnibus honori ejus detulit, dicens: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cælis est.* & in psalmo: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum,* & cetera multa in hunc modum. Per quem etiam & seipsum videbatur abjicere, humiliare, negligere, ut opus quod per eum fecerat Pater, sed perierat, reparatum & renovatum ei posset reconsignare.

Isa. 11. a
Enumeratio donorum cur fiat alio & alio ordine.
Psal. 18. b
Quomodo in Christo fuerint.
Johan. 4 d
Psal. 85.

36. Hoc igitur modo ad Patrem mediator noster habuit timorem quasi sursum; ad miserum vero reconciliandum pietatem, quasi deorsum; ad utrumque vero scientiam, sciens, quid cuique esset exhibendum. Sed ad implendum ministerium mediationis suæ cum Patris bonam haberet voluntatem desursum, à misero autem inferius jacente haberet nihil; & habere aliquid ratio & ordo mediationis requireret, exegit ab eo fidem. Exegit autem fidem, prærogando pietatem. Qua exactione nulla poterat esse validior: quia non fuerat difficile homini misero ei se credere, à quo se præventum videbat pietate. Sed & cum se ei credere non posset, in quo spem non haberet (Quis enim se ei crederet, in quo spem non haberet?) cum fide etiam spem obtulit, cum spe etiam addens timorem, sine quo spes esse non poterat; ne scilicet desereretur à tam pio mediatore. Accepto itaque mediator à reo suo tanto salutis pignore, ad Patrem regreditur, scilicet cum in montem solus ascendit orare, vel cum factus in agonia prolixius orabat cum sanguineo sudore: *Pater,* inquit, *clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* En quid tibi, en quid exhibeam illi. En quid à te habeo, en quid ab illo. Mediator quippe sum, & in salutem ejus jam videntur concurrere mediationis meæ rationes. Sed captus est & ligatus. Alligavit eum fortis: & nisi fortior eo supervenerit, non diripiet vasa ejus. Sed mitte manum tuam de alto, & eripiam eum de inimicis ejus fortissimis, in spiritu fortitudinis, fortitudo tua, & virtus tua. Scio enim quid faciam. Moriat innocens pro nocente, & plus poterit incomparabiliter bonitas mea, quàm hostilis malitia; pœna innocentiæ meæ, quàm pœna inobedientiæ humanæ.

Ab homine redimendo quid exegerit Christus.
Johan. 17 a

37. *Et clarificavi,* inquit Pater, *& clarificabo.* Jam fortissimo mediatore opus est spiritus consilii: quia si princeps mundi intelligeret, numquam Dominum gloriæ crucifigeret. Per omnia ergo virtutem ei divinitatis occultans, & solam ei carnis infirmitatem præferens, per justitiam vitæ suæ invidiam suscitavit hostilis nequitiæ: per infirmitatem suæ carnis spem illi contulit victoriæ, ad faciendam invidiam accedentibus miraculis, quibus reconciliandi sui fidem in se roborabat. Deceptus antiquus deceptor, pœnam peccati, mortem scilicet atrocissimam, ei inflixit, qui nulli peccato erat obnoxius. Occisus justus injuste pro justitia novam de inimico obtinuit justitiam, mortis scilicet injuste sibi illatæ. Quam quasi sibi non necessariam, quia absque peccato erat, ipse homini peccatori communicans, reum absolvit per pœnam innocentiæ suæ: positoque corpore suo & sanguine in manu ejus; Hoc, inquit, manduca, & bibe, hinc vive. Patrique eum repræsentans: En inquit, Pater, mei sanguinis pretium. Si de peccato hujus requiris; en pro eo meus sanguis. Domine Pater dedisti benignitatem, & terra corporis mei dedit fructum suum: jam justitia ante te ambulabit, & tu pones in via salvationis humanæ pedes tuos. Et ut juste jam salvetur qui juste perierat, tu, Domine, fecisti directiones, judicium & justitiam in Jacob tu fecisti.

Johan. 10. a
1. Cor. 2. b
Christus injuste passus, veram nobis justitiam contulit.

## CAPUT XIII.

*De vera sapientia amatorum seu filiorum Dei.*

38. De fructu ergo hujus operis satiatus homo, mediante sapientia Dei, non solum reconciliatur, sed etiam sapiens efficitur. Sapit enim ei quod manducat. Manducat & bibit Corpus & Sanguinem Redemptoris sui, manna cæleste, panem Angelorum, panem sapientiæ: & manducans transformatur in naturam cibi quem manducat. Corpus enim Christi manducare, nihil est aliud quàm Corpus Christi effici, & templum Spiritus-sancti. Templum autem hoc cum ornatum fuerit præscriptarum po-

Qualiter sanctis cedant prospera & adversa.

sitione virtutum, & supradicto dedicandi ordine dedicatum, nullos ulterius alienos titulos potest suscipere, nullum habitatorem, nisi Deum qui condidit illum & creavit. Nihil ergo ultra terrenum sancta illa anima, nihil materiale, nihil corruptibile diligit aut curat, ex quo regressa est à loco sarcinarum: & si aliquo horum aliquando quasi in transitu utitur, sed frui dedignatur. Si quid in hujusmodi prosperum evenerit, pertransit: non conturbatur, si quid adversi contigerit. Totum sapit quicquid capit; nec potest amanti nisi sapere, quicquid sicut salivam contigerit de Christi capite descendere. Quicquid ad corpus spectat, sive bonum, sive malum, foris est; nec potest pertingere ad eum qui intus est. Unde Apostolus in squalore corporis jacens & vinculis, & quantum ad corpus tribulatione coronatus & miseria, scribens discipulis, *Mittam*, inquit, *ad vos Timotheum, ut sciatis quæ circa me sunt.* Quæ circa me sunt, inquit, id est, in exteriori homine, in exteriori tunica carnis, quæ ad me, qui intus sum, non pertingunt.

Philipp. 2. c

1. Cor. 2. b
Sapientia sanctorum.

39. Hæc est sapientia, de qua dicit Apostolus: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* de qua sic nos loquimur, sicut qui audivimus & non vidimus: sicut loqueremur de aliqua civitate, quam non vidimus, sed plurima de ea audivimus; de qua qui vidisset longe aliter loqueretur, & expressius. Hæc autem sapientia oppositam sibi ex adverso aliam habet infausti nominis sapientiam (quam dicit Apostolus principum hujus mundi) sicut nigrum albo, sicut luci tenebras, de qua dicitur, *Sapientia vincit malitiam.* Malitia siquidem sapor est mali, unde & à sapore sapientia. Cum igitur sapit malum, & non deest astutia, vel voluntas ad exsequendum; sapientia principum hujus mundi per omnia supernæ sapientiæ est contraria. Hæc est enim malitia, quam odit sapientia. Siquidem ibi sapor boni est in seipso, hic sapor mali est in seipso: ibi ad exsequendum præsto est prudentia; hîc, ut dictum est, non deest astutia.

Sapientia principum hujus mundi.
Ibidem.
Sap. 7. d

Sapientia hujus sæculi.

40. Sed inter has duas quædam media est sapientia; quasi inter nigrum & album medio colore coloratum, quæ sive inferius, sive superius, sic se habet ad utramque partem, ut proveniat ei finis secundum intentionem & studium utentis. Sapientia ista est, quam dicit Apostolus *hujus mundi*, & quam mediam locavit inter sapientiam Dei, & sapientiam principum hujus mundi. Hæc circa utile & honestum tota versatur, & affectata quadam prudentia dispensatur. Hæc pæne tota est in scientia, videlicet ut sciat discernere prudenter, & dijudicare inter utile & inutile, inter honestum & inhonestum, etiamsi non sit vitæ & moribus accommodatum. Scientia enim inflat, caritas ædificat. Aut vero in hujusmodi exquirendis elaborant, ut tantum sciant quod tantummodo servit curiositati; aut ut videantur, sive sciantur scire, quod servit vanitati. Et hoc eorum studium tantum potest proficere, & in altum se extollere, quantum potest ratio sine amore.

1. Cor. 2. b
1. Cor. 8. a

## CAPUT XIV.

*Antithesis veræ & falsæ sapientiæ. Ubi de virtute & excellentia veræ sapientiæ.*

41. Siquidem hæc philosophia in scientiam rerum humanarum & divinarum dividitur. Quamdiu est in humanis; sic interim sibi est. Quando vero ad divina se exaltat, quanto altius ascendit, tanto inferius cadit & impletur in eo, *quia elevans allisisti me.* Eo siquidem aliquando conatu naturalis ingenii provehitur, ut, sicut dicit Apostolus, *quod notum est Dei*, id est quantum de Deo, ratio potest comprehendere, *notum sit illis*, ita ut in illis, id est intra semetipsos. Deus enim illis revelavit; quia sic eos creavit, ut in seipsis habeant, unde Deum cognoscant. Surgunt enim de ethica sua in quamdam physicam, *& invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciunt, sempiternam quoque ejus virtutem & divinitatem: ita ut sint inexcusabiles.* quia videlicet nolunt ulterius procedere vel proficere cum possint, in veram scilicet theologiam: *quia cum cognoverint Deum, non sicut Deum glorificant, aut gratias agunt: sed evanescunt in cogitationibus suis, & obscuratur insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et qui theologiam insipienter perdiderunt, etiam de physica miserabiliter cadunt, cum *gloriam mutant incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.* Propter quod nec in nostra ethica permanere permittuntur, *sed tradit illos Deus in desideria cordis ipsorum, in immunditiam, ut contumeliis efficiant corpora sua in semetipsis: tradit illos in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt.* Sed sapientia semper vincit malitiam: quæ contubernium habens Dei, novit semper proficere, & numquam deficere, & attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, sapienter se agens in divinis, caute in physicis, prudenter in moralibus.

Psal. 101. b
Rom. 1. e
Sap. 7. d
Ibidem. 8. a

42. Igitur sapiens anima, sicut supra dictum est, ab omnibus alienis affectibus defæcata, Deum tantummodo sapiens, hominem in homine exuit: Deoque plene & in omnibus affecta, omnem infra Deum creaturam non aliter quàm Deus attendit, in luce & virtute sapientiæ omnia disponens, & ordinans; sic agens, sic de eis judicans, sicut est, sicut vivit, faciens judicium & justitiam de eo unde est, & unde vivit. Est enim sapientia Dei, sicut ipsa dicit, *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis*, [& emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera, & vapor virtutis ejus. Ideo sapiens anima sicut candorem lucis æternæ intra se gerit, & speculum Dei majestatis*:] sic cum in creaturam se exponit, exprimit & exhibet imaginem bonitatis & justitiæ Dei: & sicut virtute Dei vaporatur interius, sic claritatis & caritatis Dei emanationem effundit exterius. unde & alibi dicit Salomon: *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* & alibi: *Oculi*, inquit, *sapientis in capite ejus.* quia non aliunde quàm de naturali & interna virtute cerebri sui, id est sapientiæ, exterius se effundunt, & à capite non recedunt. Dicit Salomon: *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.* O felices res humanas, si ubique sapientibus servirent insipientes. Sed & felices res humanas, dicit quidam Philosophus*, si aut soli sapientes regnarent, aut philosopharentur omnes qui regnant. Sed cum sapienter fugiunt sapientes super insipientes regnare, etiam insipienter fugiunt insipientes sub sapientibus esse: omnia desipiunt, omnia confunduntur, & turbantur. Sapientes latent & delitescunt, pueri regnant & principantur: & fiunt principes qui mane comedunt, & væ terræ illi. Sed ad propositum redeamus.

Sap 7. d
* al. deest.
Eccli 8. a
Eccli. 2. c
Sap. 6 d
* Plato.
Eccl. 10. c

43. Anima igitur spiritu sapientiæ illustrata, quia diligit justitiam & odit iniquitatem, & propterea unxit eam Deus oleo lætitiæ, quo unctus est Christus præ participibus suis, & quam perfudit gratia; omnibus placet, & ab omnibus amatur. Ipsi etiam qui ex adverso sunt, videntes hujusmodi, timent & reverentur. Et si bonum in bono non vult imitari indurata nequitia; dissimulare tamen non potest natura. Inter se autem habent sapientes quamdam privatam gratiam, & quamdam linguam angelicam, qua inter se loquuntur mutuis affectionibus, spirituali quadam gratia, communicantibus in hoc ipsum exterioribus aspectibus: quam linguam nullus novit, nisi Rex Angelorum, & Angeli ejus, & qui sunt in genere Israël, & cives Jerusalem. Nullus eam novit Ægyptius, nullus Chananæus. Sicut enim in sanctitate vitæ & hominis interioris glorificatione, & contemplatione, & fruitione divinitatis jam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur, & initiari; sic etiam de corporum suorum glorificatione, quam plene ibi percepturi sunt, in hac vita nonnihil percipiunt. Excepta etiam illa gratia de qua diximus, qua habitantes in unum seipsis in Deo & Deo in seipsis fruuntur, ipsius carnis sic sentiunt evanuisse* omnes contradictiones, ut universa substantia carnis non sit eis nisi instrumentum boni operis. Nam etsi ipsius miseriis & infirmitatibus contabescunt, sed ex hoc ipso interiori homine fortius convalescunt: *Quando enim infirmor, tunc fortior sum, & potens*, dicit Apostolus. Sensus ipsi novam quamdam percipiunt, & prope spiritualem gratiam: oculi simplices, & aures temperantes. Aliquando in fervore orationis, tanta odoris ignoti cujusdam spirat fragrantia; tanta gustus etiam non gustan-

Psal. 44 b
Virtus etia[m] inimicis ve[ne]rabilis.
Lingua Just[o]rum inter [se].
* al. male convenisse.
Corpus perfectorum qualiter affectum.
2. Cor. 12. c

do suavitas, tantum per mutuum tactum spiritualis caritatis incentivum*, ut videantur sibi intra seipsos spiritualis cujusdam voluptatis gerere paradisum. Vultus etiam & totius corporis compositione, vitæ & morum & actuum decore, mutuæ etiam servitutis vel devotis exhibitionibus, vel piis susceptionibus, sic cujusdam gratiæ beneplacito sibi invicem conveniunt, & counientur, ut vere sint cor unum, & anima una. Nimirum futuram corporum suorum gloriam jam hîc initiant, ex puritate conscientiæ, & mutuæ conversationis gratia, perfecte eam habituri in futura & perenni vita.

* al. mendosè patenti sunt.

## CAPUT XV.

*De felici consummatione sapientiæ usque ad assecutionem beati finis, & summi boni.*

44. Sicut enim nunc viventia omnia solis claritate perfunduntur, & ab invicem perfundi videntur, & sicut nos invicem hic vivere videmus, [ nec tamen vitam qua vivimus, videmus: ] sic in illa vita videbitur Deus à singulis in omnibus, & ab omnibus in singulis: non quod corporalibus oculis videatur divinitas, sed præsentiam divinitatis glorificatio corporum demonstrabit manifesta quadam sui gratia. Ad hoc etiam in hac vita corporalium sacramentorum valet religio; quia cum vix aliquid nisi corpora & corporalia intelligamus, quamdiu in imagine pertransimus, corporalibus religamur sacramentis, ne à Deo recedamus: unde etiam à religando religio dicitur. Cum vero fidelis anima talibus erudita, talibus incipiet non indigere, & à corporalibus transire ad spiritualia, à spiritualibus ad spiritualium & corporalium conditorem, hoc vere erit exire à sarcinis. Relicto ergo corpore & corporeis omnibus curis & impedimentis, omnium quæ sunt præter Deum obliviscitur, nihilque præter Deum attendens, quasi se solam solumque Deum existimans: *Dilectus*, inquit, *meus mihi, & ego illi. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum; Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Deinde venitur ad mortem. Hunc enim transitum ad vitam miseri infideles mortem appellant, fideles autem quid nisi pascha? In morte igitur corporali perfecte moritur mundo, ut perfecte vivat Deo: ingreditur locum tabernaculi admirabilis, ingreditur, usque ad domum Dei: & omnibus bene & secundum ordinem præcedentibus, sicut in principio diximus, pondus suum unumquodque defert in locum suum, corpus in terram, de qua assumptum est, tempore suo ressuscitandum & glorificandum; spiritum ad Deum qui creavit eum.

[ deest aliis. — Cur Sacramenta. — Religio à religando. — Cant. 2. d — Psal. 72. c — Mors Pascha est. — Psal. 41. a]

45. Sed quando fit iste transitus ad Deum disruptis omnibus obligamentis, superatisque omnibus impedimentis, perfecta beatitudine, perenni dilectione; ex hoc jam perfecte Deo inhæret, vel potius unitur vere sancta anima in terra, ut efficiatur una ex illis, quibus dixit: *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes.* Hic est finis eorum qui proponunt Jerusalem in principio lætitiæ suæ; quos unctio sancti Spiritus docet de omnibus; qui ascensiones in corde suo sapienter disponunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion: Deus deorum, beatitudo beatorum, gaudium bene gaudentium; unum denique bonum, summum omnium bonorum. A fine boni propositi, in principio ascensionis, usque ad finem omnis consummationis, *Sapientia attingit fortiter*, fortitudinem ascendentis ad se custodiens, ne in ascensu deficiat: *suaviter disponens omnia*, & adversa, & prospera, omnia ei in bonum modificans & componens; donec animam ad principium suum reducat, & abscondat in abscondito faciei Dei. Scire autem debet omnis sapiens ascensor, non sic esse gradus hujus ascensionis, quomodo gradus scalæ, ut singuli affectus isti suis tantum temporibus, & non alio tempore sint necessarii. Habet quippe unusquisque affectus in ascensus ordine tempus & locum suum, quo cooperantibus aliis affectibus suas valeat partes sollicitius exsequi: sed omnes tamen sibi concurrunt & cooperantur, & præveniunt, & sequuntur; & sæpe fiunt primi novissimi, & novissimi primi.

[Psal. 81. b — Psal. 136. b — Psal. 83. b — Sapiens seu justus quo modò dispo nat affectus, &c. — Matth. 20. b]

# ADMONITIO

## IN SEQUENTEM COMMENTATIONEM.

*Sequens expositio in priora duo capita Cantici canticorum ex codice Dunensi à nobis vulgata est in superiori editione, & Bernardi in Cantica sermonibus subjuncta tamquam genuinus ejus fetus, quem Guillelmus S. Theoderici Abbas designaverit in lib.* 1. *de ejus vita cap. XII. his verbis* Itaque tunc disseruit mihi de Cantico canticorum, quantum tempus illud infirmitatis meæ mihi permisit, moraliter tantum, intermissis mysteriis Scripturæ illius, quia sic volebam, & sic petieram ab eo: singulisque diebus quæcumque super hoc audiebam, ne mihi effugerent, scripto alligabam, in quantum mihi Deus donabat & memoria juvabat. *Quibus verbis ipsammet expositionem indicari tunc nobis visum est. Verum re attentius expensa, nihil aliud esse existimamus, quam breve compendium priorum LI. Bernardi sermonum in Cantica, à quodam homine studioso & pio concinnatum. Quam vero designat Guillelmus, ipsa esse videtur quæ sub ejus nomine edita est in tomo IV. Bibliothecæ Cisterciensis: ubi attendenda sunt Præfationis hæc verba:* Non autem profundiora illa mysteria, quæ in eo continentur, attentamus de Christo & Ecclesia; sed cohibentes nos intra nos..... sensum tantummodo moralem aliquem perstringimus. *Quæ verba recte præmissis ex vita Bernardi conveniunt, cum ait Guillelmus se à Bernardo expositionem in Cantica petiisse* moraliter tantum intermissis mysteriis Scripturæ illius. *Hæc ratio nos movit, ut sequentem expositionem inter Collectanea ex Bernardi operibus facta referremus, & quidem post superiores duos Guillelmi Libros, quibus subjicitur sub nomine Sancti Bernardi in codice Dunensi: cui Guillelmo si quis etiam sequentem commentationem tribuere velit, non repugnabimus maxime cum stilus ejus satis ad Guillelmi stilum accedat.*

# IN CANTICI CANTIC. PRIORA DUO CAPITA

# BREVIS COMMENTATIO

## EX S. BERNARDI SERMONIBUS CONTEXTA,

*Ubi de triplici statu amoris.*

Triplicis amoris officia.

1.  Res sunt status amoris Dei in anima Christiana. Primus sensualis vel animalis; secundus rationalis; tertius spiritualis vel intellectualis. De quibus Dominus in Evangelio: [Matth. 22. d] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Primus significatur *in corde*, id est in particula infirmæ carnis, propter pium circa humanitatem Salvatoris affectum: secundus *in anima*, quo jam primus ille amor animatur & vivificatur; cum jam mysteria fidei & sacramentorum virtutem humili pietate scrutatur: tertius *in omnibus viribus*; quia in hoc gradu, quantumcumque profeceris, [Ps. 76. b] dicere poteris; *Et dixi, nunc cœpi.* Primus adeo delectatur in contemplatione & dulcedine humanitatis Christi, [Johan. 16. a] ut merito eis dicat Christus: *Expedit vobis, ut ego vadam.* Secundus cor jam habet ardens, sed oculi ejus adhuc tenentur, cum ei loquitur Christus, sed in via, & aperit ei scripturas. Tertius jam tota fiducia dicit: [2. Cor. 5. c] *Etsi novimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* quod nequaquam primus, & vix potest dicere secundus. Quod enim Apostoli in corporali Domini præsentia passi sunt, hoc isti patiuntur in quadam pia mentis suæ phantasia de humanitatis Christi dulcissima memoria, & conversationis & operum ejus, & passionis & resurrectionis & ascensionis ejus, & bonorum nobis per hæc collatorum, eum amoris affectum induentes, quo Petrus tenere & sicut homo hominem Deum amans, [Mat 16. d] suggerebat ei passionis suæ seriem prædicenti: *Absit à te Domine, propitius esto tibi, non fiet istud.* Tertius autem gradus totus extra hominem, supra hominem; totus in Deo, Deum propter Deum, justum diligit propter justum, & bonum propter bonum; non quia bonum nobis, sed quia bonum in se: sic affectus à Deo & bono & justo, ut malit non esse, quàm bonus & justus in [Cant. 8. b] Deo non esse. Hæc est fortis ut mors dilectio: hæc est virtus induens Apostolos ex alto. Unus enim spiritus effecta cum Deo sancta anima, non magis potest pati, ut vel ad modicum declinet à justitia, quam ipsa justitia pati potest, ut desinat esse justitia.

2. Inter hunc vero persummum & inferiorem illum statum positus status rationalis, inferiorem quidem regit & illuminat, superiorem vero aliquando attentans manu pii desiderii, mox ad se refugit, & sicut David percutit cor suum, quia in Christum Domini manum [Heb 12. c] mittere præsumpsit. *Si enim bestia tetigerit montem, lapidabitur*; & cùm fit vox super firmamentum, quod imminet capiti animalium, stant nec procedunt, & submittunt alas conatuum suorum. [Quales rationes in triplici gradu.] Nihil enim ibi agit rationalis disciplina, ubi totum constat ex amoris & intellectus & affectus experientia. Status enim iste quasi quoddam firmamentum est cæli, in quo habitat Deus, nec ratione inferiore fulcitur: sed tamen ipse nonnumquam sui generis sibi creat rationes, quibus de abscondito faciei Dei ad suos illos quodammodo socios inferiores regrediens, lumine illos supernæ claritatis restringit. Sed sicut dicitur in Apocalypsi: [Apoc. 8. a] *Factum est silentium in cælo, quasi dimidia hora*; sic & illos momentanea quadam consolatione lætificans, dicere videtur eis: [1. Cor. 9. d] *Currite ut comprehendatis.* Sed nonnisi dies diei eructat verbum hoc. Sunt autem rationes istæ non ratiocinantium perplexionibus involutæ, sed de mera & simplici veritate meræ & simplices, lætæ de oleo lætitiæ Dei, melleæ de melle cæli, inventorem suum non scientia inflantes, sed caritate ædificantes; pauperibus spiritu perfaciles, alta sapientibus incomprehensibiles; tam efficaces, ut videatur dictum de eis: [1. Cor.] *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*; tam solidæ in se & nullius extrinseci egentes, ut dictum de eis intelligatur: [Psal 18] *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.* [Hi gradus inter se communicant.] Sed & omnes tres isti amores, vel amoris status, sæpe sibi concurrunt & cooperantur, & mutua quadam & amica liberalitate, de quibus singuli abundant, invicem dant & accipiunt: quia & supremus in deliciis inferioris sæpe delectatur & jocundatur, & inferior nonnumquam superioris gaudio perfunditur & afficitur, medio alternatim inter utrumque discurrente, & utrique congaudente.

3. Sed libet adhuc contemplari subtilius divitias, quibus utrique abundant. [Triplicis amoris discrimina officia] Primus est contra tentationes, secundus contra hæreses, tertius cantat; [Psal. 4.] *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* In primo remissio peccatorum & emundatio vitiorum, in secundo exercitium virtutum, in tertio virtutum perfectio, & summi boni adhæsio vel fruitio. In primo usus sacramentorum, in secundo mysteriorum, in tertio res sacramentorum vel mysteriorum. Primus in Maria peccatrice humilis, in Petro fervens, in Johanne pius & dulcis. Secundus dormit à sæcularibus, vigilat in spiritualibus, languet cùm deficit in salutare Dei anima ejus, videns & non pervidens, & ad pervidendum amore & desiderio languens. Tertius audit verba ineffabilia, silentium, pacem scilicet illam Dei, *quæ exsuperat omnem sensum.* [Philip.] Primus oves suas, id est infirmos sensualitatis affectus, minans ad interiora deserti, id est ad interiores contemplationis recessus, & considerans rubum qui ardebat & non comburebatur, id est mysteria incarnationis Domini, volensque propius accedere per intellectum, audit à Domino: [Exod. 3.] *Ne appropies huc, sed solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Secundus ascendit in montem, auditque à Domino: [Deut. 5.] *Tu vero sta hic mecum, & docebo te leges ac mandata quæ proponas filiis Israel*; videtque exemplar tabernaculi æterni quod fecit Deus & non homo, auditque à Domino: [Exod. 25] *Vide ut omnia facias secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* Tertius in monte sepelitur à Domino, id est absconditur in abscondito faciei ejus, & non novit homo, id est humana sapientia, sepulcrum ejus usque in hunc diem. [Psal. 41] Primus audit ab hominibus, & dicitur ei quotidie, Ubi est Deus tuus? Secundus recordatur, & effundit in se animam suam: tertius transit in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Primus servit fidei, secundus spei, tertius caritati: & sicut fides Deo nos generat, spes nutrit, caritas consummat; sic primus status in nobis humanum affectum Deo dedicat; secundus *exuit veterem hominem cum actibus suis, & induit novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*; [Eph. 4.] tertius consummat, Deoque conformat & mentis puritate, & vitæ sanctitate. Sive enim propheriæ, sive linguæ, sive fides, sive spes ceteraque omnia charismata cessabunt: caritas autem numquam excidit. Interdum autem superior ille status

Tertius quomodo aliis communicat. quasi vicem rependens pædagogis & tutoribus & actoribus suis, quemdam eis divinum affectum vel plusquam humanum nonnumquam infundit, ut miro & incognito modo sæpe mirentur se rapi supra se, & eo eos deducit & enutrit, ut oratio illa Domini compleatur in eis: *Pater, volo ut sicut ego & tu unum sumus, ita ipsi in nobis unum sint.* Johan. 17. d

4. Secundum hos tres status in Cantico canticorum modo adolescentulæ, modo sodales, modo sponsus & sponsa loquuntur suo unusquisque modo. Sponsa igitur de sponso: *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui.* Sed sunt linguæ Angelorum, sunt & linguæ hominum. Lingua igitur hominum, id est, consueto hominibus modo: scilicet quasi quibusdam parabolis, Spiritus-sanctus sua hominibus manifestat secreta, quorum infirmitas aliter intelligere ea non poterit. Unde & Dominus in parabolis loquebatur. Quinimmo & ipse Deus ideo homo pro omnibus factus est, ut qui Deum cogitare non noverant, per eum quem noverant, scilicet hominem, ad cogitandum & intelligendum Deum paulatim edocti ab ipso, rationabilem mentis intelligentiam erigerent. Propter hoc non solum in parabolis loquebatur hominibus, sed tota ejus conversatio in terris quasi quædam insignis erat eis parabola, ut per visibilia ejus invisibilia ejus intellecta conspicerentur. In omni enim carnali affectione nihil dulcius, nihil solet esse desiderabilius conjunctione sponsæ ad sponsum; in spirituali vero creati spiritus ad increatum. Ibi enim de duabus una caro; hic autem de duobus unus spiritus efficitur. Unde ducta similitudine de carnalibus ad spiritualia, de humanis ad divina, describitur hic sponsus & sponsa, Christus & Ecclesia vel qualibet sancta anima, quæ aliquatenus jam experta duos primos amoris gradus, jam anhelat ad tertium, & totam se super se effundere gestit in sponsi amorem & dulcedinem, & jam amplexum amoris ejus & osculum notitiæ ejus desiderans: *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui.* Osculum signum est pacis. Et si *peccata nostra*, ut scriptura dicit, *separant inter nos & Deum*, cum pro his satisfacimus ut reconciliemur, quasi pacis requirimus osculum.

Cant. 1. a

Finis parabolarum.

Item incarnationis.

Conversatio Christi, insignis parabola.

Triplex osculum.

5. Nam secundum tres status amoris, tria sunt etiam oscula amantis. Primum propitiatorium vel reconciliatorium, secundum promeritorium, tertium contemplatorium. Primum ad pedes, secundum ad manum, tertium ad os. Primum cum sordens in pulvere pœnitentiæ osculando duos pedes Domini, cum peccatrice indulgentiam percipit peccatorum. Duo autem pedes Domini sunt misericordia & judicium, quibus totum mundum perambulat, & ambulat super undas maris. His circuit jugiter & perambulat spiritales mentes, *exultans ut gigas ad currendam viam*; si tamen tales sint de quibus merito dicat: *Et habitabo in illis, & deambulabo in eis.* Hos pedes osculatur qui coaptando se eis, misericordiam & judicium cantat Domino. Deinde surgitur ad manum, ut secundum ei osculum offeratur, cum jam fidelis anima in novitate vitæ ambulans, de humilitate pœnitentis ad manum surgit largientis, gratias jam agens pro perceptione affectuum & effectuum bonorum operum, quæ per manum designantur. Nec enim in claritate bonorum suorum suam manum osculatur, quæ, sicut dicit Job, est maxima iniquitas, & negatio contra Deum altissimum: sed osculatur manum largientis, cujus gratiæ totum quod est adscribit cum dulci gratiarum actione, quæ signatur per osculum. Tertium est osculum contemplationis, seu contemplatorium, quo sponsa jam duobus primis exhilarata, & fiducia collecta, desiderat insigniri, & sponso jam per notitiam & amorem conjungi, & secretorum ejus aliquatenus esse conscia. Hoc osculum oris sui est, & longe dissimile à superioribus osculis. *Osculetur*, inquit, *me osculo oris sui.* Videndum est quale sit istud osculum, quale os illud suum: qualia labia illud imprimentis, qualia suscipientis.

Primum.

Psal. 18. b
2. Cor. 6. d

Secundum.

Job. 31. c

Tertium.

Processio & distinctio Filii à Patre in divinis.

6. In Deo non est aliud esse, & sapere: nec habet Pater sapere à Filio, ne habere videatur & esse, quod absurdum esset. Habet igitur Pater à seipso & esse, & sapere; & si est Filio esse à Patre, est & sapere. Habet igitur Filius à Patre & esse & sapere, sicque plenæ sunt subsistentiæ, quas Græci dicunt hypostases: nec fulcitur alter ab altero ut subsistat, vel sit quod est per alterutrum: sed sunt, sicut diximus, vel secundum Græcos, plenæ per se subsistentes hypostases, vel secundum Latinos personæ vel per se sonantes, licet una sit & perfecta Trinitas Deus. Nullum autem conturbent, nulli caliginem obducant nomina substantiæ, vel subsistentiæ, vel personæ, quæ sunt nomina nostræ paupertatis, divinitatis essentiam non exprimentia, sed ex defectu suo incomprehensibilitati ejus testimonium perhibentia. Nomen enim subsistentiarum exprimere conatur proprietatem personarum, nomen vero substantiæ simplicitatem & unitatem summæ illius essentiæ. Et est quædam conversio à Patre ad Filium, & à Filio ad Patrem: sed prima est Patris ad Filium, quia Filius à Patre est, non Pater à Filio. Prima autem non tempore, sed quadam quasi relatione, sicut Pater ad Filium: è conversio autem ista est in osculo & amplexu. Osculum est mutua de se cognitio, amplexus est mutua dilectio. Unde dicit Filius in Evangelio: *Nemo novit Patrem nisi Filius, & nemo novit Filium nisi Pater.* Osculum igitur Patris & Filii & amplexus, est Spiritus-sanctus ab utroque procedens, amor Patris ad Filium, & amor Filii ad Patrem, de quo etiam subditur; *Et cui voluerit Filius revelare.* Voluntas quippe ista, ipse est Spiritus-sanctus, voluntas Patris & Filii, qui ipsam Patris & Filii nobis revelat unitatem, unus cum Patre & Filio Deus exsistens. Proprium quippe est Patris revelare Filium, sicut in Evangelio: *Non*, inquit Filius, *caro & sanguis tibi revelavit, sed Pater meus qui in cælis est.* Debitum Filii glorificare Patrem, ut ibi: *Glorifico*, inquit, *Patrem meum qui est in cælis.* Officium Spiritus-sancti revelare utrumque, sicut dicit Apostolus: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se; nobis autem revelavit per Spiritum-sanctum.* Cui igitur Filius per Spiritum revelat, non dicendus est osculari ore suo Deus, sed osculo oris sui. Non enim os tangimus, sed osculo tangimur. Osculo tangimur, cum amore & cognitio nobis infunditur. Non os tangimus, id est mutuum illum intellectum: non os tangimus, quia ut dictum est, *Nemo novit Filium nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi Filius*: sed osculo tangimur, *cui voluerit Filius revelare.* Non os tangimus, quia nec oculus vidit, nec auris audivit: Osculo tangimur quia nobis revelavit Deus per Spiritum-sanctum. cui enim revelat, nonnisi per Spiritum-sanctum. Ipse est itaque osculum: ipsum tangit nos, cum se gemina nobis gratia infundit, id est cognitione & amore veritatis. Et hæc sunt non ipsa labia Dei, sed vestigium labiorum, immo (si dici fas est) labii: quod enim in nobis duplum est, in Deo est simplum, cui idem est nosse quod amare. Hoc autem vestigium imprimitur in osculo sancto duobus labiis sponsæ, voluntati scilicet & rationi; amor voluntati, notitia rationi. Quæ tamen duo, notitia scilicet & amor, quia (ut diximus) in Deo unum sunt, pulcra oris singularitate exprimuntur, ubi dicitur: *Osculetur me osculo oris sui.* Vel osculetur me Filius eo osculo quo osculatur os suum, id est Patrem, qui ideo dicitur os ejus, quia Verbum Patris est Filius. Et in Sapientia: *Ego*, inquit, *ex ore Altissimi prodii.* Vel *osculetur me* Deus Pater *osculo oris sui*, id est Filii vel Verbi sui. Verbum quippe ex ore procedit, & est figurata locutio: id est infundat mihi eam locutionem, qua novit Pater Filium, & Filius Patrem. Vel ipse Pater *osculetur me osculo oris sui*, id est mittat in cor meum Spiritum Filii sui, ut diligamus Filium, sicut ipse diligit. Sed quare *Osculetur*, & non Osculare? Sponsa enim & sponsus carnalis mutua quadam se solent prævenire reverentia. Unde & ista quasi Rebecca ad occursum novi sponsi quasi quodam verecundiæ pallio faciem operta, non imperativo modo, sed desiderativo vel optativo modo: Utinam, inquit, tandem aliquando *osculetur me osculo oris sui.*

Quid osculum & amplexus in divinis.
Matt. 11. c

Matt. 16. c

Johan. 8. f

1. Cor. 2. c

Quid in spiritualibus.

Eccli. 24. a

Hebr. 1. a

7. Est & aliud osculum, quod multifariam, multisque modis olim loquens Patribus in Prophetis, Ecclesiæ

suæ promiserat, & novissime diebus istis locutus est nobis A in Filio. Quod enim dicitur, locutus est nobis in Filio, ipsum est osculum. Conjunctio enim Verbi & audientis, divinitatis & humanitatis, quasi quoddam osculum est caritatis. Quod prævidens Isaias in spiritu, *Egredietur*, inquit, *virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis & replebit eum spiritus timoris Domini.* Hæc sunt septem dona, vel septem charismata sancti Spiritus, quæ specialiter in Domino Jesu enituerunt, sicut specialiter super eum requievit Spiritus-sanctus. In timore enim humilitas designatur, in pietate misericordia, in scientia terrenorum notitia, in fortitudine pa- B tientia, in consilio utilitas, in intellectu divinitatis conjunctio, in sapientia potestatis moderatio. Per quinque superiora coaptavit se homini Christus in assumpta hominis substantia: per duo ultima unita semper fuit divinitati Christi persona. Nam sicut medicus bonus ad ægrum se humiliter inclinavit, misericorditer vulnera tractavit, noto sibi figmento prospexit, patienter insanum sustinuit, utilia cuique morbo apposuit, unum cum Patre indivisibiliter manens, singulariter in ipsa hominis veritate Deum intellexit, quia *nemo novit Patrem nisi Filius*; per illam quæ ipse est, sapientiam Patris, à fine usque ad finem fortiter attingens, moderate ac suaviter omnia disposuit. Hæc igitur conjunctio divinæ & humanæ C naturæ quoddam est osculum, sponsi & sponsæ. quod desiderans Ecclesia, *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*. Sunt & alia tria oscula, quibus sponsa sponso conjungitur, scilicet osculum naturæ, osculum doctrinæ, osculum gratiæ: de quibus jam, quia de osculis multa dicta sunt, legentium meditationi relinquitur.

*Isa. 11. a*

*Qualiter 7. dona Spiritus sancti fuerint in Christo.*

*Quomodo iis usus est erga nos.*

*Matt. 11. a*

*Tria illa oscula.*

8. *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Scriptum est: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Quia semper ergo desiderium solet præcedere fiduciam, respondet sponsus, & fiduciam dat sponsæ desideranti, causam etiam fiduciæ subjiciens, *Quia*, inquit, *meliora sunt ubera tua vino*. Videor mihi trepidantem Esther hic videre, quasi pavi- D dam accedentem ad solium Regis, & vix audentem attollere oculos ad claritatem vultus ejus; Regem vero virgam clementiæ protendentem ad eam ac dicentem: *Quid vis Esther, aut quæ est petitio tua?* Sic & sponsus ad sponsam, Quid, inquit, trepidas rogare quod desideras? Multa jam à me accepisti, quæ fiduciam tibi facere debeant majora audendi. Ex perceptione præteritorum munerum, firma potest esse exspectatio futurorum. Quæ enim desideras contemplationem, jam in activa vita ex munere meo accepisti perfectionem. *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Uva semel expressa, totam semel effundit; sic & sæcularis sapientia, vel legis sensus carnalis: E ubera vero sponsæ quanto plus premuntur, tanto plus exuberant. Ubera tua ex gratia mea meliora sunt vino, id est efficaciora amore & sapientia sæculi. Inebriant ista, inebriant illa: sed ubera tua multo uberius in bonum, quam illa in malum. Simplex enim & lactea Christiana & apostolica doctrina, omnia dialecticorum solvit argumenta. Sed & musto Spiritus-sancti quo impleti sunt Apostoli & inebriati, sic impleti sunt beati pauperes spiritu, filii gratiæ, filii novi testamenti, ut amplecterentur amorem Dei usque ad contemptum sui, ut arbitrarentur omnia tamquam stercora, ut Christum lucrifacerent. Ergo ubera sponsæ meliora sunt vino. Hæc autem ubera sponsæ duo sunt: unum Compassionis, alterum Con- F gratulationis. Ex ubere compassionis sugitur lac consolationis, ex ubere congratulationis sugitur lac exhortationis. Hæc ubera ut meliora sint vino, fragrant unguentis optimis; quia efficaciam in illis operatur unguentum optimum, id est supereminentis caritatis. Uncta igitur sunt sponsæ ubera, id est tactu sponsi per unctionem lenificata: fragrantia boni exempli longe quasi bono odore dilatata, vel usque ad sponsi odorem per sacrificium piæ intentionis & sancti desiderii promota.

*Cant. 1. a*
*Psal. 10. d*

*Esther. 5. a*

*Duo ubera sponsæ.*

9. *Fragrantia unguentis optimis.* Tria sunt unguenta, Compunctionis ex recordatione peccatorum, Devotionis ex recordatione beneficiorum, Pietatis ex recordatione miserorum. Primo unguntur pedes Domini, secundo caput, tertio totum corpus. De primo inquit, *Maria unxit pedes Iesu, & extersit capillis suis, & domus impleta est ex odore unguenti.* De secundo: *Attulit mulier alabastrum nardi spicati pretiosi, & effudit super caput recumbentis.* De tertio: *Maria Magdalene, Maria Jacobi & Salome abeuntes, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Nota ordinem profectus ad superiora ab inferioribus, sicut supra de statu & osculo amoris. Denique Maria Magdalene quæ peccatrix erat, unxit pedes Jesu. Nec mediocre sane hoc unguentum est, de quo scriptum est: *Et domus impleta est ex odore unguenti.* Nec mirum, cum etiam in cælestibus sentiatur hujuscemodi unguenti fragrantia, Veritate attestante, quia magnum *gaudium est inter Angelos Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente.* Verum quantumlibet unguentum hoc pretiosum videatur, tamen comparatum ei quod appellatur Devotionis, & conficitur ex divinorum memoria beneficiorum, quo & ungitur caput Domini, vile & nullius pretii æstimatur. Denique de illo dicitur, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*: de isto vero, *Sacrificium laudis honorificabit me.* Caput autem ex eo ungis, cum de suis donis Deo gratias agis. Si quidem caput Christi Deus. Deitas ergo in Christo tangitur, quoties ad laudem ipsius, ejus in nobis beneficia memoramus: sicut non tam deitas quam humanitas necesse est cogitetur, cum non ejus dona, sed nostra peccata recordamur. Nam in carnis assumptione duos illos pedes ad hoc accepisse cognoscitur, id est misericordiam & judicium, ut peccator qui ad caput, id est ad deitatem, accessum non habebat, ad pedes, hoc est ad humanitatem, accederet. Nisi enim pes ille, quem diximus misericordiam, ad hominem assumptum pertineret, Paulus Apostolus de eo non diceret: *Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.* Et nisi judicium æque ad hominem pertineret, ipse homo Deus de seipso non dixisset: *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Itaque ad hos pedes viri, juxta Prophetam, dolentis & scientis infirmitatem, peccator jam accedere non dubitans, fidenter loquitur: *Nunc autem cum fiducia accedimus ad thronum gratiæ ejus. Non enim habemus Pontificem qui non sciat compati infirmitatibus nostris.* Peccatrix ergo ad pedes, justa ad ungendum caput accedit.

*Cant. 1. a*
*Tria unguenta.*

*Luc. 7. f*
*Marc. 14. a*
*Marc. 16 a*
*1 Compunctionis.*
*Iohan. 12. a*
*Luc. 15. b*
*2. Devotionis.*
*Psal. 50. d*
*Psal. 49. d*
*Heb. 2. d*
*Iohan. 5. a*
*Heb. 4. d*

10. Tanto autem capitis unguentum illo alio, quod pedibus apponitur, pretiosius æstimandum est, quanto species quibus hoc conficitur, his quibus conficitur illud constat esset pretiosiores. Has quippe facile & absque labore (nam in nostra regione) reperimus: peccatores siquidem omnes sumus. Porro illas difficile ac de longinquo valde, utpote de paradiso Dei asportatas suscipimus: *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Quid denique hujuscemodi unguento excellentius, de cujus effusione etiam Apostoli murmurasse videntur, dicentes: *Ut quid perditio hæc? potuit enim venundari multo, & dari pauperibus.* Sed & nunc quoque cum forte videtur quispiam vacare Deo, tantæque esse devotionis & gratiæ, ut merito credatur ungere caput Christi, persistens utique jugiter in sancta quiete, & gratiarum actione, & divinæ contemplationis delectatione; non desunt qui hoc perditionem dicant, & justo, ut sibi vident, murmure conquerantur, quod is qui pluribus prodesse poterat, quiescat sibi: non quod sanctitati invideant, sed quod provideant caritati. Ceterum ipsa caritas Deus hujuscemodi animæ plerumque parcit, quam videt spiritualibus studiis delectari; maxime si talem eam noverit, quæ adhuc pusillanimitate vel imbecillitate animi mulier sit, & necdum in virum perfectum profecit. Quod utique melius ipse discernit qui intuetur cor, quam homines, qui in facie tantum vident, & secundum faciem tantum judicant: cum videlicet minime attendunt non esse ejusdem facilitatis devote quiescere, & fructuose occupari; humiliter subesse, & utiliter præesse; regi sine querela, & regere sine culpa; obedire sponte, & imperare discrete; bonum denique inter-

*Secundum pretiosius.*
*Iac. 1. c*
*Matt. 26. a*
*Ibid.*

bonos, & bonum esse inter malos, immo etiam esse A pacatum inter filios pacis, & his qui oderunt pacem exhiberi pacificum. Sciens igitur Jesus qui sint qui vere non sunt idonei implicari curis & oneribus ecclesiasticis, pro tali delicata anima quam pro sui adhuc teneritudine tractandis negotiis minus sufficere sentit, adversus aliter

Eccli. 42. c sentientes, & ob hoc ejus quietem tamquam infructuosam, bono quidem zelo, sed non secundum scientiam

Ibid. insimulantes, ipso respondet affectu: *Quid molesti estis*

Math. 26. a *huic mulieri?* Nam etsi, quod fatendum est, melius est ad quod ipsam trahere tentatis, bonum tamen est opus quod operata est in me. Sinite eam interim operari bonum quod potest, dum necdum melius potest: novi enim ego quod adhuc mulier sit. Cum autem mutatione B dexteræ excelsi de muliere facta fuerit vir, (quod & me quando erit, si quando tamen erit, latere non poterit) quia me vocante promovebitur, me quoque servante tenebitur: & tunc melior erit etiam iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Verum & illud spero melius: & hoc interim bonum minime sperno, nec reputo perditionem unguenti hujus effusionem, in quo & mulieris devotio designatur, & mea præsignatur sepultura. Huc accedit, quod tam late suam fragrantiam circumquaque diffundit, quatenus ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dici etiam habeat & quod

3. Pietatis quod est præstantissimum. hæc fecit in ejus commemorationem.

11. Jam ad tertium unguentum accedamus. Sane in C duorum præmissorum alterutra collatione, priore sequens, absque omni ambiguitate, cognoscitur esse melius, longeque excellentius. Illud autem mirum videtur, si tertium inveniri queat aliquod, quod ambobus jure debeat anteponi, juxta quod optimis unguentis sponsa sua redolere ubera gloriatur. Alioquin optima non sunt, si non vincunt & meliora: sicut nec veraciter meliora dicuntur, quæ non superant bona. Porro tantæ excellentiæ unguentum illud secundum, quod caput ungit, inventum est esse, ut vix qualibet ei divitiæ non dico præferri, sed saltem conferri videantur posse. Fortassis in Evangelio si requirimus, inveniemus & hujus tertii

Marc. 16. a unguenti figuram præcessisse. *Maria*, inquit, *Magdalene, & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Videsne in prima fronte propositi capituli, quanti æstimandum sit etiam hoc materiale unguentum, cujus aromatibus comparandis non una vel duæ sufficere valuerunt? Una primum, una & secundum attulit unguentum; ad hoc autem comparandum tres pariter convenerunt, ut simul videlicet emerent, quod per se singulæ non poterant, & sic venientes ungerent Jesum. Non solum pedes aut solum caput, sed *ut venientes*, inquit, *ungerent Jesum*, id est corpus totum. Sed attende quod tamquam unguenti hujus pati Christus noluerit perditionem fieri, cum non invento corpore, reportarunt integrum, & jussæ sunt exhibere vivo, E quod præparaverant mortuo. Quod & fecerunt, cum protinus nuntiato gaudio resurrectionis, discipulorum

Christus plus dilexit corpus suum mysticum quam naturale. qui procul dubio membra Christi, & membra viva erant, tristia corda delinire curarunt. Quæ utique membra nisi plus illo crucifixo corpore Christus diligeret, pro iis crucifigendum illud non tradidisset. Liquet itaque duo illa quia tantum hoc præcellit ultimum unguentum, quantum Christo hoc suum corpus cui exhibetur, hoc est Ecclesiam, quod ex eis perungi, quod & pro hujus redemptione tradi voluit, constat esse amabilius. Sponsæ igitur ubera fragrant unguentis non tantum bonis & melioribus, sed etiam optimis; & duo ejus ubera compassionis & congratulationis, ex pietate & consideratione F miserorum, abundant lacte consolationis & exhortationis. Primo igitur unguento sanata, secundo purificata, tertio sanctificata, fragrantia habet ubera unguentis optimis.

Aliæ interpretationes. 12. Vel aliter ut sint etiam hæc verba sponsæ, ac si aperte dicat: Præsumptionis quidem est quod requiro osculum contemplationis, sed fiduciam dat conscientia bonæ actionis: *quia ubera mea*, mea, quia à te mihi data, tua, quia à te implera, tibique servientia, *meliora sunt vino.* Aliter, ut sit vox sodalium, id est Angelorum, exhortantium sponsam contemplationis avidam, ad laborem actionis, ex consideratione profectus in subditis. Dicunt ergo: Non quidem privaberis osculo cum perveneris: sed cum laboris tui fructum videas, ne deficias dum tardaris. quia ecce ubera tua, id est tenerior doctrina, meliora sunt vino, fragrantia unguentis optimis. Tria hic videmus in uberibus sponsæ, tactum, odoratum & gustum: tactum in lenitate unctionis, odorem in unguenti fragrantia, gustum in vino. Tactus præsentibus in verbo, odoratus absentibus in exemplo, gustus sponso, per quem signatur bona mentis intentio.

13. Ad tres sententias duobus modis quæ sequuntur Cant. 1. a continuanda sunt: *Oleum effusum nomen tuum.* Si verba sint sponsi, intelligendum est hic sponsum sponsæ desiderium consolatum, post exhibitam gratiam, post datam fiduciam, dedisse ei osculum. Accepto sponsa osculo, & oleo cum osculo, id est per internam inspirationem aliquatenus accepta sponsi notitia, & cum notitia amoris, lætitia, exclamavit dicens: *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Si*, inquit 2. Cor 5. c Apostolus, *mente excedimus Deo, & si sobrii sumus, vobis. Oleum effusum nomen tuum*, verba sunt mente excedentis Deo; *ideo adolescentulæ dilexerunt te*, verba sunt sobrietatis proximo. Postquam enim mente excessit Deo, ex abundantia olei accepti à Deo, sobria facta est adolescentulis. Caritas quippe sponsi urgebat eam. Ad nomen enim sponsi, id est notitiam sponsi, ab eo de cujus plenitudine omnes accepimus, tanta facta est olei, id est caritatis, effusio, ut plena sponsa pro se exclamaret: *Oleum effusum nomen tuum.* & de plenitudine sua refundens in adolescentulas diceret: *ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Effusio quippe notat abundantiam. Hæc est effusio in fide vel spe, sed in caritatis tantum plenitudine *. Vel secundum superiores duas sententias: Dixi, inquit sponsa, quia meliora sunt ubera tua vino, id est à te impleta, tibi servientia; sed gratia Dei sum id quod sum: quia *oleum effusum nomen tuum.* Sed gratia Dei in me vacua non fuit, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Secundum anagogen oleum & nomen, id est notitia & amor Dei, priusquam effunderetur, & abundaret in omnes gentes, infusum erat, non effusum, quia notus tantum in Judæa Deus: cum vero effusio facta est de infusione adolescentulæ, Ecclesiæ de gentibus factæ sunt, non adolescentulæ, sed sponsæ, quia dilexerunt. Quæ enim per fidem primum adolescentula est, vel pedissequa, incipit sponsa esse cum incipit diligere. Quia ergo oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.

* id est sed tantum cum eas informat & perficit caritas.

14. Secundum moralem sensum in effusione olei, cum Abusus in donis Dei cavendus, qualis. sit nobis per gratiam infusio, cavendum est, ne inordinate fiat effusio. Quiddam enim nobis infunditur quod nostrum est, quiddam quod proximi. Nostrum est sine quo non salvamur, cetera sunt proximi. Quod nostrum Alia nostra sunt. est si effundimus, stulti sumus & vacui: quod alienum est si retinemus, fraudulenti. Quod nostrum est, fides est, spes & caritas. Fides facit servos, spes mercenarios, caritas filios. Fides facit ancillam vel pedissequam, spes concubinam, caritas sponsam. Fides dicit, Sic est: spes, Habebis: caritas, Da gloriam Deo. Fides est malorum vel bonorum scientia; spes cavendi vel adipiscendi fiducia; & caritas utriusque gratia, cum securus de utroque gratias agit. Hæc igitur cum nostra sint, non sunt effundenda, id est pro aliis perdenda: sed agendum ut operentur in nobis quod suum est, id est ut sanemur, ut servemur, ut salvemur. Sanemur per laborem Eorum rectus usus. corporis, servemur per lectionem & meditationem, salvemur per orationem. Labori insidiatur desidia, lectioni inquietudo vel otiositas, orationi nimia securitas. Quod igitur nostrum est, peccamus si effundimus, ut dictum est: id est si laborem negligimus propter desidiam, lectionem propter inquietudinem vel otiositatem, orationem propter nimiam securitatem. Nostrum vero non est, sed aliorum, quidquid habemus sine quo salvamur: ut sunt sermo sapientiæ, sermo scientiæ, gratia curationum, & cetera quæ haberi Quædam aliorum. possunt præter caritatem, in qua sola salvamur. Hæc si retinemus in tempore, ut dictum est, fraudulenti

ſumus. Cum enim res exigit ut effundantur, cavendum eſt, ne aut tepide, aut trepide, aut invidioſe retineantur. Tepide, de auditoribus diffidentes; trepide, ſi irrationabiliter timentes; invidioſe, fratrem non amantes. In primo fidei, in ſecundo ſpei, in tertio caritatis defectus deprehenditur. Cum vero effunduntur, cavendum eſt ne incaute, ne temere, ne ambitioſe effundantur. Incaute, ne ſanctum det canibus; temere, ut fidei regulas non excedat qui loquitur; ambitioſe, ne quærat quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu-Chriſti. Cavendum etiam ne intempeſtive, ne præſumptuoſe, ne infructuoſe: intempeſtive, ante maturitatem animæ & corporis; præſumptuoſe, ſine officio; infructuoſe ſine gratia. In his omnibus, ſi bona ſit effuſio, ubi facta eſt olei hujus infuſio, B tres ſuas oleum operatur virtutes. Oleum enim paſcit, lucet & ungit: caritas etiam paſcit ſe, lucet proximo, ungit Deum.

Quid in illis cavendum.

Tres olei proprietates caritati accommodatæ.

Cant. 1, a

15. *Trahe me poſt te, curremus in odore unguentorum tuorum.* Condeſcendens ſponſa adoleſcentulis de altitudine illa in qua mente exceſſerat Deo, poſtquam effuſionem illam olei ſibi infuſam in adoleſcentulas refudit, cum laboraret in eis; recordata oſculi & olei & ſponſi, & ſuſpirans ad eum à quo invitam eam trahebat cura proximi, *Trahe me poſt te*, inquit. Cum enim mente excedit, Deo; cum ſobria eſt, proximo. Cum mente excedit, oſtenditur ei quantum à Deo diligitur; cum ſobria eſt, oſtendit in cura proximi, quantum diligat C Deum. Surſum eam trahit caritas veritatis, infra eam trahit veritas caritatis. Sed quamvis hic eam detineat iſta neceſſitas, tamen ab animo ejus recedere non poteſt illa ſuavitas. Ideo *trahe me*, inquit, ſponſe. Quatuor quippe ſunt quæ à Deo nos abſtrahunt: Caro illecebris, Diabolus dolis, Mundus curis, Proximus affectu. Ab his ſponſa, vel ab horum aliquibus tracta invita à Deo, trahi exoptat & exorat ad Deum. Tractus enim alius voluntarius, alius coactitius: ut in carcerem coactitius; voluntarius, ut feſſo vel cæco. Sponſa vult trahi, quæ trahi precatur: & quod trahi vult, hoc eſt propter cæcitatem, aut propter debilitatem, aut propter utrumque. Hæc autem patiebatur fatigationem mun- D di vel diaboli, ſed & acies mentis turbabatur in cura proximi. Contra hæc omnia cupit trahi ab iis ad Deum, à Deo, Dei virtute. Tractus enim iſte in virtute eſt. Ipſe enim eſt juxta Apoſtolum, ſicut à Domini ſpiritu, cum transformamur de claritate in claritatem. Et in anima quidem electa uterque fit tractus, primo coactitius, ut ibi: *Sepiam vias tuas ſpinis:* deinde voluntarius, ut hic, *Trahe me poſt te.* Vel ita: Et quia adoleſcentulæ, agente me, ut diligerent non me, ſed te, diligunt te, nec jam egent me, *trahe me poſt te*, id eſt exime me de corpore. Sed adoleſcentulæ reclamant poſt te: *In odore unguentorum tuorum curremus*, id eſt veniemus & nos tecum.

Unde ſponſa ſupra ſe, vel infra ſe trahitur.

Quatuor à Deo nos abſtrahunt.

Cur trahi ſe ſponſa poſtulat.

2. Cor. 3. d

Oſee. 2. a

E 16. *Vel trahe me*, id eſt ſpiritualem me fac poſt te, id eſt ad imitationem tuam, quia *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Cum enim thalamo virginali proceſſit Sponſus, exultavit ut gigas ad currendam viam per omnem diſpenſationem converſationis ſuæ, quaſi quamdam vivendi viam nobis ſternens & ordinans, per quam nos poſt ſe & exemplis, quaſi quibuſdam veſtigiis, dirigeret, & amore traheret. Unde dicit in Evangelio Petro & Andreæ: *Venite poſt me.* Si enim cogitamus conceptionem ejus ſive nativitatem, ſpiritualis nobis conceptio, piæ eſt voluntatis intentio. Hæc enim fit in anima virgine, quia ſoli Deo cupit placere. Nativitas vero Domini, F boni in nobis operis eſt inchoatio, ſicque de reliquis. Nam circumciſio, quam non licet fieri ſuis manibus, magiſtrorum eſt ſuper opera diſcipulorum diſcretio. In qua circumciſione Jeſus nomen accipit, quia opus ſubjecti, virtutis vel ſalutis nomen ſortitur ex diſcretione magiſtri. Porro Domini apparitio eſt nutu Dei, non per ſe operis manifeſtatio. In apparitione vero ſemper virgo Mater & à Magis & à Paſtoribus invenitur: quia veram virtutem tam apud ſapientes, quàm apud inſipientes jugis ſemper pudor comitatur. Qua- A draginta vero dierum purgatio, eſt uſque in finem boni operis exercitatio. Pueri ad templum delatio, eſt poſt finem vitæ perfecti operis repræſentatio. Sed delatio in templum fit per duos, perſecutores ſcilicet & ſimulatores: ſed iis extra remanentibus parentes, id eſt boni operis patratores, in templum Dei illum introducunt. Simeon vetuſtus, antiquus eſt dierum, Deus omnipotens: puer in ejus ulnis eſt ponderatio in manu Dei cujuſque operis vel meriti. Debet enim conceptio eſſe pura, nativitas voluntaria, circumciſio diſcreta, apparitio verecunda, purgatio continua, oblatio ſancta. Qui igitur hæc & his ſimilia de Domino imitatur fideliter, currit poſt eum fortiter.

1. Pet. 2. d

Matth. 4 c

Quomodo Chriſti myſteria moraliter in nobis repræſentanda.

17. Vel *trahe me poſt te*, id eſt amore tui tantum. Averte oculos meos ne videant vanitatem. Nec ſola volo trahi, quia ego & adoleſcentulæ curremus in odore unguentorum tuorum. Tria ſunt quæ faciunt currere, timor videlicet, deſiderium, & amor: timor fugiendo, deſiderium appetendo, amor proximum amando. Quatuor quoque ſunt quæ impediunt curſum iſtum, frigus, calor, via laborioſa, nimietas currentis. Quæ ſunt alio nomine, diffidentia, concupiſcentia, aſperitatis impatientia, nimia confidentia: vel torpor diffidentiæ, carnalia deſideria, obſervationum aſperitas, vehementia proficientis vel perficientis. Contra torporem neceſſarium eſt unguentum compoſitionis laxativum, quod conficitur de recordatione miraculorum & teſtimoniorum Chriſti: contra æſtum, unguentum refrigeratorium, ex ſpeciebus converſationis & commonitionis Chriſti: contra triſtitiam laborantis, unguentum ſanativum, ex recordatione paſſionum & promiſſionum Chriſti: contra vehementiam proficientium, unguentum mitigatorium, de recordatione manſuetudinis & miſerationum Chriſti. Hæc autem omnia unguenta inutilia ſunt, ſi ex oleo Sponſi confecta non ſunt. In odore horum unguentorum currunt adoleſcentulæ, quarum curſus non impeditur. Sponſa vero hæc omnia non odoratur, ſed tangit: quia in ſeipſa omnia hæc exhibet, ſed aliis non ſibi. Exhibet enim miraculorum gloriam, exhibet converſationis exemplum, & commonitionis documentum. Sed & paſſionum Chriſti circumfert ſtigmata; manſuetudinem vero & miſerationem & prædicat omnibus, & exhibet.

Tria faciunt currere.

Quatuor impediunt.

Quatuor remedia.

18. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Audiens Sponſa ſponſionem adoleſcentularum, *In odore unguentorum curremus*, reſpondit: Merito curretis, & currendum vobis eſt. Expertæ credite, quia *introduxit me Rex in cellaria ſua*, unde plenam & confertam me remiſit. *Introduxit me*, inquam, *Rex*, qui dirigit in veritate greſſus meos: *introduxit me in cellaria ſua*, liberalitate ſua, non ego erupi præſumptione mea. Audiens enim Sponſus vota Sponſæ precantis, *Trahe me poſt te*; abſtrahens eam quodammodo à carne, poſt ſe traxit eam in occultum quoddam contemplationis ſuæ, & oſtendit ei ſecreta ſua. Ubi cum mente exceſſiſſet Deo, rurſum ſobria facta proximo, rediit ad adoleſcentulas. Et cum ex viſione & collocutione Dei, quaſi duo cornua præferens contemplationis, rationis ſcilicet & amoris, mirabilis & terribilis appareret, *Introduxit me Rex*, inquit, *in cellaria ſua.* Felix ille rector animarum, qui ad omnia quæ deſiderat, & de quibus anxiatur & dubitat, in illud mereatur admitti ſecretum, ut omnia poſſit facere ſecundum quod ſibi oſtenſum eſt in monte. *Introduxit me*, inquit, *Rex in cellaria ſua.* Quoniam de cella vinaria in proximo diſputaturi ſumus, de cellariis Regis uſque ad ipſum locum differamus. *Exultabimus & lætabimur in te.* Audientes adoleſcentulæ ſponſam ſponſi liberalitatem commendantem, ſicut filii Iſrael qui non valebant in montem aſcendere cum Moïſe: *Loquere tu*, inquiunt, *nobis, & non loquatur nobis Dominus.* Sufficis interim nobis: *Exultabimus & lætabimur in te*, id eſt in doctrina & imitatione tua. *Exultabimus*, cum corporaliter operabimur; & *lætabimur*, dum ſpirituali jucunditate perfruemur, *memores uberum tuorum*, quæ interim nobis ſufficiunt. Lac enim conſolationis & exhortationis, quod inde ſumpſimus, cum quodam mentis tripudio cantare

Cant. 1. a

Cant. 1. a

Exod. 20. c

Psal. 32. a cantare nos facit: *Exultate justi in Domino, rectos decet laudatio.* Unde & sequitur:

Cant. 1. a 19. *Recti diligunt te.* Sunt jacentes, sunt erecti, sunt curvi, sunt recti. Jacentes nec timent, nec diligunt; curvi timent, non diligunt; recti diligunt. Orat ergo sponsa pro adolescentulis, ut quas adhuc in timore videt curvas, rectas videat in amore Sponsi. ac si dicat: Video istas curvas, sed fac rectas, quia *recti diligunt te.* Aliter: videns sponsa adolescentulas sibi applaudentes, commendans istas, timet aliis; istis exultantibus, illis invidentibus. ac si dicat: Istæ sunt rectæ, ideo diligunt te; & si diligunt me, non diligunt nisi in te. Docui enim eas non me diligere, sed te. Videns enim sponsa illarum se benevolentia prægravari, conversa ad Sponsum, orat pro eis; *Recti diligunt te.* Sed de invidentibus quid faciamus? Conversa ad eas, & curam agens pro eis quæ de pristina conversatione nonnumquam ei insultabant: *Nigra*, inquit, *sum, sed formosa filia Jerusalem.* Et nota ordinem caritatis. Cum de amore Sponsi agit, tota quodammodo in eo liquescit: cum de adolescentulis, afficitur quadam compassione, & quasi una ex illis efficitur: cum de inimicis toto caritatis zelo pro eis zelatur. *Nigra sum, sed formosa filia Jerusalem.* O filiæ Jerusalem, filiæ pacis, pacem habete mecum, quæ pacem habeo vobiscum. Exprobratio est ista vestra, non compassio. *Nigra* quidem *sum* ex pristina conversatione, *sed formosa* ex pura confessione, & recta intentione. Duo quippe sunt quæ faciunt nigram, duo quæ formosam. Nigram mala conversatio, & distorta intentio: formosam innocens conversatio, & recta intentio. Quæ sic sunt in anima, sicut sunt in corpore pulcher color, & bona formæ compositio. Quæ autem non habuit innocentem conversationem, postquam induit confessionem, & direxit in melius intentionem, fiducialiter dicit: *Nigra sum, sed formosa*; quia præterita ejus peccata tegit confessio. Est enim pulcritudo memoriæ confessio; & compositio voluntatis, recta intentio. Primum tegit veritas confessionis, secundum format justitia rectæ intentionis. Unde dicit:

Cant. 1. b — Duo faciunt animam pulcram, duo nigram. — Reformanda animæ pulcritudo per confessionem.

Cant. 1. b 20. *Sicut tabernacula Cedar*, id est tenebræ. Non sum tabernacula Cedar, *sed sicut tabernacula Cedar*: & si fui tabernaculum, vel sicut tabernaculum Cedar, id est habitatio tenebrarum, tabernaculum fui, non domus mansionis: fuimus enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Sicut pelles Salomonis.* Vivo enim, jam non ego, vivit vero in me Christus, id est præteritam nigredinem meam tegit fides Christi. Quæ bene dicitur pellis Salomonis? quia ducta de morte Christi, nosque mortificans, tabernaculo Cedar, id est tenebrosæ conscientiæ superducta, dignam facit mansionem vero Salomoni. Poterat enim dicere Mater Domini Maria, mirantibus de se filiabus Jerusalem: Nigra sum ex natura Adæ, sed formosa ex fide, id est ex pelle Salomonis. Aliter ad easdem: videns ab aliquibus se contemni propter sobrietatem, qua omnibus omnia facta erat ut omnes lucrifaceret: Nigra sum, inquit, exteriori hac humiliatione, sed formosa pulcritudine intentionis. Omnis enim gloria filiæ Regis ab intus. *Sicut tabernacula Cedar* nigra sum exterius, sed intus decora pelle, non mea, sed Salomonis. Aliter ad adolescentulas sibi exultantes, non insultantes: Quia, inquit, exultatis in me, & post me curritis, ne attendatis quod nigra sum, id est sobria vobis: vel nigra sum in humilitate & pressuris mundi, quia formosa sum in oculis Sponsi, quia decoloravit me sol. In cute corporis color apparet. Intentio Sponsæ cutis est, color actio. Decoloratur ergo cutis, cùm cura proximi intentionem ad Deum obfuscat actionibus suis. Nolite itaque, inquit, considerare me quod fusca sum, quia sol, id est amor Dei, me decoloravit, qui me occupationibus vestræ actionis denigravit. Sed quod decoloratur à sole, cito redit ad colorem naturalem; sic & ego ad propriam formositatem. Sed cutis decolorata est, non autem os interius, quo Sponso assidue canto: *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto*: id est amor cordis interior nullam patitur læsionem.

Nigredo sponsæ, unde.

Psal. 138. c

A 21. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Heu quanta mutatio! quæ paulo ante in secreto illo pacis Dei quæ exsuperat omnem sensum, jocundabatur, nunc inter rixas hominum calumnias patitur. Has Prælatorum fluctuationes considerans David in spiritu, *Qui descendunt*, inquit, in *mare* sæculi, *in navibus*, id est in regimine ecclesiarum, *facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo. Dixit & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus ejus. Ascendit usque ad cælos, & descendit usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est. Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Non est mirum si decoloravit me sol, cum gravis sit pugna quam patior, cum etiam filii matris meæ, filii Ecclesiæ, pravis moribus suis pugnaverint contra me. Contra quos cum pugnarem arguendo, obsecrando, increpando, *Posuerunt me custodem in vineis suis*, id est seipsos commiserunt mihi custodiendos, alii per contentionem & invidiam, ut sicut dicit Apostolus, suscitarent pressuram tribulationibus meis: alii per bonam voluntatem. *Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est*; vitis, Christus; palmes productus, peccator conversus; fructus, fructus digni pœnitentiæ. Contra hos dum pugno, & postmodum custodiendis invigilo, dum sicut Jacob afficior æstu per diem, & per noctem gelu, non est mirum si decoloravit me sol. Sed cùm custos posita in vineis, laboro in alienis, *vineam meam non custodivi.* Custodi eam, tu qui custodis Israël, propter quem neglexi eam, propter quem decolorata sum. Et ut sciam quid debeam vineæ meæ, quid alienæ, Indica mihi, ô quem diligit anima mea, in meridie, id est in fervore malitiæ tantæ, in quo etiam filii matris meæ pugnaverunt contra me, ubi cubem intendendo mihi, ubi pascam commissos mihi. Quod autem dicit, hoc est. *Indica mihi*, ubi cubante me, cubas mecum, & pascente me pascis mecum, ut nihil contra me, vel sine te, sed omnia faciam tecum, & tu mecum. Hoc est igitur quod precatur, ut sciat quid & quando sibi, quid & quando aliis debeat. Aliter: Meridies est fervor malitiæ, dæmonium meridianum, quando Angelus satanæ transfigurat se in Angelum lucis. In quem ne incidam, *Indica mihi ubi pascis, ubi cubas in meridie.* Aliter: Quatuor sunt dies, duo boni, & duo mali, de quibus dicit psalmus: *Vespere & mane, & meridie narrabo & annuntiabo.* Primus dies incipit à mane, & desinit in vesperam noctis & mortis æternæ, qui est Angelus malus. Secundus incipit à mane conditionis, & procedit in meridiem & fervorem perfectionis, nec inde moventur pedes ejus, qui est Angelus bonus. Tertius incipit à vespere peccati, & procedit in noctem æternæ perditionis, qui sunt reprobi. Quartus dies est dies Domini nostri Jesu-Christi, qui incipit à vespere Sabbati, & lucescit in prima Sabbati, id est incipit à vespere peccati nostri, & brevissimo timoris quasi noctis spatio interjecto, perducit filios lucis ad mane spei, & inde ad meridiem perfectionis angelicæ & amoris: nec inde eos ultra patitur amoveri. Precatur itaque sponsa eum quem diligit anima ejus, non caro, id est quem spiritualiter diligit, ut ponat eam in meridie perfectionis angelicæ, ut liberata ab omnibus ignorantiæ tenebris, sine ulla contradictione dubitationis videre incipiat quidquid sibi vel gregi expediat: ne posita in incerto quietis vel laboris, incipiat vagari post greges sodalium Sponsi, id est se ei parificantium vel sua quærentium.

Cant. 1. b — Psal. 106. c — Cant. 1. b — Isa. 5. b — Cant. 1. b — Ibidem. — Ibidem. Quatuor dies, duo scil. boni & duo mali.

F 22. *Post greges.* Qui enim de perfectione veritatis abit in devium erroris, nec cum gregibus errantibus vadit, sed post greges; quia his omnibus deterior invenitur. Sed non est prætereundum, quod grex Domini tribus modis pascitur à Pastoribus, exemplo, verbo, oratione. Exemplo contra concupiscentiam carnis, verbo contra concupiscentiam oculorum, oratione contra ambitionem sæculi. *Si ignoras te, ô pulcra inter mulieres.* Quærebat sponsa Sponsum in meridie, id est in manifesta luce veritatis, scilicet ne ei aliud occurreret pro alio: quærebat ubi cubaret in meridie, id est in qua affectio-

Grex Christi, tripliciter pascendus à Pastoribus. — Ibidem.

ne meridianæ perfectionis, ut videret quæ quando eligenda esset affectio, ubi Sponsus cum ea cubaret, & ipsa cum Sponso. Respondit itaque Sponsus: O pulcra inter mulieres, scilicet inter Mariam & Martham, quia nolo ut alteram de istis eligas, sed utramque teneas, contemplativam scilicet vitam & activam; ô pulcra inter mulieres, si vis nosse me, noli ignorare te. hoc est responsum Delphici Apollinis: Scito teipsum. Duo sunt quæ nos faciunt ignorare nos ipsos, vel nimia de nobis temeritas, vel nimia humiliationis timiditas. Secundum hæc duo respondit Sponsus sponsæ, vel de temeritate revocans eam ad humilitatem, per experientiam sui: vel de timiditate ad confidentiam, ex perceptione præteritorum munerum. Duæ enim sunt ignorantiæ sui, vel quando plus, vel quando minus de se quis æstimat: & duo sunt quæ hoc efficiunt, præsumptio & pusillanimitas; duæ vero horum effectuum causæ, superbia, & minor sui experientia. Experientia vero sui facit humilitatem, humilitas sui cognitionem. Reprimens itaque Sponsus temerariam, Præpropere, inquit, & impatienter desideras meridiem Angelicæ beatitudinis: quia primo tibi agendum est multum, & laborandum in matutino virtutis. *Si* igitur *ignoras te, egredere* à me, vel à bono conscientiæ tuæ, & non stes mecum, *sed abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos*, id est pravos motus carnis, vel perditos auditores, qui statuentur à sinistris, *juxta tabernacula pastorum*, id est secuta magistrorum reproborum doctrinas, non in Ecclesia, sed in conventiculorum suorum prava docentium tabernaculis. Quod autem dicit, *Egredere*, permittit, non præcipit, quod etiam nec ex toto permittere videtur, sed revocat ad laborem.

Duo faciunt ut ignoremus nosmetipsos.

Cant. 1. b

23. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.* O amica mea, licet te ut temerariam reprimam, licet ad laborem te revocem, propter hoc tamen non minus amica. Jam vis sedere mecum in regno meo; indignarer præsumptioni, sed ignosco amori. O amica, non regnandum tibi modo est, sed pugnandum: quia *equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.* Posita es in medio curruum Pharaonis: non tibi exeundum solum est, sed educere habes populum meum de terra servitutis. Sive ut erigam pusillanimem: Nec perdes, ô amica mea, quia *in curribus Pharaonis equitatui meo assimilavi te*, id est equitatui Angelorum te similem constitui: ut sicut illi habent caritatem, & castitatem, & humilitatem, & ordinem; sic & tu posita in medio curruum Pharaonis. Quamdiu enim hic in procinctu sumus, & colluctatio nobis est non cum carne & sanguine, sed contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, exercitus uterque, & currus Dei & currus Pharaonis, sicut in bello commixti sunt; sicut enim currus Pharaonis, id est diaboli, sic & currus Dei decem millibus multiplex. Libet ipsos currus & Dei & diaboli subtilius describere, & qui Deo vel diabolo militent evidentius demonstrare. Currus diaboli tres sunt, quibus totum mundum perambulat, luxuria, superbia, malitia. Luxuriæ currus duas habet rotas, ingluviem & mollitiem, quas trahit sicut equus indomitus, impetus carnis; cui insidet amor sui in cella voluptatis, frenum habens penuriam, stimulum, stimulum libidinis. Currus superbiæ duas habet rotas, præsumptionem de se, & temeritatem: equus qui trahit appetitus est vanæ gloriæ, cui insidet amor mundi, in sella adulationis, frenum habens avaritiam; stimulum, stimulum livoris. Currus malitiæ duas habet rotas, simulationem & dissimulationem: equus trahens est malevolentia, cui insidet sapor mali, in sella fraudis, frenum habens tergiversationem; stimulum, stimulum iræ. Contra hos tres currus, tres sunt currus Dei. Currus continentiæ duas habet rotas, orationem & exercitationem corporis: equus trahens devotio, cui insidet miles Dei, contemptus sui in sella puritatis; frenum habens disciplinam; stimulum, stimulum timoris Domini. Currus innocentiæ duas habet rotas, humilitatem nolentis præesse, & mansuetudinem volentis subesse: has trahit equus, id est amor pacis sessorem habens contemptum sæculi, in sella benevolentiæ; frenum, zelum veritatis; stimulum, stimulum amoris Dei & proximi. Currus sapientiæ duas habet rotas, prudentiam & simplicitatem; equum, fortitudinem; equitem, amorem Dei; sellam, vigilantiam ne cadat; frenum, modestiam, ut regat; stimulum, zelum justitiæ. Cum ergo, amica, currus habeas ut Pharao, & equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaverim te, satagendum nunc est de victoria, non de præmio victoriæ: nimis enim est, & præproperum quod quæris. Non videbis modo faciem meam, sed posteriora mea videbis. Licet enim meridiem quem postulas modo non accipias, multa tamen interim à me accipis, in quibus merito lauderis.

Currus diaboli triplex. 1. Luxuriæ. 2. Superbiæ. 3. Malitiæ.

Tres itidem currus Dei. 1. Continentiæ. 2. Innocentiæ. 3. Sapien[tiæ].

24. Jam enim ex gratia mea *pulcræ sunt genæ tuæ ut turturis*, id est magna sunt & exteriora, & interiora dona quibus te ditavi. Quid enim interius acceperis, ostendit exterius honestas & maturitas conversationis, quæ sunt duæ genæ turturis, id est animæ, in absentia Sponsi gementis, & consolationem nullam recipientis, & singulariter habitantis. Sicut in pallore vel rubore genarum exterioris hominis deprehenditur qualitas: sic in honestate & maturitate conversationis, sinceritas ostenditur bene compositæ mentis. Et non solùm hoc, sed & *collum tuum sicut monilia.* Puritatem animæ commendat in te, ut dixi, coram hominibus, honestas & maturitas conversationis; apud Deum vero directio intentionis. Intentio enim tua, quæ sicut collum capiti Christo conjungit totum operis tui corpus, sicut monile est, cum palam fit omnibus Deo eam & proximo deservire. Hoc enim significat monile ornamentum colli, quod exterius aurum, gemmam vero habet intrinsecus, intentionem scilicet esse affectam amore Dei, & amore proximi. Quod cum Sponsus hominibus declarat, sponsæ collum monili ornat; immo facit esse sicut monilia. Cum hæc omnia, dicit Sponsus, tibi dederim, adjiciam adhuc ornamentum aliud: *Murænulas aureas faciemus tibi.* Sic est plane, sic esse solet. Cum quærit Sponsa in hoc sæculo gloriam non, assequitur; vel si assequitur, inutilis est. Cum vero in solo Sponso quærit gloriam, etiam nesciens gloriam incurrit, & gloriam quæ utilis est. Sicut enim in colli ornamento gloria se obtulit de exemplo, sic in ornatu aurum de verbo. Gloria enim te debet quærere, non tu illam. Si quæris illam fugit, si fugis incurrit; si quæris eam & invenis, nociva est vel inutilis.

Cant. 1.

Quomodo placeam Deo & [ho]minibus.

Ibidem.

Gloria [fu]gientem [se]quitur contra[...]

25. *Murænulas aureas faciemus tibi*, inquit, *vermiculatas argento.* Murænulæ sunt ornatus aurium, quæ à Sponso sponsæ dantur, cum bonus datur auditus ejus prædicationi. *Vermiculatas argento*, id est distinctas eloquio: quia *alii datur sermo sapientiæ*, quod significat aurum: *alii sermo scientiæ*, quod significat argentum. Promittit itaque Sponsus, quod interius & exterius eam glorificabit. *Murænulas*, inquit, *faciemus*, ego & Pater & Spiritus, me sapientiam, Patre efficaciam, Spiritu-sancto præbente benignitatem. Faciemus autem de nihilo, id est ex nullo præcedente merito; hoc enim significat nomen facturæ. Unde & ibi dicitur: *Faciamus hominem.* Vel *faciemus*, ego & Angeli & Doctores mei: Ego inspirando, Angeli suggerendo, homines docendo. Deus enim videt intentionem, & Angelus affectionem, homo factum. Angelus enim intentionem non videt, sed affectionem videt. Ideo Angelus malus bonum Deum non videt, quia idem est Deus, & affectus, & voluntas ejus: nec enim afficitur. Suggestiones vero Angelorum, ipse sunt linguæ eorum, de quibus dicit Apostolus: *Si linguis Angelorum loquar.* Sunt autem hæc quædam signa occulta spiritualia nobis incognita, quibus sibi loquuntur, & innotescere faciunt voluntates suas, nec solum sibi invicem, sed & hominibus aliquibus angelicam vitam ducentibus. Linguam ergo Angelorum intelligit, qui suggestiones illorum intelligit. Lingua eorum loquitur, qui sicut Nicolaus & Benedictus, in somnis, vel aliis quibusdam occultis modis, vel dormientibus, vel longe absentibus, suggerunt quæ volunt. Vel *murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, id est sermonem gratiæ sale conditum.

1. Cor.

Gen. 1.

Quid D[eus], Angelus, homo [...]rant ac[...]mæ [...]

1. Cor. Lingua [An]gelorum quæ.

26. Audiens sponsa benignam Sponsi promissionem, A læta redit ad adolescentulas. SOLATIUM est quippe vitæ humanæ, habere cui cor tuum credas, quem participem gaudii, participem etiam facias doloris tui. Sponsa igitur quotiescumque à Sponso accipit olei infusionem, impletur usque ad effusionem. Quod cum effundere necesse sit, exundante plenitudine caritatis ad adolescentulas recurrit, quibus idem desiderat quod sibi. Felix amicitia & beata societas, ubi qui audit, statim dicit: Veni. Rediens itaque ad eas, *Dum esset*, inquit, *Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* hoc est, Putabam me vilem & abjectam in oculis Sponsi, quia cum meridiem expeterem, repulsam passa sum. Sed qui judicat me Dominus est. *Dum* enim *esset Rex* meus & B Dominus meus, pro arbitrio judiciorum suorum omnia disponens secundum bonum consilium voluntatis suæ, *in accubitu suo*, id est judiciorum suorum secreto, *nardus mea*, id est humilitas de priori conversatione vel de pressuris mundi, *dedit* in conspectu ejus *odorem suum*, id est secundum qualitatem suavitatis suæ. Nardus enim herba est humilis & calida & odorifera, per quam figuratur humilitas, fervida caritate, & accepta Deo ex puritate intentionis. Et vere *nardus mea dedit odorem suum.* nam *fasciculus myrrha dilectus meus mihi*, id est dilectio dilecti mei (quæ causa mihi est in hoc sæculo tribulationis & amaritudinis, de quo gemebam ad eum, cum pugnarent contra me filii matris meæ) facta est mihi myrrha C quidem amara, sed condiens me, ne putrescam in torpore securitatis & negligentiæ. Non est autem mihi fascis myrrhæ, sed fasciculus, quia diu non durabit: vel parvus mihi præ amore ejus; vel parvus præ consideratione malorum meorum præteritorum. Sed lætetur Sion, & exultent filiæ Judæ propter judicia tua Domine: quia quamtumcumque amara sit myrrha, quamtumcumque ponderosus sit fasciculus, *in medio uberum meorum commorabitur*, in medio prosperitatis & adversitatis meæ, in medio congratulationis meæ & compassionis meæ: ibi commorabitur, nec inde movebitur in æternum. Nec enim gaudebo nisi in Domino, nec contristabor nisi in Domino. Sed & ipse sive per prospera me consoletur, D sive in adversis exerceat, de medio uberum meorum, id est de medio corde meo, non movebitur: & sive congratulandum in bonis aliorum, sive in malis compatiendum mihi sit, nonnisi in Domino.

Cant. 1. c

Ibidem.

Psal. 47. b

27. *Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Superius sponsam tabescere fecerat zelus suus, quia obliti erant verba Domini inimici sui, vel qui insultabant ejus nigredini, vel qui pugnabant contra eam filii matris suæ, & posuerunt eam custodem in vineis. Quibus cum ipsa usque ad suæ vineæ neglectum invigilaret, & pæne jam desperaret de eis, & in cura & in sollicitudine earum caligaret, meridiem Sponsi expetierat: à quo benigne coërcita, rursumque consolatione, non qua vo- E lebat, sed qua expediebat lætificata, repente operante gratia ubi non sperabat, fructum invenit, botrum scilicet cypri in vineis Engaddi: & exclamans præ gaudio, *Botrus*, inquit, *Cypri dilectus meus mihi* factus est. *Cyprus* insula est bonarum vinearum, fertilitate nobilis: *Engaddi* interpretatur fons hœdi. Significat autem Cyprus abundans vino, Ecclesiam fluctibus sæculi undique quassatam, sed abundantia gratiarum exundantem. Fons hœdi significat fontem baptismi, in quem hœdi ingrediuntur; sed egrediuntur agni novelli, de quo in sequentibus: *Sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus.* Miratur ergo sponsa, quod in vineis novæ conversationis fructum invenit perfectio- F nis, & fructum non alium, quam ipsum Christum. Cum enim in omnibus actibus nostris vel conatibus Christus in causa est, fructus noster Christus est. Hunc fructum sponsa repente inventum, laboris sui conscia quo in eis laboraverat, pia exultatione sibi vindicans, *Botrus*, inquit, *Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Vel aliter, ut sursum aliquantulum repetamus: postquam sponsa à sponso meruit ornari, in laudem ejus & prædicationem operum ejus statim erupit, dicens, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*: ac-

Cant. 1. d

Ibidem.

Christus fructus boni operis.

cumbente Rege, id est humiliante se in utero Virginis, nardus mea, id est humilitas Domini mei, dedit odorem suum, dum propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, fieri ex Virgine dignatus est sub lege. Deinde non fascis, sed fasciculus myrrhæ fieri dignatus est, dum mortis, & crucis, & sepulcri amaritudinem, trium tantum dierum spatio passus est: moxque botrus Cypri in resurrectione apparuit in vineis Engaddi, dum fidelibus spiritualia bona distribuit.

28. Sequitur: *Ecce tu pulcra es amica mea, ecce tu pulcra, oculi tui columbarum.* Videns Sponsus sponsæ devotionem, & quia inter ubera sua dabat ei locum commorandi; Ecce inquit, id est in hoc statu tuo in hac confessione tua & cognitione tui, tu quia unde pulcra tu, inde ego non pulcher & non habens speciem neque decorem, tu inquit pulcra es. Et rursum: *Ecce tu pulcra*, id est pulcra in interioribus, & pulcra in exterioribus: pulcra in intentione, & pulcra in actione. *Amica mea.* Amicitiam duo faciunt, mutua conscientia, & eadem voluntas. Porro amicitiam sponsi & sponsæ facit quædam mutuo conscientia, & eadem voluntas, cum Dominus secreta sua bona sponsæ revelat, & sponsa mala sua per puram & humilem confessionem facit ei cognita. *Pulcra es*, inquam, nec timeo ne evanescas, quia *oculi tui columbarum*, id est simplices sunt, non sunt intendentes vel tibi, vel aliis, nisi in Deo. Porro duo oculi sponsæ sunt, mysticus & activus, vel contemplativus & moralis. Sed libet adhuc de oculo subtilius aliquid inspicere. Oculus ut clare videre possit, hæc habet necessaria, radium validum & purum, qui de pupilla procedat; aërem purum & lucidum, qui transitum ejus non impediat; corpus in quod effundat, rationem cui renuntiet, memoriam quam ratio consulat. Horum si quid defuerit, perfectus visus non erit. Sic & amor Dei, ut verus sit, hæc habet necessaria; affectum purum, quo Deum nonnisi propter Deum diligat, nec aliquid cum Deo, nisi in Deo & propter Deum: vitæ & conscientiæ munditiam, quæ amorem non impediat; discretionem spiritus, quæ puritatem contemplantis non sinat errare, sed doceat Deum, & non aliud pro Deo intelligere: rationem quæ judicet de discretione; fidem quam ratio de omnibus judiciis suis consulat, & quæ suis eam regulis cohibens & terminis, errare non sinat. Et iste est oculus columbinus.

29. *Ecce tu pulcher es dilecte mi.* Intelligens sponsa in oculis Sponsi aliquatenus se placuisse, gestit in amplexus. Unde & exsurgens in laudem pulcritudinis ejus, ad amplexus suos eum provocat. Me, inquit, pulcram prædicas, sed ô dilecte mi, ecce, id est in jocunda ostensione gratiæ tuæ, tu magis pulcher, à quo omne pulcrum: pulcher in humanitate, decorus in deitate. Quod si tu pulcher & ego pulcra, si tu dilectus & ego dilecta, quid restat nisi lectulus? Sicut de fasciculo diximus, lectulus nomen est delicatum. Ecce lectulus conscientiæ, non meus nec tuus, sed noster; meus per confessionem, tuus per gratiam & illuminationem. *Floridus* est, id est in proposito virtutum vernat floribus bonarum cogitationum. Nec ad curam domesticam me remittas, sicut cum expeterem meridiem tuum, remisisti me ad equitatum curruum tuorum, vel expulisti me ad custodiam gregum: cum jam adolescentularum domus mihi commissarum gratia tua & sollicitudine mea sic sit munita & ornata, ut non timendum sit eis à turbine & pluvia; interim dum in lectulo puræ conscientiæ perfruar conjunctione dulcedinis tuæ. Quam beata anima, quæ in hoc lectulo unus cum Deo spiritus efficitur, osculo intelligentiæ Dei perfruitur, amplexu amoris ejus adstringit & adstringitur, & sic in pace in idipsum dormit & requiescit.

30. *Tigna domorum nostrarum cedrina.* Vere munita est domus, quia Angelis tuis mandasti de ea, ut custodiant eam. Cedrus umbra sua fugat serpentes. Tigna ergo cedrina, Angeli sunt protegentes domum Dei, & virtute sua dæmones fugantes, quasi latrunculos domus: sanctorum merita portantes * tectum orationum, clavis timoris Dei affixum: *laquearia cypressina*, & foris tecto munita est domus, interius vero ornata & ordinata. Sunt enim in ea

Cant. 1. d

Amicitiam duo faciunt.

Ibidem.

Duo sponsæ oculi.

Quibus rebus oculus egeat ad videndum.

Cant. 1. e

Cant. 1. e

*f. portante.

laquearia, quæ ut domus perpetua sit, vel perpetuus sit A ejus ornatus, cypressina sunt & bene illaqueata. Cum laquear illaqueatur, unum se aperit, alterum constringit, ut alterum ab altero capiatur, hoc est amare & amari: ubi hæc sunt, bene omnia ordinata sunt. Ubi enim omnes & amant invicem, & amabiles se præbent invicem, tanta est conjunctio, ut merito fraterna unitas dicenda sit potius quam congregatio. *Ego flos campi.* Audiens & approbans sponsus desiderium sponsæ, differt ut augeat, comprimit ut exaltet. *Ego flos campi*, flos mundi: quia sicut flos in campo, sic ex utero Virginis unicus efflorui in mundo. Non ergo à te, sed à me floridus est lectulus, & sum *lilium*, castitatis videlicet & puritatis exemplum: non superborum, sed *convallium*. Castitas enim superba non castitas B est, sed ornatum diaboli prostibulum. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ac si dicat illud Salomonis:

Eccl. 7. c

*Si filiæ tibi sint, noli faciem tuam hilarem ostendere ad illas.* Cave igitur de adolescentibus, de quibus securam te facis, sed sicut lilium inter spinas, sic esto ô amica mea inter filias. Si sic fueris inter eas, tunc eris amica. Ego lilium, tu vero sicut lilium, pulcrum quidem, sed tenerum; filiæ tuæ spinæ sunt: in quamcumque earum te inflexeris, vulneraberis. Recta ergo esto in medio earum, omnibus te præbens in exemplum. Audiens sponsa quia à sponso humiliaretur, & ipsa se humiliat, & illum exaltat. Ego sum, inquit, sicut lilium pulcrum, sed fragile in medio spinarum: tu vero es *malus inter ligna silvarum*, id C est inter Angelos, sicut *inter filios*. Fortis ergo es ad fragilem sustentandam; pulcher visu ad fidem roborandam, boni odoris ad spem confirmandam, gustu salubris ad caritatem pascendam.

31. Iterum Sponsus recedit à sponsa, & absconditur in cæli sui secreto, qui jam teneri putabatur in conscientiæ lectulo. Rediens ergo, sicut solet, ad adolescentulas, & sensus sui tenorem in corde retinens, quo Sponsum allocuta fuerat, assimilans eum malo inter ligna silvarum:

Cant. 2. a

*Sub umbra*, inquit, *ejus quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Umbra inter deitatem Christi & nos, corpus ejus est, sub qua sedet sponsa, dum modeste

Umbra Christi, quæ.

& humiliter mysterium Incarnationis ejus contempla- D tur: & fructus ejus dulcis est gutturi ejus, quia non pervenit in ventrem ejus, id est in satietatem, sicut est

Job. 7. d

illud Job: *Nec dimittis me ut glutiam salivam meam.* De sacramento enim verbi Dei vix est qui possit satiari. Gustare possumus, satiari non possumus: quia quanto sanior gustus, tanto validior appetitus. Dulcis ergo, ait Sponsa, est gutturi meo fructus ejus, ex dulcedine exempli sui ostendens mihi quanta oporteat me pati pro nomine ejus. Ideo ad vos redeo, ideo vos non desero. Quin etiam introduxit me Rex in cellam vinariam, ubi didici quæ ignorant sapientes mundi, videlicet in caritate præesse.

Tria Sponsi gazophylacia.

Tria enim habet Sponsus divitiarum suarum quasi gazophylacia, hortum vel paradisum voluptatis, E cellarium, & domum vel cubiculum. Hortus amœna habet & utilia: amœna in horto remanent; utilia in cellarium deferuntur: de cellario vero in domo vel cubiculo Regi inde servitur. Hortus enim continet historicum

1. Hortus.

sensum, cellarium moralem, domus mysticum. Hortus continet historias novi & veteris Testamenti, præsentis & futuri sæculi: cellarium moralem instructionem Christi; domus gloriam æternæ renumerationis. In horto omnium quæ sunt creatio, in cellario omnium qui salvantur hominum reconciliatio, in domo omnium reconciliatorum confirmatio & glorificatio. Hortus dividitur in tria tempora, cellarium in tria merita, domus in tria

Tria habens tempora.

præmia. Hortus enim tria habet tempora, plantatio- F nis, maturitatis, collectionis. Tempus plantationis est sicut in Genesi & in Prophetis & scripturis veteris Testamenti, de creatione cæli & terræ, & primordiis mundi. Tempus maturitatis est, cùm in Christo & Evangelio conversationis humanæ apparuit maturitas, ut jam non

Deut. 19. d
Matth. 5. f

dicatur, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*: sed, *Qui te percusserit in dexteram maxillam præbe ei & sinistram*, & multa alia, quæ licet simpliciter & quasi historialiter intelligenda sint, ad vitæ tamen pertinent maturitatem. Tempus collectionis, tempus est futuri sæculi, de quo A simpliciter, & quasi historialiter pronuntiamus: Qui bona egerit, ibit in vitam æternam; qui vero mala, in mortem æternam. Matth. 25.

In horto deambulatio est exemplorum obumbratio. Sed fructus horti defertur in cellarium. In hoc horto, sicut supra dictum est, sub arbore malo sponsa sedebat, dum humiliter contemplabatur seriem historialem humanitatis Christi: sed fructus ejus non fuisset dulcis gutturi ejus, nisi intrasset cellarium. Unde statim ibi sequitur:

32. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Fructus Cant. 2.
enim horti, ut dictum est, defertur in cellarium: amœnitas in horto remanet, utilitas alibi quærenda est: si eam invenire vis, ingredere cellarium. Tria habet 2. Cellarium.
B merita, quasi tres moralitatis cellas: habitum ad Præ- Tres habet cellas.
latos, quæ est disciplina; habitum ad pares, quæ est justitia vel amicitia; habitum ad subditos, quæ est caritas. Quod ut brevius & lucidius dicamus, est, ut sciat quis subesse, coesse, præesse. Prima cella plena est odoribus, secunda saporibus, tertia gratia. Prima enim magis proficit exemplis, secunda moralibus vel mysticis studiis, tertia charismatibus Spiritus-sancti. Hæc est enim cella vinaria. In hac bibunt amici, inebriantur carissimi. Nullus enim coram Deo altior est ordine Prælatorum, qui pleni sapientia Dei, & ipsius in subditis vicem gerentes, à fine possibilitatis attingunt fortiter ad finem impossibilitatis, & inter hæc duo dispo-
C nunt omnia suaviter. Isti pro fratribus, secundum Apostolum, optant anathema esse à Christo, sed à Christo beatitudine, non à Christo justitia. Utrumque enim nobis est Christus, & beatitudo, & justitia: sed tanto gloriosius acquirunt beatitudinem, quanto pro beatitudine nolunt deserere justitiam. Verba enim hæc Apostoli affectus sunt, non effectus.

Rom. 9.
Quomodo Apostolus optet esse anathema à Christo.

Hæc enim ebrietas, qua inebriantur carissimi, dum pro amore Dei & fratrum projicit quis intima sua, hæc est cella vinaria, in quam Sponsa meruit introduci, dum didicit in caritate præesse. Cella hæc juxta domum Regis est. Sæpe ergo exinde domum Regis ingreditur, & secretum cubiculi, tam per se, quam per subditos Domino Sponso serviens de com-
D missis sibi bonis & horti, & cellarii. Sive enim Prælatus, sive subditus, liberum huc habet accessum, quicumque istum caritatis induerit affectum. Unde sponsa superius cum trahi post sponsum desideraret, ipsa vero adolescentulas post se traheret, dicens, Curremus in odore unguentorum tuorum: statim ut ipsa profitetur, introduxit eam Rex in cellaria ista, ut inde acciperet unde illas reficeret, ne in cursu deficerent; & per ordinem de horto ad cellarium, de cellario ad cubiculum Regis eas 3. Cubiculum.
introduceret; nunc quidem per contemplationis & amoris affectum, postmodum vero per beatitudinis effectum. Porro domus unum habet præmium Domini, nisi quia per hoc in tria præmia dividitur, ut sciamus, quid,
E quantus, quomodo, id est quid sit Deus, corpus an spiritus; quantus, creatus an increatus; quomodo inveniendus.

33. Introduxit me ergo, ait sponsa, in cellam vinariam, id est in plenitudinem caritatis, in qua ne inebriata musto Spiritus-sancti perperam aliquid agerem, cum ad subditos redirem, *ordinavit in me caritatem.* Caritas duo habet, affectum, & actum. De affectu: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis*, in quo omnia affectus genera comprehenduntur.

Cant. 2. a
Caritas duplex, affectus & effectus.
Matth. 22.

Affectus ergo Deo debetur principaliter, secundario proximo, quem in Deo debemus diligere sicut nos. Nos enim primum, quia nobis conceditur principatus, ut pri-

Quænam debeatur quæ primo.

F mum amemus nos, deinde proximos sicut nos. Debetur autem caritati Dei quidam actus purgatorius, id est purgans nos ad visionem Dei, ut sunt vigiliæ, jejunia, meditationes, lectiones, compunctiones: debetur & actus proximo, sicut opera misericordiæ, & cetera quæ exigit necessitas activæ & socialis vitæ. Sed affectum Dei debemus per omnia præponere affectui proximi, non vero semper actui proximi actum Dei. Sed & in nobis debemus sæpe actum caritatis corporis præponere actui caritatis animæ; & actum caritatis animæ, actui caritatis Dei, id est contemplationi. Hæc tamen omnia cum exigit

An affectus Dei dilectionis effectivæ proximi semper præferenda.

necessitas, quæ non habet legem. Est enim lex caritatis, & est necessitas caritatis. Lex caritatis præcipit actum caritatis Dei præponere actui animæ, & actum animæ actui corporis. Necessitas caritatis sæpe omnia his contraria. Inde est quod multi dicunt, pauci intelligunt: Necessitas non habet legem.

[Ordo caritatis.]

Procedit ordo & regula caritatis, quæ præcipit suum corpus & alterius minus diligere quam suam & alterius animam; suam vero animam & alterius plus diligere quam suum corpus vel alterius: suam animam non plus quam alterius, sed alterius sicut suam. Hæc quantum ad affectum caritatis. Ceterum actus ipsius caritatis sæpe aliter ordinatur. Præponitur enim sæpe, ut dictum est, in actu corpus animæ, anima Deo. Quod si fratri tuo, ejusdem meriti & utilitatis tecum in eadem necessitate posito, prius subvenias, abundas caritate; si tibi, non peccas. Nam in eo quod dicitur, *sicut te*, primatus tibi conceditur: si autem disparis meriti fueris, meliori est subveniendum. Et cum omnes æqualiter diligere debeamus, non tamen sine causa familiares orationes facimus: non quod omnibus prodesse nolimus, sed quia illis maxime prodesse credimus orationes nostras qui nobis se committunt, vel quia magis corda nostra excitantur. Itaque hoc ordine Sponsus in me ordinavit caritatem.

[Cant. 2. 2 Triplex amor.]

34. Et quandoquidem Christi caritas urget nos ad vos, *Fulcite me floribus* affectionum vestrarum, *stipate me malis* operum, *quia amore* absentis *langueo*. Est amor pius, est amor fervens, est languens. Pius ad impetrandam veniam peccatorum, fervens in exhibitione operum, languens cum deficit anima in salutari Dei, id est intuitu contemplationis. Cum hæc dicens sponsa langueret, sursum sensit Sponsum præsentem, & levam ejus sub capite suo, dexteram veró ejus se amplexantem. Ideoque respirans, En, inquit, iterum Sponsus; *Læva ejus sub capite meo, & dextera ejus amplexabitur me*.

[Ibidem.]

Ponit ergo sponsa caput ut requiescat, non super lævam, sed in læva Sponsi, cum afficitur mysteriis humanitatis Christi: dextera vero Sponsi eam amplectitur, dum illuminatis oculis ejus, totam eam possidet amor Divinitatis, & intellectus. In hoc tam pio amplexu sponsa in idipsum obdormivit & requievit. Sponsus etiam exultans in amplexu caritatis ejus, filias Jerusalem adjurat, id est quamdam eis reverentiam erga sponsam inspirat. Adjurat autem eas per capreas cervosque camporum, cum exhibet eis agilitatem & alacritatem bonorum operum.

[Cant. 2. 8.]

*Adjuro*, inquit, *vos filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne non suscitetis* occasionibus necessitatum vestrarum, *neque evigilare faciatis* sponsam impulsu malorum vestrorum, *quoadusque ipsa velit*, id est contemplatione gratiæ meæ satiata, ex impetu concepti amoris, ipsa per se ad vos redibit. Sponsa de medio consolationis & contemplationis somno audiens verba Sponsi; id est, videns affectum gratiæ ejus, quia adolescentulæ nec eam excitarent, nec evigilare eam facerent; sed sicut capreæ cervique camporum in alacritate bonorum operum se exercerent, ipsamque in contemplationis suæ quiete inquietari nefas ducerent: exsurgens in laudem Sponsi; *Vox*, inquit, *dilecti mei*.

[Ibid.]

Hæc est vox dilecti mei, hæc est voluntas ejus, hoc est opus ejus, hæc est virtus ejus in illarum conversione, hæc est dulcedo ejus in mea dilectione. Ecce quomodo ordinata caritate omnia ordinata sunt & peccata, & *in pace factus est locus ejus, & in Sion habitatio ejus*; cum sponsa in amplexu Sponsi quiescit; cum Sponsus eam fovet & protegit; cum filiæ non suscitant eam, nec evigilare faciunt; sed potius bonis suis studiis lætam faciunt & jocundam.

[Psal. 75. a]

35. Hoc significabat mulier illa, quæ clamabat ad Eliseum mortuo viro suo, servo ejus, sponsam Deum Patrem invocantem per mortem filii sui viri ejus: *Servus*, inquit, *tuus, vir meus, mortuus est, & ecce venit creditor; ut tollat sibi duos filios meos ad serviendum sibi*.

[4. Reg. 4. a]

Sic & sponsa duos filios, alterum verbo, alterum exemplo genuerat, quos tulerat de manu diaboli. Cumque caritate ordinatâ sibi & Deo vacaret, filiosque negligeret, actumque Dei actui eorum præponeret; facta est fames verbi Dei: parvuli petierunt panem, nec erat qui porrigeret eis. Cœpit creditor diabolus redire, & jam non sicut perditor, sed sicut creditor illos repetere ad serviendum sibi. Mater verò quia non volebat labore bonorum studiorum & actuum agere, putans se acturam sola oratione, cœpit ad Deum clamare. Et quid dixit illi responsum divinum? *Quid habes*, inquit *in domo tua*, id est, in conscientia tua? At illa, *Vivit*, inquit, *Dominus, non habeo ego ancilla tua aliquid in domo mea, nisi parum olei in vase*, id est devotionis in mente, *quo ungar*. Nota delicias. Non eget pasci, sed desiderat ungi. At ille, *Vade*, inquit, *& pete mutuo vasa vacua non pauca*, id est auditorum corda, & mitte de oleo devotionis quo abundas per omnia vasa illa, *& cum impleta fuerint*, revertere ad me. Non enim, ut dicis, parum habes olei, quæ in tempore famis non solum pascendam te, sed ungendam præsumis. Audiens hæc sponsa, caritatem reordinavit; ut missa fuerat, oleum Spiritus-sancti mentibus auditorum infudit: Deus autem vacua vasa implevit. Quod cum factum esset, *Vade*, inquit, *vende oleum, & libera te à creditore*, id est pro effusione devotionis tuæ, æternæ vitæ exspecta præmia. *Tu autem & filii tui vivite de reliquo*: quia quanta à te aliis fiet olei hujus effusio, tanta à me tibi fiet infusio. Sed *vivite*, inquit, non *ungimini*: vos instate ut vivatis, tu videlicet & filii tui: ego tempore suo de unctione deliciarum vestrarum providebo.

# ADMONITIO.

## IN SEQUENTES DECLAMATIONES.

*Hujus opusculi auctor est Gaufridus Bernardi discipulus, qui istud ex variis sancti Patris sermonibus contexuit, uti ipse asserit initio prologi sequentis. Nam ubi in editis legitur*, è multis sermonibus Patrum; *scripti omnes præferunt*, è multis sermonibus Patris nostri. *Cheminionensis*, è multis sermonibus beati Bernardi Patris nostri. *In hoc codice sic habet libri inscriptio*: Incipit opusculum domni Gaufridi de dictis beati Bernardi ad Henricum Romanæ ecclesiæ tunc subdiaconum, postea monachum Clarævallis, deinde Cardinalem, super DIXIT SIMON PETRUS AD JESUM. *Codex Aquicinctensis scriptus ab annis quadringentis*: Liber de lectione Evangelica, ECCE NOS RELIQ. OM. collectus ex dictis domni Bernardi Abbatis Clarævallis. *In codice Vaticano* nº. *658. scripto pro Nicolao V. exstat sub hoc titulo*: De colloquio Simonis & Jesu ad Henricum Romanæ ecclesiæ subdiaconum, qui postea monachus Claravallensis factus est abbas apud monasterium sancti Anastasii de Urbe. *& in fine*, Explicit liber beati Bernardi. *Vallis-lucentinus antiquior*: Incipiunt capitula in opusculo, quod fecit Abbas Igniacensis ad Henricum &c. *Denique Claravallensis & Regiæ Navarræ codices Gaufridi nomen præferunt, non Bernardi. Ex quibus, aliisque codicibus intelligitur, hunc librum ab aliis Gaufrido, ab aliis Ber-*

*nardo olim fuisse attributum. Ex his unus est VVillelmus monachus Tornacensis, qui in Bernardino suo seu libro Florum ex Bernardo, librum* de colloquio Simonis & Jesu *passim sub Bernardi nomine laudat. Utrumque verum est, & Bernardi esse hoc opusculum, uti auctoris, & Gaufridi uti collectoris, qui ex ore dicentis varios Bernardi Sermones, de colloquio Simonis ad Jesum habitos, in unum conflavit. Sane tunc moris erat, ut ex ore loquentis exciperentur sermones non modo Bernardi, quod de sermonibus in Cantica aliisque constat, sed etiam aliorum, ut de Guerrici Abbatis sermonibus factum videbimus.*

*2. Gaufridus itaque istius opusculi non auctor, sed collector agnoscendus. At plures fuere ejus nominis monachi Claraevallenses. Abbatem Igniacensem vocat codex Vallis-lucentis. Is ergo est Gaufridus, Bernardi primum notarius, & post Guerricum Abbas Igniacensis, tum post Fastredum Claraevallensis, qui libros de Bernardi vita duos, & sermonem de eodem composuit. Henricus vero, cui opusculum istud nuncupatum est, ipse est quem idem Gaufridus laudat in actis Concilii Remensis contra Gilbertum Porretanum his verbis:* Dominus Henricus Pisanus, tunc Romanæ ecclesiæ subdiaconus, futurus postea Clarævallensis monachus, & ex abbate sancti Anastasii, sanctorum Nerei & Achillei presbyter cardinalis, &c.

3. *Anno* M. D. I. *typis vulgatus est iste liber Spiræ sub titulo* Declamationum *& nomine Bernardi, absque distinctione sectionum.* Declamationum *vocabulum cum nomine Bernardi in sequentes editiones transiit, non contra mentem auctoris, qui libellum hunc* instar cujusdam copiosi Declamatorii sermonis *à se compositum dicit. Ceterum cum auctor in fine prologi testetur, se hujus libri lectionem brevibus distinxisse sententiis, eamque scripti codices passim in* LX. *sectiones partiantur; hanc distinctionem ex mente auctoris servare visum est, rejiciendo ad marginem capitulorum divisionem ab Horstio inductam. Certe in codice Albomantellorum apud Parisios tractatus iste ita inscribitur:* Sententiæ exceptæ ex opusculis venerabilis Abbatis Clarævallis.

---

# GAUFRIDI ABBATIS DECLAMATIONES

## DE COLLOQUIO SIMONIS CUM JESU, ex S. BERNARDI sermonibus collectæ.

*Ad Henricum S. R. E. Cardinalem.*

### PROLOGUS COLLECTORIS.

UT tibi, dilectissime, præsentes exhortationis schedulas destinarem, quæ otiosa esse non patitur, nimirum credens omnia, & omnia sperans caritas persuasit. Ubi sane non tibi me propria tradidisse putes, nec tamquam nostra suscipias, sed è multis sermonibus sancti Patris nostri, quorum digna satis laus est in Ecclesia, quæ huic videbantur aptæ negotio, noveris decerpsisse sententias; & sub unam utcumque formulam redigendo, cujusdam copiosi Declamatorii sermonis instar, hunc tuæ dilectioni libellum edidisse. Hoc nimirum scribendi genus ad persuadendum efficacius arbitrabar, quod soleat amplius movere lectorem, vividas magis voces, quàm mutos apices repræsentans. Ceterum quoniam suspecta mihi ignorantia propria, propriaque oblivio est; hortor & moneo, ut si qua deprehenderis digna reprehensione, aut ipse ea corrigere studeas, aut si id forsitan ex mansuetudine refugis & humilitate, mihi saltem quæcumque te moverint, non dissimules amicabiliter intimare. Atque id quidem de sententia dixerim. Nam de verbis, erit forsitan invenire nonnullos, ad quorum aures si venerint, subsannent ea, dicentes: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Verum nil tale mihi super tua reor eruditione verendum. Quippe & metum hunc, & pudorem, suspicione carens caritas foras mittit. Affectum magis, ni fallor, in his quam verba pensabit amicus: præsertim quod non ostentationis, sed ædificationis edere paginam cogitarim, optans magis (si possibile videretur) & sine verbis hæc imprimere cordi tuo. Faciat hoc, qui invisibiliter operatur in cordibus electorum: & pia dignatione sua, suam hanc vocem reputans, vocem ei virtutis & efficaciæ largiatur.

Cur hic tract. ad modum sermonis declamatorii scriptus.

Job. 38, 2.

A Agit enim quod potest operosa dilectio, opportune instans, fortassis & importune. Nulla sane operi idonea magis occurrit digniorve materia, quam evangelica lectio, ubi felicissimum illud Simonis & Jesu colloquium continetur. Hanc ergo suscipere libuit, sed exhortationis magis gratia quam expositionis, ut scilicet ex ea sermonis occasio sumeretur. Sed & sententiis brevibus distinguere studui lectionem, ut distinctio ipsa fastidium non admittat.

*SENTENTIÆ de colloquio Simonis & JESU.*

§. I.

1. D*Ixit Simon Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Fidelis * sermo & dignum omni acceptione colloquium Simonis Petri & B Jesu. Familiaris siquidem & amica saluti obedientia est, sed obedientia firma & stabilis, quæ fundata est supra petram. *Melior est enim obedientia quam victimæ, & acquiescere nolle, ut peccatum hariolandi est.* Unde & vitæ quoque ipse Salvator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere, quam obedientiam non implere. Postremo & ipsum nomen Jesu, *quod est super omne nomen, in quo flectitur omne genu*, Apostolo teste, obedientiæ remuneratio est. Libet proinde sacratissimo huic interesse colloquio, & intima cordis aure percipere quæ dicuntur. Arbitror enim verba lectionis hujus ea esse, de quibus ad immortalem Sponsum à finibus terræ clamat Ecclesia: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Hæc nempe sunt verba, quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt quæ mona-

Mat. 19. 27. * CAP. I.

1. Reg. 15. 22.

Philip. 2, 10.

Psal. 16. 4. Vis verborum Christi.

chis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc, inquam, sunt verba quæ Ægyptum spoliant, & optima quæque ejus diripiunt. Hic sermo vivus & efficax, convertens animas felici æmulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli. *Exod.* 12. 35.

### II. *De relinquendis omnibus.*

2. Dixit enim Simon Petrus ad Jesum: *Ecce nos reliquimus omnia.* Bene optime, & non ad insipientiam tibi. Nam & mundus transit, & concupiscentia ejus: & relinquere hæc magis expedit, quam relinqui. *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Nimirum quia *exultavit ut gigas ad currendam viam*, nec currentem sequi poteras oneratus. Sed nec inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse. Nam & simul cum eo donantur omnia, & ubi apprehenderis eum, erit unus ipse omnia in omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt. Omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime. Plus enim concupiscentia mundi, quam substantia nocet. Et hæc fugiendarum causa divitiarum præcipua est, quod aut vix, aut numquam sine amore valeant possideri. Limosa siquidem & glutinosa nimis non modo exterior, verum etiam interior substantia nostra videtur; & facile cor humanum omnibus quæ frequentat, adhæret.

*Psal.* 18. 6.

Cupiditates potissimum relinquendæ.

Divitiæ cur fugiendæ.

### III. *De eo qui juga boum emit quinque.*

3. Age ergo qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento. Immo vero maxime & principaliter abnega temetipsum, si deliberas sequi eum qui exinanivit propter te semetipsum. Pone gravissimam sarcinam, pone asinariam molam, terrenam molem: pone illa quinque non hominum plane juga, sed boum, quæ tibi insipienter emisti. Alioqui sequi sponsum, & venire ad nuptias spirituales quinaria hac pressus & oppressus corporis sensualitate non poteris: sed & si novissime veneris & pulsaveris, minime profecto aperietur tibi; sed respondebitur de intus, quod non sit de bobus & asinis ceterisque jumentis cura Deo. An vero comparatum jumentis esse quis dubitet hominem, qui sibi juga emerit jumentorum? nisi quod eo sane ipsis quoque jumentis convincitur esse stolidior, & bestialior bestiis comprobatur, quod juga necessitatis earum propria ipse subierit voluntate. Quod enim illis natura est, huic culpa: dum tamquam unum ex his quæ ratione carent, sine ratione degens, & ipse sub corporeis similiter sensibus incurvatur. Sed quid eum juga subisse causamur? Arguamus magis emisse. Illud enim stoliditatis miserandæ, istud extremæ dementiæ est. Dignus est operarius mercede sua: nam ut mercedem pro opere tribuat, inauditum. Denique loquitur super hoc verbo Dominus per Prophetam, sub typo mulieris fornicariæ scelera arguens Israëlis: *Omnibus*, inquit, *meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & donabas eis ut intrarent ad te undique ad fornicandum; factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, & post te non erit fornicatio. In eo enim quod dedisti mercedes, & non accepisti, factum est in te contrarium.* Plane & in eo qui juga emit, contrarium fieri manifestum est. Quid * enim juga emit, & juga boum, cui jugum suave gratis offertur? Nam jugum Christi, jugum hominis est, siquidem & Christus homo. Nec modo gratis tribuitur, sed & copiosa his qui tulerint, remuneratio est, ut à nemine non dico emi, sed gratis sustineri queat. Quid ergo, miser, pro jugo boum distrahis animam tuam, qui jugum Christi suscipiens, emere poteras regnum Dei, mercari vitam, lucrifacere Christum? Nam sine jugo interim esse non potes, homo nimirum, qui *natus* es *ad laborem.* Sed *grave jugum super omnes filios Adam*, utique qui sequuntur eum. Nam super eos qui Christum sequuntur, *leve est & suave.* Postremo ut cetera sileam, cum sine jugo esse non possint; quale hoc ipsum est eligere potius quinque quam unum? Quis enim potest servire quinque dominis, nedum quinque tyrannis, quinque prædonibus? siquidem *oculus meus deprædatur animam meam.* Annon sæpe aliud gula exigit, ad aliud pruritus aurium vocat? Sic & odoratus & tactus diversa interdum imperant, forsitan & adversa, dum uterque communem sibi gestit præripere servum, & trahit sua quemque voluptas. Vides excusationem hominis qui propterea Christum non sequitur, propterea se excusat à nuptiis, quod juga boum emerit quinque.

Abnegatio sui ipsius necessaria Christi discipulo.

Homo terrena diligens bestiis comparatur.

*Ezech.* 16. 33.

* Cap. 2.

*Job.* 5. 7.

*Eccl.* 40. 1.

*Mat.* 11. 30.

*Thren.* 3. 51.

*Luc.* 14. 19.

### IV. *De multiplici dominio vitiorum.*

4. Quid si eorum laborem & dolorem consideres, si numeres juga, qui variis serviunt vitiis morum, magis quam corporum sensibus? Erit profecto invenire jam homines, qui multo magis in labore hominum non sint; sed longe amplius aliena ab homine flagella sustineant. Erit invenire ementes non modo quinque, sed plusquam quinquaginta quinque, non plane jumentorum juga, sed dæmonum. Contendunt ambitio & elatio cordis: altera nidum, altera foveam parat. Volare altera jubet, repere monet altera; cum neutrum profecto sit hominis. Quis enim es tu, ait hæc, quis vero ille vel ille est, aut quæ domus patris eorum, ut eis in aliquo cedas, ut revereаris eos, ut eis aliquatenus blandiaris? At bonus sermo bonum invenit locum, ait ambitio, & interdum quoque qui prodesse non potest, potest obesse. Unde dissimula: primum vinum bonum pone, donec veniat hora tua. Avaritia quoque & appetitus laudis sibi invicem adversantur, & quod hæc congregat, hic dispergit. Nec minus contraria sunt quæ simulatio & pusillanimitas suggerunt impudentiæ, impatientiæque clamoribus; & utraque labor & dolor, & afflictio spiritus sunt.

### V. *De duabus sanguisugæ filiabus.*

5. Hæc autem omnia, similiaque ac dissimilia mala, ex una radice pullulant, propriæ scilicet voluntatis. Hujus enim sanguisugæ duæ sunt insatiabiles filiæ, clamantes, *Affer, affer.* Si quidem nec animus vanitate, nec voluptate corpus aliquando satiatur, ut scriptum est: *Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* Fuge sanguisugam hanc, & omnia reliquisti. Hæc enim omnia trahit ad se. Pone hanc, & jugum tam importabile, quam multiplex abjecisti. Non est enim dominus crudelis ad illam; non est tyrannus impius & inhumanus sic urgens servulum, & non parcens. Fatigatum magis instigat, subditum premit durius. Inquietum malum, quod spiritui semper incubans, inexcogitabilia meditatur. *O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?* Nullum mihi onus importabilius, nulla gravior sarcina est. Factus sum mihi *talentum plumbi*, & resedit iniquitas super illud. Sed audiam vocem solatii, audiam quid loquatur magni consilii Angelus. *Venite*, inquit, *ad me qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris.* Verum hæc alias; invenient forte in novissimis locum sibi. Interim sane felices liquet esse, qui exonerati sunt, & sequuntur Dominum expediti. Arctissimum enim nos foramen exspectat. Si quem sequimur, consequi volumus, per angustam contendamus ingredi portam necesse est. Qui tu, camele, gibbum; quid tu, pecuniose, proditoris loculos tollis? Non sic impie, non sic ingrederis. Foramen acus hujusmodi sarcinas non admittit.

Ex radice propriæ voluntatis quot mala pullulent

*Prov.* 30. 15.

*Eccl.* 1. 8.

*Job.* 7. 20.

*Zach.* 5. 7.

*Math.* 11. 28

Per arctam viam ingrediendum.

### VI. *De divitiis Patrum veteris Testamenti.*

6. Sed * excusant aliqui fortasse dicentes: Abraham, Isaac & Jacob, ceterique sancti numquid non terrenas divitias habuisse leguntur? Sufficit nobis esse sicut illi fuerunt: neque enim sumus nos Patribus meliores. Si culpabilis esset possessio divitiarum, numquam illi in divitiis tantam à Domino gratiam obtinuissent; aut tan- * Cap. 3.

tam gratiam consecuti, divitias nihilominus possedissent. Quid respondebimus novis imitatoribus Sanctorum veterum? Imponant certe vitulos super altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia & hoc Abraham fecit, & hic ritus Patrum, quibus non modo meliores non sumus, sed ne digni quidem solvere corrigiam calceamentorum eorum. Sed hæc, inquiunt, statum ultra non habent; ubi revelata est veritas, transiere. Quid si ipsas quoque Sanctorum divitias temporales, umbram fuisse dixerimus futurorum? In figura siquidem eis omnia legimus contigisse. Denique quidni terrenas palam divitias possiderent sancti & perfecti viri, cum sola adhuc terrena palam promitterentur à Deo? Sicut enim sacrificiis illis, sic & divitiis, carnalibus adhuc populis dispensatio divina morem gerebat: nimirum ut tamquam parvuli paulatim à gentilium ritu secederent, eadem quæ gentes dæmoniis, Domino immolantes, eademque & illi, sed à Domino, non à dæmoniis exspectantes. Ubi sane cælestis promissio sonuit, spiritualia jam necesse est spiritualibus comparari, & mutari sacrificium spe mutata. Noverant hæc quicumque vel eo tempore fuere perfecti, sed ex caritate populo cohærebant, ut in manifesto quidem & agere eadem, & eadem quærere viderentur. An forte violenta videtur extortio, quod de umbra dicimus & significatione? Olim alter super hoc scripserat in hunc modum: *Nullus mihi opponat aurum templi Judæorum. Tunc enim hoc fuit, quando sanguis immolabatur, quod totum figura fuit. Aurum ergo repudiemus cum ceteris superstitionibus Judæorum: aut si aurum placet, placeant & Judæi.* Postremo non multos legisse me recolo aut non afflictos graviter, aut non graviter in ipsa sæculi hujus prosperitate tentatos, forte & periclitatos.

1. Cor 10 11. Cum justis sub vet. lege bona terrena potius, quam in nova lege concessa.

S. Hier. ep. 2. ad Nepot.

## *VII. Quomodo Judæus inter aquas, Petrus super aquas.*

Prærogativa temporis gratiæ.

7. Nimirum longe aliud est in luto aquarum multarum divisi fundo maris iter carpere, terrena licite possidendo: aliud ipsam novis gressibus undam calcare, omnia relinquendo. Sed tempori gratiæ prærogativa hæc debeatur: Petro novum iter & novi typus itineris servabatur. Antiquorum sane Patrum diebus, donec in terris videretur & conversaretur inter homines Dominus majestatis, non erat evangelicæ forma perfectionis, sed spiritum Deum solo interim spiritu sequebantur. At ubi *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; jam nobis in eo tradita est imago vitæ, & conversationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, ut utroque sequentes vestigio, non ulterius cum Patriarcha Jacob altero femore claudicemus. Ubi enim audivimus quia dictum sit antiquis: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus?* Et item, *Si vis esse perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me?* Nec id dicimus, tamquam salvari quis vel hoc tempore nequeat, si secus egerit; sed ut gradum agnoscat proprium & locum perfectionis, aut discipulatus officium non usurpet.

Johan. 1. 14.

Gen. 32. 31.

Luc. 14. 33.
Ibid. 18. 22.

## *VIII. De remedio imperfectorum.*

Habent enim Evangelia & perfectionis consilium, & remedium infirmitatis. *Nolite thesaurizare vobis thezauros in terra*, hæc perfectio est. Siquidem filius hominis, ubi caput reclinaret, non habebat. Petro & Johanni nec argentum nec aurum erat. Paulus victu simplici vestituque contentus, hæc ipsa labore manuum acquirebat. Sed non omnes capiunt verbum hoc, sicut nec consilium castitatis. Quid dicitur populo? *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Verba Domini sunt, & quod loquitur, tale est. Firma equidem stat immobilisque sententia, eos qui *volunt in hoc sæculo divites fieri, incidere in tentationem laqueumque diaboli*: sed quia misereor super turbam, & ipsum quoque camelum (quod homo non potest) per foramen acus traducere

Mat. 6. 19.

Luc 9. 58.
Act. 3. 6.
1. Tim. 6. 8.

Luc. 16. 9.

1. Tim. 6. 9.

A possum: cavete saltem à verbo aspero, qui laqueum venantium minime declinatis. Vestite nudum, egenum alite, visitate infirmum, ne forte audire contingat sermonem durum, asperum verbum, auditionem malam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Ac si manifestius dicat: Væ vobis divites, qui habetis consolationem vestram. Attamen unum jam superesse videtur. Communicate eam pauperibus quorum, est regnum Dei, ut cum venerit hora eorum, reminiscantur, & deficientes vos recipiant in æterna tabernacula sua: & consolationem suam, quam modo prudenter exspectant, B dum vestram ipsi percipiunt, misericorditer communicent desolatis. *Mensuram* enim *bonam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinus eorum*: nec erit illud pallium breve, quod duos operire non possit, aut stratum coangustatum, unde decidat alter.

Mat. 15. 4[illegible]
Luc. 16. 9
Luc 6 24
Quid facie[ndum] diviti[bus], ut f[...] ventur.

Luc. 6. 38
Isa. 28. 2[illegible]

## *IX. De periculo Clericorum.*

9. Hinc * est quod dotatas & ditatas videmus ecclesias à potentibus & divitibus hujus sæculi, qui in operibus bonis divites, juxta Evangelii admonitionem, amicos sibi facere studuerunt de mammona iniquitatis, à quibus in æterna tabernacula reciperentur. Quidni sperarent ab his recipi, qui claves videntur habere? C Sed heu, data est ipsa providentia eorum in occasionem carnis, & qui sibi pariter atque aliis in cælo tabernacula æterna parare debuerant, in terra conjungunt domum ad domum, & agrum copulant agro. Quis rapuit ab ore Apostolorum * temporis hujus verbum gratiæ, fiduciæ verbum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te?* Ecce enim ut populus, sic & sacerdos. Similiter volunt in hoc sæculo fieri divites; similiter, immo & abundantius suam hic præripiunt consolationem. Similiter amicis egent & ipsi, ut in aliena saltem tabernacula suscipiantur, utpote propria non habentes. *Beati* enim *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ceterum hominibus, qui perfectionis obtinent locum, D dignitate pollent, auctoritate præeminent, funguntur officio, an inter hæc infirmitatis & imperfectionis, quam usque adeo diffitentur, liceat saltem sperare remedium, ipsi hinc quoque sint judices, ipsi inquam judicent utrum liceat. Nam quod minime deceat, manifestum est: nobis sane liceat vel audire dicentem: *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur.* Sed & Presbytero *, qui forsitan derogare timebunt, quoniam sanctus est, uti liceat solita spiritus libertate, nulli blandiri, palpare neminem; sed nude nudam promere veritatem. *Clericus*, inquit, *qui partem habet in terra, non habebit partem in* E *cælo.* Itemque, *Clericus si quippiam habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis Dominus pars ejus fieri non dignatur.*

* CAP. 4[illegible] Cur à di[vi]tibus tam large dota[tæ] ecclesiæ.

* Intelligi[t] Eccl[e]si[a]sti[cos] hujus tem[po]ris, success[o]res Apost[olo]rum.
Isa. 24. 2.

Matth. 5.

Math 5 1[illegible]

* S. Hiero[]nymo.

Epist. 2. [ad] Nepot.

## *X. Quomodo Clerici à singulis generibus hominum quod delectat usurpent.*

10. Videtur & sanctus David cauterio gravi inurere quosdam, ipsi viderint quos hæc parabola tangat. *In labore*, inquit, *hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia.* Habent enim singula quæque genera hominum laboris aliquid, F aliquid voluptatis. Sed advertere est prudentiam aliquorum, & mirari quemadmodum novo inter hæc artificio discernentes, & ab invicem sequestrantes ea, totum quod delectat eligunt & amplectuntur: quod molestum est, fugiunt & declinant. Cum militibus nempe superbiæ fastus, amplam familiam, & nobiles apparatus, equorum phaleras, accipitres, aleas, & similia quæque frequentant. Aliqui forte dependentes à collo rubricatas murium pelles, ornatos thalamos, balnea, & mollitiem omnem atque gloriam vestium à mulierculis mutuantur; caute omnino loricæ pondus, & insomnes in castris noctes, incertaque discrimina prœliorum, muliebrem

Psal. 71. 5[illegible]

liebrem quoque verecundiam & disciplinam, aut si quid sexus ille laboris habere creditur * declinantes. Sudant agricolæ: putant & fodiunt vinitores: & qui inter hæc torpent otio, accedente fructuum tempore innovari sibi horrea jubent, & promptuaria eorum plena, utinam non præ illis: utinam vel cum illis. Vivunt tritico, bibunt uvæ sanguinem meracissimum: parum est, impinguantur & dilatantur adipe frumenti. Herbarum succis peregrinum mutuantur vina saporem, & additur oleum camino.

11. Sed considera & negotiatores. Circumeunt mare & aridam, in labore corporis, & periculo vitæ perituras sibi divitias congregantes. Dura sunt hæc: caveant prudentes nostri: dulces interea capiant somnos, ne dicam, in stratis lasciviant suis. Erit tamen invenire in die festo graves vasis aureis & argenteis ministrorum dextras, refertas variis opibus manticas, perticas oneratas, & in scriniis tam multiplices loculos, ut si mensas adhibueris, numularios putes. Quid fabros aut cæmentarios, ceterosque ejusmodi operarios necesse est numerare? Victum sibi multo labore quærunt: illi madent deliciis, copiis affluunt otiosi. An non merito tales Poëta subsannet?

*Ne cum forte suas repetitum venerit olim*
*Grex avium plumas, moveat cornicula risum*
*Furtivis nudata coloribus.*

Magis autem magnus ille Propheta & plusquam Propheta terribiliter increpet, dicens: *Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* Ubi enim sunt pœnitentiæ fructus? Cum cœperint resurgere homines unusquisque in ordine suo, ubi putas generatio ista locabitur? Si ad milites forte diverterint, exsufflabunt eos, quod minime secum laborem aut pericula tolerarint. Sic agricolæ; sic negotiatores, & singuli quique ordines hominum à suis eos similiter arcebunt finibus, utpote qui in hominum labore non fuerint. Quid igitur restat, nisi ut quos omnis ordo repellit pariter & accusat, eum sortiantur locum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat?

### X I. De officio Clericorum.

12. AN forte ad electionem Cleri audeant adspirare? Magnus enim vere eorum locus in regno Dei: & bonum sibi, sed qui bene ministraverint, gradum acquirunt. Ceterum suus & ipsis nec modicus labor esse videtur, & dicebat qui plus omnibus laboravit: *Qui non laborat, non manducet.* & Petro dictum est: *Simon Johannis, amas me? pasce oves meas.* Idemque tertio repetitum: tertio dictum, *Pasce*; nec mulge, seu tonde vel semel additum est. Speret ergo discipuli locum, gradum ministri, qui Dominicum pascere gregem satagit, quam tondere: pascere vero tripliciter, exemplo conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis; & pascere ad mandatum Christi, ut *nemo sibi hunc sumat honorem, sed qui vocatus fuerit à Deo tamquam Aaron. Per eum* nempe *si quis introierit, salvabitur, & inveniet pascua. Si vero ascenderit aliunde, plane fur est & latro.* Atque utinam vel quæratur jam inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.

### XII. Excusatio quod nonnisi manifesta loquatur.

13. NEmo tamen indignetur nobis, aut moleste accipiat quæ dicuntur. Si sanctus est, & minime sibi conscius horum, congratulamur ei: doleat & ipse nobiscum in pluribus hæc inveniri. Nec enim *revelamus nunc occulta dedecoris, nec parietem fodimus, ut abominatio major appareat.* Nullum adhuc de fornicatione fecimus verbum, quamvis & hæc in multis etiam & multipliciter regnet, qui puritatis auctori, impuro corde & corpore ministrantes, non verentur stare ante Angelum Domini, qui fecet medios & disperdat: sed omnino audent Agni immaculati sacras contingere carnes, & intingere in sanguine Salvatoris manus nefarias, quibus paulo ante carnes, prô dolor! meretricias attrectarunt: sic altaria circuire, sic frequentare psalmos; cum & ejusmodi laus exsecrabilis, & oratio fit in peccatum. Sed nec eorum sacrilegia recensemus, qui diligunt munera, sequuntur retributiones, vendunt sacramenta, justitiam produnt. quorum guttura nec dum traxit ad laqueum, necdum præfocavit fauces verbum blasphemiæ, vox sacrilega, sermo nequam: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Videmus hæc omnia, sed quodammodo non videntes, quippe quibus nec flagellum est, nec ille comedens zelus. Manifesta loquimur, & quæ vix aliqui erubescunt. Postremo & nos in Clero fuimus: liceat vel nostra scrutari.

### XIII. Quomodo intrent Clerici ad ecclesiastica beneficia.

14. VIdete * *vocationem vestram*, ait vocatus Apostolus. Consideremus & nos an vocati venerimus, & vocati à Deo, cujus nimirum hæc vocatio est. Nec communem modo vocationem dixerim, qua sane juxta eumdem Apostolum, *quos prædestinavit, hos & vocavit*: sed quis vocaverit nos in honorem Cleri, convenire velim conscientias singulorum, ut secundum præceptum Domini ad cor Jerusalem loquar. Huic enim parvulo adhuc, aut forsitan necdum nato, ecclesiastica jam beneficia provida sane parentum sollicitudo parabat. Hunc nos, inquiens, illi vel illi trademus Episcopo, apud quem habemus gratiæ locum, aut cui forte servivimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra dividatur hereditas. Illum Præpositus aut Decanus ut sibi succederet, plusquam materno educavit affectu, in deliciis enutriens, & delictis. Ille dignus archidiaconatu, utpote filius Principis; magis autem si sit Episcopi consobrinus, in quo nimirum tota est episcopata progenies. Alius undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, miseraque sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus & pedibus repens, si quo modo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi & bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inveniuntur exposita. Nimirum peregre profectus est, sed in plenilunio forte, ut sua districte repetat, rediturus.

15. Quis ea intentione gradus ecclesiasticos & ministeria sanctuarii quærit, immo quæritur (quæri nempe, quam quærere ipse debuerat) ut sine curis sæculi, in sanctimonia cordis & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & suam pariter ac proximorum operetur salutem, orationis studio deditus, & verbo prædicationis? Nam si ea quærit aut tenet animo, eoque intuitu, ut huic vitæ habeat necessaria; evangelizat ut manducet, & perverso nimis ordine, cælestibus terrena mercatur. Quam certe dignius, ampliusque consentaneum rationi, ut pro carnali victu carnalia magis opera & negotia exerceret, nec fieret inversor rerum, aut inhonoraret ministerium spirituale? Sed modico est natura contenta, nec multi sola in his necessaria quærunt, quippe minori facile satis obtinenda periculo. Honorati incedere volunt, placere student hominibus, delectari & superbire, & huic sæculo per omnia conformari. Audi querelas Domini, quid super hac tanta hominum temeritate loquatur patiens redditor, pœnitentiam cupiens, quam vindictam: *Ipsi*, inquit, *regnaverunt, & non ex me: principes exstiterunt, & ego non vocavi eos.* Universos siquidem in ordinibus ecclesiasticis ceterisque ad Sanctuarium pertinentibus honorem quærentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptatem, postremo quæ sua sunt, non quæ Jesu-Christi; manifeste prorsus & indubitanter, non ea quæ Deus est caritas; sed aliena à Deo & omnium radix malorum, cupiditas introducit. Quid istud temeritatis, immo quid insaniæ est. Ubi timor Dei, ubi mortis memoria, ubi gehennæ metus, & terribilis exspectatio illa judicii? Sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi nisi rege introducente præsumit: tu irreverenter irruis nec vocatus, nec introductus? *Trahe me post te*, ait illa, *in odore unguentorum tuorum curremus.* Nunc autem trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes,

[Margin notes: *al. cerni-* | *Horat. l. 1. Ep. 3.* | *Luc. 3. 7.* | *Clerici quinam nullius ordinis.* | *1. Tim. 3. 13.* | *2. Thes. 3. 10.* | *Joan. 21. 15.* | *Clerici tripliciter pascere debent.* | *Heb. 5. 4.* | *Joan. 10. 9.* | *Ezech. 12. b* | *Audacia Sacerdotum immundorum.* | *Luc. 13. 35.* | *Psal. 108. 7.* | *Mat. 26. 15.* | ** Cap. 5. 1. Cor. 1. 26.* | *Rom. 8. 30.* | *Isa. 40. 2.* | *Qualis debeat esse finis adspirantium ad ordines.* | *Perversus finis quorumdam.* | *Osee. 8. 4.* | *1. Tim. 6. 10.* | *Cant. 1. 3.*]

1. Tim. 6. 5.

quæstum æstimant pietatem : quorum certa est damnatio.

### *XIV. De loculis Judæ.*

Legitime ingressus de perseverantia non securus.

Galat. 3. 3. 1. Reg. 9. 16. Johan. 6. 71. * al. locum. 1. Tim. 6. 7. Divites peccata non opes hinc secum efferent. Coloss. 3. 5. Philip. 3. 19.

16. Verum etsi irreprehensibilis videatur ingressus, & intentio casta : nihilne ultra timendum est? Timendum quidem, & maxime. Neque enim quicumque spiritu cœperint, etiam spiritu consummantur, sed carne nonnulli. Denique & Saül princeps constitutus à Domino, & Judas non ab alio electus in Apostolum memoratur. *Nonne ego*, inquit, *vos duodecim elegi; & unus ex vobis diabolus est?* Utinam in duodecim unus hodie Petrus; unus qui reliquerit omnia; unus qui loculis careat, inveniatur. *Unus*, inquit, *ex vobis diabolus est.* A duobus utique bolis diabolus dicitur; & Judas non loculum*, sed loculos habet. Utinam saperes, miser, & intelligeres cum thesauro pecuniæ thesaurum iræ pariter cumulari : utinam novissima providens, animadverteres facile per foramen acus transituros non divitiarum cumulos, sed delictorum. *Nil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium, quia nec auferre poterimus quicquam.* Sane argentum & aurum non nihil est : sibi utrumque retinet mundus. Inexorabilem constituit janitorem : foramen angustum est, nihil ex omnibus asportare licebit. Nam peccatum, quoniam nihil est, nulla potest foraminis angustia retineri. Solum hoc te sequitur quocumque ieris : quacumque intraveris, pellem hanc non depones. Quæ autem parasti insipiens, cujus erunt? Væ væ in domo Dei horrendum videmus. Quidni idololatras ministrantes? Mentior si non idolorum servitus avaritia est; si non quibusdam etiam venter suus factus est deus suus. Quod enim quisque præ ceteris colit, id sibi deum constituisse probatur. Quantos sane videmus qui diligunt munera, sequuntur retributionem? Quantos qui Christo Domino non serviunt, sed suo ventri?

### *XV. De quatuor virtutibus.*

Mat. 24. 45. Johan. 4. 34. Psal. 29. 6. 1. Cor. 14 38. * Cap. 6. 1. Cor. 7. 40. 1. Cor. 2. 11. 1 Johan. 2. 28. Mat. 7. 3.

17. Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis escam in tempore?* Quæris forte quam escam? *Meus*, inquit, *cibus est ut faciam voluntatem Patris mei.* Nimirum *vita in voluntate ejus*, qua quidem nec pasci ipse, nec alios pascere poterit, nisi fidelis sit & prudens, ut eam & intelligat, & diligat : diligat autem fortiter, diligat & ferventer. Quando enim excusare ignorantia possit hominem, qui se magistrum infantium, doctorem insipientium profitetur? Ignorans utique ignorabitur, immo & multos ignorare faciet & ignorari. Quid * enim periculi sit, ubi non invenit pastor pascua, ignorat dux itineris viam, vicarius nescit domini voluntatem : Ecclesia quotidie multipliciter & miserabiliter experitur. Est enim ut sacratissima, sic & secretissima res voluntas Dei, & occultum omnino consilium, de quo & Apostolus gloriatur : *Puto*, inquiens, *quod & ego spiritum Dei habeam.* Unde & ipsa Veritas ait : *Nemo scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui est in ipso. Sic & quæ Dei sunt, nemo novit, nisi spiritus Dei, qui in ipso est.* Utilis proinde lectio, utilis eruditio est, sed multo magis unctio necessaria, quippe quæ sola *docet de omnibus.* Unde autem scire videbitur quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta, qui nec pulsare, nec quærere, nec petere consuevit; qui donec alienarum curam suscipiet animarum, numquam suæ gessisse curam, sed in vano eam visus est accepisse? Atque utinam vel tunc curaret suam, ut meam quoque postea curaturum sperare liceret; & de suo prius oculo festucam ejiceret, de meo videret ejicere trabem. Nam de his quidem qui & ubi forte intelligunt Domini voluntatem, negligunt tamen, & quantum prævalent adversantur ei : qui dederunt manus morti, & cum inferno iniêre fœdus, ut odientes bonum, adhærentes malo, parati sint gratis consentire peccato, fovere malitiam, favere iniquitati, quoniam odibiles Deo, & mundo exsecrabiles esse constat, melius est silere quam loqui.

18. Sane nemo repente fit turpissimus : & vix aliquis in hunc affectum nequitiæ nisi prava consuetudine pertransivit. Nemo repente fit pessimus. Sunt enim infirmi & tepidi amatores justitiæ, quibus aut vigor, aut fervor deest, aut fortasis uterque; cum uterque sit summopere necessarius, inter prospera quippe & adversa versanti. Ut enim vigoris esse dignoscitur, nequaquam cedere tribulationi, sed pro justitia persecutionem utiliter sustinere : sic fervori videtur attribuendum, nullis capi voluptatibus, nullis illecebris enervari. Quæ quidem tum omni populo tum maxime & specialiter ducibus populi sunt necessaria, ne forte in perniciem omnium errare contingat. Quid enim refert qua occasione viam deserant veritatis, seducantur ignari, sequantur spontanei, compellantur inviti, seu attrahantur illecti? quid interest, dummodo eant in perditionem? Sic enim Evæ prudentia, Adæ temperantia, Caïn omnino justitia, Petro defuit fortitudo. Quam quidem virtutis quadrifariæ perfectionem & cathedram sanctitatis omnimodis exigit ministerium hoc de quo loquimur : ut hac dote carens, frustra sibi, tam quam per Christum introierit, blandiatur. Siquidem dicitur ignoranti : *Si cæcus cæco ducatum præstet; nonne ambo in foveam cadunt?* Et item : *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus; & tenentes legem nescierunt me, Ipsi prophetæ & pastores abierunt in terram quam ignoraverunt.* Dicitur & iniquo : *Fur non venit nisi ut mactet & perdat.* Et illud : *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Dicitur pusillanimi : *Mercenarius, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & fugit, quia non est ei cura de ovibus.* Dicitur ei qui post concupiscentias suas vadit * : *Mors est posita secus introitum delectationis.* Dicitur item : *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu-Christi.* Verum hoc hactenus.

Virtutum cardinalium perfectio quiritur Prælatis. Mat. 15. Hier. 2. Johan. 10. Psal. 51. Johan. 10. * S. Bened. reg. c. Philip. 2.

### *XVI. Quomodo deserviant Clerici pro iis quæ de ecclesiis habent.*

* Cap. 4. Reg. 4. Osee. 4. Psal. 65. Luc. 23. Querela populorum in judicio contra malos Clericos.

19. Jam * qui per Christum sibi in sortem ministerii hujus introisse videtur, de cetero quemadmodum ei serviat, quemadmodum ministret, quemadmodum pascat tripliciter, ut prædiximus, gregem Domini, sollicita secum examinatione discutiat. Indignus enim lacte & lana convincitur, si non pascit oves. Si non vigilat in custodia gregis : judicium sibi manducat & vestit. Væ, væ tibi Clerice : *Mors in olla.* Mors in ollis carnium : mors in hujusmodi deliciis est. Non modo, quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maxime, quia populi constat esse peccata quæ comedis. Sumptus ecclesiasticos gratis habere te reputas? Cantando (ut aiunt) bona tibi provenire videntur : sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare. Peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur. Sollicitus esto, tamquam redditurus rationem, dignos pro eis gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus. Alioquin tibi ea noveris imputanda, quæ modo inter delicias comedis, & parvipendis, & dissimulas, tamquam nihil attinentia tibi. O judiciorum Dei abyssus multa! O *terribilis* Deus *in consiliis super filios hominum!* Frustra tunc incipient miseri dicere montibus, *Cadite super nos : & collibus, Operite nos.* Venient, venient ante tribunal Christi : audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluêre peccata : quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. Quid tibi, insipiens, deliciæ sapiunt? quid divitiæ illæ cæcos oblectant oculos, quibus mercaris tam grave judicium, tam duræ temetipsum obligas rationi? Universa siquidem usque ad quadrantem novissimum exigêris.

### *XVII. Quomodo eosdem reditus expendant.*

1. Tim. 1. Cor. 1. Tim.

20. Sed esto studiose quis & fructuose laboret. *Dignus plane est operarius mercede sua : ut qui altario servit, de altario vivat.* Vivat, inquam, de altario, ut juxta eumdem Apostolum *alimenta & quibus tegatur habens, his contentus sit.* Tertium enim hoc periculum est : *De altario,*

inquit *vivat*, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur; *non*, contra Sancti * cujusdam plane dignam omni acceptione sententiam, *ex clericatu ditior fiat* *. Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla paladia fabricet, mutans quadrata rotundis; nec loculos inde † congreget; nec in vanitate aut superfluitate dispergat; non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia sunt pauperum, facultates ecclesiarum: & sacrilega eis crudelitate surripitur, quicquid sibi ministri & dispensatores, non utique domini vel possessores, ultra victum accipiunt & vestitum. Nec enim ordinavit Deus his qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere delicias vel ornatum, sed vivere (ait Paulus) ex eo, ut videlicet sint contenti alimento corporis; non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere. Sane qui non fideliter introivit, neque per Christum, quidni infideliter agat, & contra Christum? Manifestam sine dubio faciet arborem fructus, radicem palmes, opus intentionem. Faciet ad quod venit, ut mactet utique & disperdat. Quando enim altario serviat qui ejusmodi est: serviat autem *in spiritu & veritate? Tales* nimirum *Pater adoratores quærit*. Alioquin ministratio mortis est, in judicium & condemnationem. Aut quando poterit necessariis esse contentus, qui eo animo introivit, ut stipendia cleri in usus voluptatis, curiositatis & vanitatis congreget, servet, expendat? Triplex * ergo funiculus qui difficile rumpitur, hominem miserum in perniciem trahit, qui impure intrat, indigne ministrat, sed & ipso fructu abutitur temporali.

* Hieron. ad Nepot. v. Bern. Epist. ...
* MSS. adjunt ex ignobili gloriosus.
† al. Judæ.
Similia habet Hier. ad Pammach. de obitu Paulinæ.
Joan. 4. 23.
* Cap. 8.

### XVIII. De virga & baculo.

21. QUid enim si in hoc mundo floret, & prosperatur in via sua? Arescet velociter, cito decidet flos fœni, & vapor ad modicum parens. Parcitur virgæ, quoniam *invenitur iniquitas ejus ad odium* utique, non ad iram. *Virga*, inquit, *tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Habet enim virgam, sed habet etiam baculum. Et hæc consolatio est, quod is qui virga cæditur, baculo sustentetur. Aut certe portat pastor virgam & baculum, illam ovibus, illum lupo, omnia autem propter electos. Siquidem & virga eos consolatur à stimulis conscientiæ, dum hoc modo sentiunt sibi peccata dimitti, dicente Domino: *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas*. Et baculus juvat ad tolerantiam virgæ, dum illius comparatione fit levior. Econtra vero dicitur induratis: *Frons mulieris meretricis facta est tibi: erubescere noluisti*; & addit: *Recessit zelus meus à te, ultra non irascar tibi*. Quem enim *diligit, arguit, & flagellat omnem filium quem recipit*. Liquet proinde eos qui in labore hominum non sunt, & cum filiis non flagellantur, nec diligi à Deo, nec recipi. An tu forte quos in mundo florere conspicis, ab auctore mundi diligi putas? Audi quid super hoc Scriptura loquatur.

Psal. 35. 3.
Psal. 22. 4.
Isa. 43. 25.
Jer. 3. 3.
Ezech. 16. 42.
Heb. 12. 6.
Psal. 72. 5.

### XIX. Quis sit amicus mundi.

22. OMnis qui voluerit amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituitur, & alio loco: *Carissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo*. Verba sunt Apostolorum, prius quidem Jacobi: posterius ejus discipuli quem diligebat Jesus, qui & ipsius ignorare non posset animum *. Sed vis nosse quis sit qui diligat mundum? Neque enim creaturas Dei juberis odisse, sed quæ à Deo non sunt, ea diligere prohiberis. Quæ vero sint hæc, Johannes ipse loquitur adjiciens: *Nolite*, ait, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Omnia enim quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi: quæ non sunt*, inquit, *ex Patre, sed ex mundo*. Viderit hic quisque cujus sit spiritus, quid diligat, quid cupiat, quid sectetur. Ecce enim speculum veritatis: tantum ne quis considerato vultu conscientiæ suæ prætereat, & qualis fuerit obliviscatur. Ambitio, curiositas & voluptas non ex Patre sunt, sed ex mundo. Aut certe quia multi codices habent non *ambitionem sæculi*, sed *superbiam vitæ*; *in concupiscentia carnis* universam accipe corporalium sensuum delectationem, qua quidem nec ipsa curiositas caret; ac deinceps *concupiscentiam oculorum*, quæcumque ad humanum diem (quem Propheta minime concupivit) & sæcularem gloriam, & extrinsecam pertinent vanitatem. Porro in *superbia vitæ*, elationem cordis intellige. Hæc enim tria qui diligit, mundum diligit, & Dei constitutus est inimicus. Suscipiat autem qui ejusmodi est, reconciliationis officium, non mediatoris; qui etiam proditoris scelere inimicitias cumulavit: ut merito jam non ut hostis, sed ut traditor judicetur, ut Judas utique, non ut Saulus.

Jac. 4. 4.
Johan. 2. 15.
al. amicos.
Johan. 2. 17.
Jer. 17. 16.

### XX. De impudentia.

23. NAm cum impudentia & frontositas cor obduraverit ut non paveat, non horreat, non contremiscat: ea jam demum desperatio est. Quid enim? Horum sibi conscius homo, tamquam qui justitiam fecerit, divino sese vultui sistere non veretur, tamquam domesticus intrat & exit, magistrum salutat, genua flectit, osculatur ore sacrilego, dolose agit, sed in conspectu Dei: *ut inveniatur iniquitas ejus ad odium*. Odibilis plane Deo frontosa temeritas, & impudentia exsecranda. *Propter quid* enim *irritavit impius Deum, exacerbavit Dominum peccator, ut secundum multitudinem iræ suæ non quærat?* Num propter fornicationes, incestus, aut sacrilegia? Nihil horum Propheta memorat, sed quod in corde suo dixerit, *Non requiret*. Sermo cordis affectio est, & dicere, *Non requiret*, non expavescere requisiturum. Hæc impietas, cui secundum multitudinem iræ suæ miseretur * Deus, nec quærit, nec arguit, nec flagellat, nec *ulciscitur in adinventiones eorum*, sicut de Moyse & Aaron & Samuële legimus, quibus nimirum propitius fuit.

Psal. 35. 3.
Psal. 9. 4.
Ibid.
Deum non timere judicem summa impietas
* al. male non miseretur
Psal. 98. 8.

### XXI. De miseratione crudeli.

42. SEd expresse atque signanter cujus sit hæc impietas, audiamus. *Misereamur impio*, ait Dominus, velut in concilio Angelorum, & congregatione deliberans. Nec eos latuit crudeliorem omni indignatione misericordiam Judicem meditari, qua non discat homo justitiam facere, sed obdormiscens miser & dicens; *Oblitus est Deus, avertit faciem suam*; dies suos ducat in bonis, in puncto ad inferos descensurus: & *cum dixerit, Pax & securitas, tunc subitaneus ei superveniat interitus*, nec effugiat. *Et non discet*, inquiunt, *facere justitiam. In terra sanctorum iniqua gessit*, ait Dominus. ac si diceret: Nolo discat justitiam facere, inventa est iniquitas ejus ad odium. An * adhuc quærendum est, quis iste sit impius? *In terra*, inquit, *sanctorum iniqua gessit*, in ecclesiasticis possessionibus, quæ sanctorum fuerant usibus assignatæ; in domo Dei, quam sanctitudo decet: de qua Paulus discipulum studiose sollicitans: *Ut scias*, inquit, *quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*. In Clero quippe tamquam in cælo gerens iniqua, quid nisi de ministerio judicetur? Cæleste tenet officium; *Angelus Domini exercituum* factus est: tamquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur. Inventa quippe in Angelis pravitas & districtius judicetur necesse est, & inexorabilius quam humana.

Isa. 26. 10.
1. Thess. 5. 3.
Job. 21. 13.
Psal. 9. 11.
Isa. 26. 10.
* Cap. 9. Clerici in terra sanctorum iniqua gerentes.
1. Tim. 3. 15.
Mala. 2.

25. Age ergo, quoniam *judicium grave his qui præsunt: & potentes potenter tormenta patientur*: ascendat superbia tua semper, sequere regem tuum. Omne sublime videant oculi tui. Festina multiplicare præbendas: inde ad archidiaconatus evola, demum adspira ad episcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus; quoniam sic itur ad astra. Quo progrederis miser? an ut ab altiori gradu sit casus gravior? neque enim sic paulatim decides, sed tamquam fulgur in impetu vehementi, quasi

Sap. 6. 6.

Psal 72. 5.

Superbia non recipit disciplinam.

alter satanas subito dejicieris. *In labore hominum non* A *sunt*, inquit, *& cum hominibus non flagellabuntur : ideo tenuit eos superbia*, peccatum diaboli ; quo ceciderunt qui operantur iniquitatem. Hæc est quæ non recipit disciplinam, curari renuit, medelam non sustinet. Ulcus pessimum, quod nec summis saltem digitis patitur attrectari. Hujus & ipse indignationem vereor super his, & grave judicium. Quidni timeam morsus, spiritualem insaniam, & animarum phrenesim non ignorans ? Sed Domini sunt verba quæ replico, & eadem ipsi quoque legunt & intelligunt pariter, legem quippe scientes. *In terra*, inquit, *sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Durus est hic sermo, & comminatio valde terribilis, *non videbit gloriam Domini.* B Quid igitur cetera vidisse præstat ? Hiccine totus misericordiæ finis ? Hanc ego misericordiam nolo ; procul fiat miseratio tam crudelis, ne veniat in eorum consortium anima mea.

Isa. 26. 10.

### XXII. *De commutatione humanæ pœnæ pro diabolica.*

Nullum peccatum impune committitur.

26. QUis enim vobis, miseri, demonstravit fugere à ventura ira ? Quid præsentem tantopere fugitis iram, flagellum timetis, declinatis virgam ? Et quidem in hac die vestra, quæ ad pacem vobis, sed si cognovissetis & vos. Mutatis non effugitis pœnitentiam. nam malum impunitum esse non potest. Non punitur hîc C propria voluntate, punietur alibi sine fine. Misera sane & extremæ plena dementiæ commutatio ! humanum declinare laborem, & paratum diabolo stridorem eligere sempiternum. Animadvertite siquidem & videte, non hominibus, sed diabolo & angelis ejus ignem illum esse paratum. Ille enim hostis & lupus : nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus. Illi securis & malleus : nobis flagellum & virga debetur. Illius iniquitas inventa ad odium, suum habet carcerem, ubi nulla redemptio, unde minime liceat respirare. Mihi sane & labore tolerabilior carcer, & tempore brevior assignatur : ubi cum iratus fuerit Dominus, misericordiæ recordetur, redemptionem suo mittens populo copiosam. Denique D tempus mihi constituit : Mihi dicit *donec*, ignem illi parat æternum. *In sudore*, inquit, *vultus tui comedes panem tuum, donec in terram, de qua sumptus es, revertaris.* Pessimus ille Angelus de terra sumptus non est, nec in terram aliquando rediturus. Propterea non habet *donec*, sed ignis ei paratur æternus. Minime igitur expedit, ut in sapientia hujus sæculi, auctoris sæculi non vereamur frustrari judicium, & deludere velle sententiam, declinando videlicet laborem hominum & sudorem, acsi nullo modo nos contingere videatur quod Adæ dictum est : aut non in eo sententiam laboris exceperimus, in quo sine exceptione peccavimus omnes : aut non communis culpæ nihilominus esse debeat pœna E communis.

Gen. 3. 19.

### XXIII. *De judicio Abrahæ.*

* Cap. 10.

27. FOrte * enim aliqui dicant : Quid peccamus ? Bona est omnis creatura Dei, nostra licite possidemus, nostris utimur facultatibus, à rapinis & latrociniis abstinentes. Enimvero non pascetis in cruce corvos. Ego sane divitem illum, cujus Salvator meminit in Evangelio, in nullo horum audio accusari. *Induebatur purpura & bysso, quotidie epulabatur splendide :* sed crudelitatis arguitur, quod substantiam mundi habens, & videns fratrem suum egere, clauserit viscera sua ab eo. Quando hæc diviti deest ? Quantos vi- F detis & ipsi Lazaros, esurientes, nudos, ægrotos ; & plus de jumentis vestris, plus de eorum phaleris, quam de istorum miseriis cogitatis ? Sed ad tremendum Abrahæ judicium veniamus. Non enim Abrahæ, sed Dei Abrahæ sententia est. *Memento*, inquit, *fili, quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Verum utrumque est, non potest omnino negari. Fer sententiam, quia paucis expressa totius summa negotii est. Ille bona, & iste mala recepit. Quid modo ? *Nunc autem*, inquit, *hic consolatur, tu vero cruciaris.* Expergiscimini ebrii, & flete. Terribilis enim Deus in judiciis super filios hominum. Hæccine cruciatuum causa tota, quod in hoc sæculo bona recepit ? Ipsa plane. Neque enim ad hoc nos de paradiso voluptatis animadversio divina ejecisse videtur, ut alterum sibi hic paradisum adinventio humana pararet. Homo ad laborem nascitur : si laborem refugit, non facit ad quod natus est, ad quod venit in mundum. Quid respondebit ei qui misit eum, qui instituit ut laboret ? *Memento*, ait, *quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala ; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Quid dicemus ad hæc ? Si talis est finis, & tale judicium, ut extrema gaudii luctus occupet : numquid non præferenda sunt in hoc sæculo mala bonis ? Quippe nec illa vera bona, nec ista vera mala esse manifestum est. Vera potius sententia Salomonis : *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Eccle. 7.

Luc. 16. 19.

Quid divitem damnaverit.

Luc. 16. 25.

Ibidem.

Difficile imo impossibile est ut & præsentibus quis & futuris fruatur bonis.

28. Ceterum si sic cruciandi sunt qui in vita sua bona receperint ; & habentibus consolationem præsentem, *væ* repositum est sempiternum : cum in superioribus inventi sint aliqui de sapientia carnis scientes in omnibus & per omnia reprobare malum, & eligere bonum ; quisnam eorum poterit esse finis, si secundum multitudinem consolationum suarum dolores apprehenderint animas miserorum ? Consequens enim videtur, ut bona omnia, & omnem sæculi hujus recipientes consolationem, nihilominus universum *væ*, & universi maneant cruciatus. An vero & illud æque ex eadem Abrahæ sententia conjiciendum videtur, eos qui contrario ducti spiritu, vitæ præsentis omnia bona respuunt, & eligunt mala, omnia quoque bona Domini, & omnem habituros consolationem ? Forte enim hoc erat quod Petrus audire voluit, cum tanta fiducia Dominum tantaque libertate convenit ; *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis ?* Mat. 19.

Luc. 6.

### XXIV. *Quomodo reliquerit omnia qui nihil fere habebat ex omnibus.*

29. NOta admodum quæstio est, quemadmodum Petrus, cum nil fere ex omnibus habuisse sciatur, tam fiducialiter glorietur sese omnia reliquisse. Unde Sanctorum quispiam * : *Multum*, inquit, *deseruit, qui voluntatem habendi reliquit.* Et post pauca : *A sequentibus ergo tanta relicta sunt, quanta à non sequentibus desiderari potuerunt.* Fidelis sermo, sed forsitan clausus & ipse est. Numquid enim voluntas habendi tam multa complectitur, ut reliquisse illam, sit omnia deseruisse ? Quis hominum omnia desiderare * possit, nedum piscator iste pauper & modicus ? Sed quid cuique sufficere possit, diligentius vestigato, & facile est invenire omnia desiderantem. Neque enim ponere est concupiscentiæ modum, donec videatur impleta, donec adepta sit quibus valeat esse contenta. Ceterum nec amator pecuniæ dicet aliquando, Sufficit ; nec libidinosus satiabitur voluptate. Sic & crudelis quisque semper sanguinem sitit, & ambitiosus aut cupidus laudis humanæ, adeptis dignitatum titulis seu favoribus, nullum exinde capit omnino remedium : sed desiderio æstuat ampliori. Minus autem invenit requiem qui sibi placere cupit, & suis, & fatui cujusdam de semetipso testimoniis gloriatur dicens : *Manus mea excelsa &c.* putans sese aliquid esse, cum nihil sit. Deut. 32.

* S. Gr. hom. 5. Evang.

* al. affectare.

Concupiscentia insatiabilis.

### XXV. *De innaturali & inexplebili fame.*

30. VIdi ego aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrarer ? Primus siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. Secundus sulphureo adstans lacui, exhalantem teterrimum fœtidissimumque gestiebat haurire vaporem. Porro tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens, lenioris auræ spiritum aperto attrahebat ore : & si quo minus influere videretur flabello sibi ventum ipse ciebat, acsi totum speraret

aërem deglutire. Quintus seorsum positus ridebat ceteros, ipse quoque ridendus, & maxime. Proprias enim carnes incredibili quodam studio sugere laborabat; nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus homines, causamque miseriæ sciscitatus à singulis, unam omnibus esse reperio, validissimam utique famem. Tunc vero macilentissimas eorum facies contemplatus, recordabar Prophetæ gementis miserabiliter & dicentis: *Aruit cor meum, quia oblitus* *sum comedere panem meum.* Quid prosunt vobis hæc, inquio? Non sunt naturales cibi: magis famem hæc provocant quàm exstinguunt. Panis namque animæ justitia est; & soli *beati qui esuriunt illum: quoniam ipsi saturabuntur.* Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest. Capacem Dei, quicquid Deo minus est, non implebit.

al. 101. 5. — att. 5. 6 — OTA.

### XXVI. De circuitu impiorum.

31. Inde est quod naturali quidem desiderio summum quivis probatur appetere bonum, nullam nisi adepto eo requiem habiturus. Ceterum errant miseri non invenientes viam, &, ut scriptum est, *ambulant impii in circuitu*, dum minora quæque bona quærentes, illud semper desiderant, quod sibi vicinius necdum videntur adepti. Atque utinam, si fieri posset, cetera omnia obtinuisset unus; eodemque proculdubio & ipsum, quod sibi solum deesse videret, summum utique bonum, desiderio quæsiturus, quo cetera quoque semper expetit non adepta. Sed innumera sunt hæc, & à ceteris quoque pariter requiruntur. Quod valet, quisque trahit in partem, nec aliquando poterit hic circuitus peragrari. Vis prævenire? Incipe transsilire. Alioquin prærripieris miser in desiderio terrenorum, & à summo bono eo longius invenieris, quo te amplius dederis caducis rebus & transitoriis appetendis. In circuitu siquidem ambulas; & quod prope erat in corde & in ore tuo, si corde crederes, & ore confitereris: terga vertens declinas, & elongaris ab eo. Hinc est quod vociferatur dicens: *Convertimini filii hominum.* & item: *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* Anfractuosa siquidem via est, & inambulabilis: faciliusque pervenies spretis omnibus, quam adeptis.

sal. 11. 9. — sal. 89 3. — Cant. 6. 12.

### XXVII. De acceleranda conversione.

32. Ecce * *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. quid ergo erit nobis?* Dignum plane apostolica fide & devotione verbum. Jam reliquisti omnia; jam Dominum, Petre, secutus es: & nunc demum quid sis accepturus, interrogas. Vere Simon, vere obediens in auditione auris, sine pacti conventione. Ad unius enim jussionis vocem *Petrus & Andreas relictis omnibus secuti sunt Redemptorem.* Quod si homini carnali stultitia forte videtur, audiat: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvare credentes: quippe cum mundus eum in sapientia minime cognovisset.* Quantos enim mundi sapientia maledicta supplantat, & conceptum in eis exstinguit spiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi? Noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera, diligentius intuere. Magnum est quod proponis, & opus habens multa deliberatione. Experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat.

* Cap. 11. — Matt. 4. 20. — 1. Cor. 1. 25. Sapientiæ mundanæ infidum consilium.

33. Hæc sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis ejus, quæ solet Deo vomitum provocare. Cave tibi, ait. Ut quid enim? Cum à Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus: quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quisve sapientior illo? Seduc me, Domine, & seducar: fortior esto & invalesce. Novi ego quænam sint quæ oportet fieri cito. Ab ore putei gehennæ eripior: & inducias petam, & retardabo; & cunctabor exire si forte interim fiat aliquid? Abscondi ignem in sinu meo, & exusto jam latere, jam nudatis visceribus, jam sanie defluente, diu mihi deliberandum est an expergiscar, an excutiam, an abjiciam illum? Magnum omnino est quod offertur: sed eo utique libentius & festinantius suscipiendum, & obviis arripiendum manibus cum fervore & hilaritate. Probet autem seipsum, qui de propria virtute præsumit: nam divina quidem omnino probata est. Amicos consulat, qui non legit: *Inimici hominis domestici ejus.* Mich. 7. 6.

### XXVIII. De tribus responsionibus Domini ad eos qui promittebant sequi eum.

34. Quid frequentat Evangelium, qui Evangelio non obedit? At in eo sane legimus promittenti cuidam sequi Dominum, sed defunctum prius patrem sepelire volenti responsum esse ab eo, ut *sineret mortuos sepelire mortuos suos.* Alteri quoque tantum suis qui in domo erant valedicere cupienti: *Nemo*, inquit, *mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Sed quid audierat primus? *Magister*, ait, *volo te sequi quocumque ieris.* Cui respondens Dominus: *Vulpes*, inquit, *foveas habent, & volucres cæli nidum: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Prudentiam carnis in fovea vulpis, in nido volucris arguens cordis elationem. Est enim interdum videre nonnullos, qui relictis omnibus abrenuntiare sæculo disponentes, cum recte offerre velint, nolunt dividere recte, calliditate humana totos sese divino committere nutui formidantes, sed reservantes nescio quid fermenti, ut totam massam corrumpat: quod in multis frequenter expertum est. Alius sine duce & præceptore spiritale studium apprehendere facile cogitans, ambulat in magnis & mirabilibus super se; ut vulgo dicitur, *Saliens antequam videat, casurus antequam debeat.* Petrus cogitatum suum jactans in Domino, & omnem sollicitudinem suam in eum projiciens, certus quod illi foret cura de eo, reliquit omnia, secutus est Dominum, ne interrogans quidem de præmio, donec ex periculo divitum quod Salvator prosequebatur, sumeret occasionem percontandi:

Matt. 8. 22. — Luc. 9. 62. — Matth. 8. 19. — Qui non recte abrenuntient sæculo. 1. Cor. 5. 6. — Proverbium.

### XXIX. De secunda regeneratione.

35. Quid ergo erit nobis? Ait illi Jesus: *Amen dico vobis.* Verbum confirmationis præmittitur: magnum noveris esse quod sequitur. *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis*, &c. Quid * est quod dicit, *in regeneratione*? aut quæ est hæc nova regeneratio? Neque enim jam ignoramus, quoniam oportet hominem nasci denuo, non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex aqua & Spiritu-sancto. Ceterum cum nullatenus ad eam regenerationem valeat hæc promissio pertinere, forte & altera regeneratione opus esse videtur: nec solum denuo, sed & tertio hominem nasci necesse est. Infelix ego, & miserabilis casus meus, cui non una sufficit, cui duplex est necessaria regeneratio. Nimirum ex corpore & anima constans, cecidi totus simul: simul totus omnino resurgere non possum. An vero dignum non est, ut ea quæ videtur potior, priorque portio reparetur? At ipsam sane animam esse nemo sanæ mentis ignorat. Prior ergo reficiatur, quæ prior corruit: præsertim quod ab ejus culpa alterius pœna prodierit, & ipsius corruptio corporeæ quoque fuerit causa corruptionis. Hinc est quod animabus primum Salvator advenit, tollere utique peccata mundi, non molestias carnis. Quod sane manifestius docuit in seipso, pœnis omnibus corpus exponens, animam autem immunem prorsus custodiens à peccato.

Matt 19. 27. — * Cap. 12. — Johan. 3. 3. Trina nativitas hominis. — Duplex hominis regeneratio.

### XXX. Ut tempus suæ regenerationis corpus exspectet.

36. Non sic hodie filii hominum, non sic, sed animæ curam negligunt, curam autem carnis perficiunt in omni desiderio. Neque peccare metuunt, sed puniri: nec virtuti cordis opera datur, sed valetudini corporis, immo etiam voluptati. De schola Hippocratis

Perversitas hominum carnalium.

& Epicuri didicerunt hæc. neque enim suis Christus discipulis horum quippiam tradidit: sed *discite*, inquit, *à me quia mitis sum, & humilis corde. Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Tempus hoc animabus, non corporibus est assignatum: dies salutis utique, non voluptatis. *Omnia tempus habent:* animabus nunc operam dare necesse est. Nam *in carne qui seminat, solam exinde metet corruptionem. At nemo*, inquiunt, *carnem suam odio habuit.* Verum est: sed zelum habens absque scientia, dum prodesse festinat, invenitur obesse. Cum enim judicium carnis ex anima pendeat, carne nihil potest utilius, quam salus animæ provideri, ut videlicet in tempore sit respectus illius; & socia passionis, felicitatis quoque consortium mereatur. Unde Apostolus inquit: *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum-Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Requiesce in hac spe caro misera: qui propter animam venit, pro te quoque venturus est: qui reformavit illam, tui quoque non obliviscetur in finem. Regeneretur interim anima; & tamquam præscita & prædestinata à Domino, conformis fiat imagini Filii ejus in mansuetudine & humilitate cordis. Ipsius enim merito te quoque noveris aliquando regenerandam, & conformandam corpori ejus in gloria & claritate.

Matt. 11. 29. Psal. 4. 3. Eccl. 3. 1. Galat. 6. 8. Eph. 5. 29. Philip. 3. 20.

### XXXI. *Ut non resideamus in via.*

37. IN* *regeneratione*, inquit, *cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis, & vos*, &c. Consequemini, ait, quem sequimini: ut cum ipse sederit, & vos pariter sedeatis. Quando enim ille resedit in mundo, quando substitit, quando reclinavit caput? *Exultavit ad currendam viam*, benefaciendo pertransiit, quippe nec nidum, nec foveam, nec locum habens in diversorio; donec opere tandem quod susceperat consummato, sedendi præceptum mereretur accipere, & diceret Dominus Domino meo: *Sede à dextris meis.* Insipiens tu qui præsidere eligis quàm consedere, quærens in itinere diverticula. Ille ministrare venit, non ministrari: tu supra magistrum, & Domino major, immo nec discipulus, profecto nec servus, recumbere jam festinas? *Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus.* Ille salit in montibus, transsilit colles. Clama ad eum anima mea: *Trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus.* Alioquin quando eum remorando, tepescendo, pausando consequi speras? *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Hilarem sine dubio diligit secutorem. Necdum ad bravium pervenisti, necdum apprehendisti metam. Grandis adhuc restat via: noli sistere gradum, noli in medio itinere residere. *In sudore*, inquit, *vultus tui comedes panem tuum, donec in terram de qua sumptus es, revertaris.* Et tunc sane tempus erit requiei, nimirum quando jam spiritus ipse dicet, ut requiescas à laboribus tuis. Necdum tamen erit consummata pax, necdum perfecta quies, denique necdum sessio plena.

* Cap. 12. Matth. 19. 28. Psal. 18. 6. Act. 10. 38. Non est hic locus aut tempus quietis. Psal. 109. 1. Matt. 20. 28. Psal. 6. 10. Cant. 1. 3. Psal. 18. 6. Gen. 3. 19.

### XXXII. *Quomodo nunc nulla ex parte sedemus.*

38. IN *regeneratione*, inquit, *cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos.* Felix regeneratio. Quando enim renascar ad sessionem, miser homo natus ad laborem? O si umquam sedero totus, cujus modo ne minima quidem portio sedet, in quo nihil tranquillum, nihil quietum, sedatum nihil, nihil umquam in eodem permanens statu. *Sedebitis & vos.* O sessio! Quis mihi tribuat, ut dignis exprimam verbis quæ de sessione hac cordis affectione concipio? Immo quis tribuat mihi sessionis hujus imperturbata frui requie, quam desidero, quam cupio, quam requiro? Ecce enim, ut dixi, nil in me sedet, sed cuncta in motu sunt, omnia nutant, fluctuant universa. Postremo ubi concupiscit adhuc caro adversus spiritum, spiritus adversus carnem, quidnam hominis sedere videtur? Nec sola jam concupiscentia pacem turbat, impedit sessionem, vetat esse sedatum; sed duplex quoque secundum corpus miserum hominem contritio vexat, præsentis videlicet sensus doloris, & mortis metus futuræ. Nimirum cum & passibile sit, & mortale; duplex nihilominus animam agitare sollicitudo videtur, spei utique & timoris. Inter hæc nempe fluctuat jugiter, donec peccati corpus inhabitat, ascendens usque ad cælos, & iterum usque ad abyssos descendens: tabescens in malis, & ad bona nihilominus inardescens.

### XXXIII. *De imperfecta sessione.*

39. ERit autem cum luteum hoc egrediens domicilium, à timore quidem penitus liberabitur; sed necdum ab exspectatione. Extunc enim jam non erit timor in finibus nostris, sed in spe singulariter constituti psallemus singuli mente & spiritu. quod prælibaverat quodammodo qui dicebat: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.* Ceterum de exspectatione idem ipse sic ait: *Me exspectant justi donec retribuas mihi.* Nec modo numerum fratrum, ut compleatur, sed & ipsum corpus, ut sua regeneratione restituatur exspectant. Immo vero & expetunt cum desiderio, sub altare Dei vociferantes ad ipsum; ut qui audire meruit, potuit & testificari. Nam corpus quidem illo in tempore sedere quis dicat, dum effluit, & in saniem pulveremque redigitur?

Psal. 114. Psal. 141. Apoc. 6.

### XXXIV. *De perfecta sessione.*

40. IN* *regeneratione*, inquit, *sedebitis & vos. Seminatur enim corpus animale, resurget corpus spiritale. Seminatur in ignominia, surget in gloria.* Ubi jam tunc mors victoria tua? Siquidem & tu inimica novissima destrueris. Corpus enim resurrectionis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Sed & dolor & gemitus omnis abscedet, quoniam *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt.* Felices lacrymæ, quas benigna manus Conditoris absterget: & beati oculi, qui in talibus liquefieri flentibus elegerunt, quàm elevari in superbiam, quàm omne sublime videre, quàm avaritiæ & petulantiæ famulari. Sedebit igitur corpus immortalitatis & impassibilitatis gemina quadam felicitate dotatum, liberum ab omni necessitate, ab omni corruptione securum, alienum & immune ab omni concupiscentia, plenum gloria, configuratum denique claritati corporis Christi. Sedebit & anima sicut nil metuens, sic nec cupiens ultra: nimirum plena beatitudine, & secura plenitudine fruens; nullos jam cogitationum fluctus, nullos tentationum conflictus, nullos affectionum sentiens motus: sed æternæ illi incommutabilitati prorsus immersa, & sic adhærens Deo, ut unus jam spiritus sit facta cum eo.

* Cap. 1. Cor. 15. Rom. 6. Apoc. 21. Quomodo corpus quiescet. Item anima.

### XXXV. *De sessione Domini.*

41. SEd quando hæc, aut quibus hæc erunt? *Vos*, inquit, *qui secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos.* Jam quidem sedet filius hominis in sede majestatis: siquidem ascendens in cælum, sedet à dextris Dei. Sed cum sederit dictum est; hoc est, cum apparuerit sedens, sicut Apostolus ait: *Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* An magis audebimus dicere & ipsum adhuc stare quodammodo, utpote cujus necdum sedes consummata videtur, necdum pedibus ejus scabello supposito, quod à Patre promissum est? Non quod illi plenitudini quippiam desit, sed quod membra caput exspectet. Audeat hoc testari, qui meruit intueri. *Ecce*, ait Stephanus, *video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Paulus quoque sic scribit: *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Ceterum in regeneratione corporum sedebit in sede majestatis, qui pro animarum regeneratione stetit * in ignominioso sup-

Matt. 19. Col. 3. 4. Christus an sedeat in gloria. Act. 7. 55. Heb. 9. 11. * al. sedit.

plicio crucis, interrogatus contumeliis pariter & tormentis: nec modo duriſſima morte, ſed & turpiſſima condemnatus. Quoniam enim *obediens Patri factus eſt uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter hoc exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur.* Hæc autem dixerim, Fratres, ut noveritis quænam ſint duo latera ſcalæ, quæ volentibus ſequi Dominum proponitur aſcendenda, quæ baſes eorum, quæ capita, quive gradus, quorum ſummitati Deus innixus eſt. A

*Philip. 2. 8.*

Scala myſtica.

### XXXVI. *De lateribus ſcalæ.*

42. Oportet ſiquidem nos domare carnem, calcare mundum, ut voluptatem corporis declinantes, caveamus nihilominus ſæculi vanitatem. Hæ nimirum abominationes Ægyptiorum, quas immolamus Domino Deo noſtro. Et totum quod à via vitæ & diſciplinæ deterret filios hujus ſæculi, totum quod exercet interim ſervos Dei, in his duobus eſt, quæ ſub uno verſu Propheta commendat: *Vide*, inquiens, *humilitatem meam, & laborem meum.* Hæc ergo ſint latera ſcalæ, Vilitas, & Aſperitas: quibus deinceps internæ virtutis & gratiæ gradus firmiter inſerantur. Eſt enim videre homines mundi ſpernentes gloriam, favorem calcantes populi, non deſiderantes humanum diem: ſed non adeo fortes in tolerantia moleſtiæ corporalis, non adeo rejicientes mollia, non adeo carnis illecebras ſuperantes. Quid iſtos dixerim, niſi latus alterum non tenere? Porro uni tantum lateri innitentis periculoſus nimis aſcenſus, & proximus eſt ruinæ. B C

*Exod. 8. 26.*

*Pſal. 24. 18.*

Virtutum connexio.

43. Quod ſi periclitatur, qui circa carnem videtur, pluſquam oporteat, infirmari, licet mundi reſpuat gloriam, nec contumeliis moveatur: profecto longe horribilius eſt periculum, & multo magis inexcuſabile, ſi quis forte, licet caſtigans viriliter corpus ſuum, & non parcens ejus afflictioni *, inveniatur tamen minus reſiſtens gloriæ deſiderio, minus patiens injuriarum, minus immunis à ſæculi vanitate. Quid enim tibi, infelix homo, cum his nugis & calamitatibus, cum hoc faſtu & vanitate iſta, quæ nec animæ, nec corpori prodeſt? Quid irritaris, quid inflammaris ad verbi flatum, quod nec carnem vulnerat, nec inquinat mentem? Nihil ſic alienum à natura, nil tam contrarium rationi. Neque enim ſic dicere poſſum: Quid tibi cum cibis & veſtibus? aut frigore vel eſurie quid moveris? cum unita perſonaliter anima non huic mundo, ſed corpori, longe minus carnem poſſit odiſſe quàm mundum, quippe quæ huic multum debeat, illi nihil. Quod quidem dixerim, non ut voluptas perinde excuſetur, ſed ut vanitas & impuritas ante omnia fugiatur. D

* *al.* affectioni.

Plus eſt odiſſe carnem quam mundum.

### XXXVII. *De gradibus ſcalæ.*

44. Sane ubi ſic ſtabilieris & firmaveris in corde tuo, *aſperitatem* corporalis abſtinentiæ ac laboris amplecti, & omni *vilitate* & extremitate eſſe contentus; bona ſunt latera, ſecurus jam inſere gradus exercitii ſpiritalis, ut totum quod mundo & carni ſubtrahis, ſtudio pietatis impendas: oblitus quæ retro ſunt, & extentus in anteriora, ut aſcenſionibus diſpoſitis, de virtute proficias in virtutem, ut videre Deum deorum in Sion merearis. Et primum quidem per deſertum proprii cordis & convallem plorationis, aſcendes ut virgula fumi: dehinc jam in ſerenius quiddam elapſus, aſcendes etiam de deſerto deliciis affluens, innixus ſuper dilectum, ductus à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu, illo utique qui ſcrutatur etiam alta Dei. Nec paucos in his gradus invenies gratiæ multiformis. Verum hæc ſpiritualia ſunt, ſpiritualibus utique comparanda. Nunc vero ad initiandos potius ſermo dirigitur, cujus tota intentio eſt revocare ad cor prævaricatores. Ceterum habent proficientes editum olim de duodecim gradibus Humilitatis ex ſermonis occaſione libellum, quos videlicet gradus ille juſtorum omnium ſpiritu plenus in Regula ſua * tradidit vere per omnia Benedictus. E F

*Philip. 3. 13.*

*Pſal. 83. 8.*

*Cant. 8. 5.*

*Tractatus S. Bern. de grad. humilitatis.*

* Reg. S. Ben. c. 7.

### XXXVIII. *De via orientali qua à B. Benedicti cella proceſſit.*

45. Ille enim ſpiritualem nobis erexit ſcalam, cujus utique ſummitas cælos tangit, quod in ejus glorioſo tranſitu evidenti legimus miraculo commendatum, beato Papa Gregorio ſic ſcribente: *Inter diſcipulorum manus imbecillia membra ſuſtentans, erectis in cælum manibus ſtetit, & ultimum ſpiritum inter verba orationis efflavit. Qua ſcilicet die duobus de fratribus, uni longius poſito, alteri autem in cella commoranti, revelatio unius atque indiſſimilis viſionis apparuit. Viderunt namque quia ſtrata palliis & innumeris coruſca lampadibus via, recto orientis tramite ab ejus cella in cælum uſque tendebatur. Cui venerando habitu vir deſuper clarus aſſiſtens, cujus eſſet via quam cernerent inquiſivit. Illi vero ſe neſcire profeſſi ſunt. Quibus ille ait: Hæc eſt via, qua dilectus Domini cælum Benedictus aſcendit.* Quæ eſt enim via ab ejus cella progrediens, niſi Ordo quem idem vir beatus inſtituit, & forma vitæ quæ ab eo ſumpſit exordium? Qua nimirum via dilectus Domini aſcendit, quia *non potuit vir ſanctus aliter docere quam vixit.* Et hæc quidem eorum vel maxima fiducia eſt, qui ipſius utcumque ſtudent inhærere veſtigiis, ipſum præceptorem, præviumque ſequuntur. Neque enim venire aliquatenus in dubium poteſt, quin omnino ſacer ſit modus converſationis, & divina magis inſpiratione atque conſilio, quàm humana prudentia vel adinventione formatus, quo nimirum tantam in vita gratiam ſanctitatis, tantam poſt obitum gloriam felicitatis idem vere Benedictus obtinuit.

*S. Greg. l. 2. Dial. c. 37.*

*Ibidem.*

46. Sed hæc hactenus: ne quis forte (quod longe ſit ſemper à cordibus noſtris) derogare nos potius eis qui ſibi varios, prout cuique viſum eſt, religioſe vivendi formavere modos, quam alios conſolari, & animare voluiſſe cauſetur. Eam tamen, quam videmus in eccleſiis hodie, formam cleri (ne informem dixerim vitam) à quo Sanctorum habuerint, quis umquam vel in novo, vel in veteri Teſtamento ſic vixerit, ſic vivere docuerit homines, utinam ipſi ſeſe interrogent ſinguli, nec conſcientias ſuper hoc convenire proprias diſſimulent. Quantos enim videmus ſectatores viarum, quæ videntur quidem hominibus bonæ, ſed in profundum inferni deſcendit finis earum? Quantos aſcenſores ſcalæ, non cujus ſummitas cælos tangit, ſed quæ illi omnino contraria eſt, habens latera concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum, gradus vero ſuperbiam vitæ: quæ ex mundo ſunt, non ex Patre?

*Prov. 14. 12.* Latera ſcalæ deſcendentis in infernum.

47. At ejus ſane quam vobis commendare volumus ſcalæ gradus & latera, ex Patre utique ſunt, non ex mundo, cui nimirum innixus apparuit. *Sobrie*, ait Apoſtolus, *& pie, & juſte vivamus in hoc ſæculo.* Sobrietas voluptatem carnis impugnat, juſtitia ſæculi vanitatem, dum videlicet cuique reddens quod ſuum eſt, & adulantem deplorat, & compatitur iraſcenti. Denique & ipſe Salvator dum Baptiſtæ manibus celſum illum verticem inclinaret: *Sic*, inquit, *decet nos implere omnem juſtitiam*; ſolam nimirum humilitatem juſtitiam reputans. Exhibeatur ergo ſobrietas nobis, juſtitia proximo, pietas Deo. Pietas enim cultus Dei eſt. Sane ut voluptas & vanitas elationem cordis fovere noſcuntur, ſic ſobrietas & juſtitia pietatem: ut inter hæc latera de fide in fidem ſpe mediante proficiens, ſupereminentiam aliquando teneat caritatis.

*Tit. 2. 12.*

*Matt. 3. 15.* Sobrietas nobis, juſtitia proximo, pietas Deo exhibenda.

### XXXIX. *De baſibus ſcalæ.*

48. Innituntur autem hæc latera baſibus quas ſuppoſuit artifex Sapientia, duobus forſitan lignis crucis. Ubi enim ille mulctatur morte, cruce turpatur: quis ſuorum delicias ſeu gloriam ſuſtinere queat, nedum audeat quærere? Flagellatus Chriſtus, & ſputis illitus, bajulat ſibi crucem, & ludibrio factus irriſoria veſte, arundineo ſceptro, corona ſpinea, foditur clavis, annumeratur ſceleratis, in ligno extenditur, etiam mortuus vulneratur: & hæc intuens qui dicitur Chriſtianus, propriis nihilominus voluptatibus indulgere, & florere velle in

Paſſio Chriſti meditanda maxime Clerico.

1.Johan.2.6. sæculo nullatenus erubescit? Ceterum si omnis *qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare:* multo magis qui pro eo manere se dicit, qui pro eo legatione fungitur, qui ei ministrat, si eum non sequitur, inexcusabilis est. Sane nisi abnegaverit semetipsum, & tulerit crucem suam, sequi eum omnino non potest. (Matt.16.24.) Quid vero crucem tollere est, nisi laborem amplecti & humilitatem? sicut scriptum est: *Elegi abjectus esse in domo Dei.* (Psal.83 11.)

### XL. *De capitellis.*

(*Cap. 15.) 49. Sed* fortasse minus adhuc firmiter stabilita hæc videantur, si tantum fuerint subnixa basibus, non etiam desuper cohærentia capitellis. Hinc est quod minime suis contentus exemplis Salvator, etiam præmia repromittit, ut quem forte non provocat invitatio præcedentis, trahat vel desiderium retributionis: & si quidem voluptuosus est, illum sitiat torrentem voluptatis: si vero gloriæ cupidus, adspiret ad illam celsitudinem judiciariæ potestatis. (Qualis discipulorum Christi retributio.) *Sedebitis*, ait, *& vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* (Matt.17.28.) Aci diceret: Pro confusione vestra duplici & rubore pars vestra laudabitur. (Isa.61.7.) Propterea enim in terra vestra duplicia possidebitis, & lætitia sempiterna erit vobis. In exilio vobis afflictio duplex, humilitatis utique, & laboris. Sed consolamini, & nolite deficere: quoniam in terra vestra, terra utique viventium, duplex vos nihilominus renumeratio manet, sublimitatis & delectationis. In sedibus enim quies imperturbata, in judicio dignitatis eminentia commendatur.

### XLI. *De Judicio.*

(Præcipue in judicio.) 50. Quis vero sæcularis honor excogitari potest, qui non prorsus in tantæ sublimitatis comparatione vilescat? Non unius siquidem civitatis aut populi seu regionis unius, sed universitatis judices habent præsidere cum Christo. (1.Cor.6.3.) Nec solum homines, sed & ipsos Angelos judicabunt, qui parentem ad modicum vaporem præsentis gloriæ dedignantes & exsufflantes, improperium Christi universis præferunt titulis dignitatum. *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* (Luc.12.32.) Diffinitum est consilium, quod non evacuabitur, propositum immutabile perseverat; denique juravit Dominus, & non pœnitebit eum. (Matt.19.28.) *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos judicantes.* Quid gloriosius? Judicent nunc & præjudicent superbiæ filii, cum rege suo sedeant, qui sibi latera aquilonis elegit. Exaltentur & eleventur sicut cedri Libani. Transibimus, & ecce non erunt. Opprimant nunc quos possunt, blasphement, congerant maledicta, veniant super nos opprobria exprobrantium Christo, quoniam merces nostra copiosa est in cælis. Gloriam quæ ab invicem est, habeant, utique vanam & mendacem; quoniam vani filii hominum, mendaces filii hominum. Gloriam enim quæ à solo Deo est, nolunt, veram utique & manentem: quoniam ipse est veritas, & ipse est qui est.

### XLII. *De grossis ficus.*

51. Infelix prorsus ambitio, quæ ambire magna non novit, quærens de modico crescere, & de maximo minui. Amant enim cathedras primas: quæ velut grossi ficuum velociter sunt casuræ. Sunt enim grossi primæ quædam ficus prorsus inutiles, solam habentes speciem ficuum, non saporem; nec tam fructus, quàm futurorum quædam præsagia fructuum, quas & decidere necesse est, ut eis aliæ humano usui & esui aptæ succedant. Unde sponsa in Cantico canticorum: (Cant.2.13.) *Hiems transiit, imber abiit & recessit.* Et post pauca: *Ficus*, inquit, *protulit grossos suos.* quod videlicet persecutione cessante, inclita facta sit Ecclesia, posita in superbiam sæculorum. Quam sane sublimitatem & excellentiam dignitatum congrue satis grossos vocat, ut futura in his moneat potius quam præsentia cogitare. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ non videntur, æterna. Caveant igitur qui primas cathedras amant, ne contingat carere secundis; & qui primos nunc recubitus eligunt, incipiant cum rubore locum tenere novissimum. (Difficile ... bis esse b... tum.) *Sedebitis*, inquit, *super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Hæ jam ficus erunt, non utique grossi. Has nimirum sedes præviderat qui de superna civitate dicebat: *Illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.* (Psal.121.) Illic plane, non hic. Quomodo enim sedent quas hic videmus sedes, quæ toties nutant, toties titubant, toties subvertuntur? Nimirum grossi ficuum sunt, quos tenuis aura dejicit & dispergit. Ceterum* quid sibi vult, quod duodecim tribus Israël judicaturos fore promittit, in quibus etiam mundus ipse cognoscitur judicandus? (*Cap. Cur 12 tribus Israel ... cuntur judicandæ.) An quia notus tantum adhuc in Judæa Deus, universitatem fidelium appellatione duodecim tribuum voluit designari, & quasi solas meminit judicandas propter illud: *Qui non credit, jam judicatus est?* (Johan.3.) Hæc enim est perfectorum gloria singularis, inter ipsos etiam eminere fideles, & ceteris quoque salvandis præeminere auctoritate judiciariæ potestatis, ut juxta illud de psalmo, sedeant *super domum David.* (Psal.121.) Quid istud miseriæ est, quod ad tantæ promissionis verbum negligentia humana dormitat?

### XLIII. *Querimonia Salvatoris.*

52. *Popule meus*, ait Dominus, *quid tibi debui facere, & non feci?* (Isa.5.4.) Quid causæ est, quod inimico meo vestroque libet servire quàm mihi? Neque enim ille creavit vos, sed nec pascit quidem; aut tempora vestra ipse disponit. Si parva hæc videntur ingratis: non ille, sed ego redemi vos. Sed quo pretio? Non utique corruptibilibus auro & argento, non sole vel luna, non saltem aliquo Angelorum, sed proprio vos cruore redemi. Ceterum si neque tam multiplici jure debitum à vobis elicere est famulatum: omissis his omnibus, mecum saltem ex diurno denario convenite. Nihil vobis ille nocuerit, nihil ipse videat profuisse. Ei obtemperate, qui plura vobis & potiora pollicetur, apud quem certior, copiosiorque renumeratio est; ut illud quoque benignissima miseratione dissimulem, quod bonorum vestrorum non egens, vobis tantummodo velim esse consultum, ne præsentia suscipere detrectetis, quæ nunc offero dona gratiæ, futuris gloriæ muneribus eadem coronanda promittens.

### XLIV. *De excusatione sæcularium.*

53. Quid ad hæc conscientia humana respondet? Cum improperari cœperint hæc in die judicii, quomodo miseri sustinebunt? Quid excusationis poterunt habere de peccato? Numquid tunc dicere incipient: Modo, ecce modo, sine paululum? Sic enim nunc dissimulant infelices, & modo & modo non habet modum: & sine paululum, in longum vadit. Bonus est, inquiunt, Deus qui in proximo juvat. Magna quidem divina promissio, sed longa nimium dilatio, & molesta exspectatio est. Terrenam deserere sortem, & necdum obtinere cælestem, afflictio est intolerabilis, & inconsolabilis dolor. Quid accelerare necesse est, ut miseria prolongetur? Misera prorsus & seductoria cogitatio. Nova siquidem hæc querela est, nec prolixiorem vitam filii hominum hactenus causabantur. Breves dies hominis sunt, donec conscientia stimulante, de pœnitentia & conversione vel intus à spiritu, vel foris commoneatur ab homine. Et tunc sane novum concipitur tædium longioris vitæ, differendæ mortis oritur fiducia nova.

54. Sed esto; multa tibi annorum curricula restant. Adolescens es, usque ad senectutem victurus & senium: quid necesse habes amittere tempora tanta, perdere tanta lucra? Nihil pretiosius tempore, sed heu, nihil hodie vilius æstimatur! (Nihil tempore pretiosius nihil tamen apud homines vilius.) Transeunt dies salutis, & nemo recogitat, nemo sibi non reditura momenta periisse causatur. An putas, ô homo, biennii tantum aut triennii opus ab omnipotenti posse recompensari? Sic abbreviata est manus Domini, ut centum annorum non possit renumerare laborem?

borem? Sede, computa, quid diebus singulis acquirere valeas, certus equidem apud Deum nullum omnino bonum irremuneratum fore; & sicut non capillum de corpore, sic nec momentum de tempore periturum. Quid illud Sapientis consilium ingeram? *Ne tardes converti ad Dominum; nescis quid superventura pariat dies.* Quid insaniam causer de futuro tam temerarie præsumentis. quasi vero tempora & momenta Pater in tua, & non magis in sua posuerit voluntate? Postremo quid de incerto fine, quid de certa brevitate laboris, retributionis æternitate loquar? Novit Dominus figmentum nostrum, consulit pusillanimitati nostræ, humanæ obviat cogitationi, anxietatem abigit, prævenit trepidationem.

cl. 5. 8. turanda nversio.

### XLV. *De duplici promissione.*

55. SEquitur enim: *Et omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quid * ultra diceris filii hominum, quando & in hoc mundo tanta vobis promissa sunt, ut dormiatis inter medios cleros, de quibus paulo ante causabamini: & exeuntes à sorte terrena amplior statim excipiat consolatio, qua non modo patienter, sed etiam gratulanter exspectetis sortem sanctorum in regeneratione promissam? Siquidem & ipsa exspectatio justorum lætitia est. *Centuplum*, inquit, *accipiet, & vitam æternam possidebit.* Habetis filii Adam promissionem vitæ ejus quæ nunc est pariter & futuræ; ut obstruatur omne os loquentium iniqua, & *confundantur omnes iniqua agentes supervacue.* Annon *supervacue* penitus agit iniqua, qui non modo fructuosius, sed & jucundius; non modo salubrius, sed & suavius Deo poterat servire, quàm mundo? Et attende quod Petro quidem Dominus tantum de futuro respondit. neque enim super his quæ experiebatur præsentialiter, hæsitare poterat, aut opus habebat interrogare. Denique non Quid nobis est dixit, sed *quid erit.*

att. 19. 20. Cap. 17. atth. 19. 20. entuplum Evangelio omissum lere expo-tur. al. 24. 4.

56. An vero quis dubitat instantis esse temporis centupli promissionem? Manifeste id quidem ipsa verborum consequentia probat; ubi centuplum accepturi, & possessuri dicimur vitam æternam. Ceterum ne quis omnino impudenti remaneat obstinationi locus, mitto vos ad Evangelium secundum Marcum, ubi promissio eadem descripta manifestius invenitur. Ait enim Dominus: *Nemo est qui reliquerit patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, aut domum propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc.* Atque ut vehementius admiretur carnalis anima, non percipiens quæ sunt spiritus Dei, sed stultitiam reputans, addit signanter, *cum persecutionibus.* Forte enim cum audisset in tempore hoc centuplum promitti, conjectabatur etiam de temporalibus exhiberi: sed præripit hunc intellectum nomen additum *persecutionis.* Quid enim terrenæ est consolationis, quod non facile terrena persecutio tollat? Quid terrenum inter persecutiones sancti Martyres acceperunt, quando & ipsa quoque beatorum corporum terra data est in manus hominum impiorum?

arc 10. 29. iam in hoc culo redur. idem.

### XLVI. *De incredulitate.*

57. INterim tamen undecumque centuplum sint accepturi, dummodo sit centuplum, dum valeat centupliciter, centupliciter placeat, consoletur, delectet, ametur: quid insaniæ est quod cunctantur homines relinquere simpla pro centuplis? Ubi est cupidus, ubi ambitiosus, ubi conquisitor hujus sæculi? Quid ad fidele negotium & nundinas quæstuosissimas avaritia intepuit & obdormivit humana? Cui Judæo id negares, ô homo, qui in vanum accepisti nomen Domini nostri Jesu-Christi? cui sacrilego dare quicquid habes, pro centuplo cunctareris? Sed exsecrabilis tibi est manus Domini, ut nullam ab eo commutationem recipere, non ei in ratione dati vel accepti communicare penitus acquiescas. An forte non ex odio, sed ex incredulitate detrectas? Nam id mihi, fateor, credibilius est. Nemo enim perire magis optaret minimæ cujuspiam consolationis obtentu,

Usura sæculi dat centum d unum, Deus accipit unum ad centum. *Hoc lemma ic in textum rrepsit in quiusd. mss.* Diffidentia de centuplo reddendo notatur.

A quam maxima cum exultatione salvari. Sed non est omnium fides, ne eorum quidem qui nomine tenus sunt fideles. Poteram sane multorum vobis exempla proponere, multos producere testes, qui id profecto sicut crediderе, sic sentiunt; sicut audierunt, sic experiuntur. Abundat hujusmodi testimoniis, hujusmodi carbonibus desolatoriis, omnis natio, regio omnis & omnis lingua, ubicumque sanctorum congregatio est. Sed quando humanis credat experimentis, qui Veritati non credit promittenti? Illud ego vehementius arbitror admirandum, quod fideles magis in maximo, quam in modico videamini. Num ei difficile est dare centuplum in præsenti, qui daturus est vitam æternam in futuro? Qui daturus est quod B nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, non modo centuplum dare potest?

### XLVII. *De labore ficto.*

58. SEd * quomodo, inquis, possunt hæc fieri? Qua ratione accipit centuplum, qui nihil sibi reliquit ex omnibus? Nempe hoc est quod paulo ante commemoravi? *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem.* Mira novitas, sed ejus qui nova omnia facit. Jugum tollens invenit requiem; relinquens omnia, centuplum habet. Noverat hoc & ille nimirum homo secundum cor Dei, qui ei loquebatur in psalmo: *Numquid adhæret tibi se-* C *des iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Annon fictus * in præcepto labor, onus leve, suave jugum, crux inuncta? Hujus rei sacramentum est, quod in dedicatione ecclesiarum depictas in pariete cruces oleo sancto pontifex linit. Sic & olim quando Abrahæ dictum est, *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offeres mihi eum in holocaustum*, labor fictus est in præcepto. Oblatus siquidem Isaac sanctificatus est, non mactatus. Et tu igitur si vocem Domini audieris intus in animo, & dicatur tibi ut offeras tuum Isaac, tuum quodcumque est gaudium immoles Deo; (interpretatur enim Isaac gaudium seu risus) fideliter & constanter obedi. Ne timeas. nimirum etsi rem grandem tibi dicit propheta, facere debes, & obtempe- D randum ei per omnia, etiamsi oportuerit ipsum Isaac jugulari. Nunc autem quicquid affectio propria judicet, securus esto: non Isaac, sed aries morietur; non peribit tibi lætitia, sed contumacia, cujus utique cornua vepribus hærent, & sine punctionibus anxietatis esse non potest. Tentat enim te Dominus Deus tuus, nec mactabitur Isaac, ut opinaris: vivens vivet, sed elevatus utique super ligna, ut in sublime gaudeas; nec in carne propria, sed in cruce Domini glorieris, per quem nimirum crucifixus & ipse es, sed crucifixus mundo, nam ei vivis.

* Cap. 18. Matt 11, 29. Psal 93. 20. * V. Serm 97. de divers. n. 1. Gen. 22, 2. Mortificatio sui non tollit gaudium, sed parit.

### XLVIII. *De nigredine & decore sponsæ.*

E 59. HÆc nimirum conversatio perfectorum, hæc sanctorum vita, hæc gratia spiritalis. Denique *tamquam tristes*, inquiunt, *semper autem gaudentes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes: tamquam morientes, & ecce vivimus. Qui videbant me foras, fugerunt à me*, dicit & filia regis, ea utique cujus gloria omnis ab intus est. Unde & clamitat in Cantico canticorum adolescentulas revocans, quas exteriori sua incompositione deterritas videt: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me Sol.* Acsi manifeste spiritualis quispiam dicat, teneras & infirmas mentes exhortans: Quid laboriosa quæque & hu- F milia conversationis nostræ tam sedule numeratis? Saga cilicina sunt, & pelles arietum rubricatæ, quibus interior ille splendor & interna tegitur gloria, ut illæsa à pulveris & imbris injuria conservetur. Nolite me considerare quod fusca sim, nolite pavere, nolite mirari. Neque enim tristitiæ aut necessitatis est exterior iste neglectus & nigredo forinseca, sed occulti splendoris & exultationis internæ. *Decoloravit*, inquit, *me Sol*, lux interior exterioris impatiens. Nimirum ignis est, & inania folia non admittit. Alioquin aut exuri folia, aut certe, si prævaluerint, ignem exstingui necesse est. Quod quidem omnino cavendum

2. Cor. 6. 10. Cant. 1. 4.

1. Thess. 5. 19. Apostolus docet: *Spiritum*, inquiens, *nolite exstinguere.* A Magis autem id Christus prohibet, volens eum vehementer accendi. Igitur sponsa quidem nigra est, sed formosa: (Luc. 12. 49.) Apostoli tamquam tristes, semper autem gaudentes: ipsi Christo, si Judaïcis consideretur oculis, non erat species neque decor. * E contra sane alios dealbatis Veritas comparat monumentis, foris quippe splendidos & nitentes, intus sordidos & fœtentes. *Ambulant* enim *in stolis, & primas*, ut dictum est, *cathedras amant*, gloriosi, honorati, & magni in oculis hominum: intus autem, ubi Deus videt, pleni avaritia, invidia, ambitione, superbia, luxuria fortasse nonnulli. Quando enim talibus detur pretiosum illud continentiæ munus, nisi forte ad judicium & condemnationem, ne quando paveant, & resipiscant, & B convertantur à studiis suis, sed obdormiscant in peccatis, & deterius pereant ex ipsa sua irreverentia & securitate?

(* Cap. 19. — Matth. 23. 6.)

### XLIX. *Quomodo egestas interior foras ejiciat.*

60. SAne ut exercitii spiritualis & curæ cordis indicium evidens est contemptus exteriorum, sic eorumdem sollicitudo certum nihilominus signum est mentis incultæ. scriptum quippe est: *In desideriis est omnis otiosus.* & item, *De stercoribus boum lapidabitur piger.* Væ, væ misero, dum stercoratur, putatur ornari. Bos erat Paulus, triturans in area Domini, & suum utique agnoscens possessorem, unde & dicebat: *Propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* C Hæc amplexatur stercora, etiamsi quondam nutritus fuerit in croceis; his lapidatur stercoribus piger, qui Christum lucrifacere negligens, corde vacuo & deserto foras cogitur evagari. Siquidem famis necessitate Jacob Patriarcha descendere in Ægyptum; & prodigus ille filius servire porcis, esurire siliquas, egestate coactus est.

(Eccl. 22. 2. — Ibidem. — Philip. 3. 8. — Gen. 46. 6 — Luc. 15. 16.)

### L. *De verme qui non moritur.*

Matt 13. 12. 61. SEd quid dicit Scriptura? *Habenti dabitur, & abundabit: non habenti autem, & hoc ipsum quod videtur habere, auferetur ab eo.* D Arescet fœnum, & decidet flos: ipsæ quoque fenestræ claudentur, ut nihil ultra terrenæ valeant consolationis haurire; denique *arguam te*, ait Dominus, *& statuam contra faciem tuam.* Quid illud confusionis erit, quid miseriæ, quid doloris, quando dissipatis foliis & dispersis, universa nudabitur turpitudo, revelabitur ignominia, sanies apparebit? quando jam immortalis factus internus ille conscientiæ vermis, tota malignitate corrodet, sed non consumet animam infelicem; nec erit omnino dissimulationis locus, aut spes ulla consolationis? Quid enim causæ est, quod ne modo quidem conscientiæ stimulos sustinere aliquatenus possunt, sed avertunt oculos cordis, & ad consolationes miseras convertuntur, E aut certe simulationibus aliquibus decipiunt semetipsos, & mentitur iniquitas sibi: nisi quod intolerabilis ille est cruciatus (licet adhuc blandiatur spes & extenuet omnino dolorem) dum sibi ipsis pro libitu tempora metiuntur, & omne quod agunt, facile diluendum, deferendumque quod appetunt, temeraria præsumptione promittunt? Sed & ipsa consuetudine & incuria stupidi & insensati corde, fere nihil sentiunt. quæ quidem omnia longius aberunt, ubi fiet quod scriptum est: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

(Psal. 49. 21. — Conscientiæ stimuli peccatores cogunt extra se solatia mendicare.)

### LI. *Quod aliter spiritum nostrum corporalia quàm spiritualia tangunt.*

62. QUanto enim sibi vicinior, & naturali necessitudine carior anima carne sua est, tanto acrius doleat necesse est, & molestius ferat propriam quam corpoream læsionem, F ubi à stupore isto & insensibilitate fuerit excitata: sicut econtra bona propria, & delicias spirituales, internamque animi voluptatem ubi contigerit experiri, eo utique delectabilius amplectatur, jucundiusque fruatur oportet, quo propius & expressius eam tangunt, nec exterius mendicantur. Nemo quippe eo modo jumenti sui, quo corporis sui, refectione poterit delectari. Placet quidem & illa: sed longe aliter ista sapit, aliterque sentitur. Quod si jumentum animæ corpus esse fateris, eadem utique ratio tibi observanda est & in ipsis. Noli ergo errare, noli seduci, ut in corporalibus credas spiritum posse magis quam in spiritualibus oblectari. Vel humanam consule rationem, si fides in te penitus obdormivit.

### LII. *De tribus in carcere, & tribus in cruce.*

63. TRes in carcere quondam fuisse legimus, tres in cruce. Joseph siquidem cum pincerna & pistore regis carcerali custodiæ mancipatus; Christus verus Joseph cum duobus utique sceleratis reputatus est. Et illi quidem in carcere videre somnia, & audiere interpretationem: isti in cruce verba locuti sunt, & unus accepit promissionem. Priorum siquidem alter propinabat regi, & audivit: *Restitueris in gradum pristinum.* Alter pascebat aves*, & responsum mortis accepit. Ipsi quippe sunt porci, quos pavit ille prodigus adolescens. Spurci siquidem & elati merito porcorum & avium nomine designantur. Porro eorum qui crucifixi sunt cum Salvatore, alteri utique confitenti dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso*: alteri blasphemanti, non quidem à Domino (neque enim tunc ille judicabat quemquam) sed à socio responsum est: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Quid ergo putamus, quid duobus illis, quorum alteri dictum est, *Restitueris post tres dies*: alteri, *Hodie mecum eris in paradiso*, præter ipsam sane dilationem interim potuit esse molestum? Quid vero illum potuit delectare, cui dictum est: Truncato capite post triduum suspenderis, avium esca futurus? Sane in hoc positi sumus omnes, & nemo nisi in carcere, sine cruce interim * nemo. quippe ubi nec innocens invenitur immunis, quando peccator requiem speret? Ceterum si quis volens sustinet & dicit, *Nos quidem juste*, mercedem habebit: sin autem invitus & blasphemans, & negans Deum factis, duplex ei contritio est. Si quis testimonium habet salutis, etiam & caro ejus requiescit in spe, & Prophetæ farinula pulmentum condit atque dulcorat, ut in olla jam non mors, sed vita sit.

(Gen. 40 — Luc. 23. — * al. co... — Luc. 15 — Luc. 23 — * al. interiori — Patiend... spontan... — 4. Reg.)

### LIII. *Quod sine exceptione centuplum promittitur.*

64. DEnique * nemo sanæ mentis ampliorem esse in vitiis credat, quam in virtutibus delectationem, præsertim cum sit Deus virtutum, totius vere jucunditatis fons, lætitiæ & exsultationis origo. Neque enim carni seu mundo aut maligno principi, sed Christo utique servire, regnare est. Audi hominem de propria utique experientia perhibentem fidele testimonium veritati: *In via*, inquit, *testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Quid erit in patria, si tanta est copia delectationis in via? Sic & Apostolus, *non in spe solum*, sed *etiam in tribulatione docuit gloriari.* Ille quidem sic (ait amicus hujus sæculi, auctoris sæculi inimicus) ille quidem sic: ego forte non ita. Delicatus sum, homo peccator sum, nec subsistere in tanto labore sine gratia multa, nec ipsam gratiam valeo promereri. Quasi vero gratia non sit gratia, sed operum merces: quasi non omnes peccaverint, aut non omnes egeant gratia Dei. Æstimas ô homo, quia personarum acceptio sit apud Deum; & non omnes omnia relinquentes tam copiose consoletur? Noli esse incredulus; acquiesce vel Veritati, de cujus testimonio nulli licet dubitare fideli: *Et omnis*, inquit, *qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet.* Neminem Christus excipit. Miseri igitur qui dicunt, præter nos; qui excludunt semetipsos, & excipiunt à beneficio generali. Nimirum indignos se judicant multo magis vitæ æternæ, qui nec ipsum quidem centuplum sperant. Sed quia Deus verax est qui promittit: homo itaque mendax est qui diffidit.

(* Cap. — Psal. 118 — Rom 5 — Refellit nes quor dam præ tus & e gia. — Matt. 19)

*LIV. De his qui videntur omnia reliquisse, nec centuplum habent.*

65. Et *omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Facile ego poteram contradictionem sustinere linguarum, si id loquerer ex me ipso; siquidem *non percipit carnalis homo quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia illi videntur.* Nunc autem ipse id loquitur, cujus verba, etiam cælo & terra transeuntibus, non transibunt. Sed audivi (ait homo qui perditionis suæ occasionem, &, ut vulgo dicitur, festucam quærit unde sibi eruat oculum) audivi, inquit, de illo & illo qui reliquerant omnia, & ad vomitum sunt reversi: quomodo illi acceperunt centuplum? Exsurge, Domine, judica causam tuam. Et istorum nempe calumnia, & murmur ipsorum qui forte omnia relinquere visi sunt, minime tamen centuplum acceperunt; non contra nos, sed contra te est, qui dixisti: *Omnis qui reliquerit patrem,* &c. *centuplum accipiet.* Quid tamen dicimus? An ex collegio discipulorum reprobari quis potest, nisi loculos habens? Sunt enim loculi non modo pecuniæ, sed propriæ voluntatis. Scrutetur proinde vias suas & studia sua, qui promissam centupli gratiam sibi deesse causatur: nec dubium quin inveniat angulum, & diversorium, reclinatoriumque, non quidem Filii hominis, sed aut foveam vulpis, aut volucris nidum. Magis autem perfectius, obsecro, relinquat omnia, & solum sequatur Christum, jactans cogitatum suum in eo, enutriendus ab eo, & centuplum sine dubio percepturus. Neque enim potest solvi Scriptura, quæ tam certa veritate subnixa, omnibus id sine exceptione promittit. Nihil sibi retineat, nihil suis, *ne modicum fermentum totam massam corrumpat.* Sunt enim, qui sibi retinent aliquid, Dominicæ vocis obliti, qui non suam venit facere voluntatem: & in ipsis quoque sanctorum collegiis proprio aut desiderio, aut fortasse consilio importunius adhærentes, sciolos sese faciunt, de se sibi aliquid retinentes, quos penitus abnegasse, & divinæ providentiæ, ac obedientiæ patrum, consiliis quoque spiritualium virorum debuerant commisisse. Sunt qui propinquis retinent & amicis, quod abjiciunt à semetipsis, pro eorum prosperitate præsenti, inani prorsus & sæculari sollicitudine æstuantes; crudeles plane, qui nequaquam proximos diligant tamquam se: crudeles, inquam, vel in se, vel in suos, immo, quod verius est, in utrosque.* Nemo ergo, cum se videt non omnia reliquisse, centuplum non accepisse miretur.

[margin: 1. Cor. 2. 14. — Luc. 21. 33. — Matt. 19. 20. — 1. Cor. 5. 6. — * Cap. 21.]

*LV. Quod cælesti consolatione se privant, qui resilire parati sunt ad terrena.*

66. Pretiosa siquidem divina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Infelix tu Esaü, qui dixisti: *Num unam tantum benedictionem habes, pater?* Quanto melius diceres cum Propheta: *Unam petii à Domino, hanc requiram?* Indignus enim benedictione cælesti convincitur, qui dubio quærit affectu, duplici petit intentione, aliud sibi refugium parans, si forte eam non obtinere contingat. *Major est iniquitas mea,* ait fratricida primus, *quam ut veniam merear.* Quid ergo? Renuat consolari anima tua, si veniam non meretur. Hoc solum deplora, hoc solum plange; aliud ne cogites quidem. Sed *nunc,* inquit, *omnis qui invenerit Cain, occidet me.* Grave scilicet damnum, grandis jactura, si perimatur corpus, quandoquidem anima periit. Sed occidendum sese causabatur infelix, tamquam pro magno beneficio habiturus si prohiberetur occidi. Quod & factum est. Consolationem miseram obtinuit quam quærebat, & oblitus est desolationis * maximæ, pro qua multo studiosius supplicare & remedium quærere oportebat. Simile * quiddam & de Saüle legisti, cum Amalecitarum rege servato, primum quidem Samuëli sancto visus est pro indulgentia supplicare: sed eo tamen in sententia persistente, *Nunc,* inquit, *honora me coram populo.* Hoccine est quod dicebas: *Peccavi, roga Dominum pro me?* Merito non pepercit qui intuebatur cor, nec simulatæ est humiliationi misertus. Non ita sane, post majora licet crimina, inexorabilem eum David potuit invenire. Denique vix adhuc dixerat David, *Peccavi,* & responsum illi est, *Dominus transtulit peccatum tuum à te.*

[margin: Gen. 27. 38. — Psal. 26. 4. — Gen. 4. 13. — * al. male desolatio- — * ita leg. mss. — 1. Reg. 15. 5. — 2. Reg. 12. 13.]

67. Sic nimirum, sic usque hodie, dilectissimi, cujus mens ad alias consolationes inhiat, & non penitus in caducis & transitoriis renuit consolari, ipse sibi profecto cælestis subtrahit gratiam consolationis. quam si digna devotione, pleno affectu, desiderio vehementi petere, quærere, pulsare satageret, sine dubio petens acciperet, quærens inveniret, pulsanti aperiretur. Alioquin si forte (quod absit) pudendum illum apostasiæ saltum præsumpserit, certum omnino sit testimonium veritatis accipientibus, aut numquam eum omnia reliquisse, aut ipsum quoque postea deseruisse centuplum quod accepit. Nonnulli siquidem cum spiritu cœperint, heu! carne postea consummantur. Quod si insanum est centuplum nolle recipere, velle relinquere plus quàm insanum jure censetur. An vero plangendus tibi videtur qui abstractus & illectus à concupiscentia sua, sponte id deserit, libens abjicit, voluntarie derelinquit; & qui nutriebatur in croceis, amplexatur stercora? Non est unde causetur qui ejusmodi est, tamquam in eo videatur irritum verbum Domini, aut evacuata promissio. Dum enim reliquit omnia, habuit sine dubio repromissam centupli benedictionem. Sine causa contendit: non ei magis quàm Christo credimus; nec omnino acquiescimus mendacem eum facere qui promisit.

*LVI. De centuplo & vita æterna.*

68. Centuplum, inquit, *accipiet, & vitam æternam possidebit.* Illud enim in via, hæc in patria est: immo hæc patria, illud via: illud consolatio præsentis laboris, hæc futuræ felicitatis consummatio est. Sic * nimirum & operariis hujus sæculi solet cibus in opere, merces in fine dari: sic militantibus & stipendia ministrantur pro necessitate temporis, & novissime donativum majus erogatur pro quantitate laboris. Sic & filiis Israel, donec terram promissionis intrarent, in deserto manna non defuit: & ab Ecclesia post quæsitum regni cælestis adventum, quotidianus panis quotidie petitur in oratione, quam ipse Salvator instituit. Habes hanc duplicem promissionem & in Propheta evidenter expressam, ubi ait: *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum, & deducet illos in via mirabili.* Ipsa est enim via testimoniorum Domini, in qua Propheta alius sicut in omnibus divitiis delectatum se esse testatur. Ut quid ergo in incredulitate moriemini, filii hominum?

[margin: Duplex centuplum seu remuneratio, viæ & patriæ. — * Hæc ex Serm. 1. S. Bern. in Dominica post Epiphan. — Sap. 10. 17. — Psal. 118. 14.]

*LVII. Quod centuplum hoc spirituale sit.*

69. At * forte adhuc sæcularis ad hæc quispiam dicat: Ostende mihi centuplum quod promittis, & libens universa relinquo. Ut quid ostendam? Fides * enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. An potius homini ostendenti, quàm Veritati crederes promittenti? Deficis scrutans scrutinio: nisi credideris, non intelliges. Manna absconditum est, quod in Apocalypsi Johannis victori promittitur. Novum nomen est, quod nemo scit nisi qui accipit. Videtur enim forte nonnullis præsentem sanctorum communionem, facultatum pariter & voluntatum, hoc loco centupli nomine designari. Et magna quidem hæc ipsa consolatio: sed non adeo generalis, ut possit universaliter omnibus convenire. Quantos enim Sanctorum aut voluntarie eam deseruisse, ut Anachoretas; aut violentia persecutionis, ut Martyres exilio relegatos, humana consolatione novimus caruisse? Datum optimum est centuplum hoc, desursum descendit à Patre luminum.

[margin: * Cap. 22. — * Verba Greg. Hom. 26. in Evang. — Apoc. 2. 17.]

*LVIII. Quid sit hoc centuplum.*

70. Annon denique omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum? Annon centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu-sancto, qui Christum habet

in pectore? Nisi quod longe plus quàm centuplum est visitatio Paracliti-Spiritus, & præsentia Christi. *Quàm magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis qui sperant in te.* Vides quomodo memoriam abundantiæ suavitatis hujus eructet anima sancta? quomodo exprimere gestiens verba multiplicet? *Quàm magna*, inquit, *multitudo!* Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas & primitiæ spiritus, deliciæ caritatis, gloria conscientiæ, *regnum Dei*, quod intra nos est; *non* utique *esca vel potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu-sancto.* Gaudium sane non modo in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis, quem voluit Christus vehementer accendi. Hæc virtus ex alto, quæ Andream fecit amplecti* crucem; Laurentium ridere carnificem; Stephanum in morte pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc illa pax, quam suis reliquit Christus, quando dedit & suam. Siquidem *donum & pax electis Dei*, pax utique præsens*; & donum futuræ. Illa superat omnem sensum, sed & huic quicquid sub sole placet, quicquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hæc gratia devotionis, & unctio docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat, quoniam nemo scit nisi qui accipit.

Psal. 30. 20. — Rom. 14. 17. — Luc. 12. 49. — * al. desiderare. — Sap. 3. 9. — * al. male præsentis.

*LIX. Exhortatio brevis.*

71. Utinam hic filiorum hominum concupiscentia vigilet, utinam vel curiositas excitetur, ut dicant in cordibus suis: Non videtur hoc verbum adinventionis humanæ; cui sic consonant uno ore testimonia scripturarum. Quod si ita est, sine dubio vehementer erramus. Probare libet an hæc ita se habeant, gustare quid hoc absconditum manna sapiat, experiri quid sit hoc centuplum, quale gaudium in Spiritu-sancto. Cras profecto respondebit ei justitia sua, qui id studiose quæsierit. Confestim ut gustaverit, videbit quoniam suavis est Dominus, quoniam bonus non modo tenenti, sed & *quærenti se, animæ speranti in se.* Alioquin venite & arguite me, dicit Dominus, si non omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut agrum propter nomen meum, centuplum acceperit, nunc in hoc tempore, parum est; & vitam æternam possidebit.

Ad hoc centuplum accendi animos, & acui desideria mortalium optat. — Thren. 3

*LX. De vita æterna.*

72. Verum si in præsentis commendatione centupli sermo deficit, & ex abundantiâ cordis angustia oris obstruitur, quidni ad promissionem æternæ vitæ defectum proprium ipsa etiam cogitatio fateatur? Si id quod ex parte est, non valet eloqui nec expertus, quid inexpertus de perfectione balbutire conetur? Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te. Pax enim est quæ exsuperat omnem sensum, pax super pacem, indeficiens exultatio, torrens voluptatis divinæ, flumen lætitiæ, gaudium plenum. Cogita quicquid vis; quicquid potes exopta; excedit cogitatum omnem, desiderium omne exsuperat illa felicitas, æternitas illa, beatitudo illa. Ad quam nos sua miseratione perducat præveniens in benedictione dulcedinis, & indeficienter nobis interim tribuens promissam centupli gratiam, ad solatium utique & remedium laboris hujus, ne deficiamus in via, & ut de exhibitione præsentium munerum firma sit exspectatio futurorum, qui venit ut vitam habeamus, & abundantius habeamus, Jesus-Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per infinita sæcula sæculorum, Amen.

---

# SCALA CLAUSTRALIUM
## SIVE
## TRACTATUS DE MODO ORANDI.

HIC TRACTATUS *inter Opera* S. AUGUSTINI *(modo in tomo VI.) reperitur sub hoc titulo* SCALA PARADISI, *cum hac Doctorum Lovaniensium Censura:* Hoc Opusculum fertur etiam inter opera D. BERNARDI, quamquàm nec illius videatur esse. *In codice vero ms. Cartusiæ Coloniensis* GUIGONI, *an Cartusiæ majoris* PRIORI *quinto, tribuitur. Exstat aliud ejusdem argumenti Opusculum apud Chiffletium in Manuali Solitariorum*, de quadruplici exercitio cellæ, *sub nomine alterius Guigonis ad Priorem & Cartusienses Vvittehamenses: ubi quatuor cellæ exercitia explicantur, tria quidem prima eadem quæ hic, nempe lectio, meditatio, oratio; sed quartum actio pro contemplatione, quæ præfertur in hoc tractatu, cujus inscriptio sic se habet in codice Coloniensi.*

### EPISTOLA DOMNI GUIGONIS Cartusiensis.

### AD FRATREM GERVASIUM *de vita contemplativa.*

DILECTO Fratri suo GERVASIO Fr. GUIGO delectari in Domino.



AMARE te ex debito teneor, quia prior me amare incœpisti: & rescribere tibi compellor, quia litteris tuis ad scribendum me prius invitasti. Quædam ergo quæ de spirituali exercitio Claustralium excogitaveram, transmittere proposui: ut qui talia experiendo melius, quàm ego tractando, didicisti, mearum judex sis cogitationum & corrector. Et merito hæc nostri laboris initia tibi primitus offero, ut novellæ plantationis primitivos fructus colligas: quoniam de servitute Pharaonis, te delicata solitudine laudabili furto surripiens, in ordinata castrorum acie collocasti; ramum de oleastro artificiose excisum prudenter inserens in oliva.

### CAPUT I.

*Descriptio quatuor graduum exercitationum spiritualium.*

1. CUm die quadam corporali manuum labore occupatus, de spiritualis hominis exercitio cogitare cœpissem; quatuor spirituales gradus animo cogitanti se subito obtulerunt: scilicet, Lectio, Meditatio, Oratio, & Contemplatio. Hæc est SCALA CLAUSTRALIUM, qua de terra in cælum sublevantur; gradibus quidem distincta paucis, immensæ tamen & incredibilis magnitudinis. Cujus extrema pars terræ innixa est; superior vero nubes penetrat, & secreta cælorum rimatur. Hi gradus sicut nominibus & numero, ita ordine & munere sunt distincti. Quorum proprietates & officia quidem singula quid circa nos efficiant, quomodo inter se invicem differant & præemineant, si quis diligenter inspiciat, quicquid laboris aut studii impenderit in eis, breve reputabit & facile, præ utilitatis & dulcedinis magnitudine. Est autem Lectio, sedula Scripturarum cum animi intentione inspectio. Meditatio, est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis investigans. Oratio, est devota cordis intentio in Deum pro malis

amovendis, & bonis adipiscendis. Contemplatio, est mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.

## CAPUT II.

*Descriptio officiorum quatuor graduum.*

2. ASsignatis ergo quatuor graduum descriptionibus, restat ut eorum officia videamus. Beatæ igitur vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Unde ipse Dominus dicit: *Quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis*. Quærite legendo, & invenietis meditando: pulsate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit: meditatio masticat & frangit: oratio saporem acquirit: contemplatio est ipsa dulcedo quæ jucundat & reficit. Lectio in cortice, meditatio in adipe, oratio in desiderii postulatione, contemplatio in adeptæ dulcedinis delectatione. Quod ut expressius videri possit, unum de multis supponam exemplum. In Lectione audio: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Ecce breve verbum, sed suavi & multiplici sensu refertum. Ad pastum animæ quasi uvam ministravit, quam postquam anima diligenter inspexit, dicit intra se: Potest aliquid boni esse. Redibo ad cor meum, & tentabo si forte intelligere & invenire potero munditiam hanc. Pretiosa enim & desiderabilis est res ista, cujus possessores beati dicuntur, quibus visio Dei, quæ est vita æterna, promittitur, quæ tot sacræ Scripturæ testimoniis collaudatur. Hoc ergo sibi plenius explicari desiderans, incipit hanc unam masticare & frangere, eamque quasi in torculari ponit: deinde excitat rationem ad inquirendum quid sit, & quomodo haberi possit hæc adeo pretiosa & desiderabilis munditia.

Matt. 7. a

Lectionis officium.

Matt. 5. a

## CAPUT III.

*Officium Meditationis.*

3. ACcedens ergo sedula Meditatio, non remanet extra, non hæret in superficie, ulterius pedem figit. Interiora penetrat, singula rimatur: attente considerat quod non dixit, *Beati mundo* corpore, sed *corde*: quia non sufficit manus habere innoxias à malo opere, nisi à pravis cogitationibus mundemur in mente. Quod auctoritate Prophetæ confirmatur dicentis: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde*. Item considerat, quantum hanc cordis munditiam optabat idem Propheta, qui orans dicebat: *Cor mundum*, inquit, *crea in me Deus*. item, *Si aspexi iniquitatem in corde meo, non exaudiet Dominus*. Cogitat quam sollicitus erat in hac custodia beatus Job, qui dicebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine*. Ecce quantum arctabat se vir sanctus, qui claudebat oculos suos ne videret vanitatem, ne forte incautus respiceret quod postea invitus desideraret. Postquam hæc & hujusmodi de cordis munditia pertractavit, incipit cogitare de ejus præmio, quam gloriosum & delectabile est videre faciem desideratam Domini, speciosi forma præ filiis hominum; non esse jam abjectum & vilem, non habentem speciem qua vestivit eum mater sua synagoga: sed stola immortalitatis indutum, & coronatum diademate, quo coronavit eum Pater suus in die resurrectionis & gloriæ, die quam fecit Dominus. Cogitat quod in illa visione erit satietas illa, de qua dicit Propheta: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Videsne quantum liquoris emanavit ex minima uva; quantus ignis ex hac scintilla ortus est; quantum hæc modica massa, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, in incude meditationis extensa est. Sed quantum adhuc posset extendi, si accederet aliquis talia expertus? Sentio enim quod puteus altus est: sed ego adhuc rudis tiro, in quo pauca hæc haurirem vix inveni.

Psal. 23 d

Psal. 50. c
Psal. 65. d

Job. 31. a

Psal. 16. d

Matt. 5. a

4. His anima facibus inflammata, his incitata desideriis, fracto alabastro suavitatem unguenti præsentire incipit, necdum gustu, sed quasi narium odoratu. Et hoc colligit quam suave esset hujus munditiæ sentire experientiam, cujus meditationem novit adeo esse jucundam. Sed quid faciet? Habendi desiderio æstuat, sed non invenit apud se quomodo habere possit: & quanto plus inquirit, plus sitit. Dum apponit meditationem, apponit & dolorem: quia sitit dulcedinem, quam in cordis munditia meditatio esse monstrat, sed non prægustat. Non enim est legentis atque meditantis hanc sentire dulcedinem, nisi data fuerit desuper. Legere enim & meditari tam bonis, quam malis commune est. Et ipsi philosophi gentium in quo summa veri boni consisteret, ductu rationis invenerunt: sed quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, & de suis viribus præsumentes dicebant, *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt: quis noster Dominus est?* non meruerunt percipere quod potuerunt videre. Evanuerunt in cogitationibus suis, & omnis eorum sapientia devorata est; quam eis contulerat humanæ studium disciplinæ, non spiritus sapientiæ, qui solus dat veram sapientiam; sapidam scilicet scientiam, quæ animam cui inhæsit, inæstimabili sapore jucundat & reficit. Et de illa dictum est: *Sapientia non intrabit in malevolam animam*. Hæc autem à solo Deo est. Officium enim baptizandi Dominus concessit multis: potestatem vero & auctoritatem in baptismo remittendi peccata, sibi soli retinuit. Unde Johannes antonomastice & discretive de eo dixit: *Hic est qui baptizat*. Sic de eo possumus dicere: Hic est qui sapientiæ saporem dat, & sapidam animam facit. Sermo siquidem datur multis, sed sapientia paucis *: quam distribuit Dominus cui vult, & quomodo vult.

Scientia etiam malis communis, non sapientia

Rom. 1 d
Psal. 11 a

Rom. 1. a
Psal. 106 c

Sap. 1. a

Johan. 1. e

* Cato in distych.

## CAPUT IV.

*Officium Orationis.*

5. VIdens autem anima quod ad desideratam cognitionis & experientiæ dulcedinem per se non possit attingere, & quanto magis ad cor altum accedit, tanto magis exaltatur Deus; humiliat se, & confugit ad orationem, dicens: Domine qui non vidèris nisi à mundis cordibus, investigavi legendo, meditando quæsivi quomodo haberi possit vera cordis munditia: ut ea mediante, vel ex modica parte possem te cognoscere. Quærebam vultum tuum Domine, vultum tuum requirebam. Diu meditatus sum in corde meo, & in meditatione mea exarsit ignis, ac desiderium amplius cognoscendi te. Dum panem sacræ Scripturæ mihi frangis, in fractione panis magna cognitio est: & quanto plus te cognosco, plus te cognoscere desidero, non jam in cortice litteræ, sed in sensu experientiæ. Nec hoc peto, Domine, propter merita mea, sed pro tua misericordia. Fateor enim quia indigna & peccatrix sum: sed & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Da mihi, Domine, arrham hereditatis futuræ, saltem guttam cælestis pluviæ, qua refrigerem sitim meam; quia amore ardeo.

Psal. 63. b

Matt. 15. e

## CAPUT V.

*Officium Contemplationis.*

6. HIs & hujusmodi ignitis eloquiis suum inflammat desiderium: sic ostendit suum affectum. His incantationibus advocat sponsum. Dominus autem, cujus oculi super justos, & aures ejus non solum ad preces, sed ipsas preces eorum non exspectat, donec sermonem finierint: sed medium orationis cursum interrumpens, festinus ingerit se, & animæ desideranti festinus occurrit cælestis rore dulcedinis circumfusus, unguentis optimis delibutus; animam fatigatam recreat, esurientem reficit, aridam impinguat; & facit eam terrenorum oblivisci, memoria sui eam mirabiliter fortificando, vivificando, & inebriando, ac sobriam reddendo. Et sicut in quibusdam carnalibus officiis anima adeo vincitur carnali concupiscentia, quod omnem usum rationis amittit, & fit homo quasi totus carnalis: ita merito in hac superna contemplatione ita consumuntur & absorbentur carnales motus ab anima, ut in nullo caro spiritui contradicat; & fiat homo quasi totus spiritualis.

Psal. 33. e

## CAPUT VI.

*Signa Spiritus-sancti ad animam venientis.*

7. SEd, ô Domine, quomodo comperiemus quando hæc facis, & quod signum adventus tui? Numquid hujus consolationis & lætitiæ testes & nuntii sunt suspiria & lacrymæ? Si ita est, nova est antiphrasis ista, & significatio inusitata. Quæ enim conventio consolationis ad suspiria; lætitiæ ad lacrymas? si tamen istæ dicendæ sunt lacrymæ, & non potius roris interioris desuper infusi superfluens abundantia, & ad interioris ablutionis indicium exterioris hominis purgamentum: ut sicut in baptismo puerorum per exteriorem ablutionem significatur & figuratur interior animæ ablutio; ita hîc econtra exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio. O felices lacrymæ, per quas maculæ interiores purgantur, per quas peccatorum incendia exstinguuntur! Beati qui sic lugetis: quia ridebitis. In his lacrymis agnosce, ô anima, sponsum tuum, amplectere desideratum. Nunc torrente te voluptatis inebria, suge ab ubere consolationis ejus lac & mel. Hæc sunt miranda munuscula & solatia, quæ dedit tibi sponsus tuus, gemitus scilicet & lacrymæ. Adducit tibi potum in his lacrymis in mensura. Hæ lacrymæ sunt tibi panes die ac nocte; panes utique confirmantes cor hominis, & dulciores super mel & favum. O Domine Jesu, si adeo sunt dulces istæ lacrymæ, quæ ex memoria & desiderio tui excitantur; quam dulce erit gaudium, quod ex manifesta tui visione capietur! Si adeo dulce est flere pro te, quam dulce erit gaudere de te! Sed quid hujusmodi secreta colloquia proferimus in publicum? Cur ineffabiles & inenarrabiles affectus verbis communibus conamur exprimere? Inexperti talia non intelligunt, nisi ea expressius legant in libro experientiæ, quos ipsa doceat unctio. Aliter autem littera exterior non prodest quicquam legenti. Modicum sapida est lectio exterioris litteræ, nisi glossam & interiorem sensum sumat ex corde.

Suspiria & lacrymæ indicia præsentis gratiæ.

Affectus interni, & spirituales sine experientia non intelliguntur.

## CAPUT VII.

*De gratiæ occultatione.*

8. O Anima, diu protraximus sermonem. Bonum enim erat nos hic esse, cum Petro & Johanne contemplari gloriam sponsi; & diu manere cum illo: si vellet hic fieri, non duo, non tria tabernacula, sed unum, in quo essemus simul, & simul delectaremur. Sed jam dicit sponsus: *Dimitte me*, jam enim ascendit aurora, jam lumen gratiæ & visitationem quam desiderabas accepisti. Data ergo benedictione, mortificato nervo femoris, & mutato nomine de Jacob in Israël, paulisper secedit sponsus diu desideratus, cito elapsus. Subtrahit se tam à prædicta visione, quam à dulcedine contemplationis: manet tamen præsens quantum ad gubernationem.

Gen. 32. f

## CAPUT VIII.

*Quod gratiæ occultatio ad tempus nobis cooperetur in bonum.*

9. SEd ne timeas, ô sponsa, ne desperes, ne existimes te contemni, si paulisper tibi subtrahit sponsus faciem suam. Omnia ista cooperantur tibi in bonum, & de accessu & recessu lucrum acquiris. Tibi venit, tibi & recedit. Venit ad consolationem, recedit ad cautelam, ne magnitudo consolationis extollat te; ne, si semper apud te sit sponsus, incipias contemnere sodales, & hanc continuam visitationem non jam gratiæ attribuas, sed naturæ. Hanc autem gratiam cui vult, & quando vult sponsus tribuit; non quasi jure hereditario possidetur. Vulgare proverbium est, quod nimia familiaritas parit contemptum. Recedit ergo, ne forte nimis assiduus contemnatur, & absens magis desideretur, desideratus avidius quæratur, diu quæsitus tandem gratius inveniatur. Præterea si numquam deesset hic consolatio (quæ respectu futuræ gloriæ, quæ revelabitur in nobis, ænigmatica est & ex parte) putaremus forte hic habere civitatem manentem, A & minus inquireremus futuram. Ne ergo exsilium deputemus pro patria, arrham pro pretii summa. Venit sponsus, & recedit vicissim: nunc consolationem afferens, nunc universum stratum nostrum in infirmitatem commutans. Paulisper nos permittit gustare quam suavis est, & antequam plene sentiamus, se subtrahit: & ita quasi alis expansis supra nos volitans, provocat nos ad volandum. quasi dicat: Ecce parum gustatis quam suavis sum & dulcis: sed si vultis plene saturari hac dulcedine, currite post me in odore unguentorum meorum, habentes sursum corda, ubi ego sum in dextera Dei Patris. Ibi videbitis me, non per speculum in ænigmate, sed facie B ad faciem: & plene gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

## CAPUT IX.

*Quam caute se debeat habere anima post gratiæ visitationem.*

10. SEd cave tibi, ô sponsa: quando absentat se sponsus, non longe abibit: & si non vides eum, ipse tamen videt te semper; plenus oculis ante & retro. Numquam potes eum latere. Habet etiam circa te nuntios suos spiritus, quasi sagacissimos exploratores: ut videant C quomodo absente sponso converseris, & accusent te coram ipso, si aliqua signa lasciviæ & scurrilitatis in te deprehenderint. Zelotypus est sponsus iste. Si forte alium amatorem receperis, si aliis magis placere studueris; statim discedet à te, & aliis adhærebit adolescentulis. Delicatus est sponsus iste: nobilis & dives est, speciosus forma præ filiis hominum: & ideo non nisi speciosam dignatur habere sponsam. Si viderit in te maculam sive rugam, statim avertit oculos. Nullam enim immunditiam potest sustinere. Esto ergo casta, esto verecunda & humilis; ut sic à sponso tuo merearis frequenter visitari. Timeo ne diu- D tius detinuerit nos sermo iste: sed ad hæc compulit me materia fertilis pariter & dulcis, quam ego non protrahebam spontaneus: sed nescio qua ejus dulcedine trahebar invitus.

## CAPUT X.

*Recapitulatio prædictorum.*

11. UT ergo quæ diffusius dicta sunt, simul juncta melius videantur, prædictorum summam recapitulando colligamus. Sicut in prædictis exemplis prænotatum est, videri potest quomodo prædicti gradus co- E hæreant, & sicut temporaliter, ita & causaliter se præcedant. Lectio enim quasi fundamentum primo occurrit, & data materia mittit vos ad meditationem. Meditatio vero quid appetendum sit diligentius inquirit, & quasi effodiens thesaurum invenit & ostendit. Sed cum per se obtinere non valeat, mittit nos ad orationem. Oratio se totis viribus erigens ad Dominum, impetrat thesaurum desiderabilem, contemplationis suavitatem. Hæc autem adveniens, prædictorum trium laborem remunerat: dum cælestis rore dulcedinis animam sitientem inebriat. Lectio ergo est secundum exterius exercitium: Meditatio secundum interiorem intellectum: Oratio secundum desiderium: Contemplatio super omnem sensum. Primus gradus est incipientium, secundus est pro- F ficientium, tertius est devotorum, quartus beatorum.

## CAPUT XI.

*Nec lectio sine meditatione, nec meditatio sine oratione prodest.*

12. HI autem gradus ita concatenati sunt, & vicaria ope sibi invicem deserviunt, quod præcedentes sine subsequentibus aut parum, aut nihil prosunt: sequentes vero sine præcedentibus, aut raro, aut numquam haberi possunt. Quid enim prodest lectione continua tempus occupare, Sanctorum gesta & scripta legendo transcurrere, nisi ea etiam masticando & ruminando succum eliciamus; & transglutiendo usque ad

Lectio nil prodest sine meditatione.

cordis intima transmittamus : ut ex his diligenter consideremus statum nostrum, & studeamus eorum opera agere, quorum facta cupimus lectitare? Sed quomodo hæc cogitabimus, aut quomodo cavere poterimus, ne falsa aut inania quædam meditando, limites à sanctis Patribus constitutos transeamus, nisi prius circa hujusmodi ante ex lectione aut ex auditu fuerimus instructi? Auditus enim quodammodo pertinet ad lectionem. Unde solemus dicere, non solum libros ipsos nos legisse, quos nobisipsis vel aliis legimus, sed illos etiam quos à magistris audivimus. Item quid prodest homini si per meditationem, quæ agenda sunt videat, nisi orationis auxilio, & Dei gratia ad ea obtinenda convalescat? *Omne* siquidem *datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*, sine quo nihil possumus facere : sed ipse in nobis facit opera, non tamen omnino sine nobis. *Cooperatores enim Dei sumus*, sicut dicit Apostolus. Vult siquidem Deus ut eum adjuvemus; & ut ei advenienti & præstolanti ad ostium, aperiamus sinum voluntatis nostræ, & ei consentiamus. Hunc consensum exigebat à Samaritana, quando dicebat : *Voca virum tuum.* Quasi diceret : Volo tibi infundere gratiam, tu applica liberum arbitrium. Orationem exigebat ab ea, cum dicebat : *Tu si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere; forsitan petiisses ab eo aquam vivam.* Hoc audito, quasi ex lectione mulier instructa, meditata est in corde suo bonum sibi fore & utile habere hanc aquam. Accensa ergo habendi desiderio, convertit se ad orationem, dicens : *Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam amplius, neque veniam huc haurire aquam.* Ecce auditus verbi Domini, & sequens super eo meditatio incitaverunt eam ad orandum. Quomodo namque esset sollicita ad postulandum, nisi prius eam accendisset meditatio? Aut quid ei præcedens meditatio contulisset, nisi quæ appetenda monstrabat, sequens oratio impetrasset? Ad hoc ergo ut fructuosa sit meditatio, oportet ut sequatur orationis devotio, cujus quasi effectus est contemplationis dulcedo.

Meditatio sine oratione. — Jacob. 1. c — 1. Cor. 3. c — Johan. 4. b — Ibidem. — Ibidem.

## CAPUT XII.

*Quomodo prædicti gradus concatenati sint ad invicem.*

13. Ex his possumus colligere, quod lectio sine meditatione arida est; meditatio sine lectione erronea; oratio sine meditatione est tepida; meditatio sine oratione infructuosa : oratio cum devotione contemplationis acquisitiva; contemplationis adeptio sine oratione, aut rara aut miraculosa. Deus, cujus potentiæ non est numerus vel terminus, & cujus misericordia super omnia opera ejus, quandoque ex lapidibus suscitat filios Abrahæ, dum duros & nolentes acquiescere cogit ut velint : & ita quasi prodigus, ut vulgo dici solet, bovem cornu trahit, quando non vocatus se infundit. Quod etsi quandoque aliquibus legimus contigisse, ut Paulo & quibusdam aliis : non tamen ideo debemus nos, quasi Deum tentando, divina præsumere, sed facere, quod ad nos pertinet : legere scilicet & meditari in lege Dei; orare ipsum ut adjuvet infirmitatem nostram, & videat imperfectum nostrum. quod ipse docet nos facere, dicens : *Petite & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate & aperietur vobis.* Nunc enim *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ecce ex præsignatis distinctionibus perspici possunt prædictorum graduum proprietates, quomodo sibi cohæreant, & quid singuli in nobis efficiant.

Johan. 16. a — Matth. 11. b

14. Beatus homo, cujus animus à ceteris negotiis vacuus, in his quatuor gradibus versari semper desiderat : qui venditis universis quæ habuit, emit agrum illum, in quo latet thesaurus desiderabilis; scilicet vacare & videre, quam suavis est Dominus : qui in primo gradu exercitatus, in secundo circumspectus, in tertio devotus, in quarto supra se levatus, per has ascensiones, quas in corde suo disposuit, ascendet de virtute in virtutem, donec videat Deum deorum in Sion. Beatus cui in hoc supremo gradu vel modico tempore conceditur manere,

Beatitudo hominis soli Deo vacantis. — Psal. 83. b

A qui vere potest dicere : Ecce sentio gratiam Domini; ecce cum Petro & Johanne gloriam ejus in monte contemplor : ecce cum Jacob plerumque Rachelis amplexibus delector. Sed caveat sibi iste, ne post contemplationem istam, qua elevatus fuerit usque ad cælos, inordinato casu corruat usque ad abyssos, nec post Dei visionem ad lascivos mundi actus & carnis illecebras convertatur. Cum vero mentis humanæ acies infirma veri luminis illustrationem diutius sustinere non poterit, ad aliquem trium graduum, per quos ascenderat, leviter & ordinate descendat : & alternatim modo in uno, modo in altero, secundum modum liberi arbitrii, pro ratione loci & temporis demoretur, tanto jam Deo vicinior, quanto à primo

Cautela contemplativorum.

B gradu remotior. Sed heu fragilis & miserabilis humana conditio! Ecce ductu rationis, & Scripturarum testimoniis aperte videmus in his quatuor gradibus bonæ vitæ perfectionem contineri : & in eis spiritualis hominis exercitium debere versari. Sed quis est qui hunc vivendi tramitem teneat? Quis est hic, & laudabimus eum? Velle multis adjacet, sed perficere paucis. Et utinam de istis paucis essemus.

## CAPUT XIII.

*Quatuor causæ nos ab his quatuor gradibus retrahentes.*

15. Sunt autem quatuor causæ, quæ retrahunt nos plerumque ab istis gradibus : scilicet inevitabilis necessitas, honestæ actionis utilitas, humana infirmitas, mundialis vanitas. Prima est excusabilis, secunda tolerabilis, tertia miserabilis, quarta culpabilis. Illis enim quos hujusmodi novissima causa à sancto proposito retrahit, melius erat gloriam Dei non cognoscere, quam post agnitam retroire. Quam utique excusationem habebit iste de peccato? Nonne ei juste potest dicere Dominus, *Quid debui tibi facere, & non feci?* Non eras, & creavi te : peccasti, & diaboli servum te feceras, & redemi te : In mundi circuitu cum impiis currebas : & elegi te. Dederam tibi gratiam in conspectu meo, & volebam facere apud te mansionem : tu vero despexisti me; & non solum sermo-

Isa. 5 b

D nes meos, sed meipsum projecisti retrorsum, & ambulasti post concupiscentias tuas. Sed, ô Deus bone, suavis & mitis, amicus dulcis, consiliarius prudens, adjutor fortis, quam inhumanus, quam temerarius est qui te abjicit! qui tam humilem, tam mansuetum hospitem à suo corde repellit! O quam infelix & damnosa commutatio! Creatorem suum abjicere, & pravas noxiasque cogitationes recipere! illud etiam secretum cubile Spiritus-sancti, secretum cordis, quod paulo ante cælestibus gaudiis intendebat, tam subito immundis cogitationibus & peccatis tradere conculcandum! Adhuc in corde calent sponsi vestigia : & jam intromittuntur adulterina desideria? Male conveniens & indecorum est, au-

E res quæ modo audierunt verba quæ non licet homini loqui, tam cito inclinari ad fabulas & detractiones audiendas : oculos, qui sacris lacrymis modo baptizati erant, repente converti ad videndas vanitates : linguam, quæ modo dulce epithalamium decantaverat, quæ ignitis & persuasoriis eloquiis suis cum sponso reconciliaverat sponsam, & introduxerat eam in cellam vinariam, iterum converti ad vana eloquia, ad scurrilitates, ad concinnandum dolos, ad detractiones. Absit à nobis Domine. Sed si forte ex humana infirmitate ad talia dilabimur, non ideo desperemus, sed iterum recurramus ad clementem Medicum, qui suscitat de terra inopem, & erigit de stercore pauperem. Et qui non vult mortem

Psal 112. a

F peccatoris, iterum curabit & sanabit nos.

16. Jam tempus est, ut epistolæ finem imponamus. Oremus ergo Deum, ut impedimenta quæ nos ab ejus contemplatione retrahunt, in præsenti nobis mitiget, in futuro nobis penitus auferat : qui per prædictos gradus de virtute in virtutem nos perducat, donec videamus Deum deorum in Sion : ubi electi non guttatim, non interpolatim percipient divinæ contemplationis dulcedinem, sed torrente voluptatis indesinenter repleri, habebunt gaudium quod nemo tollet ab eis, & pacem incommutabilem, pacem in idipsum. Tu ergo, frater mi

Gervasi *, si quando datum tibi fuerit desuper prædictorum graduum celsitudinem conscendere, memento mei : & ora pro me, cum bene fuerit tibi, ut sic cortina cortinam trahat ; & qui audit, dicat, Veni.

* *Sic habet mss.* non Gofrede, *uti hactenus lectum.*

# MEDITATIONES PIISSIMÆ.

## DE COGNITIONE HUMANÆ CONDITIONIS.

*In omnibus fere mss.* BERNARDO *tribuuntur, & quidem sæpe,* DE INTERIORI HOMINE, *inscriptæ. Exstant nihilo minus apud* HUGONEM Victorinum *sub titulo* libri quarti de Anima : *quamquam nec illius esse videantur. In codice Dunensi hanc præferunt epigraphen :* Tractatus utilis ex verbis B. BERNARDI abbatis Clarævallensis & aliorum Patrum, DE INTERIORI HOMINE, Quomodo Deum inveniat. *Certe aliquoties Ambrosii, Augustini, & Boëtii sententiæ, nedum Senecæ, referuntur in his Meditationibus : quæ non semel sub nomine Bernardi laudantur in Bernardino, seu in pervetusto libro Florum ex Bernardo, nempe in lib. V. capp. X. XI. XIII. XVII. XLIV. XLVIII. tametsi pauca ex vulgatis Bernardi operibus in his Meditationibus afferuntur. quæ Bernardo nec indignæ sunt, nec tamen ejus esse nobis videntur, cum ob stili dissimilitudinem, tum ob carminum citationes, Bernardo insolitas : ne quid dicamus de illa peccatorum confessione, quæ fit à cap. IX. longe alia ab ea, quæ est apud Bernardum in tractatu de gradibus humilitatis cap. XVIII.*

### CAPUT I.

*De dignitate hominis.*

1. Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt. Alios inspiciunt, & seipsos deserunt. Deum quærunt per ista exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Idcirco ab exterioribus redeam ad interiora, & ab inferioribus ad superiora ascendam : ut possim cognoscere unde venio, aut quo vado ; quid sum, vel unde sum ; & ita per cognitionem mei valeam pervenire ad cognitionem Dei. Quanto namque in cognitione mei proficio, tanto ad cognitionem Dei accedo. Secundum interiorem hominem tria in mente mea invenio, per quæ Deum recolo, conspicio, & concupisco. Sunt autem hæc tria, memoria, intelligentia, voluntas sive amor. Per memoriam reminiscor ; per intelligentiam intueor ; per voluntatem amplector. Cum Dei reminiscor, in memoria mea eum invenio, & in ea de eo & in eo delector, secundum quod ipse mihi donare dignatur. Intelligentiâ intueor, quid sit Deus in seipso ; quid in Angelis, quid in Sanctis, quid in creaturis, quid in hominibus. In seipso est incomprehensibilis : quia principium & finis : principium sine principio, finis sine fine. Ex me intelligo, quam incomprehensibilis sit Deus ; quoniam meipsum intelligere non possum, quem ipse fecit. In Angelis est desiderabilis, quia in eum desiderant prospicere : in Sanctis est delectabilis, quia in eo assidue felices lætantur : in creaturis est admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter gubernat, benigne dispensat : in hominibus est amabilis, quia eorum Deus est, & ipsi sunt populus ejus. Ipse in eis habitat tamquam in templo suo, & ipsi sunt templum ejus : non dedignatur singulos, neque universos. Quisquis ejus meminit, eumque intelligit ac diligit, cum illo est.

*Tres in homine potentiæ ad notitiam & amorem Dei conducentes.*

2. Diligere eum debemus, quoniam ipse prior dilexit nos, & ad imaginem & similitudinem suam nos fecit, quod nulli alii creaturæ donare voluit. Ad imaginem Dei facti sumus, hoc est ad intellectum & notitiam Filii, per quem intelligimus & cognoscimus Patrem, & accessum habemus ad eum. Tanta cognatio est inter nos & Dei Filium, quod ipse imago Dei est, & nos ad imaginem ejus facti sumus ; quam cognationem etiam ipsa similitudo testatur, quoniam non solum ad imaginem, sed & ad similitudinem ejus facti sumus. Oportet itaque id quod ad imaginem est, cum imagine convenire, & non in vacuum nomen imaginis participare. Repræsentemus ergo in nobis imaginem ejus in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore caritatis. Teneamus eum in memoria, portemus in conscientia, & ubique præsentem veneremur. Mens siquidem nostra eo ipso ejus imago est, quo ejus capax est, ejusque particeps esse potest. Non propterea ejus imago est, quia sui meminit mens, seque intelligit ac diligit : sed quia potest meminisse, intelligere, ac diligere à quo facta est. quod cum facit, sapiens ipsa fit. Nihil enim tam simile est illi summæ Sapientiæ, quam mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam & voluntatem in illa Trinitate ineffabili consistit. Consistere autem in illa non potest, nisi ejus meminerit, eumque intelligat, ac diligat. Meminerit itaque Dei, ad cujus imaginem facta est ; eumque intelligat, diligat, atque colat, cum quo potest semper esse beata. Beata anima, apud quam Deus requiem invenit, & in cujus tabernaculo requiescit. Beata quæ dicere potest : *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Negare siquidem requiem cæli ei non poterit.

*Johan. 4. b*
*Gen. 1. d*

*Imago Dei quomodo in nobis repræsentanda.*

*Eccli. 24.*

3. Cur ergo nos deserimus, & in his exterioribus Deum quærimus, qui apud nos est, si nos velimus esse apud eum ? Revera nobiscum est, & in nobis : sed adhuc per fidem, donec videre mereamur per speciem. *Novimus*, inquit Apostolus, *habitare Christum per fidem in cordibus nostris :* quia Christus in fide, fides in mente, mens in corde, cor in pectore. Per fidem ergo recolo Deum creatorem ; adoro redemptorem, exspecto salvatorem. Credo videre in omnibus creaturis, habere in meipso, &, quod his omnibus ineffabiliter jucundius atque beatius est, cognoscere in seipso. Patrem namque & Filium cum sancto Spiritu cognoscere, vita est æterna, beatitudo perfecta, summa voluptas. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta claritas, quanta suavitas, & quanta jucunditas maneat nos in illa visione, quando Deum facie ad faciem videbimus ; qui est lux illuminatorum, requies exercitatorum, patria redeuntium, vita viventium, corona vincentium. Ita in mente mea quamdam imaginem illius summæ Trinitatis invenio : ad quam summam Trinitatem recolendam, inspiciendam, & diligendam, ut ejus recorder, ea delecter, & eam complectar & contempler, totum id quod vivo, debeo referre. Mens imago Dei est, in qua sunt hæc tria, id est memoria, intelligentia & voluntas. Memoriæ attribuimus omne quod scimus, etiamsi non inde cogitemus. Intelligentiæ tribuimus omne quod verum cogitando invenimus, quod etiam memoriæ commendamus : voluntati, omne quod cognitum & intellectum, bonum & verum esse expetimus. Per memoriam Patri similes sumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritui-sancto. Nihil in nobis tam simile Spiritui-sancto est, quam voluntas vel amor sive dilectio, quæ excellentior voluntas est. Dilectio namque donum Dei est, ita quod nullum hoc dono Dei est excellentius. Dilectio namque quæ ex Deo est, & Deus est, proprie Spiritus-sanctus dicitur, per quam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per quam tota Trinitas in nobis habitat.

*Deus in his ipsis extra quærendus.*
*Eph. 3. c.*

*Jucunditas visionis beatificæ.*

*Trinitatis anima vestigium.*

*Rom. 5.*

CAPUT

## CAPUT II.

*De miseria hominis, horrore mortis, & districtione supremi Judicis.*

4. SEcundum exteriorem hominem de parentibus illis venio, qui me ante fecerunt damnatum, quam natum. Peccatores peccatorem in peccato suo genuerunt, & de peccato nutriverunt. Miseri miserum in hanc lucis miseriam induxerunt. Nil ex eis habeo, nisi miseriam & peccatum, & corruptibile hoc corpus quod gesto. B Ad illos vero festino, qui morte corporis hinc exierunt. Cum eorum sepulcra respicio, non invenio in eis nisi cinerem & vermem, fœtorem & horrorem. Quod ego sum, ipsi fuerunt; & quod ipsi sunt, ego ero. Quid sum ego? Homo de humore liquido. Fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus; deinde spuma illa coagulata modicum crescendo caro facta est. Postea plorans & ejulans traditus sum hujus mundi exsilio; & ecce jam morior plenus iniquitatibus & abominationibus. Jam jam præsentabor ante districtum Judicem, de operibus meis rationem redditurus. Væ mihi misero, cum venerit dies illa judicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus & cogitationes Domino præsentandæ recitabuntur! Tunc demisso capite præ confusione malæ conscientiæ, in judicio coram Domino stabo trepidus & anxius, utpote commemorans scelerum commissa meorum. Et cum dicetur de me; Ecce homo & opera ejus: reducam ante oculos omnia delicta & peccata mea. Quadam namque vi divina fiet, ut cuique sua opera bona, vel mala in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur: ut accuset, vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul & singuli, & omnes judicentur.

(Judicio ... omnia manifesta erunt.)

*Judicium faciet gestorum quisque suorum,*
*Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.*

Quod enim nunc confiteri erubescimus, tunc omnibus manifestabitur: & quicquid hic dissimulando palpamus, D totum illic vindex flamma comburet.

*Ignis ubique ferox ruptis regnabit habenis.*

Quantoque diutius Deus nos exspectat, ut emendemus; tanto districtius judicabit, si neglexerimus.

5. Cur ergo tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto amplius vivimus, tanto plus peccamus? Quanto est vita longior, tanto culpa numerosior. Quotidie namque crescunt mala, & subtrahuntur bona: assidue variatur homo per prospera & adversa, & ignorat quando moriatur. Sicut enim in cælo stella coruscans velociter currit, & repente deficit; & sicut scintilla E ignis subito exstinguitur, & in cinerem redigitur.

(Longior vita non optanda)

*Sic cito, finitam datur istam cernere vitam.*

Dum enim libenter ac jucundissime moratur homo in mundo, diuque se victurum arbitratur,

(Ita restitutum ex Hugone a S. Vict.)

*Ac multa in longum disponit tempus agenda* *:
subito rapitur in mortem, & ex improviso anima aufertur à corpore. Verumtamen cum magno metu magnisque doloribus animæ separatur à corpore. Veniunt enim Angeli adsumere illam, ut perducant eam ante tribunal Judicis metuendi: & tunc illa memorans opera sua mala & pessima, quæ die noctuque gessit, contremiscit, & quærit illa fugere, induciasque petere, dicens: Date mihi vel unius horæ spatium. Tunc quasi loquentia simul opera, F dicent: Tu nos egisti: opera tua sumus. Non te deseremus, sed tecum semper erimus, tecum pergemus ad judicium. Vitia quoque multis & multiplicibus criminibus eam accusabunt, multaque falsa testimonia adversus illam invenient, quamquam vera ad damnationem ejus satis possent sufficere. Dæmones vero terribili vultu & horribili aspectu eam terrebunt: ingenti furore eam persequentur & comprehendent, tam terribiliter quam horribiliter volentes retinere & possidere, nisi sit qui eripiat. Tunc anima inveniens oculos clausos & os, aliosque corporis sensus per quos solebat egredi, & delectari in his exterioribus, revertetur ad se: & videns se solam & nudam, ingenti horrore concussa, desperatione deficiet in se, & cadet sub se: & quia amore mundi, & car-

(Status & anxietas hominis moribundi ... exponitur.)



A nis voluptate, Dei amorem dereliquerat, derelinquetur à Deo misera in hora tantæ necessitatis, atque dæmonibus tradetur in inferno cruncianda.

6. Sic anima peccatoris in die qua ignorat, & hora qua nescit, rapitur à morte, & segregatur à corpore, pergitque miseriis plena, tremens & dolens: & cum nullam excusationem habeat, quam pro peccatis suis possit obtendere, contabescit & pertimescit ante Deum apparere. Ingenti horrore concutitur, & multiplicibus cogitationum æstibus agitatur, cum urgente solutione carnis, & subductis è medio omnibus, se & illum terminum considerat cui appropinquat, & post paululum hoc invenit quod in perpetuum mutari non poterit. Considerat plane, quam districtus veniat æternus Judex, & ante severitatem tantæ justitiæ, quas rationes vitæ suæ ponat. Si enim cuncta opera quæ intelligere potuit, devitavit; ventura tamen coram districto Judice illa, magis quæ in semetipsa non intelligit, pertimescit. Crescit pavor, cum cogitat quod viam vitæ hujus nequaquam sine culpa transire potuit: nec hoc quidem quod laudabiliter vixit, sine aliquo reatu est, si remota pietate judicetur. Quis enim considerare valeat, quanta mala per momenta temporum perpetramus, & quanta bona facere C negligimus? Sicut enim peccatum est perpetratio mali: sic delictum est desertio boni. Gravis siquidem jactura est, cum nec bona facimus, nec bona cogitamus, sed cor nostrum per vana & inutilia sinimus vagari. Nimis tamen difficile est cor tenere, & ab illicita cogitatione servare. Nimis etiam difficile est terrenas occupationes absque peccatis ministrare. Quapropter nullus semetipsum dijudicare, & comprehendere perfecte potest; sed multis cogitationibus occupatus, sibimetipsi aliquo modo manet incognitus, ut omnino quod tolerat nesciat. Propterea urgente exitu, subtiliori terretur metu: quia etsi illa quæ scivit, numquam se prætermisisse meminit, formidat tamen ea quæ nescit.

(Væ etiam laudabili vitæ hominis, si remota pietate judicetur. *Augustin. lib. 9. Conf. c. 13.*)

## CAPUT III.

*De dignitate animæ, & vilitate corporis.*

7. O Anima Dei insignita imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, heres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne unde ista pateris? Propter carnem aliena peccata tibi imputantur, & tuæ justitiæ quasi pannus menstruatæ reputantur, atque tu ipsa ad nihilum es redacta, & quasi nihilum & inane reputata. Nihil enim aliud est caro, cum qua tanta est tibi societas, nisi spuma caro facta, fragili vestita decôre: sed erit, quando erit cadaver miserum & putridum, & cibus vermium. Nam quantumcumque excolatur, semper caro est. Si diligenter consideres, quid per os & nares ceterosque corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium numquam vidisti. Si singulas ejus miserias enumerare velis, quam sit onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, & in omne vitium proclivis, plenam omni confusione & ignominia invenies. Propter carnem homo vanitati similis factus est, quia ex illa vitium concupiscentiæ traxit, quo captivus tenetur & incurvatur, ut diligat vanitatem, & iniquitatem operetur.

(*Isa. 64. a*) (Carnis vilitas.) (*Psal. 143. a*)

8. Attende homo quid fuisti ante ortum, & quid es ab ortu usque ad occasum, atque quid eris post hanc vitam. Profecto fuit quando non eras: postea de vili materia factus, & vilissimo panno involutus, menstruali sanguine in utero materno fuisti nutritus, & tunica tua fuit pellis * secundina.

(* *al.* pellicia.)

*Sic indutus, & ornatus progressus es ad nos;*
*Nec memor es quam sit vilis origo tui.*
*Forma, favor populi, fervor juvenilis, opesque*
*Subripuere tibi noscere quid sit homo.*

Nihil aliud est homo, quam sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium.

*Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror.*
*Sic in non hominem vertitur omnis homo.*

X

Cur ergo ſuperbis homo, attendens quod fuiſti vile ſemen, & ſanguis coagulatus in utero? Deinde miſeriis hujus vitæ expoſitus & peccato, poſtea vermis & cibus vermium futurus in tumulo. Quid ſuperbis pulvis & cinis? cujus conceptus culpa, naſci miſeria, vivere pœna, mori anguſtia.

*Unde ſuperbit homo? cujus conceptio culpa,*
*Naſci pœna, labor vita, neceſſe mori.*

*Animam carni ancillari indignum.*

Cur carnem tuam pretioſis rebus impinguas & adornas, quam poſt paucos dies vermes devoraturi ſunt in ſepulcro; animam vero tuam non adornas bonis operibus, quæ Deo & Angelis ejus præſentanda eſt in cælis? Quare animam tuam vilipendis, & ei carnem præponis? Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abuſio eſt. Totus quidem iſte mundus ad unius animæ pretium æſtimari non poteſt. Non enim pro toto mundo Deus animam ſuam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo eſt animæ pretium, quæ non niſi ſanguine Chriſti redimi potuit. Quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam? Nonne Dei Filius cum eſſet in ſinu Patris, à regalibus ſedibus pro ea deſcendit, ut eam liberaret à poteſtate diaboli? Quam cum vidiſſet peccatorum funibus irretitam, jamjamque dæmonibus tradendam ut morte perpetua damnaretur; flevit ſuper illam, quæ flere ſe neſciebat: nec ſolum flevit, ſed etiam occidi ſe permiſit, ut pretioſo ſanguinis ſui pretio eam redimeret.

*Ex pretio redemptionis æſtimanda.*

*Aſpice mortalis, pro te datur hoſtia talis.*

*Sanguini Chriſti rependendæ vices mortificatione.*

9. Agnoſce homo, quam nobilis eſt anima tua, & quam gravia fuerint ejus vulnera, pro quibus neceſſe fuit Chriſtum Dominum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Noli ergo vilipendere animæ tuæ paſſionem, cui à tanta majeſtate tantam vides exhiberi compaſſionem. Fudit ipſe lacrymas pro te: lava & tu per ſingulas noctes lectum tuum cordis compunctione, & lacrymarum aſſiduitate. Fudit ipſe ſanguinem ſuum, funde & tu tuum quotidiana corporis afflictione. quem ſi ſemel ponere pro Chriſto non potes, ſaltem mitiori quodam, ſed longiori martyrio pone. Noli attendere quid caro velit, ſed quid ſpiritus poſcit. Tunc enim glorioſus erit, cum ad Deum ſuum redierit: ita tamen ſi de corpore nullum peccatum ſecum tulerit, & deterſerit omne ſordidum. Si vero dicis, Durus eſt hic ſermo: non poſſum mundum ſpernere, & carnem meam odio habere: dic mihi ubi ſunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiſcum erant? Nihil ex eis remanſit, niſi cineres & vermes. Attende diligenter quid ſunt, vel quid fuerunt. Homines fuerunt ſicut tu: comederunt, biberunt, riſerunt, duxerunt in bonis dies ſuos; & in puncto ad inferna deſcenderunt. Hic caro eorum vermibus, & illic anima ignibus deputatur, donec rurſus infelici collegio colligati, ſempiternis involvantur incendiis, qui ſocii fuerunt in vitiis. Una namque pœna implicat, quos unus amor in crimine ligat. Quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falſæ divitiæ, magna familia, & mala concupiſcentia? Ubi riſus, ubi jocus, ubi jactantia, ubi arrogantia? De tanta lætitia, quanta triſtitia! Poſt tantillam voluptatem, quam gravis miſeria! De illa exultatione ceciderunt in magnam miſeriam, in grandem ruinam, & in magna tormenta.

*Exitus amatorum ſæculi.*

*Job. 21. b*

*Vitæ hujus brevitas & incertitudo.*

10. Quicquid illis accidit, tibi accidere poteſt, quia homo es: homo de humo, limus de limo. De terra es, & de terra vivis, & in terram reverteris, quando venerit dies illa ultima, quæ ſubito veniet; & forſitan hodie erit. Certum eſt quia morieris: ſed incertum quando, aut quomodo, vel ubi. Quoniam mors ubique te exſpectat, tu quoque, ſi ſapiens fueris, ubique eam exſpectabis. Si carnem ſequeris, punieris in carne: ſi in carne delectaris, cruciaberis in carne. Si curioſas veſtes requiris, pro ornatu veſtium ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Juſtitia enim Dei aliud judicare non poteſt, niſi quod merentur opera noſtra. Qui enim plus diligit mundum quam Deum, ſæculum quam clauſtrum, gulam quam abſtinentiam, luxuriam quam caſtitatem; ſequitur diabolum, & ibit cum eo in ſupplicium æternum. Quis putas tunc mæror erit, quis luctus, quæ triſtitia, cum ſeparabuntur impii à conſortio Sanctorum, & à viſione Dei: & traditi in poteſtatem dæmonum, ibunt cum ipſis in ignem æternum, ibique ſemper erunt ſine fine in luctu & gemitu? Procul quippe à beata paradiſi patria exſulantes, cruciabuntur in gehenna perpetua, numquam lucem viſuri, numquam refrigerium adepturi, ſed per millia millium annorum in inferno cruciandi; nec inde umquam liberandi: ubi nec qui torquet, aliquando fatigatur; nec qui torquetur, aliquando moritur. Sic enim ignis ibi conſumit, ut ſemper reſervet: ſic tormenta aguntur, ut ſemper renoventur. Juxta vero qualitatem culpæ pœnam ſuſtinebit unuſquiſque gehennæ, & ſimilis culpæ rei ſuis ſimilibus jungentur cruciandi. Nihil aliud ibi audietur niſi fletus & planctus, gemitus & ululatus, mærores atque ſtridores dentium: nihilque ibi videbitur, niſi vermes, & larvales facies tortorum, atque teterrima monſtra dæmonum.

*Iſa. 14. c*

*Infernal quoque narum bitas.*

*Vermes crudeles mordebunt intima cordis*
*Hinc dolor, inde pavor, gemitus, ſtupor, & timor horrens.*

Ardebuntque miſeri in igne æterno in æternum & ultra. In carne cruciabuntur per ignem, in ſpiritu per conſcientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis ſine ſpe veniæ & miſericordiæ. Sic tamen morientur, ut ſemper vivant; & ſic vivent, ut ſemper moriantur. Ita anima peccatoris aut in inferno pro peccatis cruciatur, aut in paradiſo pro bonis meritis collocatur. Nunc ergo alterum è duobus eligamus: aut ſemper cruciari cum impiis, aut perpetualiter lætari cum Sanctis. Bonum ſiquidem & malum, vita & mors, ante nos ſunt poſita: ut ad quod voluerimus, manum extendamus. Si tormenta non terrent nos, ſaltem invitent præmia.

## CAPUT IV.

### *De præmio Patriæ cæleſtis.*

11. PRæmium eſt videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, eſſe cum Deo, eſſe in Deo, qui erit omnia in omnibus: habere Deum, qui eſt ſummum bonum. Et ubi eſt ſummum bonum, ibi eſt ſumma felicitas, ſumma jucunditas, vera libertas, perfecta caritas, æterna ſecuritas, & ſecura æternitas: ibi eſt vera lætitia, plena ſcientia, omnis pulcritudo, & omnis beatitudo.

*Eſt ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honeſtas,*
*Gaudia, lætitia, dulcedo, vita perennis,*
*Gloria, laus, requies, amor, & concordia dulcis.*

Sic cum Deo homo beatus erit, in cujus conſcientia peccatum inventum non fuerit. Videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem, ſic cognoſcendi facilitatem, & requieſcendi felicitatem. Civis ſiquidem erit illius ſanctæ civitatis, cujus Angeli cives ſunt, Deus Pater templum, Filius ejus ſplendor, Spiritus-ſanctus caritas. O civitas cæleſtis! manſio ſecura, patria fertilis & ampla, totum continens quod delectat: populus ſine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes! *Quam glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei! ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Omnes lætantur in lætitia & exultatione: omnes delectantur de Deo, cujus aſpectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis eſt ad videndum, ſuavis ad habendum, dulcis ad perfruendum. Ipſe per ſe placet, & per ſe ſufficit ad meritum, ſufficit ad præmium; nec extra illum quicquam quæritur, quia totum in illo invenitur quicquid deſideratur. Semper libet eum aſpicere, ſemper habere; ſemper in illo delectari, & illo perfrui. In illo clarificatur intellectus, & purificatur affectus ad cognoſcendam & diligendam veritatem. Et hoc eſt totum bonum hominum, noſſe ſcilicet & amare Creatorem ſuum.

*Pſal. 86. b*

*Deus ſol plena bea tudo bea rum.*

12. Quæ ergo nos agit veſania, vitiorum ſitire abſinthium, hujus mundi ſequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium; & non magis convolare ad Sanctorum felicitatem, ad Ange-

lorum societatem, ad sollemnitatem supernæ lætitiæ, & ad jucunditatem contemplativæ vitæ; ut possimus intrare in potentias Domini, & videre super abundantes divitias illas bonitatis? Ibi vacabimus, & videbimus, quam dulcis est Dominus, & quam magna multitudo dulcedinis ejus. Videbimus gloriæ decorem, Sanctorum splendorem, & regiæ potestatis honorem. Cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus-sancti benignissimam clementiam: & ita habebimus notitiam illius summæ Trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus, imagines etiam corporum spiritu cernimus: tunc vero ipsam Trinitatem puro mentis intuitu videbimus. O beata visio! videre Deum in seipso, videre in nobis, & nos in eo felici jucunditate, & jucunda felicitate! Quidquid desiderabimus, totum habebimus, nihil amplius desiderantes: & quidquid videbimus, amabimus, ipso amore beati: beati dulcedine amoris, & suavitate contemplationis. Hæc erit summa illius contemplationis, hæc erit summa illius felicitatis, quoniam intelligetur in suo puro esse sincera divinitas, comprehendetur in ea incomprehensibilis Trinitas. Patebunt arcana divinitatis: videbitur & amabitur Deus: & hæc visio & delectatio totum cor hominis implens & satians, tota erit illius beatitudinis consummatio. Una erit omnium lingua, jubilatio indefessa, unus affectus, amor æternus. Patebit veritas, implebitur caritas; & erit integra corporis & animæ societas*. Fulgebit sicut sol humanitas glorificata: quieta erit & concors carnis & spiritus societas: Angelorum & hominum erit gaudium unum, unum colloquium, unum convivium. Non languebit amor, nec liquefiet dilectio. Præsentibus omnibus bonis, nulla erit dilationis afflictio, quoniam beatifica divinæ majestatis præsentia omnibus erit omnia, & erit communis omnium omnipotentia, sapientia, pax, justitia, & intelligentia. Non erit in illa pace diversitas linguarum, sed pacifica & concors concordia morum & affectuum. In torrente illius voluptatis nihil ultra appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, & superabundans lætitia.

Felicitas & jucunditas æternæ vitæ describitur.

* f. satietas.

13. Sed ad hæc quis idoneus? Profecto verus pœnitens, bonus obediens, amabilis socius, fidelis servus. Verus pœnitens semper in labore & dolore: dolet de præteritis, laborat pro futuris cavendis. Vera siquidem pœnitentia est, sine temporis intermissione de peccatis dolere. Sic plangit commissa, ut non committat plangenda. Irrisor namque est & non verus pœnitens, qui adhuc agit quod pœniteat. Si ergo vis verus pœnitens esse, cessa à peccato, & noli amplius peccare: quoniam inanis est pœnitentia quam sequens coinquinat culpa. Omnis bonus obediens dat suum velle, & suum nolle, ut possit dicere: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum quodcumque præceperis facere, paratum ad nutum citius obedire, paratum tibi vacare, proximis ministrare, meipsum custodire, & in cælestium contemplatione requiescere. Amabilis socius, omnibus est officiosus, & nulli onerosus. Omnibus est officiosus, quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum; Domini servus, proximi socius, mundi dominus. Superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium. Nulli est onerosus, sed inferiora redigit ad utilitatem mediorum, & ad honorem superiorum: superiora sequens, inferiora trahens: ab illis possessus, ista possidens. Fidelis servus est in contemplatione Dei, & custodia sui. Custodiæ ergo tuæ adhibe prius omnem diligentiam. Deinde intelligens te numquam posse sufficere ad te custodiendum tua industria, divinam implora clementiam. Itemque ad contemplandam in te Creatoris tui voluntatem bonam & beneplacentem atque perfectam, angelicam exora tutelam, patrociniumque omnium cum Christo regnantium super te roga. Curre per singulos, supplica singulis, & simul omnibus clama & dic: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Recipite fugitivum vestrum, sed fratruelem, sed consanguineum in sanguine Redemptoris. En pauper stat ad ostium, clamat & pulsat. Aperite pulsanti, & conducite eum usque ad Regem: ut prostratus coram eo indicem ei omnes miserias & omnes necessitates quas patior. Ad extremum vero Prælato tuo cor tuum cum omni progenie reconsigna. Nullum in eo remaneat peccatum, quod non pura confessione deleatur. Jesum-Christum etiam super cor tuum sicut signaculum pone. Cum enim Christus cordis ostium custodit, & est cordis ostiarius, ut per illum ingrediantur & egrediantur omnes familiæ cordis; consequenter adsunt millia millium Angelorum ad fores exteriorum sensuum excubantium, nec audet alienigena irrumpere terribiles illas acies, propter ostiarii reverentiam, & Angelorum custodiam.

Pœnitens ejus verax.

Pœnitentia vera quæ.

Psal. 107. a

Quid agendum ad suiipsius custodiam.

Job. 19. c

## CAPUT V.

### *De quotidiano suiipsius examine.*

14. Integritatis tuæ curiosus explorator vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias: qualis sis in moribus, & qualis in affectibus: quam similis sis Deo, vel quam dissimilis; quam prope, vel quam longe, non locorum intervallis, sed morum affectibus. Stude cognoscere te: quam multo melior & laudabilior es, si te cognoscis, quam si te neglecto cognosceres cursum siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, & haberes omnium cælestium & terrestrium scientiam. Redde ergo te tibi, & si non semper, vel sæpe; saltem interdum. Rege tuos affectus, dirige actus, corrige gressus. In te nihil remaneat indisciplinatum. Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te, tamquam ante alium; & sic temetipsum plange. Plora iniquitates & peccata, quibus Deum offendisti: indica ei miserias tuas, ostende illi malitiam adversariorum tuorum. Cumque coram eo in lacrymis te maceraveris, precor te, ut memor sis mei.

Cognitio sui omni scientiæ præstat.

15. Ego enim ex quo cognovi te, in Christo diligo te, & illuc mentionem tui defero, ubi & illicita cogitatio supplicium, & honesta promeretur præmium. Ad altare namque Dei cùm peccator sto, sed sacerdos, tui me comitatur memoria. Tu vero mihi vicem reddes, si me amaveris, & orationum tuarum participem feceris. Ibi recordatione tecum esse præsens desidero, ubi pro te & tuis familiaribus devotas preces coram Deo fundis. Nec mireris, si dixi, præsens: quoniam si me amas, & ideo amas, quia imago Dei sum; ita tibi præsens sum, ut tu ipse tibi. Quicquid enim tu es substantialiter, hoc ego sum. Imago enim Dei est omnis anima rationalis. Proinde qui in se imaginem Dei quærit, tam proximum quam se quærit: & qui illam in se quærendo invenerit, in omni homine eam cognoscit. Visio enim animæ, intellectus est. Si ergo te vides, me vides, qui nihil aliud sum quam tu. Et si Deum diligis, me imaginem Dei diligis: & ego Deum diligendo diligo te. Et ita dum unum quærimus, & ad unum tendimus, semper invicem præsentes sumus, sed in Deo in quo nos diligimus.

Memoria proximi ad altare Dei.

Amor amantes reddit sibi præsentes.

## CAPUT VI.

### *De attentione orationis tempore habenda.*

16. Cum ad orandum sive ad psallendum ecclesiam intraveris, fluctuantium cogitationum tumultus exterius relinque, curamque exteriorum penitus oblivìscere, ut soli Deo possis vacare. Fieri enim non potest, ut aliquando cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur. Intende ergo illi qui intendit tibi; audi illum loquentem tibi, ut ipse exaudiat te loquentem sibi. Ita fiet, si divinis laudibus solvendis debita reverentia & sollicitudine assistas, super singula verba divinæ Scripturæ diligenter intendas. Non quod ego ista faciam dico, sed quod facere vellem, & non fecisse pœnitet, & non facere piget. Tu vero cui major gratia concessa est, votis & devotis precibus pias aures Domini ad te flecte, lacrymis & suspiriis pro tuis excessibus illum clementer exora, atque canticis spiritualibus in omnibus operibus suis illum lauda & glorifica. Nihil enim magis supernis civibus spectare libet; nil Regi summo jucundius exhibetur, sicut ipse testatur: *Sacrificium laudis honorificabit me.* O quam felix esses, si spiritualibus ocu-

Attentio inter orandum & psallendum procuranda.

Psal. 49. d

lis semel intueri posses, quomodo præveniunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum! Videres proculdubio, qua cura, quove tripudio intersunt cantantibus, assistunt orantibus, adsunt meditantibus, supersunt quiescentibus, providentibus atque procurantibus præsunt. Diligunt siquidem suos concives supernæ potestates, & pro iis qui hereditatem capiunt salutis, sollicite congaudent, confortant, instruunt, protegunt, providentque omnibus. Omnes enim ipsi desiderant adventum nostrum, quoniam ipsi de nobis exspectant civitatis suæ ruinas restaurari. Diligenter quærunt, & libenter audiunt bona de nobis: solliciti discurrunt medii inter nos & Deum, nostros gemitus fidelissime ad eum portantes, ipsiusque gratiam devotissime ad nos reportantes. Non dedignabuntur esse socii nostri, qui jam facti sunt ministri nostri. Exultare eos fecimus, quando conversi sumus ad pœnitentiam. Festinemus ergo de nobis eorum lætitiam adimplere. Væ tibi quicumque es, qui desideras redire ad vomitum, reverti ad lutum. Putasne placatos habebis eos in judicio, quos tanto & tam sperato privare vis gaudio? Exsultaverunt quando venimus ad religionem, tamquam super his quos ab ipsa inferni porta cernerent revocari. Quid vero tunc erit, si ab ipsa janua paradisi viderint redire, & retrorsum abire eos, qui jam alterum pedem habebant in cælo? Nam etsi corpora inferius, sed corda sursum.

*Psal. 67. f*

*V. S. Bern. serm. 7. in Cant.*

Angeli adsistunt orantibus.

Pro nostra salute solliciti.

*Vide S. Bern. serm. 2. in Vigilia Nat. Domini n. 6 & 7.*

17. Curramus ergo non passibus corporis, sed affectibus mentis, sed desideriis, sed suspiriis, quoniam non solum Angeli, sed Angelorum Creator nos exspectat. Exspectat nos Deus Pater, tamquam filios & heredes, ut constituat nos super omnia bona sua. Exspectat nos Dei Filius tamquam fratres & coheredes, ut fructum suæ nativitatis, & pretium sui sanguinis Deo Patri offerat. Exspectat nos Spiritus-sanctus. ipse siquidem est caritas & benignitas in qua ab æterno prædestinati sumus: nec dubium, quin prædestinationem suam adimpleri velit. Ergo quia omnis cælestis curia exspectat nos & desiderat, desideremus eam quanto possumus desiderio. Cum magna namque confusione & rubore ad illam veniet, quisquis videre eam vehementer non desiderat. Quicumque vero jugi oratione & assidua cogitatione in illa conversatur: & securus hinc egredietur, & cum magna lætitia recipietur in illam. Ubicumque ergo fueris, intra temetipsum ora. Si longe fueris ab oratorio, noli quærere locum, quoniam tuipse locus es. Si fueris in lecto aut in alio loco; ora, & ibi est templum. Frequenter orandum, & flexo corpore mens est erigenda ad Deum. Sicut enim nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria *.

Currendum ad Deum.

*Bernard. ibid. n. 7.*

Deus ubique orandus & semper in mente habendus.

** Ex Ambr. lib. de dignit. condit. hum. cap. 2.*

18. Sed dicis: Ego quotidie oro, & orationis meæ nullum fructum video, sed sicut accedo ad illam, sic & redeo. Nemo mihi respondet, nemo loquitur, nemo quippiam donat, sed incassum laborasse videor. Sic loquitur humana stultitia, non attendens quid inde Veritas promittat dicens: *Amen dico vobis, quia quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Noli ergo vilipendere orationem tuam, quoniam ille ad quem oras, non vilipendit eam: sed antequam egrediatur de ore tuo, ipse scribi eam jubet in libro suo. Et unum è duobus indubitanter sperare debemus, quoniam aut dabit nobis quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius. Cogita itaque de Deo quicquid melius potes, & de te quicquid deterius vales. De illo amplius credere debes, quam cogitare potes. Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidisse, Omnis siquidem res aliena est à nobis: tempus autem tantum nostrum est. Vaca ergo, & ubicumque fueris, tuus esto. Noli te rebus tradere, sed commodare. Quocumque loco consistis, cogitationes tuas jacta in Deum, & aliquid salutare in animo tuo versa. Omnis siquidem locus ad meditandum congruus est.

*Matt. 21 c*

Utile monitum orantibus.

*Seneca epist. 1.*

19. Tota ergo facultate animum colligens, libere tecum habita, & in latitudine cordis tui deambulans, ibidem cœnaculum grande stratum Christo exhibe. Mens namque sapientis semper est apud Deum. Illum semper

A ante oculos habere debemus, per quem sumus, vivimus, & sapimus. Ipsum namque ut essemus, habemus auctorem; ipsum etiam, ut sapientes simus, debemus habere doctorem; & ut beati simus, internæ suavitatis largitorem. Et in hoc imaginem ejus, hoc est illius summæ Trinitatis, in nobis cognoscimus. Nam sicut ille est, & sapiens est, & bonus est: sic & nos pro modulo nostro & sumus, & nos esse scimus, & id esse & nosse diligimus. Utere igitur teipso velut Dei templo, propter illud quod in te est simile Deo. Honor siquidem Deo summus est, illum venerari & imitari. Imitaris, si pius es. Templum enim sanctum est Deo mens pia, & altare optimum cor ejus. Veneraris, si misericors es, sicut ipse

B omnibus misericors est. Hostia siquidem acceptabilis est Deo, facere bonum omnibus pro Deo. Fac omnia sicut Filius Dei, ut dignus sis eo qui te dignatus est filium vocare. In omnibus vero quæ agis, Deum esse præsentem cognosce. Cave ergo ne in eo quod male delectat, vel visio tua vel cogitatio tua remoretur: nec dicas aut facias quod non licet, etiam si libet: nec aliquo facto vel signo Deum offendas, qui ubique præsens cernit quicquid facis. Magna custodia tibi necessaria est, quoniam ante oculos Judicis vivis cuncta cernentis. Cum illo tamen semper es securus, si talem te præparaveris, ut tecum adesse dignetur. Si tecum non est per gratiam, adest per vindictam. Sed væ tibi, si ita tecum est. Immo væ tibi, si

C ita tecum non adest. Illi namque irascitur Deus, quem peccantem non flagellat. nam quem flagellando non emendat, in futuro damnat.

Qualite[r] præsent[ia] Dei ag[nos-] dum.

*Boëtius ult. ac c[…]*

## CAPUT VII.

### *De custodia cordis, & studio orationis.*

20. CErtum est, quoniam mors ubique minatur tibi, Diabolus insidiatur, ut rapiat animam tuam, quando egredietur de corpore: tu vero noli timere, quoniam Deus qui in te habitat (si tamen in te habitat) eripiet te, & à morte, & à dæmone. Fidelis enim socius est, nec deserit sperantes in se, nisi ipse prior deseratur. Deseritur

D autem cum cor per pravas & inutiles cogitationes vaga mente discurrit. Idcirco omni sollicitudine & custodia illud custodire & tenere debes, ut in illo Deus requiescere possit. In omni namque creatura quæ sub sole mundi vanitatibus occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihil Deo similius reperitur. Quapropter nihil aliud quærit à te nisi cor tuum. Munda ergo illud per puram confessionem & assiduam orationem, ut mundo corde Deum videre possis per continuam Dei circumspectionem. In omni loco esto ei subjectus & intentus, & compone mores tuos, ut sis in te placatus. Dilige omnes homines, & omnibus te amabilem exhibe, ut

E sis pacificus, & Dei filius. Sic eris bonus monachus, sanctus, humilis & rectus: & cum talis fueris, memento mei.

21. Væ mihi qui ista dico, & ista non facio: & si aliquando facio, non diu persevero. Ista habeo in memoria, & non servo in vita: habeo in sermonibus, & non in moribus. Legem in corde & in ore tota die rumino, & contraria legi ago. Lego de religione in ea, & plus diligo lectionem quam orationem. Verumtamen nihil aliud me docet divina Scriptura, nisi religionem amare, unitatem servare, caritatem habere. Ego autem miser & miserabilis, citius curro ad lectionem, quam ad orationem: libentius volo legere, quàm Missas auscultare. Exspectat me aliquis volens de necessitate sua mihi loqui; ego vero

F librum aliquem accipio, quem ille vel ille vellet habere. Lego in eo, & legendo amitto fructus caritatis, pietatis affectus, compunctionis fletus, Missarum utilitatem, cælestium contemplationem. Nil tamen in hac vita dulcius sentitur, nil avidius sumitur, nil ita mentem ab amore mundi separat, nil sic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omne opus bonum, & ad omnem laborem, quam gratia contemplationis.

Lectioni præposte[rum] studium [ar-] guit.

Contemp[la-] tionis uti[li-] tas.

## CAPUT VIII.

*De incuria seu negligentia inter orandum detestatione.*

22. MIserere mei Deus, quoniam ibi plus pecco, ubi peccata mea emendare debeo. In monasterio namque sæpe dum oro, non attendo quod dico. Oro quidem ore, sed mente foris vagante, orationis fructu privor. Corpore sum interius, sed corde exterius: & ideo perdo quod dico. Parum enim prodest sola voce cantare sine cordis intentione. Propterea magna perversitas, immo magna insania est, quando cum Domino majestatis loqui in oratione præsumimus, & insensati aurem avertimus, & ad nescio quas ineptias convertimus cor. Magna quoque insania, & graviter vindicanda, cum vilissimus pulvis loquentem ad se audire dedignatur Creatorem universitatis. Ineffabilis vero est dignatio divinæ bonitatis; quæ quotidie conspicit nos infelices aures avertentes, obdurantes corda, & nihilominus clamat ad nos dicens: *Redite prævaricatores ad cor. Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Loquitur mihi Deus in psalmo, & ego illi: nec tamen cum psalmum dico, attendo cujus psalmus sit. Idcirco magnam injuriam Deo facio, cum illum precor ut meam precem exaudiat, quam ego qui fundo non audio. Deprecor illum ut mihi intendat: ego vero nec mihi, nec illi intendo; sed, quod deterius est, immunda & inutilia in corde versando, fœtorem horribilem ejus aspectibus ingero.

[...]. 46 c
[...]l. 45. b

## CAPUT IX.

*De instabilitate cordis humani.*

[C]ordis insta[bil]itas.

23. NIhil est in me corde meo fugacius; quod quoties me deserit, & per pravas cogitationes defluit, toties Deum offendit. Cor meum cor vanum, vagum & instabile, dum suo ducitur arbitrio, & divino caret consilio, in seipso non potest consistere: sed omni mobili mobilius, per infinita distrahitur, & hac atque illac per innumera discurrit. Et dum per diversa requiem quærit, non invenit: sed in labore miserum, à requie vacuum manet; sibi non concordat, à se dissonat; à se resilit, voluntates alternat, consilia mutat, ædificat nova, destruit vetera, destructa reædificat, eadem iterum atque iterum alio & alio modo mutat & ordinat, quia vult, & non vult, & numquam in eodem statu permanet. Sicut enim molendinum velociter volvitur, & nihil respuit, sed quicquid imponitur molit; si autem nihil apponitur, seipsum consumit: sic cor meum semper est in motu, & numquam requiescit: sed sive dormiam, sive vigilem, somniat & cogitat quicquid ei occurrit. Et sicut molendinum arena si imponatur exterminat, pix inquinat, palea occupat: sic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat & fatigat. Ita cor meum dum futurum non curat gaudium, nec divinum quærit auxilium; ab amore cælestium elongatur, & in amore terrestrium occupatur. Cumque elabitur ab illis, & involvitur in istis; vanitas illud recipit, curiositas deducit: cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat tristitia; sicque miseris casibus submergitur omnibus vitiis, quoniam unum Deum, qui ei sufficere poterat, dimisit.

[Si]militudo [ele]gans.

24. Per multa dispergitur, & huc illucque quærit ubi requiescere possit, & nihil invenit quod ei sufficiat, donec ad ipsum redeat. A cogitatione in cogitationem ducitur, & per varias occupationes & affectiones variatur: ut saltem varietate ipsarum rerum impleatur, quarum qualitate satiari non potest. Sic labitur cordis miseria subtracta divina gratia. Cumque ad se revertitur, & discutit quod cogitavit, nil reperit: quia non opus fuit, sed importuna cogitatio, quæ componit multa de nihilo. Sic denique decipit imaginatio, quam dæmonum format illusio. Imperat mihi Deus, ut præbeam illi cor meum: & quia imperanti Deo non sum obediens & subditus, mihi sum rebellis & contrarius. Unde mihi subjugari non potero, donec illi fuero subjectus; mihique serviam nolens, qui ei nolo servire volens. Idcirco plura machinatur cor

Homo à Deo [d]ivisus, est si[b]i rebellis.

A meum uno momento, quàm omnes homines perficere possent uno anno. Cum Deo non sum unitus, & ideo in meipso sum divisus. Cum illo vero uniri non possum, nisi per caritatem, nec subjici nisi per humilitatem, nec vere humilis esse nisi per veritatem.

25. Expedit ergo ut in veritate me discutiam, & cognoscam, quàm vilis, quàm fragilis, & quàm labilis sum. Deinde cum omnes miserias meas cognovero, necesse est illi inhæream, per quem sum, sine quo nihil sum, & nihil facere possum. Et quia à Deo peccando recessi; nisi per veram confessionem ad illum redire non possum. Fateri ergo oportet quod fatendum est: quia numquam eo modo aut ea intentione, qua peccavi, peccata confessus B sum: nec omnium recordatus sum, aut propter vetustatem, aut propter multitudinem. Si autem confessus sum, non pure confessus sum propter turpitudinem. Confessionem etiam meam divisi, ut diversis sacerdotibus diversa manifestatem: & ita venia carui, ad quam per partes pervenire putavi. Exsecranda namque fictio est, peccatum dividere, & superficie tenus radere, non intrinsecus eradicare. Non enim utilis est confessio, nisi sit in oris veritate, & cordis puritate. Et ut tres sint qui testimonium nobis dent in cælo, Pater, Filius, & Spiritus-sanctus; addamus testes sacerdotes cordi nostro & ori, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

Confessionis abusus seu defectus.

26. Sed dicis: Sufficit mihi soli Deo confiteri: quia C sacerdos sine eo à peccatis me absolvere non potest. Ad quod non ego, sed beatus Jacobus respondet dicens: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Conveniens namque valde est, ut nos qui peccando Deo contumaces fuimus, pœnitendo supplices sacerdotibus & ministris ejus simus: ut homo qui ad gratiam conservandam mediatore non eguit, jam eam recuperare non nisi per mediatorem hominem possit. Gemat ergo & suspiret; & anxius pro peccato timeat, & expavescat: sollicitus discurrat, auxiliatores & intercessores quærat: prosternat se humiliter homini, qui humiliter adstare noluit Creatori. Nam & hoc saluberrimum est, ut homo corde pœniteat, & ore delictum suum confiteatur: quatenus Deus qui pius adest per D gratiam, cor ad pœnitentiam compungat: deinde adsit, ut confitenti peccatorum veniam tribuat. Quod si forte peccator vere pœniteat, sed intercurrente articulo necessitatis, ad confessionem pervenire non possit: confidenter credere debemus, quod summus Sacerdos complet in eo quod mortalis non potuit. Et jam apud Deum factum constat, quod homo quidem vere voluit, sed non valuit adimplere: quia confessionem non contemptus exclusit, sed impedivit necessitas.

*Jacob. 5. d*
Confessio quare facienda sacerdoti.

Contritio sine confessione in articulo necessitatis sufficit.

## CAPUT X.

*De impatientia correctionis, & accusatione propriorum defectuum ac vitiorum.*

E

27. IN Capitulo, ubi peccata mea emendare debui, peccatis peccata addidi. Cum de illis accusatus fui; aut aliquo modo excusavi, aut ex toto negavi; aut, quod deterius est, defendi, & impatienter respondi: cum nullum sit peccatum à quo non sim contaminatus, aut contaminari non possim. Justum est ergo, ut omni excusatione remota emendationem, promittam; undecumque aut à quocumque accuser: quatenus sic liberari valeam à peccato perpetrato, vel perpetrando. Multitudinem iniquitatum mearum expavescens, aliorum transgressiones reprehendere timui, & ideo mortis auctor exstiti: quia virus quod clamando expellere potui, non expuli. Indi- F gnatus sum adversus alios, qui me de vitiis meis reprehendebant; & quos amare debui, odivi. Illa quæ mihi nocebant, vel displicebant, desideravi, ut non essent. Sciebam tamen quod in natura sui erant bona, & à bono factore facta: sed ideo mihi nocebant, quia malus eram, & male illis utebar. Nihil enim mihi contrarium est, nisi ego ipse. Mecum est quicquid mihi nocere potest, & ego ipse mihi sarcina sum.

28. Optavi etiam ut Deus peccata mea nesciret, aut punire nollet, aut non posset: & ita volui Deum esse insipientem, injustum, & impotentem: quod si esset, Deus

Superbiæ detestatio.

non esset. Non est superbia super superbiam meam. Propterea longe à salute mea, verba delictorum meorum. Suspecta est siquidem Deo superbia & odiosa: nec fieri potest, ut cum eo in gratiam revertatur. Diversum utriusque hospitium, nec in eodem cohabitant animo, quibus non licuit cohabitare in cælo. In cælo nata est: sed velut immemor, qua via inde cecidit, illuc postea redire non potuit. Cum aër pluvia, vel nimio frigore, aut calore turbatus fuit, contra Deum inique murmuravi. Omnia namque quæ ad usum vitæ accepimus, ad usum culpæ convertimus. Quapropter justum est, ut qui in cunctis peccavimus, in cunctis feriamur. Sæpe ad sacrum Mysterium vocem meam fregi, ut dulcius cantarem: magis delectabar in vocis modulatione, quam in cordis compunctione. Deus vero, cui non absconditur quicquid illicitum perpetratur, non quærit vocis lenitatem, sed cordis puritatem. Nam dum cantor mulcet populum vocibus, Deum irritat pravis moribus. Licentiam loquendi vel aliquid faciendi, sæpe nimia importunitate, vel calliditate à Prælatis meis extorsi: non attendens miser, quoniam ille se decipit, qui occulte vel aperte satagit, ut hoc ei Pater spiritualis injungat quod ipse desiderat.

Vanitas in cantando odiosa Deo.

29. Acum, vel cultellum, vel aliquid utile multoties nimium desideravi, nec confessus sum: quia peccatum non æstimabam, propter rei vilitatem. Verumtamen non multum distat quæcumque substantia vilis vel pretiosa requiratur; dum æqualiter fit corruptus affectus. Non enim cultellus in vitium est, sed cultelli appetitus: neque aurum in vitium est, sed auri cupiditas. In labore non laboravi quantum debui, vel quantum potui. In silentio etiam fui otiosus, quod est maximum peccatum. In silentio namque nemo sic debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi: nec sic actuosus, ut Dei contemplationem non requirat. Parum enim proficit, qui alteri non prodest cum potest. De vitiis meis multoties me jactavi: putans esse insigne virtutis, ubi erat lapsus criminis. De virtutibus etiam vitia feci. Justitia namque dum suum modum excedit, crudelitatis vitium gignit: & nimia pietas dissolutionem disciplinæ parturit. Sic sæpe vitium est quod virtus putatur. Sic remissa segnities mansuetudo creditur, & pigritiæ vitium quietis virtutem imitatur. Finxi me esse quod non eram: dixi me velle quod nolebam, vel nolle quod volebam. Aliud ore dicebam, & aliud corde volvebam: & ita sub ovina pelle vulpinam conscientiam conservabam. Vulpina plane conscientia est tepida conversatio, animalis cogitatio, ficta confessio, brevis & rara compunctio: obedientia sine devotione, oratio sine intentione, lectio sine ædificatione, sermo sine circumspectione.

Non rei usus, sed pravus affectus in vitio est.

Silentium otiosum nihil proficit.

Fictæ virtutes.

Vulpina conscientia

30. O quàm dura mihi sunt ista quæ loquor! quoniam me ipsum loquendo ferio. Verumtamen quia me peccatorem non nego, sed peccatum meum cognosco; erit fortasse apud Deum pium judicem ipsa cognitio culpæ, impetratio veniæ. Dicam ergo, dicam miseriam meam, si forte sua pietas moveat illum. Dicam peccatum meum, quoniam notitia peccati initium est salutis. Magnam porto coronam, & vestem rotundam; regulam servo jejuniorum: statutis psallo horis; sed cor meum longe est à Deo meo. Exteriorem superficiem intuens *, salva mihi omnia arbitror, non sentiens vermem interiorem qui interiora corrodit. Unde Oseas: *Comederunt alieni robur meum, & ignoravi.* & ideo pergens totus in ea quæ foris sunt, & ignarus interiorum meorum, sicut aqua effusus sum, & ad nihilum redactus sum, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens. Ingratus sum ad beneficia, pronus ad mala, & tardus ad bona.

Initium salutis est notitia peccati. *Seneca.*

* *al.* mundans.

*Osee.* 7. 9

31. Si me non inspicio, nescio meipsum: si autem me inspicio, tolerare me non possum: tanta invenio in me quæ digna sunt reprehensione & confusione: & quanto me subtilius & sæpius discutio, tanto plures abominationes in angulis cordis mei invenio. Ex quo namque peccare cœpi, numquam unum diem sine peccato transire potui; nec adhuc peccare cesso, sed de die in diem peccata peccatis addo, & ea quæ præ oculis habeo, inspicio, nec gemo; erubescenda video, nec erubesco. Dolenda intueor, nec doleo. quod est mortis signum, & damnationis indicium. Membrum enim quod dolorem non sentit, mortuum est; & morbus insensibilis, est incurabilis. Levis sum & dissolutus, nec me corrigo, sed ad peccata quæ confessus sum, quotidie redeo; nec caveo foveam, in quam miser ego cecidi, vel alios cadere feci, aut vidi. Cumque plorare & orare deberem pro malis quæ feci, & bonis quæ neglexi, prô dolor, versum est mihi in contrarium. Nam tepui & frigui à fervore orationis, & jam sine sensu frigidus remansi: & ideo flere meipsum non possum, quoniam gratia lacrymarum recessit à me.

Stupor animæ, damnationis indicium.

## CAPUT XI.

*De individuo comitatu conscientiæ nos ubique remordentis.*

32. Peccata mea celare non possum, quoniam quocumque vado, conscientia mea mecum est, secum portans quicquid in ea posui, sive bonum, sive malum. Servat vivo, restituet defuncto depositum quod servandum accepit. Si male facio, adest illa; si autem bene facere videor, & inde extollor, adest illa. Adest vivo, sequitur mortuum. Ubique mihi gloria, vel confusio est inseparabilis pro qualitate depositi. Sic sic in domo propria, & à propria familia habeo accusatores, testes, judices, & tortores. Accusat me conscientia, testis est memoria, ratio judex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum tormentum. Quotquot enim fuerunt oblectamenta mala, tot erunt tormenta dira in pœna. nam inde punimur, unde delectamur.

## CAPUT XII.

*De tribus inimicis hominis, carne, mundo, & diabolo.*

33. Adjuva me Domine Deus meus, quoniam inimici mei animam meam circumdederunt: corpus scilicet, mundus, & diabolus. A corpore fugere non possum: nec ipsum à me fugare. Circumferre illud necesse est, quoniam alligatum est mihi: perimere non licet, sustentare cogor; & cum illud impinguo, hostem meum adversum me nutrio. Si enim satis comedero, & id robustum fuerit; sanitas & fortitudo ejus mihi adversantur. Mundus vero circumcingit & obsidet me undique, & per quinque portas, videlicet per quinque corporis sensus, scilicet visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum, sagittis suis me vulnerat; & mors intrat per fenestras meas in animam meam. Respicit oculus, & mentis sensum avertit. Audit auris, & intentionem cordis inflectit. Odoratus cogitationem impedit. Os loquitur, & fallit. Per tactum ardor libidinis pro aliqua parva occasione excitatur; & nisi illico respuatur, subito totum corpus occupat, urit, & incendit. Primo carnem cogitatione modicum titillat: deinde delectatione turpi mentem maculat; & ad extremum per consensum pravitatis sibi mentem subjugat. Porro diabolus quem videre non possum, & ideo minus ab eo mihi cavere, tetendit arcum suum, & in eo paravit sagittas suas, ut vulneret me repente. Narravit ut absconderet laqueos suos, & dixit: Quis videbit eos? Laqueum posuit in auro & argento; & in omnibus quibus abutimur, cum illis male delectamur & illaqueamur. Nec solum laqueum posuit, sed & viscum. Viscus est amor possessionis, affectus cognationis, cupiditas honoris, & carnis voluptas: quibus anima inviscatur & irretitur, ne pennis contemplationis per plateas supernæ Sion volare possit. Sagittæ diaboli sunt ira, invidia, luxuria, & cetera quibus anima vulneratur. Et quis est ille qui jacula ejus ignea exstinguere possit?

Corpus

Mundus

Diabol

*Psal.* 7

*Psal.* 6

*Prô dolor, his telis superatur sæpe fidelis.*
*Heu mihi quot video bella parata mihi!* *

* Ex B restitutum

34. Undique tela volant, undique tentamenta, undique pericula. Quocumque me vertam, nulla securitas est. Et quæ mulcent, & quæ tristant, vel molestant, omnia timeo: esuries & refectio, somnus & vigiliæ, labor & quies pugnant contra me. Non minus suspectus est mihi jocus, quàm ira. Multos siquidem jocando scandalizavi. Nec minus prospera vereor quàm adversa. Prospera namque suavitate sua incautum me faciunt, &

Omnia periculi

decipiunt. Adversa vero quia aliquid amaritudinis habent, A velut potiones amaræ me suspectum & timidum faciunt. Magis timeo malum quod facio in abscondito, quàm quod in aperto. Malum namque quod nemo videt, nullus reprehendit: & ubi non timetur reprehensor, securus accedit tentator, & facilius perpetratur iniquitas. Nimirum utrobique bellum, utrobique periculum, utrobique timendum: & sicut in hostili regione versantibus, hac illacque circumspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda est cervix. Caro suggerit mihi mollia, mundus vana, diabolus amara. Quia quoties carnalis cogitatio mentem importune pulsat de cibo & potu, de somno, ceterisque similibus ad carnis curam pertinentibus; caro mihi loquitur. Cum de ambitione sæculi, de jactantia, de arrogantia cogitatio vana in corde versatur; de mundo est. Quando autem ad iram & iracundiam, & amaritudinem animi provocor, diabolica suggestio est: cui non aliter quàm ipsi diabolo resistendum est, nec aliter ab ea cavendum quàm ab ipsa damnatione. Dæmonum officium est suggestiones malas ingerere: nostrum est illis non consentire. Nam quoties resistimus, diabolum superamus, Angelos lætificamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur ut pugnemus, adjuvat ut vincamus: certantes in bello spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat.

[Margin: ...entationes ...uomodo ...iscernendæ. ...Bern ...erm. 32. in ...ant. n 5. & 6.]

[Margin: ...istoria tentationis.]

## CAPUT XIII.

*De impugnatione trium dictorum inimicorum.*

35. Caro mea de luto est, & ideo lutosas & voluptuosas cogitationes ab illa habeo; vanas & curiosas à mundo; à diabolo malas & malitiosas. Isti tres inimici me impugnant & persequuntur, nunc quidem aperte, nunc vero occulte; semper autem malitiose. Diabolus namque plus confidit in adjutorio carnis: quoniam magis nocet domesticus hostis. Illa vero ad subversionem meam cum illo fœdus iniit: utpote de peccato nata, & in peccato nutrita; vitiis corrupta ab ipsa origine, sed multo amplius vitiata prava consuetudine. Hinc est quod tam acriter concupiscit adversus spiritum: quòd assidue D murmurat, & impatiens est disciplinæ: quòd illicita suggerit, nec rationi obtemperat, nec inhibetur ullo timore. Huic accedit, hanc adjuvat, hac utitur tortuosus ille serpens hostis humani generis: cui nullum aliud est desiderium, nullum negotium, nullum studium, nisi perdere animas nostras. Hic est qui jugiter malum machinatur, argute loquitur, artificiose suggerit, callide decipit. Illicitos motus insufflat, venenatas cogitationes inflammat: movet bella, nutrit odia, incitat gulam, movet libidinem, desideria carnis instigat, & peccati occasiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum pulsare non cessat. Hinc est quod baculo nostro nos cædit, & manus nostras proprio cingulo ligat: ut caro quæ data est E nobis in adjutorium, fiat nobis in ruinam & scandalum. Gravis lucta, & grave periculum est adversus domesticum hostem pugnare: maxime cum nos advenæ simus, & ille civis. Ille suam inhabitat regionem: nos exsules sumus & peregrini. Magnum quoque discrimen est adversus diabolicæ fraudis astutiam tam crebros, immo continuos sustinere conflictus: quem astutum fecit tam natura subtilis, quàm longa exercitatio malitiæ hujus.

[Margin: ...uro domesticus hostis, ...aboli instrumentum.]

## CAPUT XIV.

*De desiderio Patriæ cælestis, & summa ejusdem felicitate.*

36. Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab his F qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me. Ego vero qui usque ad hunc diem contra me vixi, jamjam per tuam gratiam mihi vivere incipiam. Sic enim in hoc mundo vivere debemus, ut cum corpus cœperit à vermibus devorari in sepulcro, anima lætetur cum Sanctis in cælo. Illuc spiritus dirigendus est, quò est iturus: illuc festinare debemus, ubi semper vivamus, & ubi mori amplius non timeamus. Si sic amamus istam labilem & caducam vitam, ubi cum tanto labore vivimus, ubi comedendo, bibendo, dormiendo vix carnis necessitati-

[Margin: ...sal. 15. a]

bus satisfacimus: multo magis amare debemus vitam æternam, ubi nullum laborem sustinebimus: ubi summa semper jucunditas, summa felicitas, felix libertas, & felix beatitudo: ubi similes erunt homines Angelis Dei, & fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. Qualis putas tunc erit splendor animarum, quando solis splendorem habebit lux corporum? Nulla erit ibi tristitia, nulla angustia, nullus dolor, nullus timor, nullus ibi labor, nulla mors, sed perpetua sanitas semper ibi perseverat.

[Margin: Matth. 13 f]

[Margin: A cælo omne malum exulat.]

37. Non surgit ibi malitia, nec carnis miseria. Nulla est ibi ægritudo, nulla omnino necessitas: non est ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo jejunii, nec ulla tentatio inimici, nec peccandi voluntas, nec delinquendi facultas, sed totum lætitia, totum exultatio possidet. Homines quoque Angelis sociati, sine ulla carnis infirmitate in perpetuum manebunt. Ibi erit jucunditas infinita, beatitudo sempiterna: in qua qui semel suscipitur, semper tenetur. Ibi est requies à laboribus, pax est ab hostibus, amœnitas de novitate, securitas de æternitate, suavitas atque dulcedo de Dei visione. Et quis non illic habitare vehementer desideret, & propter pacem, & propter amœnitatem, & propter æternitatem, & propter Dei visionem? Nullus est ibi peregrinus, sed quicumque illuc venire merebuntur, securi in propria patria manebunt: semper læti, & semper satiati de visione Dei. Et quanto plus aliquis hîc Deo obediens fuerit, tanto ampliorem ab eo mercedem ibi recipiet: quantoque amplius Deum amabit, tanto propius videbit quem cernere cupit.

[Margin: Adest omne bonum.]

## CAPUT XV.

*De proprietatibus & affectionibus veteris hominis: ejusque mortificatione & mutatione per Christum.*

38. Dies hominis sicut umbra super terram, & nulla est mora: & tunc proprie nihil est, cum stare videtur. Cur ergo thesaurizat in terra homo, cum sine dilatione transeat, & illud quod colligitur, & ipse qui colligit? Et tu homo quem fructum exspectas in mundo, cujus fructus ruina est, cujus finis mors est? Utinam saperes, & intelligeres, ac novissima prudenter provideres! Scio quemdam qui per annos plurimos tecum familiariter vixit, ad mensam tuam sedit, cibum de manu tua sumpsit, in sinu tuo dormivit, cum voluit tecum colloquium habuit: hic jure hæreditario servus tuus est. Sed quia ab ineunte ætate delicate nutristi eum, & virgæ pepercisti; contumax effectus est: levavit calcaneum suum super caput tuum, & te in servitutem redegit, & tui crudeliter dominatur.

[Margin: Vanitas hominum mundo & carni servientium.]

39. Sed fortasse dices: Quis est hic? Vetus homo tuus, qui conculcat spiritum tuum, qui pro nihilo habet terram desiderabilem, qui sola quæ carnis sunt sapit. Homo iste à nativitate cæcus est, & surdus, & mutus; inveteratus dierum malorum, rebellis virtuti & veritati, inimicus crucis Christi. Deridet innocentem, & simpliciter transeuntem: ambulat in magnis & in mirabilibus supra se. Arrogantia ejus est plusquam fortitudo ejus. Nullum reveretur. Dicit in insipientia sua, Non est Deus. Tabescit bonis, & malis pascitur alienis. Immundis cogitationibus pascitur; non fatigabitur in illis transgrediens usque ad finem. Dispergit & dissipat propria, sicut prodigus; cupit & rapit aliena, sicut avarus; turpitudinem & ignominiam congregat sibi, simulans & callidus provocat iram Dei. Homo iste totus in peccatis natus est, & sic nutritus, amicus iniquitatis, filius mortis, vas iræ in contumeliam, aptus ad interitum. Qui cum talis sit, enarrat justitias Dei, & assumit testamentum ejus per os suum. Odit disciplinam, projicit dominum suum post dorsum suum. Cum videt furem, currit cum eo, & cum adulteris portionem suam ponit. Adversus filium matris suæ ponit scandalum. Super terram etiam thesaurizat iram in die iræ. Vult à te hereditatem tuam tollere, & desuper terram auferre: & tu tantam injuriam non vindicas, sed dissimulas, nec ei verbum durum loqueris, nec vultum iratum ostendis, sed blandienti tibi arrides? Ludis cum

[Margin: Vetus homo, hostis domesticus pulcre depingitur.]

[Margin: Psal. 49 e]

illusore: nescis quia Ismaël est qui tecum ludit? Ludus iste non est pueritiæ, nec simplicitatis, vel innocentiæ; sed illusio est animæ, sed persecutio, sed mors. Jam te in foveam, quam fecit, præcipitavit: jam effeminatus es, jam jugo miserrimæ servitutis pressus, sub pedibus ejus misere & viliter conculcaris.

Vetus homo crucifigendus.

40. O miser & miserabilis homo, quis te liberabit de vinculo improperii hujus? Exsurgat Deus, & cadat armatus iste: cadat & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, cultor sui, amator mundi, servus diaboli. Quid tibi videtur? Si recte sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur. Noli ergo dissimulare, noli differre, noli parcere: sed festinanter, audacter, instanter crucifige hominem istum, sed cruce Christi, in qua est salus & vita: ad quem si ex corde clamaveris, Crucifixus tuus audiet te benigne respondens: *Hodie mecum eris in paradiso.* O Christi pietas, ô inopinata salus miseri! Tam gratuita est & probata dilectio Dei, tam stupenda dulcedo, tam inopinata dignatio, tam invicta mansuetudo, ut qui ad eum clamaverit, exaudiat illum, quoniam misericors est. O quanta est misericordia Dei, quàm ineffabilis mutatio dexteræ Excelsi! Heri eras in tenebris, hodie in splendore lucis: heri in ore leonis, hodie in manu mediatoris. heri in porta inferni, hodie in deliciis paradisi. Sed quid prosunt hæ litteræ admonitionis, nisi deleas de libro conscientiæ tuæ litteras mortis? Quid prosunt hæc scripta, lecta, & intellecta, nisi temetipsum legas & intelligas? Da ergo operam internæ lectioni, ut legas, inspicias, & cognoscas teipsum: legas ut diligas Deum, ut pugnes & vincas mundum & omnem inimicum: quatenus labor convertatur in requiem, luctus in gaudium, & post tenebras hujus vitæ videas ortum surgentis auroræ: videas etiam meridianum Solem justitiæ, in quo sponsum cum sponsa prospicies, unum eumdemque Dominum gloriæ, qui vivit & regnat per infinita sæcula. Amen.

*In ms. Cirstercienfi, aliisque nonnullis uno contextu subjunguntur quædam capita, quorum primum inscribitur*, De anima & ejus pietate *&c. ac sic incipit*: Animus est substantia quædam rationis particeps. *Verum non sunt superiorum consectaria, immo apud Hugonem Victorinum efficiunt* librum secundum de Anima; *apud* AUGUSTINUM *vero tomo sexto* librum de spiritu & anima. *Ad hæc, in codice V. C. Claudii Jolii Canonici ac Cantoris Parisiensis superioribus subjungitur aliud caput ab his verbis incipiens*: Perfectissima atque plenissima justitia est, Deum toto corde amare *&c. quæ verba desumta sunt ex initio tractatus Paulini Aquileiensis* de salutaribus documentis *in appendice nova tomi VI. Operum S. Augustini. Quocirca hic finem præmissis Meditationibus imponimus.*

# TRACTATUS DE INTERIORI DOMO
## SEU DE CONSCIENTIA ÆDIFICANDA.

HIC TRACTATUS *inter Opera* HUGONIS A S. VICTORE *recensetur, & inter* QUATUOR LIBROS DE ANIMA *numeratur ordine tertius. Videtur tamen esse cujusdam Monachi Regulam* S. BENEDICTI *profitentis. nam* cap. 20. n. 40. *meminit cucullæ: &, ni fallor, est cujusdam Cisterciensis* BERNARDO *æqualis, ut ex victus qualitate* cap. 30. *relata conjicere fas est. Cujuscumque sit*, BERNARDI *non est. Pius tamen & utilis est, sed sine ordine & methodo, præsertim* à cap. 24. *varia documenta congerit, repetens subinde priores materias, & pleraque ex* libro Meditationum præcedentium. *Distinctio capitum in* HUGONIS *operibus reperta, nobis congruentior visa est, & hanc fere sequemur, sed summariis capitum passim mutatis.*

### PROOEMIUM.

DOmus hæc, in qua habitamus, ex omni parte sui ruinam nobis minatur. Idcirco quia in brevi est casura, alia nobis est ædificanda. Redeamus ergo ad nos, & discutiamus conscientiam nostram. Nam sicut corpus nostrum tabernaculum dicitur, in quo militamus; sic conscientia nostra domus vocatur, in qua post militiam requiescimus: & ille recte militat, qui per militiam quam exercet in corpore, domum ædificat conscientiæ. *Diligenter exerce agrum tuum*, ait Sapiens, *ut postea ædifices domum tuam.* Ager iste corpus nostrum est, cujus sensibus & motibus sic recte utimur; animique imperio eos subjicientes in usum virtutis inflectimus, dum corpus animo indesinenter, & animus Deo ex toto subjicitur. His nimirum modis interior conscientia ædificatur: quam utique bonam faciunt præteritorum malorum condigna satisfactio, & instantium malorum cauta providaque declinatio. Condigna satisfactio est mala facta corrigere, & correcta non reiterare. Conscientia vero perpetua est, quæ numquam finitur, sicut nec anima. Quæ cum sit immortalis, sicut non potest esse non anima, sic numquam potest esse sine conscientia. Conscientia namque est inseparabilis gloria, vel confusio uniuscujusque pro qualitate depositi.

Prov. 24. c

Domus conscientiæ quomodo ædificetur.

Conscientia quid.

### CAPUT I.

*De Conscientia prius mundanda & pacanda, quàm ædificanda.*

Quomodo mundanda conscientia.

1. HÆc ergo conscientia, in qua anima perpetuo mansura est, ædificanda est, sed prius mundanda. Et quis eam mundabit? Profecto Deus & homo. Homo per cogitationes & affectiones, Deus vero per misericordiam & gratiam. Cogitationes & affectiones necessariæ sunt in conscientiæ mundatione; cogitationes in investigatione veritatis, affectiones in exercitatione virtutis. Porro misericordia modo delet peccatum; modo dat virtutem resistendi peccato: nunc subtrahit peccandi occasionem; nunc immittit amaritudinem: plerumque sanat affectionem. Gratia adjuvat ab bonum, defendit contra malum, erudit ad utrumque discernendum. Homo igitur per veritatem stimulatus, peccata sua confitetur: Deus autem per misericordiam flexus, confitenti miseretur. Omnis namque spes veniæ & misericordiæ in confessione est, nec potest quis justificari à peccato, nisi prius fuerit confessus peccatum. Ex eo enim unusquisque justus esse incipit, ex quo sui accusator exstiterit.

Misericordiæ effectus.

Justificatio non est sine confessione.

2. Felix conscientia, in qua misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Veritas confitentis, & misericordia miserentis obviaverunt sibi: quoniam non potest illi misericordia deesse, qui se cognoscit in veritate. Osculum justitiæ est, inimicos diligere, parentes & propria quæque propter Deum relinquere, illatam injuriam patienter ferre, oblatam gloriam ubique declinare. Osculum pacis est, odientes invitare ad pacem, discordantes ad concordiam revocare, adversarios pacifice sustinere; errantes pie & benigne docere, mærentes clementer mulcere, & cum omnibus pacem habere. Beata illa anima, quæ in pace Christi fundata est, & in Dei amore solidata: quæ cum exterius bella patitur, pax interius non turbatur. In qua quæcumque molestiæ foris perstrepant, usque ad silentium internæ quietis non irrumpunt: quoniam gustu internæ dulcedinis tacta, intus est per desiderium collecta; nec jam foris enormiter in carnis voluptates dissolvitur, quia totum intus possidet in quo

Psal. 8

Anima Christi fundata lix.

quo delectatur; atque ita in semetipsa pacificata, dum nihil est quod foris appetit, tota per amorem intus requiescit; & cum tota ad internum gaudium colligitur, ad imaginem Dei reformatur, quam in se veneratur. Talem animam frequenter visitant Angeli atque Archangeli, & honorificant: utpote Dei templum, & Spiritus-sancti habitaculum. Esto igitur templum Dei,& Deus excelsus habitabit in te. Anima enim Deum habens in se, templum Dei est, in quo divina mysteria celebrantur.

[Conscientia] [h]ominis car[n]alis sibi gra[v]is.

3. Porro anima quæ non studet in se consistere, nec in amore Dei desiderium figere, per oculos & aures, aliosque corporis sensus foras egreditur, atque in his exterioribus delectatur. Sed cum invenerit portas istas clausas, tunc rediens ad se, & videns se nudam & desolatam, inæstimabili confusione & horrore concutietur. Et quia mundi consolationem quæsivit; illam quæ à Deo intus in conscientia datur, non habebit. Et non solum eam dedignabitur Deus visitare, sed nec ipsa quidem, male sibi conscia, seipsam poterit tolerare. Requiem in se non poterit habere: quoniam illum dereliquit cum quo habitare & requiescere debuit. Cogita ergo in societate aliorum nunc positus, quia non poteris semper manere cum illis. Et interim elige tibi socium illum, qui cum subtracta tibi fuerint hæc omnia, tibi fidem servabit, qui dilectoribus suis fidem servat, nec recedit in tempore angustiæ. Deus tuus ille est, quem eligere debes.

[C]or figen[d]um in Deo.

4. Omnes igitur cordis distractiones, & mentis fluctuationes in unum collige, & in solo Deo totum desiderium tuum fige; ibi sit cor tuum, ubi est thesaurus tuus desiderabilis multumque amabilis. Ipse enim frequenter visitat & libenter inhabitat tranquillitatem cordis, & otium quietæ mentis: quoniam pax est, *& in pace factus est locus ejus.* Propterea talem te præpara, ut tecum adsit Deus; sit in ore, sit in corde: semper tecum eat, tecum redeat; nec recedat à te. Numquam ille te dimittet, nisi prior illum dimiseris. Ubicumque fueris, numquam solus esse poteris, si Deus tecum erit. Munda igitur conscientiam tuam, & semper paratus esto, ut quacumque hora veneurit Dominus, & tecum habitare voluerit, paratam sibi in te inveniat mansionem. Ipse namque dixit: *Facite mihi sanctuarium, & ego habitabo in medio vestri.*

[Ps]al. 75. a

[Ex]od. 5. a

5. Studeamus ergo templum Deo ædificare in nobis: primo quidem ut in singulis nobis, deinde ut in omnibus simul inhabitet: quia nec singulos dedignabitur, nec universos. Primo igitur studeat unusquisque, ne diffideat ipse à semetipso: *quoniam omne regnum in seipsum divisum desolabitur; & domus supra domum cadet:* nec intrabit Christus, ubi parietes inclinati fuerint, & maceriæ depulsæ. Vult habere anima corporis sui domum integram, & exire eam necesse est, si fuerint à se invicem membra dispersa. Videat igitur & ipsa, si desiderat Christum per fidem inhabitare in corde suo, id est in seipsa: videat & sollicite caveat, ne à se invicem membra ejus diffideant: id est Ratio, Voluntas, & Memoria. Dignum habitaculum parat Deo, cujus nec est *ratio* decepta, nec *voluntas* perversa, nec *memoria* inquinata. Felix illa anima est, quæ domum cordis sui sic de peccatorum sordibus studet emundare, & sanctis ac justis operibus adimplere, ut in ea non solum Angelos, verum etiam Dominum Angelorum habitare delectet. Mundata domo, cunctisque malis ab ea exclusis, omnibus bonis impleatur; ne sit nobis necessarium aliquid foris quærere, qui omnia forinseca reliquimus.

[L]uc. 11. b

[P]ax necessa[ri]a animæ [D]eum hospi[ta]nti.

## CAPUT II.

*De septem columnis erigendis ad ædificandam domum Conscientiæ, & in primis de bona Voluntate, quæ est columna prima.*

6. Sapientia ergo ædificet sibi domum: erigat columnas septem, quibus tota fabrica innitatur. Domus est Conscientia: columnæ sunt bona Voluntas, Memoria, scilicet memorem esse beneficiorum Dei: Cor mundum, Animus liber, Spiritus rectus, Mens devota, Ratio illuminata. Prima igitur columna prior erigatur. Nam inter omnia Dei dona, quæ ad salutem hominis spectare videntur, primum & principale bonum, bona voluntas esse cognoscitur, per quam imago similitudinis Dei in nobis reparatur. Primum est, quia à bona voluntate bonum omne inchoatur. Principale est, quoniam bona voluntate nihil hominibus utilius datur. Quicquid homo facit, bonum esse non potest, nisi ex bona voluntate procedat. Sine bona voluntate omnino salvari quispiam non potest: cum bona voluntate nemo perire potest. Voluntas bona nec dari potest invito, nec auferri nisi volenti. Voluntas hominis est potestas Dei. Voluntas hominis est; quia velle in voluntate hominis est: & ideo totum meritum in voluntate est. Quantum vis, tantum mereris. Quantum crescit voluntas tua bona, tantum crescit meritum tuum. Fac igitur magnam bonam voluntatem tuam, si vis habere magnum meritum. Ita Deus ut piissimus & misericordissimus pater in eo redemptionem nostram posuit, in quo nullus nisi velit potest egere. Amare namque homines æqualiter possunt, & divites, & pauperes: etiam si pecuniam æqualiter dare non possunt. Voluntas tamen bona non est, si non operatur quod potest.

Bonæ voluntatis necessitas, vis efficacia.

Quænam sit.

## CAPUT III.

*De secunda columna, quæ est Memoria beneficiorum Dei.*

Beneficiorum Dei brevis index.

7. Recordemur ergo misericordiarum Dei, ut sic accendamur in ejus amorem. Revocemus ad memoriam bona quæ tribuit nobis; quomodo in periculis sæpe constitutos clementer nos eripuit: nec umquam peccatis nostris, quo minus misereretur, vinci potuit: oblitos sui de se admonuit: aversos à se revocavit: venientes ad se benigne suscepit: pœnitentibus indulsit: perseverantes custodivit: stantes tenuit: lapsos erexit: malas delectationes in amaritudinem convertit: & rursus salubriter amaricatis consolationes suas tribuit. Postremo tribulatione purgatis, quietem & pacem perfectam restituit: qui nec peccantibus umquam defuit, ut corrigeret; nec justis, ut custodiret. Recogitemus quanta bona Deus fecit nobis non rogantibus neque desiderantibus, immo recusantibus: & quàm multa peccata dimisit nobis, & à quantis periculis liberavit nos liberator Deus. Quàm magna dignatio pietatis fuit, quod ingratos & in multis contrarios, à tam multis peccatis custodivit nos Dei gratia, in quæ potuimus cadere, sicut in alia multa cecidimus. Idcirco sicut nullum est momentum, in quo non utamur vel fruamur Dei pietate & misericordia: sic nullum debet esse momentum, in quo eum præsentem non habeamus in memoria. *

* v. Supra in Medit. n. 18.

## CAPUT IV.

*De tertia columna, quæ est Cor mundum.*

8. Sequitur ut eum, à quo tanta beneficia accepimus, toto corde diligamus: hoc est, tota cogitatione, tota affectione, sine defectione. Sit cor rectum, ut ei per omnia placeat Deus. Sit rectum rectitudine intentionis, exclusione perversæ cogitationis, assiduitate contemplationis. Sit paratum sequi voluntatem Dei, in quamcumque partem inclinari eam cognoverit. Sit sursum, ad sola cælestia & divina contemplanda & desideranda. Sit purum, ut nihil morari intra se patiatur mali: nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputet, aut in conscientia sua, aut in aliena. Sit dulce dulci responsione, suavi admonitione, benigna reprehensione, moderata correctione. Sit mundum, ut totius immunditiæ spurcitias respuens, cogitationum sicut actionum peccata deploret. Defleat pro sua miseria & aliena: lugeat non solum sua delicta, sed etiam aliena: compungatur pro malis quæ commisit, & bonis quæ neglexit.

## CAPUT V.

*De Animo libero, quarta columna.*

9. Animus vero sit liber à mundi sollicitudinibus, à carnis voluptatibus, à pravis cogitationibus: ut possit, cum voluerit, aut sibi intendere, aut utilitati fratrum ministrare, aut in contemplatione cælestium requiescere. Sit firmus, ut nulla repentina perturbatione concutia-

tur: non capiatur illecebris, non frangatur molestiis. Nulla ira, nulla impatientia pacem quietemque animi turbare possit: quoniam Christus pax est, & in pace requiescit pacis amator; & in perturbato animo habitare non potest. Sit consummatus in Dei dilectione. Hoc enim est diligere Deum, illi occupare animum, concipere fruendæ visionis ejus affectum, habere peccati odium, mundi contemptum: diligere proximum, quem ipse censuit diligendum.

In pace Christus.

Deum diligere quid.

## CAPUT VI.

*De recto Spiritu, columna quinta.*

10. Spiritus autem sit rectus, ab omnibus terrenis & præsentibus prorsus aversus, & Deo inseparabiliter junctus & unitus. Pia devotione ascendat, & visitet supernas sedes, & multas quæ in domo Patris sunt mansiones, humiliter se prosternens ante thronum Dei & Agni. Currat per plateas supernæ Sion: audiat illud melos Angelorum, & cum reverentia supplicet cunctis ordinibus beatorum Spirituum, singulis per se, & simul omnibus se commendans. Tantam vero gratiam non meretur accipere animus, qui in sui cognitione diu exercitatus & plene eruditus non est. Frustra enim cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum seipsum. Prius enim necesse est ut cognoscas invisibilia spiritus tui, quàm possis esse idoneus ad cognoscenda invisibilia Dei. Et si non potes cognoscere te; non præsumas apprehendere ea quæ sunt supra te.

Cognitio sui præcedere debet cognitionem Dei.

11. Præcipuum & principale speculum ad videndum Deum, est animus rationalis inveniens seipsum. Si enim *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*: ubi quæso, quàm in ejus imagine cognitionis ejus vestigia expressius impressa reperiuntur? Tergat ergo speculum suum, mundet spiritum suum, quisquis sitit videre Deum suum. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Hoc speculum verus pœnitens non cessat quotidie inspicere, tergere, tenere, & custodire. Inspicere, si aliquid in eo reperiat, quod Deo displiceat. Tergere, non solum peccata actionum, verum etiam cogitationum, ut nihil in eo remaneat quod Deum offendat. Tenere, ne deorsum corruens, terræ per amorem inhæreat, & ne inanium cogitationum pulvere sordescat. Custodire, ut ille cujus tabernaculum est cum hominibus; cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, qui ad ostium stat & pulsat; quacumque hora intrare voluerit, receptaculum mundum inveniat. Deus enim qui munditiæ amator est, cor pollutum habitare non potest.

*Rom. 1. c.* Animus hominis speculum cognitionis Dei.

*Matth. 5. a*

Ejus speculi quadruplex cura.

12. Exterso igitur speculo, & diu diligenter inspecto, incipit ei quædam divini luminis claritas interlucere, & immensus quidam insolitæ visionis radius oculis cordis apparere. Ex hujus luminis visione animus inflammatus, incipit munda cordis acie superna & interna conspicere, Deum diligere, Deo inhærere; cuncta quæ adsunt, tamquam non sint considerat, cunctis suis affectionibus renuntiat, & totus soli incumbit amori, sciens solum illum esse beatum, qui Deum amat. Porro ad tantam gratiam numquam pertingit mens per propriam industriam. Dei donum est hoc, non hominis meritum. Sed absque dubio talem ac tantam gratiam ille accipit, qui deserit curam sæculi, & agit curam sui: qui studet se frequenter cogitare, & diligenter agnoscere, quid ipse est. Redi ergo ad cor tuum, & diligenter discute teipsum. Considera unde venis; quo tendis; quomodo vivis; quid agis; quid amittis; quantum quotidie proficis; vel quantum deficis: quibus cogitationibus magis incursaris; quibus affectionibus frequentius tangeris; vel quibus tentationum maculis à maligno spiritu acrius impugnaris. Cum totum interioris exteriorisque hominis statum & habitum, in quantum possibile est, plene cognoveris, & non solum qualis sis, verum etiam qualis esse debueras; de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei. Quantum namque quotidie in cognitione proficis, tantum ad altiora semper tendis. Sed jam fortassis ascendisti, jam ad cor tuum rediisti, & ibi stare didicisti: nec hoc sufficiat tibi. Disce ibi habitare, & mansionem facere: & qualicumque mentis vagatione inde abstractus fueris, illuc semper redire festina. Absque dubio per multum usum quandoque tibi vertetur in oblectamentum: in tantum ut absque ulla laboris difficultate possis ibi assiduus esse: quin immo pœna tibi potius sit, alibi, quàm ibi moram aliquam facere.

Hanc sequitur illuminatio animi, & amor Dei.

Examen sui.

## CAPUT VII.

*De Mente devota, columna sexta.*

13. Si ergo persenseris desideria tua circa exteriores delectationes affici, & cogitationes tuas jugiter in eis occupari; cum magna sollicitudine compelle eas, nec permittas ad cor tuum intrare: sed redi ad cor tuum, & ibi intrare & habitare omni modo stude. Mens enim quæ se ad sui considerationem non sublevat, sed adhuc per varia desideria spargitur, & variis cogitationibus huc illucque distenditur; non potest seipsam in unum colligere: quia nondum novit ad seipsam intrare, sed adhuc in imo est cogitatione & conversatione. Ideoque non potest ad ea quæ supra ipsam sunt, penna contemplationis evolare. Discat ergo dispersiones cordis congregare: assuescat in internis suis immorari, studeat evagationes mentis restringere, & exteriora omnia oblivisci. Discat sola bona interiora amare, & illa frequentius cogitare, qui ad cælestium contemplationem anhelat, qui in divinorum notitiam suspirat. Cumque se diligenter attenderit, & diutius quæsierit: cum tandem invenerit qualis sit, restat ut revelatione divina cognoscat qualis esse debeat, quale mentis ædificium Deo præparare, & quibus obsequiis eum placare oporteat.

Cor ex distract... conten... da æ... ineptu...

14. Qui ita evagationes mentis in unum colligit, & omnes cordis motus in uno æternitatis desiderio figit; profecto jam ad cor suum rediit, & jam ibi libenter moratur, ac mirabiliter delectatur. Et cum seipsum præ gaudio jam capere non possit, supra seipsum ducitur, & per excessum mentis ad summa elevatur; atque ita per seipsum supra semetipsum, per cognitionem sui ad cognitionem Dei ascendit, ut discat solum Deum amare, & ipsum indesinenter cogitare, & in eo delectabiliter requiescere. Cum sic amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, ut negligens & immemor sui, non nisi Jesum-Christum, & ea quæ sunt Jesu-Christi sentiat: tunc demum (ut arbitror) perfecta est in eo caritas. Huic itaque qui sic affectus est, non est onerosa paupertas: iste non sentit injurias: ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum reputat: immo nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat. Quem sic amor Dei intrinsecus ligatum tenet, nec ad modicum quidem exire exterius valet, sed interius in ejus desiderio flagrat, tanto amplius, quanto familiarius; & eo vehementius, quo frequentius. Qui sic in amore Dei jugiter delectatur, frequenter mentis excessus patitur; ab omnibus præsentibus & terrenis raptus, coram Deo præsentatur: & dum pulcritudinem ejus considerat, magnitudine pulcritudinis ejus attonitus, totus in ejus admiratione suspenditur. Miratur Regis gloriam, regni magnificentiam, supernæ civitatis nobilitatem, & civium felicitatem; contemplatur etiam gloriæ decorem, Dei bonitatem, internæ suavitatis dulcedinem, & æternæ quietis tranquillitatem. Meditatur Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus-sancti benignitatem, & angelicæ naturæ beatitudinem. Delectatur de Deo in Deum, dum ejus pietatem miratur, & decorem contemplatur. O quàm jucundum sentiretur, si non esset ad tam modicum raptus! Rapitur, dum sola cælestia contemplatur, & contemplando jucundatur. Sed cum ibi stare diutius conatur, subito labitur; & rediens ad se nulli potest intimare quod vidit supra se: sed agnitione suavitatis illectus, gustatæ dulcedinis suavitatem, & illam cælestem infusionem lætitiæ spiritualis infra semetipsum miratur. Revolvit etiam in corde suo tacita mente incorporeæ lucis claritatem, & intimæ satietatis saporem, & illud internæ quietis secretum, & summæ tranquillitatis arcanum. In hujus contemplatione contemplationisque dulcedine mens delectabiliter afficitur, & mirabiliter delectatur. Volet ergo, & non deficiat. Volet, donec ante

Felix... purgat... tus.

Regem perveniat, ibique ploret & suspiret, mactetque A se in lacrymis: deprecetur veniam, postulet gratiam; nec inde recedat, quousque Deum quem nimium offenderat, placatum sentiat, & ab eo consolationem recipiat.

## CAPUT VIII.

*De Ratione illuminata, columna septima.*

15. Denique Ratio per mentis excessum in contemplationem sublimium sublevata, & in divinæ contemplationis arcanum rapta, atque ibi illuminata ad cognitionem veritatis & veri luminis, inflammata ad desiderium bonitatis; omnes illicitas voluptates, affectiones, & vagas memoriæ cogitationes, cordis dispersiones, ani- B mi fluctuationes, spiritûs evagationes, & mentis distractiones in unum colligit, atque in illo felicitatis fonte totum suum desiderium figit. Locum superiorem ratio semper obtineat, nullusque motus adversus eam fit rebellis; sed omnia ei obtemperent, sicut & ipsa obtemperat Deo. Si vero aliquem motum ad id quod non debet, vel quomodo non debet, moveri senserit; non consentiat, sed ilico resistat. Nam solus consensus reos nos facit, etiam si aliquid impediat, ne opera subsequantur. Tunc enim anima mori, sicut scriptum est, dicitur, cum ipsa ratio ad peccatum per consensum curvatur. *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur.* Resistat ergo ne moriatur: pugnet ut coronetur. Molesta est lucta, sed fructuosa: C quia si habet pœnam, habebit & coronam. Non nocet sensus, ubi non est consensus: immo quod resistentem fatigat, vincentem coronat.

[margin: ...lus con...nsus reos ...cit.]

[margin: ...zech. 18. a]

## CAPUT IX.

*De notis & titulis bene ædificatæ conscientiæ.*

16. Sic nimirum, sic ædificatur bona conscientia. *Bona* conscientia est, quæ peccata præterita punit, & punienda committere refugit: quæ si peccatum sentiat, peccato non consentit: quam si cogitatio inquinat, ratio lavat. *Recta* conscientia est, cui suum peccatum displicet, & alieno non consentit: nec propter hoc peccatorem D dimittit, nec ejus peccatum dissimulat: & cum corripit, non insultat. *Tranquilla* est, quia omnibus est dulcis: & nulli gravis: utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam, & quibus potest ad beneficentiam. Talibus enim domus animæ ædificatur. Quod si forte (ut fieri solet) fur advenerit; qui non venit, nisi ut furetur, & mactet & perdat: si, inquam, fur venerit, id est vel cordis elatio intrinsecus oriens, vel appetitus humanæ laudis extrinsecus adveniens, seu aliqua qualibet pestis, quæ domum istam machinetur perfodere: tunc rationis ira, quasi canis, thesaurum custodiens, evigilet, latret, mordeat & jugulet: irruens in hostes, nemini parcat, nullum intrare permittat: sed clamitet, & E excitet intus habitantes ad arma capessenda. Undecumque vitium, sive clam, sive palam nocere tentaverit; procul illud arceat, ut sit secura conscientia. *Secura* est quando accusationem non patitur, vel pro tepore boni, vel pro præsumptione mali. *Munda* est & bene sibi conscia, cum nec de præterito juste accusatur, nec de præsenti injuste delectatur. *Pura* est, cui Deus nec sua peccata imputat, quia non fecit: nec aliena, quia non approbavit: nec negligentiam, quia non tacuit: nec superbiam, quia in humilitate permansit.

## CAPUT X.

*De cura conscientiæ præferenda scientiæ.* F

17. Multi quærunt scientiam; pauci vero conscientiam. Si vero tanto studio & sollicitudine quæreretur conscientia, quanto quæritur sæcularis & vana scientia; & citius apprehenderetur, & utilius retineretur. Cogitare namque de conscientia, sensus est consummatus: & qui custodit illam, semper erit securus. Salva reverentia sapientiæ, utilius est currere ad conscientiam, quàm ad sapientiam: nisi sapientia illa sit quæ ædificet conscientiam. Tunc enim se intelligit anima, cum illustratur conscientia; tunc impletur cor bona conscientia, cum in se Deum, & in Deo mutua revolutione seipsam receperit imago creata. Creatrix imago in imagine creata, nihil aliud est nisi sapientia in anima; nisi gloria in conscientia, nisi sanctificatio in arca. O quam ineffabilis est pietas Dei, quæ tantam majestatem inclinat ad tantam humilitatem! Qui creavit nos, creatur in nobis: & quasi parum esset nos Deum patrem habere, vult etiam nos fieri sibi fratrem & matrem. *Quicumque*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & mater est.* Frater obediendo, mater generando: frater per hereditatis participationem, mater per aliorum instructionem. O fidelis anima expande sinus, dilata affectus; ne angustieris in visceribus tuis concipere, quem totus orbis non potuit comprehendere, donec Virgo beata illum fide concepit. Fide namque Christus concipitur, verbi prædicatione nascitur, devotione nutritur, amore tenetur. Sit ergo conscientia pura, ut Deum conducat ad hospitium nostrum: sit sollicita circa fidele obsequium, ne tanta majestas recuset cordis gremium: sit devota, ut soli Deo placeat, soli Deo intendat, nec recedat ab eo. Talis conscientia lætificat animam, & exhibet se Deo gratam, & hominibus & Angelis reverendam, & sibimetipsi placata & quieta exsistit.

[margin: ...onscientia ...laris facien...a quàm ...ientia.]

[margin: Matth. 2. d]

## CAPUT XI.

*De commodis & fructibus bonæ conscientiæ.*

18. Conscientia est cordis scientia. quæ dupliciter intelligitur: videlicet vel illa, quæ se novit per se: vel illa, quæ præter se etiam alia novit ex se. Cor enim & se novit sua conscientia, & multa alia. Quando novit se, appellatur conscientia: quando præter se alia, nominatur scientia. Conscientia bona, titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus-sancti, liber signatus & clausus, & in die judicii aperiendus. Nihil est jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conscientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, & illa erit secura. Bona conscientia secura erit cum corpus morietur; secura, cum anima coram Deo præsentabitur; secura, cum utrumque in die judicii ante tribunal terrificum justi Judicis statuetur. Futuræ beatitudinis non est utilius remedium, nec certius testimonium bona conscientia. Cum mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, transeat; numquam marcescit bona conscientia. Subjiciatur corpus in pœna, in jejuniis maceretur, verberibus lanietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affligatur; & secura erit conscientia.

[margin: Conscientiæ bonæ elogia.]

[margin: Nihil eâ securius.]

19. In speculo conscientiæ status exterioris & interioris hominis cognoscitur. Anima enim non novit se, quæ sine speculo est. Speculum mundum, clarum & purum totius religionis, bona conscientia. Sicut enim mulier quæ viro suo sive amico placere desiderat, in contuitu speculi imaginem oppositam reddentis, decorem & pulcritudinem faciei componit: sic anima in quibus ab imagine veritatis discedit, vel in quibus vestigia creatricis imaginis recipiat, in conscientia relegit & intelligit. Non immerito conscientiam speculo comparavimus: quoniam in ea tamquam in speculo rationis oculus, tam quod decens, quàm quod indecens est in se, claro aspectu apprehendere potest.

[margin: Conscientia speculum animæ.]

## CAPUT XII.

*De custodia & refrenatione cordis ad bonam conscientiam necessaria.*

20. Vita uniuscujusque non cognoscitur, nisi in conscientia: nec venitur ab bonam conscientiam, nisi per cordis custodiam. Cor enim suo arbitrio dimissum, aut ad vitam se vertit, aut ad mortem. Velle namque peccare, malum est: peccare, pejus; in peccato perseverare, pessimum est; nolle pœnitere, mortale. Quicquid igitur cor cogitat, quod ad utilitatem suam vel proximorum

Cordis vagi collectio.

quoquo modo non pertineat, respuendum est. De diversis igitur mundi partibus, in quibus cor vagum & profundum tenetur, vel vane occupatur, ad seipsum redeat, & seipsum discutiat: cumque invenerit culpam, timeat pœnam. Quærendo autem culpam, nusquam illam nisi in se reperiat: reperta autem culpa & pœnæ causa, seipsum puniendo se ante se statuat, & tamquam alium se judicet; se equidem culpatum ante se afflictum; se reum ante se judicem severum; se impium ante se ad pietatem reversum; proponat se ante se: decernat quid à se faciendum sit de se: juste in se injusto infligat justa flagella. Loquatur etiam sic sibi: Quia pacem deseruisti apud Dominum Deum tuum, & bellum incurristi apud teipsum, scissuram pateris, ut tu à teipso condemneris. Quia pactum pacis rupisti; vis quod non vis, & non vis quod vis: à teipso condemnaberis. Nolenda vis: volenda non vis. Ecce de ore tuo te judico, serve nequam. Afflige itaque te, & statue te contra faciem tuam, ut aspicias turpitudinem tuam, & recogites stultitiam tuam. Sic igitur in miseriis suis ad seipsum revertitur cor, & sistitur cor ad cor. Vis est quædam quæ sic de corde operatur, & retinet cor fluxum & vanum; ne profluat in abyssum exterminii. Vis ista seu violentia rapit regnum cælorum. *Regnum cælorum*, inquit Dominus, *vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Nobile regnum possidet, qui cor suum possidet. Non regnat, qui in corde suo deditus servitutibus vitiorum, præsidet urbibus & turbis populorum. Solus is regnat, qui deposito cordis imperio, ad leges rationis ordinat totam familiam motuum interiorum & exteriorum. Si insurgit rabies leonina, premitur per patientiam: si petulantia hirci, per abstinentiam: si ferocitas apri, per mansuetudinem: si superbia unicornis, per humilitatem.

Homo suiipsius judex & vindex.

*Matth.* 11. b

Is vere regnat qui ratione regitur.

## CAPUT XIII.

*De mobilitate cordis restringenda per considerationem majestatis & potentiæ divinæ.*

Mobilitas cordi innata.

21. NOn invenitur autem inter ceteras artes liberales ars ista præ aliis liberalis, qua teneatur cor quod omni mobili mobilius est, quod omni lubrico lubricosius est. Mobilitate enim naturali instabile, vel in puncto fixum recusat consistere: cujus vita in motu est, & motus est ei vita. Movet molem totius corporis humani tantillus iste in corde vitalis motus: & qua coërceatur arte; ut alia movens, ipse non moveatur? Forte mola asinaria si ad collum ei suspendatur, non moveretur. Immo multo magis cum mola concitaretur. Agendum itaque cum eo est, ut circumeat terram, & perambulet eam; si forte velociorem, & mobiliorem se invenire queat. Si super terram similem sui non invenerit; etiam gyrum cæli circumeat, & rotas curruum Dei ad cursum suum admoveat. Quid tunc faciet ad illos qui ambulant super pennas ventorum? Forte & cum illis contendere poterit. An & cum illa virtute curret, quæ *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter?* An & illam apprehendet, de qua dicitur: *Mobilior est omnibus mobilibus sapientia?* Saltem cum viderit tam spatiosis saltibus transsilientem suam potentiam, potentiam Creatoris sui, subsistat & dimittat alas suas, retinens se, & habens deïficæ comparationis se ad se colligens & cohibens, non transgrediatur terminos suos. Sic enim sancta animalia in visione Ezechiëlis, cum fieret vox super firmamentum quod imminebat capiti eorum, stabant & submittebant alas suas. Quod plane sancti faciunt, cum perlustratis operibus, & mirabilibus Dei super intelligibilibus absconditis mysteriis, nihil se scire deprehendunt, sed momento stateræ omnia opera sua appendunt. Tunc se non à se moveri cor intelligit: quia per se immobile permaneret, nisi qui omnia movet, illud quoque inter omnia moveret. Mutuatum igitur à Deo cognoscens motum suum, jam non usurpet ut proprium, sed ut commodatum. Ad voluntatem namque commodantis, commodatarius uti debet commodato: alioquin furtum facit in re commodata.

*Sapien.* 8. a

*Sapien.* 7. c

*Ezech.* 1. e

Motus cordis ad Dei nutum moderandus.

## CAPUT XIV.

*De admonitionibus divinis, quibus subinde movetur cor hominis ad caute utendum creaturis, & rectum suiipsius regimen.*

22. CUm igitur te moverit Deus, vel moveri voluerit, ô cor humanum, movearis. aliter non movearis: quia non esset moveri, sed commoveri. Sed quando te movet Deus? Cum admonet. Admonet autem sic. Vane occuparis, ô cor sapiens, & omni prærogativa excellens, in his quæ vanitates vanitatum sunt. Non te decet his subesse, sed præesse. Te indigent ista, ut melius & commodius subsistant: tu his neque ad beatitudinem indiges, neque ad immortalitatem. Viaticum quidem jumento tuo præparant in via, sed si ad mensuram sumantur, non ad superfluitatem. Ex superfluitate enim ciborum quandoque infunduntur jumenta, & in ventris nimiam effluxionem resolvuntur, ita ut ex refectione deficiant. Sic corpus tuum, ô princeps & domine corporis, si regulas necessitatis excesserit, & ad baratrum concupiscentiæ os aperuerit, lacum perditionis sibi effodit in hospitio reparationis, & de remedio comparat exitium, de vehiculo naufragium. Quid proinde? superfluum tollit necessarium. Aufer superflua, & nulli deerunt necessaria: quia de superfluenti copia aliorum, nascitur valde ægra aliorum inopia.

Creatu[ris] quomo[do] utendu[m] secund[um] Deum

Abusus [...] vertit c[...] ras hom[...] pernici[...]

23. Tuum est male acta corrigere: tuum est in ordine, & officio familiam membrorum corporis, & animæ motuum disponere: tuum, singulorum negotia secundum competentiam adsignare. Non sit in regno corporis tui, qui leges & jura institutorum tuorum impune prævaricetur, non oculus, non manus, non pes, non auris, non guttur. Quid enim de ignobilioribus & plebeiis membris dicam? si vel attrectare rebellionem præsumpserint, lapidibus obruantur, jaculis increpationum confodiantur, & noverint regem Salomonem sedere super mulam regis, id est, rationem super sensualitatem corporis. Quid si pudibunda illa (quæ velato semper nomine appellantur à pudicis & castis labiis) motu inordinato rempublicam infestaverint? Certe abscindantur, non ferro, sed jejunio; non detruncatione, sed mortificatione. *Utinam*, inquit Apostolus, *abscindantur qui vos conturbant.* His persuasionibus cor effrenatum, in præceps cursum suum rapiens, teneri potest, ut sit bona conscientia. *Bona* est, si habeat in corde puritatem, in ore veritatem, in actione rectitudinem. Pro his namque merebitur Trinitatis visionem. O beata visio! in qua sic Deus erit notus atque perspicuus, ut videatur à singulis nobis in singulis nobis: videatur in seipso; videatur in cælo novo, & in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura.

*Gal.* 5.

## CAPUT XV.

*De libro conscientiæ emendando.*

24. HUmana conscientia est Domini vinea, quam excolere debent peccatorum confessio, & eorum satisfactio, & exhibitio bonorum operum, & custodia eorum. Unicuique est liber sua conscientia: & ad hunc librum discutiendum & emendandum omnes alii inventi sunt. Anima cum de corpore egredietur, nullum alium præter conscientiæ suæ librum secum portare poterit; atque in illo cognoscet quò debeat ire, & quid debeat recipere. Ex his quæ scripta erunt in libris nostris judicabimur. & ideo scribi debent secundum exemplar libri vitæ: & si sic scripti non sunt, saltem corrigendi sunt. Conferamus itaque libros nostros cum libro vitæ: & si quid aliter habuerint, corrigantur, ne in illa ultima collatione, si quippiam aliter inventi fuerint habentes, abjiciantur. Beatus homo, qui se potest cognoscere & despicere, probare & improbare. Nam qui sibi displicet, Deo placet: & qui sibi vilis est, Deo carus est. Multæ sunt scientiæ hominum, sed nulla melior est illa, qua cognoscit homo seipsum. Quamobrem redeam ad cor meum, & ibi stare adsuescam; ut totam vitam meam

Liber e[st] scientiæ quomod[o] corrigen[dus]

Scientia [...] la melio[r] gnitione[...]

possim discutere, & meipsum cognoscere. Omnes miserias meas coram Deo effundam, si forte illa sua magna pietas moveat eum. Confitebor ei peccata mea, cui omnia nuda sunt & aperta: quem fallere non possum, quia sapientia est: nec effugere, quia ubique est.

## CAPUT XVI.

*Deplorat homo coram Deo miserias suas, inquietudinem cordis, & ad mala propensionem.*

25. Audi ergo, piissime Deus, confessionem meam; & respice ad pietatem tuam, & fac mecum secundum misericordiam tuam. Audi quam sæpe de memoria mea te expulit irruens turba plurimarum cogitationum, quæ velut plebs ad aliquod spectaculum solent effluere in cor meum. Dum orare vel cantare in monasterio volo, nescio cujusmodi stulta cogitatio cor meum rapit, & ducit per diversa loca. Cumque illud ad me revoco, tenere non possum, sed ilico elabitur, & huc illucque dispergitur, & per innumera effunditur. Idcirco crebra terrenarum cupiditatum illecebra, & vanitatum effusio ita cor meum occupant, ut quod vitare studeam, hoc cogitem, animoque volvam. Non enim est in potestate mea cor meum & cogitationes meæ, quæ ex improviso effusæ mentem meam animumque confundunt, atque alio trahunt quam ego proposueram. Ad sæcularia revocant, mundana inferunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa contexunt: ipsoque in tempore quo levare mentem meam ad te paro, inanibus cogitationibus infectus ad terrena plerumque dejicior. Hujusmodi perstrepentium cogitationum tumultus à corde quotidie amovere volo, nec valeo: sed visa & audita, dicta & facta ad memoriam revocant, & in ea cum magna importunitate perstrepunt. Cogitanda cogito, cogitata recogito, & eadem iterum atque iterum replicare non cesso: & cum diu multumque quicquid potero cogitavero, sine cogitationibus esse non possum, sed intrant & exeunt, atque aliæ alias introducunt & excludunt. Hæc invitus sustineo; plerumque tamen consentio, cum per ea quæ vidi, vel feci, sine utilitate, absque discretione, vaga mente discurro. Ita mens mea semper mobilis, & numquam stabilis; semper vaga, & velut ebria; per diversa distrahitur. Graviter pecco, cum cor meum derelinquo: quoniam gravis jactura est quæ per negligentiam fit. Vim patior cum illud me deserit. Confirma cor meum Deus, quoniam cum stare in semetipso nititur, aliquo modo à semetipso etiam nesciendo derivatur. Ita peccandi consuetudine etiam cum nescio pecco: & cor meum cor vanum per infinita deducitur, & in multa desideria dividitur.

[Margin: Pugna hominis cum ipso.]

26. In nocte vero cum dormire volo, multarum rerum imagines & phantasias clausis oculis video, easque invitus tolero: quantoque ab eis aciem mentis avertere nitor, tanto amplius illæ se mihi ingerunt, & molestiis turpium cogitationum cor meum maculant. Inde est quod sæpe mihi nocuit mortifera delectatio, quæ ex recordatione præteritorum peccatorum nasci solet, sed maxime ex recordatione libidinis. Hæc enim pestis quo præ ceteris vitiis est mihi familiarior, eo ad nocendum proclivior, & ad repellendum difficilior. Nam cum eam repellere volo, nolenti mihi se ingerit, blande onerosa, displicendo placens, & placendo displicens. Carnis libidinem numquam fugere potui, sed semper me persequitur: & cum aliqua delectationis cogitatione, vel visus intentione me comprehendere potest, non diebus neque noctibus requiescere finit. Subtiliter intrat, & mentem occupat, & nisi subito repellatur, allicit & incendit, & quasi virus pestilentiæ per totum corpus paulatim se diffundit. Cogitationes pravas multiplicat, affectiones malas generat, delectatione illicita mentem afficit, & ad consensum pravitatis animum inflectit, omnesque animæ virtutes corrumpit. Hac peste cum adstrictus teneor, divelli ab ea vix possum, quoniam stimulos ejus confiteri aut nescio, aut erubesco: tam subtiles & turpes sunt. Revera difficile est libidinis incendia exstinguere. Impuberes stimulat, juvenes inflammat, viros enervat, senes & decrepitos fatigat. Non aspernatur tuguria, non reveretur palatia. Utinam sola cœnobia fugiat. Adjuva me Domine Deus meus, ut huic tam pestifero & mortifero vitio resistere possim. Scio enim quia quod resistentem fatigat, vincentem coronat. Scio etiam quoniam si mentem meam cogitatione immunda polluero; tibi, qui munditiæ auctor es, placere non valeo.

[Margin: Cogitationes impuræ, ...am hominis infestæ.]

[Margin: Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, ubi est quotidiana pugna & rara victoria. S. August. Serm. 250. de temp. tom. 10. nunc serm. 293 in Append. tom. 5.]

## CAPUT XVII.

*Pergit accusare & deplorare miserias suas circa cogitationes amarulentas; abusum membrorum, & rerum exteriorum ad vitæ usum spectantium.*

27. Cor mundum crea in me Deus, quoniam non solum vana cogitatio illud occupat, & turpis inquinat, verum etiam amara dissipat. Sæpe namque aliqua injuria commotus, densis cogitationum tumultibus in corde premor. Hinc inde sollicitus & cæcus, occasionem vindictæ de accepta injuria timor, consilia multiplico, & nihil aliud nisi jurgia quæ foris desunt, in corde perago. Præsentes non video, absentibus contradico, intra memetipsum contumelias profero & recipio, receptis autem durius respondeo. Cumque qui obviet nullus adsit, rixas in corde compono, insidias invidentium considero, & quid contra jurgia movere possint penso: exquiro quid respondeam; & cum rem nullam teneam, vacuus litigator elaboro. Sicque diem in otium, noctem vero in cogitationem verso. Torpeo ab utili opere, quoniam fatigor illicita cogitatione. Ita mens intus pugnat, cum menti nemo repugnat. Nonnumquam vero quod egi in corpore, hoc postmodum importuna cogitatione verso in mente: & multoties gravius torqueor in recordatione, quam prius captus fueram in operis perpetratione. Sæpe etiam ea quæ numquam feci, nec in voluntate habui, ita recogito, quasi pœniteat me illa non fecisse. Ab occultis meis munda me Domine; quoniam cum nihil exterius ago, intus graviter pecco. In corde enim servo depicta, quæ vidi & feci. Ideo temporalium rerum tumultus in corde versare non cesso, etiam cum vaco. In cogitatione enim comedo, cum jejuno: loquor, cum taceo: irascor, & tranquillus sum: corpus requiescit, & animus huc illucque discurrit.

28. Ita vitam istam sine culpa numquam transire potui: nec hoc quidem quod laudabiliter vixi, sine aliquo reatu est, si remota pietate discutiatur. De necessitatibus meis eripe me Domine. Crebro namque dum necessitati debita reddere studeo, voluptatis vitio deservio: sub velamine necessitatis, cado in laqueum voluptatis. Sæpissime namque comedi & bibi non ad necessitatem, sed ad voluptatem: & quod necessitati satis erat, voluptati parum erat. Cogitavi etiam de cibo & potu, quando non debui, & ubi non debui, & plusquam debui. Cogitando de escis, epulas in cogitatione tota die ruminabam. Cum tegendis membris vestimenta quæro, non solum quæ tegant, sed quæ extollant, expeto: & contra frigoris torporem, non solum quæro quæ muniant per pinguedinem, sed quæ mulceant per mollitiem: non solum quæ per mollitiem tactum mulceant, sed quæ per colorem oculos seducant. Cum pro aliqua necessitate licentiam loquendi alicui habui, locutus sum non solum de necessariis, verum etiam de non necessariis, & de his quæ ad me non pertinebant; & de quibus licentiam non habebam. Immersi me colloquiis hominum. Ibi locutus sum non ad ædificationem, sed ad destructionem: non quod decebat, sed quod libebat: locutus verba vana & risui apta, verba otiosa & inutilia. Verbositati deserviens, detractioni studens, os meum mendacio & detractione inquinavi. Lingua mea omni fallacia plena est, & nocuit mihi plusquam omnia membra. Nam ea quæ audivi vel vidi, numquam eo modo quo dicta vel facta sunt, referre possum: sed alia affirmo pro aliis, & sæpe multa interfero superflua: atque ita vel nimium laudando, vel vituperando, fere quoties loquor, mentior.

[Margin: Excessus in cibo & potu.]

[Margin: In vestitu.]

[Margin: In sermone.]

29. Guttur insatiabili ardet ingluvie: gula diversis saporibus satiari non potest. Cor pravum, dolo & malitia plenum, per puram confessionem purgare numquam

potui. Manus ad opus pravum fuerunt paratæ, & ad operandum bonum pigræ. Stomachus & intestina nimio cibo & potu sæpe sunt distenta, & ideo dolore sunt plena. Nam unde gula delectatur, inde venter inflatur, corpus infirmatur, & sæpe mors sequitur. Per gulæ delectationem corrui in ventris ingluviem: & unde debui mihi parare salutem, inde contraxi nimium comedendo perniciem. Pedes velocius me portaverunt ad aliquam curiositatem speculandam, quam ad ecclesiam. Oculi iniquo intuitu me perverterunt, omnemque motum corporis mei ad immunda desideria traxerunt. Aures citius aperui verbis otiosis & vanis, quam sanctis. Delectatus est odoratus vanis odoribus, gustus diversarum rerum diversis saporibus: necnon singuli alii sensus his & illis, juxta quod cuique suus ferebat appetitus. Ita, Deus meus, in omnibus membris meis naturæ modum excessi. Omnia membra mea velut conjuratione facta inimico meo de me dominium tradidere, cum morte fœdus iniere, pactum pepigere cum inferno.

Gula corpori noxia.

Membrorum & sensuum abusus.

## CAPUT XVIII.

*Ulterior accusatio propriæ iniquitatis, præsertim circa vitium invidiæ, odii, jactantiæ, &c.*

30. Eripe me Domine ab homine malo, idest à meipso: à quo recedere non possum. Nam quocumque me verto, vitia mea me sequuntur: ubicumque vado, conscientia mea non me deserit, sed præsens adsistit, & quicquid facio, scribit. Idcirco quamquam humana subterfugiam judicia, judicium propriæ conscientiæ fugere non valeo. Et si hominibus celo quod egi, mihi tamen (qui novi malum quod gessi) celare nequeo. Proprii reatus conscientia non me requiescere sinit, sed de die in diem vehementer me torquet, & de die judicii vehementius terret. Nam in die illa cum Dominus ad judicium venerit, uniuscujusque conscientia ad testimonium adducetur, & aperto libro conscientiæ, omnis culpa ante oculos reducetur: atque ita cogente conscientia, unusquisque erit accusator & judex suus. Propterea statuam me ante me, & judicabo me ipsum, ut illius extremæ & tremendæ diei judicium evadere possim. Damnat me conscientia mea, quamquam divinum judicium nondum me damnet. Accusat me de homicidio, quod si opere non feci, voluntate tamen ac desiderio sæpe peregi. Accusat me de adulterio, & eodem modo respondeo. Accusat me de invidia, confiteor & ego, quoniam invidia sæpissime cor meum laniavit. Per invidiam namque, sancte viventium merita, mea feci invidendo peccata. Nam bona quæ ab eis fieri, vel dici audiebam, vera omnino non credebam: ipsas res bene gestas, in malum male interpretando convertebam. Omne malum quod de illis mendax fama jactabat, statim tamquam si ego vidissem, credebam. Omnia mala meis æmulis fingebam, & ex profectu eorum deficiebam. Hæc vero odia intra me abscondebam, & in meos cruciatus enutriebam. Proficientibus invidebam, peccantibus favebam, de malis eorum gaudebam, & de profectibus lugebam.

Mala conscientia hominis accusator, judex, & tortor.

Invidia aliena bona facit nostra mala.

31. Gratuitis inimicitiis ardebam, & hanc malitiam mei pectoris deprehendi timebam. Semper eram ei amarus, & numquam certus: & ita amicus eram diaboli, & inimicus mei. Inter amicos discordias seminavi, discordantes in dissensione confirmavi, opiniones eorum mendaciis decoloravi, in spiritualibus carnalia laudavi, ut spiritualia bona eis deesse persuaderem. Amicitias simulavi, ut eos qui se incaute mihi committebant, qua possem arte deciperem. Odiorum mihi occasionem pravis suspicionibus coacervavi; & ita dæmones, quorum facta sectabar, lætificavi. Multis velut amicus fui in obsequio, hostis in animo, comptus in verbo, turpis in facto. Proditor fui secretorum, tenax malarum suspicionum, utrobique perversus. Et ita *persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam.* Piissime Domine, unde possum esse bonus, qui in bono sic fui malus? Ego peccabam, & tu dissimulabas: prolongabam multo tempore iniquitatem meam, & tu pietatem tuam: quia pœnitentiam & indulgentiam cogitabas. Da ergo misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso. Credo namque, quoniam quicquid mihi condonare decreveris, sic erit quasi numquam fuerit.

*Psal. 142. 3*

32. Non solum invidia cor meum afflixit, verum etiam vanitas circa varias delectationes languentem animum involvit. Per vanitatem namque de operibus, quorum mihi conscius non eram, turpiter me jactavi. Gestiebam etiam docere quæ nesciebam. Credi de me sublimia volebam, delectabilia gravibus anteponebam, exsecrabar verbo quod animo concupiscebam, appellationes virtutum meis vitiis imponebam, & ita meipsum fallebam, & faventes mihi decipiebam. In promissione honesta fui velox, in exhibitione mendax; à bono mutabilis, mali tenax; in verbo gravis, animo turpis, ubique fallax; lætus ad prospera, fragilis ad adversa; inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia; facilis ad humana, difficilis ad honesta. Misericordissime Domine, ita defecerunt in vanitate dies mei, in quibus debui flere commissam iniquitatem, excitare remissam voluntatem, suspirare ad amissam hereditatem, adspirare ad promissam felicitatem, properare ad angelicam societatem, repropitiari tuam majestatem.

## CAPUT XIX.

*Adhuc gemit & plangit coram Deo miserias ac vitia sua.*

33. Terret me tota vita mea Deus meus, quoniam diligenter discussa apparet mihi aut peccatum, aut sterilitas: & si quid fructus in ea videtur, sic est aut simulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, ut possit aut non placere, aut displicere tibi. Et cum vere ita res sit, sic est mihi quasi non ita sit: quod est miseria super miseriam. Sic comedo, bibo, & dormio securus, quasi jam transierim diem mortis, & evaserim diem judicii & tormenta inferni. Sic ludo & rideo, quasi jam regnem tecum in regno tuo. Idcirco multitudinem iniquitatum mearum expavescens, sed de tua pietate confidens, tibi Creatori & Redemptori meo, qui veniam & indulgentiam post reatum per puram & lacrymabilem confessionem adsequi promisisti, confiteor, quoniam in peccatis conceptus sum, & in peccatis nutritus; & per omne tempus vitæ meæ usque ad hanc diem in peccatis sum conversatus. Nullum invenio peccatum, à quo non sim aliquo modo inquinatus. Per superbiam namque præcepta tua & seniorum meorum transgressus sum. Silentium & taciturnitatem, sicut Regula docet, non tenui. Quod mihi licitum non fuit, habui, dedi, & accepi. Clamores pauperum & miserorum non libenter aut misericorditer audivi: nec eos in infirmitatibus suis visitavi. Suadentibus mihi in malum consensi. Facilius multa in imo, quam unum in summo cogito: facilius reprehendo aliorum vitia quam mea: & quod in aliis reprehendo, facere non erubesco. Facilius uniuscujusque vitia quam virtutes intendo. Cum aliorum delicta cerno, mea non aspicio. In meis delictis sum clemens, in alienis rigorem tenere volo. Ad irrogandas contumelias sum validus, ad tolerandas infirmus; ad obediendum piger, ad lacessendos vero alios importunus; ad ea quæ facere & debeo & valeo, torpens, ad ea vero quæ facere nec debeo, nec valeo, paratus. Ita repleta est malis anima mea, peccatis meis exigentibus.

Peccata contra proximum.

34. In ecclesia me deteriorem reperio: ante altaria sacra devote non supplico: vasa sacra non reverenter tracto: in choro sum corpore, & in aliquo negotio mente. Nunc intus maneo, nunc foras exeo: tanta est levitas corporis, necnon & mentis. Aliud canto, & aliud cogito. Psalmodiæ verba profero, & psalmodiæ sensum non attendo: sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, huc & illuc prospiciens; quæcunque ibi geruntur, perlustro & perspicio. Væ mihi! quoniam ibi pecco, ubi peccata emendare debeo. Nonnumquam vero in ipsis bonis quæ ago, ad deterius propinquo: quia dum menti lætitiam pariunt, & quamdam securitatem gignunt, mens mea secura redditur, & in torpore laxatur. Sæpe etiam meipsum & opera quæ feceram laudavi, & ab aliis lau-

Delicta divinum cultum.

Peccata arrogantiæ seu vanæ gloriæ.

dari volui. Plerumque laus humana, quam non quærebam, mihi oblata placuit: & cum ex ea incaute extollerer, subito multa quæ feceram ad memoriam venerunt, ut amplius in elatione attollerer. Quæ subtiliter replicans, atque in unum cuncta coacervans, cœpi magis magisque deceptus intumescere. Dumque in mei admiratione occupatus desigerer, mihi dans gloriam, & non Deo à quo omnia acceperam, omnium fructum amisi: atque ita didici, quoniam qui me laudabant, adversum me jurabant. Quanto enim quisque in semetipso gloriatur, tanto à Dei amore disjungitur.

Emendationis propositum.

35. Ita, Deus meus, inferno appropinquavit vita mea. Si me liberabis, habebo unde tibi gratias agam: si inde B non liberabis, non habeo unde te reprehendam: quoniam justus es. Heu mihi! qualis vixi, quanta mala feci, & dixi. Pudet qui sic vixerim, & quod natus fuerim. Mallem non esse, quam talis esse. Bonus eram, & malum me feci: utique qui sponte me feci miserum, justum est semper esse miserum. Conscientia mea meretur damnationem: pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem: sed certum est, quoniam misericordia tua delet omnem offensionem. Dele ergo, pie Domine, iniquitatem meam multitudine miserationum tuarum. Ego vero qui usque ad hanc diem sine causa vixi; amodo sine causa vivere nolo.

Relapsus in pristina peccata.

36. Sed heu miser! hæc tam sæpe sic confessus; surgens, cadens sum defessus: repeccando toties, confi- C tendo toties. Multoties promisi me emendare; & numquam tenui, sed semper ad peccatum redii; & prioribus sceleribus nova & deteriora conjunxi. Numquam, ut debui, mores meos in melius mutavi; nec à malefactis recessi. Plurimos etiam, me perdens, peccare feci, & multis causa mali exstiti: & exemplis vitæ meæ nonnulli subversi sunt. Ecce peccata mea, misericordissime Deus, non abscondo, sed ostendo; accuso me, non excuso; quoniam iniquitatem meam cognosco. Nec idcirco justus sum: quoniam si alter ita me accusaret, sicut ego meipsum accuso, patienter sustinere non possem. Desperare utique potuissem propter nimia peccata & vitia, culpas, & infinitas negligentias meas, quæ egi, & quo- D tidie indesinenter ago corde, ore, opere, & omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare potest: nisi Verbum tuum, Deus, caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo: quoniam subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum: & affigens illud cruci, peccatum crucifixit & mortem. Gratias tibi ago Domine Deus meus, quoniam visitasti me, & ostendisti mihi peccata mea. Nunc primum te inspirante didici ad cor meum redire, & meipsum cognoscere. Advocabo ergo aliquem de amicis tuis, & ei omnia delicta mea exponam, sicut mihi præcepisti: ut ejus consilio & auxilio ab E omnibus meis possim iniquitatibus liberari, & tibi reconciliari.

Desperationis antidotum, mors Christi.

## CAPUT XX.

*Confessio coram Prælato.*

37. Audi ergo, Pater, miserum peccatorem: audi vocem lacrymantis & pœnitentis: attende quam graviter peccavi, & creatorem meum offendi. Deo jubente ad cor meum redii; & inde exclusis omnibus præter Dominum Deum & meipsum, totam vitam meam discussi tanto diligentius, quanto familiarius: &, ut verum fatear, nihil aliud ibi inveni, nisi locum horro- F ris, & vastæ solitudinis: conscientiam videlicet diu neglectam, omnino incultam, spinis & tribulis obsitam, & omni horrore plenam. Nullum enim invenio vitium, à quo non traxerim aliquod contagium. Turbavit me ira, laceravit me invidia, inflavit superbia. Inde contraxi mentis inconstantiam, oris scurrilitatem, opprobria proximorum, scelera detractionum, linguæ effrenationem. Seniorum meorum imperia non servavi, sed judicavi: de meis negligentiis objurgatus, aut rebellis fui, aut murmuravi; præferri me melioribus impudenter affectavi; simplicitatem spiritualium fratrum irridenter

Job 32. b

A exagitavi; meas sententias procaciter jactavi; obsequia delata fastidivi, negata quæsivi; juniores meos elatus despexi. Non observavi in obsequio reverentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam. Habui in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in sermocinatione jactantiam. In humilitate fui fallax, in odio pertinax, in jocatione mordax. Subjectionis impatiens, potentiæ sectator, ad opus bonum piger, ad unitatem ferus, ad obsequium durus; ad loquendum quæ nesciebam promptus, ad supplantandum paratus, fraternæ societati inhumanus. Temerarius in judicando, clamosus in loquendo, fastidiosus in audiendo, præsumptuosus in docendo, effrenatus deformiter in cachinnando: onerosus amicis, infestus quietis, ingratus beneficis, inflatus obsequiis, & imperiosus subjectis. Sæpe jactavi me fecisse quod non feceram, vidisse quod non videram, dixisse quod non dixeram. Dissimulavi etiam me non fecisse quod feceram: negavi me dixisse quod dixeram, non vidisse & audisse quod videram & audieram: & ita ex omni parte sum reus. Reus in sæculo, reus in claustro: sed ibi per ignorantiam, hic per negligentiam; & utrumque me terret.

Notent hoc Religiosi tepidi & negligentes.

38. Verumtamen multo amplius terret me, quod in monasterio ante conspectum Dei deteriorem me invenio. Collocavit me Deus in loco voluptatis, in domo ubertatis, in paradiso deliciarum: ego vero miser & miserabilis, inter mensas epulantium fame pereo, juxta fontem sitio, ante ignem algeo; & ad neutrum manus extendere volo, tam piger sum & desidiosus. Ita tempus amitto, quod Deus mihi sua pietate indulserat ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam. Quasi quoddam monstrum inter filios Dei sto, habitum monachi, non conversationem habens. In magna corona, & ampla cuculla, salva mihi omnia existimo. Tamquam arbor sterilis terram occupo; & velut jumentum vile, plus consumo quam proficio. Altiorem alterius locum teneo; & nullius officium suppleo: sed sum sicut truncus sine frondibus & fructibus. Alii me pascunt de laboribus manuum suarum, sicut præbendarium suum. Ego autem tamquam pauper & miser, nec clericum, nec laicum gero. Cantare namque & legere nequeo, laborare nescio: sed sum opprobrium hominum, pecore vilior, cadavere pejor. Tolerabilius enim canis putridus fœtet hominibus, quam anima peccatrix Deo. Idcirco tædet me vivere: vivere erubesco, quia parum proficio. Mori timeo, quoniam non sum paratus: malo tamen mori, & misericordiæ Dei me committere & commendare, quia benignus & misericors est, quam de mala mea conversatione alicui scandalum facere. Tota namque die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me, cum video me somnolentum ad vigilias, tardum ad horas canonicas, & pigrum ad opera manuum. Alios autem video tam strenue & devote divinis interesse laudibus; alios vero ita reverenter & alacriter coram Deo assistere, & eum laudare: ego autem compungi ad lacrymas nequeo: tanta est duritia cordis mei. Cantare non libet; orare non delectat; meditationes sanctas non invenio: tanta est sterilitas animæ meæ, & devotionis inopia quam patior.

Joël. 2. c

Psal. 43. c

39. Heu mihi! omnes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Nam alium quidem intueor singularis abstinentiæ, alium admirandæ patientiæ, alium summæ humilitatis & mansuetudinis, alium multæ misericordiæ & pietatis: illum in contemplatione frequenter excedere: hunc pulsare & penetrare cælos orationis instantia: aliosque in aliis præeminere virtutibus. Omnes considero & prospicio ferventes, omnes devotos, omnes in Christo unanimes, omnes donis cælestibus & gratia affluentes, tamquam revera spirituales homines, quos Deus visitat, & in quibus habitat. In me vero nihil horum invenio: quoniam declinavit Dominus in ira à servo suo. Inde est quod cum alii vigilant, ego dormio; quando alii cantant in monasterio, ego huc & illuc discurro: quando alii in aliquo secreto loco se furantur à colloquiis hominum, ut ibi loquantur cum Rege Angelorum, ego quæro colloquia hominum: cum alii vacant

Aliorum inspecto fervore nostrum agnoscimus torporem.

lectionibus, ego fabulis & verbis otiosis; quando alii discutiunt & dijudicant semetipsos, ego judico alios. Aliis placet communis vita, communis disciplina, & commune studium: & mihi placent anguli & diverticula. Sic sic ex quo peccare potui, numquam à peccatis & malis operibus cessavi. Peccatis peccata semper accumulavi, & peccata quæ aliquando operibus implere non potui, malis voluntatibus & malis desideriis numquam perficere cessavi.

De impuris cogitationibus, & tentationibus carnis sese accusat *V. sup. n. 29.*

40. Super omnia mala delectatio carnis, quæ ab ipsis cunabulis semper mecum crevit, mihi semper adhæsit, nec adhuc jam præ senectute deficientibus membris me deserit, multis & variis modis infelicem animam meam maculavit, dissolvit, captivavit, & omni virtute destitutam, inanem & debilem reddidit. Fateor hujus operis nefarii immundis recordationibus me sæpe esse commotum & incensum, ardores non modicos & inhonestos passum, & non solum mearum delectationum mala memoria & stultæ recordationes mihi nocuere; sed etiam aliorum malefacta mihi narrata, & per recordationes sordidas ad memoriam reducta, cor meum non parvo veneno iniquitatis maculavere. Et in hoc miserabiliter miserabilis sum, quia non tantum doleo quantum dolendum me cognosco; sed sic securus torpeo, velut quid patiar ignorem.

Ita Hugo à S. Vict. *de Claustro an. c. 23.*

41. Hoc vero mihi est omni infelicitate miserius, quod ita opere perversus, ore pollutus, corde immundus ad altare accedo, & Christi Corpus manibus meis pertractare non pertimesco. Accedo elatus ad humilem, iratus ad mitem, crudelis ad misericordem: & tamen patitur humilis elatum, mitis iratum, crudelem misericors. Accedo servus ad Dominum, non amore, sed timore; non devotione, sed usu. Accedo ad Dominum, cujus percussi servum. Ad Patrem accedo, cujus occidi filium; percussi verbo, occidi exemplo: nec tamen pertimesco Dominum, nec revereor Patrem. Manens in turba fratrum, turbans aliquos, & ab aliquo turbatus, quandoque accedo ad pacificum. Appropinquo etiam talis ad osculum pacis, qui prius reconciliatus accedere debuissem ad osculum turbati fratris. Convincit me reum & Dei inimicum mea iniquitas, peccatum meum sæpe separavit me à Deo. Idcirco obsecro te Pater, ut me instruas, quomodo possim, aut semper stare cum Deo meo, aut redire, cum ab eo, peccatis meis exigentibus, motus fuero.

## CAPUT XXI.

*Patris spiritualis ad confitentem responsio & instructio.*

42. Confessio tua, fili, ad lacrymas me commovit, tum propter me, tum propter te. Propter me fleo, quoniam quæcumque de te dixisti, eadem fere aut similia reperio in me; & multa ad memoriam revocasti, quorum oblitus fueram. Propter te gaudeo, quoniam visitavit te Oriens ex alto. Non enim longe es à regno Dei. Notitia namque peccati, initium est salutis *. Confido in Domino, quoniam quicquid minus est in te fervoris & boni operis, humilitas supplebit puræ confessionis. Quacumque namque hora peccator conversus ingemuerit, salvus erit, quoniam cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Tardius siquidem videtur Deo veniam peccatori dedisse, quam ille accepisse. Sic enim festinat misericors Deus absolvere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciet misericordem Deum compassio miseri, quam ipsum miserum compassio sui. Qui enim vere pœnitet & veraciter dolet, absque dubio & absque mora indulgentiam accipiet. Et quanto quis frequentius, quantoque vehementius de suo reatu interno dolore afficitur, tanto certior, tantoque securior de indulgentiæ venia efficitur. Inde est quod animam pœnitentiæ lacrymis afflictam, tam frequenter quam libenter consolatur Spiritus paraclitus. Illam frequenter visitat, illam libenter confortat, & ad veniæ fiduciam plene reformat, quam sua scelera flendo damnare, & damnando flere considerat. Incipit extunc quædam familiaritas inter Deum & animam, eo quod hæc se sentiat ab illo sæpius visitari, & ex ejus adventu non tantum jam consolari, immo aliquoties quodam ineffabili gaudio repleri.

* Seneca *Epist. 28.*

*Ezech. 18. a Psal. 50. d*

Misericordia Dei in peccatores.

43. Sed ad hæc quis idoneus? Profecto vere pœnitens. Omnia etenim in confessione lavantur: conscientia mundatur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, spes reviviscit, animus hilarescit. Post Baptismum nullum aliud nobis constitutum est remedium quam Confessionis refugium. Sit ergo devota cordis compunctio, vera oris confessio, discreta carnis mortificatio, repentina vitiorum exstirpatio, læta bonorum operum exhibitio. Non erubescas Deo confiteri, cui non potes abscondi. Ipse enim novit abscondita cordium, cui omnia nuda sunt & aperta: ante cujus conspectum cuncta nostra peccata sunt scripta. Sed quod ibi scribit transgressio, hic delet confessio. Non te igitur pudeat dicere, quod non puduit facere. Quod si forte pudor est tibi, mihi soli peccatori peccata tua exponere: quid facturus es in die judicii, ubi omnibus exposita tua apparebit conscientia? Si cogereris coram multitudine nudo corpore transire, non posses non erubescere: cur ergo minus confunderis, quando immunda cogitatione in mente sordidaris? Cur minus erubescis pudenda cordis, quam pudenda carnis? Cur magis vereris vultus hominum, quam vultus Angelorum? Talis confusio separat à Deo. Omnis spes veniæ & misericordiæ est in confessione vera. Simulata namque confessio non est confessione, sed duplex confusio. Excludit enim miserationem Dei miseriæ simulatio: nec dignatio locum habet, ubi fuerit dignitatis præsumptio. Provocat vero compassionem humilis miseriæ confessio. Nulla est enim tam gravis culpa, quæ non habeat veniam per puram confessionem. Vitia igitur cordis tui & pravas cogitationes ilico manifesta. Peccatum enim proditum cito curatur: crimen vero tacendo ampliatur. Vitium si patet, fit ex magno pusillum: si latet, fit ex minimo magnum. Nam velox confessio velociter medicinam facit. Melius est ut vites vitium, quam ut emendes: ne forte cum incurreris, revocare non possis.

Confessio sincera r[…] medium [pec]catorum.

*Psal. 43.*

Pudor i[n] confessio[ne] intempe[sti]vus.

Simulata confessio duplex [con]fusio.

## CAPUT XXII.

*Remedia suggerit adversus pravas cogitationes efficacia, memoriam Passionis Christi, & novissimorum.*

44. Quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem allici; toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus in cruce crucifixus est pro te. Intuere quomodo à Juda Judæis traditur, & quam viliter pertractatur, blasphematur & colaphizatur, judicatur & condemnatur, exspoliatur & flagellatur; ad ultimum vero contumeliis & opprobriis affectus inter duos latrones suspenditur: clavis cruci affixus, sputis derisus, spinis coronatus, lancea perforatus. Ex omnibus partibus sanguis emanat, & inclinato capite emittit spiritum. Ita redemptor tuus moritur pro te: & tu nescio cujusmodi sordida cogitatione sordidaris in mente. Sufficere posset hæc cogitatio ad excludendas omnes illicitas cogitationes. Sed ecce ad alia transeamus.

Remediu[m] adversus [pravas] cogitationes.

Memoria Passionis Domini.

45. Considera quomodo morieris, quando aliqua gravi infirmitate vexatus, & ad extrema deductus, ibi ad terram projectus, inter longa suspiria & difficiles singultus, inter diversos dolores & timores animam exspirabis. Tunc veniet corpus in pallorem & horrorem, in saniem & fœtorem: erit vermis & cibus vermium. Animam vero mox capient & rapient larvales illæ facies, quæ eam in exitu præstolantur: & ex omni parte terrebunt eam dæmones terribiles & horribiles. Cogita quis eam defendet à rugientibus præparatis ad escam: quis consolabitur eam, cum teterrima illa monstra dæmoniorum occursantia sibi catervatim ruere videbit: aut quis deducet per ignotam regionem? Attende etiam quam subito venit dies ultima: subito venit: & forsitan hodie erit. Jam adest: jam præsentaberis ante tremendum Judicem: accusaberis multis & magnis offensis, non uno, non paucis, sed innumeris criminibus; non parvis, sed immensis; non dubiis, sed certis; non brevi accusatione, sed tam longa, quam longa est tota vita tua; non uno accusatore, sed tot, quot sunt delicta tua. Ipse Judex erit districtus accusator tuus. Omnes etiam spiritus boni & mali coram Deo te accusabunt cum eo. Boni, quia

Et morti[s].

Item ju[dicii] supremi.

Deo

Deo debent æquitatem; mali, quia tuam servant iniquitatem. Tot judicibus & populis adstabis, quot præcesserunt te in opere bono. Tot arguentibus confunderis, quot tibi præbuerunt bene vivendi exemplum. Tot convinceris testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus, & justis actionibus. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cunctis agminibus patebunt universa scelera tua, non solum actuum, verum etiam cogitationum & locutionum.

[...]ustitiæ [...]catorum [...]die judi-

46. Multa vero peccata tunc prorumpent ex improviso, quasi ex insidiis, quæ modo non vides, & forsitan plura & terribiliora his quæ nunc vides. Undique erunt tibi angustiæ. Hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia: subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus Judex: intus urens conscientia, foris ardens mundus. Si justus vix salvabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se premet? Latêre erit impossibile: apparere intolerabile. In tanto discrimine torquebit te tua conscientia male sibi conscia, cruciabunt cordis arcana. Cogente etiam conscientia, tuipse eris accusator & judex tuus. Convictus teste propria conscientia, & testibus oculis ipsius Judicis, fugere non poteris: sed tremens & anxius stabis suspensus ad gravissimam sententiam in angusto periculo, & in periculosa angustia: tamquam ilico recepturus quod in perpetuum amittere non poteris. Judex tunc erit vehementer iratus, & terribiliter districtus: sententia ejus semel lata erit immutabilis: tortores horribiles, qui numquam miserentur, erunt parati, ut data sententia te damnatum ad tormenta rapiant. Tormenta erunt sine intervallo & sine temperamento: timor conturbabit te, cum terra aperietur coram te, & tu rues & cades in stagnum sulphuris ardentis & fœtentis. Ignis exterius carnem tuam comburet: vermis interius conscientiam corrodet; ibi eris sine fine, sine spe veniæ & misericordiæ. Omnia vero gehennæ supplicia superabit, Deum non videre, & bonis carere, quæ in potestate habuisti obtinere.

[...]œnarum [...]fernalium [...]erbitas.

47. Si vis omnes malas cogitationes à corde tuo expellere, hæc sæpe cogita. Ibi namque est cogitatio tua, ubi est affectio tua: ibi cor tuum, ubi est desiderium tuum: quoniam illud sæpius in cogitatione volvimus, cujus amore plus affecti sumus. In cogitatione sua cadit quisque, vel stat. Si bona cogitas, cogitatio tua sancta custodit te. Si mala cogitas, *Spiritus-sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu:* eritque templum Dei spelunca diaboli: quoniam quem Deus deserit, diabolus arripit. Spiritus-sanctus suggerit bona & dulcia: spiritus malus mala & amara, vana, inutilia, & immunda. Et ideo quacumque hora mala cogitatio cor tuum tangit, non consentias illi: nec sinas eam in corde tuo manere, sed ilico repelle. In initio cogitationis iniquæ resiste, & fugiet à te. Nam ante Dei oculos non volant vacuæ cogitationes nostræ: & nulla momenta temporis in animum transscendunt sine statu retributionis. Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensum consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. Sicut vipera à filiis suis in utero positis lacerata perimitur; ita nos cogitationes nostræ intra nos nutritæ occidunt. Dæmonum est malas cogitationes suggerere: nostrum est ilico illas expellere. Nam in animo nostro eas jacere, nostræ attinet voluntati, & propriæ deputatur culpæ. Voluntate namque sua cadit qui cadit, & voluntate Dei stat qui stat. Cogitatio tamen immunda mentem non inquinat cum pulsat, nisi cum hanc sibi per delectationem subjugat.

[...]bi amor [...]i affectio, [...]i cor & co- [...]tatio.

[Sa]p. 1. b

[C]ogitationes [m]alæ initio [st]atim repellendæ.

## CAPUT XXIII.

*De damnis peccati superbiæ, invidiæ, & detractionis.*

48. Superbia sicut est origo omnium criminum; ita est ruina omnium virtutum. Ipsa enim est in peccato prima: ipsa in conflictu postrema. Ipsa autem in exordio mentem per peccatum prosternit: aut in fine de virtutibus dejicit. Idcirco est omnium peccatorum pessima: quia tam per virtutes, quam per vitia humanam mentem exterminat. Cetera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur: ut luxuria pudicitiam, ira patientiam: sola vero superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus omnes corrumpit. Idcirco nisi omnia opera nostra humilitas præcesserit, comitata & consecuta fuerit; proposita quam intueamur; apposita cui adhæreamus; interposita qua reprimamur: totum de manu extorquet superbia. Quantalibet sit justitia operis, apud internum judicem nulla est, si hanc elevat tumor mentis. Perit revera omne quod agitur, si non sollicite in humilitate custodiatur. Signa superbiæ hæc sunt: clamor in locutione, amaritudo in silentio: dissolutio in hilaritate, furor in tristitia: honestas in imagine, inhonestas in actione, rancor in reprehensione.

Superbia omnibus virtutibus inimica.

Ejus signa.

49. Invidia est animi tinea. Sensum comedit, pectus urit, mentem adficit: cor hominis quasi quædam pestis depascit, & cuncta bona ardore pestifero devorat. Invidus alienum bonum, suum facit invidendo peccatum. Cum peccatores quosque conspicimus, non facile eos judicemus, sed magis defleamus: quia in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus. Si vis delinquentem corripere, aperte increpa, nec occulte mordeas. Quid enim prodest, si me nesciente aliis mala mea referas? Væ illi qui suam renuit corrigere vitam, & alienæ non desinit detrahere. Si vis detrahere, tua in te peccata retorque: non aliorum delicta, sed propria cerne. Numquam enim aliis detrahes, si te bene inspexeris. De malo alieno os tuum non coinquines: non detrahas peccanti, sed condole: quoniam grave peccatum est detractio. Detrahentes & audientes pari reatu detinentur. Sicut irasceris alteri quando detrahit tibi: sic irascaris tibi quando detrahis alteri. Detractio est mordacior quam vera cordis reprehensio.

Invidia pestis.

Detractionis remedium.

## CAPUT XXIV.

*Varia monita de vitanda curiositate, mendacio, vaniloquio, & vindictæ studio.*

50. Multos seducit curiositas. Tamdiu quisque sua peccata ignorat, quamdiu curiose aliena considerat. Qui semetipsum aspicit, non quærit quid in aliis frequenter reprehendat; sed in semetipso quid lugeat. Quod inter se loquuntur homines, numquam scire desideres. Omne etiam genus mendacii summopere fuge. Nec casu, nec studio loquaris falsum: quia *os quod mentitur, occidit animam.* Per nullam fallaciam vitam alicujus defendas. Fuge inhonesta verba: rejice verbum quod non ædificat audientes. Vanus enim sermo cito polluit mentem: & facile agitur, quod libenter auditur. Vanus enim sermo, vanæ conscientiæ est index. Mores hominis lingua pandit: & qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur: quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Sermo vanus non erit absque judicio: quia ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per verba vana dilabuntur. Qui laudem non appetit, nec contumeliam sentit. Discerne te tuo judicio, non alieno. Nemo enim magis scire potest quis sis, sicut tu, qui conscius es tibi. Quid enim prodest dum malus es, si bonus prædiceris? Qualis haberi vis, talis esto.

Curiosus circa aliena, ignorat sua.

Sap. 1. c

Mendacium fugiendum.

Item vaniloquium

Matth. 12. c

*Si sapiens fueris, te semper habebis eumdem.*

Stude loqui non quod libet, sed quod oportet. Qui otiosum verbum non reprimit; ad noxia cito transit. Magna virtus est, si non lædas à quo læsus es: magna gloria est, si cui nocere potuisti, parcas.

*Nobile vindictæ genus est ignoscere victo.*

Quicquid tibi contigerit adversi, pro tuo peccato evenit tibi. Tempera ergo dolorem tuum, & dic; Juxta modum delictorum parva datur ultio. Mala aliorum bono tuo supera. Vince malitiam bonitate: detrahentium errores dissimulando calca: non sis in pace infidus, nec levis in amicitia. Odientes ad pacem invita, discordantes ad concordiam revoca.

Et desiderium vindictæ.

## CAPUT XXV.

*Varia & præclara morum documenta proponit.*

Profunditas cordis humani.

51. CONſcientia hominis abyſſus multa. Sicut enim abyſſus exhauriri non poteſt; ſic cor hominis evacuari à cogitationibus ſuis non poteſt: ſed continua volubilitate in eo volvuntur. Mare magnum eſt, & ſpatioſum manibus; illic reptillia quorum non eſt numerus. Sicut enim reptile latenter repit, & ſinuoſis anfractibus huc & illuc deambulat: ita conſcientiam hominis venenatæ cogitationes intrant & exeunt; ut neſciat homo unde veniant, aut quo vadant. Hoc bene cognoverat, qui dicebat: *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile: & quis cognoſcet illud?* quod ſcrutationem non recipit, nec cognitionem.

Pſal. 103. c

Jer. 17. b

Malæ conſcientiæ pœna.

Qualiter de aliis judicandum.

52. Nulla pœna gravior eſt prava conſcientia. Mala conſcientia propriis agitur ſtimulis. Si publica fama te non damnat, propria conſcientia te condemnat: quoniam nemo poteſt ſeipſum fugere. Vis numquam eſſe triſtis? Bene vive. Bona vita ſemper gaudium habet: conſcientia rei ſemper in pœna eſt. Ita clemens eſto in alienis delictis, ſicut in tuis: nec quemquam diſtrictius quam te judices. Sic alios judica, ut ipſe judicari cupis. Lex tua te conſtringit. Judicium quod aliis imponis, ipſe portabis. Nullum ante judicium condemnes: ante proba, & ſic judica. Non enim qui accuſatur, ſed qui convincitur, reus eſt. Valde periculoſum eſt de ſuſpicione quempiam judicare. In ambiguis, Dei judicio ſerva ſententiam. Non eligas cui miſerearis: ne forte prætereas illum qui meretur accipere. Omnibus * te tribue, ſi potes, quoniam incertum eſt pro quo magis placeas Deo. Major ſit benevolentia, quam quod datur: quoniam tale erit opus tuum, qualis fuerit intentio tua. Qui cum triſtitia manum porrigit, fructum remunerationis amittit. Non eſt miſericordia, ubi non eſt benevolentia. Non auferas uni, unde tribuas alteri: quoniam nil prodeſt ſi inde alium reficis, unde alium inanem facis. Abjice à te quicquid tuum bonum propoſitum impedire poteſt: contemne vivens quæ poſt mortem habere non potes.

* Videtur deeſſe petentibus.

Qualiter benefaciendum.

De deliciis.

53. Difficile eſt, immo impoſſibile, ut præſentibus quis fruatur bonis, & futuris: ut hic ventrem, & illic mentem impleat: de deliciis tranſeat ad delicias: ut in terra & in cælo glorioſus appareat *. Si vis cum lætitia animi vivere, noli multa habere. Iſtam quiſque finiens vitam, niſi quod meruit in ipſa, non poteſt habere poſt ipſam. Quanto namque inferius delectamur, tanto à ſuperno amore disjungimur. Nullus ſit caſus quem non meditatio tua præveniat: nullus ſit caſus qui te imparatum inveniat. Propone nihil eſſe quod tibi accidere non poſſit. Vita foveam, in quam vides alium coram te cecidiſſe. Aliorum perditio tua ſit cautio. Dum neſcimus, repente mors venit. Neſcimus enim quid hodie nobis contingat: & ignoramus an hac nocte animam noſtram conditio mortis depoſcat. Quotidie ad finem vitæ tendimus, & ad mortem properamus. Idcirco ſingulis horis cogitare debemus, quo ſingulis momentis properamus. Unde Dominus ait per Prophetam: *Perditio tua Iſrael ex te: tantum in me auxilium tuum.* Quaſi diceret: Ut pereas, imputa tuo merito; ut ſalveris, meo auxilio. Numquam oportet pœnitentem habere ſecuritatem de peccatis. Nam ſecuritas negligentiam parit, & ſæpe incautum ad vitia tranſacta reducit. Non ſolum gravia, ſed & levia cavenda ſunt peccata. Multa enim levia unum grande efficiunt: ſicut ſolent de parvis & minimis guttis immenſa flumina creſcere. Non eſt dubium quod qui caſti perſeverant & virgines, Angelis Dei efficiuntur æquales.

* Verba S. Hieronym. Epiſt. ad Julian.

De adverſis.

De morte.

Oſee. 13. c

De ſecuritate.

De Venialium peccatorum fuga

Matth. 22. c Luc. 20. f

## CAPUT XXVI.

*De ventris importunitate & verſutia diaboli.*

54. NUllus homini tam improbus exactor eſt, quam venter, qui quotidiana famis exactione te urget. Cum ceteris vitiis, etſi interdum naſcimur, interdum tamen cum eis non morimur: ſed cum iſto naſcimur, & cum iſto morimur. Multis creditoribus reliquit me obnoxium pater meus: ſed ab omnibus liberatus ſum. Unus tamen ſupereſt à quo liberari non poſſum, id eſt venter. Venter * præcepta non audit: poſcit, appellat. Non eſt tamen moleſtus creditor: parvo dimittitur, ſi modo dederis ei quod debes, non quod potes. Quoſdam præſciens Deus peccare poſſe, in ſalutem flagellat eos infirmitate corporis, ne peccent: ut eis utilius ſit frangi languoribus ad ſalutem, quam remanere incolumes ad damnationem. Eſt pernicioſa ſanitas, quæ ad inobedientiam ducit: eſt & ſalubris infirmitas, quæ per divinam correptionem mentem à duritia frangit, & humiliat.

* Senec. Epiſt.

Infirmitas corporis mittitur ſaluti animæ.

55. Diabolus quando decipere quemquam tentat, prius naturam uniuſcujuſque intendit: & inde ſe applicat unde aptum hominem ad peccandum aſpicit. Blandis & lenibus mentibus luxuriam, aut vanam gloriam proponit: aſperis varo mentibus iram, ſuperbiam, vel crudelitatem. Adverſarius noſter cum ab exteriori ſenſualitate ſe videt excluſum, interiora collectis viribus aggreditur & ingreditur: ſed ſpiritualis homo qui omnia judicat, ejus aſtutias non ignorat. Reprimit quod poteſt; quod non poteſt, tolerat: quia etſi latratum canis ſuſtinet, morſum non timet. Mordet, cum ad conſenſum pertrahit: latrat, cum ſuggerit: & tunc non vulnerat, ſed coronat: quoniam etſi reſiſtentem fatigat, non obligat niſi conſentientem.

Aſtutia diaboli.

v S. G. lib. 29. c. 12.

## CAPUT XXVIII.

*De Oratione, & modo recti orandi.*

56. ORatio eſt mentis devotio: id eſt, converſio in Deum per pium & humilem affectum. Humilem ex conſcientia infirmitatis propriæ: pium ex conſideratione divinæ clementiæ. Nullo alio modo Deus citius ad miſericordiam flectitur, quam ſi animus deprecantis ad eum toto devotionis affectu convertatur. Nil ita Deum complectitur, quemadmodum purus mentis affectus. Idcirco cum orare volueris, ſolus ſolitudinem cordis tui ingredere: & collecto ſpiritu tuo, integra mente & vacua curis, orationis domum intra: & ſtans coram Deo ante unum aliquod de altaribus, orationis inſtantia cælos penetra: & præſentatus choris cæleſtium, in ipſorum præſentia miſerias & calamitates, quas pateris, miſerandus deplora. Prode tuam neceſſitatem, poſce eorum pietatem, & ego confido in eo qui dixit: *Petite, & accipietis:* quoniam ſi perſeveraveris pulſans, non exibis inde vacuus. Sic ora cum oraveris, quaſi ſis aſſumptus & præſentatus ante faciem majeſtatis in excelſo throno: ubi millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtunt ei. Tunc veraciter oramus, quando aliunde non cogitamus. Sine intermiſſione orare debemus. Nam ſicut nullum eſt momentum, quo homo non fruatur, aut utatur Dei pietate & miſericordia: ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria *. Felix anima, quæ omnes evagationes mentis in unum ſtudet colligere, & in illo veræ felicitatis fonte deſiderium figere. Quando oramus, Spiritum-ſanctum ad nos vocamus. Oratio cordis eſt, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit: ſed orantis cor aſpicit. Vis virtutes tuas augere? Prodere noli. Quod manifeſtando potes amittere, tacendo cuſtodi. Quibuſdam enim conceſſum eſt tantum bene agere, & fructum boni operis non habere: quod ipſi ſibi auferunt per ſtudium humanæ jactantiæ. Sicut glacies calore diſſolvitur, ita virtus ore laudantis.

Luc. 11.

Dan. 7. 1. Theſſ. 5

* Eſt Ambroſii v. in Meditat. n 18

Virtutes propriæ celandæ.

57. Cum ad cor meum redire volo, deſideriorum carnalium turbæ, tumultuſque vitiorum, tentationibus ſuis cogitationem meam diſſipant, & intentionem cordis in oratione perturbant. Et dum converti ad Deum poſt perpetrata vitia ſtudeo, & contra hæc eadem vitia, quæ perpetravi, illum exorare conor; occurrunt cordi phantaſmata peccatorum quæ feci, & mentis meæ aciem reverberant, confundunt animum, & deprecationis meæ vocem premunt. Ita mala quæ feci, cogita-

Cogitationum tumultus in oratione.

tioni meæ suis imaginibus impressa, in ipsa mea oratione me conturbant. Ceterum quanto graviore tumultu cogitationum carnalium premor, tanto ardentius orationi insistere debeo. Et quantum peccatorum meorum phantasmata in oratione plerumque patior; tantum necesse est, ut intentio cordis mei quo durius repellitur, tanto valentius insistat orationi: quatenus cogitationis illicitæ tumultum superet, atque ad pias aures Domini nimietate suæ importunitatis tamdiu irrumpat, donec cogitationes malas manu sancti desiderii ab oculis cordis abigat. Hæc est vera tranquillitas, cum tota mens in seipsa colligitur, & in uno æternitatis desiderio immobiliter figitur. Debet proinde fluctuationem cordis restringere, & ad unius veri gaudii desiderium, cogitationum & affectionum motus colligere.

Tranquillitas animi quomodo acquirenda.

## CAPUT XXVIII.

*De vitiis & abusibus linguæ, cantûs, juramenti, &c.*

Prov. 10. c

58. MUltum loqui, stultitia est: quoniam in multiloquio peccatum deesse non potest. Lingua dicitur, quia lingit. Lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo. Ligat, & ligari non potest: labilis est, & teneri non potest; sed labitur & fallitur. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta; tollit amicos, multiplicat inimicos; movet rixas, seminat discordias. Uno ictu multos percutit & interficit. Blanda est & subdola, lata & parata ad exhaurienda bona, & miscenda mala. *Qui custodit linguam suam, custodit animam suam: quoniam mors & vita in potestate linguæ est.* Qui linguam suam & ventrem custodire non potest, monachus non est. Cujus peccatum quisquis sequitur, necesse est ut ejus pœnam sequatur. Uniuscujusque casus tanto majoris est criminis, quanto priusquam caderet, majoris erat virtutis. Per quæ peccasti, per hæc & torqueberis. Secutus es carnem: flagellaberis in carne. Crimen non est in rebus, sed in usu agentis. Sæpe prolixa lectio, longitudinis causa memoriam legentis obliterat.

Idem 18. d

De cantu.

59. Sunt quidam voce dissoluti, qui vocis suæ modulatione gloriantur: nec tantum gaudent de dono gratiæ, sed etiam alios spernunt. Tumentes elatione, aliud cantant quam libri habeant: tanta est levitas vocis forsitan & mentis. Cantant ut placeant populo, magis quam Deo. Si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras; vocem tuam vendis, & facis eam non tuam, sed suam. Habes in potestate vocem tuam, habeto & animum. Frangis vocem, frange & voluntatem. Servas consonantiam vocum, serva & concordiam morum: ut per exemplum concordes proximo, per voluntatem Deo, per obedientiam magistro. Cave ne sicut delectaris altitudine vocis, delecteris elatione mentis. Nec diviti obsunt opes, si eis bene utatur: nec pauperem egestas commendabilem facit, si inter inopiam sordes peccati non caveat.

De divitiis, & paupertate.

De juramento. V. August. epist. 225.

60. Quacumque arte verborum quis juret, Deus qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui hoc juratur, intelligit: qui vero dupliciter jurat, dupliciter reus fit, quia & nomen Domini in vanum assumit, & proximum dolo capit. Sæpe Deus hic puniri tolerat, quos ad salutem perpetuam parat. Jucunditas cordis est vita hominis. Cor pravum dabit tristitiam. Omnis boni impedimentum est tristitia. Humilitas nec ipsa irascitur, nec alios irasci permittit. Humilitas est, si quando peccaverit in te frater tuus, antequam illum peccasse pœniteat, dimiseris illi. Unusquisque talem indulgentiam accepturus est à Deo, qualem ipse dederit proximo suo in se peccanti. Frustra Deum propitiari sibi quærit, qui cito placari proximo negligit. In tua infirmitate non te despicias, sed ora Deum, & curabit te. Sæpe multos Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem *. Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare quis valeat postulata: hoc est, si aut mala quisque committit, aut si delinquenti in se debita non dimittit.

* S. August. in Psal. 2. Duobus modis oratio impeditur.

61. Vera confessio & vera pœnitentia est, quando sic pœnitet hominem peccasse, ut crimen non repetat. Nihil pejus est quam culpam cognoscere, nec deflere. Si videris aliquando persecutorem tuum nimis sævientem, scito quia ascensore suo dæmone perurgetur. Omnis homo qui alium in corpore persequitur, prius ipse in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Super tria firma sedet humilitatis perfectio, ut attendat homo quid fuit ante ortum, quid est ab ortu usque ad occasum, quid erit post hanc vitam. Unde enim superbiat homo, rememorans quod fuit vile semen, & sanguis coagulatus in utero; postmodum in deserto hujus vitæ miseriis expositus & peccato: tandem cinis, & esca vermium futurus in tumulo?

Vera pœnitentia quæ

Humilitatis fundamentum V. Medit. c. 3.

*Unde superbit homo, cujus conceptio culpa:*
*Nasci pœna, labor vita, necesse mori?*

Quando vel quo modo, vel ubi, nescire?

## CAPUT XXIX.

*De cordis instabilitate confessio pœnitentis, & responsio Patris spiritualis.*

62. SOlus solitudinem cordis mei ingredior, & cum corde meo paulisper confabulor, ab ipso quærens de ipso & de his quæ circa ipsum sunt. Cor meum, cor pravum, vanum & vagum, omni volubilitate volubilius: de uno in aliud vago incessu transit, quærens requiem ubi non est. In omnibus enim quæ videntur, requiem quæsivi, & veram requiem in eis invenire non potui. Deinde rediens ad me, consistere in meipso non possum: quoniam mens mea valde levis, multumque instabilis, vaga & profuga, ubique se variat, undique fluctuat: quia vult & non vult pigra; consilia mutat, voluntates alternat, similis folio quod à vento movetur & circumfertur. Inde est quod cogitationes meæ vanæ & importunæ me trahunt, & ducunt modo ad forum, modo ad litigia altercantium, nunc ad convivia pinguium, nunc ad immunda libidinum. Modo sordida titillatione caro inflammatur; nunc vero fœda cogitatione animus sordidatur: & cum confusionis meæ caliginem declinare volo, non valeo. Sic sic dum me diligenter inspicio, tolerare meipsum non possum. Non est enim hora diei, nec momentum temporis, quo creatorem meum in aliquo non offendam, & imaginem suam in me aliquo modo non obfuscem: Vitam meam cum diligenter exploro, quotidiana confessione confiteri non possum pessima vitiorum germina, quæ in me quotidie repullulant. Ecce audisti, Pater, abominationes meas malas & pessimas; & adhuc scias multo pejora & iniquiora in angulis cordis mei latere, quæ ad lucem veræ confessionis venire erubesco. Verumtamen si Dei consilium habes, consule quid agendum sit.

Confessio.

63. Cum per pravas ineptasque cogitationes vaga mente discurris, deceptoriis spiritibus tentandi aditum in te aperis. Et ita te à Deo separas, quoniam perversæ cogitationes separant à Deo, & Spiritus-sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Mens vero instabilis & inquieta, dum semper nititur apprehendere quod appetit, desideriis suis circumagitata numquam requiescit. Idcirco in uno æternitatis desiderio immobiliter debet figi. Peccata autem tua confiteri non erubescas: quoniam omnia in confessione lavantur; & nullum peccatum dimittitur, nisi prius confiteatur. Prosequere igitur: & si ad perfectam sanitatem pervenire desideras, quicquid conscientiæ stomachum gravat, totum vomitu puræ confessionis evomere non differas. Virus enim vitiorum, nisi festinanter ejiciatur, prius interiora corrumpit; deinde ad exteriora ebulliens, totum corpus occupat & maculat.

Responsio Patris spiritualis.

Sap. 1. a

Confessionis vis & necessitas.

## CAPUT XXX.

*Pergit pœnitens aperire conscientiam & statum animæ suæ coram Patre spirituali.*

64. QUoniam Ægyptium tuum non abominaris, sed foves & instruis; manifestabo tibi, non solum peccata actionum, verum etiam cogitationum. Audi ergo miseriam meam. Sæpe veniunt ad mentem meam cogitationes innumeræ, & surgunt affectiones multæ, & sollicitant me de cura corporis, & suggerunt multa de

Sollicitudines corporalium necessitatum.

usibus necessitatis. Conveniunt ibi ad consulendum, veraciter autem ad decipiendum: & congregantur consiliarii multi, & consiliatores vani, immo deceptores veri. Congregantur autem quasi in consilium unum, & quasi ad quærendum consilium bonum, & dantur in commune consilia multa, sed inutilia & vana: quia consilium vanitatis est, & totum eorum consilium de vanitate est. Suadent mihi sanguinem minuere, ut possim pausare, & lautiores cibos sumere, remanere de vigiliis, ut satis possim dormire. Consulunt corpus recreare ne deficiat, carnem fovere ne tabescat, abstinentiam aliquantulum relaxare, quieti parumper indulgere: & in hunc modum agitur de cura corporis cura superflua, & de vanitate ventilatur quæstio vana, & super hujusmodi inutili negotio consumitur sæpe hora una.

Responsio Patris spiritualis.

65. Qui carnis suæ desideriis non resistit, & motus cordis sui custodire negligit; ita tandem prava consuetudine illigatur, ut postmodum etiam volens eis resistere non possit. Propterea quoties hujusmodi consiliarios improbos & iniquos in unum convenire sentis; non eis consentias, sed ilico excute te, nunc ad orationem, modo ad operationem, sæpe autem ad meditationem: nec prius cesses, donec illi evanescant. Intuere quomodo Christus steterit in cruce; considera quomodo morieris, vel ubi, vel quando: statue te ante terrificum tribunal tremendi Judicis: descende usque ad infernum inferiorem, & ibi cerne quomodo pro peccatis suis animæ puniuntur. Talis etenim cogitatio probatissimum remedium est contra turpes cogitationes.

## CAPUT XXXI.

*Confessio pœnitentis de cura carnis, & vitiis gulæ.*

66. Quoniam verba delictorum meorum audire non dedignaris, sed patienter auscultas, fateri oportet quod adhuc fatendum est. Cum supradictis consiliariis iniquis & iniqua consulentibus acquiesco, & eorum consilia libenter recipio: adsunt subito cogitationes pravæ, adsurgunt affectiones perversæ, multum sollicitæ, sed parum discretæ, quomodo carnem meam delicatissime foveam; quæ quantumcumque suavissime nutriatur, semper caro est. Offerunt mihi infirmitorium sed quoniam turpe est in illo diu permanere, equitandi occasionem quærunt, & inveniunt. Nec mora, equi parantur, cadi implentur, hospitia eliguntur, & quæ sunt necessaria in via, ligantur & parantur. Vocor, & vocatus venio. Injungitur mihi obedientia illa: ego vero metuens ex meo desiderio vilescere, recuso ore, quod corde desidero: acquiesco tamquam coactus, & ideo lætus ascendo, & iter arripio. Prô dolor! religio relinquitur, & silentium rumpitur: hinc inde volant verba vana & inutilia, forsitan & detractoria. Sic confabulando sæpe consumitur dies integra. Venio ad hospitium, assideo ad mensam, apponitur panis albus & vinum bonum, piscis & caseus, ova, &c. Interea recurrit animus meus ad fratres qui sunt in conventu, & grave est mihi ut dissimiliter ab eis reficiar; & epuler splendide, illis aride reficientibus: & remordet me conscientia mea, si pro faba piscem, si pro cepe seu milio caseum, si pro mica gastellum ad refectionem sumam; si vinum bibam, & fratres aquam.

Falsa & ficta obedientia.

Vide frugalitatem veterum Religiosorum.

67. Gula vero exspectationis impatiens, invitat & instigat ut comedam & bibam. Dicit enim: Non debes esse molestus ei qui te caritative suscepit, sed ad nutum illius te per omnia debes habere, & monitis illius libenter obedire, & impensa beneficia cum gratiarum actione percipere, quoniam nihil respuendum est quod cum caritate offertur. Caritatis est ut quod ille tibi apponit, cum ipso pariter de eodem sumas, ne scandalizetur si viderit te aliud quam se comedere. Ita ergo fac ut convenit. Communica & participa cum hospite, sicut scriptum est: *Comedentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Ego vero his persuasionibus victus, communico & participo cum hospite pro hospite. Et quoniam de alieno ministratur, & non de proprio; incipio mihi esse indulgentior, & manu largior. Prosequor causam pro qua veni ad mensam. Nam comedo & bibo profuse, sicut mos est: & multiplicantur fercula & pocula, donec & venter gravetur, & cerebrum turbetur: nec arguitur superfluitas, quam excusat hospitalitas. Sic sic mei oblitus, dum gulæ appetitum sequor, oblivisci mox incipio quid faciant fratres in refectorio; & cadit à memoria faba, caulis, panis durus, & aquæ potus. Sicut fabula, sic est vita mea. Timeo etiam ne egomet sic fabulando fabula efficiar, si sine bonis operibus inveniar. Dicito ergo mihi quid debeo facere, & quomodo possim gulam continere, ne tam parvi bidelli * servus efficiar.

Luc. 10. b

Intemperantia in cibo & potu.

*appar.

Respon

68. Gula semper est in pugna, & in culpa. Sive manduces, sive bibas, adest illa tecum pugnatura: si bene non pugnas, certe vinceris ab illa; quæ cum multis pugnat, & à paucis expugnatur. Tu ergo tanto vehementius illam expugna, quanto manifestius illam esse expugnandam cognoscis. Et quoniam ad Dei cognitionem pervenire non potes, nisi per cognitionem tui; iterum atque iterum discute teipsum, si forte aliquid in te lateat quod Deo displiceat. Videre enim Deum non potes, nisi mundo corde: nec fiet cor jucundum, nisi prius fiat mundum ab omni contagione.

Gulæ contin

## CAPUT XXXII.

*Accusat se pœnitens de confessionis vitiis, & de invidia.*

69. Multa habeo adhuc tibi dicere, sed confiteri erubesco. Verumtamen quia aliter Deum videre non possum, aperiam tibi cor meum. Fateor quoniam peccata mea recogitare neglexi, & ideo multa oblivioni tradidi. Cognita autem non omnia confessus sum, propter multitudinem. Quæ vero confessus sum, non pure sum confessus propter turpitudinem, aut omnino celavi. Quæ autem sive bene, sive male sum confessus, non digne flevi, propter vetustatem, & inveteratam consuetudinem. Confessus sum cui non debui, & cui confiteri debui, celavi; &, quod pejus est, de confessione inanem gloriam quæsivi. Manifesta vero peccata excusavi cum de illis convictus fui, vel (quod deterius est) defendi. Culpam meam præ rubore confusionis palliavi. Sic sic peccatis peccata semper accumulo, & vitam meam quotidie corrigere dispono: semper autem de die in diem differo, & dum hoc in futuro fieri propono, fit ut illud futurum semper sit futurum, immo fortassis numquam futurum. Domine Deus meus, quamdiu ponam consilia in anima mea? Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? Non est vitium, cui aliquo modo non servierim. Omnia enim contendunt de me, cujus potissimum videar. Verumtamen super omnia vitia, invidia me persequitur. Pestis hæc ubique me torquet. Da ergo consilium quomodo illam effugere valeam.

Confessi varie vit tur.

Psal. 12. a

Psal. 29.

## CAPUT XXXIII.

*Responsio Patris spiritualis de invidia.*

70. *Tristius * invidia nihil est, quæ protinus ipsum Auctorem torquet discruciatque suum.* Omnino igitur fugienda est & exsecranda; quoniam in illa Deus offenditur, proximus læditur, animus affligitur. Invidia etenim semper torquet possessoris sui animum, quamvis sæpe lædere non possit suum, erga quem sævit, proximum. Sed cum mala sit omnis invidia, pessima tamen est hujus mali species, quæ sub specie sanctitatis suas exercet injurias. Sæpe enim quando sævit in proximum ex vitio iracundiæ, vel veneno invidiæ, fingit sibi cogitatio quod faciat illud zelo justitiæ. Læsus namque quilibet à proximo suo, non jam eum facile respicere potest simplici oculo. Displicet sibi quidquid ab illo fieri considerat. Omni fere hora tacita apud se cogitatione illum accusat. Surgunt causæ quotidie innumeræ, quæ illum culpabilem ostendunt: occurrunt rationes multæ, quæ illum reum, illum esse puniendum convincunt. Crescit autem sæpe eousque malum, ut apud Deum esse credat se reum, nisi illum severius corripiat, & de sua perversitate redarguat. Loquitur enim apud se hujusmodi maligna

*al. Justi

Invidiæ pessima spec

cogitatio. Usquequo illum talem tolero? Consentire ei A comprobor, si eum non corripio; consentiens autem Deum offendo. Corripiam ergo eum, ne Deum offendam. nihil enim pro mea, sed pro Dei injuria ulciscenda totum facio: immo sic illum sibi restituam. Proximum enim corripere, & eum castigare, hoc non est proximo nocere, sed prodesse velle. Sic sæpe apud se loquitur maligna cogitatio: excæcavit enim eam malitia sua. Et putat odium suum amorem esse, & injuria sua justitiam exercere. Conveniunt itaque undique hujusmodi malignæ cogitationes ad mentem, & fingunt se ad obsequium Dei convenire, non autem suum odium exercere velle. Considera ergo adhuc frequenter, cogita vehementer, investiga diligenter conscientiam tuam, ut scias quid corrige- B re, seu etiam unde debeas gratias agere. Valde enim utile & pernecessarium est, ut scias quid desit tibi, quid vis, quid cupis, & quid habere optas.

## CAPUT XXXIV.

*Accusatio sui de variis, vagis & otiosis cogitationibus, & responsio Patris spiritualis.*

71. Facilius atomos mundi possem dinumerare, quàm motus cordis mei. Velocitas animalium & volatilium meis motibus æquiparari non potest. Cogitationes meas non est qui possit comprehendere. Desideriorum meorum non est modus. Nunc illa, nunc ista cogito & C desidero, nec ista, nec illa habere possum. Dum corpore vaco, cogitationibus per diversa loca vagor. Nulla hora, nullo temporis momento quiesco; sed in momento, in ictu oculi per multa spatia locorum discurrens, novas creaturas creo; & iterum easdem eadem facilitate deleo, vel alio atque alio modo multipliciter vario. Illud vel illud habere desidero, talis vel talis esse cupio, quasi Deus illud dare, vel talem me facere nescierit, aut non potuerit.

Responsio. 72. O custos cordis, quàm modicum & cupidum cor habes! parvum est, & magna cupit. Vix ad unius milvi refectionem sufficere posset, & totus mundus ei non sufficit. Solo corde per totum mundum vago motu discurris. D Sine pedibus curris, sine manibus operaris, alas non habes, & volare non cessas. Divitias quotidie congregas, & satiari non potes: epulas ad refectionem paras, & inde non comedis: hæc & illa cogitas, & falsum est quod cogitas. Audi quomodo, ut de cetero tibi caveas. Forsitan cogitas modo de sole, vel de aliquo amico tuo, aut de teipso. Si unus est sol, falsus est iste quem tu cogitans fingis: quoniam ille certis locis & temporibus cursum suum peragit, istum vero constituis ubi vis. Si unus est ille amicus tuus, falsus est iste quem cogitans fingis: quoniam ille ubi sit, nescis: istum autem ubi vis, fingis. Porro teipsum hoc esse loco sentis, & tamen figmento cogitationis vadis ubi vis, & loqueris cum quibus vis, & hoc verum E non est, quia modo ibi non es. Quoniam ergo falsa sunt hæc, noli amodo talia cogitare, sed jacta cogitatum tuum in Domino, qui te fecit & refecit, elegit & vocavit, judicabit & salvabit.

73. O quot & quanti hac hora cum eo loquuntur, eumque in semetipsis amplexantur! tu vero in his delectaris quæ pereunt & transeunt, & tecum manere non possunt? Considera quàm multi modo moriuntur; quibus si hæc hora ad agendum pœnitentiam concederetur, quæ tibi concessa est, quomodo per altaria, & quam festinanter currerent, & ibi flexis genubus, vel certe toto corpore in terram prostrato tamdiu suspirarent, plorarent, & orarent, donec plenissimam peccatorum veniam à Deo con- F sequi mererentur? Tu vero comedendo, bibendo, jocando, & ridendo, tempus otiose vivendo perdis; quod tibi indulserat Deus ad acquirendam gratiam, & ad promerendam gloriam. Cogita etiam quot animæ in inferno nunc cruciantur sine spe veniæ & misericordiæ. Si amor Dei te tenere non potest, saltem teneat & terreat timor judicii, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulfur fœtens, flamma tartarea, & omnia mala. Discute adhuc teipsum, ut scias quid desit tibi, ne in illa ultima discussione coram omnibus confundaris, si inventa fuerit in te iniquitas.

## CAPUT XXXV.

*Pergit confiteri varias & instabiles affectiones ac perturbationes suas.*

74. Digne pensare, & sufficienter æstimare non valeo, quæ sit illa tam multiplex cogitationum mearum volubilitas, & tam inquieta & infatigabilis velocitas, quæ per tam multa, tam varia, tam infinita discurrere me facit. Nulla enim hora & nullo temporis momento quiescere possum, sed per infinita spatia locorum, & volumina temporum mira festinatione pertranseo. Undique patet mihi facilis transitus, agilis discursus: de summis ad ima, & de imis ad summa: de primis ad novissima, de novissimis ad prima. Digne explicare non possum, quot alternationis modos momentaneis permutationibus induo, & quàm multiformiter me alternantium vicissitudinum motibus variare consuevi, & quibus perturbationibus quotidie afficior. Modo me in fiduciam erigo, modo in diffidentiam cado. Nunc per constantiam figor, nunc subitaneo terrore concutior: modo me turbat ira, modo ingens furor exagitat. Nec illud adeo mirum, quod variis qualitatibus diversisque perturbationibus per singula momenta afficior: sed illud supra modum stupendum, quod sub eodem pæne momento sæpe contrariis affectionibus tangor: nunc odio, nunc amore ducor, modo gaudio, modo mærore detrahor. Quàm sæpe inter mira gratulationis meæ tripudia superveniens subitoque emergens tristitiæ causa me vehementer concutit ac dejicit, & omnem illam exultantis animi mei sollemnitatem subito in mærorem vertit. Sæpe diu multumque dilecta nimio postmodum odio prosequor, & vehementer approbata atque desiderata subito detestor. Sed quis omnium mearum affectionum qualitates enumeret? quis omnes variationis meæ modos explicare sufficiat? Pæne quot sunt diversitates rerum, tot sunt varietates affectionum mearum.

## CAPUT XXXVI.

*Responsio Patris spiritualis, quàm sit utilis & necessaria sui cognitio.*

75. Cum inter omnia animalia, humanum genus tum digniori formâ, tum digniori potentiâ dignius reperiatur; nulla scientia melior est illa, qua cognoscit homo seipsum. Relinque ergo cetera, & teipsum discute: per te curre, & in te consiste. A te incipiat cogitatio tua, & in te finiatur; nec frustra in alia distendaris te neglecto. Præter salutem tuam nihil cogites: quoniam in acquisitione salutis tuæ nemo est tibi germanior, nemo propinquior teipso. Si vero aliquid cogitationi tuæ se offerat, quod non quoquo modo ad tui ipsius salutem pertineat, ilico respue & exspue, ut semper te possis inspicere, & de cognitione tui venire ad cognitionem Dei. Agnoscere se debet homo, ad quæ bona sit naturaliter promptior, vel ad quæ mala proclivior: quibus studiis debeat vehementius insistere, contra quæ mala debeat instantius vigilare: quibus exercitiis valeat melius promoveri, quibus vitiis valeat facilius corrumpi: quibus culpis subjaceat, vel quibus meritis emineat, & quid pro his pœnæ vel præmii exspectare debeat: quantum quotidie proficiat, vel deficiat: cum quanta animi industria satagat præterita mala flere, præsentia declinare, futura prævenire: cum quanta animi constantia studeat reparare bona amissa, custodire & multiplicare possessa. O quam necessaria discussio & quam miranda speculatio, tot animi virtutes, tot ejus exercitationes, tot ejus studia vel merita præ oculis habere, & hujuscemodi contemplationi diutius inhærere. Discussio sui ipsius.

76. Suspende ergo animum tuum ab inferiorum amore; ne forte de sublimibus ejectus, & de loco voluptatis à propria concupiscentia abstractus & illectus, post concupiscentias tuas eat, & vagus fiat & profugus super terram. Denique si cupis implere dominicum præceptum,

Prov. 4. d *Omni custodia serva cor tuum.* Nescit enim quid de spiritu angelico, quid de Spiritu divino sentire debeat, qui suum prius non cogitat. Nihil recte existimat, qui seipsum ignorat. Nescit quod sub pedibus suis omnis mundana gloria subjaceat, qui conditionis suæ dignitatem non pensat. O custos cordis, si nondum es idoneus intrare ad teipsum, quomodo ad illa rimanda idoneus eris quæ sunt intra, vel supra te ipsum? Si necdum dignus es intrare tabernaculum primum, qua fronte præsumis ingredi tabernaculum secundum, hoc est in Sancta sanctorum? Si nondum moliri potes gressus altos, ut cum Domino Jesu, vel saltem cum Moyse ascendas in montem excelsum: qua præsumptione putas volare in cælum? Prius redi ad te, quàm rimari præsumas quæ sunt supra te. Prius sol ortus sui confinia irradiat, quàm ad altiora conscendat. Primum ergo est ut redeas ad te ipsum; intres ad cor tuum; discas æstimare spiritum tuum. Discute quid sis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse poteris: quid fueris per naturam, quid modo sis per culpam; quid esse debueris per industriam; quid adhuc esse possis per gratiam. Disce ex tuo spiritu cognoscere quid debeas de aliis spiritibus æstimare. Hæc porta, hæc scala, hic introitus, iste ascensus: hâc intratur ad intima, hâc elevatur ad summa. Vides quantum valeat homini plena cognitio sui? Ex hac siquidem proficit ad cognitionem omnium cælestium, terrestrium, & infernorum.

*Cognitio sui præcedere debet cognitionem divinorum.*

## CAPUT XXXVII.

*Propositum pœnitentis de seipso diffidentis, & ad Dei familiaritatem anhelantis.*

77. Scire vellem qualis ipse sum, sed vix de meipso vera discernere possum. Amor namque privatus, quem erga meipsum habeo, aufert mihi verum judicium de meipso. Idcirco parum mihi credo de meipso, utpote homini mendaci, timens ne si meipsum judico, mentiatur iniquitas sibi. (Psal. 26. d) Judicet ergo me ille, cui omnia nuda, sunt & aperta: quem fallere non possum, quia sapientia est; nec effugere, quia ubique est; neque corrumpere, quia justitia est. Ille veniat ad me, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum; (Prov. 8. d) qui stat ad ostium & pulsat, paratus introire, si ei aperuero. (Apoc. 3. d) Intret ergo & sanctificet sibi sanctuarium, quoniam sanctus est, & domum ejus decet sanctitudo. Exstirpet vitia, ordinet cogitationes, sanet affectiones, mores componat. Nullus ei in aliquo resistat; ut sit in pace locus ejus. (Psal. 92. a) Utinam nullus hominum esset mecum exterius, ut familiarius loqui possem cum eo interius. Ipse enim & secretum quærit, & solitarium locum diligit. Fugiam ergo hominum solatia & colloquia, ut in secreto cordis mei Deum habitatorem habere possim. Valde tamen difficile est ab exterioribus ad interiora mentem revocare, & ibi permanere. Nec minus difficile est de visibilibus ad invisibilia penetrare, & in illis diutius consistere. Dura sunt hæc, & multum laboriosa, sed valde fructuosa. Assuescam igitur sola intima cogitare, sola interiora diligere, & in illis permanere, ut possim audire quid loquatur in me Dominus Deus meus. Ecce adsum, piissime Domine: tecum sum, intus sum. Quamdiu in exterioribus occupatus fui, vocem tuam intra me audire non potui. Nunc autem reversus ad me, ingressus sum ad te, ut possim te audire, & tibi loqui. Loquere ergo, misericordissime, quia audit servus tuus: loquere, quia paratus sum obedire. Quicquid jusseris, pro posse meo libenter devotus implebo.

*Excitatio animæ ad Deum hospitem religiose suscipiendum.*

78. O anima mea, Rex Angelorum venit ad nos, & hospitatus est nobiscum. Lætemur ergo de tanto hospite nostro corde perfecto. Demus ei gloriam & honorem, quoniam dignatus est visitare servos suos. Epulemur & jucundemur cum eo in lætitia & exultatione. Delectemur in eo de eo, & nullus sit ei in aliquo molestus, ne in ira recedat à nobis, & inducat super nos maledictionem pro benedictione. Exhibeamus ei omne servitium caritatis: rogantes & deprecantes, ut nobiscum manere dignetur. Si vero non possumus persolvere ei totum quod debemus: saltem nosmetipsos humiliter ei subdamus ad omnem voluntatem ejus. Sit hæc dies sollemnis, in qua Sal- A vatorem nostrum in hospitio nostro læti suscepimus. Nullum membrum, nullum officium ab hoc gaudio excludatur. Conveniant ergo in unum omnes cogitationes & affectiones, diem festum celebrantes in omni puritate & sanctitate. Nulla se aliena cogitatio interserat; quæ hujus sollemnitatis gaudia perturbet. Oculi mei semper ad Dominum, per quem sum, vivo, & sapio; nec cessent lacrymis pedes ejus rigare. Audiant & intelligant aures quid in nobis ei displiceat, vel quid ei placeat; quid damnet, vel quid approbet. Delectetur odoratus illo suavissimo odore dulcedinis ejus. Odor ejus odor vitæ æternæ, odor totius suavitatis & jucunditatis. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, altissime Domine. (Psal. 7) B Sit meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, ut te possim videre per fidem & contemplationem, donec merear videre facie ad faciem. (Psal. 18) Clementissime Pater, nihil in nobis cesset à laude tua. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. (Psal. 72) Benedic, & dic:

*Gloria, laus & honor tibi sit, rex Christe redemptor.*

## CAPUT XXXVIII.

*Animæ cum Deo analogia & similitudo.*

79 O Anima mea, si vis amari à Deo, reforma in te imaginem suam, & amabit te: repara in te C similitudinem suam, & desiderabit te. Consilio namque sanctæ Trinitatis ad imaginem & similitudinem suam creavit te Creator tuus. quod nulli alteri ex creaturis donavit: ut tanto eum ardentius diligeres, quanto mirabilius ab eo te conditam intelligeres. Considera ergo nobilitatem tuam; quoniam sicut Deus ubique est totus, omnia vivificans, omnia movens & gubernans: ita tu in corpore tuo ubique tota es, illud vivificans, movens, & gubernans. Et sicut Deus est, vivit, & sapit: ita tu secundum modum tuum es, vivis, & sapis. Et sicut in Deo tres sunt personæ; Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus: sic & tu habes tres vires, scilicet Intellectum, Memoriam, & Voluntatem. Et sicut ex Patre generatur Filius, & ex D utroque procedit Spiritus-sanctus: ita ex Intellectu generatur Voluntas, & ex his ambobus procedit Memoria. Et sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus-sanctus; non tamen tres dii, sed unus Deus, & tres personæ: ita anima est Intellectus, anima Voluntas, anima Memoria: non tamen tres animæ, sed una anima, & tres vires. Ex quibus animæ viribus quasi excellentioribus jubemur Deum diligere, ut diligamus eum toto corde, tota anima, tota mente; id est toto intellectu, tota voluntate, & tota memoria, hoc est toto affectu, sine defectu, cum discretionis intuitu. Nec solus sufficit de Deo intellectus ad beatitudinem, nisi sit in amore ejus voluntas. Immo hæc duo non sufficiunt, nisi memoria E addatur, qua semper in mente intelligentis & volentis maneat Deus: ut sicut nullum potest esse momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate vel misericordia: ita nullum sit momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. *

*Anima T[…] quomod[…] milis.*

*Deus quomodo diligendus secundum tres vires animæ.*

* *Hæc sent[…]tia freque[…] repetitur. V[…] Medit. n. 1[…]*

## CAPUT XXXIX.

*De dignitate animæ, ut quæ Christum spiritualiter gignere valet.*

80. INtellige dignitatem tuam nobilis creatura: quoniam non solum insignita es Dei imagine, verum etiam decorata similitudine. Sicut enim Creator tuus, qui F te ad similitudinem suam creavit, est caritas, bonus, & justus, suavis & mitis, patiens & misericors, & cetera insignia quæ de eo leguntur: ita tu creata es, ut caritatem haberes, & esses munda & sancta, pulcra & decora, mitis & humilis. Quas virtutes quanto plus in te habebis, tanto propinquior Deo eris, & majorem tui Conditoris geres similitudinem. Quid majus his tibi facere potuit, quàm ut ad similitudinem suam te conderet factor tuus: & eisdem virtutum vestimentis te ornaret, quibus ipse ornatus est? Attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam, & venerandam sanctæ Trinitatis ima-

ginem in te ipsa agnosce: honoremque similitudinis divinæ, ad quam creata es, habere stude nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate præmiorum: ut quando apparebit qualis sit, tunc similis ei apparere possis. Similis enim similem quærit: & qualem te paraveris Deo, talis necesse est appareat tibi Deus. Si ergo naturalem pulcritudinem tuam in te reparaveris, *concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Deus tuus*; ipse amicus & sponsus; frater & filius. Ipse enim dixit: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Audi quomodo. Virtus & sapientia Patris, filius est Patris. Verbum Patris, voluntas est Patris. Voluntas hominis nihil aliud est, quàm quædam proles mentis. Si igitur eadem est voluntas tua, & voluntas Patris: idem est filius tuus, & filius Patris. Veritas, sapientia, voluntas corde concipitur, & ex corde generatur.

Psal. 44.c
Matth 12.d

81. Si igitur idem vis & idem sapis quod Pater, eumdem filium habes quem & Pater. In te est utrum sis pater aut mater, an potius utrumque, pater & mater; non tuo merito, sed Dei dono. Potes namque eum gignere in corde tuo, & in corde alieno. Potes eum concipere à corde tuo, & ab ore alieno. Intellectu gignitur, consensu concipitur, affectu nascitur, effectu nutritur. Quando veritatem intelligis, vel alium intelligere facis, Christum gignis. Nosti voluntatem Dei? consenti ei, & concepisti. Quando gignis, es pater; quando concipis, es mater. Amando parturis, operando nutris. Sic sic in potestate cujusque relinquitur, utrumnam tantæ prolis mater efficiatur. Maledicta ergo sterilis quæ non parit, quæ talem filium pro voto per Dei gratiam habere potuit. Cur non similiter maledictus qui non gignit, nisi quia non æque in nostra potestate consistit veritatem intelligere, & veritati consentire? Non enim veritatem semper intelligo cum volo: intellectæ autem semper consentio: velle tamen non possum, nisi gratia Dei fuerit mecum. Nulla est enim humana industria sine Dei gratia. Ex quo primus homo peccavit, naturæ bonum perdidimus, pariter & arbitrii vigorem, sed non electionem, ne non esset nostrum, ut emendaremus peccatum. In nobis namque manet ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est rationalis voluntas, sed admonente prius Deo & invitante ad salutem, ut vel eligamus, vel sequamur. Potestatis nostræ est divinæ inspirationi acquiescere, & quæ ad salutem nostram pertinent eligere & sequi: divini vero muneris est ut possimus adipisci, quod sequendo cupimus consequi. Nostræ potestatis est & ignaviæ, ut labamur: sollicitudinis vero nostræ est & cælestis pariter adjutorii, ne labamur. Felix homo qui sic ambulat sapienter, ne cadat; aut si ceciderit, ut statim resurgat. Felicior vero est qui numquam cecidit: felicissimus autem est, qui jam cum Deo regnat.

Arbitriæ consilius cum vero arbitrio necessaria ad salu...

## CAPUT XL.

*De promptitudine animæ ad recipiendum Christum, & de intimo recessu divini amoris.*

82. Felix homo est, cui præsto est cum voluerit, habere filium Deum. O quanta est dignitas hominis, filium habere Deum, & quanta est humilitas omnipotentis habere hominem patrem, & quanta est nobilitas animæ, Christum Jesum habere sponsum! Sancta ergo anima & veri sponsi amica ad dilecti sui adventum summo cum desiderio semper debet inhiare, & parata atque expedita esse, ut pulsantem amicum absque ulla dilationis injuria possit suscipere, & vocanti cum omni alacritate occurrere; ne subito & inopinate adveniens, minus promptam & minus ornatam inveniat: vel diu exclusus, diutinæ præstolationis ullam molestiam sustineat. Aliud est autem cum ipso intrare, atque aliud est ad ipsum exire. Ibi anima ad seipsam revertitur, & cum dilecto suo usque ad intima cordis sui penetralia ingreditur: hic extra semetipsam ducitur, & ad sublimia contemplanda sublevatur. Quid namque est ejus introire, nisi se totam in semetipsam colligere? Quid vero est ejus exire, nisi seipsam extra semetipsam totam effundere? Nihil itaque aliud est animam cum dilecto suo in cubiculum ingredi, & solam cum solo morari, dulcedineque ejus perfrui; nisi exteriorum omnium oblivisci, & in ejus dilectione summe & intime delectari. Se solam cum dilecto videt, quando exteriorum omnium oblita, ex propria consideratione in dilecti sui dilectionem desiderium suum perurget, & ex his quæ in intimis suis considerat, animum suum in ejusmodi affectu inflammat, & tam ex bonorum, quàm ex malorum suorum consideratione in gratiarum actionem assurgit; & hinc pro impensa gratia, hinc pro indulta venia, intimæ devotionis victimas persolvit. Usque in intimum dilectus perducitur, & in optimo collocatur, quando ex intimo cordis affectu, & super omnia diligitur.

83. Cogita quid sit quod in vita tua ardentius dilexisti, anxius concupisti, quod te jucundius afficiebat, ceterisque omnibus profundius delectabat. Considera ergo si eamdem affectionis violentiam, delectationisque abundantiam sentis, quando in summi dilectoris desiderium inardescis, quando in ejus dilectione requiescis. Cui dubium sit quod intimum illum affectionis tuæ sinum necdum teneat, si intimæ dilectionis aculeus animam tuam in divinis affectibus minus penetrat, tepidius exagitat, quàm in alienis affectionibus aliquando penetrare vel exagitare solebat? Sed si tantam prorsus, vel forte validiorem dilectionis vel delectationis violentiam in intimis tuis circa divina perspexeris, quantam alias numquam expertus fueris; vide adhuc si forte aliud aliquid sit, in quo delectari vel consolari possis. Certe quamdiu possum ex aliena qualicumque re consolationem vel jucunditatem concipere, nondum audeo dicere dilectum nostrum intimum ardentissimi amoris sinum tenere. Satage ergo, festina trahere eum adhuc ad interiora & secretiora cordis tui penetralia, quæcumque es ejusmodi anima. Quis enim neget illud intimum cordis humani penetrale tales recessus habere, seu etiam obtinere posse, in quibus summi & singularis amoris violentia cum aliquid per affectum infixerit, aliena omnino delectatione avelli non possit? Certe si alienam aliquam consolationem quæris vel recipis, Deum tuum, quamvis fortasse summe, nondum tamen singulariter diligis. Nondum ergo in intimum perducitur, nondum in intimo collocatur. Si ergo non satagis introducere eum ad intima tua, quomodo te credam velle vel posse sequi eum ad sublimia sua? Amoris Dei indicia.

84. Certum ergo signum tibi sit, quæcumque es anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem sequi nondum merueris. Quomodo enim perfecte diligis vel diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis, & ad theoricos & anagogicos illos conatus mentis alienatione non transis? Vis nosse quia sublimitas divinarum revelationum sit manifestum divinæ dilectionis indicium? *Jam non dicam*, inquit, *vos servos, sed amicos: quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Satage ergo Deum tuum intime & summe diligere, & omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare. Collige teipsam ad temetipsam, & in solo divinitatis desiderio requiesce. Johan. 15.b

## CAPUT XLI.

*Anima excitatur ad contemplationem rerum sublimium & divinarum.*

85. Debet namque anima perfecta, & assidue summorum contemplationi dedita, omni hora peregrinationis suæ terminum, & ergastuli hujus egressum, cum summo desiderio exspectare, & ad illud divinæ contemplationis spectaculum, quod in futura vita speramus, animum suum suspendere, & in ejusmodi exspectatione vehementi desiderio anhelare: ut quod interim videt per speculum & in ænigmate, mereatur videre facie ad faciem. Necesse est itaque ad cor altum ascendere, & mentis excessu per divinam revelationem addiscere, quid sit illud, ad quod adspirare vel studere oporteat, & ad qualem sublimitatis habitum animum suum componere & assuescere debeat. Nam si semel ad illam luciferam ange-

licæ sublimitatis gloriam quis admissus fuerit, & ad illud divinorum radiorum spectaculum intrare meruerit: quàm intimis desideriis, quàm profundis suspiriis, quàm inenarrabilibus gemitibus eum qui ejusmodi est, putamus insistere, quàm assidua recordatione, quàm jucunda admiratione inspectam claritatem credimus eum retractare, menteque revolvere; illam desiderando, illam suspirando, illam contemplando, donec tandem aliquando in eamdem imaginem transformetur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu? *2. Cor. 13. d*

*Qualis anima, cum à contemplatione redit ad seipsam*

86. Verumtamen cum ab illo sublimitatis statu ad nosmetipsos redimus, illa quæ prius supra nosmetipsos vidimus, in ea veritate vel claritate qua prius perspeximus, ad nostram memoriam omnino revocare non possumus. Et quamvis inde aliquid in memoria teneamus, & quasi per medium velum, & velut in medio nebulæ videamus; nec modum quidem videndi, nec qualitatem visionis comprehendere, vel recordari sufficimus: & mirum in modum reminiscentes, non reminiscimur; & non reminiscentes, reminiscimur, dum videntes non pervidemus, & aspicientes non perspicimus, & intendentes non penetramus, donec iterum meditatione assurgamus in contemplationem, contemplatione in admirationem, admiratione in mentis alienationem. Veritatis contemplatio in hac vita inchoatur, sed in futura jugi perpetuitate celebratur. Per veritatis contemplationem eruditur homo ad justitiam, consummatur ad gloriam. Gratia contemplationis cor ab omni mundano amore non solum emundat, sed sanctificat, & animum ad cælestium amorem inflammat. Qui divina inspiratione & revelatione ad contemplationis gratiam promovetur, quasdam arrhas futuræ illius plenitudinis accipit, ubi sempiternæ contemplationi perpetuo inhærebit. Qui vero contemplationi veritatis vult vacare, necesse est ut discat requiescere, non solum ab operibus malis, sed etiam à cogitationibus supervacuis. Multi siquidem etsi sciant vacare corpore, minime tamen valent vacare corde, nescientes facere sabbatum ex sabbato. & ideo non valent implere quod dicitur in psalmo: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Vacantes siquidem corpore, sed vagantes ubique corde, nequaquam merentur videre quàm dulcis est Dominus, & quàm bonus Israël Deus iis, qui recto sunt corde. Inde est quod hostes derident sabbata eorum, id est, ipsa suæ vacationis otia in cogitationes inutiles protrahunt, & per devia quæque vago incessu, sine respectu perventionis passim huc & illuc vagantur. Animus eorum in diversa rapitur, & nunc in hanc partem, nunc in illam discurrendo mira agilitate in contraria agitur.

*Divinæ contemplationis effecta.* — *Ad eam requiritur vacatio animi.* — *Psal 45 a* — *Psal. 72 a* — *Thren. 1. c*

87. Sic sic quamdiu sub egenis hujus mundi elementis vivimus, desideria nostra ultra gaudia nostra extendimus: quia infinite plura sunt quæ concupiscimus, quam quæ in hac vita apprehendere possumus. Beata autem illa supernorum spirituum multitudo desideria sua ultra gaudiorum suorum non extendit plenitudinem, quæ felicitatis suæ infinitatem vel immensitatem comprehendere omnino non sufficit. Est autem eorum gaudium, non solum de contemplatione Creatoris, sed etiam de contemplandis ejus creaturis. Dum enim Deum in omnibus suis operibus mirabilem inveniunt, quid mirum si ubique mirando venerantur, venerando mirantur magnalia ejus, quem diligunt? Inveniunt itaque, non solum in creaturis incorporeis, sed etiam in creaturis corporeis, unde mirentur, unde Creatorem earum digne venerentur. Hæc omnia jugiter contemplantur, contemplantes mirantur, mirantes lætantur. Lætantur de divina contemplatione, congratulantur de mutua visione, mirantur in rerum corporalium speculatione.

88. Discamus & nos contemplantes mirari, & mirantes contemplari, quomodo illius supernæ beatitudinis cives omnia quæ sub ipsis sunt indesinenter aspiciunt, omniumque quæ ab alto vident, rationem & ordinem comprehendunt; quomodo de mutua societate indissolubilique caritate in infinitum gaudeant, quomodo in illam divinæ claritatis visionem insatiabiliter inardescant. Nihil est jucundius, nihil utilius gratia contemplationis. Quanto amplius in cælestium contemplatione delectaris, & delectando admiraris; tanto libentius immoraris, tanto diligentius perscrutaris, profundiusque illuminaris. Semper in illis invenies quod mireris, & unde delecteris. Nusquam est copiosior materia admirandi, & nusquam utilior causa delectandi. In his ergo semper sit tua admiratio & delectatio. Nec necesse erit alia pro aliis quærere, & per vanam huc illucque cogitationum evagationem discurrere. Deum namque cognoscere, plenitudo est scientiæ. Plenitudo autem hujus scientiæ, plenitudo est gloriæ. Consummatio gratiæ, perpetuitas vitæ. Ad hujus vero scientiæ plenitudinem opus est potius intima compunctione, quàm profunda investigatione; suspiriis, quàm argumentis; crebris lamentationibus, quàm copiosis argumentationibus; lacrymis, quàm sententiis; oratione, quam lectione; gratia lacrymarum, quam scientia litterarum; cælestium potius contemplatione, quàm terrestrium occupatione.

*Contemplatione nihil jucundius, utilius.*

*Sequebatur hic in recentioribus editionibus alius libellus* de Conscientia, *sed ab* Horstio *merito expunctus, utpote mera superiorum repetitio.*

---

# TRACTATUS ALTER

## DE CONSCIENTIA AD RELIGIOSUM QUEMDAM Ordinis Cisterciensis.

*Non est* BERNARDO *indignus, quamquam nec illius esse videatur. Auctor in fine nomen suum reticeri cupit. quod Bernardus non solet.*

### PROOEMIUM.

ETIS à me, dilecte mi, quod supra me est, immo contra me, videlicet lumen scientiæ, conscientiæ puritatem. In utroque falleris; sed falli non credis, ita vel dilectione mea tangeris, vel opinione. Ego quid sum, & quid possum? Peccator enim sum, & ultra modum peccans peccator, & ingenii vivacitas ullum in me non habet locum. Accedit ad hæc negotiorum multiplicitas, quæ quidem in homine ingenioso totius doctrinæ semina vel obruit, vel repellit, juxta Sapientem: *Sapientia scribenda est in tempore otii; & qui minoratur actu, percipiet illam.* Verumtamen etsi non eo quod amicus es, tamen quia importunus es, surgam juxta præceptum Domini, & dabo non quod tibi necessarium, sed quod mihi ad manum. Dominus autem tribuat tibi secundum cor tuum. Ipse est enim qui dat voci suæ vocem virtutis: qui in dulcedine sua pauperi parat, qui replet in bonis desiderium tuum.

*Eccl. 38. c* — *Luc. 11. b*

### CAPUT I.

*Quàm obscura & impenetrabilis res sit conscientia.*

1. CONSCIENTIA hominis abyssus multa. Sicut enim profundum abyssi exhauriri non potest, ita cor hominis evacuari non potest à cogitationibus suis. Conscientia hominis est quasi mare magnum & spatiosum, ubi reptilia quorum non est numerus. Quàm bene dixit, *reptilia!*

*Conscientia hominis inscrutabilis.* — *Psal. 103. e*

*reptilia!* Sicut enim reptile latenter repit, & sinuosis anfractibus huc illucque deambulat: ita & in hominis conscientiam venenatæ cogitationes suaviter intrant & exeunt; ut nesciat homo unde veniant, aut quo vadant. A

[...]em. 17. b Bene noverat hoc qui dicebat: *Pravum est cor hominis & inscrutabile, & quis*, inquit, *cognoscet illud?* Nec dicit *quis*, pro difficili, sed pro impossibili: quia quod scrutationem non recipit, nec cognitionem. Vide illum magnum Apostolum, Paulum loquor, unicum scrutatorem

[...]Cor. 4. a conscientiæ suæ. *Mihi*, ait, *pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Ecce quomodo humanum judicium evaserat, nihil dubitans ab his qui foris sunt, *sed neque*, inquit, *meipsum judico.* Et ubi est, ô Apostole, verbum sanctum tui ipsius dicentis: *Si nos ipsos judicaremus,* B

[...]Cor. 11. d *non utique judicaremur?* Quid est quod te ipsum vel nolis,

[...]Cor. 4. a vel dissimules judicare? Audi quare. *Nihil, ait, mihi conscius sum.* Felix conscientia non sibi in aliquo conscia, quæ nec proprium judicium, nec alienum veretur. Videsne quàm sublimi conversatione & alienum, & proprium judicium non timebat? Latet tamen adhuc laqueus & fovea magna, Vas electionis: sed quæ vigilantissimum illum

[...]Item. oculum tuum non possit effugere. Subjunxit enim: *Sed non in hoc justificatus sum.* & addidit: *Qui autem judicat me, Dominus est.* Hoc autem tertium judicium Dei, quod etiam illa purgatissima non comprehendit conscientia, nesciens

[...]l. 6. a juxta Scripturam, utrum amore an odio digna sit, cum omnia ei in posterum reserventur incerta. Hujus enim judicii timore concussus pariter & percussus gemebat & di- C

[...]m. 7. c cebat: *Quod enim operor, non intelligo.* Etsi enim exii judicium mundi, & judicium mei; restat tamen judicium Dei, quod me non sinit intelligere quod operor: quia nescio si acceptet illud quod operor. Ipse enim melius novit me, quàm ego me, scrutans & renes & corda, occultorum cognitor, pertingens usque ad divisionem animæ &

[...]b. 4. c spiritus: qui solus novit omnia, & omnium rationes.

2. O singulare sancti Spiritus organum, si non intelligis

[...]Cor. 1. c quod operaris, cur alio loco dicis: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; tuam gloriam, tuam conscientiam vocans? Sed ex parte intelligit, & ex parte non intelligit. Intelligit plane, quia & suum & aliorum super- D gressus est judicium: sed citra judicium Dei retinetur, ubi proculdubio nescit quid operatur. Non enim per illa duo justificatur, sed per tertium justificabitur, quod sicut non est cognoscibile, ita est incomprehensibile. Duorum tamen judiciorum exclusio, id est in præsenti justificatio, quodammodo certa significatio est æternæ prædestinationis, in qua nos Deus prævidit conformes fieri imagini Filii sui: & futuræ glorificationis, cum nos in ipso erimus, & ipse in nobis, cum ipse erit omnia in omnibus. Propter hoc

[...]m. 8 g enim tam secure quàm sincere alibi loquebatur: *Certus sum*, ait, *quia neque mors, neque vita*, & multa alia, immo pæne omnia quæ ibi enumerantur, *non poterunt me separare à caritate Christi.* Sed cum tot & tanta dixisset, unum, E scilicet propriam voluntatem, reticuit, quæ salvationis & damnationis est causa. Et attende quomodo vir Deo plenus conscientiam suam dixerit gloriam suam, tamquam eam plene intelligens, & se in ea. Et tamen dixerat se non intelligere quod operatur, conscientiam suam non jam in gloriam, sed in ignorantiam concaptivans. Deficit ergo Apostolus scrutans scrutinio conscientiam suam: & dum ad fundum ejus pervenire se credidit, alienum judicium & suum evacuans, incurrit profundum, scilicet judicium Dei penetrare non valens, ut jam vel conventus vel con-

[...]al. 35. a victus eructet: *Judicia tua Domine*, non modo abyssus, sed & *abyssus multa.* Quid ergo faciemus nos miseri & miserabiles, si ille qui plus omnibus laboravit, cui etiam F Claviger regni cum Johanne & Jacobo nihil contulisse videntur, qui usque ad tertium cælum raptus est, ita de seipso sentit & loquitur? Sed ut jam totum quod de conscientia sentio, verbis nudis & puris tuæ puritati aperiam, quatuor distinctionum modos tibi assignare decrevi, ut quod particulatim distinctum fuerit, legatur dulcius, & melius conservetur.

[...]teste tamen qua ex [...]rte comprehendi.

## CAPUT II.

*Quatuor conscientiarum genera.*

3. Conscientia igitur alia bona, & tranquilla; alia bona, & turbata: alia mala, & tranquilla; alia mala, & turbata. Sed primum de prima videamus. Bona namque conscientia est, quæ & præterita peccata punit, & punienda committere refugit: quæ etsi peccatum sentiat, peccato non consentit. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, ait Sanctus. Non dixit, qui non fecit peccatum: non est enim hic aliquis, nisi unus; & hic est Filius Dei, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Omne ergo quod ipse mihi non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit. *Beati* ergo, non quorum nullæ inventæ sunt, sed *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Non dixit, quorum nulla sunt, sed *quorum tecta sunt peccata*: ut quodam tegumento quodammodo Dei oculis abscondantur. Felix anima, quæ peccatum sentiens, peccato non consentit: quam etsi cogitatio inquinat, ratio lavat, pugnans & repugnans legi peccati. Molesta lucta est, sed fructuosa est: quia etsi pœnam habet, adhibet & coronam. immo quod sentientem fatigat, vincentem coronat. In hoc enim conflictu ubi sensus est, non consensus, *nihil damnationis est*, juxta Apostolum, *his qui sunt in Christo Jesu.* Porro is qui voluntatem habet non peccandi, & custodiendi pedes suos à lapsu; qui commissa præteriti temporis & plangit, & punit; qui malignos cogitatus advenientes cordi suo allidendo ad Christum respuit: hoc tamquam triplice funiculo strictus atque constrictus, conscientiam habet & purificatam, & puram. Tranquillam autem dixerim, cum jam ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui ejus quod filius Dei sit, cum omnibus dulcis est, nulli gravis; utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, omnibus ad benevolentiam, quibus potest ad beneficentiam. Rara avis in terra hujusmodi conscientia: sed quanto rarior, tanto carior apud Deum.

Fr. Serm. 112. de divers.

Psal. 31. a

1. Pet. 2. d

Lucta adversus concupiscentiam molesta, sed fructuosa.

Rom. 8. a

Bona & tranquilla conscientia, quæ.

Nota.

## CAPUT III.

*De conscientia bona, & turbata.*

4. Conscientia bona est, sed turbata, quæ nil molle, nil fluxum recipit, sed à mundi aspergine quantò potest pressius detergit, non tamen in dulcedine, sed in amaritudine multa. Dura enim videtur ei via rectior, & austerior vita. Ubique videt quod carni displicet: sed retinet se freno timoris Dei, & in omni tempestate cordis sui ad hanc anchoram figitur. Nam, juxta Prophetam, turbatus est, & non est locutus. Sed audivi quid de isto Dominus dicat: *Cum ipso sum*, inquit, *in tribulatione.* Ad quid? *Eripiam eum, & glorificabo eum.* Eripiam ab amaritudine, glorificabo in voluptate: cùm illa quæ prius faciebat timore, faciet cum amore. Hæc vero conscientia loquitur Deo in psalmo, & dicit: *Commovisti*, inquit, *Domine terram, & conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia commota est.* Commovetur terra, cum peccator confitetur & pœnitet: conturbatur, cum in conversatione amaritudinem sustinet: sed contritiones istas illius sanare solius est, qui sanat omnes infirmitates nostras. Audi tamen quod sequitur: *Ostendisti populo tuo dura.* Quæ dura? *Potasti nos vino compunctionis*, non lacte unctionis.

Psal. 76. a

Psal. 90. d

Psal. 59. a

Ibidem.

5. Notandum vero est, quod quibusdam in religione viventibus apponitur lac ad bibendum, quibusdam etiam vinum: sed tamen utrumque divinum. Bibunt illi lac, quibus & vigiliæ breves, & cibi dulces, & labores appetibiles, & panni suaves videntur: quibus etiam parum est illud quod magnum est in exercitiis sanctæ conversationis. Lac enim suaviter bibitur, dulciter liquatur, sine læsione, sine amaritudine. Ita & isti in sancto proposito suaviter incedunt, dulciter currunt: sine læsione propriæ conscientiæ, sine amaritudine alienæ. Hoc habet proprium qui hujusmodi lac bibit, ut ei peccatum suum displiceat, ut alieno peccato non consentiat, ut propter hæc peccatorem non deserat; ut vitium ejus, in quantum in ipso est, non dissimulet; & cum corripuerit, non insultet. Ecce de potu lactis: audi de vini potu. Vinum quippe

In religione alii lac, alii vinum bibunt.

asperum est & insuave. Vinum bibunt hi qui vias vitæ aggressi & ingressi, tribulationibus corporis & animæ pariter contorquentur, sed non cedunt, neque recedunt in tribulatione. Isti sunt quibus ipse Dominus ore proprio prædicat & prædicit: *Vos estis*, inquit, *qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Sed quis horum tibi videtur *, vel ille qui in suavitate, vel ille qui in asperitate currit viam mandatorum Dei? Primus videtur esse felicior, secundus fortior: uterque tamen justus, uterque pius, habentes proprium donum ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic. Vis nosse quia in utroque beneplacitum est coram Deo? *Bibi*, inquit, *vinum meum cum lacte meo*. Qui enim primum à tentatione liberat, secundum in tentatione confortat: & sic alter experitur quoniam suavis est Dominus, alter vero quoniam fortis est Dominus. Fortis plane & potens in prœlio, in quo servum suum, etsi premi, non tamen opprimi patitur in multitudine misericordiæ suæ. *Venite*, ait Propheta, *emite absque argento vinum & lac*. Omnis enim timorata conscientia quæ ad Deum venit, vel lac ab ipso, vel vinum emit, secundum quod dictum est & tractatum. Et nota quia utrobique vinum præposuit, pro eo scilicet quod qui majorem sustinet pro Deo perseveranter tribulationem, majorem habeat & mercedem. Et hæc dicta sint pro differentia bonæ & tranquillæ conscientiæ, & bonæ & turbatæ conscientiæ.

*Luc 22. c* — *Supple felicior.* — *Cant. 5. a* — *Isa. 55. a*

## CAPUT IV.

*De mala & tranquilla conscientia.*

*Mala & tranquilla conscientia, quæ.*

6. SEquitur mala & tranquilla conscientia, qua sicut nihil pejus, ita nihil est infelicius. Quæris quænam illa sit? Hæc est illa quæ nec Deum timet, nec hominem reveretur: quæ cum venerit in profundum malorum, contemnit. Et vide lapsum, immo & casum malæ conscientiæ, quàm minutatim & pedetentim declinet à Deo; & ita in profundum descendat, ut super eam urgeat puteus os suum. Primum quando homo assuetus bonis graviter peccat, videtur ei adeo importabile, ut in infernum vivens descendere videatur. Processu vero temporis non importabile, sed tamen grave videtur, & inter importabile & grave non parvus descensus est. Paulo post & leve judicat: & cum crebris ictibus verberetur, vulnera non sentit, verbera non attendit. De hujusmodi in scriptura veritatis expressum est, *Verberaverunt me, & non dolui: traxerunt me, & ego non sensi*. In brevi vero temporis spatio, non solum non sentit, sed & placet, & dulce fit quod amarum erat, & asperum vertitur in suave. Ducitur deinde in consuetudinem, ut jam non modo placeat, sed & assidue placeat, & se continere non possit. Ad extremum vero non potest avelli, quia consuetudo vertitur in naturam: & quod prius faciendum erat impossibile, jam impossibile est ad continendum. Sic enim descenditur, immo caditur, à Jerusalem in Jerico: sic itur in aversionem & duritiam cordis. Hic peccator fœtet, hic quatriduanus est: hic lapis speluncæ superpositus illos misericordes radios divini luminis non admittit: hic juxta Scripturam, *à mortuo, tamquam ab eo qui non est, perit confessio*: nisi forte miserans Deus cor lapideum in carneum quandoque convertat.

*Prov. 18. a* — *Descensus in profundum peccati, quomodo fiat.* — *Prov. 23. d* — *Johan. 11. c* — *Eccli. 17. b*

*Malæ conscientiæ tranquillitas unde.*

7. Hæc est mala conscientia, quæ per hujusmodi discrimina, immo præcipitia ruit, & corruit, & irruit super seipsam. Quomodo tranquilla? Cum mundi hujus prosperitas alludit & illudit; cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur; cum peccantium favor, & peccare nolentium pavor nolens & dolens arridet ei; cum non est qui arguat, sed & qui arguere peccatorem audeat ex omnibus qui in circuitu ejus sunt. Et sic impletur in eo quod scriptum est: *Prosperitas stultorum perdet illos*. Nihil æque exasperat illius tremendi Judicis majestatem, quàm peccare, & secure peccare, & de vitiis quasi de virtutibus gloriari. *Non miserearis Domine*, ait justus, *omnibus qui operantur iniquitatem*. Hæc est iniquitas cujus non miseretur Deus, cum homo defendit quod Deus odit, & peccatum justitiam asserit, ut Omnipotenti resistat, & Omnipotens illi. Hæc est illa superbia, de qua scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Intellige quod dicit, *resistit*. Resistere enim ex æquo est. Ille autem ex æquo Deo resistere proponit, qui quod Deus adstruit, destruit quantum in ipso est, dicens malum bonum, & bonum malum; amarum dulce, & dulce amarum; lucem tenebras, & tenebras lucem. Hanc vero tranquillitatem nutrit impunitas, securitatis & negligentiæ mater, noverca virtutum, religionis virus, tinea sanctitatis.

*Prov. 1. d* — *Psal. 58. b* — *Nihil Deo odibilius.* — *Jacob. 4* — *Isa. 5*

## CAPUT V.

*De mala conscientia, & turbata.*

8. MAla autem conscientia est, sed turbata, quæ in actu peccatorum suorum deprehenditur & comprehenditur. Nam dum pasci se voluptatibus credit, anxietatibus cedit humanis, pudoribus & confusionibus reverberata, sicut scriptum est: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator*. Verbi gratia, appetit quis adulterium ad voluptatem, sed comprehenditur ibi ad anxietatem: & multo major est anxietas quàm voluptas ad omnem verecundiam & angustiam hominis qui hominem & vivit, & sapit. Sed licet quidam in ipsa deprehensione convertantur ad Dominum, major tamen est numerus in ipsa confusione permanentium in peccato, quàm propter peccati confusionem exeuntium à peccato. De exeuntibus scriptum est: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. De non exeuntibus dicit Jeremias propheta: *Percussisti eos Domine, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt suscipere disciplinam*. Hi sunt quatuor conscientiarum rivi de voluntatis fonte currentes, in quibus justi purgantur, inquinantur injusti: ut fiat quod scriptum est: *Et qui in sordibus est, sordescat adhuc, & justus justificetur adhuc*. Et quia cogitationes hominis, sive boni, sive mali, continua volubilitate volvuntur; plurimos cogitationum modos, quaquaversum se vertant, pro modulo meo tibi statui demonstrare, ut melius possis intelligere, quam longe simus ab illo qui semper in eodem statu permanet, Domino nostro Jesu-Christo.

*Psal.* — *Psal. 8* — *Jer. 5.* — *Apoc.*

## CAPUT VI.

*De variis cogitationum generibus.*

9. COgitationum vero aliæ onerosæ, aliæ affectuosæ, aliæ obscœnæ, aliæ otiosæ, aliæ curiosæ, aliæ suspiciosæ, aliæ distentoriæ. Onerosas cogitationes in anima justi illas accipe, quibus resistere vult, & tamen non potest; sed velit nolit, irruit in oculos mentis muscarum Ægypti pestilentia, & perstrepunt ranæ in penetralibus cordis ejus. Cogitat homo plerumque terribilia de fide, horribilia de divinitate, & per phantasmata corporearum imaginum transrotatus, illa sentit, quæ vel in confessione evomere peccator oneratus exhorret: & quanto districtius non exhibet membra sua arma iniquitatis peccato, tanto strictius hujusmodi spiritu quatitur & pulsatur. Cum enim ille insatiabilis homicida ab exteriori sensualitate se videt exclusum, interiora collectis viribus aggreditur. Sed spiritualis homo qui omnia judicat, illius astutias non ignorat. Reprimit quod potest: quod autem non potest reprimere, tolerat: quia etsi latratum canis sustinet, morsum non timet. Latrat enim cum suggerit: tunc vero mordet, cum ad consensum pertrahit: sed cum non ingerit quod suggessit, tunc non vulnerat, sed coronat: quia etsi sentientem cruciat, non obligat non consentientem. Sunt nihilominus & onerosæ, cum ex officio Marthæ suscepto sollicitus homo turbatur erga plurima propter plurimos, ut habeant unde in divino officio sustententur.

*Diabolus non no[cet] nolenti.*

10. Affectuosæ sunt, quando circa carnis suæ curam afficitur, sicut in victu & vestitu. Tangitur etiam sæpe homo affectione propinquorum suorum secundum carnem. Obscœnæ sunt, quando carnalis delectatio titillat & pungit: sed hæ tamquam fæces immundissimæ longius in ipso principio propulsandæ sunt. Otiosæ sunt, quando illis nec delectatur, nec afficitur: verbi gratia, equum currentem vel avem volantem cogitans, ubi pæne inter vitium

residet & virtutem, nec descendens ad illum, nec ad istam ascendens. Curiosæ sunt, quando proponit explorare proximorum secreta: & quæ curiose seipsam scrutari debuerat, oblita sui aliena curat, nunc intus, nunc foris vaga & garrula, & quietis impatiens. Suspiciosæ sunt, quando nullum certum argumentum habens, male de proximo suspicatur; & ea quæ in utramlibet partem inclinari possunt, in deteriorem interpretatur. Distentoriæ sunt, quando de longinquis rebus, & regnis, & regionibus disponit & tractat; quando distenditur in quæstionibus & rationibus hujus mundi: quam pessimam occupationem juxta Salomonem dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. Item.

[... 1. c]

11. Cogitationum vero multiplex varietas esse cognoscitur. Aliæ namque cor inflant, aliæ elevant, aliæ perturbant, aliæ dissipant, aliæ confundunt, aliæ distendunt, aliæ ligant, aliæ inquinant, aliæ contrahunt, aliæ corrumpunt. Inflant, ut superbæ; elevant, ut vanæ; perturbant, ut invidæ; dissipant, ut iracundæ; confundunt, ut acediosæ; distendunt, ut ambitiosæ; ligant, ut gulosæ; inquinant, ut luxuriosæ; contrahunt, ut timidæ; corrumpunt, ut malitiosæ. His igitur exclusis mens purgatur, si sanctis cogitationibus jugiter exerceatur, sicut scriptum est: *Cogitatio sancta custodiet te.* Sunt præterea cogitationes bonæ & sanctæ. Debemus enim cogitare de Deo, ut delectemur in illo: de Redemptoris nostri passione, quam pro nobis sustinuit in crucis patibulo, ut & nos parati simus tribulationes & angustias libenter sustinere pro illo: de hora transitus nostri, ut semper simus parati: de die judicii, quia ibi de operibus nostris rationem sumus reddituri: de inferno, ut timeamus pœnas, quia inde nulla est redemptio: de paradiso, ut desideremus coronas, quas habebimus in futuro: de mandatis Domini, & de Sacramentis nostræ redemptionis; ut perseveremus in via justitiæ per gratiam Dei. Amen.

## CAPUT VII.

*De quatuor spiritibus in cordibus hominum loquentibus.*

[...itus qua... in hu... is cordi... loquen...]

12. His omnibus cogitationibus cordium humanorum quatuor spiritus loquuntur assidue, spiritus A mundi, spiritus carnis, spiritus diaboli, Spiritus Dei. Spiritus mundi loquitur vana; & ipse tunc loquitur cordi nostro, cum vanitatem diligimus, cum de vanitate lætamur, cum delectamur in vanitate. Spiritus carnis loquitur, cum mollia carni & sensibus carnis appetimus; cum ejus curam in desideriis & voluptate perficimus. Spiritus diaboli loquitur, quando & amara cogitamus, & aspera proferimus, tristes in nobis, aliis irascentes, ingrati, invidi, sine affectione, sine fœdere. Spiritus Dei loquitur, quando dulcia meditamur & loquimur, hilares nobis & proximis, in omni dulcedine & bonitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Hæ conscientiæ, hæ cogitationes conscientiarum, hi spiritus loquentes in cogi- B tationibus nostris: quæ melius tua conscientia, dulcissime Frater, quam mea pagina cernit, atque discernit. Factus sum insipiens, tu me coëgisti: sed melius volui ostendere imperitiam meam, quàm confundere faciem tuam. Si quid bene dictum est, tibi imputa, pro cujus fide & sensum, & verbum dedit filius Dei. Si quid secus dictum est, tibi imputa, quia jussisti. Parce autem & festinationi, quia nihil ita contrarium, nihil ita discrepantissimum in scribendo, quàm acceleratio & celeritas. Digne enim invenire quod quæris, & verbis competentibus vestire quod inveneris, & locum aptum, & tempus feriatum, & ingenium vividum, & stilum exercitatum desiderat. Verumtamen absconde Epistolam, vel Librum, si sic magis C eligis nominare: vel, si propalare decreveris, tace nomen auctoris. Novit Auctor salutis, cui soli honor & gloria, quantum ego diligo salutem animæ tuæ, & honorem personæ tuæ. Ipse est Dominus noster Jesus-Christus, qui tibi & seipsum donat, & coronat te in misericordia & miserationibus. Vale, & ora pro me. Modestia auctoris.

*In aliis Editionibus inepte nonnulla assuta reperies præcedentibus, petita ex* Tractatu de Interiori Domo. *Sed nobis non est opera pretium, rebus otiose repetitis implere paginas: præsertim, cum ipse præsentis* Tractatus *Epilogus hoc additamentum reticeat.*

D



# TRACTATUS DE ORDINE VITÆ, ET MORUM INSTITUTIONE.

[... quibus... Mss. in... tur, de ... rina pue... m ... e Vere... dia ado... ntum.]

Hic Tractatus *quamvis* * Bernardi *non sit, est tamen cujusdam Benedictini, ut ex cap. 5. n. 16. apparet, ex Patrum maxime ex Ambrosii sententiis contextus. Dividitur in quatuor Partes.*

## CAPUT I.

*Bonam institutionem primæ ætatis permagni esse momenti.*

[...s I. de ...turibus ...lescen...]

1. Hortatur quidem timidam mentis meæ imperitiam fraterna caritas, ut de vitæ ordine, & morum institutione breviter loqui debeam. Sed quia tempus est, ut ipso qui inspiravit opitulante, opus aggrediar, exordium sumere necessarium duxi ab illa laudabili virtute, quæ dicitur *Verecundia*. Quæ cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus & locis apta, tamen adolescentes & juveniles animos maxime decet. Tres enim virtutes sunt, quæ pueris adolescentibus magis congruunt, Verecundia, Taciturnitas, & Obedientia. Non est autem dubium, si has studuerint habere, quin possint Christo duce ad culmen perfectionemque virtutum ascendere. Morum enim insignia, & ornamenta virtutum in illis proculdubio cernimus senibus, qui ab ipso tyrocinio primævæ ætatis usque ad perfectum virum disciplinis cælestibus exercitati, per viam Domini fortiter cucurrerunt. Quorum scilicet sapientia tantum viget, & lucet, quantum senectus ipsa ætate fit doctior, usu certior, processu temporis prudentior. Hæc autem veterum studiorum dulcissimos fructus edit, & alios reficit. Multi nam- E que senes diu viventes, & nihil proficientes, quia nullas sibi in opportuno tempore divitias congregarunt, inopes omnium virtutum animos juvenum reprobæ vitæ morbo inficiunt. Sicut enim per senem vitiosum & fatuum, ita per adolescentem inverecundum, & temerarium religio sancta destruitur. Post indoctos namque prælatos malosque, in sancta Ecclesia nulla pestis ad nocendum infirmis valentior invenitur. Denique talium hominum genus, ista (de quibus Apostolus prædixit) tempora, prô dolor, sine numero ferunt, quando ferme omnia quæ bona sunt & sancta, pessumdari confundique videmus. Et quoniam senes in melius mutari ab illa inolita vitiorum consuetudine difficillimum est, debemus ma- F num adolescentibus porrigere: qui si dare volunt operam, omni depulso tepore possint utique per gratiam Christi vitam corrigere, mores componere, actusque suos in omnibus meliorare.

[Margin: ...utes ado... centibus ...is con... entes.] [Margin: Senes male morati juvenes corrumpunt.] [Margin: 1. Tim. 3. b]

2. Idcirco diu est, quod desideravi propter juniorum salutem (eorum præcipue cum quibus vivo) ex opusculis Patrum pauca quædam deflorando colligere, quæ teneræ ætati eorum videantur specialiter consulere. Est enim mihi, fateor, tristitia magna & continuus dolor super cæcitate cordis eorum, qui cum didicerunt in schola Christi qualiter debeant & vitia propulsare, & sanctis

virtutibus insudare, heu rebellionis spiritu armati, tam præcipiti impetu per abrupta vitiorum currunt ad mortem, ut eos auriga præsidens nullo freno disciplinæ valeat cohibere. Deberent utique in domo Dei ad cultum divini honoris super omnem ornatum tamquam vas aureum refulgere. Cur autem ab ipsis primis rudimentis infantiæ educati sunt tanta cura, tantoque labore; nisi ut fortes in bello facti, contra mundum & ejus concupiscentias, contra carnem & ejus desideria, contra diabolum & ejus multiplicia tentamenta viriliter pugnent? Sed quod admirandum est & dolendum, plus eis quàm ceteris gravis & austera videtur disciplinæ regula. Quare hoc, nisi quia sæcularem magis diligunt vitam? Certe vel nullus, vel rarus inter eos invenitur, qui libenter sequatur antiquorum Patrum instituta, & majorum vitam diligat; aut quia labor eum terret, aut quia in lubrica ætate difficilior est abstinentia; aut quia alacri adolescentiæ videtur vita obscurior: & ideo ad ea convertuntur studia, quæ plausibiliora arbitrantur. Præsentia quippe plures, quàm futura præferunt: sed meminisse debent, quia non præsentibus, sed futuris militamus. Unde quo præstantior causa, eo debet esse cura attentior. Infelix qui legem vitæ & disciplinæ abjicit, & majorum gubernari magisterio refugit. Iste vero non secundum Deum, sed secundum se vivit; qui, si poterit, est cum quibus vult; pergit quo vult, & quantum vult; ridet & jocatur, inter quos, & ubi, & quando vult; postremo quicquid fratribus suave est, quicquid tactui blandum, quicquid oculis delectabile, quicquid ceteris sensibus carnis suæ jucundum, exercet ac sequitur. Ille vero qui secundum Deum vivit, non quod eum carnaliter delectat, sed quod spiritualiter ædificat facit: & quicquid cupit aut agit, non vult ex sua, sed ex Dei voluntate, majorumque suorum jussione procedere. Nemo tamen positus in adolescentiæ, vel intemperantiæ lubrico, de sui conversione desperet. Oleaster enim olivæ insertus amissa amaritudine efficitur fructuosus. Si ergo agricultura convertit stirpium qualitatem, nonne studia doctrinæ & disciplinæ assiduitas mitigare possunt quaslibet ægritudinis passiones?

Juniores quare sæpe impatientes disciplinæ religiosæ.

Aliud secundum se, aliud secundum Deum vivere.

## CAPUT II.

*Verecundiam esse præcipuam virtutem, quæ adolescentes ornet, & ubi ea potissimum exercenda.*

3. Sed ne puerilis vita variis lapsibus vitietur, oportet teneros animos præfatis diligenter mancipare virtutibus, quatenus bona consuetudo cum ætate simul accrescat. Ut igitur clarius patescat quanta & qualis virtus sit *Verecundia*, Patris Ambrosii magna ex parte ponamus sensus & verba: ne si forte me parvipenderint stultum homuncionem, magnum Ambrosium, immo in Ambrosio Christum, non audeant spernere. Sic enim ille ait instruendorum morum magister †: Est autem bonorum adolescentum timorem Dei habere: deferre patribus honorem, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam, quæ ornamenta sunt minori ætati. Ut enim in senibus gravitas, juvenibus alacritas: ita in pueris adolescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ. Quàm pulcra virtus verecundia, & suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediaris loquendo, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Ipsum sonum vocis libret modestia, ne cujusquam offendat aurem vox incomposita. Denique in ipso canendi genere prima disciplina verecundia est; immo etiam in omni usu loquendi, ut sensim quis, aut psallere, aut legere, aut postremo loqui incipiat, ut verecunda principia commendent processum. Est etiam in oculis verecundia: qua prohibetur boni adolescentis pudica anima intueri, & alloqui feminas; non ut exsecretur sexum, sed ut fugiat vitium. Plurimum autem proficit ad tuitionem castitatis custodia oculorum. Multi vero perierunt propter speciem carnis. Unde Dominus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

† S. Ambros. 1 Off. cap. 17. & 18.

Verecundia commendatur in sermone.

In cantu.

In visu.

Matt. 5. d

4. Bonæ indolis adolescentes in monasterio viventes, ita se omni studio conservent, ut adolescentiam suam nulla libidinis sorde commaculent, ut ad altare Christi quasi de thalamo virgo procedant. Quorum tanta animi debet esse munditia, ut præ nimia verecundia ne sermonem quidem audire velint, vel locum impudicum. Et ne incentivis naturalibus superentur, necesse est ut lasciviens caro eorum crebris frangatur jejuniis. Melius est eos stomachum dolere, quàm mentem. Beatus plane adolescens qui castus perseverat, & corpore, & mente. Huic proculdubio caro & sanguis Redemptoris nostri efficitur salus & vita. Sunt & qui propter humanam confusionem, sine respectu divini timoris, pleni sordibus audacter se ingerunt tantis mysteriis. Audiant autem quod scriptum est; *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Sed illi plus metuunt homines, quam Deum. O cæca temeritas! ô Dei mira patientia! Numquid enim tantum peccaverunt vel quos ignis consumpsit, vel quos terra absorbuit? Numquid tale scelus filiorum Aaron, alienum ignem offerentium, quale est istorum qui tam terribilia sacramenta sumunt sibi ad mortem? Etenim sic vivendum est, ut Panem illum supersubstantialem semper accipere valeamus; quia væ ei, qui se alienum fecerit ab eo; & multum væ illi, qui spurcus & immundus accesserit. Utrobique grande periculum. Ideo magna necessitas instat ne indigni inveniamur. Quapropter tenenda est in omnibus verecundia, pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior erit. Bonus enim regendæ castitatis pudor est comes, qui si repellat prima pericula, pudicitiam vulnerari non sinit. Etenim inverecundis oculis, & lascivis sermonibus libidinosus animus deprehenditur: & per exteriorem hominem interioris hominis vita monstratur. Multa & dura corporis bella sustinet adolescentia: & calore sanguinis inflammata, ut evadere possit, omni indiget custodia. Quanto plura sunt quæ impugnant pudicitiam, tanto majora sunt præmia: quia ubi major labor, ibi merces erit amplior.

Adol[…] tum cund[…] tos c[…]

Con[…] conti[…] indig[…] myst[…] inge[…]

1. R[…]

Lev.

S. A[…] 1. Off[…]

Adole[…] bellis[…] xia. v. Ep. a. Pot[…]

5. Amatores autem verecundiæ sumant exemplum de Matre Domini, quæ quamvis esset mitissima, tamen præ verecundia salutantem se Angelum non resalutavit. In ipsa vero oratione nostra multum verecundia placet, multumque conciliat gratiæ apud Dominum nostrum. Nonne hæc prætulit Publicanum & commendavit eum, qui nec oculos suos audebat ad cælum levare? Ideo justificatur Domini judicio plus quàm ille Pharisæus, quem deformavit præsumptio. Oremus & nos, in quantum possumus, in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples. Paulus quoque cum orationem deferri præcipit cum verecundia & sobrietate, primam hanc & quasi præviam vult esse orationis futuræ, ut non glorietur peccatoris oratio, sed quasi colore pudoris obducta, quo plus defert verecundia de recordatione delicti, eo uberiorem mereatur gratiam.

Verec[…] comm[…] tur ex[…]

Luc.

Luc.

Ambr[…]

1. Tim[…]

6. Est etiam in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut econtra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam animi est corporis motus. Sæpe enim per incessum proditur qualis sit animus. Lucet quippe in quorumdam incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium. Sunt enim qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum, & statuarum motus nutantium: ut quotiescumque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur. Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicujus periculi, vel justæ necessitatis. Nam plerumque festinantes anhelos videmus torquere ora: quibus si desit causa festinationis necessariæ, fit nævus justæ offensionis. Sed non de his dico, quibus rara properatio ex causa nascitur; sed quibus jugis & continua in naturam vertitur. Nec in illis ergo tamquam simulacrorum effigies probo, nec in istis tamquam excursorum* ruinas. Est enim gressus probabilis, in quo est species auctoritatis, gravitatis pondus, tranquillitatisque vestigium;

Verec[…] in mot[…] tu, & i[…] Ex An[…] tit.

* Ap[…] bros. l[…] excus[…]

ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus & simplex. Nihil enim fucatum placet. Motum autem natura informet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet: ut ubi ars deest, non desit correctio. Quod si etiam ista spectent itineri *, quando magis cavendum est, ne quid turpe exeat de ore? hoc enim graviter coinquinat hominem. Non enim cibus coinquinat, sed injusta obtrectatio, sed verborum obscœnitas. Hæc etiam vulgo pudori sunt.

[*Apud Amb]rof. legitur, [sp]ectantur [ac]tus.*

[O]bscœnitas [o]mnis ca[v]enda in ser[m]one, visu, [a]uditu.

7. In nostræ vero religionis proposito, nullum verbum incutiat verecundiam, quod inhoneste cadat. Et non solum nihil ipsi indecorum loqui, sed nec aurem quidem debemus hujusmodi præbere dictis: quia quem delectat audire, alterum loqui provocat. Audire quoque quod turpe sit, pudori maximo est: videre vero si quid hujusmodi fortuitu accidat, quanti horroris est? Quod ergo in aliis displicet, numquid potest in seipso non displicere? Nec ipsa natura nos aliter docet: quæ perfecte quidem omnes partes nostri corporis explicavit, ut & necessitati consuleret, & gratiam venustaret: sed tamen eas quæ decôri ad aspectum forent, in quibus formæ apex quasi in arce quadam locatus, & figuræ suavitas, & vultus species emineret, operandique usus esset paratior, obvias atque apertas reliquit. Eas vero in quibus esset naturale obsequium necessitatis, ne deforme sui præberent spectaculum, partim tamquam in ipso emendavit * atque abscondit corpore: partim docuit atque suasit tegendas. Nonne igitur ipsa natura magistra fit verecundiæ? Cujus exemplo modestia id quod in hac corporis nostri fabrica abditum reperit, operuit & texit. Ergo naturæ opifex sic nostræ studuit verecundiæ, sic decorum illud & honestum in nostro custodivit corpore, ut ductus quosdam atque * exitus cuniculorum nostrorum post tergum relegaret, atque ab aspectu nostro averteret, ne purgatio ventris visum oculorum offenderet. De quo pulcre ait Apostolus: *Quæ videntur*, inquit, *corporis nostri membra infirmiora, necessaria sunt: & quæ putamus ignobiliora membra corporis esse, eis abundantiorem honorem circumdamus: & quæ inhonesta nostra sunt, abundantiorem honestatem habent.* Etenim imitatione naturæ industria auxit gratiam, ut non solum abscondamus ab oculis, verum etiam quæ abscondenda accipimus, eorum indicia ususque membrorum sua appellatione nuncupare, indecorum putemus. Denique si casu aperiantur hæ partes, confunditur verecundia: si studio, impudentia æstimatur.

[N]atura verecundiæ [i]nsinuit, [pa]rtes pu[de]ndas ab[sc]ondens.

*al. in imo [lo]cavit.*

*al. aquæ, [ut] apud Ambrof.*

[1] *Cor.* 12. c

8. Cum igitur in quibusdam humanis membris tanta sit deformitas, ut nominari magna sit verecundia: heu, quam turpes illi sunt, & quam impudentes, qui has secretas partes corporis, non solum desiderantes cernunt, sed etiam studiose tangunt? Pudet me ac piget illorum facta referre, in quibus regnat Sodomitica libido: quibus sic iratus est Deus, ejusque justo judicio ita traditi sunt in reprobum sensum, ut masculus in masculum turpitudinem operetur. Nonne deteriores brutis sunt effecti animalibus, quibus non est intellectus? Si enim Cham qui nudatum patrem videns risit, in filio maledictus est: qua isti maledictione feriuntur, qui desiderio peccandi suam aliorumque turpitudinem detegere non erubescunt? Utinam viderent quantum flagitiis talibus Deum offendunt.

[M]ollities & [S]odomia [h]orrenda [c]rimina.

9. Sunt etiam qui pulcros homines, despectis deformibus, amant & laudant, suspiciunt & honorant. Illi enim qui sanos habent oculos, solam animi pulcritudinem in homine diligunt & reverentur. Qualis est autem ista pulcritudo, quam levis febricula perdit, & rugosa senectus ita dissolvit, ut nec fuisse putetur? Et tamen sunt qui habentes hanc extolluntur: & cum sint vacui virtutibus, per hanc solam gloriosos se arbitrantur. Nos certe in pulcritudine locum virtutis non ponimus; gratiam tamen non excludimus: quia verecundia etiam vultus ipsos solet pudore suffundere, gratioresque reddere. Ut artifex in materia commodiore melius operari solet, sic verecundia in ipso quoque corporis decôre plus eminet, ita tamen, ut ipse non sit affectatus corporis decor, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expetitus, non pretiosis & albentibus adjutus vestimentis, sed communibus, ut honestati vel necessitati nil desit, nil accedat nitori. Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans (qualem multi gravitatis specie simulare consueverunt) sed formam quamdam & regulam ac succum virilem reservans. Hoc est enim pulcritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui & personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Sed ut molliculum & infractum vocis sonum aut gestum corporis non probo; ita neque agrestem ac rusticam naturam imitandam esse censeo. Ejus disciplinæ formula effigies honestatis est. Imitetur pius adolescens vestigia Isaac & Joseph. Sit verecundus, castus, simplex, & sobrius: humilis, obediens, patiens, & remissor injuriæ. Faciat ut Daniel & tres pueri: studeat sapientiæ, & non det se illecebris gulæ. Pinguis venter non gignit tenuem sensum *. Fugiat ebrietatem tamquam venenum. Si religiosus & sapiens vult esse, numquam vinum redoleat, ne audiat illud Philosophi: Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare *. Amet sanctarum scripturarum scientiam, ne mens ejus, vel lascivis cogitationibus pateat. Beatus qui divinas scripturas legens, verba vertit in opera. Sit abstinens irarum, & fugitans litium, ut bonis pollere moribus hoc indicio comprobetur: sicque se exhibeat, ut seniores inter quos habitat, dum admirantur vitam, non sinantur despicere ætatem. Sit inter fratres coæquales suos primus in opere, extremus in ordine: & ita singulis virtutibus instet, ut nulli eorum secundus inveniatur.

[P]ulcritudo [c]orporis non [l]audanda si[n]e pulcritudine animi.

*[A]mbrof. lib. 1. Off. cap. 19.*

Vox in sermone uti moderanda.

* *Proverb. Græcorum teste Hieron. epist. 2. ad Nepot c. 14.*
* *Hieron. ibid.*

## CAPUT III.

*Adolescentium cum senibus conversationem ad profectum virtutis conducere.*

10. Delectat me adhuc in partibus demorari verecundiæ: quia ad eos loquor, qui adhuc bona ejus ex semetipsis non recognoscunt, aut damna nesciunt. Ordo quidem vitæ tenendus est. Et à verecundia prima quædam fundamenta ducantur: quæ socia ac familiaris est mentis placiditati, proterviam fugiens, ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet, decorum nil requirit. Sequatur conversationis electio, ut adjungantur probatissimis quibusque senioribus. Nam ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam & ductu vitæ colorant mores adolescentium, & velut murice probitatis inficiunt. Nempe si hi qui sunt ignari locorum, cum sollertibus viarum iter adoriri gestiunt: quanto magis adolescentes cum senibus debent novum iter sibi aggredi, quo minus errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere? Nihil enim pulcrius, quam eos & magistros vitæ habere & testes. Pulcra itaque copula seniorum atque adolescentium. Alii testimonio, alii solatio sunt: alii delectationi, alii honori. Legitur quod Barnabas Marcum assumpsit: Paulus Silam, & Timotheum, & Titum, ut seniores consilio prævalerent, juniores ministerio. Patet namque quod nulla ars discitur absque magistro. Si enim animalia, & feræ, & aves, & apes duces habent, & principes suos sequuntur: quanto magis homines sine doctore & rectore esse non possunt? Inde cavendum est ne adolescentiores & parvuli sine duce ingrediantur viam quam numquam ingressi sunt, & in partem alteram declinantes errores patiantur, si vel plus, vel minus ambulantes quam necesse est, aut currentes lassentur, aut moram facientes obdormiant. Plerumque & virtutibus pares, dispares ætatibus sui delectantur copula, sicut delectabantur Petrus & Johannes. Nam adolescentem legimus † Johannem: quamvis nulli seniorum in virtute fuerit secundus. Erat enim in eo senectus venerabilis morum, & cana prudentia virtutum omnium. Magnum enim hujus vitæ solatium est, ut habeas cui pectus tuum aperias: cum quo arcana participes: cui committas secreta cordis tui, ut ames & sequaris eum: qui tibi paterna pietate in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur, & in prosperis gratuletur. Felix talis societas, talisque amicitia, qua nihil est in rebus humanis pulcrius. Te-

Conversatio cum senibus utilis junioribus.

*Actor.* 5. g

Ducis spiritualis necessitas.

† Quod Marci 14 legitur, *Adolescens quidam sequebatur eum*, hunc multi dicunt fuisse Johannem Evang. v. *Chrys.* in *Psal.* 13. *Ambr. Ps.* 36

*Greg. 14. Mor. c. 23. Baron. & alios.*

neamus ergo verecundiam, vel eam quæ ad totius vitæ ornatum nos attollit modestiam.

Modestiæ & verecundiæ cognatio.

11. Magna autem est modestia individua verecundiæ socia: quæ cum sit sui juris remissior, nihil usurpans, nihil vindicans, & quodammodo intra vires suas contractior, dives est apud Deum. Verecunda modestia, & modesta verecundia est: quæ nulli insidias machinatur, læsa non irascitur; & cunctos simpliciter respiciens, de nullo sinistrum aliquid suspicatur. Hanc teneamus pueri, hanc diligamus: & ut eam semper habere possimus, fugienda est nobis familiaritas & confabulatio eorum, qui turpiter & indisciplinate vivunt. Talium autem infinitus est numerus. Habet sane suos scopulos verecundia, non quos ipsa invehit, sed quos sæpe incurrit, si intemperantium incidamus consortia, qui sub specie jucunditatis venenum infundunt bonis. Hi si assidui sunt, maxime in convivio, ludo, risu, ac joco, enervant gravitatem illam virilem, & animos pueriles corrumpunt, atque suis malis assuefaciunt. Caveamus itaque ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum. Usus enim cito inflectit naturam. Quam multos stultorum societas decipit? Quid nobis cum fabulis, risu, & joco? Nam licet interdum honesta joca suavia sint: tamen ab ecclesiastica aberrant regula, quoniam quæ in Scripturis sanctis non reperimus, quomodo usurpare possumus? Cavenda sunt enim omnia quæ inflectere possunt gravitatem propositi nostri, nostræque professionis. *Væ vobis qui ridetis: quia flebitis vos*, Dominus ait. Nos ridendi materiam inquirimus, ut hic ridentes, illic fleamus? Ipsum namque Dominum flevisse legimus. Non solum profusos, sed etiam omnes jocos arbitror declinandos: nisi forte plenum gravitatis & gratiæ sermonem esse, indecorum est *. Ingemiscendum est autem jugiter, & postposita securitate lugendum, ne à Deo deseramur propter superbiam & negligentias, & in potestate dæmonum relinquamur. Revera quem Deus relinquit, dæmones suscipiunt, & susceptum suæ perditionis participem faciunt. Terribilis in consiliis super filios hominum Deus. Operatur figulus ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Sunt vasa misericordiæ, & sunt vasa iræ. Sunt novissimi primi, & primi novissimi. Sunt multi vocati, & pauci electi. Et ideo unusquisque nostrum salutem operetur suam, sicut ait Apostolus, cum timore & tremore. Declinet à vanitate: mundi spernat amorem. Amplectatur luctum & quietem, & sectetur quantum potest verecundiam, tranquillamque mansuetudinem: quæ facit ut homo inter homines pacifice vivat, ut ad omnia quæ inhonesta sunt erubescat.

*Amb. 1. de offic. c. 20.* — *Fabulæ, joci, facetiæ Ecclesiasticis fugienda. Ambros. lib. 1. Off. c. 23.* — *Luc 6 d* — *Luc 19. f* — ** Aliter hæc periodus legitur apud Ambros. sed videtur hinc corrigi posse.* — *Psal. 65. a* — *Rom. 9. c* — *Matt. 20. d* — *Philip. 2. b*

## CAPUT IV.

*Taciturnitatem & silentium præcipue convenire adolescentibus.*

Impudentiæ vitium in adolesc. detestabile. — *Luc. 18. a* — *Prov. 2. b* — *Jer. 3. b*

12. LAudanda autem virtus verecundiæ: quia quorum oculos, aures, linguamque possidet, non sinit turpiter ludere ac ridere: efficiens eos graves & mites. Econtra grande vitium est juniorum impudentia, quæ improbo ausu & dissolutione sua patres & fratres conturbat: quia sicut scriptum est, nec Deum nec homines reveretur; sed lætatur cum male fecerit, & exultat in rebus pessimis. Facta est ei frons meretricis: quia non potest erubescere. Ubi lingua audax, & frons inverecunda; quid loquatur, quidve agat non curat. Cum enim boni adolescentuli & mansueti tacendo revereantur majores suos, nemo solius taciturnitatis hanc laudem putet, quia silentium ipsum, in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est. Denique si naturale est, aut infantiæ deputatur, aut superbiæ probro datur: si verecundiæ; laudi ducitur. Tacebat in periculis Susanna, & gravius verecundiæ quam vitæ damnum putabat, ubi soli loquebatur cui poterat casta verecundia loqui. Fugit & pulcher Joseph relicta veste in manibus fornicariæ; tacensque celeriter egressus est, qui incongrua suæ verecundiæ audiens, non poterat diu stare. Moyses quoque, & Jeremias quod poterant per gratiam, excusabant per verecundiam. Tutius enim est discere quam docere, tacere quam loqui. Quid autem magis potest verecundiæ bonum, quam ut juniorum ætas magis debeat discere quam tacere? Pythagoras quippe legem dedit silentii discipulis suis, ut tacentes per quinquennium, loqui discerent: & tu non vis tacere, cui virtus silentii propria est? Quid opus est, ô adolescens, ut properes periculum suscipere loquendo, cum tacendo possis esse tutior? Quamplures vidi loquendo incidisse peccatum: vix quemquam tacendo. Ideoque tacere nosse, quam loqui difficilius est. Scio plerosque loqui, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit. Sapiens ergo est qui novit tacere. Alliga, moneo, sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, & in multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis ipsius coërceatur. Cito lutum colligit amnis exundans.

*Taciturnitas junioribus commendatur* — *Dan. 13. c. Ambros. 1. Off. cap. 18.* — *Gen. 39. c* — *Exod. 3 c* — *Hier. 1. b* — *Pythagor. lex.* — *Ex Ambr. lib. 1. Off. Nosse tacere difficilius quam loqui.*

13. Sit tibi gravitas in incessu, in sermone pondus, atque in verbis modus. Hæc autem si custodieris, eris mitis, mansuetus, & modestus. Custodi cor, & retine linguam. Bona enim possessio, mens bona. Sæpi ergo hanc possessionem, & muni eam undique; ne irruant in eam & captivam ducant irrationabiles corporis passiones. Custodi quantum potes interiorem hominem tuum. Noli eum quasi vilem negligere ac fastidire: quia pretiosa possessio est, & merito pretiosa: cujus non caducus fructus & temporalis, sed stabilis atque æternæ salutis est. Si vis bene custodire, tace prius & audi, & non delinquas in lingua. Grave malum, ut aliquis ore suo condemnetur. Etenim si pro otioso verbo reddet unusquisque rationem in die judicii: quanto magis pro verbo impuritatis, & turpitudinis, & impietatis? Videamus etiam ne rationem ponamus pro otioso silentio. Est enim fructuosum & negotiosum silentium. Tacendo enim apud homines, melius loquimur Deo. Multæ enim contemplationes sunt, quibus anima devota Deo tacendo mirabiliter pascitur. David propheta docuit nos tamquam in ampla domo deambulare in corde nostro, & conversari cum eo tamquam cum bono contubernali, ut ipse diceret sibi, & loqueretur secum: *Dixi custodiam vias meas.* Moyses in silentio loquebatur, & in otio operabatur.

*Custodia cordis.* — *Ambros. ib. cap. 3.* — *Duplex silentium.* — *Psal. 38. a* — *Exod. 14. c* — *Ibid. 16.*

14. Quando ergo justus solus est, qui semper cum Deo est? Quomodo solitarius est, qui numquam separatur à Christo? Quando autem feriatur à negotio, qui numquam feriatur à merito, quo consummatur negotium? Quibus autem locis circumscribitur, cui totus mundus divitiarum possessio est? Qua existimatione definitur, qui nec operatione comprehenditur? Nunc quidem de Deo cogitat & sanctis Angelis ejus, atque de immarcessibili gloria æternæ beatitudinis: nunc vero de versutiis diaboli, de peccatis suis, de hora mortis, de pœnis inferni, de die tremendi judicii; nunc de profunditate divinarum Scripturarum, de natura virtutum, de compositione morum bonorum. Quam gloriosum tale silentium, ubi eloquia Domini eloquia casta sunt? Est igitur tacendi & loquendi modus. Bona mens & verecunda, ut loquatur, multa prius considerat; quid dicat, & cui dicat, quo loco, & quo tempore. Merito sapiens dicendus est, qui novit tempus loquendi. Unde bene ait Scriptura: *Homo sapiens tacebit usque ad tempus.* Ideo Sancti Domini, qui sciebant quia vox hominis plerumque peccato juncta est, & initium erroris humani sermo est hominis; tacere amabant. Denique sanctus David ait: *Posui ori meo custodiam.* Propheta custodiebat, & tu non custodies? Potes autem custodire, si cito non loquaris.

*Occupationes pii otii silentii.* — *Regula loquendi.* — *Eccl. 20.* — *Psal. 38.*

## CAPUT V.

*Obedientiæ promptitudo commendatur junioribus.*

15. LEx dixit: *Audi Israël*, &c. *Audi* enim dixit, & non loquere. Tuæ enim ætatis est tacere & obedire, non de majoris sententia judicare. Scriptum est iterum: *Audi Israël, & tace.* Isaac deferebat patri suo honorem, & obediens ejus voluntati, non recusabat mori. Jesus vero Nave sedulo obsequio Moysen venerabatur: & obe-

*Deut. 6.* — *Gen. 22.* — *Deut. 31.*

diens exsistens in omnibus, tantam gratiam apud Deum meruit, ut illius successor ad regendum Dei populum eligeretur. Elisæus relicto aratro, mactatis bobus vocantem Eliam secutus, per veram mitemque obedientiam ad tantam morum ascendit celsitudinem, ut spiritus tam excelsi magistri dupliciter in bono discipulo requiesceret. Abraham vero ille fidelis senex ad jussionem Domini reliquit terram nativitatis suæ; & quamvis in multis locis frequentes injurias, gravesque perpessus foret labores, numquam cœptæ obedientiæ pœnituit. In tantum enim per obedientiam & fidem placuit Deo, ut ei de Christo primum repromissio fieret. Ipse demum Dominus noster Jesus-Christus in factis dictisque suis multum nos obedientiam docet. Vera enim subjectio propter Deum, propriæ voluntatis est mortificatio: dum abjecta & indigna de se credit, & Deo acceptabilem, hominibusque dulcem obedientiam parat. Denique voluntas propria ex liberi arbitrii præsumptione descendens, obstinatis & inobedientibus ipsa bona in peccatum convertit. Vir bonus cum bonis suis omnibus habere obedientiam studeat. Scriptum quippe est: *Melior est obedientia quam victimæ, & auscultare magis quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum hariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Cernis quantum & quale sit inobedientiæ malum, quod idololatriæ magicisque comparatur artibus? Adolescentes qui tali repleti sunt malo, subdi senioribus dedignantur: facta vero eorum aut dicta tumida & erecta cervice non observant, sed dijudicant; non venerando exaltant, sed spernendo subsannant.

Reg. 2. b — Obedientiæ exempla. — 1. 12. a — Reg. 15. e

16. Sed non impune. Inde enim evidenter deficiunt, unde miseri proficere debuerunt. Hoc autem vult Deus, ut homo per hominem doceatur, & minor majori subdatur. Si enim Angelus Angelo imperat; & inter jubentem & obedientem summa manet semper concordia: videat ille quam graviter peccat, qui debitam exhibere suis majoribus reverentiam non curat. De interitione namque illorum, qui non obedientes sunt, & suos seniores suosque patronos despiciunt, multa dici potuissent; nisi promissæ brevitatis memor, illa studiose præterirem. Ad quid plura? Una enim sententia obedientibus & inobedientibus sufficere potest, quam per se Veritas loquitur dicens: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Inde illi gaudeant gaudio magno, qui seniores suos venerationi habent & honori propter Christum. Multi namque de virtute obedientiæ multa scripserunt: inter quos sanctus Pater noster Benedictus de ea tam terribiliter locutus est*, ut fratrum etiam bene obedientium corda præ nimio timore concuti valeant. Sed & ille summus melliflui oris Gregorius mirabiliter superexaltat & magnificat eam: demonstrare autem volens quanti sit meriti obedientia, ita ait vir eloquens.* Sola namque obedientia virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Unde primus homo præceptum quod observaret, accepit: cui si vellet se obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perveniret. Deinde idem Doctor verba quæ locutus est Spiritus-sanctus per os Samuëlis superius posita exponens dicit. Obedientia quippe victimis jure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto quisque Deum citius placat, quanto ante oculos ejus repressa arbitrii superbia gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientia demonstretur. Ex adverso enim melius ostenditur quid de ejus laude sentiatur. Si enim quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere: sola obedientia est quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis convincitur, etsi fidelis esse videatur.

1. 10. c — Bened. c. 5. 68. — Greg. 35. c. 10. — In ibid.

17. Hinc per Salomonem dicitur in ostensione obedientiæ: *Vir obediens loquitur victorias.* Vir quippe obediens victorias loquitur; quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Hinc Veritas in Evangelio dixit: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras: quia non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Quid enim? si suam faceret, eos qui ad se veniunt repulisset? Quis autem nesciat quoniam voluntas Filii à Patris voluntate non discrepet? Sed quoniam primus homo, quia suam voluntatem facere voluit, à paradisi gaudiis exivit: secundus ad redemptionem hominum veniens, dum se voluntatem Patris, & non suam facere ostendit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non suam, sed voluntatem Patris facit; eos qui ad se veniunt, foras non ejicit: quia dum exemplo suo nos obedientiæ subjicit, viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait: *Non possum ego à meipso facere quicquam, sed sicut audio judico.* Nobis quoque obedientia usque ad mortem servanda præcipitur. Ipse autem sicut audit judicat, tunc quoque obedit, cum judex venit. Ne igitur usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster indicat, quia hanc cum judex venerit servat. Quid ergo mirum, si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ brevitate se subjicit, quando hanc Mediator Dei & hominum etiam cum obedientes remunerat non relinquit?

… 22. d — …n. 6. d — Johann. 5 c — Obedientia Christi etiam in judicio.

18. Sciendum vero est, numquam per obedientiam malum debere fieri: aliquando autem per obedientiam, quod agitur bonum, debere intermitti. Neque enim mala arbor in paradiso exstitit, quam Deus homini non tangere interdixit: sed ut melius per obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat ut hunc à bono prohiberet: quatenus tanto verius hoc quod ageret virtus esset, quanto & à bono cessans, auctori suo se subditum humilius exhiberet. Sed quia nonnumquam nobis hujus mundi prospera, nonnumquam jubentur adversa; sciendum summopere est, quod obedientia aliquando, si de suo habeat aliquid, nulla est: aliquando autem, si de suo non habeat, minima est. Nam cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur: is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hoc ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sua obedientia dirigit, qui ad percipienda hujus vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis servit. Rursus cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci & contumeliæ jubentur; nisi ex seipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, qui ad ea quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra hujus sæculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia aliquid ex suo in adversis habere, & rursum in prosperis ex suo aliquid minime habere: quatenus & in adversis tanto gloriosior, quanto divino ordini ex desiderio jungitur: & in prosperis tanto sit verior, quanto à præsenti ipsa quam divinitus percipit gloria funditus mente separatur.

Obedientia numquam obligat ad faciendum malum, sed sæpe ad omittendum bonum.

Quo animo in acceptis vel contrariis obediendum.

19. His ergo tanti Doctoris evidentissimis assertionibus Moïses & Paulus in factis suis proculdubio attestantur. Quære & lege quid uterque eorum fecerit. Verumtamen inter hæc scire oportet, quod innocuis mentibus virtus semper obedientiæ jungitur, Domino testante qui ait: *Oves meæ me audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Redemptori igitur suo non obedit, qui innocens non est: & innocens esse non potest, qui obedire contemnit. Sed necesse est ut ipsa obedientia non servili metu, sed caritatis affectu fiat: non terrore pœnæ, sed amore justitiæ. Nulla quippe innocentia, nulla vero obedientia est, nisi in eis caritas fulgeat: quæ virtutes omnes transscendit. Sæpe enim falsa obedientia sub timoris specie palliatur. Igitur si videris juvenculum desidem ad obediendum, & velocem ad loquendum: non dubites eum variis animi passionibus, præsertim superbiæ peste laborare. Inobedientia enim sequitur superbiam matrem suam, sicut habes: *Equus indomitus evadet durus, & filius remissus evadet præceps.* Sicut superbia equi indomiti præcipitio prona est: ita lascivia adolescentis indisciplinati, peccati ruinæ proxima est. Loquere tu major natu; decet enim te: *Adolescens loquere in causa tua vix cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. In medio magnatorum loqui non præsumas: & ubi sunt senes, non multum loquaris. Ante grandinem præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia, & pro reve-*

Johann. 10. e — Obedientia ex amore procedere debet. — Eccli. 30. d — Eccli. 3 2. b

*ventia accedet gratia bona.* Ex his namque verbis Sapien- A tiæ intelligere potes, quantum virtutes superius positæ juniorem ætatem adornent.

PARS II. De virtutibus proficientium.

## CAPUT VI.

*De castitate, humilitate, & patientia.*

Pueros maxime decet puritas.

20. PUeri enim à puritate dicti sunt: & decet ut regnent in eis simplicitas, & innocentia, & puritas, hoc est virginitas. Cum his crescant, & in his perseverent, ut mereantur sequi Agnum quocumque ierit. Adolescentes autem juxta nominis hujus interpretationem per dies singulos in bonis operibus crescentes, verecundiam diligant, obedientiâ nimis ferveant. Istas quippe B virtutes in primo constituimus loco, velut quædam incrementa bonorum operum, ut per eas ad castitatem & humilitatem & patientiam, quæ secundam partem obtinent, recto tramite valeant pervenire. Castitas igitur (quia uterque sexus vitio libidinis ægrotat) nisi aliarum virtutum ope fulciatur, facile labitur. Et proinde nimio studio servanda est: quia semel amissa, non reparanda est. Prima namque tela sunt oculorum: secunda verborum. In desideriis enim est omnis otiosus, & *desideria occidunt pigrum.* Et ideo suffragatur ei plurimum verecundia, quæ custodit oculos: & taciturnitas, quæ retinet linguam: atque obedientia, quæ mentem occupat, corpusque fatigat jejuniis, vigiliis, orationibus, & opere C manuum. Sed necessariam præ omnibus habet humilitatem, qua conserventur habita usque in finem. Multi enim in ipsa senectute per superbiam in luxuriam ceciderunt. Qua de re timendum est & cavendum, ne subitus calor superet longum tempus, & impudicos senes lascivia condemnet. Tenenda est itaque semper humilitas custos pudicitiæ, mater patientiæ. Sine causa enim laborat, qui virtutes sine humilitate congregat. Vera autem patientia, nisi per profundam humilitatem, nec acquiritur, nec tenetur. Hanc vero quisquis veraciter habet, nec beneficio cellæ, nec perfugio solitudinis indiget: & si ei adversitatis aliquid acciderit, non contristatur, sed adhuc diligenti Deum omnia cooperantur in bonum. Iste timet D in prosperis, gaudet in adversis. Amat & adjuvat persequentes, quia eum patientia & benignitas comitantur velut individuæ comites.

Castitas quibus virtutibus opus habeat.

Prov. 21. d

Sine humilitate nulla virtus.

Rom. 8. e

Studium profectus commendatur adolescentibus.

21. Si quis igitur habet animam virginalem, & amator est pudicitiæ, non debet mediocribus esse contentus, quæ cito exsolescunt, & exorto caumate arescunt: sed perfectas virtutes sequatur, ut lumen habeat sempiternum. Qui enim proficere studet, semper invenit quo crescat, & per dies singulos seipso melior fiat. Adolescens puer. Mancipatus es Christi servitio, & cœpisti magna agere, & excelsa imitari: confortetur cor tuum, & viriliter age. Magna tibi dabitur gloria post victoriam. Licet lubricum sit iter per quod incedis; tamen de Do- E mini auxilio confidens, desere ima quantum vales, & summa pete. Non deficias neque tepescas, ut gradum perfectionis possis ascendere, ad quam non nisi multis laboribus pervenitur. Euge nunc euge, frater bone, initia transscende, & ad superiora tende, ut Deo in voce exultationis canticum graduum cantes. Tibi vero de radice ad cacumen festinanti, liber patet ingressus ad illas quatuor virtutes principales, quæ in adolescentibus inchoantur, & in juvenibus augentur, in senibus perficiuntur: quia matura ætas multis laboribus exercitata, jam novit per experientiam, quod didicit per scientiam.

PARS III. De virtutibus perfectorum.

## CAPUT VII.

F *Quatuor virtutes cardinales, & earum munia describuntur. Item de virtutibus Theologicis.*

22. UNde jam non immerito Prudentiam, Fortitudinem, Justitiam & Temperantiam in tertio constituimus gradu: quia per eas maxime instruuntur mores, & bene vivendi magisterium docetur. Sed ex his Prudentia agnitione veri delectat. Justitia dilectionem Dei & proximi servat. Fortitudo metum mortis contemnit. Temperantia affectionem carnis temperat. Prima eternim intelligit: secunda bene vivit: tertia appetitum cohibet: quarta modum imponit. Tres illæ superiores quod honestum est operantur: hæc autem quarta decorum agit illud, quod ex radice honestatis proficiscitur. Si quidem *Prudentia* est agnitio veræ fidei, & scientia Scripturarum, in qua intueri oportet illud trimodum genus intelligentiæ, quorum primum est *historicum*: secundum *allegoricum*: tertium superior ille intellectus, quem dicunt *anagogen*. Justitia vero est Deum timere, religionem venerari, honorem ferre parentibus, patriam diligere; cunctis prodesse, nocere nulli, fraternæ caritatis vinculum tenere, pericula aliena suscipere, opem ferre miseris, bonis vicissitudinem rependere, æquitatem in judiciis conservare. *Fortitudo* autem est animi magnitudo, contemptus honorum vel divitiarum. Hæc adversis aut patienter cedit; aut resistit fortiter. Nullis illecebris edomatur, malis & adversis non frangitur, non elevatur secundis; invicta ad labores, fortis ad pericula: pecuniam negligit, avaritiam fugit, contra universa pericula animum præparat, molestiis nullis cedit, gloriæ cavet appetitum. Sed inter has *Temperantia* semper amplectenda est. Est enim modus vitæ in omni verbo vel opere. Hæc autem sobrietatis & verecundiæ comes est, quæ alio nomine vocatur modestia. Humilitatis regulam custodit, tranquillitatem animi servat, continentiam & castitatem diligit, fovet decus & honestatem; restringit ratione appetitum: iram contemnit, nec rependit contumeliam.

Prude[ntia]

Justitia

Fortit[udo]

Tempe[rantia]

23. His tu plagis cæli includere, homo Dei. His tu armis bellator Christi accingere, protegere, & ornare. Iste currus igneus te fortem militem gestabit consummato cursu ad cæli palatium, ut adsistas Regi tuo, cui certasti bonum certamen, fidem servasti. Bene rege hanc quadrigam virtutum, & sede in ea firmus, ut isto vehiculo vehi altius, & introduci valeas ad tricameratam domum in summo montis vertice collocatam. Hanc enim dico firmam Fidem, Spem inconcussam, perfectam Caritatem, quæ omnem servilem foras mittit timorem, ubi via mandatorum Dei dilatato corde curritur. Hinc anima justi sedes sapientiæ facta, plano moderatoque incessu portat Deum sessorem suum. Huic autem vivere Christus est, & mori lucrum. Vir discretus & contemplator transit quotidie, visionemque mirabilem cernit; trahitur à Deo, & ardenti desiderio currit post eum. Si autem istum montem excelsum, hancque pulcram domum inhabitaveris; poteris & tu sæpissime intueri terram illam promissionis, terram lacte & melle manantem, ubi verus Israël moratur, & veritatis pabulo in æternum pascitur.

Virtut[es] Theol[ogicæ] Fides [Spes] Carita[s]

24. Sed dicis tu mihi: Quare Fidem in primo loco non posuisti, quæ est in Christiana anima fundamentum omnium virtutum? Facerem utique, nisi fides cresceret. Nisi autem fides cresceret, Apostoli Domino minime dixissent: *Adauge in nobis fidem.* Continua enim operatione virtutum, assidua meditatione Scripturarum sanctarum fides eruditur, & erudiendo illuminatur, & illuminando augetur, & augendo perficitur, & perficiendo stabilitur; ita ut nullo turbine hæreseos vel persecutionum à statu suæ rectitudinis moveatur. Igitur priusquam homo per fidem cognoscat Creatorem suum, ignorantia mater omnium vitiorum ejus possidet animam. Ergo ignorantia nox est: fides vero dies. Sicut dies crescit per horas; sic fides augetur per illuminationem divinæ gratiæ, & per documenta matris Ecclesiæ. Primum itaque sincera radix sanctæ fidei in terra humani cordis plantatur: cui inseritur ramusculus ille sanctæ arboris, id est, timor Domini, qui dicitur initium sapientiæ. Cum hoc incipit, & cum isto ascendit usque ad plenitudinem luminis. Cumque fides plene adulta fuerit, velut quædam magna arbor diversa in se habens poma, ex quibus reficitur anima plena Deo; tunc adhæret ei timor ille castus & sanctus æternæ caritatis, qui permanet in sæculum sæculi. Hæc est enim fides illa quæ per dilectionem operatur, ut homo nova creatura efficiatur: fides prudentissima & invictissima, quæ inter verba altercationis, in tempore persecutionis & in die necessitatis superari non potest. Quapropter

Luc. [17.] Fides & aug[menta]

Psal.

Fidei [incremen]tionis [...] moris [...] Psal.

propter fides firma, & caritas plena, fideles comites, & A inseparabiles sorores, cuncta in se genera virtutum continentes, virum perfectum efficiunt, quantum possibile est eum perfici in hac vita plena miseriis & erroribus. Iste illud Apostoli in veritate dicere potest: *Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum enim quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque altitudo, neque alia creatura poterit nos separare à caritate Dei; quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

## CAPUT VIII.

*Inter virtutum & vitiorum confinia caute gradiendum esse.*

25. HÆc est autem disciplina bonæ vitæ, & recta series virtutum. Ista est via regalis, præcedentium Patrum trita pedibus. Ambula in ea, ô grex adolescentium, & noli declinare ab ea neque ad dexteram, neque ad sinistram. Ille quidem ad sinistram declinat, qui se apertis vitiis implicat. Ille vero ad dexteram declinat, qui vitia sub specie virtutum latentia summopere non devitat. Per hæc enim multi decipiuntur, & ignorant se esse deceptos. Itaque dupliciter rea est anima, si & bonum non facit unde spiritualiter vivat; & si hoc ipsam C lateat. Superbus vult se credi constantem; prodigus liberalem; avarus diligentem; temerarius fortem; inhumanus parcum; gulosus humanum. Impudentia constantiæ sibi nomen adscribit. Procacitas appellationem libertatis ostendit. Eloquentiam verbositas fingit, & curiositatis malum sub studii spiritualis colore delitescit. Nam interdum sub prætextu justitiæ crudelitas agitur, & putatur esse virtus quod nimirum vitium est: sicut remissa segnities mansuetudo esse creditur; & quod agit torpens negligentia, putatur agere indulgentia pietatis. Item timor sub specie obedientiæ occultatur, & dicitur virtus humilitatis, quod tamen vitium est timoris. Porro vitium in- D quietudinis virtutem se vult vocari sollicitudinis: & præcipitationis facilitas, fervor boni studii creditur: & bene agendi tarditas, consilii mora esse videtur: cum tamen ista sit virtus; illa vitium. Hæc etsi humano possunt discerni judicio, tamen sine dono Dei (quantum mihi videtur) nec virtutes possunt haberi, vel appeti, nec eatum similitudines (quæ sunt vitia virtutes imitantia) declinari.

26. Sed sciendum est quod quædam summæ virtutes sunt, quædam vero mediæ. Summæ virtutes sunt Spes, Fides, Caritas. Nam à quibus habentur, utique veraciter habentur. Doctrina, jejunium, castitas, scientia, & cetera his similia, mediæ virtutes sunt: quia & ad uti- E litatem, & ad perniciem possunt haberi. Non potest esse veritas cum mendacio, pudor cum petulantia, fides cum perfidia, castitas cum luxuria. Adversus impetus vitiorum contrariis virtutibus est pugnandum. Contra luxuriam adhibeatur cordis munditia: contra odium, dilectio: contra iracundiam patientia: contra timorem, fiduciæ virtus: contra torporem, fervor boni studii. Opponatur tristitiæ gaudium; acediæ fortitudo; avaritiæ largitas; superbiæ humilitas.

## CAPUT IX.

*Superbia & avaritia detestabilia vitia, ipsis quoque religiosis infesta.*

27. PRincipalium septem vitiorum regina & mater est Superbia: quæ omnium deterior tanto in imo jacet, quanto in altum se erigit. Septem principalia pariunt de se multa vitia, quæ ita sibimet quadam cognatione junguntur, ut ex altero alterum oriatur. Superbia sicut est origo omnium criminum; ita ruina cunctarum virtutum. Ipsa est in peccato prima: in conflictu postrema. De superbia nascitur arrogantia; quæ tam in factis, quam in dictis cavenda est. Væ ei, qui sibi magis, quam Deo placere studet. Per cenodoxiam maxime subjicit sibi F diabolus monachum: quia per eam ab humilitatis culmine dejicitur. Summa itaque virtus monachi humilitas: summum vitium ejus superbia est. Superbiendo, contendendo, dimicando, murmurando, detrahendo, susurrando, negligendo, contemnendo, & proprias voluntates faciendo, infinitas monachi qui nunc sunt, culpas incurrunt. Hinc est quod ex horum magna multitudine, qui sæculum deserunt, rari valde inveniuntur, qui mortificatis vitiis ascendere contendant ad perfectionem virtutum. Hæc autem significant illa sexcenta millia armatorum, qui de terra Ægypti educti sunt: duo autem solummodo homines, id est, Josue & Caleb, ex illis omnibus terram pro- B missionis ingressi sunt: regredi autem volentes in Ægyptum, prostrati in deserto diversis generibus mortium interierunt. Per Ægyptum intellige mundum: per Pharaonem diabolum, qui est rex super omnes filios superbiæ: per mare rubrum ablutionem peccatorum omnium: per Ægyptios in eo mortuos, ipsa peccata, quæ sunt exercitus Pharaonis. Tu quidem jam Ægyptum deseruisti, Pharaonem fugisti, & lotus à sorde tua, submersis curribus canticum lætitiæ Domino cecinisti. Tandem ingressus solitudinem ad montem Sinaï pervenisti, ubi data sunt tibi præcepta vitæ, & instituta cælestis disciplinæ: quæ coram Deo & Sanctis ejus te pollicitus es observare. Quamvis omnia feceris, noli tamen esse securus. Multa habentur pericula in ipsa, qua incedis, eremo. Ibi certe igniti sunt serpentes, qui percutiunt & interimunt murmuratores. Ibi lepra, quæ inficit & deturpat detractores & susurrones. Ibi sævus gladius, qui devorat fabricatores idoli & cultores; illos videlicet monachos, qui sectantur avaritiam; quæ idolorum est servitus. Hanc dicit Apostolus radicem omnium malorum. Scito tamen quia nonnisi tepidissimos monachos hoc impugnat vitium. Tu cave ne præter victum & vestitum aliud aliquid habeas, aut velis habere. Detestare superbiam: fuge contentionem. Rectores monasterii dilige ut parentes; time ut dominos: crede esse salutare quod injungunt.

28. Sed hæc custodire non poteris, nisi prius te stultum facias ut sis sapiens: nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his quæ tibi fuerint imperata: sed cum omni simplicitate ac fide semper obedientiam exhibens; illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens judicans, quod tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit. Terreat te illorum exemplum, qui adversus Moysen rebellaverunt: quorum alios cælestis flamma combussit, alios autem infernus viventes suscepit. Deficiet mihi tempus, si velim omnia per ordinem pandere.

29. Illud tibi inculcandum video, quia dum vivimus, inter laqueos currimus. Nusquam tuta pax, prô dolor! nusquam tuta quies; ubique bella, undique hostes. Pharao enim cum suis Ægyptiis retinet exeuntem: clades autem plurimæ in medio itinere, quæ impediunt nimis euntem: in extrema vero parte ante te hostes diri & fortes, qui resistere cupiunt, ne terram promissionis possis intrare, id est Amalech, Seon, Og, Moab, filii Ammon, & latrunculi montis Seir. Si autem forte his superatis, per multos labores optimam ingressus fueris terram, videbis quod in ipsa etiam non valebis esse securus. Enimvero remanent Allophyli, & aliæ in tuo circuitu reservantur gentes, in quibus te Deus experiatur, utrum diligas eum, utque semper manum ejus respicias, ne forte cum comederis & saturatus fueris, obliviscaris eum.

## CAPUT X.

*Vitia capitalia cum suis speciebus explicantur.*

30. IGitur per septem Gentes, quæ ex illa terra expulsæ sunt, intellige septem capitalia vitia, quorum duo carnalia sunt, scilicet gastrimargia & fornicatio, reliqua spiritualia, quæ in membris suis taliter distinguuntur. *Gula* concupiscentia in quinque modos dividitur. Primo si ante tempus cibos quis appetat. Secundo si lautiores escas quærat. Tertio si diligentius quosque communes cibos quis procuret. Quarto si viles escas nimium quis

Marginalia (left): Rom. 8. g — Prov. 4. d — Vitia sub specie virtutum latentia multos decipiunt. — Virtutes quædam summæ, quædam mediæ. — PARS IV. De Vitiis. — Superbia origo criminum.

Marginalia (right): Humilitas præcipua virtus monachi; summum vitium, superbia. — Num. 14. a — Job 41. d — Col. 3. a — 1. Tim. 6 b — Obedientia cæca commendatur. — Num. 16. a — Ubique hostes & pericula. — Gula quintupliciter delinquit.

sumat. Quinto si quisque ex desiderio quodcumque sumat. *Fornicatio* trimodo genere. Primum dum per voluptatis luxuriam commixtio expletur. Alterum dum sola attrectatione luxus carnis per immunditiam provocatur. Tertium dum intentione turpium cogitationum nocturna quisque illusione polluitur. Est & quartum genus juxta Scripturam, scilicet idololatria & avaritia. Sed & omnis immunda pollutio, fornicatio dicitur. *Philargyria* in gemina membra distinguitur, puta in concupiscentiam rei augendæ, & in metum carendæ. Est & tertium genus pestis hujus, quando monachus ex ipsis necessariis, sine quibus vivere non potest, plus desiderat habere quam necesse sit: aut ea volumus in monasteriis possidere, quæ si essemus in sæculo, minime habere valeremus. *Ira* genera tria sunt. Unum quod ardet extrinsecus: aliud quod in verba sine operis effectu prorumpit: tertium quod non ut illud fervens ad horam digeritur, sed per dies & tempora reservatur. Ex illo quippe calor & indignatio, ex isto nascitur odium, quæ omnia æquali sunt à nobis horrore damnanda. *Tristitia* vitium in tres dividitur partes, quarum prima temperata est & rationabilis, de delictorum pœnitudine veniens. Altera perturbata & irrationabilis, de anxietate metus, seu de desperatione peccatorum exoriens. Tertia de iracundia, vel de illato damno, ac desiderio præpedito procedens. *Acedia* genera duo sunt. Unum quod ad opus Dei pigritare monachum ac dormitare compellit. Aliud quod vagari huc illucque facit, ac fugere cohortatur de fratrum, cum quibus vivit, societate.

Luxuria triplex. Avaritia, triplex. Ira triplex. Tristitia itidem triplex. Acedia, duplex

Vitiorum connexio.

31. Hæc scilicet sex vitia quadam inter se cognatione sunt conjuncta, ita ut prioris exuberantia, sequentis efficiatur exordium. Ex primo enim secundum, ex secundo tertium: & sic de ceteris. Et ideo econtra simili modo atque eadem ratione pugnandum est, quia primo devicto, aliud facilius devincitur. Et ista vitia, licet invicem sibi sint connexa ea quam diximus ratione; specialius tamen in tres copulas dividenda sunt. Gastrimargiæ fornicatio, avaritiæ ira, tristitiæ acedia peculiari consortio fœderantur. Sed his superatis major tibi restat pugna, & ea tanto gravior, quanto ista amplius fuerint devicta. Arripiendum namque tibi est totis viribus juge certamen contra crudelissimam & triformem bestiam, id est superbiam, inanem gloriam, & invidiam, cujus in uno corpore tria capita & in ipsis capitibus dentes ferrei comminuentes omnia. O quam multos viros hæc immanissima bestia momordit & dejecit, atque sub pedibus suis conculcavit? Circumda itaque tibi fortem armaturam, ut possis stare contra tantam nequitiam. Indue te lorica caritatis, accinge te gladio spiritus, quod est verbum Dei: sume scutum fidei, pone galeam salutis & spei in capite tuo, sint pedes tui calceati in præparationem evangelii pacis, ut nullus in te pateat locus insidiis potentis adversarii. Caput superbiæ sicut caput viperæ, furor ejus ut furor draconis, & flatus ejus letifer, ut insanabilis flatus reguli. Illud enim præstantius ceteris, tres venenatas ex vipereo ore ad feriendum educit linguas. Prima eos percutit, qui per transgressionis culpam contemptui habent divina præcepta. Secunda illos, qui ex conservatione mandatorum extolluntur in elationem virtutum. Tertia eos, qui per contumaciam mentis subdi dedignantur majorum imperiis. Quidam autem pro carnalibus, quidam pro spiritualibus superbiunt, & est una superbia sub diverso colore.

*Ephes. 6, c*

Superbia pestilens vitium tripliciter peccat.

Cenodoxia quadruplex.

32. Cenodoxiæ alterum caput, multiforme prodigium, & multiplex malum, diras voces & rugitus terribiles ex turgidis faucibus quadripartito modo altius afflat. Nam sunt qui habent dona, & donantem ignorant. Et sunt qui se dicunt pro suis præcedentibus meritis dona accepisse, non pro gratia largientis. Item quidam sunt qui quod non habent, habere se per tumorem existimant. Sunt & alii qui contemnendo ceteros, putant se habere aliquid singulariter. Sed ista elatio ceteris perniciosior est, de singularitate jactantiæ veniens. Hæc autem dira lues, quamvis se ad alta erigat, & impleat clamoribus aures; non tamen ei juxta quam habet

A extollentiam est vis & potentia. Ipsa quoque Invidia duplices evomit flammas. Hoc namque caput tertium, modo illum urit qui meliori invidet in id quod ipse non est; modo illum adficit, qui quemlibet consimilem dolet sibi esse æqualem. Ut hæc tria discernere valeas, ista do tibi indicia. Superbia enim rubet, cenodoxia albet, invidia pallet. Furor igneus in superbis ex indignatione, candor in hypocritis ex simulatione, pallor in invidis ex nimio dolore. His ita digestis, rectius septem criminalia vitia denotantur quam dinumerantur, ut mihi videtur: quia sicut princeps septem vitiorum diabolus nos eorum subdit potestatibus: ita Christus Deus noster, Spiritu septiformis gratiæ ple-
B nus, à dominatu ipsorum eruit, & sibi subditos facit.

Invidia duplices flammæ.

Indicia rum v rum.

33. Sed scire te oportet, quia ista vitia diversos ortus & dissimiles deficientias habent. Gula enim & fornicatio, quia nonnisi per corpus expleri possunt, carnalia sunt: & ideo corporali indigent afflictione, simulque remotioribus locis, ut velocius curari queant. Avaritia & ira, licet non sint unius naturæ, nam prior extra naturam est, sequens autem originalis videtur, quia homo irascibile animal est; simili tamen oriuntur modo: siquidem commotionis causas intrinsecus concipiunt. Tristitia & acedia nulla extrinsecus accedente provocatione generari solent. Superbia, cenodoxia, atque invidia, sine corporali ministerio consummantur. Ad hæc
C curanda quæ spiritualia dicuntur, multum prosunt humana consortia, maxime si inter bonos prudentesque viros vivas, qui illa semper redarguant.

Alia c lia, alia tualia.

## CAPUT XI.

*Non iisdem omnes, sed alios aliis vitiis gravius impugnari.*

34. Sed inter hæc sciendum est, quod in quibusdam ventris ingluvies, in quibusdam fornicatio principalem obtinet locum. In aliis superbia, in aliis cenodoxia arcem tenet. In quibusdam ira, in quibusdam avaritia, seu tristitia, aut aliquid eorum sibi tyranni-
D dem vindicat. Et ideo oportet unumquemque nostrum secundum qualitatem belli, quo principaliter infestatur, pugnam arripere: ita ut alium necesse sit adversus vitium quod tertium ponitur, primum exercere conflictum; alium contra quartum seu quintum: & ita prout vitia in nobis obtinent principatum, utque impugnationis exigitur modus, nos quoque oportet ordinem instruere prœliorum. Et sic contra illud unum fortiter pugnemus, ut alia à quibus minus impugnamur, non negligamus. Atque ita totis viribus laboremus, ut non de nostris laboribus, sed de Dei auxilio confidamus. Hoc enim modo ad puritatem cordis, & ad plenitudinem virtutum valebimus Christo adjuvante per-
E venire.

35. Illud etiam non minus te scire volo, quia variæ in omnibus sunt morum conspersiones. Unde alia vitia tranquillis & lenibus moribus, alia duris & asperis vicina sunt. Sæpe autem quod istis placet, illis displicet. Diabolus enim dum decipere quemquam quærit, prius naturam uniuscujusque intendit; & inde se applicat, unde hominem aptum ad peccatum inspexerit. Ex ea quippe parte hominem diabolus tentat, qua eum per excrescentem humorem facile ad vitia inclinari conspicit: ut secundum humoris conspersionem, adhibeat tentationem. Nullus ergo culpam non æstimet quam ex conspersione propria sustinet, sed quantum valet contra id quod tolerat pu-
F gnet. Nam si conspersioni cedit, tentationi vel vitio nequaquam resistit. Igitur constantes & duri mores semper contra superbiam, iram, & crudelitatem pariter repugnent. Jucundi autem & lenes contra inanem gloriam, hypocrisim & falsam pietatem præcipue certare non cessent. Istud namque hominum genus laudis amore facilius capitur. Nemini volunt displicere, omnes æquanimiter portare videntur; decipiunt & decipiuntur: & quanto hominibus placent, tanto fiunt Deo odibiles, sicut scriptum est: *Astuti & simulatores provocant iram Dei.* Boni enim viri timentes Deum, idipsum quod esse

Dæmon tiis quo que mo. bus & fectibus tat. *v. S. Gr lib. 29.* *c. 12.*

*Job. 35.*

meruerunt, videri refugiunt. Sane laus humana bonos A cruciat, malos lætificat.

*ypocritæ pliciter mnantur.*

36. Dupliciter autem damnantur hypocritæ: sive pro occulta iniquitate, sive pro aperta simulatione. Nam non semper latent hypocritæ. Omne sincerum permanet. Nam quæ simulata sunt, diuturna esse non possunt. Hypocritæ foris candidi, intus sordidi. Amator vanæ gloriæ unde possit laudari agere non quiescit. Nonnulli falsa opinione arrogantiæ se perfectos esse existimant, dum non sunt: qui obortis tentationibus innotescunt. Tanto quis fit veritati vicinior, quanto se longius esse ab ea fuerit arbitratus. Est humilitas formidinis & ignorantiæ, quæ non est laude digna. Hypocrita verba Sanctorum habet, vitam non habet: cui semper jactantia oculos, qui- B bus Deus videri potest, claudit.

37. Superbis & libidinosis plus dominatur diabolus. Transacta libido semper sui relinquit pœnitudinem. Numquam satiatur, & exstincta reaccenditur. Væ illi qui tunc habuit terminum luxuriæ, quando vitæ. Vinum contra potantem facit: quia postquam surrexerit, neque pes, neque manus suum officium tenent, & omnis ejus exhilaratio vertitur in ruinam. Vir superbus nec decorabitur, nec voluntatem suam perducet ad finem. Semper enim conscientia servi Dei humilis debet esse & tristis: scilicet ut per humilitatem non superbiat, & per utilem mærorem cor ad lasciviam non dissolvat. Dei servum sine intermissione legere, orare, & operari oportet, ne C forte mentem otio deditam vitia sibi præoccupent. Mens Deo dicata sic caveat minora vitia, ut majora: quia à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt. Satis delicate palpat, qui vult sine labore magno studioque contio vel vitia superare, vel virtutes acquirere. Anima autem mole carnis pressa sicut difficile ad virtutes surgit, ita facile in vitia cadit: quia ista in imo sunt, illæ vero in summa arce consistunt.

NOTA. *..go fine & ..opo religio..e vitæ status ..igendus ..undo de..erto.*

38. Denique nonnulli quia non pro Dei amore sæculo renuntiant, laborare non curant. Utinam quod mundum relinquimus, voluntatis sit, non necessitatis. Qui enim non rigida intentione monachi professionem sectantur, quanto superni amoris propositum dissolute appe- D tunt, tanto proclivius ad mundi amorem denuo reducuntur: ex quibus alii corporis voluptatem, alii honorem requirunt. Sed qui ad hoc conversationem sanctitatis prætendit, ut aliis quandoque præesse desideret: iste non discipulus Christi, sed pravitatis sectator exsistit. Ferre enim crucem, & non mori, hypocritarum est. Ille autem qui se pro Deo duritiæ tradit monachorum, assiduus debet esse in orationibus, lacrymas suas Deo, non hominibus offerre; jejunia in aurigæ modum pro lassitudine & viribus corporis temperare.

NOTA. *..onachi ve.. insignia.*

## CAPUT XII.

*Excitatio juvenis Religiosi ad virtutis iter strenue capessendum.*

39. QUapropter non pigeat te, bone frater, quantum potes actibus sanctis insistere, ut laboris tui fructus quandoque possis recipere. Hoc solum attende quod monachus factus es; & ideo ea age quæ monachi sunt. Inter eos cum quibus vivis sectare meliores. In omni gradu & ordine optimis permixta sunt pessima. Animosos senes & pertinaces, quos vides in his abundare periculosis temporibus, noli imitari. Mores vitamque illorum fuge, ne tibi sint in laqueum & ruinam. O quam multos senes & judices Israël turpiter vitam suam negligentes rex Babylonis in terra captivitatis & confusionis possidet; & quam multi juvenes spiritu ferventes, Domino servientes, vim faciunt cælo, totisque viribus sibi diripiunt illud. Utinam talium præconia juvenum nostri imitarentur senes, ut annosa redderet senecta, quod tenera fert sponte adolescentia. Si tu vis proficere, non respicias quid mali faciant alii, sed quid boni ipse facere debeas. Nonne cernis negotiatores & milites multa sustinere pericula, ut ad incertos honores & perituras divitias perveniant? Isti quippe servant cum animæ discrimine, quæ cum pluribus tribulationibus inveniunt.

*Senes vitiosi notantur.*

*Juvenes spiritu ferventes commendantur.*

40. Quid ergo tibi, dic rogo, faciendum est, qui venditis omnibus pretiosam quæris margaritam, & emptum habes agrum, ubi thesaurus latet, quem fur auferre non potest? Necesse est tibi omnes insidias præcavere sollicite, ne si ruinam passus fueris, pro gloria habeas ignominiam. Quamvis sis in tuto, noli esse securus. Frequenter in media tranquillitate, vitiorum syrtibus incauti & desides obruuntur. Quanta, prô dolor, animantia nutrit hujus sæculi desertum, quæ negligentes monachos duris morsibus depascunt. Et quoniam credo te posse plus proficere oratione, quam ista nostra exhortatione, addam & formulam orandi: ut legendo & orando, esurienti animæ duplicem tribuas refectionem; & quod desideras, apud Deum facilius valeas obtinere. Nimio enim coactus desiderio, quod de salute tua habeo, istud supra vires meas assumpsi negotium: ut vinculis verborum meorum ad instructionem tuam Patrum sententias colligerem. Hæc tu meditare, hæc in tabulis cordis tui scribe. Et ut scias per quam viam incedere debeas, & ut perficere possis opere, quod discis lectione: clama ad Deum, sine quo nihil boni agitur: clama, precor, clamore magno in toto corde tuo, & flebilis supplexque tu ora.

*Nusquam securitas.*

# LIBER SEU TRACTATUS DE CARITATE.

HIC TRACTATUS *à quodam Anonymo consarcinatus est tum ex* RICHARDO VICTORINO, *nimirum sex priora capita ex* TRACTATU de gradibus Caritatis: *tum ex* PETRO BLESENSI, *videlicet à capit.* IX. *usque ad finem, quod ex duobus ipsius libris* de Caritate Dei & proximi *ad verbum excerptum est, paucis hinc inde prætermissis. Ceterum quidquid à cap.* VI. *ad* IX. *interjacet, ex diversis S.* BERNARDI *locis contextum est, ut in margine infra notabitur. Editus est primum à Gretsero Ingolstadii anno 1617. ex Bibliotheca Cartusiensium Erfordensium.*

## PROOEMIUM.

COgit me instantia caritatis tuæ, mihi amantissime, aliquid tibi de Caritate scribere, atque supra me ipsum præsumere, & super modum parvitatis meæ; immo, ut mihi sentire videor, de vacuo, & quod non habeo, dare. Difficile dico tibi, acquiescit animus meus aliquid de caritate dicere, sentiens quod ad eam tractandam, non cor, non lingua sufficiat. Quomodo enim de amore loquitur homo, qui non amat, qui vim non sentit amoris? De aliis nempe copiosa in libris occurrit materia: D hæc autem tota intus est, vel nusquam est. quia non ab exterioribus ad interiora suavitatis secreta transponit; sed ab interioribus ad exteriora transmittit. Solus proinde de ea loquitur digne, qui secundum quod cor dictat interius, exterius verba componit.

** Apud Richardum de S. Victore legitur hæc inscriptio, Amico in Jesu-Christi visceribus dilecto, Lævam sub capite & dextram in amplexu.*

Ne ergo mireris si alium de hac audire mallem, quam ipse loqui. Illum, inquam, audire vellem, qui calamum linguæ tingeret in sanguine cordis: quia tunc vera & veneranda doctrina est, cum quæ lingua loquitur, conscientia dictat, caritas suggerit. Falleris si me talem putas, immo fallor ego. nam tibi quidem pium est in illa, quæ omnia credit, æstimare de me supra id quod est in

me: mihi autem durum est, bonum, quod non habeo, de me æstimari. Tametsi quidem haberem, expediret forsitan ignorare. Cum vero diligitur quod non est; non amans & amor nihil est, sed quod amatur. O magna virtus caritas, quæ vocas ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt! simul & virtutes & vitia omnium in meriti tui cumulum transferens, mereris in singulis, plus quam singuli sibi*. O fortis virtus, quæ neminem spolians, omnia rapis; omnia facis tua, & nemini aufers sua; quæ bonum quod in alio diligis, tuum facis. Et quidem fieri potest, ut bonum quod operaris, frustra agas: ut autem frustra ego diligam, fieri non potest omnino.

Caritas aliena bona facit sua.

* Idem dicit S. Bernard. in Apologia ad Guill. cap. 4. n. 8.

## CAPUT I.

### *De fortitudine Amoris.*

Amans nescit inimicos.

1. EN ad manum est fortitudo amoris quam quærimus, cui resistere nemo est qui possit. Omnia sibi subjicit, omnia suis profectibus servire cogit. Inimicos amando superat, & sibi amicos efficit vel invitos. Nam etsi habeat æmulos, inimicos omnino non habet. Nullum enim inimicum habere potest, qui nulli novit inimicari. Sicut enim amicitia nonnisi duorum amicorum est: sic inimicitia nonnisi duorum inimicorum. Qui enim odit diligentem se, non tam inimicus dicendus est, quam iniquus. Sola enim caritas est, quæ in adversis non deficit, quia *patiens est*: quæ injurias non rependit, quia *benigna est*: quam felicitas aliena non cruciat, quia *non æmulatur*: quam conscientia mala non pungit, quia *non agit perperam*: quæ in honore non extollitur, quia *non inflatur*: quæ in abjectione non confunditur, quia *non est ambitiosa*: quam cupiditas non coarctat, quia *non quærit quæ sua sunt*: quam contumeliæ non provocant, quia *non irritatur*: quam sinistræ suspiciones non fœdant, quia *non cogitat malum*: quam aliena mala non lætificant, quia *non gaudet super iniquitate*: quam errores non cæcant, quia *congaudet veritati*: quam persecutiones non frangunt, quia *omnia suffert*: quam perfidia non indurat, quia *omnia credit*: quam desperatio non absorbet, quia *omnia sperat*: quam mortis separatio non intercidit, quia *non excidit*.

1. Cor. 13. b

Cant. 8. b
Caritas morte fortior.

2. Quid mirum si morte non vincitur, quæ *fortis est ut mors*, immo fortior morte, quæ ipsam quoque mortem mori coëgit in morte Redemptoris? O insuperabilis virtus caritas! quæ ipsum quoque insuperabilem superasti, & cui omnia subjecta sunt, omnibus quodammodo subjecisti: dum victus amore Deus, *humiliavit semetipsum, formam servi accipiens*, factus non solummodo homo, *sed opprobrium hominum & abjectio plebis. Propter nimiam caritatem qua dilexit nos*, *continere* vltra non potuit *in ira sua misericordias suas*, quo minus dilectam animam suam inimicis exponeret pro amicis suis, ut mortis timorem pariter & vigorem tolleret ab amicis suis. Et si contra Deum fortis fuit, quanto magis adversus homines prævalebit? Hinc extunc illa fidelium intrepida constantia cordis, qua supplicia contemnentes, & mortem calcantes, læti per medias mortis fauces ad patriam revertuntur. Morientes exsultant, & insultant morti, dicentes: *Ubi est mors stimulus tuus*? Jam non stimulus, sed jubilus, dum per medium tui latum lætumque exitum, viam pandis ad regnum. Facit ergo caritas, ut pro ipso & in ipso mori non metuant, sed affectent, à quo sic amari se vident, ut ne morerentur ipsi, morte turpissima vellet condemnari. Admirantes enim & amplectentes in Christo illum amoris excessum, à quo *proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, humana *confusione contempta*, confunduntur non reddere vicem: atque passionis ejus ludibriis quasi quibusdam aculeis incitati, feruntur effrenes in amoris abyssum & profundum caritatis, illud omnino & solummodo quæritantes: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*? & quadam sensatâ & sanctâ insaniâ mentis translati, parum amare se reputant sic amati. Vehemens quippe vis amoris ratione non compescitur; quia teste Apostolo, *supereminet scientiæ*: majestate non terretur; quia *foras mittit timorem*: miseriis non reprimitur; quia *in infirmitate perficitur*. Prorsus virtus omnipotens, quæ ipsas miserias facit potentes, dum convertit

Philip. 2. a
Psal. 21. a
Eph. 2. a
Psal. 76. b
1. Cor. 15. g
Amore Christi Sancti mortem non metuunt.
Heb. 12. a
Psal. 115. a
Vis amoris ratione non compescitur.
Eph. 3.
1 Johan. 4. d
2. Cor. 12. c
Caritas omnipotens con.

A in adjutorium, quæ parata sunt ad nocendum. Qua suf fulti sancti milites Christi, impavidi & certi de victoria, in mediis periculis incedunt tutissimi, nec dæmonem, nec hominem metuentes.

3. Hinc Paulus periculis plurimis enumeratis, quibus inclyte triumphaverat, triumphi causam adjungit: *Et in his omnibus superamus propter illum, qui dilexit nos*. Securus inter frendentium undique hostium fulgurantes hastas & circumvolantia spicula, cum caritate dormit, quæ sola potens est *ignita nequissimi tela exstinguere*. Quippe *peccatorum multitudinem operit*, & tentationum muscis prævalebit. Prævalet & subjicit illum Jebusæum populum, ceterosque Chananitidæ prolis *servire facit in tri-*B *buto*. Et in materia exercendæ virtutis, majoris profecto potentiæ est, erectum hostem dejicere, quam conantem reprimere. Caritatis proprium est, tentationes non perimere, ne insurgant: sed cum surrexerint, sternere ut non procedant. Itaque non tam virtus potens, quam virtutum potentia dicenda est, eo quod ab illa omnes aliæ accipiant, ut vere virtutes sint. Hæc est vita fidei, spei robur, & omnium intima vis & medulla virtutum. Hæc est, quæ vitam ordinat, affectus inflammat, informat affectus: excessus corrigit, mores componit; valens ad omnia, & omnibus prævalens: quæ ipsam quoque omnipotentiam quodammodo reddit impotentem.

Rom. 8.
Jacob. 5.
Eph. 6. e
Deut. 20
Caritatis elogia.

4. Nonne hæc est, quæ in Moïse divinæ justitiæ & po-C tentiæ obstans, prævaluit in fortitudine? *Dimitte me*, inquit, *ut irascatur furor meus contra populum istum*. Audi, *dimitte*; & Dominum teneri non dubites; nec aliunde, quam amoris fortitudine. Quæris cujus? Illius utique servi fidelis, qui in populum majorem major fieri, & gloriosior esse renuit, nec carnali, ut assolet, devictus affectu; sed ne in Dei gloriam rueretur venenatis spiculis blasphemorum: *Ne quæso*, ait, *dicant Ægyptii, callide eduxit eos, ut interficeret in montibus*, nec potuit in terram introducere quam promisit. Quidni cesserit justitia, cesserit potentia, ubi caritas de corde puro non tam rogabat, quam urgebat? Hanc vim, Domine, tu qui pateris, facis, simul in unum potens & pius. O quantum virorum talium D penuriam patimur, qui pro nostris delictis Domino se opponerent, placarent iram, comprimerent ultionem. *Non est*, ait Propheta, *qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te*. Sola quæ Dominum tenere possit, vis amoris, qua solum se teneri patitur. Sed quod non teneatur, pie conqueritur per Prophetam: *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret in oppositum contra me, propterea ne dissiparem eam, & non inveni*. Quærit Deus quis se sibi opponat irato, cujus profecto proprium est misereri, peregrinum ulcisci. *Peregrinum*, inquit, *opus ejus ab illo*. Quod opus? Nimirum opus ultionis & iræ.

Exod. 32
Caritas potest præ re Deo.
Num. 14
Exod. 32.
Isa. 64.
Ezech. 2.
Isa. 28.

5. Caritas igitur sua fortitudine extentam Dei manum, ne feriat, continet, Satanam sub pedibus conterit, *& su-*E *per inimicorum capita carbones congerit*, potens non solummodo *adversus carnem & sanguinem*; *sed adversus principatus & potestates tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*. In adversis fortis, sed fortior in prosperis. Solus enim amor Christi, qui ridentis & irridentis fortunæ impuræ blanditias spernit & conspuit sapore dulciori delectatus, cujus respectu omnis dulcedo amara est, omnis jucunditas mæror est, omne pulcrum fœdum, omne suave molestum. Et hæc de ejus insuperabilitate sufficiant, etsi non ad materiæ copiam, quæ in littera est minus, certe ad occupationem tuam.

Rom. 12
Eph 6.
Amor in adversis prosperis

## CAPUT II.

F

### *De insatiabilitate Amoris.*

6. JAm ad ejus insatiabilitatem accedamus. Sane amoris fortitudinem illa efficit dulcedo, quam sentit, cujus tantillo gustu facile Deum videns anima, cuncta contemnit, qui nisi in hujus mundi contemptu non potest amari; sciens dilectum invenire prius non posse, quam prætereuntis mundi figuram quodam despectu pertransierit. Hinc se in se totam perstringens, non tantum ascensionis gradibus vel passibus utitur; sed inopinatis raptibus vel excessibus fertur, volans, non vadens in illa sublimia

Deus nec potest an nisi mu contemp

2. Cor. 12. a secreta cælestium. Unde & Paulus non *in tertium* cælum A se ascendisse, sed *raptum fuisse* perhibet, ubi sic afficitur eo quasi igni de altari; dum animus divino ebriatus amore obliviscitur omnium, & totus pergit in Deum, gustans 2. c illud *quod nemo novit, nisi qui accipit.* At quoties illam felicitatem percipiat, istam nesciat miseriam necesse est; quæ utique simul esse non possunt.

7 Ad hunc tamen amoris gradum etsi mortalibus interdum pervenire detur, diu tamen in eo stare anima prohibetur, donec corruptibilibus exuta exuviis libere evaserit *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Nititur autem & trahitur illius desiderio faciei, quam juxta Prophetam pater ut adamantem posuit, ut ferrea quæque corda attrahere possit. Tractus iste, etsi suavem quamdam habeat B violentiam, magis tamen mortalitatis impotentiam notat; qua male gravata misera anima, sæpe à suo volatu decidere cogitur, & deficere à conatu. Habent igitur amatorii spiritus, corporis corruptione distenti, crebram de Dei visitatione lætitiam, sed nullam copiam, dum nec plena esse sinitur, nec morosa. Unde & quodam jucundo joco interim ludere videtur *cum filiis hominum*, à quibus dum teneri putatur, è manibus labitur: insectatus se patitur comprehendi, & disparens rursus non videtur, donec denuo lacrymis & precibus vocatus revertatur; & ita licet delectet visitatio, molestat vicissitudo. Sed quanto putas stupore perfunditur anima subtracta illa dulcedine, & ad hos sensuum laqueos captiva retracta? Non- C ne quasi de patria spirituum pulsa in vallem corporum, in aliud quoddam ignotum sæculum sibi cecidisse videtur, longe dissimile priori, in quo caritas friget, sensualitas regnat, caligat oculus mentis, & sensus viget corporis? Mæret tunc, ex alto suspiria trahens; inde misera, unde beata effectur. Nam quanto gratiora fuerat experta, eo molestius fert ea sibi esse subtracta. Subtractio enim rei amatæ, augmentatio desiderii est. Et quod ardentius optas, cares ægrius. Et hic languor amoris, qui non est aliud, nisi tædium impatientis desiderii, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente quem amat.

8. Frustra, nisi fallor, sic languentis animæ conatur quis D exteriori solatio lenire dolorem, & mærorem temperare; cum de intus curari oporteat dulce vulnus amoris. Nullo proinde humano solatio mitigatur secreti doloris sacra amaritudo, cum sublato interiori dulcoris gustu, nil prosit exterius consolari, immo secundum B. Job sententiam, *omnes consolatores* reputat *onerosos.* Sensit hoc, qui dixit: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Felix tristitia, quæ non de creatura, sed de Creatore concipitur; quæ nulla præsentis vitæ luget incommoda. Dignum plane ut *Deum totius consolationis* habeat consolatorem, quæ rerum fluentium qualibet affluentia renuit consolari. Non est gratia citra Deum, unde possit solatium capere, quæ præter illum nil didicit amare. Ha- E beant alia vana solatia sua, quibus dicitur: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationes vestras.* Sibi solus consolator est, qui & inhabitator, caritas Deus. Qui etsi justis numquam desit ad meritum; plerumque tamen ad solatium abest. Illud utilius; istud jucundius. Habetur igitur, sed latet, dum sensum cordis minime tangit illa suavitas habita, sed abdita.

9. *Moram autem faciente*, quem desiderat, non jam cum *fatuis virginibus dormitat vel dormit*; sed crebris succensa suspiriis & gemitibus excitata, non valet ultra dissimulare tristitiam, nec ignem abscondere, qui triste pectus adurit. Non jam deliberat, non consulit rationem, non verecundatur: modum ignorat & ordinem, id omni- F no & solummodo satagente animo, quomodo redeat præsentata dulcedo, cujus quantamlibet festinationem reputat tarditatem. Hoc est, dilectissime, quod aliquando quæsisti, quid sit quod Augustinus ait: Amor Dei non capit de impossibilitate solatium. Omne enim desiderium tunc solet ratione mitigari, cum desideratum impossibile sit haberi. Amoris tamen violentia nulla impossibilitate frenatur. Nam etsi *animam terrena inhabitatione pressam*, immersam luto, illa felicitate ex integro frui omnino impossibile omni homini constet; nullum tamen sic amanti hæc impossibilitas præbet solatium, quo minus ardeat & æstuet habere quod optat. Quo tamen desiderio etsi ratio excedatur, non offenditur Deus, qui simile quiddam videtur innuisse præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omni mente tua.* Quod tamen in hac vita mortali, vel potius morte vitali, à nemine posse impleri *, tam rationibus, quàm auctoritatibus constat. Ab omni tamen homine debere optari, nemo est qui ambigat. Unde in justi descriptione dicitur: *In mandatis ejus volet nimis.* Velle nimis, est plus velle quàm posse. Quo sensu & ego dictum puto: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Quid enim *nimis*, nisi supra posse & vires? Infinitus quippe & immensus est Deus, in quem tendit amor eorum, ut nullus possit esse finis vel mensura amoris. Amat ergo sic amans anima, etsi nimis posse suo, minus tamen velle suo: nec capit de hac impossibilitate solatium; sed potius desiderii incrementum. *Concupivit*, ait quidam, *anima mea desiderare justificationes tuas.* Nec potuit satiari desiderio, qui non visa desiderare concupivit. Fames enim animæ desiderium est. Sic vere Domini amans anima amore non satiatur: quia Deus amor est, quem qui amat, amorem amat. Amare autem amorem circulum facit, ut nullus finis sit amoris.

Matth 22. d

* nempe secundum omnem perfectionem suam.

v. S Bernard. Tom 4. Trac. de dilig. Deo c 10 n. 29. & Notas.

Psal. 111. a

Cant. 1. a

Psal. 118. c

Fames amoris insatiabilis.

NOTA.

10. Vides igitur quemadmodum insuperabilis est caritas, omnia superans; ita & insatiabilis, omnia vorans, & ex copia parit inopiam, dum ex prægustatis quidem deliciis amplius tamen in desideriis exardescit. Quæ etsi dentur ad plenitudinem; numquam tamen ad satietatem. *Qui edunt me*, ait, *adhuc esurient.* O Deus bone, quem amare, edere est; quomodo amantes te sic reficis, ut magis esuriant, nisi quia tu simul cibus es & esuries? Et qui te non gustaverit, te prorsus esurire nescit. Ad hoc ergo cibas, ut esurire facias. *Esurientes*, ait illa plena, *implevit bonis.* Quibus bonis? Nolo à me quæras, quæ sunt bona caritatis. Profecto æstimo illa, de quibus dicitur: *Oculus non vidit Deus absque te, quæ abscondisti timentibus te.* Et alius: *Quod oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit.* Audis diligentibus præparata, ut dilectionis bona fore non ambigas. In hac enim repositæ sunt æternitatis deliciæ, & omnis cælestis suavitas. In hac sunt *pax, patientia, longanimitas, & gaudium in Spiritu-sancto*; & quicquid jucundum mente concipi potest, & ultra. Hoc, inquam, præparasti diligentibus te; sed abscondisti timentibus te, donec *caritas foras velamen mittat timoris*, ut videre possint, *quàm magna multitudo dulcedinis tua*, quæ etsi replet, satiat numquam. Ideo audeo dicere illos, si qui sunt, secunda stola vestitos.

Eccli. 24. c

Deus gustatus acuit esuriem sui.

Luc. 1. f

Isa. 64. b

1. Cor. 2. c

Rom. 14. c

1. Johan. 4. d

Psal. 30. d

11. Objicis forsitan illud, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et illud quod Jerusalem quæ sursum est, *adipe frumenti satiatur.* Sed satietatem ibi desiderati abundantiam notare noveris; non desiderii finem. Finis autem desiderii, ut ait quidam, satietas est. Qui vero semper esuriunt, liquet quod satiati non sunt. Sed vere beata esuries, quæ solum esurit quod habet, & solum habet quod esurit. His itaque persuasum sit caritati tuæ, quod dulcedine divini amoris nemo in futuro satiari, nemo in præsenti impleri potest. De qua impossibilitate solatium tibi sit, nullum habere solatium. Patientiam tibi opto; sed impatientem esse in hoc magis expedit.

Psal 16. d

Psal. 147. a

An sit satietas in Beatis.

## CAPUT III.

*De incessabilitate amoris.*

12. His ergo utrisque * prætactis, ad investiganda reliqua stilus percurrat; quantum ad tam digna aditum aperire dignabitur in dulcedine sua pauperi Deus. Solet tamen in his facilius patere ingressus pie pulsantibus, quàm subtiliter perscrutantibus. Pulsat qui affectat, qui orat, *& pulsantibus aperitur.* Non enim ambigendum est, quin libenter pulsanti aperiat, qui nondum pulsantem hortatur ut pulset. Sic Deus prius vult à se requiri etiam quod promittit. Et ideo quod dare disponit, prius promittit, ut rogandi ausum præbeat, & ut quod daturus erat gratis, devota promereatur oratio. In hoc nobis à nobis merita extorquens, dum nos prævenit, tribuendo

* utcumque.

Facilior ad Deum aditus pie pulsanti, quàm subtiliter perscrutanti

Matth 7. b

Cur Deus rogari velit.

quod retribuamus, agit ne gratis tribuat. Plane dignus ut reametur, qui nos ſic prævenit in amando. *In hoc*, inquit Johannes, *eſt caritas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos.* Præcedit igitur amor ſuus, noſtro quidem benignior, ſed noſter expenditur juſtior. Ipſe enim adhuc ingratos gratis diligit: nos vero ſuo dono, non debito, conſtat diligere. Dat unde, & facit quare amatur, ut de ſuo & pro ſuo pariter diligatur. Et quidem donum illud proſequi omitto, eo quod ineffabile ſit. Nam etſi ſentiri à paucitate ſpiritualium poſſit; exprimi tamen à nemine poteſt. Solum enim illud *novit*, qui dat, & *qui accipit*, excluſis ceteris. Ipſis etiam accipientibus & habentibus ſuſpecta, & eſt incerta illa clauſa collatio, idque ſalubriter, ut præſumant.

1. Johan. 4. b

Amor noſter juſtior divino.

Apoc. 2. c 17.

13. Sed nunc quæſo reduc oculos ad hæc inferiora, quæ videntes plerique non vident: & adverte ſi non cuncta quæ vel nobis in proſperis ſerviunt, vel contra nos ſæviunt in adverſis, quædam ſint caritatis calcaria urgentia quodammodo ad curſum amoris. Ad hoc enim omnia curſus ſui finem dirigunt, ut humanis utilitatibus & oblectationibus occurrant, vel defectibus certe ſuccurrant. Hoc cælum, terra, mare, & aëra, hoc circuitus temporis, redivivis partubus * antiqua innovans, dilapſa reformans, conſumpta reſtaurans, implere non ceſſat: ut ſicut hæc continua communiaque beneficia reſpuere nemo eſt qui poſſit, ita tantum beneficium diligere non ſit qui non debeat. Aſſentis forſan de proſperis; at adverſa quomodo amorem doceant, vel exigant, tibi innoteſcere cupis. Cum plerumque humana ingratitudo ſuperbe ſibi arrogat dona Conditoris; vult idem hominis Conditor alto ſalubrique conſilio hominem tribulationibus exerceri: ut cum defecerit homo, & ſubvenerit Deus, ut dignum eſt, ametur ab homine. Hoc eſt quod dicit: *Invoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.* Ex occaſione quippe frequentium neceſſitatum, crebris neceſſe eſt interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando guſtari; guſtando probari quàm dulcis eſt Deus: ſicque cor ferreum quod beneficiis emolliri nequibat, flagellis eruditum ad gratiam liberantis liqueſcat, diſcatque Deum diligere, etſi non propter ſuam bonitatem, certe propter ſuam utilitatem propriam. Et hic gradus amoris amare inchoantibus primus eſt. Jam vero amantibus infimus gradus, cum nec propter ipſum, ſed propter nos, Deum diligimus. Liquet igitur, quemadmodum tantum carnaliter & carnalia amantem ad Dei amorem adverſa inſtruunt, & quodammodo cogunt.

Proſpera & adverſa amoris calcaria v. infra c. 21.

* al. male pratis.

Pſal. 49. c
Ex Bern. Tract. de dilig. Deo c. 8. n. 25.

14. Sed & ipſis amore ſuccenſis, non inferiori conſilio interdum proſpera ſubtrahuntur, & ingeruntur adverſa: ut ſi forte, quod vitare difficile eſt, blandiens proſperitas aliquam ſibi ſubripuerit amoris particulam, ſuccedens tollat adverſitas, quæ ſola juxta Johannis doctrinam, veraciter docet, *non diligere mundum, nec ea, quæ in mundo ſunt.* Sic Iſraëlitæ coguntur ab Ægyptiis Ægyptum egredi. Quia teſte B. Gregorio, dum mundus animum calamitatibus pulſat, nil aliud, niſi ut non diligatur, clamat. Solus igitur amor eſt, quem à nobis Deus exigit, aut cum beneficiis obruit, aut flagellis corripit; vel conſiliis inſtruit, vel mandatis adſtringit. *Plenitudo legis caritas eſt*, & legem continet & Prophetas. Quia quicquid divina lege indicitur, vel interdicitur, ad ſolum amorem reducitur. Solve tributum amoris, & Domino noveris ſatisfactum.

Cur Juſti exerceantur adverſis.

1. Johan. 2. b

Solius amoris tributum ſufficit Deo.
Rom. 13. c

15. Quid igitur, inquit, nobis prodeſt tanta in noſtro victu parcitas, in habitu vilitas, in vigiliis & diſciplinis jugis auſteritas? Paucis accipe. Quædam ſunt caritatis obſequia placentia & placantia, ſi in caritate fiant; at ſine caritate nihil proſunt. Hæc eſt enim virtus, in qua nec minimum opus reſpuitur; ſine qua nec maximum acceptatur. Non prædicatio, *etſi linguis* fiat *Angelorum.* Non *fides, etiamſi montes transferat.* Non eleemoſyna; *etiamſi omnes facultates in cibos pauperum diſtribuat.* Non corporis afflictio, *etſi tradatur corpus ita ut ardeat.* Non miſſarum ſollemnia: quia ante fratris reconciliationem munus offerri prohibetur. Ipſe enim amor hominum Deus eſt, cui omnis creatura merito confitetur & dicit: *Bonorum meorum non eges*: ſed hoc ſolum requirit ab omni homine, quod nulli conſtat eſſe difficile. Solus enim amor eſt, ut ait Auguſtinus, qui nomen difficultatis ignorat. Qui cum multa amico impenderit, pauca vel nulla ſe judicat impendiſſe. Hinc eſt quod annorum multitudo *videbantur Jacob dies pauci præ amoris magnitudine.* Verus enim amans quicquid pro amico patitur, vix ſentit; dum ſic totus amori intendat, ut præter dilectum nil plene cogitare ſinatur, quem ſicut *ſignaculum* gerit *ſuper cor, & ſuper brachium ſuum.*

Sine caritate nulla proſunt.

1. Cor. 13. a

Matth. 5. d

Pſal. 1[illegible]

Amanti [illegible] difficil[illegible]

Gen. 2[illegible]

Cant. [illegible]

16. Denique qua parte ſubrepere poſſit illius oblivio; qui præter illos incircumſcripti luminis radios, præter illos rivos incorruptæ dulcedinis, quibus ineffabiliter animam influit, in rebus etiam viſibilibus amanti ſe exhibere non ceſſat? Integer quippe amator Dei quocumque ſe vertit, familiarem ſecum habet admonitionem amoris. Rebus his pro ſpeculis utitur; & in omne quod cernit, ſui amoris reſultat memoria; aſpicit cuncta, & eum qui condidit, & quo condiderit fine. In his non tam admirabilem, quàm amabilem ſibi ſentit, atque ex arrha dilectionis quàm præcontulit, ſapienter æſtimat, quanta reſervavit in dotem. Caſtus profecto columbinuſque oculus amor eſt, qui in rebus uſui humano conceſſis nulla libidine figitur, ſed in tranſitoriis contemplatur æternum. Iſte eſt oculus qui non clauditur; quia carnalitatis palpebra caret. Nullo turbatur injecto: quia nihil admittit forinſecum. Nulla cæcatur caligine; quia trabes in eo non ſunt ullæ. Nullo gravatur ſopore, teſte qui ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Oculus rectus, oculus vere dexter, quem nulla deorſum vertit ſiniſtra intentio, nulla deorſum inflectit terrena affectio. Oculus vere ſimplex & prudens, quem nulla concutit incerta ſuſpicio; nulla detinet curioſa ſollicitudo, illum inceſſabiliter intuens, *in quem Angeli deſiderant proſpicere.* Amor enim vehemens, ut ait Auguſtinus, non poteſt non videre quem amat: quia amor oculus eſt, & amare videre eſt. Hoc oculo ſe vulneratum fatetur, qui ait: *Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum.* Duos nempe oculos habet anima, unum quo intelligit; alium quo inquirit. *Dominus*, inquit Pſalmus, *proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.* Et horum duorum dexter oculus eſt amor, qui requirendo vulnerat. Neque enim ille *ſaliens in montibus & tranſſiliens colles*, id eſt, omnem ſenſum ſuperans, humanum videlicet, & angelicum, abſque vulnere capitur dumtaxat amoris.

Omnia [illegible] tant a[illegible] rem [illegible] ris.

Amor [illegible] eſt.

Cant. [illegible]

1. Pet. [illegible]

Cant. [illegible]

Pſal. 5[illegible]

Cant. [illegible]

17. Quæris quid ſit vulnerari Deum? Et ego: Illam omnipotentiam noſtræ infirmitati pie condeſcendere, eſt quaſi vulneris quadam apertura internæ ſuavitatis ſecreta patefacere. Vulnerari ergo poteſt, qui etſi ſit impaſſibilis, compaſſibilis tamen eſt. Vulnus hoc abſque ira infligitur, & abſque dolore ſentitur. Hunc vulnerantem oculum ille Ammonitarum Rex ſuper infelici fœdere molitur eruere. *In hoc*, inquit, *ineam vobiſcum fœdus, ut omnibus oculos dexteros eruam.* Sublato enim amore, qui dexter eſt oculus, ad ſolum errorem remanet intellectus, quem ſiniſtrum diximus. Intelligere quippe nec amare illorum error erat, *qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Quàm multi qui errores perſequi videntur, hoc errore cæcantur! quo nullus forſitan poteſt deterior inveniri.

Deum [illegible] nerari [illegible]

1. Reg[illegible]

Rom. 1[illegible]

18. Videtur itaque ab amantibus Deus utroque oculo, ſed altero vulneratur, quando ubi intellectus caligat, amor penetrat; ubi ille repellitur, iſte admittitur. Quippe perſcrutari prohibemur, & *plus ſapere quàm oportet*: ſed amare etiam plus quàm poſſumus, præcipimur. Non poteſt etiam obtenebrari * amoris oculus, quo minus videre poſſit quem amat, etſi non *ſicut eſt*, quod, teſte Johanne, ſervatur in præmium; ſed certe ſicut viator, quod in præſenti ad ſolatium indulgetur. Videtur autem à quolibet amante prout amat, ab alio quidem ſic, ab alio vero ſic, pro varietate affectuum quibus feruntur in ipſum. Alii ad divinitatis arcana ferventius inhiant; alii humanitatis myſteria ſecurius admirantur, contemplantes altiſſimum conſilium Dei ſuper ſalutem generis humani. Totum tamen tutum eſt, quicquid amoris oculus

Rom. 1[illegible]

* obte[illegible]

1. Joha[illegible]

intuetur, qui solus nunc videt ad meritum, visurus quandoque ad præmium, cum sublato corruptionis nubilo, *faciem illam*, ut scriptum est, *videbit in jubilo*. Poterant hic multa adjici, famelicis, etsi non fastidiosis profutura. Sed ne prolixiori sermone te gravem, stilum premo multo plura fateor cupientem.

*Job. 33. d.*

## CAPUT IV.

### *De inseparabilitate amoris.*

19. JAm nunc ad medium veniat ultima illa tuæ petitionis particula, maxime illa quam instanter postulas vir devotissime †, meis quidem labiis, sed tuis certe meritis explicanda; quibus non tantum in studiis; sed & in cunctis meis necessitatibus non mediocriter fido. Ut autem in ea quæ proposuimus, suo tramite sermo gradiatur, quæ dicta sunt brevi revocentur catalogo *. Habes enim in præmissis, quod & caritas insuperabiliter pugnat, insatiabiliter gustat, incessabiliber videt; in manibus addere est quod inseparabiliter hæret. Adeo namque tenerum est amoris glutinum, ut non tam jungere quàm unire dicatur. Prorsus bonum glutinum est, tripliciter liniens virum virtutis, ut sibi, proximo, Deoque conveniat & cohæreat in veritate. In se quippe homo per amorem unus efficitur; dum se intra se colligens, & reductis affectibus à cunctis locis, quibus captivi tenentur, solum unum incommutabiliter amat, nec amplius in diversa mutatur. Partitus enim per amorem in plura, numquam sibi invenitur unus & idem, sed semper sibi ipse est dissimilis: quia toties variari cogitur, quoties quod amat, variatur. Qui enim labenti innititur, necesse est cum labente labatur. Proximo etiam per caritatem unitur homo, dum non solum sine querela vivendo, cum omnibus unum studet effici, & omnium successibus coaptari, *gaudere cum gaudentibus*, & *flere cum flentibus*, *infirmari cum infirmis*, & cum *scandalizatis uri*; juxta quod scriptum est, *socius* in tribulatione & regno. Sic *multitudinis credentium erat cor unum*, *& anima una*, quando nec voluntatum varietas, nec rerum proprietas animos dividebat; sed firmiter stringebat caritas, & suaviter cohibebat in *unitate spiritus*, *in vinculo pacis*. Heu, inquam, in inferiori sæculo delapsi sumus nos, *in quos fines*, immo *sæculorum* fæces *devenerunt*; cum, ut de sæculi hominibus taceamus, quos obcæcavit ambitio, & ipsa Religionis electio nostro miserabili tempore tanta divisione spargatur, ut vix unus alteri *conveniat in unum*, nisi forte *adversus Dominum*, *& adversus Christum ejus*. Ubique apparent scissuræ turris caritatis David; & in tantum jam hiant, ut vicinam ruinam omnino minentur. Servatur sub tunica una & veste simili cor vanum & omnino dissimile, ita ut de Religione antiqua vix signa serventur; & venientibus ad sepulcrum Domini, quod claustrum est; & Christum quærentibus solum linteamina pateant, id est, habitus forma. Fateor, tædet me hic esse, exeamus hinc: neque enim hoc loco de vitiis loquendi propositum est.

*Apud Ri-...rd. exprimitur nomen, ...verinè.*
*Epilogo le-... Richard.*
*Unum ...t, stabilis ...qui plura, ...tinue va-...ur.*
*...modo caritatem ...unitur pro-...o.*
*...m. 12. c*
*...or. 11. g*
*...or. 1. b*
*... 4. f*
*...ef. 4. a*
*...or. 10. c*
*... 2. a*
*... o r A.*

20. Deum homini & hominem Deo unit caritas, non solum illa ineffabili unitate, qua nostra natura unitur Verbo æterno in unitate personæ; quam efficit utique illa *caritas*, qua *ante mundi constitutionem nos dilexit*: sed etiam de qua ait Apostolus: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*. Profecto unitas hæc amoris est, quia homo totis præcordiis & totis votis supernæ & æternæ voluntati conformis unitur Deo, glutino quod non dissipabitur. *Est* enim *caritas vinculum perfectionis*; quo mentes fidelium arctissimo complexu sibi invicem hærent, & suo capiti per omnes juncturas connectuntur in unum corpus, in mutuo participio bonorum omnium; ut fidenter quilibet dicere possit: *Particeps sum ego omnium timentium te, & custodientium mandata tua*. De hoc dictum puto: *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Triplex dicitur, eo quod, ut præfatus sum, tripliciter liget. Vis tibi funiculum triplicem describat Apostolus? *Finis*, inquit, *præcepti est caritas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Solum cor purum est, quod supereffluere nescit. Nil facilius exposito fœdatur, quod sola continet caritas ne frustra pateat. Porro juxta Apostolum conscientiam bonam habet ad omnes, qui proximi bonum æque ut proprium diligit: si quo minus; convincitur non habere illam, quæ *non quærit quæ sua sunt*. Fides non ficta illa est, quæ per dilectionem operatur. Alioquin non modo fictam, sed etiam mortuam Jacobus eam dicere non veretur. Et vere iste *triplex funiculus difficile rumpitur*, quo vinctus Paulus ardenter dicit: *Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas?* Validum profecto vinculum, cui nulla prævalet violentia; inseparabiliter continens amantem cum amato.

*...modo*
*...ef. 1. a*
*...or. 6 d*
*...ff. 3. c ...itas vinculum perfe-...nis.*
*...l. 118. h*
*...h. 4. c*
*...im. 1. b*
*1. Cor. 13 b*
*Jacob. 2. c*
*Rom. 8. f*

21. Nemo tamen me æstimet cum illis sentire, immo desipere, qui caritatem semel habitam asserunt ultra perdi non posse. Quia si omnis qui habet caritatem, haberet perseverantiam, frustra suos discipulos Dominus monuisset: *Manete in dilectione mea*. Sed & hoc indubitanter senserim, caritatem posse sponte deseri, non violenter auferri: offertur omni, aufertur nulli, ut nullus nisi suo vitio ea careat. Ut autem hac mutua virtute in unum occurrere possint affectiones amantium, cor amantis animæ liquefieri necesse est; ut transfundi possit & transformari in illum quem amat, & mutari in virum alterum: quemadmodum aquæ stilla multo infusa vino, deficere à se tota videtur, dum alterius saporem induit & colorem. Hinc illi pie amantium crebri defectus, immo profectus, dum de se in se nihil sentiunt, nisi quod in Christo Jesu sunt. Nosti quid dicere velim? Nemo te melius. Solum liquidum est, quod omni formæ congruit. quod optime convenit cordi amatoris. *Factum est*, ait ille, *cor meum tamquam cera liquescens*.

*Caritatem semel habitam amitti posse.*
*v. sup. lib. 2. de Amore Dei. cap 6.*
*1. Johan. 15. b*
*Liquefactio amantis animæ.*
*Psal. 21. b*

22. Res liquescendo mollitur, dilatatur, purgatur. Et nunc hunc triplicem affectum considera in amore, qui vere ignis divinus est, corda resolvens, purgans, & conflans in massam unitatis; quemadmodum varia metalla soluta igni concurrunt in unum. Ad tactum cujus mollitur & cedit illa odiosa duritia, quæ est insensibilitas cordis, qua homo nec sentit se, nec alium; nec pietate flectitur, nec precibus inclinatur; exemplis non inducitur, minis non terretur; beneficiis duratur, flagellis non eruditur; frontosus ad turpia, pronus ad illicita, flecti vel subdi nescius, nisi cum resistere non potest. Et in omnibus exemplum tibi sit duritia cordis.

*Triplex effectus Amoris.*
*Cor emollit.*

23. Emollitum autem cor, juxta Pauli doctrinam *dilatatur*, à dextris & à sinistris usquequaque diffunditur, subveniens pariter hostibus & amicis, atque grato quodam & spontaneo occursu omnibus occurit, congaudens profectibus, vel defectibus condolens proximorum. Fluit igitur, sed non effluit: quia sic derivatur ad alios, ut à se aliquatenus non recedat. Et vide ne forte Propheta senserit idipsum; qui cum cor suum ceræ liquescenti comparasset, protinus adjunxit: *In medio ventris mei*. Liquidum fuit, sed extra non effluxit. Solus effluxit, qui sic intendit aliis, ut sibi non attendat. *Videte*, ait Apostolus, *ne forte supereffluatis*. Neque enim necesse est, ut his excessibus, in quibus humani spiritus lutosis sensibus avelluntur, extra eos esse dicantur; cum Paulus in suo raptu an *in corpore, an extra corpus*, se dicat prorsus ignorare. Ubi ergo sunt, inquis? In eo quod interius est sui. *Profundum est cor hominis, & inscrutabile*, & ita secretus sibi est, qui suiipsius nesciat interius. Non igitur educuntur, sed inducuntur spiritus in illo interiori cœnaculo, quantumcumque est illud, ut clausis seorsum sensuum ostiis, securius secretiusque, castissimoque complexu conveniant cum dilecto, & ibi melius secum sunt, cum sic ubi sint nesciunt, tutius se habent, cum se hoc modo perdiderint.

*Dilatat.*
*2. Cor. 6. c*
*Psal. 21. b*
*2. Cor. 11. a*
*Jer. 17. b*

24. Porro liquefactum purgari necesse est, & ad purum excoqui; si quam habet scoriam, ipso amore, qui *ignis consumens est*, paleas *ignorantiæ*, *& delicta juventutis* purgans, & purgatissimam faciens animam, & divino dignam conjugio, non habentem maculam neque rugam. Audi flammam vorantem: *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum*. Denique *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, & nihil imputatur ad mortem. Omne autem quod ipse non imputaverit, sic est

*Purgat.*
*Deut. 4. d*
*Luc. 7 g*
*Rom. 8. c*

Psal. 31. a quasi non fuerit. *Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum.* Nam qui non habet, nemo est nisi ille solus
Psal. 87. a *inter mortuos liber.* Sic calefactum & liquefactum cor facile ad omnem dilecti sermonem compungitur & ebullit, experiens illud quod canitur:
Cant 5. b *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Et illud, quod in Evangelio legitur:
Luc. 24 c *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via?*
Dulcis confabulatio Dei. O dulcis confabulatio Dei in anima & cum anima, quæ sine linguæ & labiorum formatur strepitu, & sine aure percipitur & sub silentio. Solus qui loquitur, & cui loquitur, audit illam: omnis alienus excluditur.

25. Sunt autem verba illa quædam cælestis fontis irrigua, rigantia corda arentia præ amoris multitudine & desiderio,
* quorum dulcis narratio Rich. quorum de deliciis * narratio est, de civitate Dei, & pace, & copia civitatis, de civium gloria, de decore lucidissimæ mansionis, pellens à corde fastidium, & à corpore fatigationem, nuntians dilecto quod possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere. Nec aliud petiit vel passus est, qui dicebat:
Psal. 118. d *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Similia autem sunt verba veritatis nostris cogitationibus; & tamen nemo tantus observator est, qui facile discernat quid cor pariat, nisi qui Dominum loquentem advertit:
Matt. 7. a *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et illud:
Matt. 15. b *De corde exeunt cogitationes malæ.* Et,
Johan. 8. f *Omnis qui mendacium loquitur, de suo loquitur.* Et illud Apostoli:
2 Cor. 3 b *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis.* Mala autem in corde dicimus juxta illud:
Psal. 13 a *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Bona autem audivimus. Unde,
Psal. 84. c *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et prorsus hujus auditui dabitur gaudium & lætitia:
Isa. 55. d *Nec revertetur hoc verbum vacuum, sed faciet ad quodcumque misit illud*, rigans & fœcundans penetralia cordis. Qui talibus verbis docentur,
1 Johan 2. d *dociles Dei sunt*, & *unctio eos docet de omnibus*, quæ sola omnem veritatem docet, celerique magisterio loquitur quædam mysteria Dei, quæ non licet homini loqui, & si audire liceat, qualia apud sæculi magistros nullatenus audiuntur: quorum virtute & auditu corda liquescunt, liquescendo & deficiendo perficiuntur, dum in unitatem illam occurrunt, quam suis Salvator orat & optat in Evangelio,
Johan 17. d *ut sint*, inquit, *unum, sicut & nos unum sumus*: cujus Johannes in epistola meminit, dicens:
1. Johan. 4. d *Sicut ipse est, & nos sumus in hoc mundo*, ut sicut videlicet illa beata & beatificans personarum Trinitas amore continetur æterno, absque confusione, ut nec unitatem turbet personarum numerus, qui essentiam non multiplicat; nec unitas Trinitatem redigat in singularitatem personæ: sic & ipsi unianturt & ordinentur in caritate; non comparatione quidem, sed qualicumque similitudine. Nec absurdum putetur quod dixi Deum amore contineri, cum non alio dixerim quam seipso, & quàm seipsum de aliis. †
† Hucusque ex RICHARDO.

Amat ergo Deus, & ex se toto amat. Quia tota Trinitas amat, si tamen totum dici potest de infinito & incomprehensibili, aut certe de simplici. Quomodo reamabis, anima, vitæ tuæ gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem, copiosum Redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem, glorificatorem?

TRIA *proxime sequentia capita ex meris* S. BERNARDI *verbis contexta sunt.*

## CAPUT V.

*De dignitate & præcellentia caritatis.*

* Serm. 29. in Cant. 26. CHarisma * peroptimum caritas est plane incomparabile. Denique quidnam huic comparandum putamus, quæ ipsi præfertur martyrio, ac fidei transferenti montes? Porro * per caritatem homo in Deo, & Deus in homine est. Quid enim ita Dei ut *caritas*? Nempe & *Deus est.* Caritas * libertatem donat, timorem pellit, laborem non sentit, meritum non intuetur, præmia non requirit; & tamen plus omnibus urget. * Nullus terror sic sollicitat, nulla præmia sic invitant, nulla justitia sic exigit. *Caritas non quærit quæ sua sunt. Caritas non irritatur*, non præcipitatur, *numquam excidit*; non in foveam ruit, & pro tributis malis cumulat bona.
* Serm. 71. in Cant. 1 Johan. 4. d Ibid c * Epist. 143. * Serm. de Pass. Dom. 1 Cor. 13. b

*O caritas patiens*: sed & compatiens! Caritas patiens est, sufficit; *benigna est*, cumulus est: patiens caritas dissimulat, exspectat, sustinet delinquentem; sed benigna trahit, adducit, converti facit ab errore. Benigna caritas etiam quos tolerat amat, & amat ardenter. Flet * quippe caritas; sed ex amore, non mærore, flet ex desiderio, *flet cum flentibus.* * Serm. Cant. Rom. 12

27. O bona * mater caritas, quæ sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos. Cum te arguit, mitis est; cum blanditur, simplex est: pie solet sævire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari, læsa non provocatur, spreta revocat. Ipsa est enim hominum mater & Angelorum. Non solum *quæ in terris* sunt, sed etiam *quæ in cælis sunt, pacificavit.* Ipsa est quæ Deum homini placans, hominem Deo reconciliavit. Caritatis profecto damna sunt scandala pusillorum. Nec enim caritas caritatem offendit aut contemnit, cum sentit offensam. Nam seipsam non potest negare, nec in seipsa divisa est. Novit potius in se divisa conjungere, juncta dividere nescit. Pacem diligit, congaudet unitati. Sola quippe est quæ generat, colligit, solidat & conservat ubicumque servare cognoscitur unitas in vinculo pacis. Cum * omni fiducia caritas pulsat ad ostium amicorum matrem se novit. Nec veretur signatissimum paulisper inquietare otium propter suum negotium. Illa siquidem vera & sincera est caritas, qua proximi bonum ut nostrum diligitur. Nam qui magis aut certe solum diligit suum, convincitur non caste diligere bonum, quod utique propter se diligit, non propter ipsum. Amemus * & amemur, in altero nobis, in altero nostris consulentes. Nam quos amamus, in ipsis profecto requiescimus; à quibus autem amamur, ipsis nos in nobis requiem paramus. Porro amare in Deo, caritatem habere est: studere vero amari propter Deum, caritati servire est. Utramque * teneo, dilectionem Dei, & dilectionem proximi, cum te amo, Domine Jesu, qui meus proximus es, quoniam homo es, & fecisti mecum misericordiam, & nihilominus es super omnia Deus benedictus in sæcula.
* Epist. Fulcon. Coloss. * Epist. Adam. * Epist. Carthus. * Epist. Ogerium * Serm. Cant.

## CAPUT VI.

*De natura seu indole & vi veri amoris, tum hominis erga Deum, tum Dei erga hominem.*

28. FLagrans * vehemens amor præsertim divinus, cum se intra se cohibere non valet, non attendit quo ordine, qua lege, quave serie, seu paucitate verborum ebulliat, dummodo ex hoc nullum sui sentiat detrimentum. Interdum nec verba requirit; nec voces omnino ullas, solis ad hoc contentus suspiriis. Amor * præceps, vehemens, flagrans impetuose, qui præter te aliud cogitare non finis, fastidis cetera, contemnis omnia præter te, te contentus. Confundis ordines, dissimulas usum, modum ignoras: totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii judiciive esse videtur, triumphas in temetipso, & redigis in captivitatem. Frustra ad audiendum legendumve amoris carmen, qui non amat accedit. Quoniam omnino non potest capere *ignitum eloquium* frigidum pectus. Quomodo enim græce loquentem non intelligit qui Græcum non novit, nec latine loquentem qui Latinus non est, & ita de ceteris: sic lingua amoris ei qui non amat, barbara erit; erit sicut *æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Amor * reverentiam nescit; ab amando quippe amor, non ab honorando denominatur. Honoret sane qui horret, qui stupet, qui metuit, qui miratur. Vacant hæc omnia penes amantem; propterea qui amate amat; & aliud novit nihil. Ipse qui honori, merito & stupori, & miraculo est; amari tamen plus amat. Exigit Deus timeri ut dominus, honorari ut pater, & ut sponsus amari. Quid in his præstat, quid eminet? Nempe timor? absit hoc: & *timor pœnam habet*, & honor non habet gratiam, & qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem *soli Deo honor & gloria*: sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle
* Serm. Cant. * Serm. Cant. * Serm. Cant. 1. Cor. 1. Johan. 1. Tim.

si melle amoris condita non fuerint. Is per se sufficit, is A per se placet & propter se; ipse meritum, ipse præmium sibi est. Amor præter se non requirit causam, non fructum: fructus ejus usus est. Amo quia amo; amo ut amem. Ubi* autem amor, labor non est, sed sapor: quoniam amanti nihil difficile est. Amor* Dominum nescit: per se satis subjectus est, obsequitur sponte, gratis obtemperat, libere retinetur.

(erm. 85. in ...t. — ...n Proœm. de Consi...at.)

29. Amat * & Deus, nec aliunde hoc habet. Ipse est unde amat, & inde vehementius, quia non amorem tam habet, quàm hoc ipse est. Neminem suspicit amor, sed nec despicit quidem. Omnes ex æquo intuetur, qui perfecte se amant, & in seipso celsos humilesque contemperat; nec pares modo, sed unum eos facit. Magna * res B amor. Nam cum amat Deus, non aliud vult quàm amari: quippe qui ob aliud non amat, nisi ut ametur, sciens ipsos amore beatos, qui se amaverint. O suavitatem * ! O gratiam! O amoris vim! Summus omnium imus factus est omnium. Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor; ut sciamus amoris fuisse quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est. Deus * non modo amans, sed amor est, & solam amoris vicem requirit & fidem.

(Serm. 59. in ...t. — Serm. 83. in ...t. — Serm. 64. in ...t. — Serm. 83 in ...t.)

30. Quidni ametur amor? Et quid * tam cordium vita, quàm Deus meus Jesus? Is vere est & amans, & amabilis, C & totum quod de ipso est, vere est, quando ipse est non aliud sane quàm ipsa est veritas. Quis fidus, verusve animæ amor, nisi utique is, quo veritas adamatur? Rationis sum compos, veritatis sum capax: sed utinam non forem, si amor in me defuerit. Non sum securus à securi, si absque eo inveniar. Valde * omnino mihi amandus est, per quem vivo, sum, sapio, si ingratus non sum & indignus. Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere, & mortuus est; & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse non propter te, pro nihilo est, & nihil est. *Propter temetipsum Deus fecisti omnia:* & qui esse vult sibi & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Pro his ergo ita sum amans te quantum possum. Sed est D quod me plus movet, plus urget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem meum facile vindicat totum sibi. Hoc est quod nostram devotionem & blandius allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius.

(Serm. 75. in ...t. — Serm. 20. in ...t. init — ...v. 16. a)

## CAPUT VII.

*De duplici lingua, Verbi, & Animæ.*

31. Spiritus est Verbum, spiritusque anima, habentque linguas suas, quibus se alterutrum alloquuntur, præsentesque indicent. Verbi quidem lingua favor di- E gnationis est *; Animæ vero fervor devotionis. Elinguis est anima atque infans quæ hanc non habet, & non potest ipsi nullatenus sermocinatio esse cum Verbo. Ergo hujuscemodi linguam suam cum Verbum movet, volens loqui ad animam, non potest non sentire. *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus.* Et rursus cum suam anima linguam movet, latere Verbum multo minus poterit, non solum quia ubique præsens est; sed propter hoc magis, quod, nisi ipso stimulante, devotionis lingua minime ad loquendum moveatur. Verbo igitur dicere animæ, *Pulcra es*, & appellare *amicam*; infundere est, unde & amet, & se præsumat amari. Ipsi vero F Verbum vicissim nominare *dilectum*, & fateri *pulcrum* quod amat; & quo amatur, illi sine fictione adscribere & fraude, mirari dignationem & stupere ad gratiam. Ita sane locutio Verbi infusio doni, & responsio animæ cum gratiarum actione admiratio.

(Serm. 45. in ...nt. — ...eb. 4. c — ...ant. 1. d — ...ant. 1. d)

32. Cum præsto est quod amatur, viget amor; languet cum abest: quod non est aliud quàm tædium quoddam impatientis desiderii, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente quem amat; dum totus in exspectatione suspensus, quantamlibet festinationem reputat tarditatem. Subtractio nempe rei quam amas, augmentatio desiderii est, & quod ardentius desideras, cares ægrius.

## CAPUT VIII.

*De activa & contemplativa vita.*

33. Forte appetis contemplationis quietem? Et bene facis. Ergo cura virtutum exercitio sanctum otium prævenire. Alioquin delicato satis otio dormitare voles, si non exercitatus quiescere appetas, & Liæ fœcunditate neglecta solum cupias Rachelis amplexibus oblectari. Sed & præposterus est ordo ante meritum exigere præmium, & ante laborem sumere cibum. Non igitur putes de proprio amore quietis, sanctis obedientiæ actibus, seniorumve traditionibus præjudicium ullatenus faciendum: alioquin non approbat Dominus tuæ contemplationis inane otium, propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatusque non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, ut mori quàm non obedire maluerit. Ex bonis operibus recipit consolationem mens assueta quieti, quoties sibi lux, ut assolet, contemplationis subtrahitur. Quis enim non dico continue, sed vel diu, dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruatur? At quoties corruit à contemplativa; toties in activam se recipit, inde nimirum, tamquam è vicino, familiarius reditura in idipsum: quoniam sunt invicem contubernales, & cohabitant hæ duæ pariter. Est quippe soror Mariæ Martha. Neque enim etsi à contemplationis lumine cadit, patitur tamen ullatenus se incidere tenebras peccati, seu ignaviam otii, sane in luce operationis bonæ se retinens.

(Obedientia contemplatione potior. — Actionis & contemplationis alternatio.)

34. Loquor vobis experimentum quod expertus sum. Si quando sane comperi profecisse aliquos nostrum ex meis monitis; tunc non piguit me, fateor, curam prætulisse sermonis proprio otio & quieti. Patienter avellor ab infœcundæ Rachel amplexibus, ut mihi exuberent fructus profectuum vestrorum. Caritas enim, quæ *non quærit quæ sua sunt*, id mihi jamdudum facile persuasit, nil scilicet desiderabilium meorum vestris præferre utilitatibus. Orare, legere, scribere, meditari, & si quæ sunt alia spiritualis studii lucra; hæc arbitratus sum propter vos detrimenta. Hæc siquidem vera & casta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer succendit, tanto repleat zelo & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittat. Et rursum potita votis aliquatenus in hac parte, tanto ardentius redeat in idipsum, quanto fructuosius intermisisse meminerit, & iterum sumpto contemplationis gustu valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat. Ceterum inter has vicissitudines plerumque mens fluctuat, metuens & vehementer exæstuans, ne forte utrique horum, dum suis affectionibus hinc inde distrahitur, plus justo inhæreat, & sic in utrolibet vel ad modicum à divina deviet voluntate. Unicum quippe in hujusmodi remedium seu refugium, oratio est, & frequens gemitus ad Dominum, ut quid, quando & quatenus nos facere velit, assidue nobis demonstrare dignetur.

(Hæc ex S. Bern. serm. 31. in Cant. n 4. — 1. Cor. 13. b — Modum in utraque tenendum docet oratio.)

## CAPUT IX.

*De variis effectis & elogiis caritatis.*

35. Amicitia vera non est, nisi firmum in Deo habeat fundamentum. Ea propter cum amicitia donum sit Dei, justum est, ut qui ex dono Dei diligit, nihil præter Deum diligat, & *ut illuc flumina refluant, unde fluunt*; nec rivus à suo fonte degeneret, qui de plenitudine gratiæ affluentis emanat. Illam siquidem unice & singulariter veram atque perfectam amicitiam profitemur, per quam nos Deus amicos suos vocare dignatus est, si ejus præcepta fecerimus. *Vos*, inquit, *amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.* Hæc Dei amicitia est caritas, qua dilexit *nos ante mundi constitutionem*, & elegit in di-

(Ecclesf. 1. b — Johan. 15. b — Ephes. 1.)

Caritas omnes affectus ordinat.

lecto Filio suo. Ipsa est fons omnium bonorum omniumque donorum, quæ nobis à munificentia supercælesti proveniunt. Ab hac omnis amor legitimus ordinem formamque sortitur: nec ordinata esse potest aliqua mentis affectio, nisi ab ea causam, modum, & ordinem sumat.

36. De qua hac constantissima caritate Sapientia libro sui nominis dicit: *Ab æterno ordinata sum.* Hæc ordinata (Prov. 8 c) à Deo ordinat Angelos in ministeriis suis. Hæc studia & exercitia justorum disponit in professionibus suis. Hac mediante *ordinata lex est per Angelos in manu Mediatoris.* (Gal. 3. c) Sine hac, amicitia inter homines ordinata esse non potest. Nam cum Apostolus dicat, *Omnia secundum ordinem fiant in vobis*; (1. Cor. 14. g) & iterum, *Omnia vestra in caritate fiant*: (1. Cor. 16 c) patet ea ordinem non habere, quæ in caritate non fiunt. Caritas via est & vita virtutum, ipsa est via eminentior, *& illic iter quo ostenditur salutare Dei.* (Psal. 49. d) Unde Apostolus in prima Epistola ad Corinthios: *Adhuc viam*, inquit, *eminentiorem vobis demonstro.* (1 Cor. 12 d) Et item: *Scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Dei.* (Ephes. 3. d) Hæc est via de qua Isaïas: *Ambulabunt hac via, qui liberati fuerint & redempti à Domino, & venient in Sion cum laude, fugiet dolor & gemitus. Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt.* (Isa 35. d) Caritas est *præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* (Psal. 18. b) Ipsa est lumen cordis, omnes sensus & affectus hominis clarificans & serenans, ut discat homo ubi sit lumen oculorum & pax.

Caritas oleo comparatur

37. Caritas est oleum quod omni liquori supernatat, quod sanat & illuminat, & quod omnem asperitatem propria suavitate lætificat. Hoc oleo uncti Apostoli & Martyres, suavissimam reputabant mortis amaritudinem & immensam sæviriam tormentorum. *Christus enim unctus à Deo præ participibus suis*, (Psal. 44. b) hoc oleo suos unxit, & exactoris *jugum à facie olei computrescere fecit.* (Isa 10. g) *Spiritus*, inquit, *Domini super me, eo quod unxerit me.* (Isa. 61. a) Caritas non solum mortis & suppliciorum amaritudinem suavificat; sed & ipsam mortem potentissimam morte mortificat. Nonne Christi caritas peremptoria erat mortis, cum ipse dux vitæ mortisque destructor comminaretur & diceret: *Ero mors tua, ô mors?* (Osee 13. d) Immo fortior. Cum enim mors vitam eripiat temporalem: nos ad vitam caritas introducit æternam. Illa nos à vita transitoria dejicit: hæc ad vitam & gloriam sine fine restituit. Caritas est *porta speciosa*, (Act. 3 a) quæ in eversione Jerusalem, portis aliis omnino destructis, integra & intacta permansit. *Caritas numquam excidit.* (1. Cor. 13 c) Hæc est *speciosa Sunamitis*, quæ *David in virginitate* sua *calefaciebat*; (3. Reg. 1 a) eo quod non poterat calefieri pellibus animalium mortuorum. Qui enim versantur in operibus mortuis, refrigescente caritate, cogitatione passionum Christi denuo recalescunt. Hæc est nubecula, quæ ad preces Eliæ magnam excrevit in pluviam. Cum enim aliquis Deum diligere ex toto corde incipit, statim non solum ad proximos, sed etiam ad inimicos benevolentiæ stillicidia & gratiæ fluenta diffundit. Nec mirum. Caritas enim est oleum viduæ, quod continuum ex distributione suscepit incrementum. *Mulier* siquidem *de uxoribus Prophetarum*, uxor Abdiæ, *clamavit ad Elisæum dicens: Vir meus mortuus est, & ecce creditores tollunt à me duos filios meos ad serviendum sibi.* (4 Reg. 4. a) Implevit ad vocem Prophetæ vasa oleo, quo debebat inungi. Sunt filii timoris & amoris, qui vasa non modica offerunt, quibus mater gratiæ oleum benevolentiæ & devotionis infundit. Clausit tamen ostium conscientiæ à favore humanæ laudis, ne sine oleo inter virgines fatuas reputetur. Creditores sunt, importuni exactores, maligni spiritus, qui pro voluptate transitoria æternos exigunt cruciatus. Vicinæ, à quibus vasa mutuo accipiuntur, sunt angelicæ potestates & animæ sanctorum, qui nos consiliis erudiunt & exemplis, quod oleum misericordiæ proximis infundamus; scientes & quamdiu hujusmodi superfuerint, non stabit oleum, & caritas impensa pluribus uberius sortietur augmentum.

Tropologia olei per Elisæum multiplicati.

38. Linguæ Angelorum & hominum, sustentatio pauperum, atque martyrum, sine caritate nihil sunt. Prophetia prædicit, scientia comprehendit, fides credit: sed nec prophetia, nec scientia, nec *fides*, etsi *montes transferat*, quicquam sine caritate valebunt. (1. Cor. 13) Sine caritate *nihil prodesse* potest, cum caritate vero nihil obesse. Caritatis beneficio impediente, peccata non obsunt: quia *caritas operit multitudinem peccatorum.* (1. Pet. 4) Caritas est lex vitæ, disciplina morum, pax conviventium, gloria concordium, criminum abolitio, legis plenitudo, sacræ Scripturæ compendium, præceptorum Dei consummatio, virtutum virtus, & bonorum impletio meritorum. Omnia mandata vitæ, omnia justitiæ opera referuntur ad illam. Ex hac suum sortiuntur effectum operum commendatio, devotæ orationes, & ab ipsa tamquam fructus ab arbore, tamquam ramus à vite, *pendet tota lex & Prophetæ.* (Matth.) Sicut enim fructus suum à palmite recipit alimentum, donec ad maturitatem perveniat: sic boni operis fructus, sic sancta devotio, sic omne quod pie agitur, à caritate suum recipit initium & progressum.

Sine caritate cetera nihil prosunt.

## CAPUT X.

### *De Deo, ejusque attributis.*

39. Sciendum quod quanto terra inferior est altitudine cæli, tanto elegantior, & eminentior, & inæstimabiliter dulcior est amore proximi amor Dei. Et ut de Dei dilectione loquentibus campus arrepti propositi desiderabilius & liberius ad intelligentiam se diffundat, pauca de eo quasi delibando perstringamus, ut appareat quàm ineffabili gratia & dignatione incomparabili, Deus gloriæ mediante caritatis beneficio homini condescendat. Credendus itaque & cogitandus est Deus quædam vita perpetua, vivens in se, & omnia vivificans, omnia intelligens, omnemque creans intelligentiam, sapiens & ipsa sapientia, veritas fixa, justitia indeclinabilis, summa virtus, perfecta bonitas, divinitas, æternitas, magnitudo, immensitas, summa essentia, à qua omne esse, summa & æterna substantia, non subjecta prædicamentis vocum aut cogitabilium; sed omnium rerum causale efficiens & superessentiale principium. (V. S. Bern. de Consid.) Cogitandus est Deus simplex, purus, integer, & perfectus, nihil habens quod in numerum transeat; nihil trahens à tempore vel à loco. Sic in omni loco, quod non includatur nec excludatur à loco. Cogitandus est Deus sine forma visibili, sine specie corporali, sine compositione partium, sine distinctione membrorum; *ex quo omnia* causaliter, non materialiter; *in quo omnia*, non in loco, sed in virtute. Sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine situ præsidens, sine habitu continens, omnia disponens. Disponit enim ut sapientia, operatur ut virtus, amat ut caritas, revelat ut lux, miseretur ut pietas, scit ut veritas, judicat ut æquitas, præsidet ut majestas.

40. Non comprehendis ejus altitudinem, nisi vilescas apud te contemplatione ejus. Nec comprehendis ejus magnitudinem, nisi parvus fias in oculis tuis, subjiciens te omni creaturæ propter ipsum. *Deus caritas est.* (1 Johan.) Spiritus-sanctus specialiter caritatis nomine designatur. Ipse est amor Patris & Filii, & suavitas & unitas, & osculum & amplexus; & quicquid amborum commune esse potest. Quia vero per gratiam Spiritus-sancti anima hominis Deo mirabiliter unitur, sciendum est quod idem Spiritus in illa unione donator est & donum. *Spiritus* enim est qui *vivificat* spiritum hominis, & ipsum instruit & informat Deum diligere, quærere & invenire, tenere & frui. Ipse est sollicitudo quærentibus Dominum in humilitate, pietas adhortantis in spiritu & veritate. Ipse est sapientia invenientis, amor habentis, gaudium perfruentis.

## CAPUT XI.

### *In rebus creatis stabilem felicitatem non inveniri.*

41. Porro quidam ad perfruendum sibi eligunt ea quæ peremptoria sunt salutis. Veneno enim cupiditatis infecti, à malitia hujus mundi, fallacibus divitiis, transitoriis & honoribus, in voluptatibus carnis, sæculique favoribus suæ intentionis finem constituunt, & in his, quæ

sunt æternæ damnationis occasio, felicitatem suam falsa opinione, quasi somniando depingunt. Sed ubi copia divitiarum major exuberat, ibi se gravior molestia sollicitudinum, totius perturbativa quietis incendit. Rationalis itaque anima licet ad summam beatitudinem desideranter adspiret, aliis tamen abstrahitur, & eam quædam falsa felicitatis imago deludit, aut veræ miseriæ similitudo deterret. Quis autem paupertatem, persecutionem, ægritudinem, luctum, famem, non reputet magnam miseriæ portionem? Istis tamen & vera miseria præcavetur, & vera beatitudo acquiritur. Nec mirum. Paupertas regni cælestis acquisitiva est. *Beati enim pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati qui lugent, qui esuriunt, qui persecutionem patiuntur: quia ipsi saturabuntur*, illi consolationem recipient, & isti jam cæleste regnum adepti sunt, non solum ad habendum, sed aliis conferendum. Quàm fallax & delusoria sit illa perniciosa felicitas, quam plerique in carnis voluptate constituunt, in libro experientiæ legitur incessanter, dum in opere impudicitiæ cito præterit quod delectat, & permanet sine fine quod cruciat. De talibus lugendum potius sentio quàm loquendum. Quid ergo indignius hominis, quàm animam suam, pro qua Christus mortuus est, viliori parti sui corporis substituere, & se brutis & irrationabilibus conformare? Apertissime liquet, quàm perniciosus sit amor carnis, & usus libidinis, ad quorum detestationem Deus de purpurata meretrice exsecutoribus angelis dicit: *Quantum exaltavit se in deliciis, tantum date ei tormentum & luctum.*

42. Restat prosequi, quod in voluptate oculorum & aurium, ceterorumque sensuum, non est beatitudo vel requies; sed neque in his quæ pertinent ad delicias vitæ hujus, ad ambitiosum honorem, ad potentiæ dominatum. Veniat ergo ditissimus rex, potentissimus, sapientissimus & delicatissimus, Salomon scilicet, & quid de fine talium judicet audiamus. *Dixi*, inquit, *in corde meo, Vadam & affluam deliciis & fruar bonis.* Et infra: *Ædificavi domos, & plantavi vineas, feci hortos & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus*: & multa similia persequendo adjecit. *Possedi servos & ancillas, & familiam multam nimis, coacervavi mihi aurum & argentum, substantias regum & provinciarum.* Et addens de voluptate aurium: *Feci*, inquit, *mihi cantatores & cantatrices.* Et post hæc subjecit: *Quicquid desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ paraveram.* Quid, quæso, delicatius, & quid jucundius? Continuat autem Salomon & subjungit: *Cumque convertissem me*, inquit, *ad cuncta opera mea, in quibus sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem spiritus, & nihil permanere sub sole.* Sententiam quidem generalem præmiserat dicens: *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole; & ecce omnia vanitas & afflictio spiritus.*

## CAPUT XII.

*Sub jugo Christi esse veram requiem.*

43. Habes ex verbis Sapientis, ut supra memoratum est, vanitatem & afflictionem spiritus. Apponit Veritas tertium, scilicet servitutem. *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati.* Conjungantur igitur hæc tria, vanitas, servitus, & afflictio spiritus: Ubi ergo requies, ubi Sabbatum? Nonne verbum legis est, Nullum peccatum facies in eo? Quis est, qui peccatum non fecit? Dixit rex David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; & in peccatis concepit me mater mea.* Quis ergo nos liberabit à jugo veteri & servitute peccati? Ille de quo Veritas in Evangelio dicit: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Ipse nos ad Sabbatum invitans: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ecce refectio, quasi Sabbati præparatio. Audiamus & Sabbatum: *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Ecce Sabbatum, ecce quieta tranquillitas. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Jugum hoc non premit, sed erigit; pennas habet quibus evolet, non pennas quibus aliquos gravet. Illud jugum caritas est Dei, proximique dilectio; hic requiescitur, hic sabbatizatur, hic ab omni opere servili vacatur. Nimirum *caritas non agit perperam, non cogitat malum*: sed & *dilectio proximi malum non operatur.* Vides, ô Judæe, Sabbatum ubi sit? Inde etsi aliqua peccati surreptio ex aliqua infirmitate contingat, non perit Sabbati feriatio: *Quia caritas operit multitudinem peccatorum.*

44. Videmus aliquos, qui cum suaviter respirare deberent sub jugo & onere tam suavi & tam levi; sub utroque laborant & murmurant. Ad jugum utique mundi pertinet quod curis æstuant, quod inflammantur odiis, quod torquentur invidia. Hoc jugum cupiditatis est, & onus sæculi grave. Jugum autem Domini suave est, & onus leve. Et quid suavius homini, quid jucundius, quàm mundum contemnere, & se reputare sæculo celsiorem, atque in bonæ conscientiæ vertice consistentem, & mundum habere sub pedibus, nihil in eo videre quod appetat, nullum cui invideat, quem metuat, nihil mali esse quod ab aliquo sibi possit inferri? Et in illam *hereditatem immarcessibilem, incontaminatam, & incorruptam, conservatam in cælis* oculos dirigendo, fallaces divitias & honores perniciosos, & damnabiles delicias conculcare? Quid, quæso, desiderabilius est, & quid tranquillius, quàm suam animam sic stabilire, ut nullis motibus carnalis concupiscentiæ agitetur, carnem rore pudicitiæ tepescentem compellat ancillari, ut eam ad exercitium militiæ spiritualis promptissimam habeat adjutricem? Quid præterea ita divinæ tranquillitatis imaginem gerit, quàm anima, quæ sic ad omnium injuriarum tolerantiam se obfirmat, ut eam contumeliæ illatæ non moveant, & mentem ejus à statu suo nullæ comminationum aut injuriarum machinæ dejiciant? Amicum & inimicum eodem oculo intueri? Nonne similis est ei *qui facit solem suum oriri super justos & injustos, & pluit super bonos & malos*? Quid? cum omnia circa eum mutabiliter fiant, nulla est in corde ejus mutatio.

## CAPUT XIII.

*Per caritatem perveniri ad veram quietem & Sabbati spiritualis festivitatem.*

45. Vere verum est in caritate Sabbatum. Cum enim ceteræ virtutes vicem vehiculi vel viatici gerant ad requiem obtinendam, omnes in caritate quiescunt. Illud admiratione dignum est, quia sine caritate nihil est virtus, & ipsa unicuique virtutum exhibet ut sit virtus. Fides autem quæ hæc operatur ad vitam, in Dei visione jam non erit fides, sed veritas. Ibi enim absorbebitur fides, cum id videbitur quod super omnia diligetur. Non opus erit credere, quod nobis licebit plena cognitione percipere. Non erit etiam de cetero spei locus. nam Deo fruentes, non habebimus quod speremus. Hic temperantia pugnat contra libidines, prudentia contra errores, fortitudo contra adversitates, justitia contra iniquitates. Porro in caritate perfecta est castitas. Ideo non est libido, cui temperantia repugnet. In caritate perfecta est scientia: ideoque ibi nullus est error, quem prudentia eliminet. In caritate vera beatitudo est: ideoque nulla adversitas, quam fortitudo expugnet. In caritate omnia sunt tranquilla & æquata: ideoque nulla est ibi inæqualitas, quam justificari oporteat. Denique nec fides virtus est * sine dilectione; nec spes virtus est, nisi quod speratur, ametur. Quid est temperantia, nisi amor, quem nulla voluptas illicit? Quid ceteræ virtutes, nisi amor, qui quod suum est, unicuique distribuit?

46. Sicut caritas est vere mentis humanæ requies perfectumque Sabbatum; sic & sex virtutes prædictæ, fides, spes, temperantia, prudentia, fortitudo, justitia, sunt quasi quidam dies operationis: caritas vero quædam luminosa & luminosissima dies est quietis, tranquillitatis & pacis. Et nunc quæ est exspectatio mea, nisi tu Domine? si forte desiderium pauperum exaudiat auris tua, ut ad modicum tempus requiescam cum regibus & consuli-

Marginalia: in divi[tiis] · 5. a · in car[nis v]olupta[te] · 18. c · in cete[ris] [sens]uum · 2. a · [Jo]an. 8. d · [Ps]. 50. b · [Jo]an. 8. d · [Ma]tth. 11. d · 1. Cor. 13. b · Rom. 13. c · 1. Pet. 4. b · Jugum mundi grave, at Christi suave. · 1. Pet. 1. a · Matth. 5. g · Sine caritate nulla vera virtus. · Quænam virtutes cessent in patria. · * Non est virtus, formata scilicet, & conducibilis ad æternam beatitudinem. · Job. 3. b

*bus, qui ædificant sibi solitudines, & replent domos suas argento?* Porro vix ad momentum permittitur mihi requies ab exactoribus Pharaonis: ut non mihi sabbatizare liceat vel hora dimidia. Utinam mihi detur vacare & videre, quoniam Jesus est ipse Deus. Ipse Sabbatum animæ quærentis eum, *præparans diligentibus se* tranquillum & impermutabilem sabbatismum. O quàm beati qui ingrediuntur locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, atque in voce exultationis & confessionis tripudiant & exultant, memores uberum tuorum dulcis Jesu, cum Abacuc Propheta cantantes: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.* Hab. 3. d

Gen. 2. a 47. Sabbatizat Judæus, quia legit Deum *sex diebus operatum fuisse*, & quasi labore operis fatigatum *die septimo quievisse.* Non est hoc Deum cogitare, sed in Dei contumeliam idolum fabricare. Sane non laboravit operando Creator; *Dixit, & facta sunt* omnia pro beneplacito suo. Summa & æterna essentia Deus nullius indigens, plene sibi sufficiens, in sua summe tranquilla caritate indeclinabiliter & immutabiliter manens & mirabilia operans, requiescit in se, vita in se vivens, bonorum pax & indeficiens quies. Quocirca sicut successione dierum, mane & vespere vicissim variantium, creaturæ mutabilitas designatur; sic in Deo cui nihil advenit, nihil præterit, aut succedit, æterna tranquillitas ipsius & quieta æternitas intimatur. (Psal. 148. a; Deus sine labore omnia creavit.)

48. Notandum vero quod operibus Dei senarius; septenarius autem divinæ quieti adscribitur. Nimirum senarius numerus perfectus est, constans ex partibus suis. Si enim connexueris unum, duo, tria; perfectum habes senarium, qui Dei operibus specialiter est assignatus: ut in rerum universitate nihil superfluum, nihil recipias imperfectum. Magnæ quidem excellentiæ dies est, in quo Deus superiores *aquas* ab inferioribus firmamento mediante *divisit.* Nec minoris esse arbitror dignitatis diem, in quo aquis in unum congregatis à Deo arida vestita est herbis, & arboribus decorata, venustata floribus & fructibus fœcundata. Nec est dies reputandus inferior, in quo Deus cælum suis luminaribus adornavit. Sed nec ille alienus à laude est, in quo Deus partem animantium in aquis, partem collocavit in aëre. Ab istorum eminentia & privilegio non degenerat dies sextus, *in quo Deus ad imaginem suam creavit hominem*, & vitam inspirans, ipsum animantium præfecit universitati. Porro diei septimæ præeminentia omnibus antecellit; in quo nullius rei creatio, sed omnium creaturarum perfectio, & Dei requies commendatur. De singulis scriptum est: *Factum est vespere & mane dies unus*, aut *secundus*, & deinceps. At diei septimæ non mane, non vespere, non initium ac finis describitur. Dies enim requietionis Christi & immutabilis & æternus. Mutua quidem Patris Filiique dilectio, suavissimus amborum complexus, caritas scilicet, qua *Pater in Filio, & Filius in Patre*, ipsa est jucundissima quies, indivisibilis unitas, pax imperturbabilis, æterna tranquillitas, Spiritus-sanctus, qui ab utroque procedit. Quod insinuans Filius Dei; *Ego*, inquit, *Patris mei mandata servavi, & maneo in ejus dilectione.* Et rursum: *Ego & Pater unum sumus.* Et idem de Filio Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, &c. (Gen. 1. a; Gen. 1. d; Præeminentia diei septimæ; Gen. 1. a; Johan. 10. g; Johan. 15. b; Johan. 10. f; Matth. 17. a)

## CAPUT XIV.

*Spirituale Hexaëmeron, seu opus sex dierum exponitur.*

49. Expressa igitur congrua collationum imagine, sicut sex diebus, ita & sex virtutibus exercemur, ut post sacrarum vicissitudines actionum in tranquillo caritatis, quasi in vero mentis Sabbato respiremus. Quocirca *fidem* ponimus *primum diem*, quo fideles ab infidelibus, quasi lux à tenebris, separantur. *Spes* etiam *secunda diei* vicem obtineat, per quam hi quorum conversatio in cælis est, discernuntur ab aliis qui terrena sapiunt. *Temperantia* quasi *dies tertius* illucescat, in quo membra nostra mortificantes super terram, carnalis concupiscentiæ fluxum, quasi aquas amarissimas, certis continentiæ limitibus coarctamus: ut in terra cordis nostri appareat arida, & sitiens fontem vitæ, virtutum flores, *fructusque producat.* *Prudentia* quasi *dies quartus* faciat quasi scientiæ lumen erumpat, & inter facienda & non facienda discernens, dividat inter diem & noctem, quatenus lumen sapientiæ velut solis splendor effulgeat: lux vero scientiæ spiritualis, quæ in quibusdam deficit, quasi lux lunæ minor appareat. *Fortitudo dies quintus*, per quam in hoc mari magno & spatioso, quasi pisces spirituales, procellosa fluctuum volumina toleremus, cohibeamus linguæ lubricum sub censura silentii: & quasi volatilia pennata, nunc ad cælestia erigamur, nunc vero condescendentes operibus misericordiæ fructus bonorum operum sub Dei benedictione reddamus. Constituatur denique *justitia dies sextus*, per quam ad divinam imaginem reformati, bestialibus desideriis, vitiisque reptilibus imperantes, corpus spiritui, spiritum Deo subjiciamus, & sic utrique quod suum est tribuatur.

50. Et notandum, quod Dominus omnibus creaturis benedicit; homini autem omnia subjiciuntur. His autem quæ in se Dei repræsentant imaginem, jumenta, id est, corpora, subjiciuntur, & bestiæ, id est, nequitiæ spiritualES, de quibus Propheta precatur: *Ne tradas*, inquit, *bestiis animas confitentes tibi.* Et Dominus per alium Prophetam: *Auferam*, inquit, *malas bestias de terra vestra, & dormire vos faciam fiducialiter.* Hæc est dormitio & septimæ diei tranquillissima quies, dies septimus est caritas, dies Sabbati, dies requietionis, jucunditatis & pacis, per quam homo secure, immo securissime dicit: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Ipse est omnium virtutum consummatio, sanctarum animarum suavis refectio, tranquillissima mentis feriatio. Ipse est septimus dies, in quo manna cæleste nos reficit. Ipse est mensis septimus, in quo post diluvium tentationum irruentium, cordis arca suavissime requiescit. Ipse est illud Sabbatum ex Sabbato, & mensis ex mense, & post septies septimum annum, annus jubilæus incipiet, *annus placabilis Domino*, in quo sua singulis restituatur hereditas, plenaria jucunditas, antiqua possessio, & æterna libertas. Domine Deus quamdiu prolongabitur jubilæus? quando præveniet misericordia tua, ut *portio mea sit in terra viventium?* Quoniam tu es *pars hereditatis meæ, & calicis mei; tu es qui restitues hereditatem meam mihi.* Differtur equidem, sed non aufertur jucunditas, qua *satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Interea comedam ego panem meum in sudore vultus mei, & cum lacrymis in mensura, donec vinum detur mærentibus, & sicera his qui amaro sunt animo, & tota deliciis illis absorbeatur anima mea, quarum primitias jam degusto. (Psal. 7; Osee. 2; Caritas septimus; Psal. 4; Isa. 61; Psal. 14; Psal. 1; Psal. 16; Prov. 31)

## CAPUT XV.

*De triplici Sabbato, seu triplici dilectione, sui ipsius, proximi, & Dei.*

51. Erit, inquit, *mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato.* In veteri siquidem Testamento assignatur triplex distinctio Sabbatorum. Primum Sabbatum dicitur *septimus dies.* Secundum, *septimus annus.* Tertium, annus qui sequitur post septies septimum annum, id est, *quinquagesimus annus.* Est itaque primum Sabbatum dierum; secundum annorum; tertium Sabbatum Sabbatorum, ita ut in unitate perficiatur. Et notandum, quod in caritate hoc triplex Sabbatum, si velis diligenter advertere, invenitur. In lege duo præcepta dilectionis expressa sunt. *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & ex tota virtute tua; & proximum tuum sicut teipsum.* Hæc duo mandata duo esse diligenda insinuant: non enim potest quis proximum suum diligere, sicut semetipsum, nisi diligat seipsum. Primum Sabbatum hominis est dilectio sui, secundum, dilectio proximi: Sabbatum Sabbatorum, dilectio Dei. (Isa. 66; Exod. 2; Lev. 25; Matth.)

## CAPUT XVI.

*De Sabbato primo, seu dilectione suiipsius.*

52. Ut ergo homo se diligat in Christo, Dei dilectio inchoatur: ut diligat proximum, capacior quidam sinus affectionis obpanditur. Verum quidem, ubi divinus ille ignis medullitus incalescens ceteras dilectiones, quasi quasdam sui scintillas, in sui plenitudinem trahit, omnes animi motus absorbet in desiderio illius sublimis & ineffabilis boni. Et sic non homo à se, nec proximus diligitur, nisi quantum uterque affectus deficientis animæ totus transfertur in Deum. Agitur enim ineffabili dispensationis artificio, ut licet hi tres amores semper habeantur; nec tamen semper æqualiter sentiantur: sed quandoque mentis illa jucunda suavitas ex conscientiæ propriæ puritate procedit; quandoque ex bono proximi recipit congratulationis affectum: quandoque contemplando in desiderio & exultatione adspirat ad eum. Quemadmodum quispiam diversas aromatum cellas ingrediens, nunc istarum, nunc illarum specierum redolentia jucundatur: sic animus diligentis nunc intuitu sui, nunc intuitu Dei aut proximi, quadam inæstimabili suavitate perfunditur.

[Margin: ...mor Dei ...eros amo... absorbet.]

53. Qui ergo primum recolebat in amaritudine animæ suæ perditos dies suos, postquam concupiscentiæ dedit libellum repudii, & abolitione criminum impetrata, se pignus & arrham gratiæ cælestis percepisse cognovit; dum nihil quod ipsum accuset, aut Deo displicere debeat in libro conscientiæ suæ legit, *reliquiæ cogitationum diem festum agent ei.* Dum enim immunis ab exteriori tumultu se in contemplationis arcana recepit; cum circumstrepentium sollicitudinum turbis ostium mentis clausit; cum interius conscientiæ thesauros inspexerit, non inveniens inordinatum aliquid aut ineptum, aut rationi adversum; sed omnia pacifica & jucunda, & ad instar disciplinatæ familiæ videns multitudinem cogitationum, sermonum & operum, ei, quasi cuidam patrifamilias, obedire, & omnia interiora sua sibi in quadam humilitate assurgere: prorumpit ex his omnibus mira securitas, ex securitate mira tranquillitas, & ex ea ineffabilis jubilatio cordis, tanto devotior in Christi laude, quanto perspicacius intelligit hoc totum ex ejus gratia provenire. Hæc septimæ diei festiva sollemnitas, quam sex dies præcedunt, id est, sex opera misericordiæ. Hæc namque in earum exercitio justus probat, & in sinu sanctæ conscientiæ bonorumque operum contestatione respirans, in ea gratia quæ ei à Deo data est, feliciter sabbatizat. Hæc est primi Sabbati finalis jucunditas, in qua servilia opera, id est, peccata, quæ servos faciunt, prohibentur: in qua nec ignis concupiscentiæ accenditur, nec onera, id est, cogitationes impietatis, sine legis transgressione portantur.

[Margin: ...d. 75. a]
[Margin: ...scriptio ...uæ in ...mo Sabba... quiescen...]

## CAPUT XVII.

*De secundo Sabbato, seu dilectione proximi.*

54. Sane, si ab hoc puriore thalamo cordis, quod primo Sabbato dedicavit, migraverit ad illud diversorium, ubi solet *gaudere cum gaudentibus*, confirmari infirmis, scandalizatis couri, suamque senserit animam fratribus suis indissolubili glutino caritatis unitam, adeo ut nec suspicio sinistra, nec invidiæ motus, nec æstus iracundiæ aut tristitiæ, possit aliqua occasione surrepere; sed eos brachiis sincerissimæ dilectionis amplectens & fovens, uno eodemque humero propria & aliena communicans, cessante omni strepitu vitiorum, ad tantæ suavitatis delicias resolvitur inæstimabili gaudio, & fit in amoris fructu dulcedine libera, totus à noxiis omnibus absoluta vacatio. Nam quod nullum vitium prorsus in hujus Sabbati quiete residere fraterna caritas permittat, testis est hujus secundi Sabbati continuus feriator Apostolus dicens: *Non adulterabis. Non furtum facies. Non falsum testimonium dices, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* David dulcedine hujus suavitatis affectus, ex tanta mentium unione

[Margin: ...m. 12. c]
[Margin: ...m. 13. c]

A in vocem jubilationis prorumpens; *Ecce*, inquit, *quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Psal. 132. a

55. Nota vero, quod sicut primo Sabbato unus dies tantummodo dedicatur, quod videlicet singulare est, quod in propriæ conscientiæ tranquillitate consistit: ita non immerito hic annus integer consecratur. Quemadmodum enim ex multis diebus annus efficitur: ita ex multis animabus cor unum & anima una caritatis igne conflatur. Sex autem annos, qui præcedunt hoc Sabbatum, possumus intelligere sex genera hominum, in quorum dilectione permoramur, vel præcepti debito exercemur. Sicut vero annus multos dies complectitur: ita in singulis generibus hominum, multi nobis animorum B junguntur unitione.

56. In primis vero dilectio vera naturali ordine ad domesticos nostri sanguinis derivetur, quos diligere sicut ex natura necessario tenemur; sic nimis inhumanum est, quod à nostræ dilectionis sacrario repellantur. Nam teste Apostolo, *Qui suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidei transgressor est, & est infideli deterior.* Hinc est, quod hæc dilectio, quæ ex natura proficiscitur, in mandatis, quæ pertinent ad dilectionem proximi, primum locum, Deo præcipiente, sortitur. *Honora*, inquit, *patrem tuum, & matrem tuam.* Hinc ad eos, qui nobis specialiter amicitiæ vel officii vicissitudine copulantur, dilectio nostra progrediens, quodam sinu diffu-C siore laxatur. Verumtamen ista dilectio Pharisæorum justitiam non transscendit, quibus dictum est: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sane & parentum, & amicorum affectio quamvis servata, parum præmii consequitur: quippe cum ad illam lex naturalis inducat, ad istam mutua obsequia nos provocent: utraque tamen si neglecta fuerit, cumulum damnationis importat. Veritas in Evangelio dicit: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Ut ergo in majorem amplitudinem dilectio nostra se porrigat, amplectatur & eos, qui nobiscum Deo militant, & ejusdem vitæ professione nobis in vinculo pacis & spiritus rite cohærent. Deus equidem hujus di-D lectionis est causa efficiens, dum à capite *in barbam Aaron*, & usque *in oram vestimenti* unctio spiritualis emanat: ut qui ab uncto uncti, à Christo Christiani vocantur; omnes in participium nominis Jesu communi vinculo caritatis invicem complectantur.

[Margin: Ordo diligendi Primo diligantur consanguinei. — 1. Tim. 5. — Exod. 20. c — Deinde amici. — Matt. 5. g — Matt. 5. g — 3. Consortes ejusdem fidei & professionis. — Psal. 132. a]

57. Adhuc duo genera hominum restant, quos si in nostræ dilectionis sagenam concludamus, nihil aliud superest, nisi ut illius veri Sabbati requie perfruamur. Eorum enim qui foris sunt, gentilium videlicet ac Judæorum, Schismaticorum & Hæreticorum, necesse est ut ignorantiam doleamus; compatiamur & infirmitati, duritiam defleamus pio compassionis affectu, succurrentes eis orationum suffragio, ut & ipsi in odore unguentorum nostro-E rum currant in Christo Jesu Domino nostro.

[Margin: 4. Infideles]

58. Adhuc dilatat tentorium suum caritas, & pallium, quod veteris legis tempore erat breve, sic ampliat, sic extendit, ut duos operire sufficiat, dum inimicum suum animæ suæ nova Spiritus-sancti unione conglutinat. Hac dilectione filius Dei efficitur homo: hac divinæ bonitatis imago plenissime reparatur. *Diligite*, inquit Dominus, *inimicos vestros; benefacite*, inquit, *his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.* Hæc dilectio, dum inimicum simplici oculo intuetur, securissime dicere potest: *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus.* Ita dimittitur qui dimittit, sic filius Dei, sic *heres Dei & Christi coheres* efficitur. Attende ergo, quam securum, quam dulce F sit, quam jucundum inimicis compati, injuriis non moveri, cum amare pro Christo, à quo sentio non amari; & eam affectionem gerere erga ipsum, quam indulgentissimus pater exhibet erga sibi carissimum filium phrenesi laborantem, quo majores ab ipso irrogantur injuriæ, eo propensiore erga eum ferveat caritate.

[Margin: Denique & inimici. — Matt. 5. g — Matt. 6. b — Rom. 8. e]

## CAPUT XVIII.

*De tertii Sabbati jucunditate & sollemnitate, seu de dilectione Dei.*

59. TErtium Sabbatum habet sex præambulas dies, in quibus cæleste manna colligimus, ut in illa præclara sollemnitate, quæ in Dei dilectione celebranda est, sugamus lac ab uberibus consolationis ejus, & inter duas sortes, inter ubera sponsi, inter sinistram & dexteram, per viscera misericordiæ Dei nostri beatissime quiescamus.
Sex dies hoc Sabbatum præcedentes. Isti sex dies sunt, Christi conceptio, Nativitas, Prædicatio, Passio, Resurrectio, Ascensio. Istis sex diebus
Psal. 73. b *operatus est* Dominus *salutem in medio terræ*, & requiescens
B ab omni opere quod patrarat, sedensque in gloria Dei Patris, ad illud Sabbatum, quod est illius dilectionis celeberrimum, misericorditer nos invitat. O bone Jesu, ô benigne, ô amabilis, ô suavis, ô dulcis, ô amor Deus, quid dulcius, quid suavius, quid amabilius, quam vacare & videre, quantum nos amaveris? Quam pie, quam misericorditer in conceptione & nativitate tua te dignatus sis exinanire, usque ad infirmitates infantilis naturæ? Quam benigne, quam diligenter nos viam vitæ verbo & exemplo docueris? Quanta dignatione te pro nobis morti obtuleris? Quomodo resurgens in gloriam tuam, naturam reparaveris humanam? & ascendens in cælum,
C eam in throno majestatis tuæ collocaveris gloriosam? Quid felicius, quid jucundius Sabbato illius animæ, quæ contemplatione & dilectione Dominum comprehendens, & quasdam divinæ suavitatis experientias in se formans, inæstimabili gaudio sanctæ fruitionis afficitur, dum à se peregrinans jam in cælis habitat, & in *memoria abundantiæ suavitatis* Dei exultat & jubilat? O quies pacifica, ô Sabbatum delicatum, ô dulcedo caritatis, quæ animam diligentem Deum, usque in altissima ejus magnalia provehit, provectamque inter voluptates æternas requiescere facit. Feriatione hujus Sabbati totus homo interior hilarescit, ejus intelligentia serenatur, affectiones dulcescunt, & sancta desideria in Deo quadam fruitione
D felicissima resolvuntur. O mane, ô dies, quæ melior es
Psal. 83. e *in atriis Domini, super millia*. O splendor lucis & ardor caritatis, quæ inflammat Angelos, & illustrat interiora Sanctorum. O præclara sollemnitas & jucunda pausatio, & Sabbatum delicatum! O Sabbatum gloriosum!

Soli Deo inhærere quanta felicitas. 60. Et quæ gloria delicatior aut desiderabilior potest esse, quam Deo medullitus inhærere, & jactare in eum omnes cogitatus & affectus suos, atque in dilectione ipsius colligere tantæ certitudinis fructus, ut de salute animæ suæ, de consortio Angelorum, atque de illa interminabili exultatione, quæ diligentibus Deum præparata est, nullatenus oporteat hæsitare? Propterea *ibant*
Actor. 5. g Apostoli *gaudentes à conspectu concilii*, Andreas glorians
E & exultans currebat ad crucem: Paulus perfusus tanti
Gal. 6. d. gaudii suavitate dicebat: *Mihi autem absit gloriari nisi in*
2. Tim. 1. d *cruce Domini nostri Jesu-Christi:* securus, *Scio*, inquit, *cui credidi, & certus sum, quia nec mors, nec gladius, nec*
Rom. 8. f *angelus, neque potestates, neque alia* aliqua *creatura poterit me separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu.*
Exod. 32. g Moïses innixus tam solidæ caritati, prælegit *de libro quem scripsit* Dominus, *deleri*, quam sustineat sibi creditum divina indignatione populum deleri. Hac inexpugnabili arce munitus Ezechiel in Chaldæam: Jeremias in Ægyptum fretus istius tuitione descendit. Job *frater*
Job 30. d *draconum* per hanc sine periculi suspicione factus est. Da-
Psal. 22. a vid sub istius umbra securus per *umbram mortis incedere*
1. Johann. 4 b
F non veretur. Cum enim *Deus sit caritas*, scit quod ubi sit caritas, ibi est Deus. *Si ambulavero*, inquit, *in medio*
Psal. 22. a *umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

61. Infelix ego, dilexi hactenus mundum, dilectionem tuam, Deus, amori mundano posthabui. Nunc è diverso facis, secundum divitias misericordiæ tuæ, ut te diligam, mundumque & omnia, quæ in eo sunt, præ tua dilectione contemnam; fastidiat anima mea in desiderio tui, Deus, cælum & terram, & omnia quæ in eo sunt. *Quid*
Psal. 72. d *enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Deficiat in amore

A tuo & liquescat anima mea, ut in *deficiendo ex me spiritum meum*, psallam & cantem tibi amoris delicias & divitias caritatis ipsius, per quam *torrente voluptatis potantur* Psal. 35
æternæ, quorum affectio prorsus à tua dilectione absorpta est. Sicut enim ferrum ignitum in quamdam ignis essentiam transit; & sicut guttula aquæ vini dolio infusa, Effectus amoris d[...] in anim[...]
sua insipiditate deposita essentiam melioris substantiæ assumit; & sicut aër solari splendore perfusus, totus est splendor: sic spiritus hominis divino amore affectus, totus est amor. Quocirca qui Deum diligit, sibi mortuus est, & soli Deo vivens, quodammodo, ut ita dixerim, consubstantiat se dilecto. Si enim *anima David conglutinata est animæ Jonathæ*, aut si is *qui adhæret Deo unus spiritus* cum eo efficitur; non absimili unionis judicio quodam genere coëssendi tota in Deum transit affectio, in quo 1. Reg. 1. Cor. 6
sine alterius desiderii exceptione, tota in se collecta transfertur in Deum, qui est omnium desiderabilium plenitudo. Diliget tamen anima perfectius, cum introducetur *in gaudium Domini sui*, in amplexus sponsi, omniumque justorum beatitudinem suam faciet communione caritatis, Matth.
cujus beneficio omnia in nobis erit Deus.

## CAPUT XIX.

*Christi passionem & mortem assidue meditandam esse.*

62. AUdite *cæli, & auribus percipe terra*, quantum magnificavit nobiscum Deus misericordiam suam. Isa. 1. a
Et quis abyssum tam ineffabilis gratiæ consideravit, quis de fonte tantæ dulcedinis gustavit, & non amavit? *Nonne Deo subjecta eris anima mea?* Quare non effundis affectus in Deum, quos dirigis ad *vanitates & insanias falsas?* *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Numquid consiliarius non est tibi aut salvator? *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est tibi?* *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere* ad Dominum Deum tuum, divulsa mea, dilacerata mea, perdita mea; sed Christi morte denique resuscitata, Christi passione redempta. Cur quæso diligis aliquid præter illum, qui tam benigne, tam misericorditer à tot miseriis te redemit? Jugi scrutinio & assidua meditatione revolve, qualiter Unigenitus Dei Patris, cum esset *splendor & figura substantiæ ejus*, post exinanitionem usque ad *formam servi*, post famem, post sitim, post lassitudinem, post lacrymas, post vincula, post flagella, post fel, post acetum, post coronam spineam, post clavos & lanceam, pro salute tua inter duos latrones quandoque pendebat in cruce; crucis equidem *cornua in manibus ejus*, ac de illis pius ille Samaritanus tuis vulneribus *oleum & vinum infundebat*. Porro *ibi erat abscondita fortitudo ejus*, & in amaritudine mortis dulcedo ejus. *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* In testimonio Isaïæ, *Vere tu es Deus absconditus*, Rex *Israël Salvator*.

Psal. 61 Psal. 39 Psal. 41. Jerem. 8. Heb. 1 Philipp. 2 Heb. 3. Luc. 10. Hab. 3. Psal. 30 Isa. 45.

63. Moriebatur Salvator tuus, anima mea, ut te vivificaret: affixus erat cruci, ut iniquitates tuas propriis manibus cruci affigeret. Manus elevabat ad Patrem in sacrificium vespertinum, ut te ad amplexus amicabiles invitaret: vitamque suam, quæ nulli erat obnoxia morti, pro te obtulit ad mortem, ut dum à principe tenebrarum justus injuste occiditur, quia quod suum non erat usurpare convictus est, ea quam habebat in te potestate privaretur. In tam exuberanti beneficio, in tanto cumulo gratiarum, quo te largitio divina quasi obruit & confundit, vide ne ingrata sis. Ingratitudo enim peremptoria est salutis, ipsa est flatus aspidis, virus animi, uredo virtutum, ventus pestilens, & aura corrumpens stillicidia pietatis, rorem gratiæ & misericordiæ fluenta deficcans. Ingratitudinis detestatio.

## CAPUT XX.

*De beneficio redemptionis, & aliis.*

64. ADdhuc dico: nihil est enim satis dictum, quod semper est dicendum, atque recordatione continua replicandum. Eras illi gravissimo creditori, angelum Satanæ loquor, illi quidem immanissimo exactori, tot

debitis quot peccatis vinculo chirographi obligata, nec solvendo eras. Dei autem Filius non quæ rapuerat, sed quæ rapueras, pro te solvit: &, quod dignatio propensior & gratia uberior erat, non delegavit alium debitorem, sed dedit animam suam in causam tuæ salutis. Cumque ille angelus transfuga & emansor, te in detestabilem peteret ancillatum, Christus litem contra te propositam suam fecit. Postquam diversas productiones testium, legum, oraculorum, prophetarum, signorum, tandem proprium sanguinem allegavit; obtinuit allegatio illa tuæ sententiam libertatis; super calculo sententiali scriptæ sunt litteræ in membrana capitis crucifixi, & confirmatæ à sæculo misericordiæ & veritatis, pacis & justitiæ obviantium sibi. Denique impressum est sigillum, plaga B scilicet lateris, quam in pretium redemptionis nostræ & placationem continuam jugiter exhibet ante oculos Patris.

65. Adhuc exstat titulus chartæ inscriptus in tantæ caritatis memoriam; sciasque quod si te ingratam reperit, nec velle uti tanto beneficio; exiget à te districtissime mortem suam, vereorque nequando indignantissime dicat tibi: *Tolle manum & mitte in latus meum* dextrum, mitte digitos tuos *in fixuras clavorum*, & vide quanta pro te passus sum. O ingrata & crudelis impietas! nonne putas Deum de collatis tibi beneficiis pœnitere, si ea viderit per ingratitudinem periisse? Propterea oratio nostra sæpe repellitur. Et hoc ipsum pia dispensatione fieri existimo: C ne qui de præacceptis beneficiis ingrati fuimus, ex nova largitione cælestium munerum graviore culpa ingratitudinis oneremur. Cum enim Deus beneficium perditum reputat, quod non prosequitur actio gratiarum; nobis expedit non exaudiri potius, quam ad cumulum damnationis nostræ ingratitudinis materiam obtinere quod petimus. Qua ergo præsumptione non diliges illum, qui te non diligentem dilexit? Qui te peccatricem non despexit? Vide, quæso, qua compensatione, quo merito summæ & æternæ respondeas Trinitati.

...v. 29. g

...orantes non exaudimur. Bern. ... 27. de ... n. 6. j

66. Tradidit pro te Pater Unigenitum suum morti. Tradidit & Filius se ipsum pro tua salute in mortem. Datus est denique Spiritus-sanctus, testante Apostolo: D *Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.* Sic amat nos Pater, amat Filius, amat Spiritus-sanctus, amat nos Trinitas sancta tota, Deus æternus, omnipotens & immensus, cujus *magnitudinis non est finis*, cujus *sapientiæ non est numerus*, cujus *pax exsuperat omnem sensum*, à quo & in quo universa sunt, visibilia & invisibilia, cælestia & terrestria. Et si eum diligis, hoc facis ex debito; si te diligit, facit hoc ipse gratuito. Attende celsitudinem cæli, & magnitudinem firmamenti, & modicum in locis palustribus lutum. Talis est adhuc inæstimabiliter dispar comparatio tui ad Deum, sicut luti ad cælum. Quæ autem collatio tui ad ineffabilem, ad incomparabilem, E ad incomprehensibilem? Nihil ei ad mensuram meriti retribuere posses, si in retributionem eorum, quæ pro te sustinuit, te millies mille annis etiam gehennali incendio cruciares.

...nn. 3. b — 5. a — ...44. a ...146. a ...pp. 4. b — ...no quam ...ar divinis ...eficiis.

## CAPUT XXI.

*De beneficio creationis.*

67. OMnia quidem quæ in Deo sunt, inæstimabiliter excellentiora sunt his, quæ nostra sunt. Ipse enim diligit ut caritas; judicat ut æquitas; disponit ut sapientia; revelat ut lux; miseretur ut pietas; scit ut veritas; operatur ut virtus; præsidet ut majestas. Circumscriptis F autem omnibus, quæ ad dispensationem incarnationis suæ pertinent, diligenter attende, quod tibi universitas mundi de mandato obsequitur, omnis natura tuis famulatur obsequiis, cælum, aër, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, tuis pariter necessitatibus & oblectamentis inserviunt. Annua revolutio flores fructusque arborum & herbarum rediviva innovatione reformat, atque habentibus & repullulantibus naturis germinum antiquitatis, continua Dei munera tibi circuitus temporum subministrat. Recognosce anima, quod quandoque non eras, &

...mnes creaturæ homini... commo... serviunt. ...ide supra 3. n. 23.

A ab eo facta es. Nihil ei dedisti, ut te faceret. Nihil enim dare poteras, qui non eras. Cum autem melius esset esse, quam non esse; gratis tibi esse contulit, omnibus illis te præferens, quæ de non esse ad esse poterat perducere, nec perduxit. Adjecit tibi speciem: & cum essentia de nihilo prodierit de gratia Creatoris; ipse sua te imagine & similitudine insignivit, & adhibuit cum pulcritudine vitam. Unde tanta & tam gratuita, & tam inaudita dignatio, ut fieres *ad imaginem & similitudinem ejus*, nisi ut simile tuum diligeres, & ei, qui te gratuita dilectione prævenit, dilectione mutua conformares? Gen. 1. c

68. Ei ergo cor & medullarum tuarum interiora exhibe ad diligendum, qui te diligere dignatus est, nihil tamen in te reperiens diligendum. Ama signaculum tuum, B & imaginem tuam, utque expressior in te forma tui Creatoris appareat, ei qui caritas est, te fide & caritate conforma, & in materiam gratiarum beneficia ejus jugi meditatione cogita. Amator tuus ad hoc exhortatione prophetica te invitavit: *Pone me*, inquit, *ut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum* dexterum. Ac si dicat, Pone me memoriale tuum in corde & brachio, id est, in cogitatione & opere, ut deposita *imagine terreni hominis, cælestis imaginem portes*, attendens divinæ dilectionis argumenta, quæ refelli non possunt. Pone me super cor tuum, ut fidei signaculum, ut amoris exemplum. Tale signaculum ante prævaricationem suam in se Angelus C apostata exprimebat, testimonio Ezechielis dicentis: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore.* Angelus siquidem in sua creatione tanta Deo conformitate unitus est, ut esset potius signaculum similitudinis, quam simile vel signatum. De sigillo quippe talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in eodem sigillo essentialiter habetur: & hæc homini competit. Angelus vero pro sua subtilitate Deo expressiori similitudine adhærebat: quia totus & tantummodo spiritus erat. Nos vero luteo inclusos carcere, & inhabitatione terrena depressos, caritas ad dignitatis angelicæ statum reparat: & licet *corpus, quod corrumpitur, aggravet animam, & deprimat terrena cogitatio sensum multa cogitantem:* tamen D peccato deformatos, novum diligendi Dei mandatum ad Dei similitudinem nos reformat.

Cant. 8. b — 1. Cor. 15. f — Ezech. 28. c — Angelus similior Deo quam homo. — Caritas reddit Deo similes. — Sap. 9. d

69. Multiplicavit in te Deus dona sua. Adjecit enim pulcritudini tuæ vivere, sentire, discernere: & in omnibus quæ munificentia ejus tibi contulit, accepit indigentia tua gratiam ejus, non exigentia tui meriti antecessit. Desponsavit te fide, foris ornavit te sensibus, quasi quibusdam præfulgentibus gemmis: te vero interius quasi naturali pulcritudine sapientia insignivit. Novit quis ornatus tibi competentior esset. ideoque dedit quod te decuit, & in tantum, ut etiam propter hoc ipse te diligeret qui hoc dedit. Sane insana es, si eum mediocriter amas, qui te tanto amore prævenit, qui tanta & tam pretiosa E largiens, majora etiam diligenti se pollicetur, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit*; quorum æstimatio *in cor hominis non ascendit.* Ex ejus munere pensare teneris, quantum sit diligendus, qui tantum diligit, ut non tantum temerarium, sed etiam nefarium debeas reputare non solum diligentem non diligere; sed tanti, tam potentis, tam præcellentis amorem totis visceribus, totis interioribus præcordiis non amplecti. Omnium pulcherrimus est sponsus, *speciosus* factus *præ filiis hominum.* Ama Sponsum, ama Regem in decore suo, Regem virtutum, plenum gratiæ & veritatis, coronatum gloria & honore, Dominum majestatis.

1. Cor. 2. e — Motiva ad gratitudinem.

70. Concupivit Rex decorem tuum, & munera quibus F te ornare dignatus est, in tuum ejus amorem inclinaverunt affectum. Amat te in muneribus suis. Si enim habes aliquod bonum; illud habes * intelligere ejus donum. Verbum Apostoli est: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Si de aliquo gloriaris, quasi illud de te ipso, non à Deo acceperis; furatis Deo quod suum est, honorem alterius tibi rapis, & in alienam gloriam præsumptuose intrudens, *habes* quidem *gloriam, sed non apud Deum:* quia gloriam alienam tibi usurpas nequiter contra Deum. Vide ne umquam surrepat tibi ingratitudinis nota. Recole incessan-

* al. debes — 1. Cor. 4. b — Rom. 4. a

ter te tua iniquitate perditam, & ipſius miſericordia reparatam.

## CAPUT XXII.

*Animam, aliis rebus creatis digniorem, non debere quidquam amare ſupra Deum.*

71. STudeas illi placere modis omnibus, quibus potes, qui te talem facere dignatus eſt, ut placeres, ut te ipſam agnoſceres, & tui gratiam Creatoris in tuæ pulcritudinis inſpectione probares. Porro oculus cuncta videns, ſe ipſum non videt. Ideo faciem tui cordis quandoque in ſpeculo propriæ rationis attendas, ne tuæ facias injuriam dignitati. quod equidem facis, ſi vis te abjectiora tibi præponere, & ea quæ decorem ſuum imaginarium & umbratilem habent, tibi quæ in veritate pulcherrima es, coæquare. A tua dignitate nimis enormiter & ignominioſe te dejicis, ſi tranſitorias & inanes pulcritudines appetis & miraris. Mundus nimirum propter te factus eſt, ideo mundum non ames; quia mundus non eſt te dignus, cum ſis eo longe dignior, & ſole & luna, & omnibus creaturis. Omnia quippe temporalia ſuæ pulcritudinis defectus agnoſcunt; & tu in futuro, labore non deficis, nec palleſcis ægritudine, nec marces ſenio, nec morte tabeſcis. Quocirca ſi aliquid diligis in hoc mundo, qui totus tibi eſt ſubjectus, ſumma temeritas eſt; niſi ea diligere velis, ut tibi ſervientia, ut munera ſponſi, ut amici xenia, ut beneficia Domini. Nec iſta diligas cum illo; ſed propter illum iſta, & ipſum diligas ſuper iſta. Degenerabis equidem in amorem meretricum, ſi plus amas dantis munera, quam amantis affectum. Donanti quidem injuriam facis; immo te meretricali turpitudine dehoneſtas, ſi recipis dona, & dilectionis viciſſitudinem non rependis. Ipſum ergo dilige propter ſe; & propter eum dona ipſius. Dilige te illi, & illum tibi: dilige ipſum ut eo fruaris, ut in eo ponas affectiones tuas, & cum dilexeris ferventius, affectuoſius diligaris. Hic amor ſanctus eſt, nihil habens ſordidum, nihil impurum; ſed in Dei recordatione dulciſſimus, omnes mundi ſupergrediens delicias, & quodammodo ex natura ſuæ ſtabilitatis æternus.

Dona Dei non ſupra ipſum diligenda.

72. Illud autem jugi memoria teneas, quod quanto differentius eſt præeminentior eſſentia ejus fragilitate humana, tanto ſuavius & incomparabiliter dulcius & delectabilius diligit atque diligitur, quam Angelus, quam homo, quam aurum, quam argentum, ſeu lapis pretioſus, vel caritas, vel libertas, vel quæcunque alia, quibus corda hominum diſtrahuntur. Nec te ab eo minus diligi credas, ſi quibuſdam animantibus terræ tecum pariter beneficium ſolis & lunæ, & cetera gratiæ ſuæ dona communicat. Nimirum quæcumque illis donata ſunt, propter te donata non dubites. Ut enim tibi ſerviant univerſa, ipſa de divina bonitate neceſſaria ſibi bona recipiunt, ſine quibus eſſe aut ſervire non poſſunt. Numquid ideo videtur circa te dilectio ipſius intenſior, ſi tibi ſoli omnia contuliſſet? numquid beatior eſſes, ſi ſola habitares in mundo, & omnia quæ in eo ſunt, ſine ullo ſocialis vitæ ſolatio poſſideres? Et ſi etiam de malorum hominum ſocietate cauſaris, ſcias proculdubio, quod ſicut tibi & malis hominibus cetera ſerviunt, ſic malorum hominum vitam facit divina diſpenſatio in tuum militare profectum. Malorum ſiquidem ſocietate hi, qui boni ſunt, in melius exercentur: docentur & affectare virtutes, & alia dona Dei, quibus ipſi carent, & quæ longe meliora ſunt, quam omnia, quæ cum injuſtis hominibus poſſidentur.

Deus ſuper omnia diligendus.

Beneficia aliis creaturis præſtita redundant in hominem.

Mali etiam proſunt bonis.

73. Denique cum videant malos ruere in interitum, de ſuæ ſalutis exſpectatione creſcit eorum affectus in Deum, & de divinis muneribus, quorum cum impiis nulla eſt communio, ſequitur devotior exhibitio gratiarum. Cum ergo omnia tibi cooperantur in bonum, ut mali tibi exercitio, & boni tibi ſolatio fiant; non reputes te minus diligi, quia ſingulariter te non amat: qui tamen quadam amoris ſingularitate te diligit, dum & bonos, & malos in uſum tuæ utilitatis inflectit. Cumque ipſo jure & debito caritatis velis tecum omnes alios æternæ beatitudinis eſſe participes, tua bona voluntas bonum alienum tibi proprium facit, & ſancti Spiritus communione, beatitudine omnium, ſingulorum beatitudo accreſcit. Fit igitur amor ex ipſa communione ſingularis, dum nihil ex plurium participatione minuitur, & diffuſus in omnes totus in ſingulis reperitur. Te itaque ſingulariter diligit, qui nihil ſine te diligens, alia propter te diligit. Licet enim amor diffundatur in plures; tamen eſt in ſingulis totus, ut omnes unice diligens, ab omnibus unice diligatur. Propterea hic eſt amor unicus, non privatus; ſolus, non ſolitarius; communis, non diviſus, nec uſu deficiens, nec tempore, aut participatione decreſcens. Repone igitur in theſauro memoriæ, & recole inceſſanter quæ tibi à Deo donata ſunt; ut nec de acceptis præſumas, nec umquam ſuper acceptis ejus beneficiis in gratiarum actione lenteſcas.

Etiam damnati.

## CAPUT XXIII.

*Amorem Dei in nos mirabilem viciſſim à nobis exigere ardentiſſimam dilectionem.*

74. QUanto præeminentior eſt humanitate divinitas, tanto amor Domini Salvatoris, quem habet ad nos, amore illo quem habemus erga illum vel ad proximum, dulcior eſt, firmior, atque profundior, violentior, penetrabilior, compaſſibilior, ferventior, atque ſuavior. Omnes maternos affectus, omnes fratrum conjugumque conſenſus, illa dilectio quam habet ad nos, inæſtimabili caritate tranſſcendit. Ipſe paternæ gratiam lenitatis exprimens in ſeipſo, fidelem animam alloquitur dicens: *Amodo voca me, Pater meus es tu, Dux virginitatis meæ tu es.* Et illud: *Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.* Ipſe materna nos benignitate præveniens, *Quemadmodum*, inquit, *mater conſolatur filios ſuos; ita & ego conſolabor vos.* Et rurſum: *Numquid poteſt mater infantem ſuum oblivisci, ut non miſereatur filii uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* Ipſe in ſe modum fraternæ dilectionis aſſumens, animæ fideli ſic loquitur: *Hortus concluſus*, ait, *ſoror mea, ſponſa.* Amicus eſt, dum fideli animæ dicit: *Pulcra es amica mea.* Et ipſa de illo: *Talis eſt*, inquit, *dilectus meus, & ipſe amicus meus.* Sponſus eſt cum de illo dicitur: *Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus. Hoc* ergo *ſentiamus* in nobis *quod in Chriſto Jeſu*, qui *extendens manus in diſcipulos ſuos* vocat eos *fratres*, & quod amplius eſt, *patrem*, & *matrem*, & *ſororem*, omnem ſcilicet qui ſancte & humiliter, qui caſte & ſocialiter, ejus aut proximi fecerit voluntatem.

Amor in nos

Jer. 3.

Iſa. 6

Iſa. 49

Cant. 4

Cant. 1

Cant 5

Iſa. 62.

Philip

Matt. 1

75. Si recenſeas diligenter effuſam & indefeſſam circa te magnificentiam & munificentiam gratiæ Dei, licet ipſe ſit generalis omnium diſpenſator, videbis tamen eum circa commoditates tuas, quaſi totum & ſingulariter occupatum. Quocumque te vertas, tibi ſollicitus & diligens proviſor aſſiſtit, in intentionibus, in meditationibus, in verbis, in conſiliis, in operibus, in adverſis, in proſperis, foris, intus, ejus gratia te ſequitur & præcedit. Tibi exhibet in omni tribulatione remedium. Sanat infirmam, reducit erroneam, corrigit delinquentem, conſolatur afflictam, erigit lapſam, triſtem lætificat, nec diu vacillare ſuſtinet deficientem. Illud, anima mea, tamquam animæ * meæ conſulo, ſicut alias me recolo monuiſſe, ut primitias creationis tuæ attendens, jugi ſcrutinio & ſollicita meditatione revolvens, quod ſpecioſam te fecit, quod multiplices gratiæ dotes adjecit, quod cum poſtea per te fœda & fœtida facta eſſes, pius & miſericors gratuita benignitate ſua tuæ averſioni compatiens, ſicut te non exſiſtentem dilexit ut conderet; ita te conditam, ſed perditam, ſua gratia reparavit.

Provid. Dei in

* amic

76. Loquitur in Jeremia Fons miſericordiæ Dominus dicens: *Vulgo dicitur, mulier* ſi dormierit *cum adultero viro, numquid revertetur ad virum ſuum* priorem? *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. tamen revertere ad me*, & ego ſuſcipiam te, *dicit Dominus*. Qui te illibatam & integram creaverat, tibi multiplicis gratiæ dona ſponſalia contulerat: tu vero amatoribus alienis adhærens, dediſti ſponſo tuo libellum repudii, tuam integritatem expoſuiſti corruptoribus, & illicitos amplexus affectans, divaricabas pedes tuos ſpiritibus immundis. Tandem ſuper

Jerem. 3

Dei bo erga pe res.

super omnes meretrices *vilis facta es* : *noluisti erubescere*, sed animo infrunito ad illicita ruens, teipsam devolvebas in abyssum damnationis æternæ. Ipse vero tam excelsus, tam admirabilis, tam potens, tam insignis, post lapsum tam damnabilem, oculo te respexit misericordiæ. Ipse ut te de luto fœditatis erigeret, de suæ gloria majestatis descendit; ut tuæ corruptionis ignominiam aboleret, pro te dura & ignominiosa sustinuit: & ut paucis multa concludam, ut te liberaret à morte, damnatissimæ se morti obtulit. Nec expressius, nec fidelius, nec dulcius, nec benignius exhibere potuit, quanto te diligeret caritatis affectu.

77. Nunc etiam tuæ prævaricationis oblitus refundit tibi gratiam, quam amiseras; redintegrat amorem, quem corruperas, nec sua beneficia tibi, nec tuos excessus improperat. Immo si humiliter & fideliter ei adhærere digneris, accumulabit gratiam super gratiam, ut pulcrior quam umquam fueris & purior fias, & quanta sit circa te dilectio ejus, ex tui lapsus reparatione cognoscas, sciens quam fructuosum sit eum diligere, qui tam ineffabiliter est bonus, & incomparabiliter mansuetus. quod numquam fortasse sine tanti periculi experientia didicisses; sentiens te ex infirmitate fortem, ex casu stabilem, cautum ex periculo, ex infelicitate felicem. Quocirca iterum adhuc & iterum usque ad nauseam replicabo, ut assidue cogites, quanta tulerit tantus pro te tantilla & tam perdita, sanguinem & mortem suam ponens pretium tuum, cum sit sanguis ejus impretiabilis, & mors ejus æstimationis non recipiat modum.

78. Illud etiam super omnia cavere te oportet, ut non arroganter de ipsius effusa liberalitate præsumas, sed continue recolas, qualiter in lupanari opprobrio prostitutam, ab immunditiis sanguine suo laverit, amaverit, integritati restituerit. Amor * enim ipsius violata integrare, non violare integra consuevit. Licet autem faciem suam non videas, ipsum tamen tibi præsentem non dubites. Vide ergo ne aliqua indecentia tui, oculos præsentis offendas, ut scias indubitanter, quod qui te dilexit turpem, plenius te diligit speciosam. Induere ergo, quæso, veste innocentiæ, orna te quasi veste polymita, varietate virtutum, & qui te fidei anulo subarrhavit, in te odorare lætetur aromata gratiarum. Dilige, quæso, tota anima Dominum Deum tuum, sponsum tuum, vitam tuam, solatium tuum, consilium tuum, auxilium & refugium tuum. Denique illum dilige, qui tibi est quicquid amabile, aut optabile esse potest: dilige eum caste, devote & sancte, non verbo, non lingua, sed opere & veritate. *Quære* in amore tuo non *quæ tua sunt*, *sed quæ Jesu Christi*. Sic enim diligere Propheta nos docebat, cum diceret: *Confitemini Domino quoniam bonus; quoniam in sæculum misericordia ejus*. De illo autem qui *quærit quæ sua sunt*, scriptum est: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*.

79. Sic ergo te totam jactes in eum, sic amando tota transeas in amatum, ut tui oblita, factaque apud teipsam tamquam vas perditum, vivas in ipso, & in teipsa deficias, ut possis dicere cum Propheta: *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Domine Deus, *tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea*. Sed quando fiet hoc Deus? *Quando venies* anima mea, *& apparebis ante faciem Dei?* Quando sinistra in dexteram convertetur? Quando sponsus *te exhibebit, non habentem maculam neque rugam?* Cum *fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, cum *templum sanctum, quod* tu es, ornabitur cortinis aureis, cum *majestate replebitur omnis terra*, cum tibi *exultanti in conspectu Dei, & delectanti in lætitia ministrabis transiens*, dico ab illa specie corporali, quam suis exhibuit Apostolis, ad illam gloriæ speciem, in qua est coæqualis & coæternus, coomnipotens Deo Patri. Te itaque in spe & exultatione futurorum jugiter exerceas votis ac desideriis, ac de perceptione præsentium semper sit apud te *gratiarum actio, & vox laudis*.

## CAPUT XXIV.

*Quantopere cavendum, ne anima sit ingrata erga Deum sic diligentem.*

80. Usquequo dormies anima mea, usquequo dormitabis, ut vel brevis hora otiosa subrepat, in qua non habeas memoriam Filii Dei, pro tua miseria, & pro sua misericordia crucifixi? Unicuique molestissimum videretur, si compari suo magnum impendisset obsequium, & ipsum super beneficii exhibitione inveniret ingratum. quid ergo faciet Dominus majestatis, si nos, qui cinis & pulvis sumus, tantæ misericordiæ invenerit ingratos? *Quemadmodum pater miseretur filiorum, misertus est* nostri. Si enim aliquem indurat, judicat, & condemnat; ab eo non est, sed à nobis. Licet enim *cui vult misereatur, & quem vult induret*: ipse tamen, cui proprium est misereri semper & parcere, & suas misericordias coronat in nobis, & malitias nostras punit. Ipse nimirum *Pater misericordiarum* per Prophetam loquitur; *Numquid voluntatis meæ est mors impii, & non* magis *ut convertatur & vivat?*

81. Recole, recole, quod Deus Dei unigenitus pro salute tua *inclinavit cælos & descendit*, & ut te de luto fæcis erueret, quodam artificio ineffabili, manendo quod erat, usque ad livores & vulnera passionis, se à sua majestate deposuit. Moïses quidem Æthiopissam duxit: sed in ea pellis nigredinem non mutavit. Te filius Dei Christus Jesus reperit, multiplici peccatorum turpitudine denigratam: lacrymis suis & baptismo suo tandem & cruoris unda te lavit, & te sibi *exhibuit gloriosam*. Scis, nec ambigere debes, quantum sponso tuo sis inferior genere, specie, dignitate. Unde igitur tibi tantus & tam ineffabilis honor, quod te Deus sibi in sponsam dignatus est eligere, *per quem omnia facta sunt*, qui habet potestatem vitæ tuæ & mortis, Rex cæli & terræ, splendor & imago substantiæ Patris, *in quem desiderant Angeli prospicere*; cujus pulcritudinem sol & luna mirantur; creator & rector universitatis, Angelorum & Archangelorum desiderium, Deus gloriæ & Dominus majestatis? Unde hoc tibi, quod te recipit sociam gloriæ, consortem regni, participem thalami? Quem cum tetigeris, casta es; cum cognoveris, docta es; cum videris, beata; cum frui poteris, gloriosa. Fac igitur ut confidat in te cor viri tui; *obliviscere populum tuum*, nec mentem tuam declines ab eo vel etiam ad momentum. *Stat Angelus Domini* qui *secet te mediam*, si alium amatorem receperis, si erga eum tepuerit amor tuus, si te in modico indevotam exhibueris vel ingratam. Recole quanta tibi fecerit Deus: attraxit te, ad domum gloriæ suæ te provecturus, quæ non audebas de scabello pedum ejus, aut de venia cogitare.

## CAPUT XXV.

*Quomodo Deus diligendus.*

82. Quam affectuose, quam sincere, quam suaviter, quam dulciter Deum diligere tenearis; Dominus per Moïsen docet dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis*. Hoc Dei præceptum exactissimam observantiæ necessitatem sibi habet implicitam. Potest enim aliquis se excusare, quod vigilare, & laborare idoneus non sit. Sed excusare se nullus potest, quod amare non possit. De virginitate datur consilium, non præceptum. *Qui potest*, inquit Dominus, *capere, capiat*. Et Apostolus: *De virginibus* quidem *præceptum non habeo*, *consilium autem do*. Caritas autem à Deo præcipitur fortiter & obnixe, & sub interminatione pœnali cordibus humanis indicitur. Mandavit equidem hoc mandatum Dominus custodiri nimis, & ut ipsum in cordibus nostris altius quam clavum infigeret, velut crebros ictus sæpius inculcavit, prius ut diligeremus *ex toto corde*, postea subjungit, quod *tota anima*; deinde adjecit, quod *ex tota virtute* nostra. Vere clavus aut stimulus est hoc præceptum. Nam sicut Salomon dicit, *Verba sapientis stimuli sunt, & quasi clavi in altum defixi*. Nonne plusquam stimulus est aut clavus

Margin notes: m. 3. a; In tamen sumendum; Nota.; Parænesis ad amorem Dei.; Philipp. 8.; Psal. 106. a; Psal. 48. d; Psal. 72. d; Psal. 26. c; Psal. 41. a; Ephes. 59. f; Psal. 45.; 1. Cor. 3. d; Par. 7.; Psal. 67.; Eccl. 12. c; Psal. 51. b; Ingratitudo offendit Deum.; Psal. 102. d; Rom. 9. d; 2. Cor. 1. a; Ezech. 18. e; Psal. 17. a; Ephes. 5. f; Inæqualitas animæ ad sponsum Deum.; Johan. 1. a; 1. Pet. 1. c; Prov. 31. b; Psal. 44. c; Dan. 13. g; Deut. 6. b; Matth. 16. b; 1. Cor. 7. e; Cur tam inculcat in dilectionis præceptum.; Eccl. 12. d

Hebr. 4. c *sermo Dei vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti?* Sane duritia cordis nostri hanc exigebat inculcationis instantiam, ut hoc præceptum ad nostrorum cordium interiora transiret, sicut duro stipiti clavus crebra infixione infigitur, donec etiam interius adigatur. Expediebat ergo nobis, quorum corda mundanus amor infecerat, & interiores latebras animæ obtinebat, ut ejiceretur de omnibus cordis medulis, ut etiam *princeps hu-* (Johan. 12. e) *jus mundi ejiceretur foras*, exsulans à corde nostro, ut *in* (Johann. 4. c) *Deo maneret, & Deus in eo.* Sed quis totum cor suum habere confidat? cum de corde suo conqueratur Propheta & dicat: *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.* (Psal. 39. c) Et iterum sui cordis reparationi congratulans, *Invenit*, inquit, *servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac.* (2. Reg. 7. d)

Raro cor nostrum possidemus.

83. Sæpe in libro experientiæ legimus, quomodo à corde nostro relinquimur. Nunc est nobiscum, nunc alibi: nunc avolat, nunc recurrit; in sola lubricitate manens, in nulla umquam sui soliditate consistit. Quomodo igitur diligam toto corde, quæ à toto corde meo * excidi? (* al. incidor.) Aut quomodo totum cor meum valeo habere, nisi Deus ipsum fecerit meum? Nihil equidem de corde meo habiturus sum, nisi quantum Deus de ipso fecerit meum. Porro si omnes affectus & intentiones & motus cordis mei, Deo adjuvante, in ipsum dirigerem, fixumque in eo immobili devotione tenerem, insuper & medullas animæ ille cælestis ignis accenderet, de quo Propheta commemorat, C *Ignem misit Dominus in ossibus meis, & erudivit me*; (Thren. 1. e) liberum forsitan mihi esset toto corde diligere. Nunc autem *imperfectum meum videant oculi mei*, (Psal. 138. c) ut si quantum debemus non datur nobis diligere; saltem quantum possumus diligamus. Si recolamus beneficia Dei; non ea tantum in quibus per carnis dispensationem visitavit nos oriens ex alto; sed quotidiana & fere continua, quibus nos in angustia & afflictione spiritus constitutos, Pater misericordiarum assidue consolatur; quis *ei unum pro mille respondere* (Job. 9. c) aut rependere possit, qui tot miserationibus tot miserationes inculcans & ingerens, & in omnibus nobiscum magna faciens, tam crebris munificentiis obruit nos & confundit? D Ut ergo cor nostrum totum in gratiam suæ dilectionis alliciat, ut ab amore mundi prorsus nos avellat, cum *amicus mundi sit inimicus* ipsius, (Jac. 4. b) & hoc doceat nos sacra eruditio, cor nostrum ad amorem suum paterna lenitate invitat. Quod enim præcipimur Deum diligere ex toto corde nostro, ex tota anima, ex tota mente, perinde est, ac si nos instruat Deus diligere se dulciter, prudenter, & fortiter *.

V. Serm. 29. de divers. Tomo 2.

## CAPUT XXVI.

*Christus maxime ob passionem suam diligendus est.*

84. ET quid dulcius, quam jugis recordatio dispensationis ejus, per quam *apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei?* (Tit. 3. a) Super omnia, Christe Jesu, E passio tua te nobis amabilem facit: ipsa *propitiata est omnibus iniquitatibus nostris.* (Psal. 102. a) Effusione enim sanguinis sine culpa, omnium culparum chirographa sunt deleta. Gratias tuæ cruci Jesu. Ipsa enim omnes cruciatus nostros evacuat. Gratias clavis, gratias lanceæ referamus, quæ nobis aperuit *viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.* (Luc 1. g) O quam horrenda & insatiabilis est plaga prævaricationis nostræ, pro qua Filium Dei oportebat tot dura opprobria, tot & tam dura vulnera sustinere! Clamabat sanguis Abel ultionem de terra. Clamabat sanguis Naboth. Clamabat *sanguis omnium justorum qui effusus fuerat super terram*, dicentium, *Vindica Domine sanguinem nostrum, qui effusus est super terram.* (Matt. 23. d; Apoc. 6. c) F Solus sanguis Christi clamabat reconciliationem & redemptionem populi sui. Clamabat mors ejus defunctis ad vitam, peccatoribus ad indulgentiam, captivis ad liberationem, perditis ad salutem. Ipse jugiter interpellat ad Patrem, ut pretium sui sanguinis, & merces obedientiæ quam Patri exhibuit, pro peccatoribus in redemptionem pœnitentium convertatur. Teste quidem Apostolo, *Deus Filium suum nobis propitiatorem constituit per fidem in sanguine suo.* (Rom. 3. c) Apostolus clausulam hanc, scilicet *per fidem*,

Sanguis martyrum clamat vindictam, at Christi, veniam.

A circumspectissime posuit. Si enim fidem & fiduciam tuam jactes in livores & vulnera crucifixi, & in tuæ salutis usum convertas memoriam Dominicæ passionis; erit sanguis ipsius pretium tuæ redemptionis, mors ejus tibi convertetur ad vitam, suus dolor in gaudium tuum, suæ angustiæ in tuas delicias, in tuum honorem sua opprobria, & ut multiplicato fervore gratiæ tuæ obtineas *salutem*, quam *operatus est in medio terræ*, tibi cedet in jucunditates æternas ipsius supplicium temporale. (Psal. 7)

85. O fons misericordiæ Jesu, quem ad te diligendum non moveat, quod inter *opprobria exprobrantium*, (Psal.) inter mortis angustias, tuarum miseriarum oblitus, sed tuarum misericordiarum memor, tam pie, tam opportune, B ad Patrem pro tuis crucifixoribus interpellas? Nam extensione & transfixione corporis tui, cum jam figura tua in odium verteretur; in ipsa hora incensi, cum jam virtus holocausti cælos aperiret, concuteret terram, & inferos spoliaret, tu summus Pontifex *introiens cum sanguine in sancta* Sanctorum, (Hebr.) *exaudiendus pro tua reverentia* clamabas, (Hebr.) *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* (Luc.) Quàm dulcis erit diligentibus se, qui odientes & occidentes se, tanta & tam indebita, tam gratuita & tam stupenda benignitate prævenit!

## CAPUT XXVII.

*Amorem debere esse prudentem & constantem.*

86. QUia tamen cordis amor totus est in affectu; ne sit nimium præceps, expedit ut sapientia & discretione regatur. Præcipimur ergo Deum *tota anima*, id est sapienter, diligere. Anima enim sedes est sapientiæ. Diligebat enim Petrus Dominum dulciter, sed non prudenter: quia carnaliter. Amor enim cordis plurimum ad carnales affectus accedit: ideoque ipsum mori prohibebat: quia non sapienter, sed dulciter; non discrete, sed temere diligebat. Quia etiam dulciter discipuli, sed imprudenter amabant; dictum est eis: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado: quia Pater major me est.* (Johann.) ac si diceret: Si diligeritis me prudenter, desiderabilis esset vobis ascensus meus ad Patrem; quia naturam humanitatis vestræ mecum defero, in Patris gloria collocandam.

87. Tertius amor zelo fidei & quodam affectionis fervore firmatur, cum homini mentem suam ad Deum diligendum tota interiori virtute consolidat, atque ad dura & dira toleranda pro Christo se in desiderio cælestium & temporalium contemptu constanter fortiterque conquadrat. Quia vero non diligebat Petrus ita prudenter ut debebat, licet affectuose diligeret, increpatus à Domino vocatus est *Satanas*, eo quod adversaretur omnium redemptioni, quam Christus in sui corporis passione disponebat. (Marc; Petri imprud.) In quo etiam patet tunc dilexisse imprudenter, cum sola carnis affectione inductus, propriam salutem & Christi gloriam retardaret. Sed nec dulciter, nec prudenter, nec fortiter diligebat, ubi *negavit* ad vocem ancillæ, qui se non negaturum etiam pro periculo mortis evitando promiserat. Porro ut hic triplex amor purgaretur & firmaretur in Petro, ter, sicut credimus, etiam interrogatus est à Christo: *Petre amas me?* ut qui in hoc triplici amore *inventus est minus habens*, (Johann.; Dan. 5.) imperfectum suum triplici confessione redimeret & suppleret. (Cur P ter de a interrog) Sic in ministerio dispensationis amandus est dulciter, & ne de redemptionis nostræ beneficio nimium præsumamus, aut in aliquo diffidamus, diligendus est prudenter. Habita vero consideratione ad potentiam & gloriam resurrectionis, per quam fortiter de *potestate tenebrarum* nos eripuit, nobisque portas gloriæ aperuit, amandus est fortiter & constanter.

## CAPUT XXVIII.

*Deum etiam in promissis diligi debere.*

88. DEnique cum *ex toto corde* diligendus est Deus in beneficiis suis, sicut in superiori præstruximus; simili modo *ex tota anima* eum in suis promissis amare tenemur. Ille quidem, qui veritas, qui salvare nos vult, & scit, & potest, promittit nobis requiem à labore, securitatem (Promissi DEI qu.)

à timore, gaudium à mærore, resurrectionem à morte, A vitam æternam à transitu hujus vitæ: promittit regnum cælorum, refectionem in mensa patris: promittit *quod* r. 2. c *oculus non vidit, nec auris audit, nec in cor hominis ascendit, sicut paravit diligentibus se.* Promittit insuper & seipsum: *Juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se* 1. g *nobis.* In omnibus promissionibus, quæ omne desiderium superant, tota animæ possibilitate curramus. Licet enim sine modo debeat esse ad hoc hominis desiderium; tamen ex defectu hominis recipit in se modum. Quod si desiderium tamen ex defectu circa promissiones Dei modum excedat; non habet hîc excessus excessum, & est 13. b impatientia commendabilis, cum *spes, quæ differtur, affligit animam.* Amor ex desiderio juge recipit incremen- B tum. David dilationem hanc impatientissime ferens: 41. a pp. 1. d. *Quemadmodum*, inquit, *desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Apostolus etiam patientiæ impatiens, *Coarctor*, inquit, *è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. multo enim melius. Permanere autem in carne necessarium propter vos.* Sponsa etiam desiderio Sponsi ardenter & impatienter exæstuans, atque cælestium virtutum sanctorumque pre- 5. c cibus suos commendans affectus: *Adjuro vos*, inquit, *filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, nuntiate ei, quia amore langueo.* Et notandum, quod amor qui procedit ex desiderio promissorum, proprius est animæ. Nam in sanctorum desideriis hæc affectio animæ frequenter expri- C mitur, ut illud est: *Concupiscit & deficit anima mea in* 83. a *atria Domini.* Et item: *Sitivit anima mea ad te Deus.* Et 41. a 6. b alibi Propheta: *Nomen tuum Domine, & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis.*

## CAPUT XXIX.

*Deum diligendum in suis judiciis.*

89. Sicut autem ex beneficiis Dei procedit affectio, qua Deum toto corde diligimus; ex promissionibus vero Dei desiderium surgit, quo mediante Deum tota anima affectamus: sic ex judiciis Dei causam & ju- D dicium habet amor, quo Deum tota virtute, totisque viribus, id est, fortiter & constanter amamus. Est au- 118 1 tem judicium Dei desiderabile, juxta illud: *Aspice in me & miserere mei, secundum judicium diligentium nomen* 142 a *tuum.* Et est judicium terribile, de quo dicitur: *Non intres in judicium cum servo tuo* Domine. Ex hoc horrendo Deus a- puniat . sæcu- iis par- judicio nemo Deum diligit, aut seipsum. Deus itaque justissimo judicio suo quibusdam hîc miseretur, non misereturus in futuro; quosdam autem flagellat tamquam iratus, ut ira & flagella ipsius afflictis in gloriam conver- 80. c tantur. *Dimittit illos secundum desideria cordis ipsorum,* 42. a *ut eant in adinventionibus suis*, ut *iniquitatem iniquitati* 2. c *apponant*; ut *qui in sordibus sunt plus sordescant.* De hac E 6. d misericordia & ira Propheta loquitur dicens: *Quis sa-* 89. c *piens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini?* 91. b Et idem: *Quis novit potestatem iræ tuæ*, aut quis poterit *præ timore tuo iram tuam dinumerare? O quam magnificata* 1. d *sunt opera tua Deus, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Propterea *prosperitas stultorum perdet eos.*

90. Quod si à Deo corrigantur, neque mundantur, neque emendantur: sed est emundatio eis suæ destructionis 83. g occasio, juxta illud: *Destruxisti eos ab emundatione.* Isti in- obi in- agella murant, Deum ant. ter flagella Dei murmurant & blasphemant, & pœnis præsentibus pœnas gehennales accumulant. Sancti vero Domini inter flagella, & flagella ipsius diligunt propter F Deum: gratias etiam agunt Deo de judiciis ejus, se ac- 3. c 4. cusantes & cum Propheta dicentes: *Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero judicio fecisti: quia peccavimus tibi;* 96. b *sed da gloriam nomini tuo.* Talibus convenit illud propheticum: *Exultaverunt filii Judæ propter judicia tua Domine.* Sunt qui non solum judicia Dei sustinent patienter, sed ipsi seipsos judicant, & manum adjuvant flagellantis: accusant se, testificantur contra se, seipsos judicant, & propriæ sunt exsecutores sententiæ.

5. 91. Judicium Dei operatur patientiam in afflictis: *Tribulatio enim patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit.* Quando enim esset confusio, ubi est quod omnem spem & omnem fiduciam transscendit, æternæ scilicet gloriæ certitudo? Sub hac exspectatione Propheta dicebat: Domine *in judiciis tuis* Psal. 118. f *supersperavi.* Et idem: *Judicia Domini vera, desiderabilia* Psal. 18. b *super aurum & lapidem pretiosum, & dulciora super mel & favum. Cur ergo timebo in die mala?* Consultius est Psal 48. a hîc puniri, hîc uri, hîc nos accusando & judicando torqueri, quam *incidere in manus Dei viventis*, & in die tremenda, damnationis æternæ supplicium à terribili & Hebr. 10. f inexorabili judice exspectare.

## CAPUT XXX.

*Deum diligi debere in suis mandatis.*

92. Deus tota mente diligendus est in suis mandatis. Vult enim Deus, ut tota mens hominis ita inclinet se ad obediendum, ut omnes sensus & affectiones suas impendat observantiæ mandatorum cælestium. Obedire siquidem Deo, est voluntati ejus per omnia consentire, & sic obediendo vivere: quia *vita est in voluntate ejus.* Psal. 29. a Cum autem voluntas Dei exprimatur in mandatis ipsius, nec Deum quis possit diligere nisi ejus diligat voluntatem; constat Deum neminem posse diligere, nisi diligat mandata ejus. Est denique probatio dilectionis ex mandatis Dei, si in eis meditemur, si secundum ea ope- Probatio dilectionis. remur, si in eorum exercitio versemur. Quod insinuans Propheta, *Meditabor*, inquit, *in mandatis tuis, quæ dilexi.* Ecce sollicita meditatio. *Et levavi manus meas ad man-* Psal. 118. f *data tua, quæ dilexi.* Ecce diligens operatio. *Et exercebor in justificationibus tuis.* Ecce justificans exercitatio. De meditatione scriptum est: *Quæ præcepit Deus tibi, hæc cogita semper.* Eccli. 3. e Cogitentur siquidem mandata Dei, quam sancta, quam honesta sint, quam dulcia, & quam salubria, quam jucunda, quam fidelia, & *confirmata in* Psal. 110. b *sæculum sæculi.* In elevatione manuum sancta operatio designatur, cui justus libenter insistit. Certus est enim quod meritis ejus æterna retributio exuberantissime respondebit. Jugis vero exercitatio luctam sibi habet annexam, laboremque continuum. Justus autem pugnat ut coronetur, recepturus ab eo requiem pro labore, *qui* Psal. 93. d *fingit laborem in præcepto.*

93. Est itaque probatio caritatis utrum vera sit, si homo mandata Dei dilexerit; si ei meditatione & * operatione, & operum exercitatione servierit, cui servire re- * al. orationes gnare est. Mandatorum siquidem obedientia nullius est meriti, nisi ex caritate procedat. Quia enim annexæ sunt obedientia & caritas; ideo qui non diligit, nec mandata custodit. Audi eum, qui veritas est: *Si quis diligit* Johan. 14. c Obedientia vera quæ. *me, sermonem meum servabit.* Et adjungit manifeste insinuans, quod si quis diligit, obedit: si non obedit, non diligit. Vera sane obedientia est vera observantia mandatorum Dei. Propterea semper obedientia inseparabiliter caritati adhæret, propter quod scriptum est: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.* Jacob. 2. b Quod in uno mandatorum breviter exponi potest, ut de similibus censura similis habeatur. Huic mandato, *Non occides*, ille Exod. 20. c Deut. 5. c Matt 5. c Aliud facere mandatum ad litteram, aliud ad meritum. qui non diligit & non occidit, mandatum quidem ad litteram facit, sed non facit ad meritum mandati; quia non diligit. Legem enim facere, non est verba legis exterius sequi, sed mente & intentione obedienter implere. Quia ergo non est sincera obedientia, quæ ex vera dilectione non fit; non dicitur obedire, qui non diligit, licet non occidat, eo quod legem opere tantum, & non intentione pura custodiat. *Caritas* siquidem *patiens est, benigna est*, in quibus obedientia commendatur. *Non agit* 1. Cor. 13. b *perperam*: quia nihil contra conscientiam suam facit. *Non inflatur* de beneficiis Dei. *Non est ambitiosa*: quia omnem respuit dominatum. *Non quærit quæ sua sunt*, sed quæ Christi vel sui proximi: immo etiam ablata non repetit. *Non irritatur*, ad iracundiam subaudi. *Non cogitat malum*, ut malum pro malo reddat. *Non gaudet super iniquitate*, subintellige alterius: ejus enim iniquitas nulla est. *Omnia suffert* patienter, *omnia credit*, *omnia sperat*, dicta vel promissa à Deo. *Omnia sustinet*, obediendo humiliter.

Sola obedientia caritatis implet legem.

94. Qui ergo ex caritate obedit, legem mandatorum Dei adimplet, quam sine caritate omnino aliquis implere non poteſt. Ideo ipſa eſt *finis legis*, mandatorum impletio, & terminus perfectæ conſummationis. *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Hæc eſt *teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Hæc eſt gloria* nobis proveniens à ſpiritu veritatis: *Spiritus* enim veritatis *perhibet teſtimonium ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus regenerati in ſpem vitæ per reſurrectionem Jeſu-Chriſti ex mortuis.* Quam regenerationem Johannes Evangeliſta inſinuans dicit: *Scimus quia qui natus eſt ex Deo non peccat;* quia *cæleſtis generatio*, innovatio ſcilicet caritatis, *eum ſervat*, per quam *prævidit* eum Deus fieri *conformem imaginis filii ſui.* Nam etſi David proditioni adulterium homicidiumque adjecerit; licet ſeptem dæmonibus Maria Magdalena laboraverit; licet Petrus culpam apoſtaſiæ incurrerit; non eſt tamen qui eos de manu Domini erueret. Caritas vitæ innovatio eſt, per quam crucifigitur & exterminatur in nobis vetus homo, terrenus, animalis & carnalis; ſic ambitiones & concupiſcentiæ, mala opera, prava deſideria, caritate omnia nova faciente, evaneſcunt. Nunc autem, *ſi qua nova creatura eſt*, in ipſa *vetera tranſierunt.*

## CAPUT XXXI.

*Quibus indiciis præſentia Dei in anima deprehendatur.*

95. SE ergo in affectibus iſtis provida circumſpectione anima rationalis exerceat; *ſentiat de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis ſui*, ſeque cellam vinariam, ignisque divini receptaculum tanta vigilantia ſtudeat exhibere: ut in die bona Domini, & in hora beneplaciti ejus, cum audierit vocem ſpiritus, & velut *ſibilum auræ tenuis* ſanctum *ſuſurrium*, offerat affectionem puram, fidelemque intelligentiam, ut ſpirituales fructus quaſi de ligno vitæ colligere mereatur. *Sunt autem fructus ſpiritus*, teſte Apoſtolo, *caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, benignitas, temperantia, bonitas, manſuetudo, fides, modeſtia, caſtitas.* O felix anima, ſi benevolentiam, inſpirationem gratiæ cæleſtis, ſuamque circa te præſentiam tibi certis liceat indiciis experiri. Tanget enim te quædam in ipſius recordatione ſuavitas, afficiens nova & inexperta dulcedine, ut quaſi abſtracta, & quaſi à te prorſus aliena exultes quadam amœnitate cæleſti. Faciunt autem ſuæ præſentiæ fidem, quod omnes tui ſenſus hilareſcunt, ſerenatur intelligentia tua, deſideria incaleſcunt, geſtis & adſpiras in amplexus illius quem tenere te ſentis, & vereris ne elabatur; & ideo non quantum vis, ſed quantum potes, ipſum quodam delectabili nexu intimæ caritatis adſtringis.

96. Iſte eſt, ô anima, dilectus tuus inviſibiliter & incomprehenſibiliter, miſericorditer & dignanter accedens, ut excitet te, ut ſe tibi inſpiret, in ſinu tui amoris tibi ſe inſinuet, ut tuum accendat deſiderium, & illuminet interiores oculos, ut inflammet affectum. Sic primitias, non plenitudinem ſuæ dilectionis, non ad ſatietatem, ſed ad deguſtationem tibi exhibet; ut tali experientia probes, quam dulcem, quam ſuavem, quam jucundum, quam delectabilem ſe tibi præbeat, cum apparuerit gloria ejus: cum eum videris revelatum facie, coronatum diademate Patris ſui, quem nunc adoras coronatum diademate matris ſuæ glorioſæ virginis Mariæ. Hæc eſt ebrietas ſobria tantum. Unde Apoſtolus: *Sive vivimus, ſive morimur*, Deo ſobrii ſumus. Hæc ſobria ebrietas vino caritatis efficitur, ſicut ſponſus in Cantico amoris inſinuat dicens: *Comedite amici, bibite, & inebriamini cariſſimi.* In vita primum panem lacrymarum in ſudore vultus ſui comedit anima militans Deo; poſt exitum hujus vitæ non paſcitur pane doloris: quia jam *non erit dolor, neque luctus, quoniam priora tranſierunt*: ſed amatorio poculo reficietur & inebriabitur, juxta illud; *Et calix meus inebrians, quam præclarus eſt.* De hoc etiam calice credo Iſaïam dixiſſe: *Ad te quoque filia Edom venit calix, & inebriaberis. Inebriatur* ergo *ab ubertate domus Dei*, bibens vinum merum & novum in regno Patris Chriſti. Interim autem bibit vinum ſuum cum lacrymis in menſura, donec *Rex introducat eam in cellam vinariam*, ut ipſam ſibi cellam efficiat, & *ordinet in ea caritatem.* Illa ſiquidem nunc diligens, ſed non dilectionis fructum percipiens, & in ſolis affectibus ſe exercens, modo dicit: *Vulnerata caritate ego ſum.* Et ad Angelos & ad ſanctos loquitur dicens: *Adjuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis dilectum, dicite ei quia amore langueo.*

## CAPUT XXXII.

*Qua ratione amor ſit languor.*

97. MIrum tamen eſt quomodo amor ſive caritas languor ſit ſponſæ vel animæ, cum *caritas operiat multitudinem peccatorum*; & cum Maria Magdalena, *quia multum dilexit*, ab infeſtatione ſeptem dæmoniorum, id eſt ſeptem criminalium, languore ſanata ſit. Porro amor languor eſt, dum amans deſiderii dilatione torquetur, dum ſponſi ſuſpirat amplexus. Sed *qui ſanat omnes infirmitates tuas* anima mea, tuum languorem ſui fruitione curabit, quando ſe tibi ad habendum, ad videndum, ad fruendum, facie revelata præſtabit, & numquam de cetero ſeparaberis ab oſculo & amplexu illius. *Gaudebit* equidem *ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.* Tunc languoris anguſtiam fructus amoris excludet. Languor enim excidet, ſed non amor: quia *Caritas numquam excidet.* Amor igitur nunc languor eſt, dum cruciatur deſiderio videndi: erit autem ſatietas, quando jucundabitur uſu deſiderii. Utendi enim deſiderium tantum diſtat ab uſu deſiderii, quantum appetitus à plenitudine voti, & quantum fames à ſatietate.

98. Interim ergo graviter infirmatur, & languore afficitur, dum opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus. Vox autem languentis & plangentis eſt: *Stipate me malis, fulcite me floribus, quia amore langueo.* Initia ſiquidem virtutum *flores* ſunt, atque *fructus honoris & honeſtatis.* Mala vero maturiora patientiæ ſunt exercitia & exempla. Stipatur itaque anima, dum temporis præteriti fructus percipit, convertens in utilitatem propriam Chriſti flagella, opprobria, & dolores, & cetera quæ paſſus eſt, uſque ad ignominiam crucis. Et hæc omnia tranſierunt. *Chriſtus* enim *jam non moritur.* Fructum tamen quotidianum de ipſius paſſione colligimus. *Fulcitur* ſponſa *floribus*, quos naturæ humanæ innovatio de Chriſti reſurrectione produxit. *Hiems* enim *tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra.* Ille nimirum qui dicit, *Ego flos campi, & lilium convallium*, terram carnis noſtræ, quæ ſub maledicto veteri *ſpinas & tribulos germinabat*, ſurgens à mortuis refloreſcere fecit, & in novæ regenerationis infantiam nos reduxit. His malis & his floribus ſtipanda & fulcienda eſt, ut ea quam habet ad Dominum non torpeſcat affectio, donec recepta in amplexus ſponſi dicat: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quicquid enim in primo ſponſi adventu de illius ſiniſtra nunc recipit, comparatione gloriæ, quam in amplexu dexteræ receptura eſt, modicum reputabit, ſicut ſcriptum eſt: *In ſiniſtra ejus divitiæ & gloria, & in dextera ejus longitudo vitæ.*

## CAPUT XXXIII.

*Dimenſiones Caritatis.*

99. SAne Deus ſicut nunc imperfecte *& ex parte cognoſcitur*, ſic etiam imperfecte diligitur. Cognitio enim quam de Deo in præſenti habemus, ſi comparetur ad notitiam patriæ, quando revelata facie videbimus Deum, quando videbitur in gloria ſua, quando oſtendet faciem ſuam; ſicut ingreſſus lucis matutinæ per tenuiſſimam rimam, ſi ad meridianum ſplendorem conferatur, quando ſol lucet in virtute ſua; ſic eſt dilectio Dei, quæ in hac peregrinatione habetur, quaſi ſcintilla ignis exigua, ad magnum illius amoris ignem, quo juſti cum Seraphim in illa ſuperna Jeruſalem igne caritatis ardebunt. Nunc enim *eſt ignis in Sion:* tunc vero *caminus erit in Ieruſalem.* Cum autem in amore Dei erga nos ſint, teſte Apoſtolo, *longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum*; caritati divinæ humana dilectio pro ſuæ inſufficientiæ modulo

non se coaptat. Deus equidem non superficialiter diligit nos, non simulatorie, non mediocriter: sed plene, sed sincere, sed medullitus, *ut* & nos *comprehendere possimus cum omnibus sanctis*, quæ sint tantæ caritatis altitudo, latitudo & profundum. Altitudo est excellentia gloriæ, quam *præparavit Deus diligentibus se*, cujus æstimatio in cor hominis non ascendit. Profunditas ejus, inclinatio majestatis à Patris coæqualitate, exinanitio Filii usque ad formam servi, & usque ad mortem & ignominiam crucifixi. Longitudo ejus est sine initio, & sine fine. Dilectio enim ejus nec incipit, nec desinit, *qui ante mundi constitutionem elegit nos in dilecto filio suo.* &, sicut scriptum est, *Misericordia ejus ab aterno & usque in aternum super timentes eum.* Altitudo ejus est ampla, & extensa, B & diffusa in omnem benevolentiæ modum. Ipse enim *vult omnes homines salvos fieri* per ipsum. *Proprio enim filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ipsumque nobis donans, teste Apostolo, *nobis donavit omnia in eo.*

[margin: f. 3 c; f. 1. a; 102. c; Tim. 2. a; 8. f; em.]

100. Sic etiam pari vicissitudine caritas hominis se divinæ caritati conformi divisione coaptat. Alta est, dum æterna & cælestia contemplatur. Profunda est, dum ab homine propter Deum vilitas & abjectio affectatur. Longa est, dum finaliter perseverat. *Fides* enim & *spes* atque *scientia*, & cetera *evacuabuntur*; *caritas autem numquam excidet*. Lata est, quia læta est, quando in delectatione justitiæ cor hominis dilatatur. Lata est, cum extenderit se C non solum ad Deum & proximum; sed etiam amore pio amplectitur inimicum. Lata est, cujus mandatum latum est, dicente Propheta: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* O lata & dilatans caritas, *quam magna est domus tua, & ingens locus possessionis tuæ!* cujus latitudinem & longitudinem, & altitudinem & profundum comprehendunt sancti, ut & nos in eadem sagena caritatis possimus pariter comprehendi. Dilatat itaque caritas in sanctis tentorium suum, ut si Deum & proximum dilexerimus, recipiamur in communi exultatione sanctorum.

[margin: ensiones ris hu- i erga um.; or. 13. c; l. 118. m; uch. 3. c]

101. Quocirca non angustemur in visceribus nostris, non coarctemur intra limites quantulæcumque lætitiæ no- D stræ: credamus in Spiritum-sanctum, sanctam Catholicam Ecclesiam, Sanctorum communionem, ut *imperfectum nostrum videant oculi tui* Jesu, & in beneplacito tuo, Sanctorum communione, nostra insufficientia suppleatur. Si enim in sanctis dilexerimus Deum, & ipsi pro suorum exigentia meritorum nobis communicabunt beatitudinem apud Deum. Ubi enim in medio diligentium sederit Deus omnia in omnibus, necesse est, ut affectus communes gaudiorum communio comitetur. Non solum itaque proximi, sed tota Christi beatitudo, communione amoris & exultationis, atque alieni participatione gaudii, nostra erit. Quod ergo minus beatitudinis in me habiturus sum, de beatitudine aliena supplebo. Bonum enim, E quod in Deo vel in proximo diligam, diligendo faciam meum; ut perfectio gaudii alieni meum suppleat defectum. Vis ut familiari exemplo rei hujus faciam fidem? Videt mater filium suum, quem super omnia diligit, regali unctione ac diademate imperiali sceptroque & infulis augustalibus insignitum. quanta est matris dilectio, tanta est exultatio ejus, & filii honorem & gaudium, atque populares applausus, omniumque congratulationem sibi mater appropriat: sic in terra viventium unusquisque beneficio caritatis omnium beatitudini coëxultat.

[margin: l. 138. c; mmunio in cælo.]

102. O communio caritatis, ô dulcedo amoris, ô securitas, ô requies, ô sabbatum delicatum, ô æternæ felicitatis introitus, quam pretiosiorem omnibus thesauris, de- F siderabiliorem omnibus divitiis, elegantiorem omnibus regnis operatur *caritas de puro corde, & bona conscientia, & fide non ficta.* Quis mihi dabit hoc amatorio poculo inebriari, hoc lethargo sopiri, ut totus à corde meo mortuus, totus à me translatus in amorem Dei, & proximi, inter has duas sortes, *in pace in idipsum dormiam & requiescam?* Quis me sanctæ illi communioni adscribet, ubi jucunditas Angelorum transfunditur in omnes, & ab omnibus refunderetur in Deum, *eritque Deus omnia in omnibus*, ut sit ipse universis diligentibus eum amor, vita, pax,

[margin: Tim. 1 d; sal. 4 b; Cor. 15. d]

A gaudium, quies, claritas, securitas, & jubilatio, satietas omnium desideriorum, æterna & consummata gloriæ beatitudo, Amen †.

[margin: † Hucusque ex Petro Blesensi.]

## CAPUT XXXIV.

*Anima Deum amantis, & anhelantis continua suspiria.*

103. IN persona diligentis & suspirantis & desiderantis animæ dicit Jeremias: *Divisiones aquarum deduxit oculus meus.* Duo sunt genera compunctionis principaliter: quia Deum sitiens anima prius timore compungitur, postea amore. Prius enim se in lacrymis afficit. Quia dum multitudinem malorum suorum cogitat, pro his perpeti æterna supplicia pertimescit. Cum vero longo fuerit mærore doloris consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amore cælestium gaudiorum animus inflammatur: & quæ prius flebat, ne duceretur ad supplicium, postea amarissime flet, quia incolatum suum in hac vita videt prolongatum. Nonne *hæc est mutatio dexteræ excelsi?* Et certe non est mirum, si flet & dolet se esse in hoc exsilio, cum contemplatur, qui & quales sint Angelorum chori pulcherrimi, quæ illa societas bonorum spirituum, quæ jucunditas æternæ visionis Dei: & septem alia quæ illud dulce convivium perficiunt, & beatum faciunt, quæ sunt loci amœnitas, ministrorum dignitas, pulcritudo discumbentium, multiplicitas ferculorum, convivarum securitas, jubili assiduitas, convivii æternitas. Istis consideratis amplius flet & dolet atque plangit, quod è tantis bonis deest, quàm prius fleret cum æterna tormenta metueret; sicque fit ut perfecta compunctio formidinis, trahat ad compunctionem dilectionis: quo cum perventum fuerit, potest clamare ex ardenti desiderio, & dicere; Fac Domine, sponse mi Jesu-Christe, me gustare per amorem, quod gusto aliquantulum per cognitionem. Fame amoris tui languet misera anima mea; refocilla eam, Jesu, & sanet eam dilectio tua, impinguet eam affectus tuus, impleat eam tuus amor mellifluus, & inebriet eam. Eia væ animæ te non quærenti & te non amanti, væ illis, Domine, qui diligunt creaturas tuas pro te. Anima quæ mundum diligit, peccato servit, & absque te numquam quieta, neque secura erit. Unde Augustinus: *Fecisti me Domine ad te, & inquietum est cor meum, donec requiescat in te.* O dulcissime Jesu quando te videbo? quando *apparebo ante faciem tuam?* Quando satiabor pulcritudine tua, *in quem desiderant Angeli prospicere?* O quam excelsus tu es, qui *excelsior cælo es.* Et tamen in tantum te humiliare dignatus es, quod animas humiles in habitaculum tibi elegisti. Ergo *domum tuam decet sanctitudo.* Hujus tam gloriosi & tam dilecti hospitis possumus sic considerare utilitatem; quoniam mentis quam inhabitat, torpentia excitat, quia gallus est; inquieta frenat, quia magister est; frigida accendit, quia *ignis est*; accensa moderatur, quia unguentum est; emollit rigida, quia ratio est; fluxa restringit, quia medicina est. Est igitur manifestum, quia amor tuus non est otiosus; quia qui te diligit, non tepescit. Da mihi igitur, optime Jesu, te diligere, & indesinenter meditari de te. Odor tuus pie Christe Domine, & sponse amantissime, suscitat mortuos, curat ægrotos. Fac me igitur, carissime Domine Jesu Christe, hæc semper habere in memoria mea, & recordari amaritudinis aceti & fellis, quod tu æterna dulcedo pro nobis gustasti in morte.

[margin: Thren 3. f; Compunctionis duo genera.; Psal 76. b; Septem bona convivii cælestis.; Altera compunctio de absentia dilecti & dilatione solatii.; Aspiratio ad dilectum.; Psal 41. a; 1. Pet. 1. c; Job. 11. b; Psal. 92. a; Effectus Christi in anima.; Deut. 4. d]

104. Consolamini qui sub chlamyde voluntariæ paupertatis nutrimini, qui lectos sericis tectos respuitis: quia vobiscum Deus in paupertate. Non cubat in deliciis splendidi cubilis. *Non invenitur in terra suaviter viventium.* Vere delicata nimis, immo fatua & inhonesta esset sponsa, quæ sponsum suum sapientem, pulcherrimum & delicatum videret recumbentem in loco humili super fœnum, & ipso vidente fugeret, ac in loco voluptuoso se collocaret. Quid sponsus posset de tali credere, nisi quod vellet divortium sui & sponsi quærere? Noli anima mea separationem quærere, sed dic: *Mihi adhærere Deo bonum est.* Et nusquam mihi salus, nusquam jucunditas, neque perfecta requies, nisi in te Jesu-Christe sponse fidelissime. Si vis ut recedam à te, da mihi alium te, ut de te fugiam

[margin: Ex Bern. serm. de Nat. Dom.; Job 28. b; Psal. 72. d]

ad te, alioquin non recedam à te. Pauper tecum, vilis tecum, & abjecta multo magis * desidero, *quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Mora grata est mihi separari à te ad tempus propter te: sed mora nimis difficilis, aliquo tempore esse sine te; cum tamen tui ad hæc misera caream, sine quo tamen esse non possum.

* (esse) Psal. 13. d

105. Surgam ergo & circuibo omnia loca quæ potero: non dabo somnum oculis meis, nec requiem pedibus meis, donec inveniam quem diligit anima mea. Effundite lacrymas oculi mei, & plorate, & nolite deficere, & nolite quiescere, donec illum inveniatis. Sed quid faciam, ut illum inveniam? quo me vertam? ad quem ibo? à quo consilium petam? quem interrogabo? quis mei miserebitur? quis me consolabitur? quis mihi indicabit *quem diligit anima mea*, ut requiescat? Circumspicio, si viderem illum, & non video. Vellem illum invenire, & non invenio. Me miseram, quid agam? quo enim abiit dilectus meus? Quæsivi, & non inveni illum; vocavi, & non respondit mihi. Heu heu, quo abiit gaudium meum? ubi latet amor meus? ubi est dulcedo mea? cur dereliquisti me salus mea? heu mihi Domine, heu miserere animæ meæ. Recessisti consolator vitæ meæ, nec valedixisti mihi, & quid faciam? ubi te unicum bonum meum requiram? & quando te inveniam ego miserabilis? *Renuit consolari anima mea*, nisi in te dulcedo sancta mea. O Salvator meus veniat, obsecro, tempus quando revelatis oculis inspiciam, quem nunc à longe inclamo; apprehendam quem desidero, & amplectar, in abysso amoris tui totus absorbear. Nihil mihi, quæso, sine te dulcescat, nil pretiosum arrideat mihi. Sed da mihi bone Jesu in te vivere, & pro amore tuo mori, qui pro me dignabaris amaræ mortis subire tormentum, Amen.

Suspiria amantis & ad dilectum anhelantis animæ.

Psal. 7..

# VITIS MYSTICA SEU TRACTATUS

## De Passione Domini super, *Ego sum vitis vera.*

*Non est* S. BERNARDI, *sed cujusdam alterius auctoris pii, nec indocti, nec inelegantis, qui parvos Sermones conscripsit ex num.* 53.

### PROOEMIUM.



Jesu benigne, vitis vera, lignum vitæ, quod in medio paradisi situm est; Domine Jesu-Christe, cujus folia sunt in medicinam, fructus vero in vitam æternam. Benedictus flos & fructus Virginis Matris castissimæ, sine quo nullus sapit: quia tu es æterni Patris Sapientia, mentem meam debilem & aridam pane intellectus, & aqua sapientiæ salutaris dignare reficere, ut te, ô clavis David, aperiente, mihi reserentur obscura; & te, ô vera lux, radiante, tenebrosa pandantur: ut per me ministrum humilem, temetipso manifestante & elucidante, loquentes simul & audientes vitam habeamus æternam, amen.

### CAPUT I.

*Christum Jesum esse veram vitem.*

Johan. 15.

1. EGo sum vitis vera. Ipso Domino Jesu-Christo adjuvante videamus quasdam proprietates vitis terrestris, in quibus etiam illius supercælestis vitis proprietates nominare possimus: nec tantum ea, quæ exterius ad culturam eidem exhibentur, consideremus. Et primo quidem, quod plantari solet vitis in terra, non seminari, translata de sua vite, quod ad conceptionem Jesu mihi pertinere videtur. Vitis enim primo nata de vite, est Deus genitus de Deo, filius de Patre, coæternus & consubstantialis ei, de quo genitus est. Sed ut majorem faceret fructum, plantatus est in terra, id est, in Virgine Maria conceptus, factus quod non erat, manens quod erat. Benedicta terra hæc, omnium gentium proferens benedictionem. Vere benedicta, quæ Deo dante benignitatem, tam benedictum protulit fructum. Hæc est terra, de qua scriptum est: *Terram non operabatur quisquam, sed irrigabatur à fonte ascendente de paradiso.* Terra quippe hæc non accepit operationem humanam, ut conciperetur in ea Filius Dei; sed aquâ Spiritus-sancti irrigata fuit. ita enim legis: *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Rursum de hac terra scriptum est: *Aperiatur terra, & germinabit Salvatorem.* Aperta quippe fuit per fidem, credens & obediens Angelo: germinavitque vitam salutarem, Salvatorem nostrum æternæ vitæ præmia largientem. Hac itaque vite nostra in lucem edita quædam proprietates culturæ vitis attinentes adhibitæ sunt.

Vitis plantatur, non seminatur, ita Christus.

Gen. 2. b

Luc. 1. d

Isa. 45. b

### CAPUT II.

*De præcisione vitis, sive de variis mysteriis ad statum exinanitionis Christi spectantibus.*

2. SOlet enim vitis fructifera præcidi. quod & corporaliter, & figurative accipi potest. Circumcisus enim fuit Jesus: non quod hac circumcisione egeret, quæ in antiquis Patribus delebat originale peccatum, sicut baptismus in nobis. Nihil enim peccato originali per concupiscentiæ vitium contracto debebat, quia sine omni concupiscentia carnali conceptus erat; sed ne legem, quam ipse dederat, solvere videretur. Moraliter vero docens nos oportere non ægre ferre, si quando pœnas peccati patimur, quod in nobismetipsis non recognoscimus, cum ipse peccatorum purgator non fuerit dedignatus pro nobis subire remedium peccatorum. Consolemur ergo dolores nostros, qui nequaquam sine peccato sumus, doloribus illius, qui non pro se, sed pro nobis doluit & vulneratus est, non pro se, sed ut nostris vulneribus mederetur. Vide quantum ad suscipiendos dolores festinavit, quàm paratus & promptus sanguinem effundere. Circumcisus pro nobis die nativitatis suæ octavo. Utinam nos saltem & anno octavo nonnihil pro Domino pateremur. Sed quid dicimus? cum plures inveniamus, & post octo plantatos, vel post octoginta annos, cum naturaliter erit eorum labor & dolor, nec voluntate saltem ad Dominum converti, nec tam mature impensi sanguinis pretiosi memores, tamdiu vanitati subjectam corrigere vitam. Quid miserius? Christus octavam diem à nativitate sua vix exspectat ut suum tibi sanguinem impendere incipiat: tu post non dico octo dies, sed nec post octoginta menses, immo & octoginta annos solam non rependis voluntatem? ille vix natus sanguinem tibi effundit: tu jam moriturus voluntatem tuam non refundis? Bonus profecto Jesus, qui etiam in quarta vigilia venientem servum suscipit pœnitentem. Dedisti robur annorum juvenilium hosti Christi! Christo saltem misericorditer exspectanti infirmam tribue voluntatem: nec dubites, quin illam accipiat. Puer enim natus est nobis, ut parvulis munusculis consoletur: quia parvum parva decent. Quod si quod offers parvum non fuerit, id est, humile: per hoc ipsum ad ipsum humilem intrare non poteris, qui de se dicit: *Ego sum ostium.* & alibi: *Venite ad me omnes; & discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

Vitis præcisio, Ch. circumci...

Matth. 5

Innocentium patientiu... solatium Christo.

Isa. 53. b

Luc. 2. a

Psal. 89.

Circumcisio Christi peccatores ad pœnitentiam allicere d...

Luc. 12. ...

Isa. 9. ...

Johan. 10.

Matth. 11.

3. Possumus & alio modo accipere præcisionem vitis nostræ: ut dicamus omnia ab eo præcisa, quibus caruit in hac vita, cum ea tamen habere potuisset: & accipiamus hanc præcisionem à verbo Apostoli dicentis: *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam*

Præcisio vitis Christi exinanitio.

Philip. 2. a

*servi accipiens.* Ipsa enim exinanitio, quædam præcisio est. Sicut enim minuitur vitis, quando præciditur: ità vera vitis Christus incarnatione minoratus ab Angelis, immo & infra omnes homines humiliatus fuit. Quomodo amputata fuit in eo gloria cultro ignominiæ, potentia cultro abjectionis, voluptas cultro doloris, divitiæ cultro paupertatis! Vide nunc quantum præcisa fuerit. Ille cui famulatur omnis gloria cælorum, immo ipse qui solus vera gloria est, quasi abjicit gloriam. Servuli circumdatus indumento sustinet ignominias, confusionibus operitur, ut te à confusionibus redimeret, & ad gloriam pristinam revocaret: ille cujus potenti nutui omnia inferna, terrestria, & supercælestia sunt subjecta, sic fit abjectus, ut reputaretur omnium virorum novissimus. Subjicitur fami, siti, caloribus, frigoribus, doloribus, infirmitatibus; & post hæc tanta mortis supplicium non evadit. Ille qui lucem inhabitat inaccessibilem, in quem desiderant Angeli prospicere, cujus solius odor sanctorum sic mentes inebriat, ut & mundi præsentis, & suiipsorum obliti totis viribus currant post ipsum; tanto dolori subjicitur, ut in ipso veraciter noscatur impletum quod ante dixerat per Prophetas: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Ille in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sunt absconditi, Rex regum, dives in omnes, solus nullius egens, sic fit pauper, ut, ipso teste, & vulpibus terræ & volucribus cæli pauperior inveniatur, cum dicit: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Pauper in nativitate, pauperior in vita, pauperrimus in cruce. Natus enim pastum habet lac virgineum, tegmen pannos viles. In vita vero si tegumentum habuit, sæpius in victualibus defecit. In morte & nudum invenies, & sitientem: nisi forte ad sitis ipsius remedium velis adhibere acetum myrrha & felle mixtum.

4. Postremo autem cultro timoris amputati sunt ab ipso omnes amici & proximi, ut non esset qui consolaretur eum ex omnibus caris ejus. Torcular enim calcavit solus, & de gentibus non erat vir cum eo: & cum sustineret cor ejus improperium & miseriam, exspectavit qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, etiam non invenit. Vide nunc quantum præcisa fuerit vitis nostra. Quæ vitis umquam tantum præcisa fuit? Sed quæ est consolatio hujus præcisionis? Multus fructus. Multam enim & incomparabilem præcisionem sustinuit. Videtur tamen signanter dictum esse: *Et de gentibus non est vir mecum.* tamquam intelligendum sit solas mulieres cum illo remansisse. Viris enim fortioris naturæ fugientibus præ timore, non fugit muliebris infirmitas, quæ etiam bajulantem sibi crucem, & in cruce morientem non dereliquerunt, sicut in persona Christi conquerentis loquitur beatus Job: *Derelicta sunt tantummodo labia mea circa dentes meos.* Per labia quippe, quæ ceteris sunt membris molliora, muliebris sexus mollis & infirmus intelligitur, qui solus Christo, Discipulis fugientibus, adhæsit, figuratur. Elegit enim Dominus infirma mundi, ut confunderet fortia. Si vero fugam mentalem intelligimus; nec vir relictus est cum eo, nec mulier, præter illam, quæ sola benedicta est in mulieribus, quæ sola per illud triste sabbatum stetit in fide, & salvata fuit Ecclesia in ipsa sola †. Propter quod aptissime tota Ecclesia in laudem & gloriam ejusdem Virginis diem sabbati per totius anni circulum celebrare consuevit. Vere & singulariter benedictus palmes, qui à sua vite nullo potuit timore præcidi. Abscissi sunt viri qui dicunt: *Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israël.* Abscissæ sunt mulieres, quæ quamvis pie præveniunt mortuo humanitatis servitium exhibere, tamen illum resurrecturum nequaquam credebant. Et fortasse propterea (quod tamen non asserendo dico, ne novas videar assertiones introducere) illa Mater quæ plus habuit pietatis, cum aliis ad ungendum non venit corpus Christi sepultum, quia frustra putabat eum ungi, quem resurrecturum sciebat. Vere fortis hæc mulier, & præ cunctis post filium honoranda. Vere & virago dici potest, quæ à viro Christo per amoris * fortitudinem separata non est; sed eum, quem morientem & mortuum vidit, credidit immortalitatis gloria sublimatum.

## CAPUT III.

### *De circumfossione Vitis, id est, de insidiis Judæorum & vulneribus Christi.*

5. Circumfoditur vitis. Fossio hæc insidiantium fraus intelligitur. Quasi enim foveam fodit, qui dolo machinatur aliquem decipere. Unde conquerens dicit: *Foderunt ante faciem meam foveam.* Non enim poterat illi aliquis dolus abscondi, qui oculatus est ante & retro; & qui præterita & futura, tamquam præsentia, intuetur. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis ejus. Ostendamus autem per exemplum aliquam fraudem istarum fossionum. *Adducunt*, inquit Evangelium, Domino Jesu *mulierem adulteram, dicentes, quod Moyses in lege præcepit hujusmodi lapidare. Tu autem quid dicis?* Vide foveam, qua beatam vitem nostram circumfoderunt illi pessimi agricolæ, non ut facerent eam germinare, sed magis arescere. Verumtamen in contrarium cessit eorum intentio; & circumfossa fertilis magis facta est, & humorem misericordiæ distillans. Foveas vero videamus. Dixerunt apud se: Si secundum legem dixerit mulierem lapidandam, foveam incidet crudelitatis, qui de se dicit, *Mitis sum & humilis corde.* & iterum, *Misericordiam volo & non sacrificium.* Si vero dixerit absolvendam, foveam prævaricationis non evadet: & jure condemnabitur ut Legis transgressor. Sic captant in animam justi, & observant peccatores justum, & strident: nescientes quod *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, & quod qui fodit foveam, incidet in eam. Sed leviter transsilivit has foveas nostra Ibix, ipsosque fossores dejecit in illas. Ait enim: *Qui sine peccato est vestrum, primus mittat in eam lapidem.* quasi dicat: Legi meæ non contradico, pietatem meam non desero. Ista quidem meruit lapidari; sed non lapidabitur, quia qui lapidem juste possit in eam mittere, non habetur.

*Vitis circumfossio denotat fraudes insidiantium.* *Psal. 56. b* *Heb. 4. c* *Johan. 8. a* *Matth. 11. d* *Osee. 6. c* *Psal. 93. b* *Isa. 36. b* *Prov. 1. b* *Prov. 26. d* *Johan. 8.*

6. Nonne vis adhuc aliquas foveas videre? *Licet*, inquiunt, *censum Cæsari dari, an non?* Dixerant enim apud se: Si dixerit, Licet; tenebitur reus, tamquam libertatis nostræ destructor. Solutio enim census, servitii signum est. Si dixerit, Non licet; reus erit læsæ majestatis. O stultos! Solet stultus alios secundum se æstimare: & quod ipse ignorat, sapientes quosque credit similiter ignorare. Sed quid ait Sapientia? Libertati non derogo, majestatem non offendo; foveas vestras non incido. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Non enim offenditur Deus justus, qui vult cuique reddi quod suum est. Si reddatis Cæsari quod Cæsaris est, non offenditur Cæsar. Si Deo reddideritis quæ creavit juste, quod justum est facitis. Reddite ergo Cæsari denarium, Cæsaris habentem imaginem: reddite Deo animam, quam ad imaginem & similitudinem suam creavit; & ecce justi fueritis. Longum esset nimis omnes foveas, quas veræ Viti nostræ maligni isti foderunt, edisserere: quia omnia illius & verba, & facta calumniari nitebantur. *Matt. 22. b*

7. Sed cum viderent circumfossiones nil nocere Viti, magis autem seipsos dum fodiunt, in ipsas incidisse; ipsam vitem circumfodere & perfodere laborabant, ut sic saltem ad modum aliarum arborum æternam incurreret ariditatem. Foderunt ergo & perfoderunt non solum manus, sed & pedes, latus quoque, & sanctissimi cordis intima furoris lancea perforaverunt, quod jamdudum amoris lancea fuerat vulneratum. *Vulnerasti*, inquit in Canticis amoris sponsus, *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Vulnerat cor tuum, Domine Jesu, sponsa tua, amica tua, soror tua. Quid necessarium fuit illud ab inimicis ultra vulnerari? Quid agitis, ô inimici? Si vulneratum est, immo quia vulneratum est cor dulcis Jesu, quid secundum vulnus apponitis? An ignoratis, quod uno vulnere tactum cor emoritur, & fit insensibile mortuum cor Domini Jesu, quia vulneratum? Possedit vulnus amoris, possedit mors amoris Domini cor sponsi Jesu. Quomodo mors altera introibit? Fortis est ut mors, immo vero etiam fortior quam mors dilectio. Non enim

*Item crucifixionem.* *Cant. 4. c* *Cor Christi potentius amore, quàm mucrone vulneratum.* *Cant. 8. b*

potest prima mors expelli, id est, dilectio malarum mortium mortificatrix à domo cordis, quam sibi inviolabili jure, suo vulnere acquisivit. Si dum æque fortes concurrunt, quorum unus sit in domo, alter vero deforis, quis dubitet eum qui deintus est, obtinere victoriam? Et vide quanta sit vis amoris domum cordis obtinentis, & per vulnus dulcissimi occidentis, non solum in Domino Jesu, sed & in servis ipsius.

Cur Martyres invicti in tormentis. 8. Veniamus ad Martyres. Terreantur licet Martyres, rident: feriuntur, & gaudent: occiduntur, & ecce triumphant. Quare? quia morte caritatis intus in corde jam dudum mortui peccatis, mortui mundo, tamquam insensibiles facti, nec minas, nec tormenta, nec mortem sentire potuerunt. Quid mirum? Mortui erant. *Mortui enim estis*, ait Apostolus. (Coloss. 3. a) Qualem mortem quidam stultus sapienter optabat dicens: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* (Num. 23. b) Bona mors, mortem contemnens: bona mors, vitam conferens sempiternam. Sic ergo jam dudum vulneratum & mortuum fuit cor Jesu mortificati propter nos, tota die æstimati sicut ovis occisionis. (Psal. 43. d) Accessit autem & mors corporalis, & vicit ad tempus, ut vinceretur in æternum. (Rom. 6. b) Victa est, quia resurrexit à mortuis, quia mors ultra non dominabitur. (Jer. 17. b) Sed quia semel venimus ad cor dulcissimum Jesu, & bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: *Recedentes à te in terra scribentur.* (Luc. 10. d) Quid autem accedentes? Tu ipse doce nos. Tu dixisti accedentibus ad te: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo.* Concordemus hæc, quia si sic hi qui in cælis scripti sunt; quid ergo illi qui in terra scribentur? Lugebunt utique. Sed quis nolit gaudere? Accedamus ergo ad te, & exultabimus & lætabimur in te, memores cordis tui. (Cor Jesu nostrum est & nobis patet.) O quàm bonum & quàm jucundum habitare in corde hoc! Bonus thesaurus, bona margarita cor tuum, bone Jesu, quam fosso agro tui corporis invenimus. Quis hanc margaritam abjiciat? Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi, jactans omnem cogitatum meum in cor Domini Jesu, & sine fallacia illud me enutriet.

9. Ad hoc templum, ad hæc sancta sanctorum, ad hanc arcam testamenti adorabo & laudabo nomen Domini, dicens cum David: *Inveni cor meum, ut orem Deum meum.* (2. Reg. 7. d) Et ego inveni cor regis, fratris & amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Orabo utique. Cor enim illius mecum est, audacter dicam, si, immo quia caput meum Christus est. Quomodo quod capitis mei est, non meum est? Sicut ergo corporalis capitis mei oculi, mei oculi vere sunt: ita & spirituale cor, cor meum est. Bene ergo mihi. Ego vero cum Jesu cor meum habeo. Et quid mirum? cum multitudinis credentium fuerit cor unum. (Act. 4. f) Hoc igitur corde tuo, & meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum. Admitte tantum in sacrarium exauditionis tuæ preces meas: immo me totum trahe in cor tuum. Licet enim tortuositas peccatorum meorum impediat me, tamen quia cor illud incomprehensibili caritate dilatatum est & ampliatum, & tu qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, ut deposita gibbi sarcina per foramen acus possim transire; ô omnium pulcritudine speciosissime Jesu, amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, ut purificatus per te ad te purissimum possim accedere, & in corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare; & ut videre simul semper & facere tuam valeam voluntatem.

10. Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. (Ideo lancea apertum est.) Ad hoc vulneratum est cor tuum, ut in illo & in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominus & propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus vulnus spirituale ostendit. Et hoc fortasse innuit ipsa auctoritas prælibata, in qua bis positum est, *Vulnerasti.* (Cant 4. c) Utriusque enim vulneris ipsa soror & sponsa causa est, ac si sponsus

A aperte diceret: Quia zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum. Quis enim cor tuum palo vulnerari permitteret, nisi prius amoris illius vulnus percepisset? Dicit ergo: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* (Ibidem.) Sed quare soror & sponsa? an non poterat sufficientem sponsi amantis affectum ostendere solius sororis, vel solius sponsæ positio? Vel quare sponsa, & non uxor, cum quotidie vel Ecclesia, sive quælibet fidelis anima sponso suo Christo bonorum operum sobolem debeat generare? Paucis dico: solent sponsæ nondum alligatæ conjugali vinculo amari ardentius, quàm postea. Tempore enim procedente amor ipse componitur. Sponsus ergo noster, ut magnitudinem B insinuet sui amoris, qui tempore non decrescit, amicam suam sponsam appellat, eo quod illius amor semper novus sit.

11. Sed quia sponsæ etiam carnaliter diliguntur; ut in amore sponsi nostri nil carnale sapias, ipsam sponsam suam sororem appellat, quia sorores jam nequaquam carnaliter adamantur. Dicit ergo: *Vulnerasti cor meum, &* cetera. tamquam dicat: Quia summe te diligo, ut sponsam; caste, ut sororem; vulneratum est cor meum propter te. Quis illud cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amantem non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Diligit profecto vulneratum, quæ nimio illius amore vulnerata proclamat: *Vulnerata caritate ego* C *sum.* Numquid non redamat sponsum amantem, quæ dicit: *Nuntiate dilecto, quia amore langueo?* (Cant. 5) Fraterno se amantem amore complectitur, quæ dicit: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & complectar, & deosculer, & jam me nemo derideat*?* (Cant. 8.) (* al. despiciat.) Quis autem est foris? Æstimo quod extra corpus. Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Quis hanc peregrinationem patienter ferat? Plena est dolore præteritorum, labore præsentium, timore futurorum: in qua etsi sponsus se aliquando gratia consolationis exhibeat; stat tamen longe quasi post parietem, corpore hoc peccati separante inter nos & ipsum; nec facile præbet se tangendum & osculandum, nisi illi ani- (Vita pr... ingrata propter) D mæ quæ in tantam altitudinem meritorum processit, ut dicat ei: *Surge amica mea, columba mea, formosa mea.* (Cant 2.) quæ sola, licet raro, aliquo modo arbitrans se comprehendisse proclamat: *Inveni quem diligit anima mea; tenui illum, nec dimittam.* Sed ad hunc gradum non facile quis ascendit. Nos igitur adhuc intus, id est in corpore, manentes, quantum possumus amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii agricolæ foderunt manus & pedes, latus & cor: stemusque, ut cor nostrum durum adhuc & impœnitens amoris sui vinculo constringere, & jaculo vulnerare dignetur.

## CAPUT IV.

E *De vinculis nostræ Vitis, id est, de variis Christi vinculis & pœnis.*

12. Ligatur vitis. Quis vincula nostræ Vitis non videat? (Vincul... Christi) Videamus tamen hoc vinculum. Primum, obedientia fuit. (Philip.) Obedivit enim Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Obedivit Matri & Joseph secundum illud: *Venit Nazareth cum eis, & erat subditus illis.* (Luc. 2.) Obedivit enim in terrenis judicibus, solvens didrachmum. (Matth.) Secundum vinculum, uterus Virginis, de qua canimus: * *Quia quem cæli capere non poterant, tuo sancto gremio contulisti.* (* In Hy... Nat. D.) Tertium, in præsepio fuit, secundum illud: * F *Vagit infans inter arcta conditus præsepia, membra pannis involuta Virgo mater alligat, pedes, manus, atque crura stricta cingit fascia.* (* Hymn... clef. in Passioni.) Quartum vinculum fuit funis, quo ligabatur, cum caperetur. ita enim habes: *Tunc*, videlicet cum traditus esset, *injecerunt manus in Jesum, & vinxerunt eum.* (Matth) O Rex regum, & Domine dominantium, quid tibi & vinculis? Ligantur vites, ne, si jaceant in terra, aut minuantur, aut corrumpatur fructus earum. Incorruptibilis autem fructus fuit ejus, & est. Quare ergo ligatur? Bene quidam rex* cum percussus humana sagitta peteretur, ut se ligari permitteret, donec excideretur, (* Simile de Alexandro M.) quia

quia levissimo motu mortem posset incurrere: Non decet, inquit, vinciri regem. Libera sit regis & semper salva potestas. O Deus deorum, quantum ergo derogatum fuit libertati & potentiæ tuæ! Tot adeo ligaris vinculis, qui solus ligandi & solvendi potestatem habes! Sed propter misericordiam tuam ligatus es, ut nos à miseriis nostris faceres absolutos. O quam immitia fuerunt illorum immitissimorum vincula, quibus Agnum mitissimum vinciebant! Video oculis mentis te, Domine Jesu, tam duris nexibus adstrictum, tamquam latronem trahi ad judicium Principis sacerdotum, & inde ad Pilatum video, & perhorresco, & admiror, & admirando deficerem, nisi quod liquide cognosco te prius in corde caritatis nexibus fuisse constrictum, qui ad deteriora vincula sufferenda te leviter attrahere potuerunt. Gratia sit vinculis tuis, bone Jesu, quæ nostra tam potenter diruperunt.

*[Margin: ...1 9 e 11. ...m de C. ...ario Plu... in Apo... heg. Rom. — ...aculorum ...risti acer... ...tas.]*

13. Quintum fuit vinculum, quo ligatus fuit ad columnam, cum flagellaretur. Quamquam & ipsa flagella, quæ corpus ejus circuibant, non incongrue possumus vincula appellare. Sed quamvis immitia, quamvis dura, quamvis injusta, diligo flagellorum istorum vincula, quibus sacratissimum corpus tuum datum est contingere, quæ tuo purissimo sanguine non mediocriter sunt imbuta, ô bone Jesu. Si enim sanguis tuus in flagellatione fuit tam copiose effusus, ut columna guttis illius respersa adhuc, sicut asseritur, rubra servet vestigia: quantum sanguinis credam ipsis flagellis corpus tuum mitissimum scindentibus inhæsisse? Tam dure flagellatus est Dominus, ut sanguis ejus sursum in aëra resultaret. Vide autem quàm bene huic ligationi conveniat, quod vitis ad palum ligatur. Quid enim aliud per palum quàm ipsa columna, cui Dominus Jesus alligatus accipitur? Sicut enim vitis palo, ita Christus columnæ alligatur.

*[Margin: Vinculum ...risti fla...]*

14. Sextum vinculum fuit corona illa spinea, cum magna amaritudine illud caput amabile complectens, & multorum aculeorum in illo signa relinquens, sanguineas utique guttas eliciens, &, ut puto, in faciem venerabilem transmittens, vix adhuc de sputis Judaïcis exsiccatam. Crudele fuit vinculum hoc præter pennas quas pertulit in ligno, honoris plurimum habens & decoris. O Rex gloriæ Domine Jesu-Christe, corona omnium te confitentium, te sequentium, pugnantium pro te, viventium pro te, manentium in te! quis te tam amaro vinculo confusionis addixit? Ecce operit confusio caput tuum, & faciem tuam amabilem. Ingeritur tibi à generatione prava & amaricante honor derisorius in corona: sed spinarum aculeis contendunt in te dolor & confusio. Nescio in utro magis puniaris. Corona derisionem; spinæ ingerunt punctionem. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ejus in die desponsationis ejus, & in die lætitiæ cordis ejus.* Quæcumque autem anima confitetur se filiam Sion, id est Ecclesiæ, egrediatur à curis sæcularibus, à cogitationibus vanis; & videat per contemplationem mentis regem Salomonem, id est Christum Jesum, qui est pax nostra, destruens inimicitias, amicitiasque reformans inter Deum & hominem.

*[Margin: ...nculum ...sti coro... — 3. d]*

15. Vide hunc, ô felix anima, in diademate, quo coronavit eum mater ejus, Synagoga videlicet plebs Judæorum. O mater amara! Quid peccavit hic bonus filius tuus, ut vinculis etiam vinciatur? Hic est qui solvit compeditos, qui erexit elisos, suscipiens advenas, pupillos, viduasque consolans; & meruit vinculari? Hancne dotem, hæccine munuscula nuptiis illius impendis? Dies enim desponsationis illius, dies ista est, dies indignationis & blasphemiæ, dies tribulationis & miseriæ, dies percussionis & doloris, dies vinculorum & mortis, dies desponsationis illius est. Hac artha, ô fidelis anima, sponsus tuus pretiosus subarrhavit te; & ipse tamquam sponsus hodie coronatus processit. Coronatus, inquit, non auro, non gemmis, sed spinis. Nec defuit purpura vestis irrisoriæ. Chlamydem enim coccineam circumdederunt ei, quamvis ipse vestem corporis sui, sanguinis sui pretiosissimi effusione multo nobilius purpuravit. Purpura enim non plus quàm bis tingitur: ipse vero purpuram corporis sui non solum bis, sed etiam tertio sanguineo torrente pertinxit. Ecce sponsus tuus, ô sponsa, rubricatur in sudore, in flagellatione, in crucifixione. Eleva mentis oculos, & vide si tunica sponsi tui hæc sit, an non. Ecce fera pessima condemnavit filium tuum, fratrem tuum, sponsum tuum. Quis hîc gemitus, lacrymasque contineat? Quis hîc non doleat? Quia si est pium gaudere pro Jesu, ita est pium flere pium Jesum.

16. Septimum vinculum fuit, quo ligatus fuit in cruce, ferreum. Fuit hoc vinculum multo ferocius ceteris, quod non solum manuum, pedumque sanctissimorum compagem divisit, verum etiam illam purissimam animam à mundissimo corporis hospitio separavit. Nunc etiam, ô filiæ Sion, egredimini, & videte pacificum nostrum, pugnantem pro libertate nostra, in bello occumbere. Videte vitæ nostræ auctorem pro nobis vitæ januas introire, ut nos ad vitæ viam revocet. Videte vincula durissima, clavos ferreos, pedes & manus, quæ salutem nostram operabantur in medio terræ, crudeliter penetrare. Videte lignum crucis missum in panem nostrum, panem candidissimum, panem delicatum, panem Angelorum, qui de cælo descendit, ut se nobis daret in cibum, & animas nostras, continuo subjectas labori, semetipso, non alieno cibo reficeret; & se nobis incorporando, non se in nostram carnem, sed nos in suum spiritum reformaret. Videte quomodo justus ligatur, quomodo cum iniquis deputatus est liberrimus & optimus sponsus noster. Moritur vita nostra, non pro suis necessitatibus, sed pro nostris. Date lacrymarum flumina in tantis vinculis morienti, quia & ipse prior lacrymatus est. Vacate & videte, quàm amara, quàm turpi morte condemnetur. Sustinet enim adhuc, & diligenter considerat, si quis sit qui simul contristetur; si quem inveniat qui sanguinis rivos abstergat, & de cruce depositum munda sindone non panni, sed cordis involvat, & flens, cum beatis mulieribus flentibus ad tumulum prosequatur.

*[Margin: 7 Vinculum Christi ferreum, id est, clavi quibus affixus est cruci.]*

17. Quæcumque anima fecerit hæc assidue, spero etiam quod lætissime resurrectionis quandoque mereatur gaudio recreari. *Si enim compatimur, & conregnabimus.* quod bene sponsa in Cantico amoris ostendit, præmittens: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur.* & subjungit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Quid est fasciculus myrrhæ? Myrrha amara amaritudinem passionis significat: fasciculus vero coadunationem multarum passionum ostendit. Fit ergo sponsus sponsæ suæ fasciculus myrrhæ, quando ipsum multiplicibus affectum injuriis ad mentem reducit: quarum quædam jam enumeratæ, aliæ vero enumerandæ sunt. Quæ sunt autem ubera sponsæ, inter quæ illum commoraturum affirmat? Duo ubera sponsæ, prosperitas & adversitas sunt. His tamquam uberibus nutritur, dum adversitate fovetur, ne in prosperis elevetur. Ponit autem dilectum suum inter hæc ubera, dum illius & in adversis, & in prosperis recordatur. Ex quo evenit, ut ille qui modo fuerat fasciculus myrrhæ, id est qui mentem sponsæ passionum suarum amaritudinibus amaricaverat; subito fit botrus Cypri, continens in se vinum jucunditatis & lætitiæ. quod fit, dum Sponsum, quem tot viderat oppressum injuriis, & morte turpissima condemnatum, per resurrectionis triumphum gloriâ videt & honore coronatum, & cum humanitate, quam assumpserat, ad Patris dextram considêre; confidens se certissime per diversas tribulationes ad idem Domini sui gaudium intraturam.

*[Margin: 2. Tim 2. b — Cant. 1. c]*

18. Exeamus igitur & nos, secundum monita Pauli Apostoli, cum sponso nostro bono Jesu extra castra, id est extra concupiscentias præsentis sæculi, improperium crucis & vinculorum asperitatem cum illo portantes: quia non decet membrum delicatum esse sub capite crucifixo; nec ad capitis corpus se indicat pertinere membrum, quod capiti compassum non fuit. Vinciamur ergo vinculis passionis boni Jesu, ut etiam vinculis caritatis cum illo vinciri possimus. Ipse enim vinculis caritatis devinctus, ad suscipienda vincula passionis de cælo tractus est in terras: nos è contrario, qui de terris trahi desideramus ad cælum, prius passionis vinculum nostro capiti colligemus, ut per hoc ad caritatis vincula pertinentes unum efficiamur cum ipso, secundum quod oravit Patrem, dicens: *Rogo, Pater, ut quos dedisti mihi,* confirmati in caritate

*[Margin: Heb. 13. c — Vincula Christi quomodo imitanda. — Iohan. 17. d]*

*sint unum in nobis, sicut tu & ego unum sumus.* Quid hac unitate gloriosius? Quid ultra vel optare poteris, vel habere? Unum cum sponso tu eris. O felix, felicior, immo omnium felicissima unitas. Hac unitate se Apostolus Christo unitum sentiebat, cum dixit: *Quis separabit nos à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an periculum, an nuditas, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à caritate, quæ est Christi Jesu.* Optemus totis desideriis hujus caritatis vinculis sponso & Domino nostro colligari, ita ut ejus sequentes vestigia illuc pervenire possimus, ubi ipse est qui dixit: *Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.*

*Rom. 8. f* — *Iohan. 12. d*

## CAPUT V.

*De cultura & speciositate nostræ Vitis, id est de pulcritudine Christi, interna, & externa.*

19. Visis ex parte his quæ viti ad culturam exterius adhibentur, nunc ad ipsam vitem animum convertamus: ut per quasdam similitudines illius, nostram Vitem magis proprie & propiùs contemplemur. Totum corpus ipsius vitis aliis arboribus & arbustis deformius invenitur, & quasi penitus inutile videtur & abjectum, nec ipso aspectu amabile, aut visui accommodum. Quid hic dicemus? Corpus vitis nostræ Domini Jesu significare deberet, nisi quod plurimum discordare videtur hujus deformitas, & forma illius, de quo scriptum est: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Sunt autem nonnulli, qui hæc verba non ad exteriorem, sed interiorem hominem retorqueant, id est ad animam sive ad divinitatem, in quibus nimirum non solum filios hominum, sed etiam filios Dei, id est ipsos angelicos spiritus, præcellebat. Tanto enim melior Angelis effectus est, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Ne ergo nos huic sententiæ contradicere videamur, ad manum auctoritates habemus. licet plurimos esse sciamus, qui nondum omnino spirituales effecti, aliud sentiant, fingentes sibi quamdam spiritualem * pulcritudinem in corpore Domini: & si quando audiant Dominum ipsum despicabilem forma fuisse, non patienter sustinent: & si lingua taceant, rancore & motu animi contradicunt, non attendentes quod scriptum est: *Spiritus est qui vivificat; caro autem non prodest quicquam.* Isaïam quoque non audiunt, vel inviti audiunt, dicentem in eum: *Ecce vidimus eum, & non erat illi species neque decor: aspectus ejus non erat in eo; & desideravimus eum, despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus & despectus. Unde nec reputavimus eum. Et nos reputavimus eum, quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Ecce qualis describitur à Propheta. Quid apertius? Et vere talis erat in oculis infidelium & carnalium, qui tantum carnem noverunt intueri.

*Psal. 44. b* — *Hebr. 1. b* — *Christus an speciosus in passione.* — * *specialem.* — *Johan. 6. g* — *Isa. 53. a*

20. Quod & nos manifestis rationibus possumus approbare. Primum quidem per affectum compassionis, deinde per defectum passionis. Et quia vere susceperat affectiones nostras, videamus, quomodo affici solent homines circa eos quos amant, ut per notum ad ignotum veniamus. Quis nesciat hominem circa amicum suum periclitantem sæpe tanto affectu & dolore moveri, ut corporis sui detrimentum incurrat? Si hoc præstat homo homini; quantum Deum hominem Jesum putas homini præstitisse? Si tu pro uno homine per compassionem periculum corporale incurris; quid putas Dominum Jesum pro omnibus hominibus tolerasse? Omnes enim sui erant, & omnes mortaliter infirmi erant. Certe novimus Paulum Apostolum de se dixisse: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Et vere eo usque infirmabatur, ut, sicut ipse de se fatetur, præsentia ejus esset despicabilis; &, sicut ait, *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Mundus quippe ei crucifixus erat, qui omnia quæ mundi erant, tamquam mortua reputabat. Ipse vero mundo etiam crucifixus erat: quia ipsum propter crebras compassionum simul & passionum infirmitates corpore extenuatum & exterminatum eum mundus abhorrebat, nihil in eo inve- A niens quod pertineret ad ipsum. Si ergo Paulus cum infirmantibus infirmabatur, cum esset conservus & frater, cum conservis & fratribus: quid benignus Jesus Dominus & pater, pro creatura & filiis? Ardebat Paulus, quasi esset radio solis accensus: quantum ipsum Solem putas exarsisse? Si usque ad tantam infirmitatem per affectum compassionis accenditur qui scintillam caritatis habuit: quid sentiendum putas de ipsa caritate, de cujus plenitudine omnes acceperunt?

*2. Cor. 11. g* — *2. Cor. 10. c* — *Galat. 6 d* — *Paulus mundo crucifixus.*

21. Nec aliquo modo dubitandum, quin infirmitatem & exterminationem corporis incomparabilem sustinuerit, qui etiam venerat crucem sustinere, & præ ceteris tanto magis fuerit confectus, quanto major in eo fuit compassionis affectus, qui non solum facta, sed etiam cogita- B tiones inspexit. Suffragatur his rationibus sententia ipsius Domini sic dicentis: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Videamus quid sibi hoc velit, quod Dominus se gallinæ magis, quàm alteri animali voluit comparare. quia, ut à sanctis Patribus tenetur, ideo factum est, ut exprimatur incomparabilis affectus caritatis. Nullum enim animal circa pullos suos tanta compassione movetur, sicut gallina. Fit enim toto corpore hispida, voce rauca, toto fervens animo, & omnibus membris infirma, & usque ad supremum defectum perveniens. Si ergo in tantum pullis suis gallina animal C irrationale compatitur: quanto putas optimum Jesum humano generi fuisse compassum? ad quantam putas eum debilitatem & infirmitatem pervenisse? quanta ipsum putas macie confectum fuisse, qui pro omnibus cognoscitur doluisse? Unde Isaïas: *Vere languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portavit.*

*Matth* — *Gallinæ Christus compar.* — *Isa. 53.*

22. Sed ad passionis jam defectum veniamus. Passionem autem non illum diem unum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium. Breviter ergo dicamus, sed meditando longius immoremur, quantæ fuerit parcitatis in abstinentia; quàm prolixus fuerit in vigiliis; quàm frequens in orationibus: in labore, in sudore vultus sui quàm D assiduus; cum circumiret vicos & castella, evangelizans & curans undique; & quàm crebro famem pertulit & sitim ille Panis vivus, ille Fons aquæ salientis in vitam æternam. Videamus aliud jejunium quadraginta dierum & quadraginta noctium, post quos esuriit; & jam à deserto ad homines redeunti occurramus, & vultum illum amabilem tantis jejuniis consideremus afflictum. Et optime posuit Evangelista post jejunium, *esuriit*: ut scias Jesum, non in virtute divinitatis, sed humanitatis suæ natura jejunasse. Quid enim magnum, si in divinitatis fortitudine quadraginta diebus jejunasset, in qua numquam esuriit?

*Tota vita Christi & marty* — *Ex Greg* — *Jejuniu. Christi.* — *Matth.*

23. Sed jam ad illum ultimæ diei agonem veniamus, & E causas deformati corporis nequibimus ignorare. Incipiat ergo consideratio nostra in eodem loco, ubi ipso teste cum inciperet pavere & tædere, tristis fuit anima ejus usque ad mortem. Sudor sanguineus orantis & agonizantis membra copiose perfudit, ita ut jam non solum distillaret, sed guttatim decurreret in terram. Procedamus nunc, & illius noctis incommoda percurramus: quomodo tentus, vinctus, tractus, trusus, cæsus, consputus, colaphis alapisque percussus, spinis coronatus, arundine cæsum caput, flagellis acerrimis laceratus, propria cruce onueratus, primo portans eam, quæ ipsum postea statim fuit portatura. Talem inspice Jesum. Quis hic locus deliciarum? Qualis hic decor speciei? Quis in corpore sic mactato F formæ pulcritudinem quærat?

*Marc. Agonia Christi*

24. Sed veniamus ad finem. Nudatur Jesus. Quare? ut tu corporis purissimi deformationem valeas intueri. Nudatur ergo bonus Jesus. Heu mihi! Qui vestivit cælos diversis sideribus, ante crucem exspoliatus, nudus etiam ut erat, lividus cruci affigitur. Heu! candor lucis æternæ nigrescit in carne pro carne salvanda, & facies quam Cherubim & Seraphin aspicere desiderant, erat ex lacrymis turgida. Nudatur Dominus, qui ante sæcula regnans decorem induit & fortitudinem, cui canimus: *Confessionem & decorem induisti; amictus lumine, sicut vesti-*

*Nudat Christi* — *Psal. 1*

*mento.* Spectaculum fit & opprobrium mundo & hominibus; fit tamquam prodigium multis, & commotio capitis in populis Caput nostrum, gaudium nostrum, honor noster bonus Jesus. Sed quid moror? Exaltato in crucem perforantur manus & pedes viri optimi benigni Jesu. Ejicitur sanguis, si quis supererat. Stat Mediator noster in conspectu Patris sui in confractione, ut avertat iram ejus, ne disperdat nos. Vere non cadit mente: stat constanter etiam perseverantia bonæ voluntatis. O qualem te intueor, dulcis Jesu! O dulcissime atque amantissime Jesu, quis te tam amaræ & tam odiosæ morti addixit? Vulnerum antiquorum nostrorum unice Salvator, quis te usque ad hæc non solum dirissima, sed etiam turpissima vulnera patienda pertraxit? O Vitis dulcissima, bone Jesu, hunccine fructum reddit tibi vinea tua, quam de Ægypto transtulisti? Exspectaveras patienter usque ad hunc diem nuptiarum tuarum, ut faceret uvas; fecit autem spinas. Spinis enim coronavit te, & spinis peccatorum suorum circumdedit te. Ecce in quantam amaritudinem conversa est vitis, non jam tua, sed aliena. Negavit enim te dicens & clamans: *Non habemus regem, nisi Cæsarem.*

25. Ejectum ergo te extra vineam civitatis & consortii tui, sacrilegi agricolæ occiderunt non subito, sed longo crucis tormento confectum, & multis vulneribus flagellorum & clavorum pariter cruciatum. O quantos habes Domine Jesu percussores! Percutit te Pater tuus, qui proprio Filio suo, id est tibi, non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit te. Percutis temetipsum: tradis enim in mortem animam tuam, quam nemo potest tollere à te fine te. Percutit te discipulus impius traditione & osculo falso. Percutit te Judæus colaphis & alapis. Percutiunt te gentiles flagellis & clavis. Ecce quantum percussus & humiliatus es. O quanti percussores, & quanti traditores tui! Tradidit te Pater tuus cælestis: quia, sicut dictum est, pro nobis omnibus tradidit te. Sic enim quidam servorum tuorum gratulando dicit de te: *Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.* O vere admirabile commercium! tradidit se Rex pro servo, Deus pro homine, creator pro creatura, innocens pro nocente. Tradidisti ergo te in manus traditoris illius falsi discipuli: tradidit ille te Judæis, & tradiderunt te illi pessimi traditores gentilibus ad illudendum, & conspuendum, & flagellandum, & crucifigendum. Dixisti & prædixisti tu hæc, & ecce facta sunt. Omnibus enim consummatis, ecce crucifixus es. Nec sufficit te vulneratum esse, quin & super dolorem vulnerum tuorum addunt, dantes tibi sitienti vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum.

26. Doleo super te, Domine mi rex, magister, & pater, immo & frater, Domine mi Jesu-Christe, amabilis valde super amorem mulierum, cujus sagitta numquam abiit retrorsum. Sagittæ enim tuæ, id est doctrinæ tuæ, acutæ, quia vivus est sermo tuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus. Nec declinat clypeus tuus in bello. Scuto enim bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Hasta orationum tuarum non est aversa: quia etiam pro transgressoribus orasti ut non perirent. quanto magis pro amatis? Tu leone fortior. Etenim tu leo de tribu Juda, superasti illum leonem, qui circuit rugiens & quærens quem devoret. Tu aquila velocior. Exultasti enim ut gigas ad currendam viam, ad implendum mysterium incarnationis tuæ: donec sicut aquila provocans pullos suos, expandisti alas brachiorum tuorum in cruce, & super nos volitans assumpsisti nos, & portasti in humeris tuis, in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum, in domum familiaritatis & claritatis tuæ: ubi de ove & drachma perdita & inventa fecisti convivium vicinis & amicis tuis beatissimis spiritibus, ipsos hilariter ad tuam congratulationem invitans, faciens in cælis gaudium de peccatore pœnitente. Et cum talis sis ac tantus, morte turpissima condemnaris, spiritumque in manus Patris commendando, capite inclinato exspiras.

27. Venite quæso, & condolete ei omnes qui gaudere desideratis in Domino. Attendite manu fortem nostrum, quomodo contritus est; desiderabilem nostrum, quomodo miserabiliter deformatus est; pacificum nostrum, quomodo in bello peremptus. Ubi est rubor roseus? ubi candor juvenilis? ubi in corpore tam contrito decorem invenies? Ecce defecerunt dies nostri diei Domini Jesu, qui solus est dies sine tenebris, & ossa ejus sicut cremium aruerunt. Percussus est sicut fœnum, & aruit cor ejus; elevatus est & allisus valde: sed in decore extrinseco decorem simul vere & decus intrinsecus retinebat. Noli ergo deficere pro ipso in tribulationibus tuis, quia hunc speciosum forma præ filiis hominum viderunt omnes in cruce, qui tantum exteriora intuebantur, & viderunt eum non habentem speciem neque decorem: sed facies ejus abjecta est quasi deformis. De hac tamen deformitate Redemptoris nostri manavit pretium decoris nostri, sed decoris interni. Omnis enim gloria filiæ regis ab intus. Senserat hæc, quæ in Cantico Salomonis proclamat: *Nigra sum, sed formosa filia Jerusalem, sicut pelles Salomonis.* Nisi corpus Domini Jesu deforme fuisset, cujus nigredinem supra pro parte exsecuti sumus; formositatem intrinsecam (quia in ipso omnis plenitudo divinitatis) quis enarrabit? Deformemur igitur & nos in corpore extrinsecus cum deformato Jesu, ut reformemur interius in anima cum formoso Jesu. Conformemur corpori vitis nostræ in corpore nostro, ut reformet corpus humanitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Imitatores simus Pauli Apostoli, sicut ipse Christi, qui de se dicit: *Christo confixus sum cruci.* & alibi: *Ego semper porto stigmata Jesu-Christi in corpore meo.* Bene portabat characterem passionis Jesu-Christi in corpore suo, cui mundus mortuus erat, & ipse mundo. Fuscus effectus est, quia decoloravit eum sol passionis & caritatis Christi. Sciendum tamen, quod ea quæ diximus de deformitate corporis speciosi, non de naturali, sed de accidentali deformitate Domini diximus, non accusantes in ipso defectum naturæ, sed passionis caritatem commendantes.

Psal. 44. d / Cant. 1. b / 1 Cor 11. a / Galat. 2. d / Galat. 6. d / Deformitas Christi accidentaria fuit.

## CAPUT VI.

*De foliis vitis generaliter, id est, de variis Christi verbis, ad virtutum commendationem spectantibus.*

28. Folia vitis pæne omnium arborum foliis præstantiora sunt. Quid autem in foliis, nisi veræ Vitis nostræ benignissimi Jesu verba commendantur? Præeminet in foliis vitis: præeminet in verbis Dominus Jesus. Senserant hoc Judæorum ministri, qui missi ut adducerent Jesum, reversi & culpati dixerunt: *Numquam locutus fuit homo sic.* Non accusaverunt defectum trunci, pulcritudinem foliorum videntes: immo per folia aliquid aliud quàm quod videbatur, in corpore debili latere senserunt. Senserat etiam Petrus, qui multis à Domino Jesu recedentibus, & interrogatis ab ipso duodecim Apostolis, *Numquid & vos vultis abire?* respondit: *Domine, quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes:* & nos ad quem ibimus? absit. Ac si diceret: Folia pulcherrima habes, quæ nos ab omni æstu protegant. Da nobis ergo alium pulcriorem, id est meliorem te, & ibimus ad illum abs te. Quem quia dare non potes, qui omnia potes, ad quem ibimus relinquentes te? Senserat horum foliorum, id est, verborum benigni Jesu, virtutem, quæ loquente ipso ad turbas, in foliorum pulcritudine singulari lætata non cogitabat, nec tacite quidem, sed extollens vocem dixit: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Vere beata, immo beatissima terra, quæ talem tulerat vitem, virgo Maria mater Jesu: vere & tu beata, quæ foliorum pulcritudine considerata, inter tot calumniantium insidias sola veritati testimonium audacter præbuisti. Sed credo quod jam nunc magnam habes, & majorem habitura sis hujus confessionis mercedem, ipsa Veritate, cui testimonium perhibuisti, jam te confitente coram Patre suo; & hunc nihilominus confessuro, cum dicet calumniatoribus suis: *Non novi vos. Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Notis vero dicet: *Venite benedicti Patris mei.* Viderunt virorem foliorum veræ Vitis Petrus, & Johannes, & Matthæus, qui ad unam vocantis vocem illi retia, iste telonium reliquerunt. Quis virtutem verborum benigni Jesu enumerare sufficiat? Quæ virtus est verborum, quæ verbis illius non commendetur? Nulla profecto.

Johan. 7. g / Vis & energia verborum Christi / Johan. 6. g / Luc. 11. d / Matt. 25. g

29. Vis autem audire verba breviter, quæ tamquam A folia refrigerium nobis ab æstu præstent vitiorum? Ad [Matth. 20. d] [Ibidem.] commendationem humilitatis dicit: *Qui voluerit inter vos major esse, sit vester minister.* Et, *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis.* [Matth. 23. b] [Matth. 11. d] Et item: *Qui se humiliat exaltabitur.* Ad commendationem mansuetudinis contra iram: [Matth. 5. a] *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et item: *Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram.* Ad commendationem caritatis contra invidiam: [Matth. 5. g] *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos & calumniantibus, ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Ad commendationem alacritatis ad exercitia spiritualia contra B acediam, ait discipulis: [Matth. 26. d] *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* [Luc. 18. a] Et alibi: *Quoniam semper orare oportet, & numquam deficere.* [Orandum semper quomodo.] Ubi intelligitur orationem non tantum esse vocis, sed devotionis. Non enim semper clamare possumus motu labiorum; semper autem possumus bono desiderio fervere. quod ostendit Dominus loquens ad Moysen tacentem: [Exod. 14. d] *Quid clamas ad me?* Desiderium viri sancti, clamorem appellat: quia lingua profecto tacebat. Unde Dominus in Psalmo: [Psal. 9. d] *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Ad commendationem largitatis contra avaritiam: [Luc. 11. f] *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Et illud: [Luc. 16. b] *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* C De divitiis iniquitatis, id est inæqualitatis, hoc est, quæ nobis abundant, cum aliis deficiant, facimus nobis amicos, cum illas pauperibus erogamus: ut si modo in illos misericordes exsistimus, per illos post hanc vitam misericordiam consequamur. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Ad commendationem vero abstinentiæ contra gulam: [Luc. 21. g] *Attendite*, inquit, *ne graventur corda vestra crapula & ebrietate; & superveniat in vos repentina dies.* Et parabolam contexuit de divite epulante quotidie splendide, [Luc. 16. e] qui mortuus petebat guttam aquæ, cum esset in tormentis, à Lazaro quiescente post mortem, nec poterat obtinere, D recipiens perpetua mala pro voluptate temporali transacta. Ad commendationem castitatis contra luxuriam: [Matth. 5. c] *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Hujus verbi folio tegantur oculi nostri: ne si forte minus caute referentur, eveniat quod Jeremias dicit: [Jer. 9. f] *Ascendit mors per fenestras nostras.* Fenestræ quippe animæ nostræ sunt foramina sensuum nostrorum, scilicet oculorum, aurium, narium, & oris: per quos quasi per fenestras quasdam mors ascendit, quoties ad aliqua criminalia appetenda referantur. His & aliis verbis plurimis, tamquam quorumdam foliorum umbra, per vitem nostram E benignum Jesum ab æstu vitiorum refrigeramur, & in virtutum temperie refovemur.

## CAPUT VII.

*De umbra foliorum vitis, id est, de verbis à Christo in crucem elevato prolatis.*

30. Sed quia gratior solet esse umbra foliorum vitis, cum ipsa elevata super quamdam struem lignorum huc & illuc distenditur; videamus si vera vitis nostra aliquando elevata fuerit & distenta, & si qua tunc ad nostram protectionem dulcium verborum folia emiserit, contemplemur. Quod elevata fuerit vitis nostra, ipsa te- F statur de se dicens: [Johan. 12. c] *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* [Johan. 3. b] Item, *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Elevatus ergo fuit, quia exaltatus. [Christi elevatio & extensio in cruce.] Manifestum est autem quod hæc exaltatio de cruce dicta est. Et vide quàm apte lignorum strues, super quam vites solent elevari, crucem signet. Cancellantur enim, hoc est ex transverso componuntur: & sic super hæc vitis elevata distenditur convenientius. Cancellantur ligna crucis: elevatur in illam, distenditur brachiis & toto corpore vitis nostra, bonus Jesus. In tantum enim in cruce distensus fuit, ut numerari possent omnia membra ejus. Ita enim dixit per Prophetam: [Psal. 21.] *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.* Quantum fossus fuit, supra dictum est: quantum autem distensus, nunc subjungitur: *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* ac si diceret: Tantum distensus sum dextrorsum & sinistrorsum, & à summo deorsum, ut corpore modo in modum tympanicæ pellis distenso, facile possent omnia ossa mea dinumerari. Respice in faciem Christi tui, ô anima christiana, & eleva oculos tuos ad tormenta illius non sine lacrymis, & cor contritum non sine singultu, & vide quantam tribulationem & dolorem invenit, dum quæreret te, ut inveniret te. Laxa igitur oculos tuos, ut respicias in faciem Christi tui. Ausculta auribus arrectis, sed in dolore tanto, quod proferat verbum, & semel auditum pro pretiosissimo reconde thesauro in cubiculo cordis tui. Ecce positus est hic in immiti lectulo mortis suæ, crucem dico. Extrema sponsi tui mandata conserva, si vis hereditatem incoinquinatam & immarcescibilem obtinere. Nec multa sunt, quæ moriens locutus est, facile servabuntur à voluntaria Christi sponsa.

## CAPUT VIII.

*De foliis vitis in speciali, sive de primo verbo Christi in cruce pendentis,* Pater ignosce illis, &c.

31. Septem sunt verbula, quæ, quasi septem folia semper virentia, Vitis nostra, cum in crucem elevata fuit, emisit. [Christ crucifixus ræ con tus.] Cithara tibi factus est sponsus, cruce habente formam ligni; corpore autem suo vicem supplente chordarum per ligni planiciem extensarum. Nam nisi ligno affigeretur expansus, neutiquam verborum sonum ederet tamquam citharizans, quibus amplius delectareris. Observa diligentius. Septem cordas habet cithara. Cantat tibi, ludit tibi, te ad audiendum invitat, quæ illum ad loquendum potius debueras invitare. Vide ergo folia Vitis tuæ, & indelebiliter ea memoriæ commendare memento. Hæc autem septem diversis modis ordinantur, quorum ordo non facile potest inveniri, cum non ab uno Evangelista fuerint ordinata. Nos ergo eam secundum quod potuimus investigare, ordinamus.

32. Luca referente cognovimus, quod cum crucifixus esset Jesus, dixit: [Luc. 23] *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* O folium viride! O verbum, summi Patris Verbo conveniens! Facit bonus doctor, quod jusserat. Orat non solum pro persequentibus & calumniantibus, sed etiam pro occidentibus se. Reconde in thesauro cordis tui hoc folium, ut quotiescumque sæviunt inimici, memoriam abundantiæ suavitatis Jesu valeas eructare, folium semper, tamquam clypeum, contra inimicorum insultus opponens. Orat Christus pro suis occisoribus: tu non orabis pro detractoribus?

33. Sed ipsam orationem diligentius videamus. *Pater*, inquit. [Pro inimicis quanto affectu Christus oraverit.] Quare nomen *Patris* ponit? Solent pueri, aliquid affectuosius orare volentes, nomen paternum nominare: ut naturalem dilectionem ipsis ad memoriam reducant, per quam facilius petitionis suæ consequantur effectum. Sic & Redemptor noster miserator & misericors, patiens & multum misericors, & suavis in universis, quamvis se à Patre sciret semper audiri, tamen nobis commendans cum quanto affectu sit pro inimicis orandum, nomen posuit caritatis. Tamquam si diceret: Per dilectionem paternam qua unum sumus, supplico tibi, ut exaudias me pro his occisoribus meis ignoscendo. Agnosce filii tui amicitiam, ut inimicis ignoscas. Et idem quare sit ignoscendum, subjungit: *Quia nesciunt quid faciunt.* Quid hic dicemus? Numquid ignorabant se crucifigere eum, quem crucifigebant? Nequaquam, sed quis esset ille quem occidebant, ignorabant. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. [1. Cor. 2.] Nesciebant quid facerent; quia quantum deliquerunt, nesciebant. Sic cogitandum, sic orandum tibi, quæ sponsa Domini nuncupari desideras. [Quomodo imitandum.] Cum in te sæviunt inimici, cum obloquuntur, minantur, damna ingerunt, & cum in faciem cædunt, immo & cum occidunt: memento folii

Vitis tuæ, sonum citharæ tuæ recordare: sequere, id est, imitare sponsum tuum, & dic ex toto corde: O sponse ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, id est, quantum delinquant, ignorant. Si enim scirent quantam beatitudinem amittant, quantam infelicitatem peccando incurrant, utique non peccarent. Quid enim est quod omnes homines ad peccandum instigat, nisi ignorantia boni, quod perditur; & mali, quod peccando incurritur? Amittitur peccando optimus Deus, acquiritur pœna gehennalis, quorum commutationem nullus appetit, nisi prorsus insanus. Et vere quicumque cæli delicias amittentes scienter peccando pœnas infernales invadunt, insani sunt: nesciunt ergo quid faciunt. Talibus ergo & pro nostra salute, & pro illorum ignorantia est ignoscendum, & pro ipsis orandum, cum grandi fiducia: quia tales preces aures Domini violenter irrumpunt. Nimirum exaudit ipse alios, in quo se voluit exaudiri. Et exauditus fuit, cum ad prædicationem Petri uno die tria millia, alio die quatuor millia eorum, qui in necem Domini acclamaverant, sunt conversi. Quanta in cælestibus jucunditas, cum occisus occisorem, & quilibet læsus se lædentem orationibus suis perducit ad cælum! O quanta fuit exultatio Stephani super conversione Pauli! qui suis orationibus ad fidem conversus, postea pro fide Christi sicut ipsum lapidaverat, lapidatus est, & multa mala, quæ ante sanctis ingesserat, propter Christum sustinuit. Sequamur igitur & nos pro inimicis orando, ut illis simul & nobis æternam mereamur obtinere salutem.

[Margin: ...cantes orant, id faciant. — Act. 2. f 4. a]

## CAPUT IX.

*De secundo folio vitis, seu de secundo verbo Christi in cruce,* Hodie mecum eris in paradiso.

34. SEcundum Vitis nostræ folium, & secunda citharæ nostræ chorda est secundum verbum Domini crucifixi, quod ait ad Latronem confitentem, & crucifixi consortium expetentem: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Quanti viroris est hoc folium! O quantam dulcedinem resonat chorda ista! Quam subito ex hoste factus est amicus, ex alieno familiaris, de extraneo proximus, de latrone confessor! O quanta Latronis fiducia! Omnis mali, nullius boni conscius sibi, transgressor legis, vitæ simul & substantiæ raptor alienæ, positus in januis mortis, in fine vitæ, desperatus de vita præsenti, spem vitæ futuræ quam toties demeruerat, numquamque meruerat concipere, eam requirere non formidat. Quis hic desperet, Latrone sperante? Sed operæ pretium est diligenter intueri, qualis fuerit Latro iste: ne, si causam spei nesciamus, præsumptionis vitium incidamus. Omnes amici & proximi, & noti, fratres quoque, immo & ipsi Discipuli unanimes, & electi de mundo à Domino Jesu-Christo, in tantarum pressurarum molestia, in tanta confusione, & tantis opprobriis, percusso pastore velut erraticæ oves sunt dispersi. Fugerat quoque ille Discipulus, quem diligebat Jesus. Ille ardens à longe sequebatur, signorum immemores divinorum, quæ Salvatorem toties viderant operari, immo & ipsi in nomine ipsius fuerant operati. Et nunc Latro inter tot improperia & miserias, immo & inter tot tormenta crucis & mortis prius non cognitum confitetur, & ab eo fiducialiter petit auxilium, qui auxilio videbatur indigere. Quem discipulorum tanta audacia inflammavit? Fugerunt omnes eum, quem hactenus fuerant confessi dum viveret: iste vero quem viventem negaverat, confitetur morientem.

[Margin: Luc. 23. f — Latronis fiducia pulcre expenditur.]

35. Orat vero in fide, & spe, & caritate, dicens: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Credit profecto in eum, quem Dominum & Regem appellat. Quis autem petit hoc, quod non sperat? Amat vero eum, cui conjungi desiderat. Quid tali oratori ille bonus Pater negaret, qui eum incitaverat ut rogaret, præsertim dum in sede sponsali, in die nuptiali sederet? Sedes sponsalis, crux erat, in qua verus sponsus sponsam suam Ecclesiam sibi copulavit, ipsam sibi proprii sacrati sanguinis effusione subarrhans. Exaudivit ergo Christus animam non jam Latronis, sed confessoris sui, sponsam suam, & orantem digna responsione confortavit: *Amen dico tibi,* vere dico tibi, *hodie mecum eris in Paradiso*, Cui tibi? *Tibi*, qui me confessus es in cruce tormentorum: mecum eris in paradiso deliciarum. *Mecum*, inquit. Mira benignitas! Non dicit simpliciter, eris in paradiso, vel cum Angelis eris: sed, *mecum eris*. Satiaberis eo, quem desideras: videbis in majestate, quem confiteris positum in infirmitate. Nec differo quod promitto: quia *hodie* mecum eris. Bonus vero & dulcis Jesus cito exaudit, cito promittit, cito dat. Quis de tam pio exauditore, veloci promissore, prompto redditore desperet? Speravimus in te, qui novimus dulce nomen tuum: quoniam non derelinques quærentes te. Accedimus ergo ad te, ô bone Jesu, mente qua possumus, sedentem in throno majestatis; orantes, ut illuc à te, & ad te mereamur introduci, quo ingressus est tuus Latro, te confessus in throno crucis.

[Margin: Crux sedes sponsalis. — Responsum Christi expenditur.]

## CAPUT X.

*De tertio folio vitis, id est, tertio verbo Christi in cruce,* Mulier, ecce filius tuus, &c.

36. PRæparemus nunc visum pariter & auditum cordis nostri ad videndum tertium folium Vitis nostræ. *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus. Ecce mater tua.* Verbum bonum & suave, verbum mirabile, magnum continens piæ caritatis affectum! Certe nos legimus Dominum Jesum, maxime cum ad ætatem provectam accesserat, carissimæ Matri suæ familiarius adhæsisse, & cum ipsa frequentius convivatum esse, & præ ceteris mitius allocutum. Sed quantus in ipso fuerat circa Matrem caritatis affectus jam corporaliter recessuro, brevibus intimavit verbis. Et ut crucis suæ taceam passionem, quanta circa beatam Matrem compassione mutua credis affectum fuisse cor ejus mitissimum, quod tam valido doloris sui gladio transverberatum perfecte sciebat? Adauxit vulnerum passionem materna compassio, quam contritissimo corde, manibus complosis, oculis lacrymarum torrente fluentibus, vultu contracto, voce querula, & totis viribus cordis destituta, viriliter eum vidit sibi adstare pendenti. Quoties ipsam ad illa immitia verecundos putas oculos elevasse? si tamen eos aliquando inde deflexit, vel si præ nimio fluxu lacrymarum potuit intueri. Quoties ipsam propter verecundiam virginalem pariter & immensitatem doloris stantem, ut æstimo, capite cooperto ingemuisse putas lugendo filium, & dicendo, Fili mi Jesu, Jesu fili mi! Quis mihi det, ut tecum & propter te moriar, fili mi dulcis Jesu? Quoties ipsam præ immensitate doloris credis potuisse deficere, à quo ipsum summe miror etiam mortuam non fuisse? Moriebatur vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem. Sed ne moriendo deficeret, à Filio pro ipsa mortalitate confortata est. Confortata est intrinsecus, exterius vero & verbis, & factis pie consolata. Quomodo stabat juxta crucem Jesu Mater ejus? verè juxta crucem stabat, quia crucem filii præ ceteris mater majore cum dolore ferebat. Stabant & aliæ, sed proxima hæc.

[Margin: Johann. 19. e — Mutua Christi & Matris compassio.]

37. *Cum ergo vidisset Jesus Matrem & discipulum stantem quem diligebat, dixit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Ad discipulum autem, Ecce mater tua.* ac si diceret: Tu me filio corporaliter privaris. unde tibi amicum præ cunctis dilectum in filium do, cujus præsentia interim, dum absum, consoleris. Tu vero me patre spoliaris. unde hanc matrem mihi carissimam tibi in matrem do. Conservate jura mutuæ caritatis ad invicem, tu istum filium, tu istam matrem habendo. O quam munificus factus es in nuptiis tuis, Rex & sponse, bone Jesu! Quam large quæ habuisti omnia tradidisti! Ecce ipsis crucifixoribus tuis orationis affectum, Latroni paradisum, Matri filium, filio matrem, mortuis vitam, manibus Patris animam tuam, toti mundo signa potentiæ tuæ contulisti, pro redimendo servo non ex parte, sed totum sanguinem ex multis & largis foraminibus effudisti, proditori tuo reatus sui pœnam, terræ corpus non corrumpendum, sed ad tempus reddidisti.

[Margin: Johann. 19. e — Christi mira munificentia & liberalitas in passione.]

38. Sed movet me, quod cum dixisset, *Mulier ecce filius tuus*; subjunxit, *Ecce mater tua*: cum utique etiam si hoc non subjunxisset, necessarium fuisset eam esse matrem

illius, qui in filium sibi datus erat. Sed hoc mutuæ caritatis affectum mihi commendare videtur. Sunt enim nonnulli, qui ab omnibus amari volunt, sed nullos affectu mutuo complectuntur. Nolunt ut eorum labores & dolores allevientur: & cum feriantur à pluribus, ipsi nullius onera volunt portare, &c. Non hoc enim Christus docuit, aut fecit. Portavit enim onera tua, invitans te, ut & tu onera portes illius, id est, ut tu passiones illius imiteris. Christus enim passus est relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Hoc & docuit cum Matrem Discipulo, & Matri Discipulum mutuo commendavit: nimirum nolens, ut caritas spiritualis ex una parte frigida remaneret: sed ut simul dormientes, id est, in vera & pura caritate simul quiescentes, mutuo calefiant, id est, alter ab altero ad caritatis exercitia mutuo accendantur. Hoc enim est efficax signum veræ & puræ caritatis, quod hi qui spirituali dilectione spiritualiter connectuntur per puram caritatem ad exercitia spiritualia alterutrum accendunt, ut devotius orare, sæpius genuflectere, frequentius disciplinam corporalem suscipere libeat, præcipue cum nec invideat, immo ut congaudeat amans quisque, si tertius vel quartus, vel plures ad caritatem illius quem amant, se adjungant: dummodo tales sint, quorum familiaritas non sit suspecta; & in his omnibus, & in his similibus caritatis fervore perseverantiam conservent. Non enim bonum videtur habuisse fontem rivus caritatis aliquando decrescens. Amemus ergo & nos invicem, & amoris efficaciam operibus approbemus: quia talis caritas ex Deo est, quæ finis est præcepti, & quæ legem implet.

1. Pet. 2. d

Sinceræ caritatis signum.

## CAPUT XI.

*De tribus caritatis speciebus, per tria priora verba commendatis.*

39. SEd in tribus verbulis pertractatis tres caritatis species mihi commendari videntur. *Una*, quæ habetur ad inimicos etiam reconciliari nolentes, de qua dicit Johannes: *Diligamus Dominum, qui dilexit nos*, cum adhuc essemus inimici. & hoc est summa & magis admiranda dilectio. Diligere enim inimicos magis divinum est quam humanum. *Secunda*, quæ habetur ad eos qui aliquando fuerunt inimici, sed petita reconciliatione, in gratiam sunt recepti. unde Paulus, *Reconciliati sumus Deo per sanguinem ipsius. Tertia*, quæ habentur erga eos qui numquam fuerunt inimici, de qua idem: *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Prima autem caritatis species nobis commendatur in primo verbo, ubi Dominus Jesus orat pro inimicis. Secunda, ubi Latroni petenti paradisum promittit. Tertia, ubi amicos præcipuos committit. Tegamur ergo horum umbra foliorum. Audiamus & exaudiamus hos nostræ citharæ sonos dulcissime modulantes, & à fervore omnis invidiæ, odii, iræ, & ab omni amaritudine detractionis, adulationis, simulationis, adjuvante Domino qui est vera caritas, temperemus ipsum in omnibus caritatis speciebus, animo simus & operibus imitantes.

Iohann. 4. d
Rom. 5. b
Gal. 6. c

## CAPUT XII.

*De quarto folio vitis, seu quarto verbo Christi in Cruce,* Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

40. SEd jam ad quartum folium videndum, & quartam chordam audiendam, oculum simul & aurem cordis adaptemus. Acutos petit hoc folium oculos, aures bene purgatas hæc chorda: immo & ipse purgare & acuere potest aures & oculos, quia jam non simpliciter hoc verbum ut cetera dicit Dominus Jesus: sed ut testatur Evangelista, circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: *Heli, Heli, lammasabacttani. quod est interpretatum, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Qui oculi folium hoc non videant? Quæ aures hanc chordam non audiant? Quare ergo clamavit, nisi ut fortius audiatur? Quanti fuit doloris putas acerbissima hæc magnitudo, cum hoc Dominus Jesus toto corpore distensus clamabat? Sed cave ne propter clamorem putes ad impatientiam dilapsum Dominum Jesum. Cum enim in

Verba hæc doloris acerbitatem, non impatientiam testantur.

A summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de ejus corde, nisi dulcedo. Patientiam enim, sicut in sequenti folio & chorda ostendemus, in amarissima passione retinuit; & sui doloris magnitudinem ostendit. quod in beato Job, qui interpretatur *dolens*, & verbis & factis ejus prius ostensum fuit: qui auditis nuntiorum verbis amaritudinem animi foris ostendit in verbis. Scissis enim vestibus & tonso crine capitis corruit in terram. Ecce magnitudo doloris. Post hoc ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Ecce virtus patientiæ. Si patienter sustinuit Job miserias suas, quanto patientius putas Dominum Jesum sustinuisse crucem suam, pro qua sustinenda venerat?

Job 1.

B 41. Quod autem hæc verba loqueretur ex persona hominis assumpti, cui cum ipso Deo filio una persona fuit, patet per hoc quod ait: *Domine Deus meus.* quod utique non diceret ipse qui unus est Deus cum Patre, nisi hominem assumpsisset. Quid est autem hoc quod ait: *Ut quid me dereliquisti?* Numquid Pater unum suum filium poterat derelinquere? Absit. Sed pro toto corpore suo, id est, pro se & pro tota Ecclesia, loquitur ista. Caput enim nostrum Dominus Jesus volens unitatem commendare, & caritatem suam quam habet ad Ecclesiam sponsam suam, se quoque in omnibus membris suis passurum ostendit: quia nunc in capite sustinuit passionem, C hoc est, in proprio corpore, quod assumpsit de Virgine. Clamat autem se derelictum, qui derelinqui non poterat: quia multa membrorum suorum ad tantam tribulationem erant ventura, ut à Deo derelicta penitus viderentur. Quorum personam gestabat ille, qui dicebat: *Qui custodiebant animam meam, concilium fecerunt in unum, dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui liberet eum.* Quod & ipsi benigno Jesu in tormento crucis improperatum est: *Si filius Dei es, salvum te fac.*

Derelictio Christi in Cruce qualiter intelligenda.

Psal. 70.

42. Potest & ita accipi, quod Dominus prævidens aliquos, immo plurimos in corpore suo, qui ab unitate Ecclesiæ suæ per hæreses, sive per alia criminalia peccata D erant recessuri, illorum personam in se transfigurando, clamabat: *Ut quid dereliquisti?* Ac si diceret: Quare aliquis eorum abiit retrorsum, ut pereat ab unitate corporis mei, qui tanto cruciatu mihi sunt uniti? Unde ex persona Martyrum dicitur in Psalmo: *Adhæsit in terra venter noster.* Per ventrem, qui est mollior & infirmior pars hominis, signantur illi, qui carentes patientia & firmitate perseverantiæ, & propter hoc in acerbitate tormentorum deficientes, adhæserunt in terra, id est, terrenis consiliis & actionibus consenserunt. Nos autem qui adhuc in tribulationibus quotidianis versamur, qui spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus, & tamquam purgamenta hujus mundi & peripsema omnium usque E adhuc; inenarrabilem spiritus fiduciam concipiamus ex hoc præcipue, quod ipse Dominus consolator omnium pressurarum, tanta unitate spiritus & caritatis nobis conjunctus est; ut etiam personam nostræ infirmitatis in se tam manifestis verbis transfigurare dignatus sit: qui adhuc etiam apud Patrem ostensione vulnerum suorum interpellat pro nobis, orans ne derelinquatur in inferioribus membris suis, qui in se capite nequaquam potuit derelinqui. Et quomodo membra deperirent, quæ in voluntate capitis sui suam sciunt constare salutem? Numquid aliquod membrorum est in mortali corpore nostro, cui non condoleat caput nostrum? Si affligitur pes vel manus, statim clamat caput per linguam: Cur affligor? Clamabat F Dominus ad Saulum in membra sua sævientem: *Cur me persequeris?* cum ipse tamen securus remaneret in cælo. Benedictus sit Dominus Jesus, qui primo in se pro nobis, nunc vero etiam nobiscum in nobis pati dignatur tribulationem, quam exigente justitia patimur, suam reputans & clamans: *Cum ipso sum in tribulatione*; ut securius confidamus.

Alia explicatio.
Psal. 43.
1. Cor. 4.
Compassio Christi in membris.
Actor. 9. a

## CAPUT XIII.

*De quinto folio vitis, seu quinto Verbo Christi in cruce*, Sitio.

43. QUintum folium, sive quinta chorda brevis quidem videtur, sed si discutiatur, si diligentius consideretur, ad amoris indicium efficacissima poterit inveniri. Ait enim Evangelista: *Videns Jesus, quia omnia consummata essent, ut implerentur scriptura*, quæ implendæ erant, illæ utique quæ dicunt: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Subjungit enim Evangelista: *Vas ergo positum erat aceto plenum; & currens unus* B *implevit spongiam aceto, & circumponens hyssopo, dabat ei bibere.* Alter vero Evangelista plenius exponens, quomodo Scriptura sit impleta, etiam fellis facit mentionem, ita dicens: *Et dabant ei vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum.* Fractis membris omnibus, dulcis Jesus voluit puniri & linguam. Dedit ergo ei illa vitis aliena conversa in amaritudinem de fructu suo potum amarum, potum non potandum, sed potius degustandum: quia ad pœnam linguæ sufficit acetum gustasse.

... c
68. c
...n. 19. f
...14 d

44. Sed licet hæc ad impletionem Scripturæ in veritate patrata sint, tamen hoc verbo, *Sitio*, aliquid aliud significari videtur. Puto enim quod hoc liquido immensitatem nobis ardentissimæ caritatis voluit commendare, quia ab homine sitiente multo ardentius desideratur po- C tus, quam cibus ab esuriente. In se ergo ostendens Dominus Jesus desiderium illius rei quæ ardentissime concupiscitur, per illam figurari ardorem suæ caritatis ostendit. Licet etiam veraciter possimus accipere, quod sitiverit, qui per totum corpus sacrati sanguinis effusione siccatus, ossa habuit sicut cremium arefacta. Sed non satis credibile est ipsum de siti corporali dixisse, ut potum peteret carnalem, qui in instanti se sciebat carnaliter moriturum: sed potius desiderium ardentissimum salutis nostræ ipsum credimus sitivisse. Sed est quod moveat nos, quia cum instaret hora passionis extremæ, procedens ad orationem Dominus Jesus procidit in faciem D suam, orans & dicens: *Mi Pater, si possibile est, transfer hunc calicem à me*: & hoc non tantum semel, sed secundo & tertio fecit. Per calicem quem bibiturus erat, proculdubio passionem significans, quam erat passurus: nunc vero eodem calice passionis jam ebibito dicit, *Sitio.* Quid est hoc? antequam gustes, ô bone Jesu, petis calicem omnino auferri: & postquam ebibisti sitis. Ut video, mirabilis potator es tu. Numquid vino jucunditatis, & non potius vino compunctionis & summæ amaritudinis repletus fuit calix tuus? Immo vero compunctionis amarissimæ plenus est, qui non sitim, sed potius potandi fastidium generare deberet.

Christi ... cruce ...
c. 14. d

45. Sed, ut existimo, ante passionem calicem ipsius Pa- E tris à te transferri orasti, non ut passionem declinares pro qua veneras patienda, & sine qua salus humano generi non adesset: sed ne putaret quis te verum hominem amaritudinem non sensisse propter claritatis unionem, verbis petentibus calicem à te tranferri semel, & bis, & tertio summam acerbitatem passionis tuæ dubitantibus indicasti: nobis quoque te sequentibus doctrinæ & exempli formam præscripsisti, quod imminentibus periculis, etiam cum ad utilitatem nostram pertineant, posse & debere à nobis Dominum frequentius exorari, ut flagella iracundiæ suæ à nobis dignetur avertere; nihilominus & si tamen ablata non fuerint, exemplo passionis tuæ gratanter, patienter & viriliter cum omni F perseverantia toleranda sunt. Quando autem passionis calicem, quem antea rogaveras auferri, jam exhausisti, dixisti: *Sitio.* Dilectionis erga nos tuæ magnitudinem commendasti, tamquam diceres: Quamvis passio mea tam acerba fuerit, ut quantum ad humanitatis sensum illam declinare potuerim; tamen tua, ô homo, me caritate vincente, & ipsa tormenta crucis superante, adhuc plura & majora, si necesse sit, sitio subire tormenta. Nihil enim est, quod detrectem pro te pati, pro cujus pretio animam meam pono. Imitetur ergo quælibet fidelis anima sponsum suum dulcem Jesum, tantæ amaritudinis po- A culum sitientem pro ipsa, pariter & ebibentem: & sicut ipsa etiam pro ipso ebibat per adversa præsentia; sitiat quoque & ipsum dulcissimum sponsum suum; cujus dulcedinem ex amaritudinibus præsentibus melius poterit considerare, malisque exhaustis propter eum confidentius ipsum sitire poterit, & dicere cum Propheta: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Et iterum: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.*

Christus trans... à se ca... m.
is Christi, toris indi... mi.

*Psal. 41. a*
*Psal. 65. a*

## CAPUT XIV.

*De sexto folio vitis, id est, sexto verbo Christi in cruce*, Consummatum est.

46. IN sexto folio vitis, sive in sexta chorda citharæ nostræ nobis virtus perseverantiæ commendatur. Ait enim Evangelista, quod cum accepisset dulcis Jesus amaritudinem aceti, dixit: *Consummatum est.* Quid est hoc? Supra dictum est, quod videns Dominus quia consummata sunt omnia, ut implerentur Scripturæ, ait: *Sitio.* & cum gustasset acetum sibi porrectum subjunxit: *Consummatum est.* Consummatum quippe est, id est perfectum, fuit testimonium Scripturæ, quæ dicit: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Et per hoc omnis Scriptura quæ de ipso erat, consummationem accepit. Sicut ergo caput nostrum pro peccatis nostris acerbitatem sustinens passionis usque ad consummationem, id est, usque ad perfectionem omnium Scripturarum, quæ de ipso erant, perseveravit patienter; ita & nos, si hujus capitis membra esse volumus, in omnibus adversitatibus nostris virtutem perseverantiæ conservemus, ut ad finem omnium passionum nostrarum ipso benigno Jesu duce venientes, cum ipso confidenter possimus dicere: *Consummatum est.* Hoc est, tuo adjutorio, non mea virtute, bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Redde ergo quod legitime certantibus in agone te promittente repositum est, scilicet coronam justitiæ, quam tu justus judex reddes in tua die, in illa die, quæ nubilum non habet; in illa die, quæ in atriis tuis melior erit super millia dierum, in qua tu solus, id est, singulariter sol eris. O sol justitiæ, benigne Jesu-Christe, lucens in virtute tua, reddens temetipsum in præmium sempiternum omnibus, qui perseveraverunt in agone certaminis. Recipient enim à te splendorem sempiternum, in quo sine fine felices lætantur.

*Psal. 68. c*

47. Hunc autem splendorem nullus poterit adipisci, nisi qui perseveraverit usque in finem. Quia nimirum virtus boni operis perseverantia est *. Huic soli redditur corona justitiæ. Quid enim prodest, esse bonum, esse sapientem, esse potentem, si non perseveraveris usque in finem? Bonus erat Saul & optimus; quia docet Scriptura, quod non erat vir melior eo in populo Israël. Sed ad quid devenit? Cecidit & reprobus factus est; ita ut non obediret voci Domini, Prophetam contemneret, à spiritu malo vexaretur, virum innocentem persequeretur usque ad mortem; tandem vero consuleret Pythonyssam, & ab alienigena miserabiliter interiret. Quis vero sapientior Salomone? Sed deficiens à præceptis Domini, & conjunctus mulieribus gentilibus, fabricavit diis, immo dæmonibus illarum templa, ita ut ipse cum illis idola adoraret, tanto magis in stultitia decipiens & dejectus, quanto prius in sapientia fuerat elevatus. De quantis legimus in Vitis Patrum, viris potentibus in vigiliis, & in jejuniis, in laboribus supra modum humanum, immo & in miraculis coruscantibus, qui ceciderunt, quia non perseveraverunt usque in finem? *Qui perseveraverit usque in finem*, Dominus inquit, *hic salvus erit.* Finis, non pugna coronat. Lauda navigantis felicitatem, sed cum venerit ad portum *. Unde

*Cœpisti melius, quam desinis: ultima primis*
*Cedunt, dissimiles hic vir & ille puer.*

O quantum humilitatis tibi jure incutiet & timoris, cum adverteris summum Angelorum cum magna multitudine sequacium suorum in cælo cecidisse, hominem protoplastum cum uxore sua à paradiso ejectos fuisse; tot bonos sapientes, potentes in terra nostra periisse, quia

Perseverantia sola virtutum coronatur
* Greg. M. Homil. 25. in Evang.

Defectu perseverantiæ multi perierunt.
*Matt. 10. c*

* S. Maxim. Hom. 59.
Ovid. Heroid. Epist. 9.

ad bonorum operum consummationem non pervenerunt? Est enim alius alio justior; & nescit utrum amore, vel odio dignus. Quare? Quia ignorat si perseveraturus sit, si coronandus sit.

Perseverantiæ præsidium, diffidentia sui, seu spes in Deum.

48. Est autem efficax medicamentum quod huic timori apponamus: videlicet fiduciam, spem & fortitudinem nostram ponamus in eo, cui canit Psalmus: *Adjutor meus, tibi psallam: quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea.* Et de quo Isaias: *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Quicumque enim ceciderunt, ideo profecto ceciderunt, quia magis de se, quam de Deo præsumpserunt. Ædificaverunt quippe domum intentionis suæ super arenam. Imminente ergo tempestate tentationum fluxerunt flumina, id est concupiscentiæ transitoriæ persuadentes appetitum; & flaverunt venti superbiæ & vanæ gloriæ, & cecidit domus illorum, & omnia facta eorum destructa sunt: quia super arenam, id est semetipsos ædificaverunt, de propriis nimirum viribus confidentes. Nos autem multo melius fundamentum ponentes, illum scilicet de quo dicit Apostolus, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter istud quod positum est, quod est Christus Jesus*; securi ædificemus super illud bona opera, quæ quamdiu illi inhæserint fundamento, corruere non poterunt, donec ipso adjuvante qui cœpit, ad consummationem debitam perducantur.

Psal. 58 d
Isa. 12. a
Matth. 7. d
1. Cor. 1. c

## CAPUT XV.

*De septimo folio vitis, seu de ultimo verbo Christi in cruce,* Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

49. NUnc vero ultimum folium vitis nostræ, vel ultimam chordam citharæ nostræ consideremus: ut indelebili memoriæ commendemus, immo & ore indefesso semper ruminemus. *Pater*, ait bonus ille Jesus, *in manus tuas commendo spiritum meum* Littera plana est. Quid est autem, quod ille coæternus & consubstantialis Patri Filius animam suam ita manifeste in manus Patris commendabat, cui non minus commendata etiam esset, si hoc non dixisset? In Evangelio Johannis habemus, quod cum Dominus Jesus suscitaturus esset Lazarum, dixit: *Gratias tibi Pater ago, quia me semper audis, sed propter adstantes dixi, ut ipsi credant, quia tu me misisti.* Ita profecto & nunc. Quamvis sciret animam suam sanctissimam Patris esse manibus commendatam, qui paulo ante dixerat, *Venit princeps hujus mundi*, id est satanas, *& in me non habet quicquam*, tamen ut erudiret nos, qui terra sumus & cinis, ut spiritum nostrum disceremus Patris æterni manibus commendare, ne ab hujus mundi principe, cum à corpore egressus fuerit, comprehendatur, qui in nobis heu non pauca quæ ad ipsum pertineant, inveniet: cum ipse qui peccato nil debebat, immo etiam qui tollere peccata advenerat, spiritum suum purissimum à purissimo corpore egressurum, non utique necessitatis; sed exempli gratia, Patris sui manibus commendavit. Quod & nos sub spe gratiæ & misericordiæ poterimus facere, si sub umbra foliorum præmissorum latuerimus; si sonos chordarum citharæ nostræ auribus cordis audierimus; scilicet si oremus pro inimicis; si pœnitentibus qui in nos peccaverunt, ex toto corde remiserimus; si proximis nostris mutuam rependerimus caritatem: si in omnibus tribulationibus nostris speraverimus in eo qui propter nos homo factus est, ut unitus nostræ naturæ esset nobiscum: si ardenti desiderio proximorum salutem desideraverimus; & postremo si in bonis operibus ad consummationem perstiterimus: in quantum hæc egerimus fiducialiter poterimus dicere æterno Patri cum Domino Jesu: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Semper orantes dum vivimus, ut in his verbis, quibus ipse spiritum emisit, præstare dignetur nos etiam spiritum nostrum emittere, & suis efficaciter manibus commendare.

Luc. 23. f
Johann. 11. c Christus animam Patri commendat nostræ instructionis gratia.
Johann 14. d
Quibus hanc commendationem usurpare liceat.

50. Ecce secundum quod potuimus, non quod debuimus, nec secundum quod voluimus, Vitis nostræ desuper extensæ folia septem vestræ ostendimus caritati. quæ non satis est tantum intueri, sed potius est accedendum,

A & sub umbra illorum sedendum, ut possimus cum sponsa veraciter dicere: *Sub umbra illius quem desiderabam, sedi.* Cujus? Illius sponsi utique, cujus folia umbram tanto habent latiorem, quanto ipse sponsus Verbum summi Patris verba habet virtutibus amabiliora vicinioraque saluti, magis accommodata pietati, & omnium intellectui propiora. Quamvis enim in omnibus Prophetis & Apostolis locutus est ille bonus Jesus; nullius tamen verba reperies omnino, quæ ita & fortibus & infirmis, id est, doctis & indoctis, sapientibus conveniant & insipientibus, ut verba doctissimi Verbi Domini Jesu. Nam sicut ait quidam,

*Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.*

B Sciendum autem quod in umbra foliorum istorum, id est in verbis Domini, meditandum est die ac nocte: quorum umbra tunc profecto protegimur, cum quoties à vitiis aut diabolo tentamur, per tractatores aliquod verbum de Scripturis evangelicis nobis adducimus, cujus monitis & auctoritate irruentibus in nos vitiis resistamus. Verbi gratia, si tentatus à superbia videlicet, ut velis præesse, subesse nolis: occurrit tibi statim verbum Domini dicentis: *Qui voluerit inter vos primus esse, sit omnium servus*: quia sicut *qui se exaltat humiliabitur, ita qui se humiliat exaltabitur.* Si infestat te ardor iracundiæ, habes statim folium vitis nostræ, quod illi fervori opponas, verbum illud scilicet, quod *omnis qui irascitur fratri*
C *suo sine causa, reus est judicio*: & sic contra singula tentamenta verba invenies, quibus ab æstu vitiorum defendi possis, & virtutem temporis confovere ipsa vite benigno Jesu nobis præstante subsidium.

Scripturæ sacræ sententiis contra vitia murmur.
Matt. 2[...]
Matt. 5.

## CAPUT XVI.

*De jucunditate florum vitis, id est de virtutibus Christi.*

51. DEinde ad florum jucunditatem animum inclinemus, immo vere elevantes videamus, quomodo floruerit vitis nostra. Floruit enim & tanto uberius, jucundiusque ceteris, quanto ipsa melior omnibus, cujus
D magnificentia elevata est super cælos; sub cujus pedibus omnia sunt subjecta; quamvis nostra caritate devinctus, ad tempus paulo minus ab Angelis fuerit diminutus. Nam propterea exinanivit semetipsum formam servi accipiens; & plantatus est in terra nostra, & corporis nostri deformitatem accepit. Fronduitque, & floruit, & fructus plurimos attulit: ut per hoc quod nostræ humanitati unitus est, suæ divinitati nos uniret. Sed quia sine flore non pervenitur ad fructum; floruit ille benignus Jesus. Qui sunt flores ejus, nisi virtutes? Floruit enim mirabiliter & valde singulariter & excellenter vitis hæc, non uno florum genere, sicut aliæ vites & arbores; sed omnium florum speciem in se continebat. Aliorum enim Sanctorum alius
E alio castior, alius alio patientior, alius alio in caritate ferventior: ista vero Vitis omnibus Angelis & hominibus in humilitate, patientia, castitate, caritate, & ceteris virtutibus omnibus præeminebat. Habuit ergo Vitis ista vera non unius, sed omnium florum speciem: violam humilitatis, lilium castitatis, rosam patientiæ & caritatis, & florem abstinentiæ, quam crocum appellamus. Quam jucundus, ut putas, erit fructus Vitis nostræ tanta jucunditate florentis!

Flores i[n] Christo, [om]nes virtu[tes] omnium [per]fectissim[i]

52. Sed jam singula etiam de his floribus Vitis nostræ ipso annuente aliqua disseramus; hoc tamen præviso, quod flores in jucunditate visus, & in suavitate odoratus maxime considerantur; comedi vero non solent, nisi
F quod apes de quibusdam floribus cibum dulcissimum sugendo colligunt. Diximus autem quod nullus flos, id est, nulla virtus per quemcumque florem significata, deest Viti nostræ. Quæ enim virtus deesset Domino virtutum?

## CAPUT XVII.

*De flore Humilitatis, quæ est viola.*

53. PRimo ergo de flore humilitatis, id est de viola, videamus. Quare flos violaceus humilitatem significet, statura, situs, odor, color, & vis ipsius floris manifestant. Statura enim, id est quantitas, ipsius modica est. Quis

Viola sy[m]bolum humilitatis.

Quis enim flos hoc flosculo minor est? Nam & humiles A in oculis suis parvi sunt. Sic enim ait de se ille Apostolus, qui omnibus plus laboraverat: *Ego sum minimus omnium Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* [1. Cor. 15. a] Vides, hic magnus, quam parvus sibi erat? Et miro modo fit, ut his quibus conscientia secura est, qui nihil sibi conscii sunt, tam humilia de semetipsis sentire contingat. Situs hujus floris terræ est proximus, & optime. Ita enim habes docentem Apostolum: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* [Rom. 12. c] Non habent hanc proprietatem istius floris, qui se aliis meliores putant, vel aliis meliores videri volunt, quamvis sibimetipsis parvi sunt. Sunt enim nonnulli, qui quidem in conscientiis suis se subjectos judicant, sed tamen videri foris volunt aliis meliores. [Hypocritæ ut flore violæ humilitatis.] Isti B staturam hujus floris habent, qui sibi intus in animo parvi sunt: situm vero non habent, quia volunt foris super alios elevari, de quibus dicit Salomon: *Mensura & mensura, pondus & pondus abominatio est Domino.* [Prov. 19. b; 26. c] Et in lege Moïsi duplex pondus prohibetur haberi. Duplex quippe pondus habet, qui sibi malorum conscius, malum se judicat: aliis vero vult foris bonus, & aliis melior apparere, suo judicio terræ proximus est, & aliis cupit elevatus videri. Agitantur hi, quicumque tales sunt, vitio hypocriseos, de quibus in sermone, quem de parvis conscripsimus, plenius sumus elocuti.

54. Odor violæ suavis est, & salubris, quia etiam apud ipsos superbos laus humilitatis exaltatur. Ipsa enim C fama laudabilis, suavitas est odoris, & vere salutaris est: & nonnumquam de laude humilium auditores emendantur, etiam si sint tales qui istum odorem amittant, licet diligenter considerent. Color, sicut apparet, abjectus est, illis præcipue qui virtutem flosculi ignorant: sed vim floris agnoscentibus fit etiam ipsius floris despectio commendabilis & dilecta. Hoc in ipsius humilitatis magistro benigno Jesu facile agnoscemus secundum illud verbum Apostoli: *Nos, inquit, prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam: ipsis vero vocatis sanctis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* [1. Cor. 1. c — Christi humilitas.] Nimirum Christus crucifixus viola est. In cruce enim humillimus factus est. In hac humilitate so- D lum colorem intuentibus Judæis & Gentibus ipse color vilis apparuit; nobis vero qui virtutem agnoscimus passionis, ipsa etiam humilitas despecta, humilitas Christi placet, & per humilitatem maxime commendatur. Despectui ergo coloris adjungatur quæ latet virtus floris interior: ut per interiorem virtutem, hoc quod exterius vile videtur, non contemnatur, verum amplius diligatur.

55. Nunc ergo perfectiori & puriori oculo intueamur, quantum floruerit ille flos singularis, de quo scriptum est: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* [Isai. 11. a] Bonus flos, super quem Spiritus Dominus sanctus requiescit, & licet flos hic noster Dominus Jesus qui de se dicit, *Ego* E *sum flos campi*, [Cant. 2. a] omnium in se florum habuit virtutem & decorem sine diminutione aliqua: nulli tamen flori magis convenit, quam violæ, ut in eo Spiritus-sanctus requiescat. Nec ego hoc affirmo, sed ipse qui dicit: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* [Isai. 66. a] Quid apertius? Numquid non potuisset ponere rosam patientiæ & caritatis, lilium castitatis, crocum abstinentiæ, cum vellet ostendere requiem Spiritus-sancti? [Humilitatis pedissequæ quies & timor.] Quibus prætermissis, violam posuit humilitatis, cujus pedissequæ sunt quies & timor quæ postponuntur. Non enim possunt moveri violæ, id est humiles, à vento superbiæ; qui semper quærit alta corda quæ concutiat, sicut quidam ait.: F

*Summa petit livor, perflant altissima venti.* [Ovidius 1. Remed. am.]

Dum enim inveniuntur humiles, non possunt moveri. Quiescunt ergo, & spiritum super se quiescentem non excutiunt, dum nec superbiæ, nec invidiæ vento commoventur. Est & timor non quilibet perdendæ pecuniæ, non bonorum transitoriorum, sed timor sermonum Domini humilitatis pedissequa: quia dum humilis nihil de sua virtute præsumit, sermones Domini pro sua consolatione attendens, semper timet ne non adimpleat præcepta, ne Patrem præcipientem sua transgressione offendat. Bonus ergo flos iste quietem generans & timorem, utique genitorem securitatis: quia scriptum est: *Qui timet Deum, faciet bona.* [Eccl. 15. a] Pro quibus factis quid dabitur mercedis, nisi securitas sempiterna?

56. Bonus profecto flos viola, qui florem cælestem Verbum æterni Patris in uterum terreni floris beatissimæ Virginis mirifica dulcedine sui odoris attraxit, ipsa attestante quæ ait: *Exultavit spiritus meus in Deo Salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* [Luc 1. a] Quid dicis? Numquid non alios flores habes? Habeo, inquam. [Enumeratio virtutum B. Virginis.] Tota enim floreo, nullius floris expers, quia nulla virtute careo, cum tota speciosa sim, & macula non sit in me. Habeo lilium castitatis, quia prima votum conservandæ virginitatis vovi Domino. Habeo rosam caritatis, quia si non usque adeo dilexissem Dominum, unde mihi tanta fiducia, unde tanta audacia, ut novum aliquid puellula tenera & verecunda, & adhuc sub parentum jure & præceptis legis constituta inchoarem? Sed ut verum fatear, audacem faciebat amor: coëgit rosa ardens servilem timorem devorans, ut facerem novum votum, & singulare lilium, ut possem quandoque dicere dilecto meo: Candida sum & rubicunda, sicut & tu candidus & rubicundus. Habeo & alios quoscumque flores, sed nullum horum tanta dignatus prærogativa respexit in me Dominus, ut florem violæ meæ: *Respexit enim humilitatem ancillæ suæ.* [Humilitatis virtus in B. Virg. commendata.] Et vultis videre omnes, cui mutuavi flores meos, quantum ex flore sim consecuta? *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ex hoc dico, quia respecta sum à Domino. Flos violæ meæ, *quia nardus mea dedit odorem suum*, [Cant. 1. c] quæ idem significat quod viola, id est, humilitatis virtutem, cujus fragrantia delectatus est Rex, filius Regis, Deus Dei filius, cum esset in accubitu suo, id est, in sinu Patris; & odore tam delectabili quasi quadam illius violentia tractus est in me, & voluit concipi flos in flore intra florem, id est, intra Nazareth, quod interpretatur *Flos*, ut fieret ipse flos florens, hoc est, Nazarenus. Concordant omnia flori. Concipitur flos manens in flore, hoc est, in Nazareth. Bonus ergo omnino, & optimus violaceus flos, qui odoris sui fragrantia, quasi quodam delectabili vinculo, florem cæli in uterum nostri floris humilis Virginis inclinavit.

57. Discant omnes, sed præ omnibus mundi flores, id est, virgines, qui in tota Ecclesia Dei excellunt, tamquam flores in gramine, [Cant. 1. c — Virgines præcipue decet humilitas.] quod Virgo virginum prima, virginum devotarum sanctissima & castissima omnium, summam gloriam ponit in viola humilitatis, licet in ea candeat singulariter lilium castitatis, rosa caritatis rubescat. Nolite gloriari virgines de castitate corporali, licet illa sit laudabilis virtus. Sed quanto majores estis vos, tanto humiliate vos in omnibus, ut inveniatis gratiam apud Deum. Non enim castitatem respexit Dominus, sed humilitatem ancillæ suæ. Si vultis oculo misericordiæ, oculo gratiæ à Domino respici, humiles estote. *Humilibus* enim scriptura ait, *dat gratiam*; [Jacob. 4. b] quia *respexit humilitatem ancillæ suæ.* Si vultis lampades vestras esse refertas oleo, cum sponsus ad nuptias venerit, [Matth. 25. a] id est, si vultis integram & lætam conscientiam habere (oleum enim in lampade, est lætitia spiritualis in corde) nolite de altitudine lilii vestri, id est, de puritate castitatis vestræ alta sapere. Nolite laudem exteriorem appetere: ne clauso ostio regni cælorum, dicat vobis sponsus: *Amen dico vobis nescio vos*: [Ibid.] & à se excludat, qui *respexit humilitatem ancillæ suæ.* Multæ enim virginum excludentur, quia superbarum nulla ingredietur. Humilium vero nullus, nec conjugatus, nec virgo, nec vidua merebitur expelli. Arcta est janua regni cælorum, nec recipit nisi parvos. Tumidi repelluntur, immo nequaquam possunt accedere, [Humilibus solum patet janua cæli.] cujuscumque sexus sive conditionis fuerint vel ætatis. Et breviter dico, Nulla virtus accedit, nisi ad humilitatis violam fuerit inclinata. Dicit enim & docet hoc ipse humilitatis magister, qui advocans parvulum statuit eum in medio discipulorum, & dixit: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvulus hic, non intrabitis in regnum cælorum.* [Matth. 18. a] Numquid posuit ibi in exemplum Discipulis lilium castitatis Johannem, vel rosam caritatis Petrum, qui & tunc præsentes erant; quorum prior ab ipsis nuptiis, ut

asseritur, vocatus fuit & electus à Domino; sequens vero trina confessione Domino benigno Jesu, cui mentiri non potuit, perfectæ caritatis affectum contestatus est. sicut enim Johannes de speciali prærogativa castitatis, ita Petrus de ferventiori caritate commendatur. Nec tamen istos in exemplum posuit cælorum januam intraturis: sed parvulum humilitatis virtute præcelsum.

Johan. 21. c

58. Videamus ergo quantum in se istam virtutem omnium virtutum Dominus commendavit. Primo verba ejus attendentes, ubi ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Quid est, magister bone, optime Jesu? Numquid ad hoc redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in te reconditi, ut hoc singulariter doceas, quia *mitis* es & *humilis corde?* Non doces, ut cæli discantur fabricari, fieri miracula, mortui suscitari, & cetera hujusmodi, sed *quia mitis sum & humilis corde.* Numquid tam magnum est quod est parvum? utique: quia per hoc invenitur requies animabus. Quæ enim alia est causa omnis laboris & certaminis nostri, nisi ut inveniamus requiem animabus nostris? Brevis doctrina, brevis via demonstrata est. Disce hanc à Domino Jesu, qui mitis est & humilis corde, id est, vide & quantum & quare humiliatus fuit ille, qui est *excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria ejus:* & disce etiam quia tu es lutum & cinis, & sic invenies requiem animæ tuæ. Sed nota, quod ait: *Humilis corde.* Non enim ficta humilitate placatur ille, qui est humilis corde, sed humilitate vera. Humilitate cordis delectatur ille, qui intuetur cor; quia in humilium cordibus requiescit. Quærit enim corda humilium, quæ elevet; non tumida, à quibus resiliat.

Matt. 11. d
Christus verbis & exemplis humilitatem docuit.

59. Sed quia duo posuimus, quæ nobis consideranda sunt, scilicet quantum & quare humiliata fuit Vitis nostra Dominus Jesus; utrumque hoc jam explicemus, quia vestræ votiva sunt caritati. Deficit enim humanus intellectus, ratio succumbit: quantum humiliatus fuit Dominus in conversatione. Quomodo enim scire potes dejectionem humilitatis, nisi etiam excellentiam dominationis agnosceres? Loquere enim. Quid potes? Numquid mensuram gloriæ, potentiæ & pulcritudinis ejus attinges? Non ad hoc Angeli, neque Cherubin, aut Seraphin pervenerunt. Non enim aliqua creatura Deum agnoscit ita plenarie & perfecte, sicut ipse est. Quanto minus homo, aut filius hominis vermis? Et tamen quia tantus erat, ut magnitudinis ejus non esset finis: ad hoc inclinatus est, ut filius hominis fieret vermis. O quanta humilitas! Incomprehensibilis Deus vult comprehendi, summus humiliari, potentissimus despici, pulcherrimus deformari, sapientissimus fieri ut jumentum, immortalis mori, & ut compendio absolvam, Deus vult fieri vermiculus. Quid excelsius Deo? Quid vermiculo inferius? *Ego*, inquit, *vermis sum, & non homo.* Quare vermis? Quia filius hominis. Ita enim habes in Job: *Astra non sunt munda in conspectu ejus.* Quanto minus homo putredo, & filius hominis vermis.

Christus quantum & quare humiliatus

Psal. 21. a
Job. 25. b

60. Si ergo filius hominis est vermis, utique & ipse vermis est, quia ipso testante filius hominis est. *Quem* inquit, *dicunt homines esse filium hominis?* Ecce qualem distinctionem facit inter hominem, & filium hominis. Homines appellat, qui de primo homine Adam per corruptionem descenderunt. Unde & Job ait: *Quanto magis homo putredo?* quia in putredine corruptio est. Ipse vero solus purus Christus Dominus, quia sine corruptione de Matre Virgine natus est; se quidem non appellat hominem, qui utique putredo est; *sed filium hominis*, qui vermis est. Sicut enim vermis de sola terra, ita Jesus-Christus de sola Virgine generatur. O quam humilis vermiculus Jesus-Christus, qui opprobrium factus est hominum, & abjectio plebis, ab hominibus contemptus sine causa, sine vindicta conculcatus sicut vermis. Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Humiliatus est, ut fieret homo, ut hominibus subderetur, beatæ Matri & Joseph nutricio suo, Simeoni exspectatori suo, non solum bonis, verum etiam malis terrenis potestatibus, solvens cum Petro didrachmum inventum in ore piscis. Subditus est Johanni baptismate suo, qui ab ipso potius debuit baptizari. Humiliatus est usque ad ablutionem pedum Discipulorum suorum bonus & benignus Jesus. Postremo humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quo ultra progredi poterimus? Mortuus non qualibet morte, sed morte crucis, morte turpissima condemnatus est. Videsne igitur, quantum in vite nostra, benigno Jesu, flos iste violaceus floruerit? Multi usque ad mortem humiliati sunt: sed nequaquam eo vilipensionis descenderunt, quia numquam ad tantam exaltationem pervenerant. Quis enim bonorum omnium morientium sibi potuit usurpare, quod de Christo Jesu dictum est: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo?* Nullus profecto, quia nullus hominum præter ipsum Deus erat. Maxime ergo humiliatus fuit, qui solus cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, & ad tantam abjectionem deveniens, ut ab hominibus jam non homo, sed vermiculus reputaretur.

Matth. 16. b
Job 25. a
Christus quomodo vermis.
Psal. 21. a
Matt. 17. d
Philip
Philip

61. Sed quæ est causa tantæ humiliationis in benigno Jesu? Non enim sine rationabili necessitate & justa causa sic humiliatus est Filius & Sapientia Patris, quæ nihil sine causa facit. Quid multis immoramur? Propter hoc factus est homo, ut hominem redimeret: infirmatus est, ut nostras infirmitates curaret: inops factus est, ut sua nos inopia ditaret; humiliatus est ut nos exaltaret: traditus est ad mortem, immo mortuus est, ut nos vivificaret. Quis sanæ mentis contemnit humiliari propter tam humiliatum pro nobis? Et licet multæ sint causæ, quæ nos ad humilitatem cogant, scilicet initium pudorosum, vita dolorosa, finis timorosus, metus gehennæ, spes cælestium, hisque cum aliis causis, si quæ sunt, cessantibus, sola Regis nostri ac Redemptoris Patris dulcissimi & optimi Jesu humilitas ad humilitatis virtutem nos, non solum incitare, sed violenter cogere deberet. Humiliemur ergo, & propter supradictas causas, ut vicem rependamus propter nos humiliato Domino Jesu, offerentes violam humilitatis ipsius, qua ipse Vitis nostra tam excellenter effloruit: & in corde nostro gustantes, ut hunc florem suum, quem ipse specialiter in se voluit commendare, recognoscens in nobis, nos secum, qui super omne nomen exaltatus est, in tempore visitationis suæ exaltare dignetur.

Causa humil nis in to.
Imitat

## CAPUT XVIII.

*De flore castitatis, qua est lilium.*

62. NOn potuit deesse in Vite nostra florente flos lilii candentis, excellens castitatis insigne. Inter omnes virtutes castitas quadam speciali prærogativa flos meruit appellari, quæ per lilium figuratur. Castitatis autem nomine hoc tractatu non quamcumque accipe castitatem, sed eam quæ virginitas appellatur. Est enim & castitas continentium, seu viduarum; & est castitas maritalis. Sed eæ jam minime flores appellantur, quia virginitatis florem lilii amiserunt. Eos igitur qui deflorati non sunt, id est virgines, flore lilii in præsenti volumus nuncupari: nec hoc dicendo facimus injuriam continentibus & maritatis. Non enim cum laudamus castitatem Johannis, vituperamus conjugium Abrahæ: nec commendando virginitatem Mariæ, viduitatem Annæ reprobamus. Sed habent singuli merita sua, non parva tamen dignitate distincta. Quis autem fructum tricesimum non laudat in conjugatis, sexagesimum in viduis; licet his excellenter præferatur fructus centesimus virginitatis?

Lilium castitat

63. De hac igitur gratia lilii, in quo Vitis nostra floruit, locuturi, videamus, vera luce nos illuminante, quare tanta virtus per lilium figuretur. Et manifeste quidem occurrit, quia propter candoris munditiam, qua ille flos ceteris floribus est prælatus. Hinc sane munditia virginalis merito figuratur typo lilii. Nullus præterea alius flos vel ipso prospectu tantum præ se fert gratiæ, quantum hic unus: quare merito mundissima, & omnibus piis gratiosa virginitas per hunc figuratur florem. Quibus itaque laudibus te efferam, ô virginalis candor? prorsus nescio. Atqui nescientem me doceat singulare illud Lilium, increata Dei sapientia Dominus Jesus, unigenitus Patris filius, & unicus filius lilii singularis, id est, castissimæ Virginis matris,

Castitas figuretur lilium.

quæ in confinio utriusque legis votum consecravit perpetuæ & integerrimæ virginitatis. Doceat, inquam, me, quomodo per considerationem lilii materialis, lilii virginalis circumstantias agnoscere valeam. Propter has ergo proprietates quas jam proposuimus, ipsum lilium materiale in radice & trunco, foliis, & in his aliis flosculis, qui intra illum concluduntur, studiosius investigare curemus. Speramus enim, quod his omnibus specialiter consideratis, commendationem perfectæ virginitatis invenire possimus.

## CAPUT XIX.

*De radice lilii, id est cogitationibus in corde latentibus.*

64. Radix lilii commendatur in tribus: alba est, splendida est, tractabilis est. Quid autem per radicem in terra latentem, nisi cogitatio latens in corde figuratur? Per albedinem ergo radicis munditiam cogitationis accipimus. Quid ergo munditia carnis, sine munditia cogitationis? De hac præcipit Dominus: *Lavamini*, inquit, *mundi estote.* Nam ne exteriorem munditiam intelligeres solam, subjunxit: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Perversæ enim cogitationes separant à Deo. Et sicut Veritas testatur: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, blasphemiæ*, & cetera, *quæ coinquinant hominem.* Sunt autem cogitationes nigræ sive pollutæ, nempe diabolicæ, mundanæ, carnales. Cum aliquis se alio meliorem æstimat, cum alii similis esse videri vult, qui eo major est; vel cum non vult subjectus esse ei qui sibi prælatus est; diabolicæ sunt cogitationes, quæ à diabolo inventæ sunt, & ab ipso ceteris familiarius usurpatæ, ita ut propriè character diaboli dicatur superbia. Cogitationes mundanæ sunt illæ, quæ animum concupiscentiis rerum illaqueant; ut illis acquirendis nimis sollicitæ insistant, & acquisitis nimis delectetur; ne proximorum necessitatibus erogentur, & sic fiant alieni à caritate Dei, quia scriptum est: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit sua viscera ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Cogitationes carnales sunt, quæ homines ad luxuriam pertrahunt carnis, utpote quando inordinata dilectione & delectatione cogitant viri de mulieribus, vel mulieres de viris: quia stulti homines amorem appellare præsumunt, quod verius odium posset appellari. Est & luxuria ciborum & potuum, cum lautiora & delicatiora propter solum saporem quæruntur, non propter sanitatem adipiscendam. Posset quis uti delicatis cum moderatione: quod tamen difficile observatur. Simile judicium est de his qui vestimentis delicatis uti desiderant.

65. Perditur proprietas lilii & virginitatis decor, si radici desit albedo, & cogitationi virginalis munditia. Nam si corpus extrinsecus sit mundum, & cogitatio intrinsecus sit polluta; jam non virtus, sed hypocrisis appellanda est. Hoc tamen sciendum, teste Gregorio †, quod cogitatio quantumlibet immunda mentem non polluit, cui ratio non consentit. Quis enim cogitationes suas ita refrenare potest, ut non qualibet immunditia titilletur? Sed continuo talium cogitationum insultus sunt reprimendi: ut unde sperabat se hostis vincere, per hoc magis victus abscedat. Quod fit, quoties pravis & immundis cogitationibus attracti, statim ad signum crucis, ad passionis dominicæ recordationem & lacrymarum subsidia confugimus, & suo telo in bello fortes effecti hostem ferimus.

66. Non solum autem alba, sed & candida sive splendida est radix lilii. Candore autem sive splendore hilaritatem animi videtur designare. Sunt autem nonnulli, qui bona quidem opera faciunt vel coactione, vel necessitate, vel consuetudine; sed ad hæc agenda nulla alacritate moventur, quod vitium propriè acedia dicitur. Et hoc quidem vitio religiosi homines maxime affliguntur. Nam sæculares admodum pauci, & si hoc sit vitium, non advertunt. Mundo enim alligati, spiritualis vitii vix possunt apprehendere nomen: cum tamen hoc vitium inter septem principalia nominetur. Nunc ergo spiritualibus

A loquamur, qui hoc vitium possunt intelligere. Vitium acediæ est, quod quemdam torporem incutit animo; ut ipsi omnia exercitia spiritualia quasi insipida videantur, & in grave tædium convertantur. De quo tædio dicit Psalmus: *Dormitavit anima mea præ tædio.* Et alibi: *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Tantum quippe aliquando affligitur hoc vitio anima bonorum, ut etiam omnem escam, id est omne spirituale exercitium, abominetur, ut nec orare, nec legere, nec meditari, nec opus manuum libeat exercere. Immo etiam appropinquant usque ad portas mortis, id est, ut etiam ipsius vitæ fastidium habentes morte finiri desiderent, cum sancto Job dicentes: B *Tædet animam meam vitæ meæ.* Huic gravi vitio medetur jucunditas, quæ per nitorem radicis lilii designatur, & reformat ægrum animum & abjectum, & ad meditationem incitat spiritualem, & reddit desiderium laborandi, orandi, legendi; ut exultet quasi gigas ad currendam viam, & cum Psalmista dicat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Curritur quippe via mandatorum Dei, cum cor dilatatur, id est, spirituali jucunditate aperitur. Dicitur enim naturaliter timore & tristitia cor claudi, securitate vero & lætitia aperiri. Quantum putas convenit hæc virtus hilaritatis virginibus sacris, quæ gaudium hujus mundi & omnem ornatum sæculi contempserunt propter amorem Domini sui Jesu-Christi, ut quod deest exterius, interius impleatur? *Gaudete* ergo *in Do-* C *mino semper:* quia vana gaudia ejecistis. *Iterum dico, gaudete:* quia vero gaudio adhærere meruistis, & in cogitatione cordis vestri hilaritatis nitorem semper habere. Hilarem enim datorem diligit Deus, dator singularis & veræ hilaritatis.

67. Est & tractabilis radix lilii, per quam virtutem mansuetudinis intelligere debemus. Scimus enim quam plurimos esse qui castitatis virtute præeminent, sed ita levi causa, immo sine omni causa moveri consueverunt ut tam sibi quam aliis, in quos commoventur, fiant nimium onerosi, semper exacerbatum animum gerentes ex D omnibus quæ capiunt visu vel auditu. Non decet hoc virginem Christi, qui dicit & docet: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et qui mitibus promittit beatitudinem, dicens: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Quid ergo immites? Exsules erunt in terra. E qua? de qua scriptum est: *Placebo Domino in terra viventium.* Quid prodest castitas ab illa terra exsulantibus? Non sunt illa profecto lilia, quibus hæc proprietas deest. unde non pertinent ad istud perfectissimum lilium, benignum Jesum, qui de se dicit: *Ego flos campi, & lilium convallium.* Quæ sunt illa lilia ad ipsum pertinentia? Audi. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Tractabile, & lene est lilium: pungentes & duræ sunt spinæ. Non perdit lilium suam lenitatem, licet perferat spinarum asperitatem. O quam E malæ filiæ per communionem fidei, spinæ per amaritudinem morum! Tu ergo si vis esse lilium verum, si vis à sponso dulcissimo collaudari; esto lilium inter filias, inter illas animas quæ ejusdem fidei, ejusdem professionis tecum sunt. Sed & si morum amaritudine & verborum asperitate te pungunt, esto inter tales mitis & tractabilis: non exasperéris ad quodlibet verbum, sed habe sustinentiam, ut merearis & tu audire: *Sicut lilium inter spinas*, &c.

68. Nec tamen hæc dicimus, ut tacite transeat omnium perversitas, & ut non corripiantur inquieti, vel ut tumidi non comprimantur; immo qui ejusmodi sunt, reprehendendi veniunt, ut ne amittatur tractabilitas tuæ radicis, qui vis esse lilium. Sed secundum Apostolum *ar-* F *gue, obsecra, increpa, insta opportune, importune, in omni mansuetudine & patientia.* quasi dicat: Ita fortis exerce zelum disciplinæ, ut lenitatem non perdas interius in mente, ut revocando perversum, tu ipse quoque non pervertaris. Sunt autem quandoque malorum vitia arguenda, quandoque tacite sufferenda, secundum quod uniuscujusque, qui talis est, utilitati videris expedire: quia non omnes ægroti uno genere medicinæ curantur.

Psal. 118. c
Psal. 106. b
Job. 10. a
Remedium acediæ.
Psal. 118. c
Lenitas Lilii significat mansuetudinem.
Matth 11. d
Matt. 5. a
Cant. 2. a
Ibidem.
2. Tim. 4 a

## CAPUT XX.

*De trunco Lilii, seu proposito bono, quod è radice bona cogitationis exsurgit.*

In trunco lilii tria consideranda.

69. Sequitur videre de trunco lilii, in quo tria considerantur, rectitudo, fortitudo, longitudo. Truncus ergo lilii à radice exiens, est propositum bonum exiens à bona cogitatione. Cum enim bona cogitaveris, si convalescant illa in te sicut radix in terra; necessitas exigit, ut ea quæ cogitationi placent, proponas ad effectum boni operis perducere: & sic statim habes truncum lilii, id est boni, hoc est, bonum propositum à bona radice & cogitatione procedens.

## CAPUT XXI.

*De rectitudine lilii, id est, recta intentione.*

70. Necessaria est huic trunco boni propositi rectitudo, id est, ut recta intentione proponamus bonum facere pro illo, non terrenas divitias, non humanos favores, nec honoris transitorii excellentiam requirentes. Astutus enim ille serpens, id est satanas, cum principio bonæ cogitationis non potest resistere, ponit insidias in via, quibus intentionem boni propositi possit evertere, & per truncum perversum ipsam quoque radicem bonæ cogitationis amarescere faciat. De his insidiis conqueritur Psalmus: *In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* O quanti istis laqueis capti & decepti sunt! qui bona quidem bene initiantes, tandem exterioribus cogitationibus accedentibus, propositi sui rectitudinem deseruerunt, omnino perversi; & per bona opera sua, vel divitias, vel honores, vel voluptates terrenas semel adepti, primæ intentionis sunt obliti, & aliud quam Deum quærentes, idololatræ facti sunt, dum gloriam incorruptibilis Dei, qui solus gloriosus est, & solus quærendus, mutaverunt in similitudinem volucrum, bestiarum & serpentum. Quomodo in similitudinem volucrum mutant gloriam Dei? Quia bona opera sua, quæ prius ad gloriam Dei facere intenderunt, intentionis rectitudine commutata pro vana mundi gloria facere laborant. Per volucres enim, leves & instabiles, & alta petentes, vana figurantur. Gloriam Dei mutant in similitudinem bestiarum, qui bona opera, per quæ prius gloriam Dei intenderunt, præterea pro carnis implenda voluptate faciunt. Per bestias enim quæ tantum quæ carnis sunt sequuntur, voluptas designatur. Gloriam vero Dei in similitudinem serpentum commutant, qui bona opera quæ pro cælestibus tantum divitiis, & pro gloria Dei adipiscenda fieri deberent, propterea operantur, ut ex his terrenas divitias consequantur. Per serpentes enim qui terram comedunt, designantur avari, qui tantum lucra terrena sequuntur, & animæ suæ ventrem cupiunt implere.

Recta intentio curanda in progressu boni operis. *Psal. 139. & 141.*

*Rom. 1. c*

71. Hæc sunt scandala, quæ in via rectæ intentionis gradientibus abscondit diabolus, ut truncum lilii, id est, bonum propositum, à sua rectitudine distorqueat. Heu, heu! Domine Deus, quis evadet laqueos istos? Ecce ut taceam sæculares, quot quantosque videmus Ordinum diversorum Prælatos, quos bona sine dubio scimus intentione nudos nudum Christum fuisse secutos; & tamen inviti ad prælaturas licet attrahantur, non post longum tempus, sed statim corrumpunt intentionem, truncum vitiant, commutant propositum: ut prælaturis ad quas inviti venerant, libenter inhæreant, præesse cupientes, potius quam prodesse; lautioribus ferculis & exquisitis, voluptati ventris potius quam utilitati, vel divinæ voluntati deserviunt: nonnumquam etiam pecunias congregare dicuntur, non ut spiritualibus filiis necessaria, sed ut carnalibus nepotulis & amicis superflue aliquid largiantur. O utinam mentiar, Domine Jesu, utinam mentiar: ut me solo mentiente omnes in rectitudine & veritate persistant.

Queritur prælatos in hoc maxime peccare.

72. Vobis autem, ô virgines Christi, humilitatis virtutem, quam sæpius vestræ caritati commendamus, ad propositi nostri rectitudinem pro maxima parte putamus sufficere. Dum enim in tantam altitudinem castitatis ascenditis; laborat adversarius vester satanas, ut vos ab illa deflectat. Clamat enim nobis sæpe, immo semper suggerit vocem illam, dicens: *Incurvare ut transeamus.* Quid est incurvare? Flecte intentionem tuam ad terrena, quam ad cælestia erexisti, ut pateat nobis transitus per te, ut conculcemus te. Ne consentias inimico tuo, ô anima casta, virgo Christi, amica sponsi tui, amici tui sponsa, ne consentias, ut ne incurveris. Hoc est, nihil terrenum quæras, non laudes humanas, non honores, non divitias terrenas: quia si ad hæc declinaveris, transibit per te mendax ille, teque conculcabit & premet ac elidet te, & jugum iniquitatis suæ importabile ponet super te, si abjeceris jugum Christi leve & suave. O quam insensati, qui rectitudinem intentionis suæ sic incurvant, ut accipiant illum teterrimum & iniquissimum satanam, sessorem suum, abjecto illo pulcherrimo & optimo primo rectore Domino Jesu, cujus, ut ipse asserit, jugum suavissimum est, & onus levissimum.

Virginibus Christi rectitudo intentionis commendatur.

## CAPUT XXII.

*De fortitudine trunci, seu de constantia boni propositi.*

73. Fortitudo trunci imprimit virtutem, quæ fortitudo vocatur. Est autem fortitudo, secundum quod eam hic accipimus, quædam virtus omnium tentationum sustinens insultus, non earum modo quæ molestæ, sed etiam earum quæ prosperæ sunt. Est autem hæc virtus trunco lilii nostri, proposito boni operis, & maxime voto virginitatis conveniens: quia quanto laudabilius est votum, tanto fallacius & fortius insistit diabolus, ut impediat bene tertiari *, quod in bono initio non potuit impedire. Talis truncus vere opus est, ut sit fortis contra frigus. Bonum namque propositum unde tentatur, acedia est, qua quandoque, sicut etiam supra diximus, in tantum tentantur electi; ut non orare libeat, nec legere, nec meditari, nec aliud quicquam operari eorum quæ sunt quædam fomenta animæ: quia oratione, lectione, meditatione, seu etiam exteriori exercitio corporis vires animæ reparantur & conservantur, & augentur, eisque subtractis animam languescere necesse est, & in frigus mortale resolvi: statimque subintrat luxuria, vindicatque sibi sedem in anima frigida, & eam pessime suo igne calefacit. Sine autem intermissione nostro lilio virgini Christi orandum, legendum, meditandum, vel etiam exterius aliquid operandum est, ne in ipsa truncus boni propositi corrumpatur. Hæc enim, sicut ait beatus Augustinus, si cum discretione fiant, ut valetudinem corporis non perturbent, in delicias spirituales vertuntur.

Fortitudo constantia boni propositi.

* al. terminari.

Fomenta animæ.

74. Calor quo corrumpitur truncus boni propositi, sæculi prospera sunt, in quibus nimis insidiæ inimicorum latent. Multos enim invenimus, qui adversis resistant: quia in illis tentatio est manifesta. Sanum est corpus, adversitates animi quæ enervant, & tentationes sedatæ, sunt. Quid superest, nisi securitas? Cave, cave: væ huic securitati, væ paci huic, de qua dicit ipsa Veritas; *Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt quæ possidet.* Time ergo dum omnia prospera sunt & tranquilla, ne ille fortis armatus satanas sine resistentia possideat te. Noli dicere apud te, quod dixit ille dives, cujus ager uberes fructus attulit: *Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos, comede, bibe, epulare.* quia cum dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus, & non effugient. Tu vero si vis pacem & securitatem veram habere, vide ne umquam securus sis; sciens pro certo nihil tibi tam timendum, sicut præsentem pacem, quæ sine dubio æternum generat timorem. Neque enim omnibus sanctis melior es tu, qui in tentationibus probati & perfecti sunt. Quis melior beato Job, cui ipse Dominus testimonium perhibuit, quod esset *vir simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo, & cui similis non erat in terra?* Simile vide in omnibus Deum timentibus, Apostolis, Martyribus, quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam regni, qui fortes facti sunt in bello, non in prosperitate.

Prosperitas & falsa securitas periculosa.

*Luc. 11.*

*Luc. 12.*

*1. Thess.*

*Job. 1.*

*Heb. 11.*

75. Tempestates autem truncum lilii nostri impugnantes, manifestæ adversitates sunt; in quibus quærendum

eſt unicum & ſingulare remedium, ille optimus medi- A cus, dux non ſeducens, rex ſuos erigens, athleta fortiſſimus, in ſuis & pro ſuis pugnans & vincens, & inde victores coronans Dominus Jeſus. Quid quæris, quod in illo non invenias? Si ægrotus es, medicus eſt. Si exſulas, dux eſt: ſi deſolatus es, rex eſt. Si impugnaris, pugil eſt. Si ſitis., potus eſt. Si alges, veſtimentum eſt. Si triſtaris, gaudium eſt. Si obtenebraris, lux eſt. Si orphanus es, pater eſt. Sponſus eſt, amicus eſt, frater eſt, ſummus, optimus, miſericordiſſimus, fortiſſimus, pulcherrimus, ſapientiſſimus eſt, omnia ſine fine gubernans. Quid autem laboro? Omnia quæ velle potes & debes, eſt Dominus Jeſus Chriſtus. Deſidera hunc, require hunc. Quia hæc eſt illa una pretioſa margarita, pro qua emenda etiam vendenda B ſunt omnia quæ tua ſunt; quâ habitâ nullius tempeſtatis procellam timebis. Sit ille finis propoſiti tui, ſit in illo poſita fortitudo tua, non in viribus tuis, & nullo modo confringeris: quia ipſe, & non alius, eſt veriſſimus & optimus conſolator adverſitatum & preſſurarum.

[Chriſto ...ia habe-]

## CAPUT XXIII.

*De vermibus qui corrodunt truncum, id eſt, malis ſuggeſtionibus bonum propoſitum corrumpentibus.*

[...t propo- corrum- ...ur malis ...eſtioni-]

76. VErmes truncum boni propoſiti corrumpentes, ſunt tentationes intrinſecæ, quæ tanto viciniores ſunt, quanto familiariores, ſæpe ſub boni ſpecie bo- C num propoſitum corrumpentes. Eſt enim aliquis qui de bonæ cogitationis radice, boni propoſiti truncum emiſit. Proponit omnia quæ mundi ſunt relinquere, ut nudus Chriſtum nudum ſequatur; ſed naſcitur intrinſecus vermis pravæ ſuggeſtionis, dicens ita: Indotata tibi ſoror eſt, paupercula mater: ſunt fortaſſis fratres, vel filii, ſive alii quicumque amici, rei familiaris inopia laborantes, qui de te ſolo pendent, te unum reſpiciunt: quos ſi reliqueris, aut mendicabunt turpiter, nimirum in tui generis opprobrium; aut furtive, vel violenter certe rapient aliena, & ſic in corpore ſimul & in anima peribunt. Quod ſi tu, qui his poteris ſubvenire manendo in poſ- ſeſſione tua, hos in certo periculo reliquiſſe videberis, D & clauſiſſe viſcera tua ab eis, quomodo caritas Dei manet in te? Ergo ut maneas in caritate, mane cum illis; quia ſine caritate nihil proderit tibi, quicquid agas. Quod ſi tibi etiam prodeſſet, melius tamen eſſet, ut multos tecum, quàm ſolum te ſervares. Numquid præceptum eſt alicubi à Domino, mundum omnino ab omnibus relinqui? Quin & magis operibus miſericordiæ commendabuntur electi & ſalvandi in extremi examinis die. Quid ergo quæris extra mundum, quod in mundo melius habere poteris & ſecurius? Adduntur his vermibus alii vermes mortiferi, ſcilicet difficultas clauſtralium præceptorum, & quod major eſt caſus, ubi altior gradus; ciborum parcitas, jejunia, vigiliæ, intolerabilis labor ſine re- E quie, duritia lectorum, laboris aſſiduitas, & ſuper omnia abrenuntiatio propriæ voluntatis, cum periculo falſorum fratrum, duritia prælatorum. Ecquis omnia enumerabit? Innumerabiles ſunt hi vermes peſſimarum ſuggeſtionum, truncum boni propoſiti graviſſime corrodentes. Omnino reſiſtendum eſt his vermibus, omnino, & ſacrarum ſcripturarum rationibus ſunt enecandi.

[...tationes ...tta Reli- ...nis pro- ...tum.]

77. Vermis igitur qui indiſcrete adeo caritatem & miſericordiæ compaſſionem perſuadet, occidendus eſt unguento dominicæ ſententiæ, dicentis: *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, & uxorem & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non eſt me dignus.* Qualiter autem diligendi, & qualiter F odiendi, per vaccas trahentes plauſtrum cum Arca Domini perdocemur: quarum vituli dum eſſent recluſi domi, ipſæ vaccæ Arcam geſtantes & recto itinere pergentes Bethſames, cum audirent voces vitulorum, dederunt quidem mugitum, qui erat ſignum naturalis affectus; nec tamen ſe ab arrepto ſemel itinere deflexerunt. Tu vero ſi jam portas ſive profeſſione aperta & ſollemni, ſive occulto propoſito jugum Domini, id eſt, Regulam quamcumque per Spiritum-ſanctum à Patribus inſtitutam: ſi te prædictorum vermium ſuggeſtiones incipiunt corrodere, imitare vaccas Allophylorum portantes Arcam Domini: redde mugitum, id eſt ſignum affectus, hoc eſt, condole, compatere, conſolare eos qui naturali amore conjuncti ſunt: nihilo tamen minus ſerva viam inceptam, hoc eſt, perfice bonum propoſitum dirigendo pedes tuos verſus Bethſames, verſus *domum ſolis*, hoc eſt, ad cæleſtem patriam, ubi eſt ſumma & ſpiritualis habitatio ſolis noſtri Domini Jeſu, qui eſt ſol juſtitiæ, qui in illa domo lucet in virtute ſua, habitans lucem inacceſſibilem. Sic ſunt odiendi amici, ut affectus amoris erga illos conſervetur: ſic ſunt & amandi, ut eorum amor nequaquam amori Dei præferatur. immo nec animæ noſtræ commodum amori illius præferre debemus: ſed tamquam odiſſe animas noſtras affligendo illas jejuniis, vigiliis, caſtigationibus, ut doceamus eas dominicis obedire præceptis. Eos quoque quorum inopiam implere poſſemus in ſæculo permanendo, eidem commendabimus conſervandos, qui eſt Rex regum, & dives in omnes qui invocant eum, orantes, ut eorum ſtatum ita gubernet, ſicut ſcit eorum ſaluti expedire.

[...rdinatus Amicos ...ctus quo ...do ordi- dus. .14. f]

[...g. 6. b]

[...m habes 7. ad ...em.]

78. Ceterum vermes ſuggerentes auſteritatem vitæ regularis, velociter necabuntur, ſi mentem noſtram myrrha, id eſt amaritudine dominicæ paſſionis, curaverimus inungere, cui quicquid pati potuerimus comparatum, aut parum, aut nihil poterit æſtimari. Sunt autem hi vermes maxime importuni propoſito virginali, eo quod magiſter vermium Beelzebub*, qui primitus Evam virginem leviter ſupplantavit, ſe modo jure doleat à virgunculis utriuſque ſexus toties ſupplantari. Vide ergo & prævide, & præcave vermes tibi inſidiantes, virgo Chriſti. Quum enim nonnumquam cogitaris te ad perfectam ſtaturam caſti lilii aut perveniſſe jam, aut facile perventurum: excute ac depelle abs te vermes iſtos ſuggeſtionum noxiarum, & imminentium trunco pariter & radici tui lilii, tibique per ſuggeſtionem dicentium: Quid agis? Quorſum deflecteris? Numquid florem juventutis tuæ vis exſtinguere? Numquid dulcedinem maritalis copulæ non experieris? Numquid filios cariſſimos & filias ſolatii tui, & ſuperſtites vitæ tuæ non habebis? Numquid miniſtrorum fidelium ſervitio carebis? Stultum eſt iter quod aggrederis: imitare parentes tuos qui te genuerunt. Gigne & tu filios, & ſecundum inſtitutionem dominicam conjugio fruere, qui de virginibus præceptum non dedit.

Horror auſteritatis vitæ regularis, qui curandus.

* Idolum muſcæ, v. de 4. Reg. 1.

Virginum tentationes.

79. Inſidioſi vermes ſunt hi, ô virgo Chriſti, in quorum faciem conſpuendum eſt tibi. Si hos curaveris evadere, diligentius intuere quis ſit Jeſus-Chriſtus, ô anima virginalis; utrum virgo, vel conjugatus, cui Virginem Matrem commiſerit, quem familiarius dilexerit. Quid opus eſt multis? Virgo eſt Chriſtus Jeſus natus de Virgine, quam Virgini commendavit puriſſimo, hoc eſt beato Johanni, quem ſpecialis prærogativa caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum. Hic Jeſus-Chriſtus ſponſus tuus tibi ſequendus potius quam parentes, ſi vis florem juvenilem animæ tuæ conſervare, qui numquam veteraſcit. Virginitas enim numquam decidet. Si autem de flore corporali vis agere, numquid non magis florent virgines animo ſimul & corpore, quàm qui corrupti? Immo vero virgines tam in corpore, quàm in anima vere florent, ſingularia lilia lilii ſingularis: qui, ut firmiter ſpero, & in hac mortali vita ſuis liliis abundantiam ſuæ ſuavitatis abundantius, quàm ceteris eructat, quia in his ſimilitudinem ſuam videt diſtinctius expreſſam. Quocumque enim Chriſtus pergit, virgines ſequuntur, fœcundæque fiunt, de ſpiritu ipſius concipientes bonum propoſitum, & bona opera parientes, quæ numquam moriuntur; ſicut generatio terrena in peccato concipitur; in triſtitia paritur, & anxietate nutritur, cum dolore tandem amittitur vel deſeritur. Non tales erunt filii tui, ô virgo Chriſti, non ſic. Neque enim umquam morientur, umquam amittentur, immo ſemper ſive morientem, ſive viventem ſequentur te, tuebuntur te, & in vitam æternam perducent te. Multi ergo filii, & multo meliores deſertæ, id eſt, virgines Chriſti, qui ad præſens deſerti videntur, magis quam ejus quæ habet virum carnalem. Si hæc & his ſimilia frequenter ad mentem reduxeris, morientur proculdubio in te vermes malarum ſuggeſtionum, nec

Quomodo ſuperandæ.

Virginum fœcunditas in filiis ſpiritualibus gignendis.

ad corrodendum truncum boni propositi tui, tuente te sponso tuo, aliquo modo prævalebunt.

## CAPUT XXIV.

*De longitudine trunci, seu de virtute longanimitatis, & perseverantia in bono proposito.*

Perseverantia Virginibus maxime commendanda.

80. LOngitudo trunci in lilio, quæ in altum erecta est, virtutem longanimitatis insinuat, quæ perseverare volentibus summe necessaria est. Sed quia de virtute perseverantiæ supra in tractatu sexti folii diffusius locuti sumus, hic brevius aliquid dicemus. Videtur autem hæc virtus plurimum commendanda in virginibus, maxime sexus feminei, quarum tam animis, quàm corporibus quædam infirmitas & debilitas longanimitati sive perseverantiæ contraria naturaliter est inserta. Sed benedictus Deus, qui hodierna die etiam infirma mundi elegit, ut confundat fortia, & animis virguncularum tenerrimarum seipsum proponit defensorem, ut illius primi & fortissimi corruptoris, antiqui serpentis dico, caput elidat, qui humillimis Christi virginibus insidiatur. Quis sanæ mentis præ gaudio non exsiliat, cum jam tempora nostra tot videat virginum liliis redimiri, tantâ fortitudine non sua, sed sponsi sui contra furorem draconis infesti viriliter dimicantibus, & triumphi coronam merentibus?

81. Gaudeo ego plane, cum jam nec in vicis, nec in civitatibus, nec in claustris lilia ista desint, immo cum & multa deserta & invia claustris virginalibus sint repleta, ita ut vere dicatur, quod germinent campi eremi, germen odorem Domini. Etenim ascendunt de deserto virgunculæ, virtutum deliciis affluentes, innixæ non super se, sed super dilectum suum, & longanimiter exspectantes sponsum suum, quando veniat: ut cum clamor factus fuerit, aptent lampades suas, & intrent cum eo ad nuptias sempiternas, ubi jucunditas & exultatio thesaurizabit super ipsas, & nomine æterno hereditabit illas Dominus Deus noster. Vos igitur, ô virgines Christi, ne deficiatis in exspectatione Christi. Aderit enim citissime sponsus vester, qui idcirco adventum suum differt, ut cum ceteris bonis operibus vestris, vestræ etiam donet exspectationi coronam. Scio, quamvis expertus non sum, quomodo gematis, quomodo compungamini in illo purissimo cubili cordis vestri. Ne deficiatis in bono proposito vestro, ut ad consummationem boni operis & perseverantiam pervenire possitis, per quam coronam mereamini sempiternam.

## CAPUT XXV.

*De foliis lilii circa truncum, id est, de verbis piis & fructuosis Virginum.*

* cap. 6. Tria in lilii foliis notanda.

82. JAm de foliis quæ circa truncum sunt videamus. Folia igitur, sicut supra diximus de foliis vitis *, verborum figuram habent. Circa quæ folia considerandum est, quod semper sunt virentia inferius, & circa terram majora sunt & plura, quàm in superiori parte; & quod superposita apostematibus, rumpunt & mitigant ea. Nimirum his foliis similia debent esse verba virginum. Viriditas igitur foliorum, virtutem verborum significat: videlicet ut nullum verbum proferatur ab ore virginis Christi, quod nihil in se virtutis contineat. Ut recenseantur hîc non solum verba turpia, scurilia, jocosa, luxuriosa, superba, iracunda, detractoria, adulatoria, sed etiam verba superflua. Verbum enim superfluum, id est otiosum, folium aridum est. Folium vero aridum, folium lilii non est. Si ergo vis esse lilium, habeto verba virtuosa, folia viridia, de quibus scriptum est: *Folium ejus non defluet.* Vis autem videre, quod verbum otiosum folium aridum est? Audi ipsam Veritatem, Dominum Jesum: *Omne igitur verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii.* O quantus terror! Judex sapientissimus, qui numerat omnes pluviæ guttas, discretor omnium cogitationum omnium hominum, à primo Adam usque ad ultimum, qui erit in fine sæculi, vult audire rationem verborum omnium otiosorum, cum sederit in sede majestatis judicii sui, ubi non jam

Verba otiosa quàm virginibus cavenda.

Psal. 1. b

Matth. 12. c

A misericordia, sed judicium cantabitur Domino. Quid tum miseri & miserabiles faciemus? Sapientissimus es Domine, falli non potes: justissimus es, corrumpi non potes. Tempus miserendi tunc præteritum erit, quia judicabis orbem terræ in æquitate; judicabis populos in justitia, qui prius per misericordiam pepercisti. Quid ergo dicam? Miserere quæso, dum tempus est miserendi, Pater misericordiarum, ut non judices me in tempore judicandi. Pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, ut non solum à maledictis & turpibus declinem, verum etiam otiosa verba devitem: ne de illis me oporteat in die judicii reddere rationem, ubi jam non de bonis & viridibus foliis verborum, sed de malis aridis ratio est reddenda. Psal. 14

B

83. Quid est autem verbum otiosum? Otiosum est verbum, teste Gregorio †, quod ratione justæ necessitatis, vel intentione piæ utilitatis caret. Quidquid ergo loqueris, nisi intendas alicui prodesse, otiosum est. Quis de his omnibus reddere potest rationem? Moderetur ergo omnis homo linguam suam, sed præcipue virgines Christi: ut sciant, quando vel qualem proferant sermonem. Non enim decet ex ore cantaturo canticum novum sponso suo, aliquod verbum procedere, quod illi cantico sit contrarium. Quid est ergo canticum novum? Canticum caritatis. Quare novum? Quia initio sæculi à primis creaturis canticum fuit vetus, canticum contrarium caritati. Vis

Otiosu[m ver]bum q[uod] nam sit. † Greg. Mor. ca.

Cantic[um] novum

C ergo nosse? Cantavit Angelus periturus in cælo canticum superbiæ, dicens: *Ponam sedem meam ad Aquilonem, & similis ero Altissimo.* Cantavit postea detractionis canticum in paradiso, cum accedens ad mulierem ait: *Quare prohibuit Deus vobis, ne comederetis de ligno scientiæ boni & mali?* tamquam diceret, mala intentione prohibuit. Canticum dubitationis cantavit mulier, dicens: *Ne comedamus, & forte moriamur.* O *forte*, quantum infirmitatis nobis induxisti! Videns autem diabolus mulierem dubitantem, prorupit ad canticum mendacii, dicens: *Nequaquam moriemini.* O nequam, ô nequam, ubi est modo tuum *nequaquam?* Ecce mortui sunt duplici morte, quos dixisti nequaquam morituros. *Nequaquam,*

Isa. 14. Gen. 3. Cantica ria, sed Ibidem. Gen. 3.

D inquit, *moriemini.* Malum & vetus canticum hoc verbum veritati contrarium. Dixerat enim Deus: *Quacumque die comederitis, morte moriemini,* morte videlicet animæ. vel, ut alii exponunt, *Moriemini*, id est mortales efficiemini, scilicet, ut necessitatem tunc habeatis moriendi, qui modo potestis non mori. Si enim in obedientia permansissent, mortui non fuissent. Cantavit & Adam canticum excusationis in peccato, cum dixit: *Mulier quam mihi dedisti sociam, dedit mihi, & comedi.* ac si diceret: Tu potius accusandus esses, qui talem mihi junxisti mulierem, quæ me ad peccandum induceret.

Gen. 2. Gen. 3. b

84. Carissimi, vetera cantica sunt hæc, canticum superbiæ, canticum detractionis, canticum dubitationis, canti-

E cum mendacii, & canticum excusationis. Cavenda sunt, & per omnem modum cavenda hæc cantica, ô virgines Christi, si novum vultis canticum decantare. Sed neque aures vestras talibus canticis aperietis, qui vocem Christi specialius & familiarius audire desideratis. Vivit adhuc ille malignus serpens, & sub virginea facie, id est, sub specie bonæ collocutionis, suæ malignitatis venena distillat. Cantat adhuc in cordibus auditorum suorum canticum superbiæ, cum illis latenter suggerit, ut ad honores & dignitates & prælaturas adspirent, vel propter nobilitatem, vel propter scientiam, sive etiam propter bonitatem suam. Quin & his deceptus fuit ipse, qui se prælatum in nobilitate pulcritudinis, & sapientia, & virtutibus, aliis vidit

F choris Angelorum; & prorupit in canticum superbiæ, per quam cecidit; & alios cadere facit, quotquot secum idem canticum cantare præsumunt.

## CAPUT XXVI.

*De novo Cantico virginibus cantando.*

85. NOn ita cantavit novi cantici imitatrix Mater Christi, verum lilium vere viridantibus foliis redimitum. Vis videre folia ejus? vis audire canticum ejus? Exaltata, & supra quàm dici aut cogitari potest, toti

mundo cælisque prælata, non ascendit supra se, sed cantavit canticum humilitatis, quod & caritatis est, quia caritas non inflatur. Eructavit de corde suo inebriato verbum bonum & suave, canticum novum virginibus cantandum. Et quid ait? *Magnificat anima mea Dominum.* Vide, quàm contrarium est canticum hoc cantico Angeli ruituri. Incœpit ille in alto, ac proinde in ima non descendit, sed corruit. Incœpit Maria ab imo, ut in altum sublevaretur. Magnificat hæc Dominum, non se; licet inæstimabiliter exaltata, servans quod scriptum est: *Quanto major es, humilia te in omnibus.* Unde & super omnes choros Angelorum meruit elevari. Magnificavit se ille supra Dominum, unde infra omne quod est, meruit præcipitari. Exultavit spiritus humilis Mariæ in Domino Jesu suo, unde oleo lætitiæ præ consortibus suis inungi promeruit: exultavit stultus ille Angelus in se; unde luctu perpetuo meruit condemnari. Gloriatur ista humilitatem suam esse respectam, unde habebit fructum in respectione animarum sanctarum: gloriabatur ille in multitudine virtutis suæ, unde perpetuam despectionem incurrit.

[margin: . 1. ...militas ...iæ & su... ...bia Luci... per anti... in colla...]

86. Vos ergo, ô virgines Christi, virete in foliis, in verbis caritatis, humilitatis, & patientiæ. Sequimini lilium illud præcipuum, Matrem summi lilii, boni Jesu, ut ipsum solum magnificantes, qui solus magnus est, in ipso, & per ipsum & cum ipso mereamini magnificari. Cavete nihilominus *canticum detractionis*, quod in paradiso inchoatum est, canticum vetus & in peccati vetustatem perducens. Et videte quantum omnino sit contrarium novo cantico caritatis: cum necessarium sit illum non diligi, cui detrahitur. Solet enim caritas non obloqui, non detrahere; sed potius peccata aliena excusare: vel si forte sit necessarium corripere, facit hoc non animo malignandi, sed corrigendi. Cavete & *canticum dubietatis*; non dubitantes de misericordia Domini: sed omnem sollicitudinem vestram audacter in eum projicite, quoniam ipsi cura est de vobis. Non enim crudelis est, ut permittat vos cadere, si vos in ipsum projeceritis, qui vos ad hoc hortatur; qui vos propter ipsum omni terreno solatio scit voluntarie destitutos. Nec dubitetis de pœna malis pro suis demeritis infligenda, ne in præsumptionis vitium incidatis: nec dubitetis de præmio justis conferendo, ne forte desperationis periculum incurratis. Cavete, ne *canticum mendacii* aliquando ex ore vestro procedat, quo veritatis sponsum vestrum spiritualiter laudare spernatis. Perdit os virginis virginitatem suam, quoties scienter in animo malignandi loquitur mendacia contraria veritati. Cavete nihilominus *canticum excusationis* in peccatis, semper habentes in mente illud beati Johannis virginis veritati * testimonium perhibentis. *Filioli*, inquit, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & justus est Deus, qui dimittit nobis peccata nostra, & emundat nos ab omni iniquitate.* Nemo igitur æstimet se sine peccatis esse: nec cum cognoverit illa, excuset se, sicut stulti solent adhuc hodie loquentes excusationem Adæ, & dicentes: Mulier quam dedit mihi Deus, seduxit me. Quare talem mulierem dedit mihi Deus, quæ me seducat? Mulier ista seducens virum, est caro spiritum nostrum adducens ad consentiendum peccatis, pro qua stulti Deum quotidie accusant, seipsos in peccatis volventes, & dicentes se carnis illecebris non posse resistere, quam acceperunt à Deo. Grande valde est peccatum illud, accusare Deum optimum, qui fecit omnia bona valde propter te: & præcipue ipsum hominem pro ceteris creaturis creavit. Bonum sine dubio fecit te Deus bonus, qui fecit omnia bona, bona valde propter te. Neque enim bonus esset, si te male fecisset, propter quem omnia fecit, quæ propter te bona facta valde fecit omnia. Bonum ergo & valde bonum fecit te Deus. Bonus tu ipse, te vere malum facis. Si deleveris in te quod tu ipse facis: invenies valde bonum te esse inter creaturas quas ipse fecit. Fecit ipse primo te secundum se, & factus est postea secundum te. Fecit ipse te prior ad imaginem & similitudinem suam, & factus est ipse posterior homo ad similitudinem tuam. *Verbum* enim *caro factum est.* Laudemus ergo Deum,

[margin: ...tica vir... ...bus ca... ...la. | ...etractio... | ...iffiden... | ...endacii. | ...xcusatio... | ...virgini... | ...1. d | ...atores ...te in ...n pec... ...sua reji... ...t. | ...ol. fa... ...secun... Deum, ...s postea ...ndum ...nem.]

A qui secundum se fecit nos. Amemus Deum, qui propter nos factus est secundum nos. Oremus ipsum, ut imaginem suam, sicubi deformata est in anima nostra, misericorditer reformare dignetur; nihilominus & corpus nostrum, quod ad similitudinem & naturam nostram accepit, sic immaculatum conservare dignetur. Et viridia folia, id est verba virtutes continentia, proferamus, si quidem volumus esse vera lilia, quæ verba veterum canticorum non habent, sed quæ novo cantico, id est caritati, spei, humilitati, & ceteris virtutibus convenire noscantur.

87. Proferamus folia, (& vos præcipue, ô virgines Christi, quæ à viriditate nomen habetis,) quæ vireant, & quæ apostematibus superposita rumpant illa, & levient, & sanent sanie foris ejecta: quod fit quoties incestum ad castitatem, superbum ad humilitatem, iracundum ad mansuetudinem, avarum ad largitatem, gulosum ad sobrietatem, invidum ad caritatem, acediosum ad alacritatem verbis bonis & veritati consentaneis perducimus. Ista vitia quasi ulcera animam gravant, continentia in se venenum immunditiæ & pravæ consuetudinis, de quibus singulis quia nos in tractatu de foliis vitis exempla posuisse meminimus, causa brevitatis in præsenti judicamus prætereunda. Hoc autem dicimus tantum, quod considerandum nobis est, quo vitio unusquisque laboret, ut secundum laboris sui magnitudinem & qualitatem, verborum medicinam ministremus, & similiter de aliis vitiis, sicut supra positum est. Hoc enim sciendum est, quia non semper silentio studendum, licet cum magno studio silentium sit servandum: sed januam oris nostri quandoque claudere, quandoque aperire debemus, quatenus ita taceantur mala, ne cum malis etiam bona & utilia taceantur. Quod etiam in petitione sua innuit Propheta, cum dicebat: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Ostium quippe non semper patet, nec semper clauditur; sed in domo sapientis patet sapientibus in nuntiis emittendis: clauditur vero pro stultis intrinsecus retinendis. Sic & os nostrum, quod est ostium cordis nostri, per quod verba quasi quædam nuntia egrediuntur, nuntiantia quid interius agatur in corde, quod verbis prudentibus & utilibus est in tempore reserandum; pravis vero verbis quæ de malis motibus cordis surgunt, jugiter est claudendum. Tempus enim loquendi, & tempus tacendi. Nec minus peccat is, qui verbum subtrahit in tempore opportuno, quàm qui prava loquendo, alios scandalizat. Nimis enim videtur avarus esse & invidus, qui verba gratis habita ad utilitatem proximorum negligit ministrare. Quando enim putas eum substantiam propriam indigenti proximo largiturum, quæ divisa minuitur, qui verba numquam deficientia non largitur? Ponat ergo Dominus custodiam ori nostro, ut sciamus quando & qualem debeamus proferre sermonem: & ostium circumstantiæ labiis nostris, ut ita non solum aperiatur, sed etiam claudatur in tempore, ut neutro offendamus. Sed superposita apostematibus animarum infirmarum verba nostra, tamquam folia liliorum, saniem vitiorum Domino adjuvante ejiciant, & virtutum vires valeant inserere auditoribus.

[margin: Verba sunt medicinalia. | Silentium laudabile, sed intempestivum fugiendum | Psal. 140. 4]

[B, C, D, E: section letters in inner margin]

## CAPUT XXVII.

*De foliis lilii inferioribus & superioribus, seu de frequentia & parcitate verborum.*

88. Quid est autem, quod ipsa juxta terram majora sunt & plura, superius vero pauciora & minora: nisi quod viri justi, & præcipue virgines, quanto altius ascendunt ad culmen virtutum, terrenis cogitationibus & cupiditatibus infra relictis, tanto disciplinatiores & tanto parciores debet esse in verbis? Per diminutionem enim foliorum in superiori parte disciplina verborum intelligitur: quia disciplinati quique quasi circumcidunt & extenuant verba sua, ne quid in eis pudicitiæ, vel disciplinæ contrarium valeat inveniri, quæ indisciplinati & turpes quicumque omni honestate carentia, turgida & inflata emittunt. Per paucitatem vero foliorum, verborum

[margin: Silentii religio crescit pro modo profectus.]

paucitas convenienter accipitur: cui omnes boni tanto magis student, quanto virtutum culturæ viciniores exsistunt. Unde de fratre quodam, qui discere volebat, & quasi in usum reducere linguæ correctionem, legitur, quod quidam per triennium lapidem portabat in ore: de alio vero, quod triginta annos non fuerat locutus quicquam. Videmus plures, qui dum in principio boni propositi, & adhuc quasi vicini terræ, pristina ducti consuetudine, nec modestiam, nec paucitatem verborum valeant observare, quorum verba designantur per folia lilii juxta terram: procedente vero tempore, gratiaque accedente secundum profectum suum moderantur verba, studentque silentio, ita ut non solum prava, sed etiam otiosa devitent.

89. Cui autem bonorum statui melius competit disciplina & paucitas verborum, quàm virgini Christi? Nam si omni homini Christiano præcipitur, ut nec turpiloquium, nec scurrilitas procedat ex ore eorum, sed magis gratiarum actio; quanto magis virgo suo Domino pudicitiam consecrans, ab his omnibus debet temporibus abstinere? Qui suam proculdubio pudicitiam non violavit, tanto majores debet Domino reddere gratiarum actiones, quanto majorem est gratiam consequutus. Bonos enim virgines esse, summum bonum est, & summa gratia, quia ii soli sequuntur Agnum quocumque ierit. Quantum vero is etiam à multiplicitate verborum debeat abstinere, quis non videat, cum loquacitas omnis sit indicium impudicitiæ, quæ nequaquam potest simul esse cum pudicitia virginali? Loquacitatis ergo vitium maxime devitent virgines pudici, si volunt virtutem pudicitiæ conservare. Manifestum enim est, quod in multiloquio non deerit peccatum, sed paulatim ab otiosis verbis ad detractiones venitur, donec tandem ad apertas contumelias prorumpatur. Arguit autem loquacitatem Apostolus Jacobus, ita dicens: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum: hujus vana est religio.* Nemo igitur sibi de religionis habitu blandiatur, qui adhuc linguam suam non didicit religare. Religa tuam linguam, si vis esse religiosus, quia sine linguæ religatione religio vana est. Unde Patres sanctissimi religionum institutores, & eorum sequaces sapientissime, sicut à Spiritu sapientiæ docti fuerant, districte instituerunt observationem silentii: non ignorantes, quia sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo spiritum suum cohibere. Et sicut Psalmus ait: *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Sciunt etiam homines spirituales, qui hoc experti sunt, quantum auferat devotionis, quantum afferat dissolutionis intrinsecus frequens linguæ resolutio. Nam sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem: sic nec cor devotionis in se poterit gratiam conservare, cujus os non fuerit janua silentii reclusum. Claudamus igitur os nostrum, ut cum devotionis fervore Christum devotionis largitorem in ferventi affectu animi possimus conservare.

*Ephes. 5. a* — *Silentium maxime decet virgines.* — *Apoc. 14. a* — *Prov. 10. c* — *Jacob. 1. d* — *Cur tam stricte in monasteriis præscriptum.* — *Prov. 25. d* — *Psal. 139. b*

90. Vos autem præcipue, ô virgines sponsæ Christi, intrate in cubiculum cordis vestri, & clauso ostio oris vestri orate familiariter, humiliter, lacrymabiliter, hilariter, dulciter, fiducialiter sponsum vestrum, regem vestrum, patrem vestrum, & consolatorem. Effundite coram illo, omnium inspectore cordium, corda vestra; confabulemini cum illo recordantes illius, effundite super vos animas vestras, & terrenis corporalibusque relictis, pennis spiritualibus caritatis elevamini: & transite in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, ubi non corporis, sed cordis auribus audiatis vocem exultationis, & confessionis sonum, festum diem celebrantes, ubi interna consolatione refectæ, quandoque cum articulus tempestatis & necessitatis, tentationis & carnis advenerit, cælestis refectionis recordari possitis, & dicere: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.* Memores estote optimi Domini Dei, memoramini & delectamini, & deficiat spiritus carnis vestræ: ut spiritu illius, qui est super mel dulcis, reficiamini, & discatis vilipendere exteriores collocutiones, postquam interioris collocutionis gustaveritis dulcedinem. O quàm bonum & quàm jucundum, ô quàm bonum & jucundum est, tecum, ô dulcissime Jesu, habitare in unum, tecum colloqui, tibi revelare causam animæ nostræ, tuæque consolationis responso perfrui. O quàm bonum est ad te inhabitantem lucem inaccessibilem duce caritate accedere, cui, si tantum dux nostra fuerit, nihil manere poterit inaccessum. Novit cor tuum, ô dulcis Jesu, caritatis lancea vulneratum, viam facere caritati, cui perpetuo non claudetur.

*Virginibus religiosis quid agendum in silentio, vel cui interim loquendum.* — *Psal. 42. b*

91. Accedite ergo ad eum per eum gressibus caritatis, & illuminamini. Gustate, quoniam suavis est. Sciunt experti, & bene sciunt qui ex alia parte gustaverunt bonum Dei donum, qui aliquando in cellam vinariam à vera vite nostra sunt introducti, quàm amarum & quàm tædiosum sit à dulcedine contemplationis illius interiori præsentia separari, & ad exteriora corporalia vel audienda vel videnda reduci. Cum enim ille, quantum in præsenti fas est, bonus Jesus discipulis suis familiaribus seorsum ab aliis fratribus in monte contemplationis eductis, se coram illis transfigurare voluerit, & in veste candida dulcedinis & bonitatis suæ apparere mirantibus, & solida caritate inebriare voluerit eos, quos ante visitaverat per timorem judicii, sive per violentiam salubrium tentationum (quia per flagella Deus nonnumquam suorum se cordibus repræsentat.) cum ergo, sicut diximus, aliquando se in suorum cordibus transfigurare dignatus fuerit, ut tristitia in gaudium convertatur; si interim dum hæc nescio quomodo aguntur, aliquis exteriorem requirens præsentiam sic sit affectus, ut tamen ab amabilis contemplationis monte ipsum cogat descendere; putas illum talem impulsionem exteriorem patienter ferre, & non magis clamare cum Petro: *Domine, bonum est nos hic esse?* Et cum Paulo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* O quam amarum est eis, qui tali interiori refectione satiari noverint, ad exteriora rursus attrahi. Mori videntur sibi, quia revera quædam mortis species est à contemplatione vitæ, à contemplatione candidi Jesu, à contemplatione faciei illius rutilantis sicut sol, ad has tenebras rursus avelli; & à Mariæ dulcedine ad Marthæ ministerium revocari.

*A Contemplationis dulcedine ad negotia molestum.* — *Matt. 17.* — *Rom. 7.*

92. Breviter autem dico, quod quicumque sciunt mentis oculos interioribus contemplationibus occupare, & linguam animæ ad divinum colloquium reserare, non solum non delectantur exterioribus visibus vel colloquiis, verum etiam plurimum fatigantur. Hi vero qui intrinsecus cæci sunt & muti, & contemplatione divina & orationibus devotis nesciunt se occupare, exteriorum sensuum subsidia quærunt, & longitudinem temporis qua gravantur, inutilibus confabulationibus expendere satagunt. Exterioribus enim collocutionibus velle occupari, signum certissimum est animæ otiosæ, quæ ad collocutionem divinam nulla penitus devotione levatur. Nondum certe ad summitatem lilii pervenerunt, qui linguam suam à multiplicitate verborum nesciunt sive nolunt refrenare: tantoque altius se quisque noverit in virtutum gradibus ascendisse, quanto minus humanis colloquiis delectatur, nisi forte ejusmodi hominum in quibus ipse Deus loquitur, & per quos verbum Dei auditur. Tales enim non audiuntur propter se, sed propter Deum, qui & habitat & loquitur in ipsis: & cum talibus loquendo à nostris sæpe Domino cooperante dubietatibus expedimur, à pravis abducimur, & in bono proposito confirmamur. Verumtamen in omnibus discretionis spiritus optandus est & implorandus à Domino, ut ipso revelante sciamus, cui spiritui sit credendum, cui cordium nostrorum simplicium sit cogitatio revelanda, à quo salutis verbum audiendum, ne simplicitas nostra ab astuti serpentis fallacia capiatur, qui plerumque mala bonis, & falsa veris, erronea rectis admiscere consuevit.

*Loquacitas imperfectæ animæ indicium, &c.*

CAPUT

## CAPUT XXVIII.

*De contemplandis in lilio, id est decore, & excellentia veræ virginitatis.*

93. JAm nunc ad contemplandum florem ipsum lilii veniamus. Vide, ô virgo Christi, quanta pulcritudine præemineat tuus iste flos, tuum florem designans, præ ceteris floribus. Vide quantam præ omnibus floribus qui sunt in terra, gratiam obtineat specialem. Vide quantam ab ipso Sponso tuo laudem præ cunctis floribus mereatur. *Considerate*, inquit, *lilia agri, quomodo crescunt. Amen dico vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis.* Lege igitur, ô virgo, & perlege, & sæpius relege hoc verbum sponsi tui, & intellige quantum in hujus floris commendatione tuam gloriam commendavit. Omnem mundi gloriam sapientissimus ille omnium creator & conditor unico flosculo tuo cooperuit; nec gloriam flosculo, sed hunc flosculum omni gloriæ prætulit. In Salomone enim, de quo legitur, quod magnificatus est super omnes reges universæ terræ in divitiis & honore, omnes mundi glorias debes intelligere. In flore lilii tui, qui tuam, omniumque virginum Christi figuram gerit, virginitatis gloriam contemplare. Si ergo tantum commendatur ab ipsa Veritate decor lilii tui, ut ei juste subjiciatur omnis gloria Salomonis, quem non dubium est secundum magnitudinem gloriæ suæ fuisse magnifice coopertum; quantum putas commendandum ipsum esse tuæ virginitatis lilium incorruptum, & nulla in perpetuum macula corrumpendum, cujus vel umbra & figura tantum meruit honorari? Si omne operimentum omnis gloriæ Salomonis non potest decori unius materialis lilioli comparari, quis decor comparabitur tuæ florenti virginitati, quæ est tuum lilium verum & speciale? Nullus, inquam. Quia claritatem altitudinis tui decoris nullus potest decor terrenus transcendere, quia *nec Salomon in omni gloria sua coopertus fuit, sicut unum ex istis*.

1. d — 10. d — 9. c — [..]itatis incom[..]lis. — 12. d

94. Noli ergo subtristis cantare: *Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini nostri Jesu-Christi*, qui tibi etiam in præsenti vita decorem dedit omni mundano decore majorem, lilium integritatis tuæ sibi conservando, & sibi præ ceteris pulcritudinibus virtutum specialiter dedicando, & speciali dilectione adstringendo. Videbis luculenter hoc in cantico amoris, ubi ceteris floribus pæne omissis florem tuum sæpius nominat, nomen lilii sæpius inculcando: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et item: *Dilectus meus ascendit ad areolam aromatum, ut lilia colligat.* Et rursus: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Laudabile lilium, amica sponsi; amabile lilium, quod colligitur à sponso. Non enim, ut æstimo, colligitur, ut ultra marcescat: sed ut in altari aureo collocetur, quod est ante oculos Domini, id est ut collocetur in cælesti sanctuario, ut sit ipsum lilium ad ornamentum aliorum Sanctorum. Delicatum profecto lilium, in quo pascatur sponsus. non quod in hoc solo delectetur: sed in hoc quadam speciali prærogativa dilectionis, plus aliis delectatur. Nec immerito. Duplex enim bonum in virginibus, quod in aliis sanctis non virginibus simplex est. Cum enim tota Ecclesia virgo sit in anima, nullam habens maculam neque rugam, in fide, & spe, & caritate incorrupta, propter quod & virgo appellatur, meretur & à sponso laudari: quanta laude putas esse digna lilia nostra, quæ hic habent tam in corpore, quàm in anima, quod tota Ecclesia habet tantum in anima? Quasi enim quidem adeps & medulla Ecclesiæ sunt virgines Christi: & quadam singulari excellentia aliorum florum sponsi amplexibus familiarius inhærentes.

[..]in Off. [..]de SS. [..]ibus. — 2. à — 6. a — [..]num [..]ceteris [..]ex præ[..]tira.

95. Hoc autem est virginibus summopere considerandum, qui lilii pulcritudine delectantur, quod flos lilii tam interius quàm exterius albus est. Quid enim per exteriorem partem floris albam nisi munditia corporis, aut quid per interiorem nisi mentis virginalis puritas figuratur? Turpe esset, immo non esset lilium, quod vel interioris vel exterioris candoris sui puritate careret: ita quoque turpis est virgo, immo non est virgo, quæ non habet utramque, scilicet mentis & corporis castitatem. Ubi non dubito multos utriusque sexus virgines in corpore defunctos esse, & salvandos, qui nequaquam virginale præmium merebuntur. Mortui enim sunt, qui corpore quidem incorrupti, sed mente corrupti erant: ipsa tamen mentis corruptione non exigente eos ad mortem æternam, quia legitimas nuptias exspectabant, sine quibus nulla illicita connubia voluerunt perpetrare. Si enim, sicut ait Apostolus, *nupserit virgo, non peccavit*, quæ sola tantum voluptate nupsit, quamvis jam in mente florem virginitatis corrupit. Consentit huic sententiæ beatus Augustinus, dicens: quod nequaquam virgo adspirans ad nuptias melior est muliere nuptias adepta, cum ea quæ jam nupsit, uno sit viro contenta; nuptura vero quærens per omnem populum cui adhæreat, cum pluribus necesse est fornicetur animo. Placet enim illi hodie unus, cras alter, deinde tertius & quartus, & fortassis plures: & quomodo si talis moritur, meritum obtinebit virginitatis incorruptæ?

[..]a Virginitas mentis & corporis puritate constat. — 1. Cor. 7. d — August. lib de sancta virgin. c. 11.

96. Utrum autem virgines illæ, quæ vi opprimuntur post virginitatis votum, nec aliquando consentiunt corruptioni; vel illæ etiam, quæ ante votum aliquando ad nuptias adspiraverunt firma mente, licet postea pœnitentiâ ductæ voto castitatis se constrinxerint; sive etiam illæ, quæ post votum aliquando sola voluntate à voto continentiæ resilierunt, sed rursus ad voti constantiam redierunt, & usque in finem perseveraverunt: utrum, inquam, tales virgines sint præmio coronandæ, fateor me ex auctoritate nescire. Et hoc magis peritiorum hominum, vel certe divino potius arbitrio sentio relinquendum. Dico autem magis opinando, quàm definiendo de primis, quæ vim patiuntur; si numquam suæ corruptioni, nec voluntate, nec delectatione consentiunt, beato virginali præmio non esse spoliandas †, quod ex verbis Luciæ, (si tamen authentica videantur) videtur posse comprobari*. Si etiam per violentiam, & non à consentientibus, castitas virginalis amittitur; spero quod talis amissio castitatis ipsis amittentibus cedat in bonum: quia forte permisit eas benignus Jesus tali bono spoliari, quod præscivit ipsas non bene usuras. Utile enim esset aliquam, quæ propter virginitatis meritum deberet superbire *, perdere virginitatem, & per hoc consequi humilitatis virtutem.

Aureola virginum quibus competat.

† v. S. Aug. de Civ Dei. lib. 1. cap. 16. & seqq
* Respondit enim Paschasio: Numquam inquinatur corpus, nisi de consensu mentis Si invitam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Apud Sur. 13. Decemb.
* v Aug lib. 1. de Civ c 28.

97. Cavenda sunt autem virginibus summo studio loca & tempora corruptoribus opportuna, ne si suæ corruptioni per insipientiam suam occasionem præbuerint, ipsæ sibi merito nocuisse videantur, & suâ coronâ priventur. Si enim Bethsabee non se impudice sive incaute lavisset in solario, & Susanna in pomario, ubi videri poterant aliquo modo; nequaquam illa adulterium, nec ista mortis periculum incidisset. Cautæ sint virgines, sicut sunt castæ. Fenestras oculorum & aurium suarum discant obserare, vultus abscondere, ne vel sibi vivendo, vel audiendo, quod forte non expedit, mortem adsciscant: ne dum ab aliis incautæ videntur & audiuntur, ipsos, quamvis ignoranter, occidant. Quod sæpe contigisse cognovimus illo suggerente & insidiante, de quo scriptum est: *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* De aliis vero quæ vel aliquando ante votum, vel post sola voluntate lapsæ sunt: mihi videtur sine præjudicio cujuslibet melioris sententiæ, quod virginitatis coronam non amittant, si tamen citius ad votum redierunt, & in eo fideliter permanserunt: sed tamen coronæ meritum puto aliqualiter imminuendum secundum mutationem voluntatis, ut si qua longo tempore, vel firma voluntate perstitit in voluntate frangendi votum virginitatis, tanto minus habeat meriti in corona. Integram vero omnino coronam æstimo possessuras, quæ à primis annis suis virginitatem sponso suo Domino Jesu vovere & conservare studuerunt.

Virginibus cavendæ omnes occasiones lapsus & coruptionis. — Psal. 10 b

## CAPUT XXIX.

*Quod flos lilii inclinatus ad terram doceat humilitatem.*

98. NEc prætereundum, quod ipse flos lilii tam altus, tam candidus, tam jucundus, semper re-

clinatur ad terram. Quid nobis per hoc aliud quàm humilitas commendatur? Caput enim inclinare ad terram, est mentem nostram ad generationem terrenam & fragilitatem de terra contractam inflectere, ne de nobis aliquid præsumere omnino audeamus, dum nos lutum & cinerem esse consideramus. Nulli autem hæc virtus tam necessaria est, quàm virginibus, ne in profundum superbiæ incidant, dum suorum considerant excellentiam meritorum. Virgines enim Christi etiam adhuc in terra viventes, Angelorum ducunt vitam, cum tales sint, quales dixit Dominus homines futuros post resurrectionem: quia tunc neque nubent, neque nubentur; sed erunt similes Angelis Dei in cælo. Non exspectant autem virgines Christi solummodo incorruptionem resurrectionis, sed in præsenti etiam vivunt incorruptæ, vitam sine dubio angelicam æmulantes. Ne igitur è tam sublimi gradu, quem non ex præcepto cujusquam, sed propria voluntate viriliter ascenderunt, viliter per superbiam decidant; inclinentur ad terram, sicut flos lilii; recordentur quoniam pulvis sunt, & quod dies earum sicut fœnum: & nondum æstiment se ad immortalitatis beatitudinem resurrexisse, sed adhuc illo carneo pariete circumdatas, qui inter ipsos dividit & dilectum Jesum. Caveant illum astutum serpentem ipsis multipliciter insidiantem, ne seducat eas ad præsumendum aliquid de se: quatenus existiment bonum quod habent, non habere se à Deo, sed à propria virtute; vel credant sibi pro meritis suis traditum; vel propter hoc quod à Deo acceperunt, singulariter credant se meliores aliis, vel ut putent se habere, quod non habent. Hæ sunt quatuor species jactantiæ, quibus ille nequissimus serpens etiam non raro bonos decipit.

*Matth.* 22. c — Vita virginum, vita angelica.

Jactantiæ seu arrogantiæ 4. species ex *S. Greg. lib.* 23. *Mor. c.* 4.

99. Et prima quidem specie decepti, qui non putant quod habent à Deo accepisse, incidunt, quo nullum est majus, crimen ingratitudinis. Quid enim pejus, quàm non recognoscere Deum esse largitorem omnis boni? Quod qui non agnoscat, quomodo grates deferet ei, à quo nihil se æstimet accepisse? Et certe non pauci tales sunt, quos ex ipsorum verbis potes agnoscere. Quid enim dicunt? Quare, inquiunt, non servasti castitatem tuam? quare non habes humilitatis & patientiæ virtutem? quare non habes orationis devotionem, & fluenta lacrymarum? Quid putas eos cogitare qui hoc dicunt, nisi quod ipsi hoc habeant à se, & quælibet à se hoc possit habere? Non ita cogita tu, ô virgo Christi, sed scito te à teipso nihil habere, nisi peccata: cetera vero bona, gratiæ sponsi tui sunt. Gratulare ergo, id est, lætare simul & gratias age ei, à quo habes esse, & bene esse: & tanto magis dilige dilectum tuum, quanto pluribus & majoribus bonis suis suam erga te comprobat dilectionem. Immo & ipsa dona virtutum plus dilige, diligentiusque conserva, quia hoc à tam dilecto & tam diligendo accipere meruisti, quàm si propriis viribus hoc obtineres. In retinendo datum diligenter, dantis dilecti sponsi tui dilectionem ostende: quia non debet dare vilia munera dator tam pretiosus.

Prima species arrogantiæ, & quinam ea laborent.

100. Secundi vero, qui credunt se quidem accepisse, quod non habent, à Deo, sed tamen propter merita sua: volunt benignum Dominum Jesum sua gratia spoliare. Cur propter merita tua accepisse te putas virtutem? Dic mihi: Quis dedit tibi posse mereri? Quid enim habes, quod non accepisti? Quid gloriaris, quasi non acceperis? Et tamen si vis scire quomodo acceperis, audi eumdem Apostolum: *Gratia*, inquit, *Dei salvi facti sumus*. Quod autem salvamur secundum opera nostra, non ex justificationibus nostris salvamur; sed gratia datur pro gratia. Gratia enim Dei sumus id quod sumus, sive in habendis virtutibus, sive in cælestibus obtinendis.

Secunda species arrog. — 1. *Cor.* 4. b — *Ephes.* 2. b

101. Tertii vero qui ex spirituali dono putant se aliis meliores, aliosque contemnunt tamquam viliores se, peste illius Pharisæi premuntur, qui etiam cum acceptis virtutibus gratias ageret, peccavit: quia Publicanum contempsit. Sed quia plurimi hac peste laborant, tentemus adjuvante Domino his aliquod medicamentum adhibere. Considerandum puto. Is aliqua virtute spirituali caret: forsitan habet aliam similem isti, vel majorem hac. Ideo dicit Hieronymus: Præclara est virginitas & pudicitiæ virtus, si modo non aliis macularum lapsibus infirmatur. Nam tanto majori studio placendi opus est, quanto est major ille, cui placendum est. Si enim virgo es, adhuc dubium tibi est, ad quem gradum dignitatis virginalis ascenderis. Non enim ejusdem meriti sunt omnes virgines. Quis enim sanctorum virorum similis in castitate & laude Johanni venit æquandus? Quæ virginum feminarum usque ad altitudinem dignitatis Mariæ virginis altissimæ pervenit? Non ergo te exaltes super quemquam, cujus mentem ignoras, ne sub omnibus cadas. Item si tu forte dignitate virginitatis locum tenes infimum: quomodo audebis te comparare ei, qui in humilitate vel caritate, vel obedientia forte juxta summum gradum ascendit? Quid si ille, cui te audes præferre, ad tantam perfectionem pervenit, ut non dubitet, immo Deo teste cui conscientia ipsius nota est, tota mente flagret, calicem passionis pro Domino exhaurire? Sed hic fortassis dicis, quia & tua conscientia testante, paratus sis ad tolerandum passionem. Ad quod respondemus, quod non sit quisquam, qui hujus virtutis constantiam in se veraciter possit agnoscere, nisi re ipsa atque experientia doctrice didicerit. Quantos enim putas in tormentorum acerbitate defecisse, qui se putabant usque ad mortem fortiter perseveraturos? Non ergo te ipsum judices, qui te ipsum non agnoscis: cum perfectissimus omnium Paulus dicat: *Sed neque me ipsum judico, qui autem me judicat, Dominus est.* Alios quidem multominus debes judicare, propter hoc quod ibidem subditur: *Nolite itaque ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Ubi sine dubio multi alii contra opinionem hominum, judicio Domini cuncta videntis præponentur, & postponentur qui præponendi falso putabantur. Est autem adhuc ratio valida, quæ ab hac specie jactantiæ te avocet. Ita enim habeto. Esto alius alio justior, alius alio sanctior sit; idem tamen nescit utrum odio an amore dignus sit.

Tertia species arrog. *Luc.* 18. c — Antidota. — De mal subeun non pr mendu — 1. *Cor.* 4.

102. Hinc suam mentem exerceant optimi quique, & ad exemplum lilii timore & humilitate coacti inclinabuntur ad terram; cum habuerint in mente, quod nesciunt, utrum amore an odio sint digni. Et vere nesciunt & ignorant, quid superventura pariat dies, immo nec hora: quanto minus sciunt, qualis eorum finis futurus sit, vel eorum qui modo mali sunt? Si Judam proditorem vidisses, cum adhuc erat discipulus, & inter summos, ejicientem in nomine benigni Jesu dæmonia, vidissesque Latronem postea cum Christo crucifixum, qui eatenus institisset latrociniis & homicidiis, non dubito, quin Latroni Discipulum prætulisses: & tamen omnes scimus, utri alter in fine prælatus sit. Tu ergo si etiam ad tantam jam vitæ perfectionem pervenisti, ut miracula opereris; time, ne ad extremum cum ipso Juda deprehendaris reprobus. Si vero alium quemquam pessimis operibus videas insudantem: ne te illi præferas, quia nescis utrum exemplo Latronis ad ultimum convertatur, sicut scriptum est: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Quod de illis communiter accipitur, qui post scelera sua ad Dominum à Domino convertuntur, qui considerat qualis quis moriatur. Nullum ergo & tu judicare præsumas: nec te, licet optimum, cuiquam alteri, quamvis pessimo, præferas; quia tuus & illius qualis futurus sit exitus, ignoras. Ad terram igitur cum lilii flore inclinare, id est, considera fragilitatem tuam, in te, quia terra & cinis es: & quanto major es, humilia te in omnibus, carnis munditiam virtute humilitatis inclinans.

Semper mendum quantum perfecti — *Psal.* 31.

103. Quid autem vanius illis, qui se putabant habere, quod non habent? Sed certe hac peste omnium hominum genus fere laborat. Quis est enim, qui seipsum perfecte cognoscat: nisi cui datum est à Patre luminum, à luce vera quæ illuminat omnem hominem? E cælo venit, γνῶθι σαυτόν, id est, Nosce teipsum. Nam in Cantico Canticorum ipsa sponsa quæ ad amplexus sponsi anhelabat, quæ senserat unguentorum illius fragrantiam, de ignorantia sui quodammodo reprehensa est, dicente sponso: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere à me.* Vide ergo quantum malum sit quævis ignoran-

Quarta species arrog. tiæ. — *Cant.* 1.

ria sui, propter quam ab amantissimo sponso meretur repelli. Ad cognitionem igitur propriam redeamus, id est, ad terram nostram, si volumus esse vera lilia, & ad sponsi admitti præsentiam. Nosipsos jugiter introspiciamus, incessanter clamantes ad verum & benignum Jesum: ut mentis nostræ oculos ad cognoscendum nosipsos illuminare dignetur.

## CAPUT XXX.

*De numero foliorum nostri lilii, seu de tribus incommodis vitæ præsentis, quæ evadunt virgines; & totidem commodis vitæ futuræ quæ exspectant.*

104. Nunc ad numerum foliorum ipsius floris, candidissimo flore nostro benigno Jesu nos illuminante, animum intendamus. In perfectis liliis ipse candidus flos plurimum sex foliis constat, per quæ sex causas intelligimus, quæ ad virginitatis munditiam debent animos virginum incitare, quarum tres ad vitam præsentem, tres ad futuram pertinent. Tria sunt incommoda in præsenti vita in conjugatis, propter quæ vitanda virginalis castitas est appetenda. Tria sunt quoque commoda futuræ gloriæ, propter quæ acquirenda votiva virginitas est & conservanda. Præsentis vitæ incommoda duo habemus ex maledictione, quæ inflicta fuit primæ parenti nostræ Evæ post transgressionem peccati. Serpens enim tribus maledictionibus subjacuit, Eva duabus, Adam uni. Serpenti enim dictum est à Domino: *Supra pectus tuum gradieris, terram comedes, & mulier conculcabit caput tuum.* Evæ autem dixit Deus: *In dolore paries, & sub potestate viri eris.* Adæ vero ait: *In sudore vultus tui comedes panem tuum.*

105. Maledictiones Evæ, & per ipsam omnium mulierum nuptarum, duæ sunt in præsenti expressæ, scilicet quod in dolore pariunt filios, & sub potestate virorum sunt. Quis & quantus sit dolor parientium mulierum, nullus hominum novit, nisi quæ expertæ sunt. In Scripturis autem doloris hujus testimonium frequenter invenimus: quia cum magnitudinem alicujus doloris volumus exprimere, ipsum mulieri parturienti comparare solemus. Hoc enim ipsum Dominus omnium dolorum cognitor cum videret discipulos suos de morte sua nimium contristandos, ipsorum tristitiam mulieris parturientis tristitiæ voluit comparare, dicens: *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus: ita & vos nunc quidem tristitiam habetis.* Similiter & beatus Paulus dicit, volens ostendere dolorem eorum, qui in extremi judicii die imparati invenientur, ait: *Cum autem dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* Sæpius quoque in Prophetis & in aliis scripturis de hujus doloris magnitudine inveniuntur multa exempla. Sed quia vivorum plura suppetunt testimonia, quæ illud ad experientiam cognoverunt, videtur in his non diutius immorandum. Sed felices virgines, & vere prudentes, quæ etiam præter commoda temporalia in spiritu Domino jungi vicinius elegerunt, spirituales fœtus, id est bona opera, multo melius, uberius & securius immortali sponso suo Jesu non singulis annorum spatiis, sed diebus singulis procreantes: amantes eum, in cujus thalamum castissimum duce pudicitia intraverunt, vel quem potius in sui cordis thalamum receperunt, ejus vocem organicam in præceptis suis & promissis præmiorum cælestium audierunt, & loquente sponso suo, ei per obedientiam responderunt: cujus amor castimoniam, cujus tactus munditiam, cujus nuptiæ virgines faciunt & conservant. O vere felices, quæ tali viro non solum animi, sed etiam corporis munditiam consecraverunt. Cujus commercio sic in animo fœcundantur, ut omnium virtutum matres efficiantur, quarum filii in domo cælesti æternaliter habitant, & semen operum ipsarum coram sponso suo in sæculum dirigetur.

106. Evadunt etiam virgines Christi maledictionem secundam Evæ matris nostræ, & per ipsam omnium maritatarum, scilicet quod sub viri mortalis potestate non sunt: & in hoc quantum bonum invenias, quantum malum effugias, diligentius intuere. Super quo Pauli Apostoli sententiam audiamus. *Virgo quæ innupta est, cogitat quæ sunt Dei; ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* (1 Cor. 7.) Quid acquiritur? Evaditur malum non modicum, sollicitudo mundana, quomodo viro placeat. Quantum putas animis virginalibus devotionis augeri, quod libere, quando volunt & quando debent, nulla impediente cura possunt orationibus ceterisque spiritualibus exercitiis vacare? Quantas habeant conjugatæ, religiose & Deo vacare volentes, molestias; cum à propriis viris, quibus eas esse subjectas oportet, prohibentur? Est enim hoc magnum onus conjugii, cum mulieres viris talibus copulantur, qui à bonis earum moribus & bona conversatione discordent. Quantas putas esse conjugatas; quæ suppliciis hoc emere vellent, quod à malorum potestate liberatæ, liberum Domino possent servitium exhibere? Felices ergo virgines, quæ sponsum suum Christum accipientes, illi se soli subjecerunt; cujus jugum suave est & onus leve; eique soli tota & integra mente placere desiderant, qui sane est *speciosus forma præ filiis hominum* (Psal. 44. d), non dividentes mentem suam, ita ut nec ex parte cupiant, & sollicitæ sint placere Deo, nec ex parte placere viro: sed se totas integras reddunt illi à quo acceperunt ut essent, & receperunt ut bene essent: ipsum munere præterea sponsum suum gratuito acceperunt. Quid poteris largitori tuo digne rependere? Dedit te tibi, quando te creavit, ut esses: reddidit te tibi, cum recreavit ut bene esses: dedit in viaticum tibi, ne in via deficias, Corpus & Sanguinem suum, se verum Deum, & hominem verum: & tu quid rependes? si pro eo quod dedit tibi, quando te creavit, vicem nequis rependere: quid denique pro eo rependes, quod se tibi dedit? Certe si te millies posses rependere, quid esses tu in comparatione Dei? Repende tamen quantum potes, repende te totam illi, qui te totam tibi & dedit, & reddidit: & his non contentus, se quoque totum tibi dedit. Dilige hunc tantum te diligentem, & singularem dilectum ex tota anima tua, & ex toto corde tuo, & ex omnibus viribus tuis (Matth. 22. d): quia & cor bonæ voluntatis, & animam rationabilem, & vires ad implenda quæ bona sunt, ipse dedit tibi. Benedicat anima tua Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus; & te dilectionis illius vinculis adstringe, ut liberius vacare possis, & videre, quam suavis est Dominus. quem si recte gustaveris, ipso te trahente jam nequaquam ulterius sub alterius potestatem redigeris. Omnis enim sapiens ab illius se nollet absolvere servitio, cui servire regnare est. Quis autem regnare nolit? Vis regnare feliciter? servi benigno Jesu, & regnabis: quia illi servire regnare est. Sic enim de Sanctis legitur, quia *cum Christo regnabunt in æternum.* (Apoc. 20. b) Quid est regnabunt? Reges erunt. Hoc enim & Apostolus ait: *Heredes quidem erunt Dei, coheredes autem Christi.* (Rom. 8. c) Reges ergo vere erunt, heredes regni Dei, coheredes autem Regis. Felicissimæ ergo virgines hujus solius jugo subjectæ, qui servos suos commutat in reges, quorum regnum non mutabitur in æternum.

107. Tertia causa appetendæ virginitatis est carentia multiplicium anxietatum, quæ inenarrabiliter habetur circa pueros nutriendos. (Alia anxietas conjugatorum.) Quanta sit hæc anxietas, soli novere parentes. Secundum amorem enim quo afficiuntur circa filios, extenditur sollicitudinis magnitudo, quem amorem exceptis parentibus nulli sciunt. Verum dixit, qui ait:

*Quis sit amor prolis, soli novere parentes.*

Unde nonnumquam sollicitudinem ipsam in tantum contingit extendi, ut omnes animi vires occupet, & omnibus postpositis solummodo filiorum mentionem habeant. Discurrit animus, & vagatur, & percurrit mare & aridam: nil inexpertum relinquit, plurimumque & corpus miserorum parentum diverso labore atteritur, ut filiis pecunia & possessio comparetur. Nec adhuc quiescitur, etiam pluribus quàm necessitas exigat conquisitis: quia occasione dilectionis filiorum subintrat avaritia, &

*Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* (Juven sat. 14.)

Et minus hanc optat cum non habet : consequentérque moriuntur in miseriis ; nec possunt compati, nec volunt misereri, & seipsos miserrimi parentes faciunt indignos ad misericordiam consequendam. Jam, ut puto, vides, quantum malum facit sollicitudo circa filios habita, & ad quem finem tendit. Quantum autem putas anxietatis adjici etiam bonis parentibus, & maxime matribus, quæ majori circa filios solent affectu moveri, cum vident vitam filiorum, virtutum tramite relicto, vagari per devia vitiorum, cum diversis illos affici vident corporum infirmitatibus, cum denique tandem ad mortis vident interitum devenire ? Quis in tantis miseriis locus divinæ contemplationi relinquitur ? Quomodo cor sursum haberi potest ad Dominum, tantis gravitatibus oppressum ? O quàm beatæ virgines, quarum sponsus ultra mori non potest, quarum filii, id est virtutes, semper vivunt, immo & ipsas ad vitam perducunt ; quarum animus non ad diversa terrena descendit, posteriorum oblitus. Portant jam virgines beatæ in mente sua cælum cum gaudiis, quantum hominis fas est, quod ipsas præterea est laturum. Jam vagantur per gaudia cælestia, transeunt singulariter choros beatissimorum spirituum, singulorum chororum officia singularia spirituali mentis vivacitate perspiciunt, & singularium virginum gaudia sibi à rege & à sponso præparata, libera mentis aviditate degustant, nulla filiorum terrenorum sollicitudine remoratæ.

## CAPUT XXXI.

*De tribus commodis futuræ vitæ, quæ obtinebunt Virgines.*

108. Sequamur, & nos prosequamur in materiæ tractatu propositæ tria commoda futuræ vitæ, Christi virginibus singulariter accessura. Beatissimus Johannes Evangelista in Apocalypsi sua vidit duodecies duodena millia sanctorum citharœdorum illibatæ virginitatis in corpore, viriditatis inviolatæ in corde, quod sequantur Agnum, sponsum virginum, quocumque ïerit. Ecce virginum præmium singulare, per quod *quartum folium* floris lilii designatur : quia sequuntur agnum quocumque ïerit. Quò ire putamus hunc Agnum, quò nemo sequi eum vel audeat, vel valeat nisi vos ? Quò, inquam, putamus eum ire ? in quos saltus ? in quæ prata ? Illuc æstimo, ubi sunt vera gaudia, non gaudia hujus mundi, vana, insana, mendacia, nec gaudia qualia in ipso regno Dei ceteris præstantur : sed à ceteris sorte distincta gaudia virginum Christi, de Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, gaudia propria virginum Christi. Non sunt eadem non virginum, id est, eorum qui non sunt virgines, quamvis tamen sint Christi. Nam sunt aliis gaudia alia ; sed nullis talia. Sequuntur Agnum quocumque ïerit, quia Agni caro utique virgo est. Hoc enim in se retinuit cum esset in corpore, quod non abstulit Matri. Virgo enim ex Virgine conceptus est : & natus Virgo de Virgine, & post nativitatem cum Virgine matre permansit virgo, auctor & custos, & amator virginitatis ac remunerator largissimus Dominus Jesus-Christus. Merito igitur eum sequuntur etiam in hac vita virginitate cordis & carnis, quocumque ïerit. Quid est enim sequi, nisi imitari ? quia *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum*, sicut ait Apostolus Petrus, *ut sequamini vestigia ejus*. Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur, in quo multum ad imitandum proponitur omnibus ; virginitas autem carnis non omnibus. Non enim habent quid faciant, ut virgines sint. Sequantur itaque Agnum ceteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocumque ïerit ; sed quocumque ipsi poterunt. Possunt autem in omnibus virtutibus, nisi cum in decore virginitatis inceditur. Quomodo enim post eum ibunt itinere virginali, qui hic amiserunt, quod nullo modo recipiunt ? Vos ergo, ô virgines ejus, ite post eum, quæ propter hoc quocumque ïerit, sequimini eum, tenendo perseveranter quod vovistis, ardenter facite quod potestis, ne virginitatis bonum vobis pereat, cui semel perditæ, facere nihil potestis, ut redeat. O quanta cum admiratione, quanto cum gaudio videbit vos cetera multitudo Sanctorum, quæ Agnum ad hæc sequi non potest ! Videbit, nec invidebit : & collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Agnus quippe ille, quem vos quocumque ïerit, sequimini, nec eos deseret, qui eum non valent sequi quò vos potestis. Omnipotentem Agnum loquimur, qui vos præibit, & ab eis non abibit, cum erit Deus omnia in omnibus ; & qui minus habebunt à vobis, non horrebunt : ubi enim nulla invidentia est, concors est differentia. Præsumite itaque, confidite, roboramini & permanete in eo quod vovistis, & reddite Domino Deo vestro vota perpetuæ continentiæ, non tantum propter ærumnas præsentis sæculi vitandas, sed multò magis propter futuri sæculi delicias singulares, quas nobis spiritualiter Agnus noster Christus transiens ministrabit.

*Apoc. 14. a* — *Primum. Sequi Agnum quocumque ïerit.* — *1. Pet. 2. b*

109. Caveant autem virgines Christi, ne pueriliter intelligant : ita ut solam virginitatem credant sibi sufficere ad sequendum Agnum Dei, quocumque ïerit ; cum ipse Agnus non solum virginitatis semitam, immo etiam omnium virtutum viam incedat. Oportet ergo virginem Christi omnium virtutum itinere, etiam in hac vita, Agnum mansuetissimum imitari : si vult illuc venire, ubi sine fine eum, quocumque ierit, sequetur. Quomodo enim posset sequi virgo superba Agnum in humilitatis via gradientem, ad quem nullo modo accedet ? quomodo mitissimum iracunda ? quomodo ferventem caritate invida ? quomodo largissimum avara ? quomodo sobrium ebria ? Ambulat in omni via omnium virtutum Agnus : ambulet sic & virgo cupiens Agnum imitari. Sit mitis, sit humilis, sit caritate fervens, sit larga, sit alacris, sit sobria ; & imitabitur Agnum quocumque ïerit. denique merebitur ab ipso sponso suo audire : *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis tuis, filia principis.* Specialis filia Dei principis, & domina regum universæ terræ erit anima virginalis, cujus gressus commendantur in calceamentis. Per calceamenta autem accipimus exempla mortuorum : quia calceamenta fiunt de mortuis animalibus. Pulcri igitur sunt gressus virginum in calceamentis, cum directe sequuntur per viam virtutum omnium Agnum Christum pro ipsis mortuum, pro Agno paratæ etiam ipsæ usque ad mortem & per mortem, si necesse est, sequi Agnum ; in omni facto munientes pedes affectuum suorum, exemplis optimi Agni Jesu-Christi, adversus serpentem insidiantem calcaneo virginali, cum caput serpentis virginali pede ipsius Agni adjutorio conculcatur.

*Virgin. sola fi[…] rum vi[…] tum co[…] tu, no[…] retur f[…] Agnum* — *Cant. 7*

110. Quintum folium floris lilii quintam causam designat, propter quam virginitas est appetenda ; illud scilicet quia cantabunt canticum novum ante thronum Dei & Agni, quod præter virgines nemo potest dicere. O felices virgines, & ceteris feliciores virgines, quæ affertis ad illas Agni nuptias æternales canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris, non utique tale, quale cantat universa terra, ut dicitur : *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra :* sed tale, quale nemo potest dicere, nisi vos. Audiet tamen, & delectabitur omnis multitudo fidelium vestro proprio & tam excellenti dono. Vos autem quæ & dicetis, & audietis, quia illud dicetur à vobis ; felicius exultabitis, & jucundius regnabitis. Quis istam felicitatem poterit explicare ? immo quis humana mente concipiet tantæ exultationis jubilum ? Jam si omnes virgines canticum istud cantabunt, numquid illa Virgo virginum primiceria non cantabit ? Cantabit utique, & tanto jucundius, quanto castior ceteris. Præbebitque toti choro in cantando exemplum, quas ad virginitatis amorem suo incitavit exemplo. Cantabunt ergo virgines in illa jucunditate festiva canticum suum in cor Agni virginis sponsi sui, à quo ut tale canticum cantare possent, acceperunt. Quid autem ? Numquid & ipse Agnus non solum aliarum virginum cœtum, sed etiam ipsam Virginem Matrem suam superexcellens, à quo habent non solum, ut sint virgines, sed etiam sint ; numquid inquam, Sponsus virginum virgo, virgo optimus non etiam cantabit ? immo vero & ipse cantabit, & jucundissima illa vox Verbi Patris æterni, cum omnibus, præ omnibus, & in omnibus

*2. Com[…] dum vit[…] turæ vir[…] bus para[…]* — *Psal. 95*

audietur. O feliciſſimum canticum! ô feſtivitatem jucun- A diſſimam, comparatione & fine carituram! Quis ad illud non anhelet? Quis laborare contemnat ut illuc perveniat, ubi tantarum virginum canticum novum audiat, ubi mirabiliter præ ceteris virginibus redundantem vocem Matris Agni percipiat; ubi & ipſum Agnum piiſſimum & dulciſſimum melos, totum melleum audiat concinentem? Si enim *eloquia Domini*, teſte Pſalmiſta, & in ipſo corpore mortis exſiſtentis unicuipiam tam dulcia ſunt, *ut mel & favum* ſuperent: quanta putas eâ dulcedine ſuperabundare debere, ubi omnis mortalitas, omnis timor, omnis dolor procul tranſierunt? ubi amaritudinis nullus relinquitur locus, ſed omnes torrente voluptatis divinæ potabuntur, inebriati ubertate domus ejus? Maxima om- B nibus felicitas, canticum virgineum Agni dulciſſimum audientibus: abundantior tamen virginibus Chriſti, cum ipſo Agno cantantibus.

*[Margin: ...l. 18. b]*

111. Quanta ſollicitudine merito cuſtodire debent virgines ora ſua, canticum ſolis virginibus cantandum cantare, & cum omni munditia conſervare, non ſolum ab omni actu polluto, ſed ab omni verbo luxurioſo, turpi, ſcurili, jocoſo, immo & otioſo? Eruntque ſicut in cantico ſponſæ dicitur: *Sicut vitta coccinea* labia virginum, & eloquium earum dulce. Sicut enim vitta coccinea ſunt labia, quæ ſemper verbis ardentis caritatis abundant, quibus verbis motus & cogitationes carnales reſtringuntur. Per coccineum quippe colorem, cari- C tas per vittam, qua crines reſtringuntur, reſtrictio cogitationum carnalium, quæ per crines figurantur, accipitur. Sponſarum ergo Agni, hoc eſt, virginum Chriſti, labia præcipue decet eſſe, ſicut vitta coccinea, ut ſermo earum ſemper caritate ardeat, paſſione Agni & ſponſi rubeat, qui ſemper debet eſſe in corde, ſemper ſit in ore candidus & rubicundus dulcis Jeſus. Nec timeo talibus de mendacio, quia mentiri omnino nolunt, cum de veritate loquuntur dulciſſimo Jeſu. Scurilia vero, turpia, jocoſa, & otioſa verba, verbis paſſionis convenire non poſſunt. Quid enim utilius, quid amarius, quid decentius paſſione Jeſu-Chriſti?

*[Margin: ...am ſolli-...oris cuſ-...ia deceat ...ines. / ...4. a]*

112. O dulciſſime, atque amantiſſime Jeſu, agne immacu- D late, candide per innocentiam, rubicunde per ſanguinem paſſionis, quam jucundum cogitare, quam ſalubre loqui de te! Tu enim de te loquentibus præſens, mentem dulciter accendis, informas verba, & omnium in te loquentium trahis affectus: curruntque in odore unguentorum tuorum, donec introducantur à te Rex regum in cellaria tua, bibantque vinum dulciſſimæ conſolationis tuæ in jucunditate cordis ſui, audiantque ſuaviſſimam vocem tuam dicentem: *Bibite, & inebriamini cariſſimi*; ſentiantque indignos amari à te gratis, amiciſſime & gratiſſime Jeſu. Videſne igitur quorſum tendant verba caritatis & paſſionis benigni Jeſu? cujus nomen quod eſt ſuper omne nomen, nulli potius nominandum, nullis dulcius ſapiendum E eſt, quam virginibus ſacris, ſponſis ejus: ut numquam ab earum ore recedat nomen dulciſſimi Jeſu, in quo ipſi Agno cæleſtis Patris canticum novum ſolæ cantabunt. Incipite ergo quantum fas eſt, ô virgines, frui ſponſo veſtro. Ipſum ſemper in ore, ſemper in corde geſtantes: ut fiant ei ſicut vitta coccinea labia veſtra, & eloquium dulce, ut dignæ habeamini poſtmodum oſculari ab oſculo oris ejus, & ab ipſo introduci in cæleſtem thalamum.

*[Margin: ...m utile ...i de ...ſto.]*

113. Sexta & ultima cauſa, propter quam virginitas eſt appetenda, ſexto folio floris lilii deſignatur. Oſtenditur enim nobis quæ ſit hæc cauſa teſtimonio Iſaïæ dicentis: *Eunuchis*, id eſt virginibus meis, *dabo in domo mea & in* F *muro meo locum nominatum multo meliorem, quam filiorum atque filiarum: nomen æternum dabo eis, quod numquam deficiet.* O ſublime meritum virginum; ô gloriam excellentem, ô præmium ſpirituale! Legant & intelligant, memoriæque commendent verbum hoc, verbum bonum & ſuave virgines omnes; pueri pariter & puellæ gaudeant, & perſeveranter currant, qui jam continentiam voverunt, donec comprehendant. Audiant qui nondum voverunt; & delectentur in altitudine præmiorum, ut voveant etiam ipſi votum caſtitatis caſtiſſimo Jeſu, ut ſemitam virginitatis altiſſimam & arctiſſimam apprehendant, per quam incedentes bravium accipiant nominis ſempiterni, & locum multo meliorem, quam qui filios & filias ex ſe genuerunt, incolere mereantur. Quid per hoc deſignatur nomen, quod Dominus promittit ſe ſuis daturum virginibus? Utique gloria propria excellenſque ſignificatur: quæ erit virginibus non communis cum multis, quamvis in eodem regno conſtitutis. Nam ideo fortaſſis *nomen* dictum eſt, quod eos quibus datur, diſtinguit à ceteris, ſicut homines propriis nominibus diſtinguuntur. Licet enim omnes ad vitam æternam prædeſtinati in uno regno ſint manſuri, & uno Deo fruituri: tamen ſicut ait Apoſtolus, *ut ſtella differt à ſtella in claritate, ſic reſurrectio mortuorum*: hæc ſunt merita diverſorum ſanctorum. Nam ſicut commune eſt omnibus ſideribus eſſe in cælo, & tamen alia eſt gloria ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum: ſic in ipſa vita æterna diſtincte fulgebunt lumina meritorum. In domo autem Patris æterni manſiones multæ ſunt: ubi non vivet alter altero prolixius, quia omnes habebunt vitam æternam. In multis autem habitationibus honoratur alius alio clarius. Quanta putas ibi gloria fulgebunt virgines Chriſti, cordis ſimul & mentis puritate Chriſtum ſequentes? Quis ſanctorum chorus melius lunæ comparatur, quam virgines? Solæ ſequentur ſolem juſtitiæ Chriſtum ut Agnum Patris, quocumque ierit: unde & ſolæ illi ſimiles ſunt atque ſimillimæ. Honorabuntur ergo præ ceteris in eodem regno exſiſtentibus ſplendore quidem excellentiori, ſicut lunam videmus præ ceteris ſideribus præeminere; poſſidebuntque in domo Domini locum meliorem multo quam ceterorum filiorum & filiarum, qui virginitatis merito non ſunt inſignes.

*[Margin: ...onum vi- ...futuræ ...nens Vir-...es. / 56. b; Excellentia bravii virginum præ ceteris.; 1. Cor. 15. g; Johann. 14. a]*

114. Pergite itaque ſancti Dei pueri & puellæ, mares & feminæ, cœlibes, & innuptæ: pergite perſeveranter uſque in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius: ſperate felicius, cui ſervitis inſtantius: amate ardentius, cui placetis attentius. Non ſint in vobis incentiva ulla vitiorum, ſed totum hominem veſtrum veſtro ſponſo conſecrate ſimul & conſervate ſpecioſo forma præ filiis hominum. Non conſpiciatur in virgineo corpore veſtro improbus vultus, non vagi oculi, non infrenis lingua, non petulans riſus, non ſcurilis jocus; non indecens habitus; non tumidus aut fluxus inceſſus. Jam non reddite malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Jam poſtremo ad illam dilectionis menſuram accedite, ut ad imitationem ſponſi veſtri ponatis animam pro fratribus veſtris. Hæc enim addita virginitati angelicam vitam hominibus, & cæli mores exhibent terris. Sed quanto majores eſtis: tanto humiliate vos in omnibus, ut coram Deo inveniatis gratiam, qui ſuperbis reſiſtit, qui ſe exaltantes humiliat, qui inflatos per anguſtam portam non trajicit. Nulla ſit ſuperflua ſollicitudo: ubi fervet caritas, non deſit humilitas.

*[Margin: Parænefis ad virgines.]*

115. Si ergo nuptias contempſiſtis filiorum hominum, ex quibus filios hominis gigneretis: tanto magis corde amate Filium hominis ſpecioſum forma præ filiis hominum. Inſpicite pulcritudinem amatoris veſtri, & hoc ipſum quod in eo derident ſuperbi, inſpicite quam pulcrum ſit interioribus luminibus. Inſpicite vulnera pendentis, cicatrices reſurgentis, ſanguinem morientis, pretium & commercium redimentis. Hæc quanti valeant, cogitate: hæc in ſtatera caritatis appendite, & quicquid amoris in nuptias veſtras impendendum habetis, illi rependite, qui non pulcram carnem, ſed interiorem veſtram pulcritudinem quærit, qui vobis dedit poteſtatem filios Dei fieri. Videte autem quanta ſecuritate amatis eum, cui diſplicere falſis ſuſpicionibus non timetis. Vir & uxor invicem ſe amant, quia in ſe manifeſte vident ſigna caritatis: ſæpe tamen de ſe aliquid mali invicem ſuſpicantur, quia ſua occulta invicem non contuentur. Non ita eſt de amore veſtro dulciſſimo Jeſu ac deſiderabili, in quo nihil invenietis, quod reprehendere poſſitis: nec vobis timendum eſt, quod falſo aliquid mali de vobis ſuſpicetur, qui renes intuetur & corda. Si ergo magnum amorem conjugibus deberetis, quantum amare debetis eum, propter quem conjuges habere noluiſtis? Totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus eſt in

*[Margin: Virginibus quantopere colendus & amandus Chriſtus.; Amor Virginum, ſecurior amore conjugum.]*

cruce : semper habentes in mente, quantam vobis exhibuit caritatem. Qui vos sibi inviolatas tam in corpore quam in anima conservavit, quantam vobis & quam specialem gloriam præparavit, quas sic sublimavit? Specialem, inquam, gloriam, specialem coronam donavit vobis in cælis, quam nostri majores *Aureolam* appellant, quam idcirco ab auro æstimo nominatam, ut ipsum coronæ nomen quæ dabitur vobis in præmium virginitatis; insinuet excellentiam gloriæ virginalis. Quid, inquam, dabitur sacris virginibus Christi? Ceteris sanctis ut præemineant, sicut aurum cetera metalla præcellit. Dicit enim Isaias: *In die illa erit Dominus corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.* Attende quod corona fit de auro & de lapidibus pretiosis: sertum de floribus, puta rosis, violis, & hujusmodi. Attende quam magnum est ipsum Deum habere pro corona! & virgines non tantum habebunt Deum pro corona, id quod est commune omnibus glorificatis: sed habebunt pro capillo florido exultationis prærogativam spiritualis excellentiæ, quæ in virginibus in patria cælesti apparebit. Quid autem est ille locus multo melior, quam filiorum Dei? Quid illud nomen æternum? Quid aureola? Magnum est valde, & inexplicabile inexpertis: & propterea cum magna aviditate currendum, cum magna fortitudine perseverandum est eis, qui soli fruendo poterunt hoc experiri. Sed quia commemorando gratiam specialem virginibus à sponso suo gratis concessam, & gloriam specialem ab ipso quoque nihilominus in cælis virginibus præparatam, ad specialem dilectionem sponsi cælestis benigni Jesu animos virginalis munditiæ, prout ipse virginitatis & dilectionis auctor largiri dignatus est, incitare curamus; secundum ordinem prosequendo, de dilectione proximi, sine qua Dei dilectio non subsistit, pauca quæremus annectere, quia *in his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.*

Aureola virginum, quid.

*Isa. 28. b*

*Matt. 22. d*

## CAPUT XXXII.

*De sex flosculis flavis in medio lilii, id est, de dilectione proximi, & sex operibus misericordiæ.*

Caritas proximi consistit in operibus misericordiæ.

116. **F**Losculi igitur aurei coloris numero sex, qui in medio floris albi in lilio consistunt, caritatem erga proximum habendam figurant: quæ in sex operibus caritatis, quæ & opera misericordiæ nominantur, consistit. Caritas ergo quæ otiosa esse non potest, ubicumque est, se operibus ostendit. Sicut beatus Gregorius dicit: Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Et ille specialis dilectus Domini Johannes ait: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? Si enim fratrem suum quem videt, non diligit: Deum quem non videt, quomodo posset diligere?* Opera autem misericordiæ, quibus caritas Dei demonstratur, curavit ipsa Veritas explicare, ostendens se de iis solos justos in die extremi judicii laudaturum, & propter horum defectum reprobos damnaturum, dicens: *Cum venerit filius hominis, & sederit in sede majestatis suæ, & statuerit justos à dextris suis, & reprobos à sinistris, dicet ipse rex his qui à dextris ejus erunt; Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere; hospes fui, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me; infirmus, & in carcere, & visitastis me. Quia quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Tunc dicet his qui à sinistris: Ite maledicti in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; infirmus & in carcere, & non visitastis me. Quia quod non fecistis uni ex minimis meis, nec mihi fecistis.* Ecce opera misericordiæ de caritatis radice procedentia. Considerandum est itaque, quantæ sint dignitatis, quæ sola in districto examine laudari merentur; quorum dignitas in colore aureo flosculorum lilii designatur. Nihil valet albi floris munditia, hoc est virginalis puritas, sine operibus caritatis.

S. Greg. Hom. 30. in Evang.

1. Johann. 3. c

Matt. 25. c Opera misericordiæ in extremo Judicio solum laudanda.

Quomodo ab egenis exercenda misericordia.

117. Sed quid dicimus de his, qui propter defectum A terrenæ substantiæ hoc operibus implere non possunt, sive adhuc in sæculo commorentur, sive renuntiantes sæculo & omnibus quæ possidebant, nudum Christum nudi secuti sint? Numquid hi omnes reprobi erunt, qui Christo in operibus misericordiæ ministrare non possunt? Absit. Non enim impotentes, sed nolentes condemnabuntur. Nam viscera, id est compassionem suam, non claudit à proximo indigentiam patienti, qui si posset, vellet subvenire: sufficitque Domino cor intuenti, si sola voluntas adsit. Nam & ipsam pro facto reputat voluntatem. Nullus ergo se poterit excusare, quin omni petenti se tribuat, vel opere, vel voluntate. Non igitur se excusent qui dare non possunt. Tam enim afflicti, quam voluntaria paupertate B coacti voluntatem dare tenentur. Examinet autem se quilibet, si hanc habeat voluntatem. Cum enim vides pauperem, vel infirmum, vel peregrinum, & nulla compassione permotus tales pertransis, nec orationem, nec gemitum pro illo effundis; numquid dandi habes voluntatem? nequaquam. Si enim non dividis affectum caritatis cum proximo indigente, perinde est ac si non compatiaris patienti. Si enim non condoles cum dolente; quomodo substantiam exteriorem divideres? Si non das compassionis affectum, qui quo plus datur, plus abundat; quomodo terrenam substantiam dares, quæ divisa minuitur? Quoties ergo videmus aliquem indigentem, agnoscamus Christum in illo: quia & ipse indi- C gens, membrum Christi est. Non claudamus viscera compassionis nostræ ab illo, & per hoc sciemus, quia caritas Christi manet in nobis. Maxime virgines Christi intra albos flores munditiæ virginalis habeant hos aureos flosculos caritatis, sine quia nulla est munditia castitatis, nullus labor passionis, nulla scientiæ plenitudo januam vitæ ingreditur æternæ.

NOTA monitum.

Panis spiritualis frangendus peribus.

118. Nihilominus autem, immo & multo magis miserendum est miseris à via rectæ fidei, vel operum fidei exorbitantibus, & in peccatorum sorde jacentibus, sive ipsi sua peccata agnoscant, sive non: & frangendus est eis, id est orationibus & lacrymis nostris ad misericordiam D inclinandus ille Panis cælestis Angelorum dulcis Jesus. Similiter & illi quibus dedit Dominus intellectum, panem sacræ Scripturæ talibus frangent & apponent, orando Dominum, ut oculos eorum aperire dignetur, ut eum agnoscant, & cordis palatum sanent, & gustent, & videant, quoniam omnino suavis est Dominus: & ipsum in fractione panis, id est sacra Scriptura, agnoscant, quorum oculi intellectus ante tenebantur, ne eum cognoscerent, peccatorum sordibus superjectis. Frangendus est panis consolationis his qui in pressuris sunt constituti, sive in languoribus corporis, sive onere paupertatis, vel in semetipsis, vel in amicis suis: ut secundum consilium Sapientis detur *sicera mærentibus, & vinum* E *dulcis consolationis his qui amaro sunt animo*, divitem semper voluntatem habentes ad omnes; non solum ad amicos & domesticos fidei, verum etiam ad inimicos, ut simus filii Patris nostri qui in cælis est, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Sed forte dicet aliquis: Quid deperit Deo meo, quod solem suum & pluviam suam tam malis quam bonis largitur? Nihil inquam, immo & prodest, quia plerumque vincuntur mali multitudine bonitatis & beneficiorum Dei, & à pravis suis itineribus convertuntur. Et tu dic mihi: Quid deperit tibi, si caritatem tuam, quæ quasi sol ceteras virtutes illuminat, & pluviam lacrymarum tuarum etiam cum inimicis dividas orando & F lacrymando pro illis, ut quandoque revertantur ad cor, & errores suos agnoscant, & caritatis unitatem recipiant? O si scires bonitatem optimi Dei, & quam bonus est qui te monet orare pro persequentibus & calumniantibus te, & quantam mercedem talia orantibus paret! certe jamdudum petivisses ab eo, & dedisset tibi solem talis caritatis, & pluviam talium lacrymarum; qui dat omnibus affluenter, & non improperat, apud quem fons est vitæ, & in cujus lumine videbitur lumen, lux vera, quæ illuminat omnem hominem, dulcis Jesus. Ad cujus exemplum divide & tu caritatem tuam, divide lacrymas tuas, tam cum inimicis tuis, quam cum amicis: ut sis filius

*Prov. 31*

*Matt. 5.*

Caritas ... tata non minuitur, ... augetur.

Patris tui cælestis & frater, & imitator Domini Jesu, qui super civitatem flevit peccatricem, pro occisoribus suis oravit, ut non perirent.

[T]rinitas in [fl]osculo adum-[bra]ta.

119. Sed jam ad finem floris hujus attingamus. Flosculus in medio flosculorum aureorum præeminens, ceteris omnibus longior, Divinitatem signat, quæ est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen. Habet autem hic flosculus caput unum triangulum, per quod Trinitas ipsa designatur. Unum enim caput divinæ substantiæ unitatem figurat: tres vero anguli eminentes, & à se distincti, signant Trinitatis personas. Summus est hic flosculus in lilio virginali, quia virgo Domini omnes cogitationes suas, omnem voluntatem suam, omnia verba sua, omnia facta sua, omnem munditiam suam corporis & cordis sui ad honorem Sponsi cælestis debet referre: quia si gloriam propriam quæsierit lampadem, id est, putum corpus non habebit; sed oleo lætitiæ spiritualis & igne caritatis carebit. Scimus autem, quod illis virginibus dicturus sit sponsus, quæ lampades habebunt sine oleo, verbum horribile, non solum auditu, sed & cogitatu, *Nescio vos*. O verbum asperum! Libera nos, Domine Jesu, dum adhuc tempus est liberandi nos pauperes peccatores, à laqueo venantium: ne postmodum illud verbum asperum audiamus. Scimus, quod adversarius noster serpens ille astutissimus innumerabiles & subtilissimos laqueos nobis obtendit; ut quos à bonis operibus non potest avertere, pravis suggestionibus de bonis faciat operibus gloriari. Et quomodo putas eum fremere, quomodo stridere dentibus suis: cum videt virgunculas teneras à primis infantiæ suæ rudimentis regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contemnere, & tam altam semitam virginitatis ascendere? Quantas illum putas insidias tendere nunc radici, nunc trunco, nunc foliis albis, nunc flosculis aureis lilii virginitatis: ut inducat eas in aliquo bonorum operum quærere gloriam propriam, ne ad virginitatis summæ apicem pertingant? Sed virgo Christi semper respiciat in faciem sponsi sui, ut omnia faciat propter ipsum, omnia ad ipsum referat, in omnibus quærat ipsum, dicens cum ipso: *Ego gloriam meam non quæro*: sed honorifico Dominum meum, & ipse honorificabit me: quia ipse solus susceptor meus & gloria mea, qui exaltabit caput meum, dulcis Jesus. Si quis virginum sic loquetur, sic aget; erit perfectum lilium, & florebit in æternum ante Dominum, & in Domino suo, & in sponso suo: & Dominus suus & sponsus suus florebit in ipso, qui in hortum Ecclesiæ suæ descendit, ut talia lilia colligeret.

120. Hæc autem per quemdam excessum de flore lilii spiritualis, quo præcipue floret vitis & vita Dominus Jesus, in gratiam Virginum, ad quarum notitiam hunc Tractatum credimus venturum, diligentius tractare studuimus: ut hic inveniant compendiose & facilius memoriæ commendent, tanto avidius legendo, quanto brevius quod ab aliis sanctis Patribus diffusius est tractatum, & multis gravibus disputationibus aggravatum, quod propter difficultatem à simplicium virginum simplici intellectu non potest comprehendi. Nec timemus linguas detractorum, dicentium nos uniformitatem materiæ non servasse, qui à tractatu Vitis in tractatum Lilii ceciderimus: qui pro certo sciamus, nos à caritate & benignitate Christi, nimirum virginum sponsi, excusandos, cui in hoc Tractatu confitemur, sicut intelligimus, subservisse, in cujus manu sumus & nos, & sermones nostri, quem ut firmiter speramus, in hujus materiæ tractatu secuti sumus, non gloriam doctorum, sed fructum discentium requirentes. Verumtamen, quantum intelligo, non magis floret ullo aliquo flore Vitis nostra, non alterius alicujus floris tam attrahit fragrantiam, quam hujus lilii, id est virtutis virginalis, cujus amore tot adolescentulæ attractæ, tam liberaliter currunt in odore unguentorum sponsi, voce simul & opere clamantes: *Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum curremus*. Quid enim amant tot virginum millia mundi illecebras spernentia? quid, inquam, tam amant in sponso suo, cujus virtutis delectatione attrahuntur; quam odorem lilii, id est amorem virginitatis? Licuerit ergo nobis hunc florem potissimum in Vite nostra commendare, quo nullus pretiosior, nec speciosior est in ipsa vite. Nunc autem ad alios compendiosius tractandos transeamus.

## CAPUT XXXIII.

### *De flore caritatis, seu rosa rubente & ardente.*

121. Floret in Vite nostra, benigno Jesu, nihilominus rosa rubens & ardens: rubens sanguine passionis, ardens igne caritatis, roscida effusione lacrymarum dulcissimi Jesu. Flevit enim & contristatus est propter me gaudium meum, immo gaudium Angelorum, Dominus Jesus, qui, ut ait Apostolus, *in diebus carnis suæ offerens vota & supplicationes ad eum qui possit salvum facere eum à morte, cum clamore valido & lacrymis, exauditus est pro sua reverentia*. Audis, cor non carneum, sed lapideum, illum magnum Jesum & optimum in diebus carnis suæ, quam pro me redimendo assumpserat, lacrymis immaduisse, & adhuc aridum permanes? O cor durum! audis commoveri pro me ad lacrymas illum, qui in æternum stat & non commovebitur: nec adhuc tu ad lacrymas commoveris? Addam & ignem caritatis & passionis sanguinem, si forte calefias, si emolliatis, ut dulcissimo Jesu pro lacrymis suis & sanguinis effusione solas saltem lacrymas rependas. Adhuc addam & malleum gravem; & cuneos ferreos incutiam tibi, ut scindaris. Nam si tu cor, sicut terra sine aqua, exaruisses; utique vel leviter posses emolliri solis perfusum lacrymis lacrymantis Jesu. Si autem à facie frigoris iniquitatum induratum es in rigorem lapidis; addo instrumenta fortia, malleum crucis, & cuneos clavorum ferreorum, ut illis tibi incussis scindaris, & fontem lacrymarum salubrem effundas. (Heb. 5. c. Efficax Parænesis ad lacrymas.)

122. Quod sic nec adhuc commoveris, ô cor durum & impœnitens, durius es silice, qui in deserto à Moïse bis percussus virga emisit aquas largissimas: præsertim cum malleus crucis Domini validior sit ad feriendum, quam virga Moïsi, & tres clavi ferrei tibi incussi efficaciores esse debeant ad aquam lacrymarum eliciendam, quam percussio virgæ Moïsi geminata. Si vero & adhuc permanes inconcussum, eo quod in adamantis duritiam sis conversum, qui solo hœdi sanguine potest molliri; affero tibi hœdi pariter & Agni incontaminati, optimi Jesu, sanguinem copiosum, calore incomparabilis caritatis ferventem, qui sua fortitudine illum adamantinum parietem inimicitiarum positum inter Deum & hominem, omnino comminuit & dissolvit. Hic paries per tot annorum millia duraverat, nec lege, nec prophetis ipsum diversorum præceptorum, commonitionum, & comminationum malleis percutientibus aliqualiter fuerat comminutus: sed accedente sanguine hœdi & Agni nostri benigni Jesu, non tantum perforatus, sed & destructus est. Dicitur autem & bonus Jesus, etsi purissimus, esse hœdus, qui est immundum animal: quia carnem nostram gestabat, plenam in nobis immunditiis peccatorum; in ipso vero nihil ejusmodi habentem. Propter eximiam vero munditiam Agnus est, qui non solum non habet peccata, sed totius mundi tulit peccata. (Num. 20 b. Sanguis Christi efficax ad emolliendi corda.)

123. Hujus ergo hœdi & agni copioso sanguine, ô cor adamantinum, inungere & immergere; jace in illo, ut calefias, calefactum emolliaris, emollitum vero fontem lacrymarum effundas. Copiosa autem aqua opus est, ut reficiatur populus meus & jumenta. Est autem populus meus, motus animi mei rationales, quærentes ea quæ tantum spiritui meo conveniunt. Habeo & jumenta, nempe alias cogitationes, quæ circa carnem occupantur, quæ animæ tenentur servitutem impendere, ut jumentum: quas utrasque cogitationes decet refici fonte lacrymarum, ne in via vitæ hujus deficiant, vel à recto itinere declinent: ut quod bonum est in eis, confortetur, & sordidum abluatur. quæ virtus utraque in lacrymis invenitur. Quæram ergo mihi, & utinam inveniam, fontem lacrymarum in lacrymis, in cruce, in clavis, postremo & in sanguine rubicundi Jesu. Legam ergo & intelligam, quantum ipse annuerit, ruborem carnis & animæ (Virtus lacrymarum.)

dilecti ex dilecto amantissimi Jesu. Rubuit enim in utroque, id est tam in corpore, quam in anima: in carne ex natura, quia naturaliter omnis caro rubea est; nec minus sanguine passionis, quo carnem suam caritate nostra compellente tam crebro tamque copiose perfudit. quas sacratissimi sanguinis effusiones in superioribus frequenter meminimus nos explicasse. In his igitur minime immorandum, ne lectori fastidium generetur. A

Sanguinis Christi sitis & desiderium.

124. Sed quis, nisi totus caro & sanguis, & qui in se nihil habeat spirituale, sanguinem istum fastidiat? Quis volens se de sanguinibus contractis liberari, istum purissimum saluberrimumque Sanguinem Jesu purissimi non affectet? Quis semel isto dulcissimo sanguine inebriatus, B quem paravit in dulcedine sua pauperi Deus, non magis ac magis sitiat, audiens veram vocem Sapientiæ Dei Unigeniti Patris, optimi Jesu dicentis: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient?* Si verum est, immo quia verum est humano sanguini præ ceteris tantam naturaliter inesse dulcedinem; ut cum à bestia qualibet semel gustatus fuerit, illum de cetero semper gustare desideret, ita ut aliis animalibus postpositis, sanguini insidientur humano, & in mortem suam ruant pro illo acquirendo: quantum in se credis habere dulcedinis Sanguinem Filii hominis Jesu-Christi? Ecce sitiunt irrationales bestiæ sanguinem hominis, & non sitiam ego Sanguinem Filii Dei? Bestiæ quanto plus gustaverint, tanto plus sitiunt sanguinem humanum; & ego C fastidiam Sanguinem Dei & hominis benigni Jesu? Bestiæ ruunt in mortem suam, dulcedine sanguinis humani attractæ: ego non festinabo ad vitam meam, & sanguinem rubicundi Jesu & candidi? immo vere festinabo, emam & bibam. Emam absque argento & absque ulla commutatione vinum & mel: quæ nobis Sapientia Patris Altissimi benignius miscuit in cratere cordis sui, nimirum sanguinem suum, pretium vitæ nostræ. Properate mecum, qui diligitis Dominum: emite non corruptibilibus auro & argento, sed commutatione morum & conversationis vestræ vinum & lac, sanguinem illum dico purissimum, pretiosissimum; inebriantem perfectos D ut vinum; ut lac parvulos nutrientem. Si perfectus, si fortis es, vinum est tibi sanguis iste, sanguis meracissimus. Si adhuc infirmus es & cui opus sit lacte, lac est tibi ad nutriendum te. Bibe ergo Sanguinem hunc meracissimum, fide, memoria, & intuitu spirituali. Ecce sub compendio, iterumque reduco tibi multiplicem Sanguinis effusionem largissimi Jesu, qua rosam passionis & caritatis suæ rubricavit. Caritatis quidem illius ardorem humanus comprehendere non sufficit intellectus, nisi quantum ex passione ipsius, quæ cunctis apparuit, comprehendit.

Eccl. 24. c

Bestiæ sanguinis humani avidæ ob dulcedinem.

## CAPUT XXXIV.

### *De rosa caritatis.*

125. VErumtamen prius de rosa caritatis, quàm de rosa passionis videamus. Ardorem rosæ caritatis perpendemus, si diligenter videamus, quis, qualis, quantum, quare amaverit amator misericors & mirabilis. E Amator noster est ille, quo nihil majus, nihil ditius, nihil fortius, cui omnis spiritus confitetur, quoniam *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* In hoc brevi versu comprehenditur, quis amator noster sit, quis Deus; & quare amaverit, ex verbo sequenti elicitur: videlicet non ideo amavit nos, ut aliquid nostri acciperet, qui bonorum nostrorum non eget: sed gratuitâ gratiâ F suâ. Quod si etiam in nobis esset aliquid boni quod ille appeteret, non hoc à nobis, sed ab illo haberemus. Qualiter autem amaverit nos amator noster, exponit ille qui ait: *Cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo.* Justus enim injustos, solus bonus & pius peccatores & impios adamavit. O quanta dignatio! Jam vero quantum amaverit, videamus. Quis hoc sufficienter dicat?

Psal. 15. a

Rom. 5. b

## CAPUT XXXV.

### *De rosa Passionis.*

126. ECce in expositione hujus verbi necessarium habemus rosam passionis rosæ caritatis conjungere: ut rosa caritatis in passione rubescat, & rosa passionis igne caritatis ardescat. Tantum enim dilexit nos dilector noster, ut caritatis ardore cogente ruborem passionis incideret, traderetque in mortem animam suam, mortem autem crucis, non breviter transeuntis, sed à principio ortus sui usque in finem mortis durissimæ perdurantis. Sicut etenim superius vestræ commendavimus caritati, crux optimi Jesu-Christi non tantum fuit unius diei; sed tota vita illius crux fuit & martyrium. Omnia ergo quæcumque passus est Dominus in diebus carnis suæ, ad ruborem utique passionis pertinent rosæ passionis, quamvis effusionibus crebris sacratissimi sanguinis ipsius specialiter fuerit rubricata. Sed quia omnia quæ passus est enumerare non possumus, Sanguinis effusiones salutiferas nos non pigeat iterare: ut quæ jugiter sunt memoranda, tenaci memoriæ arctius imprimantur.

Christi[…] nis vita […] & marty[…]

## CAPUT XXXVI.

### *De septem effusionibus Sanguinis Vitis nostræ Jesu-Christi.*

127. PRimam sanguinis effusionem legimus in circumcisione, quando nomen ejus vocatum est Jesus, jam tunc mysterio hoc significante, quod effusione sanguinis sui futurus nobis esset verus Jesus, id est, Salvator. Audiant & intelligant tam pueri teneri, quam puellæ; & frequenter eorum mentibus inculcetur maturum martyrium innocentis Jesu. Unde & Isaïas de nativitate ejusdem Jesu-Christi loquens, *Puer*, inquit, *natus est nobis, & filius datus est nobis: cujus imperium super humerum ejus*, crucem quam imperii nomine significavit nativitati statim adjungens: quia profecto à nativitatis exordio passio crucis simul exorta est. Non modicum enim pertinet ad commendationem rubicundæ passionis, quod Salvator noster in alieno loco, in media hieme, in medio noctis, in stabulo diversorii ex Matre paupercula natus est, licet ibi sanguis ejus effusus non fuerit, quod tam parvo temporis intervallo, id est, septem dierum spatio secutum est. O quanta caritas! O quanta commendatio caritatis! Vix natus est cæli gloria, cæli divitiæ, cæli deliciæ, dulcis Jesus: & ecce recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor, crucis paupertas copulatur: sed redemit miseriam crucis, imperii nomen verum. Cruce etenim totum mundum simul & inferos subjugavit, qui regnavit à ligno fortis Jesus. Propter enim crucem, ad quam humiliavit seipsum factus obediens, exaltavit illum Deus Pater, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Bene ergo in prima effusione sanguinis Agni purissimi aptatum est ei hoc nomen Jesus, eo quod jam tunc pro salute nostra sanguinem fundere inciperet, qui in completione salutis nostræ totus erat effundendus.

Prima […] fio in C[…] cumcisi[…]

Isa. 9. b

A Nati[…] Christi […] incipit.

Philipp.

## CAPUT XXXVII.

### *De secunda effusione Sanguinis.*

128. SEcunda Sanguinis effusio Jesu-Christi, qua passionis rosa coloratur, invenitur in sudore sanguineo orantis & agonizantis benigni Jesu. Ita enim ait Evangelista: *Et factus in agonia prolixius orabat: & factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ut cessent omnes ceteræ sanguinis purissimi effusiones, numquid hæc sola non poterit rosam nostram sufficienter rubricare? Vere potest conscindere cor meum miserum, & sanguineis lacrymis madefacere: quia ecce Creator meus pro me sanguineo cruore perfunditur; nec levi quidem, sed decurrente in terram. Væ misero cordi! quod tali & tanto sudore non madescit perfusum. Inspice tribulationem ipsius mitissimi cordis, qua angebatur, cum

Secund[…] fusio in […] nia.

cum toto corpore ex omni parte sanguineus sudor manaret. A Neque enim corpus extrinsecus tanto talique sudore deflueret, si cor intrinsecus nullius doloris molestia frangeretur. *Contritum est cor meum in meipso*, ait Propheta. Scisso igitur corde interius, scissa est & exterius pellis nostri Salomonis: effusus est sudor sanguineus super terram. Rubricata est rosa passionis & caritatis Christi rubicundi Jesu. Ecce quam rubicundus, & quam totus rubicundus. Nec vacat à mysterio ista sanguinis Jesu effusio generalis. Sudavit enim toto corpore sanguinem, qui nostras venerat tollere infirmitates ex carne nostra & sanguine contractas: ut ad convalescentiam & sanitatem totius corporis spiritualis sive Ecclesiæ sufficeret sudor sanguineus ab omni parte corporis, capitis scilicet B nostri Domini Jesu-Christi effusus. Liberati ergo sumus de sanguinibus, Deo gratia sit auctori salutis nostræ benigno Jesu, qui suum pro nobis sanguinem liberalissime effudit. Vel hoc certe significabat sudor sanguineus à toto corpore capitis nostri effusus, quia in toto corpore suo spirituali, quod est Ecclesia, sanguis erat Martyrum effundendus, & Ecclesia rubricanda.

## CAPUT XXXVIII.

### *De tertia Sanguinis effusione.*

129. TErtia sanguinis effusio fuit in vellicatione genarum, cujus testimonium habemus in Propheta C dicente ex persona ipsius crucifixi: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Quod quidam exponunt de laceratione maxillarum facta cum unguibus impiorum Judæorum; quidam autem de evulsione barbæ Domini. Potest utrumque fuisse verum. Credo non sine aliqua sanguinis effusione id peractum. Video ergo sacrilegas manus impiissimæ gentis non saturatas colaphis & alapis, & consputione desiderabilis vultus Christi: sed etiam ad genarum ipsius vellicationem exarsisse, & à vultu quoque dulcissimo ad rubricationem rosæ nostræ sanguinem elicuisse. Video Agni illius immaculati patientiam admirabilem & imitandam, per quam genas pudicissimas impudicissimorum unguibus lacerandas cum D omni mansuetudine præbuit: ut patienter sufferamus, si aliquando nostram faciem operiat confusio propter ipsum, immo & si quis nos cædat in faciem verbis & factis propter dulcem Jesum.

## CAPUT XXXIX.

### *De quarta effusione Sanguinis.*

130. QUartam sanguinis purissimi effusionem in corona invenire possumus, in corona spinea, non tamen leviter imposita, sed valide impressa capiti dulcissimo capitis mei dulcis Jesu. Satis enim consentit veritati, ut qui oderant veritatem, non solum opprobrium illius, E sed supplicium requirant. Nec hîc puto quidem rivos sanguinis defuisse, qui à capite irrisorie & invide coronati defluerent in collum simul & in faciem dulcis Jesu: quia si noluissent coronato pœnam simul cum irrisionibus irrogare, facilius de aliis ramis vel virgulis arboris alicujus potuerant plexuisse coronam: sed ut morum suorum aculeos demonstrarent, nunc gloria & honore coronatum, tunc spinarum aculeis coronaverunt Agnum mitissimum, dulcem Jesum. Et licet in irrisione coronent; tamen ignorantes & irridentes coronatum Regem fatentur, quia regum est coronari. Coronatus ergo Rex esse à nescientibus demonstratur. In spinis vero coronantium malitia aperitur. Moraliter autem docemur F imitari caput nostrum, regem & ducem nostrum dulcem Jesum. Si autem malorum quorumlibet perversitate compungimur & irridemur: cum caput nostrum ita compunctum, ita irrisum conspexerimus, non murmuremus, non recalcitremus, pauca quæ nobis in vita præsenti & brevi inferuntur, cum omni æquanimitate & patientia sufferendo, ut digni simus esse membra capitis nostri; & boni bellatores simus sequendo vestigia signiferi nostri.

## CAPUT XL.

### *De quinta effusione Sanguinis.*

131. QUinta rubricatio rosæ invenitur in crudeli flagellatione mansuetissimi Agni rosei Jesu. O cum quanta quantitate putas illum sanctissimum sanguinem è conscisso corpore & flagellato distillasse in terram? O quanta putas sævitia impiorum frementium, quanto fremitu sævientium flagellatum putas fuisse dulcem Jesum, qui venerat ut nos à flagellis liberaret æternis! *Sine causa*, inquit, *flagellis ceciderunt me.* Vere sine causa, nisi forte miserrimi & perversi bona opera tua pœnis digna judicarent, qui veritatem tuam in mendacio detinuerunt. Sed & hîc moraliter erudimur, ut flagella benignissimi Patris nostri discamus æquanimiter tolerare, qui pessimorum flagella pro nobis indignis tam patienter sustinuit dulcis Jesus. Quis enim flagella non sufferret homo in flagella paratus, ad laborem natus, in peccatis nutritus & conversatus, hereditati cælestis aulæ destinatus, quæ non nisi mundos recipit: cum videat Regem omnium regum, & Dominum dominantium dulcem Jesum, qui peccatum non fecit, & in cujus ore non est dolus inventus, tam gravibus flagellationibus esse contritum? Audi ô homo stulte & insipiens, & erudire, & non solum non refuge, sed etiam apprehende disciplinam, ne forte quandoque pereas de via justa, Domino tibi irascente: qui proprio Filio suo non pepercit, sed propter te tradidit flagellandum. Non pepercit Filio suo naturali, consubstantiali sibi, & coæterno, & impassibili, quin pro salute tua ipsum faceret nasci in tempore, & passibilem; & flagellis contereret, sicut scriptum est: *Dominus voluit eum conterere in infirmitate.* Et quomodo parcet tibi filio adoptivo, cum sensus tui proni sint in malum? Quin in chamo & freno maxillas tuas constringet, ut saltem vexatio det tibi intellectum: quatenus ad ipsum approximare cogaris, qui licet moleste, salubriter tamen flagellat omnem filium, quem recipit.

Quinta effusio in flagellatione.

In respons. Offici ecclesi. in Passione.

Rom. 8. f

Isa. 53. c

Heb. 12. b

## CAPUT XLI.

### *De sexta & septima effusione Sanguinis.*

132. SExta effusio sanguinis, quæ rosam passionis rubricavit, in fossione clavorum copiosissime invenitur. Quis enim de fossis, immo & de perfossis manibus pedibusque innocentis Jesu copiam sacrati sanguinis dubitet effluxisse? In torrentibus hujus sanguinis rosa nostra purpurata est; quia vere hîc ardentissima caritas, hîc rubicundissima passio invenitur. In hac magnitudine passionis magnitudo consideretur caritatis: ardorem rosæ caritatis, ruborem considera passionis. Quis umquam tam gravia, tam pudenda passus fuit? Deus est qui patitur, nec in aliquo sibi durum torcular passionis alleviat, qui servis suis vel omnino auferre, vel alleviare, vel breviare vires tormentorum consuevit. Non pepercit sibi qui suis parcere novit. Hujus rei evidentiam vides in Evangelio Johannis, ubi cum ab his qui ad ipsum venerant capiendum, ei diceretur, quod ipsum quærerent, subjunxit: *Ego sum*, quem quæritis. *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* O ardor verissimæ caritatis! Manifestat & tradit se caritas ipsa sævientibus inimicis, non parcens sibi, rogatque pro suis, ut parcatur illis. Captus ergo post plurimas illusiones tam Judæorum, quam gentium, post sanguinis plures effusiones, clavis immitibus, manibus simul & pedibus perforatur & configitur ligno crucis Salvator noster, mitissimus Jesus. Intuere & respice rosam passionis sanguineæ, quomodo rubet in indicium ardentissimæ caritatis. Contendunt passio & caritas: illa ut plus ardeat, ista ut plus rubeat. Sed mirabiliter per ardorem caritatis fit passio rubea, quia si non diligeret, non pateretur: & in passionis rubore, maxima & incomparabilis ostenditur caritas. Sicut enim rosa per frigus noctis clausa, solis ardore surgente tota aperitur, & foliis expansis in rubore demonstrat ardorem jucundum: ita flos cæli deliciosus, optimus Jesus-Christus, qui multo tempore à peccato primi hominis, quasi in frigore

Sexta effusio in fossione clavorum.

Christus sibi non parcit ut aliis.

Johann. 18. c

Christus effusione sanguinis ostendit ardorem caritatis.

noctis clausus fuit peccatoribus, nondum plenitudinem impendens: tandem plenitudine temporis accedente, radiis scilicet ardentis caritatis, in omni corporis sui parte apertus est, & rosæ caritatis ardor in rubore sanguinis effusi refulsit. Vide ergo quomodo hoc flore rosæ floruerit optima vitis nostra, rubicundus Jesus. Vide totum corpus, sicubi rosæ sanguineæ florem non invenias. Inspice manum unam & alteram, si florem rosæ invenias in utraque. Inspice pedem & unum & alterum. Numquid non rosei?

Septima effusio in apertione lateris. *Johann. 19. f*

133. Inspice lateris aperturam, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa subrubea sit propter mixturam aquæ: quia, sicut narrat Evangelista, *Cum unus militum lancea latus ejus perforasset; exivit sanguis & aqua.* Ipse est enim qui venit per aquam, & non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem optimus Jesus-Christus. O suavissime universorum Domine & Salvator bone Jesu, quales tibi condignas gratiarum referre potero actiones? Qui à principio ortus tui, usque ad mortem durissimam, immo & post mortem, pro me pretiosissimum sanguinem tuum effudisti, qui ardorem excellentissimæ caritatis tuæ tam crebris sanguinis tui effusionibus manifestare curasti. O quam multo numero foliorum multiplicata & exornata est rosa tua. Quis omnia ista enumeret? Numera guttas sanguinis effusi de dulcissimo corpore dulcissimi Jesu, & habebis passionis caritativæ folia enumerata. Singulæ enim guttæ sanguinis sui, folia sunt rosæ sanguineæ passionis ipsius. Sed ideo ad alia transeamus, quia septimam sanguinis dominici effusionem jam breviter diximus, cum de apertura lateris doceremus, unde exivit sanguis & aqua, per quæ baptismatis accepimus sacramentum.

## CAPUT XLII.

### *De croco abstinentiæ Vitis nostræ.*

Christus virtute abstinentiæ præditus, cur.

134. Crocum etiam abstinentiæ in nostra vite, dulcissimo Jesu-Christo sentimus floruisse. Qui non propterea abstinens fuerit, ut castigaret corpus suum, & in servitutem redigeret, ne forte reprobus efficeretur: sed ut nobis formam daret & documentum abstinentiæ: sicut in circumcisione & baptismo, quæ non ad emundationem suam accepit, qui semper fuit mundissimus & omnium emundator; sed ut obedientiæ nobis formam justitiæque donaret. Sine dubio virtutem habuit abstinentiæ Rex virtutum, & præ omnibus Sanctis præteritis & futuris excellentius semetipsum macerans, non necessitate, sed voluntate. Sed objicitur nobis sententia de verbis ipsius Domini Salvatoris de se dicentis: *Venit ad Judæos Johannes Baptista non manducans, neque bibens, & dixistis: Dæmonium habet.* Item, *Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo vorax & vinarius, amicus, publicanorum & peccatorum.* Ecce testimonium Veritatis, quod Johannes non manducavit neque bibit: & quod ipse Jesus & manducavit & bibit. Numquid ergo Johannes in abstinentiæ virtute præcellit nostrum dilectum Jesum? Nequaquam.

*Matth. 11. c* *Ibidem.*

An in ea Johannem excelluerit.

135. Sed notandum quod duplex est abstinentiæ virtus. Una intus in mente, altera foris in actu. Et ea quidem quæ in mente est, semper est habenda: ea vero quæ est in actu, rerum ac temporum qualitate manifestanda est. Bene autem Johannes, qui purus homo erat, abstinentiam tam in mente quam in corpore exercebat, ne forte contaminaretur: sed homo noster verus Jesus, qui maculari non poterat, cibis & potibus pro tempore utebatur, ut convescentes sibi ad virtutem attraheret abstinentiæ, ceterasque virtutes. Nec credas ullo modo majorem esse virtutem omnino abstinere à cibis, quam ipsis cibariis uti moderate. Difficillimum est enim in cibariis modum servare omnimodum, ita ut ultra quam naturæ potest sufficere, nihil sumatur, nec ipsi naturæ aliquid de necessariis subtrahatur. Si ergo contingat aliquem habere virtutem abstinentiæ cum Johanne, scilicet ut ipsam mente & opere exerceat; non condemnet eum, qui abstinet cum perfectissimo Jesu, id est qui abstinentiam, prout tempora exigunt & personæ, pro utilitate, vel proprii corporis, vel proximi nunc intendit, nunc remittit, observans tamen in omnibus omnia quæ circa virtutem abstinentiæ sunt servanda, ut semper vitii abstinentiæ oppositi, id est gulæ, crimen evitet. Cujus vitii abusiones hoc versu notantur:

Major virtus in moderato cibo, quam in omnimoda abstinentia.

*Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.*

5. Vitia [vi]tanda in [abs]tinentia. Primum Præpro[pere]. *Lege S.* 30. *mor* 13. *& c.*

Præpropere enim comedunt & bibunt, qui tempus comedendi præveniunt, sola voluptate, non necessitate coacti. Legimus in vita Patrum de sanctis Patribus, qui hospitum spiritualium caritate devincti, tempus consuetum ciborum anticipaverunt; sed comedendo in caritate, se nequaquam solvisse jejunium æstimabant: ita ut etiam aliqui post talem refectiunculam Missarum celebrare solemnia non timerent. quod quamvis nobis non conveniat trahere in exemplum, ut similiter faciamus, quoniam quidem ab eorum perfectione nos nimium separamur; eos tamen sine peccato talia fecisse confidimus, quæ nequaquam nisi Spiritu-sancto ipsis veraciter revelante fecissent. Laute comedunt, qui delicatis utuntur cibariis sola delectatione attracti, quibus non sufficit naturalis sapor carnium, sive piscium, quem creator illis imposuit: sed modis naturæ contemptis quærunt adulterinos sapores piperis & salsamentorum variorum, ut sibi appetitum faciant comedendi, non metuentes optimum hominum creatorem vituperare in creaturis, dum alios illis sapores ipsi faciunt, quam creator naturæ earum præstiterit. O quantum hujusmodi alienos sapores homo Christianus vitare deberet, si adverteret dulcissimum & sapientissimum Dominum suum fecisse omnia bona valde, cujus creaturas vere bonas nullus nisi malus alterare consuevit. Consuevit dico, quia quandoque lautioribus uti cibariis pro infirmitate corporis repellenda, palato non alludente, sed renitente cibariis; nulla vel parva culpa est.

Secund[um] Laute. Lautiti[a] [ci]borum [no]tatur.

*Philip.*

136. Ad eorum igitur confusionem, quorum ut Apostolus ait, *Deus venter est, & gloria in confusione eorum,* quos idem adserit flendo inimicos esse crucis Christi, & imitatores illius pauperimi & miserrimi divitis, qui epulabatur non aliquando pro sanitatis remedio, sed pro voluptate quotidie splendide; propter quod nec guttam aquæ, cum in inferno sepultus esset, meruit impetrare, ut refrigeraretur lingua ejus ardens profecto in flamma, quæ alienis semper & superfluis fuerat saporibus delectata; nec naturali aquæ frigore meruit refoveri, qui in voluptatibus suis naturæ saporem adulteraverat: ad horum, inquam, confusionem gentilis hominis memorare sententiam non gravabor, ut erubescat nomine Christianus, cum à meliore seipsum ignorante docetur, qui neque creaturas per creatorem venerari sciebat; nec asperos sciebat pati sapores pro Christo, quem vel nesciivit, vel non credidit pro se in crucis patibulo vinum mirrhatum bibisse cum felle mixtum: sed soli naturæ consentiens contra voluptuosos exclamat:

*Lucan.*

*O prodiga rerum*
*Luxuries, numquam parvo contempta paratu,*
*Et quæsitorum terra pelagoque ciborum,*
*Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ.*
*Discite, quam parvo liceat producere vitam,*
*Et quantum natura petat. non erigit ægros*
*Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus.*
*Non auro gemmasque bibunt, sed gutture puro*
*Vita redit: satis est populis fluviusque Ceresque.*

id est aqua & panis. Hæc satis concordant cum illa usitata sententia & vera: *Panis & aqua vita hominis.* Nec adhuc conteruntur hac confusione durissimæ frontes voratorum tam ipsius Veritatis verissimi Jesu, quam Apostoli ejus, immo ne gentilis quidem hominis reprehensione & eruditione percussæ, & dicunt, Christiani sumus: non tamen recipiunt vocem Christi in Apostolo loquentis & monentis: *Curam carnis ne feceritis in desideriis.* Unde frequenter evenit, ut cum adhuc escæ eorum sint in ore eorum, ira Dei ascendat super eos: & qui deduxerunt in pessimis terminis dies suos, in puncto ad infernum descendunt; ubi vermis comedens ipsos non moritur, & ignis non exstinguitur, pro deliciis brevibus mala recipientes sempiterna.

*Eccli.* *Rom. 13.* *Psal. 77*

137. Nimis comedere quid sit, omnibus notum est,

Nimis enim comedit, qui ultra quam naturæ suæ sustentandæ possit sufficere, sumit alimenta, maxime si hoc scienter fecerit. Evenit enim non raro, ut homo suis laboribus consideratis plus vilium sumat alimentorum; ut in labore possit subsistere, & timore deficiendi cogente mensuram refectionis excedat, à quo peccato vix credo aliquem esse immunem. Sed talia peccata crebris confessionibus, intermixtis voluntariis abstinentiis, statim ut deprehenduntur, purganda sunt. In nullo autem genere ciborum illud vitium superfluitatis ciborum & potuum excusatur. Cum etiam legatur, quod peccatum Sodomæ fuit *abundatia panis*, & diabolus tentaturus Dominum non de alio aliquo quam de pane tentavit, sciens profecto in nimio sumptu panis peccatum non deesse; qui primos parentes, & per ipsos omnes homines unius pomi comestione decepit: quamvis non ita facile in cibis vilibus mensura excedatur, ubi sapor non decipitur, sicut in cibariis laute præparatis, & saporibus alteratis.

138. Ardenter comedere, est cibos vel potus cum nimio desiderio sumere. quod tam in vilibus, quam in delicatis potest cibariis evenire. Cujus rei exemplum habemus in Esau, qui vilis cibi delectatione adtractus, ultro vendidit primogenita sua. Ita enim habet Genesis, quia veniente Esau de agro vidit Jacob fratrem suum coquentem lenticulam. cui dixit: *Da mihi de coctione tua hac rufa, quia oppido lassus sum.* Et facta pactione cum Jacob de venditione primogenitorum, comedit in voracitate coctionem nimis desideratam, & dignitatem progenitorum amisit: quia enim nimium ardenter desiderabat lenticulam, *En*, inquit, *morior. Quid mihi proderunt primogenita?* Non est dubium, quin ardenter comederit acceptum, quod tam ardenter fuerat desideratum. Miserere Domine misericordissime Jesu, mihi miserrimo peccatori, qui nullam diem sine peccato hujusmodi me sentio præterire; ne per talem excessum, fidei tuæ qua tibi genitus sum, merear perdere dignitatem. Econtra & sanctissimos Eliam & Johannem Baptistam carnibus nullis usos fuisse accepimus, & per sobrietatem temperantiæ eos nullum ex hoc omnino meritum perdidisse.

139. Studiose comedere est in cibis vel in potibus nimis diu immorari. De hoc expertis loquimur, & utinam non essemus experti, nec umquam experturi. Frequenter solet accidere, quod sumptis cibariis quæ secundum consuetudinem necessitati sumentis possent & deberent sufficere, quædam surgat nova delectatio; quæ facit hominem improvidum, & insidias diaboli non caventem illi cibo cum tanto studio inhærere, tamquam nihil ante comederit, vel intra multos dies post hoc nil sit sumpturus ciborum. At qui gulæ speciem in se deprehendunt, auxiliante Deo huic facile possunt resistere, quia impetus ejus non longius durat, quam dum à mensa surgatur, & illius quod tanto studio desideratur, memoria subducatur. Sunt autem plurimi, qui tale studium comedendi, nec peccatum existimant, nec etiam cuiquam suggerenti esse peccatum, fidem adhibeant, habentes in consuetudine damnabili, nulli desiderio resistere, quod possit à natura aliqua obumbratione defendi: nec ponunt aliquam metam desiderio comedendi, donec tempore deficiant fatigati. Sed Christianus homo comedit ut vivat, non vivit ut comedat, sicut quidam ait. ideoque & illud bene de inutilibus & voracibus:

*Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.*

Christianus autem non sic: sed semper ita surgat de mensa, ut adhuc habeat appetitum plura sumendi, & eum qui adhuc esset implendus cibariis, Domino Jesu pro grato munere conferat appetitum, qui pro nostra salute sæpius esurire voluit & sitire. His & aliis similibus rationibus unus aliquis inductus tanta se abstinentia macerat, ut nimia consumptus inedia in languores incidat diuturnos; ut nec sibi, nec aliis valeat omnino prodesse: immo fiat etiam omnibus gravis; qui si gravarentur, ipse potius alleviare deberet. Quis ista docet? Quis ista sapiens faciet? Ignorant tale, quod

*Virtus est medium vitiorum utrumque reductum.*

Est enim quoddam medium inter nimis comedere, & nimis abstinere: & illud medium est virtus; hoc est tantum sumere alimentorum, ne nimis debilitetur natura; nec tantum, ut vitia vegetentur. Quod si omnino tale medium servare non potest; tamen hoc cavere potest, ne nimis à medio recedatur; id est, ut ille qui minus comedit quam debeat, non nimis abstineat: ut ille, qui comedendi mensuram excedit, eam non nimis excedat, ita ut corpus non nutriatur vitiis; sed virtutibus conservetur.

140. Quare autem flos croci abstinentiam signat, color ipsius ostendit: facit enim suos cultores abstinentia croceos, flori croci adsimiles. Non enim potest facies esse rubicunda, cum stomacho abstinentiæ. Multitudo autem florum croci multas species designat. Non enim est abstinentia solummodo cibi & potus: sed etiam somni & lasciviæ, & vestimentorum, & aliorum quorumlibet commodorum, quæ corpori superflue tribuuntur, vel balneorum, unguentorum, musicorum instrumentorum, & cantilenarum, & ceterorum hujusmodi, quæ sensus humanos corrumpunt, animumque subvertunt. Quod autem quædam folia rubei sunt coloris, signat caritatem semper debere immixtam esse operibus abstinentiæ: quia si quis sine caritate corpus suum ita tradat, ut ardeat, nihil ei prodest. Quosdam enim esse qui non propter caritatem Dei, sed propter vanam gloriam se macerant abstinendo, ostendit ipsa veritas Dominus Jesus dicens discipulis suis: *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, qui exterminant facies suas, ut videantur ab hominibus jejunantes. Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Quare? Quia non sunt verus crocus, qui carent rubris foliis caritatis, sine qua nullum opus perfectum est. Ipsa enim est virtus, de qua dicitur: Qui habet unam, habet omnes, & quam qui non habet, illud quod habet auferetur ab eo.

Abstinentia cur Croco comparata. — 1. Cor. 13. b — Matt. 6. b

## CAPUT XLIII.

### *De odore florum Vitis.*

141. Jam ad odorem florum Vitis nostræ accedamus; rogantes ipsum dulcissimum Jesum, ut sui odoris dulcissimi fragrantia corda nostra dignetur adspirare, ut de ipso dulcia & sentire, & dicere valeamus. Quid autem dicere de hoc odore poterimus? Mirabilis, & supra quam potest credi aut cogitari, inæstimabilis est iste odor vitis nostræ. Floruerunt & alii sancti palmites, in quibus ipse profecto floruit: sed certissime viri illi soli capiti nostro optimo Jesu clamabant, nempe illa spiritualis sponsa: *Meliora sunt ubera tua vino; fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te; curremus in odore unguentorum tuorum.* Non est mirum, si odor est inæstimabilis nimis, qui de hac vite nostra florente procedit: si nomina ejus diligentius adtendamus, quæ sunt Jesus, Christus, Nazarenus. Jesus autem, ut scitis, *salutaris* vel *salvator* interpretatur, de quo psalmus: *Converte nos Deus salutaris noster.* Et iterum, *Salvasti nos de affligentibus nos.* Quis autem in afflictione positus salvari nolit? Si vis salvari & adtrahi odore hujus nominis salutaris, quod effusum est, sicut oleum: incipe delectari in dulcissimo Jesu, & confidenter require in vero salutari salutem, non imitando illos qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, in quibus salutem suam constare putant: sed potius eam, cujus spiritus exultavit in Deo salutari suo, quæ nominis hujus salutaris odorem tanto suavius adtraxerat, perfectiusque senserat, quanto illi fide, spe, & caritate vicinior fuerat, quæ ipsum de suis visceribus genuerat, nempe verum & perfectum Deum & hominem, salutarem Jesum. Non ignorabat enim qualiter sine omni carnali concupiscentia conceptus, qualiter sine omni dolore ex ipsa natus, quomodo à pastoribus prædicatus; quomodo à Magis adoratus, quomodo virgineo lacte suo nutritus, quomodo à Simeone & Anna commendatus. Noverat, inquam, hæc omnia, & multo plura virgo illa fidelissima, & perfectissima fide salutarem veri salutaris sequebatur odorem. Nec poterat non sperare in eum, quem fide perfectissima cognoscebat & posse, & scire, & velle salvare omnes desiderantes salutem. Quantum enim quis credit, tantum sperat: quan-

Cant. 1. a — Psal. 84. a — Psal. 41. d — Prov. 2. d — Luc. 1. e — Maria præ ceteris Christi odore attracta.

tum ſperat, tantum amat. Quanto ergo hæc optima Mater perfectior fuit in fide, tanto in ſpe fortior, & in caritate ferventior, omnem cogitatum ſuum jactans in eum.

Olei virtutes nomini Jeſu adaptantur.

142. *Oleum* enim *effuſum eſt nomen tuum.* Quare? Quia oleo nutriuntur infirmi, paſcuntur famelici, lumina reparantur. Quis enim tam infirmus, qui hoc oleo ſalutari, nomine ſcilicet ſalutiferi Jeſu, curatus non fuerit, dummodo velit curari? Ita enim ait ipſe Salvator cuidam languenti, qui jacebat ad piſcinam probaticam: *Vis ſalvus fieri?* Et ille, *Domine, hominem non habeo: ut cum mota fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Stulte, ecce oleum ſalutiferum ſalutaris Jeſu, cujus nomen eſt, ſicut oleum effuſum. Quid tibi cum aqua? Si vis recipere ſalutem, ecce fons olei miſericordiæ, in quo te nullus prohibet baptizari, cujus nomen eſt effuſum oleum, id eſt, omnibus gentibus manifeſtum, quo oleo uncti infirmi ſanantur. Quomodo cum audis & intelligis ſupereminentem miſericordiam optimi Jeſu (qui propter te redimendum de ſinu Patris deſcendit ad terras, te miſericordiſſima paſſione redemit) non oboritur tibi certa ſpes, quod te redemptum tanto pretio nolit perdere, quem de cælo venit redimere? Jam ergo ſic cogitanti, ſic ſperanti oleum nominis Jeſu tibi effuſum eſt. Unge te, ut ſaneris; id eſt, ſpera in miſericordia Salvatoris, qui ſalvat omnes ſperantes in ſe.

Sanat.

Johann. 5. a

Paſcit.

143. Nihilominus autem & oleum hoc paſcit te, ſi famelicus es: ſi eſuris, verbum eſt. In hoc verbo Dei optimi Jeſu invenis quod te ſatiet, ſi dictis & factis ejus aurem cordis tui velis inclinare. Sanat enim animam eſurientem quicquid dixit vel fecit dulcis Jeſus. Quod ſi eſuris & ſitis juſtitiam, ſanabit te verbum oris ejus, qui dixit: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Addet quoque ignem ad oleum: quod huic nomini Jeſu optime convenit: quia hujus nominis virtute fides confirmatur, caritas exardeſcit. Pauci enim fidem habuerunt ante hujus olei effuſionem, id eſt, ante prædicationem nominis tui, ô bone Jeſu: pauci igniculo caritatis arſerunt. Sed ecce illa effuſione, quanti fide illuminati? Quanti caritate conflagrarunt? *Dedit odorem*, id eſt, bonam famam oleum nominis tui effuſum, oleum Jeſu, & patuit te eſſe etiam Chriſtum, id eſt unctum. Sic enim ait Pſalmus de te: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Ergo & oleum unguentum eſt: quia unguentum de oleo & aromatibus conficitur. Quid ergo mirum, ſi hæc vitis admirabilem dedit odorem, quæ & uncta eſt, & florens? Nazarenus enim florens interpretatur.

Matt. 5. a

Ardet.

Pſal. 44. b

Odor Chriſti quam potenter mundum traxerit.

144. Vitis noſtra Jeſus-Chriſtus Nazarenus, id eſt ſalutaris, uncta & florens, qui non adtraheret omnes, qui ſalutem, gloriam, divitias, vel delicias concupiſcunt? Venient omnes ad vitem hanc. Dabit enim *Jeſus* ſalutem, quia *ſalutaris eſt*: dabit *Chriſtus* regnum, in quo gloria cum divitiis habetur, quia *unctus* eſt, quod proprie ad reges pertinet: dabit *Nazarenus* delicias, quia *florens* eſt. Quid enim jucundius flore? Multi autem, immo omnes, id eſt omnium virtutum flores in noſtro Nazareno ſunt, quarum delectabili odore totum mundum traxit poſt ſe. Nam qui veniunt ad ipſum propter humilitatem, violæ ejus ſequuntur odorem; qui propter caſtitatem, lilii; qui propter caritatem paſſionis, roſæ; qui propter abſtinentiam, croci ſequuntur odorem. His ergo virtutibus optimi Jeſu-Chriſti ubique prædicatores tamquam quodam pretioſo unguento effuſo extraxerunt odorem ejus, & adoleſcentulæ odore ejus mirifico delectatæ cucurrerunt poſt unctum Jeſum. Et adhuc nimirum currunt clamantes in toto corde ſuo: *Trahe nos poſt te; ut curramus in odore ungentorum tuorum,* ſcientes, quod neque volentis, neque currentis, ſed ſolius Dei miſerentis eſt. Superat autem omnes odores omnium virtutum uncti Jeſu odor Crucifixi, ubi perfectio præcipue efflorebat, & de floribus vulnerum ſuorum inæſtimabilem odorem effundit. Fracto enim alabaſtro mundiſſimi corporis virginalis dulcis Jeſu effuſum eſt unguentum ſacratiſſimi ſanguinis. Ipſa quoque anima, in qua ſine dubio redolebat unguentum ſpiritus ſeptiformis, emiſſa, dilatatus & diſperſus eſt odor vitis noſtræ florentis non per terras ſolum, ſed & per

Cant. 1. a

Sed potiſſimum odor Crucifixi.

A inferos; & ſuſcitati ſunt mortui, qui tam ad vitam corporis quidem, quam ad vitam animæ quotidie ſuſcitantur, quia domus Chriſti, id eſt Eccleſia, impleta eſt ex odore unguenti noſtræ vitis præcipue in paſſione florentis. Conſciſſus eſt ſaccus corporis Domini Jeſu, ceciderunt grana ſanguinearum guttarum, quæ adhuc à fidelibus mente colligi poſſunt, & ab accedentibus ad crucem fideliter ac devote colliguntur. Pretioſiſſimus vero theſaurus & incomparabilis, guttæ ſunt ſanguinis Jeſu-Chriſti.

145. Accede huc, ô fidelis anima, & collige tibi reliquias epularum ſponſi tui; micas gratiſſimas, folia roſarum. Ecce in quanta multitudine diſtillant de manibus ſimul & pedibus, necnon & de latere dulciſſimi crucifixi Chriſti

B Jeſu. Non eſt morbus animæ, cui his floribus mederi non poſſis. Collige tantum folia florum florentis Jeſu, ſtillas ſanguinis rubicundi: & tamquam pilulas, ſine quibus eſſe nolo, in cubiculo cordis tui reconde. Erit tibi illarum ſapor & odor in medicinam ſalubrem, morbos, ſi qui fuerint, repellentem, venturoſque caventem. Vide tantum, ne umquam ſine illis eſſe velis, quæ vere nomen habent, quolibet fideli dicente, *ſine quibus eſſe nolo.* Hauri ergo toto cordis tui affectu odorem vitis veræ Jeſu-Chriſti Nazareni, & delectare in illo, ſicut Pater cæleſtis in illo delectatus fuit, ut vere dicere potuerit: *Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Vere *pleni*, Gen. 27.

Coloſſ. 2.

C in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi ſunt. Ibidem.

Odor Crucifixi unde tam potens & efficax.

146. Eſt autem adhuc cauſa, quare tanto Crucifixus odore fragraverit. Modicus vel nullus eſt odor corporis cujuſlibet animalis viventis: ſed cum igni caro appoſita fuerit, quam ſuavis, quam delectabilis inde procedat odoris fragrantia, nullus ignorat. Attendamus ergo, quis & quantus ignis corpori noſtræ vitis appoſitus fuerit. Flagrabat interius incendio caritatis immenſæ, exterius paſſionis ardore veriſſimum, & gratiſſimum, & ſaluberrimum holocauſtum in ara crucis crucifixus Jeſus. Quod holocauſtum ſimile iſti? Nullum vero: quia nullum ſic totum incenſum dicitur. & ſi iſtud dicebatur vere holocauſtum, quod totum ardebat, cum tamen ibi arderet

D ſola caro: quanto verius noſtra victima dicetur holocauſtum, quod intus & foris incomparabiliter ardebat? Ardebat & totus Laurentius, Vincentius, aliique quampluri-mi, ſed nihil ad hunc. Quis enim ardori fornacis crucis aliquod audeat ſupplicium comparare? De quo ſuperius nos multa meminimus poſuiſſe exempla. De holocauſto igitur noſtro crucifixo Jeſu incomparabiliter ardente inæſtimabilis nimis odor proceſſit: odoratuſque eſt Dominus Deus Pater odorem ſuavitatis, & benedixit nobis, avertitque iram indignationis ſuæ longe à nobis, pace integre reformata, & ſanguine rubicundi Jeſu tam noſtro, quam ipſius participe pacis æternæ obſide exſiſtente. Odoraverunt & alii plures ab oriente & occidente, ab

E aquilone & meridiano accurrentes, & ad hoc dulciſſimi odoris corpus floridum congregati: ut de eo ſe ſatient, illo tamen integro permanente impleverunt ipſius dulciſſimi Jeſu verbum dicentis: *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Sed jam non cruda caro iſta comeditur, optime percocta cum ſit duplici igne caritatis & paſſionis. Unde tam delectabili odore inebriati non ſolum viri natura fortiores, ſed & virgunculæ tenerrimæ currunt toto cordis affectu, omnibus viribus animi ad delicias crucis, hauſturi delicias cordis ſui, quantum in præſenti vita licet unguentorum defluentium largiter ab holocauſto noſtro tam validis ignibus ardente. Luc. 17. g.

F 147. Non parum enim delicatum ardentis corporis adauxit odorem ſpiritualium unguentorum odor, id eſt, gratuitorum collatio, quæ poſt paſſionem à Domino Jeſu Apoſtolis ſunt collata. Ante paſſionem enim Spiritus nondum erat datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus: humiliato autem & exaltato pio Jeſu, defluxit unguentum Spiritus ſancti *à capite*, id eſt à Chriſto, id eſt uncto, *in barbam*, id eſt, in eos qui viriliter egerunt & confortati ſunt, ut ſuperarent in Domino: & non ſolum *in barbam Aaron*, id eſt, non ſolum Chriſti Apoſtolis datum unguentum hoc, quod liquefactum fuit igne paſſionis Chriſti, ut daret odorem bonæ opinionis per omnem Johann. 7. Pſal. 132.

terram : sed *quod descendit in oram vestimenti*, id est, in A infima membra Ecclesiæ, quæ est tamquam Christi vestimentum. Quod ita impletum est & adhuc impletur, ut
10.g etiam in nationes Spiritus-sancti gratia diffundatur, & sentiant Christi odorem spiritualis unguenti de summo capite omnium defluentem, quo mundæ fiant adolescentulæ : ut attrahant & diligant unctum nostrum, & currant in odore unguentorum illius.

148. Nec mirum si vehementer delectentur duplici odore vitis nostræ : uno qui ex unguentis, altero qui ex floribus procedit. Odorantur enim & odoratum sequuntur Jesum, imitantes bestiam quamdam, quæ odore cocti panis & recentis ita delectatur, ut ubicumque illum senserit, illum sequatur etiam usque ad interitum. Ecce ipso B
6.c teste *panis vivus, qui de cælo descendit*, decoctus duplici igne caritatis & passionis, odorem suum longe lateque dispergit. Quis hunc non sequatur ? Sequitur irrationalis bestia odorem panis cocti & consumendi : non sequetur homo rationalis odorem panis bis cocti Angelorum ? Immo stultior est quàm bestia, qui illius odoriferi panis odorem non intelligit & honorem. Sed præterire non possumus, quod transituri mare panem bis coctum necessarium habent. Quicumque ergo se in hoc mari magno hujus sæculi esse cognoverit, quod quia spatiosum est, cito transire non potest; & propter reptilia quorum non est numerus, periculosum est, quia & ventis, & tempestatibus sævit; si securus vult esse, habeat hunc panem C coctum fortissimum Jesum in nave crucis suæ, quem comedat, quem adoret, quo reficiatur, quo consoletur, quo, ut breviter dicam, ab omnibus periculis eruatur. Si enim,
03.c ut ait psalmus, *illic naves pertransibunt*, id est, homines in crucibus suis Jesum sequentur, quæ navis potius pertransivit, quàm navis crucifixi Jesu ? Secundum vero Pauli
.d sententiam dicentis, *Quia Christo confixus sum cruci*, crucifigamur & nos cum Christo, crucem ejus, immo ipsum in cruce indeficienti cordis affectu amplexemur, in vivifico odore delectemur ardentis Jesu, qui de se dicit:
4.c *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis, cujus spiritus est super mel dulcis.* Ejus inquam odore delectemur, unguentis cha- D rismatum ejus foveamur, pane cælesti, id est corpore suo purissimo confortemur : ut Corpus ejus edentes, Sanguinemque pro salute nostra effusum in nostram salutem bibentes gustare possimus; & videre liceat per speciem in ænigmate, quia suavissimus est Dominus, ut etiam ipsius promissio perficiatur in nobis, quantum in præsenti vita fas est, qui dicit : *Qui edunt me, adhuc esurient : & qui bibunt me, adhuc sitient.*

## CAPUT XLIV.

*Quod flores inveniendi sunt in Vite nostra.*

149. Postremo videamus, quia flores & visum dele- E ctant & odoratum. Licet comedi non soleant, suguntur tamen ab apibus, & de liquore è floribus expresso dulcissima sibi mella conficiunt. Apes ejusmodi, ut puto, sunt illi, qui pennis contemplationis elevari sciunt & possunt, suaque ipsorum possunt alvearia, hoc est corporis curam relinquere, & ad hortum deliciarum transvolare, in quo omnium florum divitias & divites delicias inveniunt. Hortus enim iste paradisus est. Ita habes
4.d enim in Cantico amoris : *Emissiones tuæ*, ô virgo Maria fœcundissima, *paradisus*. Processit enim hic paradisus ab utero virginali, omni flore, omnique fructu refertus, sed fructibus interim dilatis. Flores istius paradisi videamus, legamus, vel potius sugamus. Convenit enim, ut F tales modo apes simus, quæ sciant sugere mel de petra. Idem enim est hortus & petra, id est Christus. Si ergo flores quærendi sunt, ubi potius quærentur, ubi promptius invenientur, quàm in dulcissimo Christo ? Manifesti sunt flores virtutum & vulnerum ejus. Stat ecce expansis manibus, nudo corpore, manibus simul & pedibus perforatis, capite inclinato. Confortare nunc & elevare anima mea misera & infirma, & alis fidei & spei ad hunc hortum caritatis enitere, & totum mentis intuitum per varia dispersum in unum collige, ac apum sedulitatem imitans ad conficiendum tibi mel devotionis, ad paradisum caritatis ascende, accedens ad cor altum : quia ecce quem quæris, exaltatus est, & humiliatus. Non enim elevatus est in crucem, ut se difficilem præberet accedere ad eum volentibus : sed magis ut omnibus posset paratior inveniri.

150. Accedens ergo cum fiducia ad hunc paradisum in extensione brachiorum cognosce, suscipe affectum paratum ad tuos, & te ad suos invitantis amplexus, & quodammodo miserabiliter misericorditerque clamantis : *Revertere, revertere, ut intueamur te.* Revertere à mala Cant. 6 d voluntate, à malis factis, ab obstinatione, à desperatione. Revertere, inquam, ad me, quæ à me aversa fuisti, ut intueamur te intuitu gratiæ, quo mulierem peccatricem, Petrum & Latronem respexi. Lege me librum vitæ scriptum intus & foris; & lectum intellige. Collige tibi flores meos sanguineos; ut paradisi illius possis januam introire, ante cujus fores Cherubim collocatus est cum gladio flammeo ac versatili. Valet enim scientia, quam ex me plenarie discere potes ad amovendum impedimentum Cherubin. Flores ergo sanguinis mei, gladii versatilis flammas horrendas ac tibi formidabiles extrahant. Intra ergo, ô anima, paradisum omnibus paradisis meliorem, nunc solo cogitationis quo potes affectu : ut postmodum anima & corpore & terrestrem, & cælestem paradisum valeas introire.

Vox Crucifixi hominem suaviter invitantis.

151. Nec breviter amplexandus est hic paradisus, sed volandum est per singulos istius paradisi flores, & singulorum florum folia sunt sugenda : nunc ad dexteram, nunc ad sinistram rivulos & guttas sanguinis spargentem propius & interius accedendum. Undelibet quærenda devotio & gratia lacrymosæ compunctionis : utrimque considerandum, quàm immites fixuræ clavorum, quàm amara venarum, ossiumque perfractio in manibus illius, qui cælum fabricavit & terram, qui operatus est salutem in medio terræ, & inter horum considerationem frequenter repetendum : *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, ad imitationem apis quæ inter volandum semper quemdam sonum habet, nec conticescit donec inter florem intraverit; ubi mellis optati dulcedinem colligit, & exsugit. O quàm felix eris, si postquam intra florentis paradisi nostri flores sanguineos, vulnera dico, fueris intromissus; ab hujus mundi strepitu & tentationum incursibus, per dimidiam saltem horam omnino valeas liberari, & soli ei, ad quem introisti, vacans, gustare, & intelligere possis, quàm bonus, quàm dulcis est Dominus. Sic lustrandi sunt & pedes non minus sanguinis habentes; non minus quàm manus, perfossi & ipsi & perfracti, sanguineis manantes guttis.

Quàm dulce morari in vulneribus Christi.

152. Tandem accedendum est ad cor humillimum altissimi Jesu per januam lateris lanceati. Ibi proculdubio thesaurus ineffabilis desiderabilis caritatis latet : ibi nova devotio invenitur, inde lacrymarum gratia extrahitur, discitur mansuetudo, patientia in adversis, compassio in afflictis. Præcipue cor contritum & humiliatum ibi invenitur. Ipse Jesus complexus tuos desiderat, talis ut complectatur, exspectat. Caput floridum multis spinarum aculeis confixum ad te inclinat, ut ad pacis osculum te invitet, tamquam dicat tibi : Ecce quomodo configuratus sum, quomodo confossus, quomodo mactatus, ut te possim ponere super humeros meos, quæ aberraveras ovis mea, & ad pascua reducere paradisi. Redde vicem, & super vulnera mea misericordia commovere, & pone me talem, qualem nunc vides, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : ut in omnibus cogitationibus cordis tui, in omnibus operibus brachii tui mihi taliter, ut vides, signato possis similis inveniri. Conformaveram te imagini divinitatis meæ cum te crearem : conformatus sum imagini humanitatis tuæ, ut te reformarem. Tu ergo qui non retinuisti formam divinitatis meæ tibi impressam in tua formatione, retine saltem formam humanitatis tuæ mihi impressam in tua recreatione : id est, si non retines qualem te creavi, retine saltem qualem te recreavi. Si non capis quantas virtutum divitias tibi dederim te creando : cape saltem, quantas in humanitate tua miserias propter te acceperim re-

Cant. 8. B

Quid à nobis requirat Christus pro hostimento Passionis suæ.

creando; & ad potiores, quàm ad quas te formaveram, A delicias reformando. Nam propterea homo visibilis factus sum, ut à te visus amarer, qui in deitate mea invisibilis non amabar. Da te ergo præmium incarnationi & passioni meæ, pro quo incarnatus simul & passus dedi me. O dulcissime atque amantissime Jesu, Pater luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, misericorditer respice humiliter tibi confitentes, & vere sentientes, quia sine te nihil possumus facere: & qui dedisti te pro nobis in pretium; da, licet tanto pretio minus simus digni, ut tuæ gratiæ tam integri reddamur, ut conformati imagini passionis tuæ, ad eam quoque quam peccando amisimus, tuæ divinitatis imaginem reformemur.

Ab apum opere petitum documentum.

153. Nec prætereundum est, quod apes de liquore florum collecto favum conficiunt, id est ceram in se mel continentem. Quid est hoc? Per ceram, tenacem memoriam accipe, quæ apta est ad recipiendum formam sigilli, & ad nutriendum ignem, si tamen in ea sit linum*: quæ cera mel in se continet dulcissimum, mundificativum, descensivum. Nos vero si vere spirituales apes sumus, de floribus nostri paradisi Nazareni, id est horti florentis floridissimi Christi, nobis memoriam componamus tenacem, quæ non qualibet tentatione dissolvatur, sed apta sit illa memoria recipere impressionem sigilli, id est crucifixi Jesu, ut illum semper in memoria habeamus, qui dicit, *Pone me sicut signaculum.* Signaculum C enim regium Crux est, quam si in cordis nostri memoria portaverimus, tanti regionem Regis, quæ finem non habet, secure poterimus transire. Habet hoc sigillum imaginem crucifixi Jesu in ipso sigillo crucis multis fossuris effossam & expressam, sicut in sigillis imago regum exprimitur fodiendo. Habet & superscriptionem titulum à Pilato conscriptum, *Jesus Nazarenus rex Judæorum.* Hujus superscriptionis significationem spiritualem consequetur, si quis hoc sigillum crucis gestare curaverit tenaci memoriæ impressum, habebit JESUM, id est salutem, quod primum est in superscriptione. Salus autem, quæ ab omnibus sanæ mentis appetitur, in tribus consistit, ut quæ in tribus dictionibus exprimitur. In hac D dictione, *Nazarenus*, quod interpretatur florens; voluptatem sive delectationem intellige, quia florum pulcritudo delectat. Unde in libro Sapientiæ luxuriosorum voluptas exprimitur his dictis: *Nullum pratum sit quod non pertranseat voluptas nostra. Coronemus nos rosis, antequam marcescant.* In hac dictione, *Rex*, divitiæ exprimuntur. Reges enim divites esse solent super omnes, quos regunt. In hac dictione, *Judæorum*, gloria accipitur; quia uno modo Judæus *glorians* interpretatur. Portitor ergo voluntarius sigilli regis nostri crucifixi Jesu fructum superscriptionis consequetur, ut sit salvus, scilicet ut voluptatem consequatur sempiternam, torrente voluptatis summi Regis potatus, æternas quoque divitias thesaurizet in op- E timo Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi; in ipso quoque glorietur sine termino, qui excelsus est super omnes gentes, & cujus gloria super cælos. Illuminat quoque domum cordis nostri, & fovet in eo ignem caritatis divinæ. Cera tenacis memoriæ per lignum intelligitur; ita tamen si sit in eo linum*, id est exercitium spiritualis laboris, quod per linum intelligitur, sumptum de lino, quod multis laboribus conteri solet, ut ad utilitatem aliquam perducatur.

* al. lignum.
Triplex mellis proprietas memoriæ passionis aptata.
Tituli crucis explicatio tropologica.
Sap. 2. 2
* al. lignum, sed mendose.

154. Si ergo in memoria nostra passionis Christi laborem habemus, potest accendi & ardere caritas*, ejus in nobis, qui illuminat tenebras ignorantiæ nostræ, & accendit frigus tarditatis nostræ, ut & nos parati simus pati F pro illo, & cum illo, qui prior pro nobis passus est. In tali cera memoriæ nostræ debet esse mel, id est, delectatio de recordatione Crucis, quæ est mel dulcissimum. Quid tam amarum, quod in recordatione vivificæ passionis non possit dulcescere? Certe legimus Hebræos cum exissent de Ægypto, venisse ad aquam amarissimam, quam nullus gustare poterat: cui cum Moyses lignum injecisset, dulcorata est, sic ut eam delectabiliter biberent. Quid apertius per aquam amaram, quàm cujuslibet adversitatis amaritudo signatur? cui cum lignum Crucis injicitur, id est cum passio dulcis Jesu consideratur, necesse est omnem passionem hominis levem videri respectu passionis dominicæ quam pro hominibus voluit sustinere Deus & homo, mediator Dei & hominum Dominus Jesus. Est & mel mundificativum, quia vere nihil est, quod ita ab omnium vitiorum impulsu & contagione cogitationem nostram purificet, & in puritate conservet, sicut jugis memoria Crucis & Passionis Domini Jesu.

* al. proprietas.
Prima.
Exod. 15. d
Secunda.

155. Est & mel descensivum, quia contra aliorum liquorum consuetudinem naturalem, quod in melle est purissimum, ad ima descendit, fæculentum vero ascendit. Quid per talem descensum, nisi virtus humilitatis designatur? Quæ profecto virtus in passionis dominicæ me- B moria acquiritur & conservatur: quia non potest quis non humiliari, cum recordatur pro se humiliatum Dominum majestatis. Indignum quippe esset hominem, lutum & cinerem, per sui elevationem illuc ascendere, ubi Angelus perfectissimus in omni scientia & decore, quia humilitate caruit, non potuit remanere. Colligamus ergo nobis in floribus vitis nostræ Domini Jesu talem memoriam, talem delectationem; ut stigmata Crucifixi nostri in memoria jugiter retinentes, ita in ipso, qui solus est dulcis, delectemur, ut omnes per ipsum præsentis vitæ amaritudines superemus, mundemur ab omni delicto, & in bonis operibus jugiter per humilitatis custodiam conservemur.

Tertia.

## CAPUT XLV.

*De odore florum vitis.*

156. Superest ut dulci Jesu adjuvante dicamus, quid sit quod per odorem florum vitis omnia venenata præcipue effugentur. Cujus rei ratio citius invenitur, si quid serpentes significant, agnoscatur. Quod autem de serpentibus dicitur, de aliis quoque venenosis reptilibus accipiatur. Quid autem melius per serpentes, quàm diabolicas suggestiones accipiamus? Ad similitudinem enim serpentum reptant occulte per mentes hominum, sed subito nisi agnoscantur, morsus mortales incautis affigunt: quod præfiguratum accipimus in filiis Israël in deserto à serpentibus miserabiliter interemptis. Hujus interemptionis causam ponit Apostolus dicens: *Neque tentemus Deum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.* Quid est autem tentare Deum? Non credere Domino. Incredulitatis namque vitio urgebantur, eoque à serpentibus occisi sunt. Quid est autem desertum, in quo occisi sunt, nisi hic mundus, in quo vagamur, per baptismum tamquam rubrum transeuntes mare, liberati per nostrum legislatorem Dominum Jesum à servitute Ægyptiaca, qua ante baptismi gratiam premebamur?

Flores v[itis] odore su[o fu]gant ven[ena]ta anima[lia].
1. Cor. 1[0]

157. Si autem diligentius consideremus, cuncta pæne vitia ex incredulitatis vitio inveniemus oriri. Quis enim vanam mundi gloriam quæreret, si perfecte crederet aliam esse futuram in cælis immarcessibilem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ humilibus conservantur? Putasne huic gloriæ mundanæ tam incertæ, quàm transitoriæ animum inclinaret? Nequaquam. Sed quod tales asserunt se Deo credere, provenit ex quadam consuetudine, quia totum pæne mundum tali vident & audiunt fide teneri. Quod si infidelium numerus excresceret, & nomen Christi non possent sine pœna, vel sine timore confiteri; citius audires eos quod corde gerunt, lingua propalare; & verbis etiam abjurare eum, quem factis denegare non timent. Simile est de avaris, qui cælestes non curant divitias; & de invidis qui caritatis laudem & præmium non attendunt; & de iracundis, qui in patientia animas suas non possident; & de acediosis, qui pro æterno commodo labores subire refugiunt temporales; & de luxuriosis, qui cælestibus voluptatibus mentis oculum non intendunt, & de gulosis, qui panem illum delicatissimum Angelorum suis epulis terrenis postponunt: quia si ea quæ futura promittuntur, vere crederent, nequaquam terrenis tam ardenter inhiarent. Propter ergo incredulitatem suam dantur, non solum vulnerandi per tentationes, sed etiam

Ex defe[ctu] fidei om[nia] fere vit[ia] nascunt[ur].

occidendi per veneni sui infusionem serpentibus ignitis, A id est, dæmonibus illius maximi & tortuosi serpentis primi perversoris ministris, qui illos secum pervertunt, & incendiis æternis addicunt, quos in hac vita incendio suarum pravarum suggestionum corrumpunt.

158. Sed remedium attendamus, per quod vitium incredulitatis correctum est. Dixit Dominus ad Moysen: *Fac serpentem æneum: & pone in ligno erecto, quem qui intuiti fuerint, à serpentium morsibus sanabuntur.* cujus serpentis mysterium ipse Dominus Jesus curavit exponere, dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in illum, non pereat.* Videsne, quorsum feramur? Prorsus ad exaltatum in cruce benignum Jesum, qui optime serpenti B æneo & exaltato comparatur. Serpens enim dicitur mortifer, quia per suggestionem serpentis mors intravit in orbem. Æneus vero, quia caritatis simul & passionis ignibus conflatus, passionis sanguine rubricatus, ad modum æris in resurrectione induratus est, quia ultra non moritur. Exaltatio autem serpentis exaltationem crucifixi Jesu figurat. Hic est serpens, quem increduli à malignis spiritibus vulnerati, ad crudelitatem conversi, si volunt salvari, respicere commonentur. Est enim serpens iste de virga Moysi transformatus. Per virgam, quæ est insigne regium, Deum intellige: per serpentem vero, cujus suggestione primi parentes mortui sunt, hominem mortalem accipe. Mutata est virga in serpentem, quan- C do *Verbum caro factum est*, assumens quod non erat, id est humanitatem, manens quod erat, id est Deus. Sicut ergo factus serpens Magorum Ægyptiorum serpentes devoravit: sic Deus factus homo inimicorum suggerentium peccata, & fraudes evacuavit, maxime tamen cum esset exaltatus in cruce, cum sanguinis sui flores ostenderet, & florum, scilicet virtutum suarum odorem per totum mundum effunderet, & corda quibuscumque vitiis vulnerata sanaret.

159. Respiciamus igitur & nos in faciem serpentis ænei elevati, Christi: si volumus à pravorum dæmonum suggestionibus serpentinis liberari. Respicere autem, fide in ipsum tendere est: quod non infirma, sed forti & perfe- D cta fide completur. Sunt autem qui quidem ore confitentur, quoniam Christiani sunt, factis autem negant: quos non puto fide tendere in crucifixum pium Jesum. Ut autem hoc per similitudinem aliquo modo ostendamus: similis est enim fides vino, quod tantum colorem habet vini, sed à sapore veri vini & viribus est alienum: cujusmodi vinum non credo fideliter Deo acceptum, sed quale in Cantico canticorum laudatur, ubi ipse sponsus ad sponsam ait: *Guttur tuum, sicut vinum optimum.* Et illa statim respondet: *Dignum dilecto meo ad potandum, & dentibus ejus ad ruminandum.* Et post pauca: *Dabo*, inquit, *tibi vinum conditum & mixtum malorum granatorum meorum.* Ecce quale vinum erit placens dilecto, E & quod in amorem nostri illum accendat. Est namque vinum optimum fides perfecta, cordis sententia, & oris confessione pariter concordante. Et quod subditur, *dabo tibi vinum conditum*, fides bonis virtutum operibus condita & exercitata intelligitur. Tali fide tenditur & intenditur in pium Deum, non fide ficta, operibusque carente, sine quibus fides mortua est. Demus ergo dilecto nostro pio Deo vinum optimum fidei perfectæ, & vinum diversis aromatibus virtutum saporosum: & sic intueamur in faciem ejus, pro nobis ad similitudinem serpentis ænei in cruce suspensi. Et quoties alicujus serpentinæ tentationis morsu nos cognoverimus vulneratos, ad crucem curramus, & ad thronum crucis quandoque ignomi- F niæ, nunc summæ gloriæ accedamus; & fide, & spe, & caritate in liberatorem piissimum intendentes, per mortem nostri serpentis, qui mortem antiqui serpentis occidit, à serpentum morsibus petemus ac poterimus liberari.

## CAPUT XLVI.

*De fructu Vitis nostræ, seu Christi, pro nobis passi & crucifixi.*

160. QUia docente & ducente, ut spero, nos pariter pio Jesu, duce optimo & doctore, prolixiorem multo quàm speravimus, sermonem habuimus de floribus vitis nostræ; nunc eodem nos adjuvante, qui usque in finem diligit & dirigit suos, in cujus manu sumus & nos, & sermones nostri; ad fructum ejusdem vitis animum acclinemus, florum dispendium fructuum compendio redempturi. Confortata est enim scientia fructus vitis nostræ hujus, & non potest ad eam nostri ingenioli tarditas elevari. Ut ergo omnes abscindamus ambages, si fructus perquiramus, præcipue redemptio est plantata in terra benedicta, in Virgine virginum Maria. Illa vitis vera, dulcis Jesus, apparuit in nativitate, præcisa in circumcisione, circumfossa in insidiis, perfossa clavis, ligata vinculis multiplicibus, fronduit in virtutibus, fructificavit in passione; & redemit hominem, quem alio modo redimi non conveniebat. Sed dicis: Quomodo dicitur in passione fructificasse, qui paulo ante dictus est in nativitate * floruisse? Numquid idem sunt flores & fructus? An ita subito sine intervallo temporis fructus suum florem secutus est? Non enim id videmus fieri in rerum naturis. Præcedunt enim flores, & intercedit multi temporis intervallum, ut fructus ad maturitatem perducatur: quod nos verum quidem esse fatemur. Verum ea quæ habemus præ manibus, non tantum humana, sed & divina sunt. unde non sequuntur rerum naturas in omnibus, sed naturæ magis suum sequuntur auctorem.

* forte passione.

161. Quod videlicet apertius intelliges, si diligentius volueris intueri in omni arborum genere, in ortu fructus florem decidere & perire: in hominibus quoque & fere cunctis animantibus fructus foliorum florem virginitatis abscindit. Non sic erat in nativitate vitis nostræ. Beatissima enim Mater illius fructum quidem protulit benedictum non amisso virginitatis flore, immo magis per partum mirabilem & mundissimum est decorata; ubi lex, ubi jura naturæ abscissa sunt. Non est igitur magnum, si sine temporis intervallo flores vitis nostræ non pereuntes fructus saluberrimus consecutus est. Protulit eum Mater pulcherrima flore virginali non perdito, protulit & ipse fructum redemptionis nostræ floribus virtutum non marcescentibus. Nec tamen caret ratione maturitas fructus accelerata. Patet enim, quia secundum augmentum & diminutionem caloris, maturitas fructus vel accelerat, vel tardat. Vide ergo magnitudinem caloris, immo fervoris in patiente pio Jesu, & non miraberis fructus sui accelerationem. Ardebat incomparabiliter caritatis intrinsecus, & passionis extrinsecus igne: ut fructum nostræ redemptionis sine mora produceret. Productus est ergo botrus ille optabilis cunctis Patriarchis & Prophetis aliisque justis, scilicet redemptio nostra: quem fructum Ecclesia non solum ex his qui sunt sub tempore gratiæ, sed à mundi principio juste congregata, dulcem sibi fore gratulatur, dicens de sponso in Cantico amoris: *Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Cant. 2. a

162. Quid mirum, si redemptio justorum à diabolica tyrannide, à tenebris & umbra mortis, à carcere infernali, quo inclusi tenebantur, reductio in paradisum, Angelorum custodiæ deputatur? Quid mirum, præsentiam Christi fuisse delectabilem atque votivam, tanto tempore exspectati ac desiderati? In afflictis enim rebus constitutis tanto solet esse gratior liberatoris adventus, quanto fuerit diuturnior afflictio. Quanto enim tempore primus Abel justus, primus martyr, qui sua passione primus liberatorem præfiguravit, exspectaverat? Quamdiu ipse Adam & Eva parentes nostri, adhuc etiam in inferno paradisi gaudia ad memoriam invicem revocantes, istam redemptionem sitiverant cum aliis sanctis & justis, qui se liberandos sperabant? Quanto putas eos exultasse tripudio, cum ille Crucifixus adveniret, Angelis præcedentibus & clamantibus: *Tollite portas principes vestras, & eleva-* Psal. 23. c

*mini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ?* Quanta putas eos alacritate concinuisse, & consonis jubilis in communem lætitiam prosiluisse ac dixisse: *Advenisti desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, ut educeres vinctos de claustris. Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta. Tu factus es spes desiderantibus, magna consolatio in æternum.* O quàm dulcis fructus redemptionis his, qui in tanta & tam amara servitute fuerant constituti. Hic est fructus, de quo sponsus loquitur in Cantico amoris: *Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Quid est in palmam? in crucem ejus, cujus una pars de arbore palmæ dicitur facta fuisse.

*Ecclesia in offic. Paschali.*

*Cant 7. c*

163. De quatuor enim generibus arborum facta fuisse refertur: de cypresso, de cedro, de oliva, de palmis. Cypressus in profundo, cedrus in longo, oliva in alto, palma in lato. Unde dicit Apostolus: *Ut possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum.* Profundum vero in cruce vocatur illud lignum, quod infixum erat terræ, in quo stabat lignum erectum & cui dorsum crucifixi Domini applicandum fuerat, quod est crucis longitudo. Lignum vero ex transverso illi appositum, cui manus erant affixæ, latitudo crucis nominatur. Illud autem, quod à Pilato fuit appositum, in quo titulus triumphalis fuit scriptus, altitudo nuncupatur. Habent autem horum lignorum singula suas mysticas significationes secundum naturas suas. Cypressus enim timorem sive humilitatem significat, ubi est radix crucis, per quam non solùm situs humilis, sed natura ejus exprimitur: quia, ut dicitur, fugat odore serpentes, id est diabolos, quorum proprius character superbia ab humilitatis virtute fugatur. Cedrus arbor longitudine præstans aliis arboribus, longitudinem crucis, id est perseverantiam significat, sive patientiam. Naturali enim sua virtute approbatur, quia est valde durabilis & corrumpi ex natura non potest. Oliva vero arbor oleum effundens, per quam misericordiæ opera significantur, caritatem significat, quæ arbor bene latitudinem habet crucis: quia lata est caritas, quæ etiam ad inimicos extendi præcipitur. Palma porro arbor victoriam significans, altitudinem crucis optime significat spem de supernis habendam, non ad infima deprimendam. Hæc arbor habet in se titulum triumphalem scriptum, in quo invenitur fructus crucis. Prima enim dictio est JESUS, per quam intelligitur salvatio, quæ idem est quod redemptio. Ecce fructus crucis. Propterea enim Christus crucifixus est, ut redimeret hominem. Quod autem ait, *Ascendam in palmam*, à parte crucis totam crucem significavit. Et bene per palmam, in qua titulus signum redemptionis, quæ fructus crucis est, invenitur.

*Crux ex quatuor arborum generibus facta.*

*Ephes. 3. a*

*Ligni crucis explicationes mysticæ.*

164. Sed dicet aliquis: Dicturus eras de fructu vitis, & dicis de fructu palmæ. Quæ concordia est vitis & palmæ? Ad quod ego: Palma Crucem, vitis vero significat Crucifixum. Dic igitur, Numquid diversus est fructus crucis, & crucifixi? Non puto. Ergo & idem est fructus & palmæ, & vitis. Ascendit vitis in palmam, apprehendit fructus palmæ, non quos palma habuit ex se, sed ex vite in palmam extenta. Quare ergo dicit ipsa vitis, *Apprehendam fructus ejus*, & non potius dicit meos: cum palma fructum habuerit à vite, non vitis à palma? Christus non habuit hunc fructum sine palma, immo & per palmam, id est per crucem: quia si Christus crucifixus non esset, non fuisset secuta redemptio. Apprehendit ergo Christus fructum crucis, illum profecto, quem ipse per crucem fuerat operatus.

*Varii fructus Crucis.*

165. Sed habet hic botrus grana multa, scilicet impletionem Scripturæ, victoriam de diabolo, resurrectionis gloriam, ascensionis mirabilem elevationem, donorum Spiritus-sancti missionem. De impletione scripturæ ipse Dominus testimonium perhibet, dicens Petro: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ? quia sic oportet fieri.* Et in alio loco: *Nonne oportuit adimpleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & prophetis, & psalmis de me?* Victoria de diabolo, etsi alio modo potuit, tamen alio modo impleri non debuit. Multum enim desipit, qui sapientiam Dei & Domini aliud aliquid putat, nisi id quod præstantissimum fuit, ordinasse. Necessarium fuit eum per hominem vinci & per lignum, qui hominem vicerat per lignum: *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Quare autem per hominem qui erat Deus, & non per simplicem hominem, satis manifestum est: quia omnes homines peccato erant obnoxii, & non poterat quisquam aliorum solvere vincula, qui seipsum solvere non valebat. Christus enim fortis, qui originali peccato nihil debebat, eo quod singulari privilegio nascendi sine omni carnali concupiscentia conceptus erat, qui solus est inter mortuos liber, solus à morte poterat mortuos liberare, sicut ait Apostolus: *Non habebat necesse pro se offerre sacrificium*, quemadmodum alii sacerdotes, tam pro sua, quàm pro populi ignorantia.

*Johan 18. b*

*Luc. 24 f*

*Ex Præf. Missæ de Cruce.*

*Cur Redemptor Deus homo.*

166. Si autem quæritur, quare Deus potius per se, quàm per aliquam aliam creaturam hominem voluerit liberare: possumus hoc quidem caritati ejus imputare, quam ut nobis commendaret, non solum incarnatus, sed & mortuus est pro nobis. Tradidit nihilominus per hoc formam caritatis, ut parati simus, cum necessitas exegerit, pro fratribus nostris animas nostras ponere, cum Regem nostrum pro nobis animam posuisse videmus. Est & adhuc alia rationabilis causa, quare per Dominum redempti sumus: scilicet quia nequaquam decuit nos per alium reformari, quàm per eum, per quem formati eramus. Plus enim excitat nos ad caritatem formatio, sicut sæpius supra dictum est, quam formatio. Si ergo per alium quam per ipsum per quem sumus formati, formati essemus: plus reformatori nostro, quàm formatori deberemus; & sic plus diligeremus creaturam, quàm creatorem, quod esset inconveniens. Ut ergo incitaret nos ad diligendum ipsum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus nostris; impendit nobis quidquid debuit creando & recreando nos optimus Deus, cujus beneficiis non communicat alienus.

*Cur Deus se non alium n demisit.*

167. Fructum igitur redemptionis nostræ toto desiderio complectamur, & sæpius, immo sine intermissione ad memoriam revocantes latentem in ipso dulcedinem, lingua intellectus nostri degustemus, & in vase memoriæ nostræ recondamus sanguinem hujus uvæ meracissimum, sanguinem, inquam, rubicundi Jesu: quia factus est nobis redemptio, quia per ipsum salvati & liberati sumus. His floribus, hoc fructu, quo redempta est à tyrannide demoniaca, jugiter reficienda est fidelis anima, ne in hoc tædioso deserto deficiat, in quo sine requie, sine intermissione laborat, suspirans ad illam terram lacte & melle manantem, & cum sponsa proclamans: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Non ignorat ipsa, quis & qualis fuerit fructus vitis ligni vitæ Jesu-Christi. Nonnumquam enim lectum conscientiæ suæ floribus virtutum & passionis Sponsi sui resperserat, quæ eidem in eodem Cantico amoris proclamat: *Lectulus noster floridus*; non de alienis, sed de tuis floribus, dulcis Jesu. Veni ergo & agnosce tuos flores: requiesce in lectulo tuis floribus adornato. His ergo floribus petit à sociis sponsi, ab annuntiatoribus verbi Dei se sponsa fulciri; sciens profecto quid virtutis habeant, qualem effectum operentur in ipsa tales flores per ministrum verbi ad memoriam revocati; quantum ipsam in tentationibus & periculis præsentis vitæ confortent, quantum ad supernæ patriæ desiderium accendant. Nec dubito quin eadem sponsa in hortum sanctarum Scripturarum sui sponsi quandoque fuerit introducta, ubi proculdubio lignum vitæ vitem veram invenit, cujus alacriter fructum apprehendit, volvens in mente sua & revolvens & intuens diligenter ac perspicaciter, qualem ex ardore dilecti sui, immo ex ipso dilecto fuerit fructum consecuta: sensitque infallibiliter, quantum amoris ei debeat, quantum ad omnia pericula sustinenda merito debeat confortari gustato spiritu fructuosissimo, quem ex arbore tam dilecta suscepit. Optat ergo sibi sæpius ad memoriam revocari hos flores & hunc fructum: quia & illis fulciri, ne cadat; & his stipari, ne aliquo modo moveatur, exorat: sciens nimirum quid virium habeant & illorum odor, & hujus sapor.

*Cant. 2.*

*Utilitas meditationis Passionis Dominicæ.*

168. Quod autem addit, *Quia amore langueo*, quid est, nisi

nisi quod sponsa desiderio supernæ patriæ accensa dilationem diuturnam non patitur? Unde in eodem: *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Quis est amor iste tam validus, & languorem inducens? Numquid non est amor, de quo scriptum est: *Fortis est ut mors dilectio?* Qualis est ista fortitudo, quæ infirmitatem inducit? Respondeant illi qui in libro experientiæ hujus quæstionis solutionem perlegerunt. Experientiæ dixi. Et quare non sapientiæ, quæ à sapore dicta est? Qui ergo in libro sapientiæ legerunt, id est, qui saporem internum experti sunt, dicant & doceant nos, quis sit iste amor, qui cum sit fortis ut mors, facit amantes languere usque ad mortem; quia in morte hujus corporis, & non ante sanantur. Possent quidem medio tempore, dum in vita hac mortali B sive in hac morte vitali degunt, dilecti ac desiderabilis floribus & fructibus consolari, at non satiari; donec veniat dies, quem cum Propheta desiderant dicentes: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et in alio loco: *Adimplebis me jucunditate cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.* De qua dextera alias legitur: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Et vide quàm bene ista auctoritas cum superioribus concordat: ut *læva* dilecti appelletur recordatio illius caritatis, qua nulla major est, quàm ea qua posuit animam suam pro amicis suis. In *dextera* vero beata Dei visio, quam promisit amicis suis, & gaudium de præsentia divinæ majestatis. Merito illa Dei & deifica visio, illa di- C vinæ præsentiæ inæstimabilis dilectio in dextera deputatur, de qua delectabiliter canitur: *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Merito in læva memorialis illa & semper memoranda dilectio collocatur: ut donec transeat iniquitas, super eam sponsa requiescat & recumbat. Merito ergo læva sponsi sub capite sponsæ, super quam videlicet caput suum inclinata sustentet, id est, mentis suæ intentione incurvetur, ne inclinetur ad carnalia & sæcularia desideria: quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Idem ergo per flores & fructum nostræ vitis, & per lævam ipsius sponsi figuratur: languoris autem sanatio per dexteram ejus. D

169. Per hos ergo flores & fructum vitis nostræ petunt se fulciri, nec aliena dilectione gloriantur se sustentari, qui spem & fiduciam suam non in rebus caducis posuerunt: sed illa tantum anima, quæ modo pro amore & desiderio dilecti corporalibus & mundanis curis languet, immo & moritur, cui & dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* De deserto quippe hujus mundi ascendit, quæ cor suum cum corde dilecti in ea caritate connexuit, quærens ea quæ sursum sunt, non quæ super terram. Unde deliciis virtutum affluit, tamquam unguento delibuta diversorum aromatum, quæ de dilecti paradiso collegit, sequens eum qui pro ea passus suum ipsi reliquit exemplum. Unde E & bene dicitur: *Innixa super dilectum suum*, non super hominem: quia *maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*, nec super aliquas res terrenas, quæ omnia reputavit quasi stercora, ut Christum lucrifaceret. Talis ergo anima, quæ nunc floribus & fructu vitis veræ sponsi sui fulcitur, quæ modo præ amore illius languet usque ad mortem, dicens cum Job, *Desperavi, nequaquam jam ultra vivam*; talis, inquam, post hæc sponsi dulcissima dextera ineffabiliter amplexari, & fructu æternæ jucunditatis satiari merebitur, languore non solum sanato, sed & aucto. Sanabitur enim languor intolerabilis desiderii in perfruitione jucundissima dilecti desiderati, non tamen auferetur, immo augebitur idem de- F siderium: sed tunc non erit languor, sed depulsio fastidii, cum desiderans plenissime satiabitur desiderato, & satiatus discet in satietate desiderare mutua & interminabili & inexplicabili generatione, desiderio generante satietatem, & satietate desiderium pariente. Sed jam revertamur ad uvam.

170. Est tertium granum in botro redemptionis nostræ Dominica resurrectio, quæ quantum habuit habeatque dulcedinis, quis explicet? Ponat aliquis tamen, si quis potest, in corde suo magnitudinem ineffabilem illius beatissimæ & tristissimæ passionis: videat quanto desperationis mærore illa dilectorum passi Jesu corda percussa fuerunt: videat illarum fidelium mulierum lamentationes, quæ dulcissimum Jesum ad passionis locum euntem, cum sibi crucem bajularet, & cum dulcissimam animam exspiraret, non deseruerunt. Videat præcipue illam tunc spectantem mulierculam, nunc vero mundi dominam Matrem Domini, quàm acutus doloris gladius animam ejus pertransierit. Videat totius mundi machinam fabricatori suo compatientem, tetra caligine involutam. Videat, inquam, hæc, & tantæ turbationi serenitatem tertiæ diei, & insperatam lætitiam lætissimæ resurrectionis annectat, recogitetque propensius, cum quanta exultatione susceperint Dominum à mortuis resurgentem, quem cum ingenti tristitia viderant morientem. Vide, cum quanta jucunditate recompensaverit in resurrectione Discipulis suis tristitiam illam, & sanctissimam extremæ comestionis suæ cœnam, in qua dixit: *Non bibam amodo de generatione vitis, donec bibam illam vobiscum novam.* Ecce jam nunc resurrexit in gloria vitis vera: comeditque & bibit cum eisdem Discipulis cum gaudio maximo proculdubio, seque dubitantibus aliquibus videndum pariter & tangendum exhibuit. Matt. 26. c

171. Nec putet quisquam, quod resurrexerit ad gaudium solis Discipulis: immo & resurrexit nobis & toti mundo, beatificans omnes, qui quamvis non videant, credunt tamen ipsum passum fuisse propter delicta nostra, & resurrexisse propter justificationem nostram: quibus docemur, quoniam si socii fuerimus passionis, erimus & resurrectionis: & ut non dubitemus mortalia corpora nostra resurrectionis gloria sublimanda, cum caput nostrum morte turpissima condemnatum resurrexisse credamus. nam *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Primitiæ enim dormientium Christus: deinde hi qui sunt Christi, in adventu ejus, qui ad exemplum Christi resurgentis, ad gloriam ultra non morituri resurgent. Rom 4. d 1. Cor. 15. c

172. Est & ascensio granum in botro redemptionis per passionem factæ, dulce quidem granum plurimum in se continens dulcedinis, faciens gaudium cælis & terris. Quis enim dubitet gaudium magnum factum Discipulis; cum eum ut hominem viderent cælestia penetrantem? Stabant animis simul & cordibus in cælum erectis, animi sui gaudium non capientes: sed in voce jubilationis eunti Domino gratulantes. Exultavit proculdubio & cælum: omnes videlicet Angelorum chori purpurato suo Domino nostræ carnis trabea occurrentes, & summa cum laude summum suscipientes victorem. Quod si in unius justi sive Martyris animæ adventu omnis Angelorum exultat chorus: quantum putas in singularis sui Imperatoris adventu omnium ordinum spiritus exultasse? Humano igitur intellectu ad hujus laudis & gaudii magnitudinem succumbente, gaudeamus & nos, dulcedinem hujus grani recolendam admirando, diligendo sugamus, exultantes in Spiritu-sancto pro eo quod carnis nostræ portio in dulcissimo Domino in summo Trinitatis throno excellentissime sit collocata, intendentes animos nostros, quantum possumus, post ipsum & in ipsum, ipsi in humilitatis spiritu supplicantes, quatenus nos post se trahere dignetur, ut in odore unguentorum ipsius currentes, in illa cellaria, in illam supremam apothecam aromatum, in illa interiora sancta sanctorum mereamur introduci, quo ipse Christus caput nostrum præcessit. Ascensio Christi quàm gaudiosa cælo & terræ.

173. Quintum botri nostri granum missio Spiritus-sancti est. Quis vinum jucundissimum hujus grani valeat explicare? Vinum, inquam, &, si magis placet, mustum. Mox enim accepto ab Apostolis & aliis qui cum eis erant exspectantibus, Spiritu-sancto inebriati sunt, eructaverunt verbum bonum, loquebantur variis linguis magnalia Dei. Antè timore absconditi, nunc cucurrerunt foras: non jam timuerunt aquam populi frementis, caritatis igne succensi. Tunc pro certo experientes verum esse, quod scriptum est: *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem, & flumina non obruerunt illam.* Irruerunt enim in eos flumina potestatum, fluxerunt aquæ populosæ multitudinis: flaverunt venti ac procellæ comminationum, Missio Spiritus-sancti Discipulos inebrians. Cant 8. b

*Act. 5. g* verborum ; & ignis caritatis non est exstinctus ; immo ; A etiam auctus est. *Ibant* enim *Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati.* Est autem auctus ignis caritatis, pluribus per eorum prædicationem accensis, & eadem, qua ipsi ardebant, jucunditate succensis. *Act. 2. b* Sed quid aiebant Judæi omnium bonorum increduli ? *Musto*, inquiunt, *pleni sunt.* Mentientes & ignorantes verum dixerunt. Musto quippe illo nobilissimo caritatis Dei, immo caritate Deo repleti erant, inflammante ad amorem, & confortante ipsos contra timorem. Unde sicut mustum non patitur se contineri à vase, nisi foramen habeat, unde prorumpat : sic ab istorum corde per ora eorum se mustum Spiritus-sancti manifestavit, loquentia magnalia Dei B cum mirabili eloquentia. Non enim impedit, sed expedit linguam haustus musti hujus : ut illud poëticum verum inveniatur :

*Horat. l. 1. Epist. 5. ad Torquat.* *Fœcundi calices quem non fecere disertum?*

Fœcundus vero calix Domini & præclarus inebriaverat eos : quia, sicut ait Apostolus, *Caritas Dei diffusa erat in cordibus eorum.* *Rom. 5. a* Sed videntur verbis nostris verba Petri contraria, qui haustu novi musti audax factus, jam non solum non timuit verba mulieris cujusquam, ut ante : sed nec verba principum. Hic ergo objiciens se in medium dixit, Discipulos ebrios non à vino. Sed audiamus verba ipsius optime distincta. *Act. 2. c* *Non enim*, inquit, *sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt.* Non enim musto terreno ebrii C sunt, sicut vos putatis, sed cælesti spiritu. Hauriamus igitur & nos, carissimi, de vino jucundissimo grani hujus. Quod si vel in quo hauriamus, scilicet vas intellectus, non habêmus ; curramus cum plena fiducia ad singularem nostrum ac providum conditorem, cujus figmentum sumus, oremusque ut vas formet in anima nostra hujus dulcissimi musti capax: ut nostro consolatore Spiritu gratiæ septiformis accepto, multiformes tentatoris adversarii nostri laqueos evadamus, & pedes affectuum nostrorum in compedes sapientiæ injiciamus, ut cum ipsa sapientia colligati vinculis caritatis indesinenter & indefesse curramus post illam, donec ad saporis ipsius plenitudinem attingamus, ubi jam non per speculum & in ænigmate, sed facie D ad faciem Regem nostrum in decore videamus, & sicut sumus cogniti, cognoscamus.

*Fructus vitis Christi quomodo comeditur & bibitur.* 174. Hic enim advertendum puto, quod vitis nostræ fructus & comeditur, & bibitur. Masticatur enim uva, bibitur vero vinum quod in uva continetur, & in utroque usu jucunditas est: sed in vino & jucunditas & utilitas prolixior est, quod ad botri hujus, de quo locuti sumus, fruitionem mihi pertinere videtur. In præsenti enim vita hunc botrum masticamus, cum suavitatem, jucunditatem, & utilitatem nostræ redemptionis dentibus intellectus nostri discutimus ; cum resurrectionis potentiam, ascensionis gloriam, & adventus Spiritus-sancti utilitatem in cordis nostri consideratione versamus tamquam uvas E in ore, fitque de his nonnumquam aliqua lætitia cordi nostro. Erit autem plena, postquam cessaverit tempus, id est mutabilitas temporum, quando hæc jam non comedemus, sed bibemus, inæstimabilem de his perpetuam lætitiam consecuti. In comedendo enim aliquis labor est: quod vero bibitur, sine labore recipitur. Unde per comestionem delectatio quæcumque, vel qualiscumque, vel quantacumque sine corpore non percipitur; sed semper aggravat animam. Per potum vero sine labore acceptum illius loci & temporis gaudia significantur, ubi & quando jam non erit luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam hæc omnia transierunt. Et ipse ab æterno stabilis, qui pro nobis, ne velut umbra transiremus, F transiens factus fuit, ministrabit nobis. Ibi etiam tunc jam non cum labore & timore & impedimento corporis mortis hujus comedemus : sed cum magna jucunditate bibemus vinum redemptionis nostræ, & secundum naturam nobile vinum quanto plus biberimus, licet saturemur, tanto plus sitiemus, admirantes & laudantes sine termino & sine intermissione bonitatem admirabilem Redemptoris nostri, quam in fructum redemptionis nostræ circa nos voluit exhibere.

175. Et vide, si non ista differentia cibi & potus nobis in verbis sponsi in Cantico amoris commendatur, cum ait : *Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.* *Cant.* Præmonet enim comedere, quod utique ad præsentem vitam pertinet, in qua, sicut diximus, contemplatio labori actionis admixta est. In futura vero vita, quæ omni actione caret, gaudio tamquam poculo perfruemur. *Præsentis laboris ... ra gau...* Bibemus enim & inebriabimur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potabimur, jam nos tunc esse Regis & Sponsi nostri carissimos liquido cognoscentes, cum aqua omnis laboris & actionis terrenæ in vinum divinæ contemplationis commutabitur, implebunturque omnes hydriæ usque ad summum. Omnes enim implebuntur in bonis domus Domini : cum illæ desiderabiles nuptiæ Sponsi, id est Christi, & Sponsæ, id est universalis Ecclesiæ, celebrabuntur. Bibeturque in summa lætitia cordis omnium clamantium Domino, & dicentium : *Tu bonum vinum servasti usque adhuc.* *Iohan.* Nos autem dicimus hanc lætitiam per cibum significari, cum scriptum sit : *ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* *Luc. 2...* licet expositio præcedentis auctoritatis etiam in hac possit locum obtinere. Si vero asserat aliquis indignum fore, ut tanta Vitis tantum laborata & laborans, unum tantum botrum produxerit; potest, si vult, ea quæ nos grana appellamus, botros appellare, & singulis aliquam granorum multitudinem adjungere.

*Botri q... in Ecc.* 176. Verumtamen non irrationabiliter in præsenti botros Vitis innumeros inveniemus, si omnes ecclesias, omnia monasteria, omnes congregationes, quæ in universa Ecclesia sunt, volumus intueri. Hos enim botros quis produxit, nisi Vitis nostra ? Nam & Christus, & Ecclesia vitis una sunt, sicut unum corpus; singulæ congregationes, singuli botri ; grana vero singularitatem exprimunt personarum, & non inconvenienter, ut mihi videtur. Nam per exteriorem folliculum grani sive vuæ corpus exprimitur, per nucleos ossa, per liquorem anima figuratur, vel sanguis, qui est sedes animæ. In morte hominis anima à corpore, tamquam vinum de acino, exprimitur: & si dignum fuerit, in regale defertur cellarium paradisi cælestis, ut gaudium fiat Regi cælesti, & convivis suis beatis, qui ad nuptias Agni vocati sunt & perveniunt. Bibit enim & ipse Sponsus vinum proprium de vite sua & vinea sua, Ecclesia scilicet, cujus & ipse caput est. *Potus s... quis.* Bibit & ipse sanguinem vuarum meracissimum, scilicet animas Sanctorum expressas, & separatas ab acinis in torculari crucis, in labore & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis multis, & aliis exercitiis spiritualibus. Bibet has, id est, sibi delectabiliter incorporabit, faciens ut unus spiritus secum effecti, cum ipso & in ipso à cunctis de cetero laboribus requiescant. *Sola cru... ad cælu...* Timeant & caveant sibi illa putrida grana, fratres falsos, perversos Christianos dico, qui in se vinum non continent, sed venenum ; qui in torculari crucis premi nolunt, & in labore hominum non sunt. Caveant, inquam, dum tempus est, ne porcis, id est diabolis, devorandi projiciantur, quia in cellaria regia non nisi per torcular crucis iter est.

177. Restabat nobis dicere de secundis floribus vitis nostræ, & de fructibus illorum, secundum quod scriptum est: *Et refloruit caro mea.* *Psal. 27* quod de resurrectione dici nullus est qui ambigat; cujus fructus erit gloria resurrectionis secundæ : sed nos magis legentem volentes sitientem relinquere, quàm fastidientem, hic huic sermoni terminum imponimus, parati emendare, demere, & mutare, sicubi contra fidem, & contra sacras Scripturas aliquid diximus, in omnibus gratias humiliter agentes ei, qui gratuita gratia sua nos edocuit, qui aperit os mutorum, & linguas infantium disertas facit, nomini cujus novum principium opusculi hujus finemque consecramus optimo & dulcissimo Jesu. Amen.

# MEDITATIO IN PASSIONEM ET RESURRECTIONEM DOMINI.

*Prodiit in priori editione ex codice eruditi viri Leonorii* Foy , *insignis ecclesiæ Bellovacensis canonici , in quo sicut & in Victorino Paris. auctorem præfert* S. Bernardum. *Carolus Sacci , Doctor Parisiensis sæculo xv. Bernardo tribuit* librum de Passione & Resurrectione Domini , *qui non alius ab isto videtur esse. Quamquam hunc non esse Bernardi satis arguit præter alia stili dissimilitudo.*

## CAPUT I.

*De Christi ingressu triumphali in Jerusalem.*

…12.c 1. *Noli timere filia Sion : ecce Rex tuus venit tibi mansuetus , & sedens super pullum filium subjugalis.* Veni, Domine Jesu, veni, desiderate cunctis gentibus, quia dormitavit anima mea præ tædio mortis tuæ, & oculi mei languerunt præ inopia luminis tui. Orere, sol amabilis, ut exeat homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam, & operetur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. *Noli timere filia Sion.* Timere pusillorum est. Ideo adhuc filia, quia times; id est nondum Jerusalem, sed filia Sion, id est speculæ. Ergo disce speculari. *Noli timere*, quia timor oculum turbat. Hilaris pupilla lucide speculatur. Fides pupilla est oculi tui. Quomodo pupilla oculi subtilissima est, & nisi impigre ac sollicite custodiatur à palpebris, levissimi ac tenuissimi pulveris tactu confunditur : sic acies fidei, nisi pervigilem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur. Sed *noli timere filia Sion : ecce Rex tuus venit tibi.* Oritur tibi sol, qui te & custodiat & illuminet, & perducat te ubi pulvis non est. *Venit tibi mansuetus.* Qualis ipse est, talem te esse vult. Mansuesce jugum ejus portare, ut sedeat super te asinam suam, & pullum filium subjugalis. Et quæ est hæc asina? Ipsa quæ caro vocatur, & mulier, & virago, quia de viro sumpta est. Et quis est pullus ejus? Masculus vir. Et quomodo pullus ejus est? quia non prius quod spirituale, sed quod animale est; deinde id quod spirituale. Sedet prius Rex mansuetus super asinam, postea super pullum. Prius caro domatur, ut jugo habilis sit : deinde nascitur pullus, & nutritur, & roboratur, ut sessorem suum portare possit. Et quare filius subjugalis? quia sub viro est mulier, & mulieris caput est vir. Et tamen est filius subjugalis, quia per mulierem vir, sed in dolore pariet. Sedeat super utrumque Rex mansuetus, faciens pacem, ne hæc sibi invicem adversentur.

[margin: pupillæ compa-] [margin: 15.f]

2. Venit tibi, & tu non vadis ei. Egredere de terra carnis tuæ, & de cognatione mentis tuæ, & de domo, id est memoria, patris tui. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Hujus patris obliviscere, & tunc concupiscet Rex decorem tuum. Decor magnus est, si audis, & vides, & inclinas aurem tuam. Audis per obedientiam, vides per intelligentiam, inclinas aurem tuam per humilitatem. Hic decor, hæc omnis gloria ab intus est in fimbriis aureis, hunc decorem tuum Rex mansuetus concupiscit. Egredere ergo de civitate; quia *vidi*, inquit, *iniquitatem & contradictionem in civitate.* Egredere cum pueris Hæbræis, qui transeunt simpliciter in occursum Domini. Sterne in via ramos olivarum, ut opera misericordiæ pedibus ejus accommodes. Accipe frondes palmarum, ut triumphes de Principibus tenebrarum. Nihil in te resideat, quod in occursum ejus non prodeat : quia nec una ungula in Ægypto Pharaoni relinquenda est. Manus, cor & lingua concinant, *Hosanna in excelsis.*

[margin: …tiò …i trifi- …s in …lem …ogice.]

## CAPUT II.

*De oratione & sudore in horto, ac somno Discipulorum.*

3. Videns vidisti, Domine, afflictionem populi tui qui est in Ægypto, & inclinasti cælos tuos, & A descendisti liberare nos. Indulta est & mihi, Domine, modica quies ab operibus tenebrarum durissimis, quibus mentem meam vehementer affligebat importunus exactor Pharaonis; & sabbati tui præparatio jam lætificavit animam meam. Verumtamen nondum usque ad speculum perveni, ubi plenius intelligam pustulas & nævos qui maculant faciem meam, quæ valde displicent in oculis tuis : quoniam etsi lavero me nitro, & multiplicavero mihi herbam borith, maculata sum iniquitate mea. Et nunc, Domine, passionis tuæ dies urgere nos deberent magis quàm præpositi Pharaonis : quoniam in operibus tuis justitia est, & pax, & gaudium in Spiritu-sancto : Nos autem dormitamus, te, Domi- B ne, pro nobis orante, quia oculi nostri tepore nostro gravati sunt. Suscita nos ut vigilemus, & oremus ne incidamus in tentationem, quoniam tribulatio valde nobis proxima est. Quam cito clauditur oculus ne te videat, collabitur pes noster in hoc mare magnum & spatiosum manibus, ubi sunt reptilia quorum non est numerus! quæ somniorum suorum phantasiis intentam ludificant animam, & trahunt in cor maris, unde non facilis ad superiora reditus est, nisi tu emittas manum tuam de alto, & liberes nos de aquis multis. Suscita nos, Domine, ut tecum vel una hora vigilemus & oremus. Quis autem est qui tecum una hora vigilet? Avulsus enim es à nobis quantum jactus est lapidis, & agonizas proli- C xius, ita ut gutta sanguinis tui decurrat in terram. Longe, longe à nobis avulsus es, quia lapis abscissus est de monte sine manibus, & jactus est lapis, & percussit in fronte Goliam, & statuam in pedibus.

4. Iste est jactus tuus longe à nobis : quia etiam usque ad interiora velaminis præcursor introisti pro nobis, ubi semper interpellas Patrem. Sed utinam gutta sanguinis, qui de agone tuo decurrit, usque ad terram nostram decurrat, & aperiat os suum, & bibat illum, & clamet ad te, & tecum ad Patrem, melius quam sanguis Abel. Quis autem est, Domine, qui tecum una hora vigilet? Etiam in cælo non est factum silentium, nisi quasi media hora : quanto minus in terra vigilabimus tecum una hora? D Quoties & quoties redis ad nos, & invenis nos dormientes! & tamen benigne suscitas nos, & iterum abis secundo & tertio eumdem sermonem dicens. Statim autem ut recesseris, iterum somnus occupat nos, nec vigilare possumus, nisi quamdiu nobiscum es, & suscitas nos. Venis in secunda & tertia vigilia : sed beatus ille servus, quem tunc inveneris vigilantem. Jam primæ & quartæ nulla mentio fit : quia nec primæva ætas sensum recipit vigilandi, nec ultima spem prolixius dormiendi. Et quid est, Domine, quod tertio rediens copiam dormiendi præstas? *Dormite jam*, inquit, *& requiescite.* Marc. 14. e
Numquid alium concedis somnum ubi requiescerent, & alium prohibes in quo oculi gravantur? Ita est. Qui E enim vigilat in te, suaviter dormit & silet, & somno suo requiescit : qui autem dormit à te, sicut ebrius nocte nesciens graviter agitatur. *Tristis*, inquit, *anima mea usque ad mortem.* Matth 26 e
Anima tristis est quæ exspectat mortis tribulationem. Quis enim sciat, utrum ad sinistram, an ad dexteram eat? Quis sciat, quomodo respondeat ad arguentem se, quando Judex sicut parturiens loquetur? Ideo tristis anima similis fiat pelicano solitudinis, quæ odit civitatem, & conventicula eorum de sanguinibus, & macie solitudinis pallet : aut sicut nycticorax in parietinis Scripturæ quærat sibi escam tota nocte, & evolet in

passerem super tectum vigilantem, & canentem quando A fur veniat.

5. Vel Judam non videtis, quomodo non dormit? Quam pervigiles habet oculos avaritia, quomodo circuit orbem terræ! non cessat manus ejus, non cessat pes, & coacervat sibi iram in die iræ. Et tamen dormit Simon, dormit Jacobus & Johannes. Quare? quia non attendunt, quid post paululum futurum sit. Periculi magnitudo somnum fugat. Numquid dormivit Petrus in atrio? numquid dormierunt qui relicto eo fugerunt? numquid dormivit adolescens, quando tenuerunt eum, & ille relicta sindone nudus profugit? Et tamen frigus erat, quia stabat Petrus, & calefaciebat se. Magnitudo periculi somnum, & frigus, & famem facit oblivisci. Evigila tandem, miserabilis anima, si non amore, saltem timore. Cogita saltem cruciatum, quem jam passura es in morte. Certe nulla crux durior est quam mors. Mors, inquam, ipsa est durissima crux, quæ tibi paratur; ad quam quotidie tu festinas, & non attendis. Vide quomodo te mors crucifigit. Corpus rigescit, crura distenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, facies exsudat, vultus horrescit, & velut testa pallescit: ista crux manet te. Nescio utrum in lectulo molli, an in cruce rigida suavius moriatur, nisi quod crux citius dolorem abscidit. Quæ videmus & sentimus levia sunt ad ea quæ intus anima jam prægustat. Nam sensus à corpore cito recedit: animam sua mors semper comitatur.

*Mors cruci comparata.*

*Agones morituri.*

## CAPUT III.

*De Hominum duritia erga Christi passionem.*

6. CUm ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta ea. Si vita nostra proficeret, rota sanctæ Scripturæ nobiscum pariter ambularet: sed quia per paludes & saxa pedibus euntes offendimus, vix rotæ nos sequuntur. Passio Domini celebratur, & nos voluptati operam damus. Clamat nobis de cruce: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus*; & nemo est qui audiat, nemo qui consoletur, nemo qui respondeat. *Sitio*, inquit. Domine, quid sitis? Ergone te plus cruciat sitis, quàm crux? De cruce siles, & de siti clamas. *Sitio.* Quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium; plus animarum vestrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenet. *O vos omnes qui transitis, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Attendite dolorem meum, ut in dolore meo videatis dolorem vestrum. Dolor meus imago vestri doloris est. Quod attenditis in corpore meo, attendite & videte, si similis dolor non est in corde vestro. Transitis à vobis ad me: retransite à me in vos, & videte si non est similis dolor in vobis, sicut dolor meus. *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, filiæ Jerusalem.* Vester ille dolor quem transitis, & non attenditis, magis est flendus quàm dolor meus. Propter scelus enim vestrum percussus sum. Hæc nobis de cruce tua clamas, ô benigne Jesu, & si non verbis, tamen ipsa re. Quid tibi respondeam, quid loquar, aut quid retribuam? Fecisti ergo de corpore tuo speculum animæ meæ. Nesciebam contumelias, & terrores, & colaphizantem me incessanter satanam, nisi viderem artem medicinæ tuæ similia similibus curantem, & appendere in statera, hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam. Dedisti corpus tuum percutientibus, & genas tuas vellentibus; faciem tuam non avertisti à conspuentibus in te, ut alapæ tuæ alapas meas removeant, & flagella flagellis F expientur, & opprobria exprobrantium quæ ceciderunt super te, auferant à me opprobrium sempiternum. Hæc sunt linteamina mundissima carnis tuæ, quibus vulnera mea alligasti, ô Samaritane misericors, ut imponeres me super jumentum tuum, & perduceres in stabulum: quoniam vere languores nostros ipse tulisti, & dolores nostros ipse portasti, cujus livore sanati sumus.

*Ezech. 1. e*

*Thren. 1. d*

*Johan. 19. e*

*Thren. 1. d*

*Luc. 23. d*

*Caro Christi patientis, animæ peccatricis speculum.*

## CAPUT IV.

*De Christi colaphizatione & Petri negatione.*

7. IN domo ergo Principis sacerdotum velata facie colaphizatur Christus: quia in domo conscientiæ cæcata mente colaphizatur Christianus. Quod enim Christus in publico, ego patior in occulto; & quod ille foris à ministris Caïphæ, ego intus à nequitiis satanæ: quia supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, faciem mihi velaverunt, faciem meam in terra defixerunt, & dorsum meum incudem suam fecerunt, & super dorsum meum fabricaverunt. Sed adhuc intra domum contineor, ubi puella & moritur, & B suscitatur. Nam & ibidem Petrus negavit. *O homo non sum.* Hominem attendo, non Deum; hominem timeo, non Deum, cujus veritatem nego. Nonne tibi Petrus in his verbis velatam faciem habuisse videtur? unde & tertio colaphizatus est, quia tertio negavit. Et Paulus tertio rogavit Deum, ut auferret à se angelum satanæ, qui eum colaphizabat. Uterque ergo Apostolus colaphizatus est, uterque ter naufragium passus est, ille intus, iste foris. Voluisset satanas, si tamen licuisset ei, tamdiu Petrum colaphizando cribrare sicut triticum, donec omnem ab eo fidei medullam excussisset. Sed *ego*, inquit, *Petre*, *rogavi pro te*, *ut non deficiat* *Luc. 22* C *fides tua.* unde *respexit eum* Christus, *& egressus foras* *Ibid. g* *flevit amare.* Tamdiu faciem habuit velatam Petrus, donec respexit eum Christus. Sed numquid non etiam prius negantem respiciebat? Etiam: sed Petrus respicientem se Christum non respiciebat, quia velatam faciem habebat. Unde bene alius Evangelista: *Et recordatus est*, inquit, *Petrus.* Recordatio Petri, respectus fuit Christi. Ergo cum peccatum recordaris, à Christo videris, immo sublato velamine Christum vides. *Et egressus foras.* Propterea negabat, quia intus esse volebat. Et tamen quando negavit, foras egressus est. Unde foras? De domo Christi, de domo fidelium: at ubi de domo Caïphæ foras egressus est, in domum D Christi intromissus est. Quanti sunt hodie qui dicunt: Nos sumus de domo Christi, nos sumus de domo Ecclesiæ. & sunt de domo Caïphæ, hoc est hypocrysis. Quod Petrus negando, hoc isti faciunt affirmando: sed nisi confitendo foras exeant & amare fleant, non intrant Ecclesiam Dei. Amaritudo fletuum velamen diluit oculorum. In domo ergo Caïphæ colaphizatur Christus, quia in domo Caïphæ colaphizatus est Petrus: & quod Petrus à satana intus passus est, hoc Christus à ministris satanæ foris pertulit. Attende ergo, & vide si est dolor sicut dolor meus. Vides quis graviora pertulit opprobria, Christus foris in corpore, an Petrus intus in pectore. Sed jam ad Pilatum eatur.

## CAPUT V.

*De Pilati interrogatione, Christi flagellatione, ac militum illusione.*

8. MAne autem facto, vinctus ducitur ad Pilatum. Quamdiu culpa latet, nox est; at ubi cœperit innotescere, mane fit. Tunc jam ligatur à principibus sacerdotum, & traditur Pilato, hoc est principi tenebrarum, sicut & Apostolus jubet hujusmodi tradere satanæ in interitum carnis. Effertur adolescens de *1. Cor. 5.* domo ad portam civitatis ad Pilatum, ubi sedet Pilatus pro tribunali. In porta enim judicium fieri solebat. Pilatus autem apprehensum flagellavit. Sæpe dum culpa retegitur, per impudentiam peccatorum effrenatur. Augentur flagitia, plagæ multiplicantur. *Multa enim flagella peccatoris.* His flagellis & Pharao cædebat filios *Psal. 31.* Israël.

9. Post hæc traditur militibus ad illudendum. Ipsa est nequitia spiritualis militiæ. Vide ordinem miseriæ. A principibus sacerdotum traditur Principi tenebrarum, qui flagellis suis sibi mancipatum, militibus suis exposuit altius illudendum, & postea novissime crucifigendum.

Post crucem enim non restat supplicium, quia peccatum morte terminatur: sed vicina jam morte, majori dæmonum ludibrio peccator agitatur. Exuentes quippe eum veste totius Christiani decoris, quasi pro regio decore chlamydem ei coccineam, hoc est vestimentum mixtum sanguine circumdant, cum propter crudelem vitæ suæ sanguinolentiam à plerisque & honoratur, & circumdatur. Unde & plectentes coronam de spinis ponunt super caput ejus, cum de rapina pauperum spineas ei divitias coacervantes, caput ejus ad regnum elationis efferunt. Vindicat enim sibi pecunia, quod Sapientia dicere
8. b solet: *Per me reges regnant, & conditores legum justa decernunt.* Ubi pecunia, ibi rex, ibi lex, ibi clientum copia. Unde & arundinem in dextera ejus ponunt. Potestas enim & regnum impiorum arundo est vento agitata; regnum autem Christi virga ferrea. Et bene arundo in dextera ponitur, quia dextera eorum dextera iniquitatis. Jam quod sequitur luce clarius est, quia genu flexo,
n.27. d talibus illuditur potius quam servitur. *Ave Rex Judæorum.* Et exspuentes in eum laudibus supervacuis (*Laudatur enim peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur*) acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. A talibus enim rectoribus milites eorum potestatem accipiunt nocendi & devorandi pauperes. quod totum tamen redundat in caput ejus, cujus auctoritate se tuentur. Hic tertia mors est, quando sedet fœtens in cathedra pestilentiæ. His mortibus infelix anima ante extremam crucem mortis afficitur, &, quod miserabilius est, talibus opprobriis quasi pro magnis honoribus delectatur; & talis quotidie ducitur ad crucem, bajulans ipse sibi supplicium.

10. Sed quid est, quod post illusionem chlamyde exuitur, & suis vestimentis reinduitur? nisi quod sæpe superbus Adam cum per dolorem carnis confinia mortis ingreditur, deposita elatione ad putredinis suæ considerationem revertitur, ubi videlicet vel miseratione divinæ pænitentiæ fructus invenit, vel per tremendum judicium duplici contritione conteritur. Sic Herodes, cum veste regia præfulgidus plusquam decuit à populo acclamaretur, mox percussus ab Angelo, exutus chlamyde, vestem suam reinduit, & consumptus à vermibus exspiravit. Rectene illusus est? *Ave Rex Judæorum.* Quid su-
14. e perbis terra & cinis? quid veste nitida gloriaris? *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum vermes.* Hæc tua vestis est. Illuserunt tibi qui te chlamyde coccinea circumdederunt. Sic Antiochus, & Dominici natalis hostis Herodes, alienis vestibus depositis, in suis vestibus, id est vermibus, exspirarunt.

## CAPUT VI.

*De Latronis confessione, & elogio sanctæ crucis.*

11. Redi ad cor tuum tandem aliquando, redi vetus Adam, vide ubi & quomodo te requisivit & invenit novus Adam. Ostendit tibi in corpore suo ignominias animæ tuæ. Non satis fuit, quod per colaphos, flagella, & nova irrisionum genera post te fugientem clamitans & miserans percucurrit, & usque ad novissimum crucis supplicium, jamjam efflantem consecutus invenit & apprehendit. Quis enim latro ille nisi Adam fuit? qui ex quo primum in paradiso sui ipsius homicidium perpetravit, tamdiu à Christo fugit reus & abscondit se, donec in crucis articulo novissime consumptus & comprehensus, fugere & latere ultra non potuit. Ibi comprehensus à te, bone Jesu, conversus est, culpam suam confessus est, pœnam libenter amplexus est. Tu enim admonebas ne pati abhorreret, quod te quoque secum pati videret. Ille ergo tibi de toto hoc mundo solus & unus adhæsit; & ideo solus de mundo toto hoc tecum in paradisum intravit: ubi etiam firmiter non jam custos paradisi, sed civis & domesticus Dei collocatus est, ut amplius inde cadere non possit. O beatissimum latronem, immo non latronem, sed martyrem & confessorem! Necessitatem enim vertit in voluntatem, & pœnam commutavit in gloriam, & crucem in triumphum. In te, beatissime confessor & martyr, de totius mundi sterilitate,

A fidei reliquias collegit Christus. Tu fugientibus discipulis & Petro negante, socius & comes passionis ejus fieri gavisus es. Tu Petrus in cruce fuisti, & Petrus in domo Caïphæ latro: tamdiu enim Petrus latro fuit, quamdiu intus latitans Christum foris negavit: ideo & Petrum præcessisti in paradisum, quia qui te in cruce complexus est dux & rector tuus, eadem die qua ipse ingressus est, fidelem & gloriosum militem secum te pariter introduxit.

12. Egenus & pauper ego sum, Domine, & claudus ex utero matris meæ: & ecce sedeo ad portam templi tui quæ dicitur speciosa, non valens, nec volens introire, quin potius egestate bonorum tuorum mendicans foris alimoniam carnis meæ, æreas & falsas imagines homi- (Apostrophe Peccatoris ad Christum.)
B num, ubi coacervem mihi talentum iniquitatis, fasciculos deprimentes. Et ecce hora orationis nona est. Ascendunt Petrus & Johannes Apostoli tui, ut orent ad templum sanctum tuum: ego autem hæreo terræ & luto terrena & vana sapiens; & aliis introeuntibus, ego foris remaneo, non quærens cum eis ea quæ Patris tui sunt, sed quæ primi parentes mei, qui me hunc quotidie foras ponunt, male concupierunt. Et ecce jam hora orationis nona est. Inclinata est dies, prope est nox: cum surrexero mane diluculo, de his quæ nunc mendico, nihil in manibus meis reperiam. Hora, inquam, orationis nona est. Orasti enim hac hora pendens in cruce, orasti inclinato capite clamans voce magna, & exspirasti. Orasti
C inclinato capite in spiritu humilitatis, clamans voce magna altissimo & secretissimo affectu paternæ & nostræ caritatis. In illo, Domine, clamore valido exspirasti, & eumdem quem de nobis tunc habebas compassionis animum tecum portasti: & credo, Domine, quia tecum adhuc reservas, quia caritas tua refrigescere nescit. Erat autem hora orationis nona. Et quare nona? Quia *circa horam nonam tenebræ factæ sunt.* Repellendus erat horror tenebrarum, qui universam operuerat terram; repellenda caligo populorum, quæ ex tunc cœperat abundare, ex quo cœpisti ad auram post meridiem deambulare. Ex tunc non cessasti clamans: *Ubi est Adam?* sequens post tergum fugientis & abscondentis se, quantum in
D ipso fuit. Et emissus est de paradiso voluptatis, & pervenit usque ad condignum suæ cruciatum iniquitatis. Sed *nos*, inquit, *digna factis recipimus: hic autem quid fecit?* O Adam, quam sero in hæc verba prorupisti! modo primum te inveni. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Ideo hora orationis est nona. Nona oravit, nam undecima paradisum intravit. Propterea & non introibat claudus in templum, quia nondum usque ad decimam generationem venerat. sed Petrus ad eum; *In nomine*, inquit, *Jesu-Christi, surge & ambula.* Vere vos estis montes, ad quos levavi oculos meos, unde veniet auxilium mihi. Sed auxilium meum à Domino, quia in nomine Jesu-Christi, surge & ambula. In verbo Christi
E laxas rete, in verbo Christi claudum levas, in verbo Christi solidantur bases ejus & plantæ. Quæ sunt bases ejus? Fides & timor. Et quæ plantæ? Spes & caritas. Ideo bene Petrus & Johannes simul ascendebant, quorum alter fidei, alter caritatis insigne ferebant. Ascendebant ad templum tuum, Domine, tecum oraturi, ut & ipsi tecum simul introeant in paradisum sanctuarii tui: quia scissum est in morte tua velamentum, quod erat super faciem Moïsi. Sed nolunt introire soli, quia nec tu Domine solus paradisum introisti. Tu latronem, isti claudum introducunt: sed neque jam latro in paradiso est, neque claudus in templo. Quomodo enim claudus, qui stat & ambulat, exsilit, & Deum laudat? Aut quomodo latro,
F qui cum Christo in paradiso? Non enim *habitat juxta te malignus.* Latro fuerat quando latebat ante confessionem, justus autem post orationem. Quid enim oravit? *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.*

13. O magna fides, ô magna spes, ô magna caritas! Orat pro futuris, non pro præsentibus. Non vult de cruce deponi, sed in Christi regno reponi. Quid enim aliud est dicere, quam cupio dissolvi & esse cum Christo? Nescio quid Paulus magis isto latrone cupierit. *Memento mei.* O cor contritum & humiliatum! Quid minus vel humilius potuit orari, quam ut vel sui memor esset?

Margin notes: 10. a (beside *Laudatur*); ...ronis ...num. (beside ¶ 11, end); Matth. 27. e (beside *circa horam nonam*); Gen. 3. b (beside *Ubi est Adam*); Luc. 23. f (beside *Amen dico tibi*); Act. 3. a (beside *In nomine*); Claudi curatio tropologice. (beside ¶ E); Psal. 5 a (beside *habitat juxta te*); Luc. 23. f (beside *Memento mei*).

*Memento mei.* Cujus mei? Mei, inquam, tam indigni, tam peccatoris. Iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum contra me est; confundor oculos meos ad te levare. Tibi soli peccavi; tu solus potes me à peccato meo mundare. Malum coram te feci, cum me tibi celare volui. Latro sum animæ meæ: homicidium quod feci, volui occultare, sed malum coram te feci. Memento mei, miserere mei. Merito in hanc miseriam deveni, qui tuam beatitudinem deserui. Dives eram, & ecce quam pauper factus sum. De omni ligno paradisi poteram comedere & delectari, & ecce crucior & morior in hoc ligno. *Memento mei.* Tui oblitus eram, sed tu cum iratus fueris, misericordiæ memor eris. Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. Video in te magnam & tuam, hoc est competentem tibi misericordiam, quæ te mihi ad mei consimilem condescendere fecit miseriam. Ego autem digna factis, tu vero quid fecisti? Video te mihi in pœna similem, quem in actu video tam dissimilem. Non potuisti me longius sequi. Unde venisti? A summo cælo egressus es. De utero Virginis speciosus forma præ filiis hominum processisti, & mecum pendes in ligno! Quis te adduxit? Sola misericordia: secundum hanc magnam misericordiam, miserere mei Deus. Deus es, non tantum homo. Deus es, ego homo, ego plasma tuum, quem fecisti ad imaginem & similitudinem tuam. Imaginis tuæ Deus miserere. Sed in quo agnoscam te misereri? In eo quia imaginem meam in te video, similem & eamdem mecum miseriam pati. Quid ergo restat nisi ut sperem? De tanta misericordia quis umquam potuit desperare? Ergo *memento mei cum veneris in regnum tuum.* Vadis ad regnum tuum, implesti negotium tuum, ad hoc venisti ut me reducas tecum. Tecum ire concupisco, & pro hoc amatissimam mortem non contremisco, nec erubesco. Quomodo enim contremiscerem, ubi te mecum viderem? Etiamsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. At quomodo erubescerem, quod te Dominum cæli portare viderem? Qui enim te erubuerit & tuos sermones, hunc tu erubesces, cum veneris in majestate tua, & Patris, & sanctorum Angelorum. *Qui non bajulat crucem suam, & sequitur me, non est me dignus:* hic est sermo tuus. Qui hunc sermonem erubuerit, hunc tu erubesces. Qui enim erubescit crucem tuam, erubescit gloriam tuam. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu-Christi. Crux gloria tua est, crux imperium tuum est. Ecce imperium tuum super humerum tuum: portas crucem tuam, portas portantem te. Qui portat crucem tuam, portat gloriam tuam. Qui gloriam tuam portat, portat te. Portantem autem te tu portas super humerum tuum, quia imperium tuum super humerum tuum. Ergo qui te portant, imperium tuum sunt: in ipsis enim tu regnas, ô maxime Imperator. Sed quomodo, aut quo portas imperium tuum? super humerum tuum. Humerus tuus altus est, humerus tuus fortis est, humerus tuus pertingit usque ad Patris consessum, super omnem principatum & potestatem & virtutem. Illuc reducis ovem centesimam, illuc reducis ovem Joseph.

*Luc. 14. f* — *Crux gloria Christi.* — *Qui crucem portant, à Christo portantur.*

14. Vade jam secura ovis Joseph, Christus te portat super humerum suum: fortis est humerus ejus, noli timere. Altus est, noli ad ima respicere, quia *nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei.* Suave jugum super filios Adam à die nativitatis eorum, usque in diem reversionis in matrem omnium. Quamdiu sum filius veteris Adam, grave jugum porto: si essem filius novi Adam, leve jugum portarem. Quod est onus grave? Talentum plumbi. Et quod est onus leve? Crux Christi. Illud, sicut scriptum est, submergitur in aquis vehementibus: istud enatat super aquas. Mira res. Nihil formidolosius homini, quam crucem pati. Sed quare timent homines crucem? quia latrones sunt: si latrones non essent, crucem non timerent. Ergo qui timet, latro est. Quomodo, inquis, latro est? Audi Christum. *Vos autem,* inquit, *fecistis eam speluncam latronum. Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Faciunt ergo homines seipsos speluncam latronum. Jugulant homines, & trahunt in speluncam suam. Quod enim majus homicidium, quam ut seipsum interficiat homo? vel quod gravius homicidium, corpus occidere an spiritum? O quoties homo spiritum interficit, quot homicidia in semetipso perficit! Quoties voluntarie & ex studio peccatum perpetrat, quid aliud quam seipsum jugulat? *Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit.* Gladius animæ peccatum est, peccatum animæ mors est. Qui hunc gladium manu propriæ deliberationis accipit, hoc est acceptum habet & gratum, primus in seipsum manum mittit, primus semetipsum interficit. *Gladius,* inquit, *eorum intret in corda ipsorum.* Nec satis est semel occidere & quiescere: millies & millies crudeles manus in se convertunt, & veloces sunt pedes eorum ad effundendum sanguinem suum, viri sanguinum & dolosi. Quomodo dolosi? Quia congerunt cadavera mortuorum in speluncam suam, & operiunt aggere terræ, ne vel ipsi videant, vel ab aliis videantur. Nolunt ipsi videre, ne horrorem vel putorem ingerant eis in faciem morticina fœtentia; nolunt videri, ne forte deprehensi tamquam latrones & homicidæ ad horrenda supplicia pertrahantur. Quid autem in omnibus suppliciis tam horrendum quam crux? Ideo timent crucem latrones, quia crux scelerum vindex est, crux impiorum pœna est, crux æqua lance judicat & remunerat hinc nocentes, illinc innocentes. Ideo crux impiis formidolosa, piis autem super omnia ligna paradisi gratiosa est. Numquid enim Christus crucem timuit? numquid Petrus? numquid Andreas? immo & optavit. *Exultavit* enim *ut gigas ad currendam viam.* Et *desiderio,* inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Manducavit pascha cum discipulis, manducavit pascha & cum passus est, quando transivit ex hoc mundo ad Patrem. *Ego,* inquit, *habeo cibum manducare, quem vos nescitis: meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei,* & voluntas Patris est, ut calicem ejus bibam.

*Luc 9 g* — *Jugum Christi suave, Crux est.* — *Cur tantopere crucem timent homines.* — *Matth 21. b* — *1 Cor. 3 d* — *Peccator sui homicida.* — *Matth.* — *Psal. 3.* — *Psal. 18* — *Johann. 4*

15. Ergo in cruce manducavit & bibit, & inebriatus est & dormivit, & risit verenda ejus maledictus Cham. Filii autem revertentes altissimi soporis mysterium pallio contexerunt. Immisit quippe Dominus soporem in Adam, & tulit unam de costis ejus, & ædificavit in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Manifesta res est, quia dormitavit & soporatus est Christus, & de latere ejus quotidie ædificatur, & pascitur, & nutritur Ecclesia, & adducitur à finibus terræ, ut assistat Regina à dextris ejus in vestitu deaurato, circumdata varietate. In cruce ergo pascha manducavit, quia ascendit in palmam, & colligit fructus ejus. *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me.* Quæ omnia? Cælum, terram, & inferos. Traxit ad se Patrem, quia clamor ejus introivit in conspectu ejus in aures ejus: & contremuit terra, & petræ scissæ sunt & monumenta aperta sunt, quia vocem filii Dei audierunt. Sic mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, medius inter cælum & terram, pascha manducabat, & fructus arboris undique colligebat, quos in corpus suum trajiciebat, quia confluebant omnia ad arborem vitæ, quæ erat in medio paradisi. Restincta enim erat framea quæ viam intercluserat. Quis ergo amplius crucem timeat? Vere qui crucem timet, ipse sibi testis est, quod adhuc latro est. In cruce enim pendet omnis fructus vitæ, quia ipsa est arbor vitæ, quæ est in medio paradisi: ipsa est altitudo & latitudo, sublimitas & profundum: ipsa bonos colligit & remunerat, ipsa malos disperdit & condemnat: ipsa est mæstorum consolatio, esurientium refectio, perfectorum gloriatio. Circuire possum Domine cælum & terram, mare & aridam, & nusquam te inveniam nisi in cruce; ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides est, cujus latitudo caritas, longitudo longanimitas, altitudo spes, profundum timor. In hac cruce te invenit quicumque te invenit. In hac cruce anima suspenditur à terra, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit. In hac cruce Domino suo adhærens dulciter decantat: *Susceptor meus es tu, gloria mea & exaltans caput meum.* Nullus ergo te quærit, nullus te invenit nisi crucifixus. O gloriosa crux! radicare in me, ut ascendam in te.

*Johann. 8* — *Crucis e[...] gia.* — *Psal. 3. a*

## CAPUT VII.

*De Juda peccato & desperatione.*

16. SEd ubi crucifixerunt eum? in Calvariæ loco. Beatus vere locus, in quo figitur crux; bona calvicies, quæ tali fronde vestitur. Ad hanc calviciem Elisæus ascendebat ... *Ascende calve, ascende calve.* Vide si non calvus est & noster Elisæus. *Filius*, inquit, *hominis non habet ubi caput suum reclinet.* (r. 2. d / 9. g) Ecce quam calvus est qui non habet ubi caput reclinet; calvus est, quia regnum ejus non est de hoc mundo; calvus est noster Elisæus, quia discipuli ejus, relicto eo omnes fugerunt. Quid enim discipuli nisi capilli capitis, qui omnes numerati sunt? Ergo in Calvariæ loco vexillum crucis erigitur. (1. c) *Pro eo*, inquit, *quod ambulaverunt filiæ Sion extento collo & nutibus oculorum, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.* Decalvet Dominus verticem capilli perambulantium in delictis suis. Decalvet, inquam, verticem filiarum Sion, & faciat ibi Calvariæ locum, ut ibi figatur gloria Christi crux, ubi sedem sibi superbia locaverat. (1. d) *Dilata*, inquit, *calvitium tuum sicut aquila.* Aquila decalvata perspicuo sole fruitur: sic animæ calvicies quanto dilatatur, tanto se purius in eam vera lux infundit. Qui autem sibi comam nutriunt, cæcitatis & gravitatis sibi damnationem acquirunt. Propterea lucis hujus beatæ perdidit visionem Absalon, quia gravabat eum cæsaries, & non nisi semel in anno tondebatur, & crines suos ponderabat ducentis siclis pondere publico, unde & eodem crine suspensus ad arborem interiit. Absalon *patris pax*; ipse est & Judas, & quicumque in pace Christo est amaritudo amarissima. (26. c) *Ave Rabbi*, voce & osculo Patri pacem ferebat. Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. (o. b) *Homo*, inquit, *pacis meæ, in quo sperabam, qui edebat panes meos* &c. Unus est, & multi sunt. Ecce Absalon, ecce Judas, ecce corpus satanæ. (pecca- xpen-) Sed quomodo comam nutriebat? Fur erat, & loculos habebat: ista eum cæsaries gravabat: & semel in anno tonsus est, quando semel retulit triginta argenteos, & projecit eos in templo, quos ponderavit ducentis siclis, qui numerus immundorum est, & hoc pondere publico, non pondere sanctuarii. Pœnitentia enim ductus peccatum suum valde ponderavit. *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Singula verba plena sunt ponderibus, sed pondere publico, non pondere sanctuarii, quia plus erubuit infamiam quam conscientiam, plus sui nequitiam quam Dei misericordiam ponderavit. Audi pondus sanctuarii. (o. a) *Peccavi, malum coram te feci, dele iniquitatem meam.* Hinc iniquitatem meam ego agnosco, illinc misericordiam tuam magnam attendo: *Miserere mei Deus.* (b) Audi & pondus publicum. *Major est*, ait Caïn, *iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Retulit ergo triginta argenteos, & projecit eos in templo. Vide quantum magni pendebat eos. Non projecit eos in sterquilinio, sed in templo; nimirum talibus semper diis templum suum devoverat. Avaritia enim simulacrorum servitus est, & avaritia excæcat oculos sapientium.

17. Ecce infelix qualiter excæcatus est! maluit seipsum perdere, quam denarios perire; denarios templo, seipsum laqueo addixit: amabat heredes suos, qui eosdem denarios exinde colligerent, qui etiam reservant eos in suo corbonam. Projecit eos in templo, & abiens laqueo se suspendit. Jam quidem diu quod à Christo abierat, & avaritiæ laqueo se suspenderat: sed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit. Exterioris pœnæ qualitas supplicii modum aperuit; quia per quæ peccaverit homo, per hæc & punietur. Suspensus crepuit medius: plenus erat venter, & ruptus est uter: crepuit medius, ubi sedes erat satanæ. Crepuit ergo vas contumeliæ, quia non erat de vasis figuli, quæ probantur in fornace. Propter quod in agro figuli, in sepultura peregrinorum sortem non habuit, sed velut testa crepitans per inane dissiliit. (1. c) *Et diffusa sunt omnia viscera ejus.* Pecunia viscera sunt avari; illa diffunduntur & perduntur, sed viri misericordiæ colliguntur. Pendet adhuc Judas & Absalon per comam capitis, & mulus cui sederat pertransit. Nolite fieri sicut equus & mulus, quia mundus transit & concupiscentia ejus. Crinis Absalon, quo suspenditur; radix omnium malorum avaritia est: ubi hæc radicaverit, omnium malorum cæsaries abundabit. Mulus vero ex equo & asino mixtus, duplex est animus, qui foris ostentat, quod intus non servat. Talis erat Judas, talis Absalon. Foris pietas, intus malitia, duplex est iniquitas. Equus manifeste tumet, asinus simpliciter ambulat, mulus nequam & subdolosus incautum præcipitat.

## CAPUT VIII.

*De apertione lateris Christi.*

18. APeri nobis Domine, aperi nobis ostium lateris tui, quod est in arca tua, ut introducas nos cum mundis animalibus, septena & septena. Tu es enim verus Noe, quem solum invenit Deus pater tuus justum coram se. *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* (Matth. 3 d) Tu cognoscis oves tuas, & illæ te agnoscunt: quia sunt animalia munda septena & septena, qui septiformi gratia & operibus lucis, sabbatum ex sabbato adepti, jam digni sunt octavæ conscribi, qui numerus tantum in arca salvatus est. Introduc & nos ad te per ostium lateris tui, quod est fides Ecclesiæ, & claude ostium à foris, donec pertranseat iniquitas, & cessante diluvio iterum nobis aperias ostium, non jam fidei, sed spei ostium contra ostium, quod in montis ædificio Ezechieli Prophetæ monstratum est. (Ezech. 40 b) Interim tamen & fenestram habes in arca, per quam dilectus mittit manum suam, & columbam suam excitat. *Surge*, inquiens, *amica mea, speciosa mea, columba mea, & veni.* (Cant. 2. c) Et cum evolat post te, ut apprehendat te, tu effugis & ascendis super Cherubin, & volas super pennas ventorum, ut non inveniat pes columbæ tuæ solidum quid de te, ubi requiescat, nisi iterum ad arcam revertatur, & tu manu apprehensam iterum in sua mansiuncula reponas. (Fides, portus tutior, quam quælibet alta contemplatio.) Melius est enim in portu fidei interim præstolari & quiescere, quam te nimis & frustra insequendo, in aquas diluvii intransmeabiles decidere & submergi. Aquæ enim, quæ à dextro templi latere effluunt, mille passus mensuratæ usque ad talos veniunt, & post alios mille passus usque ad genua, iterumque post alios mille usque ad renes ascendunt. Post alios autem mille passus in tantum crescit & intumescit fluvius, ut transvadari non possit, sed oporteat retro potius redire ad solidum ripæ. Ideo sancta animalia ibant & revertebantur: columba quoque cum non inveniret ubi pes ejus requiesceret, ad arcam reversa est. At vero corvus semel emissus nescit reverti, quia non simplici oculo mundum insequens, vanitatis diluvio interceptus est. Et merito. Quid enim columbæ & corvo? quid candidæ & nigro? quid Judæ & Johanni? quid Christo & Belial? Et tamen Christus inter Judam & Johannem sedet medius, inter electum & reprobum latronem medius pendet, & Noe inter corvum & columbam. Sed corvus semel emissus non est reversus, quia Judas egressus in aera, submersus est.

19. Sed quid est, ô Domine, quod unus ex militibus* nisi forte ille qui tunicam tuam inconsutilem forte accepit? Ipsa est nimirum unitas fidelium, quæ tibi soli militat, cujus lancea prædicationis latus tuum aperuit. *Vivus est* enim *sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* (Heb. 4. c) Hæc est illa lancea, quam Abacuc Propheta *fulgurantem hastam* nominat. (Abac. 3. c) Hanc hastam cum urceo aquæ tulit David à capite Saülis inimici sui dormientis: quia superbis & invidis ac negligentibus sermo sapientiæ simul cum gratia subtrahitur. Sed dormientem filius Sarviæ confodere voluit semel, ut secundo opus non esset, nisi hunc David benigne prohibuisset: quia peccatorem pigrum & contemnentem, nisi misericors & longanimis patientia Dei sustineret, gladius satanæ semel, hoc est in æternum, interficeret. (Patientia Dei erga peccatores.) Vult enim improbus satan, quatenus qui dormit non adjiciat ut resurgat. At vero misericors David de longinquo vertice sæpius inclamat: *Nonne respondebis, Abner?* (1. Reg. 26. b) Retribuis enim peccatori bona pro malis, mitissime David, & admones, & exspectas diutius, ut respondeat tibi unum pro mille. Illis autem vox tua improba videtur: quia inquietum eorum somnum inquietas. *Quis es tu*, inquit, *qui clamas, & inquietas*

* aliquid d.

1. Ibid. *regem?* Ab increpatione tua Domine dormitaverunt qui ascenderunt equos, nec evigilare eos vult auriga ipsorum, Job 40. c donec præcipites ruant in profundum. Rex enim impiorum superbia in umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus, & protegunt umbræ umbram ejus. Ipse est Abner qui protegebat Saul. *Cur,* inquit, *inquietas regem?* Compungitur tamen aliquando & superbum cor ad vocem David, sed non usque ad correctionem. Flectitur humillimis sermonibus superbus Saül, dicente David: 1. Reg. 26. d *Quem persequeris, rex Israel, quem persequeris? canem mortuum & pulicem unum, sicut perdix in montibus.* Non sine causa vel cani mortuo vel pulici se comparat David. Melior est canis vivus, leone mortuo: melior est canis vivens Deo, mortuus mundo, quam leo superbus & reprobus, mortuus Deo, vivens sæculo. Pulex parvulus & mordet, & salit: sic humilis justus carnalium vitia mordet confidenter, & salit in montibus, ubi tutissimum habet refugium, ut non timeat perdicem adulteram, quæ persecuta est Eliam, & Johannem Baptistam interfecit.

## CAPUT IX.

### *De Sepultura Domini.*

20. DA mihi Domine portionem in terra viventium, in sepultura peregrinorum, in agro Hacheldemach, qui pretio magno sanguinis tui emptus est. Ibi enim sepulti sunt omnes patres nostri, qui super terram hanc advenæ fuerunt & peregrini. Ibi Abraham pulcherrimam conjugem suam Saram in spelunca duplici sepelivit. Sed quid est quod nec agrum ipsum gratis accipere voluit, nec in electis eorum sepulcris mortuum suum sepelire? Quia nec sine pretio sanguinis Christi, gratis se per seipsum salvandum credidit, nec bonum sibi æstimavit esse, si in fœtentibus mundi sepulcris habitaret. (Cur Abraham in sepulcro alieno noluerit Saram sepeliri, tropologice.) Gen. 23. b *In electis,* ait, *sepulcris nostris sepeli mortuum tuum.* Habet mundus electa sepulcra, illos utique, quos elationis fastigium, vel superstitionis operositas perspicuos reddit. Tota Ægyptus sepulcris plena est, neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus. Illa sepulcra in deserto desiderabant filii Israël. *Deerant,* inquiunt, Exod. 14. c *in Ægypto sepulcra, ut cadavera nostra jaceant in deserto nuda & inhumata.* In talibus sepulcris noluit mortuum suum sepelire sanctissimus Patriarcha. Sed ubi? in spelunca duplici, ubi spes bonorum operum & amor contemplative requiescit. Ibi enim & Lia condita jacet. (Sara & Lia vitæ contemplativæ & activæ figuræ.) Ergo Sara & Lia in spelunca duplici absconditæ sunt. Illa prius sterilis, postmodum senex, filium gaudii unum tantummodo peperit: hæc post sex filios parere cessavit, nisi quod novissime filiam, sacri generis ignominiam, peperit. Mira res! Hæc quæ sex habuit filios parere cessare dicitur: quæ unum tantummodo, parere cessare non memoratur. Sed activa finem habet, contemplativa semper parit. Illa in dolore, ista in gaudio parturit. Et tamen utraque in eodem agro sepulta est. Nam Rachel juxta Bethleem subter ilicem crucis posita est. Nimirum sedet ad pedes Jesu, ut de domo panis semper fœcunda pariat. Ergo Sara & Rachel numquam parere cessabunt. Lia vero post sex filios aut omnino parere cessat, aut filiam parit. Ipsa est carnalis voluptas, quæ sub specie discretionis nonnumquam subrepit activæ. Sed tamen si vere vidua fuerit, salvabitur, non per filiæ, sed per filiorum generationem. In spelunca itaque duplici Patriarchæ nobiles una cum suis conjugibus sepulti sunt. Habitarunt enim in tabernaculis, sicut advenæ & peregrini super terram: ideo sepulturam peregrinorum tam ipsi, quam tota eorum successio hereditate possident.

21. Sed quid est quod Jacob grandævus Patriarcha, (Quid sepultura Jacob &c ad mores.) majore quam ceteri ambitione, suavitate & gloria, ibidem à filio suo Joseph sepelitur? Per Jacob grandævum perfecta caritas exprimitur, in qua Pater à Filio immo cum Filio consepelitur, dicente ipso, quia *si quis diligit* Johann. 14. c *me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hæc est illa gloriosa & suavis supultura Patris antiqui dierum, qui diligentes se sibi consepelit, & abscondit eos in abscondito faciei suæ à conturbatione hominum.

A Illuc & ossa Joseph, Salvatoris nostri memoria, ex Ægypto quotidie referuntur à filiis Israël. Non enim ossa Joseph in Ægypto relicta sunt, quia fœtentia & dealbata sepulcra detestatur. Et Moïsen Deus sepelivit, sed sepulcrum ejus usque in hodiernum diem ab homine non invenitur. Deut. 34 Denique quis poterit illuc ascendere, ubi ille ascendit per medium nebulæ in altissimum montem, & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & vidit, & scrutatus est exemplar tabernaculi admirabilis, quod fixit Deus, & non homo? Propterea usque hodie, dum legitur Moïses, velatam habet faciem, quia ab homine mortali sepulcrum ejus non invenitur. In eodem agro sanguinis & gloriosa Regum linea sortem accepit, B qui sepulti sunt in sepultura patrum suorum in Jerusalem: illic & Prophetarum visio & Macchabæorum bellicosa virtus gloriose ostenditur.

22. Comparetur jam, si placet, huic sepulturæ peregrinorum, illa quondam gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, turris Babel. Quid simile huic nostræ sepulturæ reperitur? Ibi una in plures lingua discinditur, hic quinque civitates Ægypti, non jam lingua Ægyptia vel Cananitide loquuntur, sed *Civitas solis* vocatur una*. De illa siquidem turre Babel projecta est meretrix Jezabel, fornicationum mater, idolorum cultrix, avaritiæ artifex: & cum eam sepelire vellent, quia erat filia Regis, non invenerunt nisi tantum calvariem & manuum summitates, & sanguine respersum parietem. (* Heliopolis.) C Hæc sane est impiorum sepultura, hæc digna retributio, quod ex eis nonnisi summitates manuum, hoc est operum vix extrema remanent, & calvaries, quæ fuerat locus superbiæ spoliatus capillorum gloria: quia *vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani; & transivi, & ecce non erat.* Psal. 36 Hæc est calvaries Jezabel, quæ vestita erat decore meretricio, & pinxerat oculos suos stibio. Decalvatus est superbiæ vertex; non est qui jam dignetur aspicere, nisi qui voluerit nefas ejus abhorrere, vt lavet manus suas in sanguine peccatoris, & velut equus fortis & velox, meretricem projectam ungula sua confodiat, & conculcet, & prætereat. Pro- D pter hoc & paries ad hæc sanguineus relictus est, ut terreat viros sanguinum & dolosos, qui propter avaritiam suam lapidant humilem Naboth. Sed canes impudentissimi, amatores cadaverum, carnes sibi fornicarias incorporant, unde & sanguinem ejus consequenter lambunt: quia sicut libidinis, ita & ultionis participes erunt. Alii vero sunt canes, qui fiunt *ex inimicis ab ipso,* qui famem Psal. 67. justitiæ patiuntur, & circumeunt civitatem, non Babyloniæ, sed Ecclesiæ, & quod mortuum à vitiis ibidem reperiunt, comedunt, & sibi consepeliunt. Væ autem his quos extra civitatem mortuos volucres, hoc est dæmones, per inane volantes comedunt, quales fuerunt Achitophel & Absalon, & Jezabel & Judas, qui accipientes E in vano animam suam, in vano etiam efflaverunt eam.

23. Sed redeamus ad agrum Hacheldemach, ut admiremur & æmulemur potius beatarum mansionum gloriam, (Sepultura Christi.) quoniam memoria impiorum peribit cum sonitu; memoria vero justorum vivet in sæcula sæculorum, quales fuerunt Joseph qui erat decurio, vir justus & bonus; & Nicodemus, qui quondam noctis, sed jam diei minister, ad perungendum corpus Domini, cum ferebat mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum. Tales sepulturæ suæ ministros amat Jesus, qui corpus ejus audacter eripiant de potestate tenebrarum, & sibi vindicent, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, ligantes illud castitatis legibus, & disciplinæ linteis, & F à vermium putredine conservantes per mixturam myrrhæ & aloës. Sunt enim hæ species amaræ quidem, sed corruptelam removentes: quoniam laboriosa quidem est castigatio carnis, sed aliter neque mens, neque ipsa caro servatur imputribilis. *Quasi libras centum.* O mensuram bonam & confertam! Librandum sane est inter corpus & animam discretione subtilissima, ut unumquodque plenum suum se habere gaudeat, & fiat pax & æqualitas inter carnem & spiritum, quatenus & mensura teneatur, & non deseratur perfectio. (Johann. Discretio mortificatione.) Hæ sunt quasi libræ centum, quæ corpus Jesu in sepulcro fidelium, integrum

grum & sanum custodiunt. En lectulum Salomonis sexa- A
ginta fortes ambiunt, omnes tenentes gladios, ad bella doctissimi. Lectulus tuus, Jesu-Christe, plusquam Salomon, sepultura tua est, in qua sabbato requiesti ab omni opere quod patrasti. Est autem monumentum tuum in horto novum & in petra excisum: quia amica tua fide-
lis anima *hortus conclusus* est, & renovatur quotidie in agnitione tua, & solidatur in petra amoris tui, consepeliens seipsam tibi in interiori homine, in secreto cubiculi tui. Ibi te ambiunt sexaginta fortes ex fortissimis Israël, in quibus opera sex dierum, opera bona valde perfecta sunt, ut in senario & denario legis imaginem & similitudinem tuam conservent.

## CAPUT X.

*De militum custodia ad sepulcrum Christi.*

24. ISti melius te custodiunt quam fallax impiorum custodia, quia sunt ad bella doctissimi non solum carnis illecebras, sed etiam potestates aerias, nocturnosque timores abigere. Illi qui nocte sicut ebrii sepulcrum tuum obsident, illic trepidaverunt timore ubi non erat timor, quoniam potestas tenebrarum lucem non sustinens, ad nuntium vitæ facti sunt velut mortui. Non ergo te custodiunt filii noctis, sed filii diei: illis enim honorem incutit splendor tuus, ut fugiant à te; is-
18. c tis autem gaudium ut adproximent ad te. *Nobis*, aiunt, C
*dormientibus venerunt discipuli ejus, & furati sunt eum.* O mendaces! verum dixistis, sed mentita est iniquitas sibi. Dormientes enim Christum custodire non possunt, sed qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Vobis quoque dormientibus quid nisi somnia apparent? Ecce habetis copiosam in manibus pecuniam: illam si potestis custodite, ne fures effodiant, vel furentur. Nam discipuli Christi suum thesaurum custodient. Unusquisque quod amat, hoc servare studet. Certe Michol amabat David magis quam patrem suum Saül, ideo per fenestram dimisit eum & servavit. Quid est hoc? Michol filia Saül, filia quondam superbiæ, postquam nupserit specioso David, incipit odisse patrem suum, cui dicitur in D
44 c psalmo: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Unde per fenestram dimittit David. Illam intelligite fenestram, per quam dilectus mittit manum suam. Per hanc fenestram dimittitur ab amica sua ad amicam suam, hoc est ad seipsam; & absconditur in interiore homine, ubi & securus vivat, & iniquos lateat. Abscondit enim se, & exit de templo perfidiæ: quoniam dum citharizat coram Saül, ut spiritum Domini malum faciat ab eo recedere, illis impius hastâ cum pariete tentat configere. Sed declinante David, quid est quod parieti hasta infigitur, nisi quod recedente Christi gratia, mens in-
durata suæ malitiæ telo confoditur? Quid autem ita ho- E
dieque perosum habet Rex tenebrarum Saül, quam David generum suum? Propter quod absente David filiam suam tollit, & dat alteri marito ignobili: sed manu fortis cum redierit & acceperit regnum, rursus sibi vindicat suam, quoniam desponsaverat sibi eam ducentis præputiis Philistinorum, à qua non solum carnis, sed & mentis immunditias abscidat.

25. Væ peccatoribus, Domine, sepulcrum tuum obsidentibus, quoniam vere declinas ab eis, & non inveniunt te in lectulo tuo suavi & florido, sed potius offendunt in statuam cordis sui tenebris involutam, habentes ad caput suum pellem caprinam, peccatorum suorum memoriam fœtentem. Beatus autem qui vigilat ad F
monumentum tuum ut custodiat te, & luctatur mane cum Angelo resurrectionis, ne dimittat eum, donec audiat aliquid de nomine ejus, quod est mirabile, ut & nomen Jacob commutetur in Israël? & transmisso animæ * doloris statim oriatur ei sol justitiæ.

* de gla-

## CAPUT XI.

*De lapidis revolutione, Angelorum apparitione, & Christi resurrectione.*

26. QUis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Marc. 16. a
Clausum est Domine ostium mentis meæ, & premit intellectum meum lapis mortalitatis, prægravatus pondere iniquitatis meæ, nec humanæ prorsus valent illum amovere vires, nisi omnipotens Sermo à regalibus sedibus veniat, Angelus consilii, qui diruat maceriam inimicitiarum, & aperiat nobis sensum ut intelligamus scripturas, & videamus linteamina posita ante nos, hu-
B manitatis & resurrectionis tuæ verissima testimonia. In quibus qui te adjuvante scrutari te potuerit, prægustabit aliquid de gloria resurrectionis, quam præparasti diligentibus te: cujus primitias in sinu tuo collegisti, jam offerens eam semper in conspectu Patris tui, tostas igne Spiritussancti. Et ille quidem Angelus tanti gaudii prænuntius, qui revolvit lapidem, & impias mentes perterruit, pias autem blande leniens timere prohibuit; ille, inquam, Angelus non tantum verbo, sed vultu, habitu, vel actu beatæ resurrectioni testimonium perhibuit. Revolvit enim lapidem, & super eum sedit, lapidem, inquam, qui etiam nunc advolutus est super nos, & faciem nostram deprimit. Quod in prima quoque resurrectione quæ est animæ, non est dubium fieri, ut prementem se corruptionis sarcinam versa vice spiritus subjiciat, ac velut judex & dominus inferioris sui regimen accipiat.

27. Quid autem per candorem nivis, vestimentorum speciem, nisi corporis nostri frigida & mundissima castitas, quæ præsidenti in se angelicæ claritati & testimonium præbet, & obsequium? Porro aspectus ejus interior, ubi signatum est lumen vultus tui, Domine, sicut fulgur, & terribilis est, & lucidus; terribilis, ut inimicos animæ scindat medios & perterreat; lucidus autem, ut tibi vero lumini cum justitia semper appareat. Talis erat facies Moïsi ex consortio sermonis tui, id est, & luminosa & terribilis, quia cornuta erat ad ventilandum inimicos, & velata splendore; quem carnales oculi ferre non poterant. Et nunc Domine scimus & gaudemus, quia resurrexisti vere à mortuis, & longe divisus es à nobis adhuc mortalibus, quia ascendisti super equos tuos igneos, & currum igneum, qui decem millibus multiplex est: verumtamen cecidit nobis à te, & apud nos usque hodie remansit pallium tuum, quæ sunt linteamina corporis tui, quibus potentiæ tuæ opem experiamur in tempore opportuno, ut spiritus tuus duplex fiat in visceribus nostris, quatenus in te & Deum, & proximum diligamus. Circumdederunt nos dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt nos: circumdedit nos mortalitatis nostræ vestimentum scaturiens vermes, qui me assidue comedunt & non dormiunt, qui sunt dolores prænuntii doloris illius maximi, qui venit super nos velut armatus, & improvidos molitur obruere. Quamvis & quis tam providus, ut terrorem illius possit sustinere? Attamen velimus, nolimus, certe sustinendus est, certe transmeandus. Sed noli oblivisci pallium Eliæ; alioquin torrens tibi sine illo non dividetur. Sunt & alii torrentes iniquitatis, pelagus peccatorum meorum, qui conturbant me, atque utinam sic conturbarent, ut cum dolore clamarem: *Pater mi, pater, mi currus Israël & auriga ejus.* Conturbant enim me torrentes iniquitatis, auferentes mihi lumen oculorum meorum, ut non possim videre piissimum Eliam, quando tollitur à me? Si enim viderem, profecto duplex fieret in me ejus spiritus, & clamarem, *Pater mi, pater mi. Misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra*, ait Apostolus, *clamantem*, *Abba Pater.* Duplex spiritus duplo clamat, *Pater mi, pater mi.* Pater mi creator, pater mi reformator, pater mi, pater mi. O vox affectuosa! Currus Israël & auriga ejus, portas & regis, sustines & gubernas. Quem? Israël credentem in te, suspirantem ad te. Ecce sublatus es, amplius te non

Allegoria Eliæ ascendentis & Christi resurgentis.

4. Reg. 13. c

Gal. 4. a

videbit tuus Elisæus. Remansit tamen ei pallium tuum in memoriam tui, ut præsentia absentiæ tuæ dolorem ejus semper & augendo leniat, & leniendo augeat.

Luc. 22. b Caro Christi in Sacramento, Pallium Eliæ.

28. *Hoc sumite*, ait, *in meam commemorationem.* Hoc est sacramentum corporis tui, quod sumimus in tui commemorationem, donec venias. Pallium tuum est caro tua, qua vestitus ad nos processisti, & latuisti quidem perfidos, sed fidelibus tuis te ipsum ostendisti, sicut & usque hodie. Sub hoc pallio abscondita est maxima fortitudo tua, ô fortissime Samson, quam etiam dilectæ non diligenti te ad ultimum non celasti, ut inimicam verteres in amicam. In tantum amasti mulierem non amantem te, sed persequentem te, ut propter amorem ejus sapientia tua stultesceret, & fortitudo infirmaretur. Sed *quod stultum est Dei, sapientius factum est hominibus, & quod infirmum Dei fortius hominibus.* quoniam voluntarie te ipsum Patri sacrificans, & ex potestate tua moriens, concussisti Principes tenebrarum, & regnum eorum attrivisti, & facta est crux tua Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia, his vero qui credunt, Dei virtus & Dei sapientia.

1. Cor. 1. d

## CAPUT XII.

*De Christi apparitione facta discipulis euntibus Emmaus.*

29. QUamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur abs te Domine. Ambulas quidem cum his qui diligunt te, & loquuntur & tristantur super te: sed tamen peregrina est facies tua, & cum cognoscas eos, non tamen cognosceris ab eis. Vere tu es ille Joseph, qui ad fratres tuos quasi ad alienos durius loquebaris, non indignatione, sed miseratione: dum illos duos in via ambulantes & tristes appropinquans, & docebas, & arguebas: *O stulti & tardi corde ad credendum.* Veniunt ergo ad te quasi alieni fratres tui, sed tu benigne appropinquas eis; veniunt ad te cum asinis stultitiæ & tarditatis suæ, & cum saccis vacuis præ inopia, sed tu non solum frumento reples eos, quia etiam pecuniam reddis ligatam in ore sacculi. *Aperto*, inquit, *unus sacco ut daret jumento pabulum, invenit pecuniam in ore sacculi. Reddita est*, ait, *mihi pecunia, en habetur in sacco.* Quidnam est quod fecisti nobis Deus? vacui & stulti veniunt ad te, sed tu remittis eos onustos, & abundantes frumento sapientiæ; insuper & eloquentiæ pecuniam reddis ligatam auctoritate scripturæ: quia linguas infantium facis disertas, ut dent jumentis nondum intelligentibus te pabulum & mensuram tritici in tempore suo.

Allegoria Joseph & Christi.

Luc. 24.

Gen. 42. e

30. Gradere nunc & nobiscum Domine, ne desolemur & tristemur in via hac qua ambulamus: quoniam tu ipse quondam præcedebas filios Israël in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem, & ad nutum tuum deponebant tentoria, & rursus erigebant. Quæ est autem nubes quæ præcedit veros Israëlitas, nisi verissimum & sanctissimum corpus tuum quod in altari sumimus? in quo velatur nobis altitudo diei, immensitas majestatis tuæ, cujus & calorem & splendorem mortalis infirmitas sustinere non posset, nisi mediatrix nubes interposita & ardorem desuper temperaret, & tutam subtus viam præmonstraret. Hanc nubem totus exercitus sequitur, Domine rex sabaoth. Qui autem non sequitur eam, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat. Relucet enim de hac nube semita quæ ducit ad vitam, semita humilitatis & patientiæ, semita mansuetudinis & misericordiæ, & quidquid humano generi per incarnationis tuæ mysterium revelare dignatus es. Relucet nobis ex hac luce legis & prophetiæ gloria, quoniam Moïses & Elias tecum apparuerunt in monte, sed nubes lucida obumbravit eos: nec ipsi enim, sicut & nos, sine tua protectione salvari potuissent. Verumtamen illis sicut amicis & domesticis, immo domesticorum & amicorum tuorum præcipuis, sacramenti tui nubes erat prælucida, quæ nobis jacentibus & projectis à facie oculorum tuorum valde subobscura est: sed imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, quoniam sub nube tua nutris & perficis, & deducis velut ovem Joseph. Hæc est columna nubis, quæ per diem præcedebat filios Israël. Columna vero ignis per noctem Spiritus-sanctus est, qui super Apostolos in igneis linguis apparuit, qui cæcitatis nostræ caliginem illuminat & sursum erigit, ut sapiamus ea quæ sursum sunt, non quæ super terram. Nubes ergo per diem, & columna ignis per noctem; quia caro tua & divinitatis æstum nobis temperat, & Spiritus-sancti lux tenebras nostræ mentis illustrat. Igitur dum loquereris in via duobus discipulis tecum pariter euntibus, & nubes peregrina faciem tuam tegeret, *Nonne*, inquiunt, *cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Ardebat nimirum intus columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos.

Caro Christi in Sacramento nubi lucidæ comparata.

Spiritus-sanctus nocturnæ columnæ.

Luc. 24.

31. Sed ubi tandem cognoverunt eum? *In fractione panis.* Et vere non cognosceris Domine, nisi in fractione panis. Panis caro tua est. Fregisti manibus tuis corpus tuum, quia potestatem habebas ponendi animam tuam, & iterum sumendi eam. Fregisti corpus quod foris apparebat, & ostendisti medullam quæ intus latebat. nisi enim patereris, non cognoscereris. *Ibi*, inquit, *abscondita est fortitudo ejus.* Quæ est autem fortitudo tua, nisi misericordia, nisi mansuetudo, nisi humilitas, nisi patientia? Has virtutes fortissimas & suavissimas in fractione panis, hoc est in passione tua, nobis ostendisti. His virtutibus caro tua, quod nos sumus, nutritur paulatim, & proficit, & perficitur. Et primum quidem inter duas molas spei & timoris molitur sicut frumentum, ut fiat nova conspersio. Deinde cum in formam panis transierit, coquitur in clibano passionum: postea cum benedixeris ei omni benedictione spirituali, & dixeris, *Consummatum est*, frangis & ipsum corpus nostrum quod in manibus tuis est, & in manus tuas committimus: & ibi agnosceris, non in specie peregrina, sed in facie propria, ut jam non lancea latus tuum nobis aperiat, sed digito palpare & videre possimus, quia tu es Domine Deus noster.

Cognoscitur Christus in fractione panis.

Abac. 3.

Johann.

## CAPUT XIII.

*Pia ad Christum adspiratio ad obtinendam S. Scripturæ intelligentiam.*

32. PAter orphanorum & judex viduarum, numquid non vides viduam hanc pauperculam & desolatam, animam meam, non habentem aliquos neque fratres, neque amicos, aut vicinos, à quibus mutuo accipiam vasa vacua non pauca, quæ mihi filii mei suggerant; & ego infundam de modico olei, quod mihi de te residuum est, ut tu benedictionis tuæ plenitudinem omnibus exhibeas? Intelligo enim Domine vasa vacua esse, litterales quosdam & historicos sensus scripturæ tuæ, quæ non pauca sunt, ut totus mundus ea capere non possit. Quæ quidem vasa sanctissimi templi tui Babylonius rex, hoc est superbiæ principatus, captiva sibi ducit, suisque conviviis, non ad gloriam, sed ad ignominiam suam servire cogit, usurpans sibi scientiam legis tuæ, & bibens in vasis sanctuarii vinum prostitutionis suæ, unguentis meretriciis donaria tua commaculans. Propter quod etiam ex adverso parietis, crudelis, sed justa contra eos sententia conscribitur; quia *omne regnum in seipsum divisum desolabitur*, & tradetur Medis & Persis, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed venenatis & ardentibus sagittis parvulos & stultos eorum sensus interficiant. Tu autem, Domine, pauperis & desolatæ viduæ misereberis, ne pessimus & importunus fenerator, qui ad usuram perditionis meæ, multa mihi talenta iniquitatis suæ credidit, duos filios meos, interiores animæ meæ sensus, ad serviendum sibi tollat. Bonum & salutare consilium tuum, ut petam mutuo vasa non pauca, & benedictione superabundantis olei redimam peccata mea; de reliquo autem cum filiis meis vivam. Sed quia nec vicinos habeo, nec liberos, à quibus commodem exercitium mentis meæ: statim, ut remisero manus, invadit me creditor improbus ille, & duos filios meos, id est intellectum

Vasa Sacra sunt S. Scripturæ.

Luc. 11. c

& affectum inertiæ, vanisque illusionibus suis deservire cogit. Tu ergo misericors viduarum defensor, quoniam dives es nimis & das omnibus affluenter, tu, inquam, ipse mihi commoda, & vasa quæ nosti ad hæc utilia esse, & oleum ut tua sint omnia, & omnia serviant tibi: quia nolo in Ægyptum oleum tuum deferre, ut non peccem tibi, sed tantummodo ne panem otiosa comedam; quin potius tota die exerceam in justificationibus tuis & vivam. Et ecce quod filius memoriæ meæ mihi obtulit, sicut primum inter manus meas incidis, arripiam.

## CAPUT XIV.

*De tribus Quinquagenariis ad Eliam missis, ad capturam 150. piscium allegorice relatis.*

33. STabat Elias in vertice montis, & mittitur ad eum quinquagenarius primus, qui igni consumptus est, & secundus similiter, tertius tamen humilitatis & devotionis merito reservatus est. Ecce vas, sed vacuum, quia potius sic acceptum crudelitatem resonat. Impleatur oleo, & gravis ex eo sonus cessabit. Quis enim Elias stans in vertice montis, nisi * Domine Jesu qui sursum Patri assistis? Venit ad te quinquagenarius primus, quem tibi aridus præ nimia siccitate mundus transmittit, & clamat ad te: *Homo Dei, descende de monte.* Mundus enim cognoscit, quia sine te salvari non potest. Homo Dei * & Deus homo, moveat te quem quæris homo, ut homini condescendas. Descende de monte. Nullus tibi appropinquare potest, nisi tu appropinquaveris ei, nullus ad te potest ascendere, nisi tu descendas ad eum. *Homo Dei descende de monte.* Tu es mons elevatus super verticem montium: descende & compatere nobis in convalle lacrymarum. *Si homo*, inquit, *Dei sum, descendat ignis de cælo*, &c. *Ignem enim veni mittere in terram*, & quam volo ut accendatur, & devoret te, & quinquaginta tuos. Obsecro Domine, ut super me descendat ille ignis, & devoret in me veterem hominem cum actibus suis. Hic est quinquagenarius primus, quem tuus ignis devorat, ut ab omni opere servili requiescere faciat. Quinquagenarius autem secundus, ipsa est activa, quæ similiter finem habet, sabbatum ex sabbato. Hanc quoque in holocaustum tuus ignis absumit. Et in primo quidem quinquagenario crematur hircus, in secundo aries incenditur. Tertius autem, qui est resurrectionis vel contemplationis, finem non habet, sed cum Elia semper vivit. Unde bene lectum est in Evangelio de magnis piscibus centum quinquaginta tribus, qui omnes in unum piscem redacti sunt, quem super prunas positum septem discipuli viderunt, & una cum Jesu, qui octavus erat, pransi sunt.

34. Ipse numerus, hoc est centum quinquaginta, qui sunt tres quinquagenarii & septem discipuli, requiem concorditer sonat; & sicut singuli quinquagenarii ad unitatem, ita septem discipuli ad octavam, hoc est ad Christum tendunt, & in uno omnes consummantur. Sicut autem unum corpus, unus panis, unus homo vel unus piscis, Christus & omnes electi; ita diabolus cum omnibus reprobis, unum corpus & unus hostis. *Est enim aquila grandis magnarum alarum*, &c. *Aquila*, propter nimiam naturæ plumalis perspicaciam; *grandis*, propter superbiæ altitudinem; *magna ala* & adhærentes sibi, & extollentes eum, malignorum spirituum potestates, longo membrorum ductu pessimi homines, quorum ministerio fungitur ad pugnam contra bonos. Et bene longo, quia adhuc quotidie veniunt & durant usque ad finem sæculi, ducatum superbiæ sequentes: plena plumis, fallaciæ dolis, & varietate, quia easdem artes variis modis ad decipiendum transfigurat. *Veniet ad Libanum*, animam sæculi, & vitæ & fidei merito candidatam. *Tulit medullam cedri.* Cedrus imputribilis, altitudo spei, cujus medulla caritas, quam singulariter nititur expugnare diabolus. Summitatem frondium ejus avellit, id est sermonem sapientiæ, qui excellentissimus est, avellit ab amore Dei, & transportavit in terram Sennaar, hoc est fœtoris eorum, quod significat inanem gloriam.

## CAPUT XV.

*De Mariæ Magdalenæ devotione in Christo requirendo, & ejus visione.*

35. IN *die illa sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api quæ est in terra Assur.* Sibila Domine & huic muscæ immundæ peccatrici animæ meæ: spiritus tuus bonus deducat eam in viam rectam, ut vadam ad excelsam & montuosam promissionis terram, quæ de superioribus suis irrigatur, & de cælo exspectat pluviam, non sicut terra Ægypti, quam fluvius de terra ebulliens totam cooperit. Non est enim mons oppositus, non est aliquod obstaculum concupiscentiis Ægypti; sed sicut de terrena mente ebulliunt, super dejectam animæ superficiem sine mora decurrunt. Isa 7. d

36. Habet autem septem ostia fluvius Ægypti, quæ de uno capite, id est superbia, derivantur. Horum extremum intelligitur luxuria carnis, de qua muscæ nascuntur, immunditiæ semper amatrices: nec istam despicit superabundantia gratiæ, sed sibilat & evocat eam de extremo fluminum, & jungit api quæ erat in terra Assur, ut veniant & requiescant simul in torrentibus vallium & in cavernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in universis foraminibus. Apis virgo est, sed quamdiu in terra Assur, hoc est elationis moratur, mel non potest operari; sola repromissionis terra lacte & melle fluit. Sibilante ergo gratia, musca & apis conveniunt, & simul requiescunt in torrentibus vallium. In illis torrentibus & apis de superbiæ & musca de luxuriæ sordibus emundantur. Torrentes vallium disciplinæ sunt humilitatis. Torrentes quare? Quia si quis mæror, si qua gravitas in corrigendis vitiis, cito prætereunt. Unde *mulier cum parit tristitiam habet*, &c. Nam labor vertitur in amorem, & tædium in desiderium, & amaritudo in dulcedinem, sicque de torrentibus vallium proficiunt ad cavernas petrarum. Petræ firmissimi atque fortissimi in fide Patres sunt, in quorum passionibus veluti suis exemplaribus musca & apis quasi columbæ nidificantes requiescunt. Unde non cessat manus eorum, non cessat pes, sed in omnibus frutetis bonorum jugiter exercitatæ, sic demum ad contemplationis foramina perveniunt. Joann. 16. a

37. Hæc sunt opera tua Domine Jesu, quia sunt bona valde. Sic Mariæ Magdalenæ sibilasti, de qua non unum, sed septem flumina ejecisti. Vide quomodo requievit in torrentibus vallium, intravit inter epulas discumbentium, cucurrit ad pedes Jesu, effundebat super eos torrentes lacrymarum: ad lavanda Domini sui vestigia, non alias quam oculorum suorum undas attulit, capillis suis pro linteis usa est. Tum vero ubi affectus vehementior incanduit, & velut carbo lacrymarum umbræ repersus fortius exarsit, videres ab illa sacratis vestigiis creberrima & insatiabilia oscula infigi, videres effusæ unctionis suavitate totam domum compleri. Quid igitur illa nisi in torrentibus vallium requiescebat, de qua tot & tanti gratiæ torrentes effluebant? Unde etiam dimissis ei peccatis multis, quia multum dilexerat, jam sicut columba quæ lacte est lota, residebat ad pedes Jesu juxta fluenta plenissima, cum quidem soror ejus Martha satageret circa frequens ministerium. Quid memorem de sepulturæ officio quod prævenit, de pedibus ascendens ad unctionem capitis, cum in eam fremeret illud avaritiæ sepulcrum fœtens *, odorem pietatis ferre non sustinens? Non potuit amor tantus Christo etiam moriente mori: fugientibus & latentibus viris, hoc est Apostolis, mulier imperterrita stabat ad monumentum plorans: non habebat vivum, & tota super mortuum ardebat. Corpus erat sublatum, à monumento recedere non valebat. Quo plus de manibus & oculis auferebatur, eo ardentius animus insequebatur: si fieri posset pro redimendo corpore, sepulcrum lacrymis implevisset. *Stabat*, inquit, *plorans*, id solum ei de te residebat. Corpus erat sublatum, sed quis auferat ei ploratum? Indulge, domina, indulge totis habenis, & effundere, procurrens ad infatigabiles lacrymas, donec sublatum, immo resurgentem Dominum tuum consequaris. Iterum & iterum inclinare, vel locum

Magdalenæ devotio in quærendo Christo commendatur.

* Judas.

vacuum, ubi positus fuerat, sæpius intuere. Amplius & amplius ipse te ad plorandum locus irritat, dum ejus quem quæris absentiam repræsentat.

Johann. 20. c

38. *Vidit*, inquit, *duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Mulier*, inquiunt, *quid ploras? Quem quæris?* Et quidem bene noveratis, ô piissimi Angeli, quid ploraret & quem quæreret: quare illam commemorando iterum in fletus excitatis? sed prope erat insperatæ consolationis gaudium, ideo tota vis doloris & plorationis excurrat. *Conversa retrorsum vidit Jesum stantem; & nesciebat quia* JESUS *est*. O pium, ô delectabile pietatis spectaculum! ipse qui quæritur & desideratur, & occultat se, & manifestatur. Occultat se ut ardentius requiratur, & requisitus cum gaudio inveniatur, inventus cum sollicitudine teneatur, & tentus non dimittatur, donec in amoris sui cubiculo mansionem facturus introducatur. Hac arte Sapientia ludit in orbe terrarum, & deliciæ ejus esse cum filiis hominum. *Mulier quid ploras? quem quæris?* habes quem quæris, & ignoras? habes verum & æternum gaudium, & ploras? habes intus quem foris requiris. Vere stas ad monumentum foris plorans. Mens tua monumentum meum est. Ibi non mortuus, sed in æternum requiesco vivens: Mens tua hortus meus est. Bene existimasti, quia hortulanus sum. Secundus Adam ego sum, operor & custodio paradisum meum. Fletus tuus pietas tua, desiderium tuum opus meum est: habes me intra te & nescis, ideo foras quæris. Ecce & foris apparebo, ut te intus reducam, & invenias intus quem foris quæris. *Maria*, novi te ex nomine, disce me cognoscere ex fide. *Rabboni*, id est Magister. Quod est dicere: Doce me quærere te, doce me tangere te & ungere. *Noli*, ait, *me tangere* sicut hominem, nec sicut prius tetigisti & unxisti mortalem. *Nondum ascendi ad Patrem meum*, nondum credidisti me Patri coæqualem, coæternum & consubstantialem. Hoc igitur crede, & tetigisti me. Hominem vides, ideo non credis. quod enim videtur non creditur. Deum non vides: crede & videbis, credendo me tanges, sicut & illa mulier quæ vestimenti mei fimbriam tetigit, & confestim sanata est. Quare? quia fide sua tetigit me. Hac manu tange me, his oculis quære me, his pedibus festina currens ad me, nec longe à te sum. Deus enim appropinquans ego sum, verbum in ore tuo & in corde tuo sum. Quid propinquius homini quam cor suum? Illic intus invenior, à quibuscumque invenior. nam quæ foris sunt videntur. Opera mea quidem sunt, sed transitoria sunt, sed caduca sunt: ego autem horum artifex in secretissimis & in mundissimis cordibus inhabito.

## CAPUT XVI.

*Pia ad Christum adspiratio ad obtinendas virtutes.*

39. DAta est tibi, Domine Jesu, omnis potestas in cælo & in terra, Rex magne, Rex virtutum, quia factus es obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce elevata est magnificentia tua super cælos, & omnia subjecta sunt sub pedibus tuis. Regnavit David prius in Hebron septem annis super Judam, postea vero unctus est super universum Israël, & regnavit super eum triginta tribus annis. Cum autem super Judam tantum ungereris, verissime David, in Hebron, jam mortuus erat Saül in eis rex superbiæ. alioquin vivente illo & dominante eis peccato, non dicerent tibi: *Os nostrum & caro nostra es.* Quis enim membrum Christi, & membrum simul potest esse meretricis? aut quæ conventio Christi ad Belial? *Ecce nos*, inquiunt, *os tuum & caro tua sumus*, sed & heri & nudiustertius, cum esset Saül rex super nos: tu sustines in multa patientia vasa iræ apta in interitum, & exis ante nos, provocans ad bellum contra vitia, & liberas & educis indignos de manu peccatorum. Idcirco primus Judas, id est confessio, ungit te super se regem in Hebron. Mortuo quippe Saüle, beneficiorum tuorum reminiscitur, & errorem suum confitendo, transitum facit de peccatis ad te, Rex justitiæ. Regnas autem super Judam septem annis in Hebron, quia reddis eis septuplum in sinu eorum, & septem vitiis expiatos, quibus præerat superbus Saül, tua septemplici virtute reformas. Post transitus regni tui fit in Jerusalem super universum Israël: quia per negotium confessionis, illuminatis jam sensibus, pervenitur ad visionem pacis, in qua factus est locus tuus. Et ipse est mons quem constitueras discipulis, ut irent in Galileam, & viderent & adorarent te ibi post resurrectionem tuam; quia jam unxerat te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis, ut esses primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.

40. Porro in Jerusalem regnas triginta tribus annis. Triginta, tres habet decades, in decade sex quæ decem præceptis consistit, in ternario triplex animæ profectus accipitur, quæ vivendo, meditando vel amando legem Dei custodit. De primo dicitur: *Laudabo Deum meum in vita mea.* De secundo; *Lex tua meditatio mea est.* De tertio: *Quomodo dilexi legem tuam Domine!* Tres vero qui super triginta sunt, quosdam contemplativorum excellentissimos indicant, qui puritate conscientiæ, plenitudine sapientiæ, perfectione caritatis summæ Trinitati approximant. Hic est etiam numerus fortissimorum qui sunt in exercitu tuo, Potentissime, quorum tamen eminentissimi usque ad sapientiam & fortitudinem tuam non perveniunt, quoniam *quis in nubibus æquabitur Domino, aut similis erit Deo in filiis Dei?* Tu es quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui virginaliter editus, humilitate & caritate tua omnem perforas duritiam, uno impetu spiritus tui octingentos interficiens Princeps militiæ. Quis ita fortis ut tu, quis ita misericors, qui flesti super Jerusalem, & planctum fecisti super interitu inimicorum tuorum? Et tunc doles tu super Saül & super Jonatham filium ejus, qui occumbunt quotidie super montes Gelboe. Nisi enim doleres, non clamares de cælo: *Saule, Saule quid me persequeris?* Quos enim Saül nisi superbos in Ecclesia tua Prælatos significat, qui ab humero & sursum eminere sibi videntur super universum populum? Qui vero per Jonatham, nisi dociles & elegantis ingenii adolescentes, qui moribus & colloquiis majorum depravati, amicitiam suam non possunt excolere cum David, nisi furtim, & quasi caventes ab insidiis detrahentium & illudentium sibi?

Psal. 14[...]
Psal. 11[...]
Ibid.
Psal. 88
Act. 9.

41. Merito ergo ploras, ô benigne David, super Saül & Jonatham filium ejus: plorandi enim non essent si bene occubuissent: sed super montes Gelboe qui decurrunt in profundum, nec ros gratiæ, nec pluvia doctrinæ veniet amplius, quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saül. Clypeus fortium spes est divinæ protectionis, quo ignita diaboli jacula repelluntur, quibus graviter vulneratus est Saül à sagittariis, in tantum, ut se ipsum desperatione interficeret. Clypeus autem Saül propriæ virtutis confidentia est, quæ non valet resistere sagittis incircumcisorum. *Væ autem his qui amiserunt sustinentiam*; hoc est clypeum fortium, *& maledictus qui confidit in homine*, quod est clypeus Saül. Erit enim quasi miricæ in deserto: quia nec ros nec pluvia venient super vos, montes Gelboe. Quomodo ceciderunt fortes? si enim fortes, quomodo ceciderunt? Et si ceciderunt, quomodo fortes? sed non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua, sed qui gloriatur in Domino glorietur; ut qui stat videat ne cadat. Nam si sint aquilis velociores, ut contemplativos velocitate intellectus supervolent; & si leonibus fortiores, ut in fortitudine operis veros prædicatores superent; tamen si de se præsumentes clypeum salutis abjiciunt, erunt corruentes coram inimicis suis. Qui autem confidit in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum. Sed maluit Saül incumbere super hastam suam, quam inniti super Dominum: idcirco baculus Ægypti arundineus perforavit manum ejus. Sua enim hasta, suus auriga, qui currum insolentiæ ejus agitabat, interfecit. *Sciebam*, inquit, *quod vivere non posset*: nescit enim humiliari arrogantis obstinatio, ut vivere possit. Jube Rex justissime David, jube puero tuo, hoc est spiritui puræ discretionis, ut interficiat in me Amalecitam hunc armigerum Saül, qui ausus est etiam nunc quotidie manum mittere in Christum Domini.

Spes cly[peus] fortium.
Eccli. 2.
Jerem. 1[7]
2. Reg. 1.

# LAMENTATIO IN PASSIONEM CHRISTI.

*Edita est primum Ingolstadii anno 1617. à Gretsero sub nomine Bernardi, ex Bibliotheca Cartusiensium Erfordensium.*

1. QUIS me consolabitur, Domine Jesu-Christe, qui te vidi in cruce suspensum, plagis lividum, morte pallidum; & non sum crucifixo compassus, obsecutus mortuo, ut saltem lacrymis meis loca illa vulnerum delinirem? Quomodo dereliquisti me insalutatum, cum formosus in stola A tua, Rex gloriæ, in alta cælorum te recepisti? Prorsus renuit consolari anima mea. Heu me miserum, unum de miseris filiis Evæ elongatis à Deo! Quid faciet, altissime Domine, quid faciet ille longinquus & exsul? Heu mihi, Domine, heu animæ meæ, recessisti consolator animæ meæ, nec valedixisti mihi. Quid dicam, quid faciam, quò vadam? ubi te Dominum meum quæram? ubi te inveniam? quem interrogabo? quis annuntiabit dilecto meo, quia amore langueo? Renuit consolari anima mea, nisi te, dulcedo mea sancta, attenderem & ad osculum oris tui. im. O bone Jesu! cruentam bestiam * aversatus non es, sed os in quo non inventus est dolus, ori in quo abundavit malitia, dulciter applicuisti. Quis audiet sine gemitu, qualiter in illa hora homicidæ tibi manus injecerunt, & innocentes manus tuas, Jesu bone, constringentes, te Agnum mansuetum nihil obloquentem ad instar latronis traxerunt ad victimam? Sed nec tunc misericordia tuæ dulcedinis, Christe, super inimicos tuos stillare desiit favum mellis. Nam mutilatam à discipulo tuo aurem inimici tui sanasti tangens.

2. Attende, anima mea, quis est iste habens imaginem quasi Regis, & nihilominus servi despectissimi confusione repletus. Coronatus incedit, sed corona ejus cruciatus est illi; quia mille puncturis speciosum ejus verticem vulneravit. Regali purpura induitur; sed in ea potius despicitur, quàm honoratur. Sceptrum gestat manu; sed eo ipso venerandum ejus caput feritur. Adorant coram ipso positis in terram genibus, & Regem clamant; & continuo ad conspuendum amabiles genas dissiliunt. Maxillas palmis concutiunt, & collum honorabile exhonorant. Sub crucis onere dorsum incurvare cogitur, & suam ipsius ignominiam portare jubetur. Liquesce, anima mea, igne compassionis super contritionem amabilis juvenis istius, quem in tanta mansuetudine vides tantis afflictum doloribus. Qualis est hic, quia cælum & terra compatiuntur ei? Cognosce, anima mea. Iste formosus præ filiis hominum, sed & præ millibus Angelorum, quàm deformis præ filiis hominum factus s. est. Quia *vidimus eum novissimum virorum, non habentem speciem neque decorem*. Respice, Domine, sancte Pater, ecce enim vox sanguinis fratris mei Jesu-Christi clamat ad te de terra, id est de cruce. Intuere dulcem natum tuum toto corpore extensum. Cerne manus ejus innoxias promanantes sanguine, & remitte mihi scelera quæ perpetraverunt manus meæ. Considera Filii tui latus crudeli fossum cuspide, & renova me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia duris con-16. fixa clavis, & *perfice gressus meos in semitis tuis*. Candet nudatum pectus; rubet cruentatum latus: hominis Dei conspice pœnam, & releva hominis conditi miseriam. Misi propaginem tuam inter me & te Deum mediatorem; misi, inquam, intercessorem, per quem spero veniam. Multum quippe est quod mea meruit impietas; sed longe majus est quod reposcit Conditoris pietas. Quanto Deus superior est homine, tanto mea malitia inferior est ipsius bonitate. Dominum Jesum-Christum habemus advocatum; non sævum hominem, non crudelem tyrannum habemus judicem; sed pium Dominum, qui bene meis scit infirmitatibus compati. Scio enim quod si coæternus tibi sancte Pater, Filius non esset, peccator homo non auderet polluta ad te labia aperire. Dat ausum loquendi Christus Deus, quem habemus sacerdotem in cælis pro nobis interpellantem. In ejusmodi confido advocato, in ejus misericordia spero.

3. O Dilectissime Pater, quando te videbo? quando *Psal 41.* ante faciem tuam apparebo? quando satiabor pulcritudine tua? quando videbo vultum tuum desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes adimplet lætitia, quem omnes deprecantur divites plebis, quem sputis inquinaverunt, manibus ciciderunt, velut derisorem eum cooperuerunt, nec pepercerunt amaris *al. male* vulneribus virginem carnem * divellere? Quid commi- *matrem.* sisti, dilectissime puer, ut sic cruciareris? Quid fecisti, amantissime juvenis, ut sic judicareris? Certe ego causa doloris tui, causa tuæ culpæ, & tuæ offensionis occasio. O amor mirabiliter ardens, ipsam, ut ita dicam, deponens altitudinem, virtutem infirmans, exinaniens majestatem. Ut quid hæc omnia? Certe ut de hac paupercula meretrice exhiberet sponsam non habentem maculam neque rugam. Ipsa sponsa est anima humana, quæ B fornicata est cum diis multis, quia cum amatoribus suis, sub omni ligno frondoso prosternebatur meretrix. O meretrix! quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Væ animæ te non quærenti, te non amanti! quæ si mundum diligit, peccatis servit, numquam quieta, numquam secura. Nihil quæso sine te mihi dulcescat, nihil placeat: nihil speciosum, nihil præter te arrideat pretiosum, vilescant omnia præter te. Quod tibi est adversum mihi sit molestum, & tuum beneplacitum sit mihi indeficiens desiderium. Tædet gaudere sine te, delectat gaudere tecum, & flere tecum, & conturbari pro te. Sit nomen tuum refocillatio mea, memoria tua consolatio mea. Si peccata mea prohibent, si me delicta C mea excludunt ...... * non repellit. O bone Jesu! Me- ** supple benignitas tua me.* moria tua super mel dulcis; meditatio tui plusquam omnis cibus suavis: de te loqui plena refectio, te nosse perfecta consolatio: tibi adhærere vita æterna; à te separari mors est perpetua. O quàm excelsus tu es, & quàm humilis corde. Fac me gustare per amorem, quod gusto per cognitionem. Fame tui amoris languet anima mea; refocilla eam: satiet eam dilectio tua, impinguet eam affectus tuus, impleat eam amor tuus. Quid enim mihi moveat crebras lacrymas, nisi absentia Jesu-Christi? O bone Jesu! si tam dulce est de te flere, quàm dulce est de te gaudere. Novi quod sis lenis natura, mitis & humilis corde, blandus aspectu, & quidem unctus oleo D lætitiæ præ consortibus tuis. Qui non sentit odorem tuum Christe, aut fœtidus aut mortuus est. Tota dulcedo terræ humanitas Christi: tota dulcedo cæli spiritus Christi.

4. O quàm dulciter, Jesu-Christe, cum hominibus conversatus es; quàm fortiter tam indigna & aspera pro hominibus passus es. Et tu, Domine, pro injustis passus es, moriens propter delicta nostra, qui venisti gratis mortuos vivificare, servos facere fratres, coheredes captivos, exsules reges. Sed, ô bone Jesu, quid fecisti, quod majus ** aliquid deest.* esset cum magis esset gaudentium *, cum operabaris salutem in medio terræ nostræ, affigens peccata nostra cruci, damnans diabolum & salvans miseros? Vere, Domine, E dignum fuit & justum ut fleres, & eadem causa flendi nobis exsistit hodie super filios Adam. Flevit enim Deus, ut Passio sua sufficeret redemptioni omnium, cum profuit redemptioni paucorum. O dulcis Domine fodiendas præbes manus tuas & pedes, ut procedat cælestis thesaurus qui in illis latet, & sit nobis redemptio copiosa. O quanta est amaritudo peccatorum meorum! Væ mihi! pro iis necesse fuit Dominum vulnerari. Certe, bone Jesu, si non essent hæc ad mortem æternam, nequaquam oportuisset te mortem subisse, ut ego viverem. Sed quid faciam? Ecce tu filius Altissimi moreris, ut

ego vivam. Et unde tibi dignatio tanta, caritas tam immensa? Et quid, bone Jesu, pro tali tua morte & mea vita tibi rependam? Plus enim videris diligere vitam meam, quàm animam tuam, quam in manus inimicorum tradidisti pro me Jesu-Christe, ut me restitueres vitæ, & ab inimicis me tam crudelibus eriperes, liberares à morte. Et quis sum ego pro cujus salute tanta fecisti, ita te exinanisti, quem tam dilexisti, pro quo etiam descendisti in carnem, in passionem, in mortem, mortem autem crucis? Heu mihi peccatori pro nimia iniquitate & impietate mea! O lacrymæ, ubi vos subtraxistis, ubi estis fontes lacrymarum? humectate maxillas meas, irrigate genas meas, fluite super faciem. Heu me mise-

A rum! Omnis creatura compatitur Christo, & turbatur de morte sua, sed miserum cor meum non compatitur Creatori suo morienti pro ipso. Flete me cælum & terra, lugete me omnes creaturæ. Melius esset me non esse creatum, quàm sic induratum cor meum remanere de tanta morte. O Domine, quantum humiliasti te. Sed per mortem tuam, cui tam fuit cara anima mea Jesu bone, libera me ab iniquitatibus meis, & per passionem tuam fuga impietatem meam. Per illa ergo vincula quæ manus tuas sanctas tam acriter ligaverunt, solve vincula iniquitatis meæ. Passio tua sancta & dura animam meam tam dilectam tibi liberet à morte æterna. Amen.

---

# INSTRUCTIO SACERDOTIS,

## SEU TRACTATUS

## DE PRÆCIPUIS MYSTERIIS NOSTRÆ RELIGIONIS.

Hic TRACTATUS *primum ab Horstio editus, pius quidem est, sed non assequitur genium* S. BERNARDI: *cujus tamen præferunt nomen Mss. In cod. Cirsterc. à R. P.* JACOBO DE LANNOY *ad nos transmisso inscribitur*, GEMMA CRUCIFIXI.

### PROOEMIUM.

*Reverendo Sacerdoti, frater* BERNARDUS, *ille servus antiquus & novus, in novitate vitæ ambulare.*

SATIS superque compertum est, quàm anhelanti desiderio, quàm æstuanti intentione concaleat cor tuum intra te, & in meditatione tua exardescat ignis flammigerans in ossibus tuis; & hoc in signum præsenti mihi injunxisti, absenti scripsisti, & per fidelem nuntium denuo inculcando mandasti; ut tibi aliquas scintillulas colligerem, exsilientes de illo magno camino caritatis * Verbi incarnati. Sed quis ego, ut præsumam os meum in cælum ponere? Scriptum quippe est: *Bestia quæ tetigerit montem, lapidabitur.* & rursum: *Altiora te ne quæsieris; & qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Coarctor ergo à duobus: supra vires est quod exigis; negare tamen formido quidquid requiris. Scio enim qui dixit: *Bonum opus nobis in voluntate sit: nam ex divino adjutorio erit in perfectione*; & vires quas imperitia denegat, caritas administrat. Accipe itaque syllabas aliquas ex sacris litteris, passim sparsimque comprehensas, in quibus si quid fragrantiæ, si quid dulcoris, si quid interni saporis palato pii cordis degustaveris, nolo mihi attribuas; sed nobilibus illis pigmentariis, de quorum apothecis emendicatum est, referas gloriam. Intentio tua, ni fallor, hæc erat: explanari tibi veris auctoritatibus & congruis exemplis, quomodo Christus, cum in altari sit opertus & velatus sub specie panis; tamen maneat in splendore incircumscriptæ & inæstimabilis claritatis. Scire debes, quod scire hoc, non est viatoris, sed comprehensoris; non exsulis in valle plorationis, sed civis patriæ cælestis; non militantis, sed triumphantis; non hoc datur currentibus, sed pervenientibus; non præcedit ad meritum, sed accedit ad præmium. Quis enim major, vel par illi, qui post raptum supereminentiamque tertii cæli, post perspecta arcana cælestia, quæ non licet homini loqui, dicit; *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: & iterum, *Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut & cognitus sum*? Vas igitur electionis, in quo si oculus conscientiæ caligavit, quis se videre præsumet? Videamus tamen interim cum ipso per speculum & in ænigmate, quod possumus; & si nondum revelata facie gloriam Domini speculari sufficimus, nec rotam solis directa acie intueri valeamus, saltem interposita nube radiis ipsius aliquatenus illustrari affectemus. Et his præmissis de proposito, prævia Dei gratia, quod possumus exsequamur. Pauca igitur dicturi, dicendorum seriem tribus tantum capitulis prædistinguimus, prænotantes tria

[Margin: * al. claritatis. — Exod. 19. &c. Heb. 12. c Eccli. 3. c Prov. 25. d — Argumentum hujus Tractatus. — 1. Cor. 13. d — Ibidem. — Tres partes principales hujus Tractatus.]

B dona, quæ nobis conferenda ab æterno præordinavit Dei Sapientia, vel potius unum donum tribus operibus, ad tres usus conferendum. 1. Quod Filius Dei dedit se nobis moriens pro nobis. 2. Quod dat se nobis in eucharistia. 3. Quod dat se nobis in æterna vita.

### PARS PRIMA.

*Quod Filius Dei dedit se nobis moriens pro nobis.*

### CAPUT I.

*De lapsu hominis à dignitate primava conditionis.*

C 1. OMne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Revera *datum optimum*, quia dator optimus. Ut enim ait Boëtius, porro optimus ille summus artifex, & ab eo longe relegata est omnis invidia. Vide, ô homo, quid ipse tibi erogavit, immo quid prærogavit, & supererogavit. Creavit cum non esses, recreavit cum perditus esses: creavit ut esses particeps beatitudinis suæ; recreavit ne post lapsum permaneres exsors patriæ & exsors felicitatis æternæ; creavit te ad imaginem & similitudinem suam; ad imaginem conferens tibi naturalia, ad similitudinem largiens gratuita; ut mente excelleres, & omnia irratio-

D nalia ratione vinceres.

*Pronaque cum spectent animantia cetera terram:*
*Os homini sublime dedit cælumque videre*
*Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus:*

ut semper respiciens sursum, Creatorem tuum in mente haberes, & originem tuam incessanter ad animum revocares. Fecit enim te, ut dictum est, ad imaginem suam & similitudinem Deus: ad imaginem, ut haberes memoriam, intellectum, discretionem & cetera naturalia: ad similitudinem, ut haberes innocentiam, justitiam & alia gratuita; ad imaginem in cognitione veritatis, ad similitudinem in amore virtutis. Vel certe factus es ad imaginem Dei collatis tibi omnibus istis; ad similitudinem se-

E cundum essentiam Deitatis factus es immortalis & indivisibilis. Omnis creatura propter te facta est; cælum, ut esset tibi patria, & delectareris in aspectu pulcritudinis ejus; terra, ut delectabiles & pulcherrimos ferret tibi fructus. Solem & lunam, & cetera sidera tibi fecit lucentia: dominium dedit tibi super volucres cæli, & bestias agri, super pisces maris, ut omnibus his ad libitum tuum dominareris. Ecce datum optimum & donum perfectum desursum descendens. Quid ultra debuit tibi facere, & non fecit?

2. Post hæc talia & tanta dona es prævaricatus, ut ires in locum pessimum, de vita ad mortem, de incorruptio-

[Margin: Jacob. 1. — Dei erga hominem beneficia. Gen. 1. d. — Ovid. lib. 1. Metam. — Dei imago & similitudo in homine quid. — Omnia propter hominem facta — Hominis lapsus in miseriam.]

ne ad corruptionem, de libertate ad servitutem, de gloria A ad pœnam, de innocentia ad culpam, de patria in exsilium, de gaudio ad luctum, de beatitudine ad miseriam, de quiete ad ærumnam; & qui eras concivis supernorum civium, factus es subjugalis dæmonum; & qui revelata facie poteras incessanter perfrui aspectu desiderabilis vultus divinæ claritatis, in quem desiderant Angeli prospicere, [. 1. c] cogeris inde turpia & pudenda videre; & secundum Prophetam, [. 4. a] qui nutriri debueras croceis, amplexatus es stercora. Denique proscriptus de loco voluptatis, de paradiso amœnitatis detruderis in vallem plorationis; & factus es miser ille viator, vel potius deviator, qui descendit de Jerusalem in Jericho, & incidit in manus latronum, in arbitrium malignorum spirituum; qui vulneratum B eum in naturalibus, spoliaverunt in gratuitis, & abierunt semivivo derelicto, immo duplici morte corporis & animæ affecto. Et hoc tempus deviationis tuæ. Quatuor enim tempora humano generi, secundum quatuor status, peritorum distinguit industria; tempus deviationis, tempus revocationis, tempus reconciliationis, tempus peregrinationis.

[ior / ra ge- / uma-]

## CAPUT II.

*De tempore deviationis.*

3. Tempus deviationis cucurrit à lapsu protoplastorum usque ad tempus Abrahæ, qui in fidei si- C gnum accepit circumcisionis mandatum, & qui repromissionem gratiæ primus à Domino audivit sibi dicente: [.2. d] *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* unde Apostolus: [. c] *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit in seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semine tuo, qui Christus est.* & Lucas præco, immo Evangelista [. g] ejusdem gratiæ, de incarnatione Verbi dicit: *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* Dicitur autem deviationis tempus: quia quotquot [51. a] in eo erant, pæne omnes deviabant à via veritatis. Deum non invocaverunt, non erat timor Dei ante oculos eo- [. c] rum, exceptis paucis, videlicet Enoch, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ipsius, & Noë, qui cum D octo animabus salvatus est in Arca, ne absorberetur in diluvio.

## CAPUT III.

*De tempore revocationis.*

4. Tempus revocationis protensum est ab Abraham usque ad adventum Redemptoris: in quo tempore fides Trinitatis viguit. Jam in Patriarchis floruit, in Regibus fructificavit, in Prophetis fructus maturitatem fecit, quoniam nos Oriens ex alto visitavit. Et bene vocatum est tempus *revocationis*, quia Deus & Pater Domini nostri Jesu-Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, jam cogitavit super humano genere E [29. c] cogitationes pacis, & non afflictionis: revocare disposuit ovem quæ perierat, Patriarchas misit, legem dedit, signis & prodigiis consuluit, beneficiis innumerabilibus subvenit: tandem propter nimiam caritatem qua nos dilexit, Filium suum unigenitum misit in similitudinem carnis absque peccato, ut omnes lavaret: & hoc vere tempus miserendi, & annus benignitatis.

## CAPUT IV.

*De tempore reconciliationis.*

5. Tempus reconciliationis extunc cœpit, & statum habuit, quousque patratum est mysterium nostræ F redemptionis; quando immolata illa salutaris hostia nos reconciliavit Deo Patri, de quo vere scriptum est; [44. c] *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio: non est inventus similis illi.* de quo Apostolus: [5. d] *Legatione fungimur pro Christo, rogamus reconciliamini Deo.* Et vere ab effectu cœpit hoc nomen reconciliationis.

## CAPUT V.

*De tempore peregrinationis.*

6. Tempus peregrinationis est post adventum Spiritus-sancti usque ad consummationem sæculi, ex quo fidelis Ecclesia cœpit recognoscere peregrinationem suam, & suspirare ad patriam. Unde Vas electionis ingemiscens ait: *Quamdiu sumus in hoc mundo, peregrinamur à Domino.* [2 Cor. 5. b] & David: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* [Psal. 116. b] tamen ipse etiam se consolatur, & ait: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.* [Psal. 118. f] Patet in exemplis, cur censeatur tempus peregrinationis.

## CAPUT VI.

*Tempus reconciliationis ulterius expenditur, & totum opus redemptionis humanæ summatim exponitur.*

7. His quatuor temporibus distinctis, & causis appellationum assignatis, intuere, ô homo, tempus tuæ redemptionis, recordare & respice, quomodo redemptus sis. *Empti estis*, ait Apostolus, *pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* [1. Cor. 6. d] Non magno tantum, sed permaximo. Venditus eras sub peccato, pretio vili & despicabili, morsu unius pomi: emptus & redemptus es pretio magno & inæstimabili, morte Filii Dei. Quid pretiosius hoc pretio? quid inæstimabilius? Ille per quem facta sunt omnia, & sine quo factum [Johan. 1. b] est nihil, summi Patris Unigenitus, eidem Patri consubstantialis & coæternus, par majestate, æqualis gloria, idem in essentia, ipsius virtus & sapientia, hic talis & tantus, cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, de sinu Patris in vallem nostræ plorationis descendit; in utero puellæ se contraxit: & qui [Ibidem] erat in principio apud Deum, factum est verbum abbreviatum. Et vide quàm abbreviatum, quàm immensum, quàm breve factum. Intra puellæ viscera se clausit: ibi sanguineis circumdatus involumentis, tædia novem mensium sustinuit: deinde in lucem editus infantiliter vagiit, pannis sordentibus more miseriæ nostræ implicitus est, & fascia constrictus, in præsepi ad afflatus brutorum animalium reclinatus, & in fœtenti stabulo juxta matris pauperiem deponitur. Quæ docet littera, quæ loquitur lingua, quæ monstrant exempla, quempiam nascentium in humano genere talis inopiæ pressura laborasse? Omnium nutritor humano lacte nutritur, sordet in pannis, ne tu sordeses in peccatis. Circumciditur in carne, ut tu circumcidaris in mente. Humiliat se sub manibus sui servi Johannis in Jordane baptizandus, non ut aliquas maculas à se abluat, qui ingressus est mundum sine macula, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; sed ut tibi sanctificet aquas, & contactu suæ mundissimæ carnis conferat aquis vim regenerativam tuis facinoribus abstergendis.

8. Mox baptizatus, ut tibi præbeat exemplum sanctitatis & religiosæ conversationis, in desertum proficiscitur; jejunat quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, nullum omnino degustans cibum, quod humanæ infirmitati penitus impossibile est, quæ nisi quotidianis fulcimentis ruinas stomachi resarcire studuerit, detrimento defectionis subjacebit. Esuriens ergo Deus ex voluntate potentiæ, ex necessitate* assumptæ naturæ, tentari sustinuit à diabolo: de cibi appetitu inordinato tentatorem non minus patienter quàm sapienter vicit, & confusum repulit. Tria beneficia tibi, ô homo, in hoc contulit, exemplum humilitatis, formam patientiæ, imitationem cautelæ. Humiliare si tentaris, quia non est major servus domino suo. Dominus tentatus est, oportet ut tentetur servus, quia tentatio est vita hominis super terram. [Job. 7. a] Quoniam autem multiplices & subtiles sunt dæmonum tentationes, Dominus insinuat Petro, inquiens; *Satan expetivit vos ut cribraret sicut triticum* [Luc. 22. d] Patienter fer si tentaris. Nam & Dominus cum tentatorem suum imperio in ima inferni præcipitare potuisset, patienter tulit, & ratione superavit. Cautus esto si tentaris, ne tentator se

[* male Horst. nativitate.]

[Christus se tentari passus quid nos doceat.]

[Cautela contra tentationes.]

transfigurans in Angelum lucis, sub specie recti te fallere A possit; sicut Evam, cui dixit: *Si de ligno comederitis, eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Resiste humiliter, resiste caute, resiste patienter. *Fidelis est Dominus*, ait Scriptura, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Qui vicerit*, inquit, *faciam illum columnam in templo meo.* rursumque ait: *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Dulcis promissio, & felix bravium bene currenti, beata corona bene vincenti.

*Gen. 3. a* — *1. Cor. 10. c* — *Apoc. 3. c* — *Apoc. 2. b*

Christus nobis non sibi laboravit.

9. Tibi ergo, ô homo, tentatus est, non sibi; tibi vicit, non sibi; tibi esurivit, tibi sitivit, & lassitudinem sustinuit; propter te opprobriis & contumeliis saturatus est, B & propter te omnes passiones suas, quas oportuit & decuit, accepit. Nihil tuorum defectuum præter peccatum à se exclusit: propter te multipliciter operatus est salutem in medio terræ, mortuos suscitando, cæcos illuminando, surdis auditum, claudis gressum, leprosis munditiam restituendo, & innumeras alias virtutes perficiendo; per opida & castella, per vicos & plateas cucurrit, evangelizando verbis & exemplis, signis & prodigiis vitæ viam demonstrando. Ut amplius etiam tibi exempla humilitatis ostenderet in seipso, sexto die antequam pateretur, humilis in humili asello & abjecto Jerosolymam venire, & à turbis salutari voluit, ut omnis sua actio esset tua lectio, & omnis sua vita esset tua doctrina. A perfido C Juda & perdito traditus est, & tamquam vile mancipium pro triginta denariis venditus est, ut tu venumdatus sub peccato redemptionem acciperes. Sedens in cœna cum beatis Apostolis suis, pridie quàm pateretur, carnem suam dedit ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum, & tibi idem mysterium faciendum reliquit, in sui commemorationem; deinde surgens à cœna, linteo præcinctus, misit aquam in pelvim; & se Rex Angelorum deposuit ante pedes humilium servorum suorum: mundissimis manibus tangere, tergere, & abluere non dedignatus est immunditias pedum ipsorum, quæ eis de luto platearum adhæserant. Et idem exemplum reliquit tibi, dicens: *Si ego lavi vobis pedes, dominus & magister* D *vester; & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Unde igitur superbis, terra & cinis, putredo & vermis? Quid, putridum membrum, erigis te super caput ipsis angelicis sublimitatibus timendum?

Omnis Christi actio nostra est instructio.

*Johan. 13. b*

Passionis epilogus.

10. Deinde Dominus in oratione constitutus, præ angustia spiritus sui, totus sudore sanguineo immaduit. Ibi captus & tentus, ad tribunal judicis ductus est; & cum multi falsi testes contra eum procederent, & in multis mendaciis accusarent, ipse tamquam agnus innocens, qui ad victimam ducitur, obmutuit; *non aperuit os suum, tamquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Ibi consputerunt faciem dulcis Jesu, colaphis eum cædebant, & alapas in caput ejus certatim ministri dederunt. E Inde ad columnam revinctus, flagellis cæditur, carne præ nodis flagellorum in tumorem surgente, & in livores se vertente, sanguine guttatim de plagis in terram currente. Inde spinarum punctionibus caput undique cruentatur, & in ludibrium ipsius virga manui ejus inseritur, coccinea chlamyde amictus, tamquam infatuatus irridetur. Parva loquor. Hic tu, ô homo, totus contremisce, tremore obrigesce, merito expallesce, pugnis pectus contunde, fletibus totam animam effunde, compatere patienti. Ad mortem ducitur, ut educaris de morte: ducunt impii lanistæ, ducunt agnum immolandum, & angariant ut propriam crucem propriis humeris bajulet, & ad locum suæ passionis deferat. Non reclamat, non remurmurat, non contradicit, obsequitur tortoribus. F

*Psal. 37 d*

11. Imaginare hic, ô homo, quo, quali, & quanto pretio redemptus es, non corruptibilibus auro vel argento redemptus es. Simplex mors Redemptoris, Creatoris, Plasmatoris tui non sufficit, ut tu redimaris; vide modum mortis, attende qualitatem moriendi, & attende quid debeas morienti. Ecce quomodo moritur justus. In cruce distenditur, membra distrahuntur, dorsum adhuc plagosum de recentibus plagis flagellorum recenti, adhuc sanguine stillans, rigido patibulo crucis atteritur; manus & pedes perfodiuntur, clavi malleis incutiuntur, & quanto altius clavi penetrant, tanto amplius plagas præ grossitie dilacerant, & passionem aggravant; sitienti ori fel aceto mixtum infunditur, vinum myrrhatum additur; agitant ministri dæmonis capita, insultantes dolori pendentis: *Si Filius Dei est*, inquiunt, *descendat nunc de cruce, & credimus ei.* ac si dicant: Non adjiciet ut resurgat, tanta eum turpitudo ligat & pœna.

*Matth.* — *Psal. 40*

12. Dehinc piissime Redemptor animam sanctissimam tradis in mortem, ut meam miseram animam vivificares à morte; nec his contenti lanistæ impiissimi, adhuc latus lancea perforant, & laticem sanguinis tui, quo redimimur, cum inundatione manare cogunt. O anima quid agis? quis dabit aquam capiti tuo, & fontem lacrymarum oculis tuis, ut satis plangere, & satis flere possis interfectum populi tui? Hic fasciculus myrrhæ sit dilectus tuus tibi, & non tantum fasciculus, sed immensum pondus amaritudinum. Compatere patienti, ut merearis redimi. Esto columba in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Pervola manus, pervola pedes, invola lateri; nihil horum inscrutatum relinquas; singula membra compassionis amaritudine perfundas. Ecce pretium redemptionis tuæ, ô homo redempte, ecce qualis hostia victimatur pro tua culpa, pro prævaricatione tua.

*Cant. 1.* — *Cant. 2.*

13. Sed qua necessitate ista pertulit, quâ indigentia toties sanguinem suum fudit? Legitur enim quinquies perfusus sanguinis effusione, quod hic breviloquio exprimere judicavi non inutile;

Quinque præcipuæ sanguinis Christi effusiones.

*Quinque vices, & quinque modi te Christe cruentant.*
*Circumcisio, sanguineus, sudor, & flagra, spinæ,*
*Fixura quinque lateris, manuumque pedumque.*

Tam mira pro redemptione hominum pertulit; qui solius majestatis imperio potentissime redimere potuit. Audi, ô homo, necessitatem tuam, & non suam. Protoplastus piaculare facinus commisit, prævaricando quod expiari sine hostiæ oblatione non potuit. Purus homo puram hostiam offerre non valuit, quem peccati contagio penitus immundum esse constitit, nec simplex Deus, nec Angelus immolari debuit; quoniam & hunc natura, & illum gratia impassibilem exhibuit. Irrationabilis creatura non suffecit tantæ rei magnitudini. unde oportuit, ut Deus & homo fieret hostia; Deus pro potentia liberandi, homo pro sufficientia immolandi; Deus pro misericordia, homo pro indigentia. Oblatus est ergo, quia apud ipsum propitiatio est, & copiosa apud eum redemptio. Oblatus est, quia sic decrevit ipsius erga hominem inæstimabilis dilectio. Oblatus est, quia ipse voluit: oblatus est, quia sic homo indiguit.

Necessitas Passionis mortis Christi.

*Psal. 129* — *Isa. 53. c*

14. O homo, quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit; sola dilectio ei sufficit. Quare diligentem te non diligas? diligamus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Vis audire modum dilectionis ejus, vis nosse effectum? *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Audi ipsum Filium. *Majorem*, inquit, *hac, dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Dilige ergo, ô homo, dilectorem tuum; dilige eum non tantum verbo & lingua, sed opere & veritate. Dilige eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua. Dic, *Diligam te, Domine, fortitudo mea, Domine, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Vere liberator, quia liberasti me pauperem à potente, & inopem cui non erat adjutor; & liberasti animam meam à perditione. Ecce datum optimum, de quo promissum est in exordio hujus capituli, de quo Isaias: *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis.* & alibi: *Quomodo non etiam cum illo omnia donavit nobis* Deus? Si donavit nobis eum, qui est omnia in omnibus; donavit proculdubio omnia nobis cum illo. Si ergo datus est nobis, utamur dato tamquam nostro: ne demus alienis honorem nostrum, & annos nostros crudeli. Et hæc de primo capitulo tantisper dicta profint.

Amorem ... requirit Deus pro tantis beneficiis.

*Johan. 4.* — *Johan. 3* — *Jerem. 8* — *Johan. 15* — *1. Johan.* — *Matth.* — *Psal. 17.* — *Psal. 71.* — *Eccli. 51.* — *Isa. 9 b* — *Rom. 8.* — *Prov. 5*

PARS

## PARS III.

*Quod Jesus Filius Dei dat se nobis in eucharistia.*

## CAPUT VII.

*De ineffabili & perpetua claritate Verbi incarnati.*

15. QUi datus est nobis primo in redemptionis pretium, non cessat se nobis dare quotidie in Viaticum; primo passibilis & passionibus expositus, nunc impassibilis & gloria & honore coronatus; tunc homo mortalis, nunc homo victor mortis; tunc paulo minus ab Angelis
b minoratus, nunc præ Angelis omnibus sublimatus: *tanto melior*, ait Apostolus, *Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim aliquando Angelorum dixit Pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et rursum, cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.* In hoc loco, dilecte Dei sacerdos, videtur mihi maxime consistere summa desiderii tui, quod cupis illustrari aliquatenus claritate illa, quam habuit Verbum incarnatum post glorificationem humanitatis assumptæ. Cupio satisfacere voto tuo, & velle adjacet mihi, perficere autem ex me non invenio,
1. a nisi ille det qui dat omnibus abundanter, & non improperat. Quod ergo dare dignabitur, mihi quidem pigrum scribere non erit, tibi autem necessarium.

n. 6. d 16. Primo adverte quod scriptum est: *Deus habitat lu-*
4. d *cem inaccessibilem.* & rursum: *Deus noster ignis consumens est.* Quod utrumque dictum est de divina essentia, in qua Pater unum est cum Filio, & Spiritu-sancto: quia in illa Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus, vel minus, » Sym- sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales*. »ctoS. Unde & Filius, *Ego & Pater unum sumus.* Si ergo unum nasii. sunt, habitant eamdem lucem inaccessibilem: sunt idem Filius æqualis ignis consumens, & eadem claritas, eadem potentia, eamnia. dem sapientia, eadem majestas, eadem æternitas. Est ita- 1. 10. f que Filius à Patre, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Est utique splendor paternæ gloriæ.
. a Hinc & Apostolus ait: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, haud dubium quin Patris. Splendet ergo æque Filius ut Pater, immo idem splendor Filius qui Pater. Sufficiuntne ista tibi testimonia de claritate Filii? Aut fortasse dices, te magis desiderare, te delectari claritate ejus, prout Deus est & homo. Nec in hac parte ipsius opitulante gratia deerunt testimonia.

17. Primo te esse monitum volo, ne æstimes offuscatam Verbi claritatem, per assumptam in Deo humanitatem.
Offic. » Audi quid scriptum est*: Deus assumpsit humana, non
» reliquit divina: assumpsit quod non erat, manens quod erat. Angelus ad Mariam ait: *Spiritus-sanctus superveniet*
. d *in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, cujus dicti intelligentia est. Spiritus-sanctus operabitur in te incarnationem Verbi incarnandi, separando à carne tua partiunculam, quæ animabitur, & divinæ essentiæ in unitate
nbratio nis quid icet. personæ copulabitur. Verum quæ caussa obumbrationis Altissimi virtutis? hæc nimirum præcipua. Caro Virginis nisi quadam latente operatione obumbrata fuisset, splendorem tantæ majestatis sine sui consumptione nequa-
33. d quam ferre potuisset. Unde Dominus ad Moysen: *Non videbit me homo super terram, & vivet.* ac si diceret: Tantæ sum in natura divina claritatis, quod homo constitutus in mortali carne videre me nequaquam poterit absque sui consumptione. Inde est quod cum Moyses in multa
n. constantia Domino supplicaret, dicens, *Domine, ostende te ipsum mihi*, ait: *Sta in foramine petræ, & cum pertransiero videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* hoc ait, per faciem designans divinitatem, per posteriora humanitatem, quam tamen Moyses corporali intuitu non vidit, sed posteris videnda reliquit.
a. Exemplariter quidem cognoscitur, quando gloriosa caro Christi, quæ in altari conficitur, & fidelibus in Viaticum distribuitur, igne divini ardoris clarificatur. Sicut enim clarissima purpura candidissimam lanam inficit, & totam in sui colorem transire cogit; & quemadmodum anima totum corpus animat, vegetat, & vivificat; sicut

A & ignis ferrum transverberans ignitum reddit; candorem suum & calorem conferens, ipsum scintillare, flammescere, & urere contra naturam suam facit: sic Deus hominem sibi unitum deïficat, & supra omnem creaturam exaltatum puritatis omnipotentia & deïtatis prærogativa secum clarificat. Filius de seipso testimonium perhibet dicens: *Ego lux veni in mundum, & dilexerunt ho-* Johan. 3 c
*mines magis tenebras quàm lucem.* & iterum: *Ego sum lux* Johan. 8. b
*mundi.* Johannes idipsum expresse loquitur, inquiens: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in* Johan. 1. a
*hunc mundum.* Ad Patrem quidem ante passionem orans locutus est Filius, dicens: *Clarifica me, Pater, apud te-* Johan. 17. a
*metipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret.*
B cui Pater: *Et clarificavi, & clarificabo.* Quid clarius? quid manifestius? quid evidentius?

18. Ex Evangelio collige claritatem, quam nunc habet Deus homo secundum hominem clarificatus, qui appropinquante tempore, quo transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, assumpsit Petrum & Johannem & Jacobum, & ascendit supra montem Thabor, & transfiguratus est an- Luc. 9. d
te eos, & splendida facta est facies ejus sicut sol, & vestimenta ejus sicut nix, qualia fullo non potest facere super terram; & apparentibus Moyse & Elia, cum intuerentur claritatem vultus ejus, ferre fulgorem non poterant, sed timentes valde & consternati animis, quasi exanimes lapsi sunt super terram. Si igitur tanti jubaris,
C tam radiosi splendoris, humanis obtutibus tam importabilis claritatis apparere dignatus est, corpore adhuc mor- Claritas & gloria humanitatis Christi exaltati.
talitati obnoxio, & membris nondum corruptione exutis: quantam claritatem credere debemus inesse Filio Dei in forma hominis assumpti, jam glorificati, jam super cælos cælorum exaltati, jam habentis nomen, quod est super Philipp. 2. b
omne nomen, ita ut in nomine ejus omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum? Jam constituto in die virtutis suæ, in splendoribus sanctorum, ubi Pater jucunditatem & exultationem thesaurizans ait, *Ante luci-* Psal. 109. b
*ferum genui te*; ibi revera lucet, in die virtutis suæ, in die æternitatis suæ. Hanc nimirum diem nulla nox interpolat, nulla interrumpit obscuritas, nulla caligo seque-
D strat. Ibi circumdatur abysso luminis, ob immensum pelagus claritatis. Ibi ipse Christus tamquam sol refulget in clypeos aureos, & resplendent montes ab eo. Ibi illustrantur ab eo sancti. Unde Propheta: *Illuminans tu mi-* Psal. 75. a
*rabiliter à montibus æternis.* & rursum scriptum est: *In* In Offic. de
*circuitu tuo Domine lumen est, quod numquam deficiet, ibi* Martyrib.
*requiescunt sanctorum animæ.* & iterum; *Sanctum est verum* Ibidem.
*lumen & admirabile, ministrans lucem his, qui permanserunt in agone certaminis: recipiunt à Christo splendorem sempiternum, in quo assidue felices lætantur.*

19. Ecce quàm vera, quàm consona testimonia de illa beata & ineffabili claritate, in qua Christus est, immo quæ Christus est, quæ nequit minui, augeri non potest,
E quia immensa, quia æterna est, quia superat omnem sensum, quia omnem cogitatum excedit, omnem æstimationem supergreditur; & homo accedit ad cor altum, & Psal. 36. b
incomprehensibiliter in sua claritate exaltabitur Deus. Semper eadem manet claritas, in nullo accessu assumit augmentum, & nullo decessu patitur detrimentum. Non decrevit per assumptum hominem, non magis excelluit in Deo per glorificatum hominem. Quod manifestat Propheta dicens: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non defi-* Psal 101. d
*cient.* Abacuc quoque Propheta intuens hanc lucem ait: *Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus. Ibi ab-* Abac. 3. a
*scondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibi mors.* aperte designans, quod etiam, cum manus ejus cruci affixæ Etiam in passione Christus retinuit claritatem.
F fuissent, licet ipse sol radios suos obumbrasset, ne Christum morientem in cruce videret, lux deïtatis non minus in Christo nituit. Unde præmisit: *Splendor ejus ut lux erit.* Isa. 53. a
Tu, Judæe, insultans dicebas: *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem.* Oculo lippo vidisti; immo oculo cæcutienti penitus, quia tunc cæcitas cecidit in Israël. Ast Abacuc claros oculos habebat; & populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, in regione umbræ mortis lux orta est eis.

20. Constat ergo ex Abacuc testimonio, quod passio humanitatis non minuit lucem deitatis, immo ipse moriens

victor mortis de morte triumphavit, & mors ejus tuam mortem calcavit. *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* Corpusculum exanime, torridum, & exsangue pendet in cruce, caput deflexa cervice vix collo hæret pendulo; facie livida, oculi in morte lugentes, & semiclausi; manus distentæ, & clavis ligno compactæ. *Ibi abscondita est fortitudo ejus*, abscondita est Judæis, abscondita est & Discipulis. Abscondita est Judæis, qui dicebant: *Conteramus eum de terra viventium, morte turpissima condemnemus eum.* Abscondita Discipulis, qui dicebant: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël. Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus.* In cruce aret, in aëre claret; pendet in patibulo, splendet in altissimo. O sancte Abacuc, quàm bene splendor hujus lucis luxit, qui tibi tot sæculis ante illuxit. Cornua crucis in manibus ejus; sed & manus ejus in cornibus crucis. *Ibi abscondita est fortitudo ejus*; sed non apud inferos. Ibi vectes ferreos contrivit, ibi portas æreas confregit, ibi fortitudinem manifestat, ibi fortem fortior ipse alligat, & vasa ejus diripit, qui ante atrium suum in pace custodivit. Ibi clamatur: *Quis est iste Rex gloriæ?* ibi auditur: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Ante faciem ejus ibit mors.* O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Ubi est mors victoria tua, ubi est mors, stimulus tuus? Absorpta est mors in victoria: victor ab inferis pompa regreditur nobili. *Egreditur*, inquit, *diabolus ante pedes ejus.* Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Splendor ejus ut lux erit. Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Manet igitur claritas Verbi incarnati in homine glorificato: persistit in isto ad dexteram Patris collocato. Non tempore decrescit, nec tempore minuitur, nullo eventu obfuscatur. Splendet æque, cum est in altari, ut in sublimitate cæli: non minus radiat, cum est in manibus sacerdotis, quàm in sinu Dei Patris.

[Sapien 2. d; Luc. 24. c; Luc. 11. c; Psal. 23. b; Osee 13. d; 1. Cor. 15. g; Abac 3. b; Johan. 3. g; Luc. 1 g]

## CAPUT VIII.

*De sacerdotum dignitate.*

21. GLoriare igitur semper, sed in Domino, Sacerdos Dei Altissimi; dignitatem tuam considera, intuere mentalibus oculis eminentiam tuam, cogita prærogativam tuam, vide sortem tuam. Certe funes ceciderunt tibi in præclaris, si hereditatem tuam præclaram non negligis. Attende quantum Deus tuus te extulit, quantum præ omnibus creaturis sublimavit. Oratio tua munda sit, quia datur locus voci tuæ in cælo, cum rite assistis sacris altaribus, cum sanctissimum mysterium cælestis sacrificii celebrare intendis. Ad vocem tuam prolatam, ad verbum tuum vivificum, ad postulationem tuam salutarem, summus Pater, cujus nutu omnia subsistunt, quem indesinenter laudant Angeli, cui jubilant astra matutina, quem adorant Dominationes, quem tremunt Potestates; qui respicit terram & facit eam tremere; qui fecit mirabilia magna solus; ipse, inquam, tantus, tam immensus, dulcissimum Filium suum deponit, & manibus tuis imponit; transmittit ab altissimis, & digitis tuis immittit. Ibi holocaustum tuum pingue fit, plusquam in millibus agnorum & arietum pinguium.

[Psal. 15. b; Psal 103 d; Psal 135. a]

22. Multum enim acceptum fuit munus Abel, sed non ita; multum placuit sacrificium Abrahæ patriarchæ, sed non adeo: multum approbata fuit oblatio Melchisedech, sed multo minus isto. Denique quid ait Propheta? *Sacrificium & oblationem noluisti, holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, Ecce venio*, dixit ille, qui non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Omnia in figura contingebant antiquis. Hic veritas, ibi figura; ibi umbra, hic lux; ibi nubes, hic claritas; ibi agnus legalis, hic agnus innocens, qui tollit peccata mundi. Verus est enim Filius Dei, quem tu sacerdos immolas, quem manibus tractas, quem ore sumis, quem in corpus tuum transmittis; sed non sola ad te venit illa majestas. Venit ad te Filius, sed non sine Patre. *Qui me misit*, inquit, *mecum est, & non me reliquit solum.* Venit ad te Filius, sed non sine Spiritu-sancto. Quid enim

[Differentia & dignitas sacrificii novæ Legis, præ antiquis. Psal 39. b; Heb 9. c; Cum Christo tota Trinitas sumitur. Johan. 8. d]

ait Johannes? *Super quem videris descendentem Spiritum, & manentem, ipse est* Christus. Super alios descendit Spiritus-sanctus, sed non semper manet. Super Christum vero semper mansurus descendit. Adest nihilominus totus supernorum exercitus civium. *Millia*, inquit, *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Semper enim Angeli, licet sint administratores spiritus, & in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis, vident tamen faciem Patris, semper assistunt vultui majestatis, in quem desiderant prospicere: fruuntur, nec fastidiunt, qui eo magis frui sitiunt. Quanta luce credis te circumfundi, sancte sacerdos, in præsentia tantæ majestatis; in tam sollemni adventu & conventu Trinitatis, & totius militiæ cælestis? Quantam æstimas claritatem adesse, & inesse toti curiæ cælesti? Tantam nimirum quantam ferre non posses, nisi virtus Altissimi tuæ infirmitati ad ferendum obumbraret.

[Johan. 1; Dan. 7.]

## CAPUT IX.

*Sacerdotum potestatem majorem esse dignitate angelica.*

23. ATtende igitur, ut prædixi, & semper in mente habe, jugi memoria retine gratiam tibi singulariter à Deo collatam, quam nec Angelis præstitit, nec ceteris hominibus concessit. Panis enim in manibus tuis in corpus unigeniti Filii Dei transsubstantiatur; vinum in sanctissimum sanguinem Domini nostri Jesu-Christi tua benedictione convertitur. Multum ardent Seraphim sanctæ Trinitati præ ceteris cunctis spiritibus loco & caritate conjuncti. Unde & ardentes, sive incendentes Seraphim interpretantur. Unusquisque enim ordo ejus rei censetur nomine, quam copiosius accepit in munere. Non tamen hoc privilegio prænitent, ut Corpus vel Sanguinem Redemptoris nostri in subjecta creatura sanctificent. Cherubim, quibus inest plenitudo scientiæ, quod etiam testantur nomine; quia familiarius omnibus cognoscunt de mysteriis cælestibus, mirantur, quod mirabilis facta est scientia & potentia sacerdotalis ex eis, & non possint ad eam. Throni, qui tantæ dignitatis sunt, ut in eis Dominus sedeat, & per eos sua judicia decernat, non hoc prævalent, quo sacerdotes præeminent. Dominationes, licet dominium super ceteros à Domino acceperint; Principatus quamvis principentur aliis sibi subjectis; Potestates, cum potentatus sublimitate præemineant; Virtutes cælorum, cum potestates aëreas sua virtute coërceant, ne omnem nequitiam suam in genus humanum exerceant; Archangeli, cum summa mysteria divinæ voluntatis inferioribus spiritibus nuntiare habeant, & eosdem inferiores spiritus ex auctoritate ad homines mittant; Angeli, licet semper videant faciem Patris qui in cælis est; hi inquam omnes sancti beatorum Spirituum ordines, quamvis perfruantur beatitudine, ut nihil eis desit à summa felicitate; gloriam tamen sacerdotis reverentur, admirantur dignitatem, cedunt privilegio, honorant potentiam.

[Angelorum nomen ... ri recenset..., cum positione nuncupat... num.]

24. O genus ecclesiasticum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, virtutes annuntiate ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum & ineffabile mysterium suum. Vos estis lux mundi, vox estis sal terræ. Levitis dicitur, *Mundamini qui fertis vasa Domini*: vobis dicendum est, Mundamini, qui estis vasa Domini. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Vos elegit Deus in hereditatem sibi. In vobis sepelitur illud corpus gloriosum & glorificatum, quod olim in Jerosolymis est sepultum exanime & defunctum. Certe sanctus ille Joseph noluit illud sepelire nisi in sepulcro novo, in quo nondum quisquam positus fuerat, studuit illud involvere in sindone munda. Væ tibi, si non posueris illud in sepulcro novo, vel saltem innovato, id est, in corpore à peccatis penitus mundo, vel si peccasti, per pœnitentiam & satisfactionem mundato. Væ tibi, si non posueris illud in sindone munda, id est, conscientia ab omni immunditia penitus defæcata & absoluta. Non fit in corpore tuo conventio Christi ad Belial; non fit consensus Dei cum idolis, non fit societas luci ad tenebras, peccatum non regnet in mortali corpore tuo; & sic dedicabis

[1. Pet. 2; Matth. 5; Isa. 52; 1. Cor. 6; Johan. 19; Quanta puritas ad communicandum; 2. Cor. 6; Rom. 6. b]

venerabile sepulcrum Christo, templum Spiritui-sancto. A
3.d *Templum*, inquit Apostolus, *Domini sanctum est, quod*
6.d *estis vos.* & iterum: *An nescitis, quia corpora nostra templa sunt Domini, & Spiritus-sanctus habitat in nobis?* Si hoc vere dicitur de quolibet caritatem habente, multo amplius dici debet de sacerdote Deo placente.

25. Perpende & attende etiam, devote Sacerdos, quanta diligentia, quanta vigilantia sancti Angeli conservarunt locum sepulcri, corpore dominico jam sublato, redivivo, & glorificato: in quanta claritate, in quanta vultus & vestium venustate apparuerunt sanctis mulieribus sepulcrum visitantibus, & corpus requirentibus. Proculdubio scire debes, quod si tu idem Dominicum corpus, jam supra modum gloriosum, & in cælis regnans, & ad B dexteram Patris honorificatum digne tractaveris, mundum & novum sepulcrum tui corporis præparaveris; ipsa Angelorum non deerit tibi frequens custodia, animam tuam servabunt, corpus gubernabunt, in omnibus viis tuis te protegent; & dicent tibi tuisque similibus: Vos sancti Domini vocabimini, ministri Dei nostri. Vide ergo ne tangas illud sacrificium, nisi innocens manibus & mundo
o.c corde. alioquin ipse dicet tibi: Noli me tangere, quia tactus tuus contagium est.

## CAPUT X.

*De meditatione sacerdotis, seu præparatione ejus ad digne celebrandum tantum mysterium.* C

26. MEditare, dilecte Dei sacerdos, & meditatio cordis tui semper sit, quod Johannes-Baptista præcursor Domini, amicus Sponsi, Paranymphus sponsæ, Propheta, & plusquam propheta, in utero sanctificatus, in eremo justificatus; hic tantus, tam præcipui meriti, tam singulariter sanctificatus contremiscit, & non audet tangere sanctum Dei verticem, sed clamat cum tre-
3.d more: *Sanctifica me, Salvator.* Meditare quod Petrus clavicularius regni cælorum à Domino designatus, Pastor ovium trina dilectionis confessione constitutus, & princeps Apostolorum præfiguratus, in periculo mortis, naufragio incumbente; positus penes Dominum approxima- D re pertimuit, & se elongare ab eo præ formidine voluit dicens: *Exi à me, Domine, quia peccator sum.* Johannes ille electus & prædilectus Discipulus, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, cui Christus in cruce Matrem Virginem virgini commendavit, cui nihilominus adhuc in mortali carne constituto revelata sunt secreta cælestia: ipse supra modum gloriatus est de solo auditu, visu extrinseco & tactu Dominici corporis, dicens: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Si ergo isti gloriosi Principes terræ, curiæ cælestis Proceres eximii, tantum reverebantur forinsecus tactum Dominici corporis, nondum in gloria ad cælos translati; E quanta reverentia, quanto timore & tremore, quanta corporis castitate & animi puritate oportet sacerdotem, nunc illud gloriosum, & in claritate paternæ gloriæ sublimatum super omnia, illud conficere, tangere, sumere, & in corpus proprium trajicere?

27. Quapropter si offers munus tuum ad altare, quicumque sacerdos, si disponis illud venerabile & ineffabile mysterium celebrare, & recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te; ille magnus frater, qui Filius Dei est per naturam, & nobis potestatem dedit filios Dei fieri, & fratres suos per gratiam: qui nos dignatus est vocare fratres suos, per Prophetam dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* & rursum post resurrectio- F nem: *Ite dicite fratribus meis*, &c. Si ille frater habet aliquid adversum te, si offendisti in illam majestatem cogitatu, dicto, vel facto; si candorem innocentiæ tuæ aliqua macula offuscasti, si conscientiam habes vel valde ægram, vel minus bene sanatam; relinque ibi munus tuum, differ mysterium, & vade prius reconciliari fratri tuo, per devotam cordis contritionem, per puram oris confessionem, per duram corporis in pœnitentia attritionem, & condignam satisfactionem: lava per singulas noctes lectum tuum, per singula peccata munda conscientiam tuam. Ascende tribunal conscientiæ tuæ, sedeas in loco judicis; teipsum condemna, & reum constitue. Accedat memoria peccati accusatrix, actio sit testis, consensus & delectatio aggravet peccatum sive reatum. Omnia accusent, nihil te excuset. Veniat timor carnifex, & tortor reum cruciet. Sanguinem cordis, scilicet lacrymas, fundat; & sic per judicium proprium evades divini judicii supplicium, juxta illud Apostoli: *Quod si nosmetipsos judicaremus, non utique à Domino judicaremur:* & 1. Cor. 11. d
tunc veniens offeres munus tuum, & placebit Deo super vitulum, cornua producentem & ungulas. Psal. 68. d

## CAPUT XI.

*Ex ritu legalis purificationis docet studium puritatis.*

28. RItu quoque legalis sacerdotis ingressuri sancta sanctorum, fac tibi luterem* de speculis mulierum, quæ excubant ad ostium tabernaculi, ut dum te lavas, si maculam in corpore tuo deprehenderis, abluas. Luterem, sacram scripturam accipe: mulieres, excubantes ad ostium tabernaculi, intellige sanctas animas vigilantes ad introitum regni cælestis. Specula earum sunt exempla sanctorum, sive testimonia Scripturarum: in his animæ justorum velut in speculo se considerant, & quidquid deformitatis in se deprehenderint castigant. Litterarum igitur divinarum sacris meditationibus jugiter vaca, his tamquam divinitus illuminatus te oblecta, ibi totum in speculo quodam refulgente considera: si quid in te pravum deprehenderis, corrige; quod rectum, tene; quod deforme, compone; quod pulcrum, excole; quod sanum, serva; quod infirmum, corrobora. Dominica præcepta infatigabiliter lege, inexplebiliter dilige, efficaciter imple: & per hæc quid cavendum, quidve sectandum tibi sit, sufficienter instructus agnosce.

* Labrum æneum.

29. Ecce habes qualemcumque initialem formam declinandi mala, & faciendi bonum: quæ si tenueris, dabit tibi benedictionem legislator, & eo duce ibis de virtute in virtutem; & ipse erit tibi in Deum protectorem, & Psal. 83. b
in locum refugii, ut salvum te faciat. & dicet tibi: *Ecce ego tecum sum omnibus diebus vitæ tuæ, usque ad consummationem sæculi.* Vere erit tecum, quia dabit seipsum in viaticum, ne deficias in via, donec plene reficiat in patria. Proba igitur te modo prædicto, & sic de pane illo sanctæ Eucharistiæ edas, & de calice bibas. Matt. 28. d

## CAPUT XII.

*De triplici sumptione Corporis & Sanguinis Domini.*

30. HUjus autem sacratissimi Panis, & venerandi Calicis, id est, vivifici corporis Domini & sanguinis, triplicem esse sumptionem discretus sacerdos ignorare non debet. Una est sumptio sacramentalis & spiritualis; & hæc vera, sancta, & sanctificans; beata, & beatificans; vitalis, & vivificans. Altera tantum spiritualis; & hæc nihilominus gratiam confert, auget virtutes, meritum cumulat. Tertia tantum sacramentalis; & hæc damnabilis & condemnans, Deo odibilis & ab eo separans, & nullo modo beatificans. Sacramentaliter & spiritualiter sumit sanctam Eucharistiam quilibet religiosus sacerdos, veste nuptiali, id est caritate, decenter ornatus, & nulli mortali culpæ obnoxius, ad altare Dei introiens, & sacrum mysterium rite celebrans. Eodem modo, & eodem merito sumit quisque fidelis, qui de manu Sacerdotis ipsum sacramentum suscipit. Ipse tamen Sacerdos singulari prærogativa præ aliis insignitur, qui quotidie, dum non impediat aliqua culpa vel infirmitas, habet potestatem Eucharistiam conficere & sumere; aliis vero permittitur tantum certis temporibus de manu sacerdotis communicare. Spiritualiter tantum sumit quisque fidelis, qui est de membris Ecclesiæ, perseverans in caritate: quia licet sacramentum ore non contingat, virtutem sacramenti tamen, id est, remissionem peccatorum, & spiritualis gratiæ infusionem, per fidem & unionem Ecclesiæ sibi comparat. Sacramentaliter tantum percipit, qui in culpa mortali perdurans communicare præsumit: sed is talis socius est traditoris Judæ, & melius fuerat,

Triplex communio.

si natus non fuisset homo ille; nisi resipiscat, & digne Deo satisfaciat. A

31. De prima sumptione, quæ est sacramentalis & spiritualis, Dominus dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum; in me manet & ego in eo.* (Johan. 6.) & rursum: *Qui manducat me, vivet propter me.* (Ibid.) De secunda, quæ est tantum spiritualis, iterum ipse Dominus loquitur: *Caro nihil prodest, spiritus est qui vivificat.* (Ibid.) ac si diceret: Si intelligis tantum carnalem sumptionem absque gratia, nihil prodest, immo nocet: spiritualis vero absque carnali te vivificat. De tertia, quæ est tantum sacramentalis, dicit Apostolus: *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* (1. Cor. 6. d) quod est dicere, non discernens corpus Domini ab aliis cibis. B Hæc est salubris distinctio corporis Dominici ab aliis cibis: quia cum alios sumimus, eos corpori nostro incorporamus; cum vero Domini corpus in escam suscipimus, si digne agimus, Domino incorporamur, immo toti in Deum transimus; quia qui adhæret Deo unus spiritus est cum eo. (1. Cor. 6. d) Felix viator, qui tali viatico reficitur, quod secure reducit eum per viam, & trajicit in patriam.

Soli Sacerdotes ministri hujus Sacramenti.

32. Ipsis ergo sacerdotibus ministerium suum digna officii exsecutione honorantibus prima sumptio congruit; & per eos tantum aliis fidelibus sumptionis dispensatio competit. Ipsi enim habent claves hujus sacramenti, ipsi sunt veri meditatores inter Deum & hominem, ipsi sunt vox & organum sanctæ Ecclesiæ, ipsi offerunt Deo plebis C precationes, & referunt propitiationes. O quàm fidelis promissor! quàm verax exhibitor! quàm munificus largitor! Dixisti Domine Jesu, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* (Matt. 28. d) Hæc vere dixisti. *Prope est verbum,* ait scriptura, *in ore tuo, & in corde tuo.* (Deut. 30. c) Verbum quod in principio erat apud Deum, in fine sæculi dignatur esse apud hominem: est in ore, est in corde. Quid propius? quid magis intrinsecum? Est in ore tuo: ergo laus ejus semper in ore tuo sit. (Psal. 102 a) Est in corde tuo: ergo confitere ei in directione cordis, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Quas retributiones ejus? Propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; sanat omnes infirmitates tuas; redimit de interitu vitam tuam; coronat te in misericordia & misera- D tionibus; replet in bonis desiderium tuum, dans seipsum tibi in viaticum: renovabitur ut aquilæ juventus tua in resurrectione justorum, quando se denuo dabit in præmium: de quo præmio in hoc ultimo capitulo, quod ipse dare dignabitur, stili officio prosequemur.

## PARS III.

*Quod Christus dat se nobis in præmium in cælo.*

## CAPUT XIII.

33. Aristotelicum est: Omne sensibile extra sensum positum incertum est. Divinum est, *Quod nec* E *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus, diligentibus se.* (1. Cor. 2. e) & illud: *Oculus non vidit, Deus, absque te quæ præparasti diligentibus te.* (Isa. 64. a) & Johannes: *Deum nemo vidit umquam.* (Johan. 1. c) Quid ergo? Si oculis invisibilia, si auribus inaudibilia, si cordibus inscrutabilia sunt repromissa vitæ præmia, si Deum nemo vidit umquam, qui est lux & præmium justorum; quis de inauditis & penitus incompertis loqui audebit? quis de ineffabilibus fari præsumet? Illud unum scio, quod quanto sunt ineffabilia, tanto magis sunt desiderabilia; & omne quod desideratur, non valet eis comparari. Verum quia secundum Apostolum, adhuc ambulamus per fidem, & nondum per speciem; (2. Cor. 5. b) invisibilia Dei à creatura mundi F per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; (Rom. 1. c) ex similitudine rerum, quæ sensibus subjacent, quantumlibet exiliter aliquid loqui tentemus, de ineffabili bono fidelibus & felicibus promisso; de corde nostro plane nihil præsumentes, sed de divinis litteris quæ possumus testimonia trahentes.

34. Nulli sane sapienti venit in dubium, quod post hanc vitam, justorum animæ in manu Dei sunt; (Sap. 3.) animæ vero reproborum corruunt in supplicium, juxta illud: *Qui bona fecerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala egerunt, in ignem æternum.* (Symb. A) Est ergo electis duplex causa beatitudinis: alia devitatio pœnæ, alia adeptio gloriæ. (Causa beatudinis duplex) De pœna malorum est aliquid perstringendum, ut ea considerata major bonorum æstimetur gloria: quia nullius rei dignitas melius declaratur, quam si ejus contrarii pravitas non taceatur. Ex opposito vitio venustius virtus elucescit pulcritudinis, ait Isidorus. O homo, cogita omnes mundi cruciatus, & compara gehennæ, totum leve erit. Ignis etiam purgatorius, qui non est gehennæ, ad modicum crucians, transscendit omnia mundana tormenta. unde Augustinus super Psalterium: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* (Psal. 6) id est, non sim inter illos, quibus dicturus es in judicio, *Ite maledicti in ignem æternum.* (Matth.) *Ne in indignatione tua emendes me,* id est, non sit mihi opus igne emendatorio, qui & purgatorius dicitur: qui cum gravior sit omni eo quod pati potest homo in hac vita: cum multi facinorosi per diversissimos cruciatus luant sua crimina, multique per immania & exquisita tormenta migraverint ad Dominum.

## CAPUT XIV.

*De pœnis inferni.*

35. Habet quidem infernus, ut ex auctoribus comprobari potest, novem notabilia supplicia, præter alia innumerabilia quæ continet mala, unde illud: (Pœnæ inferni recensentur.)

*Malleus, & fœtor, cum vermibus, ignis, & algor,*
*Visio dæmonica, tenebræ, rubor, ignea vincla.*

Erit ibi ignis inexstinguibilis, algor incomparabilis, vermes immortales, fœtor intolerabilis, mallei crebro percutientes, tenebræ spissæ & palpabiles: ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, ubi cunctorum crimina cuncta cunctis sunt manifesta, aspectus dæmonum, quos ignem scintillare vident assidue, quo nihil in mundo horribilius & terribilius; ignea vincula omnia membra constringentia; ardor, inquam, tantus ibi est, quem omnia etiam flumina in unum collecta exstinguere non possent. Unde apud Matthæum: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* (Matt. 8. & alibi sæp.) quia fumus de igne excitat fletum oculorum, frigus stridorem dentium. Ibi si mons igneus immitteretur, in glaciem verteretur. Pervagantur autem miseri his miseriis deputati: nunc de ardore in algorem, nunc de algore in ardorem, quærentes remedium contrariis passionibus in contrariis qualitatibus, nec minus tamen cruciantibus. Hinc beatus Job ait: *Transibunt de algore nivium ad calorem nimium.* (Job 24.)

36. Vermes immortales ibi sunt, serpentes & dracones, horribiles visu & sibilo: qui ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma; qui miseros affligunt, & præcipue membra illorum pervagantur & rodunt, quæ præcipue peccatis militaverunt: utpote luxuriosis genitalia, gulosis palatum ac guttura, ac similiter de singulis ceteris membris. Unde illud Sapientiæ: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* (Sap.) unde & Isaias: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur.* (Isa. 66.) Fœtor adeo gravis de igne exhalat, qui non minus ardore cruciat. Unde idem Isaias: *Erit pro suavi odore fœtor.* (Isa. 3.) & Psalm. *Ignis, sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum.* (Psal. 10.) Spiritum procellarum vocat exhalationem fumi & fœtoris, quæ spirant ab igne in vehementia ad instar procellæ. Flagellis tamquam malleis incessanter feriuntur, à dæmonibus sua crimina fateri cogentibus: ut qui fuerunt hic malorum incentores, ibi eorumdem sint tortores. Hinc Salomon: *Præparata sunt derisoribus tormenta.* (Prov.) Dilatant enim dæmones ora sua super miseros in cachinno dicentes: *Euge, euge viderunt oculi nostri,* quia consortium neglexerunt novem ordinum Angelorum.

# TRACTATUS DE STATU VIRTUTUM.

*Hoc Opusculum nupe editum nobis exhibuit bibliotheca monasterii Latiensis Ord. S. Bened. diœc. Cameracensis ex vetusto codice, cum hac inscriptione,* BERNARDUS ABBAS de Statu virtutum. *Non est tamen S.* BERNARDI, *sed cujusdam Benedictini, uti colligitur ex num. 14. Compositum est in gratiam Novitiorum, ac in tres partes seu sectiones distinctum, quarum* 1. est de Humilitate, 2. de Obedientia, 3. de Caritate.

## PRÆFATIO.

A Ejus inspirante gratia, qui ubi vult & quando vult spirat, & linguas infantium facit disertas, volo, si possim, de virtutum statu variabili quædam quæ legendo reperi, quædam quæ à Doctoribus meis audivi, simplici sermone colligere, adjungendo etiam si qua forte occurrerint, quæ Fidei non repugnent, & ratione roborentur. Paraclitus ergo qui adspirando prævenit, per omnia subsequatur, cor irradiet, obscura reseret, efficaciam præstet, ad gloriam suam, ad utilitatem meam, ad profectum Novitiorum, qui de monte superbiæ in convallem plorationis descen- B derunt, qui in lege Domini meditantur die ac nocte. Sed quia humilitas est genitrix virtutum, & hominis humilitas non ab homine, sed desursum est; ab ejus humilitate incipiamus, qui ait: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.*

## PARS PRIMA.

### *De humilitate.*

1. CHristus igitur cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Exinanivit dico, ut fieret minor Patre, minor seipso, minor C Angelo; subderetur hominibus, quin & ipsi Joseph ut nutritio, & sanctæ Mariæ ut matri, juxta id quod scriptum est, *Et erat subditus illis.* Exinanivit etiam se ut non solum homo fieret, sed & pauper. Esurivit quidem, sitivit, lassatus est, sed quia voluit. Tandem exinanivit se usque ad derisiones, opprobria, flagella, sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum. Ecce speciosus forma præ filiis hominum sine specie & decore, & quasi absconditus vultus ejus ab eo & despectus, unde nec reputatus est ab hominibus, sed cum iniquis deputatus est, tamquam leprosus & percussus & humiliatus à Deo. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, attritus est propter scelera D nostra, disciplina pacis nostræ super eum, cujus livore sanati sumus. O ineffabilis Dei clementia, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui & nobis natus est, & nobis in mundo conversatus est, & nobis mortuus est, pauper & humilis in conversatione, pauper & humilis in cruce, nostra participans, sua tam benigne dispensans, ut secundum vitam ejus esset nostra conversatio, & in morte ejus nostra redemptio.

2. Ecce Dei humilitas incomparabilis, quia comparationem dignam non recipit; inæstimabilis, quia æstimari non potest; ineffabilis, quia verbis explicari non potest: ut Deus & Dominus omnium fieret homo & servus omnium, invisibilis videretur, panis Angelorum E aleretur, virtus cælorum infirmaretur, vita moreretur: sed hujus mysterii causa est, Dei justitia & misericordia. Superbia quippe hominem prostraverat, sed Deo digne satisfacere non poterat nec homo qui debuit, nec Angelus qui non debuit, sed nec alia creatura ad hoc fuit idonea. Juste igitur ac misericorditer Deus homo factus est: misericorditer quidem quantum ad Deum, qui nihil homini nisi pœnam debuit: juste vero quantum ad hominem, quia homo Deo peccaverat: ut ejus humilitas superbos humiliaret, & ejus sapientia excæcatos illuminaret, frigidos igniret. Ipse est enim via, veritas & vita. Via utique conversationis, Veritas doctrinæ, Vita beatitudinis: Via, sine qua vel non, vel male itur: Veritas, sine qua, vel non, vel male discitur: Vita, in qua bene vivitur, sine qua omnino male vivitur. Ipse est enim Dei virtus, & Dei sapientia: & quia Dei virtus est, præstat suis efficaciam per quælibet adversa transeundi: & quia Dei sapientia est, præstat intelligentiam.

3. Sed ecce memoriæ occurrit quod Angelus per superbiam de cælo cecidit, non descendit. Ille cecidit ad suam & suorum perniciem, Christus descendit ad electorum suorum exaltationem. Superbia de Angelo fecit diabolum, humilitas Christi de filiis diaboli fecit filios Dei. Superbus diabolus cum suis de cælo cecidit in infernum: Christus humilis cum suis regressus ab inferis cælum ascendit. Vides ergo quanta sit in una Christi persona hominis sublimitas sine hominis merito, & Dei humilitas sine Dei debito, caritas sine modo, exemplum sine exemplo. Si ergo Deus humiliatur in terra, cur adhuc homo superbit, pulvis & cinis, vermis, putredo, qui hodie extollitur, & cras non invenitur? Præponit autem se Christo, qui in hac terra est superbus, ubi Christus inventus est humilis. Verumtamen si ascenderit usque in cælum superbia, & nubes caput ejus tetigerit, ut sterquilinium in fine perdetur; & quo altius ascenderit ante homines, eo deterius ruit ante Deum: humilitas vero quo humilius descendit ante homines, eo altius ascendit ante Deum. Humilitas humilis Dei est amicus, amicus vero Dei omnis ascendit, juxta id quod scriptum est: *Amice ascende superius.* Unde & omnis humilis procul dubio ascendit, nec aliquo modo vera humilitas novit casum: semper enim in imo est, & propriam contemnit excellentiam. Si enim humilitas & superbia contrariæ sunt; superbia autem est amor propriæ excellentiæ: recte humilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Sicut enim superbia est vitium, quo homo excæcatus sibi ipsi placet, cum & in hoc displiceat Deo & hominibus; sic & humilitas est virtus, qua homo illuminatus sibi ipsi displicet, in quo profecto & Deo & hominibus placet.

*Antithesis Christi & luciferi de cælo venientis.* — *Humilitas Christi arguit superbos.* — *Antithesis superbiæ & humilitatis.* — *Luc. 14. b* — *Utriusque definitio.*

4. Est autem humilitas alia incipiens, alia proficiens, alia perfecta. Incipiens in novitiis, proficiens in bene pugnantibus, perfecta in emeritis. Est alia sufficiens, alia abundans, alia superabundans. Illa humilitas est sufficiens, qua homo subdit se majori, & non præfert se æquali. Illa est abundans, qua homo subdit se æquali, & non præfert se etiam minori. * Sed illa quæ sufficiens est, recte genitrix virtutum dicitur, qua homo incipit pœnitendo peccata sua confiteri, & subdere se majori. Humilitas vero abundans & superabundans, & nutriunt virtutes, & custodiunt & ampliant. Septem modis diversificatur humilitas. Est enim humilitas in depositione temporalium possessionum. Sequuntur aliæ sex, duæ in voce, duæ in corpore, duæ in corde. Duæ in voce, quia & humilis contra verbum impatientiæ pacifice, & contra verbum jactantiæ loquitur humiliter. Duæ in corpore, quia & vilitas est in habitu, & mortificatio in carne. Duæ in corde, quia & commune consilium præponit proprio; & propria voluntate postposita, alterius se subjicit imperio.

*Triplex humilitas.* — ** deest 3. definitio.* — *Septuplex humilitas.*

5. Humilitas quasi quædam fovea est subterranea, in qua thesaurus virtutum tutissime reconditur, ubi nec prædonum violentia irruit, nec fures effodiunt & furantur. Est etiam humilitas clypeus impenetrabilis, quo protegimur spiritualiter, gladius indeficiens ex utraque parte feriens: quia & exterior humilitas exteriores inimicos salubriter percutit ut pœniteant, & interior humilitas

*Humilitatis elogia.*

invisibiles inimicos fortiter percutit, ut nihil proficiant, immo ut deficiant. Unde & recte humilitas cordis murus dicitur contra invisibilia tentamenta, & humilitas corporis antemurale contra exteriora impedimenta. Dicitur etiam humilitas turris fortitudinis à facie inimici: quia quemadmodum turris in aliqua civitate est pulcritudo & munimentum civitatis, sic humilitas est pulcritudo & munimentum cordis.

Triplex vitiosa.

6. Est etiam inutilis humilitas, qua homo & ab opere se retrahit, & sub silentio abscondit, quia timet vilescere, si forte sibi objiciatur, id unde conscientia metuit. Est & alia humilitas non ædificans, sed destruens, cum aliquis loco vel tempore non congruo dictis vel factis immoderate se dejicit, illis etiam quandoque intuentibus qui leviter scandalizantur. Est & humilitas simulata hypocritarum, qui speciem humilitatis prætendunt in habitu, de eadem specie ostensa superbientes; & cum in occulto cordis superbiant, ante oculos hominum volunt videri humiles, dolose agentes, quemadmodum aurifex dolosus, si anulum argenteum deauratum vendat pro anulo aureo.

Alia divisio Humilitatis trimembris.

7. Notandum autem est, quia humilitas alia est simplex, nec laudibus hominum effertur: alia est virtutibus ditata, nec tamen ab hominibus honorata est: alia ab hominibus honorata, nec tamen virtutibus ditata. Ille simplicem dicitur habere humilitatem, qui nec vitiis subjacet, nec virtutum copia fulcitur unde superbiat, nec in his quæ prævalet, alicui se præfert. Cum vero humilitas ab hominibus vel honoratur, vel despicitur, graviter impugnatur: quia & laus humana, quamvis non quæratur, tamen oblata delectat; & vituperium, quamvis cum deest quandoque non timeatur, tamen cum adest vulnerat improvidum.

NOTA.

Cur eximia dicatur inter virtutes.

8. Prætereundum autem non æstimo, quod humilitatis virtus ideo inter alias virtutes eximia dicitur, quia hanc in se unicus Dei filius ad exemplum nobis maxime exhibuit, & per hanc virtutem omnes laquei multiformis proditoris declinantur. Cum enim Antonius omnes inimici laqueos contra se videret extensos, & admirando quæreret quis eos evadere posset, divina voce responsum est ei sic: *Sola humilitas*. Quisquis autem es qui sine virtute humilitatis virtutes congregas, * sic es ut ille qui pulverem in vento portat. Si autem vis sublime virtutis ostendere, noli sublime sapere: & tunc illud quod egeris, esse monstrabis excelsius. Noli te putare quicquam fecisse cum feceris, & plenissime cuncta fecisti. Noli tuorum corrumpere fructus laborum. Noli cursum in inane dirigere, ne post mille circuitus mercedem laboris amittas. Si enim laudandum te esse dixeris, culpabilis effectus es, etiamsi fueras ante laudabilis: si vero inutilem esse te fatearis, factus es utilis, si fueras etiam ante culpabilis.

*In Vit. PP.*

* *ex S. Grego.*

Jactantia & vana gloria cavenda.

Duo necessaria ad conservandam humilitatem.

9. Propter quod necessarium est ad humilitatem conservandam, si adest, vel ad eam adipiscendam, si deest, ut diligenter consideres non bona tua, sed mala tam occulta quam publica: attendas etiam aliorum non mala sed bona: & si quandoque non apparent in publico, fortasse latent in occulto, quod pium est suspicari. Sic fit utiliter, ut temetipsum deprimendo, alium exaltes: sicut è contrario superbus bona sua attendendo, si qua sunt, & non mala quæ multa sunt, attendendo etiam mala aliorum & non bona, & alios deprimit, & seipsum exaltat. Unde necessaria nobis est quædam præteritarum oblivio virtutum. quod sic intelligo, ut numquam alicujus virtutis meminerimus. Virtutum namque memoria ad simplicem laudem Dei relata, non solum reprehensibilis non est, sed laudabilis est. Verumtamen bona tua dum in hominum notitiam frequenter prodeunt, cave ne quis forte ea diripiat. quod Pharisæus passus est in lingua, bona sua circumferens, unde ea & diabolus rapuit. Aliis enim exprobrando Deum laudare, non est gratiarum actio, sed sola virtutum evacuatio.

10. Caveamus igitur de nobismetipsis dicere aliquid gloriose, hoc enim nos, & Deo & hominibus odibiles facit: idcirco quanto magis fecerimus bona, tanto de nobis minora dicamus. Quando enim sancta aliqua fecerimus, habemus proculdubio Deum debitorem: quando vero nihil nos arbitramur operatos, amplius etiam meremur de tali affectu, quam propter opera sua quæ fecimus. Ita virtutum omnium merita bonum humilitatis exsuperat. quæ si non adsit, nec illæ poterunt esse laudabiles: quod si adsit humilitas, etiam virtutes aliæ cum ipsa humilitate proficiunt. Quod melius ostendimus, si Patrum exempla subjungimus.

Sine humilitate cetera virtutes nes, cur omnes u

Exempla humilitatis.

11. Centurio Domino cor suum humilians dixit: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, & propterea dignus effectus est. Sic & Paulus ait: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus*, & ideo ante Deum & homines magnus inventus est. Ita etiam mulier quæ se ad pedes Domini humiliter inclinavit, postmodum à Deo sublimata est, ut & ad caput Domini ungendum admitteretur, & sicut resurrectionis Domini Apostolis prænuntia, ac per hoc Apostolorum Apostola. Sic & David dum saltaret nudus coram Domini arca, & contemneretur à Michol filia Saul, speciem humilitatis prætendens in habitu, virtutem humilitatis retinuit in corde, quam & verbo humilitatis nobis intimavit dum diceret: *Ludam & vilior fiam plusquam factus sum, eroque humilis in oculis meis*. Sed in hoc humilitas ejus eximia apparuit, quod cum esset miles fortissimus, & rex futurus, non se militi comparavit, sed pulici & cani, non vivo sed mortuo, dum loqueretur regi Saul sic: *Quem sequeris, rex Israël, quem sequeris? pulicem unum & canem mortuum*. Merito ergo humilitatis suæ translatus est de servitute ad regnum. Sic & Publicanus orans in templo, & à Pharisæo condemnatus, conscientia cor accusante non audebat oculos ad cælum levare, sed percutiens pectus suum dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori*. unde etiam à templo descendit magis justificatus quam Pharisæus. Sic & Petrus cum esset Apostolorum princeps, erat omnium humillimus. Unde & tanti meriti fuit apud Deum, ut umbra corporis sui obumbrante sanarentur infirmi.

*Matth. 8* In Centurione.

In Paulo. *1. Cor. 15*

In David *2. Reg. 6.*

*2. Reg. 6.*

*1. Reg. 24*

In Publicano. *Luc. 18.*

In Petro, *Act. 5*

12. Sic & Johannes Baptista cum esset annuntiatus per Angelum, & Spiritu-sancto repletus adhuc ex utero matris suæ, & nondum natus præcursoris officio Dominicum sentiret adventum, deinde jam juvenis cum esset mundi contemptor, eremique cultor, habitu incultus, abstinentiâ singularis, prædicator eximius, Baptista Domini, martyrio rubicundus, virginitate candidus? & post Virginis filium, & Matrem Virginem electus ex millibus, unde etiam ut ipse Christus esset æstimabatur à populo: cum, inquam, talis ac tantus esset, ne per inanem gloriam raperetur super se, elegit solide subsistere in se. Confessus est enim & non negavit, confessus est quia non sum ego Christus. Sed quia veritatem humiliter confessus est, adhuc ad perfectiorem humilitatis gradum ascendit. ait enim: *Venit post me fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*. Quæ si simpliciter ad litteram intelligantur, satis grata apparet humilitas. Secundum vero spiritualem sensum sic exponitur. Per calceamentum Domini, Incarnatio Domini intelligitur, sicut per Psalmistam Dominus ait: *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id est, in mundo incarnatus apparebo, quod & factum est, ac per hoc sibi alienigenæ subditi sunt. Johannes autem se indignum confessus est ad hoc ut solveret corrigiam calceamentorum Domini, id est ut mysteria Incarnationis ejus aperiret; in quo tanta creditur humilitas ejus, ut omni sacerdoti se supponeret, quorum officium est Incarnationis mysteria aliis aperire. Quia autem inter natos mulierum non est inventus Johanne humilior, ideo nec major. Secure ergo Johannes multiplicem thesaurum virtutum in foveam humilitatis abscondit.

In Johanne Baptista.

*Johann. 1.*

*Luc. 3. &*

*Psal 107.*

13. Sic & Maria, quam stellam maritiam appellamus, cum esset ex progenie orta regali, totius probitatis forma; hominum & domina & mater, Angelorum regina, virginum virgo fœcunda, deifica, nec similem habens primam, vel subsequentem, quippe templum Domini, sacrarium Spiritus-sancti, quam splendor elegit paternæ gloriæ; cum esset, inquam, talis ac tanta, non se de donis cælestibus extulit, sed humilitatem quam exhibue-

Humilitas elogium Virginis.

rat Gabrieli archangelo, etiam hominibus exhibere curavit, quando Dominum & hominem gestans in utero, Elizabeth cognatæ suæ, tamquam virgo juvencula, mulieri provectæ ætatis, servitutis officium humiliter impendit: & cum esset humilis & virgo, non virginitatem, sed humilitatem suam Dominus respexisse dicitur. *Exultavit spiritus meus*, inquit, *in Domino Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* O humilitas, per quam femina mater Dei effecta est, per quam Deus de cælo descendit ad terras, per quam animæ de inferno ad cælum translatæ sunt. Hæc est scala proposita vobis à Deo, per quam ascenditur de terris ad cælum. Per hanc ascenderunt patres nostri, per hanc & nos ascendere oportet, alioquin non ascendemus.

14. Sed prætereundum non est, qualiter gradus humilitatis dispositi sunt in Regula beati Benedicti. Dicit autem quia ad primum humilitatis gradum pertinet timor; ad secundum non amare propriam voluntatem; ad tertium obedientia; ad quartum in obedientia patientia; ad quintum cogitationes Patri revelare; ad sextum omni vilitate & extremitate esse contentum, & seipsum judicare ad omnia injuncta operarium indignum; ad septimum non solum lingua pronuntiare, sed etiam corde credere se omnibus inferiorem & viliorem; ad octavum nihil agere nisi per communem regulam monasterii & per majorum exempla; ad nonum linguam sub taciturnitate cohibere usque ad interrogationem; ad decimum non esse promptum in risu; ad undecimum si cum quis loquitur, leviter & humiliter cum gravitate, & pauca verba & rationabilia loquatur; ad duodecimum ut quis non solum in corde humilis, sed ipsam humilitatem signis congruis exterius videntibus ad exemplum demonstret in vestium vilitate & vultus simplicitate.

15. Sed cum multis modis diversificetur humilitas, sicut mihi videtur, una est humilitas; secundum effectus interiores & effectus exteriores multipliciter crescit: quemadmodum unus & idem homo cum transeat de infantia ad pueritiam, de pueritia ad juventutem, inde ad senium per diversas ætates; unus homo est, non plures homines, sed unus: & sicut ex una arboris radice procedit stipes, & ex stipite rami, ex ramis flores & folia, & inde fructus; ita ex una humilitatis radice procedunt bona opera, tamquam rami; paupertatis habitus, & verba religiosa, tamquam flores & folia; deinde gaudium in Spiritu-sancto, tamquam bonæ arboris fructus. Est ergo, si recte perpendo, virtus humilitatis in corde, species humilitatis in ore, labor humilitatis in opere, fructus humilitatis hìc & in perventione. Dat enim Deus gratiam pro gratia, quia & in præsenti super humilem & quietum requiescit Dominus, & quanto quisque in hac terra fuerit humilior, tanto in regno constituetur gloriosior. Hæc de humilitate diximus propter Novitios, ut sciant humilitatem esse fundamentum, in quo oportet reliquas virtutes fundari.

## PARS SECUNDA.

### *De Obedientia.*

16. Quia ergo humilitatem soror obedientia inseparabiliter comitatur, aliquid de obedientia dicamus. Sed obedientiæ bonum per inobedientiæ malum lucidius declaratur: quantum enim inobedientia crescit in malo, tantum obedientia crescit in bono. Inobedientia enim amplectitur omne malum. Inobedientia de Angelo fecit diabolum, primos parentes de paradiso expulit, innumeros postea tradidit in inferno, bona evacuat, mala multiplicat, idolum in corde fabricat. Nolle acquiescere, scelus est idololatriæ. Sed peccatum quale sit & quantum, in primo parente evidenter perpenditur. Deus ergo homini quem posuit in paradiso voluptatis, diversi generis fructus plures & optimos ad esum concedens, solummodo lignum scientiæ boni & mali interdicit. Certum est autem arborem illam non fuisse cibo noxiam: neque enim qui fecerat omnia bona valde, in paradiso instituerat aliquid mali: sed ut per melius obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum

A fuerat, ut etiam à bono prohiberetur, quatenus hoc quod ageret, verius virtus esset, quanto & à bono cessans Auctori suo se subderet, humilius exhiberet, & ei promerendi Dominum suum virtus esset obedientia ipsa: quam possum verissime dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationabili degenti sub Dei potestate; primumque esse & maximum vitium ad ruinam, hominem sua potestate velle uti, cujus vitii nomen est inobedientia. Non esset ergo unde se Dominum habere cogitaret atque sentiret, nisi ei aliquid juberetur. Lignum autem scientiæ boni & mali, à quo prohibitus fuit Adam ne comederet, animæ medietatem, id est ordinatam integritatem, designat in nobis: quæ tamquam
B arbor in medio paradisi plantata dicitur, & lignum scientiæ boni & mali vocatur: quia si anima quæ se debet in anteriora extendere, id est in Deum, & posteriora oblivisci, ad seipsam, deserto Deo, conversa fuerit, & sua potentia sine Deo frui voluerit, & hoc peccatum ejus pœna fuerit consecuta; mox experiendo discet, quid intersit inter bonum quod deseruit, & malum quo cecidit: & hoc erit ei gustasse de ligno scientiæ boni & mali.

*Ex S. August. lib. 8 in Gen. cap. 6*

Cur Adæ esus fructus interdictus.

Elegans tropologia.

17. Peccatum autem Adæ gravissimum fuit, quia cum in honore esset, non intellexit, id est cum esset ad imaginem & similitudinem Dei creatus, noluit obediens permanere, sed magis audivit vocem uxoris suæ, quam Dei,
C & viso peccato apostatæ Angeli & ejusdem peccati pœna, (scilicet quod de angelo factus esset diabolus) superbia obcæcante cor suum, posuit & ipse sedem suam ad aquilonem, ut esset similis Altissimo. In pace quidem factus fuerat locus ejus, & habitatio ejus in Sion: sed quia pacem perdidit volens, dolores multiplices coactus est sentire nolens. Descendit enim ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto. Qui enim visionem pacis deseruit, hujus mundi defectus per experimentum didicit. Latrones autem, id est, spiritus maligni, tunica immortalitatis spoliaverunt eum. Graviter etenim vulneratus est, quia graviter peccavit: sed semivivus relic-
D tus est. quia enim peccavit, quasi mortuus est, & quia rationem non perdidit, quasi vita remansit. Ideo autem peccatum suum gravissimum fuit, quia non coegit eum peccare vel necessitas, vel fragilitas ipsius, vel ignorantia boni. Ignorantia non coegit eum, cum nec multa fuissent ei injuncta, sed unum; & iterum videns Deum facie ad faciem, in memoria labi non potuit. Item fragilitas non coegit eum, quoniam ipse habuit liberum arbitrium, non depressum, sicut postea, sed sancti Spiritus illuminatione corroboratum, & ita per gratiam Dei confirmatum, ut non peccaret si peccare nollet. Iterum egestas non coegit eum, quoniam neque fame, neque siti, neque alia miseria vexabatur: & si vellet aliquo fructu vesci moles-
E tias passionum præveniendo, erant in paradiso diversi fructus, quibus licenter vesci poterat. Quorum fructus alius obviavit famì, alius siti, alius aliis passionibus. quibus omnibus propositis, tamquam essent prohibiti, illum fructum, quo voce Domini fuerat interdictus, appetiit tamquam esset ei injunctum, ut illo fructu vesceretur: & ideo quia voluntate sola à Creatore recessit, & omnes posteri sui hac peste interfecti sunt: gravissime enim deliquit.

*Psal. 48. d*

Cur Adæ peccatum tam grave.

18. Sed & hoc notandum, quia sicut beatus Augustinus testatur in Enchiridion, in hoc peccato multa criminalia comprehenduntur peccata. Quod enim Adam scienter se contra Deum erexit, superbia magna fuit: quod
F autem plusquam sibi sufficeit appetiit, avaritia fuit. Non est enim avaritia tantum pecuniæ, sed & altitudinis. Quia seipsum in mortem præcipitavit, homicidium fuit: quia vero semetipsum amando, ab amore sponsi cælestis alienavit, adulterii crimen incurrit: & quia cibum vetitum usurpavit, furtum fecit; & quia Deo non credidit, sacrilegium fecit. Hæc & alia consimilia etiam in nobis inveniuntur, cum scienter contra obedientiam agimus.

*S. August. in Enchirid.*

Peccatum Adæ multa complectitur.

19. O inobedientiæ horrendum malum! Omnis enim qui propria conscientia accusante contra obedientiam

Quantum malum inobedientia

agit, quantum ad se pertinet, nec Deo, nec homini subditus esse vult, sed similitudinem Dei appetens rapinam facit, cui sicut voluntas Dei invicta est & nulli subjecta, ita à nullo vult vinci, nulli sponte subjici, quia nec Deo. Cum ergo nolit Deo subjici, & constans sit quia Deus esse non possit, se vult parifacere Deo, vel præesse: & hoc quidem malum est, illud pejus, utrumque stultissimum. Non solum autem in majoribus, sed etiam in minoribus culpis quam gravis sit inobedientiæ culpa, facile perpendere est. Quia enim Jonathas, etiam nesciens patris imperium, parum mellis gustavit illo die, quo omnibus interdictum fuit à Saule ne comederent; divina gratia à Deo subtracta est, ut victoria tunc penitus intermitteretur: quoniam culpam tam gravis pœna subsecuta est, ut Jonathas absque retractatione moreretur, nisi totius populi precibus liberaretur. Legitur etiam, quod quidam Prophetarum mandatum acceperat à Deo ne comederet, donec reverteretur inde quo missus fuerat. Supervenit autem quidam alius Propheta, dicens sibi Dominum apparuisse, quod & ex dominico præcepto comedere deberet ostendit. Quo sermone Propheta deceptus, credidit, & comedit, & in quo se obedire credidit, inobediens fuit: cujus inobedientiæ culpam talis subsecuta est pœna, ut eum in itinere leo perimeret. Verumtamen in morte peccatum inobedientiæ solutum est. quod per hoc indicatur, quia leo qui Prophetam exstinxerat, postmodum nec cadaver, nec asinum suum tangere præsumpsit. Quod si tam graviter delinquitur, cum per ignorantiam inobedientia fit; quam horribiliter peccat qui conscientia accusante obedire contemnit? Ergo, ut prædictum est, per inobedientiæ malum quantum sit obedientiæ bonum evidenter perpenditur.

*Etiam in minimis.* — *1. Reg. 14. d* — *Pœnæ inobedientiæ.* — *3. Reg. 13.*

20. Nunc autem simpliciter obedientiam describamus, subjungendo breviter ejus divisiones, & quæ sunt quæ obedientiam impediunt, quæ juvant, quæ sit ejus proprietas, & quæ dignitas, quæ perfectio, quod meritum. Est ergo obedientia virtus, qua homo propria voluntate postposita, animo amplectitur injuncta opere implenda, nisi obstiterit causa invincibilis, vel prælati auctoritas idem prohibens quod injunxerat. Obedientia alia perfecta, alia imperfecta. *Imperfecta*, est quæ usque ad mortis terminum non pertingit. *Perfecta* est, quæ morte non consumitur, sed consummatur. Item obedientia alia est magni meriti, alia parvi meriti, alia nullius meriti, cum tamen obedientia videatur. *Magni meriti* est, cum secundum quod B. Gregorius disserit, obedientia in adversis aliquid habet ex suo, id est ex desiderio amplectitur adversa. *Parvi meriti* est, cum quis in adversis invitus obedierit. *Nullius meriti* est, obedientia in prosperis, cum obedientis animus ad eadem prospera anhelat. Item obedientia alia est venalis, alia servilis, alia filialis. *Venalis* est, quæ ad quodcumque temporale commodum, vel ad mundi gloriam respicit. *Servilis* est, quæ fit quocumque timore non casto. *Filialis* est, quæ ad solam caritatem respicit. Obedientia filialis est valde bona, obedientia servilis nec ad salutem sufficit, nec est valde mala: obedientia venalis valde mala est, illa maxime qua nititur homo ad prælationis culmen fraudulenter attingere: ut qui subjectus humilitatis signa prætendit, aliis prælatus cornua superbiæ ostentat malitiose. Item debemus subjecti obedientiam, primum Deo, deinde Prælatis, postmodum ad invicem. Deo ex necessitate, Prælatis ex potestate, quia eis nosmetipsos sponte subjecimus; ad invicem ex caritate.

*Obedientiæ definitio.* — *Divisio.* — *Greg. lib. 35. Moral c. 10. vide supra Tract. de Ordine vitæ c. 5.* — *Ordo in Obedientia.*

21. Item obedientia dux est nobis ad virtutes, dux ad sapientiam, dux ad martyrium, dux ad patriam nostram. Dux dico est ad virtutes, secundum illud Gregorii: Obedientia sola est quæ ceteras virtutes menti inserit, insertasque custodit. Alibi dicit, quia obedientia fidei meritum possidet, sine qua infidelis quisque convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Dux est ad sapientiam juxta illud: *Concupisti sapientiam? serva mandata.* Dux est ad martyrium, quia qui vere & perfecte vult obediens esse, oportet eum gravissimas cordis & corporis passiones perpeti: sed magna nobis est consolatio, quia si compatimur conregnabimus, & quia secundum multitudinem dolorum nostrorum consolationes Dei lætificabunt animas nostras. & quemadmodum filii Jonadab propter obedientiam quam exhibuerant patri suo, scilicet ne vinum biberent, & ut manerent in tabernaculis, benedictionem meruerunt à Domino; ita & quicumque Prælatis suis perfectam exhibent obedientiam, benedictionem merentur à Domino, utique triplicem. quia prima est virtutum benedictio juxta illud Psalmistæ: *Multiplicabis in anima mea virtutem*; secunda est, ut anima exiens à corpore statim transeat ad requiem: tertia est, ut in resurrectione justorum omnis obedientiæ filius stolas binas recipiat, juxta illud quod scriptum est, scilicet, *in terra sua duplicia possidebunt.* Amplius, veram obedientiam comitatur caritas, simplicitas, concordia: quod per hoc nobis figuraliter innuitur, quod postquam Job de infirmitate convaluit, unusquisque amicorum suorum obtulit ei inaurem auream unam, & ovem unam. Sed quid per inaurem, quod instrumentum est aureum, nisi obedientia; quid per ovem, nisi simplicitas, designatur? Et quare inauris aurea, nisi quia aurum caritatem significat, sine qua obedientia esse non debet; & cur inauris una & ovis memoratur una, nisi quia unitas per concordiæ vinculum caritati & simplicitati conjungitur? Tanta enim concordia omnia nostra dirigi debent, ut nostro vitio scandalum divisionis in Ecclesia non fiat.

*Obedientiæ elogia.* — *Greg. loc. cit.* — *Eccl. 1. d* — *Jerem. 3[5]* — *Triplex [obe]dientiæ [be]nedictio* — *Isa. 13[7]* — *Isa 61.* — *Comites Obedie[ntiæ] Job. 42.*

22. Amplius, amor sæculi & amor privatus valde impediunt obedientiam: & valde roboratur obedientia, si quis est contemptor sæculi & sui. Sunt autem hæ proprietates obedientiæ, ut subjectus obediat, non trepide, non tepide, non cum sermone nolentis, sine mora & usque ad mortem. Et hæc est perfectio obedientiæ, propter quam perfectionem dictum est usque ad mortem. Alius enim permanet in obedientia usque ad verborum contumeliam, alius usque ad damna rerum; alius usque ad corporis passiones, alius usque ad mortem: & hic solus ad perfectionem obedientiæ pertingit. Et notandum quod obedientia nobis usque ad mortem servanda præcipitur. Ne igitur nobis usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster factus est obediens usque ad mortem. Quid ergo mirum si homo peccator obedientiæ in vitæ hujus brevitate se subjicit, quando hanc & ille qui obedientes remunerat, non dereliquit? Sed & hoc prætereundum non est, quod primis parentibus dictum est: *Ex omni ligno paradisi edite, de ligno autem scientiæ boni & mali ne tetigeritis.* Qui enim ab uno quolibet bono subjectos vetat, necesse est ut multa concedat, ne obedientis mens funditus intereat, si ab omnibus bonis repulsa jejunat. Omnes enim paradisi arbores ad esum concessit, cum ab una prohibuit, ut creaturam suam quam nolebat exstingui, tanto facilius ab una restringeret, quanto ad cunctas latius relaxaret.

*Vitia ad obedien[tiam]* — *Conditi[ones] & gradu[s] obedien[tiæ]* — *Obedie[ntia] perfect[a] mortem [us]que pr[æcipi]tur.* — *Gen. 2.*

23. Quod autem superius * dictum est obedientem non solum ex præcepto, verum etiam ex proprio desiderio adversa tolerare; in prosperis autem de suo omnino nil habere debere; veraciter affirmare possumus, si Moïsen & Paulum ad medium deducamus. Moïses namque cum in deserto oves pasceret, à Domino per Angelum in igne loquentem vocatus est, jussusque est ut omnium Israëlitarum multitudini præesset: sed quia apud se mente humilis exstitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expavit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius, ex quo cœpisti loqui ad servum tuum, tardioris & impeditioris linguæ factus*, & se postposito alium deposcit, dicens: *Mitte quem missurus es.* Ecce cum auctore linguæ loquitur, & ne tanti regiminis potestatem suscipiat, elinguem se esse causatur. Paulus autem sic ait: Ego non solum alligari, sed & in Jerusalem mori paratus sum pro nomine Jesu, neque enim facio pretiosiorem animam meam quam me. Jerosolymam ergo pergens adversa cognoscit, & tamen hoc libenter appetit: audit quod timeat, sed ad hoc ardentius anhelat. Moïses itaque ad prospera de suo nil habet, quia precibus renititur, ne Israëliticæ plebi præferatur: Paulus ad adversa

** Supra* — *Quomodo adversis prosperis obediat.* — *Exemplo Moïsis.* — *Exo. 4.* — *Et Pauli Apostoli Act. 21.*

versa etiam ex suo voto deducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotione spiritus etiam ad acriora fervescit. Ille præsentis potestatis gloriam Domino voluit jubente declinare, iste Domino disponente per dura & aspera studuit ad graviora properare. Præeuntium ergo virorum exemplo instruimur utiliter, ut si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis hujus sæculi ex sola jussione, adversis autem ex devotione militemus.

Præ- jungi pos-

24. Et notandum quod quantum ex humana ratione colligi potest, sicut nulla mala à Prælatis ex præcepto injungi debent, sic nec omnia bona, sed media bona, quæ quasi ex nostra potestate nobis à Domino data sunt, verbi gratia ut legere, scribere, loqui, silere, laborare, cessare, & consimilia. Sed, sicut prædictum est, non omnia bona præcipienda sunt. Quis enim audeat per obedientiam injungere omnia relinquere, virginitatis votum, in virginitate manere, inimicum diligere, mori pro proximo? quamquam si quis habeat fidem sicut granum sinapis, possit ac debeat etiam amplecti ea quæ impossibilia secundum humanam rationem videntur, si sibi à Prælato injungantur. Multi enim sanctorum, humanam rationem fide transscendentes, supra aquam ambulaverunt, & montes de locis suis removerunt.

25. Nunc quæ sit obedientiæ dignitas restat ostendere. Dignitas vero obedientiæ simillima Deo est. Qui enim simpliciter caritatem servat in moribus, similitudinem Dei tenet. Qui autem cum caritate etiam jejuniis, vigiliis, & aliis virtutum laboribus vigilanter insistit, Deo similior est. Qui vero cum his omnibus sub alterius potestate, obedientiæ vinculo semetipsum ligat, & ad voluntatem & imperium magistri per omnia pendet, obedientiam servans usque ad mortem, Deo simillimus est. Meritum autem obedientiæ in regno erit vitæ, tantoque illic quisque constituetur sublimior, quanto hic in ipsa obedientia manet perfectior, & illi maxime merentur sublimari à Deo, qui virginitatem obedientiæ usque ad mortem servant. Virginitatem obedientiæ vocamus obedientiæ incorruptionem, scilicet cum quis ex quo magistro se subdidit, nulla hora vel actu, vel voluntate fuit inobediens: & sicut in regno vitæ omnes qui carne & spiritu virgines permanserunt, virginitatem tamen obedientiæ non servaverunt, canticum novum cantabunt Agno, non tamen canticum virginitatis obedientiæ: sic è converso omnes qui in virginitate obedientiæ permanserunt, & virginitatem carnis & spiritus non servaverunt, etsi non canticum virginum, canticum tamen virginitatis obedientiæ cantabunt coram Domino & Agno.

26. Magna est ergo virtus obedientiæ, quæ de corruptis quodammodo virgines facit. Hæc virtus milites Christi ducit per ignem & aquam, ut transeant in refrigerium; probat eos, probatosque reddit perfectos, & quia perfectos ideo victores: *Vir enim obediens loquitur victorias.* Obediens enim quotiescumque aliquid asperum & difficile ei injungitur, si gladio præcepti seipsum mactat & Domino sacrificat, magnam loquitur victoriam, quia seipsum vincit. Multo enim *melior est obedientia quam victima*: quia per victimam mactatur aliena caro*, per obedientiam vero mactatur propria voluntas. Vir obediens hilariter & fiducialiter orat, quia sicut per B. Augustinum dicitur; Melior est oratio una obedientis, quam decem millia contemptoris. Obedientia quidem orationem dirigit ad cælum, quæ sine obedientia non ascendit ad Dominum, sicut & lapis projectus ad cælum non attingit. Vir obediens confidit ut leo: & quemadmodum leo non viribus aliis, sed in viribus proprii pectoris confidit, nec ad alicujus bestiæ pavet occursum; ita & vir obediens non in aliorum oratione & vita, sed in propria conscientia gloriatur, juxta illud Apostoli: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*, nec ad malarum bestiarum pavet occursum. Si enim occurrit ei spiritus avaritiæ vel superbiæ, vel fornicationis, vel quilibet alius malignus spiritus qui dicat, *Incurvare ut transeamus*; ipsa obedientiæ virtus sic ipsum roborat, ut non incurvetur, sed victor transeat. Nec mirum. Est enim virtus obedientiæ salus omnium fidelium, obedientia est genitrix omnium virtutum, obedientia est inventrix regni cælorum, obedientia est cælum aperiens, & hominem de terra elevans; obedientia est cohabitatrix Angelorum, obedientia est sanctorum omnium cibus: ex hac enim sancti ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.

*Vitiosæ obedientiæ species.*

27. Item sunt alii modi qui ad obedientiam pertinere videntur, cum tamen veritas obedientiæ in eis non sit. Sunt enim qui magistrum sibi eligunt idiotam, non ut ei obediant, sed ut eum secundum suam carnalem voluntatem flectere valeant; vel eligunt litteratum, qui carnaliter vivat, & carnaliter diligat obsequentes. Hi ergo qui non ut Domino placeant, sed pro concupiscentiis suis nutriendis in exterioribus obedire videntur, recte Ismaëlitæ dicuntur. Ismaëlita namque interpretatur *sibi obediens.* Est & obedientia ex nimia simplicitate descendens, quam fatuitatem appellamus, cum quis tam in malis, quam in bonis obedire contendit: cum scriptum sit: Malum per obedientiam numquam fieri debere, sed bonum aliquando intermitti. Et est obedientia semetipsam indiscrete excedens, cum quis nimia subtilitate deceptus decernit quæ sibi Prælatus injungere debeat, & quæ minime. Est & obedientia præcisa, cum quis sibi bonum præeligit, ut à Prælato sibi injungi postulet (quod aperte malum est) sed per impatientiam frangitur cum à Prælato denegatum fuerit. Quod si humiliter bonum quod desiderat, Prælato suggerat, & cum denegatum fuerit immotus permaneat, bonum est. Item est obedientia superbiæ simul & stultitiæ peste depravata, ex propria voluntate descendens, cum quis in bonis apud semetipsum quæ facturus esset, si injungerentur ei, & quæ minime....Et quandoque contigit, ut illa bona quæ facere non vult, ei Prælatus numquam injungat, & tamen propter stultam cordis deliberationem & inobedientiam apud Deum reus mortis tenetur. Sed & hoc notandum, quod quandoque magister aliquid discrete injungit, & discipulus nullo modo acquiescit, sed quasi consilium melius daturus, voluntatem magistri voluntati suæ subjicit, cum propriam voluntatem & proprium consilium sub voluntate & imperio magistri flectere debeat. Longe ergo ab itinere obedientiæ errore ducitur devio, cum semetipsum magistrum, & magistrum suum constituat discipulum.

*Reverentia semper exhibenda Prælatis, etiam errantibus.*

28. Præterea attendendum est, quod subjectus errores magistri sic cavere debeat, ut semper magistrum veneretur: quodque adeo seducitur, ut magistrum venerando imitetur errores, vel errores cavendo magistro subdi dedignetur. Quippe dum magistri actus vel verba curiosa subtilitate attendit, & semetipsum qualis apud se lateat, seductus ignorat; & dum mala sua nec magna, nec minima attendere vult, sed bona, si qua sunt: nec de occultis magistri bene sentit, nec ejus manifesta bona approbat, sed mala, si qua sunt, manifesta libenter attendit; dum, inquam, hoc facit, & seipsum inaniter extollit, & magistrum malitia agitatus deprimit. Verumtamen commissa sua attendens, se peccatorem confitetur, nec tamen tantum se peccasse æstimat, ut tali magistro subditus esse deberet, & crescente malitia verbum responsionis subtrahit, & pejus silet quam pejus loqueretur. Sed in hoc inobedientiæ vitium à filiis obedientiæ longe est, quorum studium est, ut semper humiliter cogitent, humiliter loquantur, humiliter obediant, humilitatis habitum non recusent. Hæc de obedientia & ejus proposito propter simplices obedientiæ filios simpliciter descripsimus: sed quia humilitatis & obedientiæ caritas regina est, & ad ejus regimen omnes virtutes dirigi debent; volo, si possum, de uberrimo caritatis fonte fratribus novellis propinare. Sed quia timor introducit caritatem, sic intrans ut exeat, aliqua de timore proponamus.

## PARS TERTIA

### *De Timore & Caritate.*

Timor naturalis.

Ephes. 5. g

29. EST quidam timor naturalis, nobis cum animalibus communis, ex natura carnis procedens. Timemus enim quæ corporibus sunt noxia, & naturaliter ea vitamus, & appetimus salutaria. unde scriptum est: *Nemo umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Iste timor non est peccatum, sed pœna peccati; nec introducit caritatem, nec introductam expellit: sed naturaliter est in nobis, sive habeamus caritatem, sive non.

Matth. 26 d

Et hunc timorem habebat Christus cum diceret: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, ut per hoc veritatem assumpti hominis ostenderet, & electos suos adversa mundi mortemque passuros corroboraret suo exemplo. Et nullus miretur electos timore concuti, cum Christus esset tristis usque ad mortem.

Timor servilis an fuerit in Christo.

Isa. 11. a

30. Sed & timor, qui est initium sapientiæ, & servilis dicitur, in Christo fuisse creditur, de quo Isaïas dicit: *Et replevit eum spiritus timoris Domini.* Unde merito quæritur, cum perfectam caritatem, quæ foras mittit timorem, in Christo fuisse nefas sit negare, quomodo perfecta caritas & timor servilis in eo esse simul potuerint? Ad quod diversa, nescio si sufficientia, respondentur. Dicitur quod ille qui nulla causa cogente, sed voluntarie ceteros nostræ mortalitatis suscepit defectus, hunc quoque, cum sit donum Spiritus-sancti, habuit. In eo tamen perfecta caritas fuit: alterum habuit ex sua perfectione, alterum habuit ex nostra infirmitate. Aliter: Cum dicitur, Timuit, sic intelligitur, Nihil neglexit; & ponitur causa pro effectu. Timor enim causa est hujus effectus, ut nihil negligatur. Hæc expositio verbis B. Gregorii congruere videtur. dicit enim sic: Timere Deum est, nulla quæ facienda sunt præterire. Aliter vere Christus timuit, sed sicut in se incomprehensibilis est, ita timorem habuit incomprehensibilem. Aliter: Christus qui per divinitatem omnia scivit tormenta gehennalia, & illos qui in illis cruciabantur & cruciandi erunt intuens, ex humanitate timuit, horrorem in se sensit. quemadmodum si aliquis nostrum aliquem damnatum gravissima pœna torqueri videret, protinus in fremitu carnis exhorresceret. Aliter secunpum Hieronymum, timorem Christus habuit non ad timendum, sed ad dandum: sicut medicus sanus qui medicamentum habet, non ad sanandum se, cum sit sanus, sed ad sanandum ægrotos.

Greg. M. lib. Moral.

Timores vitiosi.

31. Item nascuntur diversi timores in hominibus. Est
1
timor ex vitio animi veniens, quando aliquis ne non adipiscatur temporalia, vel adepta amittat, homines magis quam Deum timet. Et iste timor non introducit
2
caritatem, sed introductam impugnat. Est & timor vituperabilis, cum timet homo vilescere, non oculis Dei, quod timendum est, sed oculis hominum, quod timen-
3
dum non est. Est & timor reprehensibilis, cum ipsa mors & corporis passiones vltra modum timentur: & ideo tertio oravit Dominus, ne nos per trinam tentationem ti-
4
moris succumbamus. Item est timor malus respectu solius gehennæ, cum homo nec Deum timet, nec peccare timet, sed ardere; & retrahit se ad tempus ab actu peccandi, non à voluntate mala, quia vellet peccare, si liceret impune; nec amat justitiam, sed odit. Et iste timor non dicitur timor Domini, nec correptionis, nec initium sapientiæ.

Timor servilis.

Matt. 10. c

32. Est & alius timor respectum habens in Deum, quando videlicet ipsum Dominum timemus propter potentiam ipsius, quia potest animam & corpus mittere in gehennam. Hunc autem Dominus jussit habere dicens: *Nolite timere illos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed timete illum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam* In hoc autem timore aliquantulum vis caritatis est, in hoc quod ad Dominum respicit & donum Dei est: sed quia ex ejus potentia habetur, pœnam habet, & servilis dicitur, & quod in initio suo bonus est, sed non perfectus est, nec ad salutem sufficiens, verumtamen per excrescentes gradus melioratur, & adeo hominem corrigit, ut nec actu, A nec voluntate peccare libeat; etiamsi peccatis obligetur invincibilibus; & timor iste dicitur Domini, dicitur correptionis, dicitur sapientiæ. Ex hoc autem timore, mediantibus virtutibus, ad illum tendimus timorem, qui dicitur *permanere in sæculum sæculi.* Et notandum, quemadmodum mulier castum timorem habet, scilicet ne vir discedat ab ea, vel in aliquo virum offendat; sic timor Domini dicitur castus, cum timet aliquis ne Deum offendat, unde gratiam quam accepit, amittat: & iste timor, cum taliter castus sit, non permanet in sæculum sæculi, cum in beata vita unusquisque certus sit, nec Deum offendere, nec velle, nec posse. Timor autem castus qui permanet in sæculum sæculi, si diligen- B ter perpenditur, potest dici amor. Amamus autem ipsum propter seipsum, non respicientes ad pœnas, sed ipsum intuentes, ipsum præ omnibus desiderantes, caste inhæremus ei: & iste castus affectus foras mittit timorem. Non de caritate quæ in præsenti habetur, sed de perfecta quæ in futuro habebitur, solet intelligi; & tunc revera timor foras mittitur, vel in præsenti per caritatem expellitur. Quamvis enim timor naturalis sit in homine, tamen veniente caritate, jam non pro timore servitur, sicut prius, sed propter ipsum Deum.

Timor … tus.

Quis p… neat in

33. Timorem autem Domini Scriptura multipliciter commendat. Verbi gratia scriptum est. *Et timenti Deum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedi-* C *cetur*: &, *Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem & salutis fructum*: &, *Radix sapientiæ timor Domini*, &, *Timor Domini & gloriatio, & corona exsultationis*, &, *Timor Domini dabit gaudium in longitudinem dierum.* &, Timor Domini expellit & reprimit vitium, cautum facit hominem atque sollicitum. nam qui sine timore est, non poterit justificari, quia ubi timor non est, dissolutio vitæ est: & alibi scriptum est: *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua.* &, *Timete Dominum * cum timore, & exultate ei cum tremore.* &, *Beatus homo qui semper est pavidus: Qui autem duræ mentis est, corruet in malum.* &; *Timete Dominum omnes sancti ejus, quia non est inopia timentibus eum.* &, *Timentes Dominum sus-* D *tinete misericordiam ejus, & ne deflectatis ab illo, ne cadatis.* &, *Qui timetis Dominum, diligite, eum, & illuminabuntur corda vestra.* &, *Qui timetis Dominum, sperate in illo, & in oblectatione veniet vobis misericordia.* &, *Qui timetis Deum, credite in illum, & non evacuabitur merces vestra.* &, *Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione conservabit illum à malis.* &, *Spiritus timentium Deum quæritur, & in respectione illius benedicetur.* &, *Qui timet Dominum nihil trepidabit & non pavebit, quia ipse est spes ejus*: & facultas & virtus exaltavit cor ejus. Super hoc timore Ambrosius dicit: « Qui timet Dominum, declinet errorem, & ad virtutis se- « mitam vias suas dirigat. Gregorius dicit: Prava mens si « E non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non « emendatur. Sed inter hæc notandum est, quod gratia Dei præcedens mittit nos ad triplicem cogitationem, quæ habetur ex nostris excessibus, de judicio Dei futuro, de gehennæ incendio: quæ cogitatio opportuna importunitate sui mentem stimulans mittit nos ad timorem, timor autem ad caritatem. Hæc de timore caritatis gratia incidenter dicta sunt. Ipsa autem caritas nos doceat, quid de ipsa caritate sentiendum sit, quid proferendo, quod sit ejus initium, & quod incrementum, quæ perfectio.

Timor commendatur ex Scriptura.

Eccl. 2.
Ibid. c
Ibid.
Eccl. 1.
* l. Servite Domino
Psal. 2.
Prov. 2
Psal. 31
Eccl. 2
Eccl. 33
Eccl. 34.
Ambr.
Greg.

34. Dicamus ergo quia caritas multipliciter dicitur: accipitur enim pro opere caritatis, ut cum usualiter di- F citur, eleemosynam dare caritas est. quod genus caritatis, cum ex mentis affectu non descendit, non salvat. Significat etiam caritas ipsum Deum, ut cum dicitur *Deus caritas est.* Significat & caritas affectum mentis purgatum. unde S. Augustinus talem ponit descriptionem: *Caritas est motus animi ad diligendum se, & proximum propter Deum.* Et notandum, quod quando dicitur, caritas est *motus animi*, motus corporis removetur, qui quamvis aliquando sit opus caritatis, tamen non est caritas. Et quia movetur animus ad judicandum, & ad consimilia, additur, *ad diligendum*: sed quia movetur animus ad

Varia a… ptio Ca… tis.

Definitio Caritatis. August. de doct. C

diligendum sæculum, additur, *Deum.* Et ne aliquis exspectet aliud præmium à Domino quam ipsum Deum, recte subjungitur, *propter Deum*; & item quia nullus debet seipsum diligere propter seipsum, nec proximum propter proximum, sed propter Deum; convenienter subditur, *& se & proximum propter Deum.* Et attende quam recte determinatum sit, *propter Deum.* Homo nec per se est, nec per se bonus est, sed à Deo est, à Deo bonus est: similiter dico de Angelo, & de quacumque creatura. Deus enim per se est, & per se bonus est. In eo autem qui per se est, & per se bonus est, finis nostræ beatitudinis constituitur: ergo in solo Deo. Quod si homo diligeret seipsum propter seipsum, vel proximum propter proximum; jam non in Deo, sed in creatura finem suæ beatitudinis constitueret, quod nefas esset: unde proculdubio in miseriam laberetur homo, cum sibi ipsi non posset esse beatitudo, nec aliquid præter Deum. Debet ergo unusquisque seipsum diligere, nec propter se, sed propter Deum.

[Deus per se diligendus.]

35. Sed quia ista caritas manifesta vel perfecta esse non potest, nisi ex operibus comprobetur, probatio enim dilectionis est exhibitio operis; necesse est sequi opera quæ propter Deum exhibeantur. Unde dicitur: *Diliges proximum sicut teipsum*, scilicet propter Deum, id est ut servitium Dei ab illo impleatur. Et istud *sicut* similitudinem significat hic, non quantitatem: sed ut sicut diligis te ad serviendum Deo, itidem dilige proximum ut serviat Deo & regnet cum Deo. Non enim audeo judicare peccatum, si quis habeat minorem affectum circa alium, quam circa seipsum: quod si æqualis est, perfectus est. Eisdem etiam proximis temporalia & spiritualia debemus impendere: spiritualia, ut prædicationes & quæcumque spiritui congruunt: corporalia quæcumque sunt nobis ultra necessitatem. Non debemus proximis dare nostra tempore necessitatis: ipsa necessaria nostra non dare, sed partiri debemus. Sic enim beatus Gregorius testatur: Minus amare proximum convincitur, qui necessitate cogente, necessaria non partitur. Et revera caritas magis vult, ut duo tolerabili afficiantur inopia, quam unus intolerabili torqueatur miseria: nec mirum quia caritas, quæ non quærit quæ sua sunt, juxta vires occurrit, & ultra vires vult.

36. Dubitari autem solet de dilectione Dei & proximi, quæ quam præcedat. Quod ita decernitur. Dilectio Dei alia incipiens est, alia nutrita. Incipit quidem homo diligere Deum antequam proximum: sed quia dilectio Dei non potest perfici, nisi nutriatur & crescat per dilectionem proximi, oportet ut proximus diligatur. Sic ergo dilectio Dei præcedit ut incipiens: procedit à dilectione proximi, ut ab illa nutrienda. Et hæc est in dilectione Dei perfectio, ut si articulus necessitatis evenerit, moriatur homo quocumque genere mortis, antequam transgrediatur unum de præceptis Dei minimis. In dilectione vero proximi hæc est perfectio, ut homo diligat inimicum suum, & ponat animam suam pro fratribus suis. sic enim scriptum est: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* & alibi: *Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

37. Jure ergo caritas dicitur signum, quo discernuntur electi à reprobis. Non enim discerni possunt fide, aut eleemosynarum largitione, vel scientia, vel jejuniorum vel vigiliarum affectionibus, vel martyrio: hæc enim sunt communia electis & reprobis. Sola ergo caritas filios Dei à filiis gehennæ distinguit, dicente Domino: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* Caritas congregat filios Dei, & facit habitare in unum. *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* & alibi scriptum est: Ubi est caritas & dilectio, ibi est sanctorum congregatio. Ibi nec ira est, nec indignatio, sed firma caritas in perpetuum. Nulla virtus sine caritate roboratur, immo in peccatum vertitur. Peritus enim sine caritate stultus est; & idiota quilibet, si caritatem habet, valde doctus est, divina Scriptura testante: Ille tenet & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus qui caritatem tenet in moribus. O quid digne de caritate referam, quæ scientiam non abscondit ignorantibus, nec

A fructum indigentibus, nec infirmis negat medicinam, nec sanis tutelam! Caritas interna inspiratione prædestinatos vocat, vocatos justificat, justos magnificat. Pigrum excitat ut pugnet, pugnantem juvat ut vincat, victorem coronat ut regnet. Scientem inflatum tangit ut humilietur, idiotam humilem docet ut sapiat & exaltetur. Blanditur sine adulatione, sævit sine crudelitate; cum infirmis infirmatur, pro scandalizatis uritur; agit magna, agit minima, ut numquam sit otiosa. Gaudet in Confessoribus, jucundatur in Virginibus, fervet in Martyribus, regnat in Angelis. In humilibus Confessoribus redolet ut viola, in devotis Virginibus germinat ut lilium, in sanctis Martyribus rubet ut rosæ, in beatis Angelis fulget
B ut aurum obrizum. O quam dulce & salubre est vinculum caritatis, in qua affirmante beato Augustino, Pauper dives, sine qua dives pauper est. Hæc in prosperitatibus temperat, in adversitatibus tolerat, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima: libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum.

[Caritatis elogia, fructus & effectus.]

38. Caritas ergo mira, pulcra, optima, docet & operatur. Docet enim ut semper diligatur quod diligendum est, ut numquam diligatur quod diligendum non est, nec amplius diligatur aliquid respectu hujus rei quod æqua-
C liter vel minus diligendum est, nec æqualiter quod minus vel amplius, nec minus quod æqualiter vel amplius. Debet unusquisque homo quatuor tantum diligere: Deum scilicet, Angelos, semetipsum, & homines. Alia autem ab his minime diligenda sunt, sed pro loco & tempore utendum est eis, & pro conditione sua laudandus atque admirandus est Creator in illis. Verbi gratia Deus & proximus semper diligendus est, peccatum autem numquam diligendum est: item Deus non minus vel æqualiter respectu alicujus, sed magis diligendus est: nec proximi minus nec magis diligendi sunt, sed æqualiter, licet opera caritatis non æqualiter exhibenda sint. Item corpora nostra nec magis, nec æqualiter ut animæ diligenda sunt,
D sed minus.

[Ordo Caritatis.]

39. Item docet hominem gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, abstinere ab illicitis, transcendere licita, dare superflua, partiri necessaria, inimicum diligere, pro proximo mori. Caritas purgat cor, illuminat, accendit, corroborat: purgat dico à sordibus peccatorum, illuminat ad intelligendum, accendit ad diligendum, corroborat ad operandum & perseverandum. Caritas est vita verborum & cogitationum, vita virtutum & operum: quia singula hæc si ex radice caritatis non pullulant, non vivunt, sed mortua sunt. Item caritas est vita beatarum animarum, vita quoque Angelorum: quia nec animæ nec Angeli vivunt nisi per caritatem Dei qua pascuntur. Item
E caritas est mors criminum, virtus pugnantium, palma victorum: quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium bonorum deservit. Non est autem caritas integra, nisi cum dilectione Dei amor fraternus teneatur: qui enim à fraterna societate secernitur, divinæ caritatis participatione privatur. Christus Deus & homo est: totum ergo Christum non diligit qui hominem odit. Quamvis aliqui fide & bonis operibus videantur esse participes; tamen quia fraterna dilectione privantur, nullum habent incrementum virtutis. Nam, sicut Apostolus ait, *Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum ut æs sonans, aut cimbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim omnia mys-*
F *teria & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Caritas enim omnium virtutum obtinet principatum, unde & *vinculum perfectionis* dicitur, eo quod universæ virtutes ejus vinculo religentur. O quam beata est virtus caritatis, quæ omnes amplectitur, omnes diligit, omnes fovet, peccata delet, virtutes nutrit, &, sicut scriptum est, comprimit iram, excludit odia, expellit avaritiam, com-

[Alia caritatis effecta & elogia.]

[Caritas integra, quæ.]

[1. Cor. 13. 1.]

[Coloss. 3 c]

primit rixam, & fugat pariter omnia vitia. Inter opprobria ſecura eſt, & inter iras placita, inter odia benefica, in veritate firma: à pravis impugnatoribus non diripitur, à latronibus non furatur, ab incendio non crematur, ab hæreſi non dividitur: individua ſtat, inexpugnabilis manet, inconcuſſa perſeverat, incorrupta lætatur. Caritas concordia eſt, meritum & ſocietas electorum. *Caritas patiens eſt*, quia in adverſitate non frangitur: *benigna eſt*, quia amicis & inimicis opera miſericordiæ impendit: caritas *non æmulatur*, quia alterius bonum diligit ut ſuum: *non agit perperam*, quia ad opus perverſum non ducitur: *non inflatur*, quia eam nulla proſperitas attollit: *non eſt ambitioſa*, quia non vult aliis præponi: *non quærit quæ ſua ſunt*, quia communia propriis, non propria communibus anteponit: *non irritatur*, quia non provocatur ad iram, & non ſolum opere non nocet, ſed nec malum cogitat: *non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert* in actu pro veritate, *omnia credit* quæ veritas ſuadet, *omnia ſperat* quæ veritas promittit, *omnia ſuſtinet*, in ipſo capite, id eſt Chriſto. *Caritas numquam excidit*, quia etſi opera ejus ceſſent, ipſa tamen caritas nec in hoc ſæculo, nec in futuro finitur. Vel caritas in electis non excidit, quia etſi aliquis electus criminaliter peccet, caritas tamen in eo non excidit irregreſſibiliter. Hanc autem virtutem qui ſervat in operibus ſuis, benedictionem conſequitur, ſcriptura affirmante quæ loquitur ad populum Iſraëliticum ſic: *Si autem audieris ut facias omnia mandata ejus, faciet te Dominus excelſiorem cunctis gentibus quæ verſantur in terra: benedictus eris in agro, & benedictus eris in civitate: benedictus fructus ventris tui, & benedictus fructus terræ tuæ*: mittet Dominus ſuper cellam tuam & ſuper omnia opera manuum tuarum benedictionem.

1. Cor. 13 b
Ibid.
Ibid.
Deut. 28

# EXPOSITIO IN ORATIONEM DOMINICAM.

*Prodiit nuper ex Bibliotheca Dunenſi. Ejuſdem eſt auctoris ac præcedens Tractatus, cujus hic mentio ſit num. 3.*

1. PAter noſter. Septem ſunt petitiones, ſicut ſeptem dona Spiritus-ſancti & ſeptem virtutes. Per petitiones venitur ad dona, & per dona ad virtutes, per virtutes ad beatitudines. Iſtæ petitiones diſtinctæ ſunt ſecundum duas vitas: quia vita alia eſt temporalis, alia cæleſtis. Per temporalem tranſitur ad cæleſtem, ſi bene & recte temporali utatur viator; ita quod numquam adhæreat huic mundo, immo liberetur ab eo. Tres inferiores pertinent ad temporalem vitam, & primæ tres conſummabuntur in cæleſti vita; media vero, quamvis de cæleſtibus ſit, tamen hîc completur: quia panis ſpiritualis ideo petitur, ut in præſenti eo fruamur, & per eum confirmemur. Sed antequam ad petitiones veniatur, captatio benevolentiæ in ore orantis præmittitur, *Pater noſter*. Inducitur unuſquiſque ſimul orans, non ſibi, ſed communi ſaluti hominum, ut caritas & unitas Eccleſiæ deſignetur: in qua tam bene frater deſiderat ſalutem fratris, ſicut & ſuam. Dicit ergo *Pater noſter*. Cum vocet eum Patrem, debet eſſe filius, non degenerare à tanto Patre, qui affectu & benevolentia Pater eſt. Cum vocamus *Patrem*, ſignificamus quia jam non ſumus ſervi, ſed filii: cum dicimus *noſter*, ſignificamus quia multorum eſt, non unius tantum: qui enim habebat unum filium naturaliter, per gratiam ſuam voluit & alios filios adoptionis addere. Ecce communis eſt Pater omnium noſtrum, per quod admonemur fraternitatis & ejuſdem unanimitatis. Non applaudat ſibi dives vel nobilis, ſive dominus; quia ſimiliter eſt filius Dei pauper & ignobilis & ſervus. Omnes itaque fratres ſumus. Cum dicitur *qui es in cælis*, videtur orare ille qui eſt in imo, ut ad Patrem ſuum qui eſt in cælis, id eſt, in immutabilitate, æternitate, impaſſibilitate, poſſit aſcendere, ut cum eo ſit immutabilis & impaſſibilis.

2. Præmiſſa captatione benevolentiæ, accedit ad petitiones: ſed alio modo hîc ordinantur, quam in hominibus complentur. Præmittuntur enim illæ petitiones quæ in futuro erunt conſummatæ, quia digniores ſunt: poſtea ponuntur illæ quæ ad præſentem vitam pertinent, quia indigniores ſunt. Sic Iſaïas fecit, qui dona Spiritus-ſancti digniora præmiſit deſcendendo in minimis; & Moïſes qui dilectionem Dei præmiſit dilectioni proximi, quamvis ſit poſterior tempore. Ut ergo melius dignitatem, & quomodo aliud ex alio naſcatur, videamus; naturalem ordinem, prout in nobis completur, prius ſequamur, & poſtea id iſtum ordinem redeamus.

Iſa. 11. a
Deut. 6 b

3. Ultima petitio eſt; *Sed libera nos à malo*, quæ tamen prima eſt in nobis. Homo enim qui vult aſcendere ad cælum, videns quia non poteſt aliter aſcendere, niſi à malis hujus mundi liberetur, clamat, *Libera nos à malo*, id eſt à peccato originali & actuali, & à deſiderio hujus mundi, ut temporalia & meipſum abjicere queam, & fiam pauper ſpiritu. Quod totum fiam per ſpiritum timoris, ſicut expoſitum eſt planius in tractatu virtutum *. *Et ne nos inducas in tentationem*. Abdicatis omnibus terrenis, neceſſe eſt inſtare tentationes interiores & exteriores. Neceſſaria eſt ergo manſuetudo, ut mitis ſit & humilis omnibus nocentibus, & nulla ira vel rancore moveatur, quod fit per ſpiritum pietatis. Et non orat quod non eveniant tentationes, ſed ut non inducatur. Ille inducitur in tentationem, qui ſuccumbit tentationi, & mergitur in ea. *Et dimitte nobis debita noſtra*. Quamvis ſit liberatus à malo, quamvis non frangatur tentationibus, adhuc tamen non poteſt evitare, quin in multis Deum offendat: ſicut navis tranſiens per mare, per rimas recipit aquas: & ideo neceſſarius eſt luctus, quo peccata abluantur, quæ ut ſibi dimittantur, neceſſe eſt ut aliis dimittat, & de miſeriis hujus mundi doleat: quod totum fit per ſpiritum ſcientiæ. Scientia facit lugere hominem, cum quanta ſit miſeria in præſenti, facit agnoſcere, & peccatis cognitis facit clamare; *Dimitte nobis debita noſtra*, id eſt peccata quæ debemus lugere; *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Debitores ſunt qui nobis debent pecuniam, & qui fecerunt nobis aliquam injuriam. Si debet pecuniam, ſi perfectus es, dimitte; ſi imperfectus, licite repetere potes, ſi ille habeat unde reddat; ſin autem, debes dimittere. Si fecit injuriam, & ſe tibi humiliavit, dimitte: ſi non vult, paratus ſis ad condonandum, & fac quantum in te eſt. Illi autem nihil proficiet quod tu facis, niſi te rogaverit: ſed tu te expediviſti.

* V. Tract. præced. & ſeq.

4. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Tres petitiones præcedentes ad terrenam vitam pertinent, quia liberatio à malo, tentatio, lugere pro peccatis in præſenti eſt, & à mundo ſeparatio vocatur. Modo tranſit ad cæleſtia, & in primis petit ſibi dari panem cæleſtem, quo bene operetur, & in via confortetur, ne deficiat. De cælo quidem panis petitur, ſed ut hîc comedatur: & ita petitio iſta confinium eſt de temporali ad cæleſtem vitam, quia res cæleſtis inclinari poſtulatur, ut hîc in præſenti habeatur. Panis iſte eſt Deus qui paſcit Angelos. & ſicut panis qui à matre comeditur, in lac vertitur, ut puer illo fruatur: ſic Deus quo fruuntur Angeli ſicuti eſt, nobis verſus eſt in lac, ut eo poſſemus frui. Aſſumpſit enim viſibilem formam, ut doceret homines, ut ſic ſaltem eum agnoſceremus. Comedimus ergo eum ſemper ſub aliqua ſpecie in Sacramento altaris, in ſcripturis & in verbo prædicationis, & omnibus modis quibus in nobis revelatur. Fruimur & illo pane, quando terreno pane veſcimur, ut ſuſtentati ei fortius ſerviamus. Panem iſtum * vocat *ſuperſubſtantialem*, quia ſuper omnes ſubſtantias eſt: & *quotidianum* eum vocat Lucas, quia eum quotidie aliquo ſupradictorum

Panis est Deus.
Quomodo comeditur.
* Matthæi cap. 6. b

modorum comedimus. *Hodie* vocat præsens tempus. Per A istum panem esurimus & sitimus justitiam futuram: justitia enim præsens est imperfecta, & quasi esuries. De hac esurie dicitur: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*: & desiderium cælestis justitiæ, quæ perfecta est. Et iste panis habetur per donum fortitudinis.

5. *Fiat voluntas tua.* Istæ tres petitiones quæ restant, non possunt adimpleri perfecte nisi in cælo. Duæ sunt voluntates in Deo; una misericordiæ, quæ non est cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, quâ *omnes homines vult salvos fieri*, quod tamen in libera eorum voluntate positum est. Est alia quæ est de effectibus rerum, de qua dicitur: *Omnia quæcumque voluit fecit.* Huic nemo potest resistere: *Voluntati enim ejus quis resistit?* Hæc providentiæ B concordat semper, alia vero non semper. Si enim vult per misericordiam de aliquo pravo quod sit justus, & conferat ei gratiam suam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei consentiat; huic voluntas providentiæ non concordat: quia quamvis per dulcedinem conferat, tamen scit non consensurum. Quæ autem de effectibus est, alia est permittens, alia approbans. Permittens est, quod faciat malum quandoquidem vult: Approbans est, quod quando vult, faciat bonum: utraque est ex justitia. Itaque homines resistunt voluntati justitiæ quoad effectus. In Paulo tamen videtur cogens voluntas Dei, sed non est: quia licet sit percussus, tamen voluntas erat libera, ut resisteret si vellet. In cælo fiunt C omnes voluntates Dei, & nullus ibi voluntati Dei resistit: sed in terra multi contradicunt Dei voluntati, illi scilicet quæ est ex misericordia: cum enim vellet etiam salvare pravos si vellent, tamen ipsi contradicunt operibus huic voluntati. Orat ergo iste, quòd sicut voluntas Dei est in omnibus civibus cæli, ita faciat & alios terrenos tales qui nullo modo voluntati Dei resistant; quod in nullo completur nisi in cælesti vita. Et tamen aliquo modo completur in hac vita in sanctis, etsi non per omnia; quia nullus vivere sine macula potest. *Sicut in cælo & in terra*, diversis modis variari potest, ut dicamus, *sicut in cælo*, id est, in Christo, in quo Dominico homine Deitas residet, & suæ voluntati numquam homo ille contradixit; D *& in terra*, id est, in Ecclesia fiat. Vel *sicut in cælo*, id est, in Angelis; ita *& in terra*, id est in hominibus. Vel *sicut in cælo*, id est, in anima justi; ita *& in terra*, id est, in carne, ut nullo modo caro contradicat spiritui; sed in eadem voluntate consentiat cum eo. Vel *sicut in cælo*, id est, in sanctis viris; ita *in terra*, id est in peccatoribus. Quod totum est per spiritum consilii, qui dat nobis consilium bonum, quo istam misericordiam adipisci possimus, ut simus scilicet misericordes: *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

6. *Adveniat regnum tuum.* Postquam assecutus est illam misericordiam, ut voluntati Dei non resistat; postulat altius donum, ut Deum videat, scilicet clare, remotis E omnibus nebulis phantasmatum; quod non erit perfecte completum, nisi in futuro. Et quamvis illa in cælo ordine non dentur, secundum ordinem tamen dignitatis postulantur; quia quamvis in terra non sint plenarie data, tamen ordine sunt à sanctis in terra recepta. Hæc postulatio est sexta, quia homo in sexta die, id est in perfectione, quæ per senarium designatur, ad imaginem Dei factus est: quæ imago postea per peccatum corrupta est. Modo in eamdem imaginem se reformari petit, id est in eumdem intellectum, ut Deum aperte intelligat, quæ imago dicitur *regnum Dei*: videre enim summum bonum est regnum cælorum. Reformatio hujus imaginis idem est quod munditia cordis: unde dicitur, *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*: quæ aliquatenus in præsenti habetur. Hæc petitio per spiritum intelligentiæ completur. Matth. 5. a

7. *Sanctificetur nomen tuum.* Hæc septima petitio est, ultra quam nulla habetur, quæ merito sequitur post Dei visionem. Parum enim esset Deum videre, nisi delectaretur homo in illa visione. Hæc requies & delectatio præfigurata est in septima die, in qua dicitur Deus requievisse. unde etiam dicitur: *Sanctificavit diem sabbati*: Exod. 6. c quia in futura requie vere sancti erunt fideles. Hæc est illa pax de qua dicitur: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Quando enim erunt similes Deo, immortales, impassibiles, incorruptibiles, nulla inquietudine Matth. 5. a moti, sed in æterna pace, in qua est Deus, viventes; tunc erunt filii Dei, & etiam participatione dii. Quod orat iste; *Sanctificetur nomen tuum* in nobis, ut tu dicaris pater, & nos filii, & etiam dii: ac si diceret: Sanctitas nostra non erit nostra, sed tua in nobis: & ideo *sanctificetur*, id est, sanctitas tua fiat & appareat in nobis, & tuum nomen sanctum appareat in filiorum dignitate. Hæc petitio completur per spiritum sapientiæ. Differunt sapientia & intelligentia, sicut inter nos possumus videre. Intelligentia enim inter nos est ipsum exercitium investigandi scripturas, Sapientia vero ipsa delectatio cognitionis, quando jam nihil investigamus, sed jam quasi omnia scimus, & in cognitis delectamur. Ita persimile est in cælo intelligere, ipsum videre: non quod in cælo sit labor aliquis *: Sapientia vero est in cognitis delectari. Ita ascendit ille qui est in terra ad cælum, & hoc ordine complentur petitiones istæ septem: modò videamus eas secundum hoc quod descendendo sunt ordinatæ. Quomodo differant sapientia & intelligentia. * d. aliquid.

8. Quia ille qui petit, noverat Deum Patrem in cælis regnantem, petitionem illam præmisit, quæ Patri illi vicinior est, de pace illa qua homines filii Dei efficiuntur: quasi diceret, *Pater noster qui es in cælis*, da ut nomen tuum sanctificetur in nobis, id est ut in cælo tecum maneamus, & filii tui efficiamur. Quam delectationem non possumus habere, nisi reformes in nobis imaginem quæ corrupta est. *Adveniat regnum tuum.* Quæ imago & munditia cordis quia restitui non potest, donec voluntati tuæ consentiamus; *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Et quia voluntati Dei obedire non possumus per omnia, nisi pane corroboremur; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et quia corpore Christi indigni sumus, quamdiu peccatis fœdamur; ideo *dimitte nobis debita nostra*, &c. Ut autem peccata nostra intelligamus & deplorare valeamus, orandum est nobis, ne tentationes inimici nos sibi subdant; & ideo dicendum est; *Et ne nos inducas in tentationem.* Quibus tentationibus resistere non possumus, nisi terrena abdicemus; ideo petendum est; *Sed libera nos à malo.* Si autem dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis delicta vestra. Quia autem quamdam conditionem posuerat quæ gravis erat, scilicet *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos*, &c. ut ad eam nos invitet, eam commendat quasi medicinam nostrorum peccatorum, dicens, ut si condonare aliis volumus sua peccata quæ nobis fecerunt, & Deus nostra condonabit: sin autem, nec ipse nostra. Nota quod dicit *hominibus*, & non dicit vos homines, quia illi quibus est condonandum sunt peccatores. Recapitulatio.



# SERMONES VARII IN QUÆDAM FESTA ET DOMINICAS ANNI.

## SERMO ÆLREDI ABBATIS Rievallensis in Anglia Ord. Cisterciensis.

### IN ADVENTU DOMINI,

*De undecim oneribus Isaiæ.*



TEMPUS est, fratres carissimi, ut misericordiam & judicium cantemus Domino. Adventus quippe Domini est, illius qui venit & qui venturus est omnipotens. Sed quomodo venturus est, vel venit? Nempe vox ejus est: *Cælum & terram ego impleo.* Quomodo ergo ad cælum venit, vel ad terram, qui cælum & terram implet? Audi Evangelium: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est; & mundus eum non cognovit.* Ergo & præsens erat, & absens. Præsens, quia in mundo erat: absens, quia mundus eum non cognovit. *Non est longe ab unoquoque nostrum*, ait Paulus: *In ipso enim vivimus, movemur & sumus:* & tamen *longe à peccatoribus salus.* Prope itaque per essentiam, longe per gratiam. Quomodo non longe, qui non agnoscebatur, nec credebatur; nec timebatur, nec amabatur? Longe à peccatoribus: quos nec revocabat errantes, nec erigebat jacentes, nec redimebat captivos, nec mortuos suscitabat. Longe, inquam; quando nec justis cælestem mercedem, nec impiis manifesto judicio æternam inferebat damnationem. Venit proinde ut agnosceretur, qui non agnoscebatur; crederetur, qui non credebatur; timeretur, qui non timebatur; amaretur, qui non amabatur. Sic qui præsens erat essentialiter, venit misericorditer, ut agnosceretur humanitas ejus, crederetur divinitas ejus, timeretur potestas ejus, amaretur benignitas ejus. Apparuit autem humanitas ejus in nostræ infirmitatis susceptione, divinitas in miraculorum exhibitione, in dæmoniorum oppressione potestas, in peccatorum susceptione benignitas. Humanitatis namque fuit, quod esuriit: divinitatis, quod de quinque panibus quinque millia hominum satiavit. Humanitatis fuit, quod in mari dormivit; divinitatis, quod mari & fluctibus imperavit. Humanitatis fuit, quod mortem sustinuit: divinitatis, quod mortuos suscitavit. Item potestatis fuit, quod Pharisæos de templo ejecit: benignitatis, quod in convivium publicanos & peccatores suscepit. Potestatis fuit, quod dæmones terruit: benignitatis, quod adulteram absolvit. Postremo potestatis fuit, quod volentes eum capere, prostravit: benignitatis, quod abscissam sui persecutoris auriculam loco simul & sanitati restituit. Et hæc omnia cum ad primum adventum pertineant, misericordiæ dicimus adscribenda.

*Apoc. 1. b. Jer. 33. — Johan. 1. u — Act. 17 f — Psal. 118 d — Divinitatis & humanitatis opera in Christo.*

2. Considerate ergo quid sit Deus, & videte quid sit, quod deposuerit tantam majestatem, quod exinaniverit tantam potestatem, quod infirmaverit tantam virtutem, quod tantam altitudinem humiliaverit, quod tantam sapientiam infatuaverit. Numquid hominis justitia? Absit. *Omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum.* Quid ergo? Num aliqua ejus egestas? Minimè. Ejus enim est *orbis terræ & plenitudo ejus.* An forte nostri in aliquo eguit? Nequaquam. Deus quippe meus est: *Bonorum meorum non eget.* Quid ergo? Vere Domine non mea justitia, sed tua misericordia: non tua egestas, sed mea necessitas. Dixisti enim, *Misericordia ædificabitur in cælis.* Ita plane: quia miseria abundabat in terris; ideo in primo adventu tuo, misericordiam cantabo tibi Domine. Misericordiæ namque fuit, quod infirmitates nostras factus homo in se suscepit: misericordiæ, quod fidem divinitatis suæ miraculis confirmavit. Misericordiæ nihilominus, quod dæmonum nobis calliditates detexit, & evacuavit virtutem: misericordiæ, quod meretricis attactum non respuit, sed approbavit devotionem. Itaque quod se exhibuit in humanitate humilem, in miraculis potentem, in dæmonum oppressione fortem, in peccatorum susceptione mitem: totum hoc ex misericordiæ fonte processit, totum ex pietatis visceribus emanavit. Et ideo in hoc primo adventu tuo, misericordiam cantabo tibi Domine. Et merito: quia misericordia tua plena est terra.

*Causa Incarnationis, misericordia. — Psal. 13. e — Psal. 23. a — Psal. 15. a — Psal. 88. a — Psal. 1[illegible] — Psal. 1[illegible]*

3. Ecce oleum, ad cujus præsentiam jugum nostræ captivitatis computruit, sicut ait Isaias sanctus: *In illa die auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum de collo tuo, & computrescet jugum à facie olei.* Quæ ista dies, quod onus istud, quod jugum? Audi quod idem Propheta præmittit: *Suscitabit super eum Dominus, scilicet regem Assyriorum, flagellum juxta plagam Madian in petra Oreb: & virgam ejus super mare, & levabit eam in via Ægypti.* Flagellato itaque & percusso diabolo, qui est *rex super omnes filios superbiæ*, levavit Dominus virgam suam super mare, & levavit eam in via Ægypti. Mare, sæculum; virga, crux: via Ægypti, via illa lata & spatiosa, quæ ducit ad mortem. Gratias tibi, Domine Jesu, qui exaltasti virgam tuam super mare, prosternens cruci tuæ superbiam sæculi, & subjiciens ei principatus & potestates. Vere, Domine, crux tua premit fluctus sæculi, sedat tempestates, persecutionum & tentationum procellas mitigat. Levasti etiam eam in via Ægypti; ut obstructa via illa lata quæ ducit ad mortem, illam arctam & angustam ostenderes quæ ducit ad vitam. An nescitis? An non sentitis? An non experimini? Fervet in carne æstus concupiscentiæ, aliquando in mente ira desævit, indignationis & amaritudinis verba prorumpunt, & ad instar maris quod vehementer agitat ventus, omnia interiora hominis conturbantur: sed levante super hoc mare crucem suam Jesu, sedantur omnia, omnia conquiescunt.

*Isa 10 — Job 41. — Virtus [illegible] Christi.*

4. Præterea, fratres carissimi, quis vos in hanc viam & angustam semitam salutis induxit, nisi dominicæ crucis & passionis exemplum, quam levavit Dominus in viam Ægypti? Merito hac die, id est tempore gratiæ, tempore misericordiæ, tempore quo crux levatur, quo Christo subditur mundus, quo princeps mundi hujus ejicitur foras: hac inquam die, hoc tempore auferetur onus de humero tuo. Quod onus? Legimus in Scripturis multa onerum genera. Nam sanctus Isaias undecim nobis onera prophetico sermone describit. 1. Onus Babylonis. 2. Onus Philistiim. 3. Onus Moab. 4. Onus Damasci. 5. Onus deserti maris. 6. Onus Ægypti. 7. Onus Dumæ. 8. Onus in Arabia. 9. Onus vallis visionis. 10. Onus Tyri. 11. Onus jumentorum Austri. Et quid est onus, nisi pondus quoddam deprimens animam & ad terram inclinans: faciens eam ad inferiora respicere, & negligere superiora? Tale nobis onus aliquando ex mundi provenit delectatione, & hoc *onus Babylonis*: aliquando ex immundorum spirituum immissione, & hoc *onus Philistiim*: aliquando ex naturali quadam & inevitabili necessitate, & hoc *onus Moab*: aliquando ex tenebris ignorantiæ, & hoc *onus Ægypti*: aliquando ex innata nobis infirmitate, & hoc *onus Damasci*: aliquando ex malorum persecutione, & hoc *onus deserti maris*: aliquando ex occulta animi vexatione, & hoc *onus Dumæ*: aliquando ex timore mortis; & hoc *onus in Arabia*: aliquando ex vanitate, quando proficimus, & hoc *onus vallis visionis*: aliquando ex angustia pro his quæ toleramus, & hoc *onus Tyri*: aliquando ex caritate, quando aliis prodesse desideramus; & hoc *onus jumentorum austri.*

*XI. Onera per Isaiam descripta c. 13. & seq.*

5. Primum itaque *onus Babylonis* est: quod necesse est ut auferatur ab humeris nostris. Babylon significat *mundum*, cujus amor cupiditas est: onus itaque grave multos premens, & ad inferiora incurvans. Tripliciter autem miseros onerat, labore, timore, dolore. Cum labore

*Cupiditas tripliciter premit.*

pervenit homo ad hoc quod cupit; cum timore possidet, cum dolore amittit. Eia, fratres, quis regum non cum labore acquirit quod cupit? Quis regum ita securus, ut nullum timeat? Quis non cum dolore aliquid amittit? Sed retorqueamus ad nos parabolam istam. Nullusne nostrum sub hujus oneris pondere suspirat? Nullæne in nobis mundanæ delectationes resederunt? Quid quod qui sua reliquerunt, aliena quærere non formidant? pro quibus laboribus fatigantur, cruciantur doloribus, timoribus conteruntur. Numquid vel ille ab hoc onere liber est, qui cum nihil vel parum in monasterium attulerit, tamen ut aliis det quicquid potest, de monasterio auferre non desinit: qui importune petit; qui irascitur, si non accipit; dolet, si corripitur; sævit, si proclamatur? Quid illi, qui tanto parentum stringuntur affectu, ut religionis dispendium, maximosque labores pro eis subire non dubitent, & ob hoc etiam dies vacuos & noctes ducunt insomnes? Quid de illis dicam, qui honores ambiunt? Quid oneris non sustinent? Nunc adulantur, nunc detrahunt, nunc pro aliorum promotione insaniunt: nunc frustrati spe sua, in ipsos etiam patres suos maledictis insurgunt. Itaque, fratres, omnes hi conformantur huic sæculo. Unde & nomine Babylonis censentur, illo pœnarum onere, quod Propheta super Babylonem describit, miserabiliter opprimendi.

6. Sequitur *onus Philistiim*, qui interpretantur *cadentes potione*, illosque significant qui superbia inebriati ceciderunt de habitatione cælesti. Isti miseros onerant; nunc tentatione, nunc afflictione. Hi Ægyptios onerabant plagis multis & magnis, sicut habes in Psalmo: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* Hi cor Judæ oneraverunt avaritia, & cor Pharisæorum invidia, & Pilati stultitia. Hi cor fidelium multis tentationibus onerant: insultantes animæ consentienti, & dicentes; *Incurvare ut transeamus.*

7. Additur *onus Moab*, qui interpretatur *de patre.* Naturalem illam exprimit necessitatem, quam pater generatione transfundit in filium; sicut est inevitabilis manducandi, bibendi, dormiendique necessitas, & cetera quæ ad necessariam pertinent corporis curam. Quale hoc onus, fratres carissimi, quo cogimur post solis splendorem, ad carnis hujus curam, quasi ad fœtidum cadaver redire, & post spirituales cibos mentis, procurare onera ventris? Quale hoc onus, quod quotidianum à nobis miseræ servitutis tributum exigit; & quem hodie implevimus, evacuatum crastino ventrem reimplere compellit? Quid dicam, quantarum sollicitudinum ac curarum onus miseris mortalibus necessitas ista imponit: adeo ut quorumdam hominum Deus venter sit, pro cujus non durâ delectatione, sed onere ipsam justitiam & divinam doctrinam venalem habent? Hujusmodi, ut ait Apostolus, Domino Jesu-Christo non serviunt, sed suo ventri. Quid præterea oneris in ipsa ciborum distinctione sustinentes, hos desiderantes, illos rejicientes: cum alii ventrem torqueant, alii caput gravent, alii pectus oppilent, alii tot corruptis humoribus premant? Verum de illis quid dicam, quos ista necessitas nunc murmurare, nunc detrahere, nunc insuper litigare compellit? Contristantur, si cibus vilior sit, si potus minus sapidus apponatur, si præparetur tardius, si negligentius accuretur. Fratres, qui hujusmodi sunt, secundum carnalem generationem viventes, Moab dici possunt, pondere pœnæ, quod in onere Moab Propheta commemorat, infeliciter onerandi.

8. Jam de *Onere Damasci* prophetia subjungitur. Damascus interpretatur *fundens sanguinem*, illam nobis innatam exprimens corruptionem, quæ quodammodo nolentes & invitos trahit ad peccatum. Ipsa est lex in membris nostris repugnans legi mentis nostræ, & captivos nos ducens in legem peccati, quæ est in membris nostris. Omnis sensus vitalis in corpore ex sanguine est: vitalis autem sensus in anima ex ratione est. Et scitis, quam naturalis motus peccati nonnumquam in quadam delectationis voragine pæne ipsam vim rationis absorbeat: & totam, ut ita dicam, reddat exsanguem. Sed quidam sentiunt, sed non consentiunt: impugnantur, sed non expugnantur: onerantur, sed non prosternuntur. Hi onus quidem sustinent à Damasco: sed Damascus non sunt. At ille qui consentit & præbet membra sua arma iniquitatis peccato, profecto Damascus est, proprium sanguinem fundens, & suis se manibus interficiens. Hic proculdubio pondere pœnæ, quod in onere Damasci describitur, se noverit opprimendum.

9. Additur *Onus Ægypti.* Ægyptus interpretatur *tenebra.* Sunt autem tenebræ ignorantiæ, sunt & iniquitatis. Eia, fratres, non est leve hoc onus, quod de ignorantiæ nostræ cæcitate portamus, nescientes in multis quid expediat; quid laudemus, quid improbemus: ita ut sæpe dicamus malum bonum & bonum malum. Sed & quid oremus sicut oportet nescimus, & in luce Scripturarum quasi in nocte palpando incedimus. Qui ergo hujusmodi sunt, ab Ægypto onerantur; sed cum Ægypto non onerantur, cum illis scilicet qui Ægyptus sunt & tenebræ, filii tenebrarum. De quibus Dominus in Evangelio: *Omnis qui male agit, odit lucem.* Et Apostolus, *Qui dormiunt*, inquit, *nocte dormiunt: & qui ebrii sunt nocte ebrii sunt.* Hi nimirum eo pondere pœnæ premuntur, quo Ægyptum Propheta docet esse puniendam.

10. Subjungitur *Onus deserti maris.* Mare desertum est multitudo reproborum, qui derelicti à Deo, & à Sanctorum numero separati, pondere persecutionum sanctam premunt Ecclesiam, ipsi pœnarum pondere, quæ in hoc onere à Propheta notantur, postmodum puniendi. Præterea mare sunt illi, qui diversis passionum ac vitiorum tumultibus quatiuntur. Qui semper in motu sunt, semperque vagi, numquam stabiles, numquam in eodem statu permanentes: nunc superbia intumescunt, nunc ira fervescunt; nunc tristes, nunc leves, nunc pressi silentio, nunc risu dissoluti, transgrediuntur præcepta seniorum, & fratrum pacem turbant. Quamdiu tamen timent, quamdiu dolent; quamdiu admittunt correptionem nec fugiunt satisfactionem; desertum mare non sunt. At si venientes in profundum malorum contempserint, si correpti reclamaverint, nihil honestum, nihil quietum, nihil insuper ordinatum responderint; sed tumidi, sed inflati etiam in ipsum à quo corripiuntur, verbis indignationis insurrexerint, ita ut necesse sit relinquere eos sibi; desertum mare non dubites eos nominare. Væ illis qui à Deo derelicti & hominibus, dimittuntur secundum desideria cordis eorum: ut eant in ad inventionibus suis. Quibus etiam Dominus per Prophetam dicit: *Auferam zelum meum à vobis, & ultra non irascar.* Scitis, fratres carissimi, quam grave onus in humeros sanctorum imponant qui tales sunt. Sub hoc onere Propheta gemebat qui dicebat: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Vere supra dorsum nostrum fabricant, qui hujusmodi sunt, quotidianis nos suis exorbitationibus onerantes: qui addunt peccata peccatis, contemptum jungunt contemptui, contumeliosi, elati, detractores, Deo odibiles, senioribus non obedientes, sociis non contemperantes. Tales arenarum pondus, quod in onere deserti maris continetur, se noverint incursuros.

11. Ex hinc *onus Duma* sermo propheticus describit. Duma interpretatur *silentium.* Scitis fratres, quod multos silentium onerat, & gravat quies: ita ut tacentibus & quiescentibus omnia oneri sint: caput doleat, venter rugiat, caligent oculi, & renes pæne solvantur. Exeuntibus autem huc illucque vagantibus & loquentibus, jocunda sint omnia, tradantur oblivioni dolores, singulis membris sua reddantur officia. O quanta est virtus linguæ, quæ oculos serenat, caput alleviat, renes consolidat, genua dissoluta corroborat. Hæc infirmum in laboribus infatigabilem reddit, patientem in injuriis, paratum ad iter, promptum ad obedientiam. Itaque si videris monachum in claustro residentem huc illucque respicere, oscitare crebrius, manus & pedes extendere, nunc librum ponere, nunc resumere; postremo quasi quibusdam stimulis agitatum de loco in locum, de auditorio in auditorium cursitare: sub onere Duma eum suspirare non dubites. Est præterea aliud quoddam silentium, quod æternæ pœnæ pondus multis imponat. Ipsum est silentium,

Margin notes: [Psal. 77.] e; tas ilis dura s ob-; 32. a; 6. c; nem- m.; Tenebræ ignorantiæ. Isa. 5. d Rom. 8. c; Johan. 3. c 1. Thess. 5. a; Persecutio impiorum & passionum tumultus.; Psal. 80. c; Ezech. 16. d; Psal. 128. a; Impatientia silentii & quietis.; Signa Monachi silentium aversantis.

quod ex pudore & confusione procedens, confessionem obstruit peccatorum, vel excludit remissionem: quod onus pœnæ tale silentium mereatur, propheticus sermo non tacet.

Timor mortis. Marc. 14. d

12. Jam *onus in Arabia* Propheta subjungit. Arabia *vespera* interpretatur, quæ diei finis est, noctisque principium: horam mortis non incongrue, ut puto, signans, quæ cunctis fere mortalibus timoris non leve pondus imponit. Quis enim hominum hoc onus evitet, cui se Salvator exempli causa spontanea voluntate submisit? Imminente enim morte, *cœpit*, ut ait Evangelista, *pavere & tædere.* Sub hoc timoris onere totum vivit genus hominum: nisi forte aliquis talis sit, cui certa sit beata vita post mortem, cujus desiderio etiam amaritudinem mortis non sentiat. Præterea vespera, quæ, ut diximus, diei finis est noctisque principium, ejus exprimit casum, qui post opera lucis, ea inchoat quæ sunt tenebrarum, cujus fiunt novissima pejora prioribus, qui profecto eo pondere opprimetur, quod in hoc Arabiæ onere continetur.

Abusus contemplationis & scientiæ.

13. Subditur *onus Vallis visionis.* Visio refertur ad contemplationem, vallis ad humilitatem vel dejectionem. Est enim quorumdam contemplatio humilis, quorumdam dejecta. Humilis Sanctorum, abjecta Philosophorum. Sancti autem quò magis proficiunt, eo majori onere vanitatis fatigantur; & sic ad altiora se erigunt, ut quandoque inviti etiam ad inferiora trahantur. Si enim virtus proficit, servatur humilitas: si onerat, vanitas est. Scitis, C Fratres, qualem necesse est ut sustineat pugnam mens proficientis: ne favor humanæ laudis subrepat, ne dissolvat adulatio, ne cor ambitu intumescat. At illi, qui, quod notum est Dei, notum est illis: qui invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, conspiciunt: evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: & à monte contemplationis ciciderunt in vallem erroris. *Ideo mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, quadrupedum & serpentium.* Et si scire volueris quo isti digni sunt onere, audi quod sequitur: *Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum & in passiones ignominiæ, & tradidit eos Deus in reprobum sensum.* Sed & illi qui scien- D tiam scripturarum vel doctrinam cælestem intentione non recta, puta ad laudes hominum, vel ad temporale lucrum retorquent; ad vallem visionis pertinere noscuntur, ut scientia visionem, vallis intentionem significet. Quos omnes quale pœnæ pondus exspectet, propheticus sermo declarat.

Rom. 1. c

Amaritudo disciplinæ.

14. Sequenti loco ponitur *Tyri onus*, quod nomen *angustia* interpretatur: cujus onus est in amaritudine pœnitentiæ, in labore continentiæ, in corporali ægritudine. Quid enim? Nihilne oneris est in hac corporali exercitatione, vel disciplinæ regularis observatione? Quid in labore continentiæ? Quid laboriosius? quid difficilius? quid periculosius servatur? quid facilius amittitur? Et est E alia quædam cordis angustia, quam facit amor sui: cui contraria est cordis latitudo, quam facit amor Dei & proximi. Amor autem sui ex propria voluntate procedit. Qui igitur amat propriam voluntatem, oneri illi est voluntas aliena: & ideo quæ sua sunt quærit, non quæ aliorum. Ad omnia quæ sibi voluntas propria suggerit, promptus: ad ea quæ sibi injunguntur, piger & tardus. De talibus dicit Apostolus: *Erunt homines seipsos amantes,* Qui profecto pondus pœnæ, quod in onere Tyri scribitur, non evadent.

Cant. 4. d Directio Spiritus sancti

15. Ultimum *onus est jumentorum austri.* Auster, qui ventus est calidus, signat Spiritum-sanctum, sicut habes in Cantico canticorum. *Surgat aquilo, & veni auster; perfla hortum meum.* Felix anima, quæ hujus austri jumen- F tum est: quæ freno moderationis hujus regitur; quæ in omnibus ejus subditur voluntati. Felix plane anima, cui Spiritus-sanctus præsidet, & omnia opera ejus dirigit, cogitationes ejus disponit, motus ordinat, moresque componit. De talibus scriptum est: *Ubicumque erat impetus Spiritus; illuc gradiebantur, cum ambularent.* De quibus Propheta, *Viam fecisti in mari equis tuis.* Hujus jumentum austri Paulus erat, qui dicebat: *Non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est:*

Ezech 1. c
Abac 3 c
1. Cor. 2. c

A *ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Et videte quomodo jumentum Austri ubique regitur freno præsidentis. Prohibetur à Spiritu, ne in Asia prædicet: monetur à Spiritu, ut Macedoniam visitet: incitatur à Spiritu, ut Atheniensibus evangelizet: alligatus Spiritu Jerosolymam properat. Vides, quomodo insidens ei Spiritus-sanctus quasi jumento suo, nunc stringit habenas, ne eat quo vult: nunc urget calcaribus, ut eat quo Spiritus vult. Quid putamus, Fratres mei? Nihilne oneris portant hujusmodi jumenta? Sed jumenta Austri sunt, ideo onerantur ab Austro. Quali onere, inquis? Audi Apostolum: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.* In hac itaque caritate quale onus B sustinuit Apostolus ipse dicat. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Et iterum: *Tristitia mihi magna est & continuus labor, pro fratribus meis secundum carnem.* Ille igitur qui jumentum est Austri, oneratur aliena infirmitate, oneratur aliena iniquitate, oneratur aliena necessitate & perversitate. Onus est esuries pauperis, oppressio inopis, miseria ægrotantis, tentatio proficientis, causa deficientis. Oneraverat & eum plebis tribulatio, orphanorum desolatio, viduarum gemitus, afflictio captivorum. Nonne beatissimus Paulus quasi hoc onere pressus, à secretis cælorum descendit ad cubile infirmorum? Sed & vos, Fratres, qui fugistis ab Aquilone de medio Babylonis, & jam habitatis in terra Austri; *Alter alterius onera portate, & sic,* ut jumentum Austri, *adimplebitis legem Christi.* Certe non est jumentum Austri, qui portare negligit onus fratris sui, infirmitates & morum & corporum, quas in istis oneribus, ut potuimus, commemoravimus.

Act. / Act. / Act. / Act. / Rom. 5 / 1. Cor. / Rom. 9 / Caritas na porta commu... / Gal. 6.

16. Præterea, Fratres, per jumenta Austri, possumus eos significatos dicere, qui dona Spiritus-sancti non per meritum, sed per officium sortiuntur: sicut sunt prophetia, curationes, & cetera hujusmodi. Quos ordinant, ordinantur; maledicuntur quos maledicunt: quos benedicunt, benedicuntur: ligantur, quos ligant: & quos absolvunt, absolvuntur: ita tamen si hæc omnia secundum leges Ecclesiæ, non secundum animi impetum faciunt. Hinc est quòd Balaam populo Dei benedixit: quòd Caïphas pessimus prophetavit: quòd Judas pessimus, sicut ceteri Apostoli, miracula fecit. Hinc est quod multi venient in illa die dicentes: *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & signa multa fecimus? Et tunc confitebor illis*, ait Dominus, *quia non novi vos.* Hi tales non homines dicendi sunt, sed jumenta; qui Domino Jesu-Christo non serviunt, sed suo ventri: qui terrena cupiunt, & cælestia contemnunt. Hi nimirum illo onere miserabiliter punientur, quod quibusdam jumentis Austri Isaïas terribiliter intentat.

Num. 24 / Joan. 11 / Matt. 10 / Matth. 7.

17. Fregimus, ut potuimus, panem istum hordeaceum: sed quia festinavimus inter frangendum, plurima nobis ciciderunt fragmenta. Vos igitur qui otiosi estis, quos Christus ab his occupationibus servavit immunes, colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Inspiciat unusquisque seipsum. Videat, & quod onus sustineat, & quod in futurum sustinere formidet. Si sub *onere Babylonis* est, detestetur illud & abjiciat: ne si fuerit conformis operibus ejus, à pœnis ejus non sit immunis. Sub *onere Philistiim*, videat ne potionibus eorum inebrietur; eisque fiat similis in culpa, futurus eis similis in pœna. Quod si sub *onere Moab* se senserit laborare, fatagat sic necessitatibus corporis indulgere, ne Nabuzardam muros destruat Jerusalem: nec sic ei satisfaciat, ut cum illo in æternum ardeat. At si *onus Damasci* humerum presserit, caveat ne ipse sibi manus injiciat: & ita seminans in carne, de carne metat corruptionem. Sane si *onus Ægypti* incubuerit, abjiciat opera tenebrarum, & armis lucis induatur: ne si hic interioribus tenebris mentem libens tradiderit, quandoque in exterioribus nolens crucietur. Porro si *onus deserti maris* malis eum persecutionibus infestaverit, non deficiat nec frangatur: ne quod ipsi injecerint per malitiam, ille per impatientiam patiatur. Si autem *onus Duma*, id est silentii, fecerit impatientem, vel pudor & confusio obstruxerit confessionem: caveat pondus pœnæ, quod taliter silentibus Propheta intentat,

Quid contingula onera facienda. / 4. Reg. 25.

tentat. Verum si *onere Arabiæ* pressus mortem timuerit, secundum naturam sese habeat, ut eam non timeat propter conscientiam: ne non solum ab Arabia prematur; sed insuper cum Arabia æternæ damnationis onere comprimatur. Præterea si sub *vallis visionis onere* suspirans contra vanitatem pugnaverit, caveat, ne à monte contemplationis cadat in vallem erroris, eo utique onere obruendus, quod in onere vallis visionis Propheta describit. At si sub *onere Tyri*, ob præsentes labores & dolores mentem pusillanimitas in desperationem dejecerit, caveat præ omnibus propriæ voluntatis angustiam: ut corde dilatato, per omnes hujus vitæ angustias gratanter incedat, & sic æternum miseriæ pondus, quod Tyro intentatur, evadat. Postremo, si sub *onere jumentorum Austri* affectus tædio defecerit, cogitet sciatque, quia si onus caritatis abjecerit, onus damnationis non immerito sustinebit.

18. Credo etiam quod non vacat mysterio ipse onerum ordo: nec sine caussa primo loco ponitur onus Babylonis, secundo Philistiim, & sic de ceteris. Si enim prius à cordibus nostris non fuerit expulsa cupiditas, quæ onus Babylonis & radix omnium scitur esse malorum; b nec cetera onera declinare vel vincere, nec ad virtutum progredi summam ulla ratione poterimus. Fit autem ista cupiditatis expulsio, vel in his qui sæculo plene renuntiant: vel qui sic utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: vel tamquam nil habentes, & omnia possidentes. c Cupiditate autem devicta vel exclusa, *jam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* b Sed cum is qui non *patitur nos tentari supra id quod possumus, sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere*; onus istud vel alleviaverit c vel abjecerit, onerabit nos hujus carnis necessitas, cujus metas sicut scire difficile est, ita servare impossibile. Necesse proinde est, ut concepto igne, naturalia nos incentiva fatigent; & nisi eis resistatur, ad illicita quæque compellant. Si vero compressis Philistiim, necessitas corporalis, quasi Moab, sub modo fuerit temperantiaque redacta, & sic quasi onus Damasci, carnis quis vicerit incentiva: statim errores & blasphemiæ, quasi tenebræ Ægypti oculos carnis obducent, donec coruscanti luci sapientiæ tenebræ cedant: & statim desertum mare, id est, perversorum invidia malitiaque succedant. Qua cessante, cum omnia ei videantur esse quieta, ipsa quies à spiritu acediæ, quasi ob onere Duma, non potest esse quieta. Quo operis, orationis, ac lectionis, assiduitate expulso, onus Arabiæ, id est, metus mortis incumbit. Sed & ipso bonæ conscientiæ ac fidei virtute superato, jam quasi vicinum & propinquantem perfectioni vanitas onerabit. Quæ si fuerit profunda humilitate devicta, nil restat nisi ut alienis necessitatibus quasi jumentum Austri oneretur.

19. Hæc in præsenti de oneribus dicta sufficiant: quorum quædam ab humeris nostris hoc tempore gratiæ Christus deponit, quædam temperat, quædam minuit, quædam disponit. Hæc autem omnia operatur secundum abundantiam misericordiæ suæ, à cujus præsentia, quasi à facie olei, jugum diabolicæ dominationis computruit. Sed qui tempus misericordiæ negligit, judicii tempus formidet: quia is qui per misericordiam nos redemit, per justitiam judicabit. Itaque, Fratres, misericordiam & judicium cantemus Domino. Misericordiam scilicet, quam experimur: judicium, quod exspectamus. Amplectamur illam, illud timeamus: ut hic devoti, illic securi inveniamur, præstante Domino nostro Jesu-Christo. Amen.

## IN NATIVITATE DOMINI,

### SERMO I.

### Est NICOLAI ClaræVallensis*.

nul- Pe- iani IS. v. 3.

1. NOn poterit explicari sermo quem mente concepi. Stupor enim miraculorum opprimit me: & dum omnia replico, omnia complicantur. Quis poterit excogitare diem adventus ejus? Ideo fit elinguis lingua,

A memoria immemor, insensibilis sensus: insueta novitate relucent omnia, & omnia partui Virginis obsequuntur. Fiunt mirabilia in cælo sursum, & in terra deorsum: quia universa in nascentis Dei obsequium juraverunt. Insigniuntur convexa cælorum stella lucentiore, & multo lumine loca flammantia perstringuntur. Diffunduntur per quadrifidum orbem radii rutilantiores, & pluralitatem stellarum novus ignis obtundit. Miratur orbis cælos novum peperisse splendorem, & inconvertibilem eorum statum ad signa & prodigia fuisse conversum. Vident Chaldæi in cælis, quod Balaam reliquit in scripturis: *Orietur*, inquit, *stella ex Jacob, & consurget homo ex Israël, & erit omnis terra possessio ejus.* Num. 24. Nascitur stella B in excelsis, & Deus in terris, cujus possessio à mari usque ad mare. Præparant se Reges Tharsis, ut cum novitate munerum videant novam Matrem, Filium novum, novam novitatem. Fons olei de terra erupit: Templum Romæ, quod vocabatur Æternum, corruit, omnibus impensis & urbis & orbis mirabiliter consummatum. † Cum enim Romani in victoriosæ antiquitatis memoriam, templum singulari schemate facere decrevissent, ab omni illa deorum, immo dæmoniorum multitudine quæsierunt usquequo durare posset tam excellentis operis operosa constructio: responsum est, donec Virgo pareret. Illi ad impossibilitatem oraculum retorquentes, *Templum Æternum*, sollemnem illam machinam vocaverunt. C Nocte autem cum è virginali thalamo virgineus flos Mariæ egressus est, ita cecidit & confractum est illud mirabile & columnarium opus, ut vix apparerent vestigia ruinarum.

† *Refellitur hoc à Baronio in Annal. initio Tomi I. quod istud Templum longe post Christi Nativitatem à Vespasiano fuerit constructum.*

2. O Bethleem civitas Dei summi; & in te, & in suburbiis tuis visa sunt mirabilia hodie. Deus pendet ad ubera, ponitur in præsepio, ligatur in cunis, pannis involvitur, & laxatis fasciolis, felices manus & sancta brachiola per cunarum parvitatem expandit; alludit Virgini, Matri arridet, & blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cælorum, confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionem Dei, nativitatem pueri; & miratur quod ille qui D aliter potuit ad nos venire, sic voluit subvenire. Adest & Joseph, sed ab utroque remotus, & in excessu mentis miratur, & mirari satis non potest, qualiter ad tantæ dignationis admissus sit arcanum. Adest multitudo cælestis exercitus; vocibus gloriosis *Gloria in excelsis Deo* auditur. Pastores veniunt, & inveniunt puerum & puellam; præcedit stella, Reges accedunt, adorant Filium, Matrem venerantur, offerunt munera, deferunt majestati. Cruciatur Herodes, Jerosolyma turbatur, requiruntur Scribæ, locus prædicitur, indicitur simulatio, simulator ad nihilum deducitur, deteguntur commenta fraudum, Magi per aliam viam revertuntur, pax inaudita à sæculo regnat, universus orbis ad censum descri- E bitur, rivus olei de terra profudat, & in divitem venam liquor sanctificatus ebullit. Quid est hoc, nisi quia vera pax in terris apparuit, nisi quia ad supernum regnum cives adscribuntur; nisi quia fons misericordiæ de Virgine emanat?

Mira & rara in Nativitate Christi.

3. *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. 2. Spiritus-sanctus, Scripturæ ipsius vivus fabricator, & unus aliquis non parvam suæ pinguedinis dulcedinem sub hoc capitulo dereliquit. Sed vos nocturnis vigiliis ita defatigati estis, ut vix possitis somnum ab oculis amovere. Evigilate tamen paulisper, & somni torporem excutite: aderit ille de cujus Nativitate loquimur, ut illuminet oculos nostros, ne obdormiamus. Totus autem sententiæ sensus ex illius arca F mutuabitur, cujus consilium est quasi consilium Dei. Ipse ille est dominus videlicet Abbas Claræ-vallensis, cujus religio & discretio, sapientia, eloquentia, vita & fama per totam latinitatem non immerito decurrit. Libenter enim illius sarcinas odoro. Sed ad propositum revertamur. Benignus ille Spiritus, de cujus secretiore fonte Canticorum flumen evadit, in his tribus verbis tria nobis requirenda reliquit, videlicet nomen sponsi, quare oleo comparetur: quomodo & effundatur: quia & nomen tacet, de comparatione nil loquitur, de effusione nil dicit.

S. Bernardi elogium.

* *Hinc apparet hunc sermonem non esse Petri Dam. qui 50. annis Bernardum præcessit.*

Nomen Sponsi.

4. Primum de nomine videamus. Multa, ut arbitror, vocabula Sponsi per divinam Scripturam sparsa leguntur; sed in duo vobis universa complector. Nullum profecto reperies, quod non sonet aut majestatis potentiam, aut gratiam pietatis. Puer Domini, de quo frequentius facio mentionem, ad regis cubiculum introductus, duo quasi sublimiora de ipsius ore divinitatis audivit: *Potestas Dei est*, inquit, *& tibi Domine misericordia.* Sed & ipse Salvator propheticæ veritati attestans ait: *Vos vocatis me Magister, & Domine.* Dominus nomen est majestatis: pietatis magister. Si enim pium est præbere escam corpori; multo misericordius escam animæ impartiri, quod est proprie magistrorum, qui mentes disciplinatas sub disciplinæ rigore coërcent. Videamus quod horum nominum effundatur, utrum nomen potentiæ in nomen gratiæ; vel nomen pietatis in majestatis vocabulum. Absit ut misericordia in potentia includatur; quia *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Certum est ergo, quia potestas Dei in majorem hodie pietatem effusa est, cum cæli distillarent à facie Dei, & de virgineis membris antiquus dierum exoritur. Non est quise abscondat à calore isto: quia largior olei effusio à capite descendit in barbam: quia etiam extremam vestimenti fimbriam largius irroravit. Tanta est abundantia miserentis, ut non solum sub nomine effusionis, sed exinanitionis censeatur. *Exinanivit semetipsum*, ait Apostolus, *formam servi* hodierna die *accipiens*, & cum tota multitudine miserationum suarum de thalamo prosiliit virginali.

Psal. 61. c — Johan 13. a — Dominus nomen est majestatis. Magister pietatis. — Psal. 144. b — Philipp 2. a

5. Non enim habuit dulciorem modum ad redimendum nos abyssus illa consiliorum Dei: quia quicquid in divinitatis thesauro pietatis est inventum, totum in utero Virginis est congestum. Non me capio præ lætitia, quod tanta majestas naturam meam assumens, tantum me elevat; & me miserum in divitias gloriæ suæ non ad horam, sed in sempiternum includit. Fit frater meus Dominus meus: & timorem Domini, fratris vincit affectus. Domine Jesu-Christe, libenter audio te regnantem in cælis, libentius nascentem in terris, libentissime crucem clavos & lanceam sustinentem. Hæc siquidem effusio rapit affectum meum, istorum memoria incalescit cor meum, viventis & vividæ potionis asperitate purgatum. Vivus est iste sermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum scrutator. Unus illorum qui prophetalis chori aut magister, aut inter magistros est, sub senaria divinorum nominum partitione, de hac effusione mirabiliter quidem, sed subtiliter prophetavit: *Vocabitur*, inquit, *nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Erat quidem admirabilis Dominus meus inter angelicos ordines audiens hymnum gloriæ suæ; admirabilis illi mirabili creaturæ; faciens mirabilia in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Ego autem in luto fæcis & miseriæ obvolutus, miser & miserabilis omnem spem emergendi perdideram. Ille in gloria, ego in miseria: admirabilis ille, miserabilis ego. Sanctum & terribile nomen istud clausum & integrum quomodo capere poteram, quando vix angelicus oculus prospicere, nedum perspicere potest?

Effusio seu exinanitio Christi incarnati quanta. — Heb. 4. c — Isa. 9. b

6. Sed vide effusionem. Ille qui erat admirabilis agminibus Angelorum, inclinat cælos, & fit consiliarius hominum. Majestativum nomen in pietativum effunditur: & qui mirabilis est in cælis, consulere venit in terris, abscondit purpuram sub miseriæ vestimentis. Et ad lutum ubi jacebam inclinatur, non mergitur: & si audeo dicere, infixus sum in limo profundi, operi manuum suarum porrigit dexteram; de profundis aquarum extrahit, extractum abluit, ablutum induit, indutum reportat, reportatum confirmat. Porrigit dexteram cum nascitur, cum loquitur extrahit, abluit cum moritur, induit cum resurgit, cum ascendit reportat, confirmat cum Spiritum-sanctum remittit de cælis. Bonus quidem *consiliarius*, qui consilium quod voce dederit, & morte defendit. *Erat* enim *docens*, ait Evangelista, *sicut potestatem habens*, non sicut Scribæ & Pharisæi eorum. *Deus*, *Fortis*, nomina sunt potestatis, sed *Deus* effunditur in Patrem futuri sæculi, *Fortis*, in principem pacis. Breviter curro; quia & fatigatis, & scientibus legem loquor. Quid tibi, mussitabunde Lucifer, in tanta defluxione & effusione? Clausum est tibi totum itinerarium Dei, & malignans oculus tuus hic nimium caligavit. Sed & Dominus meus *Admirabilis* fuit in nativitate, *consiliarius* fuit in prædicatione, *Deus* in miraculorum coruscatione, *fortis* in passione, *pater futuri* sæculi in resurrectione, *princeps pacis* in illa æterna beatitudine. Non terreamini novitate verborum: quia nihil novum introducitur. Sic & olim nomina commutata & effusa sunt: Abram in Abraham; Saraï in Saram; & si quas alias immutationes in illa veteri officina vos legisse recolitis.

Marc. 1. c — Nomina Christi ab Isaia descripta explicantur. — Gen. 17

7. Sed & ab ipsis pæne mundi principiis, in arcano quodam Scripturarum loco divini nominis effusionem invenisse me recolo. Loquitur Dominus ad Moysem de liberatione Israëlis, & post multam Dei & Moysi confabulationem, Propheta subtiliter inquirit nomen ejus. Et Dominus dicit: *Ego sum qui sum, hoc est nomen meum in æternum. Hæc dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.* Perterritus Moyses inextricabilis auctoritate vocabuli, ac si diceret, hoc excedit intellectum meum, non possum capere nisi effundatur: audiat à majestate, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Vides effusionem. Ecce Deus Angelorum vocat se Deum hominum. Curramus ergo, Fratres, in odore unguentorum istorum: curramus ad oleum de oliva speciosa in campis expressum, nulla infectum amurca, nulla infectum amaritudine. Oleum quod exhilarat faciem hominis, quod sanat vulnera, dolorem tollit, reddit suavitatem. Nonne Samaritanus noster nobis à latrone pessimo vulneratis attulit vinum & oleum, ad purgandum & mitigandum vulneris magnitudinem? Sed multum olei, parum vini: multum misericordiæ, justitiæ parum. Sic quippe decebat miserantem, sic misero expediebat. *Non intres in judicium cum servo tuo*, ait justus, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: sed corona me in misericordia & miserationibus. Veniens quippe hodie quinque vasa attulit olei, non nisi duo vini. Spiritus enim sapientiæ, intellectus, consilii, scientiæ, pietatis, misericordiæ dulcedinem sonat, misericordiam fragrat, eructat sanitatem. Fortitudo & timor vinum sunt, sed hoc vino potatus est potens ille, cum Christus in spiritu fortitudinis descendit ad inferos, non timidus, sed timendus.

Exod. 3 — Miseri Christ centis. — Psal. 1..

8. Videamus nunc quare oleo comparetur. Oleum (si vos melius non habetis) lucet, pascit, & ungit. Idem facit Christi nomen, & per omnia consonat comparationi. *Lucet* prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit & ungit. Vide si non præclara luminaria lumen nominis hujus super eloquentiæ candelabrum portaverunt; si non illuxerunt coruscationes Dei orbi terræ, si non in splendore fulgoris hujus commota est & contremuit terra. *In nomine Jesu-Christi surge & ambula*, dicit claudo Princeps Apostolorum. Nonne quasi fulgor exsilivit ab ore Petri, cum nominatum est nomen quod os Domini nominavit? *Et statim*, inquit, *consolidatæ sunt bases ejus & plantæ.* Vocabulum Jesu, sicut Origenis lingua nobilior diffinivit, dulce & gloriosum; omni adoratu cultuque dignissimum, quod non prius ab hominibus decuit efferri in mundum, sed à quadam sublimiori excellentiorique natura. Omnes quippe prophetæ nomen istud aut nescierunt, aut penitus tacuerunt: & reservata est prærogativæ dignitas Archangelo Gabrieli, qui sancto ore sanctæ Virgini illud primum evolvit. Nonne Isaïas in excessu mentis captus, verbis archangelicis eisdem pæne syllabis consentit usque ad sancti nominis novitatem? *Pascit* revera, nec est felicior pastio in loco pascuæ ubi nos Dominus collocavit. Quid æque mentem cogitantis impinguat? Nomen Jesu mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Omnis cibus qui non conditur hoc sale, infatuatus est. Scriptura quæ non fuerit interlinita oleo tantæ devotionis, insipida est. Olim mihi Tullius dulcescebat; blandiebatur Virgilius, & Syrenes usque in exitium dulces, meum incantaverant intellectum. Lex, Prophetæ, Evangelium, Epistolæ, & omnis gloria sententiarum Domini mei & Servorum ejus, aut

Christi men cu compar Ex S. serm. 1 Cant. — Psal. 7 Act. 3. — Ibidem. Virtus cellenti minis J. — Luc. 1. — Isa. 7. b

parva videbantur, aut nulla. Nescio modo quid dulcius mihi immurmurat filius Jesse, qui vario sermonum & sententiarum concentu, omnes illos quos diligere consueveram, ineloquentes reddit & mutos. *Lenit & ungit:* quia nihil sic recreat in tribulatione. Denique & probare licet. *Invoca me*, inquit, *in tribulatione, eruam te, & honorificabis me.* Hoc est nomen, hoc est oleum, hæc olei effusio. Amen dico vobis, non deficiet hic lecythus olei, nec minuitur, donec pluviam voluntariam, quæ segregata est hereditati ejus, diffusius instillet, donec faciat cælum novum & terram novam: quia misericordia ejus ab æterno & usque in æternum super timentes eum. Sed jam surgamus, & præparemus nos ad sollemnioris Missæ jubilationem, nec cordibus parcentes nec vocibus, ad honorem Pueri qui natus est nobis, qui est Deus in sæcula benedictus. Amen.

## IN NATIVITATE DOMINI

### SERMO II.

### Est ejusdem NICOLAI. *

1. EXsultate, fratres, in Domino: quia de Dominica illa sermo succedit, quæ singularem in cordibus vestris vindicat principatum; quæ est ad cujus nomen humiliter inclinatis, cujus horis reverenter assistitis, cujus memoriam jugiter frequentatis. Hæc est quæ vestris affectibus suaviter indulcescit: quia magna multitudo dulcedinis ejus. Spiritus enim ejus super mel dulcis, in quam dulcis Dominus cum omni sua dulcedine supervenit. Cum enim fecerit Deus omnia opera sua valde bona, hic melius fecit, consecrans in ea sibi reclinatorium aureum, ut post tumultus Angelorum & hominum, & reclinaret, & requiem inveniret. Hoc est quod natura miratur, reveretur Angelus, veretur homo, stupet cælum, contremiscit terra, infernus exhorret. In hujus utero majestas Altissimi mirabiliter liquefacta, sicut adipe & pinguedine replevit terras, infudit cælos, inferna respersit. Hic exinanivit semetipsum Excelsus & immensus, mensuram bonam & confertam & coagitatam mittens in sinum vestrum. Hic divinis manibus unctus oleo lætitiæ, & sicut altare in signum pontificii consecratus. De altari hoc ad aram crucis ascendens, proprio cruore, tamquam alterius generis oleo perfusus, jam non consecratus, sed consecrans, totum corpus machinæ mundialis largiore liquamine consecravit. Fatiscat ergo mæror, tristitia fugiat, eliminetur dolor, rancor abscedat: ut liceat vacare & videre cum Moyse visionem hanc grandem, qualiter Deus in hoc ventre concipiatur, decipiatur diabolus, recipiatur perditum, indebitum accipiatur. Totum me trahit affectio, sed oratio deficit. Dives cogitatio vocis paupertate confunditur. Fervent interiora, & in undosam ebulliunt altitudinem: sed frigiditas linguæ cumulos refrigerat exundantes. Quid est, ô Beatissima? Numquid ita sensu taciturnus obdormiam, ut ibi mutus sim, ubi omnis loquitur creatura?

2. Verumtamen non tacebo & non quiescam, donec egrediatur ut splendor vultus tuus, & sermo de te conceptus, si non ut lampas, saltem ut scintilla accendatur. Movet, fateor, quod disponente Deo peccant rationales creaturæ, & multis annorum millibus tam cælestia, quàm terrestria incassum stare videantur, semirutis illis, istis dirutis. Stat illa magna civitas, civium suorum numerositate fraudata, & à stellantibus palatiis multiplex habitantium multitudo propellitur. Obscurantur stellarii ignes, solem loquor & lunam & stellas, & multa sui luminis claritate mulctantur. Terra maledicitur, cum damnatur hominum successio: & omnis creatura, juxta Apostolum, parturit & ingemiscit. Tacet Deus omnipotens, & ordinans ejus omnipotentia tantam dissimulat confusionem. Tandem nascitur Maria, & ad nubiles annos egrediens speciem induit speciosam, quæ ipsum alliciat Deum, & divinitatis oculos in se convertat. Vide quid inde dicat ille non minimus explorator secretorum Dei: *Audi*, inquit, *filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Germinat igitur virga Jesse de tortuosa radice generis humani & Patriarcharum arbore, & in altitudinem & rectitudinem erumpens omnem ignorat nodositatem filiorum, tenebras nescit, fruticosa quæque non habet. Videt & ardet ille vehemens amator, & totum epithalamium in ejus laudibus decantat, ubi manifeste sponsus inducitur spirans amorem sincerissimum, nec ultra valens dissimulare quod patitur. Evocatur statim cælestis ille conventus, &, juxta Prophetam, init Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum Angelis de restitutione eorum, & de redemptione hominum, de elementorum renovatione. Illis stupentibus & mirantibus præ gaudio, quæritur modus redemptionis, & statim de thesauro divinitatis, Mariæ nomen evolvitur; & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur: ut sicut sine illo nihil est factum, ita sine illa nihil refectum sit. Traditur epistola Gabrieli, in qua salutatio Virginis, incarnatio Redemptoris, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur. Missus ergo Angelus Gabriel à Deo, etiam antequam ad Virginem perveniret, invenit Deum virgineis illapsum visceribus*, & majestatem Dei virginalis ventris brevitate conclusam. O venter diffusior cælis, terrisque amplior, capacior elementis! qui totum claudit omnia concludentem, in quo Deus gloriæ reclinatur. Denique & Archangelus non ait, *Ave Maria* replenda, sed *plena*: non Dominus veniet in te, sed *Dominus tecum*: quia inde totam eam sibi rapuerat Spiritus-sanctus, & cælestibus insignierat ornamentis. Jam consecrata erat in loco voluptatis, de quo fons ille debebat ascendere, qui universam terræ superficiem irrigaret.

Isa. 16. à — Consilium redemptionis humanæ.

* Hyperbole ut significet celeritatem.

3. Satis hucusque sparsimus verba, & volaticis sermonibus diversa præseminavimus: nunc insistamus hic, si forte aliquod dignum elicere valeamus. *Fluvius*, ait Scriptura, *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam universam superficiem terræ, qui inde dividitur in quatuor capita.* Fluvius iste est Dominus meus Jesus, qui de duobus locis voluptatis egreditur, ex utero Patris, & ex utero Virginis. Unde Propheta: *Dominus Deus noster fluvius gloriosus, exsiliens in terram sitientem.* Sed ineffabilibus differentiis longe aliter à Patre quàm à Matre egreditur: quia etsi hæc temporalis nativitas gloriosa est, multo gloriosior est æterna. Hortantibus vobis, de utraque generatione volo aperire quod sentio: non quod aliquid exponere præsumam, cum hoc ultra omnium vires, quanto magis ultra meas sit, & extremæ dementiæ sit velle fari ineffabilia, maxime hominem imperitum. Non enim oblitus sum Salomonem dicentem: *Sicut qui nimium comedit mel, evomit illud: sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* De utraque enim per Prophetam dici puto: *Generationem ejus quis enarrabit?* Quia & Patris illa ineffabilis & inaccessibilis est, ac nulli pervia creaturæ. Hoc sensu credo Apostolum dixisse de DEO, *qui solus habitat lucem inaccessibilem*; cum etiam puriores naturæ tanto reverberentur intuitu, ut nec possint irrumpere in tantæ claritatis abyssum. Ipse etiam Filius protestatur: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Nec tamen sicut est, sed sicut capere potest cui tanta dignatio revelatur. Unde & illa sublimis anima quæ usque ad tertium cælum in divitias gloriæ DEI rapta fuerat, dicit: *Ego me non arbitror comprehendisse.*

Gen. 2. b — Egressus Christi duplex à Patre & à Matre. — Utriusque differentia. — Prov. 25. d — Esa. 53. c — 1. Tim. 6. e — Matt. 11. d — Philip. 3. c

4. Verissima ergo diffinitio est, quia illam gignentis & geniti generationem nullus omnino penetrat intellectus. Hanc etiam de Matre, omni humanæ creaturæ reor inextricabilem, & nescio utrum ab illa excellentiori natura valeat comprehendi. Quis enim comprehendat unitionem carnis & Verbi, qualiter Deus & homo in unam personam conveniat, salvis imperturbatisque proprietatibus naturarum? Unusquisque in suo sensu abundat: ego hanc omnem sensum supergredi credo, veterum virorum vestigiis inhærens, qui super hæc sanas & inconcussas sententias reliquerunt. Ad paternam igitur generationem recurrentes, locum voluptatis Patrem esse censemus,

Utraque ineffabilis.

quamvis Deus illocalis sit: sed efficientias rerum, nisi per vulgatos sermones, explicare non possumus. In ipso autem omnem voluptatem esse intelligit, qui legit Apostolum dicentem: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* & alium ex illo duodeno apice similiter eructuantem: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Ipse etiam Filius dicit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum.* Cognitio igitur Patris vita æterna est: & ubi vita æterna, ibi sempiterna voluptas. Egreditur ergo fluvius de loco voluptatis: quia gignitur de utero Patris Deus de Deo, lumen de lumine, de Domino Dominus. Egreditur autem *identitate*: quia idem est cum Patre. Idem dico secundum substantiam, non secundum personam. Egreditur & *æqualitate*: quia Patris omnipotentiam recipit: cum omnia quæ possit Pater, possit hæc & Filius, sicut ipse testatur: *Omnia quæ facit Pater, facit & Filius: nec potest Filius facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Egreditur & *æternitate*: quia licet generetur, non tamen est posterior generante, sed ambo unius antiquitatis sunt, si tamen vocabuli novitatem non exhorretis: quod licet quoquo modo significet quæ dicuntur, longe tamen est à sententiæ majestate. Egreditur *similitudine*, quia similis est Patri, Patris imago, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus. Egreditur *alteritate*: quia alius est ab illo, alius dico, non aliud. *Ego*, inquit, & *Pater unum sumus.* Unum dixit, non unus, quia unum significat substantiæ unitatem, unus vero personarum proprietatem. Sic igitur & longe excellentiori modo de Patre Filius egrediens, inundat angelicas stationes: quia, juxta Salomonem, Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Citharœdus puer de hoc fonte pleno ventre potaverat, cum diceret: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Apud te*, inquit, *est fons vitæ*: quia tu non solum vita, sed & Filius tuus fons vitæ est. Et ut patenter quod sentiebat ostenderet, subjunxit: *In lumine tuo videbimus lumen*, scilicet ad irrigandam universam superficiem terræ. Quænam terra est in illa cælorum summitate reposita, quam superfluat & irriget fluvius gloriosus? Regnum cælorum, terra viventium est. Unde, *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Item, *Placebo Domino in regione vivorum.* Irrigatio hæc indicibilis est. Inebriantur quippe Angeli ab ubertate domus DEI, & torrente voluptatis ejus potantur.

*Rom. 11. d — Jacob. 1. c — Johan. 17. a — Egressus ejus à Patre qualis. — Johan. 5. e — Johan. 10. c — Eccli. 1. a — Psal. 35. c — Ibid. — Psal. 6. d — Psal. 114. b*

5. Hic quid dicam nescio: quia plurimus stupor sensum opprimit assurgentem. Ubi sunt oratorii sermones, quos in fornace rhetorica omnis ille Philosophorum conflavit chorus? Ubi sunt gigantes à sæculo nominati, qui ab initio fuerunt magni statura, scientes bellum, languentes circa pugnas verborum? Numquid non maximus ille gigas (Platonem loquor) ab intellectu tam purissimæ veritatis repulsus est? Nonne acerrimo mentis ingenio tangens, sed non attingens divinitatem DEI, dicit: *Unum inveni quod cuncta operetur; & aliud per quod cuncta efficiuntur, tertium autem non potui invenire?* Recte de Spiritu-sancto inscius, qui illi non erat infusus, qui sanctarum revelationum magister est, qui revelavit Paulo quæ oculus non vidit, sicut idem Apostolus gloriatur: *Nobis*, inquit, *revelavit Deus.* Per quid, Apostole? *Per Spiritum-sanctum*: non per spiritum nostrum, per quem sicut Philosophi seducti sunt, ita & seduxerunt. Ille noster Philosophus, qui super senes & super omnes docentes se intellexit, quid super hoc senserit audiamus: *Rigans montes*, inquit, *de superioribus suis.* De sublimioribus quippe Angelis, qui non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem ipsam DEI substantiam luminibus indefessis adspectant.

*Platonis dictum. — 1. Cor. 2. c — Psal. 118. — Psal. 103. b*

6. Sequitur: *Qui inde dividitur in quatuor capita.* In quæ quatuor capita? Dicamus breviter: quia grandis nobis restat via. In *admirationem.* Nam de fragilitate complexionis humanæ, de torrente voluptatis bibens, tota obstupet illa dignior creatura de Creatoris gloria, & gloriæ ratione. In *puritatem*: quia non in vase testeo, sed remoto velamine hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. In *satietatem*: quia etsi desiderant in eum prospicere; non tamen desiderium necessitatem, vel necessitas miseriam inducit, sed mirabiliori modo & semper desiderant, ut semper satientur; & semper satiantur, ut semper desiderent. In *securitatem*: quia de sua stabilitate certi, perennibus gaudiis immerguntur, exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, quando fiet unum ovile & unus pastor, & superna illa Jerusalem consummabitur in idipsum. Sed influit fluvius iste per angelicas officinas. Sed hæc omnia fides capit, nescit ratio, intellectus ignorat humanus. Hæc sunt fortassis illa quatuor, quæ Vas electionis felici quaternario in epistola ad Hebræos vidit, dicens: *Non accessistis*, inquit, *ad montem fumantem, sed ad montem Sion, ad Jerusalem civitatem DEI viventis, ad multorum millium Angelorum frequentiam, ad Ecclesiam primitivorum adscriptam in cælis.*

*Gen. 2. b — Quatuor fluvii Beatos inundantes. — Heb.*

7. Nunc accingamus nos ad videndum qualiter egrediatur de Virgine: quia egressio ista dulcior & affectuosior est humanæ miseriæ, quæ intuentium pectora concutit, & irrorat oculos, & beatis fontibus vultus amantium perfundit. Hic locum voluptatis uterum Mariæ intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus, de cujus deliciis Spiritus-sanctus admiratorio sermone in amoris cantico eructat: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Numquid in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem? Numquid in constellatione vel scintillatione stellarum, quarum aliæ convertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de cælo, aliæ in tenebris obscurantur? Numquid in aëre, vel igne, vel ventis? Nequaquam in igne Dominus: non in commotione Dominus: non in spiritu Dominus: si verus est ille *, qui in curru igneo & equis igneis est assumptus in cælum. Numquid in aquis, ubi furens & tortuosus Leviathan immoratur; aut in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit & tribulos? Non est locus voluptatis nisi uterus Virginis. Ex hoc egreditur *humanitate*; quia vestitus cilicio nostræ mortalitatis, visibilis humanis oculis apparuit. De Virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, divinitatis hamum innexuit, quem carne operuit virginali, ut draco magnus illectus ad carnem, ferrum divini numinis subsentiret. Egreditur & cum *novitate*: quia numquam sic natus est homo sicut nascitur. Primus enim homo primo de terra formatur; secundo mulier ex ejus latere fabricatur; tertio Caïn consuetudinario nascendi ordine gignitur ab utroque. Solus iste de sola Virgine nascitur; & Virginis uterum novo & singulari partu divinitas humanata sigillat. Ubi nunc Aristotelicæ subtilitatis facunda quidem, sed infœcunda loquacitas: si peperit, cum viro concubuit? Velit, nolit vertitur in habitum privatio; nec adstringitur dialecticis terminis omnium terminator, ad cujus imperium perit natura, dissuescit consuetudo. Egreditur etiam cum *claritate*. Nascente quippe illo sepelitur omnis illa stellantium luminum luminosa serenitas; & stella candidior lucidioribus radiis præscintillans, totam sibi cæli rapit portionem. Ambulant reges in splendore ortus ejus, quoniam ecce reges congregati sunt, convenerunt in unum. Ipsi videntes sic Deum & hominem nascentem, Matrem & virginem parientem, admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos in tantorum luce miraculorum. Egreditur & cum *paupertate*: quia in pannis vilissimis reclinatus, jam ex tunc sanctissimis membris legem martyrii præfigebat. Egreditur *occulte*: quia subtilissimus ille fraudium investigator, tantæ ab altitudine dignationis excluditur. Hinc est quod ambiguis alternationibus fatigatus, illum tentat, nunc tentatum filium appellat Altissimi; nunc instruit crucem, nunc destruit, mandans per mulierem, consuetum sibi organum: *Nihil tibi & justo illi.*

*Egressus ejus de Virgine qualis. — Uterus Mariæ paradisus. — Cant. — Job. 4 — Apoc. — 4. Reg. — * Elias — Gen. 2 — Hamus diaboli. — Gen. 2. — Gen. 4. — Matt. 2*

8. Sequitur: *Ad irrigandam universam superficiem terræ*, id est ad terrenam miseriam expiandam, quam nobis in hereditatem primus ille peccator reliquerat. Volo ut Apostolus hic eum mihi, sicut & superius, in quatuor capita distribuat: quia securius ejus expositionem suscipio. *Qui factus est nobis*, inquit, *sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio.* Ad nos quippe veniens qui eramus in carcere,

*1. Cor. 1 — Quatuor vires Christi nobis ... rientes.*

primo omnium tenebras ignorantiæ nostræ depulit luce sapientiæ suæ; demum per justitiam quæ ex fide est, solvit funes peccatorum nostrorum, sanctificans nos in suo corpore, redimens in corporis passione: *Dominus enim solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos*, sanctificat tabernaculum, de manu redimit inimici. Dividitur & in patientiam, qua peccatores sustinet: in misericordiam, qua peccatores fovet: in largitatem, qua proficientes exaltat: in fortitudinem, qua perficientes conservat. De hoc secundo quaternario, toto hoc Adventu vestræ fraternitati confabulatus sum, per fluminum decursionem & nominum interpretationem moralia mysticis internectens: utrum aliquid digne, vos videritis. Verum non omnia possumus præsenti sermone coarctare, fastidium evitantes. [145. q]

9. Habeo ego quatuor capita dulciora prioribus, quæ fortassis vestris cordibus dulcius complacebunt. Dominus enim vester elevatus in cruce, largissimas sanguinis undas à quatuor partibus sui corporis abundantius emanavit. Spinis enim pungentibus sanctissimum caput nivea cervice reflexum, & clavis pedes & manus, & lancea latus ejus transverberante pretiosus sanguis emanavit: cujus adspersione judex transit in patrem, iratus in mitem; in misericordiam virga, captivitas in coronam. Christus ergo fons latens & occultus in cælis, fons patens & apertus in terris: illic de utero Patris, hic egreditur de utero Virginis. Illic vivens terram irrigat viventium: hîc moriens terram morientium. Illic dividitur in quaternarium admirabilem: hîc in dulcem. Dulcis Dominus, dulcis Domina, quia ille Dominus meus, misericordia mea: hæc Domina mea, misericordiæ porta. Ducat nos Mater ad Filium, Filius ad Patrem, sponsa ad sponsum, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

## IN NATIVITATE DOMINI

### SERMO III.

### Ejusdem est NICOLAI.*

[eadem inscri. IN VI. A NATIVITATE DOMINI &c.]

1. TAndem de mari ad portum, de promisso ad præmium, de labore ad requiem, de desperatione ad spem, de via ad patriam pervenimus. Scripserat siquidem nobis frequentibus epistolis calamus Scribæ velociter scribentis: *Exspecta, reexspecta*, Sed nos quod subjungitur dicere poteramus, *Modicum ibi, & modicum ibi.* [28. c] Præcucurrerant cursores promissione divites, sed exhibitione pauperrimi. Dicebat alius: *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* [26. a] Alter vero: *Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet.* [2. a] Pari consilio exierant de sanctuario Dei, nihil secum nisi promissionum multitudinem reportantes. Unde & Citharista noster jam dormitaverat præ tædio, & in ipsum Deum tacitis oblocutionibus totam culpam modis flebilibus intorquebat: *Tu vero*, inquit, *repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum.* [88. f] De flebili quoque ad imperativum conversus est, exagitante impatientia, quæ impudentiæ & frontositatis mater est: *Qui sedes super Cherubim, manifestare.* [79. a] Et quid tamdiu dominatrici sedens in cathedra, circumvallantibus & vallantibus Angelis, non respicis super filios hominum; quos absorbuit & obsorduit iniquitas per Adam quidem commissa, sed à te permissa? *Memorare quæ mea sit substantia*, ad tuæ substantiæ similitudinem fabricata: [88. g] quia etsi *omnis homo vivens vanitas est*, in imagine tamen tua pertransiens, vanitas esse non potest. [38 h] *Numquid ita vane constituisti omnes filios hominum*, [88. d] de quibus dicis *deliciæ meæ esse cum filiis hominum*: ut eos verteret & diverteret à te malignus ille deceptor, qui decipere nisi te permittente non potuit? *Inclina cælos tuos & descende*, [143 b] & illos misericordes oculos miseris inflecte peccantibus, ut saltem non in perpetuum obliviscaris nostri. Hæc quidem iste, sed gemitibus & ærumnis intortus, tantæ præsumptionis sententiam abjurabat. *Dixi*, inquit, *custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* [38. a]

2. Sed & ille vir nobilis, & profundi sermonis urbanitate perlucidus, affectuosis excessibus incalescens, *Propter Sion*, inquit, *non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam*, &c. [Isa. 61 a / Isa. 64 a] *Utinam*, ait, *dirumperes cælos & descenderes*, & alia multa, quæ fastidiosa prolixitas vetat inserere. [Prophetarum desideria pro adventu Christi] Hic etiam morosioris gratiæ longinquitate suspensus, & nimietate doloris excedens, impatienter oblatrat dicens: *Ecce gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* [Isa. 40. d] Jeremias quoque in vocem gratulabundæ laudis adverbio demonstrandi prorumpens: *Ecce*, inquit, *faciet Dominus novum super terram: Mulier circumdabit virum.* [Jerem. 31 d] Sed tamen repentinæ submersionis lacrymis edocetur, prius lamentum Christi suscipiens, quam adventum conticescat. Danieli dicitur: *Visio est in dies & in tempora longa.* [Dan 8 g] Et Ezechiel tantis caliginibus involvitur, ut vix dignosci possit, unde veniat, aut quo vadat. [Ezech. 12.] Denique omnis ille prophetalis conventus longa tardantis gratiæ morositate pertæsus, nunc rogando, nunc conquerendo variat orationem, & plerumque sermonibus exorativis indignatorios intermiscet. Nos quoque satis eos audivimus, & nobis in fastidium releguntur. Jam fugit Moïses, impeditioris siquidem linguæ factus est nobis. [Exod 4 e] Isaïæ labia immunda sunt. [Isa. 6. b] Jeremias nescit loqui, quia puer est. [Jerem. 1 b] Ezechiel polluto pane vescitur. [Ezech. 4. e] Osee fornicariam & adulteram duxit uxorem: [Osee 1. a] Daniel post visionem graviter infirmatur. [Dan. 8. c. g]

3. Omnes prophetæ elingues sunt & muti: jam lætari & exsultare non possumus, nisi osculetur nos osculo oris sui. Auditi & exauditi estis: adest benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei, quæ vel differri non patiatur amplius amorem languentium. Quid enim audistis? Sanctificamini in crastinum filii Israël, & estote parati: quia die crastino descendet Dominus. [Josue 7. c] Residuum diei hujus, & superventuræ noctis vix medianda * progressio, dirimit nos à vultu gloriæ, à puero Deo, à puerperio singulari. [* mendosè meditanda.] Currite celeriore & rapidiore passu, conficite metas vestras, ut liceat videre Filium Dei vagientem in cunis, & Salvatoris nativitati qualiacumque obsequia præparate. Credo vos esse filios Israël, sanctificatos ab omni inquinamento carnis & spiritus, præparatos ad diei crastinæ sacramenta sollicita devotione & devota sollicitudine suscipienda. Quid enim aliud his sacris diebus Adventui ejus dedicatis egistis? Vidi ego senes, senectutis oblitos, adstare sacris juvenili alacritate vigiliis; & juvenes juventute sepulta, senili gravitate reverentiæ Divinitatis assistere. Plena erant subsellia concinentibus, & concentu parili voces in sublimibus resonabant, ut felici invidia jurasse vos crederem jubilare Deo in voce exsultationis. [Idea Psalmodiæ religiosæ.] Psalteria erant præ manibus, psalmi in labiis, in corde devotio: sollemnitatem animi indicabat hilaritas vultus, discursio corporis, operis sollicitudo. Inspexi sacerdotes vigilantibus oculis primos diei ortus subtiliter indagare, sacramentalibus indui vestimentis; introire ad altare Dei, ad sacrificandum Corpus & Sanguinem Redemptoris. Vidi assistentium turbam ministeriali devotione nunc flectere genua, nunc osculari manus, & ad imperantium nutum nutu citius obedire. Sed & pueros aspexi, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram, sibi adinvicem psalteria invidere, & reportare ad lectulos suos, furari somnum ab oculis suis, & in lectulo suo per noctes quærere quem diligebat anima eorum; quod licet contra consuetudinem præsumptum sit, non tamen contra devotionem. Fateor inter hæc omnia cogitabam: *Castra Dei sunt hæc, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* [Gen. 32. a] Vellem, nollem, vestra devotione trahebar, & vobis negotiantibus otiari non poteram. Sequebar vos, sed à longe, vel aberrans à via, vel claudicans à semitis meis, lugens & contristatus, quia non poteram æquare currentes. Novit ille unus *, cum quo uno unum cœpi esse in Domino, quam frequentibus querelis impleverim aures ejus, quod vos in meridie effetis cum sponso, & ego cum sponsa in vespertino frigore commorarer. [* Scil. Bern. vel Petrus Cluniac.]

4. Eia, Fratres, si aliquid adhuc defluus humor de flumine mortalitatis hujus vestras circumrorat affectiones, tergite & tegite illum niveo confessionis amictu, & calceate vos in præparationem Evangelii pacis, ut sitis [Isa. 61 b]

de quibus dicit Sanctus: *In flumine pertransibunt pede. Quid autem per hæc? Ibi latabimur in ipso.* De flumine hoc, immo de fluminibus istis Isaïas propheta in nocturnis lectionibus largius disputavit. *Percutiet*, inquit, *Dominus fluvium Ægypti in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati.* Volo de fluvio & rivis ejus paulisper confabulari vobiscum, quomodo & qualiter percutiatur, quid sit per eum transire calceatos. Ægypto figuraliter exprimi mundum istum, divinorum eloquiorum scrutatores affirmant, qui positus est in maligno, qui tenebris & confusionibus est repletus. Flumen fluxus humani generis est, qui de primis parentibus infelici vena prorumpens, in impetuosum erumpens torrentem, per totam mundi latitudinem instagnavit: qui in septem torrentibus derivatur, valles & campestria, profunda voragine supersedit; ipsis quoque montium cacuminibus eamdem refusionem intentans. Unde unus de altioribus clamat: *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me, & intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

I/a. 11 d — Ægyptus figura mundi — Fluvius Ægypti, corruptio naturæ humanæ. — Psal. 17. a

5. Primus hujus fluminis rivus est cogitatio mala. Rivus exundans, & qui nullis obicibus repellatur. Habet frequentiam pluviarum * per fenestras corporeorum sensuum: qui ei mundanis cataractis mortiferos imbres infusius administrant. Occursat aspectui mentis quod vidit & audivit, quod odoravit & gustavit, quod palpavit & tetigit. Et plerumque quod simplici oculo aspeximus, versipellis contortor in offendiculum retorquet ac scandalum. Fingit similitudines, imagines pingit, colores aptat, & in thalamo mentis universa convolvit, si forte consensum eliciat, & affectum inficiat. Offert horribilia de divinitate, terribilia de fide, mirabilia de fidei institutione; & in alveolo mentis veneniferas ingerit potiones; quas in confessione evomere peccator oneratus exhorret. Venit in Oratorium, dormitorium occupat, insidet refectorio, circuit claustrum, revisit officinas, nullam prætermittit artem nocendi; sed ubilibet suæ calliditatis assignat argutias. Et in choro quidem inter orandum & psallendum mentem pertrahit in diversa, præteritorum rememoratione puritatem intellectus involvens. In choro vero multiformes libidinis sensus evolvit, insidians sollicitudini vestræ, & telis fortioribus oppugnans vos, utinam non expugnet; pungat, non vulneret. In refectorio autem gulam allicit ad videndum quæ perferuntur, & ingenti aviditate onerat distentum ventrem, ut majore opera ad egerendum egeas, quam ad ingerendum. In claustro libros revellit à manibus, memoriam referat scripturarum, & nunc de isto ad illum, nunc de illo ad istum cum signis & scurrilitate transvertit. Per officinarum multitudinem te facit excurrere, & vagabundo se comitem facit, donec taciturnitatis ostium, aut aperiat, aut confringat. Quid plura? In choro devotionem, in thoro castitatem, in refectorio parcitatem, in claustro lectionem, in officinis silentii virtutem virtutis inimicus exstirpat. Nec sufficit in vigilando subtilibus spiculis cordis terebrare vitalia, sed dormiendo singulari se versat & reversat astutia. quæ omnia melius vestræ conscientiæ, quam stili scientiæ derelinquo. Sed & ad altare Domini virtutum sequuntur nos spiritus ipsi; & ipsos ante mentis oculos involantes, ut vix aliqua vel nascentis Dei, vel pendentis in cruce possint memoria deturbari. Magnus ille Patriarcha * vix volucres hujusmodi à suis sacrificiis abigebat: nos qui sumus qui fugare præsumimus? Quis in hoc rivo vel mersum, vel submersum se esse negaverit? Videtis, quam turbidus torrens & limosa regurgitans cœnositate, qui vix aut numquam ad hoc ducitur ut penitus exsiccetur. Non puto quod ille * qui clausit cælum oratione, clauserit animum à cogitatione, ut facilius sit cælum obserare, quam animum.

Primus rivus hujus fluminis, Mala cogitatio. — * al. male fluviorum. — Dæmonis illusiones & sollicitationes. — * Abraham. — * Elias.

6. Secundus rivus est locutio perversa. *Linguam nullus hominum domare potest*, ait Jacobus: membrum inquietum, membrum mortiferum: facilis ad loquendum, ad obloquendum proclivior. Et notandum quod alter nascitur ex altero, cum malæ cogitationi perversæ locutionis janua sit aperta. Et est etiam aliud verbum falsum. unde dicitur: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Aliud vanum, de quo scriptum est: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* Aliud impudicum; de quo Apostolus: *Turpis sermo de ore vestro non procedat.* Aliud excusatorium, unde Psalmista: *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Aliud dolosum, de quo Propheta: *Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.* Aliud otiosum, de quo ipse Dominus: *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Et si qua alia genera sunt pestis hujus, quæ nos brevi saltu transsilire non possumus.

Secundus rivus, Perversa locutio: eaque multiplex. — Jac. 3 b — Psal. 5. a — Ibid. 11. a — Eph. 4. g — Psal 140 — Psal. 11. — Matt. 12.

7. Tertius est actio prava. Post cogitationem & locutionem venitur ad opera, quando exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato, & contumeliis afficimus corpora nostra. Quid enim turpius, quam membra Christi sanguine consecrata, & consepulta in baptismate, libidinosis ardoribus maculare; nec attendere reverentiam præsentis DEI, minantis pœnam, gloriam promittentis? Absit, ut aliquis nostrum huic idolo substernatur, ut Filium Virginis in Veneris templo suscipiat: ut Arcam DEI juxta Dagon collocet; ut nutritus in croceis stercora amplexetur. Quid Petro cum Mago? quid Christo cum Antichristo? quid Virgini & libidini? quid puritati & corruptioni? Absit ut quisque vestrum ambulet in passione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum; qui corpus Christi aut consecratis, aut Christi corpori ministratis. Electi servite Imperatori; ut cum Imperatore sedeatis, cum sederit in sede majestatis suæ. Qua fronte, quibus oculis videret vos, viveret vobiscum, qui tantis inter vos obscœnitatibus deserviret? Qua mente, qua conscientia accederet ad Sancta sanctorum, immolaret Sanctum sanctorum, cujus fama contemptibilis, vita notabilis, sermo reprehensibilis (haberetur? Sed & si forte humanum loquor propter infirmitatem carnis vestræ) aliquis vestrum tale aliquid in cubiculo conscientiæ complicavit: deplicet illud per confessionem & pœnitentiam, & ego ei de misericordia nascentis pueri veniam repromitto. Et si confessus fuerit & pœnituerit, nascitur in eo lux mundi, ut dimotis fallacibus tenebris splendorem veræ lucis accipiat. Quomodo enim miseris misericordiam hac nocte negabit, in qua misericorditer misericors nascitur & miserator Dominus? Adest Deus & homo; Mater & virgo; caro & Verbum; lux illuminans; bonus & bonitas; misericordia & veritas; fœcunda virginitas, virginalis fœcunditas; æterna novitas, nova æternitas; divina humanitas, humana divinitas, humilis sublimitas, & his omnibus misericordia fabricatur. Cohibere ergo extollentiam ab oculis, loquacitatem à lingua, crudelitatem à manibus, voluptatem à lumbis, pedes ab itinere non recto, & venire & arguite eum, si non hac nocte dirumpit cælos, si non descenderit ad vos, & projiciet in profundum maris omnia peccata vestra. Quis tamen est, qui hujus tertii rivuli non sit mersus & remersus instantia?

Tertius rivus, Actio prava. — Religiosis præcipue & Sacerdotib. abhorrenda.

8. Quartus rivus est defensio peccatorum. In veritate dico vobis, quia nihil sic exasperat iram divinitatis, quomodo iniquitatis defensio. Æquo enim certamine nos certamus cum Domino, cum defendimus quod odit: cum nobis placet quod displicet illi. Magna quippe differentia inter superbum & humilem peccatorem; cum illum despicit, hunc respicit: quia humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Quando sanari poterit qui medicum spernit, medicinam conculcat, & infirmam substantiam contrariorum receptione succendit? Tu dicis malum bonum, amarum dulce, tenebras lucem, & in Creatorem refundis injurias: ut quod laudaverit, tu vituperes: quod vituperaverit, tu laudes. Non est hoc palpativa dissimulatione tacendum, quod viderim quosdam vestrum tantis impatientiæ stimulis agitari, ut ad primas correptoris voces non solum excusationem & defensionem exhibeatis; sed & nisi disciplinalis vigor obviaverit, ad tumultus & jurgia prosiliatis. Hæc est impietas maxima in Deum, delictum maximum: quod vir simplex & rectus, & puer Domini summa circumspectione devitat. Elegantissimam super his comparationem inducit Propheta, quam de sacrario sancti Spiritus asportavit. *Ibi*, inquit, *habuit foveam ericius.* Ericius ita Isa. 14. d

Quartus, Defensio peccatorum.

confertissima spinositate densatus est, ut undique punctionibus & aculeis vestiatur. Cum vero se solitudinem adeptum putat, caput aperit, exserit pedes, & vivificatorios motus plana deambulatione demonstrat. Si quis supervenerit, statim celerrima velocitate caput cum pedibus in interius absconditorium reponit: ut si tenere volueris, prius videas sanguinem tuum, quam corpus suum. Sic & peccatoris caput cum pedibus, intentio cum actione, à pastorum sollicitudine prospectatur: & quod fere omnium peccantium vitium est, cum ab omnibus videatur, à nemine æstimat se videri. Si vitium resecare studeas, & intentionis ingressus cum actionis egressibus correctivis deprehendere: statim Ciceronis eloquentia renovatur; excusatur & defenditur quod opponis, accusaris & offenderis qui proponis. Interrogat de loco & de tempore quando factum fuerit, & novus Dialecticus exserta lingua prorumpit in medium. Parentes advocat; patrocinatores quærit; gravari se judicat; indicat se recessurum, malle mori, quam pati talia; & quæ vidisti, negans, & quæ non vidit in te convicia retorquens. Sic spinam sentis, & culpam perdis: odium incurris, nec corrigis: & quem totum tenere putabas, totum amittis. Vides quam multiplici cumulositate rivus iste omni homini, & maxime nostro Ordini se infundit?

9. Quintus est exsultatio in peccatis. O detestanda lætitia, & in sempiterni doloris tristitiam demutanda, in peccatis sicut in virtutibus exsultare. Nonne latrocinantes & facinorosi quique cum votorum plenitudinem assequuntur, non se capiunt præ gaudio, ita etiam ut audeant ipsi Divinitati gratias immutire? Qui cum malefecerint, lætantur, & exsultant in rebus pessimis. Cadent super eos carbones, & in ignem dejicientur. Sed rivus iste, quam undosa reflexione miseros animantes effundit, melius conscientia, quam eloquentia comprehendit.

10. Sextus est alios docere ad malum. Hæc doctrina de cathedra pestilentiæ derivatur, quam detestatur & reprobat qui docet hominem scientiam. O quam in vanum accipit animam suam, qui aliorum animas venatur ad mortem, qui trahit peccata sicut vestem longam: qui miscet sanguinem sanguine; cui non sufficit ut intereat in sæculum sæculi, nisi & alios ad interitum pertrahat sempiternum. Scitis enim quia multa vitia tenerrimis ætatibus imprimuntur; quæ postea in magno corpore vix mitigare, nedum exstirpare quisquam possit. Infelices magistri, qui hujusmodi plantaria plantaverunt! explantabuntur ab illa cælesti plantatione, quam plantavit Pater ille cælestis. Quis gloriabitur se hujus rivi torrentibus non fuisse vallatum?

11. Septimus est, in omnibus his malis perseverare. Hic peccator demersus est & absorptus, & clausit super eum puteus os suum. Cum enim non levat oculos ad cælum, nec recordatur judiciorum justorum, mortuus est, & sepultus in sepulcro conscientiæ suæ. Tunc à mortuo tamquam qui non est, perit confessio: tunc peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit. Hic est in extremo fluminum Ægypti, & multitudo miserationum Domini tollitur ab oculis ejus.

12. O flumen malum, rivi pessimi, rivi exterminantes. Hac nocte Dominus eos calceatus transivit, cum in virginali substantia puram carnem & omnium prætaxatarum pestium immunem accepit: illo calceamento calceatus quod in Idumæam extendit, cujus corrigiam solvere non potuit magnus ille Baptista. Misit de summo Filium suum, & accepit me in utero Virginis, & sic tandem assumpsit me, & de profundis aquarum. Percutiemus & eos, si cogitemus pro peccato nostro, si prohibeamus linguam à dolo, si declinemus à malo, & faciamus bonum: si confiteamur adversum nos injustitiam nostram Domino, si dolor noster sit semper in conspectu nostro, si doceamus iniquos vias Domini, & semper laus ejus sit in ore nostro. Et ut de arte sutoria nostris moribus aliquid consuamus, habeamus calceamenta densa & subtiliter consuta, quæ possint aquas obviantes excludere. Faciamus carnem nostram firmam & con-

A fixam timore Domini, quæ libidinis humorem excludat, & excocta tribulationibus, atque ita densata fiat uter novus ad conservandum vinum novum de quo dicitur: *Quia factus sum sicut uter in pruina.* Sed jam corda & corpora vestra ad suscipiendum Filium Virginis præparata dimittamus in pace, & omnes in commune lumen ad revelationem gentium innocentibus brachiis amplectamur, qui est benedictus in sæcula. Amen. *Psal. 118 I*

## Sermo ejusdem

## IN FESTO B. STEPHANI Protomartyris.

*Stephanus autem plenus gratia & fortitudine.* Act. 6. c

1. ADhuc Filium Virginis habemus in manibus, & obsecutoria delinitione vagientis Dei honoramus infantiam. Ducit nos Virgo ad veneranda cunabula, & speciosa præ filiabus hominum, ad speciosum forma præ filiis hominum, benedicta inter mulieres ad benedictum inter homines nos conducit. Submurmurat nobis in aurem, si forte domus exasperans audiat & quiescat, revelata esse velamina Prophetarum, & completum consilium Dei. Videte miraculum Matris Domini, quia creatura creat *, & Creator creatur. Scintillat sidus, Magus adorat, exsultat polus, tellus resultat, gloriantur Angeli, pastores aggaudent, Virgo parit, nascitur Deus, & cælorum luminaria clariori lumine lumen exortum in tenebris prosequuntur. In istis bonis versamur: beatus vir qui impleverit desiderium suum ex ipsis. Scio quia dulce nobis est, *In principio erat Verbum*: dulcius, *Verbum caro factum est*, dulcissimum Verbum in cruce suspensum. A tanto puerperio quis insanus oculos nostros amovere, nedum avellere præsumat, nisi ipse jubeat qui dicit: *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt?* Ecce dum osculatur nos osculo oris sui; dum tantis miraculis & stupidos nos facit & attentos: *Stephanus plenus gratia & fortitudine facit prodigia & signa magna in populo.* Numquid æquum est derelinquere Regem, & ad milites oculos detorquere? Nequaquam, nisi imperaverit Imperator. Surgit ipse Rex Filius Regis, sed lapidantium aciem interrumpens, triumphatoris certamini non sine dolore cordis assistit. Videt opprimi primum & primicerium purpuratæ cohortis grandinaria lapidum densitate, fontes sanguinis de corpore Protomartyris ebullire. Videt quia universa debacchatio redundat in ipsum, & ipsi soli improperia exprobrantium cumulantur. Ubi pietas & misericordia tua Domine, si non compateris patienti: ubi æquitas & justitia, si non judicas & vindicas de populo lapidante? Curramus ad spectaculum ad quod currit, qui exsultat ut gigas ad currendam viam, & videamus quibus armis armatus vexillifer Martyrum in campum pugnaturus descendit. Et ut diligentius elucescat singularis martyrii prærogativa, revocemus ad memoriam apostolicorum actuum descriptionem, in quibus historicis & figuralibus dictis conversio & passio belligeri militis continetur.

** al. mendose erat creator creaturæ.*
*Johann. 1.*
*Cant. 6.*
*Act. 7. c*

2. *Stephanus*, inquiunt, *plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.* Non parvum latet hic mysterium, nec vilipendenda simplicioris scripturæ manifesta positio. Ad Virginem quippe loquens Angelus, verba de cælestibus scriniis sumpta, nec alterius nisi ipsius Dei spiritu fabricata, nova salutatione perorat * Nulli dubium quin omnium verborum excellant altitudine, utpote de melioribus disciplinis sancti Spiritus evoluta: quorum annuntiatione confœderandum erat illud unicum sacramentum Verbi & Hominis; divinitatis & carnis. *Ave*, inquit Fortitudo Domini *, *plena gratia.* Quid autem de Stephano? *Stephanus plenus gratia & fortitudine.* Nonne Lucas eisdem pæne litteris de utrisque eloquitur? Sed licet longe excellentior modus in Virgine prædicetur; secundario tamen laudatur in Martyre. Habet igitur gratiam Stephanus sublimiori genere, quam reliqua Martyrum multitudo: plenus gratia refertur scilicet & cumulatus, quod raro in Scripturis canonicis subtilis inquisitor inveniet. Jungitur gratiæ fortitudo,

*Act. 6. c*
** al. portat. Plenitudo gratiæ attribuitur B. V. & B Stephano*
*Luc. 1 c*
** Gabriel.*

infuso spiritu libertatis. Ignitus animus in vocem veritatis erumpit, nec patitur ullo pacto rigorem justitiæ submitti aliquando, vel dimitti. Sic loricatus gratia, & hasta fortitudinis sapienter infrendens, *faciebat prodigia & signa magna in populo.* Ille potest prodigia & signa facere, in quo gratia & fortitudo sedem firmissimam statuerunt. Sic Stephanus ad homicidas, ad legis adulteros, ad crucifixores Filii Dei Patris loquitur, genti peccatrici in Ægypto, populo gravi iniquitate in deserto, semini nequam in terra promissionis, filiis sceleratis in morte
*Act. 7. f* Salvatoris. *Dura*, inquit, *cervice*, *& incircumcisi corde & auribus*, *vos semper Spiritui-sancto restitistis.*

3. *Surrexerunt quidam de synagoga*, synagoga utique satanæ, & utique conglobantur, vel ad convincendum, vel ad occidendum. Faciunt impietatis parietem unum; squama squamæ conjungitur. Sibilant sibi serpentes adin-
*Job. 40. b* vicem, convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Velit, nolit, cedit impietas pietati, veritati error, stultitia sapientiæ, Spiritui-sancto
*Act. 6. c* præsumptio & vanitas spiritus humani. *Non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur.* Non dixit non volebant (quod rationabilium & perfectorum est) sed *non poterant*, ubi menti malæ facultas tollitur, non voluntas mutatur. *Redarguebantur*, ait, *ab eo cum omni fiducia.* Fiducialiter agit, nec nutat, nec mutatur mens imperterrita, quæ magis justitiam quam vitam, fidem quam sanguinem, mortem quam justitiæ taciturnitatem elegit. Concurrentes rapiunt eum; adducunt in concilium, & gaudent eum intra sua retiacula reclusisse: sed
*Prov. 1. b* *B Steph. fortitudo & constantia in redarguendis impiis.* *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Tunc vox liberior, & ex eorum codicibus sermo exacuitur veritatis, totumque Martyrem rapit sibi Spiritus Dei, & ex ejus ore sonantiori organo modulatur. Apparet ei una facies scripturarum, & veteris instrumenti dispendia in compendiosam redigit brevitatem. Replicat promissiones & beneficia Dei, murmurationes & maleficia populi; bona præstita, reddita mala; ad extremum divini sanguinis exprobrat effusionem, refractarios spiritus, duros cervice, incircumcisos corde & auribus, & sublimi voce homicidas, & proditores appellat. Non veretur conventicula congregata de sanguinibus, & inter manus quærentium animam ejus, de liberiori justitia cacumen veritatis ascendit. *Dissecantur cordibus*, *& strident dentibus in eum*, concipiunt dolorem, & prope est ut parturiant iniquitatem. Mirum quod non revocantur insueti novitate miraculi, quod luminosa Protomartyris facies non refrænat insanos. *Videbant*, inquit, *faciem ejus tamquam vultum Angeli stantis inter illos.* Quid est, ô insensati? Lumine vultus Dei insignitur gloriosus Levita, & vibranti splendore Stephanus serenatur, & reverberantur oculi vestri, & tamen invidiæ magnitudo visionis majestatem occludit? Respondeant in divinorum voluminum evolutione, ubi repererunt hominem in terris positum per vultum angelicum induisse: & cum in utrisque legibus vel raro, vel numquam invenerint, obstupeant gloriam triumphantis. Sequitur.

4. *Cum autem esset plenus Spiritu-sancto*, *intendens in cælum vidit gloriam Dei*, &c. Mirum dictu, & totius supergressio creaturæ! Intendit in cælum, videt jam non cælum, sed cælos apertos, videt gloriam Dei, & *Jesum stantem à dextris virtutis Dei.* Movet me hæc intentio, quæ de cordis puritate refusa vim facit cælis, & ad ipsius divinitatis consistorium penetrat & attingit. Cæli aperiuntur, gloria Dei videtur: Jesus conspicitur stans non solum à dextris Dei, sed à *dextris virtutis Dei.* Hanc
*Quæ virtutes Stephani.* intentionem fecerat abjectio mundi, contemptus sui, cordis munditia, dilectio Dei, proximi amor, veritatis defensio, desiderium Christi. Retorquenda essent hæc omnia ad communes flosculos moralitatis, nisi esset excellentia Martyris commendanda. Felices oculi, subtilis visus, visio gloriosa. Signanter recollige positionem verborum. *Plenus est Spiritu*, & sic *intendit in cælum*, quia in spiritu afflatur; conculcatis terrestribus, cælestibus inhiat & æternis. Post hæc aperiuntur cæli, nullaque prævalet firmatio vel clausura, quam non transvolet aut irrumpat mens illi summæ menti affectanter inhærens.

Aperiuntur ergo cæli, & puto quod omnes cæli; eorumque apertionem sequitur visio gloriæ Dei, & videtur Dominus Deus stans à dextris virtutis Dei, ne Patre minor esse putetur. Stat cum stante, cum bellante bellat, quia lapidatur in lapidato.

5. Non mediocris stupor involvit me, utrum primitivus flos martyrum oculis corporeis an incorporeis ista *Visio Steph. fuerit corporea, incorp[...]* perspexerit. Grande quidem miraculum si mentali intuitu stellantibus se immersit arcanis, si mundicordes oculi tam sollemnem inspexerint visionem. Quod si corporalibus; certum est hunc omnem hominum genus disparilitate gratiæ prævolasse, & pennis fidei & virtutum incorporea corporeis, etsi non comprehendisse, apprehendisse tamen. Nihil audeo temere diffinire, vel ex abrupto præcipitare sententiam, cum finitivam super hujusmodi regulam me legisse non meminerim. Securius tamen sequor Apostolum, immo Spiritum Dei in Apostolo, qui cum summa verborum libertate magis securæ ambiguitati, quam periculosæ diffinitioni ista committit: *Sive in corpore*, inquit, *sive extra corpus*, *nescio*, *Deus scit.* *2. Cor. 12* Exclamant statim clamore horribili, continent aures suas, & eas obstruunt veritati, *impetum faciunt unanimiter in eum*, facti amici in morte illius: *& ejicientes eum extra civitatem lapidabant.* Ejicitur Martyr extra civitatem sanguinum, in qua prius justitia habitavit, nunc autem homicidia: de qua dicit Sanctus, *Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.* *Psal. 54* Hæc est civitas, *quam die ac nocte circumdat iniquitas*, *& labor in medio ejus & injustitia.* Civitas castellum despective vocata, quod contra Apostolos & Apostolorum Dominum durissimis infidelitatis vectibus est munitum. Extra portam civitatis hujus passus est Dominus, extra eam lapidatur servus exiens ad eum extra castra, & portans similitudinem improperii ejus. Deponuntur vestimenta Martyris ad pedes persecutoris, qui attactu sacrarum vestium, & orationibus lapidandi fuerat convertendus.

6. *Et lapidabant*, inquit, *Stephanum invocantem & dicentem: Domine Jesu, accipe spiritum meum.* *Act. 7.* Currunt illi ad lapides, & ille ad preces. Lapides lapidem percutiunt, sed lapidem molliorem, de quo fluit oleum caritatis, & tinnitus redditur pietatis. *Domine Jesu*, inquit, *ne statuas illis hoc peccatum.* *Ibid.* Rogat suscipere spiritum suum, spiritum utique, & sanctum: illum quem signanter quasi quoddam signaculum Apostolus in homine præcipit conservari. *Ut integer*, inquit, *anima & spiritus & corpus in die Domini sine querela servetur.* *1. Thess. 5* O quanta pietas, quantus affectus, & ardentissimæ caritatis integritas! Recte martyrii florem iste sibi prævindicat, in *Stephanus imitatur Christum crucifixum.* quo similitudo Domini pendentis in cruce mirabilibus formulis est impressa. In ligno enim spinis coronatus, lancea confossus; cruci affixus, dissimulat illum unicum dolorem, & obliviscitur mortis vicinæ: novum introducturus exemplum, aperit latitudinem caritatis, & apertiori campo terminos traditæ legis amplificat, jam non solum amicus amicis, sed velint, nolint, amicus pariter inimicis. *Pater*, inquit, *ignosce illis*, *quia nesciunt quid faciunt.* *Luc. 23.* Non potuit esse inefficax oratio morientis: unde & inimicorum numerositas ad numerum amicorum transivit.

7. Vide quam recto cursu Stephanus etsi non æquat, sequitur tamen Redemptorem. Volat saxorum imber, & fortissimis invidorum manibus loca vulnerum duplicantur: sed patienter patitur coronatus noster, de corona nominis ad coronam regiminis transferendus. Nescis affectum carnis, & mortis horam ignorat. Et vide quid deliberet faciendum. *Positis*, ait, *genibus clamavit voce magna: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* *Act. 7.* Clamat voce magna, quia magna utique caritate. *Positis genibus*, quia vera & humili simplicitate pro se orans stat & erigitur: pro lapidantibus flectit genua. Quis audivit umquam tale, & quis vidit huic simile? Plus dolet persequentium peccatum, quam sua vulnera: illorum iniquitatem, quam suam mortem. *Et cum hoc dixisset*, *obdormivit in Domino.* *Ibid.* Felix somnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum satietate, satietas cum securitate, securitas cum æternitate. *Obdormivit*, inquit,

inquit, *in Domino*, absorptus in claritatis abyssum, & inter Dei sui brachia requiescens. Sedebat à dextris Dei Dominus Jesus, sed primo Martyri martyrum caput. Recolitis quod illa Ecclesiæ lingua (Augustinum loquor) de hoc Martyre senserit, quem post mortem septem mortuos

A asserit suscitasse. Eia vos, qui Levitali ordine præfulgetis, cantate huic canticum novum, & tantæ festivitati festivis vocibus inclamate. Fortassis concinentibus etiam suggeret de vobis Domino suo judici vestro, ne statuat illis aliquid ad peccatum, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

S. Stephanus septem mortuorum suscitator.

---

:t. 13. et. lit.

# TRACTATUS * ÆLREDI ABB. RIEVALLIS, DE JESU PUERO DUODENNI.

In Evangelium Domini infra octavam Epiphaniæ, *Cum factus esset* JESUS *annorum duodecim*. Luc. 2.

1. PEtis à me, fili carissime, quatenus ex lectione evangelica, qua duodennis pueri JESU gesta narrantur; aliqua piæ meditationis & sancti amoris eliciam semina, & sportulis litterarum commendans tibi colligenda transmittam. Adhuc nuntius ista loquebatur; & ecce sensi in ipsis medullis cordis mei, ex quanto, ex quali, ex quam ardenti, ex quam dulci tua id fraternitas petebat affectu: cum subito mihi venit in mentem ubi aliquando fuerim, quid senserim, quid in me ipso evangelica verba nonnumquam egerint, vel cum legerentur, vel cum cantarentur. Respexi miser, respexi, & vidi quam longe post tergum meum illa suavia & jucunda reliquerim: quam longe ab his deliciis occupationum & sollicitudinum me funes abstraxerint; adeo ut quæ tunc tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sint. Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam; cum emissa ad me manus Domini tetigit cor meum, & unxit illud unctione misericordiæ suæ. Cernis in ipso inquisitionis tuæ modo, quid luminis, quid splendoris tuus mihi scintillat affectus, cum insinuari tibi flagitares, puer Jesus triduo illo quo quærebatur à Matre, ubi fuerit; quo sit usus hospitio; quibus cibis alitus; quorum delectatus consortio, quibus negotiis occupatus. Sentio, fili mi, sentio ea ipsa, quam familiariter, quam affectuose, cum quibus lacrymis in orationibus tuis sanctis ab ipso Jesu soleas sciscitari, cum ante oculos cordis tui illa dulcis Pueri dulcis versatur imago: cum illum speciosissimum vultum spirituali quadam imaginatione depingis, cum oculos illos suavissimos simul & mitissimos in te jucundius radiare persentis. Tunc (ut videtur mihi) intimo clamas affectu: O dulcis Puer, ubi eras? ubi latebas? Quo utebaris hospitio? Quo fruebaris consortio? Utrum in cælo? Utrum in terra? An in domo aliqua interim morabaris, vel certe cum aliquibus tuæ tunc ætatis puerulis secreto loco consistens, eis secretorum mysteria profundebas secundum tuam in Evangelio vocem: *Sinite parvulos venire ad me: & nolite prohibere illos?* Felices, si qui fuerunt illi, quibus tot diebus tam familiariter tuam præsentiam indulsisti. (6. a)

2. Sed quid est, mi dulcis Domine, quod sanctissimæ Matri tuæ quærenti, dolenti, suspiranti non compatiebaris? Denique ipsa & Pater tuus dolentes quærebant te. Immo tu Domina mea dulcissima, cur Puerum quærebas, quem Deum esse non ignorabas? An ne cruciaretur fame, ne frigore vexaretur, ne ab alio quolibet ætatis suæ puero injuriaretur, formidabas? Nonne ipse est, qui pascit omnia, omnia nutrit; *qui fœnum agri quod hodie est & cras in clibanum mittitur;* gloriosius Salomone vestit & ornat? Quin potius, Domina mea (pace tua dico) dulcissimum Filium tuum cur tam facile amisisti; tam incuriose custodisti, tam sero, quod deerat, animadvertisti? Utinam & mihi inspirare dignaretur ipse Jesus, quid sibi sic quærenti, sic flagitanti, sic æstuanti, interno & spirituali sermone responderit, ut nota tibi scriberem, & gustata eructare sufficerem.

3. Videamus tamen, si placet, quidnam sit quod Dominus Jesus in Bethleem nascitur; latet in Ægypto, nutritur in Nazareth, & inde duodennis ad templum & metropolim civitatem ascendit; nec tamen solus, sed sub parentum disciplina. Ut quid ista omnia? Quia profecto dux est Dominus meus Jesus, quia medicus, quia doctor.

B Ut dux noster, *exsultavit ut gigas ad currendam viam, quoniam à summo cælo egressio ejus*, & usque ad Bethleem descensus ejus. Ibi plena cælestium odoramentorum relinquens vestigia, posuit tenebras, id est Ægyptum, latibulum suum. Et cum sedentibus in tenebris & umbra mortis lucem supernæ gratiæ infudisset, etiam Nazareth sancta sua præsentia nobilitavit. Sicque Nazarenus effectus in templum ingreditur quasi puer discens, non docens, audiens & interrogans, & in his omnibus à parentum disciplina non recedens. Sic Domine, sic præcedis miseros, sic sanas ægrotos, hanc viam errantibus, hanc ascendentibus scalam, hunc exsulibus reditum præmonstrans. Quis dabit mihi, bone Jesu, tuis inhærere vestigiis, & sic currere post te, ut quandoque apprehendam te? Ego prodigus ille filius, qui accepi ad me substantiam meam, nolens custodire ad te fortitudinem meam, profectus sum in regionem longinquam, regionem dissimilitudinis, comparatus jumentis insipientibus, & similis redditus illis. Ibi dissipavi omnia bona mea vivendo luxuriose: & sic cœpi egere. Infelix egestas, cui & panis defuit, & porcorum cibus non profuit! Sequens quidem animalia immundissima, erravi in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non inveniens. Esuriens & sitiens anima mea in malis contabuit, & dixi: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo!* Dum sic clamarem ad Deum, exaudivit me, deducens me in viam rectam, ut irem in civitatem habitationis: quam, nisi in illam quæ abundans panibus, *domus* dicitur *panis*, id est Bethleem? Confiteantur tibi, Domine, misericordiæ tuæ, quia satiasti animam inanem, & animam esurientem satiasti bonis, Pane utique illo, qui de cælo descendit; & positus in præsepio spiritualium cibus factus es jumentorum. (Psal. 18.; C; Luc. 15.; Luc. 15. d; D)

4. Et hæc quidem conversionis, quasi spiritualis cujusdam nativitatis sunt initia, ut conformemur parvulo, paupertatis suscipiamus insignia; & facti ut jumentum apud te Domine, præsentiæ tuæ deliciis perfruamur. Sed quia scriptum est, *Fili accessisti ad servitutem Dei*, sta fortiter, *& præpara animam tuam ad tentationem*: abscondit modicum faciem suam Dominus Jesus à nobis, non ut discedat, sed lateat. Et ecce Ægyptus, ecce tenebræ, ecce turbatio. Sedentes quippe in tenebris, & umbra mortis, laborantes expertæ jucunditatis inopia, vincti & compediti ferro, proprii videlicet duritia cordis: necesse est ut clamemus ad Dominum cum tribulamur, & ipse de necessitatibus nostris eruet nos. Luce enim consolationis suæ dissipans tenebras hujus tentationis, & gratia internæ compunctionis rumpens vincula interioris duritiæ, sereniori vultu nos præcedit in Nazareth, ut ibi inter flores Scripturarum, & virtutum fructus sub Seniorum disciplina nutriti, duodecimi anni delicias sortiamur. Sicut enim Dominus Jesus in nobis nascitur & concipitur: ita profecto crescit & nutritur, in nobis, donec occurramus omnes in virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis Christi. (Cur descendit in Ægyptum.; Eccli. 2. a; E; Eph. 4. a; F)

5. *Cum ergo factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis in Jerusalem, secundum consuetudinem diei festi, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem.* Primum itaque ne nos prætereat hujus historiæ mira suavitas, sciendum id moris fuisse Judæis, ut ascendentes ad diem festum, seorsim viri, seorsim mulieres incederent, ne forte aliquid coinquinationis subreperet, præscribente lege divina, ut mundi tantum sacris sollemniis interessent. Unde credibile est, puerum Jesum illo tempore

nunc Patri & viris adhærentibus ei; nunc Matri & mulieribus comitantibus eam, suæ præsentiæ dulcedinem indulsisse. Cogitemus ergo quanta eorum fuerit felicitas, quibus datum est tot diebus videre faciem ejus, & mellifluos audire sermones; considerare in homine & puero signa quædam cælestis radiare virtutis, & inter confabulationes mutuas mysterium sapientiæ salutaris inserere. Stupent senes, admirantur juvenes, & suæ tunc ætatis pueri, morum gravitate, & sermonum illius pondere deterrentur. Credo enim in illo speciosissimo vultu tantam gratiæ cælestis elegantiam refulsisse, ut omnium in se converteret aspectum, auditum erigeret, excitaret affectum. Cerne, quæso, quemadmodum à singulis rapitur, à singulis trahitur. Senes osculantur, amplectuntur juvenes, pueri obsequuntur. Quæ lacrymæ pueris, dum diutius à viris teneretur? Quæ sanctis mulieribus querimoniæ, cum paulo plus cum Patre & ejus sociis moraretur? Credo singulos intimos proclamare affectu: *Osculetur me osculo oris sui.* Et pueris ejus præsentiam suspirantibus, sed senum contuberniis se inserere non audentibus, illud facile coaptatur: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer?*

Cant. 1. a

Cant. 8. a

6. Cum hac igitur jucunditate ingredientibus cunctis civitatem sanctam, contemplare, rogo, inter singulas familias quam pia fuerit ac sancta contentio, cunctis desiderantibus ejus sibi præsentiam dulcissimam indulgeri. Hæc felix quæ vicit. Forte ob hanc causam consummatis omnibus cum redirent, *remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus.* Arbitrantes enim unusquisque quod esset cum altero, utpote qui amabatur ab omnibus, & ab omnibus petebatur; non cognoverunt parentes ejus quod abesset, donec itinere diei expleto, per singulas familias, quæ simul ascenderant, quæreretur inter cognatos & notos. Et non invenientes regressi sunt in Jerusalem: post triduum autem invenerunt eum in templo. Per illud itaque triduum, ubi eras bone Jesu? Quis tibi cibum aut potum ministravit? Quis lectulum stravit? Quis detraxit calceamenta? Quis membra puerilia unguentis fovit & balneis? Scio certe quia sicut voluntarie nostram sumpsisti infirmitatem, ita, cum velles, propriam ostendisti virtutem: & ideo cum velles, his obsequiis non eguisti. Ubi ergo eras Domine Jesu? De his omnibus æstimare, vel conjicere, vel opinari libet aliquid: affirmare autem temere nihil licet. Quid dicam, Deus meus? An ut te per omnia nostræ conformares paupertati, & omnes in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi unus è turba pauperum stipem per ostia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarum sic mendicatarum participem fieri, vel saltem divini illius edulii reliquiis saginari?

7. Sed ut hæc ad sublimioris sensus secreta vertamus, prima forte die paternis se vultibus præsentavit; non ut consederet, sed ut ordine susceptæ dispensationis paternam voluntatem consuleret. Nec absurda videtur talis opinio: si æstimetur quod Dei Filius de his, quæ in divina natura simul ipse cum Patre & Spiritu-sancto, coæqualis & consubstantialis utrique, disposuerat; in forma servi quam susceperat, homo Deum, parvus magnum consuluerit: non ut disceret, quod ipse cum Patre in forma Dei æternaliter noverat; sed ut ipsi Patri per omnia deferret, obedientiam offerret, præferret humilitatem. Ibi agitur in illo secreto cubiculo Patris de baptismate suscipiendo, de eligendis discipulis, de condendo Evangelio, de miraculis faciendis, postremo de tolerantia passionis, & resurrectionis gloria. Cunctis divino modo dispositis, altera jam die angelicis & archangelicis choris suavitatem sui vultus indulsit: referensque antiquam civium supernorum ruinam post modicum reparandam, universam lætificavit civitatem Dei. Jam tertia die se cuneis patriarcharum & prophetarum immiscens, ea quæ à sancto sene Simeone dudum audierant, proprii vultus manifestatione probavit. Sicque exspectationis illorum moras, instantis jam redemptionis promissione consolans, animæquiores atque alacriores reddidit universos.

Primo die præsentavit se vultui paterno.

Secundo Angelis.

Tertio die Patriarchis & prophetis se conspicuum fecit

Post triduum invenitur in medio Doctorum.

8. Merito igitur post triduum invenitur in templo in medio Doctorum & Seniorum, ut paternæ pietatis de hominum reparatione consilium, sicut Angelis & Sanctis carne exutis, quantum videbatur, propalaverat; ita in omnium locorum sacratissimo templo Jerosolymitico, & his primo qui pretiosissimum hujus promissionis thesaurum in sacris litteris conservabant, paulatim inciperet reserare, primum audiens & interrogans; deinde sacratissima mysteria prodens. Denique *mirabantur omnes super prudentia & responsis ejus.* Data est hæc pueris & adolescentibus humilitatis & reverentiæ forma, ut in medio seniorum taceant, ut audiant, interrogent & discant. Indica mihi, ô dilectissima Domina mea Mater Domini mei, quid tibi tunc fuerit animi, quid stuporis; quid gaudii; cum dulcissimum filium tuum Dominum Jesum invenires, non inter pueros, sed inter doctores: cum omnium oculos in ipsum intentos, omnium cerneres aures ad ipsum erectas: cum de prudentia ejus & responsis pusilli & magni, docti pariter & indocti loquerentur. *Inveni*, inquit, *quem diligit anima mea; tenebo illum, nec dimittam.* Tene ô dulcis Domina, tene quem diligis, rue in collum ejus, amplectere, osculare, & triduanam ejus absentiam multiplicatis deliciis recompensa. *Fili quid est, quod fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Iterum dico tibi, ô Domina mea, quid dolebas? Credo non famem, non sitim, non inediam timebas puero, quem Deum noveras: sed tantum subtractas tibi, vel ad modicum, ineffabiles præsentiæ ejus delicias querebaris. Tam enim dulcis est Dominus Jesus gustantibus eum; tam speciosus videntibus, tam suavis amplectentibus; ut brevis ejus absentia, maxima doloris materia sit.

Luc. 2

9. *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Jam hic cælestium mysteriorum, in quibus per triduum fuerat obversatus* incipit reserare secretum. Ut humilitatis & obedientiæ, simulque propriæ voluntatis deserendæ, seniorumque præceptis, etiam utilibus prætermissis, obtemperandi expressius & excellentius commendaret exemplum, cum his sublimibus, tam utilibus, tam denique necessariis prætermissis, seniorum se subdit voluntati, ut ait Evangelista: *Et descendit cum eis, & erat subditus illis.* Sed quid est quod ait Evangelista, scilicet quod *ipsi non intellexerunt verbum quod locutus fuerat?* Non hoc de Maria dictum arbitror, quæ ex quo Spiritus-sanctus supervenit in eam, & ei virtus Altissimi obumbravit, nullum Filii sui potuit nescire consilium; sed nescientibus sive non intelligentibus quod dixerit, Maria, ut sciens & intelligens, *conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Memoria conservabat, meditatione ruminabat, & hæc cum ceteris quæ de eo viderat & audierat, conferebat. Ita beatissima Virgo etiam tunc misericorditer providebat nobis, ne tam dulcia, tam salubria, tam necessaria verba, aliqua negligentia laberentur, & propter ea, nec scriberentur, nec prædicarentur; & sic sequaces hujus spiritalis mannæ deliciis fraudarentur. Omnia igitur hæc Virgo prudentissima fideliter conservavit, verecunde tacuit, opportune prodidit, & sanctis Apostolis & Discipulis prædicanda commisit.

* al. e[...] vatus.

Maria a[...] non in[...] xerit ve[...] Christi.

10. De his vero quæ sequuntur, *Jesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines*; multi multa dixerunt, & diversi diversa sentiunt; de quorum sententiis non est nostrum judicare. Alii animam Christi, ex quo creata est & assumpta in Deum, æqualem cum Deo sapientiam habuisse putarunt. Alii quasi creaturam Creatori adæquare timentes, sicut ætate, ita & sapientia profecisse dixerunt, evangelicæ innitentes auctoritati, quæ ait: *Jesus autem proficiebat ætate, sapientia, & gratia.* Nec mirum, inquiunt, si minor dicatur fuisse sapientia, cum mortalis atque passibilis, atque per hoc beatitudine minor tunc fuisse veracissime prædicetur. De horum sententiis judicet quisque ut volet. Mihi sufficit scire & credere, Dominum Jesum, ex quo cum Deo in unam est assumptus personam, perfectum fuisse Deum; ac per hoc perfectam sapientiam, perfectam justitiam, perfectam beatitudinem, perfectam insuper fuisse & esse virtutem: & quicquid de Deo secundum substantiam dici potest, de Christo potuisse dici, etiam cum

De pro[...] Christi [...] variorum [...] sententi[...]

in utero esset Matris, non ambigo. Nec ideo ante resurrectionem, aut mortalitatem ei, aut passibilitatem abrogamus; cum eum non phantastice, sed vere hominem esse confiteamur, & veram hominis habuisse naturam, in qua potuit proficere ætate. Utrum autem sapientia, ipsi viderint qui de hujusmodi contendere norunt.

11. Tu autem, Fili, non quæstiones quæris, sed devotionem: nec unde lingua acuatur, sed unde animus excitetur. Et propterea his quæ ad historiam pertinent interim prætermissis, ad spiritualem intelligentiam enucleandam, sicut ipse de quo loquimur inspirare dignabitur, transeamus. Dominus Deus noster, Deus unus est: non potest variari, non potest mutari, dicente David:
[…01. c] *Tu semper idem es, & anni tui non deficient.* Hic igitur Deus noster æternus, intemporalis, incommutabilis, in nostra factus est natura mutabilis, & temporalis; ut mutabilibus ad suam æternitatem & stabilitatem, viam faceret eam quam pro nobis assumpsit mutabilitatem; ut in uno eodemque Salvatore nostro, & via esset quâ ascenderemus, & vita ad quam veniremus, & veritas qua
[…14 a] frueremur, sicut ipse ait: *Ego sum via, veritas & vita.* Magnus itaque Dominus in sua natura persistens, parvulus natus est secundum carnem, per certa temporum spatia profecit, & crevit secundum carnem: ut nos mente parvuli, immo pæne nihili, spiritualiter nasceremur, & per spiritualium ætatum distinctiones cresceremus, & proficeremus. Ita ejus profectus corporalis, noster est profectus spiritualis; & ea, quæ ab eo in cunctis ætatibus acta describuntur, in nobis per singulos profectuum gradus spiritualiter agi à bene proficientibus sentiuntur. Sit igitur corporalis ejus nativitas spiritualis nostræ nativitatis, id est sanctæ conversionis exemplum: persecutio, quam passus est ab Herode, illius, quam in initio nostræ conversionis sustinemus à zabulo, tentationis indicium: educatio ejus in Nazareth, nostrum exprimat in virtute profectum. In primo prodigus filius fame tabescens, ad domum panis invitatur: ubi non similagineus, sed subcinericius invenitur, ut cinerem cum pane man-
[…1. b] ducet, potum suum cum fletu temperet. Est enim panis similagineus purus, mundus, sine cinere, sine fermento,
[…1. a] sine paleis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

[Margin: …Chri… …o nos… …instru…]

12. Sed ad hæc quis idoneus? Panis est Angelorum: quorum palatum ad gustum uvæ acerbæ non obstupuit: ideo plene, & perfecte gustant, & vident quoniam dulcis est Dominus. Sed ut panem Angelorum manducaret homo, susceptis paleis nostræ paupertatis, susceptis cineribus nostræ mortalitatis, suscepto fermento nostræ infirmitatis, panis Angelorum factus est homo, magnus factus est parvulus; dives pauperculus; ut tu magnus in oculis tuis, humilitate fias parvulus; dives cupiditate, facultatum abjectione fias pauperculus: nec ubi spiritualiter nasceris, locum habeas in diversorio, dum non tuæ voluntati, tuo sensui, tuæ scientiæ, tuæ industriæ, sed alieno judicio innixeris. Tunc cinerem cum pane manducabis, quando *cibabit te Dominus pane lacrymarum, & potum dabit in lacrymis in mensura.* Sic tu nasceris in Christo, sic in te nascitur Christus. Turbatur Herodes, scilicet diabolus, quod suum Christus invasit imperium: nec æquis aspicit oculis, suum domicilium in Christi hospitium commutatum. Vibrat gladium, tendit arcum, & in eo parat vasa mortis, ut sagittet in obscuro rectum corde. Inflammat carnem naturalibus incentivis, turbat mentem cogitationibus noxiis, & parvulorum cogitatus priori suavitate lactentes, multiformi tentatione confodit. Tunc videtur tibi Christus defuisse, donec Herode, non tuis viribus, sed gratia divinæ miserationis exstincto, cum ampliori tranquillitate redeat, tuumque in Nazareth præstoletur occursum. Post tentationem namque necesse est, ut ad virtutum studia, spiritualiaque exercitia mentis alacritate conscendas quasi ad Nazareth, id est, florem: quia sicut flos non quidem fructus est, sed ex eo fructus producitur; ita exercitia hæc, non quidem puræ virtutes sunt, quamvis ex eis veræ virtutes, Deo operante nascantur. Inde ascendendum est Jerosolymam, sed modo congruo, & tempore opportuno.

[Margin: …as… quid …exi…]

A 13. Cum enim factus esset Jesus annorum duodecim, ascendit Jerusalem. Plane secundum leges allegoricas, Christus de Nazareth ascendit Jerusalem: quando relicta Synagoga, Ecclesiæ gentium præsentiam suæ pietatis exhibuit. Merito tunc duodennis erat, quia qui legem non venerat solvere, sed adimplere, denarium legis binario auxerat evangelicæ perfectionis: verbum abbreviatum, sed consummans, & consummatum faciens super terram, & legem & Prophetas bipartito caritatis præcepto concludens.

[Margin: Allegorica explicatio Christi ascendentis Jerosolymam.]

14. *Remansit* itaque *puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus.* Est adhuc in Ecclesia Christus: & Judæi, parentes scilicet ejus secundum carnem, igno-
B rant. Est adhuc in Ægypto Joseph, & lingua Ægyptiaca non Judaïca dicitur Salvator mundi, & ipso frumenta sapientiæ suæ Ægyptiis, id est, gentibus dividente, fratres ejus inter Chananæos, immundos videlicet spiritus, verbi Dei fame tabescunt. *Existimantes*, inquit, *eum esse in comitatu.* Quid est hoc? Adhuc, ô Judæi, Christum in vestro comitatu præsumitis; cum jam secundum Jeremiam vestrum, reliquerit domum suam, dimiserit hereditatem suam: quoniam facta est hereditas ejus quasi spelunca leænæ? [Jer. 12 b] Quibus indiciis, quibus mysteriis, quibus sacramentis, in vestro est comitatu? Ubi templum, ubi juge sacrificium, ubi sacerdotium, ubi altare illud, quod solum vobis in sola Jerosolyma concessum est? Ubi
C ignis ille perpetuus quo exstincto omnia pariter holocaustomata perierunt, quæ non possunt alieno igne consumi? Ergo aut nihil horum habetis: aut si forte vos ea habere præsumitis, non secundum Dei præceptum habetis, ac proinde nec Christum habetis. In his enim omnibus secundum Prophetica mysteria Christum aliquando habebatis: sed apparente eo quem prænuntiabant, ipsa prænuntia sublata sunt, de quibus frustra post ejus adventum præsumebatis. O mira perversitas! O mira cæcitas! Hæc omnia non attendentes Judæi, adhuc eum esse in suo æstimant comitatu, & requirunt eum inter cognatos & notos. Quem quæritis, ô Judæi, quem quæritis? Jam *lapis abscissus de monte sine manibus*, universam [Dan. 2. c]
D implevit faciem terræ, & adhuc quæritis? Ecce ubique terrarum dispersi, ubique Christum offenditis, & adhuc quæritis? Ubique inter gentes in laudibus Christi vestrum *Amen* resonat, vestrum *Alleluia* cantatur, vestrum *Hosanna* resultat, & adhuc quæritis? [Psal. 18. a] *In sole posuit tabernaculum suum, nec est qui se abscondat à calore ejus*, & adhuc quæritis? Quæritis eum inter cognatos & notos. Quæritis eum apud Isaïam, sed sicut ipse ait, *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem non cognovit me: populus meus non intellexit*; [Isa. 1. a] ideo non invenitis. Quæritis eum apud sanctum David, sed & secundum ipsum, facta est mensa vestra coram vobis in laqueum: ideo non invenitis. *Obscurati sunt* enim *oculi* [Psal. 68 e]
E *vestri ne videant, & dorsa vestra incurvantur.* Quæritis eum apud Jeremiam, sed ipso teste, *Sacerdotes ignorant legem, nesciunt videntem*, [Jerem. 2. 7] ideo non invenitis. Quæritis apud Moïsen, sed usque hodie cum legeritis Moïsen, velamen positum est super cor vestrum: ideo non invenitis.

15. *Revertere* itaque *revertere Sunamitis*, revertere in Jerusalem, & invenies. Nuntiatur certe Jesu, quod Mater ejus, & fratres foris stent quærentes eum: numquid egreditur? vos potius ingredimini, & invenietis. *Et regredientes*, inquit, *invenerunt eum post triduum in templo.* Si fuerit numerus filiorum Israël sicut arena maris, reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ab Deum fortem. Quando? utique post triduum. O tempus desi-
F derabile, quando cognoscet Israël Deum suum, & pavebit ad David regem suum, quando utraque gens faciet sibi caput unum, & ascendent de terra? [Osee 3 b] Quando hoc erit, Jesu bone, quando respicies carnem tuam, domesticos sanguinis tui, cùm nemo carnem suam odio habeat? Frange Domine esurientibus panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Quamdiu miser Caïn vagus & profugus erit super terram tuam: quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem tuum, ô noster Abel, de manu ejus? Nonne adhuc reddidisti ei septuplum in sinum ejus, cum ubique major serviat minori; cum ubique

[Margin: In fine mundi Judæi convertentur; quasi post triduum.]

ſit jugum premens, & gladius terrens; nec ſit qui redimat, neque qui ſalvum faciat? Scio quia tandem convertentur, & famem patientur ut canes, ſed ad veſperam. Poſt triduum enim invenerunt eum in templo.

*Prima dies, Apoſtolorum prædicatio.*

16. Prima dies, qua ingreſſus noſtram Jeruſalem Dominus Jeſus, abſcondit ſe à matre ſua Synagoga, & fratribus ſuis Judæis, apoſtolica fuit in Gentibus prædicatio, ſicut ipſis Judæis Paulus loquitur: *Quia indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* (Act. 13 g) Tunc quippe tenebroſis gentilium cordibus lux cæleſtis infulſit, decuſſaque priſtinæ infidelitatis tetra caligine, ſplendor fidei mentibus perditorum radios ſuæ claritatis invexit. Sed hujus diei jucundiſſimum lumen nox diræ perſecutionis interpolat, quando ſævientibus in Chriſtianos mundi principibus, cruces, beſtiæ, equulei, ferreæque manus, ignitæ ſartagines, & ardentes laminæ, & mille tormentorum genera in eorum exitium præparantur: quæ omnia licet Chriſtianorum pars maxima fidei virtute viciſſet, non modica tamen multitudo tortoribus cedens, luctum miſerabilem Sanctis indixit. Secutus eſt hanc noctem dies, divinæ miſerationis luce clariſſimus, quando regibus mundi ad Chriſtum converſis, ſubvertuntur templa gentilium, & delubra dæmonum in Martyrum memorias conſecrantur, paulatim veritate mortalium pectoribus illabente, nox perfidiæ confuſa repellitur. Sed hunc iterum ſplendidiſſimum diem nebula hæreſiacæ pravitatis obtexit: donec labore Doctorum error productus in lucem, Chriſtianorum corda deſeruit; & in ea jam fides diu examinata, & multis probata rationibus, ſolem juſtitiæ periclitanti mundo revexit. Et ecce nunc adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies. O tempora periculoſa! Jam tertii diei lucem falſorum Chriſtianorum perdita vita recondit, & noctem ſuperabundanti iniquitate caligantem, ſeneſcenti jam mundo refundit. Superabundat enim iniquitas, & refrigeſcit caritas. Exſpectamus diem, qua prædicante Henoch & Elia, Jeſum inveniat mater ejus Synagoga, ingreſſa nimirum templum, id eſt Eccleſiam: in qua inter ſeniores & doctores medius reſidet mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, in parvulis audiens, in adoleſcentibus quærens, in ſenioribus docens.

*Nox perſecutio tyrannorum.*

*Secunda dies dilatatio Eccleſiæ.*

*Nox hæreſis.*

*Tertia dies fidei defenſio.*

17. Tunc vox lætitiæ & exſultationis in tabernaculis Jacob perſonabit, quando agnitus à fratribus verus Joſeph populo Judæorum in fine mundi, quaſi patri ſeneſcenti vivus nuntiabitur à dicentibus, *Joſeph filius tuus vivit, & ipſe dominatur in tota terra Ægypti.* (Gen. 45. g) Fili, inquit, *quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Quid feciſti, ô Joſeph? Mater moritur, pater perpetuo fletu conteritur, periclitantur fratres, tota inſuper domus paterna langueſcit; & tu tuorum negligens, Ægyptiis conſulis ad ſalutem? *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Eunt fratres in Ægyptum, & redeunt: cernunt te dominum terræ, nec recognoſcunt: & ſpecioſus ille vultus, quem Ægyptus tota miratur, domeſticis tantum tuæ carnis abſconditur. *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Reſpicis tuos quaſi alienos, imponis crimina, minaris ſupplicia, & quem clementiſſimum inveniunt alieni, tui te crudeliſſimum reperiunt. *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Prodigus ille filius tuus, qui dilapidavit omnem ſubſtantiam ſuam cum meretricibus; qui fornicatus in ligno & lapide, mutavit gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, atque ſerpentium; introductus in domum tuam, ecce jam tot annis vituli ſaginati carnibus paſtus, & ſanguine uvæ meraciſſimo debriatus, in noſtri David deliciis ſymphonia luſit, & choro; & nos quorum erat teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, & quorum patres ex quibus tu ſecundum carnem, quaſi alieni foras ſtetimus. *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Putamus novo miraculo templum reædificandum, reſtaurandum ſacerdotium, diſperſionem Iſraël in dilectam ſibi Jeroſolymam revocandum, & ſic Chriſtum inveniendum in finibus Judææ, quem nunc invenimus in campis ſilvæ.

*Judæorum querimonia de tam longo ſuo repudio, & Gentium prærogativa.*

*Luc. 15. Jerem. 3. c Rom. 1. c*

18. *Dolentes quærebamus te.* Doluimus antiqua ſublata miracula, oracula ſiluiſſe prophetica, Ducem de femore Jacob nullum, unctionem Regum & Pontificum nullam: & cum hæc omnia tuum teſtarentur adventum, non credidimus tamen te, nobis relictis, alienum dignaſſe hoſpitium: ideo *dolentes quærebamus te.* Non putabamus nobis promiſſum, nobis redditum, ob æmulæ gentis ſalutem reliquiſſe quos genuit, ſpreviſſe quos fovit: & his, quibus mare ceſſit, quos cælum pavit, quos potavit ſaxum, quibus aqua murus exſtitit, quibus murus pervius fuit, quibus paruit ſol, quibus luna ſubſtitit, immundas idololatria Gentes prætuliſſe. Ideo dolentes quærebamus te. Et aliquando quidem multis indiciis tuus nobis probabatur adventus, ſed ob Gentium vocationem, & noſtram repulſionem rurſus deſperabatur. Ideo *dolentes quærebamus te.* Et ille: *Quid eſt*, inquit, *quod me quærebatis? neſciebatis quia in iis quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? O ſtulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ! nonne ita oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, & prædicari in nomine ejus pænitentiam per omnes gentes?* (Luc. 24. d) Siccine non audiſtis per os David vocem Patris ad Filium: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ?* (Pſal. 2. c) Quid eſt quod me quærebatis, & non ſtatim inter gentes inveniebatis? Nonne Abrahæ dictum eſt, *In ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ?* (Gen. 22) *Neſciebatis quia in iis, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Audite Patrem per Iſaïam loquentem mihi: *Parum mihi eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob, & faces Iſraël convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad fines terræ.* (Iſa. 49.) Nonne ego ſum apud Patriarcham Jacob *exſpectatio Gentium*, (Gen 49) & apud * Malachiam, *Deſideratus earum*, & ſicut idem ait, *A ſolis ortu uſque ad occaſum, magnum nomen meum in gentibus?* Tumuiſtis muneribus meis, invidiſtis viſceribus meis; & quia nequam oculus ſaluti pœnitentis invidit, livore cæcatus propriæ ſalutis auctorem videre non potuit. Ideo naturalibus ramis non peperci, ſed illis à radice naturalis olivæ deciſis, ramos alienos inſerui. Sed nunc exſurgens miſerebor Sion, quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus. (Pſal. 10[illegible]) Revoco quos abjeceram; recolligo quos diſperſeram; ſuſcipio quos repuleram, *& ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* (Matt. 28) Hæc interim allegorice dicta ſufficiunt.

** Lapſus moriæ, [illegible] error ſcri[illegible] nam eſt Aggæi 2. 8. Mala.*

19. Nunc redeundum eſt mihi ad te, Fili cariſſime, cui animus eſt conformari Chriſto, & veſtigiis Jeſu arctius inhærere, ſi forte ſufficiam de Evangelica lectione tuum tibi explicare profectum, ut hoc ipſum in his legas ſchedulis, quod in temetipſo abintus ſuavius experiris. Credo enim te tranſiſſe ad Nazarenas de Bethleemitica paupertate divitias; & jam duodennem effectum, de floribus Nazarenis ad fructus Jeroſolymiticos aſcendiſſe; ubi non tam in codicibus, quam in propriis moribus hæc myſtica valeas lectitare. Sicut enim Bethleem, ubi Chriſtus parvulus & pauper naſcitur, bonæ vitæ eſt inchoatio: ſicut Nazareth ubi nutritur, virtutum eſt exercitatio: ita Jeruſalem, ad quam Dominus duodennis aſcendit, cæleſtium ſecretorum eſt contemplatio. In Bethleem anima pauperaſcit; in Nazareth diteſcit; in Jeruſalem affluit deliciis. Pauperaſcit quippe perfecta mundi abrenuntiatione; diteſcit virtutum perfectione; & deliciis affluit ſpiritualium ſaporum dulcedine. Aſcendendum quippe eſt à convalle plorationis, inter aſpera tentationis, per plana exercitii ſpiritualis ad alta luminoſæ contemplationis. In Bethleem novæ converſationis dedicatur infantia, quæ rationis impotens neminem lædit, neminem fallit, libera cupiditatis, ſuæ voluntatis inſcia, neminem judicat, nulli detrahit, nihil cupit, nec de præſentibus anxia, nec de futuris ſollicita, alieno tantum ſuſtentatur judicio. Hanc nobis infantiam Vas electionis commendans, *Si quis*, ait, *inter vos ſapiens voluerit fieri, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.* (1. Cor. [illegible]) Et Dominus in Evangelio: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* (Matt. [illegible])

*Tropolo[illegible] myſteric[illegible] explicat[illegible]*

*Duode[illegible] anni æ[illegible] Chriſti[illegible] liter ex[illegible]*

20. Hæc itaque quælibet anima initiata infantia, poſt Herodianas perſecutiones, ſi cœperint in ea quaſi in agro

fertilissimo virtutum flores uberius pullulare, non immerito *Nazareth*, quæ *flos* interpretatur, quasi septennis inhabitans duodecimum annum feliciter exspectabit. Primo quidem necesse est ut ager cordis nostri peccatorum nostrorum recordatione, & infirmitatis nostræ consideratione quasi stercoretur; deinde tentationum vomere multipliciter fatigetur; ut sic virtutum semina flores pariant spiritualium exercitiorum. Ergo illum, à quo jam *spiritus timoris* vitia antiqua & inolitas cupiditates resecaverit; unius anni puerum existimato. Si deinde mitem eum, & obedientem *spiritus pietatis* effecerit; biennem spiritualiter judicato. Jam *si spiritus scientiæ* suæ infirmitatis cognitionem, & auxilii divini desiderium infuderit; tertium annum non dubites accessisse. Quem si contra omnes tentationes, & carnales delectationes, quæ militant adversus animam, *spiritus fortitudinis* immobilem reddiderit ac robustum; annorum quatuor puerum admirare. Accedat *spiritus consilii*, & virtute eum discretionis quinquennem efficiet. Cui *si spiritus intelligentiæ* meditationem sacræ legis indulserit; ad sexti anni ætatem felici progressu pervenit. Septimum annum *spiritus sapientiæ* advehit, quæ de legis divinæ meditatione procedit, quatuor virtutes quasi quatuor annorum lucem animæ invehens proficienti: quibus *nihil est in vita utilius hominibus*: sicut de ipsa Sapientia scriptum est: *Sobrietatem docet, & prudentiam & justitiam & virtutem, quibus nihil utilius.* Hæ sunt præcedentium virtutum moderatrices, sine quibus ceteræ nec honeste haberi, nec perseveranter possunt servari. Agit enim *Sobrietas*, quæ alio nomine Temperantia dicitur, ne sit ipsarum virtutum immoderata progressio. *Prudentia*, ne sit earum indiscreta confusio. *Justitia*, ne sit virtutum usus inordinatus. *Virtus* quæ & *fortitudo* dicitur, ut perseveranter earum teneatur affectus. Sequitur annus duodecimus, lux videlicet contemplationis, quæ ad ipsam cælestem Jerusalem animam sublevat æstuantem, quæ cælum reserat, quæ portas paradisi aperit, quæ sponsum ipsum, sponsum speciosum forma præ filiis hominum, quasi per cancellos prospicientem, puræ mentis oculis exhibet contemplandum, ut vocem illam suavissimam mereatur audire: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Immaculata enim sordibus peccatorum vel passionum, evolans à retibus occupationum, abolita memoria præteritorum, evanescentibus imaginibus exteriorum, decoram cordis sui faciem ad cernendum quem diligit, summa aviditate sustollit. Et ideo audire meretur: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te. Favus distillans labia tua. Hiems*, inquit, *transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Hi sunt flores odoriferi, nimirum, licet adhuc in quadam novitate, virtutes, quæ post hiemem persecutionum, & imbres tentationum, in agro pectoris bene proficientis feliciter oriuntur: quarum Christus decore simul & odore delectatus, ab inferioribus eam ad superiora invitans, *Hiems*, inquit, *transiit, imber abiit & recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* Et quoniam pro gemitu compunctionis aperitur vita contemplationis, adjecit in sequentibus: *Vox turturis audita est in terra nostra.*

21. Recole fili, quid soleas in angulis susurrare, cum scilicet ad instar turturis, quæ avis castissima est, solivaga & gemebunda, latebras quæris, & licet inter multos constitutus, solitudinem tibi ædificas quotidianam; quomodo gemis, quomodo æstuas, quomodo quæris quem diligit anima tua, & amoris vim patiens jam optas videre quem amas: quomodo nunc blandiris, nunc ad majoris desiderii incentivum suaviter indignaris. Nunc moras accusas, nunc te causaris contemptum: nunc te visitatione confiteris indignum; & iterum de ejus toties experta bonitate præsumis. Nunc quasi ulterius non sustinens, spirituali quodam litigio, vel luctamine evincere retardantem conaris. Quæ tunc lacrymæ? Qui gemitus? Quæ suspiria? Quæ voces? Nunc oculi fletu graves, cum intimis singultibus eriguntur ad cælum: nunc manus expanduntur & brachia: nunc pectoris tunsione animæ tarditas accusatur. Proferuntur interim verba sine principio, sine fine, quorum nec sententiæ cohærent sibi, nec rationes similes sunt; nec alicujus linguæ sensus, vel idioma servatur, quando vox aliquando respondet affectui, & iterum vocem affectus intercipit. Gaudet certe pius ille Jesus tali certamine superari, & talis animæ tali instantia delectatus, ad circumstantes Angelos gloriatur: *Vox turturis audita est in terra nostra.* In terra enim viventium talis vox animæ æstuantis auditur, & tanti desiderii odor suavissimus universam demulcet civitatem Dei. Sic tibi in angulo domatis quasi Eliæ in spelunca, primo transit spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras: sed non *in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio; sed non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis, sed non in igne Dominus.* Et, *Post ignem sibilus auræ tenuis, & ibi Dominus.* Hi sunt quidem gradus, per quos in oratione mens compuncta conscendit, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi generis pulveris pigmentarii. 3. Reg 19 b

22. Sed hæc tibi ipsi non tam investiganda, quàm in ipsa tua oratione animadvertenda committo. Diligenter ergo attendas, cum qua primum difficultate nonnumquam ingrederis cubiculum pectoris tui, ut invenias tibi speluncam, in qua quodammodo sepeliaris in omnibus quæ mundi sunt; & ores Patrem tuum in abscondito. Videtur aliquando cor in modum silicis duruisse. Videtur quasi mons aliquis interjacens interiorem aspectum ab omnibus spiritualibus exclusisse, donec spiritus grandis pertransiens subvertat montes, & conterat petras ante Dominum. Quem nimirum spiritum sequitur commotio, quando mens quadam compunctione resolvitur, & profluentibus lacrymis quicquid in se sordidum sentit, adversum se commota interiori contritione detergit. Unde orta spe igne ineffabilis desiderii exardescit, & spirituale quoddam certamen init cum Deo, donec sibilus auræ tenuis illapsus præcordiis leni tactu perstringit affectum, cunctisque cogitationibus, cunctis motibus, cunctis distensionibus, cunctis verbis imponens silentium, usque ad ipsas portas Jerusalem cælestis animum sublevat contemplantem. Tunc ille diu quæsitus, toties rogatus, tam ardenter desideratus, speciosus formâ præ filiis hominum, quasi per cancellos prospiciens invitat ad oscula, *Surge*, inquiens, *propera amica & veni.* Tunc ingrediens Jerusalem transit in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exsultationis & confessionis. Tunc amplexus, tunc oscula; tunc canit; *Inveni quem diligit anima mea; tenui illum nec dimittam.* Tunc in Jerusalem affluit deliciis, & fruitur bonis, & diem festum cum exsultatione colit. Cant. 2 c / Cant. 3 b

23. Obsecro itaque fili carissime, memento mei cum bene tibi fuerit, ut suggeras dilecto tuo, Regi tuo, qui est in sancto, ut educat me de isto carcere, de his tenebris, de his vinculis, ut tandem aliquando respirem in prioris gaudii libertatem. Sentiam & ego quàm magna multitudo dulcedinis illius quam abscondit timentibus se. Sed heu, heu, rara hora, & parva mora! felix, qui triduo in his poterit commorari deliciis. In his tribus diebus triplicem contemplationis lucem non inconvenienter intelligo, quoniam quicquid de Deo poterit mens illuminata sentire, aut ad potentiam ejus, aut ad sapientiam, aut ad bonitatem credimus pertinere. Cernitur itaque Dominus Jesus aliquando fortis & potens in prœlio, ut scias te, si dilexeris eum, contra mundum, contra diabolum, contra omnem principatum & potestatem, ejus dextera protegendum; cui resistere nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem, qui si tenuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subvertent terram. Contemplatio triplex.

24. Si igitur spiritus potestatem habens ascenderit super te, si stimulos acediæ exagitaverit, si aculeos diversarum passionum accenderit, si adversum te commoverit mundum, si inflammaverit persecutiones, si times, si trepidas, per singula momenta vinci formidas, & ita ad Jesum tuum anxius curris, ploras, exponis pericula, opem flagitas; adhæret tibi quem diligis, in specie potentissimi regis, & secundum orationem sancti David apprehendet arma & scutum, & exsurget in adjutorium tibi: audiesque, *Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum.* At Psal 34. a / Jer. 1 b

si secretorum cognitionem, vel quæstionis alicujus solutionem tibi desideras revelari; si mundanæ confusionis causas & rationes anxius admiraris; si moventur pedes tui, quia pacem peccatorum vides, qui in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur; quæris diversorium ubi cum Jesu solus cum solo fabuleris, clamas cum Jeremia: *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum. Verumtamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur?* Sic itaque quærenti aderit ille magister, qui solus docet hominem scientiam, qui revelat oculos nostros, ut consideremus mirabilia de lege ejus, qui habet clavem sapientiæ, & aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Aderit autem in specie doctoris suavissimi, in cujus dextera ignea lex, ut te & legis cognitione illuminet, & caritate quæ ex legis meditatione procedit, inflammet. Porro in sinistra ejus virga æquitatis, virga regni sui, ut & quærentis præsumptionem arguat, & curiositatem compescat. Postremo si hæc omnia etsi magna, etsi splendida, etsi sublimia, unius tamen osculi desiderio ac suavissimorum labiorum illius, uno tantum tactu fastidias, incipiasque querulis vocibus clamare cum Propheta, *Quæsivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram*; & illud, *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te*; veniet certe tibi in odorem unguentorum & aromatum, sicque cæleste & divinum quoddam tuæ menti imprimens osculum, omnia viscera tua ineffabili jucunditate perfundet, ut clamare delectet: *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Cum legem & Prophetas legis, animadverte diligenter, & invenies has ipsas apparitiones & contemplationes multoties in figuris & ænigmatibus quibusdam designatas.

*Jer. 12. a* — *Psal. 26.* — *Cant. 8. a* — *Psal. 44. a*

Potentia, sapientia & bonitas Dei in creatione.

25. Sunt enim multa genera contemplationum ac spiritualium visionum, quæ tamen omnia, ut credo, vel ad Dei potentiam, vel sapientiam, vel benignitatem pertinere noscuntur. Nam si cogitetur Deus rerum omnium causa, quorumdam ut sint, quorumdam autem ut rationales, ac per hoc sapientiæ capaces sint, multorumque ut bene sint: primum illud potentiæ, alterum sapientiæ, ultimum adscribitur bonitati. Potentiæ quippe est, quod sine ipso nulla creatura subsistit. Sapientiæ, quod sine ipso nulla doctrina instruit. Bonitatis, quod sine ipso nullius rei usus expedit. Apud ipsum secura sunt omnia, cum nihil sit, quo ejus turbari possit potentia. In ipso certa sunt omnia, cujus non potest falli sapientia. Ex ipso recta sunt omnia, cujus naturam nulla potest depravare malitia. Ergo in rerum creatione contemplamur ejus potentiam; in forma sapientiam; bonitatem in usu.

Item in Redemptione.

Sane si in his quæ in carne gessit, eum contemplari malueris; hunc ipsum triduanæ lucis splendorem facile intueberis. Si jacentem in præsepio; si in brachiis vagientem; si pendentem ad ubera; si inter ulnas Simeonis parvulum oculis illuminatæ mentis aspexeris: bonitatis ejus opera admirare. Si vultum illum igneum, flagellum quoque de resticulis, vocemque terribilem, quibus vendentes & ementes in templo terruit, quibus evertit cathedras nummulariorum, & æs effudit, quibus insuper columbarum venditores ejecit, considerare delectat; tantæ virtutis potentiam expavesce. At si jucundum ducis insidias Scribarum & Pharisæorum toties deprehensas, callidas eorum objectiones responsionum illius prudentia confutatas, oculata mente perspicere; sapientiæ ejus lucem clarius emicare persenties. Ita quoque potentiæ fuit quod fugavit dæmones, quod turbas pavit, quod calcavit maria, quod Lazarum vocavit de monumento: & tamen non minoris sapientiæ fuit, quod ut principes hujus mundi fallerentur, inter hæc divina miracula à diabolo se tentari permisit: quod velut egens esuriit, quod in navi dormivit, quod crucem moriturus ascendit.

*Luc. 19 g*

BonitasChristi ab exemplo Peccatricis eleganter declarata.

26. Verum quia in bonitatis illius meditatione libentius immoraris, ingredere quæso domum Simonis Pharisæi: intuere attentius quàm pio, quàm suavi, quàm jucundo, quàm clementi vultu humi prostratam respicit peccatricem, quàm compatienter sanctissimos illos pedes pœnitentis lacrymis præbeat irrigandos, & capillis, quos sibi hactenus superbia & lascivia vindicaverat, detergendos, labiisque tot scelerum fœditate pollutis dulciter osculandos. Osculare, osculare, ô beata peccatrix, pedes dulcissimos, suavissimos, speciosissimos, quibus caput serpentis conteritur, ante quos antiquus hostis egreditur, quibus calcantur vitia, quibus omnis mundi hujus sternitur gloria, quibus superborum & sublimium colla mira virtute premuntur. Osculare, inquam, & felicibus labiis adlambe vestigia, quæ nullus post te peccator exhorreat, nullus quantumlibet criminosus refugiat, nullus expavescat indignus. Osculare, complectere, stringe & Angelis & hominibus adoranda vestigia, perfunde pœnitentiæ & confessionis unguento, ut tota domus impleatur odore unguenti. Væ, væ tibi, ô Pharisæe, cui est odor iste odor mortis in mortem; qui times alienis maculari peccatis, cum te tumor proprius deterius fœdiusque commaculet. Nescis quàm suave redoleat misericordiæ confessa miseræ peccatricis hujus miseria: quàm dulce sapiat pietati confessio peccati: quàm gratum sit illi sacrificium, cordis contritio: quàm cito consumat peccatum ardens dilectio. Denique *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. *Luc. 7. g*

27. Gratias tibi, ô beatissima peccatrix; ostendisti mundo tutum satis peccatoribus locum; pedes scilicet Jesu, qui neminem spernunt, neminem rejiciunt, neminem repellunt, suscipiunt omnes, omnes admittunt. Ibi certe Æthiopissa mutat pellem suam: ibi pardus mutat varietatem suam; ubi solus Pharisæus non exspumat superbiam suam. Quid agis, ô anima mea, ô misera mea, ô peccatrix mea! Habes certe ubi tuas lacrymas libes, ubi fœda oscula tua sacris osculis purges: ubi totum tuæ affectionis unguentum secure sine aliquo tactu vel motu vitii tentantis effundas. Quid dissimulas? Erumpite, ô dulces lacrymæ; erumpite: cursum vestrum nullus impediat. Rigate sacratissimas plantas Domini mei, Salvatoris mei, susceptoris mei. Non curo, si quis Pharisæus submurmuret; si me à suis sedibus arcendum censeat; si fimbriæ suæ tactu indignum judicet; subsannet, irrideat, avertat oculos, contineat aures: nihilominus tuis inhærebo vestigiis, bone Jesu; meis stringam manibus; premam labiis, nec à lacrymis cessabo, vel osculis, donec audiam: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* *Luc. 7. g*

28. Est ergo *dies prima*, qua anima Deum sitiens in speculativis amœnitatibus quasi in Jerusalem commoratur, divinæ potentiæ contemplatio. *Secunda* sapientiæ illius admiratio. *Tertia* bonitatis & dulcedinis suavis prælibatio. Ad primam pertinet justitia: ad secundam scientia: ad tertiam vero misericordia. Justitia terret, scientia docet, misericordia fovet. *Introibo*, inquit Propheta, *in potentias Domini, Domine memorabor justitiæ tuæ solius.* *Psal. 70.* Ecce justitia. *Incerta*, ait, *& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Ecce scientia. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas.* *Psal. 62.* Ecce misericordia. Et in prima die timor, qui ex justitiæ consideratione procedit, animam purgat: in secunda purgatam sapientia illuminat: in tertia illuminatam bonitas dulcedinis suæ infusione remunerat. Cernis (ni fallor) quàm necessarium sit & utile, inter bonorum operum exercitia, per triduum hoc Jerosolymiticas frequentare delicias, in quibus timor administrat panem doloris, scientia vinum exsultationis, bonitas lac consolationis. Scio te non mirari quod delicias dixerim, quibus dolorem non deesse commemoravi, cum sæpius expertus sis, quod dolorem illum qui de casto timore procedit, omnibus hujus mundi deliciis mens compuncta proponat. Et hæc dicta pro modulo experientiæ nostræ. Ceterum viri excellentioris meriti, & capacioris ingenii, animæque purgatioris, in tribus his subtiliora ac profundiora rimantur. In potentia scilicet Dei, profunda judicia: in sapientia, ejus secreta consilia: in bonitate, misericordiæ ejus dona ineffabilia. Denique Paulus ingressus in potentias Domini, & abyssum judiciorum ejus expavescens; *O homo*, inquit, *tu quis es ut respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit, cur me fecisti sic?* *Rom. 9. d* Sed & thesauros sapientiæ ejus admirans exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles* *Ibid.*

*viæ ejus!* Divitias quoque bonitatis ejus commemorans; *An divitias*, inquit, *bonitatis ejus contemnis?*

2. a

29. Post triduum igitur invenerunt eum in templo, haud dubium quin Maria & Joseph: altera Mater, alter Nutritius. Invenitur itaque spiritualis spiritualium contemplator, non in quolibet loco, sed in templo. Habet enim Jerusalem atrium, habet portas, habet & templum. Et atrium quidem aliquando patet etiam inimicis; portæ autem patefiunt solis amicis: ingressus vero templi non indulgetur nisi perfectis. Igitur qui in temporalibus æterna, in terrenis cælestia, in humanis divina, id est, in creaturis Creatorem valet inspicere, quasi in atria cælestis Jerusalem introductus exsultet. Hucusque Philosophi, quasi inimici, in atria intelligentiæ suæ vim poterant extendere, sicut dicit Apostolus: *Quod enim notum est Dei, manifestum est in illis. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus & divinitas.* Qui vero in scripturis sanctis ablato velamine, revelata facie gloriam Dei poterit contemplari, de ingressu portarum Jerusalem gloriętur. At si pinguedinem intimæ dilectionis, & tuæ adipem affectionis, in cordis ara cælestis desiderii flamma succenderit, & ascenderit fumus aromatum de fragrantia orationis, sicque oculus mentis in ipsa cæli secreta radium porrexerit, & cordis quoque palato illius divinæ dilectionis felix tactus sapuerit; cum holocausto gratissimo templum Jerusalem frequentasti.

30. Sed anima sancta in his deliciis commorante dolet mater & nutritius, conqueruntur, & quærunt; inventum tandem Jesum, & levi increpatione castigatum reducunt ad Nazareth. Hæc maxime viris spiritualibus congruunt, quibus dispensatio verbi Dei, vel animarum cura commissa est. Porro nutritium nostrum nihil libentius dixerim, quàm Spiritum-sanctum: matrem vero nil rectius quàm caritatem. Hi nos fovent & promovent, pascunt & nutriunt, & geminæ affectionis, Dei videlicet & proximi, lacte reficiunt. Hi nos in studiis sanctis, quasi in Nazareth, tenent & sustinent: hi nos consolantur in tristibus: hi in dubiis consulunt; hi fessos roborant, hi sanant contritos corde, & alligant contritiones eorum. D Horum auxilio de Nazareth transimus in Jerusalem, de labore ad requiem, de fructu bonæ actionis ad secreta contemplationis. Hi nobis æterna lege præscribunt, ut pro cura proximi non negligamus ex toto contemplationem Dei: nec rursus pro deliciis contemplationis curam proximi omittamus. Unde non immerito si quieti plusquam oportet indulgeamus, quasi de nobis caritas fraterna conqueritur, nec gratam habet nostram in Jerusalem commorationem, si aliis, quos nostra sollicitudine prospicit, senserit imminere ex nostra * quiete perniciem. Plerumque enim nobis vel secretis meditationibus, vel privatis orationibus postposita omni actione intentis, si, plusquam subditis expedit, immoremur in mediis deliciis, spiritu nimirum operante, & caritate suggerente; subito venit in mentem memoria infirmorum, ut illum cogitemus contristatum exspectare à paternis visceribus consolationem; alterum tentatum explorare, quando procedens in publicum pater aliquod ei afferat suo sermone solamen; illum ire stimulis agitatum, quando non habeat ubi conceptum virus confessione salubri evaporet, adversus patrem submurmurare; alterum acediæ spiritu victum, ut inveniat cui loquatur, quem consulat, huc illucque discurrere. Tali itaque suggestu progressi ex paternis cordibus, quasi increpantem audimus matrem caritatem: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Nec injuria dicimus Spiritum-sanctum, vel caritatem in sanctis, etsi adhuc minus perfectis, aut dolere aut conqueri; cum ipse Spiritus gemitibus inenarrabilibus interpellet pro nobis, qui & loqui, & contristari, & cetera talia agere in Sanctis consuevit.

31. Quod si contra hujusmodi necessitates, amator quietis in ipsis animæ affectibus murmuret dicens: *Nonne in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* nihilominus considerans spiritus rationalis, quod ideo Christus mortuus est, ut qui vivit, non sibi vivat; descendit cum eis, & est subditus illis. Secure descendit cum tali nutricio, A & cum tali matre descendit. Feliciter descendit, qui Spiritu Dei actus caritative inferioribus condescendit. Descendam libens his ducibus etiam in Ægyptum, tantum si ducant, reducant; si cogunt descendere, & reascendere faciant. Libenter subdat talibus magistris; libens supponam humeros oneri quod imposuerint; libens suscipiam jugum, cui me subdiderint, sciens quia jugum eorum suave est, & onus eorum leve. Sed & tibi, fili mi, (licet à talibus curis liberum adhuc sub alis suis Christus abscondat, quod Prælatis incumbit facere, ne subditi periclitentur:) hoc ipsum expedit providere, ne socii scandalizentur. Illi necessitates quandoque præponunt contemplationis deliciis, tu eas non præponas unitati & B paci congregationis. Præcipue hæc ipsa spiritualium vicissitudinum tempora, quando videlicet vel descendas ad Nazareth, vel ascendas in Jerusalem; numquam solus, id est, propriæ voluntatis arbitrio, sed semper seniorum distingue consilio.

32. Ecce habes, fili carissime, quod petiisti, licet tuo desiderio, tuo affectui, tuæque exspectationi nihil dignum, voluntatis tamen meæ, aut qualiscumque conatus aliquod (ni fallor) indicium. Scias igitur, quod non tam evangelicam lectionem exponere, quàm ex ea aliqua meditationum semina, sicut rogasti, elicere curavimus: & legentibus incitamenta devotionum ex hujus serie lectionis evangelicæ composuimus, ipsius adjuvante C gratia, de cujus loquimur infantia, qui plenus est virtute & gratia & sapientia, Jesus-Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO

## IN DOMINICA PALMARUM.

*Hunc sermonem, ex abbatia Marchianensi erutum, Gulielmus Estius censuit tam stilo & conditione, quàm pietate* BERNARDUM *referre: quamvis (ne quid de stilo dicamus) in serie sermonum de Tempore in mss. omnibus desideretur.*

1. Redemptor noster, fratres carissimi, Dominus noster Jesus, quem Pater ad salutarem victimam misit in mundum, cum tempus instaret quando moreretur, præsentem (ut scitis) exhibere se voluit in loco ubi moreretur. Sicut autem venit ut moreretur, sic prævidit ubi, & quando, & quo mortis genere moreretur, præscriptum coram se habens ab æterno mortis suæ genus, locum & tempus. Hæc autem tria erant, Jerosolyma, Pascha, & Crux. Nam si de loco quæris, in Jerosolyma mortuus est: si de genere, morte crucis: si vero de tempore, instante tempore paschalis sollemnitatis. Ut autem vos satis legendo & audiendo didicistis; iniqui eum E Judæi, aliquando & aliter, & alibi, & antea perimere voluerunt. Nam quando eum duxerunt ut præcipitarent, ubi & transiens per medium illorum ibat, nec ad Jerusalem venerunt, nec Pascha exspectaverunt, nec crucem quæsierunt, sed in perimendo eum nequaquam vel modum, vel locum mutare, nequaquam tempus præoccupare seu differre valuerunt. Venit itaque hodierna die Jerosolymam, ante quinque videlicet dies Paschæ, illo se insinuans agno præfigurato, qui decima quarta die mensis verni ad vesperam immolandus, decima quidem ejusdem mensis die tolli, & usque ad prædictum terminum jubebatur servari. *Exod. 12.*

2. De hoc autem adventu ejus ad Jerusalem multi ante F nos multa dixerunt: quæ quia nos vera atque catholica esse cognoscimus, dignum est ut nostro ea silentio approbemus. Et communis quidem sensus est, quod ejus in Jerusalem ingressus, ipsius est ad Ecclesiam adventus: duo Discipuli asinam solventes & pullum, atque ad Jesum ducentes, duo sunt prædicatorum ordines, quorum unus in circumcisionem, alter in præputium est missus, utrumque populum & peccatorum funibus absolventes, & ad agnitionem veræ fidei perducentes. Vestimenta jumento imposita, sacramenta sunt fidei populo Christiano commissa, super quod sedet Jesus, quia per fidem in

Christi in Jerusalem ingressus mystica expositio.

cordibus eorum habitat Christus. *Plurima autem turba, quæ sternebat vestimenta sua in via*, multitudo est Martyrum sanctorum, corpora sua ad imitationem Christi opponentium ad supplicia. *Ramos de arboribus cædentes*, Doctores sunt, catholicas ex libris sanctis sententias extrahentes. *Qui præibant & qui sequebantur, clamabant Hosanna*: quia unam eamdem confitentur fidem Christianam, & populus Judaïcus in eadem fide præcedens, & gentilis subsequens. Et quidem sensus hic per omnia approbandus est: quia sanus, & plene catholicus est. Verum nos istum approbantes, alium, non autem alienum in hoc sancto Evangelio perquiramus, & sensus in eo moralis medullam perscrutantes, ad ædificationem morum ministerium linguæ nostræ convertamus.

Alia expositio mystica seu tropologica.

3. Ego puto quod quotidie Dominus appropinquat Jerusalem veniens Bethphage, & Bethaniæ ad montem Oliveti, mittens in castellum quod contra eos est duos discipulos, qui ad eum perducant super quod sedeat jumentum, sed spiritualiter. Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, & si cognovimus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus. (2. Cor. 5. d) Proinde quærendus est adventus ejus ad Jerusalem spiritualis, & quod hodierna die appropinquante tempore sacrosanctæ passionis suæ fecit in adventu suo in Jerusalem, qualiter id adhuc quotidie actitare dignatur in nobis. *Appropinquavit*, ut ait Evangelista, *Jerosolymis*. Ipsius appropinquare in Jerosolymam, ejus est appropinquare ad animam. Non solum autem, sed & suum appropinquare ad nos, nostrum est appropinquare ad ipsum. Nam cum longe ab eo peccando simus, quando ei bene vivendo appropinquaverimus, nisi primitus ipse appropinquaret nobis? Sicut enim dicit Johannes, quod hæc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos: (1. Johan. 4.) sic & nos dicere possumus & debemus, quod hæc est gratia, non qua nos appropinquavimus Deo, sed quoniam ipse prior appropinquavit ad nos. Appropinquans itaque Jerusalem *venit Bethphage, & Bethaniæ ad montem Oliveti*: innuens nobis, ut arbitror, in hoc sancto itinere suo non posse nos ad veram pertingere pacem, nisi simus & per confessionem pure nos detegentes, & in præceptis prompte & humiliter obedientes, & aliorum necessitatibus per misericordiam pie compatientes.

Viæ tres ad pacem.

4. Nam, ut scitis, Jerusalem visio pacis dicitur. Ad quam tunc recta & regia via pergimus, si per *confessionis* puritatem, per *obedientiæ* humilitatem, & per *misericordiæ* sublimitatem incedimus. Ecce tres virtutes eximiæ, quarum primam impendere nobis debemus, secundam Prælatis, tertiam vero proximis nostris. Nam *confessionem* debes tibi ipsi, ut qui peccando te inquinasti, per confessionem te mundes. *Secundam* Prælato tuo, ut obedias & subjaceas ei, qui pervigilat quasi rationem reddituros pro anima tua. (Heb. 13.) *Tertiam* vero proximis tuis, ut eorum necessitatibus juxta vires occurras, sed prodesse etiam supra vires exoptes. *Primam* designat Bethphage, quæ domum buccæ sonat. *Secundam* Bethania, quæ domus obedientiæ dicitur. *Tertiam* quoque mons Oliveti, quia oleum in scripturis, ut scitis, misericordiam exprimere solet. Fratres, unde bella & lites in nobis? Nonne ex imperfectione propria, qui reddere nolumus, quæ debemus nobis ipsis, quod Prælatis, quod consortibus nostris? Nam si vellemus ire à Bethphage ad Jerusalem, intra nos pervenire possemus: quia numquam plenam habere pacem poterimus, quamdiu occultantes intra nos reatum nostrum, per puram & humilem confessionem non detegimus. Numquid inexpertis loquor? Semper pæne & ubique remordet conscientia, occultum jugiter vulnus mentis oculis subjiciens, eamque super ipsius latebris anxie & dure reprehendens. O vermis, qui quamdiu vivit, numquam interiora cordis comedere & depascere omittit, qui numquam vivere, & per hoc numquam rodere desinit, nisi eum mucrone puritatis suæ humilis confessio jugulaverit!

Confessio sanat occulta conscientiæ vulnera.

Obediendum Prælatis.

5. Si autem vellemus ire ad Bethaniam, pertingere possemus ad Jerusalem, & in Prælatis nostris: quia tunc ab eis perniciose discordamus, cum eorum quæ secundum Deum sunt præceptis superbe contraimus. Quod si montem Oliveti conscenderemus, proculdubio tunc cito ad Jerusalem veniremus. Prope enim est mons Oliveti Jerusalem, quia & obsequium parit amicos, & construeremus eam in sociis nostris: quia tunc plena pace perfruimur, cum pie pro invicem solliciti, mutuis necessitatibus misericorditer condescendendo, & diligenter pro posse subveniendo compatimur. Videtis ergo non esse ab re, quod iturus Dominus Jerusalem, per Bethphage & per Bethaniam atque per montem Oliveti voluit transire: intimans nobis pacis nobis esse occasionem & causam, & erga nos quidem confessionis puritatem, & erga Prælatos nostros obedientiæ alacritatem, & erga contubernales nostros misericordiæ compassionem.

Castellum anima peccatrix.

6. *Mittit duos discipulos, ut eant in castellum quod contra eos est.* Castellum quod contra Discipulos Christi est, anima est peccatrix, quæ per obstinationem & elationem internis & spiritualibus Redemptoris nostri virtutibus contraria est. Talis anima turrim elationis, & murum habet obstinationis, per terram pertinaciæ clausa, & per eminentiam superbiæ erecta. Hanc turrim facere aggressi sunt quondam illi filii Adam, de quibus ait scriptura, quod proficiscentes de Oriente, *campum invenerunt latissimum in terra Sennaar*. (Gen. 11.) Qui sunt hi, nisi reprobi, inanis gloriæ cupidi, tumore superbiæ inflati? qui ab eo corde & opere discedentes, de quo Propheta dicit, *Ecce vir, Oriens nomen ejus*, (Zach. 6. Qui ædificant turrim) in contagiis fœtidæ conversationis per viam latam incedunt, quæ ducit ad perditionem: quia Sennaar fœtor eorum dicitur. *Ædificemus*, inquiunt, *turrim, & celebremus nostrum nomen.* Hi sunt qui vocant nomina sua in terris suis, & altitudinem in se construentes * elationis, *amantes primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* (* forte construunt. Matt. 23) Et unde ruinosam hanc turrim erigunt? *Habuerunt*, inquit verax historia, *lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento.* Saxa robur exprimunt bonæ operationis, lateres igne concoquuntur & indurantur. Reprobi flamma libidinis exuruntur, & pertinaces efficiuntur: invidia bitumen est, concordia cæmentum. Aiunt enim bitumen nasci de terra fulminata: & scimus in mente oriri invidiam, tumore superbiæ percussa. Cæmento simul junguntur lapides in ædificio. Et quæ est alia virtus quàm concordia: qua in caritatis ædificio conglutinantur lapides vivi, ex quibus cælestis Jerusalem quotidie construitur? Habent itaque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento: quia fortitudinem deserentes bonæ actionis, luto se inquinant sordidæ libidinis: & abjicientes glutinum concordiæ, pertinaciam amplectuntur invidiæ.

Quam difficile prosternitur hæc turris.

7. Enormis quidem hæc turris admodum: sed ne facile possit prosterni, obsistit non modo sui ipsius altitudo, sed & muri includentis eam fortitudo. Et hoc est quod nostros conatus sæpe effringit, cum contra castellum illud pugnamus: quia facile machinis & arietibus sanctæ prædicationis tumorem in anima dejiceremus elationis, nisi tam invincibiliter nobis, ut sic dixerim, in ea resisteret pertinacia obstinationis. Quid enim erga eam poteris proficere, quam insensibili quadam duritie adamantinam effectam nec præceptis vales flectere, nec consiliis attrahere, nec blanditiis mulcere, nec comminationibus terrere, nec emendare denique flagellis, nec emollire beneficiis? Nonne de ea dicas, pæne esse impossibile, ut curetur? Verumtamen etsi apud homines impossibile est, sed apud Deum omnia possibilia sunt. Mittit namque misericors Dominus & pius eloquium suum terræ, inspirationem scilicet hujusmodi infundens animæ, ad quam velociter currit sermo ejus, non reversurus ad eum vacuus, sed faciet quæcumque vult, & prosperabitur in his ad quæ misit illud. Unde & hic *mittit Discipulos suos in castellum hoc, quod contra eos est.* Et ad quid? ut asinam quam in eo reperiunt alligatam, & pullum cum ea, solvant, & adducant ad eum. Qui jussa perficientes, non solum solvunt & ad eum adducunt, sed ut prosperetur verbum de ore egrediens in his ad quæ mittit illud, *vestimenta sua imponunt, & eum desuper sedere faciunt.* Ad hoc spectare videtur, quod qui *emittit eloquium suum terræ, dat nivem sicut lanam*, (Psal. 147) induens eos per justitiam,

qui

qui primitus frigidi erant per culpam: *nebulam sicut cinerem spargit*, infusa illis, qui obscuri erant per ignorantiam, notitia corruptionis suæ * concutit eos per pœnitentiam. *Mittit crystallum suam sicut buccellas*, illos sibi incorporans per mansuetudinem, qui obdurati erant per obstinationem. Sed qualiter opus illud salutis peragit? *Emittit verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ*, ut euntibus duobus Discipulis in castellum quod contra eos est, faciant de asina & pullo, quod modo breviter tetigimus.

8. Sed qui sunt duo Discipuli isti? Fortassis duæ illæ eximiæ virtutes sunt *Timor* & *Amor*. Ille tristia comminando & aspera, per austeritatem deterret: iste vero læta pollicendo & lenia, per suavitatem demulcet. Ille initium sapientiæ, hic autem consummatio est. Ille tibi aufert quod malum est, ut emunderis à culpa: iste vero confert quod bonum, ut exorneris in justitia. Ille ab anima exhaurit iniquitatem, hic autem infundit ei sanctitatem. Hi duo Angeli sunt, & de loco perditionis Loth educunt, dum animam, quam eligit Deus, à vitiis eripiunt. Hi duo spirituales Levitæ sunt; qui in commotione castrorum ad ostium stant tabernaculi, clangentes argenteis tubis: quia ad ipsum mentis aditum silentibus quibusdam mentis clamoribus Timor & Amor insonant: * quibus interna illa cogitationum collegia, & ad malum deserendum, & ad bonum exercendum incitant. Quasi tuba exaltat ille vocem suam, & dicit: *Quiescite perverse agere*: iste vero, *discite benefacere*. Ille, *evelle & destrue, & disperde & dissipa*: hic autem, *ædifica & planta*. Ille denique, *diverte à malo*: iste quoque, *fac bonum*. Isti duo viri sunt, qui botrum ad filios Israël de terra repromissionis afferunt, dum internis nostris meditationibus, quis sit cælestis patriæ fructus innotescunt. Hi duo nuntii sunt, qui Raab de destructione Jericho eripiunt, dum animam quam suis Deus muneribus dilatat, ab hujusmodi perditione abstrahunt. Hi & duo isti, de quibus modo agimus, Discipuli sunt, qui in hoc castellum missi, alligatam asinam & pullum solvunt, & ad Christum adducunt.

9. De quo bene dicitur, *quod contra eos est*. Quid enim magis contrarium divino amori, quam tumor elationis? Quid magis timori, quàm pertinacia elationis & obstinationis? Est enim superbia, ut aliqui dicunt, amor propriæ excellentiæ. Et quomodo quamdiu inanis gloriæ cupidus propriam amas excellentiam, illius perfecte honorem affectas & gloriam, de quo Paulus: *Soli*, inquit, *Deo honor & gloria*? Sed & obstinatio (ut aiunt) insensibilis quædam est pertinacia mentis, nolens aliquando acquiescere, magis autem parata semper repugnare. quod quidem mortiferum malum dum animam plene possidet, timoris nimirum divini stimulis insensibilem reddit. Sed castellum quod contra hos discipulos est, dum extra illud sunt: jam cum illis est, dum illud ingressi aliquamdiu intra illud sunt. Illud quippe sibi potenter subjiciunt, quia *Amor* dum cælestem & æternam, ac per hoc longe meliorem, quàm ibi haberi potest, alibi habendam esse celsitudinem asserit, nimirum turrim elationis prosternit. *Timor* vero, dum his qui attrita fronte indomabili corde sunt, æternum gehennæ supplicium comminans promittit, murum profecto obstinatione confringit. Et hoc modo castellum hoc, dum ipsis extra illud degentibus contra eos est, ipsis intra illud commorantibus jam cum eis est. Unde fit, ut juxta quod vaticinatur Isaïas, civitas quæ dudum meretrix dicebatur, cujus habitatores homicidæ fuerunt: jam digne vocari possit *civitas justi*, *urbs fidelis*.

10. Sed jam necesse est, ut de solvenda asina alligata & pullo & adducendis ad Jesum, duo hi se Discipuli intromittant. Duæ sunt, fratres, virtutes homini valde necessariæ, humilis videlicet simplicitas, & agilis libertas. Illam *asina*, hanc autem *pullus* exprimere potest. Asina enim jugo supponitur, pullus vero propria adhuc sua libertate potitur. Unde ad mansuetudinem nos invitans humilitatis Dominus Jesus, suum nobis offert jugum tollendum: *Tollite*, inquiens, *jugum meum super vos*. Mox autem quid sit jugum ejus tollere, innuit, dum subjungit: *Et discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Per pullum vero libertatem esse accipiendam censuit, qui de viro vano in superbiam erecto ait, quod *quasi pullum onagri natum se liberum putat*. Quod licet de quadam prava libertate accepit, de qua Paulus: *Cum*, inquit, *servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ*, pro eo quod necdum jugo supprimitur pullus, libertatem nimirum, cujus agilitatem quodlibet obstaculum non impedit, per eum exprimi posse demonstravit. In castello autem duo hæc alligantur animalia, asina videlicet & pullus, dum in anima peccatrice, qualem superius per castellum illud accipiendum esse docuimus, hæ duæ virtutes, Simplicitas scilicet & Libertas, cum forte habentur ad intellectum, nequaquam tamen exercentur ad fructum.

11. Vincula vero quibus alligantur si quæritis quæ sunt, accipite confusionem pudoris, & inertiam timoris. Pravus siquidem in homine itidem pravo & simplicitatem pudor, & libertatem impedit timor, ne veram in se videlicet illa humilitatem ostendere audeat, vel ista puritatem exercere præsumat. Plerumque enim quod maxima sit virtus humilis simplicitas, seu, si ita congruentius dicitur, simplex humilitas, nonnulli evidenter agnoscunt: sed dum à præsentis vitæ gloria necdum exutum habentes animum viles haberi refugiunt, eam in opere nullatenus apprehendunt. Alii vero quam sit sublime quid puritas libertatis intelligunt: sed dum trepidi pavent vel optant, quod non est stabilis vel sui juris, vel prava spe acquirendi illecti, vel inerti timore dimittendi concessi, nec voce eam nec opere exercere præsumunt. Nonne etsi istis simplicitatem atque libertatem, quantum quidem ad intellectum, inesse consideras, utramque tamen apud eos quantum ad exercitium, alligatam esse ignoras?

Vincula quibus alligantur, pravus pudor & timor.

12. Ceterum electos suos Spiritus-sanctus, qui in columba apparuit & igne, & in humilitate reddit simplices, ne per elationem superbiant; & in puritate audaces, ne per inertiam torpescant. Revocate in memoriam duos illos virtutis viros, dico autem prophetam David, & apostolum Paulum: & videte si non utrumque habuerunt apud se animal, istud tam asinam simplicitatis, quàm pullum libertatis: neutrum utique ligatum, sed utrumque solutum. Ait enim sanctus David: *Ludam coram Domino, & vilior fiam plusquam factus sum, eroque humilis in oculis meis*. Merito dicit de eo Spiritus-sanctus, quod erat quasi tener ligni vermiculus. Unde & Dominum alloquens, in hanc vocem prorupit: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me*. En asina in castello sancti David. Sed videte & pullum: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam eos, & inimici facti sunt mihi*. Pullus quoque parvulus est Paulus juxta nomen suum, & modicus in medio discipulorum suorum: & cum undique tormentis affligatur, verbum Dei non est apud eum alligatum. Qui etiam cum suos obsecret discipulos per mansuetudinem & modestiam Christi asserens se facie quidem humilem esse inter eos, ipsi quoque Cephæ in faciem apud Antiochiam resistit, quia eum esse reprehensibilem cernit. Mirare itaque eum & ibi per humilitatem submissum, & hic per libertatem erectum. Sanctus quidem Moïses, ut his aliquamdiu immoremur, & superbientem Pharaonem ex auctoritate premit, & consulenti Jetro ex humilitate obedit. Vir Domini Samuël peccatum se perpetrare existimat, si pro populo qui eum de principatu dejicit orat: & Agag pinguissimum in frusta conscindere non formidat. Quomodo satis sanctissimum admirabimur Eliam, videntes eum modo tanta humilitate submissum, ut vilis in oculis suis & contemptor sui accinctus lumbis humiliter currat ante Achab, modo vero tanta auctoritate erectum, ut zelo zelans pro Domino exercituum, & super idololatras tabescens, ipsos vita privare non formidet? Ejus quoque libertatem simplicem & simplicitatem liberam sequens discipulus suus sanctus Eliſæus à muliercula tangi non dedignatur, & ad Naaman principem non egreditur, & Regem Israël nec attenderet quidem, nec respiceret, si non vultum Josaphat regis

Matth. 13. Act. 2.
Davidis humilitas. 2. Reg. 6 a
2. Reg. 23. b
Psal. 130 c
Et generosa libertas.
Psal. 138. d
Item Pauli Apostoli.
2. Tim. 2 e
2. Cor. 10. f
Gal. 2. g
Mosis quoque.
Exod. 8. 9. 18. h
Et Samuëlis.
1. Reg. 12 i
1. Reg 25. k
4. Reg 4.
Reg. 19. m
4. Reg. 4 n

4. Reg. 3 o Judæ erubesceret. Hos itaque ceterosque ejusmodi viros solutam habuisse dixerim asinam humilitatis & pullum libertatis: qui ut in omnibus semetipsos humilient, simplices & mansueti sunt; & ut viriliter quicquid contra Deum est, persequantur, recti & liberi sunt.

13. Sed si est in vobis aliquis, qui hæc duo animalia apud se habet quidem, sed alligata, necesse est ut dissolvendis eis se supra nominati Discipuli intromittant. Qui sint autem Discipuli hi, jam audistis, quæve animalia hæc, quæ etiam vincula quibus alligantur. Et quis est qui hæc apud se animalia habet sed alligata? cum videris aliquem sub humilitatis habitu superbientem, magis quæ circa se sunt ornantem ad nitorem elationis, quàm componentem ad decorem honestatis; scito hunc asinam habere, sed alli- B gatam. Bene instructus & edoctus est, ut perfecte sciat quàm humiliter exhibere se debeat in incessu, in statu, in gestu & habitu, in vultu & affectu, in omnibus denique moribus suis: sed dum se talem in veritate ostendere confunditur; habet quidem apud se asinam simplicitatis, sed alligatam vinculo pudoris. Item cum deprehenderis aliquem ad instar pravi speculatoris videre gladium, & non insonare buccina; ad instar mercenarii videre lupum venientem, & fugere; ad instar pigri & negligentis coloni, scire spinas & vepres in horto Domini & cetera quæque inutilia ac nociva ascendere, & ad eradicandum, seu etiam, quod minus est, ad succidendum manum non apponere: agnosce apud hunc esse pullum, sed alligatum. C Prava quippe cernit, & eis licet forte consentire nolit: redarguere tamen ea pro persona & re, pro loco & tempore non præsumit, & est alligatus apud hunc pullus vinculo timoris.

1 Qui sciunt, sed præ pudore non faciunt.

Ezech. 33. Johan. 10

2. Qui officio suo desunt præ torpore vel timore.

14. Sed videant discipuli, & solvant asinam: solvant & pullum, ut amor ordinatus pravum expellat pudorem, quatenus prævaleat simplicitas; timor nihilominus ordinatus inertem eliminet pavorem, ut vigeat libertas. Jam itaque animus ex non pio pius effectus, ita amet veritatem, ut odio habeat vanitatem: ita timeat incurrere quod pœnale est, ut timeat pro posse non persequi quod culpabile est. Si sic fieri contigerit in castello quod antea contra discipulos erat, soluta est asina, solutus est pullus: D quia in anima quæ dudum & per timorem elationis amori, & per pertinaciam obstinationis contraria erat timori, prævalet vigetque tam simplicitas, quæ omnem in eo fastum deprimat, quàm libertas quæ pium erga alios zelum exerceat.

Discipuli solventes animalia.

15. *Solvite*, inquit, *adducite mihi.* Quid est à Discipulis solvi asinam, solvi & pullum, nisi interveniente amore à pravo liberari pudore simplicitatem, & mediante timore bono ab inerti liberari timore libertatem? Soluta vero hæc duo animalia adducuntur ad Jesum; cum intentione pura hæ duæ exercentur virtutes ad fructum veræ salutis obtinendum. Nam quasi quis illa habet soluta, sed ad Jesum non adducta, qui has quidem viriliter E exercet, sed pro eis vel favorem humanum, vel commodum aliquod terrenum, non autem præmium veræ salutis quærit. Vides ergo quia non sufficit, quod asina in castello tuo & pullus solvuntur, nisi & soluta ad Jesum adducantur: quia, secundum Pauli sententiam, *reddit Deus unicuique secundum opera sua, his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem, sed quærentibus vitam æternam.* In eo itaque quod gloriam & honorem & incorruptionem his redditurum Deum ait, qui secundum patientiam sunt boni operis, asinam solutam esse & pullum intellige. In eo vero quod audis hæc illis redditurum, qui quærunt vitam æternam, adductam ad Jesum & asinam & pullum agnosce. F

Quid sit solvi à discipulis asinam & pullum.

Rom. 2. Pura & recta intentio.

16. Sed hæc alta & profunda sunt, solisque perfectis conveniunt, quæ etiam sunt quæ perfectos faciunt. Perfectum namque te dixerim, cum te video instantia jugi, & teipsum in cunctis motibus tuis districto judicio reprehendere, & erga proximos tuos pio zelo fervere. Ideo si ad perfectionis hujus cupis fastigia conscendere, cum tibi tua resistit pusillanimitas, ne hæc audeas exercere, scito A te sine his perfectum esse non posse. Unde & istis Dominus discipulis: *Si quis*, inquit, *vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet.* Quis enim discipulis asinam solventibus & pullum aliquid dicit, nisi cogitatus in nobis fatuus, qui dum tumidus est, amori quidem in nobis, ne puritatem simplicitatis, & dum timidus est, timori, ne liberet vigorem libertatis, contradicit? Sed *Dominus his opus habet:* quia qui ad spirituale sanctæ perfectionis dominium pertingere cupit, hæc exercere necesse habet. Spirituali namque Domino duo valde necessaria sunt, potestas & ausus, ut videlicet nequaquam te esse Dominum agnoscas; nisi & te semper illicitum quid committentem humiliter judicare queas, & alios prave B agentes, ut superius dictum est, pro re, pro tempore, pro persona & loco redarguere succensus audeas.

17. *Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Vestimenta discipulorum ornamenta sunt virtutum. Et quid est, eorum vestimenta imponi, nisi quæcumque ad amorem & timorem Dei excitare possunt, conferri? Ipse etiam Jesus desuper sedet, dum in his omnibus veræ salutis supereminet appetitus. Primo asina & pullus à discipulis solvuntur; secundo ad Jesum adducuntur; tertio eorum vestimenta imponuntur; novissime vero desuper ipse sedet Jesus. Et ad quid ista? Utique ut primo sancta quæque faciamus, operantes bonum ad omnes; secundo, ut soli C Deo in his omnibus placere appetamus, quærentes vitam æternam; tertio vero ut in bono semper magis ac magis proficere studeamus, ad interiora nos extendentes, & sic venire cupiamus, & apparere ante faciem Dei, desiderium habentes dissolvi, & esse cum Christo. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via*, pro eo quod bona sua internæ in nobis cogitationes deponunt in imo. *Alii autem cadebant ramos de arboribus & sternebant in via*, quia non solum in bonis operibus se humiliant, quæ ad corporalem pertinent exercitationem, quæ ad modicum, juxta Apostolum, utilis est, sed & ipsos spiritualium sensuum ramos, quos de sublimibus contemplationum arboribus cædunt, in imis dejiciunt, quos ad pieta- D tem spectare dubium non est, quæ ad omnia utilis est.

Vestim discipu-rum, [illegible]

Galat.

Philip.

1. Tim

Ibidem

18. Non solum autem in cunctis bonis exterioribus corporis, & in universis interioribus fructibus spiritus se humiliant, sed & inter omnes quas habent virtutes seu per naturam insertas, seu per gratiam superadditas, precibus insistunt devotis pro salute æterna: quia *qui præibant & qui sequebantur clamabant Hosanna.* Festinanter ista percurrimus, quia ad finem sermonis properamus. Sunt in nobis affectus boni quidam per naturam, quidam per gratiam. Et illi quidem præeunt, isti autem sequuntur. Quædam nobis bona inseruit natura: sed quia ad salutem non erant sufficientia, quod minus contulit ipsa, superaddidit gratia. Sciendum tamen, quod sicut ex gratia sunt bona E conscientiæ, sic ex gratia bona sunt naturæ, sed illa ex gratia creatrice sunt, hæc autem ex salvatrice. Ex illa habent bona naturæ ut inchoentur, ex ista ut augeantur, & aucta ut perficiantur. Sed in piis cogitationibus & circa salutem suam sollicite vigilantibus, tam præeuntia naturæ quàm subsequentia gratiæ clamant, hosanna: ut ad obtinendam salvationem æternam, non tam de meritorum fidant qualitate & quantitate, quàm de orationum pura assiduitate & assidua puritate. *Hosi* namque, ut dicitur, *salvifica* interpretatur. Quod autem * subauditur *anna*, affectuosum orantis exprimit motum. Humiliemus itaque nos, fratres, in omnibus bonis nostris tam internis quàm externis: & inter multas virtutes tam ex natura no- F bis insertas, quàm ex gratia nobis superadditas, totis medullis cordis clamemus, Hosanna. Legitur non solum injustum, sed etsi habuerimus quippiam justum, non respondeamus ei, sed nostrum cum bono Job judicem deprecemur, quem dominationes adorant, tremunt potestates Deum omnipotentem, viventem, & regnantem in omnia sæcula sæculorum, Amen.

* alâ subaudi- tur.

# B. OGERII ABBATIS LUCEDII
## ORD. CISTERCIENSIS IN DIOECESI VERCELLENSI,
## SERMONES XV.
### De Sermone Domini in ultima Cœna ad Discipulos habito.

*Auctorem antea ignotum primus indicavit piæ memoriæ Cardinalis Bona ex veteri codice abbatiæ Stafardæ, diœcesis Salutiensis: qui codex nunc Taurini asservatur in bibliotheca Serenissimi Sabaudiæ Ducis. In Sermone XIII. num. 1. luculentus est locus pro immaculata B. Mariæ conceptione. Cisterciensem se prodit auctor in Sermone X. num. 12. Sunt qui existiment, Ogerium seu Oglerium vixisse ipso tempore S. Bernardi. At posteriorem aliquanto fuisse probat Manrique, idque suadere videtur Ogerii sententia de immaculata sanctissimæ Virginis conceptione, quæ Bernardi ævo necdum recepta erat.*

## PROLOGUS.

PASCHALIBUS dapibus esuriens saturari quicumque requiris, mensula nostra posita est, quæ nulli vetatur edenti. Ibi refici poteris ex micis, quæ remanserunt de mensa Domini. Nam ille dulcissimus Panis, qui de seipso ait, *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*, dum esset in mundo, satiavit non mediocriter filios suos; illos videlicet quibus ascensurus ad Patrem, ait: *Filioli adhuc modico tempore vobiscum sum.* Sed ascendens in cælum dimisit reliquias suas parvulis suis; quas, dum illum beatissimum panem Angelorum, Dominum meum Jesum, quærerem gemens & plorans, quæque pretiosa mundi pro illo ineffabili cibo dare deliberans, Evangelista Johanne in voluntate Domini propinante accepi. Sed quicumque ad hanc mensulam servuli Christi sedere voluerit, non sine lacrymis quæso accedat; & si accesserit, saltem sine gemitu non recedat. Nam in ea invenies cibum non ventris, sed mentis; non holocausta medullata, nec boves cum hircis; sed illum Agnum de Virgine natum, qui coram percutientibus se obmutuit, & non aperuit os suum: cui confitetur anima mea, & sanat eam, quæ peccavit ei. Ille mihi fit via in hoc opusculo, & in omnibus actionibus meis, ut illo duce quæ gessero, incipiam & finiam; ut annuntiem nomen Domini in Sion, & laudem ejus in Jerusalem, ut dum convenerint populi in unum & reges ut serviant Domino, merear illum videre in bonitate electorum suorum, & lætari in lætitia gentis suæ, qui est benedictus in sæcula.

## SERMO I.

*Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit ejus hora ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Johan. 13. a

1. VErbum Patris, Filius Dei, quod pro salute generis humani Verbum caro factum est & habitavit in nobis, cupiens instruere & informare ad exempla humilitatis sequenda discipulos, & per illos omnes credentes in eum; cum appropinquasset hora illa piissima, qua caro, quam de intemerata Virgine sumpserat Maria, tam triste esset perpessura supplicium; ab illo nobili suæ temporalitatis extremo convivio surrexit, vestimenta deposuit, aquam in pelvim misit: & pedes discipulorum lavit. Et hoc est quod Johannes Evangelista ait: *Ante diem festum*, &c. Talis erat mos & consuetudo Judæorum, ut illum diem haberent sollemnem, quando illis Dominus mare rubrum divisit in duas partes, & deduxit eos per medium ejus, & excussit Pharaonem & virtutem ejus in eodem. Hic est ille dies festus Paschæ, de quo dictum est: *Ante diem festum Pascha.* nam *pascha* interpretatur *transitus*. Nam appropinquabat illud piissimum pascha, quo verus Moïses per mare rubrum debebat transire; & non post quadraginta annos, sed tantum post quadraginta dies in terram promissionis intrare. Ille dies Judæorum festus erat umbra, quo patres eorum transierunt de Ægypto; sed ille fuit veritas, quo Christus transivit de hoc mundo: & sic nos fecit transire de vitiis ad virtutes, de morte ad vitam, de mundo ad cælum, pro nobis victima factus & sacrificium, seipsum Deo Patri in ara crucis offerens holocaustum. *Ante diem festum paschæ*, &c. Quid ergo est, ô sancte Johannes, quod dicis festum? Nonne dies festus, dies est gaudii & lætitiæ? Putasne dies ille est lætitiæ & jocunditatis, quo Agnus in crucis levatur immolandus stipite, opprobrium hominum factus, & abjectio plebis; quo præ dolore sol obscuratur, petræ scinduntur, & tota contremiscit orbita mundi; ubi Mater sic plorat, & ejus dilectus Johannes? Potius ille dies fuit luctus, quàm risus & lætitia sanctis & electis: sed Judæis lætitia; tibi & Apostolis tuis tristitia. Judæorum lætitia vertetur in luctum; & tristitia Apostolorum est versa in gaudium. Sequitur,

2. *Sciens Jesus quod venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Jesus hebraïce, latine *Salvator* interpretatur. Iste est ille salvator fortissimus, qui ulterius vinci non potest, & salvat omnes sperantes in se. Semel pro te, Christiane, victus est, immo mortuus: sed noli flere, quia surrexit à mortuis, & mors illi ultra non dominabitur. Oportebat illum mori pro salute mundi, & resurgere tertia die; & prædicari in nomine ipsius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, quoniam ipse sic disposuerat. & hoc est quod dicitur: *Sciens Jesus quia venit ejus hora*, &c. Hæc est illa hora, de qua superius timens mori secundum carnem ingemuit, & ait: *Nunc anima mea turbata est valde. Et quid dicam? Pater salvum me fac ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam.* Timuit Christus mori, ut tu non timeas mori, confidens in eum, qui suscitavit Jesum à mortuis tertia die. In illum tantum, qui suscitavit Jesum, est confidendum. O tu Christiane, ne de hac infirmitate desperes. Docuit quid tunc & in omnibus periculis mortis debeas dicere, ad quem confugere, quem invocare, in quem sperare: in Patrem Deum qui non potest despicere sperantes in se, cum attestatione bonorum operum. Bonorum dico; quia sine meritis aliquid sperare non spes, sed præsumptio debet dici. Tu itaque talia fac opera tua, ut ei in hora mortis, in veritate dicere possis: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* Hanc horam præscivit, hanc horam elegit, ut in ea per mortem de hoc mundo transiret ad Patrem secundum humanitatem, à quo numquam recessit secundum divinitatem. Illa hora est finis ille, de quo dicitur; *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Cum dilexisset suos pro eis homo factus, in tantum eos dilexit, quousque ad mortem dilectio eum perduxit. Te dilexit in morte, ut tu dilectione ejus possis transire de mundo ad Patrem. Te dilexit in finem, ut tu in ejus dilectione usque in finem permaneas. quod quidem si feceris, proculdubio ad Patrem transibis: in cujus dilectione qui usque in finem non permanserit, in veritate dico, in æternum peribit. In ejus dilectione modus amoris nullus esse debet. Sine modo te dilexit: sine modo eum diligere debes. Modum dilectionis excessit te diligendo,

[Marginal notes: Act. 10 g — Johan. 12. d — Sperare sine meritis non spes est, sed præsumptio. — Psal. 30. a — Diligendus Deus sine modo.]

pro te moriendo: tu quantum eum diligere debes, non potes. Dilige eum ex toto corde, ex tota mente & omni anima, & omnibus viribus tuis. Hoc tantum quærit, ultra non quærit: hoc fac & vives. Sequitur,

3. *Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotis.* Hic innuitur cœna esse parata, sed nondum transacta: quia postea recubuit, & buccellam Judæ tradidit. O Juda infelix! ô discipule pessime, mercator nequam! Tibi cœna parabatur, & à te dator cœnæ tradebatur. O miser Juda! ô male confessor! ô desperate pœnitens! dixisti; *Peccavi tradens sanguinem justum*, & laqueo desperationis te, miser, suffocasti. Iste, ut arbitror, fuit filius Simonis Schariotis. Simon dicitur obediens; sed qualis vir iste Simon fuerit, Deus scit; ego autem nescio. Schariotis dicitur à vico in quo ortus fuit, qui alio nomine Marmotis dicitur, sive mala mors. Et merito de mala morte fuit, quia sic mala morte periit. Diabolus miserat in cor per suggestionem, ut traderet eum, non credens illum esse Deum. Nonne contremiscis recogitans Christiane, & tu, monache S. Benedicti, quid actum est de discipulo Christi? Diabolus misit in cor ejus, ut traderet Vitam, & tradens Vitam, per laqueum desperationis se & vitam perdidit. Si lupus non timuit intrare in gregem Domini, unam de duodecim tam pauculo numero mactare, & perdere: quid facturus est de grege commisso pastori? Unusquisque vestrum, fratres carissimi, videat ne sit sicut Judas. Videte, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, cauti contra callidi hostis insidias. Misit in cor Judæ, ut traderet Dominum. Quid est tradere Dominum? Vendere Dominum. Quid est vendere? Alienare. Dominum vendit, qui à se Dominum alienat. Dominum alienas à te, si depellis eum à te. O monache Dei, ô discipule Christi, audi me, audi consilium meum. Te diabolus quærit evellere, te extrahere de grege Domini. Vide ne consentias ei, vide ne credas ei. Mendax est, & pater ejus. Te vult occidere, te vult mactare, te vult perdere secum in gehennam. Cavete à loculis, cavete à marsupiis: foveæ diaboli sunt. Heu quot in illis perdidit, quot in illis interfecit! Dicitur de Juda, *quia fur erat, & loculos habebat*, &c. Iste dum sitit lucrum, tendit ad laqueum: dum perdit vitam, lucratur mortem. Heu quot loculi, heu quot marsupia sunt in monasteriis sancti Benedicti! heu quot cucullati, super auriculas tonsurati, habent marsupium mentis, habent loculum propriæ voluntatis, marsupium murmurationis, detractionis, vagationis, superbiæ, & livoris, invidiæ, & malæ voluntatis! Sed mementote, fratres dilectissimi, quod qui talia agunt, Judam traditorem sequuntur: & ideo, nisi se emendaverint, regnum Dei non possidebunt.

Judæ exemplum formidandum.

Johan. 12. a

Loculi propriæ voluntatis.

4. Estote quæso, dilectissimi, discipuli Christi, non in falsitate, sed in veritate; non in veste, sed in corde; non in alta tonsura, sed in mente pura. Judam derelinquite desperantem, Petrum sequimini vere pœnitentem: Judam derelinquite desperantem in baratro inferni, Petrum sequimini qui est in gloria paradisi; tenete lacrymas Petri. Quod si feceritis, pervenietis ad gloriam Petri, per Jesum-Christum Dominum, cui confitetur anima mea, & sanat eam, quia peccavit ei, qui cum Patre & Spiritu-sancto sit benedictus per cuncta sæcula. Amen.

## SERMO II.

1. Sicut auris non potest satiari auditu, nec oculus visu; sic nos numquam satiari debemus enarrandis piis operibus Christi. Nam mihi dulcia sunt super mel & favum, & cariora super millia auri & argenti, & his saturari non possum. Amplificet mihi Dominus desiderium meum, & lætificet me in jocunditate vultus sui, cum omnibus diligentibus eum, de quo in consequentibus dicitur: *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus; & quia à Deo exivit & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua. Et cum accepisset linteum præcinxit se, & misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.* Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & bona & mala:

Allegoria Christi pedes discipulorum lavantis.

A mala in usum, & bona in effectum, de malo proditionis Judæ fecit bonum redemptionis nostræ. Vel *sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*; quare omnia subjecit sub pedibus ejus, oves & boves, insuper & pecora campi: *& sciens, quia à Deo exivit*, non eum deserens; & *ad Deum vadit*, non nos derelinquens; *surgit à cœna*, &c. A Deo exivit, quia de sinu Patris in uterum beatæ Virginis venit: quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. A Deo quoque exivit, cum talem se hominibus præbuit, qui posset videri & tangi: immo, quod non sine magno gemitu cordis, &

Philip.

B fluvio lacrymarum stilo commendare deberem, scilicet ligari, colaphizari, flagellari, conspui, & ad ultimum occidi, & hoc est quod dicitur, *à Deo exivit.* Sed noli flere, bone monache, quia sequitur, *ad Deum vadit.* Ad Deum vadit, quia resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur. Ad cælos ascendit, sedet ad dexteram Patris, constitutus à Deo judex vivorum & mortuorum. Et hoc est quod dicitur, *Surgit à cœna.* nam à cœna surrexit, quia de sinu Patris, ubi cœnabat cum Angelis, ad homines venit, trabeam nostræ mortalitatis assumens.

Rom. 6

2. Vestimenta quodammodo deposuit, cum semetipsum exinanivit. Sibi uniendo humanam naturam, lin-

C teum accepit, & præcinxit se: quia naturam humanam se induens, in ea se virtute præcinxit, & de hoste superbo gloriose triumphans Rex gloriæ est factus, & Dominus virtutum. *Aquam misit in pelvim, & pedes discipulorum lavit.* Quid est aqua? quid est pelvis? Iste est aqua illa benedicta, quæ sordes mentium lavat, leprosos mundat, cæcos illuminat, sanat ægrotos, justificat impios, resuscitat mortuos. Ad hanc aquam Dominus meus Jesus invitat sitientes, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Aqua ista Spiritus-sanctus est. Aqua ista est illa, de qua Jeremias ait: *Dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Pota me, Domine, isto fonte, ut non sitiam

Aqua Christo ad mysticos

Johan.

Jerem.

D amplius. Nam sitit anima mea ad istum fontem vivum. O si attigero fontem istum! O si satiabor cum dulcissimo fonte! putas veniet tempus, quo plenarie de eo possim haurire? Et quando? Et si aliquando, quare non modo? Quid dicam, quid faciam: quia Dominus meus differt ad me venire? O dulcissime Jesu, sint mihi lacrymæ refectionis assiduæ, donec dicatur animæ meæ: Gaude & lætare. Ecce quem quæris, ecce quem desideras, ecce pro quo ploras: ecce Dominus tuus, ecce Deus tuus, Pater & Filius & fons desideratus Spiritus-sanctus. Modo inebriare à deliciis paradisi. Aqua ista, fratres mei, Spiritus-sanctus est. Ipse de se sic inebriet mentes nostras, ut præter eum nihil aliud diligamus. Pelvis illa, in qua Domi-

E nus Spiritum-sanctum posuit, est Ecclesia fidelium, in qua per lavacrum regenerationis Spiritus-sanctus sordes credentium lavat. Quod dicitur, *Pedes Apostolorum lavit,* audi immunditias eorum vestigia sequentium. Vel possumus dicere, quod pelvis, sive receptaculum Spiritus-sancti, corda Apostolorum fuerunt, quibus Dominus Spiritum-sanctum infudit: & eorum pedes lavit, quia in fide Catholica, quæ fideles vehit ad cælos, quam pulvere infidelitatis fuscatam tenebant, penitus expulsa rubigine per Spiritum-sanctum confirmavit.

3. Possumus & aliter dicere, si te cum amore Christi audire delectat. Sed non sine lacrymis accipias, quæso, quod sine lacrymis scribi non debet. Aquam in pelvim,

F misit, quia pro tuo amore mortem delicias reputans, in crucis stipite pium cruorem fudit. Et lavit pedes Apostolorum, id est vestigia credentium mundavit, quæ sordida erant peccatis. *Et extersit linteo quo erat præcinctus*, humana scilicet carne, qua erat indutus: quia ejus passio peccatorum nostrorum est vera purgatio. Vel Cœnam Domini qui passionem ejus assignare voluerit, à tramite veritatis se exorbitare non credat. Hic cœna ista passionem significat. Sicut post cœnam non fit prandium: sic Christus postquam semel passus est, non iterum patitur. *Surgit à cœna*, post passionem: pon

*nit vestimenta*, scilicet priorem infirmitatem: *linteo se præcinxit*, eadem carne jam immortali. *Aquam in pelvim mittit*, quia per baptismatis lavacrum credentes lavit à peccatis. *Et extergit linteo*, quo est præcinctus, quia pro nobis interpellat Patrem gemitibus inenarrabilibus, sibi ostendendo suam humanitatem. O mira & inexquisita pietas! ô inæstimabilis bonitas! ô nova & inaudita humilitas! Christus Dei filius, de pura & intemerata Virgine natus, Rex regum & Dominus dominantium, surgit à cœna, vestimenta deponit, se linteo cingit, aquam in pelvim mittit. Ante Discipulos reverenda genua flectit, humilis & proclivus pedes Discipulorum lavit. O quis umquam audivit talia? O quam stupenda pietas! Mira Dei clementia! lavit pedes Discipulorum, qui de nihilo cuncta creavit. Quid tibi videtur quicumque es homo quem ira accendit, superbia consumit, ira perturbat, superbia devastat; promptus ad iram, festinus ad superbiam? O superbe, ô germen diaboli, ô apostata Christiane, ô serve nequam! Quid tibi videtur de Creatore tuo, de Deo tuo? Pronus lavit pedes Discipulis: & tu dedignaris humiliari fratribus offensis? O serve male, semen Cananæi & non Juda, quis es per auctorem superbiæ deceptus! cur non consideras, quis est ille, quem per superbiam sequeris; & quis est ille, quem per humilitatem imitari contemnis? O quam malus est ille, quem sequeris; & quam bonus est ille, à quo devias? Ille est diabolus: iste vero Deus. Elige quem imitari sit melius. O superbe, nonne frons tua erubescit? Erubesce, vas stercorum, ulterius habere superbiam. An ignoras, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam suam? Exue veterem hominem, & indue novum, videlicet Dominum Jesum, & reformabit corpus humilitatis tuæ configuratum corpori claritatis suæ. Disce, quæso, ulterius habere humilitatem per humilitatis auctorem. Nam de eo sequitur:

4. *Venit ad Simonem Petrum. Et dixit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* Quando Dominus Jesus pedes Discipulorum lavare cœpit, prius ad primum Discipulorum venit. Et idem Petrus expavescit, quod Deus lavit pedes homini. Nam pavore perterritus, non potuit sustinere Dominum ad pedes suos humiliatum. Viderat eum aquam in pelvim mittere, se linteo accingere: & mirabatur forte, quid vellet facere. Sed postquam vidit illum ante pedes suos vas cum aqua portare, genua flectere, & ad lavandum se præparare: multo supra quam dici potest miratus, expavit. Et magno timore percussus, ingemuit & exclamavit, dicens: *Domine tu mihi lavas pedes?* Creator creaturæ, Deus homini, Dominus servo, Magister discipulo, immo illi qui factus est ex limo, ille qui fecit omnia ex nihilo? Surge Domine, surge Deus meus. Quid vis facere? Non possum sustinere, non possum ferre. Oculi mei te videre refugiunt, sic proclivum, sic prostratum ante pedes meos. Surge Creator; surge Deus meus, lux mundi, vita mea, gloria mea; noli facere, quod te video facere velle. At Jesus ait: *Quod ego facio, tu nescis modo; scies autem postea.* Ac si dicat: Noli timere, noli expavescere. Revera, Petre, magna sunt hæc humilitatis indicia, sed cito majora videbis. Sine modo, quia sic oportet fieri; licet nunc ignores hujus rei mysterium: scies postea. Mysterium est, exemplum est, quod iturus ad Patrem tibi relinquo. Ideo noli prohibere, quod facere volo. *Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum.* Absit à me, Domine, ut mihi laves pedes in æternum, in aliquo tempore. Respondit Jesus: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Quod dicit *te*, & non *pedes*, synecdoche ibi est, quando quod est partis, toti attribuitur. Ego sum aqua lavans, ego sum aqua sanctificans: *nisi te lavero, non habebis partem mecum.* Petrus audiens, *non habebis partem mecum*, totus intremuit: nihil jam contradicens magistro, non tantum pedes, sed totum se offert ad abluendum, dicens: *Domine, non tantum pedes meos, sed & manus & caput.* Quid est quod dicis, *Non habebis partem mecum*? O quam amarum est quod dicis, non habebo partem tecum! Nonne tu vita mea, dulcedo mea, tota spes mea, salus mea, & omne desiderium meum? Ecce me, fac quicquid vis de me, lava pedes, *& non solum pedes, sed & manus & caput.*

5. Sed, ô Domine Jesu, cum hoc sit verum, quod nullus possit partem habere tecum, nisi prius laveris eum; miserere mei, miserere mei. Ego sum ille totus peccator, totus immundus, totus fordidus: partem tecum habere cupio, tecum partem habere desidero. Ne despicias me, Deus salutaris meus. Propitius esto mihi peccatori; lava sordidum, lava inquinatum, lava pedes, lava manus, lava caput, immo totum corpus, lava mentem, lava animam, lava me interius & exterius; *lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Si laveris me, super nivem dealbabor. O Domine Jesu, quis dabit mihi ut venias in cor meum, & inebries me aqua tua; ut obliviscar mala mea præterita: & verbum bonum amplectar te, vita, quæ numquam morieris in æternum. Dulcis cibus animæ meæ, veni Domine, & noli tardare. Exspectat anima mea peccatrix, ad sufficienter pœnitendum & ad bene vivendum, tuæ gratiæ inspirationem. Dixisti Petro, *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Ego non sum Petrus lotus, totus lavari indigeo. Me tibi committo, fac de me quicquid vis. Tu autem, Domine, in æternum benedictus permaneas. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Hic innuitur Apostolos esse baptizatos, sed non legimus ubi. Qui lotus est baptismo, totus est mundus. Sed quia iterum terrenæ inhabitationis pulvere inquinatur, iterum opus est pedes lavare. Quos lavat Dominus interpellans pro nobis; & nos ipsi orando, in contritione cordis, & compunctione lacrymarum.

*Lotio per Christum nobis necessaria*
*Psal. 50. a*

6. Ille etiam qui in otio studet veritati, dum in aliis pulsanti sponsæ aperire pergit, pedes inquinat: quia veritas humiliter auditur, sed sine periculo non prædicatur. Hæc enim sponsa in Canticis canticorum se vitare velle demonstrat, ubi eam sponso exhortanti ad prædicationem, sic inquiens ait: *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Dixerat ei sponsus: *Aperi mihi soror mea, amica mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Ac si dicat: O soror mea, coheres mea, amica mea, conscia secretorum meorum; Columba mea Spiritu sancto illustrata; Immaculata mea terrenis curis exuta; *Aperi mihi*, id est, fac mihi per via corda errantium prædicando. *Caput meum plenum est rore*, id est, Deitas mea circumdata caritatis fervore est. *Et cincinni mei guttis noctium*, id est collectiones fidelium sententiis hæreticorum. Ad quem sponsa: *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?* id est, deserui sæcularia, quomodo repetam illa? Removi me à prædicatione, quomodo reincipiam? Lavi cogitationes & affectiones, quomodo inquinabor sordibus mundi? Sed hos pedes discipulis lavat Dominus per sponsionem suæ orationis, ubi dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

*Veritas sine periculo non prædicatur.*
*Cant. 5. a*
*Matt 6. b*

7. Quod sequitur, *Vos mundi estis, sed non omnes*, exponit Evangelista, cum dicit: *Sciebat Jesus quis eum erat traditurus, propterea dixit, non estis mundi omnes.* Sequitur: *Postquam lavit pedes eorum, & accepisset vestimenta sua, cum recubuisset, dixit iterum eis: Scitis quid fecerim vobis, ego Dominus & magister? Exemplum enim dedi vobis, ut & vos ita faciatis.* Hoc si memoriæ commendastis, expositum est. Postquam lavit pedes Discipulorum, id est impleta purgatione per sanguinem suum, accepit vestimenta, quia immortalis factus. Cum recubuisset, id est, cum ad dexteram Patris sedisset, dixit per Spiritum-sanctum missum, in linguis igneis. O beatos pedes, ô pedes felices, qui talem ac tantum meruerunt habere lavatorem! De pedibus electorum dico, de Judæ traditoris pedibus non dico. O beate Petre, ô felices Apostoli, ante pedes quorum adstitit humilis Creator Angelorum! ô beata purgatio! ô beata lavatio, quæ mundat leprosos, curat ægrotos, vulnera sanat, cicatrices solidat, lumen donat cæcis, gressum claudis, pulcritudinem fœdis, divitias egenis, mæstis lætitiam, pœnitentibus veniam, mortuis vitam! O grande gaudium, immensa lætitia!

8. Christus postquam lavit, vestimenta sua accepit; post mortem carnis, gloriam habuit resurrectionis. Post san-

guinis effusionem, accepit corporis immortalitatem. Deinde recubuit, deinde requievit, cælos ascendit, ubi sedet benedictus in dextera Dei Patris. De illo accubitu Discipulis intonat, instruit, docet per Spiritum-sanctum, & per ipsos intonat gentibus cunctis. Et quid dicit? *Scitis quid fecerim vobis? Vos me vocatis Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Hoc est quod promiserat Petro dicens, *Scies autem postea.* Hic invitat ad sciendum, quod prius nesciebant. Quod dicit. *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim*; non est de arrogantia, sed de veritate. Qui enim necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tanto magis verius humilitati jungitur, quanto & veritati associatur. *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Ego sum Magister, ego sum Dominus. Ego sum magister sine errore, ego sum magister sine falsitate: ego sum magister bonitatis, ego sum magister sanctitatis. Qui sequitur me, bene vadit, ambulare male non poterit. Ego sum Dominus vitæ, Dominus mortis, Dominus cæli, Dominus terræ, Creator cunctorum, & Dominus omnium. *Si ego* ergo *lavi pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Sicut prius exemplo, sic nunc eos verbo instruit Magister veritatis. Hic enim sumitur argumentum habendæ humilitatis. ac si dicat: Si ego qui sum Dominus & magister, lavi pedes vestros, & vos qui non estis magistri nec domini, debetis alter alterius lavare pedes. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis, ita & vos faciatis.* Et est sensus: Si ego lavi pedes vestros, id est, Si ego dimisi vobis peccata, qui sum Dominus Deus potens omnia; *& Magister, sciens omnia antequam fiant*: vos qui estis servi & discipuli, debetis in vos peccantibus dimittere, & pro eis orare. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Non eritis boni servi, si non fueritis secuti Dominum: nec veraces discipuli, si deviaveritis à doctrina magistri.

NOTA.

Prælatorum instructio ex Christi exemplo.

9. Audite Prælati, qui cathedram tenetis regiminis. Putasne tenetis exemplum Domini? Unusquisque nostrum conveniat conscientiam suam; gaudeat si tenet; si non tenet, jam non est discipulus Domini. Melius illi esset si haberet molam asinariam in collo, & demergeretur in profundum maris, quam ut esset sortitus nomen Abbatis. Melius illi esset, si esset custos porcorum, quam quod esset Abbas monachorum. O pelvis Domini! ô humilitas Christi, quam longe recessisti! O quam sunt rari, ô quam sunt pauci, qui aquam in pelvim mittant, & flexo poplite ad lavandum pedes discipulorum petant! Peccat frater, offendit frater, in aliquod delictum cecidit: non est pelvis, non est aqua, non est qui se præparet ad illum abluendum, sed potius ad expellendum. Discite Prælati, quod hoc non est de regula Christi. Ille lavit pedes discipulorum genibus flexis: & vos non vultis lavare sordes vestrorum conservorum totis corporibus in terram prostratis? Non est discipulus super magistrum. Peccat monachus, peccat conversus: pulverem portat in pede; immo forte toto corpore tabescit in cute. Tolle aquam, tolle doctrinam de pelvibus magistri, de præceptis Domini: curre ad eum non in equo Pharaonis, sed in humilitate Redemptoris; vultu placido, mente tranquilla, quam citius potes, lavare festina: ne pulvis vertatur in scabiem, scabies vertatur in lepram, & leprosus expellatur de grege Domini. Sed si obstinatus fuerit, & emendare noluerit, dicens, *Non lavabis mihi pedes in æternum*: dic & tu ei; *Si non lavero te, non habebis partem* cum Christo Domino. Postea si cum Petro assentire voluerit, lava eum cum omni humilitate, mansuetudine & misericordia; ut tu ipse misericordiam à Deo consequaris. Quod si non feceris, non tenes exemplum Christi; nec es discipulus Christi. Quod Christus fecit, facere dedignaris? Quod Dominus fecit, servum cur facere tædet? Non est servus major domino suo: nec apostolus major eo, qui misit illum. Sicut ego patior, & vos patimini: sicut me humilio, & vos humiliamini.

10. *Si hæc scitis* quæ feci & docui, *beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus dico: ego scio quos elegerim.* Non de omnibus dicebat; quia Judas apostata erat. Elegerat duodecim; sed unus diabolus erat Judas Iscarioth, qui contra Dominum levavit calcaneum: de quo ipse dixit, *ut impleatur Scriptura: Qui manducat panem meum, levavit contra me calcaneum suum.* O Juda infelix! dominicum panem manducas, & contra Dominum calcaneum levas? Heu quanti Judæ, qui panem Domini manducant, & Dominum in operibus suis calce percutiunt. Quanti de altari vivunt, qui altari non serviunt: immo Dominum altaris pro nihilo ducunt! Heu, quod magis dolendum est, quanti sacerdotes, sed falsi sacerdotes, qui panem Christi, corpus Christi sumunt ore, & Christum conculcant pede, putidi fœtore luxuriæ, infecti veneno nequitiæ! Isti sunt Judas Iscarioth, qui nisi se in melius commutaverint, utinam nati non essent. Sed tu serve Dei, monache Christi, tene exemplum, & habebis promissum: fac quod jussit, ut possis venire ad illam beatitudinem quam promisit. Sequitur.

Psal. 46.

Sacerdotes Christum sumentes pede conculcantes.

11. *Amodo dico vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit credatis, quia ego sum.* Et est sensus: Usque huc toleravi & tacui, sed jam noto proditorem antequam fiat, quod mox est faciendum; ut cum factum fuerit credatis, quia ego sum ille, de quo Scriptura illa prædixit. Vos ergo, fratres mei, discipuli Christi, cogitate quid Iscarioth fecit, & videte ne consimilia faciatis. Judas contra Christum levavit calcaneum: vos ante illum prosternite corpus & animam. Judas ab illo recessit: vos autem sequimini illum. Judas vendidit illum Judæis: vos autem vendite quæ habetis, ut possitis comparare eum. Non solum autem quæ habetis, sed etiam vosmetipsos pro amore tantæ pulcritudinis margaritæ pro nihilo reputetis, & illi soli placere, quantum potestis, contendite: ut ego & vos ad illius gaudia sine fine mansura, quæ ipse est, valeamus pervenire, per eumdem mundi Salvatorem, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Quomodo Judæ exemplum fugiendum.

## SERMO III.

Psal. 103.

1. Cum de jure conditionis humanæ omnem hominem exire oporteat ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam, & Scriptura non possit solvi: necesse est ut unusquisque dum in corpore vivit, operari non cesset quod sibi expediat in æternum. Nam cito veniet tempus & hora, quibus labor omnis & universa cura laboris cessabit: & tunc omnis homo secundum suum laborem mercedem habebit. Igitur cum nihil sit dulcius, nec æquius quam respicere in mandatis Domini, in lege Christi meditari elegi; quia mihi bonum est lex Redemptoris mei super millia auri & argenti; & de fructu laborum meorum cuilibet dare petenti. Tu autem, mi lector, ausculta diligenter; & quid tibi pro me loquatur Christus, observa. Ipse est quo nullus major, nullus melior: quo nullus pulcrior, nullus dulcior, nullus carior: gloria Sanctorum, decus Angelorum, auctor & creator cunctorum, qui ait discipulis suis: *Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit. Et qui me accipit, accipit eum qui me misit.* Postquam Dominus & Salvator noster suo exemplo docuerat humilitatem, & carnis passionem; supponit honorem, ut eos consoletur; affirmans quod ipse & Pater ejus in illis recipitur, qui pro illius amore recipiuntur. Hic est notandum, quod in misso non missi, sed mittentis auctoritas commendatur. Qui ergo accipit nuntium Christi, Christum accipit: & si Christum, & Patrem Christi.

2. Quid audis, ô Christiane? Veritas loquitur: veritas mentiri non potest. Ait enim: *Qui accipit si quem misero, me accipit.* Quem mittit? quis est enim nuncius? venit pauper, venit mendicus; advena est & peregrinus; non habet quod vestiat, non habet quod manducet, non habet ubi caput reclinet: venit ad januam tuam, ad domum tuam; non tamquam frater fratrem, non tamquam consors consortem, sed tamquam servus dominum petit panem, postulat vestem, apud te quærit hospitari pro amore Christi. Quid tibi videtur? Quis est ille mendicus, iste peregrinus, qui apud te pro amore Christi tam humiliter, tam suppliciter orat hospitari;

In pauperibus Christus suscipitur.

Missus Christi est, nuntius Christi est; non est solus; cum illo est Christus. Gaudens suscipe, gratanter refice, servi devote cum timore & reverentia magna: Christum suscipis, Christum reficis. Gaude & lætare, quod talem meruisti habere convivam. Felix mensa, beata mensa, in qua Christus convivatur, in qua Deus reficitur: infelix: mensa, cui deest talis conviva. O quam misera mensa, immo quam miser dominus mensæ; qui pauperem pellit à mensa, qui pauperi claudit misericordiæ viscera. O serve nequam, cujus viscera negligunt aperire marsupium pietatis. Nonne oportuit te misereri conservo tuo? Quis tibi donavit quod habes: nonne pauperis Dominus? nonne pauperis & tui Creator? nonne natura vos creavit æquales, & una eademque conditione estis exituri? Cur non te tangunt confinia sortis? Suscipe miserum, recollige mendicum & peregrinum; refice famelicum, vesti nudum, & operibus misericordiæ incumbe prout potes. Cum pauper petierit, manum aperire non differas: nam eleemosynam tuam cum paupere fratre suscipit Christus. Tu autem, mi lector, ne pauperem, quæso, abhorreas, sed tam cito cum illum videris, adorare ne negligas, licet sit scabiosus, sive leprosus, veste sordidus, anhelitu fœtidus, tamen brachiis caritatis astringe, & quod à te petierit, caritative impende. In veritate donas Christo, accipit Christus, ipsemet testis, ipse mentiri non potest, & in die judicii tibi redditurus est mercedem æternam. Sequitur.

3. *Cum hoc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, & protestatus est & dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet.* Turbatus Jesus ex nostra infirmitate, non ex sua potestate: nostra infirmitas in eo turbata est, non sua potestas, sicut & vere passa: voluntarie accipit turbationem, ne desperet servus necessitate turbatus. Qui turbatus spiritu, significat perturbandos spirituales ex caritate, cum urgens causa, zizania à tritico ante messem cogit separare, id est, ante diem judicii cogit excommunicare. Sed notandum est, quod sunt duæ perturbationes scilicet turbatio carnis, & turbatio spiritus. Turbatio carnis est passio carnis: turbatio spiritus est timor, anxietas & similia. Non carne, sed spiritu turbatur Dominus cum dicturus esset, *Unus ex vobis me tradet:* non quod tunc primum subito cognoverit, & repentinum malum eum turbaverit; sed quia jam eum fuerat expressurus, ut non lateret; & ille erat exiturus, & Judæos adducturus; turbavit eum proximum periculum proditoris, sicut superius dictum est, turbavit eum imminens passio, sicut inferius dicitur: *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam?* Hæc dixit appropinquante hora passionis. Turbatus est Dominus Jesus spiritu, & protestatus est quod occultum fuerat, & dixit: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Ac si diceret, unus ex vobis exiturus est, & tradet me: unus ex vobis, sed non vinculo caritatis unitus, est me traditurus. Aspiciebant ergo Discipuli adinvicem, hæsitantes de quo diceret. Non minima turbatio, timor & anxietas Apostolorum mentem vexabat. Putas quomodo Petrus & sancti Apostoli latebras mentis intrabant, ut si in auctorem vitæ saltem in cogitatione aliquid sinistrum putassent, non parum erant turbati, nam pallor qui erat in facie, declarabat dolorem qui vigebat in mente. 'At nil doloris gerebat, qui astutam rabido portabat sub pectore vulpem: non erat dolens, cui ingens dolor inesse debebat.

4. O bonitas Redemptoris! ô pietas Creatoris! neminem vult perire, sed omnes fieri salvos: specialiter non designat traditorem suum, ne fieret impudentior vel inverecundior manifeste deprehensus. Manifestat ergo crimen, & dat locum pœnitentiæ: ut proditor videns se latere non posse, agat pœnitentiam. Sed vir ille perditionis, nullius pœnitentiæ lamenta suscipiens, talis, vel pejor remansit, qualis fuerat prius, transiens in affectum cordis. Illi vero quorum ingens procella doloris corda turbabat, adinvicem aspiciebant, dubitantes de quo diceret: quia etsi nota fuit cuique conscientia sua, alterius tamen erat ignota. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. Felix, inquam, discipulus ille, cui sic erat familiaris auctor vitæ, quæ nunc est, & futuræ: nimis honoratus est discipulus ille, qui sui capitis habuit reclinatorium tam venerabile pectus scilicet Jesu, Jesu-Christi creatoris cunctorum. Jesus autem valde eum diligebat, quem tanto honore sublimabat. O quam bene quiescebat, qui supra pectus Christi quiescebat. O beate Apostole Dei, discipule Jesu-Christi, Johannes beate, utinam mererer illius dulcissimos pedes osculando lacrymis rigare, in cujus pectore tu meruisti dormire. Utinam faciem illius à longe saltem possem contemplari, in cujus pectore tam dulciter dormire meruisti. Hic enim de se quasi de alio dicit, ut rerum gestarum scriptor, non sui videatur prædicator esse. Per sinum sive pectus significabatur illud secretum, de quo bibit divinitatis sacramentum. Hunc diligebat Johannem non plus omnibus, sed familiarius, ut per pacem exiret de vita, non per passionem. Huic innuit Simon Petrus & dixit: *Quis est de quo dicit?* Sciebat autem Petrus, quod Christus quodam privilegio amoris Johannem diligebat, nec ei celaret suæ divinitatis secretum: innuit ideo ei Petrus, ut interrogaret eum, quis est? Itaque cum recubuisset supra pectus Jesu, dixit: *Domine quis est?* Et merito de proditore suo magistrum interrogare non timuit, cui jam in sinu Divinitatis, veritatis magister rimari secreta polorum monstravit. Et dicit, *Domine quis est?* quis est ille infelix? quis est ille nequam? quis est ille maledictus? quis est traditor tuus? illum mihi rogo ne celes, cui tuæ divinitatis secreta es dignatus revelare. Cui Dominus, *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotis.* Panis intinctio, significat fictionem Judæ, qui fictus amicus venit ad cœnam. Quæ enim tinguntur, non mundant sed inficiunt.

S. Johann. privilegium.

5. Sed quis panis iste fuerit quem Judas accepit intinctum; si Dominus dederit, lectorem meum, si audire dignabitur, non relinquam suspensum. Sed primum sciendum est, quod panis multipliciter accipitur in sacra Scriptura. Per panem aliquando intelligitur Dominus; aliquando gratia spiritualis; aliquando eruditio divinæ doctrinæ; aliquando hæreticorum prædicatio; aliquando subsidium vitæ præsentis; aliquando jocunditas humanæ delectationis. Dominus dicitur panis, sicut ipse ait: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Si volumus dicere quod Dominus fuit ille panis, quem traditor accepit intinctum, non relinquimus tramitem veritatis. Judas igitur panem intinctum accepit, quia Dominum Jesum tantum hominem & non Deum putavit. Buccellam intinctam, vel panem subcinericium intinctum comedit; quia etsi Dominum moriturum, tamen resurrecturum non credidit. Iste beatissimus panis fuit intinctus, cum pedes in cruce pro nostra salute fuissent fixi, visus est non habere speciem nec decorem. Hunc Judæi qui per Judam significantur, panem intinctum comedunt, quia Christum Jesum non Deum, sed purum hominem fuisse credunt; & mortem illius concedunt; sed resurrectionem adhuc non admittunt. Panem intinctum rodit, qui Filium Virginis ante omnia sæcula fuisse contradicit. Ab illo panis intinctus roditur, qui à fidei soliditate deviat; nec hunc panem solidum digne poterit manducare, qui fidem Catholicam voluerit infirmare. Dicitur panis gratia spiritualis, ut est illud propheticum: *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum: iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aqua ejus fideles sunt.* Et est sensus: *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem,* id est, qui suadentibus peccatis, quæ carne & sanguine nascuntur, non præbet consensum, *& qui claudit oculos suos ne videat malum,* id est, omni quod rectitudini adversum est, non appropinquat: *iste in excelsis habitabit:* quia quamvis eum adhuc caro in inferioribus retinet, mentem tamen sublimibus junxit. *Munimenta saxorum sublimitas ejus,* quia qui abjecta desideria terrenæ conversationis calcat, ad supernam patriam per præcedentium patrum exempla se sublevat: & quia per contemplationis donum gratia spirituali satiatur, apte subjungitur: *Panis ei datus est,* id est, donum gratiæ spiritualis percepit, quia se ab infirmis & imis cælestia sperando suspendit. Hunc igitur panem,

Panis quem Judas accepit qualis.

Johann. 6. f

Isa. 33. c

Hæc ex Greg. l. 23. Moral. c. 17.

scilicet gratiam, quam illi dederat Dominus, intinctum accepit, quia in Jesum consummatorem virtutum, non amorem, sed rancorem exercuit. Huic debebatur panis intinctus, cujus sanctitatem vultus palliabat sophisticus. Nam religionem simulabat in facie, quam non habebat in mente: sanctitatem prætendebat in veste, quam alienabat in corde: foris agnus in publico, intus lupus in occulto: foris discipulus Christi, intus discipulus diaboli. Multi enim hunc panem comedunt, quia religionem quam prætendunt in verbo, non ostendunt in facto. Quanti monachi in monasterio sancti Benedicti sunt, qui aliis lugentibus rident; aliis dolentibus gaudent; corpore claustrales, mente vagi, & numquam stabiles? Pigri ad lectionem, tardi ad orationem; in ecclesia dormientes, in refectorio vigilantes; de vigiliis longis dolentes, sed de longo convivio gaudentes; claustrum exsecrantes, auditorium diligentes; extra chorum pro infirmitate frequentius remanentes: infirmitorium non pro infirmitate carnis, sed pro desiderio carnis, torvis luminibus aspicientes; semper murmurosi & detractores. Quid aliud isti miseri agunt, nisi quod panem intinctum comedunt? Profecto isti tales traditorem Judam sequuntur, & cum Juda, nisi resipuerint, videant ne damnentur. Sequitur:

Judas communionem accepit.

6. *Post buccellam tunc introivit in eum satanas. Et dicit ei Jesus: Quod facis, fac citius.* Quidam enim putant quod tunc Judas corpus Christi acceperit. Sed sciendum est, quod jam omnibus distribuerat Dominus sacramentum Corporis & Sanguinis sui, inter quos & Judas fuit. Deinde per buccellam intinctam exprimitur traditor. Multi enim falsi religiosi & falsi tonsurati, cum pie religiosis communiter dominicum Corpus accipiunt, ab illis discerni non possunt, nisi per buccellam intinctam, quæ est detractio, murmuratio, inobedientia, verborum lascivia, occulta pecunia, & forte graviora peccata. Qui talis est, monachus non est, immo Judæ traditori consimilis est. Sed quisquis est miser ille, timeat pœnitendo quod sequitur; ne cum Juda traditore damnetur. Sequitur enim, *Tunc introivit in illum satanas* ut plenius possideret, in quem jam intraverat. Tunc introivit ut deciperet, & à consortio Apostolorum extraheret, ut eo jam non in occulto, sed manifeste utens libera potestate, in baratro perditionis mactaret & perderet. Et quod de traditore fecit, hoc de consimilibus facere non desistit. Nam quem diu in monasterio possederit servum, ad ultimum nec socium monachorum relinquit, & traditorem quem in monasterio tenebat, jam extra monasterium necat. Sed quoniam finem mundi citius affuturum esse non dubitat, calliditatem suæ nequitiæ mentibus pravorum occultat, ut ex improviso feriat subita morte, quos diu tenuit alligatos in malitia pravæ actionis. Et multos in monasterio usque ad mortem stare permittit, ut ex illorum perversitate alios corrumpere & evertere possit. Et quia pro incontingenti tenet, an in monasterio, an extra monasterium miseras animas occidat & mactet: nos illius insidias, Domino protegente, vitantes, quod dicitur scilicet, *quod facis fac citius*, exsequamur. Nam quod dicitur, *quod facis fac citius*, non præcipit, sed prædicit Judæ malum, nobis bonum, quia hoc vult citius fieri, non tam festinando in illius pœnam, quam in salutem fidelium.

Mos agendi satanæ cum malis monachis.

7. O amor interminabilis, ô caritas inæstimabilis, ô dilectio inscrutabilis: quod facis, fac citius. Illud cupio, illud desidero, illud quæro, ad hoc veni in hunc mundum. Quod facis, fac citius. Vis me vendere Judæis? volo vendi. Vis tradere? volo tradi. Vis ut crucifigar? volo crucifigi. Vis ut occidar? volo occidi, hoc amo, hoc affecto, *Quod facis fac citius.* Sed Jesu vita mea, totum desiderium meum, dulcedo non fallax, dulcedo delectabilis, dulcedo gloriosa, decus Angelorum, splendor & gloria Sanctorum, quantum, eos diligebas, pro quibus mori cupiebas? Nobis vitam, tibi mortem affectabas. O miserum me, quem hactenus tam nequiter offendi, quem olim sic abhorrui: heu Dominum Jesum, ipse est Dominus meus & Deus meus. Heu utinam mille annis in purgatorii igne essem cruciandus, antequam Do-

Ardor Christi pro passione.

A minus Jesus à me sic esset offensus. O mi lector, pro me lacrymas funde ad Dominum: ut tunc me clamantem audiat, pulsanti aperiat, consoletur lugentem, dolentem, pœnitentem benigne suscipiat. O Domine Jesu miserere mei. Redde mihi jocunditatem vultus tui. Qui pro peccatoribus dignatus es mori, me peccatorem rogo ne permittas æternis ignibus cruciari. O dilectissimi fratres, animadvertite, sedula cogitatione pensate, quantum est amandus, quantum diligendus, qui pro nobis est talia & tanta opprobria passus; qui se tradentem ad mortem sic hortabatur dicens, *Quod facis fac citius.*

8. Sequitur, *Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei.* Quidam enim putabant quia loculos habebat, quod diceret ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret. Loculos enim habebat, in quibus oblata servabantur suorum necessitatibus, & aliis indigentibus. In quo datur forma Ecclesiæ servandi necessaria, quæ jubetur non cogitare de crastino, ne pro terrenis serviat; vel pro timore inopiæ justitiam deserat. Cum ille accepisset buccellam, exivit continuo. Erat autem nox quando exivit filius tenebrarum, faciens opera tenebrarum. Nos igitur qui sumus discipuli Christi, videamus ne panem intinctum comedamus; religionem quam tenemus in veste, servemus in mente; & sanctitatem quam habitus exterior palliat, intus animus teneat; ne in hora noctis exeamus à Domino reprobati in stagnum ignis & sulphuris, cum diabolo concremandi. Illi pro viribus inhæreamus, quia bonum est illi adhærere. Adhæreat tibi Domine anima mea, ita tibi adhæreat, ut à te eam recedere numquam permittas, sed ad te, quæ pro te gemit, quam citius consolandam perducas. Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

B, C (marginal letters)

## SERMO IV.

1. VErbum Dei quanto amplius ruminatur in ore, tanto dulcius sapere debet in corde. Et verbi divini mens delibuta sapore se ingerit alabastrum unguenti cupientibus aperire: nec thesaurum diutius celari patitur, qui suscipit incrementum dum à pluribus erogatur. Unde non immerito divinorum fructus eloquiorum, quos de pomario Domini ipso sumpsimus largiente, præ suavitatum odore manibus portare quicumque gestierit, illi largiri gaudebimus. Sed rogo meum lectorem, ne illos ab amoribus sui cordis abjiciat. Nam odor hinc suavissimus emanat, qui corde contritos sanat, & vulnerum cicatrices consolidat. Odor iste omnium suavitatum in se continet monarchiam, quia omnem balsami odorem excedit, & quicquid in odoribus continetur. Hunc tantum ac talem odorem, si toto cordis olfactu odorare non desieris, in æternum proculdubio non peribis, quoniam est resurrectio & vita. *Qui credit in eum, etiam si mortuus fuerit, vivet.* Odor iste omnium odorum suavitas Dominus Jesus est: odor bonus, odor suavissimus, melle & lacte dulcior, nectare suavior, gemmis & auro pretiosior. Iste odor est verbum illud, de quo locuturi sumus: *Verbum* quod *caro factum est: & habitavit in nobis.* A verbo isto semper verba mea procedant, & nihil aliud quam ipsum valeant jam resonare, Dominum scilicet Jesum, qui de seipso ait: *Nunc clarificatus est Filius hominis.*

Verbi div. sapor & odor.

Johann. 11.

Johann. 1.

2. Exeunte Juda, pro quo dixerat, *Non estis mundi omnes*, remanserunt soli mundi, cum suo mundatore, in quo signatur clarificatio Christi, in qua separatis malis manebit in æternitate cum sanctis. Ita est. Sed aliam expositionem hic amor Christi requirit: quæ nec debet scribi sine lacrymis, nec sine lacrymis legi. Christus de proxima passione, immo de proxima morte, quam pro salute mundi exsolvere disposuerat, gaudet & tripudiat, lætatur & exsultat, & ait: *Nunc clarificatus est Filius hominis.* O Domine Jesu, fili hominis, fili Mariæ virginis, clarissime, dulcissime, speciosissime, vita Sanctorum, & dulcedo Angelorum, quomodo glorificaris, quomodo clarificaris? nonne tibi adhuc imminent vincula, verbera carnificum, opprobria hominum, & abjectio plebis? Sputa, clavi, colaphi, spinea corona, arundo pro sceptro, crux, lancea. An vinciri manibus

Christus mortem vocat suam clarificationem.

manibus à tergo, & vinctum ad judicem adduci, & tamquam latronem ad ludibrium poni, est clarificatio tua? An ascendere crucis patibulum, & tam triste ferre supplicium, estne lætitia tua? estne gaudium tuum mori, scilicet pro salute generis humani? Quid ad hæc dicemus? quid respondebimus, fratres mei? Hic vox debet silere, lacrymæ dicere: hic sermo tacere, & fletus clamare. Christus Deus noster pro nihilo, immo pro gaudio mortem ducebat, per quam nos à morte perpetua liberat. Et licet tam cito moriturus, tamen seipsum clarificatum dicebat: quia tunc sic patiendo, immo sic moriendo membra sua, fideles suos clarificabat.

3. O bone monache, ô bone Christiane, recogita annos tuos pravos in amaritudine animæ tuæ. Statue Christum sic crucifixum ab uno latere tuo, & tua peccata ab altero: & inter hæc positus vide quid agas. Contemplare Agnum, contemplare Christum Dominum tuum, sic in cruce extensum, pro te tam impie passum. Considera turpitudines carnis tuæ, pravas affectiones animæ tuæ. Funde lacrymas ad Crucifixum: te salvare paratus est, qui pro te talia passus est. *Nunc clarificatus est filius hominis.* Et bene filius hominis, & non hominum: quia sine virili semine de pura & intemerata Virgine natus, de Patre sine matre in cælis est genitus. Cujus mater est virgo, cujus pater feminam nescit*. Iste inquam filius hominis valde clarificatus est, quia quicquid filius Dei habuit per naturam, filius hominis habet per gratiam. In isto filio hominis, Mariæ scilicet Virginis, clarificatus est Deus. In quo est clarificatus? in salute languidorum, in illuminatione cæcorum, in resurrectione mortuorum, & in omnibus operibus suis Patris sui semper faciens voluntatem. Et Deus clarificavit eum in semetipso, quia unus Deus cum Patre; una Divinitas, una majestas: & hæc clarificatio est ab æterno. Hanc clarificationem morti appropinquans, secundum quod homo, à Deo Patre sibi dari postulabat, cum dicebat: *Pater clarifica me apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret.* Claritatem namque quam habebat secundum quod Deus, volebat habere secundum quod homo: ut humana natura Verbo unita, quæ tunc erat passibilis & mortalis, cito fieret impassibilis & immortalis. & hoc est quod dicitur: *Et continuo clarificabit eum.*

4. Tu ergo Christiane, qui cupis hereditatem habere cum Christo, Deum Patrem semper clarificare memento, in pura cogitatione, serena locutione, ordinata actione; in omnibus moribus tuis: ut te quicumque viderit, glorificet Deum & benedicat dicens: Benedictus sit Deus in cælo & in terra, quia talia operatur in servis suis. Profecto si cum Christo clarificaveris Patrem, cum Christo ejusdem Patris habebis hereditatem. Magnum est quod dico. Conditionis humanæ excedit dignitatem, hominem de terra terrenum, de pulvere pulverem factum, in cælum ad Christum ascendere, & assidue cum Christo regnare. Quis umquam audivit simile? quis umquam tale vidit aliquid? Revera magnum, immo nimis magnum: & licet tam magnum, tamen vere magnum. Ipsa Veritas dixit: *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.* Tu itaque, monache Benedicti, esto in veritate bonus minister Christi, religionem non simulans, sanctitatem non pallians, humilitatem non relinquens, usque ad mortem obedientiam tenens: & sic cum Christo regnabis, qui discipulis suis in consequentibus ait: *Filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Filiolos appellat, quos præ mentis teneritudine adhuc plenarie robur fidei non solidabat. Nam qui consueverant vivere lacte, nondum erant idonei ad vescendum solido pane. Et ideo filioli, quia parvuli, & tamquam parvuli in Christo lacte pascebantur, non esca. Noverant Christum secundum humanitatem: sed caligine mentis obducti, Christi vacillantes tenebant divinitatem. Possumus etiam dicere, quod præ amoris magnitudine discipulos suos filiolos appellaverit. Moris enim est parentum, parvulos suos filios delicatius enutrire, quam magnos: & sæpius amplecti, & crebrius osculari. Et cum de hac vita mortis acerbitas eos exire compulerit, circa parvulos totum gremium caritatis expandunt, eosque brachiis adstringunt, & in eorum oscula ruunt, magis parvulorum quam adultorum orbitatem plorantes. Et illi parvuli videntur, quos invicti amoris catena connectit: cum tutela paterna illis jam suffragari non possit. Tunc filios suos parvulos tenent in cogitatione, quos non minimos tamen in amore continent. Sic & Dominus noster suos discipulos filiolos appellavit, quos iturus ad Patrem non minimo caritatis affectu dilexit. Multum eos diligebat, quos jam filiolos appellabat.

5. Qui ait: *Modicum tempus vobiscum sum.* hoc est modicum illud tempus quo in hac carne mortali vobiscum sum, præsentem cernere me potestis. Sed tollam crucis patibulum, cito solvam mortis imperium. Cito veniet tempus & hora, qua jam non pro homine videar reputari: sed ero tamquam opprobrium hominum, & abjectio plebis. Tunc quæretis me, cupietis me sequi: sed timore mortis percussi, nondum ex alto virtutis induti, animam vestram pro me ponere non poteritis. & hoc est quod dicitur: *Quo ego vado, nondum potestis me modo sequi.* & est sensus: Vado ad Patrem, sed per foramen acus, per angustias passionis, per dolores mortis. Sed non potestis me modo sequi, quia pavidi & timidi, veluti hœdi in lacte matris ad immolandum nondum idonei: sed veniet tempus & hora, quibus penitus timore expulso, non solum crucis supplicium, sed quod nequius poterit excogitari tormentum, amore mei eritis subire parati. *Filioli mei, adhuc modicum vobiscum sum.* O Domine Jesu, adhuc caritas tua me compellit repetere modicum. Jesu, Jesu Domine meus & Deus meus, vita animæ meæ, peccatricis tuæ, præmium peregrinationis meæ: istud modicum tantum fuit amarum tibi. In isto modico factus es opprobrium hominum, & subsannatio populi: in isto modico sicut aqua effusus es, & dispersa sunt omnia ossa tua: in isto modico percussus est pastor, & dispersæ sunt oves gregis: in isto tam amaro modico, speciosus forma præ filiis hominum visus es non habere speciem, nec decorem: (*Isa. 53.a*) in isto modico David meus, immo Jesus meus, Dominus meus, ante portam civitatis in tympano suæ carnis tympanizabat, & psallebat dicens: *Heloy, heloy lamazabatani? hoc est, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* (*Mar. 15.d*) In isto modico Domina mea, Mater tua, virgo incorrupta, virgo intemerata, virgo ante partum, virgo post partum tui; Mater tua, immo martyr tua, martyr non ferro carnificis, sed acerbo dolore cordis, (Dolor Mariæ virg. in Passione Filii.) quam amare flebat, quam amare dolebat! Nec mirum, cum te videret unicum suum, totum desiderium suum, in cruce extensum, morti vicinum, immo inclinato capite tradere spiritum. Istud modicum, Domine Jesu, amarum tibi, & amarum dulcissimæ Matri tuæ, utinam amarum sic esset mihi, ut in isto modico fuissem juxta crucem Domini mei, ut quem adhuc videre non possum cum Patre manentem, saltem in cruce positum mortuum videre meruissem. Istud modicum, quam felix, quam jocundum, quam gloriosum fuit illi Latroni, qui in illo modico meruit à Domino suo audire: *Hodie mecum erit in paradiso.* O vox dulcis, ô vox delectabilis: *hodie mecum eris in paradiso!* (*Luc 23.f*) O Domine Jesu, quid dulcius, quid delectabilius, quid jocundius, quam esse tecum in paradiso? Nihil prorsus, penitus nihil. Quid ergo dicam, quid faciam, qui adhuc in hujus peregrinationis ærumna constitutus, tam longe exsulo à deliciis paradisi Dei mei? O bone Jesu, esto mihi Jesus. Recole Salvator, quid & propter quid passus es, & miserere mei. Ipsa te cogat pietas, * ut mala nostra superes parcendo, & voti compotem, me tuo vultu saties. (* *In Hymno Ascensionis.*) Tu esto meum gaudium qui es futurus præmium. Sit mea in te gloria per cuncta semper sæcula: qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas, &c.

## SERMO V.

1. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* (*Johann. 13.d*) Qui mandatum Domini non ignorat, necesse est, ut secundum illud vivere non negligat. Nam *servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis:* (*Luc. 12.f*) qui autem fecerit, divitiis & honoribus ditabitur multis, juxta quod Dominus omnium ait discipulis suis: *Beati eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* (*Johann. 15.b*) Dulcis Dominus dulce mandatum proposuit. Ait enim: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Mandatum nobis proponit amoris, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo,

Commendatio mandati amoris.

O bonum mandatum, mandatum dulce, mandatum delectabile, mandatum vitæ, mandatum salutis æternæ. In isto mandato omnis lex pendet & prophetæ. Hoc est illud unum mandatum, de quo dictum est: *Qui omnia mandata servaverit, offendat autem in uno*, id est, in caritate, *factus est omnium reus*. Unde Apostolus enumeratis gradibus quibusdam virtutum, de caritate protinus addidit dicens: *Caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Hæc est illa pretiosa margarita, quam dum invenit sponsa dilecti, *dedit omnia sua, & comparavit eam*. Hæc est illa scala, quæ in somnis Jacob apparuit, quam usque ad cælum tendi videbat: per quam quidam descendebant, & quidam ascendebant. Per hanc enim & Angeli descendebant, & nos ascendimus ad Angelos: quia sine hac scala nullus scandere potest ad cælestia regna. Et in ipso nixu scalæ ipse Dominus Angelorum inventus est, qui dicit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Iste, inquam, est Dominus, qui dat præceptum fratrem amandi, qui & à servis suis ex omni corde vult amari. Nec est magnum, si tantum diligit servus dominum, quantum dominus servum: immo magis à servo dominus debet amari, cum non illi servus, sed servo dominus valeat suffragari. Servus qui ex toto corde diligit dominum suum, illius tota virtute satagit observare præceptum. Et cujus præceptum despicitur, restat proculdubio ut ipse auctor præcepti negligatur. nam qui non diligit proximum in veritate, despicit Christi mandatum; & qui mandatum Christi despicit, despicit & Christum auctorem mandati.

Luc. 2. b — 1. Cor. 13. a — Matt. 13. f — Gen. 28. c

2. Nos ergo, dilectissimi fratres, & Christum diligamus, & ejus præcepta servemus, præceptum Domini lucidum, oculos mentis illuminans. Dulciora sunt Christi præcepta super mel & favum; & in custodiendis illis retributio multa, ipse Dominus Christus. Igitur, mi lector, regulam præcepti serva, & securus exspecta ipsum pro præmio auctorem habere mandati. Bonum mandatum, unde tantum & tale provenit præmium. Istud, inquam, mandatum à nobis irrefragabiliter debet observari, cum exinde Dominum Christum non dubitamus nos promereri. Hoc est illud mandatum, quod iturus ad Patrem reliquit Discipulis suis: immo istud est testamentum, quod moriturus dimisit heredibus suis. ait enim discipulis suis: *Mandatum novum do vobis*. Unde *novum*? Nuper inventum; non quia in veteri testamento non sit scriptum, *Diliges Dominum Deum tuum*. Quid est ergo *novum*? *Novum*, quia vetera ad novitatem perducit, & veteres homines transformat in juvenes. *Novum*, quia exuit veterem hominem, & induit novum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate & justitia veritatis. *Novum*, quia olim genus humanum, à paradisi gaudiis expulsum, nunc & quotidie transmittit in cælum. Sed quoniam multi se diligunt ea dilectione, quæ tramite veritatis non gaudet; ideo adjunctum est, *sicut dilexi vos*. Inter amorem & caritatem talis est differentia, qualis inter genus & speciem. Est quidam amor bonus, & est quidam amor malus, & amor mediocris. Amor bonus ipsa caritas est, qua diligimus Dominum super nos, & super omne quod est, & proximum nostrum tamquam nosmetipsos. Amor malus est caritatis inimicus, ut puta cœnosus, lubricus & fornicarius. Isti amores contrariorum, ut oppositorum inter se habitudinem sortiuntur: unus meritum, alius suo possessori acquirit supplicium: alius pœnam, alius gloriam: alius mortem, alius vitam: alius paradisum, alius infernum: alius Deum, alius diabolum. Amor medius est, qui nec caritati connectitur, nec amore cœnoso fœdatur: sicut amor filiorum, parentum & cognatorum, & aliarum rerum, quæ juste & sine periculo possidentur. Et ut isti amores duo ab illo amore qui est caritas excludantur, ideo addidit, *Sicut dilexi vos*.

Psal. 18. d — Cur dicatur Novum. — Coloss. 3. — Amor triplex.

3. Sed quis umquam hominum potuit vel poterit tale observare mandatum, quis umquam sic dilexit proximos, sicut Christus Apostolos? Nullus umquam. Unde notandum est, quia dictio, *sicut*, non est expressiva quantitatis, sed similitudinis; & est sensus, quomodo dilexi vos, eo modo diligite vos invicem. Quomodo nos dilexit? Audi. *Sic dilexit Deus mundum, ut unigenitum suum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Sic nos Deus Pater amavit, quod *unico Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*. Christus in tantum nos dilexit, quia pro nobis peccatoribus animam suam in mortem tradidit, & suo sanguine lavit nos à peccatis, faciens nos de peccatoribus justos, de mortuis vivos, de terrigenis cælites, de terrenis cælestes, de consortibus jumentorum consortes Angelorum. Benedictus sit iste amator, à quo in mandatis habemus, ut nos invicem diligamus, sicut dilexit nos.

Sicut similitudinem notat, non æqualitatem. — Johann. 3. b — Rom. 8.

4. Sed fortasse dicit aliquis: De hac dilectione vacillo; & quomodo diligendus sit proximus, minus perfecte intelligo. Mori quidem non possum pro fratre, sicut Christus Dominus voluit mori pro nostra salute. Ad quem ego superius dixit, quod dictio *sicut* non est expressiva quantitatis, sed qualitatis. Si non potes æque ambulare cum Christo, saltem à longe imitare vestigia ejus. Si non vales diligere proximum tuum plusquam teipsum, quod Christus fecit moriendo pro salute generis humani; saltem dilige eum tamquam teipsum, hoc faciendo illi quod ab eo tibi vis fieri. Sed dices forte: Nec hoc possum, cum id non imperandi, sed consulendi modo dictum sit. Si hoc observare non potes, vide ne facias alteri, quod tibi non vis fieri. Sic autem diligendus est proximus, ut in illo semper diligatur Deus. Si sic diligis proximum, complesti mandatum. Sic enim debet diligi proximus, ut amoris causa sit semper Deus, non autem proximus. Si enim tantum propter seipsum diligitur, jam non erit caritas, sed amor medius: vel forte, quod absit, amor pessimus: & qui tali amore cæcantur, nisi pœnituerint, Christi amore æternaliter privabuntur.

Causa amoris proximi Deus.

5. Nos ergo fratres, qui à Christo Christiani vocamur & sumus, spretis omnibus terrenis transitoriis atque caducis cum totis amatoribus cæcis, illi soli adhærere cupientes, in fraterna caritate fundemur, ut illius mereamur vocari & esse discipuli, qui Apostolis suis, & nobis per ipsos mandavit dicens: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*. In hoc enim discernuntur filii lucis à filiis tenebrarum, discipuli Christi à discipulis diaboli, si gremium caritatis invicem & ad omnes extendunt. Extra sinum amoris, nullum valet relinquere caritas. Omnia complectitur, & continet universa, atque se erogat cunctis communem. Caritas est affectio mentis, brachiis amoris Christum adstringens. Caritas amor immensus, cælum terramque complectens: caritas invincibilis amor, qui numquam minis vel suppliciis cedere novit. Caritas indissolubile vinculum amoris & pacis: caritas est contemptus mundi & amor Dei: caritas, regina virtutum, ad nullius vitii pavet occursum, dotata sanguinis Christi censu, in fronte vexillum bajulans crucis, cunctos adversarios in fugam convertit; nec est qui possit resistere viribus ejus. Huic nil mali accidere potest, sed semper & ubique manet secura. Hæc est illa arma & scutum, quæ rogat Propheta in certamen positus Dominum accipere, cum dicit: *Apprehende arma & scutum, & exsurge in adjutorium mihi*. Isto scuto se gaudebat protectum fuisse idem Propheta, cum dicebat: *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. Quicumque tali clypeo protectus fuerit, hostium cuneos penetrabit securus. Ista est lapis adamantinus, qui frangi non potest, & cuncta frangentia frangit. Ista est fortis armatus, qui inimicum sua virtute prosternit, & hostem suum nequissimum cum omni exercitu suo, gladio utraque parte acuto perimit & occidit. Hæc amica Regis æterni: non timet intrare ad eum confidenter. Intrare lectulum Salomonis, & requiescere dedignatur, nisi super pectore Christi.

Johann. 13. — Caritatis elogia & effecta. — Psal. 34. — Psal. 5.

6. Si inter nos, fratres, dominabitur hæc regina virtutum, profecto cognoscent omnes pusilli & magni, quod vere erimus discipuli Domini. Qui non habet caritatem, jam non est ejus qui dedit mandatum caritatis. Caritas est dilectio Dei & proximi: & qui non diligit proximum, superest ut non diligat Deum; & qui non diligit, odit. Ergo qui odit fratrem suum, odit caritatis auctorem. Nos ergo, fratres, quos amor Christi congregavit in unum, ex toto corde & ex tota mente diligamus Dominum

Exhortatio ad amorem Dei & proximi.

Christum, & proximum nostrum tamquam nosipsos; & pro illius amore non solum amicos, sed etiam inimicos non tantum non odientes, sed etiam diligentes. Hæc est schola Christi, hæc est doctrina Spiritus-sancti. Si quis de hac schola exierit, & in hac doctrina non perseveraverit; mihi credite, fratres, in æternum peribit. Discipulis autem Christi, amatoribus caritatis, dabitur ipsa multitudo dulcedinis, divitiæ æternæ beatitudinis, gaudia æternæ felicitatis, quæ gaudia ipse nobis largiri dignetur, qui in Trinitate perfecta regnat & vivit Deus benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO VI.

1. Sequitur, *Dixit ei Petrus: Domine quo vadis?* Ad hoc respondit Petrus quod Dominus superius dixerat: *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Hæc verba, *quo ego vado, vos non potestis venire*, Petrus audire non potuit sine acerbo dolore. & ideo non ad præsentia, scilicet, *Mandatum novum do vobis*, &c. sed ad præterita, scilicet, *quo ego vado vos non potestis venire*, respondit, dicens: *Domine quo vadis?* Sicut enim manus sui corporis edocta frequenter palpat dolorem: sic lingua cordis amica, celare non patitur ipsius cordis amaritudinem; & quod interius mens concipit in dolore, lingua exterius parturit in apertione. Unde nonnumquam vis doloris in mente concipitur, & per palatum vocis formatæ, lingua scilicet, aperitur. Ideo lingua Petri dolorem celare non poterat, quem interius in corde tenebat. Audito, *Quo ego vado, vos non potestis venire*, vix postea Magistrum loquentem sustinuit. Unde expleto de mutua dilectione mandato, nimio circumsæptus dolore de absentia futura Domini sui, statim sermonem tantæ auctoritatis interrumpit Magistri, & totus exclamat tristis in voce dicens: *Domine, quo vadis?* ac si diceret: Mutuam caritatem, quam nobis commendas, illæsam & incontaminatam, te donante, servabimus: & quicquid aliud præceperis faciemus. Sed istud verbum quod dixisti, scilicet, *quo ego vado, vos non potestis venire*; nos magna replevit amaritudine. Et quo vadis? Cur nos deseris? & cui nos desolatos relinquis? Jam sine te vivere nolo; noli me derelinquere, noli me deserere.

2. Ad quem Dominus: *Quo ego vado, non potes me modo sequi; sequeris autem postea.* Et est sensus: Non te desero, non te derelinquo: ego te præcedo, de invio faciens viam, de semita stratam, de timore securitatem, de morte vitam. Pavidus es, timidus es, nondum es confirmatus, me modo non potes sequi. Ego te præcedam ad opprobrium, ad patibulum, moriendo, resurgendo, ad cælos ascendendo. Non es idoneus ad præmium, quia nondum paratus es ad patibulum. Non potes me sequi vitam, quia pro me nondum paratus es ad mortem: *Sequeris autem postea.* Mittam promissum Patris Spiritum-sanctum in vos, qui confirmabit vos: *Et eritis mihi testes in Jerusalem & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ*; & tunc me sequi eris paratus. Cui Petrus: *Quare non possum te sequi modo?* Non timeo pœnam, non timeo mortem: *Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* Quid est quod dicis, *Non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam.* Ad quem Dominus: *Animam tuam pro me pones?* Falleris Petre, nondum es paratus, nondum ex alto virtute vestitus. Cum fueris ex alto virtute vestitus, tunc animam tuam dabis in mortem. Sed nunc prope est, ut timore mortis meæ neges vitam, & occidas animam tuam: ut neges te meum esse discipulum, & occidas spiritum tuum: properat tempus & hora, quibus me negabis, ut te salvare jam possis: non cantabit gallus, donec ter me neges. Quicquid sones in verbis, *antequam gallus cantet, ter me negabis.* Et est sensus: Antequam gallus cantet, me negabis. Quæ negatio erit trina, sive ante primum cantum galli, sive secundum.

3. Quo dicto, timor & tremor & ingens dolor Discipulos omnes invasit. Nec mirum. Audierant, quia dixerat Dominus Petro, *Antequam gallus cantet, ter me negabis*; qui omnibus erat sanctitate præstantior, amore devotior, fide robustior; qui jam confessus fuerat Jesum esse filium

A Dei, dicens ad eum: *Tu es Christus filius Dei vivi.* & timebant, ne illud idem quod Petro, sibimetipsis contingeret. Et quia tantus vir eum erat negaturus, in illo quodammodo titubabant, & quod à mortuis tertia die resurgeret, non perfecte credebant. Nec non & ideo quia Dominum, quem in præsenti audiebant loquentem, non longe post futurum credebant moriturum. Ibi mæror & luctus, vox una plangentium. Certi erant de absentia tam dulcis Magistri, de futura morte dulcissimi Domini sui, & eum adhuc in carne viventem cernebant, & tamen illum quasi jam mortuum lugebant. Tunc ad memoriam revocabant dulcissima fluenta doctrinæ, quæ ab illo acceperant; salutes, quas dederat ægris; insuper & vitam, B quam reddiderat mortuis; benignissimam & dulcissimam familiaritatem, quam semper circa illos habuit: & videbant se ab eo tam subito deseri. Tunc amarissime flebant, mihi credite, fratres, ut & ipsi jam consolari non possent. *Mat. 16 c*

4. Quos ut Dominus vidit amarissime flentes, eos de sua morte consolari voluit: sed puto, quia non tum voluit, immo magis illos instigabat ad luctum, dum eis dicebat: *Non turbetur cor vestrum.* Miror si Dominus Jesus non infremuit spiritu, & non turbavit seipsum; dum discipulis flentibus diceret: *Non turbetur cor vestrum.* Credo, propter quod & loquor, ait Dominus meus Jesus benedictus omni tempore sæculi flentibus discipulis suis: *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum? & in me credite.* ac si diceret: C Non turbemini de absentia mea, de morte mea. Potestatem habeo ponendi animam, & iterum sumendi. Tribus diebus mortuum jacebit corpus in tumulo, & post tres dies resurget immortale & impassibile. Tribus diebus & tribus noctibus fuit Jonas in ventre ceti, & Filius hominis tertia die resurget à mortuis. *Non turbetur cor vestrum:* ego qui resuscitavi Lazarum, possum resuscitare hoc corpus meum; ego qui resuscitavi filium viduæ, ultra tres dies non detinebor à morte. *Creditis in Deum? & in me credite.* Nolite timere pro morte carnis meæ: ego sum Deus, qui suscitabo carnem. Opera quæ ego feci testimonium perhibent de me. Si creditis in Deum, sequitur ut in me credere debeatis, quia ego sum Deus. Et ne D dubitarent se apud Deum in æterna vita cum Christo mansuros, sequitur & dicit: *Johann. 14 a* *Christus mæstos discipulos consolatur.*

5. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et est sensus: In æterna vita vos mecum regnabitis, in qua sunt multæ mansiones, id est multæ dignitates: quia ibi alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum. Domus Dei Patris, est ista prædestinatio & præscientia ejus. In hac domo unusquisque perfectus habet mansionem pro numerato denario, qui idem omnibus datur. qui denarius est una, & non diversa in æternitate vivendi mensura. Vel aliter, Domus Patris mei est templum Dei, regnum Dei, homines scilicet justi: in quibus multæ sunt differentiæ. Et hæ sunt mansiones ipsius domus, scilicet illæ dignitates, quæ E sunt paratæ in prædestinatione, sicut Apostolus dicit: *Qui elegit nos ante mundi constitutionem* prædestinatione, sed sunt sperandæ in operatione. unde Apostolus: *Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit.* Et hoc est quod dicit: *Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum: & si abiero & præparavero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Et est sensus: In domo Patris mei diversa sunt præmia meritorum. &, *si quo minus*, id est, si non essent, *dixissem vobis* hoc, scilicet, *vado parare vobis locum.* Sed quia ibi sunt præparata per prædestinationem, non est opus ut alias illic mansiones per prædestinationem præparem. Et quoniam nonF dum sunt in operatione, addit: *Sed si abiero & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum: ut ubi sum ego, & vos sitis.* Ac si diceret: In domo Patris mei habetis mansionem per prædestinationem: sed vado ad Patrem, & illas vobis præparabo per operationem. In domo Patris mei habetis æternam mansionem: sed jam non potestis ad illam venire, nisi per magnum laborem. In domo Patris mei mansiones habetis tantum ex gratia Dei & dono: sed volo ut illas jam habere debeatis ex me. A vobis recedo secundum divinitatem, & præparabo vobis, secundum meam humanitatem; *Ephes. 1 a* *Rom. 8. f* *Christus quomodo præparaverit nobis locum.*

illam ineffabilem beatitudinem; quam vobis paravi ab origine mundi secundum divinitatem. Illa ineffabilia gaudia vitæ perennis utcumque percipere non potestis, nisi prius fuero carne solutus, & iterum eadem carne vestitus. Ascendam in cælum, & mittam vobis Spiritum-sanctum, qui vos sic doceat operari per operationem & gratiarum actionem; quatenus regnum æternæ felicitatis, quod vobis paratum est per prædestinationem, habere debeatis per operationem.

6. Dominus Jesus quotidie fidelibus suis locum præparat, dum carnem suam Deo Patri pro salute generis humani fuisse passam demonstrat: & sic nobis locum, quem paraverat per divinitatem, jam illum nobis tribuit per suam humanitatem. Quotiescumque aliqua bona facimus, jejunando, orando, legendo, meditando, pro peccatis sive pro desiderio Christum videndi lugendo, visitando infirmum, saturando famelicum, & sic de reliquis bonis quæ longum est enarrare; semper ille locus beatus ab illo nobis præparatur in cælis qui dixit: *Sine me nihil potestis facere*: sed tunc nos introducet in illas beatissimas mansiones, si in ejus fide & dilectione vixerimus cum venerit reddere unicuique secundum opera sua. Et hoc est quod dicit: *Iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* quod est dicere: Apparebo in judicio, & introducam vos in illas mansiones, ut ibi mecum maneatis in æternum. O summa, ô felix beatitudo, habitare cum Christo! Quis ad hanc felicitatem, ad hanc tam gloriosam beatitudinem pervenire valebit? Quis erit tam felix, quis sic summe beatus, ut possit regnare cum Christo; videre gloriam ejus & pulcritudinem ejus?

*Johann. 15. a*

Suspiria ad videndum Jesum.

7. O Jesu, Jesu, utinam merear te videre, mi Jesu! Credo in Deum, & in te credo; & tamen valde turbatur cor meum. Non turbaretur cor meum, si audissem à te: *Non turbetur cor tuum.* sed anima mea nunc valde turbata est, non quia non credam in te, sed quia modo te videre non possum. Nihil aliud volo, nihil aliud quæro, nihil aliud desidero, nihil aliud cupio; nisi te videre Dominum & Deum meum: & quia te quæro, & non invenio; voco, & non respondes mihi. Te videre desidero, & te videre non possum, cum tu ipse sis tantum desiderium meum. Tu mihi testis es, Veritas, quia valde turbatur cor meum: sed confido in misericordia tua, quia adhuc te videbit anima mea; & satiabor de te, & à te, & in te, & per te, non meritis meis, sed miserationibus tuis magnis & multis; & quod videbo te Deum Salvatorem meum, cum tu veneris judicare sæculum per ignem. Sed rogo te per teipsum, & per illam quæ te genuit Matrem, ut cum veneris ad judicium, attrahas me ad teipsum, ut ubi nunc es, possim & esse tecum & cum discipulis tuis, quibus ad Patrem iturus dixisti: *Et quo ego vado scitis, & viam scitis.* Sciebant enim te ire ad Patrem, & te viam esse per quam venitur ad Patrem, qui vivis & regnas cum eodem Patre, in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

## SERMO VII.

1. Dixerat dominus Discipulis suis: *Quo ego vado scitis, & viam scitis. Cui Thomas dixit: Domine nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire?* Thomas, qui dicitur Didymus, id est dubius sive dubitans, unde ipse dubitabat, alios dubitare credebat. unde dicebat: *Domine nescimus, quo vadis.* Sed convincit eum scire Magister veritatis: quia sciebant eum, quod ipse est via. Ergo viam sciebant: & ipse est veritas, & vita: & ipsum sciebant, quia sciebant veritatem & vitam, ad quam ipse vadit. Ipse est via secundum quod est homo; & veritas & vita secundum quod est Deus. Per se itaque viam vadit ad veritatem & vitam, quia secundum hominem glorificatum redit ad se Deum. Unde plane convincit eos scire quod se nescire putabant, cum dicit: *Ego sum via*, per quam eundum; *& veritas*, ad quam veniendum; & *vita*, in qua permanendum. *Ego sum via* sine errore, *veritas* sine falsitate, *vita* sine morte. *Ego sum via* in exemplo, *veritas* in præmisso, *vita* in præmio. *Ego sum via* habilis, *veritas* irrevocabilis, *vita* interminabilis. *Ego sum via* lata & spatiosa, *veritas* potens & copiosa, *vita* delectabilis & gloriosa. *Ego sum via* incipientium, *veritas* proficientium, *vita* pervenientium. *Ego sum via* lucis & serena, *veritas* vivens absque pœna, *vita* felix & amœna. *Ego sum via* in patibulo, *veritas* in inferno, *vita* in resurrectionis gaudio. *Ego sum via*, in qua non est spina vel tribulus; *veritas*, in qua non est falsitatis stimulus; *vita*, in qua reviviscit mortuus. *Ego sum via* recta, *veritas* perfecta, *vita* sine fine mansura. *Ego sum via* reconciliationis, *veritas* retributionis, *vita* æternæ beatitudinis.

Christus via, veritas & vita *Johann. 14. a*

2. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* ac si dicat: Nemo venit ad me veritatem & vitam, nisi per me viam; & nemo venit ad me Deum, nisi per me hominem assumptum. Ego per assumptam carnem mortalibus facio foveam, per quam venitur ad veritatem & vitam; & viam moriendo facio, resurgendo, ad cælos ascendendo, ubi ego sum veritas & vita, Deus verus, Deus æternus. Miser homo de terra terrenus, semper gibbus, semper proclivis, semper æger, semper infirmus; ad gaudia paradisi, unde expulsus fuerat, per se redire non poterat, nec ad veritatem & vitam, quod Deus est, per se ascendere valebat. Sed venit Verbum in carnem, Deus ad hominem, & Verbum caro factum est, & Deus factus est homo. Inclinavit se Verbum ad carnem, Deus ad hominem; & sic genus humanum non solum ad paradisum, sed etiam portavit ad cælum, ubi est esse verum & esse æternum, veritas quæ semper fuit & erit, vita beata & semper beata, quæ nec principium habuit, nec habebit finem. Unde nobis terrigenis homo Deus factus est via, & nos perduxit ad veritatem & vitam, ad se videlicet Deum & hominem. Et hoc est quod dicit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* ac si diceret: Nemo venit ad me Deum, nisi per me hominem, hominem à Verbo assumptum; nemo venit ad Patrem, nisi per me, qui sum homo & unus Deus cum Patre.

3. Unde sequitur: *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis; & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.* Si cognovissetis me idem esse cum Patre, utique & Patrem meum cognovissetis, quia ego & Pater unum sumus: & per me cognitum cognoscetis eum, & vidistis eum corde, dum me ei per omnia similem vidistis. Philippus vero non intelligens illum omnino simillimum esse Patri, dicit ei: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Erant quidam illorum, qui non putabant Filium ex toto similem Patri, sed Patrem majorem & meliorem: & ita nec Patrem, nec Filium sciebant. quorum unus erat Philippus, ideo dicit: *Ostende nobis Patrem*, qui major te est, in quo sufficientia est, & non in te. Unde increpans Jesus illum nec etiam Filium scire ait, dicens: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* Vere non me novistis, quia si me novissetis, & Patrem novissetis. Filium non novit, qui Patrem meliorem credidit: non quia alius sit Pater, alius sit Filius; sed quia omnino similis. Et ideo quia omnino similis est Filius Patri, sequitur & dicit: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem*; cum omnino similis sim Patri? Quomodo tu dicis. *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis?* Video quo animo dicis: non quæris alterum similem, sed putas meliorem. Cur inseparabiles separatim vis noscere? *Non credis, quia ego in Patre & Pater in me est?* Quod non potes videre, vel saltem crede. *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor*, quia non sum à meipso qui loquor: ei retribuo quæ facio, de quo ipse sum qui facio. *Pater in me manens ipse facit opera*, inter quæ sunt verba, illa quæ bona sunt opera, cum aliquem ædificant; & cum Pater in me faciat opera, *Non credis quia ego in Patre & Pater in me est?* Si enim separatim essemus, nullo modo inseparabiliter operari possemus.

*Amen quam vim significandi habeat*

4. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. Amen, amen* ingeminat, ut quod dicit verius affirmet. *Amen* hebræum est, & in se continet quasdam significationes diversas. *Amen* dicitur adverbium affirmandi, & adverbium optandi, ut hic cum dicitur, Hoc bonum tibi contingat, respondetur, *Amen.* Et in fine orationum cum dicitur, *Per omnia sæcula sæculorum*,

respondetur, *Amen.* & est sensus; Quod rogas Dominum, hoc optamus. Adverbium affirmandi, ut hic, *Amen dico tibi*, id est, in veritate dico tibi. Cum vero geminatur, magis quod dicitur affirmatur. *Amen, amen* à Domino dicitur, ut quod dicit, esse verum sine dubitatione credatur. Poterat enim credi suo simplici verbo: sed quia discipuli ejus adhuc infirmi erant& imbecilles in fide quæ per dilectionem operatur, non credentes quod unam & eamdem haberet potestatem cum Patre; inde ab eo *Amen* ingeminatur, ut quod promittit, nulla dubietate frangatur. *Amen, amen dico vobis*, id est, in veritate dico vobis, *qui credit in me*, hoc est, esse unum Deum cum Patre, venerando & amando, *opera quæ ego facio & ipse faciet*, id est, opera quæ per me facio, posteà faciam per eum; *& majora horum faciet*; ego siquidem per eum, *quia ad Patrem vado.* Ad illum vadit, à quo numquam recessit secundum divinitatem.

5. Majoris meriti est credere nunc in eum, quia eum non videmus, quam si eum videremus. Postquam ascendit ad Patrem, per eum majora facta sunt miracula, quàm ea quæ fecit in persona sua. Ad tactum fimbriæ vestimenti ejus, una tantum mulier fluxum sanguinis patiens refertur esse sanata: postquam vero cælos ascendit, umbra Petri nonnullos ab omni languore curavit. Majora miracula est operatus per Petrum, quàm fecerit ipse. Antequam ascenderet in cælum, pauci per prædicationem suam sunt conversi ad Deum: sed postquam ascendit in cælum, una die quinque millia, & alia die tria millia ad prædicationem Petri ad Dominum referuntur conversi. Antequam ascenderet in cælum, notus tantum erat in Judæa: at postquam ascendit cælos, se per Apostolos suos jam toti mundo innotescere fecit; quia in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In mundum venit, & mundus eum non cognovit: sed postquam reliquit mundum, & ascendit in cælum, per totum mundum fama ejus intonuit. Et hoc est quod dicit Propheta in persona illius: *Singulariter sum ego donec transeam:* quia incognitus sum, & incognitus ero, donec transeam ad Patrem. *Sed cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Majora ergo sunt opera, quæ nunc facit per suos fideles, quia est in dextra Patris: quàm ea quæ fecit, dum sederet in gremio Matris.

6. Sequitur: *Et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam*; id est, quicquid petieritis ad salutem animarum vestrarum, hoc dabo vobis statim vel postea. Multi enim sunt malarum tentationum stimulis impediti, qui gementes & dolentes, in nomine Domini ab ipsis petunt liberari, quibus grave est & valde laboriosum belligerare cum illis. Timent ne deficiant; adjutorium à Domino postulant ne succumbant: qui si cito non habent auxilium à Domino quod implorant, se ab illo derelictos existimant: & quia differt illis subvenire, credunt de seipsis Dominum non curare. Sed non est ita: immo eos magis diligit, quos quasi solos cum tentationibus diu pugnare permittit: quia crescente pugna, gloriosiorem illis ministrabit victoriam: & quanto fuerit robustior pugna, tanto gloriosior dabitur illis corona. Non titubet, non dubitet athleta Christi, qui prœliatur contra astutias Serpentis antiqui; qui pugnat pro percipiendis gaudiis paradisi; non lassescat, non discedat à bello; instet fortiter, dimicet acriter, viriliter agat & confortetur cor ejus: quia cito veniet Dominus, & manu potenti conteret brachium peccatoris & maligni: postea callido hoste devicto, cum Christo regnabit in æternum & in sæculum sæculi. Meminerit enim esse scriptum per Prophetam: *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.* &, *Multæ sunt tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Quicquid vult petat à Domino, tantum pro salute animæ suæ petat. Non curet si differatur: quia si differtur, non aufertur, immo cum haberi cœperit, carius possidetur. Hoc enim petamus in nomine suo, quod Patrem petere docuit Apostolos suos, dicens: *Cum orabitis Patrem, sic dicetis: Pater noster qui es in cælis, &c.* Quod si aliud petimus quod ab hac petitione discordet, inanis est petitio nostra: si petierimus salutem animæ nostræ in nomine ejus, illam dabit nobis. Et ne putent ut illud quod promisit, sit sine Patre facturus, sequitur & dicit: *Ut glorificetur Pater in Filio.* quia quicquid Filius facit, ideo facit ut glorificetur Pater in ipso. Vel aliter, *Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Nomen Domini Jesus est. Hoc nomen fuit ei impositum secundum humanitatem. Hic ergo est sensus: *Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* id est, Quicquid petieritis me secundum quod sum homo, dabo vobis secundum quod sum Deus: *ut glorificetur Pater in Filio*, Deus in homine sibi unito. Illud quod addidit, *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*, id tantum confirmat quod superius dixit. nam repetitio sermonis, confirmatio est operis.

7. Nos ergo, dilectissimi fratres, hoc ab illo petamus, ut sua gratia nos præveniat ac sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos. In nomine ejus ipsum solum petamus. Certe nimis est avarus, cui non sufficit Christus. Nam qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit, *Pars nostra Dominus*, nihil extra Dominum habere potest. Iste profecto felix est & beatus, qui tanto dono ditatur: nec ultra jam pauper erit, qui omnium datorem bonorum pro hereditate tenebit. Si aliquis petierit argentum, aurum, possessiones, variam supellectilem; credite mihi, quia in nomine Jesu non petit, & cum istis partibus Dominus non dignatur fieri pars vel hereditas ejus, nisi omnia illa vilia ut stercora reputet pro dilectione & amore Dei. Sed nos, quibus Dominus est portio, nihil debemus curare præter Deum, ne alterius impediamur munere necessitatis. quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui atque huic nostro decerpitur officio. Unde nihil aliud debemus curare, nisi qualiter Christum in hereditate mereamur sortiri, pro cujus amore renuntiavimus proprio & propriæ voluntati. Hæc est illa hereditas, dilectissimi fratres, quæ beatos suos facit heredes. Jam illum ulterius paupertatis angustia non coarctabit, qui talem ac tantam hereditatem habebit. Ista, inquam, est hereditas in terra viventium, hæc est portio quam petit Propheta à Domino, dicens: *Portio mea, Domine, sit in terra viventium.* Ad hanc hereditatem se præparabat Apostolus cum dicebat: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* O quàm feliciter ad hanc ardebat cum aiebat: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Modo cum Christo regnat, quia in hoc mundo soli Christo vivebat: modo cum Christo beatus regnat in cælis, quia illum ex toto corde dilexit in terris; & illi nunc est junctus in patria, quem toto desiderio concupivit in via. Nos ergo, dilectissimi, ab ipso ipsum solum petamus, & nihil aliud nisi ipsum solum de omni corde quæramus; & sic ad percipiendam tantam ac talem hereditatem, quæ ipse est, perveniemus. Quod ipse nobis Christus largiri dignetur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, amen.

## SERMO VIII.

1. Sequitur, *Si diligitis me, mandata mea servate, & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum & non scit eum.* Ex isto capitulo solo conjicere possumus, utrum vere diligamus Deum. Illum in veritate diligimus, si ejus mandata servamus: & si ejus non servamus mandatum, certe nec diligimus eum. Non potest ex una parte diligi, & ex altera parte contemni. Ipse enim dicit: *Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit.* Ille cum Domino habitare meretur, qui pro suo posse ejus mandata servare conatur. Frustra enim se cum Domino habitare dicit, qui ejus mandata servare contemnit. Non vos fallat, dilectissimi, vestis religiosa: mihi credite, non diligitis Deum, si illius mandata non observatis. Quomodo possumus Dominum diligere habitu, si eum contemnimus actu? Dilectio Dei non quærit vestem, sed nostram mentem: nec quærit opinionem, sed tantum bonam actionem. Probatio dilectionis exhibitio est operis *. Hoc enim est quod Dominus dicit, id est, *Si in veritate diligitis me, mandata mea servabitis.* Ad hoc ut perfecte vos me cognoscam

Psal. 72. d

Religiosi nihil curare debent præter Deum.

Psal. 118.

Philipp. 1. d

Ibidem.

Christum is vere diligit, qui ejus mandata custodit.

Luc. 11. c

* S. Greg. Hom. 30. in Evang.

diligere, mea mandata servate, & ego rogabo Patrem. Hic enim monet diligere, mandata servare, ut accipiant Spiritum-sanctum: quem nisi habeant, non possunt diligere, nec mandata servare. Unde sequitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Rogat homo quod Deus dat; ipse pro nobis rogat, qui nobis rogata dat. Deus ipse pro nobis rogat secundum quod homo, quando nos facit se rogare Deum. Tunc enim Patrem rogat pro nobis, cum nos illum rogamus, unum cum Patre Deum esse credentes.

2. Quod vero sequitur, *Et alium Paraclitum dabit vobis*, hoc est alium quantum in persona, non quantum in natura vel in essentia. *Dabit vobis;* non quod ipsi non haberent, sed quia habebant minus & occulte, & accepturi erant amplius & manifeste. *Ut maneat vobiscum*, hoc est, vos illustret & doceat prædicare regnum Dei, & evangelizare, & vos credere faciat me esse Patri æqualem, quem nunc creditis esse minorem. Maneat etiam vobiscum in æternum, ut ad videndum æterni luminis claritatem introducat; & me esse unum Deum cum Patre & eodem Paraclito sicut cito credetis, facie ad faciem contemplari possitis. Paraclitus dicitur advocatus vel consolator. Iste est advocatus fidelium, iste est defensor & protector in se sperantium, sine quo nihil est validum, nihil sanctum. Iste suos protegit, iste defendit, iste pro illis pugnat quos in æternum glorificat: iste, inquam, est consolator mærentium, pater orphanorum, maritus viduarum. Quorum est mærentium consolator? Mærentium de perpetratione delicti, de pœna futura commissi. Mærentium, quia & seipsos peccando perdiderunt, & regem gloriæ Christum ad iracundiam provocaverunt. Mærentium, quod illum spreverunt in delicto, qui pro illis fuit mortuus in ligno. Mærentium, quia spem vitæ suæ Christum auctorem salutis videre non possunt. Hos autem omnes consolatur Spiritus Jesu. Consolatur eos in hac vita præsenti in spe, & consolabitur in vita beatæ felicitatis in re. Iste, inquam, *Spiritus veritatis* dicitur, qui Patri & Filio est consubstantialis & coæternus, Spiritus veritatis, Spiritus bonitatis. Omnia quæ docet bona sunt, nullo errore falsitatis obducta.

Spiritus-sanctus quorum sit consolator.

3. Hunc Spiritum veritatis viri impii & mendaces accipere non possunt. Omnes enim qui habent manus pollutas, non dico carnis, sed mentis; non stercore cœni, sed fœtore delicti; eum tam mundum, tam splendidum, tam gloriosum, non valent capere, non possunt tenere, nequeunt possidere. Hunc mundus non capit, hoc est mundanus mundi cultor, mundi amator. Amatorem mundi odit Spiritus Christi. Ab illo fugit, quem aliud nisi seipsum amare cognoscit. Ita vult amari, ut nihil aliud propter ipsum ametur. Perfecte vult amari qui solus vult diligi. Non vult consortem habere in amore, qui parem non habet in dilectionis retributione. & tamen sic vult amari, ut cunctæ res simul amentur cum ipso; & sic vult amari, ut nihil præter ipsum ametur. Omnis enim creatura jure creationis ab illo est, & omnis creatura in eo quod est creatura, bona est. Debet ergo ad hoc diligi creatura, ut in ipsa Creator ametur; non ipsa per se, sed per eum qui illam creavit. Qui enim sic diligit aurum, argentum, possessionem, variam supellectilem, ita quod hæc sunt sibi causa amoris; profecto non est in illo caritas Patris. Diligendus est ergo Creator in cunctis creaturis, & cunctæ per ipsum creaturæ: & sic cuncta diliguntur cum ipso; & tamen ipse solus diligitur. Hunc capere non meretur, qui scabiem ulcerosam habet in pelle: nec eum videre jam valet, qui in occulto mentis albuginem habet. Mundandus est ergo oculus mentis, ut mereamur videre Spiritum veritatis; & testa igne examinata, diutius ab omni scabie radendum est corpus, ut omni arte exsculptum & bene politum, Spiritus-sancti mereatur effici templum. Sic debemus agere, sic debemus facere; si ad videndam speciem claritatis illius volumus pervenire. Si sic fecerimus; & cum Apostolis Jesu illum cognoscemus, & apud nos manebit in hac præsenti vita, & nobiscum erit in vita perenni. O quàm felix sponsa, ô quàm beata anima, quæ sic studet assidue mentis lavare sordes, ut cum illa habitare dignetur tantæ beatitudinis hospes.

Deus solus propter seipsum amandus, cetera propter ipsum.

Mundandus animus ad videndum Deum.

4. Sciat, quemcumque litteram nostram legere delectat, quod in anima subdita peccatis non habitat ille speciosus Spiritus veritatis. Sola illa anima peccatis esse subjecta dicitur, quæ sic loris suæ pravitatis ligata tenetur, quæ nec vult, nec quærit per pœnitentiæ lamenta suæ iniquitatis vincula dissipare, nec liberatoris animarum auxilium implorare: sed, quasi impudica meretrix, ultro & importune corruptoribus suis se revoluta prostituit. Illa vero sub peccatis non dicitur, quæ pro viribus contra cuncta carnis incentiva abstinentiæ mucrone luctatur, sine quo stulte de flore castitatis se jactat, qui contra illa quæ de carne & sanguine nascuntur peccata, per afflictionem carnis & per pinguedinem mentis non fortiter instat. Nam pereunt cupidinis arcus, cum corpori nostro subtrahitur cibus & potus: sed dum per obnoxia venter distenditur; mens, caro, & castitas incontinentiæ necesse est famulentur. Nam dum voluptati se gula inclinat: & manus oris amica ultra quàm natura requirat, id est, gula arvinæ ministrat; corporis arvina nutritur, & ipsa luxuria roboratur. Ut ergo castitas vigeat in mente, caro mactetur abstinentiæ falce. Non enim est illi parcendum, si Spiritus-sancti fieri volumus templum. Ipse nos ab omni inquinamento carnis & spiritus sic mundare dignetur, ut dignum illius mereamur effici templum hîc & in perpetuum, in unitate cujus vivit & regnat Christus cum Patre Deo benedictus in sæcula sæculorum, amen.

Castitas [...] abstinenti[...] seu morti[...] cati ne ca[...] nis pericli[...] tur.

## SERMO IX.

1. Sequitur: *Non vos relinquam orphanos.* Omnis enim qui hujus miseræ peregrinationis vias ærumnosas adhuc ambulare compellitur; quem amor & desiderium Christi, sui exsilii & vitæ beatæ immemorem esse non finit: capitulum istud sine gemitu & suspiriis legere, ut arbitror, non valebit. Credo, propter quod & loquor. Quomodo Crucifixi amator, istud capitulum legendo, lacrymas poterit continere: dum ipsum resurgentem totum desiderium suum, in dextera Patris sedentem adhuc non valet videre? O Domine Jesu, nisi amor tuus mihi fiduciam daret, me orphanum à te crederem esse derelictum, quia te, sicut es, videre non possum. Dixisti enim Apostolis tuis: *Non vos relinquam orphanos; veniam ad vos.* Sed ego miser adhuc non merui à Domino meo audire: Non jam te ultra relinquam orphanum, cito veniam ad te, & gaudebit cor tuum. Omnis à me interim recedat lætitia, quousque veniam visurus quem desiderat anima mea. Mærorem semper habebo amicum, quousque videbo Deum Salvatorem meum: nec mihi gaudium jam esse poterit, dum auctorem gaudii à me longe sic abire contigerit. Felix, inquam, illa anima, quæ quotidie gemit & luget, quia auctorem omnium, mundi Salvatorem Christum non videt. Ipsa profecto ridebit in die novissimo, & gaudens gaudebit in æternum cum Christo. Illa vero quæ non gemit de Christi abscessu, videat ne irrefragabiliter ploret in ejusdem Christi adventu. Illa sponsum suum non amat, quæ pro desiderio illum videndi aliquo tempore non suspirat. Non enim Christum perfecte amare convincitur, qui pro desiderio Christi suis oculis lacrymas non largitur: sed ille non poterit à Christo diutius separari, qui pro ejus amore quotidie didicit lacrymari. Cito veniet ad suos dolentes, & absterget omnem lacrymam ab oculis eorum: & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed gaudium æternum de visione Christi, qui dixit discipulis suis: *Non vos relinquam orphanos.* Et est sensus; *Non vos relinquam orphanos*, id est, non ita dabitur Spiritus per me, ut ego non sim vobiscum. *Non vos relinquam orphanos.* Orphani græce, latine pupilli. Hic indicat se esse Patrem illis. Veniam ad vos post resurrectionem carnis, qui vobiscum sum semper præsentia majestatis divinæ. *Et adhuc modicum, & mundus jam non me videt; vos autem videbitis me.* Bonis tantum apparuit Christus post resurrectionem, non pravis, & perversis amatoribus mundi. Possumus dicere, quod modicum tempus dicitur totum tempus nostræ mortalitatis: quo finito auferetur impius, ne videat gloriam Dei, quam videbunt justi.

Johan. 14.

Animæ d[...] absentia D[...] lecti geme[...] tis felicita[...]

2. Quod autem dicitur, *Ego vivo, & vos vivetis*, sic est intelligendum, Ego vivo qui sum vita, & per me vitam vos vivetis. Hoc verbo præsenti, *vivo*, semper usus est, quia mox erit futura resurrectio. Ad illos utitur futuro, quorum est in fine futura resurrectio. *In illa die vos cognoscetis, quia ego in Patre, & Pater in me est; & vos in me, & ego in vobis.* ac si dicat: In die novissimo, quando completa fuerit vestra resurrectio, cognoscetis quomodo creditis, quia ego in Patre modo, tamquam radius in sole, unum cum ipso, & vos in me ut palmites in vite; & ego in vobis, ut in palmitibus vitis. Sed mundus nec nunc videt, nec tunc videbit Deum in sua majestate fulgentem. Quis est iste mundus maledictus, à quo videri non poterit Deus? Maledictus, inquam, maledictus, & ultra quàm dici potest maledictus erit, qui Dominum Christum æternaliter non videbit. Mundus eum non videbit; mundus, id est mundi amator. Amatores enim mundi, mundi nomine vocantur. Nemo se seducat: quicumque diligit mundum, mihi credat, non diligit Deum. & si non diligit, unde videbit? Qui non diligit Deum cæcus est. Videre eum non potest qui non habet cor mundum, cor mite, cor mansuetum, cor caritatis dulcedine plenum. Oculorum lumen amisit, nec ipsum veri luminis auctorem videbit. Si ergo Deum videre desideras, cor tuum ab omni lepra peccati mundificare non negligas. Memento ore Veritatis fuisse prolatum: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sed mundus non videt eum, quia non habet cor mundum.

3. Mundus dicitur pluribus modis. Dicitur mundus trina machina rerum, cælestium, terrestrium, & infernorum, cælum, & quicquid cæli ambitu continetur: dicitur mundus amor mundi, ut hic: *Adhuc modicum & mundus me jam non videt:* dicitur & mundus qui est ab omni sorde lotus & mundus, sicut est istud, *Mundi per abstinentiam ipsi canamus gloriam.* De illo solo mundo, immo de illis solis immundis, scilicet amatoribus mundi, dicitur: *Mundus non videt Deum. Nam qui diligit mundum, non est caritas Patris in eo.* Valde sibi adversantur ad invicem amor mundi, & amor Dei. Si amor mundi habitat, non est quo intret amor Dei. Amor Dei hominem revocat à mundo, & amor mundi hominem à Deo. Unus dejicit, alius extollit: unus suum possessorem dejicit in infernum, alius sublevat, & transmittit in cælum. Amor mundi totum mundum quærit, & numquam satiatur; immo cum plus habet, plus cupit semper habere: amor Dei unum cupit semper habere solum, illo contentus est, nil aliud jam possidere peroptat. Amor Dei nihil aliud quærit nisi solum Deum. Valde nobilis est amor iste: omne pulcrum dedignatur amare, præter inviolatæ pulcritudinis florem, illum scilicet qui dicit: *Ego sum flos campi & lilium convallium*, Omnia quæ sunt, quæ Christi non sunt, non solum non quærit, sed etiam tamquam stercora putrida abdicat & subsannat. Cuncta spernit, cuncta despicit, omnia sibi vilescunt, quia ei solus Christus dulcescit. O felix amor, ô beate amor, qui te habent, beati sunt: qui te habent, felices sunt; nimis est felix, nimis est beatus, cujus tantum est dilectio Christus. Habeamus, dilectissimi, hanc felicitatem, habeamus nostri Creatoris dilectionem. In hoc cognoscitur amator Christi, si servat præcepta Christi. Unde sequitur:

4. *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* Qui habet in memoria & servat in vita: qui habet faciendo, & servat perseverando. Vel qui habet in sermonibus, & servat in moribus: vel habet audiendo, & servat faciendo: *Ille est qui diligit me.* Multi sunt enim qui Domini mandata habent, & ea minime tenent: multi habent in libro, sed ea non tenent in animo: multi in voce, sed non in opere: multi in memoria, sed non in vita: multi in verbo, sed non in exemplo. Illi profecto non sunt de dilectoribus Christi: isti, inquam, plagis vapulabunt multis: istis erit fletus & stridor dentium: ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars pœnæ eorum cum diabolo & angelis ejus. Sed diligentibus Christum magnum erit gaudium, magnum erit tripudium, magna exsultatio, magna gloriatio. Sequitur enim: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Quid tibi videtur amator Christi, cultor Dei, despector tui, de præmio amoris tui? Quid tibi mali poterit nocere, aut quid tibi boni poterit deesse; si ille te diligit qui de nihilo cuncta creavit? O nimis felix & ultra quàm dici potest beatus, quem pie diligit Deus Pater, & Filius ejus cum Spiritu Christi & Dei! Quid, inquam, felicius, quid beatius, quàm ab eo diligi, qui est Dominus paradisi: qui habet potestatem vitæ & mortis, damnare & salvare, damnare quos odit, salvare quos diligit? Sicut enim salvare non potest, quos odit: sic damnare non potest, quos diligit. Sed ô Domine Jesu, quid facies dilectoribus tuis? dic rogo quid facies? Sic dic, ut audiam; nam & ego sum, licet peccator, qui diligo te: quod erit præmium tuæ dilectionis, quisve fructus tui amoris? dic & lætifica animam meam de præmio. Qui te diligit ex toto corde suo, illud attendit, illud exspectat: pro eo quod tantum differtur, gemit & quandoque plorat. Quod est illud, dic ut fratres audiant & intelligant, intelligant & quærant, quærant & inveniant, inveniant & accipiant, accipiant & teneant, teneant & ament: ament quantum possunt. Quid dabis dilectoribus tuis? quid manifestabis illis? *Manifestabo eis meipsum.* Ubi sunt qui gemunt, ubi sunt qui lugent pro dilectione regni æterni, pro absentia Christi? Gaudeant & exsultent: quia Jesus manifestabit se illis.

5. Audistis, Fratres, audistis dolentes, audistis lugentes pro desiderio Christi, pro amore dilectissimi Domini Plasmatoris, Redemptoris, Salvatoris, totius paradisi, dulcedinis, gloriæ & splendoris, gaudii & jocunditatis: audistis de præmio vestri laboris, de dono quod dabit Jesus meus, & utinam meus, dilectoribus suis. Dilectori meo, inquit, manifestabo meipsum. O summum gaudium, ô immensa lætitia! Quid dulcius, quid gloriosius, quid beatius quàm illum videre facie ad faciem, cujus pulcritudinem sol & luna mirantur; quem sancti Angeli vident & videre desiderant semper, & numquam de ejus visione satiantur: qui est decor cæli, dulcedo paradisi, fides viventium, spes morientium, & salus omnium Jesus-Christus, Dominus noster? Nihil carius, nihil melius, quàm ipse Dominus diligentibus se. Non promittit aurum, non argentum, non gemmas, non lapides pretiosos, non cælum, non terram: sed seipsum Creatorem omnium & Deum cunctorum. Hoc est præmium amoris, meritum tuæ dilectionis, qui Dominum Jesum super omnia diligis, dico non voce, sed opere; non veste, sed mente; non habitu, sed affectu; non in simulatione, sed in veritate: seipsum tibi manifestabit, seipsum tibi dabit. Vis amplius? Quæris aliud? Vile est, quicquid sine ipso est. Diligis illum? Vide ergo ne aliud quæras ab eo, nisi seipsum. Dedignatur contra petentem, si ipse petitionis causa principalis non fuerit: quamvis omnia bona donet, libentius donat seipsum. Noli timere de magnitudine, de nobilitate doni. Dilige eum ex toto corde, ex tota mente, & sic poteris ad eum secure accedere, ad eum intrare, & dicere ei: Volo Domine, ut tu mihi portio sis in terra viventium. O felix portio, ô beata hereditas! O Domine Jesu, quis mihi dabit, ut in veritate dicere possim: *Dominus pars hereditatis meæ?* Utinam tu mihi sis præmium mei laboris, merces meæ peregrinationis, & consolatio mei mæroris. O Jesu qui es causa mei amoris, tu mihi sis causa sufficiens possidendæ tantæ possessionis.

6. Sequitur: *Dicit ei Judas, non ille Iscariotes, Domine quid factum est, quia nobis manifestaturus es teipsum, & non mundo?* Audito, quod mundus non videbit eum, sed potius ipsi videbunt: pro omnibus quæsiturus quærit Judas causam hujus discretionis. Hæc est autem causa ex Domini responsione, Dilectio; per quam solam discernitur gens sancta à non sancta: & quod causa sit dilectio, probatur in custodia sermonum, sicut dicit Dominus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* In hoc enim probatur dilectio Dei scilicet in observatione & custodia mandatorum Christi, quia *probatio dilectionis exhibitio est operis* *. Frustra enim se Deum diligere dicit, qui mandatis ejus suis operibus contradicit. Immo illum ha-

Felicitas amatorum Christi.

Præmium ipse Deus.

* S. Greg.

[Left margin notes, partially cut off:] ...is non ... ; ... 5. a ... acce- ... multi- ... m. ad ... mundi ... or Dei ... vicem ... xii. ... a ... ta Dei ... m in ... ria, ... in mo- ... habcn-

bet odio, qui ejus non obsecundat mandato. Nemo se tegat sub habitu religionis, nullus sibi palliare sanctitatem præsumat sub tegmine monastici ordinis. Ille tantum diligit Christum, qui pro suo posse ipsius satagit observare mandatum. Cum enim videris monachum ad contumeliam humilem, ad opprobria patientem, suis devotum Prioribus, in moribus mansuetum, tacitum ad loquendum, assiduum ad silentium, in claustro attente legentem, in ecclesia suis vocibus Christum cum omni devotione laudantem, si non continue, tamen quotidie lacrymantem, parcum in refectione, ad obedientiam promptum, ubique proclivum, ubique inclinatum, ubique verecundum; ore cælum pulsantem, semper ad Dominum corde clamantem, cultorem proximi, & contemptorem sui, cunctos diligentem, seipsum odientem; tunc dicere poteris: Monachus iste sui Creatoris servat mandatum. O quàm felix, ô quàm beatus est monachus talis! Profecto iste monachus sui laboris habebit præmium Dominum Jesum. Sed ille qui caritatem non habet, qui ejus non servat sermonem, jam non est ejus. Quod ergo erit præmium istius? Ignis & sulphuris amnis, mors & infernus præmium ejus. Utinam tu natus non esses, si tibi talis debetur hereditas. Igitur si præmium, quod Christus est, habere desideras, illius sermonem serva, scilicet, Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem. Si diligis Christum, necesse est ut diligas fratrem tuum. Ergo ne incurras odium Christi, teneas illæsam caritatem fratris tui.

Notæ boni Monachi.

7. Magnum præmium sequitur inde. Quod præmium? superius dictum est, & adhuc repetere libet. Istud præmium quanto amplius ruminatur in ore, tanto magis mellescit in corde: & quantæ sit dulcedinis non ignorat, qui ut illud jam habere valeat, assidue pro viribus elaborat. Præmium fraternæ dilectionis amorem Christi & Dei Patris sui ipsa Veritas ait: *Si quis sermonem meum servabit, diligit me, & Pater meus diliget eum.* Si Pater Deus te diligit, quid tibi boni deesse poterit? nihil. Quicquid enim petieris impetrabis, immo ipsum Dominum largitorem omnium bonorum sine fine cum sanctis Angelis possidebis. Nonne ille est summe beatus, quem Deus Pater diligit, & Dominus Jesus-Christus Filius ejus? Felix, inquam, nimis, quem Pater & Filius & Spiritus-sanctus diligit Deus. O si me diligeret Deus meus, creator meus, redemptor meus! jam nihil amplius in hoc mundo quærerem. Mihi in hac vita solus sufficit amor Christi. Amor Christi dulcis est, & delectabilis & jucundus. Sanitatem ægris, lumen cæcis, mæstis lætitiam, peccatoribus veniam, mortuis vitam, terrigenis cælum, consortibus jumentorum consortia Angelorum largitur & tribuit, insuper & ipsum Dominum Angelorum & Creatorem cunctorum.

Diligi à Deo, quanti.

8. *Qui me diligit*, ait Dominus Jesus, *& Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Venit Deus ad hominem, dum homo venit ad Deum. Venit homo credendo, obediendo, intuendo, capiendo: Deus venit ad hominem subveniendo, illuminando, implendo. hoc enim procedit ex caritate Christi, hoc totum provenit ex amore Dei. Caritas te domum Domini facit, & Dominum domum tibi. *Deus est caritas, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Felix artifex caritas, quæ conditori suo talem domum potens est fabricare. Domus ista non constat ex cæmento & latere, nec lapide, nec ligno, nec auro, nec argento, nec lapide pretioso. Omne aurum excedit, argentum supereminet universum. In ejus comparatione lapides pretiosi vilescunt: nil est quod valeat comparari pulcritudini ejus & speciositati. Mel comparatum dulcedini ejus sic est, quasi absinthium comparatum dulcedini mellis. Omnia quæ sunt quantumlibet pulcra, quantumlibet speciosa, in ejus comparatione nec reputari debent. Domus ista est domus æterna, ante omnia sæcula, ante omnia tempora; omnia continens, universa complectens, omnia creans, universa vivificans. In hac domo cæci lumen, claudi gressum, curvi rectitudinem, infirmi sanitatem, mortui resurrectionem cuncti qui intrant accipiunt. Nullus miser in ea: in ea cuncti beati. Qui intrat in eam, intrat in

Quomodo Deus veniat ad hominem, & vicissim.

1.Johan. 4.c

Amor Dei præparat habitaculum Deo.

A gaudium Domini sui, quod ipse est: & hic habebit se optime æternaliter in optimo, qui est Deus benedictus per sæcula.

9. O dilectissimi fratres, nonne hæc pretiosa domus super mel & favum dulcescit in cordibus vestris? nonne anima Christiana, Jesu-Christi sponsa dilecta, tuis paranymphis animabus Sanctorum & spiritibus angelicis imperans flendo, & plorans rogando, dices, *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto, quia ejus amore langueo?* Parum illum diligis, si pro ejus amore quotidie non ploras & gemis. nam illius absentia sponsæ diligenti solet fluvius esse lacrymarum. Cum illum quærit & non invenit, vocat & non respondet, nil nisi flere eam delectat: & ut ei magis B flere libeat, omne quod triste est coacervat. Scio & certus sum, quod absterget Deus omnem lacrymam ab oculis ejus, cum venerit dies nuptiarum Christi Ecclesiæ, tempore illo quo fuerint Virgines introductæ in thalamum Regis æterni. Sed quomodo ab oculis tuis abstergit lacrymas, si pro ejus amore non gemis & ploras? Credo quod parum illum diligis, si pro ejus amore non suspiras & plangis. Si sic es, monachus non es. Sed dicis mihi: Ego non possum flere. Ad quem ego: Ideo non ploras, quia Christum perfecte non amas. Lacrymæ ergo testes amoris sunt. Si non ploras pro amore patriæ, plange tamen pro timore gehennæ. Sed dicis: Nec hoc possum. Cui ego: Si hoc non potes; nec times mortem, nec amas vi- C tam; & si timeres, aut parum, aut ex toto nihil. Tu autem cui servatur hereditas in æterna vita, Deum time, & ejus mandata custodi. *Qui non diligit me*, ait Dominus Jesus Filius Dei, *sermones meos non servat.* Nos illum pro viribus diligamus, & illius præcepta servemus, quia inde magna sequitur merces.

Cant. 5

Piarum lacrymarum commendatio.

10. Quod vero sequitur, *Et sermonem quem audistis, non est meus*, sic est intelligendum: *Sermo quem audistis, non est meus*; & est ibi quædam figura quæ dicitur *Antiptosis*, quando casus ponitur pro casu. Rogo te, ne te moveat, ne te conturbet, qui totam spem tuam ponis in Dominum Jesum-Christum, & ex toto corde diligis illum, credens illum esse verum Deum cum Patre & Spiritu-sancto, il- D lud quod dicit: *Sermonem quem audistis, non est meus, sed Patris:* quia ego non sum à me, sed à Patre. Sum Deus de Deo, lumen de lumine, Filius de Patre. Unus cum illo in essentia, in majestate, in divinitate, in virtute, in potentia, in creatione rerum: non posterior eo vel prior, non major, nec minor; sed omnino illi æqualis. Alius sum in persona, non alius in natura: nam *alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus-sancti.* Verba quæ ego loquor vobis, Patris mei sunt: quia ipse me misit; & ego sum ab ipso: & verba mea sunt ab ipso. Vel aliter: Sermo quem audistis, non est meus, id est, non est assumpti hominis, sed Dei assumentis: non est Filii hominis, sed est Filii Dei: non est meus secundum quod natus sum de Virgine, E sed est meus secundum quod sum genitus à Deo Patre: non est meus in eo quod sum filius Virginis, sed est meus in eo quod sum Filius Dei Patris. Superius dixit: *Qui non diligit me, sermones meos non servat:* hic autem dixit: *Sermonem quem audistis, non est meus.* Superius dicit, *sermones meos:* nunc autem dicit: *Sermonem quem audistis, non est meus.* Valde contraria sunt, *est*, & *non est: sunt*, & *non sunt: est meus*, & *non est meus: sunt mei*, & *non sunt mei.* Et tamen sicut Veritas loquitur, ita est. Sunt sui, in quantum Creator, non in quantum creatura: in quantum Deus, non in quantum homo. Sunt sui, quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Non sunt sui, sed Patris, *quia factus est obediens usque ad mortem, mortem* F *autem crucis.*

Christi ... mo quo... do non...

Athanas. Symbolo.

Johan. 14.

Ibidem.

Johan. 1.

11. Vel forte hoc dicit, ut Discipuli ejus, qui nondum in illum perfecte credebant, firmius sua præcepta tenerent, & obnixius observarent; dum scirent illa præcepta esse Dei Patris factoris & creatoris cunctorum. Majoris enim sublimitatis, majoris excellentiæ & dignitatis semper videtur pater esse quàm filius: hoc dico in humanitate, non in divinitate; quia in divinitate Filius Patri est æqualis, non eo posterior, non eo minor; *Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* Ut ergo illius verba carius tenerent audita discipuli

Athanas. ibid.

cipuli sui, & eorum sequaces, dixit illa esse sui Patris. A Ac si diceret: Ea quæ præcipio vobis, irrefragabiliter debent observari, nec in totum, nec in partem ratio ulla permittit convelli, quia non sunt mea, sed Patris mei. nam ego à Patre sum Filius; unde verba mea & opera non sunt mea, sed Patris. *Pater in me manens facit opera sua*, per me dat vobis præcepta. Homo de terra terrenus, trabea mortalitatis indutus in hac valle lacrymarum, à gaudiis paradisi expulsus, Deum loquentem non merebatur audire in hoc ærumnoso exsilio, cujus præcepta contempsit adhuc positus in paradiso, & quæ via sibi remansisset redeundi ad patriam, nec miseriam excogitare valebat. Sed illius misertus Dominus suus, quærere venit errantem, consolari dolentem, sanare infirmum, B relevare dejectum, patriam restituere exsuli, & mortuo vitam sine fine mansuram. Unde venit Verbum in carnem, Deus ad hominem, & *Verbum factum est caro*: & Deus factus est homo, & Verbum per carnem, & Deus per hominem, ore ad os loquitur ad ipsum hominem, & secundum hominem dat homini vitæ præceptum, ut homo homini obediat, & per ipsum hominem Deum ad ipsum Deum hominem redeat, à quo scilicet Deo miser per inobedientiam recesserat. Unde Deus homo apud homines manens mortalis, mortalibus dat vitæ mandatum: ut immortales per ipsum jam facti, cum illo immortali æternaliter vivere possint beati. Et hic notandæ sunt duæ Domini mansiones; una in via, alia in patria; C una temporalis, quando nobiscum mansit in carne, alia æterna, in qua manebimus cum illo in anima glorificati & corpore. De prima dicit in consequentibus: *Hæc locutus sum vobis apud vos manens*, scilicet præsentia corporali. Sed veniet tempus, ut à vobis subtraham præsentiam carnis, & sic amodo per Spiritum locutus sum vobis. Unde recte sequitur:

12. *Paraclitus autem Spiritus-sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia; & suggeret omnia quæcumque dixero vobis.* Docebit, inquit Dominus Jesus, quod vobis dixero; non quod aliud Filius dicat, & aliud Spiritus doceat: quia quod Christus dicit & docet, ipsa Trinitas dicit & docet: sed quia Trinitas est, oportet sin- D gulas insinuari personas, quas nos distincte audire & inseparabiliter debemus intelligere. Cum ergo dicimus Pater & Filius & Spiritus-sanctus, non eos simul dicimus, cum non possint esse non simul. Quod vero dicit: *Paraclitus quem mittet Pater*, &c. sic est intelligendum: Ego corporali præsentia vos desero, sed non vos præsentia spiritus derelinquo. Corpus, quod de terra suscepi, ad cælestia sublevo: sed per Spiritum meum usque ad consummationem sæculi vobiscum manebo. Pater me misit, ut apparerem in carne visibilis: sed venit hora & tempus, ut solvam debita mortis, & resurgens à mortuis ascendam sessurus ad dexteram Patris, nec amodo in carne mortaliter mundus me videbit. *Paraclitus au-* E *tem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo*, abundantia suæ dulcedinis vos consolabitur de absentia meæ carnis, & erit vester magister, non foris verba perstrepens, sed intus in corde docens *suggeret vobis omnia: & vos docebit omnia quæcumque* per illum *dixero vobis*, id est, inspiravero vobis: ipse erit doctor vester, & consolatio vestra. Non poteritis dolere de absentia carnis meæ, dum ipse Spiritus manebit in cordibus vestris. Veniat obsecro, Domine Jesu, ille Spiritus tuus Deus & Dominus meus, veniat in cor meum, & sic inebriet illud tuo amore, ut nullum alium præter te quæram amorem, nullam aliam præter te amem pulcritudinem, nullam præter te valeam gustare dulcedinem, F qui es favus mellis, Deus & homo; mel de Deo Patre, favus de Virgine Matre: mel in sinu Patris; favus fractus in cruce: mel impassibilis regnans cum Patre; favus in sepulcro: mel cum Patre & Spiritu-sancto regnans in cælo & in omni loco, benedictus per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO X.

1. VErba Domini Jesu, qui illum ex toto corde diligere novit, quàm sint dulcia, sapit: nec illis jam claudere valebit aditum, qui in armario pectoris sui, Christum Dominum vitæ perennis, amplexibus strictis, totius paradisi pulcritudinis continet jucunditatem & gaudium. Illa sunt pascua vitæ, refectio animæ, dulcedinis pocula, dilectorum Christi lætificantia corda, cariora diligentibus Christum super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum: negligentibus & male viventibus tamquam bilis amara odiosa, non modicum fastidiosa per omnem modum. Illis pœnam æternam, diligentibus vero Christum præparant perpetuam gloriam: illis supplicium, istis præmium in vita beata: illis mortem, istis vitam: illis infernum, istis societatem Angelorum. Quicumque sunt illi, lugeant, doleant, aurem cordis aperiant, Verbum Dei suscipiant, & quod præcipit, faciant. In illo thesauri sapientiæ & scientiæ, divitiæ & gloriæ multæ. Igitur audiant me peccatorem Christi, quos audire delectat verba ejusdem Christi. Sed rogo, ut se præparet ad lacrymas fundendum, qui verbis Christi jam præparat auditum. Quomodo poterit jam lacrymas continere, ubi noverit jam Christum iturum ad Patrem Discipulis suis toto caritatis amplexu pacem dedisse? Ait Dominus discipulis suis:

Verba Christi aliter bonis, aliter malis sapiunt.

2. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Dominus enim Jesus, ubi venit tempus, quo per mortem suam disposuerat humanum genus salvare, & animam suam dare redemptionem pro multis, relinquere mundum & ascendere ad dexteram Patris: discipulos suos quos corporali præsentia deserebat, toto caritatis affectu intra sinum amoris non mediocriter continebat, inde velut recedens ab eis, & quasi deserens illos, modis quibus poterat de absentia sua eos consolari studebat. Sed quanto magis eos consolari volebat, tanto magis illos amarissimo mærore replebat. Tunc velut ultimum vale faciens illis, eos amplectens in eorum oscula forsitan ruit. Sed quantus ibi fuerit fluvius lacrymarum, quis æstimare valebit? Cujus cor etiam si saxeum esset, tanta redundantia caritatis lacrymarum fontem totum non resolvisset? Ministri lacrymarum tunc erant amor & dolor. O quantus amor! O quantus dolor! Et quia multus amor, ideo multus dolor. nam cum magno dolore relinquebant, quem cum magno amore possidebant. O quantus erat ibi amor! Nihil aliud volebant, nihil aliud quærebant, nihil aliud desiderabant; nisi esse cum Domino, illius perfrui visione, jucundari ejus dulcissima locutione, satiari ejus melliflua conversatione. Cum hæc omnia cogitabant, & ô quàm cito his omnibus essent cárituri ad memoriam revocabant, tunc per fluvios lacrymarum emanabant dolores amarissimi cordium.

Johan. 14. d

Discipulorum mæror de Christi discessu.

3. Quanta erat ibi amoris suavitas, & quanta suavitatis caritas, dum Discipulorum labiis imprimerentur labia Redemptoris! Tunc in veritate illi dicere poterant: *Mel & lac sub lingua tua.* Et, *favus distillans sunt labia tua:* odor tuus omnem balsami odorem excedit, & quicquid in odoribus continetur; & vere sic erat. O quanta erat ibi odoris fragrantia, ubi erat tanta amoris abundantia: & quanta erat ibi tristicia, de tanti odoris & dulcedinis futura absentia! Quibus singultibus existimabo Discipulorum corda fuisse vexata, dum audirent: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Ibi mæror erat & luctus, omnes erant una voce plangentes. *Pacem*, inquit Dominus Jesus discipulis suis, *meam do vobis, pacem relinquo vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Ego iturus ad Patrem, pacem relinquo vobis: & vos perducturus ad Patrem, pacem meam do vobis. Hoc est quod Propheta dicit: *Pacem super pacem.* Et alibi: *Domine, dabis pacem nobis; pacem, quia in te speravimus.* Pax est in hoc sæculo, in qua manentes hostem vincimus, invicem diligimus, & de occultis invicem non judicamus. Pax erit in futuro, cum sine hoste regnabimus, ubi alter ab altero non poterit dissentire, ubi omnia erunt nuda,

Cant. 4. c

Ibidem.

Isa. 26. a

& aperta : & laus unicuique à Deo. In illo autem est utraque pax. Ipse est pax nostra, quia nos pacificavit Deo per sanguinem suum. Erit pax vestra in futuro, cum tradiderit regnum Deo & Patri : & erit Deus omnia in omnibus, quando non erit colluctatio cum carne & sanguine ; immo palma & corona de certato agone, cum viderimus eum sicuti est.

Non est indignum Christo Discipulis osculum dedisse.

4. Sed forte admirabitur noster auditor, cum in hoc libello servuli Christi, ipsum invenerit Christum pacem dedisse Discipulis suis. Ad quem ego peccator Christi : Quid miraris? quid turbaris? hoc non est magnum quod audis. Quid putas esse abjectius, an flexis genibus discipulorum pedes lavisse: an eos in pacis osculo suscepisse? Illis non horruit pacis osculum dare, pro quibus non timuit patibulum crucis subire. Sed forte dicis : Ego in Apostolo lego, quod Christus discipulis suis dixerit : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:* sed non lego, quod sua sanctissima labia Discipulorum impresserit labiis. Cui ego: Si ore Veritatis constat esse prolatum, cur constare non debet esse completum? Non est periculosum sic credere: non est damnabile sic sentire : non est contra fidem. Sequitur:

Pax mundi qualis.

Miseriæ hominis

Thren. 1. g

5. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Qualem pacem dat mundus iste? Pacem falsam, pacem fictam, pacem sophisticam, pacem palliatam. Pax est vinculum amoris, & indissolubilis compago caritatis. sed quid amat mundus? prorsus utique nihil. Nihil amat, nihil diligit; cuncta odit, cuncta perimit & occidit. Ab egressu propriæ matris uteri, usque ad ingressum ventris omnium matris, quid habet homo miser à mundo? Famem, sitim, nuditatem, frigus crucians, cauma perturbans, scabiem cutis, dolorem capitis, chiragram in manibus, podagram in pedibus, morbum in liene, morbum in jecore: undique miseriam, intus, & extra. Foris illum interficit gladius : & domi mors similis est. Ad ultimum morte sæva cunctos prosternit & dejicit. Ecce qualis est amor mundi. Et tamen miseri homines mundi fallaciam non attendentes, odientem diligunt, & sævo ejus gladio sponte colla submittunt. Isti miseri sunt sine consilio; sed utinam saperent & intelligerent, & his quæ ventura sunt in novissimis temporibus, providerent! Profecto mundum odio haberent, nec diligerent. Dicitur etiam aliter *mundus*, scilicet rerum transeuntium amatores. Sed qualis sit pax & concordia inter illos, sapiens quisque advertere facile potest. Igitur spreta hujus mundi pace & concordia, adhuc ad pacem Domini nostri Jesu-Christi redeamus, quam ejus dilectionem esse & credere, qua dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, videtur non esse absurdum. Hæc est illa dilectio, qua Deus mundum sic dilexit, ut se mundo hominem daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hanc pacem, scilicet caritatem, illis reliquit, cum animam suam pro illorum salute dedit, hoc est corpus illud sanctissimum, quod de intemerata Virgine sumptum in tam horrendo climate crucis posuit confusione contempta. Hanc pacem nobis reliquit, sicut beatus Petrus Apostolus asserit dicens : *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* Et ad hanc caritatem alibi hortatur, ubi ait : *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Hanc pacem nobis moriendo reliquit : aliam pacem nobis resurgendo donavit. Prima nos liberat à peccato ; secunda nos reconciliat Domino. Prima nobis peccata dimittit : secunda nos ad gaudia paradisi perducit. Primam nobis dedit moriturus in cruce : secundam nobis dabit in æternitate regnans cum Patre. Prima fuit in luctu & dolore : secunda erit in gaudio & exsultatione. Prima lacrymosa : secunda gloriosa. Prima est in miseria : secunda erit in gloria. In prima sumus flentes pro Christo : in secunda erimus gaudentes cum Christo.

Pax Christi quæ.

1. Pet. 1. d

1. Pet 4 a

Pax Christi duplex.

Christus consolatur discipulos.

6. Unde non immerito plorant Discipuli pro Magistro, servi pro Domino, ab illis quodammodo per mortem recessuro. Nec mirum. Videbant unde dolere poterant : sed non credebant unde gaudere debebant. Lugebant, quia Christum moriturum sciebant : sed illum re-

A surrecturum & ad cælos ascensurum adhuc non perfecte credebant. Poterat unusquisque illorum veraciter dicere, Si tamen præ dolore loqui valebant : idcirco ego ploro, & oculus meus deducit aquam, quia me deserit consolator meus consolans animam meam. Quos ut Dominus amarissime flere respexit, credo quod lacrymas secundum hominem continere non potuit, sed modis quibus valuit eos consolari, non distulit, dicens: *Non turbetur cor vestrum*, quia vos in pace relinquo; neque formidet, quasi vos lupus invadat per pastoris absentiam : quia sicut homo vado, sed sicut Deus sum præsens. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet* de morte mea, quia post tres dies resurgam, & veniam ad B vos, & videbitis me vitam, in quem quicumque crediderit, mortis imperio subjacere non poterit. *Vado, sed iterum veniam ad vos, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Non debetis turbari, non debetis contristari de abscessu meo, unde mihi tantus provenit honor & gloria tanta : potius inde gaudere debetis. Non me diligitis. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Jam imperate lacrymis : quia de meo abscessu gaudere debetis. Nolite fletibus indulgere, quia ad Patrem vado, nec vos relinquo. Ad Patrem vado secundum carnem : nec vos relinquo secundum divinitatem. Ad Patrem vadit homo assumptus : & vobiscum remanebit Patris assumens C Filius. Corpus, quod de virginea terra suscepi, supra choros Angelorum exalto; ut Filius hominis ibi sedeat in dextera Patris, & habeat per gratiam, quicquid ipse Deus habet per naturam. Ad Patrem vado, ut genus humanum diabolica fraude deceptum, aculeo antiqui serpentis occisum, in hac valle lacrymarum sepultum, in cælo collocem, & ad gregem Angelorum reportem centesimam ovem perditam, per longum tempus errantem. Et ideo rogo, ne turbetur cor vestrum de morte mea: quia sic fieri oportet. Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Tantum tribus diebus & tribus noctibus ero in corde terræ : postea die tertia resurgam perempto principe mundi, & videbitis me, D & gaudebit cor vestrum. Quadragesimo die ascendam in cælum, sessurus ad dexteram Patris; & illuc traham vos ad meipsum, mecum feliciter regnaturos : & ideo rogo, gaudete.

Susp. Jesu

7. O bone Jesu, Domine Deus, vita mea, tota spes mea, omne desiderium nostrum, quid nobis ais? Quid nobis pro te gementibus & lugentibus dicis? Scis enim vita quæ numquam morieris, quod tu es totum desiderium nostrum. ideo gemimus & dolemus valde : quia te sicut es, videre non possumus. Valde enim, Domine Jesu, unica spes nostræ salutis, turbatur cor nostrum ; quia adhuc non meruimus videre te Dominum nostrum. Gemimus & dolemus, & multum turbatur cor nostrum : sed E adhuc à Domino nostro non meruimus audire : *Non turbetur cor vestrum.* O felices Apostoli, ô beati Discipuli Domini! Vos enim meruistis illum in carne videre præsentem, docentem in verbis, potentem in factis, infirmos curantem, mortuos suscitantem : cum illo ambulare, cum illo sedere, una cum illo sumere cibum, illum à mortuis resurgentem, ad cælos ascendentem : nunc videtis illum in sinu Patris sui fulgentem. Quid enim felicius, quidve beatius, quàm perfrui visione Dei? Quàm dilecta illa tua visio Domine Deus! Hanc anima mea peccatrix concupiscit ; & quia eam adhuc non habet, quodammodo languet & deficit : sed spero in Domino Jesu-Christo, quod in carne mea videbo Deum Salvatorem F meum. Reposita est hæc spes mea in mente mea. Ego interim gaudens gaudebo, & semper anima mea exsultabit de Jesu Salvatore meo, qui resurgens à mortuis, ascendit ad cælos, & sedet beatus ad dexteram Patris. Qui ascensurus ad Patrem dolentibus Discipulis dixit : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Sequitur,

8. *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.* Jam nunc dico vobis, priusquam fiat, vado ad Patrem, ut postquam ascendero, perfecte credatis, quia ego sum Filius Dei. *Ut credatis*, inquit. Credatis,

non quod factum vidistis, quia hæc non est laus vel meritum fidei; immo non est fides de eo quod videtur. Sed credatis me Filium Dei, non nova fide, quia & prius credidistis: sed aucta & referta. Modo cum hæc diceret, erat fides illorum parva; & cum moreretur fuit nulla*. Sequitur: *Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* Iminet tempus & hora ut solvam debitum mortis, & in hac mortali carne jam non multa loquar vobiscum. Venit diabolus, non princeps creaturarum, sed peccatorum; non lucis, sed tenebrarum; non vitæ, sed mortis; non gaudii, sed mæroris: *& in me non habet quicquam*, id est, nihil est in me quod ad eum pertineat. Ipse enim peccatum non fecit, nec umquam voluit, sed nec peccare umquam potuit. Noluit habere Deus quod perderet. Pauper venit, ne diabolus haberet quod auferret. Venit enim princeps superbiæ, princeps invidiæ, princeps livoris & dolositatis, princeps rancoris & cujuslibet malæ voluntatis, ad principem humilitatis, patientiæ & benignitatis, principem vitæ & resurrectionis, principem gloriæ & beatitudinis sempiternæ. Ad eum venit, ut videret, si in eo maculam peccati aliquam inveniret. Viderat eum trabea nostræ mortalitatis indutum, morti vicinum; & in eo se credidit aliquid invenire quod ei in morte posset objicere. Sed miser ille deceptus est, quia in eo nihil invenit proprium: sed per ipsum, jus quod habebat in aliis, amisit antiquum. Per omnia sit Jesus benedictus, *Qui in diebus carnis suæ preces & obsecrationes obtulit ad eum, qui poterat illum salvare à morte, cum lacrymis & clamore valido offerens, exauditus est pro sua reverentia. qui etiam cum esset Filius Dei, didicit tamen ex his quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* In quo auctor mortis peccatum nullum invenit, sicut ipsa Veritas dixit: *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.*

9. Sed forte posset dicere aliquis: Cur ergo moreris, si peccatum non habes: cum mors ex peccato tantum sit consecuta? Ideo facit hic antipophoram, & respondet huic tacitæ quæstioni, & dicit: *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & hoc mandatum dedit mihi Pater ut faciem.* Ac si diceret; Verum est, quod adhuc mors non esset, si peccatum non fuisset: & ideo veni moriturus in mundum, ut morte mea delerem peccatum: hæc est enim voluntas Patris mei, ut pro salute generis humani sumam supplicium crucis. Ut ergo mundus cognoscat quia diligo Patrem, quod mihi mandatum dedit, facio illud. Hoc est quod beatus Apostolus dixit: *Factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* Sequitur: *Surgite eamus hinc.* Adhuc erat in loco ubi discubuerat cum discipulis suis: unde discumbentibus dixit, *Surgite eamus hinc*, ad locum in quo tradendus sum in mortem. Non est hic ulterius jam sedendum, prætetiit tempus requietionis, & ecce tempus festinat passionis. Surgite & venite post me. Me enim præcedentem ad passionem sequi debetis: quia ego sum vitis, & vos palmites. Ego sum caput vestrum ejusdem naturæ vobiscum: & capite languente, cetera membra condolent languenti. Secundum quod sum homo, sum caput Ecclesiæ: & ideo vobiscum ejusdem naturæ.

10. *Ego sum vitis vera:* non illa quæ versa est in amaritudinem, quæ ut faceret uvas exspectabam, & fecit agrestes labruscas. Ego sum odorifera vitis, pulcritudinis miræ, floribus fœcunda, dans botrum dulcissimum cunctis palmitibus meis manentibus in me. Ego sum vitis tale generans vinum, quod lætificat cor hominis. Ego sum vitis proprium sanguinem libans Deo Patri pro salute populi mei. Ego sum vitis florens. Ego sum vitis frondens, vitis fructificans, non egens adminiculo ulmi, nec ullius auxilio ligni. Ego sum vitis, non culta ab homine, sed à Deo Patre: non tantum exterius per culturam, sed etiam interius per gratiam: non tantum extra operando, sed etiam interius incrementum dando. Christus est vitis, in quo est totus humor, id est, omnis plenitudo Spiritus-sancti corporaliter: palmites ejus sunt Apostoli, & omnes qui ei fide adhærent. Hanc vitem, id est, Christi humanam naturam, Deus Pater mundavit faciendo immunem à peccatis, & dando virtutes: sic facit & palmitibus, licet non omnino sicut & Christo. Unde sequitur: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Omnes enim qui Christo adhærent fide, sunt palmites manentes in Christo, salutifera vite. Sed alii faciunt fructum: alii in sterilitate persistunt. Alii florent & germinant, & botrum producunt dulcedinis: alii se per latitudinem foliorum expandunt, pulcritudinem cupientes habere tantum viriditatis. Omnes qui in sterilitate persistunt, & qui per latitudinem sine fructu se foliorum expandunt; tempore putationis, si Deus Pater illos sine fructu invenerit, abscindet à vite, & in ignem mittet, & ardebunt.

11. Sed forsitan tuum animum pulsat, quomodo qui fide Christo adhærent, abscindi ab ipso contingat, cum omnis qui adhæret Christo, unus spiritus sit cum illo? Unde ut hoc tibi luce clarius constet; te scire oportet, quod fides distinguitur per diversas proprietates. Dicitur fides mortua, fides ficta, fides perversa, fides recta. Omnes enim homines in eo quod Christiani vocantur, Christo adhærere dicuntur. In eo quod Christiani sunt, fidem Christi habere creduntur: sed quorumdam mortua, quorumdam ficta, quorumdam perversa, quorumdam catholica. In prima superbi & luxuriosi, pecuniæ cupidi, fures, latrones & alii hujusmodi. In secunda sunt non obedientes patribus spiritualibus; ingrati de donis cælestibus, qui sunt sine affectione fraterna, sine pace caritatis, fratrum criminatores, iræ incontinentes, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem ejus abnegantes. In tertia sunt hæretici, contra Deum elati, de suis erroribus superbi, in Deum blasphemi, per omnia aliis deteriores & scelestiores. Omnes isti conculcant Dominum Jesum-Christum, & sanguinem istius dulcissimæ vitis ducunt pollutum. In fide catholica sunt mites, patientes, mansueti, humiles, virgines, casti, continentes, dilectores Dei & proximi; ad omne opus bonum parati, exspectantes redemptionem filiorum Dei. In horum numero nos Dominus computare dignetur. Valde enim, dilectissimi, timere debemus hoc quod Dominus Jesus dicit: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.*

12. Non confidamus ergo, Fratres carissimi, tantum in latitudine foliorum, in expansione ramorum, in viriditate frondium: quia nisi in vinea Domini fecerimus fructum, excidemur & in ignem mittemur. An ignoratis amantissimi mei, quod esuriens Dominus vidit secus viam ficulneam magnam latam & spatiosam, habentem folia & frondes, qui in ea non inveniens fructum, maledixit ei, & arefacta est? Sic est omnis hypocrita; quia speciem sanctitatis habet, & virtutem sanctitatis non habet. Qui palliat sanctitatem in veste, quam non habet in mente. Non alba* cuculla & alta tonsura; non ampla corona, sed conscientia pura & mentis munditia, abjectio propriæ voluntatis, inflammatio caritatis in Christo, perfectum monachum facit. Adhæreamus, fratres, veræ viti Jesu nostro Salvatori cum vero corde, in plenitudine fidei aspersi corda, & abluti ab omni inquinamento carnis & spiritus, & teneamus spei & fidei nostræ confessionem indeclinabilem. Nec sit quod nos separare jam valeat à caritate Domini Jesu. Et sic erimus de vitibus Engaddi, de quibus non liquor vini, sed liquor balsami fluit: consimiles botro Cypri, de quo sponsa in Cantico amoris congaudens de resurrectione Christi, prorumpens in vocem jucunditatis & lætitiæ dixit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, quod sonat *fons hædi.* Fons hœdi dicitur pœnitentia vel baptismus, in quo dum aliquis intrat velut hœdus, innocentiam debet acquirere ut agnus. *Engaddi* potest accipi monasterium regulare, ad quod dum aliquis hœdus advenerit, & ibi exuerit pellem hœdinam; jam ex omni parte mundatus, non hoedus, sed erit, si perseveraverit, agnus. Hunc talem Deus Pater purgavit, ut fructum plus afferat, cor ejus mundando; & ejus spiritum veritatis & caritatis rore infundendo.

13. *Omnem palmitem* veræ viti adhærentem & facientem fructum, Deus Pater *purgabit*, sive putabit *eum*, ut

Varia fidei divisiones.

Monachum quid faciat.
* Hinc collige auctorem fuisse Cisterciensem.

*fructum plus afferat.* Ritum & consuetudinem viticolæ A Deus tenet in colendo vineam suam. Vinea Domini universalis Ecclesia est, Christi uxor & sponsa, de qua Deus Pater ad Filium: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Vinitor qui vineam diligit facientem fructum opportunum in tempore suo, cum tempus putationis advenerit, in ea nihil siccitatis vel ariditatis relinquit. Tunc circa illam fodit usque ad inferiorem ejus radicem, terram acuto ligone perfodit, & si radiculas aliquas etiam emiserit, cultello putationis abscindit; & quanto magis hujusmodi vana & minus utilia vitis amittit, frugiferior & uberior ad fructificandum assurgit. Sic quem Deus diligit, flagellat & percutit: *Fagellat enim omnem filium quem recipit.* Illorum est enim hic flagella B percipere, quibus datur de æternitate gaudere: sed qui de percussione murmurat, ad ipsum qui supra ipsum est, non appropinquat. Immo hereditatem supernæ felicitatis amittit, si flagellum Dei Patris patienter & cum amore non suscipit. Et si de flagello Domini murmuraverit, certus sit, quia murmurantium pœnam incurrerit.

Psal. 128. a

Flagella Dei à Justis patienter toleranda. Heb. 12. b

14. Vos ergo, fratres dilectissimi, nolite murmurare, si vobis inesse contigerit disciplinam Domini nostri; neque fatigemini, dum ab eo arguimini. *Omnis enim disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mæroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.* Flagellis Domini pinguedo carnalis voluptatis atteritur, & virtutes animæ roborantur: & lasciva C caro restringitur, & anima pennis virtutum ad cælestia sublevatur. Caro quod superfluum habebat amittit; & spiritus virtutes, quas non habebat, acquirit. Sic ergo per flagella Domini virtutes augentur, vitia resecantur, spernuntur terrena, amantur cælestia. Nos æternitatis præmia præstolantes, si nobis aliqua gravis infirmitas, vel tentatio fortis, vel etiam damnum temporalium rerum irrepserit, ex omnibus his vires sumere debemus; quia crescente pugna, gloriosiorem non ambigemus nobis manare victoriam. In hoc namque ostendimus quanta ad Deum cupiditate flagramus, si non solum ad eum per tranquilla & mollia; sed etiam per aspera & dura transimus. Ad æterna gaudia jam redire non possumus, nisi D per temporalia detrimenta: & ideo spe manentis lætitiæ, omnia adversa prosperitatem non modicam debemus reputare. Peccata quippe nostra divina severitas nequaquam inulta remanere permittit: sed ira sui judicii inchoat à nostra hic correctione, ut in reproborum damnatione conquiescat. Interius enim est medicus, & peccatorum in nobis contagia, quæ inesse medullitus reprobat, secat: abscindit virus putredinis ferro tribulationis. Et hoc est quod Veritas ait: *Omnem palmitem in me facientem fructum.* Deus Pater *purgabit eum, ut fructum plus afferat.* nam dum mens posita in tentatione considerat, quod à virtutis suæ pristina soliditate repellitur; tunc sollicita trepidat, ne hoc quod dudum esse cœperat, fun- E ditus amittat. Tunc qualiter resistere tentationi possit, inquirit: & qualiter eam debellare jam valeat, elaborat. Tunc arripit gladium orationis, fletum compunctionis, & sic eam debilitat, & de ea gloriose triumphat: non ipsa, sed gratia Christi per ipsam: & ita fit, ut mens quæ pigra & velut infœcunda in prosperitate jacebat, fortior & uberior ad fructificandum assurgat.

Heb. 12. d

Utilia sunt.

15. Ut ergo, dilectissimi, Deum Patrem nostri mereamur habere cultorem, adhæreamus veræ viti Domino Jesu Christo, Salvatori nostro, non fide mortua, nec fide ficta, nec fide perversa: sed fide recta, quæ per dilectionem operatur; sine qua nullus salvari potest. Adhæreamus ei, quia bonum est ei adhærere, & in illo ponamus totam spem nostram, totum desiderium nostrum, F confidentes in illum qui suscitavit eum à mortuis, quia & suscitabit mortalia corpora nostra, & consedere nos faciet cum illo in dextera sua. Quod ipse nobis per eumdem Filium suum Dominum nostrum præstare dignetur, qui vivit & regnat cum eodem Patre in unitate Spiritus-sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO XI.

1. CUm à Discipulo Veritatis scriptum non ambigimus esse, *Qui parce seminat, parce & metet:* dum in agro dominico tamquam agricolæ sumus constituti, pro viribus seminare debemus: ut cum messionis tempus advenerit, centuplum accipiamus in fructuum perceptione, quam expendimus in semine. Nam quod hic dicit, *seminat*, ex caritate proprie dicitur seminare: quia qui semen ad hoc spargit ut colligat, adhuc caret ad tempus modicum, ut in tempore messis gaudeat in acervo. Itaque licet pauper & inops, ex meo modico semine cupienti dabo ex caritate; ut à Domino meo Jesu-Christo mereear recipere multiplicationem beatitudinis æternæ. Non parce seminat, qui parum habens, parum largitur, cum animus promptus sit, si plus haberet: large dat, qui affectum largiendi habet, etsi nihil habet quod largiri possit. Nos ergo illam pecuniam, quam erogandam à Domino accepimus, ad usuram erogare simus parati cupientibus eam. Sed rogo ne aliquis vestrum timeat de retributione usuræ: quia hæc usura non evacuat divites; sed bonis ditat & replet egenum & pauperem. Veniat ergo ad hanc pecuniam sitiens, ad Evangelium beati Johannis, & hauriat cum gaudio de fontibus Salvatoris, qui dixit Discipulis suis: *Vos jam mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Et est sensus: Vos estis mundi, sed iterum estis mundandi, ut fructum plus afferatis. Mundi estis non propter baptismum, sed propter sermonem quem locutus sum vobis. O quàm bonus sermo, qui lavat mentium sordes, interioris & exterioris hominis purificat actiones, vulnera sanat, cicatrices solidat: qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem; ut collocet eum cum principibus cæli, cum possessoribus paradisi. O quàm pretiosus sermo, immo quàm pretiosus thesaurus, qui suum possessorem didicit ditare, ut de consortibus jumentorum, consortem faciat Angelorum. Felix sermo & omni acceptione dignus. Quis est iste tantæ beatitudinis sermo? Audi si illum observare desideras: sed præcipio ut illum ad usuram erogare non differas. Est valde nobilis possessio, quæ erogata suscipit incrementum, & avarum dedignatur possessorem: nisi erogetur, cito minuitur. Largitate gaudet, tenacitatem fugit, omnino non vult abscondi sub modio; sed super candelabrum poni, ut omnibus ejus pulcritudo appareat. Splendor ejus tamquam lampades ignis atque flammarum, quas aquæ multæ non possunt exstinguere. Si dederit homo totam substantiam domus suæ pro hac possessione, quasi nihil despiciet eam.

2. Cor.

Eleemo largitas affectu æstimat

Sermo Christi ta & c

Doctri cra co nicand

Cant.

2. Hæc, inquam, est caritas; quia in quocumque abundaverit amor æternorum, mox labentium rerum possessio cuncta vilescit, & sola caritas scilicet Christi dulcescit, qui dicit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Hic est sermo ille, de quo dixit Dominus: *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*, id est, propter caritatem, quam commendavi vobis: & quia mundi estis, manete in me, & ego in vobis. *Manete*, inquit Dominus Jesus discipulis suis, *in me, & ego manebo in vobis.* Jesus, inquam, dulcis, Jesus delectabilis, omni virtute præditus, omni speciositate redimitus. Dulcis super mel & favum, speciosus forma super filios hominum; cujus dulcedine Angeli inebriantur, cujus pulcritudinem sol & luna mirantur. Iste talis ac tantus dixit Discipulis suis, & per eos cunctis fidelibus suis: *Manete in me, & ego manebo in vobis.* O quàm magna sublimitas! ô magnæ sublimitatis auctoritas! hominem habitare cum Angelis, terram & pulverem elevari in cælos, hominem tolli de stercore jumentorum, & aggregari cœtibus Angelorum! immo creaturam manere in Creatore, facturam in Factore, redemptum in Redemptore, servum in Domino, peccatorem in Justo, factum ex limo in eo qui omnia facit ex nihilo; transitorium in Æterno, miserum in summe Beato, immo in eo qui omnino beata, & cuncta sanctificat sancta, qui est Veritas & Vita & gloria sempiterna; gaudium mundi, jocunditas cæli, dulcedo paradisi & beata æternitas, & æterna felicitas, Christus scilicet Dominus Jesus.

Quan manc Chri

...risti im. ...sa boni

3. O mira & inexhausta bonitas, ô inaudita & inæstimabilis pietas! quis umquam fratres mei, quis, dilectissimi mei, amantissimi mei, conservi mei, servi Domini Jesu-Christi, & propter ipsum domini mei, poterit explicare sermone, aut stilo exarare & graphio; quanta pietate auctor pietatis redundet, quanta largitate bonitatis ipse auctor exuberet? Mihi credite, fratres, si omnes homines niterentur & Angeli, fontis tantæ pietatis non possent haurire vobis etiam unam minimam guttam, habito respectu ad ipsam abundantiam pietatis. Hæc est, inquam, maximæ immensitas pietatis, ingens eminentia bonitatis; quod Creator omnium Deus seipsum exinanivit, formam servi suscepit, in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo: manens Deus in homine, ut homo maneret in Deo: vita mortem assumens, ut sibi mors assumeret vitam. Utinam hujus abundantia pietatis sic fragraret quotidie in naribus nostris, ut in veritate dicere possemus cum sponsa in Canticis: Fasciculum myrrhæ dilecti semper supra meum pectus portabo. O dulcis sarcina, ô felix medicina! (...t. 1. d)

(...risti passio ...m homi- ...uavis & ...is.)

4. Hæc sarcina, fratres mei, crux ipsa beata, scilicet passio Christi, bajulum suum non gravat, sed levat: non deprimit, sed extollit: non quassat, sed erigit, & portat portantem, ubi Christus est in gloria Patris. Hæc est, inquam, dulcissima medicina, quæ morbum omnem expellit, vires atque virtutes non habenti acquirit, quæ non solum sanat ægrotos, sed etiam vivificat mortuos. Mihi meus auditor credat, immo mihi credat crucis amator, jam non læditur à morte secunda, si in hac vita usus fuerit tali medicina. Hoc est illud lignum propheticum, quod est inter juncturas ædificiorum: quia ipsa crux gloriosa terram conglutinat cælo, hominem consociat Angelo, & peccatorem sic reconciliat Deo, ut ipse Deus manere dignetur in eo, & ipse manere mereatur in Deo suo. O summum tripudium, ô tripudians gaudium, jocunda lætitia, & jocunditas læta, hominem manere in Deo, & Deum in homine, in redempto Redemptorem, & in Redemptore redemptum! Ad hanc summæ jucunditatis lætitiam, perpetuitatis lætissimæ gloriam, ipse gloriæ auctor, beatitudinis dator, salus æterna, vita beata, felix æternitas, secura tranquillitas, totus dulcis, totus desiderabilis, invitat Apostolos suos, instigat monachos suos, cunctum populum Christianum omne collegium sanctum, eis blandiens atque demulcens, consolans & confortans, hortans & dicens: *Manete in me & ego in vobis.* Et est sensus: Vos qui mundi estis, qui loti estis, qui sanctificati estis per canalem lapideum, per baptismi sacramentum, per virtutum triclinium, per dilectionis præconium, in me estis: sed rogo, ut in me manere debeatis. Si in me manseritis, & ego manebo in vobis. Si in me manseritis in isto brevi tempore; manebo vobiscum in æternitate. Qui manet in me per exhibitionem dilectionis, & ego manebo in eo per præmium æternæ felicitatis. Ego diligentes me diligo, & qui me dilexerint in hac vita, me invenient post hanc vitam, ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Qui me non dilexerit, proculdubio non inveniet me ad præmium, sed inveniet me ad supplicium. Vos autem discipuli mei, amici mei, in mea dilectione manete: non vos terreat meæ humanitatis passio, crucis suspensio, tormenta carnificum, crucis supplicium, nec meæ depositio carnis, nec mausoleum meæ mortalitatis. In vobis fides invicta permaneat, spes ipsa non langueat, de me igne in vobis caritas flammescat. *Manete in me* per fidem, spem & caritatem: *& ego manebo in vobis* per fructum fidei, spei & caritatis. Et si in me non manseritis: nec ego manebo in vobis.

5. Audistis, carissimi, quid ipsa Veritas dicit; quæ mentiri non potest, quæ numquam fallit, nec fallere novit. Ait enim: *Si quis in me non manserit, mittetur foras*: & tormentorum ministri eum mittent in ignem, & ardebit. Unde rogo, dilectissimi fratres, ut unusquisque vestrum intret in cubiculum suum, scopet conscientiam suam: se quærat in angulis cordis, circumeat latebras mentis. Si se in Christo manere invenerit, gaudeat; si se à Christo abesse senserit, gemat & doleat, ploret & plangat: timeat & perhorrescat, ne sequestretur à consortio sanctorum, & (...men & ...ussio fui ...us commendatur.)

A mittatur semper arsurus in ignem æternum. *Manete in me.* Heu dilectissimi fratres, quanti miseri, quanti infelices, qui ad Jesum veniunt: sed letiferi veneno serpentis percussi, diabolica fraude decepti, cæcitate mentis obducti, malitia depravati, abnegant contubernium Christi, amicitiam Redemptoris abdicant propter amorem mundi, & cervices quas Deo humiliare solebant, ipso mundi Creatore jam spreto, diabolo non verentur inclinare! Heu quanti post gloriosos agones de ipso principe mundi legitime triumphatos, fugienti terga dederunt, & victores jam victo se sponte curvarunt! Quanti ad monasterium veniunt, ut in eo monastice vivant, humilitatis prætendentes indicia, omnia in pace illata sustinentes (Inconstantia & defectio religiosorum notatur.)
B convicia; tamquam boni milites Christi ad omne opus bonum parati: qui post gaudia vitæ contemplativæ, post prælibationem jucunditatis mellifluæ, suæ professionis obliti, velut sues ab ipso proposito ad volutabrum redeunt luti: & ea quæ dudum vomuerant, tamquam canes redeuntes ad vomitum, in ventrem trajiciunt. Isti tales recedunt à Christo, quia recesserunt à proposito sancto. Si pactum quod cum Christo pepigerant, observarent, venena jam vomita subsannarent. & ideo cum Christo non merentur manere, quia pactum Domini non timuerunt infirmare.

6. Sed utinam scirent & intelligerent, quantæ sit amaritudinis fontem relinquere vitæ, auctorem jucunditatis
C mellifluæ, Dominum mundi, decus paradisi, gaudium æternum Dominum Jesum Christum, qui nos à morte roseo salvavit sanguine suo. Si cito sensisses quantum parabas offendere: *Non tegeret vultus cortice Myrrha tuos.* † († v. Notabis) O quam misera commutatio, ô quam cæca cupiditas! quæ virginem facit tabesam *, puellam prostibulam; & mulierem vertit in arborem, regulam in apostasiam; disciplinam sanctam in lasciviam pravam, claustrum regulare in campos licentiæ; castitatem in impetiginem; monachum in morionem *, directum in pravum, planum in asperum; filium Dei in filium diaboli. Hæc, fratres mei, non est mutatio dexteræ Excelsi. O quam amara mutatio, ô quam dura translatio, à Christo recedere &
D diabolo adhærere; spernere Redemptorem, & diligere peremptorem; relinquere vestigia Christi, & ire per sæva mæandra diaboli: relinquere viam quæ ducit ad vitam, & ire per viam quæ ducit ad mortem! Quicumque ille est qui sic commutatus est, ad verba mea inclinet animum, & non dedignetur audire consilium bonum. *Peccasti? quiesce: ne adjicias ultra.* Sic dicit Sanctus Israel, *Si revertimini & quiescatis, salvi eritis: quia exspectat vos Dominus ut misereatur vestri.* Revertere ergo ad Dominum Deum tuum: & placabilis erit super malitiam tuam. Revertere ad Dominum via qua venitur ad ipsum: via cordis, via oris, via operis, via timoris, via doloris, & via amoris, via cordis contriti, via confitentis labii, & via
E operis recti. Via timoris, ne protraharis ad supplicium; via doloris, quia sic offendisti Christum: via amoris, ut ipsum jam Christum perfecte diligas, qui tamdiu ad pœnitentiam te patienter exspectat. Geme, dole, plange, plora. Non parcas tibi, ut tibi Dominus parcat. Noli indulgere tibi, ut tibi Dominus indulgere dignetur. Succinge lumbos tuos, rade capillos tuos, induere sacco, pulvescere humo, & dic Christo Domino tuo, Deo tuo: O Jesu bone, miserere mei. Esto mihi Jesus, esto mihi Salvator meus; miserere mei, qui pro me pium cruorem fudisti. Non intres in judicium cum servo tuo: quia nullus justificabitur homo, nisi per te ipsum ei peccatorum suorum tribuatur remissio. Non me tua judiciaria sententia pre-
F mat, quem tua multa pietas levat. Qui resuscitasti Lazarum jam fœtentem, resuscita & me peccatorem jam confitentem. Qui pepercisti peccatrici Mariæ, parce peccatrici animæ meæ. Qui lætificasti animam crucifixi Latronis, lætifica animam mei peccatoris. Si sic feceris, adhuc cum Christo manebis, qui dicit: *Manete in me & ego in vobis.* Ipse enim caritas est: & qui manet in caritate, in Deo manet & ipse in eo.

(* i. corruptam: quasi tabefactam) (* i. fatuum.) (Eccli 21. a Isa. 30 d) (Qua via revertendum ad Deum.) (Aspiratio ad Jesum.)

7. *Notandum* vero est, quod aliud est manere in illo, & aliud est manere cum illo: aliud est manere juxta eum, aliud manere longe ab eo. Primum partim est in via, &

partim in patria: secundum totum est in patria: tertium totum est in hoc sæculo: & quartum totum in inferno. Videamus ergo quid sit manere in eo, ut in eo manere delectet: ut non longe post futurum mereamur cum illo manere. In illo manere est ex amore illi soli adhærere, ipsum ex toto corde diligere, illius præcepta in omnibus & per omnia observare, ejus amori nihil præponere, & pro illius amore cuncta nec nata etiam reputare. Ille non dubitet manere in Christo, cui præter ipsum cuncta vilescunt, & ei ipse solus dulcescit. O quanta felicitate donatur, quanta beatitudine fœcundatur, cui præter Christum omnia vilescunt, & ipse Christus solus mellescit! Ipse Christus solus sic in cordibus nostris favescat, & cuncta transitoria nobis fellescant: ut nil præter illum nobis jam libeat, nec libescere jam valeat. Ut ergo, Fratres mei, in Christo & cum Christo mereamur manere; ipse Christus lux vera, bonitas & vita, gaudium mundi, pietas immensa, sit totum desiderium nostrum, & omnis spes nostra: ut certi simus quia adhuc cum Christo manebimus, & ubi tunc est, & nos cum illo erimus.

Manere in Christo quid sit.

8. Sed *qui dicit se in Christo manere, debet ambulare sicut ille ambulavit.* Jam non manet in illo, qui exorbitat ab itinere suo. Nemo se decipiat, nemo se seducat, nemo in religiosa veste confidat. Non enim vestis religiosa, sed mentium munditia monachum facit: non capitis abrasio, sed Christi dilectio probatum monachum reddit. Ait Dominus Jesus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum:* quia nisi quis à semetipso deficiat, ad Christum Regem sublimem non appropinquat. Felix propter Christum abdicatio sui! quam qui perfecte non habet, se Christo ad purum placere non existimet. Frustra enim Christo placere se credat, qui seipsum propter ipsum Christum non abjicit. Et perfecte se noverit illi placere, qui perfecte jam propter ipsum se didicerit abdicare. Ut ergo Christo placere possimus, necessaria nobis est abdicatio nostri, quantum nostra valetudo permittit, non quantum odium nostri, lancea peccatorum perfossa, in nos quandoque manus injicere gestierit: maxime dumtaxat in alimentis sumendis, ubi conservandus est vigor naturæ, & non sequendus est appetitus illecebrosæ gulæ. Contra vitia quæ de lumbis carneis pugnantia procedunt, palmative* belligerare nequimus; nisi prius appetitum gulæ restringamus fortiter contusione abstinentiæ. Post contusionem gulæ appetitus, maxima cautela nobis est adhibenda, ne nos humanæ laudis muscipula capiat, & venenum laudis morbosæ in arcam nostri cordis cauterium despumans fumum faciat, factumque derelinquat. Quidquid de nobis laudis aura crebuerit, quidquid adulantium favor demulserit, virtutum imperatrix humilitas, arcam mentis nostræ non deserat: ne tortuosus serpens, qui quandoque latitat in herbis virentibus, in humanis scilicet favoribus, juxta illud poëticum,

Abnegatio sui ad placendum Christo necessaria.

* victoriose.

*Jam fugite ô pueri, latet anguis in herba,*

Virgil in Bucol. Eglog. 3.

suis dentibus venenosis nos capiat, captos perimat & occidat. Igitur humilitatem magnam teneamus in omnibus: ut in humilitatis auctore manere possimus, & quantocius cum ipso esse, & cum ipso regnare valeamus. Omnis enim qui in illo manet ex dilectione, non dubitet; non hæsitet: cum illo manebit ex dilectionis retributione.

9. Vidimus quid sit manere in illo: nunc quid sit manere cum illo necesse est videamus. Manere cum illo est esse ubi ille est; cum illo in gloria felici gaudere, in throno perennitatis regnare, illum facie ad faciem contemplari, sicut faciunt Angeli sancti, & post resurrectionem corporum eum visuri sunt omnes electi, juxta illud Apostoli: *Cum enim apparuerit Christus vita nostra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.* Manere juxta eum, & non in illo nec cum illo, est non esse in via fidei, spei & caritatis, sed in via erroris; non esse in via præcepti, sed in via peccati. Iste, inquam, si non est in Christo vel cum Christo, tum juxta eum est: quia & cito potest errorem deserere, & in Christo per fidem, spem & caritatem continuo fervere. Liberum arbitrium habet: illud ad diligendum Deum dirigere potest. Pulsat Dominus ostium ejus: illi aperiat, & intrabit Dominus ad eum, in eo manebit, & ipse in eo. Manere longe ab eo, est per sententiam

Manere cum Christo quid.

Coloss 3. 4.

Manere juxta Christum quid sit.

Manere longe à Christo.

A damnationis ab eo recessisse: quamvis & alio modo utrumque possit intelligi. Nos ergo in illo maneamus, ut fructum boni operis semper facere mereamur. Aliter enim nisi in illo manserimus, fructum facere nequimus. Ipsa Veritas dicit, & mutari non potest: *Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.* Et, *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Valde enim timendum est illud quod sequitur, *Si quis in me non manserit, &c.* Si quis non manserit in Domino Jesu-Christo, expelletur de consortio Sanctorum, arescet præ timore & exspectatione damnationis perpetuæ: & ministri tartarei apprehendent illum, B & in ignem mittent perpetuum sine fine arsurum. Ab hac damnatione perpetua gloriæ perpetuæ auctor nos liberet Jesus-Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Johann. 15.

## SERMO XII.

1. OMnis qui viam veritatis gestit arripere, constat esse peræquum, ut ad præcepta veritatis manum cordis extendat, & in eis fideliter vivat: ut ipsa manus sit plena hyacinthis, & venter ejus eburneus distinctus sapphiris; & verbum Verbi, præceptum Christi in pyxide C mentis per amorem contineat, & foris ipse flos verbi per augmentum boni operis redoleat. Profecto quem sic esse constabit, à Deo quicquid sibi profuturum petierit, necessario impetrabit. Ipsa regula Veritatis, omnis forma sanctitatis sanxit in perpetuum, nec valebit abrogari, nec de libro jam mutari Veritatis sanctio. Ait enim Jesus meus, immo ait Deus meus, veritatis firmitas, falsitatis avulsio, peccatorum ultio, via viæ, vita vitæ, totus dulcis, totus bonus, totus verax, totus verus; ait enim: *Si in me manseritis, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Magna sunt dona quæ Veritas ipsa promittit, quæ nullos fallere novit. *Quodcumque volueritis,* inquit Dominus Jesus, *petetis, & fiet vobis:* ita dumtaxat D *si in me manseritis, & verba mea in vobis manserint.* Ac si dicat, *si in me manseritis* per dilectionem, *& verba mea in vobis manserint* per operis exsecutionem: *quodcumque volueritis,* animæ pertinens ad profectum, petite non hæsitantes, & impetrabitis accipientes. Illa duo prima necessario sibi famulantur ad invicem, nec unum alterius absentiam patitur: & qualis eorum parilitas fuerit, per enthymema cognoscitur. Si aliquis manet in Christo, necessario sequitur ut Christi præcepta manere debeant in eodem. Et quodlibet istorum hoc unum concludit. Petat à Christo quodcumque voluerit, & habebit. Necessaria videtur talis illatio. Iste manet in Christo, ergo quicquid ab eo ad talem provectum petierit, impetrabit. Similiter & hæc E alia: Verba Christi manent in isto: ergo, &c.

Conditi[o] orationi [per]fectum [ne]cessaria.

2. Verumtamen dicere possumus (si per vim copulativæ conjunctionis dialecticus latrator obsistat, quæ nodum ponit inter paria, nec inter partem & totum, sed inter totum & partem, & inter opposita & contraria, & inter excedentia & excessa) dicimus itaque quod quidam manent in Christo, & verba ejus manent in eisdem: alii manent in Deo, sed verba Dei non manent in eis. Ille qui manet in Christo, & verba Christi in eo, doctor est ecclesiasticus, qui per eruditionem doctrinæ auditoribus suis habet unde proferat nova & vetera, fructus scilicet auctoritatum veteris & novi testamenti; & bona quæ discipulis prædicat, pie & devote vivendo in suis factis ostenF dat. Alius enim per doctrinam verbum Dei non habet, & tamen in Christo manet per bonam vitam. Iste profecto etsi mandatum Christi non habet in libro, habet tamen in corde caritate dilatato. Isti tales, quàm felices, quàm beati! Horum quidem talium est regnum cælorum. Alius qui verbum Dei habet, & illud opere non exercet, monachus est religionis sophisticæ, sub prætextu sanctitatis palliatæ: qui ei quod ex regula Benedicti didicit, perverse vivendo contradicit. Iste talis non manet in Christo, nec Christi verba manent in eo: quia nec Christum amat, nec ejus præcepta observat, quamvis & Christum amare,

Manere i[n] Christo, verba C[hristi] in aliqu[o ma]nere qu[id].

& ejus præcepta servare se fingat. Sed qualis iste miser A fuerit, dies Domini declarabit; ubi non esse poterit simulatio religionis, nec fictio sanctitatis, nec sermo sophisticus, nec syllogismus versutus. Omnia nuda erunt & aperta Jesu judici vere judicanti districte, non de facto tantum perverso, sed etiam de verbo otioso: non tantum de incessu pedum, nec de labore manuum, sed etiam de jactu oculorum.

nacho sideran- finis suæ ationis.

3. Penset ergo qui talis est, ad quid monachus effectus est. Lavit pedes suos, quomodo reinquinare præsumit? Exspoliavit se tunica, quomodo se reinduit illa? Si mutavit habitum, cur non mutavit & animum? Si foris albescit, cur intus nigrescit? Si illum foris vestis alba decorat, cur illum intus cauterium conscientiæ deturpat? Si B studere silentio debet, cur loquacitate gaudet? Qui contemptum promisit mundi, cur illi ulterius placere contendit? Christo placere contendat, contemnere mundum non differat, quod promisit attendat, Jesum super omnia diligat, nihil ejus amori præponat, illius timorem ubicumque fuerit, sederit vel ierit, loquens vel tacens, esuriens vel sitiens, bibens vel comedens, infirmus vel sanus, ante oculos habeat, in quo est fiducia fortitudinis, spes æternæ beatitudinis, fiducia veniæ, certitudo gloriæ, peccatorum remissio, gloriæ largitio, ac lætitiæ acquisitio, summi & veri Dei perfruitio. Beatus vir, ait Propheta, qui timet Dominum; in mandatis ejus cupit nimis. Potens in terra erit semen ejus, & ipse à Domino be- C nedicetur. Illa beatitudo perpetua sempiternæque dulcedinis multitudo, & æterna & jucunda visio Dei, est illud donum quod petunt à Christo illi qui manent in Christo. Si manes in Christo, id est, si corde puro & conscientia pura fundaris in Christi caritate, nil tibi nisi Christus satisfacere poterit, nec aliud nisi ipsum petere jam valebis. Quodcumque, inquit Dominus Jesus, salus quæ numquam finitur, vita quæ numquam moritur, jucunditas summa, paradisi gloria, omni melle dulcior, quolibet nectare suavior, gemmis & auro pretiosior, inquit, inquam, dilectoribus suis: *Quodcumque volueritis, petite: & fiet vobis.* Magnum est illud quod dicit.

...ti in ora- ...e solum ...m desi- ...int.

4. Sed notandum est, quod universale, *Quodcumque*, D non continet omnia, sed illum tantum qui continet universa; qui sic habet esse, ut verum semper sit esse: ante omnia tempora Deus de Deo, in fine temporum natus ex Virgine homo, salus æterna credentium omnium, spes & refugium timentium eum. Hoc est illud solum, quod petunt electi, quibus nil satisfacere potest præter Deum qui omnia continet: qui gemunt & lugent, quod Jesum beatitudinis auctorem non vident, qui non quod delectet aspiciunt. Quibus tristia sunt omnia quæ occurrunt, qui Dominum Jesum quærunt, & non inveniunt; & vocant, & non respondet; ad lacrymas doloris amicas se convertunt; & quem gressu pedum sequi non possunt, lacrymis & gemitibus prosequuntur. Felix talium vita, bea- E tus talium cursus, cujus meta tale & tantum vexillum habere meretur. Hoc non datur pigris, negligentes non capiunt, claudis negatur: soli currenti per latitudinem caritatis debetur. Unusquisque nostrum considerare non cesset, qualiter in stadio mandatorum Dei currat, qualiter in agone Christiano contra leonem rugientem contendat. Neminem vestrum credo latere, non aliquem posse salvari, nisi qui Domino Jesu fidelis perseveraverit usque ad egressum de habitaculo corporis; nec ad bravium æternæ dulcedinis pervenire, qui antequam ad metas veniat, in cursu deficiat. Stadium nostrum est observantia mandatorum Dei: finis stadii nostri est caritas, juxta illud Apostoli, *Finis legis est caritas.* Finis stadii nostri F est ipsa caritas, non qua diligimus Deum, sed qua possidemus Deum: non ea qua diligitur Deus, sed ea quæ est ipse Deus. In stadio mandatorum Dei alius bene currere incipit, & antequam ad metas veniat deficit. Alius pigre incipit, & postea ad metas velociter currit. Alius & velociter incipit, & velociter perficit. Alius pigre incipit, & in pigritia sua semper persistit. Duobus istorum bravium debetur, scilicet pigre incipienti, & postea velociter pervenienti: alteri & agiliter incipienti, & velociter pervenienti.

...dium ...stiani. ...im. 1. b ...nam me- ...itur bra- ...m.

5. Multi enim ad monasterium veniunt, ut ibi glorianter vivant: qui male incipiunt & male consummant, semper vagi & numquam stabiles; semper cum non habent quod volunt, murmurosi & detractores, cellulariis * à tergo benedicentes, eos cum quibus vivunt fratres suos injuriis afficientes, moribus indisciplinati, gestu & actu inordinati, habitu elati, moribus inepti, bonis præstitis semper ingrati. Isti bravium æternæ beatitudinis non merebuntur habere, quia in stadium mandatorum Dei gressum rectum figere noluere. Istis enim forma sanctitatis ad perfectum non erit, quos morum pravitas per inobedientiæ venena confundit. In istis talibus verba Christi non manent, quia præcepta Christi, quæ sciunt vel audiunt, ventorum vanitati dedicarunt, jussa Domini contemnentes, cœnacula ventris amantes: ipsum vero Deum scilicet æternum, Deum omnipotentem, calcibus nequitiæ & malitiæ percutientes, odientes proximum, abnegantes Dominum Jesum-Christum; non observantes quod coram omnibus Sanctis in die consecrationis suæ illi promiserunt. Noverit qui talis est, se esse damnandum à Deo quem irridet. Alius ad monasterium venit, ut peccata quæ commisit in sæculo, punire valeat in monasterio. Sed postquam ingressus fuerit, non solum quæ commisit, dolendo non diluit: sed insuper alia forsitan graviora committit. Sed postea magno dolore compungitur, magno pudore prosternitur: & quia peccata quæ fecit, bene vivendo non diluit, sed insuper enormiora præsumpsit: tunc ad memoriam revocat, quanta in peccatoribus sit severitas judicis, quanta in ipsis damnatis sit ipsa pœna damnationis. Insuper & considerat, quanta sit misericordia Redemptoris circa pœnitentes, benignitas circa recte viventes. Tunc omne malum quod fecit enumerat, tunc tristia quæque ante oculos mentis acervat. Doloribus agitatur, tantis suppliciis angustiatur, quantis arctari in ipsis infernalibus pœnis pertimescit, quantis cruciari in camino ignis & sulfuris perhorrescit. Tunc enim nihil quod delectet aspicit: tunc triste est quod occurrit: tunc lacrymis & doloribus punit, quod cum delectationibus perpetravit, Tunc qualiter Domino Christo placere possit, contendit: & jejuniis & orationibus vacans, soli Deo placere desiderat. Qui talis est, petat à Domino quicquid voluerit: non dubitet; impetrabit.

* Syncellitis.

Religiosi male incipientes & finientes.

Male incipientes, sed bene finientes.

6. Nos ergo, Fratres carissimi mei, quos Christus proprio cruore redemit, ipsum sui sanguinis largitorem, humani generis Salvatorem, sine modo, ultra modum, de omni corde, de omni mente, totis viribus, totis medullis cordis diligamus, timeamus & amemus, & ejus disciplulatui inhæreamus. Valde est enim dulce & delectabile, lætabundum & jucundum, fieri discipulum Christi. *In hoc* enim, ait Dominus Jesus discipulis suis, *clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.* Nos igitur qui Christiani vocamur & sumus, in Ecclesia Christi tamquam in agro sumus constituti. Alii fructum afferunt; alii in sterilitate persistunt: alii tenues & pauculos fructus faciunt, semper pigri, semper negligentes, pigri ad orationem, tardi ad lectionem; ad vigilias longo somno depressi; ad laborem nimium teneri & delicati. In his non valde clarificatur Pater Domini nostri Jesu-Christi; quia nec plurimum afferunt fructum, nec discipuli Christi esse probantur. Alii dulces fructus producunt in fertilitatis abundantia; dulces, inquam, Deo, & dulces hominibus. Hi clarificant Deum, & Deus clarificabit eos in die retributionis operum, in die collectionis frugum novarum, quando venient cum exsultatione portantes manipulos suos. Hi sunt mites & humiles, devoti & obedientes. Ad vigilias vigiles, ad omne opus bonum ferventes, in oratione sublimes, in lectione sacra subtiles, in meditationibus suspirantes, & in contemplationibus gementes & flentes: seminantes quidem in lacrymis: sed gaudeant & exsultent, quia in gaudiis metent æternis.

In agro dominico diversimoda fructificatio.

7. Alii sunt qui non faciunt fructum, sed frondes tantum producunt & folia. Hi sunt qui speciem sanctitatis habent; sed fructum sanctitatis non habent. Ad horum radicem securis posita est. Ut quid terram occupant? Excidantur, & in ignem mittantur. Infructuosis arboribus dura & amara sententia datur. *Omnis arbor*, inquit Dominus *Matt. 7. c*

Jesus, *quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Timeant ergo arbores infructuosæ, hypocritæ, dealbata sepulcra, tumba sculpta & bene polita. Exstirpent quod latet intrinsecus: confiteantur, & sanentur. Mutent fortitudinem suam, mutent conscientiam suam, conscientiæ sanent cauterium, & in via mandatorum Dei dirigant gressum, & faciant fructum: ut per illos Pater clarificetur in Filio, & Christus in Patre suo, & ipsi clarificentur in Patre, & Filio, & Spiritu-sancto. Felix ille, beatus ille, per quem Deus Pater clarificatur, per quem Christus laudatur, & Spiritus-sanctus glorificatur. O nimis felix, cujus vita & mores laudes intonant Creatori! O virum beatum, cujus anima suo famulatur Creatori! ô beata anima, quæ suo pro viribus placere satagit Redemptori! Benedicta sit anima illa, cui est tota dilectio Christus, cui nil satisfacere potest præter ipsum, qui pro ejus amore occisus est; quæ nil præter Christum diligere novit, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & dedit semetipsum redemptionem pro nobis; ut nos per sanguinem suum adoptaret in filios Dei. Per omnia sit benedictus Christus, qui sic dilexit genus humanum, sicut Pater dilexit eum. ipse enim dicit: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* O cara caritas, ô æterna veritas, ô dulcis æternitas, ô beata felicitas, ô decus Angelorum, ô splendor Sanctorum, Jesu bone, Jesu sancte, vita immaculata, vita æterna, salus incorrupta, perpetua gloria, totus dulcis, totus amabilis! quomodo nos amasti, quomodo nos dilexisti, qui teipsum in mortem dedisti! Amor tuus nescivit habere modum; & mensuram tua, ô Christe, caritas tenere non potuit. *Sicut dilexit me Pater*, inquis, *& ego dilexi vos.* Utinam & ego essem quem diligeret Dominus meus! utinam audissem ex ore Domini mei, *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi te!* Quid mihi jam deesse posset, si me diligeret Jesus meus? Meus, inquam, & utinam meus! O felices divitiæ! O opes beatæ, possidere Jesum, possidere Dominum Christum!

Pater quomodo dilexit Christum.

8. Illum, mi lector, posside per amorem, & sic illum possidebis æternaliter per amoris retributionem. Ipsa Veritas ait: *Ego diligentem me diligo; & qui dilexerit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Quantus fuerit amor, quem circa nos Christus moriendo exhibuit, enarrare non sufficit aliquis vivens: lacrymæ dicant, quia voces explicare non queunt. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Videamus quomodo eum Deus Pater dilexerit, & quomodo nos dilexerit ipse. Ait enim Apostolus: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.* (Philipp. 2. b) Et Propheta loquens de eo ad Patrem, ait: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* (Psal. 8. b) Ecce quomodo dilexit Deus Pater Filium; & ipse non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio suo, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine ejus, quod dicitur Jesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, id est, omnis creatura cælestis, ut sunt Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus & Potestates, Virtutes, Cherubim, & Seraphim, & omnis cælicus ordo, & omnis creatura terrestris. Et non solum homines, sed & bruta animalia audito nomine Christi contremiscunt, insuper & omnis infernalis creatura tremit & contremiscit ad tanti nominis invocationem. Magna est igitur dilectio Patris in Filium, cum sic eum sublimaverit, cum sic eum exaltaverit, ut omnia subjiciat sub pedibus ejus, ut omnia supponat ditioni ejus.

Christus quantopere nos dilexerit.

9. Vidimus, quomodo Pater dilexit Christum: nunc superest, ut videamus quomodo nos dilexit Christus. Sed quis, inquam, valebit explicare? Quis umquam enodare sermone amoris abundantiam, caritatis eminentiam, quam habuit Christus in nobis, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo: qui mortem nostram sua morte destruxit, pro nobis eligens mori, ut nos A à morte liberaret æterna, & nos illuc attraheret, ubi ipse est in gloria Patris? Ait enim, *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.* (Johann.) Ecce quomodo dilexit nos. Pro nobis elegit mori, ne nos morte damnaremur æterna. Resurrexit à mortuis, ut suæ nos resurrectionis tribueret esse participes. Ascendit in cælum, ut nos proveheret ad palatia cæli; & sedet ad dexteram Patris collocans, coronans, & lætificans illic, quos proprio cruore redemit, quos glutino sibi caritatis asseruit secum in eadem dextera Patris. Ipsum igitur Christum sine modo, ultra modum, absque meta, ultra metam, assidue, continue, toto corde, tota mente, totis viribus, totis virtutibus diligamus, veneremur, & amemus: ut ad ipsum, & cum ipso pervenire B & regnare valeamus, qui cum Patre vivit Deus & cum sancto Flamine, benedictus omni tempore sæculi. Amen.

## SERMO XIII.

1. De dilectione Dei quo plus bibo, plus sitio: & ea saturari non possum, nec ego, nec aliquis perfecte diligens Christum. Ipsa quo plus editur, plus famem exauget: & quanto plus ipsa bibitur, plus sitim incendit: ipsam quam inhabitat mentem sic inebriat, ut nil jam quærat vel diligat, nec diligere possit nec valeat præter eum qui sic mundum dilexit, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit & diligit illum non moriatur, C sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectionem auctor ipse inæstimabilis caritatis invitat: in ea nos manere precatur & rogat. Ait enim, *Manete in dilectione mea.* ac sic aperte dicat, Quia ego ea dilectione, qua me Pater diligit, vos diligo; eadem dilectione me vos diligere rogo. Et quoniam dilectio vestra me usque ad mortem perduxit, sed neque mors crudelissima ipsa à vestra caritate me sejunxit: me diligite, & in mea dilectione manete. Sed qualiter in ejus dilectione manere debeamus, sequitur & dicit: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione: sicut Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* Qui habet aures audiendi, audiat: & qui habet cor intelligendi, intelligat. Mensuram nostræ possibilitatis vi- D detur excedere, vires animi & corporis ac nisus supergreditur universos. Præceptum quod nobis Dominus imperat, consilium est nostræ salutis, quod ipse auctor nostræ salutis nobis accommodat. Quis umquam hominum, ex apostatica radice primi parentis exortus, potuit, vel poterit sine aliquo transgressionis nævo, cum omni officio caritatis inconcussa & immaculata Christi observare præcepta: sicut ipse in totum & in partem sui Patris servavit mandata, qui peccatum non fecit, nec umquam peccare potuit, nec peccare etiam voluit? Non est in filiis hominum magnus vel parvus, tanta præditus sanctitate, nec tantæ religionis privilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem Immaculati pecca- E tum non facientis, sed peccata mundi tollentis; de qua, cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo habere quæstionem. Unde non immerito nullus tantæ sanctitatis fulget prærogativa, qui in omnibus & per omnia istud *sicut* jam valeat observare, ita dumtaxat si fuerit expressivum quantitatis. (Concep. immacu. B. Mari.)

2. Sed notandum est, quod hoc adverbium, *sicut*, non hic quantitatis, sed qualitatis similitudinem notat, sicut superius assignavimus, ubi dicitur: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Et est sensus: Si præcepta mea servaveritis, sicut & ego præcepta Patris mei servavi, & si manseritis; in dilectione mea, sicut ego in dilectione Patris mei maneo; id est, si mihi F in observantia mandatorum meorum usque ad exitum de habitaculo carnis obedientes fueritis juxta possibilitatem vestræ fragilitatis, sicut Patri obediens fui usque ad mortem crucis; juxta plenitudinem divinitatis quæ in me corporaliter habitavit, manebitis in dilectione mea, & ego in dilectione vestra, sicut & ego in dilectione Patris, & Pater in dilectione mea. Vel possumus dicere, quod hoc adverbium, *Sicut*, in nobis in hoc loco vim suæ significationis non exercet; sed notat tantum ibi similitudinem dilectionis & obedientiæ Christi ad Deum Patrem esse monitoriam nobis, ut Christi præcepta debeamus observare, (Adv. Sic similitudinem significat n. æqualita.)

&

& in ejus dilectione manere. ac si diceret : Ego præcepta Patris mei pro vestra salute servavi, & ideo maneo in ejus dilectione. Et vos præcepta mea pro meo amore servate : & sic manebitis in mea dilectione.

3. Adhuc amantis amor me compellit, caritas nostri dilectoris Jesu-Christi Domini nostri, sed utinam dilecti, scilicet istud capitulum repetere ; *In dilectione mea manete.* O Jesu, Jesu resurrectio mortuorum, vita viventium, salus æterna credentium, totus dulcis, totus amabilis, totus delectabilis quærentibus te, diligentibus te, invenientibus te. Dignare me servum tuum loqui cum Domino, hominem cum Deo, plasma cum Plasmatore, facturam cum Factore, redemptum cum Redemptore. Igitur audi me, & ne perturberis propter me. Nam ego sum, licet peccator, qui diligo te : mihi tecum loquendi ausum præbet dilectio tua, attrahit mentem caritas tua, amor instigat. Dixisti Apostolis tuis, & per eos dictum intelligamus nobis; *Manete in me & ego in vobis.* Obsecro te, jucunditas pulcra, dulcedo melliflua, suavitas odoris, odor suavitatis, lætitia summa, gloria sempiterna, vita Sanctorum, decus Angelorum, Salvator mundi, Fili Dei vivi, Jesu dulcissime, speciosissime, carissime, & amantissime, dic quæso, quæ est causa tuæ dilectionis, tuæ glutinosæ caritatis, ob quam & te diligere, & in tua dilectione manere nos præcipis ? Dic, ut qui non te diligunt, audiant & diligant : & qui te diligunt, magis ac magis in tua dilectione fervescant. Vox tua dulcis sonet in auribus meis. Dic, *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* & quia dilexi vos, mihi rependite vicem, me diligite, & in mea dilectione manete. Justum est, æquum est Domine Jesu, hoc quod dicis, hoc quod imperas nobis. Omnibus æquitas dictat, ut dilectus diligentem diligat, & amatus amanti mutuam caritatem impendat. Verumtamen aliam causam tuæ dilectionis inquirimus, qua magis te diligere debeamus. Dic nobis qui es, & quid fecisti nobis, unde nobis te diligere præcepisti. Dic nobis, *Ego sum qui sum. Ego sum Alpha & Omega*, principium & finis, creans cælum & terram, aëra & maria, & omnia quæ in eis sunt, factor & creator cunctorum, Rex regum, & Dominus dominantium. Audivimus & gavisi sumus, & certi sumus, quoniam tu es Deus per omnia sæcula benedictus. Sed adhuc, quod pro nobis fecisti, implorant gemitus nostri, requirunt lacrymæ peccatricis animæ meæ. Illud cum recolo quod feceris mihi, & quod fecerim tibi, viscera mea inter se colliduntur, spiritus contremiscit, anima conturbatur, vulneror & confodior doloribus multis. Nec mirum. Perpendo quid fecerit servus Domino suo : & quantas & quales luerit Dominus pœnas pro servo. Conscientia mihi testis est Domine Jesu, quid fecerim tibi, & crux tua mihi testimonium perhibet, quid tu feceris mihi. Tu Deus, & ego homo : & tamen pro me tu Deus factus es homo. Tu creator & ego creatura : tu pro me dignatus es fieri creatura. Tu Dominus, nos servi : & pro servis dignatus es fieri servus, peregrinus pro peregrinis, pro exsulibus exsul, pro pauperibus pauper, pro humilibus humilis, pro mortalibus non tantum mortalis, sed mortuus, non qualicumque morte, sed dura nimis, amara nimis & turpissima, morte scilicet crucis. Hæc opera tua Deus. Hæc opera considero & contremisco : in his te misericordem esse cognosco, & revivisco, & propter hoc in te confido : de te confido, te amo, te diligo, te totis visceribus concupisco.

4. Hæc opera, fratres mei, sunt causa dilectionis Christi. Unusquisque vestrum videat, si Dominum Jesum diligere debeat. Quid pro nobis facere debuit; & non fecit ? Quomodo nos plus amare potuit, & non amavit ? Majorem in nobis dilectionem non potuit habere quam habuit, quia animam suam in mortem pro nobis posuit. Ipsa beata Veritas testis est, quod *majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Non ergo nobis vilescat, fratres mei, ipsa dilectio Christi, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Non vobis vilescat, fratres mei, non vobis amarescat ipse amor Christi, ipsa caritas Christi. Amor Christi totus dulcis, totus delectabilis suum possessorem non cruciat, sed delectat; non enervat sed roborat : cuncta terrena subsannat, sola cælestia captat : Christi mandata requirit, & ea pro viribus observare contendit, & de observatione præceptorum gressu felici provehitur ad perceptionem gaudiorum, ut cum illo jam perfecte gaudeat ; pro cujus desiderio in hac valle lacrymarum positus, tam amare frequenter suspirabat. Unde recte sequitur :

5. *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.* ac si diceret : Ideo præcipio vobis, & moneo vos mea observare præcepta, & manere in dilectione mea, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum de me adimpleatur, ut habeam de vobis per mutuam caritatem, quam mihi impenditis, unde possim gaudere, & illud gaudium quod in retributione præmiorum electi sunt percepturi, percipere & possidere possitis. Vel aliter : *Ut gaudium meum sit in vobis, & gaudium vestrum impleatur.* Omnis enim qui Christum de intima cordis medulla pure & illibate & inconcusse intra sinum caritatis, brachiis amoris complectitur & connectit, totum ejus gaudium reputabit in suum. Immo amplius gaudet de gaudio, quod Christus accepit à Patre resurgendo, ad cælos ascendendo, in dextera ejus sedendo, quam de illo gaudio, quod in die judicii est percepturus à Christo. Igitur, fratres carissimi, maneat in vobis gaudium Christi, sive sit activum, sive passivum, sive sit diligentis, sive dilecti ; id est, sive sit gaudium quo Christus gaudet de nobis, sive sit gaudium quo nos gaudemus de Christo. Christi observemus præcepta, ut ipse gaudere possit de nobis, & nos de ipso gaudere possimus. Maneat in nobis gaudium beatitudinis ejus, non solum qua beat vel beatificat de seipso gaudentes, sed etiam qua clarificatus est à Patre, ut nos cum illo in æternitate mereamur regnare, per eumdem Dominum Jesum-Christum, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus benedictus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

## SERMO XIV.

1. Cum de Redemptore nostro lingua nostra silere non debeat, & ne cito sit adfuturum de ipso tacentibus : nimis nostrum interesse considero, si diem & diem de ipso loquendo, non perfunctorie terminemus, & e contrario diræ damnationis non subire sententiam, si vanis verbis nostram manu-miserimus linguam. Igitur vana verba & non sonantia Christum, nec religionis tenentia pondus, in omni loco æterna clausura damnantes, ad dulcia eloquia à Verbo Patris eructata, cithara nostra suas chordas extendat, & plectrum mentis lingua vocis magistra tuba insonet Salvatori, quæ de ore mellifluo Christi profluxere dulcia eloquia vitæ. Sed utinam quod vobis proponitur, nulla utilitatis vel contemptus offuscaret obductio, sed arctius caritate obnexum, caresceret * vobis super lapidem pretiosum, & dulcius saperet in vestri cordis palato super omnia mella & super quemlibet favum. Ipse auctor dulcedinis, cui omnia optata succedunt, cujus voluntati cuncta obediunt; qui etiam ea potest quæ impossibilia videntur esse, sic dulcescat in cordibus vestris, ut vos de eo semper audire delectet, & me interius sapientiam, quæ de ipso est, doceat : & per lanceam oris mei vulneret & confodiat hostem generis humani, qui pro viribus elaborat, ut ipsa nobis verba Christi auditu vilescant, & mihi & aliis prædicata & docta sententiam damnationis impendant. Adjuvet nos semper & protegat & defendat ab illo Jesus, qui dilexit & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, nos instruens verbo, & informans exemplo; statuens edictum, sanciens præceptum; edictum dulce, præceptum vitæ; edictum amoris, præceptum caritatis; statuens & adimplens, præcipiens & perficiens, in se, inquam, & in nobis.

* Carescere vox barbara pro carum fieri.

2. Hoc est illud præceptum quod Jesus præcepit, quod statuit Discipulis suis, præceptum scilicet caritatis, præceptum dilectionis, quod sic habet : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Dulcis & suavis Dominus dulce & suave mandatum proponit. Dulce & suave illud esse videtur, quod præcipit dilectio, & allicit amor,

Nam nulla ibi apparet difficultas, ubi est caritas: nullus ibi labor est, ubi verus amor est. Cuncti amori libenter obediunt,& ejus jugo colla summittunt: perversi perverso, lubrici lubrico, sancti sancto, casti casto, quilibet in desiderio suo. Ideo Dominus dat præceptum amoris,præceptum dilectionis: ut suo præcepto omnes obediant,& cervicem superbiæ suæ sub jugo suæ humilitatis edomare festinent. Igitur, fratres mei, tamquam boni discipuli Christi, ad audiendum estote parati, & præceptum Christi quod evangelica vobis intonat tuba, libenter accipite, & efficaciter in omnibus & per omnia adimplete: ut ad illum possitis per amorem redire, à quo per tumorem superbiæ recessistis.

Amori omnes obediunt.

3. Nunc intendat caritas vestra quid vobis præcipiat caritas vera, caritas exquisita, caritas inaudita, caritas pia, caritas bona, caritas tota dulcis, tota delectabilis caritas sponsus speciosus, decorus, candidus, rubicundus, electus ex millibus, Christus futuri sæculi Judex, Princeps pacis & Dominus vitæ. Ait Dominus Jesus per omnia tempora benedictus: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Leve præceptum, suave præceptum, & dulce præceptum. Ad portandum leve, ad amplectendum suave, ad tenendum dulce & delectabile. Quid levius, quid suavius, quidve dulcius, quam diligere? Hoc potest omnis homo, sanus & æger, dives & pauper, stultus & sapiens, nobilis & ignobilis, servus & liber. Nemo se excuset, nemo se in hac parte apologizet. Cuilibet homini est possibilitas ista communis, amare videlicet. Sequitur igitur ex præcepto dominico, ut nos invicem diligere debeamus.

Amoris præceptum suave.

4. Sed quoniam multi se diligunt, non ea dilectione quæ caritas est, sed ea quæ in Dominum est blasphemia, ut ea quæ fit pro pelle ad pellem, quæ concipit dolorem, & parit iniquitatem: ut cæca libido, prostibulosa cupido, quæ equuleum suum sic ad imperiginem calcaribus malitiæ & nequitiæ inferni in compellit, ut baratrum inferni in quo est, prævidere & vitare non possit: adjunctum est, *sicut dilexi vos.* Quomodo Christus nos dilexit? prout ipse dedit, supra scriptum reliquimus*. Sed ut teipsum ad istud cognoscendum reducam ad teipsum, noverit dilectio tua, sancta religio tua, quod caro Christi & sanguis, qui in altari à fidelibus sumitur & immolatur, tibi testimonium perhibet quomodo nos dilexerit Christus. Ideo noscat dilectio tua, quod utilitati proximorum utilitas propria quandoque est postponenda. Sed si aliam dilectionem Christi adhuc sanctitas tua requirit; etiam in bonis temporalibus tibi ab ipso collatis poteris invenire. Unde notandum est, duas esse Christi dilectiones, unam temporalem, aliam spiritualem; unam communem, aliam specialem. Primam, scilicet temporalem, communiter justis & impiis pietas Creatoris adhibuit; spiritualem vel specialem pie & juste viventibus tantum attribuit. Hæc scilicet specialis bifariam spargitur. Alia est de collatione virtutum, alia de retributione meritorum: alia est, qua nos virtutibus contra tela hostis nequissimi roborat; alia, qua nos de nostro tyranno legitime triumphantes gloria perpetua ditat. Has duas dilectiones nobis ipsa pia Christi dilectio dedit, qua dilexit nos & lavit ab omni inquinamento carnis & spiritus in sanguine suo.

Dilectio proximi vera à falsa discernitur.

*serm. 5.

Dilectio Christi duplex.

5. Sicut igitur nos Christus duplici amore dilexit: ita nos bina caritate flagrare præcepit, dilectione sui & dilectione proximi. Si caritatem Deo & hominibus corde puro,& conscientia bona, & fide non ficta exhibemus; facile peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, sæculi blandimenta rejicimus, & omnia etiam quæ difficilia sunt humanæ fragilitati vel aspera, etiam cum dilectione perficimus, si tamen Deum perfecta caritate, quæ nobis ab illo est, ex toto corde & ex tota anima diligamus. Hunc si ex toto corde diligimus, nihil erit in nobis, unde peccati desideriis serviamus. Et quid est Deum diligere? Illi soli occupari, animo concipere fruendæ visionis ejus affectum, habere peccati odium, mundi fastidium: diligere proximum quem in se censuit diligendum, in ipso amore servare legitimum modum, nec pervertere dilectionis ordinem constitutum. Ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum qui contemnendus est, diligunt; aut corpora sua minus diligenda plus diligunt, aut proximos suos non sicut seipsos, aut Deum plusquam seipsos, forte non diligunt. Corpus nostrum à nobis est diligendum, ut saluti ejus aut fragilitati naturaliter consulamus: ut spiritui ordinate serviat suis motibus, animæ & rationi in nullo contradicat, ut in die resurrectionis gloria felici perenniter cum Domino vivat.

Diligere Deum quid.

## SERMO XV. *

* Est co[ntinuatio ser]monis [præ]cedenti[s].

1. PRoximos nostros tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas utilitates nostras, vel speranda beneficia, vel accepta, vel propter affinitates, vel consanguinitates: sed propter hoc tantum, quod sunt nostræ naturæ participes, diligamus. Proinde secundum hoc nos omnes proximos diligamus, quantum ad mores bonos & ad vitam æternam consequendam eorum saluti, sicut & nostræ pro posse consulendo, & eorum necessitatibus, prout facultas suppetit, subveniendo. Deum ex toto corde diligimus, si illi soli secundum nostrum posse placere contendimus; si ipse solus est desiderium nostrum, spes nostra, intentio nostra, totus amor noster, tota caritas nostra. Alioquin illum non perfecte diligimus, nec caritatem tenemus; & qui caritatem non habet, jam non est ejus: nec illum habebit in præmium sui laboris, qui in hac ærumnosa solitudine rectam semitam non tenuerit caritatis. Hæc est, inquam, semita caritatis, non solum diligentem diligere, sed etiam odientem, non minus quam seipsum, sed sicut seipsum. Stricta & angusta est semita ista: & pauci vadunt per eam. Illi soli vadunt per eam, qui propter Christum seipsos despiciunt, & quibus cuncta præter ipsum Christum vilescunt. Isti si aliquas diabolicas sentes, viatores * caritatis occultare volentes invenerint, tamquam cervi agiliter fortiterque currentes, amore cælestis patriæ ducti, ultra dant saltum,& ipsum diabolum, fraternum odium suggerentem, deducunt ad nihilum: & ipsos motus animi, cum ex illata sibi injuria quodammodo perturbati fuerint, in fratrem conviciantem insanire cupientes, camo caritatis constringunt,& allidunt ad Christum. Tales profecto animam suam ponunt, qui amicis & inimicis se per caritatem prosternunt; ut omnes homines lucrifaciant Christo. Qui sic agit, & Christi præceptis obedit, & ei mutuam caritatem impendit: iste in veritate amicus est Christi; & quia propter ipsum Christum seipsum odit, & super omnia illum diligit, & propter ipsum odientia cuncta caritate complectitur, gaudeat qui talis est.

Proxim[um] quisve [di]ligat.

Quis D[eum] ...

* lege [via]tores.

2. Qui talis est, vere monachus est: & qui talis non est, licet sit cucullosus, licet sit pannosus, sive abrasus, sive tonsuratus, habeat quidquid vis, sit quicquid vis, est imago vel pictura monachi, & non est monachus. Ad verecundiam phreneticorum dico. Sunt quidam in monasterio morbo phrenetico laborantes, ad iram prompti, ad iracundiam præparati, ad odium festini: qui pruriginem cordis per scalpedinem linguæ trahunt ad scabiem cutis, mente corrupti, vagi & instabiles, circumoculiones*, susurrones, gulosi, murmurosi, invidi, tumidi & elati, Deo de bonis collatis ingrati, Adæ prævaricantis pelliceis vestiti, illius vestimento salutis nudati, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Isti pelliculam veterem retinent, & fronte polita, *Astutam rabido portant sub pectore vulpem.* Talium frons erubescat; confundatur & erubescat nimis velociter. Confiteantur & sanentur, mutent animum, dirigant gressum in semitis æternitatis, in viis castissimi amoris, per gloriosissimam viam caritatis: fratribus mutuam caritatem impendant, Deum super omnia diligant, pro illius amore animam suam ponant, in omnibus & per omnia ejus præceptis obediant: ut Christi amici mereantur vocari & esse, qui dicit: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* O magna dignatio, inæstimabilis caritatis exuberatio, insolita bonitas, ininterpretabilis pietas! Ab ejus conditione qui servi sumus, invenimur indigni, & tamen nos dignatur habere & vocare amicos. Largitor dulcedinis, amator caritatis, immo caritas cara, & beata jucunditas, & jucunda tranquillitas, & secura securitas, & felix æternitas,& æterna felicitas, Dominus Jesus totus desiderabilis, totus amabilis, thesaurus incomparabilis,

Mona[chi] dissolu[ti de]pingu[ntur].

* i. e. vagi, ...

margarita inæstimabilis, vita viventium, spes morientium, æterna eorum felicitas, qui pro illius amore se in hoc sæculo infelices fecere. O quam felix est ille, qui pro illius dilectione fecit se infelicem; & quam beatus est ille, qui propter ipsum, semetipsum miserum fecit! Vere ille est felix & æterna felicitate dignus, qui seipsum despicit, seipsum contemnit, qui displicet sibi, ut in veritate placeat suo Creatori. Noscat superbus omnis, universus elatus, in Galgalis vitiorum fœdatus, scabiosus in pelle luxuriosa, fœdatus in conscientia prava, sibi placens, seipsum supra semetipsum constituens: jam non placebit suo Creatori, si propter errorem suum primum non displicuerit ipse sibi. Nobis igitur displiceat, fratres mei, quod mali fuimus, & adhuc forsitan sumus; & placeat nobis quod nondum perfecti sumus, sed dante Domino Jesu-Christo, & utinam nostro, perfecti erimus, ipsius mandata servantes, & ex inimicis ejus amici efficiemur, qui discipulis suis dixit: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.*

...ogus vi- ...m per- ...mona-

3. Adhuc te alloquor, monache Benedicti. O homo, velox es ad mensam, tardus ad ecclesiam; potens ad potandum, sed æger ad cantandum; pervigil ad fabulas; somnolentus ad vigilias; procax ad loquendum, sed mutus ad psallendum; promptus ad iram & detractionem, tardus ad orationem; invidiæ amator, Christi persecutor; festucam respiciens, trabem non considerans; ceteros reprehendis, teipsum non corripis; malitiæ inventor, disciplinæ destructor; amicus vitiorum, hostis virtutum. Hæc sunt quæ oculum excæcant, & à Deo separant. Hæc sunt quæ conversum faciunt perversum, monachum dæmoniacum. Cum de profundo cordis (quod rarum est, sed valde carum est) quanto caritatis amore verus amator erga amatum ferveat, in eis quos pio cruore redemit, in valetudine mea mihi ab ipso collata considero, totus in veritate; fateor mihi displiceo, & intra meipsum de memetipso confundor. Confundor & confunderer, immo prorsus utique desperarem, nisi *Verbum* quod *caro factum est, & habitavit in nobis*, & ascendens in cælum sedet ad dexteram Patris, propitiatio esset pro peccatis nostris. Sed mihi in ipso baratro confusionis meæ infirmo jacenti, & vitiorum febre laboranti, de sua sede regali manum medicinalem extendit, dicens: Veni ad me qui laboras in labore peccatorum, & es oneratus pondere eorum; & ego te reficiam tibi parcendo, & mei amoris gratiam largiendo.

Nam amicus meus eris, si feceris ea quæ ego fieri tibi mandavi. Quid? ad hæc non confunderis? Nam quod mihi, hoc & tibi. Confundantur inimici Christi, convertantur, & erubescant valde cito, & erunt amici Christi. Amici illius sumus, si illum ex toto corde diligimus: non es amicus ejus, si eum ex omni parte non diligis. Si ex una parte fueris castus, & ex alia superbus, meminisse debes quia *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Necesse est igitur ut eum ex omni parte diligas, necesse est ut ex toto corde illi adhæreas. nam adhærere illi bonum est, securum est. Quid est ei adhærere? Spem suam in eo ponere, nihil præter ipsum amare, immo cuncta propter ipsum despicere, omnia odisse, universa fastidire, quælibet transitoria nihil ducere. Hoc est bonum, hoc est jucundum, sic diligere Dominum Jesum-Christum. Qui igitur sic est, ejus amicus est.

Jac. 4. b

Quid Deo adhærere.

4. Consideremus igitur, fratres mei, quanta est misericordia Redemptoris nostri. Ab ipso reputari servi non sumus digni: & ejus amici vocamur & sumus, si in ejus dilectione manebimus. Nunc ergo Domini nostri, veri amici, creatoris omnium, factoris omnium mandata servemus: ut non solum in numero amicorum, sed in sorte filiorum reputari & esse mereamur, abnegando nosmetipsos propter ipsum, qui seipsum exinanivit, & pro nostra salute formam servi suscepit, in qua solvit quæ non rapuit, qui flagellari & mactari, crucifigi & occidi pro nobis voluit. Hoc est unde debet diligi Christus: hoc est unde noster erit Dominus Jesus, si propter ipsum nosmetipsos abnegaverimus. Felix abnegatio & beatus contemptus, qui facit de peccatore justum, de inimico amicum, de servo filium, immo; quod magnum est nimis, de servo diaboli filium Dei. Igitur, monache Christi, contemptor mundi, esto contemptor tui: contemne mundum, contemne teipsum. Nimis est magnum, quod debetur tuo contemptui, quod debetur tuæ abnegationi. Inæstimabilis est multitudo dulcedinis, multitudo felicitatis, gloriosæ æternitatis, quam daturus est Christus, scilicet seipsum diligentibus se. Nihil carius, nihil dulcius, nihil pretiosius, nihil speciosius Christo. Ipse salus sine languore, vita sine morte, gaudium sine mærore, decus sine fuscatione, dulcedo sine amaritudine. Tale præmium debetur abnegantibus se propter illum. Hoc præmium, scilicet seipsum, nobis concedat ipse Christus, qui sine fine vivit & regnat Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

---

# ITEM IN COENA DOMINI SERMO.

*Hunc sermonem, in prioribus editis inter Bernardinos relatum, huc rejicere visum est cum subsequenti sermone, utpote à Bernardi stilo & genio alienum. Non reperitur in melioris notæ codicibus, qui sinceros tantum Bernardi sermones continent, nec in primis Bernardi impressis.*

1. Sedisti ad mensam divitis? *diligenter attende quæ apponuntur tibi; & scito quoniam talia oportet te præparare.* In verbis istis loquitur spiritus consilii voce suavi, sed & terribili. Vox suavis est, sed obedientibus: vox terroris contemnentibus. Recipientibus debentur præmia, rejicientibus intentantur supplicia. Vivent qui recipiunt, damnabuntur qui rejiciunt. *Sedisti*, inquit. Ecce principium hujusmodi verborum quantæ suavitatis præfert insigne. Verba præcedentia suaviter sonant, affectum mulcent, & de sensuum ubertate mentem impinguant. Quæ autem sequuntur, id est, *scito quoniam talia oportet te præparare*, dum intellectum quo plus exercent, plus terrent, de altitudine mysteriorum miro modo nos humiliant, sive propter indignitatem nostram, sive propter incapacitatem. *Dives* itaque & potentissimus ille, Dominus est virtutum,
...62. 3. & ipse Rex gloriæ, cui dicitur per Prophetam: *ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Ipse est qui aufert spiritum principum, terribilis apud reges terræ. *Mensa* ad quam resident fideles epulaturi cum eo, incarnatio ip-
...22. 4. sius est. *Parasti*, inquit, *in conspectu meo mensam*, id est, incarnationis tuæ remedium, quod semper attendo & recogito, *adversus eos qui tribulant me:* ne more antiquo prævaleant, qui misero & exsuli insultare consueverant.

...ratio ...t men- ...vitus.

2. Porro in mensa & de mensa incarnationis dominicæ refectio acquiritur opulenta. Regia quidem ibi sumuntur fercula, & accuratiori arte diligentius præparata, deliciosa multum ad saporem, solida ad nutrimentum, efficacia vero ad medicinam. *Primum* itaque ferculum, est *obedientia* filialis, tribus contexta funiculis, habens humilitatem in corde, patientiam in ore, perseverantiam in bono opere. Christus namque factus est obediens Patri. Unde & ipse dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Et in alio loco: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris.* Quæris de humilitate? Dominus omnium, servuli forma indutus est: de paupercula virgine natus est. Ideoque cum liber esset à lege, factus est sub lege, sine querela conversatus est in lege. Cum publicanis & peccatoribus cibum sumpsit, discipulorum quos elegerat pedes lavit: hoc ab ortu suo usque ad finem vitæ satagens, ut sicut in matre specialis & sine exemplo fuit virginitas, sic in filio singularis & unica esset humilitas. Quod si de *patientia* quæritur, *Sicut ovis ad occisionem ductus est, & propter iniquitates nostras vulneratus est, & cum iniquis deputatus est.* Ut etenim invisibilis videretur à nobis, & immortalis moreretur pro nobis: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Habitavit hoc Verbum in nobis obumbratum carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis, Verbum in carne, sol in nube, mel in cera, lumen in testa, cereus in lucerna. Suf-

Fercula mensæ varia.

1. Christi obedientia; quæ constat

Johann. 5. 30.

Johann. 4. 34.

Humilitate.

Patientia. Isa. 53. 7.

Johann. 1. 14.

tinuit in assumpta carne incommoda nostra sine peccato A carnis, portans in carne peccata nostra: & hoc totum non propter se, sed propter nos: ut redderet nos incolumes de infirmis, coheredes de extraneis, liberos de servis. Si de *perseverantia* quæris, obediens fuit usque ad mortem. Obedientia talaris est tunica, quam Joseph (quod sonat accrescens vel augmentum, id est, quilibet perfectus dono clementioris gratiæ, quæ est mater credentium) singulariter induit.

Et perseverantia.

Alterum ferculum Paupertas spiritus, ad hanc pertinent; 1. contemptus terrenorum.

3. Secundum ferculum, est *paupertas spiritualis*, quam tria constituunt: depositio rerum & contemptus, vilitas & abjectio suiipsius, abdicatio propriæ voluntatis in omnibus. Voluntaria ergo paupertas, quæ sine possessione vel desiderio habetur, quanto expeditior est, tanto securior B est. Custos & magistra est virtutum hujusmodi paupertas: sicut è contrario radix est vitiorum immoderata rerum affluentia. Expedit esse nudos, cum diabolo, qui nudus est, luctaturos. Nudus athleta fortius dimicat: natator exuitur, ut fluvium transeat: viator rejectis sarcinulis bene cursitat. Nobilis itaque titulus voluntariæ paupertatis, quam Christus docuit verbo, *Beati*, inquiens, *pauperes spiritu*, *&c.* consecravit exemplo. nec enim habuit propriam domum, in qua caput reclinaret, & in qua cum discipulis pascha manducaret: nec proprium habuit, unde tributum solveret. Commendavit eam etiam ore prophetico, dicens: *Ego vir videns paupertatem meam.* Hujus paupertatis exemplum primi post Christum Apostoli ediderunt, quando in primitiva Ecclesia multitudinis credentium erat cor unum & anima una, & omnia communia. Hæc Religiosis Apostolorum sequacibus indicta est. Paupertas ista quæ nec habet, nec habere desiderat, lateralem adjunctam sibi quærit paupertatem, videlicet superbiæ latentis contritionem: ut qui membrum Dei est, pauper fit spiritu, id est, humilia & abjecta de seipso sentiat & judicet. Non applaudat sibi, non infletur de meritorum eminentia, nec aliis insultet. quod Christus tenuit & servavit præ omnibus. unde & ad discipulos dicebat: *Cum feceritis hæc omnia, dicite quia servi inutiles sumus.* Tertio religiosus sit pauper spiritu, nihil umquam ex propria faciens voluntate: sed in omnibus & D per omnia jugo mancipatus obedientiæ. Hæc sunt tria quæ præmisimus veræ religionis insignia, quæ hominem Deo & Angelis reddunt conformem, cælestis patriæ civem conscribunt & heredem.

Matt. 5. 3.

Thren. 3. 1.

Act. 4. 32.

2 Despicientia seu humiliatio sui.

Luc 17. 10.

3 Abdicatio propriæ voluntatis.

Tertium ferculum, Mors Christi Ad hanc tria referuntur.

4. Tertium ferculum, est mors Christi reverenda, præ omnibus sacramentis affectuosa. In hoc enim sacramento pietas magis enituit, gratia plus refulsit, caritas amplius radiavit. Ad mortem Christi tria præcipue respiciunt, non sine timore, non sine lacrymis & gemitu prosequenda: injuriarum multiformium illatio, manuum ac pedum in cruce confixio, sepulcri ac sepulti sub militum excubiis observatio. Porro *sedere* duo significat: potestatem judiciariam, & subjectionem voluntariam. Habes ad manum E exempla congrua de utroque. *Sede à dextris meis*; & illud, *Vidi Dominum sedentem*; atque illud, *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ*, signa sunt judiciariæ potestatis. Ceterum ipsa scriptura clamat: *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*; & illud, *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus*; & illud Christi ad discipulos, *Sedete hic donec orem*; verba sunt debitæ subjectionis. Christo igitur adhuc orante nequaquam surgere debemus per aliquam extollentiam, sed humiliari, & in bonis exercitari operibus convenit: ut quandoque post laborum, quibus hic afficimur, tolerantiam surgamus, loco & tempore suo promovendi ad cælestem gloriam. F

Sedere varie accipitur.
Psal. 109. 1
Isa. 6. 1.
Matt. 19. 28.
Psal. 126. 2.
Psal. 136. 1.
Marc. 14. 32.

5. Tu itaque qui sedes ad mensam divitis, ferculis quæ præmisimus appositis teipsum subjiciens & humilians incarnationis dominicæ sacramento, non negligenter sed *diligenter attende quæ apponuntur tibi.* Attende, inquam, ut discas in referendo gratiam non esse tardus aut segnis: ut discas ad singula dona agere gratias. Attende, inquam, ut nulla Dei munera debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non modica. Denique jubemur colligere fragmenta ne pereant, id est nec minima beneficia oblivisci. Numquam non perit quod da-

Beneficia Passionis Christi grato animo recolenda.

tur ingrato. Terribile est quod sequitur, quia onerosum, & quasi impossibile videtur. Sed quibus? mollibus, effeminatis, ignavis, in quibus libertate perniciosa, ruptis habenis continentiæ, eunt quo volunt ebriæ concupiscentiæ, temulentique affectus, dum post carnem carnalius evagantur, dum mundum supra modum ambiunt & sequuntur. Sed quid est illud quod terribile judicant? Hoc est, *quoniam talia oportet te præparare.* Nota, *quoniam*, compatiendo, commoriendo & consepeliendo teipsum, & cetera. Dignum est enim & tibi multum expedit compati, commori, consepeliri passo, mortuo, & sepulto. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tamquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Nam propter crucem piis dictum est: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Propter sepulturam dictum est: *Consepulti sumus cum Christo, &c.*

Christi vita C… ni co… mand…
Rom. …
Gal. 5

6. Et ideo ut validius compungamur, ut amplius moveamur, & curramus per omnia; revolvamus singula contexendo resticulum, connexendo funiculum, connectendo fasciculum de omnibus & singulis quæ facta referuntur, de humili Dei Filio, de summo Patris Unigenito, de Redemptore piissimo, de amantissimo fratre nostro. Occurrat itaque spiritualiter & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, proditus & venditus à discipulo, à Judæis tamquam vile mancipium pretio satis exiguo comparatus, captus, tractus & ligatus, tamquam homo sine adjutorio: scisso etiam verberibus dorso, vellicatis genis, facie sputis illita, puncto vepribus capite, saucio latere, terebratis palmis, pedibusque confossis: qui tamquam jugulatori suo alludens, seipsum non reluctans exposuit, & nudum corpus quasi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit: dum pro nobis per hujus vitæ pelagus ad patriam de exsilio transferendis, rapacibus piratis naulum propriæ mortis exsolvit. Sed nec prætermittam myrrham, qua in cruce potatus est: sed neque illam, qua unctus est in sepulturam. Quarum in prima sibi applicuit meorum amaritudinem peccatorum: in secunda futuram mei corporis incorruptionem dedicavit. Hoc est celeberrimum & regale convivium, in quo justi epulantur, & exsultant in conspectu Dei, aut delectantur in lætitia.

Christi… tientis & hal…

7. Præter hæc omnia dulce pigmentum apponitur invitatis ad lætificandum de Cyprio vino, & pretiosis & peregrinis, quia nobis adhuc inexpertis, speciebus conditum. *Botrus*, inquit, *Cypri*, *dilectus meus mihi.* Præmissum erat in proximiore versiculo, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, scilicet Christus secundum carnem: botrus vero Cypri Christus est secundum deitatem. Fasciculus myrrhæ Christus in passione: botrus Cypri Christus in resurrectione. Fasciculus myrrhæ grando & tonitrua Judaicæ tempestatis: botrus Cypri destructio totius adversariæ potestatis. Fasciculus myrrhæ, multitudo afflictionum: botrus Cypri, abundantia gaudiorum: illinc amaricans, istinc inebrians.

Pigme… seu m… mensa… sti.
Cant. …

8. Sed non est prætereundum quod dicitur, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera commorabitur.* Ibi enim est cor. Et ubi est cor, ibi dilectio, & ubi dilectio, ibi dilecti mansio *. Novit autem quicumque recte sapit, quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum deceat sacrosanctæ passionis ipsius fidelius recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum plenius per imitationem in memoria: quod est spiritualiter manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus, qui credentibus in se præcipit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* In quo etiam quam impium sit hominem tantæ pietatis Dei esse immemorem, palam est omnibus: cum amici morientis vel peregre proficiscentis commendatam sibi sub aliquo signo memoriam nefas sit oblivisci. Siquidem hujus reverendæ commemorationis mysterium suo modo, suo tempore, suo loco celebrare licet paucis hominibus, quibus & hoc traditum est mysterium. Rem vero mysterii omni tempore & in omni loco dominationis Dei modo quo tradi-

Ibidem
* Qu… quun… que a… hujus… iisden… haber… Epist. de m… Dei n…
1. Cor. …
Passio… ti sæp… lenda

tum est, id est, debitæ pietatis affectu, & sanctæ imitationis effectu agere, tractare & sumere in salutem cunctis fidelibus in promptu est. Nam & sacramentum sicut accipit ad vitam dignus: sic ad judicium & mortem propriam indignus. Sacramentum enim sine re sacramenti, mors est sumenti: res vero sacramenti etiam præter sacramentum, vita æterna est accipienti. Quoties in commemorationem ejus qui pro te passus est, pie ac fideliter Christum imitando fueris affectus & devotus, corpus ejus manducas, & sanguinem ejus bibis: & quamdiu in eo manes per amorem, ipse vero in te per justitiæ & sanctitatis operationem, in ejus corpore & in membris ejus computaberis. Et ideo si amas animam tuam, propter Christum perdere debes eam, sive ponendo ut martyr, si necessitas exegerit; sive affligendo districtius ut pœnitens. quamquam & genus martyrii sit, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, diuturnitate autem molestius. Habeamus ergo eorum quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indesinentem memoriam: non utique otiosam, non tepidam, non torpentem, sed compassionis ardore super omnia plurimum delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Unde Propheta, *Delectare in Domino*, inquit, ut spreta mundi vitiorum omnium jucunditate suavior ejus recordatio sit: *& dabit tibi petitiones cordis tui*, non carnis.

id spiri- liter com- nicare.

tificatio us instar rtyrii.

Psal. 36 4.

9. Porro tres sunt species, de quibus conficitur pigmentum, quod ad regalis convivii festivam exhilarationem apponitur: triumphalis reditus ab inferis, gloria resurrectionis, consessus ad dexteram Dei Patris. Cibi prædicti confortant: ista vero tria lætificant. Convivantes & invitati in tempore gratiæ præ ceteris Apostoli & Martyres esse creduntur, qui in fortitudine cælesti & spirituali exsultatione non ingrati vel immemores exhibiti à Christo convivii, retribuunt & offerunt de seipsis qualia acceperunt. In desiderio & in agone isto sudant, currunt & laborant: quos elegit Deus, ut seipsos hostiam vivam & Deo acceptam exhibeant. Et utinam Christus nobis indulgeat quantulacumque bonorum operum exsecutione, illorum vestigia humiliter adorare: qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

Species unde constat pigmentum regalis convivii.

---

# SERMO DE VITA ET PASSIONE DOMINI.

*Sancto Anselmo tribuitur à Trithemio, Bellarmino, & aliis sub titulo,* STIMULUS AMORIS. *Certe Bernardi stilum non sapit, nec reperitur in antiquis mss. nec in prima editione Lugdunensi sub nomine Bernardi.*

1. JESUM Nazarenum, à Judæis innocenter condemnatum, à Gentibus crucifixum, Christiani divinis honoremus obsequiis. Salvatoris infirma nos, qui Christiani sumus, reverenter venerari, amanter amplecti, fortiter imitari dignum est, salubre & honorificum. Hæc enim sunt instrumenta fortissima, quibus omnipotens virtus & investigabilis sapientia DEI, restaurationem mundi potenter atque mirifice operata est, & usque modo operatur. Christus Dominus minoratus est ab Angelis, ut nos æquaret Angelis. Et quis propter Christum non se humiliet? Christus Dominus pro peccatis nostris crucifixus est, & crucem amaram suis amatoribus dulcoravit. Mortuus est, & mortem necavit, ut viveremus per illum. Et quis non amet Christum Dominum? Quis non patiatur pro Christo? Christus per crucis ignominiam ad supernæ claritatis gloriam transit, & data est ei pro sua reverentia à Deo Patre omnis potestas in cælo & in terra, ut adorent eum omnes Angeli Dei, & in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.

2. Ubi est gloriatio tua, ô Christiane, nisi in nomine crucifixi Domini Dei tui, & in Christi nomine, quod est super omne nomen, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in cælis? Gloriamini in nomine Filii Redemptoris, & date honorem illi Salvatori nostro, qui magna fecit in nobis, & magnificate nomen ejus mecum, dicentes: Adoramus te Christe Rex Israël pariter & gentium, princeps regum terræ, Domine Deus Sabaoth, virtus omnipotentis Dei fortissima. Adoramus te pretiosum pretium redemptionis nostræ, hostiam pacificam, qui sola odoris tui suavitate inæstimabili Patrem, qui in altis habitat, ad respiciendum humilia inclinasti, & filiis ita placabilem reddidisti. Tuas Christe miserationes prædicamus, tuæ suavitatis memoriam cum abundantia eructamus. Tibi Christe sacrificium laudis immolamus pro multitudine bonitatis tuæ, quam ostendisti nobis, semini nequam, filiis sceleratis & perditis. Cum adhuc inimici tui essemus Domine, & mors iniqua in omnem carnem exerceret dominium, cui omne semen Adam erat obnoxium lege primordialis culpæ; recordatus es verbi misericordiæ tuæ, & prospexisti ex sublimi habitatione tua in hanc vallem plorationis nostræ & miseriæ. Vidisti afflictionem populi tui, & tactus dulcore caritatis intrinsecus, apposuisti cogitare super nos cogitationes pacis & redemptionis.

ria Chris- i in no- e Chris-

3. Et quidem cum esses Filius Dei, Deus verus, Deo Patri, sanctoque Spiritui coæternus, & consubstantialis, lucem habitans inaccessibilem, portansque omnia verbo virtutis tuæ, non despexisti in hoc nostræ mortalitatis ergastulum altitudinem tuam inclinare, ubi nostram & gustares & absorberes miseriam, nosque repárares ad gloriam. Parum fuit caritati tuæ ad consummandum opus nostræ salutis, Cherubim aut Seraphim, aut unum ex Angelis destinare: ipse venire ad nos dignatus es per mandatum Patris, cujus nimiam caritatem experti sumus in te. Venisti, inquam, non locum mutando, sed præsentiam tuam nobis per carnem exhibendo. Venisti à regali solio sublimis gloriæ tuæ in humilem & abjectam in oculis suis puellam, pio virginalis continentiæ voto sigillatam, in cujus sacro utero sola Spiritus-sancti inenarrabilis virtus te concipi fecit, & nasci in veræ humilitatis natura: ita ut nec divinitatis in te majestatem, nec virginitatis integritatem in Matre violaret nativitatis occasio. O amanda, ô admiranda dignatio! Deus immensæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non despexisti: Deus omnium, conservus servorum apparere voluisti. Parum tibi visum est Patrem te nobis esse & dominum: frater noster esse dignatus es. Et tu Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, intra ipsa nativitatis tuæ initia non abhorruisti abjectissimæ paupertatis degustare incommoda. Ut enim ait scriptura, Tibi cum nascereris, *non erat locus in diversorio:* neque cunabula, quæ teneritudinem tuam exciperent, habuisti: sed in vili præsepio sordentis stabuli, tu qui terram palmo concludis, involutus panniculis reclinatus es. Et hoc ipsum à brutis animalibus Mater tua mutuo accepit. Consolamini, qui in sordibus paupertatis enutrimini, quia vobiscum Deus in paupertate. Non cubat in deliciis splendidi cubiculi, nec invenitur in terra suaviter viventium. Quid ultra gloriaris, ô dives, in re lutea, in volutabro lecti picti & delicati, cum Rex regum recubitu suo pauperum stramenta honestare maluerit? Quid dura stramenta detestaris, cum tener infantulus in cujus manu sunt omnia, tuis sericis, tuis plumis duras jumentorum stipulas præelegerit? Sed & tenella tua, Christe, infantia à persecutorum gladiis tuta non fuit. Adhuc enim inter dulcia Matris ubera sugens dependebas, quando apparuit Angelus in somnis Joseph, dicens: *Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Jam extunc, bone Jesu, dura pati cœpisti. Nec solum illam infantiæ tuæ vexationem in teipso per-

Christi humilitas in incarnatione.

Christi in nativitate paupertas. Luc. 2. 7.

Docet nos terrena despicere.

Matth 2. 13. Persecutio & fuga Christi in Ægyptum.

tulisti, sed mortem in pusillis tuis, quorum multa millia inter mammillas matrum pro te Herodis trucidavit immanitas.

*Christus duodenus in templo inter Doctores, & postea parentibus subditus.*

4. Infantia vero teneriori decursa, humiliter veritatis nobis exemplum tribuisti. Non enim sedisti cum consilio vanitatum, sed in medio doctorum, interrogans & audiens illos, cum tamen Dominus scientiarum esses atque sapientia Dei Patris. Sed & obedientiæ nobis formam retribuisti, dum parentum imperio tu Imperator mundi humiliter subditus exstitisti. At ubi robustioris ætatis plenitudo advenit, missurus manus ad fortia, egressus es in salutem populi tui, ut gigas magnificus ad currendam viam totius nostræ miseriæ. Et quidem ut per omnia te primum fratribus adsimilares, servum tuum baptizantem peccatores in pœnitentiam, tamquam peccator adisti: baptizari te postulasti, innocens agne Dei, quem nulla peccati stilla umquam maculavit. Baptizatus autem non te in aquis, sed aquas in te sanctificas, ut per eas sanctificares nos. De baptismo in desertum in spiritu fortitudinis egressus es, ut vitæ solitariæ in te non deesset exemplum. Solitudinem ac jejunium quadraginta dierum, famis acerbitatem, tentamenta & illusiones spiritus æquanimiter tolerasti, ut hæc omnia nobis tolerabilia efficeres. Demum venisti ad oves quæ perierant domus Israël, divini verbi lampadem extollens palam ad illuminationem orbis terræ, & regnum Dei cunctis annuntians obtemperantibus verbo, sermonem sequentibus signis confirmasti, virtutem divinitatis in cunctis ostendisti, male habentibus, & omnia omnibus gentibus gratis exhibens, quæ saluti peccatorum congruerent, ut omnes lucrifaceres. Sed obscuratum est insipiens cor eorum Domine, & projecerunt sermones tuos retrorsum, neque attenderunt ad omnia mirabilia tua Domine quæ operatus es in eis, exceptis perpaucis nobilibus athletis, quos inter infirma mundi elegisti & abjecta, ut per ipsos fortia & alta mirifice expugnares. Nec solum ingrati gratuitis beneficiis tuis exstitere, sed contumeliis affecerunt te, Domine dominantium, & fecerunt tibi quæcumque voluerunt. Te enim faciente opera Dei, quæ nemo alius fecit, quid dixerunt? *Non est hic homo à DEO: in principe dæmoniorum ejicit dæmonia: dæmonium habet, seducit turbas, vorax est, potator vini, & amicus publicanorum & peccatorum.* Quid fles, quid suspiras, ô homo, dum sustines verborum injurias? Non audis quanta adversus Dominum Deum tuum ceciderunt opprobria propter te? Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Sed hæc quidem & similia blasphemantes, & aliquoties te lapidibus impetentes, Jesu bone, patienter sustinuisti, & factus es coram eis sicut homo non audiens, & in ore non habens redargutiones.

*A Johanne baptizatur.*

*In deserto jejunans tentatur.*

*Prædicans, & docens varia passim signa edit.*

*Christus ab impiis innumeras patitur calumnias.*

5. Novissime justum sanguinem tuum à discipulo tuo, filio perditionis, traditum triginta argenteis appretiati sunt, ut præcipitarent animam tuam in mortem sine causa. Et te quidem perditissimi traditoris tui perfidia non latebat, quando in cœna ablutionis etiam coram ipso genu flexo procumbens, maledictos pedes ejus, veloces ad effundendum sanguinem tuum, sanctissimis manibus tuis attrectare, lavare & extergere dignatus es. Cur autem adhuc extento collo ambulas, ô terra & cinis? Adhuc te superbia elevat? Adhuc te impatientia exagitat? Intuere humilitatis & mansuetudinis Dominum Jesum, universæ creaturæ factorem, tremendum judicem vivorum & mortuorum, ante pedes hominis & traditoris sua genua incurvantem. Disce quia mitis est & humilis corde, & confundere in superbia tua, & erubesce in impatientia tua. Hoc quoque erat mansuetudinis tuæ, Domine, quod perfidum illum in cœtu fratrum detegere & palam confundere noluisti, sed leniter admonitum accelerare jussisti quod parabat. In omnibus his non est aversus furor ejus à te, sed egressus foras satagebat circa frequens maleficium. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? In deliciis paradisi gloriosus apparuisti: civium cæli socius, & verbi divini conviva, quomodo reputatus es inter filios tenebrarum? Qui nutriebaris in croceis, cur amplexatus es stercora? Tunc clarificata est familia tua, Christe, exeunte immundo de

*Christus à proprio discipulo venditur.*

*Judæ pedes lavat.*

*Isa. 14. 12.*

A cœtu societatis angelicæ. Tunc demum divini eloquii ubertima inundatione felix ille conventus potatus est; siquidem corruptus ille vere foras missus fuerat, quem hujus limpidissimi liquoris infusione sciebas indignum.

6. Dato autem caritatis & patientiæ salutari mandato, & disposito fratribus regno Patris tui, ad locum proditori tuo notum cum illis divertisti, sciens omnia quæ ventura erant super te. Ibi animæ tuæ tristitiam, quam ex imminente passione tua sponte assumpsisti, sicut & cetera quæ passus es, in auribus fratrum non erubuisti profiteri, dicens tunc: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Positis quoque in terra genibus procidisti in faciem, orans in agonia, & dicens: *Mi Pater, si possibile est, transeat*
B *à me calix iste.* Et angustias quidem cordis tui certissime indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de carne tua sanctissima guttatim decurrebat in terram. Dominator Domine Jesu, unde tua hæc tam anxia supplicatio? Nonne voluntarie omnino Patri sacrificium obtulisti? Utique Domine. Arbitramur autem quod hoc ad consolationem infirmorum membrorum tuorum assumpsisti, ne forte desperet quis, si caro infirma remurmurat, ubi ad passionem promptus est spiritus. Nimirum ut majoris erga te amoris & gratitudinis stimulos habeamus, naturalem carnis infirmitatem his indiciis in te expressisti, quibus doceremur, quia vere languores nostros portasti, & non absque sensu doloris passionum sentes
C percurristi. Vox enim illa vox esse carnis videtur, non spiritus, ex eo quod subjunxisti: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

*Christu h ē.*

*Matth 38 Sudor guineu*

7. Quod promptus enim ad passionem fuerit spiritus, evidenter ostendisti, quando venientibus una cum proditore tuo viris sanguinum, & quærentibus animam tuam cum laternis & facibus & armis per noctem, ultro occurristi, & ne quid acciperent à duce flagitii, teipsum manifestasti. Nam accedentem ad osculum sanctissimi oris tui trucem bestiam aversatus non es, sed os in quo dolus inventus non est, ori quod abundavit malitia, dulciter applicuisti. Innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi? Quæ conventio tui ad Belial? Sed & hoc benigni-
D tatis tuæ Domine fuit, ut omnia illa exhiberes quæ pravi cordis pertinaciam emollire possent. Nam & veteris amicitiæ non immemor illum commonuisti, dicens: *Amice, ad quid venisti?* Atque horrore sceleris sui cor impii ferire voluisti, cum dixisti: *Juda, osculo filium hominis tradis?* Et ecce Philistæi super te Samson. Non illos à te absterruit, quod in hora apprehensionis tuæ omnipotenti brachio tuo terræ eos allisisti, non quidem defensionis causa, sed ut cognosceret humana præsumptio nihil se posse adversus te, nisi quantum permitteretur à te.

*Christ sponta morti tulit.*

*Non tur of Judæ.*

8. Et quis audiat sine gemitu, qualiter homicidas manus in illa hora in te injecerunt, & innocentes manus tuas, Jesu bone, vinculis adstringentes, te agnum man-
E suetissimum nihil loquentem ad instar latronis contumeliose traxerunt ad victimam? Sed nec tunc misericordiam tuam effundere super inimicos tuos, & distillare favum dulcedinis tuæ, Christe, cessasti. nam & mutilatam ab ipso discipulo tuo auriculam inimici tangens sanasti, & defensoris tui zelum à læsione trahentium te compescuisti. Maledictus furor eorum, quia pertinax, quem nec majestas miraculi, nec pietas beneficii potuit confringere. Concilio malignantium adversum te pontificum præsentatus es, & veritatem prout oportuit confessus, quasi de blasphemia adjudicatus es morti. Amantissime Domine, quanta illic indigna à propria gente pertulisti? Vultum tuum desiderabilem, in quem desiderant
F Angeli prospicere, qui omnes cælos adimplevit lætitia, quem deprecabuntur omnes divites plebis, polluti labii sui sputis inquinaverunt, sacrilegis manibus ceciderunt, velo in derisum operuerunt, & te Dominum universæ creaturæ tamquam servum contemptibilem colaphizaverunt.

*Christ pitur tur.*

*Sistit cilio dotun*

*Consp. & cola tum*

9. Adhuc autem & animam tuam incircumciso cani deglutiendam tradiderunt. Vinctum siquidem ante faciem Pilati perduxerunt, postulantes crucis supplicio te interimi, qui peccatum non noveras, & virum homicidam dari sibi, agnum lupo, aurum luto postponentes,

*Pilato sentat*

O indignum & infelix commercium *! Et quidem nec ignorabat impius ille per invidiam hæc in te fieri: nec tamen abstinuit à te temerarias manus, sed replevit animam tuam amaritudine sine causa. Illudendum Herodi te misit, illusum recepit, nudum in conspectu illusorum adstare te jussit, nec pepercit amarissimis verberibus virgineam carnem tuam divellere, plagis plagas, livores livoribus crudeliter infligens. O electe puer Domini Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego, ego homo perditus, totius contritionis, totius confusionis tuæ tibi causa exstiti. Ego Domine uvam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti, tunc exsolvebas. In omnibus his non est satiata perfidorum Judæorum impietas.

10. Novissime autem incircumcisorum militum manibus devolutus es, morte turpissima consumendus. Parum erat sacrilegis illis crucifigere te, nisi prius & ipsi illusionibus replevissent animam tuam. Quid enim ait de illis Scriptura? *Et congregaverunt ad eum universam cohortem. Et exuentes eum vestimentis suis, induerunt tunicam purpuream, & chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo illudebant ei, dicentes: Ave rex Judæorum. Et dabant ei alapas, & exspuentes in eum, accipiebant arundinem, & percutiebant caput ejus. Et postquam illuserunt ei, induerunt eum vestimentis suis, ut crucifigerent bajulantem sibi crucem. Et perducunt eum in Golgotha, & vinum myrrhatum dabant ei bibere cum felle mixtum; & cum gustasset, noluit bibere. Tunc crucifixerunt eum, & cum eo duos latrones hinc & hinc, medium autem Jesum. Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Postea sciens Jesus, quia consummata erant omnia, ut scriptura impleretur, dixit: Sitio. Et currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cum ergo accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Et clamans voce magna, dixit: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite emisit spiritum. Tunc unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua in redemptionem nostræ salutis.*

11. Expergiscere nunc anima, excutere de pulvere, & contemplare virum hunc memorabilem, quem ecce in speculo evangelici sermonis quasi præsentem intueris. Attende anima mea, quis est iste qui ingreditur habens imaginem quasi regis, & nihilominus servi despectissimi confusione repletus & coronatus incedit. Sed ipsa etiam ejus corona cruciatus est illi, & mille puncturis speciosum caput ejus divulnerat. Regali purpura induitur, sed potius in ea despicitur, quàm honoretur. Sceptrum in manu gestat, sed eo ipso caput ejus reverendum feritur. Adorant coram ipso positis in terra genibus, & regem conclamant: & continuo ad conspuendum amabiles genas ejus subsiliunt, maxillas palmis concutiunt, & honorabile collum exhonorant. Vide anima mea, qualiter vir iste per omnia conturbatur & spernitur. Sub crucis onere dorsum incurvare videtur, & suam ipsius portare ignominiam. Ad locum deductus supplicii, myrrha potatur & felle: in cruce sublevatur, & dicit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Qualis est hic, qui in omnibus pressuris suis nec semel aperuit os suum, ut aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum adversus maledictos canes illos proferret; sed novissime verbum benedictionis super inimicos suos, quale à sæculo non est auditum, effudit? Quid hoc viro mansuetius? quid benignius, anima mea, vidisti? Adhuc autem attentius intuere, quàm grandi admiratione, & tenerrima compassione dignus apparet. Vide nudum & verberibus laceratum, in medio latronum cruci ignominiosæ ferreis clavis affixum, aceto in cruce potatum, & post mortem lancea in latere vulneratum, & copiosos sanguinis rivos ex quinque vulneribus manuum, pedum & lateris effundentem. Fletum deducite oculi mei, & liquesce anima mea igne compassionis super contritione amabilis viri hujus, quem in tanta

A amaritudine tot vides affectum doloribus.

12. Et jam quidem infirma ejus, anima mea, vidisti, & miserta es: nunc majestatem ejus attende, & miraberis. Quid enim ait scriptura? *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et obscuratus est sol, & velum templi scissum est à summo usque deorsum; & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormiebant, surrexerunt.* Qualis est hic, quia & cælum & terra compatiuntur ei, cujus & mors mortuos vivificat? Cognosce anima mea, cognosce: hic est Dominus Deus noster Jesus-Christus, Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus B sub sole sine macula inventus est. Et ecce *cum sceleratis* quomodo *reputatus est, & quasi leprosus, novissimus virorum æstimatus: & tamquam abortivum quod projicitur à vulva*, sic projectus est ab utero matris suæ, infelicis synagogæ. Iste formosus præ filiis hominum, quàm deformis factus est! Hic vulneratus propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & factus in holocaustum suavissimi odoris in conspectu tuo, Pater æternæ gloriæ, ut averteres indignationem tuam à nobis, & consedere nos sibi faceret in cælestibus.

*Matt. 27. 45.*

*Prodigia in morte Christi.*

*Isa. 53. 12.*

13. Respice, Domine, sancte Pater, de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, C sanctus puer tuus Dominus Jesus, pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ. Ecce vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. Quid enim est Domine, quod pendet in ea? Pendet, inquam, quia præterita tamquam præsentia coram te sunt. Cognosce, Pater, tunicam veri filii tui Joseph. Heu *fera pessima devoravit eum*, & conculcavit in furore suo vestimentum ejus, omnem decorem ejus reliquiis cruoris inquinavit. Ecce quinque scissuras lamentabiles in ea reliquit. Vide, Domine, pallium quod in manu adulteræ generationis, id est Ægyptiæ meretricis, innocens puer tuus dereliquit, meliorem æstimans jacturam vestimenti, quàm pudicitiæ, magisque eligens, spoliatus D carnis pallio in carcerem mortis descendere, quàm pro mundi gloria adulterinæ voci acquiescere. Illi, inquam, voci qua dictum est: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Quod utique esset, si dormiret cum adultera.

*Aspiratio ad Deum Patrem ob passionem Filii.*

*Gen. 37. 33.*

*Matth. 4. 9.*

14. Et nunc, Domine Pater, scimus quia ipse Filius tuus vivit, & dominatur in tota terra Ægypti, & in omni loco dominationis tuæ. Eductus enim ad imperium tuum de carcere mortis & infernorum, & attonsus in immortalitatis coronam; mutata veste carnis, immortalitatis decore refloruit, & cum gloria suscepisti eum. Subjugavit enim sibi Pharaonis imperium, & cum triumpho nobili, virtute propria cælos penetravit. Et ecce gloria & honore coronatus, in dextra majestatis tuæ adsistit vultui E tuo pro nobis. Caro enim & frater noster est. Respice, Domine, in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. Utinam, Domine, appendas in statera peccata quibus iram meruimus, & calamitatem, quam pro nobis passus est innocens Filius tuus: certe, Domine, hæc gravior apparebit, & magis digna, ut propter ipsam effundas super nos misericordiam tuam, quam fuit illa, ut pro peccatis nostris contineas in ira misericordias tuas. Gratias tibi, Domine Pater, referat omnis lingua pro superabundantia bonitatis tuæ, qui unico Filio cordis tui non pepercisti: sed pro nobis F omnibus illum tradidisti in mortem, ut eum tamquam fidelem advocatum haberemus coram te in cælis.

*Christus jam in cælo gloriosus regnat.*

*Advocatus noster apud Patrem.*

15. Et tibi, Domine Jesu, fortissime zelotes, quid gratiarum retribuam, quid retributionis digne retribuam ego homo, pulvis & cinis, & vile figmentum? Quid enim pro mea salute facere debuisti, & non fecisti? Ab imo pedis usque ad summum verticis te totum in aquas passionum demersisti, ut me totum extraheres de illis, & intraverunt usque ad animam tuam. Nam & animam tuam in mortem perdidisti, ut meam perditam mihi redderes. Et ecce me duplici debito obligasti. Nam & pro eo quod

*Aspiratio & gratiarum actio ad Christum Salvatorem.*

dedisti, & pro eo quod mei causa perdidisti, debitor tibi sum. Et pro ea quidem anima bis à te mihi data, semel in creatione, & semel in redemptione, quid magis juste tibi reddam quàm ipsam, non habeo: pro tua autem pretiosa anima ita contribulata quid ab homine digne rependi possit, non invenio. Nam etsi cælum, & terram, & omnem ornatum eorum pro ea possem rependere; certe nec sic usque ad mensuram debiti ullatenus attingere possem. Ut autem ipsum & quod debeo, & mihi possibile est, tibi Domine retribuam, tui muneris est. Diligendus mihi es toto corde, tota anima, tota virtute; & tua mihi sequenda vestigia, qui pro me mori dignatus es. Et quomodo fiet istud in me nisi per te? Adhæreat anima mea post te: quia tota virtus ejus pendet ex te. Et nunc Domine redemptor meus, te ut verum Deum adoro, in te confido, in te spero, & quibus possum desideriis ad te suspiro, adjuva imperfectionem meam. Ad tuæ passionis gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino. Tuæ victoriosæ crucis regale vexillum in nomine tuo, Christe, adoro. Tuum spineum diadema, tuos rubentes sanguine clavos, tuo sacro lateri immersam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, tuam gloriosam & victoriosam resurrectionem & glorificationem, Christe, supplex adoro & glorifico. Odor enim vitæ spirat mihi in omnibus his. Horum vivifico odore spiritum meum, Domine, à peccati morte resuscita; horum virtute ab astutiis satanæ me custodi, ac me conforta, ut jugum mandatorum tuorum suave mihi fiat, & onus crucis, quod post te bajulare me jubes, humeris animæ meæ leve sit atque portabile. Quæ est enim fortitudo mea, ut juxta præceptum tuum mundi pressuras tam multiplices invicto animo sustineam? Numquid pedes mei tamquam cervorum, ut velocem cursorem per spinas & confragosa passionum consequi valeam?

Adoratio Crucifixi, & instrumentorum Passionis.

16. Sed audi vocem meam, & inclina super servum tuum suavem crucem illam, quæ lignum vitæ est iis qui apprehendunt eam: ut & spiritu curram alacriter. Portabo infatigabiliter eam, quæ ab inimicis est, crucem post te. Illam, inquam, divinissimam crucem humeris meis impone, cujus latitudo est caritas, cujus longitudo est æternitas, cujus sublimitas est omnipotentia, cujus profundum est inscrutabilis sapientia. Confige illi manus meas & pedes meos: & totum passioni tuæ conforma servum tuum Domine. Da obsecro mihi continere ab operibus carnis quæ odisti, & facere justitiam quam dilexisti, & in utroque tuam quærere gloriam: & sinistram quidem meam clavo temperantiæ, dexteram vero clavo justitiæ in illa sublimi cruce confixam arbitror. Da menti meæ jugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum meum jactare in te, & dextrum pedem meum eidem ligno vitæ clavo prudentiæ affige. Da ut ministram spiritus mei sensualitatem nec enervet labentis * vitæ infelix felicitas, nec conturbet perennis vitæ præmia felix infelicitas: & sinister quoque pes meus fortitudinis clavo in cruce tenebitur.

4. Crucis dimensiones.

Crucifixio Christiani, quæ.

* al. præsentis.

17. Ut autem & spinarum capitis tui aliqua in me similitudo appareat, detur obsecro menti meæ & salutaris pœnitentiæ compunctio, & alienæ miseriæ compassio, & stimulus zeli æmulantis quod rectum est coram te, & ad te convertar in ærumna mea, dum triplex configitur spina. Libet ut & spongiam per arundinem ori meo porrigas, & aceti amaritudinem gustui meo adhibeas. Libet ut per scripturas tuas rationi meæ conferas gustare & videre quomodo florens hic mundus tamquam spongia inanis est, & omnis concupiscentia ejus aceto amarior. Ita, Pater, in me fiat, ut calix iste Babylonis aureus inebrians omnem terram, nec inani me splendore seducat, nec falsa dulcedine inebriet, quemadmodum eos qui tenebras lucem, & lucem tenebras; amarum dulce, & dulce amarum arbitrantur. Vinum myrrhatum cum felle mixtum suspectum mihi est, pro eo quod tu ex eo bibere noluisti: forte quia nimiam acerbitatem invidiæ & nequitiæ crucifixorum tuorum indicabat. Tuæ quoque vivificæ morti famulum tuum configura, faciens in me ut moriar quidem peccato secundum carnem, vivam autem justitiæ secundum spiritum.

Quæ corona spinea.

Quæ spongia.

18. Ut autem integram Crucifixi imaginem me portare glorier, illud quoque quod post mortem tuam insatiabilis malitia Judæorum impiorum in te exercuit, hanc in me similitudinem exprime. Vulneret cor meum vivus & efficax sermo tuus, penetrabilior omni lancea acutissima, pertingens usque ad divisionem animæ meæ, & producat ex ea tamquam de dextero latere meo vice sanguinis & aquæ amorem tuum, Domine, & fratrum meorum. Postremo & munda sindone primæ stolæ spiritum meum involve, in qua requiescam egrediens & ingrediens in locum tabernaculi admirabilis, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus. Die autem tertio post diem laboris, post diem supplicii, mane prima sabbati perpetuo inter filios tuos me indignum resuscita, ut in carne mea videam claritatem tuam, & adimplear lætitia vultus tui. O Salvator meus & Deus meus, veniat, veniat oro tempus, ut quod nunc credo, oculis tandem revelatis aspiciam: quod nunc spero & à longe saluto, apprehendam: quod nunc pro viribus meis desidero, ulnis animæ meæ amplectar & deosculer, & in amoris tui abysso totus absorbear, ô Salvator meus, & Deus meus!

Apert. teris,

Quæ resurrectio

19. Sed nunc interim benedic anima mea Salvatorem tuum, & magnifica nomen ejus, quod est sanctum & sanctissimis deliciis plenum. O quàm bonus, quàm suavis es Domine Jesu, animæ quærenti te! Jesu redemptor captivorum, salvator perditorum, spes exsulum, fortitudo laborantium, anxiati spiritus latitudo, animæ lacrymosæ & post te in sudore currentis dulce solatium & suave refrigerium, corona triumphantium, unica merces & lætitia omnium supernorum civium, uberrime fons omnium gratiarum, inclyta proles summi Dei! Summe Deus, te benedicant omnia quæ in cælo sunt sursum, & quæ in terra deorsum: quia magnus es tu, & magnum nomen tuum. O immarcessibilis decor Dei excelsi, & purissima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam vivificans, lux omne lumen illuminans, & conservans in perpetuo splendore mille millena millia luminum fulgentia ante thronum divinitatis tuæ à primævo diluculo! O æternum & incessabile, clarum & dulce profluvium fontis absconditi ab oculis omnium mortalium, cujus unda sine ortu, cujus profundum sine fundo, cujus altum sine termino, cujus amplitudo incircumscrutabilis, cujus puritas imperturbabilis! Eructavit te cor Dei altissimi de sua impenetrabili abysso, vita vitam, lux lucem, Deus Deum, æternus æternum, immensus immensum, ac per omnia sibi coæqualem: & de plenitudine tua nos omnes accepimus.

Præcla Christi comia ejus in amore

20. Tu enim largissime fons omnis boni, septemplicis gratiæ pretiosum flumen de thesauris tuis emittis, cujus suavi dulcore hujus nostri maris, id est nostræ infirmitatis, salsuginem mitigare digneris. Flumen olei lætitiæ, flumen vini meracissimi, torrens ignei vigoris. Spiritus paraclitus à te & Patre, par utrique, in orbem terræ perfunditur, omnia replens, omnia continens: Spiritus à te, Spiritus à Patre, unus ex ambobus, uniens ambos, utpote amborum individua connexio, unificum gluten, complexus indissolubilis, & pax omnem sensum exsuperans. Hic est torrens voluptatis tuæ Domine, quâ delicatam illam & gloriosam civitatem Jerusalem, quæ sursum est, jugiter potas, lætabunda ebrietate facis æstuare, ut tibi jubilent hymnum incessabilem lucida illa & flammea organa in voce exsultationis & sono epulantis, cujusque desiderabilibus guttis refocillari sitibundæ fauces exsulis populi tui jugiter à te exspectant Domine. Sinito Pater, ut catelli bibant de stillis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum* illum, Domine, quem æstuare fecisti. Inclytas primitias populi tui, insigne sollemnitatis nostræ illo quæsumus igneo stillicidio purga, innova, illumina, inflamma, exhilara & confirma, & uni cor credentium tibi, ut unum sint, unum sapiant, unum unanimiter requirant, ut apprehendant & videant, & benedicant te Deum deorum in Sion. Sit individuæ Trinitati gloria, gratiarum actio, honor, & imperium in sæcula sæculorum, amen.

*Inde u ad finen crepat Anselm.*

FERIA

# FERIA SECUNDA PASCHATIS.

## *De duobus Discipulis euntibus in Emaüs.* Luc. 24.

### SERMO.

*Duo ex discipulis Jesu ibant in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emaüs. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant.* Et reliqua.

1. CONVERTERE anima mea in requiem tuam, quia Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Recordatione tantæ dulcedinis, tuorum mitiga dolores fletuum; ut offeras resurgenti cum assato pisce mellis favum, & paschalis Agni suavitas temperet amaritudinem agrestium lactucarum. Elige an videre Jesum desideres cum Maria Magdalena sub specie hortulani; an cum duobus discipulis in habitu peregrini. Nam utraque visio & collocutio, fidelis conscientiæ sunt jubilus & dulcedo. De duobus condiscipulis videtur dulcius sapere. Hæc enim lectio mel in ore, & jubilus est in corde, ecstasis mentis devotæ. Dulcor ejus omnem excedit eloquentiam, & totam absorbet conscientiam, & transformat in supernæ jubilationis imaginem, & deliciarum cælestium novitatem. Considerata hujus lectionis mira suavitas totas inebriat medullas animæ. Ex singulis etenim clausulis sentitur quidam ignis erumpere, qui si in sinu absconditur clausus, in ossibus totos depascit angulos amantis conscientiæ. Si scintillet exterius, videtur solis jubare splendidius radiare. *Ibant duo.* Quæ fuerit causa hujus itineris, non declarat textus historiæ: sed hoc fuisse divinæ providentiæ arbitror, ut qui pro morte Domini tantum erant desolati, in via qua ambulabant, consolationem reciperent de ipsius dulcissima visione. Et forte propter hoc duo pariter ambulabant, ut dolores suos confabulatione mutua mitigarent, & corda desperantia ad spei refrigerium revocarent. Unde dicuntur *in Emaüs* proficisci, quod interpretatur *desiderium consilii.* Desiderabant enim amaritudinem titubationis suæ salutari consilio relevare.

2. Sed ut de favo mel exprimamus, & in auro rutilante flammivomas gemmas inseramus, si quid in tam dulci historia dulcius lateat, inquirere studeamus. Ut arbitror, isti duo dici possunt *Oratio* & *Meditatio*, quæ conjunctione necessaria sibi adinvicem copulantur. Et per orationem illuminatur meditatio, & in meditatione exardescit oratio. Quoties igitur in contemplatione Dominicæ passionis suspendimur, ex recordatione tantæ admirationis in oratione compungimur. Meditatio ruminat livores D vulnerum, fixuras clavorum, lanceam, & acetum, persecutorum sævitiam, Apostolorum fugam, & mortem turpissimam, corporis sepulturam. Oratio fundit suspiria, piæ devotionis stillat aromata, tota resolvitur in lamenta. *Et factum est, dum fabularentur & secum quærerent, ipse Jesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne illum agnoscerent.* Talibus confabulantibus appropinquat Jesus. Quid est Jesus, nisi vita & salus? Etenim in talibus sermocinationibus est vita & salus animæ, & eis dicitur Jesus appropinquasse: quia *juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde.* Oculi autem eorum tenebantur, ne possent eum agnoscere: quia etsi sunt justi & sapientes, atque opera eorum in manu E Dei, nescit tamen homo utrum sit dignus odio vel amore. *Si dixero*, inquit Job, *consolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in strato meo, terrebit me per somnia, & per visionem horrore concutiet.* In lectulo notatur quieta meditatio; & per stratum in quo relevatus colloquitur, virtus orationis exprimitur: quia in his duobus tribulatis corde, veræ consolationis requies invenitur. Sed cum sub pennis earum deargentatis refrigerium interne quærimus, & occurrunt imaginationibus nostris quàm districtæ in extremo judicio sunt sententiæ judicantis; ibi tristitiam invenimus, ubi solatium quærebamus.

3. In hoc autem quod *appropinquans* dicitur *cum illis ire* Jesus, nihil aliud potest designari jucundius. In appropinquatione enim illa signatur ille sibilus auræ tenuis, quem Eliphaz gloriatur se audisse dormientibus ceteris, (Job 4. c) A per quam etiam Eliæ consistenti in ostio speluncæ legimus (3 Reg 19. b) Dominum advenisse: quia *non in commotione*, non *in igne*, non *in spiritu*, sed *in sibilo auræ tenuis* visus est pertransisse. Hic est ille radius suavissimus contemplationis, quo anima per cincinnam capitis elevatur; cum meditatione exardescente, & oratione scintillante, nascitur in corde jubilus quidam, scilicet mellifluus cordis risus, quem nemo scit nisi qui sentit; nec etiam ipse qui sentit, quia cito pertransit. Felix hora, sed brevis mora, quia factum est silentium in cælo quasi media hora. Norunt experti quæ dico, qui hæc experientia suavitatis intimæ didicerunt: quia cum in fervore orationis admiscetur ardor meditationis, erumpit ille contemplationis radius de me- (Apoc. 8. a) B dio earum, quasi species electri, hoc est de medio ignis: & scintillæ quasi æris candentis, suspiria scilicet conscientiæ jubilantis.

4. *Oculi autem illorum tenebantur ne illum agnoscerent.* Infirmitatis autem suæ conscia humana conscientia, præ ineffabili tantæ suavitatis gloria contremiscit. Unde Elias vultum operuit, Eliphaz totus inhorruit: (3. Reg. 19. c) nec Moyses ausus est aspicere contra Dominum. *Et si* (Job. 4 c; Exod. 3 b) *venerit ad me*, ait Job, *non videbo eum. Oculi illorum* (Job. 9. b) *tenebantur.* O si Dominum cognoscerent, quantum gauderent! Quantum ipsi gauderemus, si eum in propria specie propius videremus! Quis non accederet, immo curreret & teneret pedes ejus? Sed adhuc loquitur Jo- (Beatitudinis immensa gaudia.) C seph per interpretem fratribus suis: adhuc dissimulat suam nobis exhibere dulcissimam visionem. Quid enim? Mortales sumus, in exsilio degimus, nec illam perfectæ visionis lætabundam beatitudinem præ multitudine gloriæ capere valemus. Quis enim posset inter illa superfluentis jubilationis gaudia spirare, quæ dabuntur in patria; cum illa etiam stilla dulcedinis, quam nobis in via exhibet, in patria peregrina, totam mentem inebriet, & totam cordis latitudinem novis deliciis coangustet? Ideo tenebantur oculi eorum, quia Dominus erat in habitu peregrini. Et cum eum quotidie perspicimus in altari sub specie panis & vini, nobiscum habitat in habitu peregrini. Nonne per *oculos* intelligere possumus *amorem & desiderium*? Diligimus enim Deum & proximum: (Per oculos amor & desiderium accipit.) desideramus regem & regnum. Sed quia, ut ait beatus Gregorius, incognitum est nobis dum in hoc corpore sumus, quantum diligamus Deum & proximum, & quando ex hoc exsilio transmigrantes adipiscamur regnum, & videamus Deum, cæcitatem patimur oculorum. Unde in Ezechiele dicitur, quia porta & thalamus habet (Ezech. 40. b) tectum.

5. Nec prætermittendum est, quod confabulando gradiuntur *in castellum Emaüs, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem.* Dulce colloquium & felix confabulatio, cum meditationem tractat oratio. Habent enim mel & lac in lingua. Labia eorum sicut vitta coccinea, dum hæc invitat ad contemptum mundi; & illa incitat ad amorem Dei. Unde dicitur in *Emaüs* proficisci, quod interpretatur, *desiderium consilii.* Numquid ambulabunt duo pariter, nisi his convenerit? O beata conventio, quam ad invicem susurrant (Spatium 60. stadiorum quid.) oratio & meditatio. Profecto ire desiderant in Emaüs castellum, quod ab Jerusalem est in spatio stadiorum sexaginta. Sexagenarius numerus ex denario constat & senario, quæ sexies decem, vel decies sex faciunt sexaginta. Stadium locus est in quo curritur. Denarius significat decalogum, in quo decem mandatorum series con-

tinetur. In senario vero figuratur sæculi abrenuntiatio, & morum conversio : abjectio propriæ voluntatis, & abjectio sine fuco simulationis : custodia cordis, circumspectio sermonis. In his stadiis currendum est, ut cum Dominus dilataverit cor nostrum, curramus in viam mandatorum suorum, & post devolvamur per viam : & in his viis apropinquans Dominus veniet nobis, sicut scriptum est de Sapientia, quia *præoccupat qui se concupiscunt, in viis ostendit se illis hilariter, & in omni providentia ostendit se illis.* Et ait ad illos:

Sap. 6. b

6. *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?* Interrogatio ista amoris subministrat incendia, & quasi oleum projicitur in flammam. Dum enim peregrinus interrogat quid tristes adinvicem colloquuntur, & ille quem tam dilexerant & adhuc diligunt, ad memoriam reducitur; dulcis dolor augmentatur, & amor semimortuus in caminum prorumpens de igniculo, in cordibus eorum vehementius debacchatur. *Qui sunt hi sermones, quos* &c. Putas in allocutione peregrini aliquam non persentirent dulcedinem amoris divini? Immo totus in medullis eorum revixit & refloruit amor Christi. *Qui sunt hi sermones, quos* &c. Deus, Deus, quantas jubilationes istæ tristitiæ genuerunt, & quàm suaves suavitates ruminatæ, & quam dulcia suspiria percurrunt in corde! Bone Jesu, quàm jucundo consolaris susurrio, quos de tua vides absentia contristatos! Quàm libenter adstas orantibus, & assistis suspirantibus, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos! Quàm jucundus latitas post parietem nostrum, ut audias voces orantium, & dulcescant tibi dolores diligentium, de pœnis rideas innocentium!

Christus ingerit se loquentibus de se.

7. *Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? Cleophas* qui interpretatur *increpans ore*, formam orationis videtur exprimere, quæ ponit coram Deo judicium, & replet increpationibus os suum; nunc accusans cordis duritiam, nunc inconstantiam; nunc torporis frigore constrictum, nunc inepta lætitia dissolutum. *Tu solus peregrinus es?* Corda solet amantium familiarius mæror compunctionis afficere, cum tot vident inde specialiter fastidire studia, & à desiderio cælestis patriæ tepescentis speciem pietatis in solo exteriori habitu retinere. Respondet ergo Cleophas, quoties talium perditioni ex intimis condolentes, tales in oratione profundunt querimonias: Domine, tu solus fuisti tempore passionis, abnegante Petro, fugiente Discipulo quem amabas, oblito tui amoris privilegio, fugientibus etiam ceteris. Sed, heu, heu! tempore passionis quæ nunc est, religiosos videmus non solum non participare per compassionem passionibus tuis, nec fugere, nec negare turbatione alicujus tentationis subitæ; sed iniquitas eorum procedit quasi ex adipe, transierunt in affectum cordis. Apponendo enim iniquitatem, non verentur super dolorem vulnerum tuorum addere; qui cum sanctis mulieribus debuerant piæ devotionis aromatibus delinire. *Tu solus peregrinus es in Jerusalem?* Dereliquerunt te omnes amici tui, longe facti sunt à te noti tui; posuerunt te abominationem sibi. Omnes quæ sua sunt quærunt, seipsos diligunt: de exsilio fecerunt patriam; operibus diffitentur se peregrinos super terram & hospites. *Tu solus peregrinus es in Jerusalem?* Nos etiam qui excellentiori professionis privilegio æstimamur expressius fieri conformes humilitatis tuæ peregrinationis, collocati sumus in obscuris sicut mortui sæculi. Sed & prudentiores sumus in possessionibus ampliandis, & gloriosiores in ædificiis erigendis, callidiores in pecuniis congregandis. Inveniri possunt etiam pauci, qui fideliter incedant semitas veritatis. *Tu solus peregrinus es?* Jam non miratur Behemoth, si absorptus est fluvius; quia pars maxima Jordanis influit in os ejus, & dejecit de fortitudine, & de stellis, stravit sibi aurum quasi lutum, & sub ipso sunt radii solis.

Querimoniæ de præposteris Religiosorum studiis.

Job 40. c

8. *Tu solus peregrinus es in Jerusalem,* in Ecclesia scilicet militante Deo, quæ videlicet non possidet adhuc pacem; *& non cognovisti quæ facta sunt in illa diebus*

A *istis?* His diebus sanguinem tuum fudisti pro salute generis humani; & tot dolores & opprobria, ad ultimum crucis supplicium pertulisti : & cum tanta pro mundo passus sis his diebus, & te omnia trahere ad te ipsum promiseris, si à terra esses exaltatus, ecce exaltatus es super cælos. Immo * cur non eruis eos qui ducuntur ad mortem; cur ex Basan non converteris; cur omnes non trahis; cur tam paucos de multis eligis, quasi tuæ immemor passionis? *Non cognovisti quæ facta sunt in Jerusalem diebus istis?* In Jerusalem diebus istis, tu ille excelsus, admirabilis, occisus fuisti, cui Moyses & Elias in transfigurationis tuæ visione pulcherrima * sunt locuti. Vere, Domine, nimis excessisti : quia cum sis splen-

B dor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, & cum sis Dominus majestatis, & trementibus elementis, cæli luminaribus obscuratis, & stupentibus Angelis, pati dignatus es tormentum abjectissimæ passionis. Vere fuit excessus, cum dedisti vellentibus genas tuas; cum faciem tuam non avertisti ab increpantibus & conspuentibus, quando cum iniquis es deputatus. *Tu solus peregrinus es in Jerusalem?* Cur non trahis nos post te, ut curramus in odore unguentorum tuorum? Cur das alienis honorem tuum, cum pro nobis consumpseris carnem & corpus tuum? Cur solium gloriæ tuæ, in quo judicasti principem hujus mundi, non recordaris? Cur spiritum gratiæ & precum super nos non effundis, ut non solum

C lingua, sed & opere & veritate confitentes nos advenas & peregrinos super terram, abstineamus à carnalibus desideriis, & trahamur ad te in funiculis Adæ, in vinculis caritatis?

Isa.

9. Dum hæc Cleophas loquitur in tribulatione spiritus & amaritudine mentis, verba ista quantum putas repleant conscientiam sciscitantis? Quibus ille dixit: *Quæ?* Non est interrogatio nescientis, sed adjocantis; & quædam reciprocatio doloris. *Et dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo : & quomodo tradiderunt eum summi Sacerdotes & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.* Primo solus Cleo-

D phas respondisse legitur. Nunc respondet tam ipse, quàm ille, cujus nomen in historia non habetur. Unde quia est sine nomine, videtur formam meditationis exprimere; quam quandoque cogitationem, quandoque contemplationem solemus quasi proprio nomine nuncupare. Secundum vero beatum Gregorium, istum fuisse Lucam aliqui æstimaverunt. Lucas, qui medicus fuisse ab Apostolo dicitur, qui *consurgens* vel *elevans* interpretatur, interpretatione sui nominis imaginem repræsentat meditationis, quæ medicamentum est contribulati spiritus, & conscientiæ ægrotantis. Quæ sicut stellio manibus nititur, ut moretur in ædibus regis, & consurgens ab infimis eligendo suspendium, deserit transitoria,

Coloss.

E & se elevat ad superna. Adjungitur itaque meditatio orationi, ut ex amborum responsione dulcioris balsamus melodiæ diffusiores spiret delicias in auribus peregrini.

Prov.

10. *De Jesu*, inquiunt, *Nazareno.* Oleum effusum est nomen ejus. Oleum, inquam, effusum, unguentum aromatum, jubilus cordium, *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Sed frangatur alabastrum, perflet auster hortum aromatum; myrrha det odorem suum, diffluant rivuli balsamorum: Crucifixus sit in memoria, Crucifixi, replicetur injuria, Crucifixi ruminentur opprobria, & caritas indefessa. Omnia interiora nostra loquantur de Jesu Nazareno, qui lavit nos à peccatis nostris in san-

F guine suo, ut simus potentes opere & sermone. Nonnulli potentes sunt in opere, sed non in sermone. Alii in sermone, sed non in opere. Quidam potentes sunt in utroque. Qui strenuus est in exercitatione corporali, bona quæ prævalet, non negligit operari. Patiens in tribulatione, & gaudens ad laborem obedientiæ, potest dici potens in opere. Sed si minus hunc delectat assiduitas orationis, si non est sollicitudine pia devotus in vigiliis, vel forte non habeat gratiam prædicationis; potens est in opere, sed non in sermone. Videas aliquem frequenter in oratione devotum, cujus oculi sunt piscinæ

in Hesebon præ multitudine lacrymarum, sed recusat A ferre jugum obedientiæ, votum suum offerre se æstimat offerendo hostiam amputata aure: suam plangit in oratione; superbiam sed hora compunctionis transacta, ita superbus est sicut ante. Vel si levis in moribus, post orationis suæ devotionem in eamdem recidit levitatem, ossa ejus replentur vitiis adolescentiæ ejus, ut numquam in conversatione sua sit maturus; licet ad modicum orationis tempore sit devotus: vox quidem vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esaü. Tales potentes videntur in sermone, sed non in opere. In opere & sermone sunt potentes, qui habent in moribus honestatem, in operibus virtutem, in sermone scientiam, devotionem in orationis assiduitate, gravitatem in conversatione, perseveran- B tiam in amore. Piæ siquidem operationis oratio devota est reclinatorium, & devotæ orationis exercitatio præbet bonorum operum fulcimentum. Hæc est enim plenarie compunctio salutaris, quam commendat conscientiæ latitudo. Unde cum sapientiam & divitias dedisset Dominus Salomoni, dedit ei & latitudinem cordis: quia nihil est sapientia, nihil divitiæ, si in corde non redundaverit, qui transvadari non potest fluvius caritatis. Nec parcit Dominus verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.

11. Si sic potens es in opere & sermone, esto coram Deo, & omni populo. Coram Deo te commendet puritas intentionis; coram populo utilitas operis, ut sint C lumbi mentis tuæ succincti, & lucerna ardens in manibus tuis. Et bene *coram omni populo:* quia caritas nescit angulum, non amat proprium, deservire desiderat utilitatibus singulorum. Hinc est quod Apostolus se commendat ad omnem conscientiam hominum, providens bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, ut tam Deo quàm omni populo sit acceptus. Sed beatissimo Apostolo nemo se audeat comparare. Quantum enim distat ortus ab occidente, tantum à viis nostris fuerunt viæ ejus, & semitæ ejus à nostris semitis exaltatæ: quia (sicut dicit Isaïas) *facti sumus immundi omnes nos, quasi pannus menstruatæ universa justitia nostra.* Potentes non sumus in operibus: & quid oremus, D sicut oportet, nescimus. Ille solus speciosus forma præ filiis hominum, singulari privilegio fuit propheta, potens opere & sermone, qui potenter operatus est salutem nostram in medio terræ. Potestate plenus fuit in sermone, quando omnia creavit, quando *dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Fortis fuit in opere, cum hominem reparavit, & juxta vaticinium Isaïæ, opus suum ut faceret, opus suum alienum opus fecit. Vere fuit opus alienum, si consideres quomodo tradiderunt eum summi Sacerdotes, & crucifixerunt eum. Domine, audivi auditionem tuam, & timui: consideravi opera tua, vias tuas, & expavi. Subsannaverunt te subsannatione, dentibus suis super te frenduerunt: adversum te E lætati sunt & convenerunt; te summi sacerdotes & principes tradiderunt. Illi qui regere gregem debuerunt per viam salutis, facti sunt laqueus & ruina in præcipitium damnationis. Ex ipsis flamma invidiæ erupit: quia sicut in Job legitur, *Ignis Dei de cælo cecidit, & tactas oves puerosque consumpsit.*

12. Nos igitur qui quærimus Crucifixum, crucis attendamus mysterium. Ipsa est statera corporis Christi, quam desiderabat, qui dicebat: *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera.* Crux facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia. Cum enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata quæ commisimus, calamitas quam in- F currimus. Ipse erat innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis conversatio ejus: non enim peccatum fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Et quoniam talis ac tantus, tam indigna dignatus est in cruce pati, præponderare cœpit calamitas, & crimina levigari. Cum adhuc tamen in cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec plene cognoscebatur qua cadere deberet, cum inclinato capite emisit spiritum: ut calamitas præponderando caderet, & quasi arena maris gravior appareret. Gentes quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Nam in statera ceciderunt: quia partes adversæ damnationis nostræ chirographum amiserunt. Trituratus est Moab sub domino, expandit manus super eum sicut natans ad natandum, ne demergeretur in profundum; & ut ipse sublevaret nos in excelsum, expandit alas suas, nos assumpsit & portavit in humeris suis, sicut aquila provocans ad volandum pullos suos. Sic ascendens *Deut. 32. b* super omnes cælos, de excelso misit ignem in ossibus nostris: ut quæ sursum sunt, sapiamus, & nostra conversatio sit in cælis. *Potens fuit coram Deo & omni populo:* quia factus est Angelus loquens pro nobis, & intercessor exsistens Patri reconciliavit humanum genus: utrumque solus potuit arguere, ponere manum in ambobus.

13. *Et quomodo summi Sacerdotes & Principes crucifixerunt eum.* Per sacerdotum quippe persuasionem populus dimitti Barabbam, Christum crucifigi acclamavit, & Pilatus fieri adjudicavit; linguis non manibus ipsum *Psal 136. b* crucifixerunt. Unde dicit David: quia *linguas suas ut gladium acuerunt.* In hoc forte minus reprehensibiles, quàm novi crucifixores qui manibus & verbis mortem illi accersunt: immortalem mortificant, incrucifigibilem crucifigunt. Quæ ab ipsis in occulto, vel etiam in aperto fiunt, turpe est dicere. Ponere vereor os meum in cælum, ut non dicam in cœnum, & Saul ad purgationem ventris inclinatum occidere: sufficit si oram chlamydis abscindam gladio Jeremiæ, cum Dominus dicat per Malachiam: *Vos me configitis, gens* scilicet *tota.* Ostendit Je- *Mala. 3 b* remias quomodo summi Sacerdotes & Principes eum crudelius crucifigunt. *Ibo*, inquit, ad *optimates & loquar* *Jer. 5. b* *eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, & judicium Dei sui. Et ecce hi magis simul fregerunt jugum, ruperunt vincula, & à Propheta usque ad sacerdotem omnes faciunt dolum.* Ecce quomodo summi Sacerdotes & Principes crucifixerunt eum.

Peccatores crucifigunt Christum.

14. *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israël*, quod interpretatur vir *videns Deum.* Per quod litterati & religiosi, qui specialius præ ceteris debent videre Deum per intelligentiam & affectum, signantur. Hinc est non minima causa tristitiæ nobis: quia etiam litterati & qui videntur religiosi, comparantur jumentis, & immundiores facti sunt illis. Ipsi enim non solum spinis peccatorum suorum crucifigunt Deum, sed aliis facti sunt in proverbium & exemplum. *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israël.* Non esset doloris materia, nec res tam stupenda, si plebs quæ non novit legem, sola caderet in errorem: quia relevari posset per litteratorum & religiosorum prudentiam, si ipsi non fuissent primi ad ruinam. *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israël.* Nam si dicit regi apostata, & vocat duces impios, si supplantet optimates, & ducit sacerdotes inglorios: & ipsi forsitan non sunt litterati, & ignorant legem Domini; filii sunt diffidentiæ, nec de ipsis sumus in admirationem: sed de litteratis stupemus, & qui prætendunt habitum religionis, qui bonum verbum Dei gustaverunt, & donum cæleste, virtutesque sæculi venturi, & ecce vaccæ pingues Samariæ facti sunt, arbores autumnales, eradicatæ, bis mortuæ, facti hostes in capite, qui docere debuerant viam vitæ. *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israël.*

Litterati & religiosi non præeuntes bono exemplo perstringuntur.

15. *Et nunc super hæc omnia tertia dies est, ex quo hæc facta sunt.* Prima dies, qua crucifixus est Christus, persecutorum & hæreticorum significat tempus, qui primitivam Ecclesiam tormentorum asperitatibus vexaverunt, quæ corpus est ejus. Secunda dies, qua sepultus fuit, tempus figurat hypocritarum, qui Christum quasi sepultum in terra reputant, terrenis commodis & honoribus inhiantes, qui nullam nisi terrenæ felicitatis gloriam pro suis laboribus exspectant. Super hæc omnia tertia dies est, in quo debemus aliud gravius periculum considerare, scilicet in falsis fratribus. Et in hac tertia die Christus debuerat resurrexisse, quia putabamus his diebus ubique diffundi virtutem veræ fidei, & per loca religiosa caritatis radios dilatari, ut post Orionas & Hyadas apparerent interiora Austri. Sed quia pæne omnes declinaverunt, & adhuc in iniquitatibus suis Christum crucifi-

Triduum quid hic significet.

gunt, super hæc omnia dolemus, quia tertia dies est, ex A quo hæc omnia facta sunt.

16. *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.* Mulieres piæ sunt cogitationes. Per monumentum claustrum Religiosorum potest intelligi, in quo sumus Christo per temporalium delectationum mortificationem, & sanctæ professionis vinculum consepulti. Tunc mulieres vadunt ad monumentum quærere Dominum; quando cogitamus si saltem vel in claustris religiosus sit requirens ac diligens Deum. Ante lucem venerunt, & corpus ejus invenerunt. O quàm dulce est ante lucem surgere ad quærendum di- B lectum! Dulcis est quærenti illum. *In lectulo meo quæsivi per noctes quem diligit anima mea: quæsivi, & non inveni illum.* Restat ergò, ut vadam ad monumentum; id est, ad Religiosorum claustrum, ad vigilias claustralium, quia ibi dilectum inveniam, etsi non secundum corpus. *Etenim si cognovimus secundum carnem Christum, sed jam nunc non novimus.* Civitatem custodiunt isti vigiles; Angeli sunt, quorum visionem se vidisse asserunt mulieres, quæ dicunt eum vivere, & per fervorem veræ dilectionis ostendunt Christum in suis cordibus habitare. Isti sunt vigiles observantes omni tempore custodias Domini. Ipsi excubant ad ostium tabernaculi, ipsi sunt Oriones & Hyades, & interiora austri. Quàm C delectabile est eis interesse vigiliis! Consurgunt de nocte in principio vigiliarum suarum, ut effundant cor suum coram Domino, & oratio eorum apud Altissimum: ibi in medio juvencularum tympanistriarum principes conjunguntur psallentibus: ibi in excessu mentis Benjamin adolescentulus, ibi resonat cælestis simul concentus. Ibi sunt Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus clamantia, & Cherubim sese versis vultibus in propitiatorium respicientia. Ibi jubilant omnes filii Dei, laudant Dominum sidera matutina. Ipsi sunt vere similes Angelis, per studium angelicæ conversationis. Ipsis commissa est custodia monumenti, scilicet observantiæ regulares claustri. Monumentum istud Christus non deserit, qui nobiscum se D promisit esse usque ad consummationem sæculi: & tunc nos erimus secum cum nos acceperit ad seipsum. Mulieres se dicunt illum non invenisse, sed visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere; quoties versamus in cogitationibus nostris, quia etsi sunt vere similes Angelis qui de die in diem, & in nocte laudem Domini decantant in terris, sicut illi in cælis; non tamen possident gloriam æternæ beatitudinis summa sanctitate consummata. *Paululum*, inquit, *cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Sed quid est quod dicitur, *terruerunt nos?* Non est terror qui incutiat horrorem, sed qui novam cordis parturiat exsultationem vel admirationem. Dum enim cogitamus quàm E felices deliciæ abundant in claustro, super hoc expavescit cor nostrum, & quadam dulci reverentia movetur de loco suo.

17. *Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita invenerunt sicut mulieres dixerunt; ipsum autem non invenerunt.* Abierunt quidam ex nostris. Isti sunt affectus religiosæ mentis, qui omnia sicut mulieres inveniunt, non tamen revertuntur, sicut de mulieribus legitur. Quando enim solis cogitationibus de amore religionis tractamus in cordibus nostris, mulieres ad monumentum vadunt & redeunt. Sed cum affectus mentis ad conversionis desideria convertuntur; non jam tantum mulieres, sed quidam ex nostris ad monumentum vadunt, F qui non revertuntur, sed nec ipsum inveniunt. Hoc autem experimento cognoscimus, quia cum fervore novitii ad conversionem venerimus, hic Jesum invenire nos æstimamus, quia perfectæ tranquillitatis & sanctitatis gaudia apprehendere nos speramus. Sed cum processu temporis experimur miserias humanæ fragilitatis; tunc recognoscimus quoniam non invenimus Dominum: visionem tamen Angelorum aspicimus, exempla scilicet ferventium monachorum.

18. *Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Scaturire videntur hæc verba teneritudinem amoris, & quasi mustum quod dirumpit novas laguncula, de medullis procedere diligentis. Dedit Dominus voci suæ vocem virtutis, ut essent hæc verba ejus, sicut malleus conterens petram, & sicut ignis; testimonio Jeremiæ: Verba ejus sicut ignis & malleus, ut de igne ascendat virgula fumi ex aromatibus & pulvere pigmentarii, & conterat malleus. Libet paululum ad suavitatem historiæ mentis oculos inclinare. Dum interpretatur Scripturas, dum exponit Moysen & Prophetas, procedens ex ipsius ore mira suavitas mentes refrigerat mærore & tædio consternatas, inæstimabilis redundabat in labiis Jesu sermonis elegantia super mel & favum; dulcescebat ejus eloquium super omnia aromata. Profecto ordinem cæli noverat, & ponebat rationem ejus in terra. Impleta gaudent viscera luctu in lætitiam mutato. Jam refulget in conscientiis Domini resurrectio. Resurgenti magis gaudere incipiunt quàm condoluerant crucifixo. Hinc est quod *appropinquaverunt castello quò ibant:* quia impleri cœperat desiderium consilii quod quærebant. *Et ipse se finxit longius ire*, ut dum vellet eos deserere, dilectionis igne quo suaviter ardere cœperant, mirabilius æstuarent. Quid eos putas tunc animi habuisse, cum se fingeret longius ire? Æstimo forsitan talibus eum querimoniis interpellasse: Ne decedas dulcissime, ne decesseris à nobis: sed adhuc de Jesu Nazareno sonet vox tua in auribus nostris. Loquere, quæsumus, de gaudio resurrectionis: *mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies*, sed agemus vigilias noctis. Non enim sufficit dies ut saturetur auris auditu de dulcissimo Jesu. *Et coëgerunt eum:* quia cohibere se non poterat vis amoris.

19. Nunc ad delicias revertamur mortalitatis. *O stulti & tardi cordi ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Impletum est tempus quod dixit Dominus in Evangelio: *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Congregati sunt in nomine ejus duo, scilicet Oratio & Meditatio, ut turtur & columba querimonias dulces submurmurent in foramine petræ, in caverna maceriæ, condolentes de Domini passione. Sed contra, hæc susurria, hæc devota suspiria tam gratiosa sunt in oculis ejus, qui scrutatur renes & corda, quod non possit diu abscondere multitudinem dulcedinis suæ, quam abscondit timentibus & diligentibus se: sed sæpius per occultam inspirationem, sæpius per Scripturæ sacræ lectionem, talem tristitiam in jubilum solet commutare. *O stulti & tardi corde ad credendum!* Cogitanti mihi dulcedinem hujus increpationis, flere magis libet quàm aliquid dicere: quia quidam mirifici odoris balsamus perflat areolam mentis meæ. Disputare cum Deo cupio; non quidem ex æqualitate, sed exponendo fragilitatem humanæ conscientiæ. Domine, quoties passionis tuæ amaritudinem in cordibus nostris ruminamus, toties de nobis expavescimus: quia dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus. Si enim ex hoc mundo transisti ad Patrem cum tantis cruciatibus, quid fiet de nobis peccatoribus? *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Dum tales in oratione fundimus querimonias, consolatur nos dulciter increpando illa vera & summa caritas per Scripturarum auctoritatem, seu per occultam inspirationem. Quid de mea passione tam tristes estis? *Nolite timere pusillus grex*, passus sum, ut vos gaudeatis. Thesaurizavi vobis thesauros exsultationis, quia thesaurizare debent parentes filiis. Omnia enim opera vestra operatus sum vobis, resurrexi ut jubiletis. Dico vobis, cur non creditis?

20. *Incipiens à Moyse & Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Beati qui noverunt gustu felicis experientiæ, quàm dulciter, quàm mirabiliter in oratione & meditatione Scripturas dignatur Dominus revelare. Et quidem scientiarum dominus est: potest eas si voluerit dispensare. *Incipiens*

Per monumentum intelligit claustrum Religiosorum.

Cant. 3 a

2. Cor. 5. c

Vitæ religiosæ & claustralis commendatio.

Psal. 67.

Cant. 3. b

Initio conversionis multi solas sibi delicias falso fingunt.

Jerem

Suav effica boru fit.

Matth.

Oratio meditat pia suf. quàm c cia cum DEO.

Luc. 23

Orantibus meditant sæpe pan tur sensu scriptura rum.

*à Moyse & Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.* Hæc facit, quando corda nostra illuminat radiis caritatis. Ille tenet & quæ latent, & quæ patent in divinis sermonibus, qui caritatem servat in moribus. In sola dilectione pendent Moïses & Prophetæ. Tunc appropinquamus castello quo tendimus, quia per infusionem caritatis desideratum vitæ consilium obtinemus. *Ipse autem finxit se longius ire.* Dixi, *Sapiens efficiar: & ipsa sapientia recessit longius à me!* Incipienti difficiles viæ Domini videntur, sed curritur per eas, dum cor cœperit dilatari. Unde & coëgerunt eum. Non enim leviter ad perfectionis culmen attingitur, sed paulatim virtutum gradibus ad apicem caritatis per violentiam pervenitur.

(margin: ...tt. 12. d — ...Ps. 7. d — ...s violen- ...nvenitur.)

B 21. *Coëgerunt eum.* Ne mireris, si vim patitur regnum cælorum, quando & ipse Dominus eorum. Si igitur quadam naturali duritia cor tuum senseris indevotum; insta orationibus, intende meditationibus, curre ubi est impetus spiritus, ne assensum carni dederis. Ingere te vigiliis, per lachrymarum violentiam vince Dominum majestatis, & dic ei: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies.* Hanc clausulam multipliciter possumus intelligere, & in ea multas delicias invenire. *Mane nobiscum, quoniam advesperascit.* Cum prosperamus in virtutum successibus, in die sumus: cum nos obnubilant tribulationum angustiæ, incipit nobis advesperascere: cum tristitia nos confundit, nobis advesperascit. Et quia ad te confugimus, qui solus laborem & dolorem consideras; *mane nobiscum, quoniam advesperascit.* Jam veniunt aquæ usque ad animam, jam devotionis deliciæ vertuntur in miseriam, jam omnes angulos mentis nostræ ventus tentationis concutit: *mane nobiscum, quoniam advesperascit.* Tu tribulatis cordibus es refrigerium, tu refugium, tu solatium: tua est potentia, tuum est imperium. Intenti sunt ad te oculi omnium, te solum sitiens anima concupiscit: *mane nobiscum, quoniam advesperascit.* Sine te nihil possumus facere. Tu solus carmina das in nocte; tu turris es fortitudinis à facie tribulantis. Tuæ pietatis oculus circa ea quæ sub cælo sunt respicit: *mane nobiscum, quoniam advesperascit.* Per te consurgit nobis ad vesperum fulgor meridianus, & orimur ut lucifer, cum nos consumptos putamus, non confunditur omnis qui in te confidit: *mane nobiscum, quoniam advesperascit.* Inclinata est jam dies, facti sunt vesperi longiores: quia appropinquante mundi termino superexcrescit iniquitas, & caritas refrigescit. Ne exstinguatur in nocte lucerna nostra; *mane nobiscum, quoniam advesperascit.* Vergente mundi vespere, sole justitiæ, frigus iniquitatis genus humanum opprimit. Omnes occupat nox perfidiæ, lux veritatis deficit. Ne deficiamus cum deficientibus; *mane nobiscum, quoniam advesperascit.* Vitæ meæ jam instat vespera, corpus consumit ægritudo pervalida, jam mors minatur aspera, timor & tremor totam conscientiam concutit, terribilem sententiam judicii pertimescit. Sed tu Domine, cui Pater omne judicium dedit: *mane nobiscum, quoniam advesperascit.* In manus tuas commendo spiritum meum. Ne tradas animam confitentem tibi potestatibus tenebrarum. In te solo est salus nostra; ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. De multitudine miserationis tuæ mens fiduciam concipit: *mane nobiscum, quoniam advesperascit.* Vel per vesperam possumus intelligere vexatæ mentis refrigerium, ut omni fervore tribulationis recedente, oratio & meditatio tranquillum in ea Deo parent hospitium, ut eum cogant ad manendum, & invitent ad cœnandum, juxta quod scriptum est: *Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Factus est sicut viator declinans ad manendum: unde & intravit cum illis.

(margin: ..., Mane nobiscum pulchre expen... — ...oc. 3. d)

22. *Factum est autem cum recumberet cum illis, accepit panem, & benedixit, fregit & porrexit illis: & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum.* Panis iste panis est gratiæ. Hunc panem ipse per se accipit: quia non quasi inferior, sed Patri æqualis, dona gratiæ prout voluit non ad mensuram accepit. Benedicit panem, quando benedictionem suam nobis dat legislator, ut eamus de virtute in virtutem. Frangit & porrigit illis: quia non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Nec panem porrigit integrum, sed fractum, quia divisiones gratiarum sunt: sed idem Dominus, qui sicut buccellas mittit crystallum suam. Et quid est quod dicitur: *aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis?* In fractione panis fit diminutio quædam & exinanitio. In fractione virtutem humilitatis intellige, per quam seipsum fregit, diminuit, & exinanivit ipse etiam qui panis est vitæ. Et quoniam se exinanivit, cogitationem suam nobis dedit. Ipse est panis desiderabilis quem per dies multos Daniel non comedit: quia multi justi & prophetæ voluerunt videre & non viderunt incarnatam sapientiam Dei Patris. Multis æstuarunt suspiriis præ desiderio videndi Filium hominis: sed absconditus erat in sinu Patris. Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Sapientia abscondita Patris, & thesaurus integer & occultus, quæ utilitas in utrisque? Frange, Domine, esurienti panem tuum, panem teipsum, ut aperiantur oculi hominis, nec reputetur homini ad peccatum, si voluerit esse sicut tu, sciens bonum & malum. Te cognoscat in panis fractione, qui ab initio voluit integrum attentare vel attrectare. Frange te, ut sese discat frangere, quia non cognosceris nisi in fractione panis. Audivit Balaam sermones Dei, & visiones Omnipotentis intuitus est: sed cadebat apertis oculis, quia non cognoscebat Dominum in fractione panis. Sic multos videtis hodie studentes in scripturis, docentes in cathedris, prædicantes in ecclesiis; sed opera eorum non concordant cum verbis. Confitentur verbis se nosse Deum, sed negant factis: quia non cognoscitur nisi in fractione panis. Et quidem nobis Dominus factus est panis, & nos sumus panis ejus. In sudore vultus sui dignatus est vesci pane suo; ut nos nostro vesceremur in gaudio. Si vis ipsum cognoscere, sicut se fregit, ita te frange: quia *qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Non *est in sermone regnum Dei, sed in virtute.* Frange igitur te ad laborem obedientiæ, ad humilitatem pœnitentiæ. Porta in corpore tuo stigmata Jesu-Christi, formam servi accipiens, non prælati. Et cum te exinaniveris & fregeris, cognosces Dominum in fractione panis.

(margin: nem gratiæ Deus di... iit. — Dan. 10. d — Thren. 4. a — Num. 24. — Fractio panis in Christo quomodo imitanda. — 1 Johann. 2. a)

D 23. Sed quoniam cœpimus loqui de pane gratiæ; dum frangitur, oculi aperiuntur, & Dominus cognoscitur: quia cum ceteris gratiarum donis infunditur virtus humilitatis. Tunc eum cognoscimus, quia ex acceptis donis nos ei humiliter subdimus, cum quicquid boni accepimus, ad ipsum referimus. Sapiens attestatur quod ab humilibus honoratur Deus. Vide quomodo dictis nostris concordet beatus Gregorius. Qui, inquit, virtutes ceteras sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat: ut unde ferre aliquid debuit, inde deterius sequatur. Vera ergo humilitas aperit oculos, dum virtutes ceteras, per quas vento superbiæ poterat excæcari, frangit & diminuit; & homo se ex se nihil esse cognoscit. Et quanto quis decrescit in despectione sui, tanto amplius proficit in cognitionem Dei. Ut ergo cognoscatur Dominus in fractione panis, frangat homo si quas habet in se virtutes, frangat proprias voluntates, imitans illum qui pro nobis factus est obediens usque ad mortem crucis. *Et ipse evanuit ab oculis eorum.* Mira res! Cum incipit magister cordi dulcescere, tunc fugit, ut de absentia sua faciat nos dulciter dolere. Tales sunt amoris deliciæ, oculi amoris ipsum faciunt avolare. *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cervorum, super montes aromatum.* Ascende super Cherubim, & ambula super pennas ventorum. Esto tamen similis capreæ hinnuloque cervorum, ut oculos dilectionis tuæ non avertas à nobis: etsi à nostris te subtrahis, qui humilia respicis, & alta à longe cognoscis.

(margin: Eccli. 3. c — Greg. l. 35. Mor. c. 10. — Virtutes ceteræ sine humilitate inanes. — Cant. 8. d)

24. *Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas?* Clausula ista non est exponenda, sed ruminanda. Quoties in nobismetipsis marcescit anima nostra, & possident nos dies afflictionis, quoties tædiis vel tentationum vulneramur sagittis; ad memoriam revocemus, quid aliquando in oratione senserimus; quid in meditatione gustaverimus, qualiter locutus sit nobis Dominus, cum scilicet transmigraremus in delicias contem-

(margin: Divini gustus & affectus tempore desolationis ad memoriam revocandi.)

plationis. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu?* A O dulcis ardor, dulcis splendor, dulcis amor! Ardor confortans, splendor illuminans, amor inebrians. Quam dulciter ardes, quam mirabiliter splendes, quam sufficienter totum cor hominis imples! Quis poterit habitare de nobis cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis, cum jam non erit ignis in Sion, sed caminus in Jerusalem, in splendoribus æternitatis? Tunc etiam recordabimur de hoc parvo igniculo quem sentimus in convalle plorationis, cantabimus & psallemus, & dicemus adinvicem: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu?* Cum sub paupertate degeremus militiæ regularis, & staremus ad psallendum in nocturnis vigiliis, & post vigilias absconditi incumberemus orationibus illis beatissimis B intervallis, quam magna tunc erat in cordibus nostris multitudo dulcedinis! *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu?* Nonne nox erat illuminatio in deliciis? Nonne cor nostrum tunc ardens erat in nobis, cum in claustro residentes meditaremur in silentio, quando secreto Deus erat in tabernaculo nostro, cum super Jerusalem cor ascenderet, & cogitaremus patriæ gaudia, cum concentus cæli resonaret in conscientia? *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu:* cum divinarum scripturarum dulcedine nostras reficeremus animas, invenientes in illis mirabiles delectationes super omnes divitias? Nonne nos tunc docebat unctio Christi de omnibus, medullatas infundendo nobis delicias? *Nonne cor nostrum ardens erat* C *in nobis de Jesu, dum loqueretur nobis in via?*

Isa. 33. b

25. *Et surgentes eadem hora reversi sunt in Jerusalem, & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes: Quia surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.* Non incongrue eadem hora dicuntur surgere, quia non nisi ad horam, nec ad horam quidem esse possunt in anima tales deliciæ: cito transeunt, abeunt, evanescunt. Ideo fugiunt, ut earum plenitudinem, quæ debetur * in patria, ferventius appetamus: ideo animum alliciunt & inflammant, ut surgamus; non ut in Jerico descendamus. Ibi insidiantur ut spolient vel necent descendentes. Sed nobili quadam superbia despicere debet hæc temporalia, quæ mutabilia sunt sicut luna, anima cælestibus deliciis assueta. D Surgentes igitur Oratio, & Meditatio revertuntur in Jerusalem, cum post spiritualium deliciarum refectionem pacis intimæ possident quietem. Undecim isti qui in Jerusalem sunt congregati, dona septiformis Spiritus, & quatuor principales virtutes possunt intelligi. Illi qui cum eis sunt, fides, spes, caritas, & si qua ibi sunt alia gratiarum dona, dici possunt. Congregatos istos oratio & meditatio inveniunt, non congregaverunt: quia etsi pro posse nostro intendamus virtutibus congregandis; nihil sine Patre luminum possumus, qui & velle & perficere in nobis operatur. Istis dum oratio & meditatio conjunguntur, dicunt quia surrexit Dominus vere, quando amanti conscientiæ insibilat gaudium resurrectionis dominicæ. E

* al. habetur. Spirituales deliciæ cur mox aufugiunt.

26. Sed quid vult sibi quod subditur, *apparuit Simoni?* Videte ne forte propter nos dictum sit, qui specialiter filii sumus obedientiæ, qui sapientibus & insipientibus debitores sumus, sine contradictione vocis, sine rancore murmurationis obedire. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, magnum lætitiæ cumulum parturiens obedientibus, quia Dominus apparuit Simoni, & ipsi soli speciali prærogativa præ omnibus. O si devotæ mentis memoria revolvamus, quam dulcis sit ejus apparitio obedientiæ filiis in illo agone terribili, & in illa hora miserabili; ubi cogitur anima à corpore separari! Non præsumimus quæ nescimus asserere: possumus tamen piis imaginationibus tale aliquid cogitare. Forte aliquibus tunc apparet Christus cum vexillo obedientiæ, & ineffabili exsultatione exhilarat obedientis animam in illa tribulatione, & his potest sermocinationibus consolari. Ne timeas fili obedientiæ, ne timeas intueri manus propter obedientiam cruci affixas: considera pedes expositos fixuris clavorum, & latus lancea perforatum: attende quod propter obedientiam mortuus sum: & si propter fragilitatem humanæ conditionis obedientia tua sit minus aliquid perfectum habens, volo ut plenitudo meæ obedientiæ sit tuæ minus sufficientis obedientiæ supplementum. Quid in illa hora potest esse suavius tali consolatione? Quid imprimi potest humano cordi dulcius? Ponite hæc super corda vestra, filii obedientiæ, gaudete & exsultate, quia surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.

Filiis o[bedientiæ] Christi [in] morte [...]tium a[...]

27. *Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Extremam hanc clausulam referre possumus ad illa beatæ quietis gaudia, cum sedebit unusquisque sub vite sua, & sub ficulnea in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta: cum plateæ Jerusalem sternentur auro, & per omnes vicos ejus *alleluia* cantabitur, & implebitur infantibus & puellis sequentibus Agnum quocumque ierit in vestibus albis. Tunc narrabimus quæ gesta sunt in via, quomodo cognovimus Dominum in fractione panis; quam dulciter nos humiliat hîc in loco afflictionis, ut delicietur in cordibus nostris; qui secreta sua abscondit à sapientibus & prudentibus, & revelat ea parvulis. Tunc recordabimur periculorum in quibus versamur, tribulationum quibus affligimur, miseriarum quibus involvimur: & mirabiliter lætabimur, quia hæc omnia velut umbra transierunt, & de splendoribus in quibus erimus, ossa nostra jubilum germinabunt. Tunc plantabimus vineas in monte Samariæ, & audiemus vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, & videbimus gloriam regis, & decorem reginæ. Tunc lætabitur Virgo in choro, diadema regni portans in capite suo, & ostendet nobis fructum sanctissimi ventris sui. In humanitate nostra videbitur Dominus majestatis. Tunc videbit & affluet & mirabitur & dilatabitur cor nostrum, simul laudabimus: quia oculo ad oculum, aspectu contra aspectum videbimus, facie ad faciem cognoscemus, ore ad os colloquemur dicentes: Tibi Domine potestas & imperium, tibi honor & gloria, te laudet omnis spiritus in sæcula sæculorum, Amen.

Beatoru[m] gaudiu[m] perpetu[um] vita m[...] laborib[us]

---

# DE EXCELLENTIA SANCTISSIMI SACRAMENTI, ET DIGNITATE SACERDOTUM, SERMO.

*Non est* S. BERNARDI, *sed cujusdam non Sacerdotis, ut ex num. 3. 5. & 16. colligitur.*

*Panem Angelorum manducavit homo.* Psal. 77. c.

1. NOn lateat vos, verendi Sacerdotes, seriem hanc vobis recitatam, verbis succinctam, sensuum spiritualium majestate apprime fore fœcundam. Vobis autem potissimum incumbit præ ceteris audire quod proponimus; nec solum audire, sed fidelius reponere, & tamquam animalia munda propensius debetis ruminare. Beatus ille David prophetarum eximius, Deo viventi carissimus, in spiritu ante sedentem in thronis raptus, legerat in quodam promptuario mysteriorum quæ & quanta Dominus naufraganti mundo per vestrum clementer erat exhibiturus ministerium, F qui cælestis consilii sanctus interpres, gratulanter concinit: *Panem Angelorum manducavit homo.* Unde ad exprimendam rei tam fructuosæ certitudinem dilucide signavit præteritum pro futuro: *Panem*, inquiens, *Angelorum manducavit homo.* O stupenda Dei miseratio! Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinum induit, ut jumenta manducarent panem Angelorum. Homines jumenta erant. *Homo* enim *cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Non est indignum, immo festivum, recolere in quanta sublimitate homo conditus fuerit.

Psal. 77

Psal. 48. Dignitas sublimitas hominis statu innocentiæ.

Sed operæ pretium est consequenter attendere, quam A graviter corruit minus pensando quid, ex se, vel quid esset ex Deo. Primus namque parens noster paradisi accola * constitutus est, Dominus terræ stabilitus est, civis supernæ Jerusalem designatus est, domesticus Domini factus est: cujus amore & agnitione ditatus est, consors Angelorum, frater & coheres cælestium virtutum, nihil prorsus indigentiæ, nihil sentiens molestiæ: cui erant in promptu quæ postulabat, non dico necessitas *, sed etiam pia voluntas †, cum nihil esset in anima quod offenderet, nihil in carne quod puderet. Hic honor & hæc erat dignitas hominis, prosperari & florere in præmissis. Et hæc ex Deo.

2. Sed potius in honore quid ex se foret non intellexit, limus videlicet, pulvis, folium aridum, stipula sicca, lu- B tea & fragilis testa, pellis morticina: sed intumuit, & plane desipuit, honoris fastigio delectatus. Et continuo in se expertus est, quod tanto post tempore homo de filiis captivitatis & prudenter advertit, & veraciter protulit, dicens: *Qui se putat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.* Væ misero, quod non fuit qui jam tunc diceret ei: *Quid superbis terra & cinis?* Repentina igitur conversione seipsum invenit homo propter infirmitatem jacentem in stabulo. Stabulum quid est? Mundus est. Et propter pecorinam similitudinem indigens erat fœno. Ea propter cibus cælestis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Panis enim Angelorum factus est fœnum: Unicus Patris, filius hominis: *Verbum* quippe *caro* C *factum est.* Et juxta Prophetam, *omnis caro fœnum.* Comedunt igitur Angeli Verbum de Deo natum: comedunt homines Verbum fœnum factum. Pane suo vivunt Angeli in cælis, & beati sunt: fœno suo vivunt homines in terris, & sancti sunt. Fœnum quippe istud de prato virginalis uteri collectum, factum est refectio jumentorum. Verbum ut fœnum fieret, latuit in Virgine, Sol in sidere, artifex in opere.

3. Hoc autem liberalioris excellentiæ donum contulit nobis primo in loco sacrosancta Verbi Patris incarnatio; & vos secundario de die in diem nobis exhibendo ministratis ex collatæ potestatis officio. O præclara, ô reverenda potestas vestra! Certe non est potestas D post Deum, sicut potestas vestra. Forsitan scire vultis, & audire delectat apertius, quænam sit ista tanta potestas, cui nihil in cælo vel in terra valeat comparari? Ad quod ego: Consecrare videlicet Corpus & Sanguinem Domini. Super potestate vestra, super tam insigni spectaculo, super tam sollemni dignitatis vestræ privilegio stupet cælum, miratur terra, contremiscit homo, reveretur plurimum angelica celsitudo. Sed unde hoc nobis, piissime Jesu, ut nos vermiculi reptantes super faciem terræ; nos, inquam, qui pulvis & cinis sumus, te præsentem habere mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dexteram Patris? Qui etiam unius horæ momento ab ortu solis usque ad occasum, ab aquilone usque ad austrum præsto E es omnibus, unus in multis, idem in diversis locis. Unde hoc inquam? Certe non ex debito, vel ex merito nostro; sed ex voluntate tua, & dulcedinis tuæ beneplacito. *Parasti* enim *in dulcedine tua pauperi Deus.* Pauper est genus humanum, cui bonum istud cælitus indultum est. Hæc est vere indulgentia cælestis, hæc est vere cumulata gratia, hæc est vere superexcellens gloria sacerdotum, Deum suum tenere, & aliis dando porrigere. O novam & divinam potestatem! cujus ministerio panis Angelorum & vitæ, mortalibus quotidie præparatur.

4. Panis iste per excellentiam dicitur *Eucharistia*, id est bona gratia. In hoc enim Sacramento non solum qualibet, sed ille, à quo est omnis gratia, sumitur. Christus enim pro salute mundi semel factus est hostia salutaris, reconciliatio generalis, omnibus sacramentis, tam F præcedentibus, quam subsequentibus virtutem dedit & efficaciam, ut tanta & tali hostia sanctificarentur omnes liberandi per illam. Unde legitur, quia *Agnus occisus est ab initio sæculi*, his videlicet qui fuerunt ab initio: ita ut per hoc quod dicitur, *ab initio*, determines non tempus occisionis, sed salutis. Prius enim mors ejus profuit, quam fuit. Prius promissio, ac deinde exhibitio. Ab initio ergo sæculi occisus es, benignissime Jesu, nobilissimum sponsæ tuæ dotalitium indulsisti, ut vel sic teneret columba tua dulcissimum memoriale dilecti sui. Christus enim pridie quam pateretur, Discipulis suis hujus Sacramenti formam præscripsit, efficaciam exhibuit, id est fieri præcepit. Formæ præscriptio in pane & in vino. Notate ordinem. Cum adhuc cœnaretur, à cœna surrexit, Discipulorum pedes Dominus universorum lavit; dehinc ad mensam regressus ordinat sacrificium Corporis & Sanguinis sui, seorsum panem, seorsum tradens & vinum. De pane ita dicens: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* De vino etiam sic: *Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Effundetur*, dictum est, quia passim & viliter; quem utique puncturæ veprium, fossio manuum & pedum cum clavis, lateris apertio cum lancea militari fortius exprimentes, ad modum torrentis fuderunt extrinsecus; eratque ille sanguis pretiosior cariorque balsamo, per quem sordium nostrarum facta est mundatio. Christus in cœna illa munerans & munus; cibans & cibus; conviva & convivium, offerens & oblatio.

Forma sacramenti Eucharistiæ.

Matt. 26 e

6. Audistis formam sacramenti; audite efficaciam & communionem corporis & sanguinis Domini. Et nos Jesu-Christo, & Jesus-Christus nobis in unitate fœderantur inenarrabili, sicut ipse dicit: *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* De bonis & digne sumentibus hoc sentiendum est, non de flagitiosis & pessimis. Sane in mensa una, in cœna Domini, de uno pane consecrato Petrus & Judas accepit: bonus in vitam, pessimus in pœnam: bonus in beneficium, pessimus in testimonium: bonus in salutem, pessimus in mortem. Quod totum usque adhuc in Ecclesia completur in Sacramento altaris: bonis quidem in bonum sumentibus, canibus vero & immundis non sic. Canes sunt, qui irreverenter accedunt; & ideo judicati abscedunt. Qui enim secundum carnem vivunt, & post carnalia evagantur catena vitiorum compediti, cum Juda proditore venenum accipiunt, spiritualis suspendii laqueum incurrunt, gravissime damnandi, tum pro multiplici reatu, tum pro sacramenti contemptu, quod revera accipiunt, sed essentia, non salubri efficacia. An non discernet inter glebas, qui discernit & inter stellas? Examinabit certe argentum, qui ipsum quoque aurum probavit & reprobavit. Ecce audistis fructum & utilitatem bonorum, audistis etiam & expavistis, ut credo, ad perditionem malorum: audite modo, & obstupescentes admiramini. Nulli Angelorum, nullis spiritibus supernis, sed hominibus, nec tamen omnibus, sed Ordini vestro tantum mandatam esse tanti sacramenti celebrationem in altari, quod Christus fecit manibus suis in cœna paschali.

Efficacia dispar in bonis & in malis. Johann. 6. f

6. Expositis igitur forma & efficacia Sacramenti, restat dicendum, quibus in verbis mandaverit Christus illud celebrandum. *Hoc facite*, ait, *in meam commemorationem.* O verba nimis affectuosa! O verba pungitiva & penetrativa usque ad animam! *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Propheta etiam dicit: *Memor jam abundantiæ suavitatis eructabunt.* O summe pia & vere suavis memoria, annuntiare mortem Domini donec veniat! Mors Christi opus sine exemplo; humilitas sine modo: donum sine pretio; & gratia sine merito. Hanc propter nos subire voluit, qui peccata nostra super lignum sustinuit in cruce sua, scilicet pœnam peccatorum, cujus livore sanati sumus. Quid facis, homo indigne? Quid facis homo ingrate? Adora devotius, & recole frequentius in Sacramento altaris salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam. Si membrum Christi es, compatere capiti tuo. Si frater Christi es, commorere fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lacrymis super mortem pretiosam Unigeniti Dei Patris. Alioquin si non doles, si non plangis, si non compateris; deliras, degeneras, belluam sapis, lethargiam pateris, hominem difiteris. Ceterum ut amplius movearis, immo ut magis incalescas in amorem tui Redemptoris, voluit Christus, ut jugiter coleretur per mysterium, quod semel offerebatur in pretium; & illa perennis victima viveret in memoria, & præsens esset semper in gratia. Quod & ita est. Licet enim recrudescat peccatum in multis, generalitas tamen originalis culpæ ita prorsus

Luc. 22. b

Psal. 144. b

Passio & Mors Christi commemoranda in usu hujus Sacramenti.

Isa 27. a

ablata est, Leviathan verme venenato in virtute fulgurantis hastæ mortis Jesu-Christi transfixo, ut ad expiationem eorum quæ quotidie admittuntur, Christum denuo non oporteat crucifigi; immo sit omnium sufficiens medicina, si per fidem & imitationem præteritæ mortis habeatur memoria.

Eccl. 50. a

7. Christe Jesu, mortis tuæ memoria tamquam opus pigmentarii, *Quasi thus redolens in diebus æstatis*, quasi regio aromatum quam purgat æstus solis, *quasi flores rosarum in diebus vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ.* Gratulare sponsa, gaude incomparabiliter: præsidentem habes & rectorem sponsum in præsentis exsilii militia. Pignus habes, arrham tenes, quibus feliciter sponso uniaris in patria. Gloriosa & amabilis sponsa, in terra sponsum habes in sacramento, in cælis habitura es sine velamento. Et hic, & ibi veritas: sed hic palliata, ibi manifesta. Hic utique sponsum habet Ecclesia suo ordine, nondum puritatis majestate, vel æternitatis securitate. Hic revera quasi dulce præludium, & jucunda desponsatio: ibi nuptiale convivium, & beata fiet conjunctio: cum de fide ad speciem, de mense ad mensem, de sabbato ad sabbatum, de calore panum ad æternalis convivii calorem transibimus. Unde suspirat sponsa, & dicit cum Moïse: *Ostende mihi teipsum.* Nec immerito. Ipse enim Jesus, qui dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere, dulcior apparebit in Deitatis visione. Vere dulcis in voce, de cujus ore lac & mel procedit. *Diffusa est* enim *gratia in labiis suis.* Vere dulcis in facie, *speciosus enim est* non solum *præ filiis hominum*, sed etiam præ millibus Angelorum. Vere dulcis est in nomine. Dulce enim nomen & suave Jesus, consecratum ab æterno, nuntiatum ab Angelo, prophetatum Salomonis oraculo, qui ait: *Oleum effusum nomen tuum.* Non autem aliud nomen est, in quo salvari oporteat. Ipse enim salus est, qui salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Dulcis in opere, in celebratis miraculis, in peccatoribus conversis, in sacramento pretiosæ mortis, quod humanæ blanditur infirmitati. In hoc enim caritas præfulsit, pietas magis emicuit, gratia plus radiavit.

Idem Christus in Sacramento & in cælo, sed diverso modo.

Exod 33 c

Epitheta Christi.

Psal. 44. a

Cant. 1. a

Matt. 1. d

8. Ceterum longe dulcior erit in Deitatis visione, quando manifestabit seipsum residens super solium præ omnibus excelsum. Tunc satiabitur desiderium nostrum. quod Propheta desiderans aïebat: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Et alibi, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Unde pretiosior dicitur faciei visio, quam speculi frequens imaginatio. Non enim pari omnino jucunditate sumitur cortex sacramenti, & medulla frumenti, fides & species, memoria & præsentia, æternitas & tempus, speculum & vultus, imago Dei & forma servi. Hic autem ambulamus per fidem, necdum per speciem. Interim deliciari & gaudere debemus in Sacramento altaris, in cujus confectione fidelis minister invenit seipsum in medio Patris & Filii & Spiritus-sancti, adstantibus etiam ex omni latere supernis ordinibus. Sacramentum prænobile, mysterium superexcellentis gloriæ affectat & requirit plurimum festivam celebritatem tam illustrium personarum. Quicquid de ascensu sacerdotis in illa hora seu profectu cogitari potest vel dici, longe infra dignitatem veritatis est. Ibi deliciatur animus boni sacerdotis seipso altior effectus; conatur, festinat, ascendit, crescit desiderio; & quanto magis sursum tollitur, tanto amplius extenuatur, ita ut omnem terrenæ concupiscentiæ nebulam evaporans, totus spiritualis hominem in homine exuat, & in abscondito faciei Domini glorietur. Nec enim ab intuitu propitiatorii in Sancta sanctorum mens pia thurificans, & devotio sacrificans prohibetur: sed rari sunt quos ad profunditatis hujus cardines puritas admittat, quos hujusmodi culmen sanctitatis integritas rapiendo sustollat.

Psal. 26. c

Psal. 72. c

Psal. 15. c

Sacerdotis sacrificio intenti sublimis functio.

9. Videt itaque minister sanctus & sentit Deum spiritualiter, qui Pater est omnium per creationem, suum specialius Patrem esse per dignationem, quia ipse Pater est omnium pupillorum per gratiam: quibus videlicet mortuus est pater nequam, id est mundus, & mortua est mater pessima, id est carnalis concupiscentia. Beatus qui dicere

A audet, qui dicere potest: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Videt quoque & sentit Filium Dei fratrem suum amantissimum esse, qui parvulus pro nobis factus, frater revera est parvulorum, id est humilium. *Narrabo*, inquit, *nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te.* Videt & sentit Spiritum sanctum à Patre & Filio procedentem, domesticum sibi esse, fautorem & defensorem suum, quia ipse consolator est vere pœnitentium, advocatus in se sperantium. Videt iterum & sentit angelicos spiritus profectibus suis applaudentes, & ut concivis ipsorum adscribi mereatur, ardentius inhiantes. Ista Ecclesia promptuarium quidem est eorum, qui in cælis conscripti sunt. Huic Ec-

Psal. 2[illegible]

B clesiæ illa quæ suspensis organis ad Deum suspirat adhuc super flumina Babylonis, originali cognatione conjungitur, & naturali affinitate, moribus & votis unitur. Ab eo utique ministro qui hujusmodi est, vitulus saginatus, integer ac perfectus, agnus anniculus, plenus & immaculatus cum omni suavitate, dulcissimo sapore, gratissima jucunditate percipitur, & sumptus non consumitur. Cibus enim vitæ est, qui de cælo descendit.

10. Potesne æstimare quale vel quantum est hoc Sanctum sanctorum, & Sacramentum sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Hæc sunt vere festa paschalia, hæc sunt gaudia & fercula vitalia justorum, hæc sunt spirituales deliciæ justorum & sanctorum.

C Hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cælestis. Hæc efficitur una caro sponsa cum sponso, unus spiritus sancta anima cum Christo. Experientia horum & similium, spiritus & vita est: nec animalis homo horum sensu fruitur vel accessu. Amici sponsi, id est, boni Episcopi, boni Abbates, & ceteri timorati & religiosi viri, gustaverunt & plenissime sunt experti, quod nos dicimus. Ideoque ad mensam altaris frequentius accedunt, omni tempore candida facientes vestimenta, id est corpora, prout possunt melius, utpote Deum suum manu & ore contrectaturi, & colloquentem sibi ipsis audituri. Ibi enim celebratur familiare colloquium inter Deum & Moïsen amicum suum, id est bonum & fidelem

D ministrum.

11. Ceterum sermo ille non est sonans, sed penetrans: non loquax, sed efficax: non obstrepens auribus, sed blandiens affectibus: sermo ille non popularis, sed singularis & privatus. Non sonat in foro, non auditur in publico. Secretum consilium secretum quærit amicum: auditui proculdubio gaudium dabit & lætitiam, si sobria cordis aure percipitur. *Audi*, inquit Dominus, *Israël, & tace.* Respondit fidelis amicus & fidelis servus piæ familiaritatis ausu, non tamen vocali plausu, sed suavi planctu, dicens cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Et cum Propheta: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Certe ibi loquitur Christus cum ministro

Secrete ter Dei sacerdo colloqu[illegible]

1. Reg. [illegible]

Psal. 8[illegible]

E suo: Pensa, inquit, jugiter, repone fideliter, amplectere suaviter quod vides, quod agis, quod tenes. Amplectere, inquam, piæ recordationis affectu, & piæ imitationis effectu, sciens quoniam talia oportet te præparare. Apparatus mensæ istius, non hominis est, sed fidei: non facinoris, sed mysterii: non temporalis alimenti, sed æterni. Qui sum auctor muneris, ipse sum testis veritatis. *Altare* cui assistis, quam pro te sustinui repræsentat crucem; & *calix* sepulcrum in quo mortuus quievi: *patena* lapidem superpositum: *corporale* sudarium: *substratoria* corporalis, linteanima quibus involutus fui. *Hostia* quam vides, jam non est panis, sed caro mea, quæ pependit in cruce pro mundi vita. Sane mutatio ista benedictionis opus est, non

Apparat[illegible] mensæ d[illegible] minicæ quid sig[illegible] cet,

F originis. Virtus hoc facit, non usus: effectus est potentiæ, non usus naturæ: dignatio est, non ratio. Misericordia est, non miseria. Non commune, sed solum; divinum est, non humanum; pietatis sacramentum, non Deitatis detrimentum. Hic pereat physicale nutrimentum. Cibus iste non est ventris, sed mentis. Non est enim datus ad ruinas hujus vitæ, quæ vapor est ad modicum parens, sed ad æternam vitam animæ conferendam. Iste est panis Angelorum, qui nescit putrescere: non vadit in secessum, sed tendit in excelsum. Illuc reducit hominem unde traxit imaginem. *Caro* autem *mea vere est cibus.* Similiter liquor

Eucharist. excellen[illegible] & fides.

Johann. 6.

iste

iste quem vides, jam non est vinum, sed sanguis meus, quem pro te fudi in pretium, tibi reservans in altari poculum, in peregrinatione tua præsidium, in exitu de Ægypto conductum, in cælo viaticum. Ego botrus carnis, pro salute tua portatus sum ad torcular crucis: inde eliquatum est mustum tuæ redemptionis. *Sanguis* autem *meus vere est potus.*

non ra- hoc sa- ntum gan- 12. Mira sunt, Fratres, quæ de Sacramento isto dicuntur. Fides est necessaria: scientia rationis supervacua. Scientia ratione & intellectu colligitur: fides sola auctoritate inducitur. Augustinus contra Felicianum: Hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare. Hæc sunt, fratres, quæ fidem necessario exigunt, rationem omnino non admittunt. Expetunt simplicem creditorem, arguunt impium discussorem. Et ideo credi oportet simpliciter, quod investigari non potest utiliter. Hic est ille torrens, quem transvadare non potuit Elisæus. Nolite itaque, nolite quærere quomodo fiat: nolite dubitare, utrum fiat. Nolite irreverenter accedere, ne vobis ad mortem fiat. Deus enim est; & quamquam panis mysteria habet, mutatur tamen in carnem. Deus & homo est, qui testatur panem veraciter fieri carnem suam. Vas electionis est, qui minatur judicium non dijudicanti tam sanctam carnem. Idipsum, ô Christiane, de vino sentias, id honores in vino. Creator vini est, qui vinum provehit in sanguinem Christi: Doctor Gentium est, cujus assertione mortem bibit bibens indigne sanguinem Christi.

17. d mixtio ... 13. Et sciendum, quod aqua mixta cum vino notat unionem membrorum cum capite suo. Aquæ enim multæ, populi multi. Tres autem portiones, quæ in altari fiunt de corpore Christi, mysticam significationem habent. Est enim corpus Christi universa Ecclesia, caput scilicet cum membris: & inveniuntur in corpore isto quasi tres partes, ex quibus totum corpus constat. Una pars ipsum caput. Caput enim & caput est, & pars corporis similiter. Itaque caput ipsum, pars corporis una est. Caput, inquam, quod jam immortale & impassibile resurrexit, non moriturum neque passurum amplius. Altera pars corporis est in membris illis, quæ jam cum capite suo quasi in sabbato quiescunt in anima: immortalitatis unam stolam possidentes quantum ad animas in cælo. De talibus dicitur *: *Gaudent in cælis animæ Sanctorum.* Sunt igitur duæ partes istæ simul, caput scilicet, id est Christus: & altera pars corporis, id est boni defuncti, quorum corpora requiescunt in sepulcris, & animæ cum Christo sunt. Propterea in altari duæ partes reservantur extra calicem, quasi extra passionem: quia beati jam nullum sentiunt dolorem, quoniam hæc priora transierunt. Tertia portio, quam in sanguinem ponimus, illam partem Ecclesiæ significat, quæ calicem Domini bibit, id est Christi passionem imitatur. Cui in Apostolis à Domino dictum est: *In me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis.*

species ... rema- 14. Odor, species, sapor, pondus remanent ad mysterii ritum, & ad gustus suffragium, ut horror penitus tollatur, & meritum fortiatur. Etenim ne humana infirmitas esum carnis & potum sanguinis in sumptione horreret, Christus velari & palliari illa duo voluit speciebus panis & vini, quæ inter humani generis victualia quodammodo tenent principatum. Nam ad litteram quidem præ cibis omnibus cor hominis confirmat panis, & vinum lætificat. Sic itaque corpus & sanguinem suum sumenda proposuit, ut sensus in uno foveretur, in altero fides ædificaretur. Fovetur enim sensus in uno, dum solita tantum & consueta prospicit: ædificatur fides in altero, dum oculo carnis vidente aliud exterius, oculus cordis aliud sentit & reveretur interius. Aliud enim latet, aliud patet. *Posuit* enim *tenebras latibulum suum.* Quemadmodum enim species illic videntur, quorum res vel substantiæ ibi esse non creduntur; sic res veraciter & substantialiter creditur, cujus species non cernitur. Videtur enim species panis & vini; & substantia panis & vini non creditur. Creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi; & tamen species non cernitur. Proponitur igitur species panis & vini, ut doceatur plena & perfecta esse refectio in sumptione corporis & sanguinis Christi, plena refectio cibi & potus. Cibi autem & potus substantiæ principales sunt panis & vinum.

15. Cum autem unum sit sacramentum, tria ibi discreta proponuntur, scilicet species visibilis, veritas corporis, & virtus gratiæ spiritualis. Aliud est species visibilis, quæ visibiliter cernitur: aliud veritas corporis, quæ sub visibili specie invisibiliter creditur: atque aliud gratia spiritualis, quæ cum corpore & sanguine visibiliter & spiritualiter percipitur à solis digne communicantibus. Tria quippe in sacramento altaris attendere debes: speciem panis, veritatem carnis, virtutem gratiæ spiritualis. Usque ad speciem panis sensus pertingit exterior: ad veritatem carnis fides interior: ad virtutem gratiæ spiritualis caritas superior. Speciem panis rodit aliquando sorex parvissimus: Christianus * recipit etiam pessimus: virtutem gratiæ spiritualis nonnisi prædestinatus recipit. Quod itaque videmus, species est panis & vini. Quod autem sub specie illa credimus, verum corpus est & verus Christi sanguis, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Comestio itaque sacramentalis, quantum ad visibilem speciem, & quantum ad corporis Christi veritatem, convenit bonis & malis communiter. Sed est alia comestio, sicut jam diximus, bonorum solummodo, quæ per Dei gratiam, & per fidem ex dilectione operantem vitæ meritum efficit, & affectus mentium in cordibus percipientium vel ministrantium, intercedente spirituali & subtiliori quadam unione capitis & membrorum. Unde est illud: * *Ut nobis fiat corpus & sanguis Filii tui.* Nobis, inquit, fiat. Fit enim proculdubio corpus Domini in mensa altaris semper, cum sollemne illud celebratur mysterium ritu debito: sed non semper eis fit, per quos fit. Unde illud item in Canone: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacramentum Filii tui sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur.* Non enim omnes qui corpus Domini sumunt ex participatione altaris, spiritualiter illa benedictione cælesti & gratia replentur. Unde est illud: *Ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur.* Item, *ut quæ visibilibus mysteriis sumenda percepimus, invisibili consequamur effectu.* Et multa in hunc modum.

Inven. Sacramento tria notanda.

* supple. veritatem.

* Ex Canone Missæ.

Ibid.

In Orat. commun.

16. Hoc itaque Sacramentum ab æterno repositum, diabolo celatum, Prophetis revelatum, sollicitudini vestræ creditum, debita est gratiarum actione prosequendum. O sacrum, ô cæleste ministerium vestrum, laudabile desiderium, insigne spectaculum, sollemne miraculum! Deus qui mirabilis est in omnibus, seipso certe mirabilior quantum ad vos ostenditur, dum mirabiliora per vos operatur. Quid plura? Sacerdotes Dei benedicite Domino, digna Deo satagentes, ne vobis fiat in ruinam, quod digne sumentibus provisum est ad medelam. Sacerdotes Dei non immerito vos dixerim, si vixeritis sacerdotaliter in domo Domini. Non enim provenit dignitas in hoc nomine, quod est sacerdos. Non, inquam, ex nomine, sed ex virtute; conversatione, non officio; merito, non vocabulo; sanctitate, non ministerio. Unde Scriptura dicit: Sacerdotales viros quærimus, qui plures habemus sacerdotes. Plures, inquam, numero, non merito; simulatione, non fide; specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis unitate. Sunt enim lotis manibus, tamen illotis operibus: cruenta conscientia ad divina accedunt sacrificia: comedunt sine timore & sine reverentia carnes Agni, qui præsidet in cælo, sicut carnes quæ venduntur in foro. Non sicut Sacerdotes assistunt in altario, sed sicut carnifices in macello. Grave igitur pondus, grave est periculum istius honoris. Gradus quippe iste gradus casualis est, gradus judicialis est, nisi meritis illustretur dignitas unctionis, nobilitate morum, exercitatione virtutum, & instantia bonorum operum. Fodite igitur, carissimi, domesticos parietes, id est ponite corda vestra super vias vestras. Satagite, quantum potestis, redimere cito in quibus offendistis. Dies enim Domini sicut fur ita veniet. Sicut enim nihil certius morte, ita hora mortis nihil incertius. quod ut dignum est, pensate; & ad pensandum circumspectius invigilate. Deo quidem erit

Pauci Sacerdotes ex merito.

Sacerdotalis ordinis grave pondus & periculum.

1. Thess. 5. a

3. Reg. 17. a citet ventrem, stomacho blandiretur. Elias comedit carnes, & si quid aliud apponebatur, cum gratiarum actione percepit: nec aliquem legimus ex illa veteri officina ad legis hujus adspirasse fastigium. Vestis aspera, cibus tenuis, mens devota, profecto perfectum consecrant Patriarcham.

6 Privilegium. 7. Sextus honor est Novitas in prædicatione. Hic volo ut intendat caritas vestra, quia paulo subtilius ordiendum materiæ præcipit magnitudo. Post peccatum Adæ, ac illius diluvii vastationem sollemnem, electa est justorum infinita prope pluralitas, cum quibus Deus facie ad faciem locutus fuisse dignoscitur. Transfertur Enoch, eligitur Noë, vocatur Abraham, Isaac diligitur, Jacob Deum facie ad faciem contemplatur, Joseph salvator mundi vocatur: nec tamen in sermone Dei ad illos, vel illorum ad homines, fit aliqua mentio de regni cælestis perpetua mansione. Moïses assumitur in ducem populo Judæorum, Pharaoni in Deum constituitur: facit Deus per ipsum in Ægypto magnalia, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Ascendit Moïses in caliginem, in qua erat Deus, & datur ei in monte multiplex præceptorum auctoritas: loquitur cum Deo, quasi homo ad vicinum suum: non est occultatum à Moïse, quod fecit Deus in occulto; & gloriosum nomen Adonai (quod omnibus fuerat obvelatum) ei revelatur: sed in his omnibus regni cælorum memoria, nec nominatur, nec auditur. Adstat Aaron summus sacerdos potentis virgæ gestarius, unctus & delibutus cælestium sacrariorum unctione: succedit Josue, & omnis illa Judicum multitudo, nec est vel ulla tenuis mentio regni cælestis. Invenit Dominus David virum sanctum secundum cor suum, Salomonem filium ejus sapientia cumulat singulari, & omnem illum prophetalem chorum Spiritus-sanctus ordinat & infundit: & nihil de cælestis regni gloria prophetatur. Claudit Elias cælum annis tribus, & mensibus sex. Elisæus etiam mortuus mortuum vitæ restituit, & ab his nec vel ulla scintilla beatæ mansionis elucet. Quid plura? A principio mundi usque ad Johannem universitatis humanæ electionem recollige, nec in sermone vel opere illius sanctuarii poteris reperire dulcedinem.

3. Reg 17. a
4. Reg. 13

S Johannes Baptista primus præco regni cælorum. Mat. 3. a 8. Veni ergo ad Johannem, & audi vocem exsultationis, vocem novitatis, vocem lætitiæ, verbum misericordiæ, sermonem gloriæ, largitatem gratiæ, quod celaverat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetæ nescierant. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Verbum pœnitentiæ dulce & gloriosum, verbum regni cælorum lætum & adorandum, illi soli primo conveniens, qui primus novi Testamenti fundamenta posuit. Hæc est vox, de qua maximus ille contemplator cælestium visionum in hæc verba prosequitur: Apoc. 14. a *Et vox prima quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* A diebus Adæ usque Johannem, organum nostrum versum est in vocem flentium: quia peccatorum frequentia, nec pœnitentiæ locus, duplex erat deplorandi materia. Occidis? occidi juberis. Sabbato ligna colligis? lapidari juberis: & ille cui proprium est misereri semper & parcere, nisi ferire non novit. Dederat quippe eis *præcepta non bona* præceptorum dator, & Ezech. 20. a justificationes in quibus vivere non possent. Hoc est quod Psal. 88. g justus miratur, dicens: *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine?* Johannes natus ostendit medicamentum vulneri, peccato pœnitentiam, iniquitati veniam. Hæc est prima vox, quam vox clamantis in deserto proposuit, & vox turturis audita est in terra nostra. Cant. 2. c Extunc misit in os nostrum canticum novum, carmen Deo nostro, & resonat in ore nostro gratiarum actio, & vox laudis. Superexaltat misericordia judicium, peccatoribus parcitur, regnat pietas, justitia dissimulatur, & miserendi non feriendi quærit occasionem misericors & miserator Dominus. Citharizant ergo in citharis suis, qui voluptatis effluxionem pœnitentiæ restrictione reverberant, & de profunda peccatorum voragine respirantes, Pharaone submerso, cantant in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

7. Privilegium 9. Septimus honor est Dignitas in baptismate. Singularis prorsus humilitas! Psal. 65. a *Verbum caro factum est*, & in perfectum virum egrediens, relicta hominum universitate

A Johannem quærit, Johannem desiderat, ad Johannem venit Hebr. 1 terribilis in consiliis Deus super filios hominum: portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, venit à Galilæa in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo. Stupet Johannes, & timore concutitur, ac Patriarcham infinitus horror insiluit. Mat. 3 Humilitas Christi baptism. *Ego*, inquit, *à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Dicit ei Salvator: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Acquiescunt utrique salutaribus monitis; & accingit se Johannes ad baptizandum, ad suscipiendum Dominum, Regem Angelorum. Exuitur vestimentis suis Rex gloriæ, splendor luminis, & figura substantiæ Dei. Johannis manibus attrectatur caro illa sumpta de Virgine, candidiorique B derivata materia nudatur in flumine, felicis Baptistæ manibus infundenda. Descendunt Angeli, & cælorum agmina tota reverentia currunt ad Creatorem. Baptizantem & baptizatum numina dominantia circumcingunt. Infundit aquam capiti Creatoris creatura nobilior, & Dei verticem mortalis dextera contrectat & contingit. Pavet cælum, stupet terra, Jordanis arridet, mirantur Angeli Dominum Sabaoth inter manus baptizantis concludi. Quid est Johannes? Quem Cherubim & Seraphim vix audent aspicere, tu nudum tenere præsumis? Hic est in quem Angeli desiderant prospicere, cui *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, sublimi melodiarum organo beatæ civitatis conventus ingeminant: qui solus inhabitat lucem inaccessi- C bilem, Dominus virtutum, Deus scientiarum, misericordiarum Pater; & tu non metuis? Tibi datum est quod omnibus negatum est, baptizare eum qui baptizat omnes in Spiritu-sancto & igne, virginemque Virginis Filium virgineis manibus irrigare *. Totus obstupeo, ba- *al. attc ptizantem, hominemque Deum revereor, magistrum dignantem admiror, vereor dignationem, & hominem video violentiam ipsis cælis inferre. Porro illud quale est, quod in isto baptismate terminatur lex, finem accipit prophetia, & omnis illa sacrificiorum multitudo propulsatur & pellitur? Hic incipit & stabilitur novæ regenerationis purgatio perduranda, & in unam baptismatis formam legalium transeunt dispendia figurarum. Ad ablutionem D enim aquæ, & innovationem spiritus, sepelitur hircorum & vitulorum sanguinolenta congeries, & peccatoribus id Judæis relinquimus, illud Davidicum attendentes: Psal. 39 *Holocaustum & pro peccato non postulasti.*

8. Privilegium. 10. Octavus honor est Prima revelatio de Trinitate. A creatione cæli & terræ usque ad hunc locum numquam Trinitas manifeste hominibus apparuit, sed rerum ac vocum involucris involuta fuit tantæ claritatis æternitas. Denique creationem hominis Creator rerum summa dignitate commendans: Gen. 1. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Reverendum revera privilegium, nec ulli traditum creaturæ! Creatur illa sublimior numerositas Angelorum, & elementorum omnium E ordinatur variata connexio: sed Omnipotentis præsentia tantum opus taciturnitate alta prospectat. Ut vero venitur ad hominem, & nobilis creatura creari disponitur; accingit se Trinitas ad creandum, & consilium accipit Sapientia, ut creaturæ dignitas Creatoris privilegio clara esse monstretur. [Nec ibi tamen satis aperte divinæ majestatis illuxere vocabula, cum ad Angelos obsequentes Hæc desiderantur in PP. Cist. quidam referant dominici sermonis oraculum. Vel si minus hoc cautum est, signa pluralitatis absque nominum differentia prædicantur *.] Abraham tres vidit, & unum * al. sig pluralita &c. prædicantur. adoravit: sed ibi Scripturæ sacræ reverentia nunc mixtim, nunc separatim claudit eloquium, ut modo *Dominum*, modo *viros* placeat appellare. Gen. 18. [Judæi tamen hic F magnam texunt reprehensionis parabolam, tres Angelos à Domino missos asserentes: unum ad nativitatem Isaac prædicendam, duos ad subvertendum Sodomam delegatos: illum vero, cum quo justus loquitur, dicens, *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis*, prophetali spiritu cognovisse somniant, nativitatis Isaac venisse præconem. Illum adorat Abraham, sicut Bersabee David regem, sociisque ejus propter ipsius reverentiam indefessus assistit. Unde & nonnisi duo in subversione civitatum infidelium numerantur, illo superiori jam reverso, qui nativitatem Isaac fideli devotione compleverat.

Tres enim viri Saram vocari præcipiunt, sed unus est, qui promissionis insperatæ manifestat arcanum. Hæc Judæi, & qui magis elegerunt judaizare quàm credere. ] Sed ut breviter concludamus, omnis illa Patriarcharum sive Prophetarum societas, nullam vel in sermonibus, vel in rebus de Patre & Filio & Spiritu-sancto aperte legitur fecisse mentionem. Veni ergo, & intuere filium Zachariæ, Deum & hominem propriis manibus contingentem; & vide, quia cæli aperiuntur ibi, & descendit Spiritus-sanctus corporali specie sicut columba in Christum, & vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus.* Vides quia ad sacratissimorum nominum novitatem cælorum palatia reserantur. Pater auditur in voce: Filius baptizatur in flumine: Spiritus-sanctus demonstratur in columbæ specie. Adest Johannes totius medius Trinitatis, gloriosumque Baptistam signant induisse substantiæ aperta vocabula: nomenque Trinitatis prioribus sæculis obvelatum, absque totius velaminis obumbratione relucet. Domine, quis est iste, quia innotuisti ei?

11. Nonus honor est Testimonium veritatis. Audi quid de isto Veritas testetur. *Cum audisset Johannes in vinculis opera Christi, misit ad eum discipulos suos*, & responsum est eis: *Cæci vident*, & cetera quæ evangelicæ veritatis copiosa prosequitur narratio. Recedentibus autem nuntiis (ne forte in eorum præsentia adulationem redolere videretur) cœpit Jesus dicere de Johanne: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* O mira testificatio Redemptoris! Quis ingressus est mundum, & mundum vel in aliquo non cognovit? Quis est quem ventosa felicitas, vel adversitas turbida, vel cujuslibet peccati aura tenuior non inflexit? Ad extremum subinfert quod terram excedat, transeat cælum, ipsum verticem angelicæ dignitatis attingat. *Inter natos mulierum*, dicit Dominus, *non surrexit major Johanne Baptista.* Quid vis amplius? De nullo dici potuit, dicit Augustinus, quod dictum est de Johanne. Non opponas mihi Evangelistam ceteris discipulis magis dilectum, non Apostolorum Principem omnibus Apostolis antelatum; non Vas electionis ad cæli tertii secreta translatum, nec apostolicus splendor audeat occurrere Præcursori: quia jam omnes isti adolescentiæ metas excesserant, cum à Veritate prolatum est, *Inter natos*, &c. Considera mansiones regni, & universum ordinem humanæ generationis circumvola, solumque Johannem tam veteris, quàm novi Testamenti Patribus videbis esse præpositum vel æquatum: tamen super omnia benedictus Deus.

12. Decimus honor est Assertio matris Ecclesiæ. Texitur ora chlamydis, unguentumque profusum in capite, extremam vestimenti fimbriam inundanter infundit. Illa enim mater & magistra omnium ecclesiarum ecclesia Romana, cui dictum est; *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*; in honorem Johannis Baptistæ post Salvatoris nomen consecrata est & signata. Dignum namque erat, ut sententiam sponsi sponsæ sequeretur auctoritas, & singularem amicum ejus illuc proveheret, ubi principatum ipsa conscendit. Electio proculdubio hæc singularis est, in illa ipsa urbe Johannem vindicare primatum Ecclesiæ, quam duo cæli luminaria morte clarissima consecrarunt. Crucifigitur Petrus, gladiatur Paulus, & dignitas remanet Præcursori. Purpuratur Roma multitudine Martyrum, totaque sublimitas beato refunditur Patriarchæ. Johannes ubique major, in omnibus singularis, mirabilis super omnes. Quis sic gloriose annuntiatus est? Quis ita specialiter in utero matris Spiritu-sancto legitur fuisse repletus? Quem legistis intra matris uterum exsultasse? Cujus nativitatem vidistis celebrari in Ecclesia Dei? Quis sic eremum concupivit? Quis ita sublimiter legitur conversatus? Quis pœnitentiam & regnum cælorum primus ostendit? Quis baptizavit Regem gloriæ? Cui se primum Trinitas revelavit? Cui testimonium tale perhibuit Veritas? Quem sic honoravit Ecclesia? Vide si non omnia hæc ita singulariter sint singularia, ut nullus mortalium prædictis audeat inhiare. Forsitan mihi disponis opponere, quod sic iste habet propria, ut & ceterorum Sanctorum communia non attingat. Audi ergo. Johannes Patriarcha, immo Patriarcharum finis & caput. Johannes Propheta, immo plusquam Propheta; quia quem venientem nuntiavit, digito demonstravit. Johannes Angelus, sed inter Angelos electus est, Salvatore attestante, qui dicit: *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* Johannes Apostolus, sed & Apostolorum primus & princeps, qui primus fuit homo missus à Deo. Johannes Evangelista, sed & Evangelii primus incisor, prædicans Evangelium regni. Johannes virgo, immo virginitatis insigne speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum. Johannes martyr, sed martyrum lumen, inter nativitatem mortemque Christi constantissimi forma martyrii. Prætereo, quia vox clamantis in deserto: quia præco Verbi, quia Judicis Præcursor. Illud quoque relinquo, quia usque ad Johannem lex & Prophetæ, quod Johannes ipse est Elias, quod lucerna sit ardens & lucens; quod amicus sit sponsi, sponsæ præparator. Silentio transeo, quod sic novem ordinibus Angelorum insertus est, ut etiam ad Seraphim apicem transferatur. Verum hoc adeo laboriosi operis est, ut sensus nostri paupertas non sufficiat. Sufficiant hæc ad præsens quæ de Johannis laude dicta sunt ad gloriam Redemptoris, qui est benedictus in sæcula, Amen.

Luc. 22 d

Lateranensis ecclesia prælata etiam Vaticanæ.

Anacephalæosis privilegiorum & prærogativarum ejus.

Johan 1. a Matth. ,. a

# IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, SERMO.

*Hic Sermo, antehac quintus inter Bernardi Sermones de Assumptione Deiparæ Virginis, in hunc locum rejiciendus visus est: utpote qui in mss. non exstat inter genuinos sancti Patris Sermones, sic vero in editione Lugdunensi anni 1514. in qua tamen inter nothos denuo repetitur. Tertium Bernardi de Ecclesiæ dedicatione Sermonem fere imitatur.*

In Evangelium Lucæ, *Intravit Jesus in quoddam castellum &c.*

1. Quod Dominus ac Salvator noster semel & in uno loco visibiliter tunc temporis dignatus est operari; hoc etiam nunc ubique terrarum in cordibus electorum operatur quotidie invisibiliter. Ecce enim Evangelio loquente audivimus, quod *in quoddam castellum intravit Jesus, & mulier quædam Martha nomine excepit illum:* & reliqua. Quod est autem hoc castellum, nisi cor humanum, quod priusquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, muroque obstinationis clauditur, atque in interiori latitudine sua, Babylonica turre erigitur? Tria certe in omni oppido sunt maxime necessaria: Victualia quibus sustententur, Munitio qua protegantur, Arma quibus hostibus resistant. Sic ergo & hujus castelli incolæ victum habent, voluptatem corporis, & sæculi vanitatem, quibus pascuntur. Habent & qua teguntur, proprii cordis duritiam; ut verbi Dei sagittis potentibus vix, aut numquam penetrari valeant. Accincti sunt armis, carnalis scilicet sapientiæ argumentis, quibus contra hostes repugnant. Unde scriptum est: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Luc. 16. 8.

2. At vero Christo visitante & intrante, castellum hoc evertitur, & pro eo novum aliud pulcrum ac spirituale construitur, impleturque quod dicitur: *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt: & ecce facta sunt omnia nova.* Sublata quippe cupiditate, expanditur ingens sinus desiderii; ut ad ejus adventum multo magis

2. Cor. 5. 17. Eversio castelli veteris & erectio novi per Christum.

anhelet mens ad cælestia, quàm prius terrenis incubuerat. Jam ponitur murus *continentiæ*, antemurale *patientiæ*. Surgit autem hoc opus à fundamento *Fidei*, & crescit per *dilectionem proximi* usque ad *caritatem Dei*, quæ est in superiori tabulatu, & in propugnaculis ejusdem muri: quia nimirum tunc perfecta est virtus continentiæ, quando in unitate fidei cum proximis communiter viventes, non supplicii metu, vel humanæ laudis appetitu, sed solo divini amoris obtentu à peccatis nos continemus. Vel certe ideo caritas Dei, qua scilicet nos diligit, super murum esse videtur, ut pro continenti suo pugnare significetur: & quia continentia crebris validisque tentatoris ictibus resistere non possit, nisi ejus gratia protegatur. Idcirco enim antemurale patientiæ ponitur, ne ad impugnandam continentiam facilis diabolo pateat accessus. Qui ergo protegente patientia continenter vivunt, ipsi bene cum Apostolo protestantur & dicunt: *Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Vides quàm solidus sit continentium murus, quos *neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua potest separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu.*

Murus continentiæ. Antemurale patientiæ.

Rom. 8. 35.

3. Sed jam pulsemus ad ejus portas, portas scilicet justitiæ; ut aperiantur nobis, ingressique per eas videamus intus magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Ibi enim operante ipso construitur, tamquam in monte Sion, evangelica illa turris, per quam humiliato corde ascendunt in cælum Sancti de convalle plorationis. Ascendunt, inquam, non virtute sua, sed auxilio & gratia Dei, sicut ait Spiritus-sanctus per Prophetam David: *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Quæris ubi? *In convalle plorationis*, hoc est in humilitate vitæ præsentis. Et eamdem ipsam gratiam replicat, dicens: *Etenim benedictionem dabit legislator.* Quo autem pertingat ascensus, vel ad quem fructum perducat ascendentes ipsa gratia, protinus subjungit: *Ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Hæc est merces, & hic est finis & fructus nostri laboris, visio scilicet Dei. Quis non hunc tantum fructum rebus omnibus visibilibus & invisibilibus incomparabiliter præferat? Quis est, cujus vel gelidum pectus hoc desiderium non accendat? Hæc est enim illa gratia, quam nobis commendat beatus Johannes Evangelista, dicens: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

Psal. 83. 6.

Ibidem.

Johan. 1. 16.

4. Ex quibus scilicet verbis innuitur, quod triplicem gratiam divinitus accepimus: unam qua convertimur: aliam qua in tentationibus adjuvamur: tertiam qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur: secunda provehit, qua justificamur: tertia consummat, qua glorificamur. Et prima quidem beneplacitum est: secunda meritum: tertia præmium. De prima dictum est, *& de plenitudine ejus omnes accepimus.* De duabus reliquis dictum est, *& gratiam pro gratia*, id est, munera gloriæ æternæ pro merito temporalis militiæ. Sit ergo prima gratia in muro continentiæ, ad quam vocamur: sit secunda in ascensu turris, quam ascendimus: sit tertia in ejus culmine, quo pervenimus. Hic itaque, id est in hoc culmine, cum ad illud perveniunt qui bene proficiunt, fiunt jam locus & sedes Domino, de qualibus scriptum est: *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini: quia illic sederunt sedes in judicio.* Et quidem dum adhuc erant in muro continentiæ, & in acie stabant, impugnari poterant, & primo tamquam adjutor notus erat in Judæa Deus: cum vero jam in ista statione consistunt, ubi Dominum speculantur, in Israël magnum nomen ejus, & factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, & gladium, & bellum: quia ibi nullus motus carnis resistit, sed omnimodis subjecta est spiritui. Hunc locum ardenter desiderabat Propheta, cum diceret: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino.* Huc etiam volare cupiens, *Quis*, inquit, *dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

Triplicem gratiam divinitus accepimus.

Psal. 121. 4.

Psal. 131. 4.

5. Jam vero si quæratur de castelli hujus habitatoribus, quis cibus ad sustentandum, quod munimen ad protegendum, quæve arma suppetant ad repugnandum; possumus satis rationabiliter respondere, quod quemadmodum carnalibus carnis opera fuerunt victus, ita his multo melior cibus sit fructus spiritus. Cibus etiam eorum est ut faciant voluntatem Patris omnipotentis. Cibus eorum est verbum Dei, quo pascuntur omnes Sancti, tam homines, quàm Angeli. Unde scriptum est: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Munimentum eorum est, sicut dictum est, murus *continentiæ*, & antemurale *patientiæ*. Habent contra hostes *arma*, quæ describit Apostolus, *loricam justitiæ, scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Nec quemquam moveat, quod idem verbum dixerim esse & cibum & gladium: quasi impossibile vel absurdum sit. In rebus quidem materialibus aliud hoc, aliud est illud: & alibi quæritur hoc, alibi illud. In rebus vero spiritualibus non aliud hoc est, quàm illud: nec alibi quæritur hoc, alibi illud, sed omnia sunt nobis in Deo, & est Deus omnia in omnibus. Ecce enim in natura rerum quid tam diversum, quàm panis & lapis? & tamen si ad intellectum mysticum referas, utrumque idem significat. Nam idem Christus est dictus & panis, & lapis: panis scilicet vivus, & lapis quem reprobaverunt ædificantes. Utrumque quidem est per significationem, licet neutrum sit per proprietatem.

Qui inc. cast. tua. hon pior

Deu. & A

Eph.

Joha. Act.

6. Sed jam revertamur ad propositum. Intrante Jesu in hoc castellum, duæ sorores Martha & Maria, id est, Operatio & Intellectus, excipiunt illum. Excipiunt dixerim, an excipiuntur? Sed sive hoc, sive illud dicatur, utrumque prodest illis, non Jesu. Et Jesus quidem cum ad illas venit, duo confert eis congruentia singulis: *Virtutem & Sapientiam*; Virtutem operationi, sapientiam intellectui. Unde etiam ab Apostolo prædicatur Dei virtus, & Dei sapientia. Sed quid est, quod intrantem eum Martha excipit, discurrit, ministrat: Maria vero secus pedes sedens ingressi, in ejus verbum cor suspendit, nisi quod prius est Actio, postea vero Contemplatio? Quisquis enim ad intelligentiam pervenire desiderat, profecto necesse est ut prius per opera bona sese diligenter exerceat, sicut scriptum est: *Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam; & Deus præbebit illam tibi.* Et alibi. *A mandatis tuis intellexi.* &, *fide purgans corda eorum.* Qua fide? Fide per dilectionem operante. Habet Martha, dum agit, formam bene operantis: Maria vero speciem exprimit contemplationis, dum sedet, dum tacet, dum interpellata non respondet: sed tantum in Dei verbum toto mentis studio intendit, ac solam quam diligit gratiam divinæ cognitionis, cetera respuens, medullitus haurit: forisque velut insensibilis redditur, dum intus ad contemplanda Domini sui gaudia felicissima rapitur. Sine dubio talis est illa, quæ in Canticis loquitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

1. Co.

Eccli. Psal. Act.

Cant. 5

7. Duobus autem modis Martha excipit Dominum, & duplex ei convivium parat, quia duobus modis excluserat eum. Duo quippe sunt in operatione, quæ nobis Deum auferunt, flagitia scilicet & facinora. Flagitia dicimus scilicet quæ in nobis, facinora quæ in proximos peccando committimus. Item sunt duo quæ Deum reddunt, continentia & benevolentia: ut scilicet ex contrariis contraria curentur. Hinc enim scriptum est: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete ea servire justitiæ in sanctificationem.* Dum ergo parandis talibus epulis occupatur Martha, multum satagens pro parte sua; vult etiam Mariam, id est intellectum, & omnia interiora sua actioni insistere, operique suo perficiendo operam dare. Itaque conqueritur de sorore quod ab ea non adjuvetur, non tamen ad ipsam, sed potius ad Dominum querelam dirigens: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet.* Ubi sane advertenda est delatio quædam, & honoris obsequium

Deum nobis runt; reddu.

Rom. 6

erga Dominum: quod scilicet ipso præsente non sit ausa Martha evocare Mariam, quinimmo & apud ipsum querelam deposuerit, ipsumque Dominum vocaverit, in cujus potestate sit imperare sorori quidquid necesse fuerit. Non ergo miremur, si quempiam laborantem & bene operantem adversum fratrem vacantem murmurare videamus: quia hoc in Evangelio legimus Martham fecisse adversus Mariam. Quod autem Maria quandoque murmuraverit adversus Martham, eo quod ejus actionibus implicari vellet, nusquam omnino reperitur. Neque enim utrumque simul agere competenter sufficeret, & curis scilicet exterioribus deservire, & internis sapientiæ desideriis vacare. De ipsa quippe sapientia scriptum est: *Et qui minoratur actu, percipiet illam.* Propterea Maria sedet, immotaque manet, nec vult interrumpere silentii quietem, ne jucundam amittat contemplationis dulcedinem: præsertim cum intus ipsum audiat Dominum dicentem: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.*

8. Hic sane considerandum est tria esse quæ impediunt contemplationem. Equidem animæ nostræ oculus, intelligentia est. Sicut enim oculo corporis lux corporea & cetera quæque corporalia videntur: ita Deus, qui est lumen incircumscriptum, & ejus invisibilia utcumque intellectu percipiuntur. Differunt autem in hoc exterior & interior oculus, quod exteriori quidem corporea lux extrinsecus, ut videat, admovetur; interiori vero Creatoris lumen intrinsecus, ut discernat, infunditur. Utrumque vero oculum tria sunt quæ ad videndum impediunt. Primum ergo de exteriori atque visibili disserat ratio nostra, ut de rebus visibilibus ordine disputandi facilius assurgat ad intelligibilia. Potest sane fieri, ut ille sanus sit & pateat; sed quoniam lux exterior ei desit, nil videat. E contrario fit aliquando, ut præsens quidem ei lux sit; sed forte sanguine seu quolibet humore concreto turbatus, cernere minime possit. Iterum solet plerumque contingere, ut neutrum desit ei, nec lux, nec salus: sed tamen aliqua pulveris injectione lædatur, quo fit ut ejus acies retundatur. Sunt ergo tria ista quæ hunc oculum impediunt, tenebræ, humor concretus, pulvis injectus. Hæc ipsa sunt etiam, quibus interior oculus impeditur: sed alia nomina sortiuntur. Nam quod hic tenebræ, ibi peccata dicuntur. Ipsa vero peccata confluunt in memoriam, quasi in quamdam sentinam: & hic est ille humor concretus. Quod autem hic pulvis dicitur, hoc ibi cura terrenorum actuum nuncupatur. Hæc igitur tria sunt quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque à contemplatione veri luminis excludunt: tenebræ scilicet peccatorum, recordatio eorumdem peccatorum, cura terrenorum actuum. Primo illo morbo turbatum se plangebat Propheta, cum diceret: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Cum enim luce justitiæ destituimur, nil aliud quàm peccatorum, nostrorum tenebras invenimus. Item secundo se gravari sentiebat, cum dicebat: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina:* peccatorum scilicet recordatio. Tertio occupari se conqueritur, cum dicit: *Quia cinerem tamquam panem manducabam*; cinerem scilicet actionis pro pane contemplationis. Quicumque ergo mentis oculum divinæ contemplationi vult intendere, profecto necesse est, ut eum prius ab hoc triplici impedimento studeat purgare. Quod si quis facere contendat, noverit contra triplicem morbum triplex quoque fore remedium. Nam primus quidem per *confessionem*, secundus per *orationem*, tertius curatur per *quietem*. Hoc tertio, id est cura actionis, poterat ab intentione sua præpediri Maria. Ideoque ministrante Martha, sedet ipsa, manetque quieta.

9. Illa igitur conquerente, & ista tacente, audiamus quid Dominus pro Maria responderit. *Martha, Martha,* inquit, *sollicita es, & turbaris erga plurima.* Erga plurima quidem turbaris, dum & tibi continentiam, & proximis paras necessitatis impensam. Nam ut continentiam habeas, sollicita es vigilare, jejunare, corpus tuum castigare: ut ceteris præstes, instas operi, ut habeas unde tribuas necessitatem patienti. Porro erga hæc plurima turbaris, sed unum est necessarium. Nisi enim opus tuum

A in unitate feceris, Deo qui unus est, acceptum profecto non erit. Scriptum quippe est: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Hinc est quod in illa piscina *movebatur aqua, & sanabatur unus.* Hinc est quod decem leprosis mundatis, *unus regressus est cum magna voce magnificans Deum.* Cui etiam Dominus ceteris reprobatis, testimonium laudis adscribit, dicens: *Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Paulus quoque ait: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* His itaque & aliis quamplurimis scripturarum eloquiis perspicue docemur, quàm unitas probabilis sit, maxime autem ex præsenti loco, ubi Dominus ait: *Porro*
B *unum est necessarium.*

Psal. 13. 1. Johan. 5. 4. Luc. 17. 15. 1. Cor. 9. 24.

10. Sed sciendum, quod alia est unitas Sanctorum, quam ex Scripturis jam commendavimus: alia est facinorosorum, quæ nihilo minus ex eisdem Scripturis ostenditur, & improbatur. De hac enim scriptum est: *Adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus.* De hac iterum Evangelista: *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone.* Et iterum: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.* Ut quid hoc? Sicut Johannes testatur, *ut interficerent Jesum.* Quàm vero pertinax sit ista reproborum unitas, docet ipse Dominus, qui de corpore diaboli ad beatum Job loquitur, dicens: *Corpus*
C *illius quasi scuta fusilia, & compacta squamis se prementibus. Una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Talis unitas, immo vero perversitas solet esse aliquorum fratrum tepide ac remisse conversantium: quibus si quid honestatis, aut insigne cujusquam bonæ consuetudinis persuadere velis, promptiores sunt majori dispendio, ac difficultate graviori resistere, quàm facili compendio assequi velle, quod rectum esse constiterit. Perversa & exsecranda talis unitas.

Unitas quædam laudabilis, quædam damnabilis. Psal. 2. 2. Matt. 22. 15. Johan. 11. 47. Job. 41. 6.

11. Hac ergo à cordibus & sermonibus nostris exclusa, illam quæ bona est & tantum bonorum est, prosequamur. Et ipsa quidem gemina est. Alia est enim quæ justi-
D ficat, alia quæ glorificat. Illa meritum, ista præmium est. Denique de illa scriptum est: *Multitudinis credentium erat cor unum & una anima.* De hac autem: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Et quoniam in futuro magis speranda est, (res est enim futuri temporis magis quàm præsentis) eam interim omittamus, & à Deo speremus potius quàm tractemus. Illam vero quæ justificat, quæ etiam nunc potissimum necessaria est, in usum nostri operis assumamus. Ipsa est enim decus suavitatis, quam dulcedine sacra insonat Psalmista: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum.* Cujus unitatis cum descripsisset sermo propheticus pulcritudinem, ejus etiam non tacuit utilitatem: *Quoniam illic*, inquiens,
E *mandavit Dominus benedictionem & vitam:* hic scilicet benedictionem, & in futuro sæculo vitam æternam. Ipsa est, inquam, unitas, quam summa diligentia observandam tradidit Apostolus, dicens: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.*

Unitas bona duplex. Act. 4. 32. 1. Cor. 6. 17. Psal. 132. 1. Ephes. 4. 3.

12. Servatur autem hoc unitatis bonum duobus modis ab his qui curam gerunt servandi. Debet quisque perfectus unitatem habere ad seipsum, debet & ad proximum. Ad seipsum per integritatem, ad proximum per conformitatem. Omnis quippe creatura, & maxime rationalis, debet suum principium imitari. Si ergo Deus noster unus est, dicente Moyse, *Audi Israël, Dominus Deus tuus unus est*, sed & ille cum sit unus & idem atque
F in seipso perfectus, nec ullo indigens, inest ei tamen benignitas erga nos, & amor ex benevolentia in nos veniens: debemus & nos quisque sibi unus esse per integritatem virtutis, & unum cum proximis per vinculum dilectionis. Hanc imitationem, loquens de caritate, commendat nobis Apostolus Johannes, dicens: *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Sed hanc unitatem, quam quemque sibiipsi diximus habere debere, tria sunt quæ solent impedire: *nimietas, pusillanimitas, levitas.* Et nimii quidem sunt, qui putant se posse quod non possunt: & quod non acceperunt, præsumunt. Quorum speciem

Unitas bona servatur duobus modis. Deut. 6. 4. 1 Johan. 4. 17. Unitatem ad seipsum impediunt tria.

Luc. 22. 33. tenebat Petrus in passione Domini, cum diceret: *Domine, tecum paratus sum, & in carcerem & in mortem ire.* Pusillanimes contrarii sunt nimiis. Et horum quoque tenuit imaginem Petrus, cum diceret: *Exi à me, quia homo peccator sum Domine.* (Ibidem. 5. 8.) Leves sunt & inconstantes, qui circumferuntur omni vento doctrinæ: quibus quod paulo ante placuit, nunc displicet; & quod nunc eligunt, post paululum reprobant. (Remedia.) Sed quid prodest hæc vitia enumerasse, nisi etiam doceamus, quibus remediis ea possit quisque in semetipso curare? Persequamur unitatis inimicos, nec convertamur donec deficiant. Igitur contra *nimietatem* opponenda est consideratio propriæ fragilitatis. Ipsa enim est quæ odiosam præsumptionem potissimum dejicit. Contra *pusillanimitatem* habenda est divinæ fiducia potestatis, ut quod tuis viribus non posse putas, ex illius adjutorio possis, & cum Apostolo dicas: *Omnia possum in eo qui me confortat, Domino Jesu-Christo.* (Philipp. 3. 13.) Contra *levitatem* adhibenda est consultatio senioris, scilicet ne doctrinis variis & peregrinis abducaris: sed facias quod A lex divina præcipit; Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent.

13. Diximus de illa unitate, quam habet quisque ad seipsum: dicamus & de illa, quam habet ad proximum. Sed illa duobus modis habetur, dum & nos per dilectionem tendimus in alterum: & alterius quoque vicissim in nobis recipimus affectum. Et hæc etiam duobus modis impeditur, obstinatione & suspicione. (Unitas proxim duobu dis ha & toti imped) Obstinatio non permittit nos ad alterius cor ingredi, nec suspicio patitur credere nos ab aliis amari. Ita fit, ut dum nec nos alium obstinati diligimus, nec nos ab aliis diligi suspiciosi putamus: unitas, quæ cum proximis habenda est, impediatur. Verum huic duplici morbo duplex caritas medetur, (Reme) B illa scilicet quæ non sua quærit; & iterum illa quæ omnia credit. Habeat obstinatus caritatem non quærentem quæ sua sunt, & alios diligat: habeat suspiciosus caritatem omnia credentem, & ab aliis se diligi sine dubio credat.

---

# AD BEATAM VIRGINEM DEIPARAM,
## SERMO PANEGYRICUS*.

* al. Ad gloriosam V. Mariam deprecatio & laus elegantissima.

*Non est Bernardi, nec reperitur inter ejus Sermones in vetustis editis, nec in mss. nisi admodum paucis haud melioris notæ: atque ideo in hunc locum nunc primum rejectus est.*

1. MENTEM & oculos pariter cum manibus ad te, Regina mundi, attolimus, & coram tuæ celsitudinis gloria genu flectimus, cervicem inclinamus, ac plenis suspiriis ad te preces in cælum transmittimus. Tu altitudo cæli, beatos oculos tuos, quibus incomprehensibilem gloriam illam lucis æternæ cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices in hanc mundi miseriam projectos, de alto inclinare non despicias. Et ecce coram tremendo Judice peccatores assistimus, cujus manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo, Domina, tam idoneus, ut gladio Domini manum pro nobis objiciat, ut tu Dei amantissima, per quam primum in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Aperi itaque tu, Mater misericordiæ, benignissimi cordis tui januam suspiriosis precatibus filiorum Adam. Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus à facie formidinis* Dei. (* al. fortitudinis.) Ad te, Domina mea, stillant oculi nostri: te devotionis clamore valido obsecramus: ut Filii tui Domini nostri iram, quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges; ejusque gratiam, à qua ingrati excidimus, nobis tua concilient: cujus livore sanati sumus, ejus iterum medelam deposcimus; quia putruerunt & corruptæ sunt cicatrices nostræ, & non est in nobis sanitas. Attende, Domina, & vide dolores vulnerum animarum nostrarum, quia tibi revelamus causam nostram cum fiducia. Te enim inæstimabilis benignitatis feminam & venerandam matrem esse cognoscimus ex eo, quod tu mundum hunc immundum & lubricum impolluto calle transisti; & adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum sanctitate fœcundaris, ut sola solio Regis æterni immediate approximare merueris.

2. (B. V. M. erga peccatores clementia.) Tu peccatorem, quantumlibet fœtidum, non horres, non despicis; si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit; tu illum à desperationis baratro pia manu retrahis, spei medicamen adspiras: foves, nec deseris, quousque horrendo Judici miserum reconcilies. Famosum hujus tuæ benignitatis testimonium est per te restauratus gratiæ Theophilus[a], ac toti mundo despectum materno affectu amplecteris. Nec mirum, ô Domina, si tam copioso misericordiæ oleo tui cordis perfusum est solarium*, (* id est cubiculum.) cum illud inæstimabile opus misericordiæ, quod prædestinavit Deus ante sæcula in redemptionem nostram, primum in te à mundi artifice sit fabricatum. Quando enim placuit gratiæ supernæ, ut C habitaret in nobis, à quibus diu elongata fuerat: tu sola inventa es digna, ut in tua virginali aula Rex regum & Dominus dominantium, à regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. (Mirab Virgir trata.) Vere beneplacitum fuit Deo habitare in te, quando ex ipsa illibata carnis tuæ substantia, quasi de lignis Libani, architectura ineffabili, domum sibi ædificavit Dei Sapientia: suffulsit eam septem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in ea collocavit. Hi sunt septem spiritus Dei; & hæc est unica illa Salvatoris femina*, (* al. t) in qua sola quæsi- D tam in omnibus requiem invenit, atque in ejus sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Bene Spiritui-sancto in te complacuit, ô Maria, cum divinis adeo mysteriis uterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens, qui sanctissimam animam tuam totam inflammavit, seipso atque splendore divinæ majestatis implevit: tuumque uterum ineffabili modo fœcundavit: fecitque ut Deum & hominem clausa conciperes, clausa pareres, & post partum virgo permaneres.

3. Jam ergo uterum tuum, Domina, velut sacratissimum Dei vivi templum totus mundus veneratur; quia in eo salus mundi initiata est; ibi decorem indutus est Dei E Filius; ac prælectæ sponsæ suæ Ecclesiæ formosus in stola candida exsultanter occurrit, desideratum diu osculum prælegerit*, ac prædestinatas* à sæculo nuptias (* fort rexit. * al. dinata) virgo cum virgine prælibavit. Ibi ruptus est paries inimicitiarum, quem inter cælum & terram protoplastorum inobedientia construxerat. Ibi confœderata sunt terrenis cælestia, & obviaverunt sibi in osculo pacis, quando in unam eamdemque personam concurrerunt divinitas & humanitas: factumque est novum illud super terram, ut esset Deus homo, & homo Deus. Ibi magnus Elisæus in mensuram suscitandi pueri sese contraxit. Ibi antiquus dierum prælecto filio suo tunicam induit polymitam. Ibi Rebecca, futurorum præscia, magnificandi F filii manibus pelliculas hœdorum circumdedit, & colli nuda protexit. Ibi enim, cooperante gratia Spiritus-sancti, Filius à Deo Patre hereditandus in omnibus gentibus, divinæ majestatis potentiam similitudine carnis peccati cooperuit; & quasi absconditus est vultus ejus in infirmitate: unde nec reputavimus eum. Ibi * consilii providentia inescatus est hamus, (* adden videtur vini.) qui ad extrahendum serpentem antiquum in hoc mare magnum de cælo trajectus est. Inde egressa est armilla aurea, ut perforaretur maxilla Leviathan, ut evomeret mortuos non suos, quos ab origine mundi secure degluriverat.

a De Theophilo item agit Nicolaus Claravallensis in sermone de Nativitate B. Mariæ. Vide Horstii Notas.

4. Hortus

4. Hortus deliciarum nobis est sacratissimus tuus uterus, ô Maria: quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus, quàm magna multitudo dulcedinis toti orbi inde affulsit. Hortus conclusus tu es Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris numquam introivit. Tu sanctorum areola aromatum à cælesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas: inter quorum pulcherrimos trium in te miramur excellentiam. Hi sunt quorum odore suavissimo totam domum Domini reples, ô Maria, Viola humilitatis, Lilium castitatis, Rosa caritatis. Merito de Dei * areola flos ille speciosus præ filiis * paradisi electus est, super quem requievit Spiritus Domini. Et cui te assimilabimus, Mater pulcritudinis? Vere paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo qui manducaverit, vivet in æternum. Fons vitæ, qui ex ore Altissimi prodiit, de medio ventris tui exsilivit, atque in te * in quatuor capita sese dispergens * ad irrigandam faciem arentis mundi emanavit, lætificans civitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non sitiet in æternum, *& erit plu quam paradisus hic, de cujus aqua si quis biberit, sitiet iterum.* O quanta mundo contulisti, quæ tam salubris aquæ-ductus esse meruisti! O lampas luculentissima, quantos lætificasti, quando splendore Dei illustrata desideratum illud lumen, quo inventa est drachma decima, sedentibus in tenebris & umbra mortis protulisti. Te nimirum ille divini epithalamii præcentor à longe intuitus est, cum in admirationis voce ita prorupit: *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens: pulcra, ut Luna: electa, ut Sol: terribilis, ut castrorum acies ordinata?* Sicut aurora valde rutilans in mundo progressa es, ô Maria, quando veri Solis splendorem tantæ sanctitatis jubare præcucurristi, ut vere diem salutis diem propitiationis, diem quem fecit Dominus, à tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora felicis diei nuntia exstitisti: talis dies talem auroram diei decuit. Et recte quidem auroræ implesti officium. Ipse enim Sol justitiæ de te processurus ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens, in te lucis suæ radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat *, in fugam convertisti: atque ita desideratum cunctis gentibus Solem mundo invexisti.

5. Tu *pulcra ut Luna* diceris, eique non immerito compararis. Illa enim omnium astrorum sola Soli simillima, & candore venusta argenteo ceteris in cælo præmicat sideribus: tu vero * Solis imago expressissima, inter millia astrorum Deo assistentium virginali puritate in cælo gloriosa præfulges. Illa enim transfuso in se solari lumine noctem nostram illuminat: tu virtutum tibi à Deo inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicque noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas consectatus fuerit, non ambulabit in tenebris: sed lumen vitæ inveniet. Tu ergo *pulcra es ut luna:* immo & pulcrior luna; quia *tota pulcra es, & macula non est in te*, neque vicissitudinis obumbratio. Tu *electa es ut sol*, ille, inquam, Sol solis conditor. Ille enim electus est ex millibus virorum: tu electa ex millibus feminarum. Ille electus ex omnibus quæ sunt: tu electa ex omnibus quæ per illum sunt. Tu *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem armatura omni fortiore instructam contra se procedere feminam, feminam fortem & ad bella doctissimam, cujus *ensis super femur suum propter timores nocturnos?* In circuitu ejus acies validas spiritualium virtutum suo se invicem ordine tuentium; siquidem ordinatione perseverat dies; sed & innumerabilium beatorum spirituum militiam ad ministerium tanti Principis delegatam fuisse nullatenus ambigimus: utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent, ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes invaderet. Nimirum timor & tremor venerunt super eos, ita ut dicerent: Ecce plusquam Eva hæc. Castra Dei sunt hæc, fugiamus Israëlem. Tu ergo, bellatrix egregia, primo eum qui primus omnia supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. Tu & spiritum elationis Evæ vertice humilitatis compressisti: quam in te ita respexit Dominus, ut ipsius merito super omnes choros Angelorum te sublimari dignam æstimaverit *. Numquam enim super omnes Angelos glorificata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses. Tu & ardorem vetitæ concupiscentiæ virtute castitatis in tua carne virginea eatenus exstinxisti: ut is in cujus conspectu nec astra munda sunt, tantæ munditiæ carnem tuam judicaverit, ut etiam suæ divinæ puritati agglutinari non despexerit. His ergo primariis ducibus tenebrarum à te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam spiritualium nequitiarum militia in fugam conversa est.

* Sic in mss. Tu enim spiritum devotionis ea virtute humilitatis compressisti, qua omnem Angelorum altitudinem ascendere meruisti.

6. Gloriosa dicta sunt de te, Dei genitrix. Sed adhuc locus est tuæ laudationi: adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelæ, neque sermones in omni natione quæ sub cælo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. O magna, ô pia, ô multum amabilis Maria! tu nec nominari quidem potes, quin accendas; nec cogitari quin recrees affectus diligentium te: tu numquam sine dulcedine divinitus tibi insita piæ memoriæ portas ingrederis. Et nunc sequimur te, ô Domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te: adjuva imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit. Tunica Evæ parentis nostræ hæc est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & supervestivit carnem filiorum suorum, sicut diploïde, confusione sua. De manu quippe ipsius duplicis mali semen terra nostra suscepit & concepit, & peperit nobis spinas & tribulos iniquitatis in anima, calamitatis in corpore, ac per hoc mortem utrobique. O infelix hereditas! ô dira humanæ carnis infirmitas! usquequo patiemur te? Multum dorsa nostra incurvasti, quia gravis es valde, & diu te sustinuimus. Multum minuisti nos ab Angelis; equo & jumentis insipientibus coæquasti; nimis invaluisti, quæ nonnisi morte Filii Dei sanari potuisti. Nimis super nos te extulisti, quando & usque ad eum qui super omnia est, incaute ascendisti.

7. Et quis liberabit nos à corruptela hujus miserrimæ pelliculæ? Gratia Salvatoris nostri Filii tui, ô Maria, qui ut infirma nostra tolleret, sponte infirmatus est: & ut mors mortis nostræ ipse fieret, innocens pro peccatoribus mortuus est. Et quis tam idoneus, ut loquatur ad cor Domini nostri Jesu-Christi, ut tu felix Maria, quæ in secretissimis amplexibus amantissimi Filii tui recubas in meridie sempiterno, ejusque familiarissimo colloquio cum plena cordis lætitia perfrueris? Loquere Domina, quia audit Filius tuus: & quæcumque petieris impetrabis. Invoca bonum nomen ejus super nos, ut curemur à vetusta hac lepra carnis & spiritus. Exsurge * virus hoc mortiferum exinanitura, quod de pomi sui reliquiis Eva nobis propinavit, quando succi noxialis gustu ebriata est; & reliquias dimisit parvulis suis. Utinam poculum suum ebria illa totum ebibisset, non item in nos diffudisset *. Te igitur, Domina, exorante, omne jugum nostrum computrescat à facie olei divinæ misericordiæ: renovetur, ut aquilæ, juventus nostra; ut novi, nova voce, novum canticum, novis civibus aggregati, illic ubi nova sunt omnia, jubilum sempiternum celebrantes in cymbalis jubilationis concinamus. Tollatur crassa nebula ab oculis nostris, ut revelata facie gloriam Domini speculantes, in immensum illud pelagus divini luminis absorbeamur à Domini spiritu; ac Deo nostro in vinculis caritatis adstricti, unum cum ipso efficiamur *. Præstet hoc nobis tuo interventu, ô Maria, Filius tuus Jesus-Christus Deus & Dominus noster, cui laus & gloria, & gratiarum actio in sempiterna sæcula. Amen.

* mss exsurge omisso exinanitura.

* mss aut totum ebibisset, aut totum effudisset.

* al. unus cum ipso spiritus.

# ITEM DE BEATA MARIA VIRGINE, SERMO.

*Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.* Luc. 1. c

1. MIRACULUM fuit quod virgo peperit: mentis clamor, virginis amor; virtutum zelus, vitiorum fuit occasus. Virgo sanctissima, quæ Salvatorem genuit, peperit & aluit, quæ jugiter ejus adhæsit lateri, quæ comes individua nullo fere abfuit itinere, quæ intenta præ ceteris invigilavit verbo & operi ejus, sola Salvatoris actuum insignia operum opera, melliflua prædicationis genera inaudita, contra mundum & peccatum, & tartareum zabulum, divinæ severitatis acerrima eloquia, quò eis diu interfuit, specialius vidit, secretius audivit, citius agnovit, propensius retinuit, & Apostolis aliisque discipulis luculentius edidit, diligentius retulit, melius indidit, fidelius tradidit. Hinc est quod de ea legitur in Evangelio: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Hinc in ejus laudibus legitur: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu sola supergressa es universas.* Licet enim in parabolis loqueretur ad turbas, licet omnia Apostolis nota faceret ut amicis: quædam tamen credendum est præ ceteris Matrem suam quemadmodum dilexisse, ita etiam propensius erudisse, quædam ei secretius intimasse, frequenter eam ad montem myrrhæ, & ad colles thuris sublimasse, in cellam vinariam occultasse; sui, prout novit & voluit, gloriam deificam, & supercælestem revelasse notitiam. Unde Johannes in Apocalypsi; *De throno*, ait, scilicet de Maria, *procedebant fulgura & voces & tonitrua:* quia Maria mater Filii Jesu-Christi parabolas, ænigmata, legalia & mirifica gesta, dicta, opera avidius ebibit, fidelius credidit, sincerius luculentiusque aliis edidit.

*Luc. 2. g* — *Prov. 31. d* — *Apoc. 4. c*

2. Hæc Maria à natura reverenter conservata, & à lege diligenter venerata, à gratia clementer est prælecta; quia sic præfatis sua jura sigillatim reddidit, reddendo sibi subdidit, ut honoris vicem omnibus impenderet, & insuper momenti quiddam superadderet. Natura siquidem illi summæ virginitatis florem; lex soli virgineæ fœcunditatis honorem; gratia divinæ maternitatis præ cæteris decorem, ac spiritualis matrimonii divinissimum reservavit odorem. Natura quod suum est illibatam virginem servando, lex reverenter eam ab aliis distinguendo, gratia virginitatem sine semine fœcundando. Natura rebus loquendo non verbis, dum in ea integritatem servaret, & de ea Deus naturæ intonaret, dicens ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius.* Lex, dum eam ab aliis distinguendo clamaret: *Mulier quæ suscepto semine peperit, immunda erit septem diebus.* Gratia, in eo quod dictum est: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Natura huic detulit, dum terra sine germine pareret in principio: Lex, dum rubus arderet sine incendio: Gratia, dum sine semine pareret virgo. In hac enim habitavit Pater & Filius ut Creator in mundo: Imperator in regno; Paterfamilias in domo, Pontifex in templo, Sponsus in thalamo. Prius enim Altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creavit, quam in justitia & sanctitate coram ipso fundaret, & fluentis sapientiæ irrigaret; & cælestibus desideriis, instar scilicet aëris, sublimaret: & igne dilectionis accendendo illustraret. Hinc in ejus mente tamquam in quodam firmamento solem posuit rationis, & lunam scientiæ, & virtutes tamquam stellas speciei omnimodæ; solem, qui lucem divinæ cognitionis faceret; lunam, quæ cum stellis noctem actionis splendidam redderet. Et meritò Domini est terra, quia sic super maria fundavit eam. Creato igitur mundo, volens visitare regnum, imperavit Angelo.

*Gen. 3. c* — *Levit. 12. a* — *Luc. 12. a*

*Luc. 1. d*

3. Missus est igitur Angelus Gabriel à Deo. *Spiritus-sanctus*, inquit, *superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ita Paterfamilias domum intravit; in qua carnis habitum suscepit, quam obtulit Deo Patri pro salute generis humani. In ara crucis sacrificium, quasi pontifex in templo suum peregit sacerdotium: sed quia oportebat pati Christum & resurgere, & ita intrare in gloriam suam, oportebat ad gregem propriis reportari humeris ovem centesimam; oportebat populum qui ambulabat in tenebris, lucem magnam contemplari: mundum prædicationis suæ, & miraculorum novitate irradiavit. Descendens itaque de Patre luminum Speciosus forma præ filiis hominum, indutus stola candida, in vestitu deaurato, tamquam sponsus de thalamo processit ad publicum. Inerat sol in sidere, oriens in vespere, artifex latuit in opere: opus, dum Regi præpararetur; vesper, dum in tanta sublimitate humiliaretur; sidus, dum tamquam stella illustraret fines orbis. Artifex igitur eam ornando, oriens de ea nascendo, sol mundum ab errore convertendo, & eam aliis in exemplum præbendo.

*Elogia varia.*

4. De Genitrice Dei cum talia & tanta referantur, pauca rei pretio nobis tamen esse videntur. Hæc est enim scala, rubus, arca, sidus, virga, vellus, thalamus, porta, hortus, aurora. Hæc est enim *scala Jacob*, qui quando caput in lapide posuit, Angelos ascendentes & descendentes videre meruit. Scala ista duodecim gradus habet inter duo latera. Dextrum latus est contemptus sui usque ad amorem Dei: sinistrum, contemptus mundi usque ad amorem regni. Ascensiones hujus duodecim humilitatis gradus. *Primus* est odium peccati, *secundus* est fuga delicti, *tertius* metus odii, *quartus* in omnibus his subesse creatori, *quintus* obedire meliori, *sextus* obtemperare compari, *septimus* obsequi inferiori, *octavus* subesse sibi, *nonus* finem suum jugiter meditari, *decimus* opera sua semper vereri, *undecimus* cogitationes suas humiliter confiteri, *duodecimus* per omnia ad manum, ad nutum, ad libitum Domini moveri. Per hos gradus ascendunt Angeli, & sublimant homines: sic disponuntur in corde ascensiones, sensim proficiendo, & pedetentim ascendendo: sic in domo Patris lucidas percipiunt mansiones. Hi sunt duodecim Apostoli, qui sequuntur in eremo vestigia Jesu-Christi.

*12. C[...] humi[...]*

*Rubu[s] P[...] Exod.*

5. Rubus, qui visus est ardere sine sui incendio, Virginem significavit concepturam de Spiritu-sancto absque virginitatis suæ detrimento. Rubus, ad quem non est Moyses ausus calceatus accedere, Virginem docuit sine maritali opere mirabiliter parere. Traditio Hebræorum visionem in humili arbusculo asserit traditam, ne populus occasione aliqua laberetur ad idololatriam. In humili virguncula mirabilis nobis exhibita est visio, in qua nullimodæ fornicationis vel minima fuit occasio. Fornicatio siquidem triplex est. Alia est humana, quædam est mundana, nonnulla est divina. Humana fit illicito actu, mundana, perverso affectu, divina scelerato cultu. Prima peccatur in proximum, secunda in seipsum, tertia in Deum. Prima facit carnis immunditiam, secunda mundi concupiscentiam, tertia idololatriam. Maria contra hæc tria singula adhibuit remedia. Contra carnis immunditiam, virginitatem; contra mundi concupiscentiam, perfectam humilitatem; contra idololatriam, perfectam caritatem. Fuit enim Maria mundissima carne, humillima corde, devotissima mente.

6. Arcas duas fuisse legimus in veteri testamento, unam arcam diluvii, aliam testamenti. In novo autem testamento tres fuerunt aliæ. Prima arca est Ecclesiæ, secunda Gratiæ, tertia Sapientiæ. Licet enim prima veteris testamenti in typo fieret primæ novi; & secunda in typo præcesserit secundæ novi, tertia vero sicut excellenter omnibus est dissimilis; ita nulli penitus est comparabilis. Siquidem arca Noë significavit arcam Ecclesiæ: arca fœderis arcam gratiæ, sanctitatem scilicet Mariæ. Per Sapientiæ arcam intelligimus humanitatem Jesu-Christi sanctissimam. Hanc enim merito arcam sapientiæ decet nuncupari, in qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi, sapientiæ, inquam, excellenter, in qua habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Arca etiam Noë significavit arcam gratiæ, excellentiam scilicet Mariæ. Sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium: sic per istam peccati naufra-

*Coloss.*

*Arcæ [...] B. Ma[riæ] compa[ratio].*

gium. Illam Noë, ut diluvium evaderet, fabricavit: istam Christus (qui est pax nostra & requies) ut humanum genus redimeret, sibi præparavit. Per illam octo animæ tantum salvantur: per istam omnes ad æternam vitam (quæ per octonarium numerum significata est) vocantur. Per illam paucorum facta est liberatio: per istam humani generis salvatio. Illa centum annorum fabricata est spatio: in ista omnium virtutum fuit perfectio. Illa facta est de lignis levigatis: ista de virtutibus ædificata est consummatis. Illa superferebatur aquis diluvii, ista non sensit naufragia ullius vitii.

7. Triplex quidem diluvium est. Primum facit aquarum inundatio, secundum vitiorum incursio, tertium tribulationum oppressio. Primum igitur est aquarum, secundum culparum, tertium oppressionum. In primo periclitati sunt homines, in secundo virtutes, in tertio voluptates. Primum quis naufragium patitur, deinde in pœnarum diluvium peccator inducitur, in tertium deinceps pœnarum infernalium retruditur. Sic infernus hic incipit, alibi perficitur, cum anima vitio, caro supplicio atteritur. Per arcam vero Ecclesiæ evadimus à primo, per arcam gratiæ à secundo, per arcam sapientiæ à tertio. Siquidem per arcam Ecclesiæ vitiorum fit exstinctio, per arcam gratiæ virtutum reparatio, per arcam sapientiæ summi boni delectatio. Fit enim in Ecclesia peccatorum confessio, in confessione remissio, & vitiorum exstinctio: sic enim facta est inter Deum & homines reconciliatio: deinde data venia, subsecuta gratia, virtutum fit insertio. Hanc sequitur justitiæ perfectio: huic autem succedit arcanorum cælestium contemplatio. In hac autem invenitur quædam cælestis suavitas, & intima etiam dulcedo, & perfecta boni & perseverans dilectio.

8. Triplex ergo est diluvium, unum iniquitatum, aliud adversitatum, tertium calamitatum. De primo per Nahum dicitur: *In diluvio prætereunte consummationem faciet.* Ac si diceretur: Si diluvium vitiorum super hos cœperit abundare, nolite de illis desperare: quia super quos inundare permitto injustitiam, super illos faciam abundare gratiam. Hinc dicitur per Prophetam: *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Diluvium ergo prius veniet, & Dominus tunc consummationem faciet: quia Dominus electos suos innumeris lapsibus & vitiorum incursibus permittit ad tempus affligi & humiliari, omnem removens præsumptionis elationem: postea ab eo incipiunt sublimari: sic in eis nutriens perfectam dilectionem. Hinc est illud propheticum: *Venies usque Babylonem, & ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manibus inimicorum tuorum.* Et illud Isaiæ: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.* Consummationem ergo Deus faciet præeunte diluvio: quia de profundo vitiorum suos Deus viriliter erigit, quos ponit in virtutum culmine, & illustrat contemplationis radio. De secundo dicitur in Cantico canticorum: *Aqua multa non poterunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* Hinc per Psalmistam de his qui adversitatibus franguntur, & tentationibus succumbunt, dicitur: *In diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* De hoc quoque diluvio Deus suos eripit, juxta illud Apostoli: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* Item, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut sustinere possitis.* & in Ozee. *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Et Psalmographus: *Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* De tertio dicitur in Job: *Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte eum opprimet tempestas.* Primum igitur diluvium est vitiorum, deinde diluvium tribulationum; deinceps diluvium miseriæ & tenebrarum. Primum est peccati, secundum mundi, tertium inferni. Pisces primi sunt oblectamenta, secundi iniqua tentamenta, tertii perpetua tormenta. Hinc in Evangelio de bonis piscantibus, vitia calcantibus, tentamenta superantibus, æterna tormenta vitantibus, dicitur: *Elegerunt bonos in vasis suis, malos autem foras miserunt.* Arcæ vero gratiæ gratias referimus, quia per eam, scilicet Mariam, & ejus Filium utrumque diluvium evasimus.

9. Arca quoque testamenti typum tenet sanctæ Dei Genitricis. Illam fecit Bezeleel; istam condidit Emmanuel. Bezeleel Oliab in opere socium habuit: & Virgo quoque virginum condita, præelecta, præservata, præparata, & ornata per Spiritum-sanctum & ejus omnipotentem Filium fuit. Bezeleel interpretatur umbra Dei, Oliab protectio mea: prior ille Spiritus-sancti, iste vero typum tenet Filii. De illo dicitur ad Mariam in conceptione Filii beatissimi: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Item ad Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim ex ea natum est, de Spiritu-sancto est.* Iste vero ad Patrem clamat in Psalmo: *Protege me à facie impiorum qui me afflixerunt.* Item de eodem: *De ventre matris meæ tu es protector meus.* Item, *Tamquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.* Bezeleel ergo cum socio arcam testamenti fabricavit: sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificavit, ac templum sanctissimum consecravit; hospitiumque mundissimum sibi præparavit, thalamum quoque de quo sponsus præ filiis hominum speciosus ad publicum procederet, decenter præornavit. Neque enim Pater abesse potuit, ubi Spiritum & Filium cooperari voluit. Quæcumque enim Pater facit, hæc eadem similiter & Filius facit. Neque enim Filius potest à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. De Spiritu quoque legitur in libro Psalmorum: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Apostolus quoque de tribus personis ita: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria.* Pater ergo in consecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus-sanctus caritatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius cinerem humiliationis, Spiritus-sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Filius sapientiam, Spiritus-sanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus-sanctus caritatem erga Deum & proximum. Filius carnis mortificationem, Spiritus-sanctus compunctionem; Pater cælestium contemplationem. Filius docuit eam divina operari, Spiritus-sanctus amare & amari, Pater cælestia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus eam provehit; Pater eam perficit. Filius eam purificat, Spiritus eam pacificat, Pater eam honorificat. Hæc dicens, opera vel dona Trinitatis non divido, sed fideliter inseparabilia assero. Sicut enim in essentia unitas, ita in operatione identitas.

10. Arca vero testamenti de lignis Sethim facta est; & Maria de spinoso & hispido Judæorum populo & arido procreata est, qui utique spinosus detractione, hispidus superstitione, aridus fuit unctione divinæ gratiæ. Unde spinosus spineam coronam Regi suo exhibuit, & in eum sicut ignis in spinis exarsit. Sethim enim interpretatur spinæ. Aliter Eva spina, rosa Maria. Revera Eva spina fuit, quæ & virum suum ad mortem pupugit, & posteritati suæ peccati aculeum infixit. Unde Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & sic in omnes pertransiit.* Ligna vero sancti Patres fuerunt, qui licet in radice aruissent arboris, spem tamen certissimam habentes in adventu Salvatoris, tamquam peregrini & incolæ in hoc mundo habitabant, tamquam nihil habentes; & omnia possidentes. Castigabant cum vitiis & concupiscentiis corpora sua, euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Unde quidam ita: *Conversus sum, inquit, in ærumna mea, dum configitur spina.* Ad commendationem vero gratiæ suæ, & ad destructionem humanæ sapientiæ, Deus de femina, sed virgine, descendente de spinosa Patrum origine, dignatus est carnem assumere, ut similem simili redderet, contrarium contrario curaret, pestiferam spinam evelleret, peccati chirographum potentissime deleret. Humilitas per sexum femineum commendatur, gloria virginis & majestas opitulatur, peccatum gratia ejicitur. Eva ergo spina fuit, Maria rosa exstitit: Eva spina vulnerando; Maria rosa omnium affectus mulcendo.

Margin notes: Exod. 36. a — Arca Testamenti typus B. Virginis. — Luc. 1 d — Matt. 1. c — Psal. 6. c — Psal. 21. b — Psal. 70. — Hujus artifex Trinitas. — Johan. 5 a — Psal. 32. b — Rom. 11. b — Quid illi unaquæque persona contulerit. — Rom. 5. b — 1. Cor. 6. b — Psal. 125. a — Psal. 31. a

Eva spina. Maria rosa

Eva spina insigens omnibus mortem: Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem. De liquore spinei corticis fit encaustum unde scribitur: de carnali mente tua fluxus nascitur concupiscentiæ, qui in ipsa & in Adam peccatum actuale, in posteris originale transfudit. De hac vero Apostolus ita clamat: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Ac si diceret: *Per unum hominem mors, & per unum hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Maria autem rosa fuit candida per virginitatem, rubicunda per caritatem: candida carne, rubicunda mente: candida virtutem sectando, rubicunda vitia calcando: candida affectum purificando, rubicunda actum carnalem mortificando: candida Deum diligendo, rubicunda proximo compatiendo.

2. Cor. 3. b — 1. Cor. 15. c

11. De lignis vero Sethim condita est Arca, in qua thuribulum, manna & virga sunt recondita: quia licet Maria de patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, prælecta tamen per Spiritum-sanctum & præservata ad purum, Deum nobis obtulit & hominem. Thuribulum sacrosanctam carnem significat Salvatoris, quæ aurea dicitur; quia nullius passa est detrimentum pudoris, Agnus scilicet sine macula, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, de quo per propheticum dicitur eloquium: *Ecce puer meus electus, posui super eum spiritum meum.* Carbones thuribuli, sunt opera Jesu-Christi. Carbones isti aliquando mortui, quandoque vero sunt ignei: quia in Salvatore nostro nunc propria tolerabat humanitas, nunc propria faciebat divinitas. Ignis in carbone, divinitas est innocens in opere. Ignis in prunis, evidens est indicium divinitatis. Carbo mortuus, in præsepe jacens; igneus, dæmonia expellens. Mortuus, in Ægyptum fugiens; igneus, vendentes & ementes columbas de templo ejiciens. Mortuus, dormiens in navi; igneus, imperans ventis & mari. Mortuus, subditus parentibus: igneus, quatuor satians hominum millia de septem panibus. Mortuus, ad puteum Jacob rogans potum; igneus, circa Jericho illuminans cæcum, & sanans leprosum. Carbo erat mortuus, dum à diabolo tentaretur; igneus, dum ei ab Angelis ministraretur. Mortuus in proditione discipuli; igneus in filio Reguli. Sopitus ante præsidem; igneus circa Tyberiadem. Sopitus, dum ei Herodes illuderet; igneus, dum mortuorum suscitator magnificus fieret. Sopitus, dum ei acetum cum felle mixtum propinaretur; igneus, dum ab eo decem leprosi mundarentur. Sopitus, dum à Judæis se absconderet; sopitus dum cum publicanis & peccatoribus ederet. Igneus, dum ambularet super undas; igneus, dum ex aqua facto vino lætificaret convivas. Sopitus, jacens in cunabulis; igneus, fulgens in miraculis. Sopitus ante tribunal præsidis; igneus in filia Chananitidis. Sopitus in cruce; igneus in monte. Prunæ ergo mortuæ erant humanitatis opera; ignitæ, divinitatis miracula.

Exod. 25. c — 1. Pet. 2. d — Isa. 43. f — Christus carboni ignito, & mortuo comparatur.

---

# IN PARABOLAM DE VILLICO INIQUITATIS, SERMO.

*Indignus Bernardo nostro. Est Bernardi alterius monachi Cluniacensis.*

## PROOEMIUM AD MATTHÆUM episcopum Albanensem.

*Reverendissimo domino suo* MATTHÆO *venerabili Dei gratia Albanensi episcopo, frater* BERNARDUS *utique suus, quicquid servus domino, & filius patri.*



QUod à Roma per dominum Servulum carissimum nostrum Belvacensem abbatem super eminentia magnitudinis vestræ parvitati meæ mandaverat, videlicet quod ea, quæ super Evangelium de villico iniquitatis Deus mihi dixisse donaverat, vobis transscriberem: etsi sero, nunc tandem (non minimum pavidus, ne quid ibi confusum vos offendat) transmitto. Super hoc igitur quæso vos in me pietatis & caritatis abundare visceribus: quatenus & ignoscatis mihi quod distuli, & emendetis vobis incorrectum quod obtuli. Auctoritati namque prudentiæ vestræ reservavi id corrigendum, & suppliciter offero. Et cultellum, qui vulgo *quinniens* nuncupatur, habens manubrium de ebore, cum chartula mitto, quatenus imposturam, quam avulsione dignam adjudicaveritis, meo gladio succidatis. De cetero precor vestræ pietatis abundantiam, ne in orationibus vestris obliviscamini mei, qui sine oblivione vestri quotidie memoror, ubi propensius posco misericordiam Dei. Valete.

*Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona illius, &c.* Luc. 16. a

1. HUjus sancti Evangelii lectio quantæ sit utilitatis, & in historia simpliciter ad litteram dicta, & moraliter expedita, prudens auditor advertet, si aurem cordis apposuerit, & ex Deo est. Sic enim Veritas ait: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Qui subjungit reprobis dicens: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Dicamus ergo: *Homo quidam erat dives.* Quantum ad litteram nos id enarrare non convenit: littera enim per se patet, cujus tamen utilis est narratio minus doctis, minusque capacibus ceteris sit exponenda. *Homo quidam erat dives*, &c. Homo ille, iste est de quo Apostolus ait: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo:* Qui quidem merito dicitur homo, quasi singularis. Unde Propheta: *Homo est, & quis cognovit eum?* Ac si dicat: Superexcellentiam ejus quis enarrabit? Sequitur: *Erat dives.* Vere dives, sicut scriptum est: *Cum esset dives in omnibus, factus est pauper pro nobis, ut nos sua paupertate ditaret.* Et item de eodem Domino dicitur, *In dextera ejus ignea lex, in sinistra vero illius divitiæ & gloria.* Cui bene convenit, *erat*; quia de eo dicitur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Qui habebat villicum.* Revera habuit villicum & villam: quia *Domini est terra, & plenitudo ejus.* Et ipse ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Tamen in terra nihil voluit possidere, sicut idem de semetipso ait: *Non habet Filius hominis ubi caput reclinet:* paupertatis nobis relinquens exemplum. Et tamen villicum eum habuisse videamus & villam, hoc modo.

Johan. 8. f — Philip. 2. b — Jerem. — 2. Cor — Deut. — Johan. — Psal. — Matth — Luc. 9

2. Villa est proprie terrena possessio pluribus vestita colonis; per quod significatur terrena hæc corporum nostrorum compaginatio, primo multis ornata virtutibus, quasi multis inhabitata viris. In hac sua villa Dominus ad custodienda bona sua, quæ plura habuit, villicum posuit interiorem hominem, quem tantæ valetudinis fecit, tanti decoris, ut ad imaginem & similitudinem suam formaret: tantæque potentiæ per sibi datum liberum arbitrium, ut in quamlibet partem boni malive flecteretur. Villam etiam tantis munivit præsidiis, ut nullius ope præter solius ejus, scilicet Domini, egeret contra quoslibet cujuscumque impugnationis incursus. Posuit namque in ea murorum custodem prudentiam: defensorem, fortitudinem: dapiferum, temperantiam; justitiarium ad tuenda jura, justitiam. Isti quantæ fuerint sollicitudinis, quantæque strenuitatis in suis peragendis officiis, ex eorumdem propriis diffinitionibus videtur, quæ sunt hujusmodi. *Prudentia*, est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum. *Fortitudo*, est firmitas animi adversus ea quæ temporaliter sunt molesta. *Temperantia*, est refrenatio cupiditatis adversus ea quæ carnaliter delectant. *Justitia*, est reddere unicuique quod suum est.

Villa c[...] nostrum Villicus [...] mo inte[...] — Villæ [...] sunt V[...] cardin[...]

3. Quomodo vero hæ virtutes, quasi sollertes viri, in A villa sibi commissa officia sua compleant, audiamus. *Prudentia* custos familiæ suum sic facit officium, dicens: *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit: sero an media nocte, an galli cantu, an mane*, &c. *Scitis quia non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed sanguine quasi Agni immaculati & incontaminati Jesu-Christi Domini nostri.* Non *simus concupiscentes malorum, neque idolatræ efficiamur*: Avaritia quippe ipsa est idolorum servitus. *Neque fornicemur, sicut illi qui ceciderunt uno die viginti tria millia: neque tentemus Deum, sicut qui à serpentibus perierunt: neque murmuraverimus, sicut qui perierunt ab exterminatore. quæ omnia scripta sunt ad correptionem nostram: in quos fines sæculorum devenerunt.* B Fortitudo quoque sic suos hortatur in acie dicens: Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis regnum æternum. Et item: *Ne terreamini ab iis qui occidunt corpus, postea vero non habent quid faciant. Dominus fortis & potens, Dominus potens in prœlio. Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Leo quippe *rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Cum *fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.* Itaque *viriliter agite & confortamini, & omnia vestra in caritate fiant. Empti enim estis pretio magno. glorificate & portate Deum in corpore vestro*, sicut portavit Apostolus dicens: *Quis nos separabit à caritate Christi?* C *tribulatio, an angustia, an persecutio, an periculum, an gladius? Certus sum quod neque mors, neque vita, neque præsentia, neque futura poterunt nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Temperantia vero sic sollicitat dicens: *Videte ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus mundi.* Scriptum est enim: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Sicut æger ad medicinam sic ad sumendas dapes quisque debet accedere *. Inter cetera enim sua mala Sodoma panis abundantia periit; ad Jerusalem Domino per Prophetam dicente: *Hæc est iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas panis & abundantia.* Hinc Apostolus ait: *Multi ambu-* D *lant post concupiscentias suas, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet.* Nequaquam igitur in illis voluptatem appetas, sed necessitati succurre. Justitia autem sic villæ jura tuetur, dicens: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* Quia hinc Salomon ait: *Pondus & pondus, mensura & mensura utrumque abominabile est apud Deum.* Et, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Et sic implebitis quod Moïses ait: *Justus modius sit vobis, æquusque sextarius.* Itaque cum debeat tibi quippiam frater tuus, & abstuleris E pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quorum legalis erat justitia, oculum pro oculo, dentem pro dente, ultionem pro ultione. Nobis autem dicitur: *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui vos oderunt, neque malum pro malo reddentes, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes.* Hinc Paulus ait: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: & hæc faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Sic utique aio ego justitia, & volo fieri.

Ruricolæ & custodes villæ.

4. In hac etiam villa dives Dominus quasi ruticolas ha- F buit, qui redderent ei fructus usurarios temporibus suis; qui sunt hujusmodi, bonitas, benignitas, modestia, mansuetudo, concordia, pax, patientia, misericordia, caritas. Super hos etiam posuit ad custodiendum si deliquissent, qui accusarent, qui testificarentur; qui judicarent, qui punirent. Conscientia quippe ipsa est accusatrix, memoria testis, ratio judex, timor carnifex. Quod enim conscientia accusat, memoria testificatur: & quod ratio judicat, timor excruciat, dicens: *Dominus regnavit, irascantur populi; qui sedet super Cherubim, moveatur terra. Ignis in circuitu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida.* Et impiis dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*, ubi ignis est qui non tepescit; vermes qui non moriuntur, tortores qui non lassescunt: ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

5. Villam suam his aliisque tutoribus sortem tradidit Dominus villico, pluribus plenam bonis; quibusdam corporis, multis propriis ipsius hominis interioris. Septem quippe sunt hæc bona corporis, pulcritudo, fortitudo, velocitas, libertas, sanitas, voluptas, diuturnitas vitæ. Septem quoque sunt bona animæ, sapientia, amicitia, concordia, honor, pietas, potestas, jucunditas. Præter hæc propria, communia sunt multa data turicolis, alia his, & alia illis. Bona enim sunt divitum divitiæ suæ, ne eos paupertatis molestia frangat: bona pauperum penuriæ suæ, quibus castigantur, ne per incontinentiam defluant: fortium fortitudo, ut ad bona opera convalescant: debilium imbecillitas, qua refrenantur, ne quod velint malum perficiant: insipientium sua simplicitas, qua humiliantur ne superbiant.

Deus in omnibus intendit bonum hominis.

Omnino quicquid in hac vita nostra fragilitas possidet, pius conditor (quantum in sua bonitate est) ad bonum nostrum nobis quotidie confert, scilicet vel ad correptionem pravitatis, vel ad profectum virtutis. Sed (ut verbis beati Gregorii utar) quæ ad usum accepimus vitæ, ad usum convertimus culpæ. Valetudinem corporum in usum consumimus vitiorum, bona mentis in usum expendimus vanitatis. Et hoc est quod dicitur, *qui diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona ipsius.*

Infamatio villici quid sit.

6. Operæ pretium est scire, quis diffamaverit villicum, vel unde prodierit diffamatio. Petulantia ipsa est, quæ disseminavit infamiam: quæ tunc dicitur infamare, cum non erubescit negligentiam suam declamare, sicut ibi: *Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra; coronemus nos rosis antequam marcescant, ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ.* Quippe hæc talis locutio plane infamatio est. Fit autem triplici voce, scilicet cogitationis, locutionis, & operis. Habet enim cogitatio vocem suam. Unde Dominus cogitanti Moïsi ait: *Quid clamas ad me?* Et David ad Dominum: *Cogitatio hominis confitebitur tibi.* Habet & opus vocem suam. Unde Dominus ad Cain: *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra.* Prodit autem infamia nostra ex his quæ fiunt, aut contra naturam, aut contra legem, aut contra consuetudinem. His tribus modis quicquid agimus, vertitur in peccatum. Et quia villicus bona domini sui in hæc dissipaverit, dictum est ei: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim amplius non poteris villicare.* Illud non semel aut iterum, sed tertio jam comminatur Dominus villico suo, videlicet ante legem, sub lege, sub gratia; & per tres nuntios, per quos omnia sua nobis consilia dicit, id est per hominem, per spiritum, per familiare mandatum. His Dominus secreta sua solet notificare, atque per hos aliis quibusque jubet: cum quibus ire solet timor, & modo jungitur illis, ferens ista tria quæ semper habere solet, clavam comminationis, radium cognitionis, virgam doloris; ad incutiendum terrorem, ad videndum errorem, ad habendum mærorem; incipientium, proficientium, perficientium. Nota quod in hoc facto cognoscitur mirabilis pietas hujus Domini, qui non circumvenit servum suum, sed ad reddendam rationem prius submonet eum quam judicet. Sic quoque visus est Abraham dixisse, cum loqueretur ad eum de Sodomis: *Descendam & videbo per memetipsum si sic, ut rumor est, opere compleverint.* Et hic instruimur, non statim debere dari fidem quibuslibet verbis, sed si sic est, ut dicitur, prius adhibere cautelam.

Duo pœnitentiæ impedimenta.

7. Sequitur: *Quid faciam?* Hæc querimonia de præmissa comminatione procedit. Sic utique quidam cum mortem sibi venire de prope vident, se male vixisse scientes, timore perterriti, quid fecerint, vel qualiter id emendare debeant, secum satis amarissime exquirunt, dicentes: *Quid faciam? Fodere non valeo, mendicare erubesco.* Hæc duo verba in persona illorum loquitur, qui hæc duo timent in pœnitentia, scilicet afflictionem corporis

& paupertatem: quorum alterum intelligitur per *fodere*, alterum per *mendicare*. Ut enim sic moraliter dicam, fodere est sarculo compunctionis, & aratro confessionis in fructus bonæ operationis cordis nostri jugera dissulcare.
Joel. 2. c quod facere Propheta nos admonet dicens: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Et hinc est illud quod ait custos vineæ de sterili ficulnea ad dominum suum:
Luc. 13. b *Dimitte eam & hoc anno, ut ego veniens fodiam circa illam, & apponam stercora.* Sed hoc iste de quo hic agitur,
Prov. 20. a primo facere pertimescens, ait: *Fodere non valeo.* Contra quem recte per Salomonem dicitur: *Piger propter frigus arare noluit; mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.* Qui enim nunc propter pavorem mentis, aut torporem macerare se per pœnitentiam & affligere negligit; cum Sol justitiæ in judicio, velut in æstate, claruerit, quæret requiem, sed non accipiet: quia propter illam operari bona contempsit.

8. Sequitur: *Mendicare erubesco.* Hoc igitur ad litteram tantum. Sunt enim quidam, qui erogando bona sua pauperibus culpas suas redimere vellent, & hoc cogitando pertractant: sed postmodum timentes ne egeant, erga egentes tenaces fiunt, & ab eo quod mente conceperant, se suspendunt: præcipue quia vident aliquos, qui sua se
Eccli. 11. b sic dedisse fatentur, & pœnitent. de quibus bene per Salomonem dicitur: *Qui observat ventum, non seminat; & qui considerat nubes, numquam metit.* Venti nomine malignus spiritus, qui mentem tentationibus impellit; & nubis appellatione peccator exprimitur. Qui ergo attendit ventum, non seminat; & qui considerat nubes, numquam metit: quia qui tentationes maligni spiritus metuit, & iniquorum lapsus conspicit; in bono opere nec exercetur, nec in judicio quo consoletur inveniet, sed & nunc quoque vilescit. Propterea quamvis villicus paulo
Timoris utilitas. ante dixerat, *Fodere non valeo, mendicare erubesco*, pœnitens tamen subjungit quod sequitur: *Scio quid faciam.* Videte quid facit timor, quippe perutilis domino suo. Ipse est qui quod dominus jubet, homines facere cogit. Certe iste villicus hodie non dixisset, *scio quid faciam*, si non timuisset. Sed timuit, quoniam illi subito timor adveniens, clava comminationis tales ei ictus impressit, dicens: Audi miserabilis, audi, evigila tandem, quia hora est jam te de pigritia surgere. Si non amore, saltem timore evigila. Crux enim tibi duplex dura paratur: altera jam corporis, altera postmodum corporis & animæ gehennalis. Cogita ergo cruciatus tuos, quos præsentialiter medullitus senties jam in morte. Mors, inquam, ipsa est
Mortis memoria. crux horribilis, ad quam quotidie festinas, & non attendis. Vide quomodo mors te crucifigit. Crura distenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, vultus horrescunt, facies exsudat, & morte tacta pallescit. Et hæc utique quæ videmus deforis, & quæ sentimus, levia sunt ad ea quæ intus anima miserabilis jam prægustat. Nam sensus à corpore cito recedit: animam sua mors comitatur euntem. Qui autem cruciatus te maneant, audi
Psal. 48 c quid Propheta de perditis dicat: *Sicut oves*, inquit, *in*
Job. 24. c *inferno positi sunt: mors depascet eos.* Et Job: *Transeunt*, inquit, *à frigore nimio ad calorem nimium.* De quo &
Isa. 33. b alibi dicitur: *Quis poterit ex vobis habitare cum igne devorante: aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

Timor quadruplex. 9. Hæc audiens villicus plane si timuerit, ne mireris. Et notandum quod timor iste quadriformis est, scilicet mundanus, servilis, initialis, & filialis sive castus. Mundanus, qui facit recedere à malo pro evitatione pœnæ. Servilis, qui facit à malo abstinere pro evitatione pœnæ, mali retinens voluntatem. Initialis timor gehen-
Psal. 110. b næ, de quo dicitur per Prophetam: *Initium sapientiæ*
Psal. 18. c *timor Domini.* Filialis, de quo per eumdem dicitur: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* In duabus his formis utilis est hominibus semper, in aliis minime. In initiali formaliter frendens, ut modo dictum est, ad villicum venit. propter quod ait: *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero*, &c. Hæc amotio nihil est aliud, quam hominis interioris, id est animæ & corporis, separatio. Et notandum quod, *scire*, nos exponere non oportet,

A quia ipsemet suum *scire*, scilicet, quid facere velit, innotuit, per hoc quod sequitur, dicens: *Ut cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.* In hoc quod suum *scire* exposuit, meminit poetæ dicentis: * Persi. Satyra 1

* *Scire tuum nihil est, nisi scire tuum hoc sciat alter.*

Visus siquidem est minus hoc dixisse, scilicet qui sunt qui recipere eum debeant: quod tamen cum dixerat, *in domos suas*, succincte deprehenditur annotasse. Sunt namque qui homines recipiunt, quorum sunt domus cæli & æterna tabernacula: & hi qui sint, Dominus ad Discipulos suos loquens patenter ostendit in illis verbis suis, Matt.
cum dicit: *Sinite parvulos venire ad me: talium est enim* Matt.
*regnum cælorum.* Et alibi: *Beati pauperes spiritu, quo-*
B *niam ipsorum est regnum cælorum.* Ab his ergo necesse est emere regnum cælorum, quorum est. vere necesse est, quia non habemus hic (ut ait Apostolus) manentem ci- Heb. 13
vitatem, sed futuram inquirimus. Et item de suis con- 2. Cor.
fidens: *Scimus quod terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod habemus ex Deo domum non manufactam æternam in cælis.* Hanc utique nos emere docet Dominus in subsequentibus dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et hoc in loco suo exponetur, sed non modo.

10. Sed videamus quid sequitur. *Convocatis singulis debitoribus*, &c. Memini me superius dixisse misericor-
C diam, & veritatem, & caritatem cum aliis multis, quasi ruricolas esse, & debere eas huic diviti domino reddere suos effectus, quasi fructus operum suorum per manus villici. Nihil ergo est aliud quod dicimus villicum debitores domini sui convocasse, nisi unumquemque in corde suo quid fecerit, vel quid fecisse debuerit, juxta posse virium suarum pertractasse. Quod quoties agimus, fere per omnia reos nos esse cognoscimus: præcipue tamen in eo quod per caritatem largius erogasse debuimus; & in eo quod per pœnitentiam illis qui nos injuriaverunt, condonasse perfectius debebamus. Et hoc datur intelligi, cum huic quæstioni, scilicet, *Quantum debes domino meo?* respondetur: *Centum cados olei.* Per centum enim signi-
D ficatur perfectio, per oleum misericordia. Est ergo sensus: *Debeo centum cados olei*, id est quod mihi injuriantibus perfecte dimisisse debueram, non dimisi. Cui subsequenter adjungitur: *Sede cito, scribe quinquaginta.* Novimus quod *sedere*; humiliationem; *cito*, festinationem; *scribere*, firmitatem; *quinquaginta*, pœnitentiam designat. Et super his convenientia habemus exempla: sed quia satis est notum, non conveniet adducere, sed quid sibi verba velint, dicemus. Cum ergo dicimus, *sede cito & scribe quinquaginta*, idem est ac si quis dicat sibimetipsi aut proximo suo: Qui fateris te peccasse in misericordia, humiliare cito, firmus permane in pœnitentia.

11. Deinde alii dixit: *Tu vero quantum debes? Centum*
E *coros tritici.* Fere eadem est hæc quæstio, & responsio cum prima: excepto quod illa est de indulgentia, hæc de caritate. Hic enim frumentum caritatem designat, quemadmodum superius per oleum misericordiam diximus designari. Hoc itaque hujus quæstionis responsio nobis innuit, quod qui sæculi hujus substantiam possidemus, perfecte egentibus erogasse debuimus: quod si non feci- 1. Johann
mus cum possemus, apud summum Patrem-familias debiti vinculo obligamur, sicut scriptum est: *Qui habet substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere; si clauserit viscera sua ab eo, vere caritas Patris non est in eo.* Hujus tamen obligationis nodus celeriter rumpitur, si bene perficiatur quod sequitur: scilicet,
F *Sede cito, & scribe octoginta:* id est humilia te (sicut exposuimus) in observatione mandatorum Dei, & certa spe hereditatis æternæ. De cado & coro dicant alii pro abundantia sensus sui quid senserint; ego super his nihil aliud dico, nisi quod unumquodque vas est ad mensurandum in suo genere: & hic significare possunt mensurate, id est discrete, debere agere pœnitentes: quasi sic oc- Gen 4 b juxta LXX
cidant hostem, ne perimant civem, quoniam scriptum est: *Si recte offeras, & non recte dividas, peccasti.* Recte S. Greg. 3 mor. cap.
offerimus, cum bono studio bonum opus agimus: sed non recte dividimus, si discretionem habere in bono ope-

re postponamus: quam qui dissimulat, etiam recte offerens (sicut beatus ait Gregorius) peccat.

12. Sequitur: *Et laudavit dominus villicum iniquitatis, eo quod prudenter egisset.* Sunt qui mirantur unde hæc laus processerit, cum non dicatur ad litteram persolvisse debitum, sed curasse. Quod si quis egerit, attendat quod potius imitari debet villicum, quam admirari. Sæculariter enim prudenter egit, qui quæ reddere non potuit, ne super his argueretur furto, caute celavit, & secundum cujusdam verba dicentis, si non caste, saltem caute: (est namque minoris culpæ quemlibet se solum dare morti, quam si ceteros secum tollat contagione peccati) & quod sibi perutile summaque prudentia fuit; quia apud quos reciperetur effecit, si amoveretur à villicatione. Sed & altius loquar. Plane secundum moralem intelligentiam multa laude est dignus, qui relicto errore pristinæ conversationis, diviti Deo satisfaciens, redit ad gratiam. Et propter hoc eum dominus laudavit, quia sive hoc modo, vel hoc modo dicatur fecisse, prudenter egit. Nec moveat quemquam quod dicitur, *iniquitatis.* Non enim ponitur hic eo quod operetur ad laudem, sed ad eorum qui audierunt tollendam desperationem, sicut
15.a Dominus testatur ad Prophetam, dicens: *Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Ad hoc enim Matthæus suum cognomen retinuit *Publicanus.* Hoc quod sequitur, *quia filii hujus sæculi prudentiores sunt in generatione sua filiis lucis:* dictum est nobis, ut sæcularium inutilem imitemur prudentiam, sicut Moïses ibi nos mystice
21.b docet, dicens: *Cum egressus fueris ad pugnam, si videris mulierem pulcram, & adamaveris eam, rades ei cæsariem,* &c. *& erit tibi uxor.* Et dictum est similiter ad magnam nostram erubescentiam, ac si dixisset nobis illud
3.8 Prophetæ: *Erubesce Sydon, ait mare.* Grandis enim nobis debet esse verecundia, quod filii perditionis promptiores sunt in appetendis malis, quam nos summus in cælestibus gaudiis, de quibus beatus Gregorius ait: Qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte cognoverit; ea quæ in terris amaverat, libenter cuncta derelinquit.

13. Et ad hæc incitamur cum dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Bonus sermo & omni acceptione dignus, docens nos cum illis amicitiam jungere, qui nos possunt in æterna secum tabernacula collocare. Qui videlicet sunt illi, nisi quod superius breviter annotavi, parvuli & pauperes Christi? Quos quia Dominus amat,
15. b ipso teste qui ait, *Vos amici mei estis:* ab his nos faciamus amari de eo, quod idem Dominus nos docuit dicens, de mammona iniquitatis. Vile est pretium, sed emptio multa. Mammona namque divitiæ nuncupantur, quæ dicuntur iniquæ, non propter se, sed propter iniquitatis effectum qui invenit ex se. sicut arbor illa quæ appellata est scientia boni & mali: non quod ullam haberet scientiam; sed quod tangentes eam contra præceptum, boni pariter & mali contingeret esse scientes. Hic satis ostenditur, quod ex facili possunt amici superni cives haberi. Ex quorum amicitiis qui fructus nobis proveniat, Veritas subsequenter ostendit, cum dixit: *Ut recipiant vos in æterna tabernacula.* Videtur hic oriri quæstio in eo quod pauperibus attribuitur susceptio & retributio benefacientium sibi, cum donum solius Dei sit, veniens ex ejus multa miseratione & gratia. Quæ multum facile solvitur, si attendatur, quod Dei Filius nostram carnem suscipiens factus est pauper pro nobis; & id quod pauperibus erogatur, sibi factum fuisse dicat, & se retribuere benefacientibus. quod ibi testatur, ubi de parvulis loquens ait: *Quæcumque fecisti uni ex minimis meis, mihi fecistis. Esurivi, & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere,* &c. *Venite ergo & percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Matt. 25. d

14. Sollicitemur ergo fratres mei, sollicitemur pauperibus erogare consilio Domini. Sed quia interest pauperis & pauperis, quod Dominus ibi visus est annotasse cum diceret, *Beati pauperes spiritu:* de paupertate talis facienda est distinctio, quæ designet quibus præcipue debeamus largiri. Paupertas igitur alia naturalis, alia locuples, alia spiritualis. Et hujus divisionis unumquodque membrum bifarie subpartitur, quod his pertractandum relinquimus, qui magna de minimis sciunt extrahere: præter quod hoc solum dicimus, quia naturalibus egenis & spiritualibus præcipue manum misericordiæ porrigere monemur, verbis Apostoli Pauli dicentis: *Qui suis non providet, & maxime domesticis, fidem abnegat, & est infideli deterior.* Sed quia nescimus hodie, quis ante Dei oculos dignus sit odio vel amore, demus his & demus illis juxta ejusdem Apostoli vocem dicentis: *Bonum,* inquit, *operemur ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Et quia sunt qui petunt, sunt & qui verecundantur: cum superest unde possit dari, demus utrisque. De petentibus enim Dominus ait: *Omni petenti te tribue.* De verecundis beatus Augustinus super hunc versum, *Qui producit fœnum jumentis, & herbam servituti hominum,* dicit hoc modo: Beatus, inquit, qui præoccupat vocem petituri. De omnibus indifferenter Dominus ait: *Date & dabitur vobis.* Et etiam illud: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et iterum illud: *Ignem ardentem exstinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Et hinc est illud: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc orabit pro te.* Et bonus pater filio ait: *Si multum tibi fuerit, abundanter retribue: si exiguum, & illud libenter impertire.* Quod tam sollerter omnia agere studeamus, quatenus in æterna tabernacula recipi mereamur per Dominum Jesum-Christum Salvatorem nostrum, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Marginal notes: Quibus danda eleemosyna. — 1. Tit. 5. b — Luc 6. d — Psal. 103. b — Luc. 6. f — Luc. 11. f — Eccli. 3. — Eccli. 29 a — Tob 4. b

## SERMO

### In illud Sap. *Sapientia vincit malitiam. Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Sap. 7. d

*Non est Bernardi, sed (ut puto) Guiberti Abbatis de Novigento, qui in illum Sapientiæ locum habuit prolixum sermonem, ex lib. 1. de ejus vita cap. 16.*

1. Sicut sapientia sapor boni, ita malitia sapor mali dicitur. Clavus clavo expellitur: ita & prava bonis supervenientibus eliminantur. Virtute siquidem & Sapientia Patris, Media-
m. 6. d tore Dei & hominum Christo Jesu crucem pro nobis subeunte, simul cum illo, secundum Apostolum, *crucifixus est homo noster, ut destruatur corpus peccati.* Quid ergo
Dan. 2. g dixerim corpus peccati? Hoc merito dixerim, imaginem quam impegit & confregit lapis excisus de monte sine manibus: cujus caput aureum, & ceterorum membrorum fuisse describuntur quædam ex argento, quædam ex ære, quædam ex ferro, quædam ex luto & ferro. Caput est malitia, quam superius saporem diximus mali: unde & per aurum exprimitur, quo nimirum sapientia in Scripturis designatur. Medium vero corporis, id est pectus & brachia, ex argento fuisse memorantur. Argentum est lucidum & sonorum: cujus sonoritas demulcet auditum, & claritas visum oblectat. Unde per ipsum curiositas designatur, quæ in his duobus sensibus, visu videlicet & auditu, maxime viget: quia per ipsos, utpote principaliores corporis fenestras, mors crebrius & levius intrare consuevit ad animas nostras. Per ventrem autem & femora, ubi libido dominatur, designatur voluptas: quæ ex ære fuisse describuntur,

Corpus peccati & ejus membra.

quod ſimiliter lucidum eſt & ſonorum: quoniam eouſque malitiæ rabies incanduit, ut flagitioſi & coinquinati homines, non ſolum in ſpurcitia delectari, ſed etiam in infamia conſueverint gloriari: (*Prov. 2. c*) utpote *qui lætantur cum malefecerint, & exſultant in rebus peſſimis.* Unde pravo ſuo exemplo corrumpunt & eos qui longe, & eos, qui prope ſunt: proximos videlicet mala converſatione; remotos autem mala converſationis opinione: illorum oculis lucentes, iſtorum auribus inſonantes. Tibiæ quæ molem ſuſtinent corporis, ferreæ dicuntur. (*Job 41. b*) Squama ſquamæ conjungitur, & totam ſuſtinet machinam peccati prava & more ferri indurata voluntas. Quare enim peccas? Quia neſcis quid facias? Abſit. Quia cogeris ut facias? Abſit: ſed quia placet ut ſic facias. B Imbutum ergo & ſuffocatum veneno diaboli voluntatis deſiderium, fomes ſceleris, & virus flagitii ſolum eſt quod obturat aures, ut non audiant vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter. Per pedes, quorum pars quædam erat ferrea, quædam fictilis, opera ſignantur tenebrarum, quibus ad notitiam pervenitur hominum. Lutum & ferrum bene ſibi invicem non cohærent. Per lutum, operum immunditia; per ferrum, mentis pertinacia deſignatur: quæ licet ad horam conjungantur, diu tamen cohærere non poſſunt. (*Job. 21. b*) Ducis ſiquidem in bonis dies tuos, ſed in puncto deſcendes ad inferos.

(Quomodo deſtruatur.) 2. Lapis ergo prius pedes comminuit: quia fortitudo & firmamentum noſtrum Jeſus-Chriſtus dat denique C voci ſuæ vocem virtutis. Unde tonitruum vocis ejus factum in virtute, interiora concutit, & per timorem mentis pertinaciam frangit: deinde à vanitate ſæculi peccatore avulſo, opera deſtruit per confeſſionem; bona conſequenter deſideria immittendo, & ea in bonis adimplendo ſanat voluntatem; atque ſub jugo diſciplinæ obturando aures ne audiant ſanguinem, claudendo oculos ne videant malum, expellit curioſitatem. Et ſic ad ultimum ſapiens & placens homo Deo, caput aureum ſtatuæ confringit, dum ſaporem mali, quem malitiam diximus, à præcordiis animæ penitus avellit. *Sapientia vincit malitiam.* Cui enim Chriſtus incipit dulceſcere, profecto neceſſe eſt amareſcere mundum. D Eſt ſiquidem panis qui de cælo deſcendit, habens omne delectamentum & ſuavitatem ſaporis. Sapor eſt Patris per illam æternam & ineffabilem naturam: ſapor eſt Angelorum per gratiam: ſapor eſt noſter per miſericordiam.

3. Vincit ergo, ſed qualiter, videamus. (*Sap. 8 a*) *Attingit* enim *à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Sunt ergo inveniendi ad minus duo fines altrinſecus poſiti, quibus ſapientia medians attingat utrumque. Quæramus fines iſtos in Parabolis evangelicis, (*Matth. 13 f*) illis videlicet in quibus primum agitur de theſauro, quem qui invenit homo, vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum. (*Ib'd.*) Subjungitur poſtmodum de pretioſa margarita, quam negotiator inventam comparat, venditis omnibus E quæ poſſidet. (*Ibid.*) Demum agitur de ſagena, quæ miſſa in mare, congregat bonos & malos piſces. Similitudines iſtas diligentius perſcruemur, ut ex ipſis eliciatur propoſita veritas. Ager, de quo in prima agitur parabola, diſciplina eſt Ordinis. Ager enim culta terra eſt, quæ amputatis fruticibus & arborum radicibus exſtirpatis, habilis eſt ad ſemen recipiendum, & fructum afferendum. Talis eſt diſciplina Ordinis, quæ avulſis peccatorum tribulis remotiſque ſcandalorum occaſionibus digna, eſt plane cui Deus emittat eloquium ſuum. In qua nimirum verbum ſuum non eſt alligatum, ſed ablatis impedimentorum obſtaculis, per humiles & mites corde velociter currit ſermo ejus. Hic eſt ager plenus cui benedixit Dominus, F habens irriguum ſuperius, & irriguum inferius, fontes profecto (*Gen. 27. f Judi. 1. c*) Iſraë, de quibus in eccleſiis Domino benedicitur. Hi ſunt fontes Salvatoris; quorum alter eſt divinitas, irriguum videlicet ſuperius: alter eſt humanitas, irriguum ſcilicet inferius. De fonte humanitatis aquas potamus confidentiæ; quia per ipſam acceſſum habemus ad Patrem, per confidentiam in fide ipſius: de fonte divinitatis, aquæ prodeunt miſericordiæ, cujus impetus lætificat civitatem Dei, lætantem in cælis ad plenum, peregrinantem in terris, prout cuique diviſit Deus menſuram A fidei. De latibulis Prophetarum exſiliit Chriſtus Jeſus ad campos pauperum. Per merita ſuæ humanitatis impertit & divinitatis participium in præmium. Dabit ſiquidem pacem nobis, transferendo nos in arcanum ſuæ divinitatis: quia omnia opera noſtra operatus eſt nobis in humilitate ſuæ humanitatis. Si ergo noſtram ſalutem operata eſt humanitas, quid operatur divinitas? Noſtram profecto delectationem, quia delectationes in dextera ejus uſque in finem. (*Pſal. 1*)

4. Laborantes igitur in agro paupertatis duo habent irrigua, quibus cordium irrigatur ariditas, & terræ noſtræ fructificat ſterilitas. (Ex hi[s] nobis[…] geria […] verſis.) Abſque harum aquarum refrigerio nulla ſane adeſſet proficiendi poſſibilitas, ſed deficiendi B incumberet neceſſitas. Cum enim ad te reverſus conſideras hinc exaſperatæ potentiam majeſtatis, inde exaſperantis pertinaciam iniquitatis; nonne repente ſubintraret deſperatio, niſi mediatoris Dei & hominum hominis Jeſu-Chriſti incarnatio ſuccurreret & paſſio? Supervenientibus autem ſæculi tribulationibus, & impugnationibus dæmonis, & elevatis in planitie mentis tuæ tentationum procellis; nonne paſſionibus hujus temporis ſuccumberes, niſi futuræ gloriæ ſpes ſublevaret? Sicut ergo apud humanitatem Chriſti habes merita, de quibus confidens deſperare non poſſis: ita apud divinitatem ſunt præmia de quorum exſpectatione poſſis in tribulationibus non ſolum reſpirare, ſed & gloriari: quia nimirum fecit nobiſcum C miſericordiam ſuam, non ſolum remittens debita, ſed etiam promittens præmia. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Pſal. 1*) pro omnibus quidem quæ mihi ad converſionem meam tribuit? In ipſa converſione mea corpus meum & animam meam retribuit, immo reddidit, immo me pigritante & renitente ipſe à me extorſit. Ecce autem pro omnibus quæ ab initio converſionis meæ mihi tribuit, compunctionem videlicet lacrymarum, devotionem meditationum, conſolationem in laboribus, delectationem in meditationibus, pro his, inquam, & innumeris aliis beneficiis, quid ei rurſum retribuam? Qui totum dedit, quid ulterius impendere habeo? *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* (*Ibidem.*) D Quid eſt calicem accipiam? *Anima mea deſiderabit te in nocte, ſed & ſpiritus meus in præcordiis meis. Nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ.* (*Eſa. 26.*) Nomen Salvatoris mei, fratres mei, carnis meæ, ſanguinis mei, nomen à ſæculis abſconditum, ſed in fine ſæculorum revelatum: nomen mirabile, nomen ineffabile, nomen inæſtimabile, immo eo mirabilius, quo inæſtimabilius, eo magis gratum, quo gratuitum; hoc, inquam nomen non jam vivente me labiis meis laudabo, ſed jam non vivente me, vivente vero in me Chriſto, ſicut adipe & & pinguedine repleatur anima mea; ut non ſolum exterioribus, ſed & interioribus labiis invocem nomen Domini. *Quicumque* enim non vocaverit, ſed *invocaverit* (*Joel. 2. c*) E *nomen Domini, ſalvus erit.* Non ſolum autem nomen, ſed & memoriale paſſionis ejus ſemper ſit in deſiderio animæ meæ, ut paſſionis ejus particeps efficiar, ſi quo modo agnoſcere potero ſicut & agnitus ſum.

(Memoria paſſionis Chriſti.) 5. Sic ergo calicem ejus accipiam: quia monumenta paſſionis ſuæ intra animæ meæ ſinum, intra memoriæ meæ cellas ſemper revolvam. Aſpiciam regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſuà. Aſpiciam eum ligatum, flagellatum, conſputum, ſaturatum opprobriis, claviſque confixum. Aſpiciam in hujus deſerto exſilii ſerpentem æneum ſuper columnam crucis exaltatum, ut ſerpentes, qui me mordent moriantur: quia nullus qui (*Num. 21.*) credit in eum peribit, ſed habebit vitam æternam. F Hæc & alia patientis & morientis Domini mei memorialia memoriæ meæ arctius commendabo, & ad os cogitationis revocans ruminabo diutius, ut impinguer devotius. Hæc, inquam, crucis & paſſionis ejus inſignia ſint præſentia, ut læva ejus dilectionis, qua nemo umquam majorem habuit, ſit ſub capite meo, ne videlicet mens mea ad carnalia incurvetur deſideria, donec dextera divinitatis ejus amplexetur me; ut abſorbeatur hoc quod mortale eſt à vita; & mortale hoc immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptionem. (*1. Cor. 15.*) Lævam in hoc loco, humanitatem ejus accipio, in qua nobis exhibuit

caritatem

caritatem, ut diximus, qua nemo majorem habet, ponens animam suam etiam pro inimicis suis. Dextera est divinitas, qua desidero amplexari & circumdari. *Tunc*,
m. 15. d enim, *satiabor*, inquit, *cum apparuit gloria tua.* Et, *Adim-*
16. d *plebis me lætitia cum vultu tuo*: quia *delectationes in dex-*
15. c *tera tua usque in finem.*

6. Ceterum quantum dextera sinistræ præcellit, quantum videlicet æterna caducis, incorruptibilia corruptibilibus, immortalia mortalibus; tantum necesse est præcellere caritatem, quam nobis exhibiturus est in gloria suæ divinitatis, caritati quam nobis exhibuit in miseria suæ humanitatis. Hanc enim & oculus vidit, & auris audivit, & in cor hominis ascendit, non quam præpara-
n. 15. b vit diligentibus se. Quæ tamen est illa caritas? Audi. Licet majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: ipse tamen suam posuit pro inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, re-
5. b conciliavit nos Deo in sanguine suo. Si hoc fecit homo, quid faciet Deus? si hoc fecit pauper, quid faciet dives? si hoc fecit pro inimicis, quid faciet pro amicis? si hoc fecit in via, quid faciet in patria? si hoc fecit in exsilio, quid faciet in palatio? si hoc fecit in terra, ubi sui eum non receperunt: quid faciet in cælo, ubi ei omnes obediunt? si quandoque suggestionibus diaboli, vel importunis carnis nostræ clamoribus ad curam carnis in desideriis peragendam revocemur; anxietates Christi; crucisque supplicium ponamus præ oculis, & confestim ipsa nos docebit experientia, quid senserit Apostolus cum dixit:
1. b *Verbum crucis his qui salvi fiunt, virtus Dei est.* Et, *Mihi*
6 d *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu-Christi.* Quare? Quia sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt omnes immunditiæ à facie crucis. Dei siquidem infirmitas, nostra est fortitudo, & in stultitia ejus facti sumus sapien-
1 d tes. Quia enim *mundus non cognovit in sapientia Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere cre-*
u. 1. b *dentes. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Caro factus est carnalibus, sicut spiritus angelicis spiritibus. Agnoscat eum caro in carne, homo in homine. Agnoscat, inquam, & imitetur, ut eum videre mereatur in majestate, quia per humilitatem pertinget ad sublimita-
8 c tem. Si enim compatimur, & conregnabimus: si commorimur, & convivemus. Agnoscamus eum, inquam, secundum carnem, donec calcatis motibus carnis, & omnibus exstinctis, vel devictis carnalibus desideriis, possimus
5. d dicere cum Apostolo: *Etsi cognovimus eum secundum carnem, sed jam non novimus.* Licet enim gloriosum sit videre, vel in memoria habere, etiam secundum carnem, speciosum forma præ filiis hominum; magis tamen proponitur nobis caro ejus ad medelam quam ad gloriam, ad necessitatem quam ad beatitudinem. Altera siquidem collata est beatitudo animæ, cui nihil creatum sufficere potest, etiamsi cum terra cælum possideret. Nec satiari potest ejus cupiditas, donec eum habeat cujus imago est, qui solus potest implere angulos cupiditatis suæ.

7. Sicut autem Mediator noster duas naturas, humanitatem videlicet & divinitatem, conjunxit in una persona; ita singula ejus opera ad hanc, sive illam necesse est ex pertinere naturam. Ad hanc siquidem miseria, sed ad illam pertinet potentia. Quicquid ergo miseriæ passus est, ex homine contraxit. Quicquid potenter operatus est, à Patre habuit. Humanitate igitur & divinitate altrinsecus positis, duo habes media, Passionem & Resurrectionem. Illa est misericordiæ & miseriæ: ista est potentiæ. Vis annuntiari inter pennas columbæ, id est inter perfectos sanctæ Ecclesiæ, quorum videlicet exemplo infirmi roborantur, depressi sublevantur? Dormias necesse est inter medios cleros, id est, inter Passionem & Resurrectionem, hinc stipatus fructibus, hinc fulcitus floribus. Fructus ad passionem, flores ad resurrectionem pertinent.
b *Quæ seminaverit homo, hæc & metet. Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem.* Seminavit vetus homo in carne, messuit postmodum corruptionem. Quam? Passionem Christi. Nisi enim vetus homo transgrederetur, novus non pateretur. O profundum & inscrutabile re-
8. c demptionis nostræ consilium! Vere *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Domine Jesu-Christe, si ino-



bedientia Adæ cooperata est nobis in bonum, & tantum tamque mirificum bonum, ut tu fieres corruptibilis; tua obedientia in quod bonum nobis cooperabitur? Profecto, ut homo fiat incorruptibilis. Si seminantes in carne, tuam messuimus corruptionem: seminantes in spiritu nostram metemus incorruptionem.

8. Omnium ergo temporum, quæ sub conversatione veteris hominis transegimus, fructus noster est passio Christi; cui debemus configurari, mortificationem ejus circumferentes in carne nostra mortali. Unde sicut ab initio conversationis, ita ab initio prædicationis suæ proposuit nobis pœnitentiam. *Agite*, inquit, *pœnitentiam, quoniam appropinquavit regnum cælorum.* Magnam refectionem senserat, qui de fructu pœnitentiæ dicebat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Et alibi: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Et iterum: *Potasti nos vino compunctionis.* Quare ergo non dixerim pœnitentiam messem vel fructum, quæ panis vocatur & vinum? Fructus iste amarus est, sed salubris: quia pœnitentia amara est quidem ad tolerandum, saluberrima autem ad convalescendum. Proinde fidelis anima quæ retro sunt oblivisci desiderans, & ad anteriora extendi, his fructibus stipari & roborari desideret; quatenus ipsis interpositis, ad sæcularia desideria carnisque illecebras non possit reflecti. Sicut autem temporalitatem vetustatis nostræ recolentes, finem ejus & fructum habemus pœnitentiam: ita æternitatem novitatis nostræ meditando præcurrentes, quamdam gaudiorum sentimus fragrantiam. quæ merito floribus comparatur: quia viso flore spes fructus concipitur, sicut & per horum prægustationem gaudiorum certius animamur ad exspectationem futurorum. Quod enim non videmus, speramus: unde & per patientiam exspectamus. Temporis ergo præteriti fructus est compunctio, ævi futuri flos est devotio.

9. Dormias ergo necesse est inter medios cleros, id est inter Passionem & Resurrectionem; inter fructum & florem, inter compunctionem & devotionem. Qui sunt qui dormiunt? Qui flent, tamquam non flentes: qui gaudent, tamquam non gaudentes: qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: qui ut seductores & veraces: sicut qui ignoti & cogniti, per ignominiam & bonam famam, tam prospera quam adversa hujus vitæ transeunt, ac si non sentiant. Beatus siquidem populus, cui etiam in hoc mundo relictus est sabbatismus. Qui dormit, expositus est, nullam sui curam gerens: & tamen quiescit. Ita & nos omnem sollicitudinem nostram in eum projicientes, tam in adversis quam in prosperis exponamus, tam per plana quam per aspera ducatui illius congratulantes: qui ideo inclinavit cælos & descendit, ut reduceret nos in viam rectam, ut de loco peregrinationis iremus in civitatem habitationis. Si hæc via ardua est & stricta, ne deficias, quia eo tutior & rectior est. Porro prævius tuus fortis & pius est, paratus utique in defectu tuo te sacris in humeris collocare, & te portare ad gregem: quia qui dux & Dominus tuus est, ipse etiam & asinus tuus est. Issachar asinus fortis, & *posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Ipse dorsum nostrum, cui imponantur onera ceteris membris importabilia: sicut & hœdus noster emissarius ipse est, cui imposita sunt peccata nostra: quia vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Hinc ergo in memoriam revolventes passionem Christi, omnia blandimenta mundi ut stercora reputemus, ut passionibus Christi conformemur. Inde spe tenentes firmiter gloriam resurrectionis ne deficiamus; sed gloriemur in tribulationibus, quia passiones hujus temporis condignæ non sunt ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.

10. Ager ergo paupertatis merito plenus dicitur, quem simul & ver decorat floribus, & autumnus replet fructibus. Cui merito Pater comparat Filium suum, dicens: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* In quo nimirum omnis perfectio paupertatis, & virtutum plenitudo superabundavit, ita ut de plenitudine ejus omnes acciperemus. Cum enim dives esset, propter nos factus est egenus, ut illius ditaremur inopia. Ager iste aquis irriguus, floribus redolens, & abundans fructibus, thesaurum ha-



Marginalia (right): Mortificatione configuramur passioni Christi. — Matth. 3. a — Psal. 41. a — Psal. 79. a — Psal. 59. d — Rom. 8. e — 1. Cor. 7. e — 1. Cor. 6. b — 1. Pet. 5 b — Gen. 49. b — Psal. 76. c — Levit. 16. d — Isa. 53. d — Rom. 8. d — Ager paupertatis. — Gen. 27 d — 2. Johann 1 b — 2. Cor. 8 b

bet in se absconditum, videlicet continentiam carnis. Pretiosus siquidem thesaurus est possidere vas suum in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum. Noli quærere thesaurum hunc inter spinas & tribulos sæcularis illecebræ, nec in silvis ruditatis antiquæ. Non enim in silva, sed in agro absconditus est. Quæras in agro, ubi saturantur ligna campi, & ubi passeres nidificant, id est ubi incontinentes resipiscunt, dignos pœnitentiæ fructus facientes; prolem gignunt, non sibi tantum, sed & aliis proficientes. Continentiam tibi credas necessariam, ut Spiritus-sanctus fiat in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Aqua non sursum salit, sed desursum necesse est ut veniat. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Ergo quod salit in vitam æternam, à vita æterna profecto descendit. Unde licet aqua desursum veniat, nisi continentem & integrum habeat conductum, sursum non redit, sed diffluit. Descendit in te Spiritus-sanctus, vivificavit animam tuam, ut in te saliat in vitam æternam. Continens necesse est ut sit corpus tuum, quatenus obtures aures tuas ne audias sanguinem, & claudas oculos tuos ne videas malum: ne gratia de superis tibi collata, per minus circumspectos sensus tuos foris effluat, spiritu tuo diffuso in vanitates & insanias falsas.

*1. Thes. 4. a* — Continentia thesaurus. — *Jacob. 1. c* — Cur necessaria. — *Isa. 33. a*

11. Nota aliud esse continentem, aliud castum. Luxuriosus & castus sibi repugnant. Luxuriosi est motus sentire, & motibus consentire: casti est nec motus sentire, nec motibus consentire. Continens est in medio, utrobique sumens participium, cum altero commune habens motus sentire, cum altero motibus non consentire. Iste exsistens in medio domus, deorsum luxurioso, sursum vero collatus pudico, etsi non in munditia carnis perambulat, tamen in innocentia cordis decantat misericordiam & judicium. Judicium, quod motus sentiat: misericordiam, quod motibus non consentiat. Iste nolens dimittere Angelum magni consilii incipiente aurora novæ lucis, sed petens obnixe benedictionem perseverantiæ: etsi non omnino privari, claudicare tamen meretur altero pede. Qui sunt duo pedes? Motus sentire, & motibus consentire. Illud est naturale, istud est criminale. Licet ergo nondum ignorare possit pravos motus desideriorum, sed adhuc in ipso vigeat pes iste: per gratiam tamen supernæ benedictionis ita enervatur in ipso pes consensus, quatenus etsi ipse trahat, ipsi tamen inniti non possit. Non est omnino sine eo, quia cum repentina cogitatione concurrit multoties quædam delectatio: quæ tamen cum sentitur, gemitum magis quam consensum extorquet.

Continentis & casti differentia. — *Gen. 32. g*

12. Invento hujusmodi thesauro in agro paupertatis, ut in tuam thesaurus redigatur possessionem, vade & vende omnia quæ habes, & eme agrum illum. Quid est vende omnia quæ habes? Abrenuntia omnibus quæ possides, exiens ad Jesum extra castra, ut portes improperium crucis ejus: quatenus tantæ humilitatis merito de nemore exiens, in quo involutæ sunt semitæ impiorum qui in circuitu ambulant; agrum quem prædiximus possideas, in quo abjectis occupationibus curisque sæcularibus, corpore composito, & corde dilatato, curras alacer viam mandatorum Dei, quæ quidem desiderabilia sunt & dulciora super mel & favum. Quare? Quia in custodiendis illis retributio multa. Plane multa, quia custodientibus ea debetur vita æterna. Unde Veritas: *Si vis*, inquit, *venire ad vitam, serva mandata.* In hoc gradu continentiæ, in quo refrenas quod delectat, & quod non delectat operaris, magna tibi incumbit tribulatio: quia dum voluntati tuæ repugnat ratio, bellum geritur intestinum. Noli ergo torpere, sed leves oculos tuos ad eum qui habitat in cælis, à quo veniet tibi auxilium, ut non solum permaneas, sed etiam glorieris in tribulationibus. Quod tamen aliter non fit, nisi tibi sapiat Deus.

*Psal. 11. b* — *Psal. 18. a Ibid.* — *Matt. 19 c*

13. Quæras ergo necesse est sapientiam, per quam tibi sapiat Deus, & mundus desipiat. quæ per pretiosam signatur margaritam: quam qui invenit homo, vadit, & vendit universa quæ habet, & emit eam. Utinam gustares & sentires quam dulcis est Dominus! Utinam gustares panem qui de cælo descendit, habentem omne delectamentum & suavitatem saporis! Profecto si quid haberes, venderes, & comparares eam. Quid amen habes vendere, qui omnia quæ possidebas vendidisti propter agrum paupertatis comparandum, in quo thesaurum inveneras continentiæ? Vide ne forte duplex sit possessio tua, una interior altera exterior. Exterior est sæcularis facultas, interior, est propria voluntas. Sæcularibus facultatibus abrenuntiasti, exiens ad Jesum extra castra hujus sæculi. Adhuc tamen rudis, & vetustatis tuæ tenebris obvolutus, propriæ voluntaris tuæ vitium non intellexeras, quæ profecto non relinquitur, quoties fit exterior abrenuntiatio. Citius enim & levius relinquitur facultas, quam cupiditas amittatur. Unde Dominus non quoscumque pauperes, sed pauperes spiritu dicit esse beatos. Qui sunt illi? Non omnes utique qui habent, sed qui amant paupertatem.

Parabola 2. de margarita pretiosa. — *Sap.* — *Matt.*

14. Parum ergo omnino, immo nihil prodest exterior abrenuntiatio sine interiori vel comitante, vel subsequente. Propria siquidem voluntas Deum impugnat, & adversus eum extollitur. Ipsa est quæ paradisum spoliat, & ditat infernum: quæ sanguinem Christi evacuat, & ditioni diaboli subjugat mundum. Vide qualiter propria voluntas adversatur Deo. Nemo potest duobus dominis servire. Non poteris obedire simul & divinæ, & propriæ voluntati. Si enim voluntas tua voluntati divinæ concordat, jam non propria voluntas est, sed communis: non tantum est hominis, sed hominis & Dei. Ceterum voluntati Dei ex debito creationis tuæ necessario es obnoxius. Quare? quia sola voluntas Dei causa est, quare creaverit & recreaverit te Deus, sicut ait Apostolus Jacobus: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Facies quod debes dum obedis ei. Debitum etiam virtutis pensum fideliter persolvis, cum ejus voluntatem & habes in desiderio, & servas in obsequio. Ecce autem fallente diabolo & sensibus tuis sæculo lenocinante, ad ea quæ foris sunt curiose egrederis, ad quorum delectationem dum propriæ voluntatis attraheris concupiscentia, quodammodo abrenuntias Deo, ac si abnegans diceres: Hucusque te colui, voluntatem tuam feci, sed nullam in me deinceps habeas fiduciam, quia alii domino servire, fidemque servare proposui. Ecce propriæ voluntatis iniquitate abnegasti Deum tuum. Sed necdum sufficit tibi ipsa negatio: quin immo impudentissimus prædo subsequenter effectus, in possessiones ejus violenter debaccharis, tam alimentis quam indumentis, quæ præparavit non contemptoribus, sed servitoribus suis, ad tantæ majestatis injuriam impudenter abutens. Si in monasterio es, nihil comedis, nihil bibis, nullo indueris, quod prius non auferas: dumque de sacratio victualia rapis, latrocinio sacrilegium jungis. Accedis tamen ad altare, & dominicum Corpus & Sanguinem tractans, nihil in te criminale reperis. qui, si veritas subtiliter indagatur, Deum negasse convinceris, ac latro probaris ac sacrilegus. Sequitur tertium, quod gravissimum est: quem abnegasti, quem deprædatus es, ad ultimum moliris occidere. Permanens enim in iniquitate tua, peccatum tuum vis esse impunitum, in quo Deum vis esse injustum. Exigit enim justitia ejus, ut unicuique reddat secundum opera sua. Qui enim Deum vult esse injustum, vult Deum non esse Deum. Et qui desiderat non esse Deum, nonne quantum in eo est, ipse Deum occidit?

Propr[ia vo]lunta[s] [pu]gnat — *Matt.* — *Jac. 1* — Abne[gatio] Deu[s] — Furat[ur] — Imo q[uo]modo D[eum] — *Rom.*

15. Proinde qui vendidisti exteriorem possessionem tuam, ut absconditum in agro regularis disciplinæ thesaurum continentiæ emeres; vade & vende interiorem proprietatem, longe profecto graviorem ad relinquendum, & omnino perniciosam ad retinendum, ut pretiosam margaritam sapientiæ compares: quam qui invenit, beatus si tenuerit eam. Vis eam habere? serva mandata. Sic enim scriptum est: *Concupisti sapientiam? serva mandata, & Dominus dabit illam tibi.* Impende igitur obedientiam, & recipies sapientiam. Quomodo enim possumus Deo placere, aut ipse nobis sapere, si ejus mandatis contempserimus obedire? Unde interroganti in Evangelio adolescenti, divina continuo mandata proponit servanda, ostendens in nobis faciendam esse ejus voluntatem,

Sapien[tia] marga[rita] — *Eccl.* — Quom[odo] compa[retur] — *Matt.*

à quo æternam speramus retributionem. Propter quod dicit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Et alibi: *Quid vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Hoc ordine debes progredi. Continere non potes in sæculo? fuge sæculum, & apprehende disciplinam, ubi profecto invenies continentiam. Jugulatis postmodum per confessionem carnalibus desideriis, de vitiis animæ poteris liberius judicare, de quorum radicibus flagitiorum pullulant surculi, & in perfectum turpitudinis corpus excrescunt. Hæc animæ vitia, spiritualia nequitiæ vocat Apostolus, quæ parum discernere poteras, dum carnalibus occupabaris desideriis, & in eis quæ foris sunt delectabaris. Postquam ergo exteriorem delectationem amiseris, nisi senseris interiorem, diu stare non poteris. Quæ est illa? Visitatio sancti Spiritus. Hanc tibi auferri invenies per propriam voluntatem. Vende eam, mandatis Dei diligenter obediendo, & pro ea invenies vitam æternam. Dicit enim Veritas: *Si vis ad vitam venire, serva mandata.*

16. Ecce habes continentiam, qua corpus tuum possideas in sanctificatione: habes sapientiam, qua Deo placeas in devotione. Habes aliquid tibi, habes aliquid Deo: sed quid habes proximo? Quid est quod dicit Apostolus: *Sive sobrii sumus vobis, sive excedimus Deo?* Quibus loquitur? Proximo loquitur. Qui ergo excessum suum dat Deo, sobrietatem suam proximo, quid sibi retinet? *Caritas non quærit quæ sua sunt.* Quare? Quia non est egena, & habet, & superabundat. Ita & tu necesse est habeas aliquid ad opus proximi, ut probes quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Probas in te voluntatem Dei bonam per continentiam, beneplacentem per sapientiam: restat ut probes perfectam per misericordiam. quæ quidem significatur per sagenam missam in mare, & ex omni genere piscium congregantem. Sagena siquidem misericordiæ per mare fraternæ caritatis trahitur, & bonos, & malos pisces, id est, tam amaras, quam dulces affectiones contrahit, omnibus se conformans, & omnium in se tam adversa, quam prospera trajiciens, flens cum flentibus, gaudens cum gaudentibus; quæ tandem veniens ad littus, quando videlicet de servitute corporis hujus liberabitur in libertatem gloriæ filiorum Dei, quicquid amarum, quicquid triste, quicquid adversum est, destruet & exuet, cui nimirum erit lætitia, & lux lucebit perpetua. Quod congregationem mare dixerim, non tibi videatur absurdum: quæ nimirum flante aura tentationis, procellis turbationum multoties eliditur. In qua sunt quamplures qui ascendunt

A usque ad cælos præsumendo, & descendunt usque ad abyssos desperando: quorum anima in ipsis tabescente turbantur & moventur sicut ebrii, & omnis sapientia, immo conscientia eorum devoratur. Sed licet mirabiles elationes maris, mirabilis tamen in altis Dominus: quia etsi quandoque in navi dormire sustineat, novit tamen surgere in tempore opportuno, & eo imperante fluctibus & mari, redit tranquillitas magna. *Psal. 106 c* *Psal. 282.*

17. Ad inveniendos fines sapientiæ, ut proposuimus, tres posuimus parabolas evangelicas, easque, prout Dominus dedit, exposuimus, primam de thesauro, secundam de margaritis, tertiam de sagena. Jam vero devicta tantæ caliginis densitate, patet quomodo *Sapientia attingat* B *à fine usque ad finem fortiter.* Sane secundum quod processimus, sapientia quasi medium locum tenet, habens hinc continentiam, inde misericordiam. Attingit autem modo ad istam, modo ad illam, fortitudinem utrimque ministrans. Luxuria siquidem impugnat continentiam, avaritia misericordiam. Luxuria flagitium est, avaritia spiritualis nequitia. Unde illud vitium corporis, istud animæ. Vide quia nullum est peccatum quod ita inquinet corpus, sicut luxuria. *Omne enim peccatum quod fecerit homo, extra corpus suum est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Similiter super omne peccatum avaritia inquinat animam: unde & *idolorum servitus* dicitur. Incurvat enim ad infima & egena elementa animam, quæ soli Creatori subC jecta, ceteris rebus deberet præesse. Qui ergo perseverant in continentia, assultus sentiunt luxuriæ, sed apud sapientiam fortitudinem inveniunt resistendi. Per hoc enim quod eis sapit Deus, & gustare quandoque merentur quam dulcis est Dominus, illam infelicissimam & fœtentissimam dulcedinem luxuriæ respuunt, & apud eum inveniunt refrigerium, cujus apud se habent desiderium. Similiter avaritia subvertere nititur misericordiam, & quasi sub specie boni res monasterii prohibet vendere pro necessitatibus infirmorum, ac si corruere debeat monasterium, si cura suscipiatur infirmorum. Sed quibus sapit Deus, non adeo sapit terrena substantia, quin infirmis compatiantur. Avaritia autem dum ingerit superfluitates, D vult necessitates resecare: sed sagena misericordiæ, quæ fit ex filis compassionis, & impendit caritatem in necessitatibus inveniendis, & habet discretionem in superfluitatibus rejiciendis. Dat itaque sapientia virtutem & fortitudinem plebi suæ, virtutem contra avaritiam, fortitudinem contra luxuriam: & tamen inter tot perturbationes, & inter tot angustias disponit, ut diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, Amen.

*Anacephalæosis præcedentium.* *Sapientia in medio.* *1. Cor 6. d* *Colo. 3. a* *Rom 8. e*

---

# IN PARABOLAM EVANGELICAM
## DE DECEM VIRGINIBUS, SERMO.

*Est satis elegans, non tamen videtur esse Bernardi.*

*Simile est regnum cælorum decem virginibus, &c.* Matth. 25.

1. Sponsus Christus est, ad cujus vocem qui amicus est, stat & audit, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Huic nos despondit Apostolus, qui ait: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Timeo autem quod non possit hoc facere quod spopondit, id est, animam nostram exhibere Christo virginem, & virginem castam. Castam addit, quia sunt quædam virgines corpore, quæ cogitatione fornicaria devirginantur, & suaveolentem virginitatis florem libidinosæ affectionis pædore contaminant. Et hæ quidem fatuis quinque virginibus designantur, quas non rectæ intentionis affectus infatuat. Virgo Christus est, & Virginis filius, & virginem conjugem vult habere. Tu si habeas angelicam (plus dico vobis) Christi matrisque suæ gratiam, hilaresce, tripudia, & in amplexus Christi festinabunda gestiens, illud amatorium clama suspirans: *Osculetur me osculo oris sui.* Sponsa ergo es Jesu-Christi: sed

E hoc tuum nomen diligenter attende. Sponsæ vel sponsi nomen ab eo quod est spondere grammatici derivant. Dicuntur autem sponsus & sponsa, quia se sibi alterutrum spondent, ut nec ille, nec illa alteri nubat. Porro inter diem desponsationis hujus interponitur aliquando breve spatium, aliquando & productum; & tamen definita ac denominata est dies, qua debeant convenire. quod quidem sapienter atque utiliter statutum est, ut interim mutuus amor augeatur & crescat, & impatiens desiderium cupitæ copulæ quo amplius differtur, ignescat: & quia juxta Salustium, cupienti animo nihil satis festinatur, diem dictarum nuptiarum properantius esse desiderent. F Sic Jacob pro Rachel septennium à die desponsationis labore desudat, cubat sub dio, gelu alget, solibus uritur, nec tanti ac tam diuturni laboris amator vehemens cedit injuriæ. Quorsum autem ista? Ut & tu si jam sponsa Christi es, ardeas amore, æstues desiderio, anheles suspiriis, dum tardat dies copulæ concupitæ. Ait quidam: *Palleat omnis amans*, ut pallor & macies sint amoris signa certissima. Quid tibi cum lautioribus epulis? Quid tibi cum

*Sponsi cur sic dicti.* *Cur sponsis differatur dies nuptiarum.* *Gen. 29. d* *Amoris vis.*

vino? Nōn est hoc monachorum. Epulentur splendide cives Babylonis. Si te viderit ob amorem suum sponsus marcescere, si pallescere, si calescere impatienti desiderio: accelerabit copulæ diem, offeret oscula, junget amplexus. O lætam diem nuptiarum! O felicem sponsam tali conjugio! Carpe oscula ô beata sponsa, junge amplexus, canta: Ecce quod concupivi jam video: quod amavi jam teneo: ipsi sum juncta in cælis, quem in terris posita tota devotione dilexi.

*In officio S. Agnetis.*

2. *Simile est regnum cælorum decem virginibus*, quas Rex cælorum si sibi cum lampadibus luminosis occurrerint, in illum cælestem thalamum intra asylum cubiculi introducet. Sed quid facimus, quia quinque sunt fatuæ, & quinque prudentes? Puto autem quod & plures, & prudentium numerum longe superet multiplicitas fatuarum: ceterum omnes *acceptis lampadibus exierunt obviam sponso & sponsæ. Exierunt.* Unde exierunt? Plane de substantia & sæculari conversatione, juxta illud: *Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis.* Audit & Abraham: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Loth quoque de Sodomis exire præcipitur, & retrospicere prohibetur, ne pariter cum Sodomitis ardentibus involvatur incendiis. Sed quid dixit ad Angelum? *Est civitas hic juxta, ad quam possum confugere, parva, & salvabor in ea.* Numquid non modicum est, & vivet anima mea? Civitas parva & juxta, id est non longe à sæculo, in qua Loth ardente Sodoma salvatur, monasterium est. Numquid non modica est respectu illius, quæ mundi latitudinem occupans, populosa valde & malitiosa, cupiditatis & libidinis flagrat incendio? Eximus inde, & ad parvam civitatem quæ juxta est confugimus, ardentem cum civibus suis Sodomam relinquentes. *Salvabor*, inquit, *in ea.* Plane salvabimur in civitatula ista, si non respexerimus retro, si flammantis Sodomæ (quæ juxta juste ardet) non nos apprehenderint, non nos incenderint favillæ caducæ. De hac Sodoma exierunt virgines obviam sponso & sponsæ: longe enim est à virginibus flamma Sodomorum.

*Isa. 52. c*
*Gen 12. a*
*Gen. 19. a* Loth è Sodomis fugiens figura Religiosorum.

3. Exierunt autem cum lampadibus, lumbos habentes præcinctos, & lucernas in manibus ardentes: ut & castitatis cingulum adstringatur in corpore, & ad utilitatem proximi & gloriam Patris, lux exempli clareat in operatione. Sic Gedeon in lagunculis lampades occultans, sed in hora certaminis fractis vasculis demonstrans, repentina luce hostes terruit, & vertit in fugam. Terrentur enim principes tenebrarum visa luce bonorum operum, quia stare ante lucem tenebræ non possunt. *Prudentes enim virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Vide prudentiam virginum istarum: sciebant noctem fore productam: & nescientes qua hora noctis sponsus veniret, non contentæ oleo lampadum, etiam in vasis oleum sumunt: ut si forte illud quod erat in lampadibus adnihilaretur & deficeret, de eo quod in vasis reposuerant ad custodiam luminis, lampades implerent. Oleum in lampade, est opus bonum in manifestatione: sed dum videtur à proximis claritas operis, dum mirantur & laudant, extollitur plerumque & adsurgit elatus animus operantis: & dum in se & non in Domino gloriatur, lumen lampadis adnullatur, & carens fomento congruo lampas, quæ coram hominibus clare lucet, coram Domino tenebratur. Prudentes vero virgines præter oleum quod in lampadibus habent, oleum aliud in vasis reponunt: quia nimirum sanctæ animæ dum sponsi sui præstolantur adventum, dum toto desiderio ei clamant quotidie, *Adveniat regnum tuum*, præter illa opera quæ proximis lucent ad Dei gloriam & videntur, aliqua in occulto, ubi solus Pater videt, opera faciunt: ut si forte illa, quæ conspicua & clara sunt, flatus humanæ laudis exstinxerit, oleum occultæ conscientiæ suffragetur. Hæc est gloria filiæ regis ab intus, dum plus de oleo quod in vasis conscientiæ dilucescit, quam de eo quod lucet de foris, gloriatur: periisse æstimat omne quod cernitur, nec id dignum judicat remuneratione, quod favores hominum prosequuntur. Latenter igitur quæ prævalet, operatur, petit secretum, orationibus pulsat cælum, fundit lacrymas testes amoris, & cum dilecto illo suo, suspirio gemituque fa-

*Judic. 7. c*
*Matth. 25. b* Prudentia Virginum.
Quale oleum prudentum.

A bulatur. Hæc est gloria, sed ab intus, sed invisa, filiæ regis & amicæ. Hoc oleum fatuæ virgines non habent: quia nisi ad nitorem vanæ gloriæ & favorem hominum bona non operantur. Hoc oleum, in quo prudentes confidunt, in abditis conscientiarum vasculis reponunt.

4. *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes & dormierunt.* Dormiunt virgines bonæ in Domino, & in Christi pectore dulce reclinatorium habentes, mane illud ultimum præstolantur. *Mane*, inquit, *adstabo tibi, & videbo.* O quam jucundo interim sopore sopiuntur, quarum caro in spe requiescit, & in spe spiritus hilarescit! Libet inter hæc meminisse, quod sanctus Germanus pontifex Altisiodorensis Romam petens, cum Æduam devenisset, ad tumulum sancti Cassiani divertit: quem proprio vocans nomine, Quid, inquit, agis, frater carissime? Et ille de tumulo, Dulciter, inquit, in pace requiesco, & adventum Redemptoris exspecto *. Ecce prudentium virginum somnus, quibus cælicus dicit spiritus, *ut requiescant à laboribus suis.* Non autem hoc fatuis virginibus dicitur, nec talis interim sopor earum. Neque enim à laboribus requiescunt, quarum caro videt corruptionem, ut ingrediatur putredo in ossibus earum, & subter eas scateat. Et hoc quidem caro. Anima vero sepulta in inferno quomodo dormit conturbata, quæ in tormentis posita aret siti, nec sperat guttam refrigerii, & resurrectionis diem C & adventum Judicis male sibi conscia perhorrescit?

*Psal. 5*
*Isa. 1*
Sanct somni
*Const. Presb. vita S. l. 2 c Sur. 3*
*Apoc.*

5. *Dormitaverunt* igitur *omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit; exite obviam ei.* O clamorem prudentibus virginibus omni modulatione, omnibus modulis dulciorem! *Ecce sponsus venit!* Putas vox ista est Filii Dei, quam, cum venerit beata illa hora, omnes qui in monumentis sunt audient, & qui audierint vivent? Domine Jesu-Christe Fili Dei vivi, da in illa hora auditui meo gaudium & lætitiam, & exsultabunt ossa humiliata. Non timeam tunc, quæso Domine, ab auditione mala, quam audituri sunt quibus dicturus es; *Ite maledicti in ignem æternum.* Erit fortassis vox ista illius tubantis Archangeli, in cujus voce & in novissima tuba D Dominus descendet de cælo. Canet enim tuba, ad cujus clangorem; ut Hieronymi verbis utar, totus timebit mundus. Fragor igitur tubæ illius, dum tubabit Angelus, dum expergiscentur homines, tartara etiam tenebrosa concutiet. Audient miseri qui ibi sunt, qui illo tenentur ergastulo, audient tunc, qui nunc audiunt & facere nolunt: *Exite obviam ei.* Magnus quidem clamor: quoniam ut Sibylla dicit, quando tuba sonitum tristem dimittet ab alto orbe *; & Dominus cælum advocabit desursum & terram discernere volens populum suum ante se, & prudentes virgines ab infatuatis separare; advocabit cælum desursum, ut virtutes illæ cælorum de suis sedibus moveantur, & omnes Angeli cum eo ad judicandum conE gregentur. Psalmista: *Advocabit cælum desursum*, id est spiritus animasque justorum, quibus ante dictum fuerat, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus fratrum eorum. Tunc cælesti illa habitatione relicta, sanctæ illæ animæ suis corporibus redditæ, tanto tutius, quanto incorruptius gaudebunt. Tunc in momento, in ictu oculi, juxta Ezechielem, in campo pleno ossibus, mortuorum ossa ad ossa, & nervi ad nervos, & juncturæ ad juncturas denuo colligentur; quia surget corpus spirituale quod seminatum est animale: & resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Tunc in articulo, in diluculo diei illius, veniente sponso, clamor magnus omnes excitabit dorF mientes, & clamabit virtute magna & efficacissima: *Exite obviam ei.* Exite dormientes, & in occursum Judicis festinate. Tunc plangent se omnes tribus terræ. *Tunc dicent montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos.* Exite de tumulis quos conscientiæ memoria non accusat, & videte Judicem bene sibi conscii & boni meriti gaudentes.

*Johann*
*Matth*
*1. Thes*
Vox ad dicium mines cans q
*Vide l. 18. c Dei cap*
*Psal. Apoc.*
*Ezech.*
*1. Cor*
*Luc. 23*

6. Reprobos autem non tam voluntas quam potestas Judicis exhibebit, nec tam de monumentis exient quam trahentur. Merito dies illa, dies iræ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis prædicatur, in qua

*Soph. 1*

*Judicii signo, tellus sudore madescet:*
*Decidet è cælis ignisque, & sulphuris amnis*,*
*Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.*

Ignis enim ante Dominum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus, quos tunc instar Sodomitarum inveniet nudos & intectos. Sic enim resurgentes ignis & sulfuris imber inundans igniet & comburet. Erit tunc omnino miserabile visu, quod incorruptibile & incremabile corpus ardebit, nec interibit: comburetur, nec minuetur. Capillus enim de capite non peribit: quia nil corporis, quod incorruptelam induerit, vel incidi poterit vel aduri. Aspice Salamandram super ignitas & ardentes prunas illæso corpore gradientem*. Porro asbestus lapis talis fertur esse naturæ, ut semel accensus inexstinguibiliter ardeat, igne lapidi inhærente, nec tamen consumente*. Tali vero modo, ut opinor, ignis ille sulfureus inflammabit inimicos Domini. Justos vero sicut Babylonios tres pueros non tanget omnino, nec contristabit, nec molestiæ quicquam inferet, cum reformabit Dominus corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Rogo, quid inter hæc erit mentis peccatoribus, qui nunc lætantur cum malefecerint, & exsultant in rebus pessimis? Quid, inquam, animi tunc habebunt, ardentibus elementis, terra dehiscente, & hiatu terribili chaos demonstrante tartareum, consurgentibus mortuis, & Judice illo, cui Pater omne judicium dedit, cum omnibus Angelis cælitus adveniente? Miserum me, dum hæc cogito & scribo, cor timore palpitat, hument oculi, & tribularer nimium, si nescirem misericordias Domini.

7. Verum ad propositum revertamur. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades suas*, id est, conscientias, cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus: *Arguam te*, inquit, *& statuam te contra faciem tuam.* Posuimus nos peccata nostra post dorsum nostrum dum hîc viveremus, & tamquam de actibus nostris nulla esset ante tribunal Christi facienda discussio, per negligentiam peccata multa oblivioni tradidimus. Sed quid ait? *Statuam te contra faciem tuam*, id est totam vitam tuam, quicquid cogitatu actuque peccasti, ante tuæ D faciem mentis adducam: quæ cum omnia simul videris, dicam: *Hæc fecisti, & tacui.* Sic fieri arbitror hora illa, tale judicium fieri, Veritate, quæ Christus est, in cordibus singulorum judicante. Heu quanta tunc in mentem venient, quæ nunc vel nulla putantes, inconfessa atque impurgata relinquimus! Quod metuens pius ac prudens rex Ezechias: *Recogitabo*, inquit, *omnes annos* A *meos in amaritudine animæ meæ.* Recogitabo, id est iterum cogitabo; ne aliquid forte oblitus sim, neque aliquid injudicatum & indiscussum remaneat.

8. Ornant ergo lampades prudentes virgines oleo, quod in vasis reposuerant: sed fatuarum virginum lampades exstinguuntur, & quia tenebrarum opera fecerant, in tenebris remanserunt. *Date nobis*, inquiunt, de *oleo vestro.* 1. Pet 4 d
Stulta petitio. Vix justus salvabitur, & vix etiam sanctis justitiæ suæ oleum sufficit ad salutem: quanto minus & sibi, & proximis? Noë, Daniel, & Job, nec filium liberabunt: sed sicut anima quæ peccaverit ipsa morietur, sic anima quæ justitiam fecerit, sola salvabitur. *Respondederunt prudentes dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis*, B *ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Tardatum est: jam enim nequaquam justitiæ oleum venumdatur. Jam Prophetæ & Apostoli, aliique Doctores, qui hoc distrahere & habere venale solebant, à tali mercimonio quiescunt, nec jam ulterius dicunt: *Sumite psalmum, & date tympanum.* Quid plura? *Quæ parata erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* Virgines ad nuptias intrant, quas introducet Rex in cubiculum suum: quia earum speciem concupivit. Ibi de cælesti cella vinaria promitur & propinatur vinum novum, quod pariter bibet & monstrabit Filius hominis.

Difficultas salvandorum. Ezech. 18 c Psal. 80 a

9. *Et clausa est janua.* Quæ janua? illa quæ nunc patet venientibus ab Oriente & Occidente, ut recumbant cum C Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum. Illa quæ ait: *Eum qui venerit ad me, non ejiciam foras.* Ecce quomodo patet nunc, quæ tunc in æternum claudetur. Veniunt homicidæ, & admittuntur; veniunt publicani & meretrices, & recipiuntur; veniunt Sodomitæ, molles, adulteri, fures, & quicumque hujusmodi, & patens eis janua non negatur. Multus enim est ad ignoscendum, præstabilis super malitia qualicumque & quantacumque. Tunc autem quid dicit? *Clausa est janua.* Janua pietatis & misericordiæ Christi, quæ nunc lacrymis, gemitibus, suspiriis & precibus pœnitentium facile patet, clausa est. Nullius pœnitentia, nullius oratio, nullius gemitus amplius admittetur. Clausa est illa janua, quæ Aaron post idololatriam recepit, quæ David post adulterium, post homicidium admisit, quæ Petrum post trinam negationem non solum non repulit, sed claves suas ei observandas tradidit. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam:* quia vigilantibus & orantibus, non dormientibus & pigritantibus regnum cælorum præstatur per Dominum nostrum Jesum-Christum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Johan. 6 d

---

Sermo NICOLAI Claræ-vallensis.

# IN FESTO SANCTI ANDREÆ.

*Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Rom. 10.

1. ET quietum studium, & attentum silentium, & tanta tanti viri sollemnitas monent, immo compellunt aliquid dicere ad ostendendum gloriam deitatis, gratiam apostolicæ dignitatis, confessionis virtutem. Demus gloriam laudi ejus, quem laudant omnes gentes, qui ministros suos & laudat, & laudabiles facit. Ipse est cui adsistunt Angeli ad audiendam vocem sermonum ejus: qui stellas vocat & dicunt, Adsumus: cujus manus extendit cælos, qui fundavit terram super stabilitatem suam, qui graditur super fluctus maris, qui fecit mirabilia solus, in quem desiderant Angeli prospicere. Ipse est qui fecit omnia, & in omnibus quæ fecit, quæcumque voluit fecit. Huic servire regnare est, qui servivit pro nobis dura & gravi necessitate, & purpuram suæ divinitatis cilicio nostræ mortalitatis operiens, pauper & mendicus venit in regionem nostram. Numquid non ludus vobis videtur Judæi, Pagani, Hæretici, & omnis illa subsannantium, immo insanientium turba, cum dicimus Filium Dei carnem, mortem, clavos & lanceam tolerasse? Ludus profecto est, unde sic nobis luditur, ut vobis illudatur. Unicus ille Sapiens hu- E jus mysterii non ignarus, ludum istum eleganti sermone prælusit. *Delectabar*, inquit, *per singulos dies, ludens coram eo in orbe terrarum.* Lusit quippe *coram Deo*, cum carnem ex ejus præcepto suscepit; *& in orbe terrarum*, quia ad redemptionem orbis terrarum delectatus, *per singulos dies* in singulis Apostolis jucundatus, dum uni tradit regnum cælorum, alteri de pectore suo reclinatorium facit. Prov 8 d

2. *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Putabam ego, Domine Jesu, quod deliciæ tuæ essent esse non cum filiis F hominum, sed cum choris Angelorum, ubi divinitatis gloria Thronis & Potestatibus admirandus superiorum oculos reverberas naturarum, ibi lucem inhabitas inaccessibilem, & circumstantiam clarissimorum luminum tui luminis obtegis majestate. Sed illa clementissima tua pietas, & benignitas adoranda, delicias suas dicit esse cum filiis hominum. Isti sunt filii hominum, qui speraverunt sub tegmine alarum tuarum, quos elegisti de plebe, quorum lavisti pedes, quibus tuum spiritum infudisti; qui fidem tui nominis quadrigis evangelicis per orbem quadrifidum portaverunt. Nota tamen quod dicit, non

cum hominibus, sed *cum filiis hominum.* Ego puto homines ad veterem hominem; filios hominum, ad filium hominis pertinere, juxta quam intelligentiam puer citharista sic intonat: *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?* Videsne quia Deum hominis esse memorem, filium vero hominis se visitare confirmat? Præsumimus & speramus, quia faciet nobis misericordiam suam in conspectu filiorum hominum, si interim protegat nos in abscondito faciei suæ à conturbatione hominum. Igitur & Dominus noster, cujus schola est in terris, & cathedra in cælo, ex his omnibus quos elegit & præelegit, Andream elegit apostolum, cujus sollemnitatem & vocibus, & cordibus inclamamus. O dulcis Apostolus & primitiva vocatio Domini Salvatoris, qui in ipsum apostolicum chorum tanti prioratus insignitur fastigio! Non subterfugit nos, quia quodammodo tenerrimus est, & dulcior in cordibus fidelium, cujus passio tanta spiritus devotione distillat, ut mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur. Unde non immerito in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt scripserunt orbi, & ministri fuere sermonis. Vocatio ejus, vita ejus & passio cognitæ sunt vobis: & nunc quid superest, ut à me amplius exspectetis?

Psal. 8. b

Fides historiæ passionis S. Andreæ.

3. Verumtamen movet me lectio apostolica, ut aliquantisper de ea vestræ reverentiæ colloquamur. Ait enim: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in ipsum non confundetur.* Tria proponuntur hîc & *corde credere ad justitiam*, & *ore confiteri ad salutem*, & in illum *credere*, in quem qui crediderit *non confundetur.* Solum cor hominis capax est orationis & susceptibile mysteriorum Dei, quod purgatum atque politum ipsam divinitatis substantiam considerat: etsi non comprehendit, apprehendit tamen. Cor est in pectore, anima in corde, mens in anima, fides in mente, Christus in fide. Et hoc est puto, quod dicit Apostolus, *habitare Christum per fidem in cordibus nostris.* Hoc igitur in meracissimam eliquatum est puritatem, cum omnia mysteria Christianæ fidei fide percipis inconcussa, nihilque est quod tibi dubitationem parit, licet non videas rationem. Hæc est consummata justitia, perfecta veritas, & vera perfectio, si tamen oris confessio subsequatur. Fides enim cordis sine oris fide, aut nulla est, aut parva, Salvatore dicente: *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet*, &c. Et Propheta, *Periit fides & ablata est de ore eorum.* Non dixit de corde, sed de ore: quia nihil valet fides cordis sine fide oris, nec fides oris sine fide cordis: cum ista justitiam, illa donet salutem: quia salus à justitia, vel justitia à salute separari non possunt. Crede ergo & confitere: nihilo minus confitere & crede: quia fides ad justitiam, confessio fit ad salutem.

Rom. 10. b

Ephes. 3. c

Luc. 9. c

4. Et quandoquidem in hæc devenimus loca, & occasio confessionis se obtulit: reddendum est quod alibi promisimus, totumque conferendum quod de confessione sentimus. Patientes autem estote, & si forte protensius sermonem extendero; vos intendite quæ dicuntur, quia vestræ utilitati proferuntur. Via enim est sine qua nemo venit ad Patrem: quam qui perdidit, perdidit Deum. Cum enim de vitiorum abysso disponis emergere, ad illum præcipue sit refugium tuum, cui tua anima commissa est, quem imposuit Deus super caput tuum. Nec te moveat si illitteratus sit, vel indiscretus, quia hoc ipsum signum humilitatis est, quæ generat confessionem. Memento quia non est potestas, nisi à Deo. *Super cathedram*, inquit, *Moysi sedent Scribæ & Pharisæi.* Et tu attende non ad sedentem, sed sedem; cathedram, non personam. Quod si forte vel licentia ejus ad alium transfugere permittatur; tu tamen prius ei reveles tui cordis arcanum: quia non est plena salus, si ille fugitur aut contemnitur, cui adhærere, & quem honorare debueras. Quod si minus sufficiens tibi videtur ejus instructio, patet ad libertatem via, ut coram alio litterato atque discreto effundas cor tuum; reservato illi privilegio suo, cui tu tuam animam commendasti.

Confessio cui facienda.

5. Nec tibi blandiaris, si graviter peccanti levior pœnitentia, vel à nesciente, vel à dissimulante dictatur, cum

A in purgatoriis ignibus perficiendum sit, quicquid hic minus feceris, quia dignos fructus pœnitentiæ quærit Altissimus. Licet autem non evaserit manus Omnipotentis, qui tibi non plene consuluit: tibi tamen ratio magistra præsidet, quæ te doceat tantum à licitis abstinere, quantum te memineris illicita perpetrasse. A vestibulo igitur hujus sacratissimæ virtutis omnes illos excludimus, quos ad Confessionem vel timor cogit, quia extorta confessio non est confessio; vel aliorum accusatio trahit, quia non est confessio, sed offensio; vel sui excusatio ducit, quia non est confessio, sed defensio; vel jactantia inanis rapit, quia non est confessio, sed illusio; & si quæ aliæ pestes sunt, quæ obumbratorio velamine tanti sacramenti simulant sanctitatem. Cor in semetipso, & ex semetipso contritum & humiliatum, ad hujus purificationis potest ascendere puritatem. Ostendam tibi unum justorum justissime confitentem. Quæris quisnam sit? Psaltes Domini est. *Dixi*, inquit, *confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* dixi, hoc est, in corde proposui, non coactus, non compulsus, sed spontaneus. *Injustitiam meam*, ait, non alienam, adversum me arguens & accusans. Vides quia non timore alterius, vel ad alium accusandum, sed seipsum sanctus Domino confitetur. Pro hujusmodi confessione *remittes tu, Domine, impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Hæc primum in corde germinat ad justitiam, post hæc in ore nascitur ad salutem.

B

Psal. 31.

C

6. Primus ejus gradus est, cognitio peccati. Initium salutis, ait quidam *, notitia peccati. In hac cognitione videndum est quid egeris, quantis contumeliis affeceris corpus tuum, ambulans in passione desiderii, sicut & Gentes quæ ignorant Deum, possidens vas tuum in immunditia & vilitate, non in sanctificatione & honore. Considerandum est etiam quid merueris; ignem scilicet illum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, & omnia genera pœnarum, quæ in illis pœnalibus locis cumulantur & crescunt. Inspiciendum vero quid amiseris, bona videlicet illa quæ oculus non vidit, & auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.

Confessionis primus gradus cognitio peccati. * Seneca

D

7. Horum igitur omnium consideratione perterritus transi ad Pœnitentiam, ultricem vitiorum, altricem virtutum. Pœniteat te, quod tot & tantis flagitiis involutus, in luto fæcis & miseriæ diutius jacuisti. Pœnitentiam agens corpus tuum contere, & furibundo carnis asello incentivorum semina subtrahens, pœnitenda amplius non admittas, ne vulnus vulneri frequenter ingeminans, confringas ossa animæ tuæ, quæ custodit in justis Dominus: unum ex his, inquam, non conteretur. Nam hæc duo ita sibi invicem conjuncta sunt, ut quis se cognoscere non possit, nisi pœniteat; & pœnitere non possit, nisi se cognoscat.

2. Gradus pœnitentia.

E

8. Sic ergo tibi cognitus, & in te pœnitens transvola ad tertium gradum, Dolorem videlicet cordis; & jam plantata erit justitia plantatione illa, quam plantavit Pater tuus cælestis. Dole igitur quia Creatorem offendisti, cujus legem cælestia & terrestria præter te indefessa statione conservant. Et in tanta republica Dei tu solus peregrinus es, & imperatoriæ majestatis decreta non curas. Surgat & acrior dolor, quod cum Creatore etiam Patrem offenderis, & illum patrem, qui tibi ministrat siderum cursus, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Accedat & acerrimus dolor, qui pertranseat animam tuam, quod tantum benefactorem contempseris, qui dolorem crucis sustinuit, ne dolores inferni amplius sustineres. Sic igitur in interiori homine justitia germinante, surculus erumpat in arborem, & loquatur lingua quod scientia loquebatur.

3. Gradus dolor cordis.

F

9. Quartus itaque gradus est Confessio oris. Hæc pure facienda est: quia non est pars una peccatorum dicenda, & altera reticenda; neque levia confitenda, & gravia diffitenda. Nec aliter accusandus & ipse excusandus, sed cum Justo dicendum est: *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Hæc enim sunt verba malitiæ, & gravis malitiæ, qua gravior vel pejor vix esse possit. Confitendum est & humiliter, ut idem sit in corde, quod sonabit in ore. Sunt enim nonnulli, qui narrare in confessionibus solent, quæ vel

4. Gradus Confessio oris.

Psal. 140.

argute litteratorio, & fortiter gladiatorio gessere conflictu A (prô dolor) sub humilitatis pallio superbiam inducentes, & putantes se posse vitare oculos Judicis cuncta cernentis. Nonne utique reges Saül & David redarguti à Prophetis Samuële & Nathan, dixerunt, *Peccavi?* & tamen Saül audivit: *Transtulit Dominus regnum à te, & dabit illud æmulo tuo.* Et David: *Transtulit Dominus peccatum tuum, & non morieris.* Quid est hoc, nisi quia quod Saul habuit in ore, non fuit in corde: & humilitas quæ in ore David exstitit, in corde etiam radiavit? Dicendum est & fideliter, ut in fide Ecclesiæ credat sibi peccata dimitti, quia Caïn & Judas pure & humiliter confessi sunt, sed nequaquam fideliter: quia alter eorum desperans ad laqueum cucurrit; alter illud grande scelus evomuit: *Major est* B *iniquitas mea quàm ut veniam merear.* Mentiris latro, quia major est pietas Dei quàm quævis iniquitas: quia miserationes ejus super omnia opera ejus.

10. Sequitur quintus gradus, Maceratio carnis, quæ jejuniis, vigiliis attenuanda est; ne nova prurigine voluptuosam revolet pravitatem. Hæc autem facienda est *licentiose*; quia quod sine licentia fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi. *Occulte*, ut nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. *Discrete*, propter debilitatem corporis, & multimodas infirmitates. Plerosque enim vidimus in principio conversionis ita discretionis infregisse repagula, ut laudum sollemniis inhabiles redderentur, & apparatu deinceps lauriori diuturnis foveri temporibus in- C digerent. Jam sic illuminatus procedat ad sextum, qui est Correctio operis. Prohibe ergo linguam tuam à malo, operare quod bonum est, & sensuales motus tuos continentiæ frenis infrena, & sic erit pax in terra carnis tuæ. Argue malos pro persona quam habes: & te præsente justitiam non sinas sepeliri. Veni ad septimum gradum: & hic est Perseverantia bonitatis. Et in hoc septimo vocabit te Dominus cum Moyse de medio caliginis: & in ipsam divinitatis substantiam interiores oculos infiges. Perseverantiam autem faciunt exspectatio præmiorum, pœnarum recordatio, primitiæ spiritus, & donum cæleste, de quibus loquitur Apostolus, quod nec expertus ignorat, nec inexpertus intelligit. Stultitia est enim illi, D & non potest intelligere quæ sunt spiritus Dei.

11. Audite & breviter quem oporteat ordinari ad dispensationem mysterii hujus. Oportet eum esse non minus litteratum quam religiosum, ut zelum Dei habeat, & secundum scientiam; cum indiscreta religio magis obesse soleat quàm prodesse. Litteratum ideo, ut sciat quid injungat, cui parcat, quando parcere debeat, quam consolationem proferat de Scripturis. Religiosum vero idcirco, & ut puras manus levet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem ne umquam de his quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat. Caveat etiam ne vilescat in conspectu ejus, qui suam vi- E litatem ostendit: nec fit suspectus, nec de præterita futuram vitam æstimet peccatoris. Quod si fortuito de his quæ in confessione suscepit, causa coram eo fuerit ventilata: non tamquam conscius in partem declinet, sed quasi nescius judiciarium ordinem permittat exerceri. Habeat autem in voluntate compati, & liberare eum: & nitatur aliquid detrahere severitati, imitans dulcedinem Domini sui, de quo dicit Sanctus: *Quoniam fecisti judicium meum, & causam meam.* Sed prô dolor! temporibus nostris, per universum mundum pestilentialis morbus excrevit, ut præferantur ecclesiis, quos nec scientia, nec vita commendet, cæci duces cæcorum, & præcipitati & ad præcipitium perducentes. *Psal. 9. a*

12. Audivimus de confitente, & de confessionem suscipiente: audiamus nunc quæ impediant confessionem. Quantum colligere possum, quatuor præcipue occurrunt, pudor, timor, spes & desperatio. Nihil fortius ad expugnandum gratiam Dei quàm pudor humanus: quia dum erubescimus confiteri quæ commisimus, Deum minus quàm homines reveremur. Hæc est *confusio adducens peccatum.* Opponamus ei considerationem rationis, reverentiam intuentis Dei, comparationem majoris confusionis: ut enim confiteamur ratio monet, Deus cogit qui vidit. Et si confundimur hîc dicere, quid erit in illa magna confusione, ubi omnibus omnia patebunt? Timor plerosque opprimit, ne gravi pœnitentia percellantur, & perferre non possint. Vere *qui timet pruinam, irruet super eum nix.* Hic considerandum, quàm gravis sit pœna gehennæ, quàm longa, quàm infructuosa: è contrario autem pœnitentia præsens levis, brevis & fructuosa. Spes autem multos obruit, qui dum bona præsentium cupiunt, aperire conscientias suas nolunt: ne si quales sint hominibus appareant, ad nulla præsentis vitæ bona conscendant. Quibus inculcandum est, quia bona hujus sæculi parva sunt, incerta & momentanea: & illa illius vitæ maxima, & certissima & æterna. Plurimos desperatio interficit, qui hoc solum metuunt, ne possint continere. Verum est, quia *peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Hanc obterere debemus vigore confessionis, gratia humilitatis, & compassione illius cui aperimus conscientiam nostram. Sciendum autem, quia alia est confessio quæ peccatum plangit, alia quæ laudem canit. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & justum reddit purgatiorem. *Confessionis impedimenta.* *Eccles. 4. c* *Prov. 18. a*

13. Sequitur: *Qui credit in illum non confundetur.* Credere Deo, est verbis ejus fidem adhibere. Credere Deum, est confiteri ubique esse. Credere in Deum, est omnem spem suam in illum dirigere. Deum & Deo credunt dæmones: sed in illum non credunt, in quem qui credit non confundetur; quia spem suam non ponunt in illum. Ecce quantum potui, etsi non quantum volui, de confessionis disserui sacramento. Sed sermonem in longum protraximus, finem loquendi pariter audiamus. Det nobis credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem, & in se credere, Sponsus Ecclesiæ, Filius Mariæ, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen. *Credere Deo, Deum, & in Deum, diversa.*

---

Ejusdem NICOLAI * Sermo

# IN FESTO SANCTI NICOLAI MYRENSIS EPISCOPI.

*Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum.* Luc. 19.

1. NICOLAUS iste meus, immo & vester; electus ab utero, sanctus à puero, juvenum gloria, senum reverentia, sacerdotum honor, F pontificum splendor, conventum nostrum sua lætificat festivitate. Hic est Nicolaus, cujus miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur: quem laudat orbis terræ, & qui habitant in eo. Tot enim & tanta miracula cumulantur, ut omnes litteratorum argutiæ vix ad scribendum sufficiant, nos ad legendum. Et licet scholarium numerus in incude rhetorica sub Quintiliani vel Ciceronis malleis, tenuissimas orationum laminas extendat: superat tamen gloria Confessoris vocem & mentem, linguam & conscientiam. Crebrescunt enim quotidie mirabilia, nec requiescit spiritus Dei, ad memoriam militis sui, sua continuare miracula. Glorificatur in mari, laudatur in terra: in omnibus periculis invocatur. Denique qui descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis; ipsi viderunt opera Domini, & Nicolai per Dominum mirabilia in profundo. Nonne post memoriam Virginis singularis, tam dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus fidelium observatur*: ut in die tribulationis nomen Nicolai teneatur in ore, requiescat in corde? Si coruscationes fulgurant, & procellis detonantibus à supernis vindicta procedit: Nicolaus in patronum adsumitur; Nicolaus dulciter invocatur. Si tempestas sæviens & crudelitas maris navigantibus intentan- *al. observatur.* *Quàm celebris omnium erga ipsum devotio.*

tur; Nicolaus flebiliter exoratur ut audiat, suppliciter invocatur ut veniat, ut eruat misericorditer acclamatur. Si pulsamur incommodis, vel offendiculis indolemus, statim sancti Confessoris nomen prosilit in os nostrum; Nicolaus ingeminatur; patrocinium quæritur Nicolai.

2. Ne putetis autem me declamatorie loqui, vel venustate rhetorica verborum exaggerare splendorem: cum omnis mundus beneficia sentiat Confessoris, nec sit qui abscondat se ab amore ejus. In testimonium sunt peregrinationes ad sanctum illius corpus à finibus terræ susceptæ: ut videantur quæ per eum fiant miracula. Non solum autem Christianis, sed & Paganis in tantam reverentiam sancti nominis advolavit auctoritas, ut certatim confluant ad laudandum & glorificandum nomen sanctum ejus. Præcipue Sacerdotum & Clericorum turba tanta devotione circa cultum ejus afficitur, ut in toto orbe terrarum undique convadant & concurrant, ad obsequendum tantæ sollemnitati. Lætantur pueri, juvenes congratulantur, ornantur virgines, senes exhilarantur: & omnis ætas personaliter * alludit. Unusquisque autem habet materiam gaudiorum, ut laudent pueri puerum jejunantem; juvenes juvenem liberantem, virgines virginum infamiam propulsantem, senes senis inopiam redimentem. Juvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen ejus.

** al. personantes.*

3. Sed nunc post actus ejus, Græcorum excellentibus linguis insigniter diffamatos, quid audeat sermo pauperculus balbutire? Verumtamen ne tergiversationes inducere videar excusatorias, recurro ad evangelicam lectionem: & quod de communi accepi, profero in commune. Ait enim: *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum & reverti. Et ait servis suis: Negotiamini dum venio.* Secure negotiabor præcipiente Domino meo, nec timebo Psalmistam dicentem: *Quia non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini.* Non enim parvum mihi fiduciæ robur præstat, quod ille summus imperator negotiator meus factus est, & negotium meum sine otio egit quamdiu fuit in terris, & pretiosarum mercium sarcinas portans ad Patrem, ipsi vultui Dei, & quid emit, & quid redemit, & unde redemit ostendit. Tu ergo illo negotioso, otiosus esse disponis, & illo laborante quiescere? Ipse venit negotiari in regionem longinquam: & tu ad regiones proximas ambulare contemnis? Aggredere & ingredere regionem dissimilitudinis, videlicet mundum istum; & vide quàm frequentes ibi nundinæ, quantæ ibi germinent & regerminent vanitates. Prorsus dissimilitudinis, quia regionem similitudinis, ubi ad similitudinem Dei facti sumus, amisisse nos constat. Numquid non magna dissimilitudo de paradiso ad infernum, de Angelo ad jumentum, de Deo ad diabolum?

*Luc. 19 a* — *Psal. 70. c* — *Regio prima, Mundus.*

4. Vade per forenses tumultus, & hinc inde decertantes circumspice: & quantum colligo, in tribus causis vacat omnis voluptas: alii divitiis, alii honoribus, alii gloriæ innituntur. Curris ad Indiam, Æthiopiam circuis, transis maria; & alium orbem tibi aperis navigando, ut divitias congreges. Fugis patriam, ignoras filios, divelleris ab uxore: & omnium necessitudinum oblitus, quæris ut acquiras, acquiris ut perdas, perdis ut doleas. Ascendis montes nive obsessos, & horribilem eorum altitudinem tamquam plana quæque perambulas. Faciem abyssi latentis non reputas, latronum gladios, & vias insidiarum quasi planas pertransis; oblitusque humanitatis tuæ, nec fulminantem cæli faciem, nec æstus vel frigora magni pendis: thesaurizas, & ignoras cui congreges ea. Nec deest plerumque potentia fortioris, qui detecta fronte capiat vel rapiat: & una hora pauperem & humilem te faciat, quem divitem & sublimem longa ætas provexerat. *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Audi & breviter de honoribus. Ducem te constituêre: & data est tibi facultas, ut miser sis, & amplius non quiescas. Cumulatur materia sollicitudinum, & inter ærumnas cor ipsum exedentes; necesse est vultum induere gaudiorum. Numquam in honore sine dolore, in prælatione sine turbatione, in sublimitate sine vanitate quis esse potest. Miseri, juxta Philoso-

*Triplicia hominum studia.* — *Divitum.* — *Psal. 4. a* — *Prælatorum*

A phum, mercedem miseriarum amamus, & ipsas exsecramur. Regum nobis animos induimus, & quidquid nobis ex voluntate non respondet, statim evocat iram: nec communis recogitatur humanitas. Et tunc est vermis atrodens qui conscientiam jugiter torqueat, timor potentiæ superioris. Hæc est justissima lex, ut sic vivas cum inferiore, quemadmodum superiorem vis vivere tecum. Audi & de gloria. Si quæris gloriam, omnibus invidiæ semina præbuisti. Inflatus es, & ventilatorio plenus spiritu disrumperis, nec attendis quot te sequantur, sed quot præcedant. Conglomerantur omnes ad detrahendum tibi, ad maledicendum linguas acuunt; & argutissimus es, si vel manum vel linguam invidorum possis evadere. Ecce unde gloriosus esse volebas, inglorius esse convinceris. Nullum enim inexorabilius persequitur multitudo, quàm illum qui sibi multitudinis arrogat principatum. Junge his tribus potentiam & voluptatem, quæ & ipsa tenui & perfunctorio gaudio rapiuntur: & videbis, quia copia pauper est, honor humilis, vilis gratia, potentia debilis, & laboriosa voluptas: ut juxta Apostolum, *omnem intellectum in Christi obsequium redigamus.* Relege maximum illum Latinorum Philosophorum *, & in illius verbis meam invenies sententiam. Contemne igitur hæc omnia contemptibilia: & de his omnibus fac sarcinam tuam, contemptum mundi.

B

*Superb[…]* — *2. Cor. 1[…]* — ** Senec[…]*

C 5. Decursa igitur hac regione, & quod pretiosius est inde sublatus, transi ad secundam, quæ est Paradisus claustralis. Vere claustrum est paradisus. Hic prata virentia Scripturarum, præterfluens lacrymarum undositas, quam de purissimis affectibus amor ille cælestis eliquat. Hic sunt arbores erectissimæ, chori sanctorum, nullaque est quæ non multa gaudeat fructus ubertate. Hic est sublimis illa mensa, in qua Deus est & cibans, & cibus; munerans & munus, offerens & oblatum, convivans & convivium. Hic aggestæ sunt Omnipotentis divitiæ: hic refusa est gloria Angelorum. Putasne nullas hic esse nundinas, & otiari illos qui habitant unius moris in domo? Videas hunc sacris lectionibus intendentem, illum incumbentem orationibus: hunc pro suis excessibus lacrymantem, illum in Dei laudibus exsultantem: hunc vigilantem, jejunantem illum; & officio pietatis sibi invicem invidere. Nocte consurgunt ad confitendum ei, vespere & mane & meridie narrant & annuntiant laudem ejus: & omnis illorum sedulitas in orbem divini rotatur obsequii. Curre ergo per omnes, curre per singulos, & de universis & singulis fac sarcinam tuam, formam vivendi.

D

*Regio [se]cunda, [para]disus cl[aus]tralis.* — *Monac[ho]rum o[ccu]pation[es] exercit[ia]*

6. Relicto ergo mundo, & modo vivendi suscepto, transi ad tertiam, quæ est Regio expiationis. In hac benignus Pater examinat filios rubiginosos, sicut examinatur argentum: ducit per ignem & aquam, ut educat in refrigerium. Trinæ sunt distinctiones locorum, quas pro diversitate meritorum animæ sortiuntur. Ad cælum namque statim evolant, qui domicilio corporis usi sunt, tamquam carcere; qui defæcatam puramque substantiam utriusque hominis servaverunt. E contrario, qui fecerunt usque ad mortem quæ digna sunt morte, locis gehennalibus sine misericordia deputantur. Qui vero neutrum sunt, sed sunt inter utrumque; qui mortalia quidem commiserunt, sed circa mortem pœnituerunt, pœnitentiam non explentes: indigni, ut statim gaudeant, nec digni, ut semper ardeant; loca purgatoria sortiuntur: in quibus flagellantur, sed non ad insipientiam sibi, ut extorti transferantur ad regnum. Pro his qui in cælo sunt non est orandum: quia eos, non pro eis orare debemus. Pro his, qui in inferno sunt, suspendendæ sunt preces; quibus clausa est janua misericordiæ, & totius spes interclusa salutis. Pro illis tantum vigilandum est in orationibus & subveniendum sacrificio singulari, qui in locis purgatoriis emundantur; ut benignus Pater pœnitentiam eorum in satisfactionem, & hanc in glorificationem cito convertat. Curre iterum per istos intuitu pietatis, & fac sarcinam tuam, affectum compatiendi.

E

F

*Regio [...] Expia[tionis]* — *Tria a[...]rum re[cepta]cula p[ost] morte[m]*

7. Quarta est regio gehennalis: regio dura, extimescenda, terra afflictionis & oblivionis: terra miseriarum & tenebrarum, terra turbinis & caliginis; terra maledictionis & mortalitatis; terra sitis & famis, terra combustionis

*Regio [quar]ta, Ge[hen]nalis.*

tionis & frigoris : in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Totus tremo atque horreo ad memoriam regionis istius, & concussa sunt omnia ossa mea. Illic est ignis qui non succenditur; vermis qui non moritur: frigus horrendum. Ibi fœtor intolerabilis exoritur, percutientes mallei resonant incessanter, obfusæ tenebræ cumulatius indensantur. Illic confusio peccatorum, horribilis facies dæmonum, inextricabilium vinculorum fertilis multitudo. Ibi fletus & stridor dentium, planctus & gemitus; & alternantia mala impios sine pietate discerpunt. Nihil sic valet ad exstirpandas voluptatum radices, quàm istorum memoria, & recordatio vulnerum Domini mei, qui stetit ante judicem: qui alapas accepit, qui flagellatus & consputus est; qui coronatus spinis, qui colaphis cæsus, qui B suspensus in ligno, cui pendenti insultatum est: qui mortuus in cruce; qui lancea percussus, qui sepultus, qui resurrexit, qui ascendit ad cælos, qui fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri. Curre per has tumultuantes nundinas, ut vivus descendas in infernum; & fac sarcinam tuam, odium peccati.

8. Quinta regio est Paradisus supercælestis; regio beata & gloriosa, plena voluptatis & gratiæ, suavitatis & læti- A tiæ, benignitatis & gloriæ. Ibi requies à labore, jucunditas de novitate, de æternitate securitas. Illic omnes vivunt, nullus moritur, omnes exsultant in voce exsultationis. Intraverat David in Sanctuarium ejus, & mente excesserat Deo: nec tamen aliquid aliud potuit asportare, nisi, quia *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* & illud: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Nescio quid magnum promittitur, videre Deum, & laudare. Lætatus sum & ego in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Jam stamus in atriis Jerusalem; jam de vestibulo magnæ civitatis gaudia somniamus*. Curre igitur & per regionem istam; & fac sarcinam tuam, amorem Dei.

Quinta regio Paradisus cælestis.

Psal. 83 b
Psal. 86 a
Psal. 121. a
* al. seminamus.

9. Negotiamini ergo donec veniat homo ille nobilis, qui abiit in longinquam regionem, accipere regnum & reverti. Revertetur plane, & tunc cum usuris exiget pecuniam quam tradidit nobis. Nihil perdit, nihil obliviscitur, nihil impunitum relinquit.

10. Supplicemus igitur Confessori, ut Redemptori nostro, amico suo, pro nobis hodie supplicare dignetur, qui est Deus benedictus in sæcula, amen.

---

# IN ANTIPHONAM *SALVE REGINA,*
## SERMONES IV.

*Quamvis nonnulla in his Sermonibus adducantur ex* Bernardo, ut Sermone tertio; *ei tamen constanter abjudicandi sunt, tum ob stili & genii diversitatem, tum ob frequentes Poëtarum citationes, quibus S.* Doctor *rarius uti solet. De hac Antiphona lege librum de vita S. Bernardi auctore Johanne Eremita num. 7.*

### SERMO I.

1. *Salve Regina misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve.* Domina labia mea aperies. Dominus tecum, & tu mecum. Dignare me laudare te. Sub tuam protectionem confugio, ubi virtutem acceperunt infirmi. Esto mihi turris fortitudinis à facie inimici. Te nostra vox pri- D mum sonet, & ora solvamus tibi. Dulce canticum ac nobilissimum melos, quod in honorem sanctæ Mariæ quater in anno Ordo noster devotissime concinit*, ad ædificationem nostram discutiendum, Fratres, assumpsimus, quia speciali dulcedine multa refertum masticatione continua reperimus. Nam à summis labiis canticum istud effusum venit. Habet enim fundamentum; fundamentum ejus in montibus sanctis; fundamentum ejus internæ dulcedinis suavitas est. Et ubi hæc, nisi in montibus sanctis, hoc est in mentibus nostris? A sanctis composi- E tum †, à Sanctis institutum, digne frequentabitur etiam à sanctis. Et vere nisi à religiosis & affectione sancta ferventibus, nec subtiliter intelligi, nec efficaciter poterit decantari. Est enim tam suave ad gratiam, tam fœcundum ad sensum, tam etiam profundum ad mysteria. Tale enim est, quod à nobis considerari & discuti, prout dignum est, non valeat. Ex eo autem quod suaviter sonat, mulcet affectum, & de sensuum ubertate mentem impinguat, & in Sanctam sanctorum, Advocatam scilicet nostram, dum eam quasi præsentem salutat, omnia interiora nostra medullitus inflammat. Oportet enim ut nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus: & totam animæ nostræ trinitatem in eam dirigamus, quam tam devotissimis precibus exoramus. Agnoscit certe, & F diligit diligentes se, & prope est in veritate invocantibus se: præsertim his quos videt sibi conformes factos in castitate & humilitate: si tamen caritatem adjecerint, & totam spem suam, post Filium suum, in ea posuerint, & toto corde quæsierint, orantes & frequenter dicentes: *Subveni, Domina, clamantibus ad te jugiter*. Non aspernatur affectum prædulcem, ingens desiderium, inundationem lacrymarum, assiduitatem precum quorumlibet quamvis peccatorum: si tamen laverint à malitia cor, dissolverint colligationes impietatis, solverint fasciculos

Notas.
Notas.
Resp. de B. Virg.

C deprimentes, dimiserint qui fracti sunt liberos, & omne onus diripuerint. Data est ei potestas in cælo & in terra, quæ posse potestas est, & in manibus ejus vita & spiritus nostri, & oculi omnium Chistianorum in eam sperant, & ipsa dat eis escam gratiæ, qua plena est, in tempore opportuno.

2. Levemus ergo, Fratres, cor nostrum cum manibus ad eam, & appropinquemus ei passibus amoris, immolantes ei hostiam laudis, reddentes ei vota nostra de die in diem, de hora in horam, dicentes assidue, *Salve Regina misericordiæ.* Quis mihi digne hujus carminis reserabit sacramentum? Quis mihi digne explicet tam insolitæ salutationis exordium? Origo fontium & fluminum, mare, virtutum auctrix, & scientiarum scientia sanctarum Maria: quia sicut sol universa cæli lumina præcellit prærogativa claritatis eximiæ: sic ipsa totam rationalem creaturam post Filium præcellit splendore virtutis ac scientiæ. Ad eam non incongrue pertinere dicimus, quod scriptum est: Quàm bona Domina Israël his, qui recto sunt corde! Qui recto corde, & recte in omnibus consentiunt, hi recto sunt corde; his Advocata nostra, sola bonitate sua agente, præsentiæ suæ tantam plerumque copiam exhibet, & quam sit orabilis, exhibitione impertitæ gratiæ docet, ut innovati spiritu proclament per consolationem experientiæ, *Salve Regina misericordiæ.* In his intelligentia non capit, nisi quantum experientia sapit. Sola unctio Spiritus docet hæc. Plus valet hic jubilus cordis, quàm strepitus oris; motus gaudiorum, quàm sonus labiorum, consonantia voluntatum magis quàm vocum. Pro hujusmodi dicere cautum duxi. Quis mihi carminis hujus reserabit sacramentum? Quis pro raro dici solet. Rara siquidem avis in terra, tantam promereri familiaritatem in oculis majestatis, quatenus experientia indultæ gratiæ præsentiam illius agnoscens quis valeat exsultans dicere: *Salve Regina misericordiæ.* Juste Regina mundi, & Regina cæli dicitur, per quam utriusque Creator & Rector generatur.

Excellentia Virginis Deiparæ præ omnibus creaturis.

3. Verum quo pacto dicitur *Regina misericordiæ*, cum misericordia non substantia sit, sed pietas supernæ clementiæ, vel affectio benigna rationalis creaturæ? Metonymice ergo poterit intelligi, hoc est per efficientem id quod efficitur: ut opus misericordiæ pro misericor-

Cur Virgo Deipara dicatur Regina misericordiæ.

dia intelligatur. Opus misericordiæ, reparatio naturæ. A Misericordia Domini plena est terra viventium & morientium. Quod Angeli creati, quod confirmati; homines plasmati & reparati, misericordiæ est, quæ ab æterno & usque in æternum primordialis ipsa causa omnium, & causalissima causarum. Effectus ejus est opus salvandorum; salus hæc est adoptio filiorum Dei: quomodo Regina Sancta sanctorum, cujus virginalis partus eorum esse omnium. Regina, gloriæ nomen & honoris, magnificentiæ & decoris, dulcedinis ac pietatis, amoris & magnificentiæ, sublimitatis & potentiæ, gubernationis & justitiæ, defensionis & gratiæ. Sancta sanctorum hæc omnia nobis & pro omnibus nobis, cui decantamus assidue: *Salve Regina misericordiæ*. Possumus etiam sic intellige- B re, quod *Regina misericordiæ* dicitur, ut soli tribuamus divinæ misericordiæ & non meritis, quod super omnem creaturam ipsa sanctitate ac dignitate præcellens, reginæ vocabulo & honore sublimatur amplius. Etiam in hoc convenienter vocatur *Regina misericordiæ*, quod divinæ pietatis abyssum cui vult, & quando vult, ac quomodo vult, creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta sanctorum patrocinii sui suffragia præstat. Eapropter dicamus omnes, dicamus singuli, dicamus omnes, dicamus assidue: *Salve Regina misericordiæ*. Sequitur:

4. *Vita, dulcedo, & spes nostra salve.* Ordo pulcherrimus. Dulcedinem vita præcedit, spes sequitur. Non enim C sapis nisi vivas, nec sperabis nisi vivas & sapias. Et sapor sedes est dulcedini, gustus sapori. Brevitati studendum statuimus, & ideo de vario vitæ statu dicere supersedemus. De illa vita hoc in loco dictum esse credimus, de qua Johannis Evangelium loquitur: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Quidni vivat, qui Vitam manducat? *Ego sum*, inquit, *vita*. Et, *beatus qui manducat panem hunc in regno Dei*, quod intus est. Regnum Dei caritas, gaudium, pax. Et vita, & panis, & caritas unum sunt. Magnæ deliciæ caritas, quæ foras mittit timorem. Qui manet in hac, & manducat eam, & manducatur ab ipsa. Ipsa est quæ pascit inter lilia, pascit & pascitur, & nos, & à nobis. Quomodo, inquis? Si diligit Deus nos, in se trajicit nos, D & è converso. Cibus iste caritas Dei, & Deus virtutum, & scientiarum fons, vitam præstat animæ, quæ nunc est, & futuram. Et hæc nobis Sancta sanctorum metonymice, scilicet quæ & vitam hanc nobis peperit, & precibus infundit. Hæc est, de qua dicit Apostolus: *Mihi vivere Christus est*, & *vivit in me Christus*. De hac in Deuteronomio circumcisione carnali: *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ.* Vita hæc dat dulcedinem, sed seipsam de seipsa. *Si inveni gratiam in oculis tuis*, ait Moyses, ad plenitudinem gratiæ *ostende mihi teipsum*. Et econtra: *Ego omne bonum ostendam tibi.* Unum petiit, & repromissa est omnimoda plenitudo. Quid tam diversum, quàm unum, & omnia? Sono diversum, re E unum, diversum pronuntiatione, unum identitate.

(Johan 6. c; Ibidem.; Luc. 14. d; Philipp. 1. c; Deut. 28. g; Exod. 33. c)

5. Deus ergo omne bonum, & summum bonum: etiam dulcedo, & dulcedinis genus generalissimum. *Qui edunt me, adhuc esurient*, inquit: *& qui bibunt me, adhuc sitient.* Quare? Quia bonus & dulcis. Bonus Deus Israël rectis corde: sed & dulcis, & rectus. Nec bonitas, nec justitia sine rectitudine. Qui bibit de illa, sitiet iterum: de ista qui biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Siquidem apud ipsum fons vitæ, & ipse fons vitæ, etiam fluminis impetus qui lætificat civitatem Dei. Esto civitas Dei, & lætificabit te impetus hic. Parat enim in dulcedine sua pauperi Deus. Fructus enim dulcis gutturi, & guttur ejus suavissimum, ineffabilia omnia. Hic calcu- F lus est, quem nemo scit, nisi qui accipit. Sunt enim in illa internæ festivitatis gaudia, quæ quotidie mentibus nostris per inspirationem sui amoris imprimit interna, & æterna dulcedo. *Nota*, inquit, *feci vobis omnia quæcumque audivi à Patre.* Et ad Moysen: *Omne bonum ostendam tibi.* Omnia quæ audivit à Patre, & quæ promittit Moysi, unus denarius est, qui promittitur laborantibus in vinea, & una illa quam petiit David, & unum illud quod necessarium est. Mel est quod fugit Israël de petra, & oleum de saxo durissimo. Gaudium est quod nemo tollit.

(Eccli. 24. c; Deus omne bonum.; Johan. 15. b; Exod. 33. c; Matth. 20.; Psal. 26 b; Luc. 10 g; Deut. 31. c; Johan. 16. c)

Osculum est, de quo scriptum est: *Osculetur me osculo oris sui.* Internæ suavitatis gustus ac dulcedo est, & manna absconditum, & thesaurus absconditus in agro, cui comparatum omne dulce, amarum: omne decorum, fœdum: omne jucundum, triste: omne pretiosum, vile: sordidum omne quod desiderabile est in oculis amatorum mundi fluentis. Nam pretiosam margaritam datis omnibus terrenarum rerum delectamentis Sancta sanctorum comparavit, & nobis in Filio suo præparavit, & præparat semper interventu suo nobis orantibus oleum effusum dulcedinis hujus. Non erit ab re, sed valde optimum, si ipsam Reginam misericordiæ, vitam & dulcedinem nostram dicamus, qui minus experti adhuc vitæ hujus ac dulcedinis sumus, sed per ipsam speramus nos posse consequi, quicquid totius bonitatis factor dignatus fuerit gratiæ nobis impertiri.

(Cant. 1)

6. Sequitur: *Spes nostra, salve.* Spes est in virtute, quasi scintillatio in fomite. Sine fomite durare non potest scintillatio. Subtrahe fomitem, interit, emoritur: subministra, vivet. Haud secus spes ruit sine fundamento, sine pabulo moritur, inedia deficit, exstinguitur sine nutrimento, arescit succisa radice. Spes enim sine vita virtutum & devotionis dulcedine non est spes, sed præsumptio. Inter timorem & securitatem spes media est: & est spes incerti nomen boni. Vita & dulcedo exterminant faciem timoris, securitati dant fortitudinem, dant decorem. Eapropter dicit Deo: *Singulariter in spe constituisti me.* Et, *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Est enim fulcita floribus, & stipata malis caritas illius, quæ foras mittit timorem, & dicet: *Læva ejus sub capite meo, & dextera ejus amplexabitur me.* Læva, comminatio supplicii: dextera, promissio regni. Inter has spes cubat in molli strato caritatis: vita & dulcedo sternunt hoc. Et hoc est medium illud in ferculo Salomonis, de quo Scriptura ait: *Media autem caritate constravit.* Vides nunc sublimitatem carminis hujus. Primo ponit vitam, quæ est in integritate virtutum: secundo dulcedinem spiritualium gaudiorum: deinde spem infert æternorum. Omnia hæc Regina misericordiæ, Domina mundi, Regina cælorum contulit mundo, Virgo virginum, Sancta sanctorum, lumen cæcorum, justorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis: ipsa intercedat pro peccatis nostris, præstante Domino Filio ejus, unico, cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum, amen.

(Spes sine fundamento vana.; Psal. 4; Ibidem; Cant. 2; Cant. 3)

## IN ANTIPHONAM, *SALVE REGINA*.

### SERMO II.

*Si linguæ centum resonarent, oraque centum,*
*Ferrea vox mihi, nil Maria, tibi dicere dignum*
*Possum, Stella maris quæ Virgo beata vocaris.*

1. O Quam te memorem Virgo, quibus laudibus efferam? Infandissima lingua mea, quæ coinquinata est cum mortuis, incircumcisa labiis, nec purgata igne altaris: inquietum malum, habens in naribus spiritum, rimis effluens undique: quid dignum laudis laudibus tuis poterit immolare? Elevata est magnificentia tua super cælos, & super omnem terram gloria tua, ita ut nec in cælo inveniatur creatura, quæ tuam digne laudare queat magnificentiam: nec in terra sit, quæ gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim nec in cælo, nec in terra inventus est dignus aperire librum prærogativarum tuarum, & digne solvere septem signacula ejus. Plenitudinem gratiæ, adventum Spiritus-sancti in te, virtutis Altissimi obumbrationem, Verbi conceptionem, quod sine gravamine gravida, sine dolore puerpera, virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit? Viri divitiarum multi, de civitate Domini virtutum, miserunt manus suas ad hæc fortia: & tamen altitudinem divitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt, quia investigabiles viæ istæ, & inscrutabilia universa. Conati sunt, & non datum est ultra. Dum adhuc ordirentur, succisi sunt. Quis enim loquetur potentias has Domini, auditas

(Elogia ... gratis in... rabilia)

faciet omnes laudes ejus? Et si digne nullus, quisque tamen pro viribus.

*Pro se quisque viri summa certabat opum vi*,

ut ait quis. Denique currebant omnes in odore unguentorum tuorum. Trahe & nos post te, ô Sancta sanctorum, & ostende lumen miserationum tuarum. Sub umbra alarum tuarum nos protege.

2. *Ad te* enim *clamamus exsules filii Evæ*. Secunda carminis hujus, quod explanandum assumpsimus, incisio hæc est, quod in modum dramatis nobis videtur esse compositum. Varius enim diversarum personarum affectus hic loquitur: hic perfectorum, & adhuc in melius proficientium status invenitur. Vita siquidem quæ animatur integritate virtutis, suavitas internæ dulcedinis, sanctæque spei tanta præsumptio, quid nisi fructus Spiritus sunt, & attractiones virtutis? Emeritorum militum donativa sunt hæc, & diuturni certaminis merces accumulata. At deploratio exsilii, patriæ desiderium, originalis peccati pœnalis punctio, incipientium, seu proficientium indicia sunt. Puta vitæ hujus exsilium, fucum vanitatis: patriam, solidum veritatis. Fucus vanitatis, nitor gloriæ temporalis: solidum veritatis, immobilis cognitio æternitatis. Fucus vanitatis, splendor arridens creaturæ visibilis: solidum veritatis, inexstinguibile lumen internæ dulcedinis. De hac patria quidam Sapiens ait: O Veritas, exsulum patria, exsilii finis, video te, sed intrare non sinor, indignus admitti, peccatis sordens. Quousque odoramus & non gustamus, proficiscentes ad patriam, & non apprehendentes; suspirantes, & de longe salutantes?

3. Primus itaque homo ad hoc conditus fuerat, ut si non peccasset; per contemplationis præsentiam vultui Creatoris semper adsisteret, & solidum veritatis agnosceret, agnitum amaret, amatum teneret, tenendo frueretur, semperque ei adhærendo qui immortalis est, etiam vitam ipse sine termino possideret. Verum enim & summum bonum hominis, plena videlicet & perfecta agnitio Creatoris. Sed circumscriptus astutia serpentis, & deceptus fuco vanitatis, specie videlicet creaturæ visibilis, ab Jerusalem in Jericho descendit, fontem veritatis deseruit, affectum pulcritudini rerum inclinavit: & statim ignorantiæ cæcitate percussus foras venit, & ab intima luce contemplationis factus est vagus, & profugus super terram. Vagus scilicet per inordinatam concupiscentiam, profugus per peccatricem conscientiam; quia mentem, quam divinum auxilium deserit, quæcumque tentatio impetierit, subvertit. Cor ergo hominis, quod prius divino amori affixum stabile persistit, & unum amando, unum permansit, postquam per desideria terrena defluere cœperit, quasi tot sibi in exsilio mansiones statuit, quot sibi in eo delectationes invenit. Sicque fit, ut mens quæ pulcritudinem, dulcedinem, pacem, securitatem, ac perpetuitatem primæ lucis amare nescit, numquam valeat esse stabilis: quia gaudium permanens in his quæ in fuco vanitatis amplectitur, non inveniens, dum se semper desiderio extendit, sequens quod assequi non valet, fluctuans in exsilio numquam requiescit. Modo valvis oculorum elapsa, curiosos intuitus pascit, & rerum immensitatem in massa & mole considerat: modo rerum pulcritudinem in situ & motu, specie & qualitate investigat: modo rerum utilitatem per necessaria, commoda, apta & grata, pertentat. Nunc quoque naribus erumpit, & per olfactum odoris varii suavia oblectamenta requirit. His pasta, aurium per organa procedit, & dulce melos, harmonicæ, organicæ, arithmeticæ disciplinæ capta per auditum introrsus trahit. Tactu quoque subtilia, levia, & lenia palpando discutit, & in aula memoriæ palpando desiderata reponit. Nec minus gustu faucium prælibat varietatem saporum. Hos hœdos suos mens quæ se ignorat & Deum, pascit juxta tabernaculum pastorum per res temporum & temporalium vanitatum, mendicans ex ea quæ præterit figura hujus mundi, unde suam famelicam curiositatem aliquatenus consoletur. Comparata est enim jumentis insipientibus, & similis facta est illis: quia cum in honore esset, non intellexit, quod limus esset, honoris fastigio delectata. Hinc nascitur in exsilio vanitatis motus sine stabilitate, labor sine requie, cursus sine perventione, ita ut semper inquietum sit cor, donec ad patriam veritatis redire cœperit: egens, & de siliquis porcorum satiari desiderans, quousque ad Patris domum suspiraverit, ubi mercenarius abundat panibus, & omnes domestici vestiti sunt duplicibus.

4. De hoc exsilio, ô Sancta sanctorum, *ad te clamamus exsules filii Evæ*, ut interventu tuo, ducatu tuo, adjutorio tuo possimus ad cubiculum veritatis repatriare. Scimus proculdubio, quia nil amplius habet homo de universo labore suo, quo laborat sub sole, nisi vanitatem: & tamen pravæ consuetudinis nexibus irretiti, per nos redire non possumus in veritatis libertatem. Non dicimus autem in hoc loco veritatem, cognitionem esse Dei, & ejus quæ secundum pietatem est scientiæ: sed medium illud purum & nudum ac solidum, quod est in virtutis amore. Quamvis enim diffiniant auctores reparationem hominis esse cognitionem veritatis & amorem virtutis; perfecta tamen virtus non est sine cognitione veritatis, nec veritas sine amore virtutis. Vanus est, qui in vanitate est, aut in vanitate curiositatis, aut erroris. Vanitas curiositatis procedit à vanitate mutabilitatis, & generat vanitatem mortalitatis. Prima causa peccati; secunda peccatum; tertia pœna peccati. Prima est in his quæ propter homines facta sunt; secunda in his quæ ab hominibus facta sunt; tertia in his quæ in hominibus sunt. Alia est in conditis rebus, alia in mentibus, alia in corporibus. Vanitas erroris est in omnibus quæ fidei catholicæ & sanæ doctrinæ contraria sunt, & religionis disciplinam in illo solido veritatis, quod velle & nolle hominis inter angustias parum & nimis coarctat, non contingunt. Vanitas hæc omnia sunt, qui se amplectentes decipiunt, & ad veritatem æternitatis non perducunt. In hoc exsilio omne pæne genus hominum ab initio usque ad adventum Reginæ cælorum peregrinari delectabatur, & veritatis patriæ suspiriis nullis seu desiderio recordabatur. Ipsa prima viam aperuit ad patriam: & Veritatem, quæ vera patria est, mundo generans dedit omnibus manifestam.

5. Ea propter & nos, ô Regina misericordiæ, *ad te clamamus exsules filii Evæ*. Clamor est alius oris, alius cordis. Clamor oris alta vociferatio: clamor cordis valida & supplex ad Deum intentionis directio. Deus intus, homo foris. Ad eos qui foris sunt, clamor oris: ad Deum & qui cum eo intus sunt, clamor cordis. Intus ubi? In spiritu. Qualiter, inquis? Duobus modis. Quibus? Cognitione & amore, revelatione ac devotione, acuto & calido. Modis his Deus cor inhabitat, non solus tamen. *Ubi* enim *fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. Ad quid? Ut renovetur sicut aquilæ juventus cordis. Ibi & illa aquila grandis magnarum alarum Sancta sanctorum innocentia, & æquitas exaudit invocata, si clamoribus occultis assidue fuerit excitata. Et nos adhuc filii Evæ transgressores, filii inobedientiæ, filii matris antiquæ, ad te clamamus, Regina misericordiæ. Revertere visitans in nobis naturam tuam: revertere ostendendo eam, quam in Christicolas habes caritatem tuam: revertere per singularem in nos à Deo datam potestatem tuam: revertere per eam, quæ tibi specialiter infusa est in plenitudine gratiæ, prærogativam tuam, ut intueamur te, non talem qualem desiderant Angeli prospicere, dicentes: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te*: sed intueamur te largientem beneficia, conferentem remedia, medentem contritis corde, ponentem fortitudinem lugentibus Sion, dantem coronam pro cinere, oleum pro luctu, pallium laudis pro spiritu mæroris. Nec mediocris visio ista, piam te & deprecabilem experiri, mærentiumque suspiria munere gratiæ consolari. Sonet hæc vox tua in auribus nostris. Vox hæc tua dulcis, & hæc facies tua decora. Nam in illo decore te videre, quo induit te Dominus fortitudinem, & præcinxit te, non est hujus temporis, nec temporis vitæ nostræ vitiorum fœtore sordentis. Stola immortalitatis te indutam videre, Domina, indigni sumus: ostende nobis faciem miserationum tuarum, & salvi erimus. Quod ipse nobis præstare dignetur, cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum, amen.

Clamor alius oris, alius cordis.

Matth 24.

Cant. 4. b

## IN ANTIPHONAM *SALVE REGINA*, SERMO III.

*In freta dum fluvii current, dùm montibus umbræ*
*Luſtrabunt, convexa polus dum ſidera paſcet,*
*Semper honos nomenque tuum laudeſque manebunt,*
*Spes mea virgo pia, ô virgo ſacra, virgo Maria.*

*Pſal. 18. a* — *Gen. 1. a* — *Luc. 2. d* — *Ibid. 1. d*

1. ET non amplius? Amplius multum, & per omnem modum. Nam in æternum & ultra non deficiet laus tua de ore hominum, etiam & Angelorum. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Et quæ major in omni gloria Dei, quàm ineffabilis plenitudo cæli? Et nos cum ipſa, id eſt, B cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cæleſtis exercitus, hymnum gloriæ Sanctæ ſanctorum canimus. Illi gloriam; nos hymnum gloriæ. Illi gloriam, quam præſentes vident, in jubilo cordis invicem enarrant: nos hymnum tantummodo gloriæ, id eſt, memoriam eructamus abundantiæ ſuavitatis tuæ. *Et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Fiat*, inquit, *firmamentum, & dividat aquas ab aquis.* Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina; quæ eum, quem cæli cælorum capere non poterant, cepiſti & concepiſti, portaſti & non defeciſti; genuiſti, aluiſti, paviſti, mammaſti & educaſti. Tu in medio aquarum diviſiſti aquas ab aquis, affectus videli- C cet æternorum ab affectibus temporalium. Tuam enim animam pertranſivit gladius, *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Poſuit in hoc firmamento Deus ſolem & lunam, Chriſtum & Eccleſiam; & ſtellas, prærogativas gratiarum multas. Laudamus Dominum in ſanctis ejus. Firmitas, robur, & conſtantia, & fortitudo mentis ejus, quia mundi contempſit gloriam, carnis calcavit illecebras. Virtus eſt Altiſſimi, de qua ſcriptum eſt: *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.*

*B. Mariæ varia elogia.*

2. Non ſolum autem cælum & firmamentum, Domina rerum intelligitur, ſed aliis nominibus convenienter appellatur, & rerum vocabulis deſignatur. Ipſa tabernaculum Dei, ipſa templum, ipſa domus, ipſa atrium, ipſa D cubiculum, ipſa thalamus, ipſa ſponſa, ipſa filia, ipſa arca diluvii, arca teſtamenti, urna aurea, ipſa manna, virga Aaron, vellus Gedeonis, porta Ezechielis, civitas Dei, ipſa cælum, ipſa terra, ipſa ſol, ipſa luna & ſtella matutina, aurora ipſa & lucerna, tuba & mons, fons quoque hortorum, & lilium convallium; deſertum ipſa, & terra repromiſſionis lacte & melle manans, ſtella maris, navis quoque, via in mari, ſagena, vinea, ager, arca, horreum, ſtabulum, præſepe, ſubjugale, apotheca, aula, turris, caſtra, acies, populus, regnum, ſacerdotium. Ovis eſt, paſcua eſt, paradiſus eſt, palma eſt, roſa eſt, fluvius eſt, potus eſt, columba eſt, columna eſt, veſtis eſt, margarita eſt, candelabrum eſt, menſa eſt, corona eſt, ſceptrum E eſt, panis eſt, oleum eſt, vinum eſt, arbor eſt, virga eſt, cedrus eſt, cypreſſus eſt, platanus eſt, cinnamomum eſt, balſamum eſt, myrrha eſt, thus eſt, oliva eſt, nardus eſt, crocus eſt, fiſtula, calamus, & ſtorax eſt, ſoror & mater eſt. Et ut breviter concludam, de hac & ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta eſt, propter hanc totus mundus factus eſt, & hæc gratia Dei plena eſt, & per hanc homo redemptus eſt, Verbum Dei caro factum eſt, Deus humilis, & homo ſublimis.

*Nota.*

3. Ad te ergo tanta ac talem, Domina rerum, Sancta ſanctorum, Regina cælorum, *ſuſpiramus, gementes & flentes in hac lacrymarum valle.* Tertia hæc poſitura carminis hujus eſt, quod explanandum aſſumpſimus. Suſpi- F ria, gemitus & fletus compunctionis ſunt ſpecies ſeminum juſtitiæ. *Seminate vobis*, inquit, *ad juſtitiam: metite ſpem vitæ, & illuminate vobis lumen ſcientiæ. Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.* Suſpirium, vox inarticulata, gementium gemitus, dolentium fletus, has ſedes habent. Tria ſunt hæc quæ bene gradiuntur in irriguo inferiori, & quartum quod feliciter incedit, vallis ſcilicet lacrymarum: ſedes irrigui ſuperioris hæc eſt. Verus Caleph dat utrumque filiæ ſuæ aſello reſidenti. Et ſi tu adſpiras ad hæc, comprime motus irrationabiles

*Oſee 10. a* — *Pſal. 125. c* — *Joſue 15. c* — *Compunctio per mortificationem quærenda*

A ſenſualitatis & corporis motu rationis. Abſcinde à te concupiſcentiam carnis, oculorum, poteſtatis & honoris. Abjice mundi pompam & ſarcinam, edoma carnem diſciplina ſpiritus, in arctum tua deſideria conſtringe, non abeas in conſilio impiorum, in via peccatorum non ſtes, in cathedra peſtilentiæ non ſedeas. Apprehende humilitatem, ut ſis pauper ſpiritu; ferales corrige mores, & eſto mitis. Tunc tranſito Jordane ingredieris terram repromiſſionis, quæ eſt compunctionis. Sic in tertio loco octo beatitudinum dicitur: *Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur.*

*Pſal.* — *Matt.*

*Duo peccatorem timor et pudor.* — ** Hæc ex Ser. S. Bernardi in*

4. Quarto die reſuſcitatus eſt Lazarus: quarta vigilia venit ad diſcipulos Jeſus. Et tu fac tibi vigilias quatuor, B ut reſuſciteris & veniat ad te Jeſus: duas timoris, pudoris duas. Cogita Deum creatorem tuum, cogita benefactorem, cogita patrem, cogita dominum*. Ad ſingula reus es, plange ad ſingula, ad ſingula evigila, & ſingulorum horum ſinguli intellectus, quaſi ſinguli in mente dies ſint, in quibus quaſi Lazarus mortuus eras, quaſi fœtebas. Dum per ſingulos lacrymaris, quaſi in quarto reſuſcitaris. Primum & ultimum exſtinguunt timorem: media duo pudorem. Pater ſane non metuitur, cum pater ſit: patris eſt ſemper miſereri, & parcere. Paterna vox eſt: *Percutiam, & ego ſanabo.* Non eſt proinde quod à Patre formides. Si quando ferit emendat, non vindicat. At cogitantem quod patrem offenderis, eſt certe quod C pudeat, etſi non quod terreat. Voluntarie te genuit verbo veritatis: deinde non pepercit Unigenito, ut profit genito. Ipſe quidem patrem ita exhibuit ſe tibi, ſed non tu illi æque filium. Qua fronte attollis jam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? Pudeat indigne geſſiſſe generi tuo: pudeat tanto patri vixiſſe degenerem. Exitus aquarum deducant oculi tui, operiat confuſio faciem tuam. Vultum tuum pudor ſuffundat, occupetque caligo: deficiat in dolore vita tua, & anni tui in gemitibus. Prô dolor! quem fructum habuiſti in illis, in quibus nunc erubeſcis? Si in carne ſeminaſti, de carne meſſuiſti corruptionem. Si mundus ipſe tranſit, & concupiſcentia ejus, confundere ad illam vocem quæ dicit: *Si* D *ego pater, ubi honor meus?* Hoc de honore patris. Nunc ad beneficia veniendum. Ut alia innumera taceam, hujus corporis victum, & uſum temporis hujus, & ſuper omnia ſanguinem dilecti Filii ſui clamantem de terra; pudeat ingratitudinis. Quid retribuiſti Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi?

*Deut.* — *Jacob.* — *Johan.* — *Ad ex[…] dum […] rem, […] dera […] uti p[…]* — *Malach. Te m[…] torem.*

*Motiv[um ti]moris*

5. Ad timorem quoque veniamus. Si pudor minus partes ſuas exſequitur, excitetur ut exciter. Sepone pia vocabula benefactoris & patris: ad auſteriora convertere. Nam qui legitur *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis:* legitur nihilo minus *Deus ultionum Dominus:* & legitur *terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.* Quod pater eſt, quod beneficus eſt, tibi eſt: quod Do- E minus ac Creator, ſibi eſt. Etenim *propter ſemetipſum fecit omnia.* Qui ergo quod tuum eſt, tibi defendit & ſervat; putas principatus ſui non requiret honorem? Requiret uſque ad noviſſimum quadrantem; requiret & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. Requiret à redempto ſervitium; honorem & gloriam ab eo, quem plaſmavit. Eſto quod diſſimulet, & pater ignoſcat beneficus, ſed non dominus: & creator. Penſa cujus formidinis & horroris, tuum atque omnium contempſiſſe factorem, contempſiſſe Dominum majeſtatis. Tanget montes, & fumigabunt & tam tremendam majeſtatem audet irritare vilis pulvis, uno levi flatu diſpergendus, & minime colligendus? Time gehennam, time judicis vul- F tum. Contremiſce ab ira potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempeſtate valida, à voce Archangeli, & à verbo aſpero. Contremiſce à dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad eſcam. Time vermem rodentem, ignem torrentem, fumum & vaporem, & ſulfur & ſpiritum procellarum: time tenebras exteriores, & dicito: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum*, & præveniam fletibus fletus, & ſtridores dentium, & manuum, pedumque dura vincula, & pondus catenarum prementium, ſtringentium, urentium

*1. Cor.* — *Pſal.* — *Pſal.* — *Prov.* — *Pſal.* — *Jer. 9*

nec consumentium? Heu mater mea, cur me genuisti filium doloris & amaritudinis, indignationis & plorationis?

6. Qui sic afficitur duplici metu isto & duplici pudore, quatuor vigilias facit in mente, seu quatuor diebus intus illustratur, in quorum quarto quasi Lazarus quatriduanus resuscitatur. Et sicut de uno fonte paradisi oriuntur quatuor flumina, quæ irrigant terram: sic quatuor affectiones istæ ortæ de uno fonte compunctionis plenitudinem consumunt * irrigui inferioris. Pariunt enim suspiria, gemitus & fletus, quæ dum pro defectu virtutum aguntur, dicuntur irriguum inferius. Superius autem irriguum, est vallis lacrymarum. Pinguis infusio hæc cælitus irrorata, nec extorta, nec coactitia: pluvia voluntaria est, quam segregavit Deus hereditati suæ. Aquæ istæ sunt, quæ egrediuntur de templo à latere dextro: & fluunt impetu de Libano, fluunt etiam de fonte paradisi in quatuor capita. Paradisus conscientia justi est, quam non urit cura pungens, nec culpa remordens: quam non attenuat sensus egens, quam non grandinant corporearum rerum irruentia phantasmata, fide florida, virtutibus fructifera, opinione odorifera. Hujus de medio fons oritur, dum virtus integritate solidatur. Hæc deinde dividitur in quatuor capita, justitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam. Justitia fodit in altum, & quærit aquas irrigui superioris; prudentia invenit, fortitudo vindicat sibi, temperantia possidet. *Justitiam* dico esse genus ad omnia præcepta Dei: *Prudentiam* divinarum, humanarumque rerum scientiam: *Fortitudinem* vigorem mentis inter adversa & prospera erectum: *Temperantiam* inter velle & nolle, nosse parum & nimis; citra & ultra discretionem. Legitime hæc custodita perfectum faciunt virum, cupientem dissolvi, & esse cum Christo, qui dicat: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* &, *Sitivi anima mea ad Deum fontem vivum.* Fons iste *fons patens est domus David in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Hic est fons quem foderunt principes multitudinis, quos commemoravimus, justitia scilicet, fortitudo, & temperantia in datore legis, id est compunctione: & in baculis suis, id est in vigore solido perfectæ integritatis.

7. Mens itaque à vitiis purgata, Deum sitiens jugiter, & ipsius adventum in se suscipiens, frequenter delectata tantæ suavitatis inenarrabili dulcedine, quia pro velle suo semper eam habere minime valet, miro dolore afficitur: & hæc ei consolatio, ut præ ejus desiderio jugi lacrymarum pane pascatur. Fit itaque vallis lacrymarum, dum de se humiliter sentiens, affatim abundat ubertate fletuum. Et habet hoc irriguum superius, quo mortua mundo suaviter & dulciter pascitur, quia per irriguum inferius emundata jam cælestium contemplatione ineffabiliter delectatur. Hæc duo irrigua, duæ olivæ sunt, & duo candelabra lucentia ante Deum. Sunt hæc duo luminaria, duo altaria, duo exploratores, duo cherubim, duo ostiola, duo ubera, testamenta duo, hirci duo, leones duo, minuta duo, tabulæ duæ, columnæ duæ, sorores duæ, manus duæ, & si qua sint binaria, quæ his consonantia opinabiliter queant inveniri. In talibus suspiriis gemitu ac fletu, ac convalle lacrymarum, *ad te clamamus exsules filii Evæ*, Domina rerum, Sancta Sanctorum: virtus nostra & refugium: decus mundi, gloria cæli, *prælecta ut sol, pulcra lunaris ut fulgor, agnosce omnes te diligentes. Audi nos: nam te Filius nihil negans honorat. Et tu salva nos Domine Jesu, pro quibus virgo Mater te orat*, cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum, amen.

## IN ANTIPHONAM *SALVE REGINA*.

### SERMO IV.

*Ante pererratis amborum finibus exsul,*
*Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,*
*Quam tuus è nostro labatur pectore vultus,*
*Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis.*

1. OMnino necessarie. Vultum quidem tuum deprecabuntur omnes divites plebis: quanto magis pau-

A peres plebis? Et si pauperes plebis, multo magis egenus & pauper, opprobrium hominum & abjectio plebis. Tibi dixit cor meum, quæsivi vultum tuum. Vultum tuum Domina requiram, ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à servo tuo. Ostende faciem tuam, sonet vox tua in auribus nostris, quia vox tua dulcis, & facies tua decora. Vocem tuam audivimus quater in Evangelio, ô Domina rerum. Primo ad Angelum, secundo ad Elizabeth, tertio ad Filium: *Fili quid fecisti nobis sic?* quarto item ad Filium, *Vinum non habent.* Quam harum inquirimus? Illam utique, *Vinum non habent.* Necessaria nobis hæc est. Defecit vinum in cadis nostris, vinum scilicet *lætificans cor hominis.* Non causamur de vino *in quo est* B *luxuria*; illud querimur, de quo Propheta, quod *germinat virgines*; harum pincerna tu, vexillifera tu. Vexilla regis prodeunt in nobis, te agente pro nobis. Calix in manu tua vini meri, in manu tua, in potestate tua; vini meri, amoris divini. Dic Domina rerum, dic pro nobis Filio tuo, *Vinum non habent.* Calix hujus vini inebrians, quam præclarus est. Inebriat, calefacit, acuit, audaces facit & fortes, obliviosos, discretos, somnolentos. Inebriat amor Dei ad contemptum mundi: calefacit, quia ferventes facit: acuit, quia erudit: facit audaces contra adversa, & fortes; à carne, mundo, & dæmonibus invincibiles; obliviosos eorum scilicet quæ retro sunt, & in futura extentos; discretos erudiens ad justitiam; somno- C lentos ad temporalia, & tædiosos; & ad invisibilia contemplanda pronos & promptos.

[B. Virgo quater locuta legitur. — Luc. 2. g — Johann. 2. a — Psal. 103. b — Ephes. 5. d — Zach. 9. d — Amoris effectus.]

2. Hoc vinum lætificat cor hominis. Hoc à te & per te speramus, non solum vinum, sed & panem. Panis enim cor hominis confirmat. Panis ille de quo Scriptura: *Panem Angelorum manducavit homo.* Panis ipse Filii tui dulcis memoria: præsentia ipsius plena tu. Et mensa propositionis duodecim panum, numerum duodenarii dedicans. Duodecim panes, duodecim sunt prærogativæ gratiarum, in quibus gratia repleta es, & Dominus tecum. Porro ne de corde meo videar prophetare, tuas has prærogativas Paulus apostolus & nominat pariter & enumerat dicens: *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium,* D *pax, patientia, longanimitas, benignitas, mansuetudo, fortitudo, misericordia, continentia, castitas.* Panes certe admodum splendidi, sapidique. Splendidi, in sua natura: sapidi, in animorum experientia. Denique summe spirituales deliciæ hæ sunt. Plus quippe eis confirmatur & delectatur animus, quam ullis carnalibus deliciis corpus. Neque vero proveniunt homini à seipso, immo fructus sunt Spiritus-sancti. Proinde, Virgo beata, postquam nuntius cælestis te prædicta gratiarum prærogativa perhibuit plenam, mox gratiarum causam subjungens, inquit, *Dominus tecum.* Dominus autem spiritus est. Spiritus ergo sanctus magnificavit facere tecum. Magnificavit, inquam, facere in te duo opera sua. Unum erat, E dum dignam te fecit, quæ Dei Filium concipere posses & parere: alterum, quando ex tua carne sancta ac digna carnem Filii Dei formavit. Fecit proinde te magnam & castam. Magnam plane fecit, ut immensum caperes: castam, quatenus digne contineres. Magnam te fecit humilitate, castam virginitate.

[Psal. 103. b — Psal. 77. a — Gal. 5. d — Luc. 1. e — Duo præcipua in B. Virgine.]

3. Itaque tu sancta, tu es castellum in quod Jesus intravit, habens turrim humilitatis (qui enim se humiliat, exaltatur) & murum virginitatis. Murum certe fortissimum, quippe qui nec ante partum, nec in partu, nec post partum potuit violari. Lapides muri disciplina tua fuerunt & continentia, sine quibus numquam constans est virginitatis F murus. In te duæ sorores fuerunt Maria & Martha: quæ Dominum susceperunt. Maria fuit intelligentia tua specialis, qua Deum & Dei Filium esse intellexisti quem genuisti. At vero Martha rationalis erat prudentia, qua ei ut Domino Filioque tuo in carne servisti. Tu ergo Domina nasus es speciosus, ad quam dicit sponsus: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Nasus duo habet foramina, per quæ spiritum à capite emittit: ita tu Domina virginitate & humilitate tua de cælo eduxisti Filium Dei. *Spiritus oris nostri*, dicente Propheta, *Christus Dominus.* Spiritus vero est Dominus

[B. Virgo castellum. — Marc. 10. g — Cant. 7. b — Thren. 4. d]

Christus: quippe qui ut spiritus oris nostri caritatem calefacit, cupiditatem nostram refrigerat, ad bonam nos voluntatem movit, fide justificavit. Tu ergo nasus Ecclesiæ similis es turri, celsa videlicet dignitate, firma gravitate. Turris es Libani. Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus signat innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus & ab actualibus peccatis. Nemo ita præter te. Unde auctoritas Augustini: *Cum de peccatis agitur, nullam de beata Maria volumus fieri mentionem Ex eo enim majorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum qui nullum habuit peccatum.* Ex omni, inquit, parte: hoc est ex parte originalis, & ex parte actualis peccati. Ea ergo sola excepta, ceteri omnes quid dicere possunt, nisi quod ait Apostolus Johannes: *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est?* Ego quoque pia fide opinor, in utero matris tuæ ab originalibus te absolutam peccatis: nec vana est fides, nec opinio falsa. Denique & rationes & auctoritates inveniuntur ista stipulantes. Et quidem ratio sic: Si alii in utero matris fuerunt sanctificati, multo magis tu mater Domini. Sed Jeremias & Johannes, alter sanctificatus, alter Spiritu-sancto repletus in utero matris leguntur. Ergo & tu Maria genitrix Dei, quæ sola totam Spiritus-sancti gratiam possedisti, quam alii habuere per partes. Te enim Angelus Gabriel pronuntiavit gratia plenam. Tuum odorem longe ante in filio patriarcha Isaac trahebat dicens: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum. Tu protulisti frumentum electorum, quod est etiam Angelorum cibus. Te benedixit Dominus. Te inquam, benedixit Dominus, ut per te benedictam vita veniret, sicut mors per Evam processerat maledicta. De te secretorum cælestium conscius Salomon dicit: *Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorm acies ordinata?* Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit auroram. Quid autem est nox frigida & obscura, nisi originale peccatum, frigidum concupiscentia, obscurum ignorantia? Tu ergo processisti, ut aurora lucida & rubicunda, quia superatis originalibus peccatis in utero matris, nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis. Inde est quod nativitatem tuam sanctam sancta Ecclesia festivis celebrationibus honorat, quod alias non faceret. Denique nullius præter te, nisi Domini Fili tui, & Johannis-Baptistæ (qui utique sancti nati sunt) colit nativitatem.

*S Aug. lib. de Nat & grat. c. 36.* — *B. Virgo à peccato originali & actuali immunis.* — *1. Johann. 1. c* — *Jerem. 1. a Luc. 1. d* — *Luc. 1. a Gen. 27. d* — *Cant 6. c* — *Solius Christi B Virginis & Johannis Bapt. Nativitatem celebrat Ecclesia.*

4. Cum igitur tam clare auctoritates divinæ tuam ab utero testentur innocentiam, quis ultra dubitet sanctam & immaculatam huic mundo progenitam? Tu es proinde turris Libani cum propugnaculis ædificata. Ab ineunte quippe ætate dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Quare delectatio justitiæ, odiumque iniquitatis, cum quibus crevisti, tua fuere propugnacula. His quippe visis, hostibus certe suspecta fuisti. Non enim parum formidabant, ne forte tu esses (quæ & eras) per quam expugnandi erant & damnandi: propter quod & terribilis fuisti eis ut castrorum acies ordinata. Nihil vero omnino proficit inimicus in te, eo quod mille clypei pependerunt ex te, omnis armatura fortium. Denarius solidus millenarius est: siquidem denarius quadratus centenarium perficit. Porro decem sunt præcepta legis. Primum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* In hoc solius Dei præcipitur cultus. Nulli quippe alii servitus (quæ Græce *latria* dicitur) debetur. Siquidem quando dæmonibus exhibetur, idololatria vocatur. quod proximo inhibetur præcepto: *Non assumas nomen Dei tui in vanum.* At si diceret: Nulli creaturæ Dei honorem exhibeas, nihil per incantationes aut auguria quæras. Porro speciale obsequium Deo præbetur in observantia sanctarum sollennitatum. unde tertium præceptum contexitur: *Observa diem sabbati*, quod est, in sacris feriis te exerce, quatenus per requiem præsentem discas sperare æternam. Ac tria ista ad Deum dumtaxat pertinent, qua de re in una solummodo tabula scripta fuerunt. Ceterum cetera ad conversationem hominis cum proximo spectant, quare & ipsa continebantur in secunda.

*Deut. 6 a Decem clypei decem præcepta decalogi.* — *Ibid. 5. b* — *Ibidem.* — *Præcepta primæ tabulæ.*

5. Et primum quidem ad maxime proximos, id est parentes pertinet: *Honora*, inquit, *patrem & matrem.* Honoris nomine non solum subjectionis reverentia, sed etiam subsidii obsequium accipitur. Proinde filii debent honorare parentes, & in bonis obediendo, & temporalia, si opus habuerint, subsidia ministrando. *Non occides.* Id maximum malum est quod proximis potest inferri, ac propterea primo omnium debuit prohiberi. Fit autem homicidium multis modis, manu, præcepto, consilio, consensu vel neglectu. Si enim moriturum aliquo modo vivificare valeas & negligis, proculdubio ejus mortis reus teneris. Postea dicit: *Non fornicaberis.* Fornicatio alia spiritus, alia corporis. Spiritus fornicatio est, deserto Deo adhærere diabolo. Unde, *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Porro corporis fornicatio, est passim cum meretricibus, vel feminis à legitimis viris absolutis, sola libidinis explendæ causa commisceri. Deinde adjungitur: *Furtumque non facies.* In furto comprehenditur rapina, usura, pervasio, quicquid denique cum damno alterius possidetur. Deinceps ait: *Falsum testimonium ne dicas.* Falsum testimonium, alieni patrocinium mendacii proprie dicitur. Verumtamen in hoc loco pro omnibus mendacii partibus verisimile est poni. Denique perjurium, voti solutionem, & generaliter omne mendacium non permittit, qui falsum testimonium nominatim prohibuit. Nonum præceptum est: *Non concupisces proximi tui uxorem.* Ubi nimirum adulterium vetuit, atque abusionem Deo sacratarum. Sponsæ quippe sunt Dei: & utique non minus est Dei sponsam violare quam hominis. Decimus: *Non concupisces rem proximi tui.* Omnem dolum & circunventionem hoc ultimo vetat præcepto, quibus miseri mortales se invicem decipiunt, bonisque privant terrenis.

*Ibid.* — *Præcepta secundæ tabulæ.* — *Ibid.* — *Ibidem.* — *Psal. 72* — *Deut. 5.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Ibid.*

6. Hæc decem legis præcepta suos observatores tamquam clypei muniunt, & à tormentis inferni defendunt, quapropter optimi decem clypei sunt. Denarius porro linearis numerus est, solam habens longitudinem, quæ solo dumtaxat capitur intellectu. Decem itaque clypeos habet. At si denarius in altum extendatur atque quadretur, centenarium videlicet parit. Eadem quoque ratione si decalogus post scientiam memoria firmetur, & dilatetur affectu, centum profecto clypei possidentur. Postremo denarius exaltatus atque solidatus millenarium perficit: sic nimirum decalogum de affectu in bonam producens operationem, optatos certe mille cœpit clypeos possidere. Non est dubium te benedictam intellectu & affectu, & actu, hunc super omnes mortales decalogum habuisse & observasse: unde prorsus merito *mille clypei ex te* dicuntur *pendere*. Et non solum clypei, sed & *omnis armatura fortium.* Nihil est enim virtutis quod ex te non resplendeat: & quicquid singuli habuere Sancti, tu sola possedisti. Lectulus es Salomonis, de quo in Canticis: *En lectulum Salomonis septuaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.*

*Cant. 3.*

# MEDITATIO

## IN *SALVE REGINA*

*Est fragmentum cap. 19. part. 3.* STIMULI AMORIS *inter Opuscula S. Bonaventuræ. Quidam putant esse Anselmi Lucensis episcopi, qui ante Bernardum natum devixit. Non ergo Bernardus esset auctor clausulæ hujus antiphonæ,* O clemens &c. *cum ab hoc auctore afferatur.*

1. AD salutandum Virginem primo debeo ejus magnitudinem considerare. Nec enim circa suum filium amplius potuit elevari, quam ut Mater Dei vocaretur. Admirans ergo magnificentiam Matris nostræ, devote & reverenter dico: *Salve regina.* Sub tuo tegimine Domina, volo de cetero militare: me totaliter dominationi tuæ committo, ut plenarie regas, nihil meæ insipientiæ dimittens de mei regimine. Quicquid enim mihi

dimiseris, noveris miserrime destruendum. Sed cum A plenus sim miseria à vertice usque ad pedum plantas, & putrefactus; fœtorem gravem & horrorem quomodo dignaberis regere tam nobilis creatura? Quia tu es *Regina misericordiæ.* Et qui sunt misericordiæ subditi, nisi miseri? Multum es sollicita de miseris: hos in tuos filios adoptasti, hos regere Domina voluisti: & ideo *Regina misericordiæ* vocaris. Nos ergo miseri tecum de cetero consolemur, tecum amodo Domina habitemus, te mentis visceribus amplectamur, quia tu es *Vita.* Vita vere, quæ mortem superbiæ humilis vicisti, & nobis vitam gratiæ impetrasti. O certe vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis, ô vita quæ nutris tuos cælestibus alimentis. Qui enim vult te habere, se affligat, delicias re- B spuat, delicata quæque contemnat: & qui amplius mortificatus fuerit, te amplius possidebit.

2. *Dulcedo.* Vere dulcedo, quæ amaritudinem peccati, impetrando gratiam, expellis, quæ nobis gratiæ dulcorem acquiris, quæ ad suavitatem patriæ cælestis contemplantes introducis. O dulcis Domina, cujus sola memoria affectum dulcorat, cujus magnitudinis meditatio mentem elevat, cujus pulcritudo oculum interiorem exhilarat, cujus amœnitatis immensitas cor meditantis ine- C briat. O Domina, quæ rapis corda hominum dulcore, nonne cor meum Domina rapuisti? Ubi quæso posuisti illud, ut ipsum valeam invenire? O raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? Quare sic corda simplicium rapis? Quare violentiam facis amicis? Numquid ipsum semper vis tenere? Cum illud postulo, mihi arrides: & statim tua dulcedine consopitus quiesco. Cum in me reversus iterum illud postulo, me complexaris dulcissima, & statim inebrior tui amore: tunc cor meum non discerno à tuo, nec aliud scio petere, nisi tuum. Sed ex quo est cor meum tuo dulcore sic inebriatum, guberna illud cum tuo, & in sanguine Agni conserva, & in latere Filii colloca. Tunc assequar quod intendo, & possidebo quod spero, quia tu es *spes nostra.* Sperent ergo in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domina. Certe qui sperant in te, mutabunt fortitudinem: assument pennas, ut aquilæ: vola- D bunt, & non deficient. Quis non sperabit in te, quæ etiam adjuvas desperatos? Non dubito, quod si ad te venerimus, habebimus quod volemus. In te ergo speret qui desperat: qui deficit, ad te currat.

3. *Salve.* Quis ergo de cetero nos à tui salutatione poterit prohibere ex quo sic es vita, dulcedo & spes nostra? *Salve.* Quis ergo ex quo Regina es nostra, à tua reverentia nos poterit separare vel impedire? Primo es Domina salutanda, ut per te gratia impetretur. Secundo ut per te ad gloriam veniatur. *Ad te*, Ad te vere, quia tu sola Deum genuisti, tu sola interemisti universam hæreticam pravitatem. Ad te certe quæ levas nos à fæcibus peccatorum, quæ nos consolaris in cunabulis vagientes, E lactas parvulos esurientes. *Clamamus.* Quare non clamaremus Domina, qui vulnera sustinemus, plagas sentimus, qui inimicis undique circumdamur? Clamamus angustiati miseriis infinitis oppressi. Clamamus cordis anxietate, stomachi vacuitate, doloris acerbitate, aut forte erga te amoris immensitate. Quare enim obdormis Domina? Surge adjuva nos. Clamamus etiam, ut nostram manifestemus necessitatem, quia clamare necessitas nos compellit. quid nos amplius affligis? Si multum tardaveris, vocem amittam clamando, & ad te amplius vociferare nequibo. Heu mihi tunc quid faciam, cum nec exaudire me poteris, nec audire! Cito, cito Domina subvenias clamanti, ne in manibus deficiam inimici: F curre, festina Domina, & tuum iniquissimum, & infidelissimum servum ad te clamantem parcendo adjuva, & eripe de manu & periculis tui hostis. Si aliud te allicere Domina non deberet, nisi quia tuus hostis audet nos tuos servos invadere fraudulenter, deberes ad nos quam citius festinare. Curre, & libera nos Domina propter eorum superbiam reprimendam. Curre, ne dicant: Ubi est eorum Domina, de cujus clementia confidebant?

4. Ne mireris Domina, si clamamus, quia sumus à te nimium elongati. In regione longinqua dissipavimus partem nostram, & ideo *ad te clamamus exsules.* Exsules à patria, exsules à visione divina: & utinam non exsules à gratia, exsules à consolatione materna! O anima, cur non es potius à corpore separata, quam à tua Domina exsul facta? Heu mihi, cur sum in tam longum exsilium relegatus! O Domina, dum hic sumus exsules, constituas nos, ne hic tamquam in patria confidentes, te & tuum Filium quærere desistamus: sic tamen constituas exsules in corpore, ut semper tecum simus cives in mente. *Filii Evæ.* Vere filii Evæ; superbi, præsumptuosi, ambitiosi, avari, gulosi & carnales, inobedientes, & breviter in omnibus ipsam Evam sequentes, proni sumus ad malum, difficiles vero ad bonum: & si contingat aliquem filium bonorum operum generare, cum quodam cordis dolore & tristitia parturimus. Sed malum cum lætitia perpetramus, nec bonis sufficiunt mala nostra: sed *Homines imitatores Evæ.* sicut ipsa Eva, ita & nos alios inclinamus ad malum; & etiam sicut ipsa, ita & nos in defectibus excusamus, aut saltem, si possumus, in alios retorquemus. Plus enim placet nobis in multo sudore & labore vilia acquirere, quam Dominam gloriæ degustare, & ipsam levissime, immo dulcissime possidere. Nisi enim nos Domina adjuvisses, fortassis jam in inferni profundissima venissemus.

5. Nec est quod nos valeat excusare, qui non te, sed Evam in omnibus imitamur, ac per hoc, *Ad te suspiramus.* Supiramus autem de tam bonæ Matris absentia, venire ad te Domina cupientes: *Suspiramus ad te*, videre Filium tuum affectantes. Nimius ergo amor, quo erga te sumus inebriati intrinsecus, cogit nos ad te Domina suspirare. Omnibus es amabilis, omnibus affabilis, omnibus delectabilis; sedes sapientiæ, fluvius clementiæ, radius Deitatis: nec est qui se abscondat à calore tuo. Quis ergo ad te Domina non suspirabit? Amore suspiramus, etiam & dolore. Undique nos angustiæ premunt. Quomodo ergo ad te non suspiremus? solatium miserorum, refugium expulsorum, liberatio captivorum, Regina bellatorum, Domina universorum, etiam inimicorum, nec est qui tuæ voluntati valeat obviare. Sic afflicti, sic miseri ad te suspiramus: *Gementes & flentes in hac lacrymarum valle.* Heu Domina, non vides, quod totaliter sumus amaritudine pleni? Intus sumus gementes, exterius flentes in loco lacrymoso jacentes: onerati peccatis gemimus, aggravati molestiis flemus, abundantes miseriis in valle lacrymarum sumus, tuum subsidium postulantes. Quid amplius dicam? nec sufficio, nec scio omnia detestabilia hujus vallis enarrare.

6. *Eia ergo advocata nostra.* O laudabilis clementia Salvatoris, qui sic afflictis tam nobile subsidium dignatus est elargiri! & ideo non est timendum, quin miserearis miseris, ad illam partem inclinans sententiam quam defendis, ut nobis exhibeas gloriam quam peperisti. Non ergo restat Domina, nisi ut illos misericordes oculos ad nos convertas. *Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* Non dubitamus Domina, quin, si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio suum retardare effectum. Mirabiles necnon & amabiles illi tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam ducis salutem, ne venenatos oculos basilisci timeamus. O Evæ oculi venenati! Cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam? nam suorum claritas oculorum tenebras expellit, effugat catervas dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata accendit, & demum ad cælestia trahit. O quam beati, ô Domina, quos tui viderint oculi! Hos ergo oculos ad nos Domina converte. *Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende.* O venter mirabilis, qui potuit capere Salvatorem! ô venter laudabilis, qui potuit recipere Redemptorem! ô venter desiderabilis, è quo emanavit desiderium mentium, gratiarum fluvius, gloriæ præmium! ô venter amabilis & dulcedo animæ, ô elevatio mentium, inebriatio cordium, sanitas peccatorum! Fructus tuus Domina, hic certe est fructus beatus à principio sui ortus. Hic est Jesus Dei vivi filius. Hic est salvator noster Dominus Deus. Hunc Jesum *benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende*, ut videndo ipsum habea-

mus : ipsum videndo, beatitudine repleamur. *O clemens, ô pia, ô dulcis Maria.* O clemens indigentibus, pia exorantibus, dulcis diligentibus ! ô clemens pœnitentibus, pia proficientibus, dulcis contemplantibus ! ô clemens A liberando, pia largiendo, dulcis te donando ! ô clemens consolando, pia blandiendo, dulcis osculando ! Clemens es subjectis, pia jam correctis, dulcis prædilectis. Amen.

---

# AD CLERUM IN CONCILIO REMENSI CONGREGATUM SERMO.

*Non est* BERNARDI, *cui superbum & insolens videretur, Episcopos universosque Prælatos* fratres *appellare ; quanto minus* diabolos, *uti hic fit num.* 3. *Cujuscumque sit, ex Bernardi centonibus totus constat, coram Papa, ejusque jussu habitus, ex num.* 1.

1. GRave est quod mihi injungitur, videlicet ut doceam Doctores, instruam Patres : præsertim cum scriptum sit: *Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi.* (Deut. 32. d) Sed præcipit mihi Moïses iste, cujus manus graves sunt : cui obediendum est non solum à me, sed etiam ab omnibus. Et plus quam Moïses hic. Moïsi commissa fuit una plebs Israëlitica : isti autem universa Ecclesia. Et plusquam Angelus hic. Cui enim Angelorum dixit aliquando Deus : *Quæcumque ligaveris super terram erunt ligata & in cælis ?* (Matth. 16. c. Summi Pontificis excellens auctoritas.) Secundum officium dico, non secundum meritum. Præter Deum non est similis ei nec in cælo, nec in terra. Hic est Petrus, qui misit se in mare, cum alii Discipuli navigarent ad Jesum. (Johan. 21. c) Unusquisque vestrum contentus est navicula sua, hoc est archiepiscopatu suo, abbatia sua, præpositura sua : iste autem misit se in omnes archiepiscopatus, abbatias, præposituras. Hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus. Et vobis dico, Fratres mei Episcopi, multum exaltavit vos Deus : *Vos estis sal terræ*, sicut dicit Dominus in Evangelio. (Matt. 5. b) *Vos estis lux mundi. Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes. Veruntamen sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis.* (Psal. 81. a; 1. Cor. 1. c) Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus sæculi ? Nonne sicut homines morientur ? Et nonne sicut unus de principibus cadent ? Unde cadent, vel quo ? De latere Domini, in profundum inferni.

2. Fratres duo mala magna restant : mors videlicet & judicium. Dura est enim conditio mortis, & idcirco rarus est, qui velit mori. Sed quæ cura mori, cum hæc sit via universæ carnis ? Eia quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam ? (Psal. 138. b; 2. Cor. 5. b) cum dicat Apostolus : *Omnes nos repræsentari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque rationem de his quæ gessit in corpore suo, sive bonum, sive malum.* Fratres aliam synodum pronuntio vobis, ubi Dominus Deus sedebit in judicio : & ibi omnes nos oportet repræsentari, & ibi Deus juste judicabit orbem terrarum. Hic includitur justitia in marsupio : sed juste judicabit Deus in illo judicio : & ibi omnes nos oportet repræsentari (nisi forte, quod dici nefas est, mentiatur Apostolus) sive sit Papa, sive Cardinalis, sive Archiepiscopus, sive Episcopus ; sive dives, sive pauper ; sive doctus, sive indoctus : ut referat unusquisque rationem de his quæ gessit in corpore, sive bonum, sive malum. Et si reddenda est ratio de his quæ quisque gessit in corpore suo : heu quid fiet de his quæ quisque gessit in corpore Christi, quod est Ecclesia ? Ecclesia Dei vobis commissa est, & dicimini pastores, cum sitis raptores. Et paucos habemus, heu, pastores : multos autem excommunicatores. Et utinam sufficeret vobis lana & lac : sititis enim sanguinem.

3. (Quatuor Prælatis necessaria.) Quatuor tamen his qui præsunt in Ecclesia Dei, necessaria esse præ omnibus reor : videlicet ut per ostium intrent ; ut in humilitate se contineant ; avaritiam declinent ; munditiam tam corde quam corpore servare studeant. Sed quid prodest si canonice eligantur (quod est per ostium intrare) si non canonice vivant ? Dixit Dominus ad duodecim : *Nonne ego vos duodecim elegi ? & unus ex vobis diabolus est.* (Johan. 6.) Domine Jesu, cum esset electio illa in manu tua, si non haberes aliquem contradicentem & reclamantem tibi ; Quare elegisti diabolum episcopum ? Cur, bone Jesu, non elegisti bonum, & justum, & sanctum, sicut Petrus bonus justus, & sanctus fuit ? Vel si elegisti diabolum, cur te jactas elegisse ? Fratres,

B sic facit Jesus hodie, eligens sibi multos diabolos Episcopos. (Superbi Præsules notatur) Ubi prô dolor, reperiemus Episcopos, qui post adeptam dignitatem in humilitate se contineant ? Nempe superbia eis occasio est, ut ad tantam dignitatem adspirent, ut in ovile Christi impudenter irrumpant ; cum tamen per Psalmistam Dominus dicat : *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam.* (Psal. 1) Jesus autem in medio est, non in angulo Unde ipse in Evangelio : *Ubi duo*, inquit, *vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum.* (Matt.; Luc. 4) Et iterum : *Jesus autem transiens per medium illorum ibat.* Et in libro Sapientiæ : *In medio*, inquit, *ecclesiæ aperuit os ejus.* (Eccli. 1) Et rursus in Evangelio dicitur : *Stetit Jesus in medio* C *Discipulorum suorum.* (Luc 24) Væ mihi Domine Jesu, si tecum ero in domo tua, & non in medio domus tuæ. At isti non sic. Sunt quidem cum Jesu, sed non in medio domus ejus : quia amant & faciunt superbiam, parentes suos extollentes, pauperes autem negligentes & deprimentes. Male vivunt, & subjectos male vivere volunt. Et idcirco comparantur apostatæ angelo, qui dixit in corde suo : *Ponam sedem meam ad aquilonem*, &c. (Isa. 14.) Quid est diabolum ad aquilonem sedem velle ponere, nisi superbum quempiam & impium super suos similes à caritatis calore, vel sapientiæ luce alienos principatum appetere ; vel ademptum tenere ? Talis erat Absalon super filios Israël, patri suo rebellis, principatum appetens. (2. Reg.) Talis erat Jeroboam, (3. Reg.) D qui peccavit, & peccare fecit filios Israël in vitulis aureis : Tales fuerunt Scribæ & Pharisæi, contra quos ait Dominus : *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui clauditis regnum cælorum ante homines : vos enim non intratis, introeuntes non sinitis introire.* (Matt.)

4. (Item A... tia.) Porro Episcopi hujus temporis avaritiam quomodo declinent ? Quod enim sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem & mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquisitionem turpis quæstus, & pretium universitatis suis marsupiis includere festinant ; (Eadem apud Ber. Sermo Cant. 6. in Ps. Qui ha...) hoc solo sane à Juda Iscariotis differentes, quod ille horum omne emolumentum denariorum numero E compensavit : isti voraciori ingluvie lucrorum, infinitas exigunt pecunias. His insatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant timent : & cum amittunt, dolent. Harum in amore quiescunt, quantum dumtaxat liberum est eis arbitrium acervandi, vel augmentandi cura. Animarum nec casus reputatur, nec salus. Non sunt profecto matres, qui cum sint de Crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Joseph. Archipresbyter circuit obedientiam sibi creditam : & ut impleat saccum suum, tradit sanguinem justum. Vendit nempe homicidia, adulteria, incestus, fornicationes, sacrilegia, perjuria, & usque ad summum implet manticam suam. Fama igitur volante F innotescit Episcopo talis quæstus ; & accersito archipresbytero ; Da mihi, inquit, partem meam. At ille : Nihil dabo tibi. Econtra Episcopus ; Si non dederis mihi, inquit, partem meam, auferam tibi omnia. Fitque altercatio maxima, & propter avaritiam fit discordia. Postea vero archipresbyter revolvens secum, quod auctoritate Episcopi fungatur potestate ista, & quod sine gratia ipsius nihil possit ; perverse conversus : Pœnitet, inquit, me, accipe partem tuam, & insuper de mea quod beneplacitum fuerit. & reconciliantur. Heu, sicut Herodes & Pilatus reconciliati sunt, & Christus crucifixus est ;

eſt : ſic nihilominus iſti reconciliantur, & pauperes Chriſti ſpoliati ſunt.

5. En tempora iſta plane fœda à negotio perambulante in tenebris : quapropter væ generationi huic à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis : ſi tamen hypocriſis dici debet, quæ jam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non quærit. Et ſic ſerpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ, quo latius, eo deſperatius, eoque periculoſius, quo inteſtinius. Nam ſi inſurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & areſceret : ſi violentus inimicus, abſconderet ſe quis forſitan ab eo. Nunc quomodo ejiciet, aut quomodo abſcondet ſe ? Omnes amici & inimici, omnes neceſſarii, omnes domeſtici, & nulli pacifici : & quæ ſua ſunt quærunt omnes. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto : honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Inde hic eſt eis quem quotidie videmus meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, aurum in ſellis & in calcaribus. Plus nitent calcaria quam altaria. Inde menſæ ſplendidæ & cibis, & ſcyphis. Inde comeſſationes & ebrietates. Inde cithara, & lyra, & tibia, redundantia torcularia, & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia. Hujuſmodi ſunt & volunt eſſe eccleſiarum Præpoſiti, Decani, Epiſcopi, & Archiepiſcopi. Nec enim hæc merito cedunt, ſed negotio illi quod perambulat in tenebris. Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit : *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Amara prius in nece Martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugari, non exterminari poſſunt : ita invaluerunt, ita multiplicati ſunt ſuper numerum. Inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ ; & ideo *in pace amaritudo mea amariſſima.* Sed in qua pace ? Pax eſt, & non eſt pax. Pax à paganis, pax ab hæreticis, ſed non profecto à filiis. Vox plangentis in tempore Iſraël : *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Spreverunt & invaluerunt à turpi vita, à turpi quæſtu, à turpi commercio, à negotio perambulante in tenebris. Supereſt ut jam de medio fiat dæmonium meridianum ad ſeducendos, ſi qui in Chriſto reſidui ſunt, adhuc perſiſtentes in ſimplicitate ſua : ſiquidem abſorbuit fluvios ſapientium & torrentes potentum, & habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus, id eſt, humiles & ſimplices qui ſunt in Eccleſia. Ipſe enim eſt Antichriſtus, qui non ſolum ſe diem, ſed & meridiem mentitur, & extollitur ſupra id quod colitur ut Deus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illum illuſtratione adventus ſui.

6. Ecce diximus quales habemus paſtores in via hac qua ambulamus, non quales habere oportet. Non ſunt omnes amici Sponſi, qui hodie ſicut ſponſi Eccleſiæ hinc inde adſiſtere cernuntur : & ut vulgo aiunt, eam quaſi adextrare videntur. Pauci admodum ſunt qui quæ ſua ſunt, non quærant, ex omnibus caris ejus. Diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietate, tamquam ſponſa procedens de thalamo ſuo. Nonne, ſi quempiam talium repente eminus procedentem aſpexeris, ſponſam potius putabis quam ſponſæ cuſtodem ? Unde vero hanc illis exuberare æſtimes rerum affluentiam, veſtium ſplen-

A dorem, menſarum luxuriam, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ ? Inter hæc eſt quod illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida & exſanguis. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare ; non eſt cuſtodire, ſed perdere : non eſt defendere, ſed exponere ; non eſt inſtruere, ſed proſtituere ; non eſt paſcere gregem Domini, ſed mactare & devorare, dicente Domino de illis : *Qui devorant plebem meam ut cibum panis.* Et iterum : *Quia comederunt Jacob, & locum ejus deſolaverunt.* Et in alio Propheta : *Peccata populi comedent.* quaſi dicat ; peccatorum pretia exigunt, & peccantibus ſollicitudinem non impendunt. Quem dabis mi- Pſal 52 a Pſal 78. b Oſee 4. b
B hi de numero Epiſcoporum, qui non plus invigilet ſubditorum evacuandis marſupiis, quam vitiis exſtirpandis ? Ubi eſt qui flectat iram ? Ubi eſt qui prædicet annum placabilem Domino ? Propterea relinquamus iſtos : quia non ſunt paſtores, ſed traditores ; & imitemur illos qui viventes in carne, plantaverunt Eccleſiam ſanguine ſuo. Et quidem iſti ſortiti ſunt miniſterii locum, ſed non zelum. Succeſſores omnes cupiunt eſſe ; imitatores pauci. Utinam tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad cathedram ! vigilarent utique ſollicite ſervantes ſibi creditam Eccleſiam : immo vero vigilarent pro ſemetipſis, nec ſinerent de ſe dici : *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.* Pſal. 37. b
C Juſta omnino querimonia, nec ad ullam juſtius quam ad noſtram referenda ætatem. Parum eſt noſtris paſtoribus quod non ſervant nos, niſi & perdant. Graviter quippe demerſi oblivionis ſomno, ad nullum dominicæ comminationis tonitruum expergiſcuntur, ut vel ſuum ipſorum periculum expaveſcant. Inde eſt quod non parcunt ſuis, qui non parcunt ſibi, perimentes pariter & pereuntes.

7. Nunc vero dicendum, Epiſcopi & ſacerdotes hujus temporis caſtitatis ſanctimoniam (ſine qua nemo videbit Deum) tam in corde quam in corpore quomodo Hebr. 12. b ſtudent obſervare ? Certe Dominus dicit in Evangelio ad Epiſcopos, haud dubium in primitiva Eccleſia : *Sint* Luc. 12. d
D *lumbi veſtri præcincti :* caſtitatem approbans non tantum, ſed etiam imperans. Atteſtatur etiam hanc Spiritus-ſanctus in lege, qui nemini niſi mundis, & præcipue à mulieribus, panes propoſitionis edere ſinebat. Unde & 1. Reg. 21. b Achimelech David regi de his panibus cum militibus ſumere cupienti non prius conceſſit, quam eos mundos Caſtitas Sacerdotibus neceſſaria. eſſe à mulieribus cognoviſſet, dicente rege David : *Si de mulieribus agitur, mundi ſunt ab heri & nudiuſtertius.* jam tunc ſignificante Spiritu-ſancto, neminem ad menſam Chriſti, ad illumque panem Angelorum debere accedere, niſi purificatum mente & corpore : ne quod gratia divina fidelibus præparavit ad ſalutem, indigne ſumentibus ad judicium fiat, & ad condemnationem.
E Iſti autem caſtitatis inſigne qualiter cuſtodiunt, qui traditi in reprobum ſenſum faciunt quæ non conveniunt ? Quæ enim in occulto fiunt ab Epiſcopis turpe eſt dicere, Melius itaque arbitror ſuper hoc diſſimulare & ſuperſedere, quam aliquid, unde ſcandalizentur innocentes & inexperti, dicere. Sed ego cur verecundor dicere, quod ipſi non verecundantur facere, immo quod Apoſtolus non verecundatur ſcribere & prædicare ? Dicit autem egregius prædicator ſic : *Maſculi in maſculos turpitudinem* Rom. 1. d *operantes, & mercedem ſui erroris recipientes.* Fratres, factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis.



# AD PASTORES IN SYNODO CONGREGATOS, SERMO.

*Cujuscumque sit, nec inelegans est, nec lectu indignus.*

*Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro; Qui autem intrat per ostium, Pastor est ovium*, &c. Johann. 10.

1. Reverendissimi Patres & Domini, ecce lecta sunt verba sancti Evangelii in auribus vestris, & utinam diligenter intellecta ab universitate vestra! Intellectus bonus omnibus facientibus ea. Sæculares in speculis suis visu cognoscere solent pulcritudinem aut turpitudinem suam. Alterius generis est speculum vestrum, in quo magis auditu, quam visu potestis attendere quid deceat, & quid non deceat: quid impediat, quid expediat, quid ex debito vestri officii vobis incumbat. Speculum vestrum, sanctum est Evangelium. Considerate, obsecro, non vultum vestræ nativitatis, sed statum quotidianæ conversationis. Considerate, & nolite abire negligendo, sed stetis diligentius investigando, & perscrutatis medullitus conscientiis vestris, in testimoniis earum aut gloriemini, aut terreamini. Nam sicut multis gloria, ita multis est ignominia testimonium conscientiæ suæ. Ecce sacrum Evangelium sub numero trium personarum includit multitudinem universam Prælatorum. Proposuit enim nobis bonum pastorem, mercenarium, & furem. Si boni pastores estis, gaudete, quia merces vestra copiosa est in cælis. Si mercenarii estis, timete: quia periculum vestrum grande est in terris. Si fures estis, ingemiscite: quia locus vester magnus est in pœnis, nisi properaveritis ad pœnitentiam, & quæ vovistis Domino Deo vestro, digne reddideritis. Vos maxime, qui in circuitu Domini estis, & in conspectu ejus affertis munera, & offertis, non corruptibilium auri & argenti, sed pretiosi Sanguinis & Corporis Agni immaculati. Quantam dignitatem contulit vobis Deus! Quanta est prærogativa ordinis vestri! Prætulit vos Deus Regibus & Imperatoribus; prætulit ordinem vestrum omnibus ordinibus, immo (ut altius loquar) prætulit vos Angelis & Archangelis, Thronis & Dominationibus. Sicut enim non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem: sic non Angelis, sed hominibus, solisque sacerdotibus Dominici Corporis & Sanguinis commisit consecrationem. *Omnes* enim, sicut ait Apostolus, *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Sed longe excellentius est officium vestrum, quod admirabile est, & non solum in oculis vestris, sed etiam Angelorum.

*Evangelium speculum Sacerdotum.* — *Prælatorum alii pastores, alii mercenarii, alii fures.* — *Dignitas sacerdotalis officii quanta.* — *Hebr. 2. d* — *Hebr. 1. d*

2. Hæc sunt infelicissima tempora, quæ prævidit Apostolus Paulus: in quibus homines sanam doctrinam non sustinent, sed coacervant sibi magistros ad desideria sua, in quibus à veritate se avertunt, & ad fabulas & vanitates hujus sæculi convertuntur. Hæc sunt, inquam, novissima tempora, in quibus refrigescit caritas, & abundat iniquitas multorum. Quare hoc dico? Quia (ut audistis) tres personas, immo, ut planius dicam, tria genera Doctorum sanctum describit Evangelium. Primum genus aliquam quidem partem, sed unumquodque duorum sequentium copiosam & perniciosam includit multitudinem Prælatorum, sed illos defendit numerus. In primo solo genere abundat caritas, in aliis duobus omnino refriget, ubi nimirum abundat iniquitas. Audistis proprietates singulorum. *Bonus pastor* est qui ponit animam suam pro ovibus suis: *Mercenarius* est qui videt lupum venientem, & fugit: *Fur est* qui mactat & occidit. Bonus pastor non suam voluntatem facere, sed Domini sui quærit utilitatem. Ipsi soli servat fidem, ipsi laborat, ipsum honorat. Ipsi quærit gloriam, non sibi. Regi enim sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor & gloria in sæcula sæculorum, amen. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Nobis miseris da veniam, da gratiam, tibi serva gloriam, utpote à quo est venia peccatorum, & gratia meritorum. Bonus pastor in omni labore villicationis suæ quærit non quæ sua sunt, sed quæ Jesu-Christi, quod proprium habet caritas. Unde si quandoque excesserit, caritas operit multitudinem peccatorum: sed & ipse advocatum habet in cælis Jesum-Christum Dominum nostrum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

*2. Tim. 4. a* — *Bonus Pastor qualis.* — *Johann. 10. d* — *1. Tim. 1. d* — *Psal. 11* — *1. Pet. 4* — *1. Johan.*

3. Mercenarius est (ut diximus) qui videns lupum venientem fugit. Quærit ergo quæ sua sunt, non quæ Jesu-Christi. Alioquin utique non fugeret, sed sua, immo & seipsum superimpenderet potius, quam gregem suum raptoribus exponeret. Multi sunt mercenarii, qui in prosperitate leviter discerni non possunt à bonis pastoribus. Habent enim multa cum ipsis communia. Habuerunt namque sanam electionem in ingressu; habent nihilominus mundam conversationem in progressu: pacem Ecclesiæ amant & quærunt, utiliter ac viriliter ecclesiasticis implicantur negotiis; non recusant gravedines oneris: sed hoc ideo, quia ambiunt gloriam honoris. Amant enim primos recubitus in cœnis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Multoties etiam cibantur pane lacrymarum, & vino compunctionis potantur ex recordatione peccatorum: sicut testatur junior filius, qui in regione longinqua consumpsit omnem substantiam suam vivendo luxuriose. Unde & dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus!* Si panibus abundant mercenarii, numquid fame peribunt operarii? Operarios dico, qui quanto rariores in terris, tanto cariores in cælis habentur. De paucitate eorum conqueritur Veritas dicens: *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Messis utique multa, & sacerdotes multi: & mercenarii multi, sed operarii pauci. Pauci plane operarii, & admodum rari inconfusibiles, qui aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum, quos instruunt verbo sanctæ prædicationis, non destruunt exemplo pravæ operationis, efficacius opere quam verbo prædicantes.

*Mercen. describ.* — *Matth.* — *Luc. 15* — *Luc. 10*

4. Notandum vero quod filius non dicit: Fac me unum de mercenariis tuis: sed, *fac me sicut unum de mercenariis tuis*; ut videlicet ea sibi offerat beneficia, quibus illi communicant in præsenti. Inquit Psalmista: *Cibavit eos ex adipe frumenti.* Quos eos? Audi quod præmittitur: *Inimici Domini mentiti sunt ei.* Hi sunt quos cibat ex adipe frumenti, & melle satiat. Qui sunt illi? Mercenarii, qui licet ad horam credant, in tempore tamen tentationis recedunt. Unde patet, quod amici sunt mundi. Amicus autem hujus mundi, inimicus Dei constituitur. Iterum quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu-Christi: & si non quærunt quæ illius sunt, cum eo non sunt. Et qui cum eo non sunt, contra eum sunt, quia ipse ait: *Qui non est mecum, contra me est.* Et qui contra eum sunt, inimici ejus sunt. Hi per exteriora mentiuntur Deo de interioribus. Cum enim sane prædicent, & munde vivant, sanitatem loquuntur intentionis: ut videlicet Deum habeant in causa, & omnia interiora eorum benedicant nomini sancto ejus: cum tunc tamen non Deum, sed mundum; non Dominum, sed seipsos habeant in causa. Mentiuntur potius Deo quam hominibus, ad cujus contumeliam spectat tanta collatio gratiarum: quibus non honorem Dei, sed honorem hominis constat acquiri, nec caritati, sed cupiditati deserviri. Unde operarius inconfusibilis postulat, non duo tantum, sed tria: quia funiculus triplex difficile rumpitur. Non enim postulat disciplinam & scientiam, quas possunt habere & mercenarii: sed dicit, *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me*, quæ tria in solis filiis requiruntur. Quid enim prodesset

*Psal. 80* — *Luc. 8.* — *Jacob. 4* — *Philipp.* — *Luc. 11* — *Eccli. 4* — *Psal. 118*

disciplinam habere in conversatione, scientiam in prædicatione, nisi adsit bonitas in intentione? Nusquam scriptum est, aut carnis obsequium, aut rationis scientiam sufficere, sed bona voluntas sufficit. Sanata ergo voluntate, utilis erit & præmiosa tam castigatio carnis per disciplinam, quam illuminatio rationis per scientiam.

5. Propter supra dictas ergo rationes, & alias hujusmodi diximus, quia in prosperitate mercenarius leviter discerni non potest à bono pastore: quia dum pacis arridet securitas, intentionis ejus palliatur infirmitas. *Nihil occultum quod non reveletur. Vasa figuli probat fornax.* Flante vento adversitatis, statim quod infirmum est intentionis, ostendit effectus operationis. *Videt enim lupum venientem, & fugit.* Qui sunt isti lupi? Tyranni & raptores sæculi, qui propria tentati concupiscentia, vel ingenita compulsi malevolentia incendunt ecclesias, vastant ovilia Christi, spoliant pupillos & viduas, proscriptionem inducunt pauperibus, Deum blasphemant in suis operibus. Hi factis rapinis, fractisque ecclesiis, cum gladius ultionis in eis exseritur, veniunt vel blandiendo, vel comminando. Fugitque mercenarius, vel amore blandientis, vel timore persequentis. Unde fugit? A rectitudine justitiæ, à defensione Ecclesiæ, à liberatione patriæ, ab ultione pupillorum & viduarum. Quo? Ad custodienda quæ possidet, immo à quibus possidetur, videlicet, marsupia, horrea, cellaria, non utique pauperibus reservanda, sed evacuanda furibus, aut ignibus consumenda. Habet enim aliquis intra provinciam tyrannorum positos parentes suos, & blanditur proinde multoties raptoribus, ut parentibus consulat: qui ut pacem habeant, & inter tyrannos floreant, affligi sancta permittitur Ecclesia, & justitia conculcatur.

6. Et quid dicam de furibus? Fures sunt hæretici. Hi sunt fures & latrones, *qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Quotquot autem venerunt, fures sunt & latrones. Fures latenter nocendo: latrones aperte sæviendo. Hæretici prava dogmata disseminabant in populo, & perversitate doctrinæ suæ fidem catholicam obnubilabant, & inducebant simplices in errorem. Neminem vestrum credo esse hæreticum. Omnes creditis in Deum trinum & unum, quia passus sit & sepultus, quia descendit & ascendit. Facit tamen hæc fides catholicum? Hac fide utique dæmones essent catholici: quia, ut dicit Jacobus, *credunt, & contremiscunt.* Verum utique catholicum facit, non fides communis dæmonibus & hominibus, sed ea tantum quæ communis est hominibus & angelicis spiritibus. Quæ est illa? Quæ per dilectionem operatur. de qua Apostolus dicit: *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Hac fide ipse præditus erat, cum diceret: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes; maxime autem ad domesticos fidei*, non sæculi. Habetis hanc fidem? Utinam. Sed hæc est fides quæ vincit mundum, quia *hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Dixerim vos vincere mundum, an vinci à mundo? Video ecclesias vestras male tractatas: video quasdam semirutas, quasdam omnino obrutas: video in villis solitudinem, in agris silentium, & ubique exterminium: video in militibus insolentiam, in hominibus inobedientiam, & in omnibus insipientiam. Libenter tamen suffertis hujusmodi insipientes, cum sitis ipsi forsitan sapientes. Sustinetis enim quod vos in servitutem redigant, quod devorent, quod accipiant, quod super vos extollantur, quod etiam in faciem quandoque vos cædant, aut etiam reclusos in carcere emungant argento. An hæc patimini, ut in patientia vestra possideatis animas vestras? Patientia enim nobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, fructum cum gaudio reportemus. Toleratis hæc, ut voluntatem Dei faciatis? Non utique; sed ut vestram voluntatem propriam impleatis, ut carnis vestræ licentius curam geratis, ut pueris vestris & parentibus commodius provideatis, & villas tyrannorum in pace eorum inhabitetis, utentes nemoribus & agros colentes. Propter hoc palpatis Principes, & Potestates tenebrarum harum, tam homines quam dæmones. Homines, quia ad velle eorum loquimini, ad velle eorum ligatis & solvitis. Ipsi sunt semiepiscopi, semiarchidiaconi, immo, ut verum fateat (salva pace omnium) ipsi sunt supra Episcopos, supra Archidiaconos, supra Presbyteros: & vere qui potestatem habent, hodie *benefici* vocantur. Palpatis dæmones, quia facitis eos in vobis similes Altissimo. *Ponam*, inquit, *sedem meam ad aquilonem, & similis ero Altissimo.* Et ipse qui est rex super omnes filios superbiæ, frigore iniquitatis suæ congelavit interiora vestra, & ut fortis armatus custodiens atrium suum, in pace obtinet cathedram voluntatis vestræ, in qua deberet Altissimus residere. *In terra*, inquit, *pax hominibus.* Quibus? Magnæ scientiæ? Magnæ nobilitatis? Non, sed *bonæ voluntatis.* Et ubi pax, ibi Deus: quia in pace factus est locus ejus. Unde patet, quod sedes ejus bona voluntas est. Qui ergo non Deum, sed diabolum habet inhabitantem interius, & tyrannis atque raptoribus deservit exterius, vincitne mundum? immo victus est à mundo, victus est à diabolo, victus est à carne sua. Infixus est in limo profundi, & non est ei substantia, vel potentia resurgendi.

Isa. 14. d

Luc. 2. b

Psal. 75. a

Psal. 68. a

7. Domine Deus virtutum, excita potentiam tuam & veni, ut educas nos de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Operi manuum tuarum porrige dexteram. Educ de carcere animas nostras, ut jam non obediant mundo, sed confiteantur nomini tuo. Placabilis esto super officialibus tuis, qui tibi rationem reddituri sunt de ovibus tuis. Veni Domine, & noli tardare. Insanit diabolus, insanit hostis humani generis, sciens quod modicum tempus habet. Fidem habemus: sed sine operibus mortua est, & nos mortui cum ipsa. Auge nobis fidem, ut in vicariis tuis per dilectionem operetur: quatenus ad imperium eorum montes transferantur, & de obsessis animabus dæmones efferantur, ut de ipsis prius ejiciantur, quam cum ipsis projiciantur in ignem æternum. Auge, inquam, nobis fidem: quia hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Hac fide Sancti vicerunt regna, operati sunt justitiam, exstinxerunt impetum ignis, effugarunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitatibus suis. In partibus nostris ubique ignis, undique gladius. Quare non operamini justitiam? Quare non exstinguitis ignes? Quare non effugatis aciem gladij? Quare? Ratio in promptu est: quia non Deo, sed hominibus quæritis placere. Unde Paulus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Vos non convaletis de infirmitatibus vestris, sed torpetis de ignavia vestrâ, nec de malefactoribus potestis facere justitiam. Quare? Quia nulla est virtus fortitudinis vestræ, quoniam dissipat Dominus ossa eorum, qui hominibus placent. Caro infirma, sed ossa sunt fortia. Dissipavit ergo ossa, id est, fortitudinem eorum, qui hominibus quærunt placere. Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos: & vos confusi estis in actibus vestris, non honorati, sed onerati dignitatibus vestris, quoniam Deus sprevit vos. Sprevit enim Deus omnes discedentes à judiciis suis. Fidem habetis, sed ad opera vos invito: vos maxime qui estis vicarii Christi, qui estis pastores animarum, qui alios debetis instruere, non destruere. Vos, inquam, maxime: quia soli non potestis perire, qui præire debetis docendo & operando. Multi sunt Catholici prædicando, qui hæretici sunt operando. Quod hæretici faciebant per prava dogmata, hoc faciunt plures hodie per mala exempla. Seducunt scilicet populum, & inducunt in errorem: & tanto graviores sunt hæreticis, quanto prævalent opera verbis.

Johann. 5 a

Hebr. 11. f

Cur desolata sit respublica Christiana.

Gal. 1. b

Psal 52. b

Ibid.

Psal 118. d

Soli non pereunt Prælati.

8. Unigenitus qui est in sinu Patris, nonne de secreto suo prodiit ad publicum vestrum? Nonne de cælo descendit ad terras, ut prædicatione & conversatione sua persuaderet hominibus contemptum mundi? Nonne vos estis vicarii ejus? Nonne quod prædicavit, & vos debetis prædicare: quod dissuasit, dissuadere: quod persuasit, persuadere? A Christo dicti estis Christiani. Nonne ea via qua Christus ambulavit, & vos debetis ambulare? Nonne sicut conversatus est, & vos vicarii ejus debetis conversari? Ita plane, nisi forte doctiores eo fueritis vel sanctiores. Dicite ergo Archidiaconi, dicite Presbyteri, dicant etiam Pontifices. In frenis, in sellis quid facit aurum? in vestimentis tantus ornatus? in ci-

Prælatorum maxime est imitari Christum.

*1. Cor. 6. c* bis tam superfluus apparatus? Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet. Multus erat nitor vestium, & delicatus ciborum apparatus apud illum divitem evangelicum, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Mortuus tamen est, & sepultus in inferno. O dirum, ô exsecrabile & horrendum sepulcrum! ubi est fletus & stridor dentium; ubi sunt aquæ nivium; ubi vermis qui non moritur; ubi ignis qui non exstinguitur! Hoc sepulcrum divitem, sed sinus Abrahæ pauperem Lazarum excepit. Quis sapiens & custodiet hæc? Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Quis, obsecro, laïcorum avidius clericis quærit temporalia, & ineptius utitur acquisitis? Cum tantum fastum videant laïci in supellectili clericorum, nonne per eos potius invitantur ad mundum diligendum, quam negligendum? Medice, cura teipsum. Si mundum prædicas contemnendum, contemne tu prius; & ad ipsum efficacius alios invitabis. Da voci tuæ vocem virtutis; consonet vita verbis: & statim erit in ore tuo vivus & efficax sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Non sic profecto est, sed sicut populus, sic & sacerdos: sicut laïcus, sic & clericus. Uterque cupit, uterque diligit mundum, & ea quæ in mundo sunt. Laïcus tamen cum labore, sed clerici sine labore volunt possidere totum mundum. Communicare volunt cupiditati & superfluitati hominum, sed non labori. Peccare volunt, sed non flagellari cum hominibus. Unde timendum est quod flagellentur cum dæmonibus.

*Luc 16 d. Sepulcrum divitis Epulonis.*

*Psal. 106. d. Psal. 91. a*

*Contemptus mundi à Clericis exemplo prædicandus. Luc. 4. d*

*Hebr. 4. c*

9. Quomodo sæculares non expenderent substantiam suam vivendo luxuriose, etiam in præsentia sacerdotum? quomodo non intenderent vanitatibus & lenociniis hujus sæculi? quomodo non essent insolentes & elati, cum tantum fastum, tantam insolentiam videant clericorum? Nonne in præsentia eorum irreverenter abutimini eleemosynis pauperum? De patrimonio Crucifixi non facitis codices in ecclesiis, sed pascitis pellices in thalamis vestris: impinguatis canes; adornatis equos, phalerantes pectora, & capita deaurando. Et vere *in capitibus omnium platearum dispersi sunt lapides sanctuarii.* Plateæ latæ sunt: & lata est via quæ ducit ad mortem. Lapides sanctuarii, id est sacerdotes, sunt in capitibus, id est, in introitu latarum viarum: docent enim populos per prava exempla ingredi vias latas, quæ ducunt ad mortem, & demergunt in profundum inferni. Dolor capitis in membra redundat. Capita populi sunt sacerdotes. *Omne caput languidum, & omne cor mærens.* Languent Prælati Ecclesiæ in cupiditatibus suis. Quia ergo languor est in capitibus, mæror oboritur in cordibus. Corda sunt Ecclesiæ viri religiosi, qui honorem suum intelligentes, non respiciunt in vanitates & insanias falsas; nec comparantur jumentis insipientibus, nec similes fiunt illis: qui plorantes plorant in nocte hujus adversitatis, ubi apud Prælatos Ecclesiæ invalescit cupiditas, & caritas refrigescit.

*Thren 4. a*

*Isa 1. b. Capita populi Sacerdotes Corda religiosi.*

10. Et merito clamat Ecclesia sancta hodie: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Multa est hodie & longe gravior, quam credi possit, persecutio sanctæ Ecclesiæ; & talis incumbit, qualis à principio non fuit. Multis modis persecutus est eam diabolus, sed numquam gravius quam hodie: quia numquam fuit major perditio Christianorum, nec liberior aut securior transgressio divinorum præceptorum. Ecclesiam incipientem persecutus est per tyrannos, proficientem persecutus est per hæreticos, jam lætam & florentem persequitur per motus illicitos. Tria sunt in anima, ratio, voluntas, sensualitas. Rationis est judicium, voluntatis desiderium, caro debet obsequium. Carnem ergo cruciavit in Martyribus; rationem perturbavit in simplicibus; sed voluntatem hodie depravat generaliter in omnibus. Fuit ergo amaritudo Ecclesiæ, amara quidem in persecutione tyrannorum, sed amarior in versutia hæreticorum, sed amarissima hodie per pravitatem desideriorum. Væ qui dicunt, Pax, & non est pax. Pacem habet Ecclesia apud extraneos: sed filii nequam, filii scelerati sæviunt in eam: qui propriam matrem eviscerant, ut se pariant in honorem. Pacem ubique habet exteriorem, sed interiorem in paucis habet: quia ubique, aut fere ubique, judicio rationis non consentit voluntas, sed captivam eam ducit in lege peccati: quia etsi ratio sana sit in judicio, voluntas tamen prava est in desiderio, in qua nimirum residet diabolus similis Altissimo, ut supra diximus.

*Isa. 38 d. Gravissima persecutio Ecclesiæ hujus temporis.*

*Persecutio triplex, Tyrannorum, Hæreticorum, malorum filiorum.*

11. Evigilate justi, abjicite diabolum, & sedem Dei expurgate, quia justitia & judicium correctio sedis ejus. Exigentibus iniquitatibus vestris egressus est de templo suo. Reducite eum ad templum sanctum suum. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Anima justi sedes & templum Dei est. Dominus in templo suo facit mirabilia, & præbet oracula. Veniat ad templum suum Dominator, quem quæritis, quo possitis dominari desideriis carnalibus, & diabolicis resistere tentationibus. Veniat & Angelus testamenti, quem vos vultis, qui annuntiet vobis suam voluntatem, & confirmet promissam hereditatem. Inducant eum in templum suum parentes ejus, pater videlicet & mater & fratres ejus. Qui sunt illi? Respondeat ipse: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus pater, & mater, & frater, & soror est.* Pater generando per verbum prædicationis, ut dicit Apostolus: *Ego per Evangelium in Christo vos genui.* Mater pariendo per exemplum sanctæ conversationis. Frater & soror caste diligendo in amore fraternitatis. Hi parentes estis vos, aut esse debetis. Statuit vos populus mediatores inter se & Deum, ut nobis loquatur Deus, & vos ad illum. Ideo dant vobis eleemosynas & primitias suas, ut vestris precibus & meritis propitietur eis Deus, & introducantur ad illum. Sed eum quem vobis redditis offensum, qualiter aliis redderis placatum? Non est munda coram Deo oratio vestra. Quærite ergo vos parentes Jesu-Christi, qui adducant eum ad vos, & inducant in templum suum. Quærite eos qui voluntatem Dei ex corde faciunt, qui contempserunt vitam mundi, qui castigant corpus suum, & in servitutem redigunt, non ut hominibus, sed ut Deo placeant.

*1. Cor.*

*Matth. Sacer. parent. Christi. 1 Cor.*

*Sacer. inter & pop. medii.*

12. Non solum recipere, sed dividere sciatis eleemosynam. *Facite & vos vobis amicos de mammona iniquitatis.* Non solum loquimini; sed & *operamini bonum ad omnes*, &, ut dicit Apostolus, *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: quia talibus hostiis promeretur Deus.* Inducant proinde Jesum in templum suum per justitiam, & perducant per judicium. Aperite ei portas justitiæ; alioquin non ingredietur ad vos. Diligite justitiam, qui judicatis terram. Vestrum est facere judicium, quia senatores estis orbis terrarum. Diligite ergo justitiam, & recte judicate filii hominum. Quid dubitatis apprehendere disciplinam? Contineatis vos à pravis operibus vestris, justitiam habendo ac faciendo: quia *qui continens est justitiæ, apprehendet illam, & obviavit illi quasi mater honorificata* Sine justitia non solum respublica, sed nec parva domus subsistere potest. Quare timetis principes & potestates tenebrarum harum? Quare vos illis subjicitis? Vultis exaltari in terra, vultis exaltari in gentibus? Apprehendite, & facite justitiam. Apprehendite, continendo vosmetipsos; facite, humiles & pauperes justificando; & profecto in justitia exaltabimini. Dicit enim Psalmista: *Et in justitia tua exaltabuntur.* Qui? *Beatus* scilicet *populus, qui scit jubilationem.* In jubilo diversæ voces consonant. Sciunt ergo jubilationem, qui sciunt pacem gentibus dare, & liberare populum Dei, & unitatem populorum servare in vinculo pacis. Hi tales Domine, non in tenebris hujus mundi aberrabunt, sed *in lumine vultus tui ambulabunt:* non in sua facie, sed in tuo nomine exsultabunt: non in tyrannorum amicitia, sed in tua justitia exsaltabuntur. Timetis conculcari à leonibus, si justitiam tenueritis. Daniel in lacu leonum clamat: *Et non nocuerunt mihi.* Quare? *Quia justitia coram Deo inventa non est in me.* Justitia plena est dextera tua. Per *dexteram* spiritualia: per *sinistram* accipiuntur temporalia. Longitudo dierum in dextera ejus: in sinistra autem divitiæ & gloria. In judicio ad sinistram ejus erunt hœdi, quibus dat in hoc sæculo gloriam & divitias: ad dexteram autem Agni, quibus præparata est longitudo dierum. Nolite sitire munera in sinistra ejus, quia qui desiderant ejus sinistram in hoc sæculo, collocabuntur ad sinistram ejus in judicio. Adhærete dexteræ ejus, ut in judicio ad dexteram

*Luc. Heb.*

*Sap. 1. Psal. Zelus ... tiæ ... tes & ... les ex ... Eccli.*

*Ibid. g. Psal.*

*Dan. Psal. Prov.*

*Matth.*

ejus sedeatis super sedes judicantium, & in præsenti A
non propria virtute, sed virtute dexteræ ejus superbo-
17. c rum & sublimium colla prematis: quia dextera Dei fe-
cit virtutem.

13. Vultis tamen de manu ejus accipere duplicia, id
6. b est spiritualia & temporalia? *Primum quærite regnum Dei,*
*& justitiam ejus*, quod est dexteræ: *& hæc omnia adji-*
*cientur vobis*, quæ sunt sinistræ. *Primum quærite regnum*
*Dei*, ut in interioribus vestris habitet & regnet Deus.
Deinde *justitiam ejus*, ut legem ex ore vestro requirat &
assumat populus: & ex tanta gratia meritorum retri-
buetur vobis gloria præmiorum, quam nec oculus vidit,
&c. Et præter hæc adjicientur vobis hæc temporalia:
11. a quia *gloria & divitiæ in domo ejus*. Cujus *ejus?* Haud du- B
bium quin justæ generationis, de qua præmissum est: *Ge-*
*neratio rectorum benedicetur*. Benedicta in prædestinatio-
ne, benedicitur in justificatione, benedicetur in glorifi-
10. b catione. Benedictio Domini super caput justi: quia mi-
sericordia Domini ab æterno per prædestinationem, & *Psal. 102.*
in æternum per glorificationem. Facite ergo justitiam,
non tamen pro vestro arbitrio, sed dictante judicio: quia
justitia & judicium correctio sedis ejus. Si tantum face- *Psal. 96. a*
retis judicium, nec aliquod haberetis dominium, judices
tantum essetis, non justificatores; & ideo justitiam face-
re non possetis. Propter hoc qui dedit vobis judicium,
dedit & dominium, ut prædixit Propheta: *Judicabunt* *Sap. 3. b* Duplex dominium quorumdam Prælatorum.
*nationes, & dominabuntur populis.* Duplex est dominium
Prælatorum. Habent enim claves Ecclesiæ, quibus clau-
dunt, & nemo aperit; aperiunt, & nemo claudit. Habent
& regalia, quia Domini sunt urbium & oppidorum. Nec
solum Episcopatus, sed & Consulatus habent, ut merito
eis dicatur: Quid ultra debui facere, & non feci? Sed
quod datum est illis in adjutorium, factum est illis in
scandalum.

*Videtur aliquid deesse.*

---

# AD PRÆLATOS IN CONCILIO CONVOCATOS;

## SERMO.

In hunc locum, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum.* 2. Cor. 5. 19.

*Hic Sermo habitus est paucis annis post obitum Eugenii tertii, ex num.* 3. *& quidem tempore Schismatis, sub pontificatu Alexandri tertii, ex num.* 10. *&* 11. *Auctor monachus Cisterciensis, num.* 10. *forte Gislebertus abbas Cistercii, ad quem Alexander III. scripsit. In prioribus editis inscriptus erat* Sermo in Concilio generali. *At* generali *additum videtur ex num.* 4. *ubi Judicium supremum dicitur* Concilium generale.

1. Non pro sapientia, quæ in me sit, sed pro
5. b umbra nominis nuper magni in terra supra
nomen magnorum, qui vel tunc erant, vel
in terra hodie sunt, imponitur mihi quod
magnum est ad me, in ecclesia magna habere sermonem.
Utinam autem nihil eorum; quæ non invenientur in me, C
exspectetur ex me, nihil acute excogitatum, nihil di-
serte probatum. Non ego ille sum, cui dicebatur; *Fa-*
*vus distillans labia tua.* Et si essem quod non sum, timen-
7. a dum tamen mihi, quod Sapiens ait: *Anima saturata*
*calcabit favum.* Solet interdum etiam corporale fastidium
ad exiguum aliquid & aliquatenus acre edulium relevari.
Et quid omni rationali spiritui tam acerbum, quam terri-
bilis exspectatio illa judicii? Pungit quidem & memoria
mortis, sed multo magis hæc compungit. Legimus ta-
men & de illa, dicente Domino ad Prophetam: *Clama.*
*Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus*
*tamquam flos fœni: fœnum aruit, & flos ejus decidit, ver-*
*bum autem Domini manet in æternum.* Inde est quod sa- D
pienter pastores singulos admonens sapientissimus Salo-
17. d mon ait: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque*
*greges considera. Non enim semper eris princeps, sed corona*
*datur à generatione in generationem. Aperta sunt prata,*
*& apparuerunt herbæ virentes, & collecta sunt fœna de*
*montibus. Vultum*, inquit, *pecoris tui diligenter agnosce.*
Siquidem hoc tuum est, dicente Scriptura: *Homo videt*
*in facie, Deus in corde.* Sicut ergo de occultis alieni cor-
dis temere est judicare, sic de eis quæ in facie sunt, non
licet dissimulare pastori. Habet autem & vultus probabi-
le quoddam voluntatis indicium, unde etiam dicitur ob-
tinuisse vocabulum. Ad quod pertinet illud quoque quod
7. c Dominus ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* E

2. Cavendum ergo Pastori, ne inveniatur in vindican-
da intentione cordis suspiciosus; sed nihilo minus atten-
dendum, ne sit in consideranda exteriori conversatione
remissus. Vultum enim pecoris sui non solum agnoscere,
sed diligenter jubetur agnoscere, ut non præsumat faci-
lem sese habere notitiam, si non adhibeat diligentiam.
Non enim semper eris princeps, sed summo principi ali-
quando reddes rationem tuæ villicationis, cum villicare
17. d ultra non poteris. *Corona*, inquit, *datur à generatione in*
7. d *generationem. Ideo* enim, ut ait Apostolus, *plures facti*
*sunt sacerdotes, quod morte interveniente manere non pos-*
*sent.* Nec mirum quod per vices sibi succedunt, qui ad
gerendas æterni vices Sacerdotis accedunt, de quo subdit
Apostolus: *Jesus autem ideo quod maneat in æternum,* *Ibidem.*
*sempiternum habet sacerdotium* Illis ergo à generatione in
generationem corona datur, à quibus ejusdem coronæ ra-
tio exigitur: & in illis invenitur hæc vicissitudo, quibus
vicaria creditur dispensatio. Quid autem pro hujus coro-
næ adeptione ambitio humana non faceret, si perpetua
foret? Nunc autem habet hæc corona terminum, & non
habet concupiscentia modum. Utinam sic quæreretur, sic
affectaretur corona vitæ, quam reddet Deus diligentibus
se, quomodo hæc quæritur & affectatur, quam à multis
obtineri permisit negligentibus se!

3. Sed si datur à generatione in generationem, quantæ
sunt hodie istæ generationes? Si non durat in perpetuum,
forsitan durat in longum. Attende quod sequitur, &
quod in dies cernis attende: *Aperta sunt prata, & appa-* *Prov. 27. d* Quàm brevis & caduca omnis mundi dignitas & gloria.
*ruerunt herbæ virentes.* En pratum gratissime vernans,
gloriosissime florens, amœnissime virens. Sed ubi tan-
tus viror, quantus est vigor? Ante hos annos paucos sub
bonæ memoriæ patre nostro Eugenio Papa similiter
convenit Ecclesia, & herbarum virentium copia ma-
gna resplenduit. Ubi sunt qui tunc virebant? Paucos ho-
die hic videmus ex eis, quos tunc similiter vidimus con-
sedisse, nec paucas novimus sedes, quæ plures postea
mutavere sessores. Transeunt plurimi, nec in tanta eru-
ditione adhuc multiplex est scientia, sed damnabilis ne-
gligentia, juxta illud: *Non videbis interitum cum vide-* *Psal. 48. b*
*ris sapientes morientes, simul insipiens & stultus peribunt.*
*Aperta sunt*, inquit, *prata.* Sed quoties sunt hæc prata
detonsa & tondenda adhuc, quoties sua vellera mu-
tant, quoties jam desecta sunt, & adhuc desecanda à
generatione in generationem! *Et apparuerunt herbæ vi-*
*rentes*, quomodo in quibusdam hodie dignitas, in qui-
busdam viret auctoritas, viret elegantia corporum, opu-
lentia rerum, gratia principum, sed non viret in lon-
gum. Denique *apparuerunt*, inquit, & non apparent
*herbæ virentes.* Apparere enim tam breve est, ut non
appareat apparuisse quàm longum. Apparuerunt & dispa-
ruerunt, apparuerunt & præterierunt, nec inventa sunt
loca eorum. Immo vero invenientur loca, nec diu vacua.

Quicumque enim decedant, facile satis & abundanter inveniuntur qui pro eis ilicò collocentur. *Apparuerunt*, ait, *herba virentes, & collecta sunt fœna de montibus: Quia omnis viror exaruit, & humiliata est altitudo virorum.*

4. Sufficere quidem hæc debuerant ad contemptum mundi: sed si minus negligimus quæ peritura sunt, quæ sunt peremptoria timeamus. Terribilius enim per Apostolum aliquid nobis hodie tuba intonat salutis. *Omnes*, inquit, *nos adstare oportet ante tribunal Christi.* In Concilio sumus, & ad concilium invitamur. Generale prorsus concilium, ubi deerit nemo; ubi omnes oportebit adstare; nec modo omnium merita, sed omnium opera judicari. Hoc si serio, uti par est, plures attenderent, non sic quærerent præposituras super archidiaconatus: non sic sibi vel suis super thesaurarias peterent decanatus; nec tam dira libidine miseri gibbum adderent super gibbum, cum ad negandum camelo regni cælestis per foramen acus introitum, satis superque impedire eum potuerit gibbus unus. Cogitare magis debuerant quod legerunt: *Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quod sumatis majus judicium.* Sed nec illud debuerant oblivisci, viri videlicet spirituales, qui gloriantur quod interim opera quidem dijudicent, & à nemine judicentur. *Judicium durissimum his qui præsunt fiet. Et potentes potenter tormenta patientur.* Exiguo enim conceditur facile misericordia, qui nunc magis optat per homines judicari, sciens quàm sit horrendum incidere in manus Dei viventis.

2. Cor. 5. b

Contra pluralitatem beneficiorum.

Jac. 3. a

Sap. 6. a

5. Ipse est ante cujus tribunal adstare omnes nos oportebit, ut unusquisque recipiat prout gessit. Non enim ibi erit quod de quibusdam nunc dicitur, & videtur quod illos defendat numerus. Sed nec ulla ibi erit acceptio personarum, nulla ibi tergiversatio poterit suffragari; quando omnia nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis tunc sermo; nulla ibi dissimulatio, ubi reddenda ratio etiam de verbo otioso. Multo magis ergo discutiendum est, in corpore Christi, quod est Ecclesia, quem quisque gradum tenuerit; qualiter ad eum, qua intentione, quibus meritis, quibus suffragiis introierit; qualiter in eo ipse vixerit, qualiter aliis forte præfuerit, vel profuerit, substantiam mundi qualiter acquisierit, qualiter dispensaverit acquisitam. Quisque enim recipiet prout gessit, dum in suo corpore fuit, sive bonum, sive malum. O bonum, bonum valde; malum, malum valde! Quàm felices qui in vita sua receperint malum, ut illud mereantur recipere bonum! Et quàm miseri qui in bonis interim ducunt dies suos, ut in puncto debeant ad illud descendere malum! Domine, libera nos à malo illo quod in fine erit, sicut in fine orationis nos petere docuisti. Erit enim illud bonum summum bonum, plenum bonum, & omne bonum, quod Moysi dicitur: *Ego ostendam tibi omne bonum.* Erit & malum illud omne malum, ignis & vermis, immortalis iste, ille inexstinguibilis; vincula & tenebræ, fletus & stridor dentium; dolor sine remedio, mors sine termino, sine fructu perpetua pœnitudo, sine spe veniæ æterna damnatio.

Judex supremus quàm sit & cuncta sit discussurus.

Exod. 3. d

6. Et quid ibi facturi sunt qui in deliciis interim corpora nutriunt? Timeat pecuniosus ad memoriam mortis, nec possideat cum amore quod velociter cum dolore relinquat. Nihil enim intulit in hunc mundum, haud dubium quod nec aliquid amplius asportabit. Timeat ambitiosus futurum in consummatione judicium, ubi incipiet forsitan cum rubore novissimum locum tenere, cum viderit deponi potentes de sede, & exaltari humiles. Timeat voluptuosus æternum malum, æterna supplicia, ubi subter eum sternetur tinea, & vermis operimentum ejus. Hæc omnia prius signata si non creduntur, obsecro, cur leguntur; & si creduntur, quomodo non timentur? Aut quomodo timeat ea hodie clericus ex inope locuples, ex ignobili gloriosus? Et recte ejusmodi fugere nos quasi pestem Sapiens olim monebat: nunc autem quî fugiemus hanc pestem? Et in insulis quæ parvæ sunt invenitur. Unde oritur, vos videritis.

Quibus maxime timendum in supremo judicio.

7. Vere enim pestis est ista, quæ totum jam occupavit orbem. Tabes est ista, quæ totum corpus Ecclesiæ jam infecit, ut non dixerim interfecit. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*, ait Propheta. *Vulnus, & livor, & plaga tumens non est circum ligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Vulnus ad culpam, livor ad notam, tumor ad superbiam referatur. Vulnus est, cum intus læditur conscientia; livor est, cum etiam foris decoloratur vita; plaga tumens, cum additur etiam impudentia, juxta illud: *Confusione non sunt confusi, nescierunt erubescere.* Vulnus & livor est, cum minus providentur bona coram Deo & hominibus. Plaga tumens, cum timor Dei de vulnere, nec erubescentia sequitur ex livore, sed lætantur homines cum male fecerint, & in malitia gloriantur; postremo nec Deum timent, nec homines reverentur. Vulnus est sine livore nonnumquam, cum etsi minus caste quid geritur, tamen caute. Vulnus & livor sine tumore, cum cœperint, qui excesserunt, non altum sapere; sed erubescere, sed timere. Nihil autem sic repellit clementissimum Samaritanum illum, quomodo tumor iste, ne vulnus alliget, ne vinum infundat & oleum. Unde etiam signanter de eadem plaga tumente subjungitur: *Non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Non est, inquit, circumligata, quod nemo sit qui coërceat; nec curata medicamine, nemo quippe qui arguat; neque fota oleo, nemo enim qui vel levi admonitione eos convenire præsumat. Quamquam foveri forte videbitur oleo quodam reprobo, oleo peccatoris. Fovent enim vitia qui vitiis favent. Sed ad perniciem, non ad salutem plaga fovetur, cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Non sic fovet Apostolus, cum terribiliter intonans ait: *Unusquisque recipiet prout gessit.* Nihil ibi cognitio, nil divitiæ, nil gratia quælibet humana præstabit. Secundas illas sedes, quas ab olim jam præparatas sedere in judicio legimus, nemo injustus, nemo obtinebit indignus.

Maxima pestis Ecclesiæ, impudentia in malo.

Isa. 1. b

Jer. 8

Isa. 1.

2. Cor.

8. Utinam autem qui primas hodie cathedras amant, qui primas improbe rapiunt, ambiunt impudenter, illas potius affectarent! Nam & prosperas res secundas dicimus, & Dominus nobis ut vinum bonum, sic omne bonum contra morem hominum servat in posterum. Illas autem secundas sedes dixerim, sedes quas in circuitu sedis Dei viginti quatuor senioribus positas nobis in Apocalypsi Evangelista Johannes testatur. Ubi si duplicatum quis Apostolicum numerum animadvertat, non difficile forsitan quibus etiam sedes illas Judex paraverit, recognoscet. Invenitur enim in aliis Apostolica vita pariter & doctrina, in aliis tantum vita. In aliis, inquam, meritum pariter & officium: in aliis meritum sine officio invenitur. Quod si dixerit quis, nonnullos etiam inveniri Apostolicæ perfectionis expertes, solius autem probationis heredes: ipsi viderint ubi sedeant, immo etiam caveant, ne ea forte sit tertia pars stellarum, quam de cælo in terram draconis cauda legitur detraxisse. Soli quidem professioni illarum sedium legitur facta promissio, dicente ad Dominum Simone Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Et Dominus ad eum, *Sedebitis*, inquit, *super sedes duodecim judicantes.* Duplicatur autem, ut diximus, id est, numerus duodecimus, quod hæc professio videatur tam in Prælatis, quàm in subditis, tamquam in Noë & Daniele inveniri. Hi sunt etiam apud Isaïam duo Seraphim, qui super solium stetisse leguntur, in quo Dominus præsidebat. Interpretatur enim nomen ipsum *ardentes* vel *accendentes*; & ardere est Religiosorum, accendere Prælatorum.

Apoc.

Matth.

Isa. 6.

9. Verum in specie quatuor animalium, quæ in prophetica nihilo minus visione apparuisse leguntur, solos Pastores & prædicatores Ecclesiæ credimus designari; in quibus simul apparuit species leonis, & bovis, & hominis, & aquilæ: ut ex his quatuor nobis commendaretur, quales eosdem Pastores & rectores deceat inveniri. Oportet enim ut omnis qui præest populo Dei, leonem sese exhibeat, terribiliter corrigendo delicta; bovem, strenue tractando terrena; hominem, benigne hominibus compatiendo; aquilam, sublimiter volando, & subtiliter divina contemplando. Utinam autem nemo hodie in Prælatis inveniretur nimis habens de leone, parum de homine, immoderate in subditos sæviens, cum austeritate &

Ezech.

Quatuor animalium species a... Ezech... plicat... tribus ... fiæ.

potentia imperans, nec hominem sese erga homines exhibens aut cognoscens! Utinam nemo qui nimium hominis, parum leonis exhibeat, qui sic scilicet compatiatur hominibus, ut nec criminibus indignetur! Utinam nemo qui nimis de bove & de aquila minus habeat, nemo terrenis immoderatius incubans, minus inhians cælestibus & divinis! Utinam nemo qui nimis sese aquilam præbeat, bovem minus quàm debeat imitetur, sic quærendo cælestia, ut nolit administrare terrena. Unde etiam beatus Gregorius in libro Pastorali admonet, ut sit rector singulis compassione proximus, præ cunctis in contemplatione suspensus: in quibus ei facies hominis & aquilæ simul commendatur. Deinde ut sit bene agentibus per humilitatem socius; contra delinquentium vitia per zelum B justitiæ erectus: & leoninam faciem exhibens & humanam. Tertio quoque ut sit internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens: quod est dicere, faciem bovis & aquilæ congrua sibi proportione contemperans.

10. Et nunc viderit qui hæc legerit de quatuor animalium faciebus, an eisdem omnibus competenter & temperanter utatur: viderit etiam, in quo potissimum regulam æquitatis excedat, aut minus habens aut amplius quàm oportet. Si enim congrue singula dispensarentur in eis, qui videntur in Ecclesia gerere principatum; una etiam quatuor facies habens super terram rota juxta hæc anima- C lia non modo esset, sed appareret; non hodie scinderetur Ecclesia, immo non videretur scindi tunica Christi, nec scissa aliquando, nec scindenda. Licet enim singulis quibusdam ecclesiis singuli videantur præesse Pastores, & animalia sancta quodammodo trahere rotas plures: esse tamen debet aspectus earum velut si sit rota in medio rotæ, ut omnes simul ecclesias unius Catholicæ inveniatur ambitus continere. Sit ergo aspectus, velut si sit rota in medio rotæ, ad fugiendam dissimulationem: sint opera ad cavendam simulationem. Quidam enim dissimulant hodie quod sentiunt, & non habent aspectum; quidam forte simulant quod sunt, sed opera non inveniuntur in eis. A fructibus eorum cognoscimus eos, D qui humiliantur nequiter, cum interiora eorum plena sint dolo. Oportuerat sane Prælatos quosque in hac parte formam fieri gregis, ut quos enutrivit & exaltavit Ecclesia, in sua eam necessitate non spernerent. Cum euntibus autem animalibus irent & rotæ, & cum stantibus starent, & cum elevatis à terra pariter levarentur; ita tamen si spiritus vitæ esset in rotis. Alioquin quamlibet proficiant in virtute Pastores, quamlibet perseverent, quamlibet quærant quæ sursum sunt, non quæ super terram; numquam eos plebes eorum industria prævalente, nisi spiritu trahente, sequentur. Nunc autem, quod miserandum est & dolendum, pluribus quidem in locis cum re-

A trocedentibus animalibus revertuntur simul & rotæ, & cum cadentibus cadunt, & cum incurvatis ad terram pariter incurvantur.

11. Ignoscite nobis P. R. plures nobis indignati sunt, & scandalizati in nobis, quod ab initio schismatis hujus nostra cum eis parvitas non dissimulavit, non siluit, non quievit. Quod quidem fecit non humana præsumptio, sed timor Dei, ne exigua hæc Cistercienfis Ordinis rota ad nihilum nobis posset ultra prodesse, si non esset rota in medio rotæ. Esset autem, ut diximus, & aspectu simul & opere. Nihil enim ad æternam animarum salutem, pro qua Deo vivimus, & custodire decrevimus vias duras, prodesset monastica conversatio, si ecclesiastica nobis communio non adesset. Sed neque illud dubium, quod nequeat membrum illud esse de corpore, quod noluerit esse sub capite. Ecclesia si de filiis pro patribus suis principes statuit super terram, nec sua id facit præsumptione, sed divina auctoritate, sicut olim in psalmo sanctus ei instituit Spiritus, ita dicens: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super terram.* Tu, inquam, constitues: non sæcularis potestas, sed ecclesiastica unitas: ut omnis qui aliter intrat in ovile ovium, non pastor, non saltem mercenarius, sed fur & latro sit. Divinæ ergo resistit ordinationi, qui constituto ab Ecclesia Principi non obedit: quandoquidem ei constituit Dominus, ut pro patribus suis de filiis suis constituat principes sibi. Denique qui Ecclesiam non audierit, publicanus & hæreticus judicatur: neque hoc tantum, sed fidem negavit, & est infideli deterior.

Ordinis Cisterciensis vigor pro Ecclesia.

Psal. 44. d

12. Nam professio fidei, quam in baptismate profitemur, hæc est: credere nos in Deum Patrem & in Filium & in Spiritum-sanctum, & continuo sanctam Ecclesiam Catholicam. Sicut ergo fidem primam irritam facit, qui non credit in sanctissimam Trinitatem: sic & ille qui ecclesiasticam deserit unitatem. Nam tradunt Sancti irremissibilem esse blasphemiam Spiritus-sancti, ab eadem Ecclesia sancta, quæ per Spiritum-sanctum congregata est, separari. Magna enim Spiritus-sancti, & Ecclesiæ convenientia est: & sicut de beata Virgine Angelus ait, *Quod in ea natum est, de Spiritu-sancto est*; & quod renasci videmus ex aqua & Spiritu: aqua ipsa Ecclesia est, sicut Johannes ait: *Aquæ populi sunt.* Quod si verum est, immo quia verum est, sine causa aquis immergitur, qui Ecclesiæ populis non unitur. Conversi igitur ad Dominum Deum nostrum super hac tam devota nostra congregatione gratias ei multiplices referamus, sed & preces supplices offeramus, ut Catholicorum mores, & schismaticorum errores corrigere sua pietate dignetur per Jesum-Christum Filium suum Dominum nostrum, cum quo vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 1. d

Apoc. 17. d

---

# DE FUGIENDA CORDIS ET CORPORIS IMMUNDITIA, SERMO.

## In illud Lucæ, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*

*Constat fere ex centonibus Patrum, præsertim Guerrici abbatis Igniacensis.*

1. AMATOR castitatis & integritatis Deus virgo, Virginis Filius, de cordis & corporis immunditia evitanda, & munditia appetenda sermonem nobis proposuit, brevem quidem dictis, sed gravem mysteriis, planum sermone, sed plenum significatione. In quo notandum, quod plerumque verba Dei ad nos non tam sunt dictorum sonitus, quàm effectus operationum: cum in his quæ quasi simpliciter prolata sunt, non simplex, immo multiplex intellectus est inquirendus; & cum hoc quod foris corporale personat, spiritualibus mysteriis redundat. Ait namque, *Sint lumbi vestri præcincti.* Si istum Domini sermonem, quem de lumbis præcingendis proposuit, secundum litteram velimus accipere, nihil in eo commodi spiritualis poterimus invenire. Parum enim proficeret ad æternam animæ salutem, si quis vel corporaliter lumbos præcingat, vel ardentem lucernam manibus præferat. Unde alia in præcinctis lumbis & lucernis ardentibus quærenda est intelligentia spiritualis, quæ divino præ- E cepto sit condigna, quæ nostræ saluti congrua reperiatur & commoda. Neque enim de corporalium lumborum cinctione spiritualis magister, cujus verba spiritus & vita sunt, tantopere nos instruere curaret. Lumbi quos in nobis Dominus jubet præcingi, sunt nostri appetitus illiciti, quos in nobis præcingi desiderat, quia illicitos carnis motus in nobis sedari exoptat. Lumbos ergo præcingimus, cum in nobis concupiscentias carnales restringimus. Tunc lumbos præcingimus, cum mala desideria & prava opera vitamus, dum libidini resistit animus, dum luxuriæ denegatur effectus, dum calcatur luxuria,

dum subigitur immunditia. Tunc lumbos præcingimus, cum carnalibus desideriis non acquiescimus, cum ejus voluptatibus reluctamur.

2. Notandum autem, quod ea, quæ Dominus proposuit per seipsum, jamdudum dignatus est proponere per famulum. Moyses enim inter cetera, quæ populo Dei mandata proposuit, de immunditia cavenda præcepit: *Non mœchaberis.* Quin etiam si vigilanti animo perscrutemur, invenimus Dominum in utroque Testamento luxuriam verbis & figuris condemnasse. Et in veteri quidem Testamento luxuriam verbis condemnat, ut in hoc quod jam commemoravi: *Non mœchaberis.* Figuris autem, sicut in Daniele legimus, ipso testante qui ait: *Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce vir unus vestitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo.* Quid in renibus nisi delectatio carnis accipitur? unde & Psalmista orat dicens: *Ure renes meos.* Si enim voluptatem libidinis in renibus esse nesciret, eos uri minime petiisset. Unde quia potestas diaboli in humano genere maxime per luxuriam prævaluit, de illo ad beatum Job voce dominica dicitur: *Potestas ejus in lumbis ejus.* Per cingulum ergo renum restrictio carnalis fornicationis innuitur. In novo autem Testamento Dominus luxuriam verbis condemnat cum dicit: *Sint lumbi vestri præcincti*, id est, sint in vobis carnalis luxuriæ effectus cohibiti. Sed quoniam malum luxuriæ, aut cogitatione perpetratur aut opere: callidus adversarius dum ab affectu operis expellitur, secreta cogitationis polluere molitur. Sicut per Moysem luxuria corporis; ita per Redemptorem interdicitur luxuria cordis. Per Moysem luxuria perpetrata, per auctorem munditiæ luxuria damnatur cogitata. Redemptor noster veniens legis præcepta transscendit, & ab electis suis non solum carnis luxuriam, sed etiam cordis abolevit, jussitque non tantum lumbos carnis succingere, id est luxuriam ab effectu refrenare, sed etiam lumbos mentis præcepit succingere, id est hanc etiam à cogitatione restringere. Hinc est quod Johannes Evangelista, cum propter insuperabilem evangelizandi constantiam in Pathmos insulam exsul relegatus esset, inter cetera quæ vidit, Redemptorem nostrum ad mammillas præcinctum annuntiat dicens: *Et conversus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea.* Podes græce, latine pedes dicuntur: unde poderis vestis talaris dicitur, id est pertingens usque ad talos, eo quod medios pedes contingat. Quid ergo per zonam pectoris, nisi cohibitio luxuriæ cordis designatur? Quia igitur in priori Testamento adulterium solummodo corporale per legem cohiberi videtur, idcirco Propheta in renibus cinctus ostenditur. Et quia Testamenti sequentis munditia cordis etiam luxuriam frenat, propterea Redemptor noster in pectore cinctus apparuit.

3. Cum autem hæc & alia multa in utroque Testamento de immunditia vitanda exsistant præcepta, homines tamen in hoc tempore gratiæ ita carnis voluptati & propriæ libidini inserviunt, ac si nulla umquam Christi, vel Sanctorum ejus de his præcepta audiissent. Ignorantes quod nulla ante Dei oculos justitiæ pietatisque sunt opera, quæ luxuriæ contagio monstrantur immunda. Si ergo per cordis munditiam libidinis flamma non exstinguitur, incassum qualibet virtutes oriuntur. Quare immensitate hujus criminis obruuntur, nec etiam verentur, ne forte ille pestifer ignis, qui in carne eorum & membris male accenditur, in ira & furore Domini fit accensus: quemadmodum per Prophetam comminatur dicens: *Ignis succensus est in furore meo; & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo.* Ignis itaque Domini in furore accenditur, quando in membris impiorum carnis prurigo & libidinis incentiva ita dominantur, ut ab eis, quia cum gratia Dei exstinguere non conantur, exstingui nullatenus prævaleant. Terræ autem nomine hoc terrenum corpus, sive hæc terrena caro accipitur, cui in primo peccante dicitur: *Terra es & in terram ibis.* Germina terræ sunt bona opera, quæ per hoc terrenum corpus administrantur, sed per

Immunditia tam in veteri quàm in novo testamento vetita.

Dan. 10. a

Psal. 25. a

Job 4. b

Apoc. 1 c

Quàm proni homines in libidinem.

Deut. 32. d

Gen. 3. d

A libidinis ignem penitus concremantur. Et hoc modo ignis iste germina terræ devorat cum terra, & terram cum germine suo: quia plerumque ignem luxuriæ terminat Dominus igne gehennæ, quia *devorabit impium qui non succenditur, sed neque exstinguitur*, quoniam *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur. Dabit enim Dominus ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant usque in sempiternum.* Qui autem nunc in corpore suo templum Dei violant, & per libidinis immunditiam à soliditate corporis Christi, quæ est fidelium Ecclesia, seipsos eliminant, nunc quidem per carnis dulcedinem ardent delectabiliter; sed post modicum ardere habent miserabiliter. Sicut ipse Dominus in Evangelio

B minatur dicens: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet: & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Ardet quidem nunc per Dei præscientiam, post modicum arsurus per retributionis justitiam. Sed neque ibi arderet per experientiam, nisi prius hic arderet per luxuriam aut per cordis malitiam.

4. Quod autem inimici Domini etiam in hac vita ardeant, testatur Isaïas propheta cum dicit: *Et nunc ignis adversarios consumit.* Malos enim non solum post hanc vitam per vindictam ignis gehennæ cruciat, sed etiam nunc libidinis flamma concremat, & qui post puniendi sunt retributionis supplicio, nunc seipsos afficiunt luxuriæ tormento. An non tormentum eis videtur libidini

C enerviter deservire? Quod enim tormentum corporis sit & contumelia, testatur Apostolus dicens: *Tradidit illos Dominus in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Et alibi: *Quodcumque peccatum fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Quia quod peccatores voluptatem æstimant, hoc isti pœnam putant. Ut enim caro mollibus, sic anima duris nutritur. Carnem blanda refovent, animam aspera exercent. Caro delectationibus pascitur: anima amaritudinibus refovetur. Et sicut carnem dura sauciant, sic mollia spiritum necant: sicut carnem laboriosa interimunt, ita spiritum delectabilia exstingunt: & inde in perpetuum spiritus interit, unde ad tempus caro suaviter

D quiescit.

5. Quia enim de luxuria & fornicatione loqui cœpimus, sciendum est, quod fornicatio quadriformis intelligitur; immo in quatuor species subdividitur, in singulis autem suis speciebus cavenda prorsus docetur: quamquam una harum minoris reatus intelligitur. Prima itaque hujus quadripartitæ fornicationis species est, qua quisque mente tantum obscœnis carnis voluptatibus misceri concupiscit. De hac in Evangelio Dominus dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Altera autem, qua ipsius voluptatis opus concupitum copula carnali admixtus ad effectum perducit, de qua Apostolus monet dicens: *Fugite*

E *fornicationem fratres. Quodcumque enim peccatum fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Tertia vero, qua terrenis desideriis æstuans, plus creaturam quàm Creatorem creaturarum diligit. De hac prædictus Gentium Apostolus testatur dicens: *Et avaritia quæ est idolorum servitus.* Quarta vero, quâ simulacra pro Deo venerans, dæmonibus servitutem impendit. De ista autem per Prophetam contra plebem Judaïcam Dominus conqueritur dicens: *Quia mœchata est cum ligno & lapide.* Et quidem in tribus suis speciebus, id est, in appetitu obscœnæ commixtionis, & affectu luxuriæ corporalis, atque in ambitu terrenæ felicitatis, nunc temporis fornicatio maxime viget. Sed nec quarta ad ple-

F num exstincta est, quæ constat in simulacrorum culturis. Videmus enim quod à plerisque de specie transitur ad genus, cum quidam malæ suggestioni immoderate inhiant; ut per hanc usque ad turpem actionem perveniant. Neque enim ad mali operationem pervenissent, nisi in eis prius mala cogitatio præcessisset. Per cogitationem enim pervenitur ad actionem. Cum vero in actione positus non habeat, quæ in hoc opere sibi ministrantibus exhibeat, necesse est ut usque ad avaritiam perveniat. Cum vero neque per avaritiam quæ desideraverat suppetant ut libidini sufficienter impendat, non curat à quo hominum,

Isa. 6
Jud. 1

Johan.

Isa. a

Rom.

1. Cor.

Forn quad

Matt.

1. Cor

Ephes.

Jer. 3

hominum, vel etiam à quo dæmonum sibi tribuantur, quæ in voluptate carnis male consumantur.

6. Postquam autem omnes hos fornicationis gradus ascenderit, & per hoc in profundum peccatorum descenderit, vel potius deciderit, clauso cordis oculo vacat miser & intendit carnis voluptati, sicut *equus & mulus quibus non est intellectus*: & assimilatur his, *quorum carnes*, secundum Prophetam, *sunt ut carnes asinorum*. Asinorum siquidem petulantia talis esse probatur, ut in alio genere animalium sæpe misceantur. Carnes autem fornicantium idcirco asinorum carnibus comparantur, quod non solum naturalibus, verum etiam his qui contra naturam sunt, complexibus quandoque miscentur, quemadmodum Apostolus inhonesta hominum vitia honeste reprehendit, ut ab inhonestate ad honestatis formam multos honeste revocaret. Hi etiam induuntur purpura & bysso, si possunt; si non possunt, quanto delicatius possunt: & epulantur quotidie, quanto splendidius possunt. Sed cum Johannem Baptistam Dominus de victus parcitate, & vestitus asperitate laudasset, ait: *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* nimirum volens intelligi, quia qui sectantur delicias carnis, regno hujus sæculi militant, non regno Dei. Sed heu quàm terribilis sententia cælitus audita est contra mollitiem illius magnæ meretricis, quæ omnium delicatorum in se continet personam! *Quantum*, inquit vox illa cælestis, *in deliciis fuit & glorificavit se, tantum date ei tormentum & luctum.*

7. Utinam tamen his deliciis, tantum mollitie vestium & suavitate epularum contenta esset teneritudo delicatorum Babylonis, nec alias spinas vitiorum germinaret in eis ramus voluptatis: ut hoc esset omne peccatum eorum deliciari, & non luxuriari! Nam & de magna meretrice Babylone, de cujus medio delicati isti ad seducendos electos Dei exisse videntur, forte audeam dicere: quantum vult deliciata sit, quantum purpurata sit, tantum meretrix non sit, nec secundum Prophetam, *divaricet pedes suos omni transeunti.* Ipsi viderint si ita exstinctus est in eis ille ingenitus & pestifer ignis, ut tot fomentis circumpositis nequeat reaccendi: præsertim ventis ex adverso spirantibus, id est, verbis & nisibus lascivis tentantibus. Soleo tamen audire, quod vivit semper in moriente, viget in sene, & scio quod suscitatur & exsurgit etiam sine fomite, & furit nullo irritante. Sed & hi delicati cum in comessationibus & ebrietatibus, aut in cubilibus & impudicitiis sæculi deliciantur, si quid forte adversi eis contingat, signum sibi crucis frontibus imprimunt; ac si in Crucifixi præceptis omnis eorum actio constare videatur. Sed intueamur quanta perversitas sit & abusio: ut inimici crucis Christi tueri se velint signo crucis Christi, dum securi sunt luxuriantes contra pietatem crucis Christi, cum in periculo sunt, volentes esse defensi virtute crucis Christi. Plane inimici crucis Christi sunt amici ventris sui: *Quorum Deus venter est*; quorum idolum nummus est; quorum dulcedo vermis est: quorum gloria vanitas est; quorum omne studium pro humano favore est. Sed ut quid tantopere in laude & humano favore gloriantur? Quid est enim favor humanus, nisi ventus urens, aura corrumpens, aër pestilens, latrunculus spolians, homicida insidians, coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro? Vir quippe vanus in superbiam erigitur, & vanitate sensus sui velut equo præcipiti fertur in ruinam. Hujus nimirum serpens vulnerat & subvertit vestigia: dummodo blandiens carni, animam postmodum secum transducit ad tartara.

8. Si quando vero quilibet religiosus eos corripit aut arguit ut corrigat, dicens: Quare vos ipsos seducitis & negligitis, & in vobis opera Domini non respicitis? *Declinate à malo & facite bonum. Quiescite agere perverse. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis à via justa*, & his similia, respondent: Numquid soli monachi, aut soli claustrales obtinebunt regnum cælorum? Nonne & sæculares? Immo & sæculares. Quid est enim quod præcepit Dominus Discipulis

A suis in Evangelio, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti? Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Baptizati sumus, credimus: salvabimur ergo per fidem istam secundum verba Salvatoris. Nec attendunt quod sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est; nimis innitentes nomini fidei, & opera abnegantes. Ecce enim hodie si de mysterio fidei interrogas, omnes fere invenies Christianissimos: si conscientias discutias, paucos invenies vere Christianos*. Totus mundus confitetur verbis se nosse Deum, factis autem negat: adeo ut qui spem pietatis videntur habere, virtutem ejus sæpius inveniantur abnegare. Scio quidem,
B *quia confessione Domini plena est terra*; sed tamen audio Prophetam plangentem, quia periit fides de terra. Putas enim *Filius cum venerit, inveniet fidem super terram?* Numquid fidem reputabit fidem istam negligentium & contemnentium, qua levius damnat cæcitatem infidelium, qua meliorem judicat credulitatem dæmonum? Dæmones enim credunt & contremiscunt: homines credunt, nec contremiscunt. Dæmones quem credunt verentur, homines dum quem credunt, non timent nec verentur, pro contemptu gravius judicabuntur. Non ergo fallamur, fratres, generali nomine fidei, quasi quæcumque fides ad justitiam debeat reputari: sed meminerimus, Doctor gentium in fide & veritate qualem definierit fi-
C dem, quâ Deo est placendum. *Fides*, inquit, *est sperandarum substantia rerum.* Hæc est fides quæ per dilectionem operatur, ut suadente conscientia meritorum, de fide spes nascatur, fidesque supponatur velut subjectum fundamentum, cui superædificentur bona æterna, quæ sunt spectanda. Sine fide ista impossibile est placere Deo, cum fide ista impossibile est displicere.

9. Nos autem, fratres, si tamquam sine fide fuerimus, Deum post tergum nostrum ponimus, ut dissimulantes timorem ejus, in vanitates potius respiciamus: quo merito nos respiciendos putamus? Immo respiciemur. Sed quo vultu? *Vultus autem Domini super facientes mala.* Sed quàm iratus, quàm terribilis, quàm importabilis, tunc
D demum scietur quando fugient qui oderunt eum à facie ejus? *Et à facie tua Domine quo fugient*, nisi in tenebras exteriores, in illud chaos magnum & profundum, quod vitæ mortisque regionem discernit; in abyssum caliginis & sulfuris ardentis & ignis devorantis? Et quis nostrum poterit habitare cum igne devorante? aut quis sustinebit habitare cum ardoribus sempiternis? *Tunc dicent montibus: Cadite super nos; & collibus: Operite nos.* Levius æstimantes absorberi à voragine inferi, quàm sustinere faciem Dei irati. Fateor sanctitati vestræ, quia confundor in meipso & erubesco, atque etiam perhorresco tam dura, sed veracia quibuslibet enuntiare. Sed vivit Dominus, non audeo palpare, non ausus sum pulvillos consue-
E re, & omni cubito manus substernere, sciens Dominum per Prophetam populo dicentem: *Populo meus, qui te beatificant, ipsi te decipiunt.* Stat ad judicandum Dominus: quorum enim vitia redarguo, bona si audissem, utique laudassem.

10. Quomodo enim laudare potero eos, qui solo nomine Christiani dicuntur, in vanum assumentes sibi sanctum nomen Christi, cum tota ac libera professione sectentur ea quæ huic inimica sunt nomini: qui omni specie conversationis & modo vitæ se protestantur inimicos Christi? Hæccine enim sunt, quæ in eis laudemus, videlicet habitus & incessus meretricius, sermo scurrilis, oculus impudicus, venter qui pro Deo colitur, & om-
F nis illa vitæ contumelia, quæ publice in Dei faciem irrogatur? Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. Fodiat pariêtem eorum, qui ad eos prophetare missus est, & non ego, ut adhuc abominationes majores videat, quas non erubescunt coram illa tremenda majestate perpetrare. Quæ enim bona eorum efferre potero, quorum omnia exteriora opera manifestum odium Dei denuntiant, quorum vita non tentatio, non militia est adversus peccatum, sed ultronea servitus peccati, qui tam mente, quàm carne videntur servire legi peccati, qui cum prudentia carnis, quæ legi Dei non est subjecta, nec

Matth. 28. e. Marc. 16. d.
* Guer. serm. 4. de Epiph. n. 2.
Jerem. 7. f.
Luc. 18. b.
Heb. 11. a.
Psal. 33. d.
Guerricus.
Luc. 23. d.
Isa. 3. c.
Ita Guerric. serm. 4. de Epiph. n. 2.

enim potest, & amicitia hujus mundi, quæ ambæ inimicæ sunt Deo, fœdus miserum pepigisse videntur, plane fœdus cum morte & peccatum cum inferno? O pactum, pactum miserabile, nec tamen inexorabile! Scimus enim quia scriptum est: *Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit:* (Isa. 28. c) quoniam latera aquilonis civitas Regis magni. Semper quippe de numero impiorum auctus est numerus electorum.

11. Sed quid mihi, qui videor monachus, de his quæ foris sunt, judicare? Ad meipsum anima mea turbata est. Ipsi viderint sibi: nihil mihi de aliorum conscientiis judicare, cum sciam multos in omni copia & gloria mundi temperanter & pudice vixisse: & è diverso nonnullos in habitu asperiore & victu parciore nequiter egisse. Vobis ipsis, fratres, intendite. Nolite judicare sæculares, nolite condemnare; lumbos mentis & carnis restringite, ne malum quod eis imminet per operationem, vos incidatis per cogitationem: *Perversæ enim cogitationes separant à Deo.* (Sap. 1. a) (Religiosis cavenda cogitationis peccata.) Alia quidem est carnis luxuria, qua castitatem corrumpimus; alia cordis luxuria, qua castitate gloriamur. Et tanto ante Dei oculos luxuriosi exsistimus, quanto ante oculos hominum casti apparemus, si non fuerimus. Vobis quidem, qui ab actione corporali quodammodo elongati estis, facile est opera perversa vitare: sed minus difficile est ab illicita cogitatione cor tergere. Sed tamen aliud est si cogitamus, ut adipiscamur; atque aliud, cum per cogitationem ab occulto adversario tentamur. (S. Gregor. in mora.) Plerumque enim tentatur cor, & ex carnis nequitia delectatur, & tamen eidem nequitiæ ex ratione renititur: ut in secreto cogitationis & contristet quod libeat, & libeat quod contristet. Nonnumquam vero mens ita baratro tentationis absorbetur, ut nullatenus renitatur: sed ex deliberatione sequitur hoc, unde ex delectatione pulsatur: & si facultas exterior suppetat, mox effectibus exteriora vota consummat. Quod si animadversionem districti Judicis respicis, non est jam cogitationis culpa, sed operis: quia etsi rerum tarditas foras peccatum distulit, intus hæc consentientis opere voluntas implevit.

12. *Sed misericordia Domini multa.* Sæpe enim misericors eo citius peccata cordis abluit, quo hæc exire ad opera non permittit: & cogitata nequitia quantocius solvitur, quia effectu operis districtius non ligatur; quatenus in quo usque ad opus non pervenit culpa, usque ad cruciatum, non perveniat pœnitentia: sed cogitata afflictio mentem detergat, quam nimirum tantummodo cogitata iniquitas inquinavit. Cum autem quis usque ad perversa opera pervenerit per dulcedinem cogitationis, dignum est ut sequatur pœnitentialis afflictio contra dulcedinem carnalitatis. *Sint ergo lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: & vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis: vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, sero an media nocte, an galli cantu, an mane: ut cum venerit & pulsaverit, confestim aperiatis ei, ne forte cum pulsaveritis & clamaveritis dicentes, Domine, Domine, aperi nobis*, dure quasi dormientibus & negligentibus respondeat, *Amen dico vobis, Nescio vos:* sed regni januam nobis aperiat, & secum ad nuptias introducat. Satagite igitur interesse nuptiis sponsi & sponsæ, ut videatis sponsum gaudere super sponsam: ubi sponsum millena millia dulci laudant melodia: & videatis Regem in decore suo, & possitis perenniter vivere & regnare cum Sponso: Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus-sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

---

# DE MISERIA HUMANA, SERMO.

1. O Homo, qui ex anima rationali & humana carne subsistis, conditionis miseræ repletus multis miseriis! Miser & miserabilis homo, pauper, cæcus, nudus, plurimis necessitatibus subditus; ad cor tuum revertere. Quid foris vagaris; quid foris quæris? quid his carnalibus studes? quid in sæcularibus te implicas? quid vanitatibus te involvis, in inferioribus delectaris? Quid ab omnibus inferioribus & superioribus elongaris, & per ea quæ foris sunt, diffunderis? Quanto magis ad mundum accedis, tanto longius à Deo recedis: quanto magis foris es sapiens, tanto magis intus stultus efficeris: quanto magis extra lucraris, tanto magis intus perdis: quanto magis in his, quæ foris sunt vagaris, magis intus evacuaris: quanto magis in temporalibus es sollicitus, tanto magis es mendicus in spiritualibus. Quid est, homo, quod omnia ordinas, & teipsum non vis ordinare? quid in omnibus es prudens, & circa temetipsum es insipiens? quid est quod ad omnia quæ foris sunt sollicitus es bona facere, & temetipsum sinis esse malum semper & inutilem? Dormit in te spiritus Dei, & vigilat in te spiritus mundi. Vacat in te ratio, viget in te sensus: exstinguitur in te Spiritus Dei, dominatur in te amor mundi: fervet in corde tuo amor terrenorum, & moritur in te amor æternorum bonorum: mundum diligis, & Deum relinquis: omnium recordaris, & teipsum oblivisceris: quæ super terram sunt desideras & diligis, cælestia vero non curas: appropinquas ad interitum, & elongaris à salute: curris ad diabolum, & elongaris à Deo. Redi, redi prævaricator homo ad cor, quia loquitur Deus pacem eis qui convertuntur ad cor. Omnia mundi hujus tibi dedit Deus: & tu propter omnia relinquis eum. Omnia propter te fecit Deus: & tu propter omnia dimittis teipsum. Propter omnia quæ occurrunt tibi, dimittis Deum: & idcirco omnia dimittunt te. Propter creaturas relinquis Creatorem: & ideo contra te insurgent omnes creaturæ. Quia offendendo Creatorem, offendisti omnem creaturam: (Offenso Creatore offenditur omnis creatura.) ideo creaturæ quæ factæ sunt in ministerium & utilitatem tuam, convertentur in vindictam & pœnam tuam. Et væ tibi erit sine fine, quia noluisti habere bonum sine fine.

2. Recognosce itaque homo miser, recognosce temetipsum. Recogita quia nihil fueris: attende quod vilis & malus es; considera quid futurus es. Plange homo miser, plange incessanter peccata tua. Dele lacrymis malitias & miserias tuas, quia voluntate propria peccasti. Displiceat tibi super omnia, displiceat tibi toto corde & continuo displiceat tibi, quod Dominum immensæ majestatis habentem potestatem omnis carnis, & mittere corpus & animam in gehennam, ausus fuisti offendere. Amarescat tibi amarissime cor tuum, quod Deum summum patrem incomprehensibilis bonitatis (qui benignus & misericors est super ingratos & malos) voluntarie, libenter, ac delectabiliter offendisti. Totus displiceas tibi, ut totus possis placere ei qui est summus, verus & solus Deus: cui nemo placet, nisi qui sibimetipsi displicet: & nemo ei displicet, nisi qui sibimetipsi placet. Dissipat namque Deus ossa eorum qui hominibus placent. (Psal. 52) Et quod altum & pulcrum est apud homines, abominabile est apud Deum. Mirum est de te homo miser, quod ad mala sis totus avidus, totus promptus, totus facilis, totus sapiens, & totus sollicitus: ad bona autem es totus durus, totus piger, totus tepidus, totus stultus, totus incredulus & rebellis. Unde tibi hoc, nisi à carne quam diligis & sequeris? Quia vero carnem diligis, carnem sequeris: & quia carnem sequeris, opera carnis facis, & cum ea punieris. Carnis tuæ fructus est libido, concupiscentia, invidia, infirmitas, id est fragilitas & dolor, vermis, putredo fœtens, & fœtidus fœtor.

3. Tu ipse es tenebris ignorantiæ sic excæcatus, ut nescias quid sis? (Homo fi... tis incri... notatur) non attendis quo vadis, non animadvertis factum tuum, neque insidias inimici & tentationes ejus fraudulentas intelligis. Totus negligens es, nec cogitas quo tendere debes: viam nescis, & non inquiris. Grandis namque tibi restat via. Sollicite tibi quæris cibum, vestitum & requiem, & omnes carnis necessitates, quando indiges: de vita vero & salute animæ tuæ supertepens non curas, licet semper indigeas, plenus nequitiis & malitia. Miser homo, ut miserum pascas corpus & vestias, & carnis voluptatibus quæ post paucos dies à vermibus devorabitur, satisfacias, sollicitus laboras, discurris, vigilas, & somnum non capis oculis, ut repleas

ventrem: & pro anima tua, quæ Deo præsentanda est in cælis, cur non sollicitus fatigaris, ut ipsam pascas bonis operibus, & induas virtutibus, ne appareat nuditas ejus? Homo tristis, quæris semper implere ventrem, cur non pascis animam esurientem? De vase stercorum semper curas, & de Dei imagine cur non curas? Pascis sterilem, & quæ non parit: animam autem esurientem non satias bonis. Væ tibi erit, quia anima tua propter famem in te deficiet. Væ tibi est, & væ tibi erit, quia reddis quæ sunt Cæsaris Cæsari, & non reddis quæ sunt Dei Deo: & ideo maledictus es à Deo, & confunderis ab eo.

4. Vide miser homo, quia totum est vanitas, totum stultitia, totum dementia, quicquid facis in hoc mundo, præter id solum, quod in Deum, & propter Deum, & ad honorem Dei facis. Quicquid sine Deo facis, totum est malitia & vanitas: quia nihil est bonum sine summo bono. Et magna miseria hominis est cum illo non esse, sine quo non potest esse. Unde homo miser, qui ad similitudinem & ad imaginem Dei creatus es, & propter nimiam caritatem Domini nostri Jesu-Christi à morte æterna turpissima redemptus es, & liberatus es, & ad videndum claritatem summi Dei sola inæstimabili misericordia sua vocatus es, & plurimis beneficiis, ex quo esse cœpisti, ab altissimo Patre totius bonitatis ad vitam æternam habendam per unicum Filium suum invitatus es: miser homo recognosce hunc honorem, intellige dignitatem tuam, qui à tanta majestate honoratus es. Æternus enim Deus & immensus creavit te, formavit te, redemit te, & invitavit te. Maximus honor & amplus amor. Cognosce, ô homo, honorem tuum, & curre gratias agens ad invitatorem tuum, ne forte, si ingratus ire nolueris, aut villa, aut boves, aut uxor te impedierint, iratus Dominus jubeat te succidi, & tibi ostium vitæ æternæ in perpetuum claudat. Cognosce ergo, ô homo, honorem tuum, & honora Creatorem tuum.

5. Sed heu hodie potest recte dici: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Dignum certe & justum est, ut qui socios noluit esse Angelorum, fiat similis jumentorum: & qui destruxit in se imaginem & similitudinem Dei, dignum est, ut imago & similitudo jumentorum adhæreat ei. Cognosce te ergo, ô homo miser, cognosce te meliorem avibus, meliorem cunctis animantibus. Noli esse similis jumentis insipientibus, quæ solam vitam præsentem cogitant: quæ tantum carnalia & temporalia diligunt, quia nec alia sciunt. Homo, non te subjicias carni, non sis amator mundi: non te sustineas esse filium diaboli, propter honorem potentissimi & sapientissimi & incomprehensibilis Patris tui altissimi Dei æterni: propter nomen Dei admirabile non te constituas adversarium & homicidam tui: propter amorem benignissimi Dei non te facias inimicum omnipotentis Dei: propter unigenitum & dilectum Filium ejus Jesum-Christum non te facias socium dæmoniorum, & combustionis ignis æterni: qui redemptus es pretiosissimo sanguine Agni immaculati, noli tantum pretium vilipendere, quod pro te Dei Filius dignatus est exsolvere, ne sempiternis involvaris incendiis. Tunc enim pœnam maximam habebis sine remedio, tunc dolorem inopinabilem patieris sine fine, & tormento plenus eris. Numquam tamen alleviaberis: quia qui non flevit, quando erat tempus flendi, æterno luctu lugebit, sed sine fructu.

6. Redi ergo ad te homo, redi ad spiritualia, redi ad æterna & cælestia gaudia, redi miser, redi ad Filium: nec tardes converti ad eum, qui te sua potestate, & sua fecit sapientia, redemit sua inenarrabili bonitate, ad se vocavit & exspectat adhuc quotidie ut te coronet. Quid quæris extra illum? Quid desideras præter illum? Quid tibi placet sine ipso? Ipse fecit omnia, ipse habet omnia, ipse est omnia. Quodcumque bonum cupis, quodcumque pulcrum quæris, quodcumque dulce & delectabile requiris, totum in ipso invenies, & in ipso perfrueris. Si gaudere vis, ipse gaudium est: si te pugnare delectat, ipse palma est: si coronari vis, ipse corona est: si vincere cupis, ipse victoria est: si potentiam desideras, ipse potentia est: si fortitudinem quæris, ipse fortitudo est: si justitiam vis habere, ipse justitia est: si amas sapientiam, ipse fons sapientiæ est: si caritatem vis, Deus caritas est: si divitias appetis, ipse dives est: si pulcritudinem vis habere, summa pulcritudo ipse est: si plenitudinem quæris omnis boni, ipse plenitudo est: si gloriam & honorem cupis, vera gloria & summus honor Deus est: si pacem vis, pax æterna ipse est. Quidquid boni quæris, summum bonum, & omne bonum ipse est. Immo semper est totus desiderabilis, totus dulcis, totus amabilis, totus suavis & totus delectabilis. Ipse semper ubique totus est. Ubicumque fueris sine ipso, male eris, & male tibi erit: & ubicumque fueris cum ipso, bene eris, & bene tibi erit.

In Deo omnia.

7. Subjice itaque te totum ei, qui te totum fecit, à quo omnia habes: cujus gratia omni momento uteris. Servi semper ei qui non patitur omnia nocere tibi, quæ semper nocerent tibi libenter, sive infirmitates, sive homines, sive bestiæ, vel dæmones, vel quæcumque alia. Servi semper ei, qui non sinit te cadere in omnia peccata, quia non permittit ut inferas tibi omnia mala ac damna, quæ libenter faceres. Totus semper ama Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum, solum, verum, & summum bonum: qui semper solus vere & summe te diligit. Placeat igitur tua voluntas ei: & voluntas ejus semper placeat tibi. Semper concorda te cum eo: semper sequere ejus voluntatem in omnibus, qui semper bonum tuum vult, qui nihil aliud curat nisi salutem tuam, cujus voluntas ad miserandum tibi est benevola, & delectatur benefacere tibi. Numquid putas teipsum magnum amicum tibi? Magis amicus est Deus tibi, quàm tu ipse tibi: quoniam magis ipse diligit te, quàm tu temetipsum. Numquid credis alterius auxilium fortius, aut alterius consilium utilius? Erras si id credis. Stultissimus & dementissimus es, quia tua desideria vel aliorum sequeris, & illius consilium dimittis, qui semper est amicus dulcis, sapiens & pius consiliarius & Salvator, & super omnia adjutor fortis & potens, pater futuri sæculi, & princeps pacis. Amen.

---

# DE SEPTEM DONIS SPIRITUS-SANCTI, SERMO.

1. PRIMA gratia est Timor Domini. Qui hanc habet gratiam; omnem odit iniquitatem, juxta illud Psalmistæ: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* Et alio loco: *Omnem viam iniquitatis odio habui.* Scriptum namque est: *Timor Domini odit malum.* Et item *Time Deum, & recede malo.* Et de Job dicitur: *Vir timens Deum, & recedens à malo.* Sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare vel manare potest. Sicut enim securitas vel desidia causa est & mater omnium delictorum, sic timor Domini radix & custos omnium bonorum. unde scriptum est: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.* Omne namque virtutum ædificium ilico vergit in præcipitium, si hujus gratiæ amiserit præsidium. Unde Salomon ait: *In timore Domini esto quotidie, quia habebis spem in novissimo, & præstolatio tua non auferetur.* Hinc & Apostolus: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini* Et quid plura? Connexa sunt timor & religio, nec manere potest alterum absque altero. Unde *Cornelius, vir religiosus ac timens Deum*, & Simeon *justus & timoratus.* Unde Salomon: *Deum*, inquit, *time, & mandata ejus observa.* Hunc vero sic habere debemus, quomodo asserit se habuisse Job beatissimus. *Semper quasi tumentes super se fluctus Deum timuit.* Per hunc timorem Dei universa deserimus, mundo abrenuntiamus, nosque ipsos, sicut Dominus ait, abnegamus nobis. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Iste ergo divinus timor, qui eum quem perfecte imbuit, paupertati subjicit, & à malo dividit, ita est primus in ordine gratiarum, sicut paupertas in serie

Philip. 2. b
Act. 10. c
Luc. 2. d
Eccli. 12. d
Job. 31. d
Luc. 9. d

beatitudinum: de qua Dominus in ceterarum fundamento A virtutum eam ponens, ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* [Matth. 5. a]

[Humilitatis commendatio]

2. Secundum charisma est Spiritus pietatis, illi secundæ quæ in Evangelio ponitur beatitudini simile, de qua Dominus sic ait: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* [Matth. 5. a] De talibus Dominus in Isaïa ait: *Spiritus Domini super me, ad nuntiandum mansuetis misit me.* [Isa. 61. a] Moyses quoque mitissimus erat super omnes homines qui morabantur in terra. [Num 12. a] De talibus Job dicit: *Dominus ponit humiles in sublime: & mærentes erigit sospitate.* [Job. 5. b] Unde & illud de Domino dicitur: *Humiles spiritu salvabit.* [Psal 33 b] E-contra de superbis dicitur, *Dominus superbis resistit.* [Jacob. 4. b] *Ante ruinam exaltatur cor.* [Prov. 16. c] Superbia de supernis ad ima B præcipitat, humilitas de imis ad superna elevat. Angelus enim in cælo superbiens, ad tartara corruit: homo in terra se humilians, ad cælos ascendit. Tanto vero quisque debet esse humilior, quanto est sublimior. Unde scriptum est: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* [Eccli. 3. c] Hinc ipse Dominus ad discipulos ait: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* [Matth 20. d] Item, *cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus.* [Luc 17.] Item ipse dicit, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* [Matth. 11 a] Sine hac humilitatis virtute reliquæ virtutes nequeunt prodesse. Unde beatus Gregorius ait: "Qui virtutes sine humilitate congregat, est quasi qui in ventum pulverem portat. [Gregorius homil. 7. in Evang.] Si- C cut enim pulvis venti validi flatu dispergitur, sic omne bonum sine humilitate inanis vento gloriæ rapitur." Multo etiam melius est peccatorem esse humilem, quàm justum arrogantem. Quod à Domino evidenter ostenditur, ubi Publicanus & Pharisæus in exemplum adducuntur, [Luc 18 b] sicut quidam Sapiens ait: Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis factis superba gloriatio.

3. Tertium donum est Spiritus scientiæ, de quo Salomon ait: *Qui addit scientiam, addit & dolorem.* [Eccle. 1. d] Vera namque scientia est, scire nos mortales & caducos & fragiles esse, & in hoc exsilio, & in hoc ergastulo, in hac peregrinatione, in hac valle lacrymarum dolendum & lu- D gendum esse. Unde dicitur in tertia beatitudine, huic tertio dono congruenti: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* [Matth. 5. a] Item: *Væ vobis qui nunc ridetis: quia plorabitis.* [Luc. 6 b] Hinc Salomon ait: *Risus dolori miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* [Prov. 14. b]

4. Quarta gratia est Spiritus fortitudinis, quartæ in Evangelio beatitudini similis, de qua dicitur, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* [Matth. 5. a] Qui enim justitiam esurit & sitit, contra qualibet adversa fortis, insuperabilis & imperterritus exsistit. Unde Salomon ait: *Justus ut leo confidit, & absque terrore erit.* [Prov 28. d] Item: *Non contristabitur justus quicquid ei acciderit.* [Prov. 12. a] Hoc spiritu erant præditi omnes de quibus loquitur E Apostolus: *Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & in speluncis & in cavernis terræ.* [Heb 11. g] Hæc & Apostolus ipse, qui ait: *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio, &c.* [Rom 8. g] Iste spiritus omnem alienam malitiam sustinet, & adversus hostiles insidias instruit & munit. Unde Sponsus in sponsæ præconio ait: *Pulcra es amica mea, suavis & decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* [Cant. 6]

5. Quintum donum est Consilii Spiritus, qui aliis facit ita compati & misereri, illi competens, de qua dicitur, quintæ beatitudini: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* [Matth. 5] Hinc & Salomon ait: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* [Prov. 22] [Misericordia tripliciter exercetur] Hanc principaliter trifariam exercemus, vel quando sex ejus quæ in Evangelio leguntur opera implemus, [Matth.] vel quando delinquentes corrigere & ad bonum reducere studemus, vel quando injurias nobis illatas facile indulgemus. Iste secundus clementiæ modus, sive consilii Spiritus, Deum fecit semetipsum exinanire, formam servi accipere, scilicet, ut sic posset ovem errantem corrigere, & ad proprium ovile reducere. Unde Apostolus ait: *Semetipsum dedit pro peccatis nostris, ut nos eriperet de præsenti sæculo nequam.* [Gal. 1.] Huic consulendi modo sic oportet insistere, ut injungitur ab Apostolo monente: *Insta opportune, importune.* [2. Tim.] Est & alius consulendi modus, scilicet discretionis virtus, qua veras à palliatis atque simulatis virtutibus discernimus: qua etiam ipsum satanam hypocrisis auctorem dignoscimus. Ipse enim *satanas*, ut ait Apostolus, *transfigurat se in angelum lucis:* [2. Cor.] & juxta beati Cypriani dictum, ministros injustitiæ subornat, noctem afferentes pro die, interitum pro salute. Ista quidem ceterarum virtutum magistra ac domina, omnes alias proinde temperat, ac superne gubernat, & ne ultra vel citra evagentur licenter, imperialiter ac discrete conservat. Unde Boëtius: Virtutes medium tenent. Si vel ultra, vel infra, quàm oportuerit, fiat, à virtute disceditur.

6. Sexta gratia est Spiritus intelligentiæ, illi sextæ beatitudini congruus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* [Matth] Nisi enim mentis intuitus diligenter purificatus fuerit, mystica ac divina liquide intelligere nequit. Nam scriptum est: *Spiritus-sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* [Sap. 1.] Unde Salomon: *Abominatio Domini, cogitationes malæ. Perversæ cogitationes separant à Deo.* [Prov.] Qui ergo vult sincerum ac lucidum intellectum habere, pravarum cogitationum phantasias ac nebulas studeat effugare, & omni diligentia & cautela cor servare. Unde Salomon: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* [Prov.]

7. Septimum donum est Spiritus sapientiæ, quidam internus sapor, ac suavissimus gustus. Unde Psalmista: *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* [Psal. 3] Et iterum: *Vacate & videte.* [Psal 4] Et iterum: *Accedite ad eum, & illuminamini.* [Psal. 3] Hoc divinæ sapientiæ interno gustu superna prælibamus, videlicet contemplantes quàm amœnum sit angelicis cœtibus interesse, ubi nil poterit quod displiceat, esse; nil quod placeat, abesse. Ista septima gratia illi veræ beatitudini congruit, de qua ait Dominus: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* [Matth] Qui enim mentem pacificam & serenam habent, de supernis dulcius sapiunt, & subtilius vident. Nam quisquis sapientior eo probatur esse sapientior. Unde Salomon, *Doctrina viri per patientiam dignoscitur.* [Prov.] De talibus alibi dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* [Psal.] Hæ septem gratiæ sunt septem mulieres, virum unum apprehendentes: septem Spiritus super florem requiescentes; septem in candelabro lucernæ fulgentes: septem in lapide oculi: septem spiritus ante thronum Dei.

# DE DUODECIM PORTIS JERUSALEM, SERMO.

*Hic Sermo in ms. Cartusiæ Coloniensis (ex quo eum eruit Horstius) præfert nomen* S. BERNARDI *abbatis, cui tamen non videtur tribuendus.*

1. Contendite intrare per angustam portam, quia arcta & angusta est porta quæ ducit ad vitam. [Luc. 13. c] O quàm terribiliter & salubriter vox ista summæ Veritatis tardos & tepidos viatores, pusillanimes & desides ascensores terruit, quæ ipsis etiam perfectissimis discipulis libero volatu cælestem Je- F rusalem intraturis contentionem, portæ singularitatem, ingressus difficultatem, electorum paucitatem interposuit. *Arcta est*, inquit, *via, quæ ducit ad vitam.* Arcta est siquidem in peccatorum ablutione, sed multo arctior in carnis animæque separatione: arctissima vero in extrema Judicis examinatione. Attamen *benedictus Deus*

*& Pater Domini nostri Jesu-Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, qui terrori consolationem miscuit, ne desperaremus, angustiæ latitudinem opposuit: ut præsumamus, præsumendo curramus, currendo præveniamus. Nam alibi ipse Dominus ait: *Dico vobis, multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac & Jacob in regno cælorum.* Propheta quoque & præco veritatis, homo secundum cor Dei, David dicit: *Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos; à solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari*; per solis Ortum nobis designans Innocentiam, per Meridiem Justitiam, per Occidentem Pœnitentiam, per Aquilonem Misericordiam.

2. Ab Oriente, id est, per portam innocentiæ Innocentes sunt ingressi; qui ante scientes mori quam loqui, pro Domino sunt trucidati. Per hanc portam ingrediuntur parvuli, per baptismum renati: qui sacramento regenerationis accepto, si mox, aut paulo post à corpore solvuntur, proculdubio in cælestem Jerusalem per portam innocentiæ ingrediuntur. A meridie, id est, per portam Justitiæ, Apostoli & Martyres sunt ingressi. Et rectè perfecti omnes meridiei comparantur, quia & ibi morosior est statio solis, & ferventior ardor caloris, & copiosior splendor lucis. Sol justitiæ in ipsis non occidit, nec tepescit; sed invalescit & incalescit, sicut scriptum est: *Sapiens sicut sol permanet: stultus ut luna mutatur.* Porro splendor operis, fervor dilectionis quantus in ipsis fuit sanctis elucescit, nec tam indiget expositione quam imitatione. Ab Occidente, id est, per portam pœnitentiæ, Maria Magdalena est ingressa, quæ merito peccatorum suorum ante fuerat habitatio dæmonum: sed respectu divinæ gratiæ postmodum compuncta, flendo & pœnitendo, Salvatoremque suum singulari amore colendo, facta est sancti Spiritus templum. Per hanc etiam portam ingrediuntur pœnitentes, qui quasi in occiduis partibus conversantes, & de interioribus tenebris ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine properantes; cum à Sole justitiæ illustrantur, si omnibus pompis satanæ, & operibus tenebrarum perfectè abrenuntiant, in supernam Jerusalem per portam pœnitentiæ intrant. Ab Aquilone, id est, per portam misericordiæ, ingressus est Latro ille evangelicus, qui de profundo iniquitatis, & ignorantiæ, sola Dei bonitate eductus in ipso mortis articulo, ab ore putei gehennæ in deliciosam paradisi amœnitatem est reductus. Per hanc portam ingrediuntur forsitan & illi, qui per totam vitam suam flagitiis & iniquitatibus servientes, cum morti pro suis sceleribus addicuntur, si plenam satisfactionem de malorum suorum perpetratione per veram cordis contritionem offerunt Deo in cælestem Jerusalem per portam misericordiæ quandoque intraturi sunt. Scriptum est enim, *Quacumque hora peccator ingemuerit, salvus erit.* Et alibi: *Ubi te invenero, ibi te judicabo.* Iterum: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Restat ergo videndum, istæ quatuor quam contrariæ & quam oppositæ sibi inveniantur; videlicet innocentia pœnitentiæ, justitia misericordiæ, & è converso. Nam qui innocens est, non quærit pœnitentiam: & qui pœnitens est, non habet innocentiam. Similiter qui justus est, non advocat misericordiam: & qui miser est, non possidet justitiam.

3. Jam vero considerandum nobis est, & delectabiliter recolendum, quid Johannes apostolus Christi familiaris, amicus inter ceteros dilectus, & mysteriis cælestibus ultra omnes imbutus, de hac gloriosa & æterna civitate dicat. *Ab Oriente*, inquit, *ejus portæ tres, & à Meridie portæ tres, & ab Occidente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres.* Orientalis plaga tres portas habere describitur: *Innocentia* tripartita esse dignoscitur. Est enim innocentia secundum potestatem, & est innocentia secundum ætatem, & est innocentia secundum voluntatem. Potestativam innocentiam Christus habuit, qui solus veraciter dicere potuit: *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* & de quo scriptum est, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Peccatum quippe nec contraxit, nec commisit: quia & illa ejus nativitas qua de Patre Deo ante sæcula genitus est Deus, est ineffabilis; & illa nihilominus, qua de Matre Virgine in fine temporum natus est homo, est incomprehensibilis: ejus quoque vita, qua in mundo conversatus est, exstitit singularis. Potestativa innocentia, id est prima innocentiæ porta, ceteris est clausa, sed soli Christo aperta; testante Ezechiele propheta: *Porta*, inquit, *orientalis omnibus claudetur, solus enim princeps ingredietur & egredietur per eam.* Innocentiam secundum ætatem illi possident, qui tam per imbecillitatem corporis, quam per indiscretam simplicitatem cordis malum perpetrare nesciunt, nec possunt. Innocentia secundum voluntatem illorum est, qui etsi in levibus quibusdam peccatis (sine quibus hæc vita, aut vix aut nullatenus transigi potest) aliquando delinquunt, innocentiæ tamen puritatem in bona voluntate conservant. Prima igitur innocentia est malum facere non posse: altera malum facere nescire: ultima facere malum nolle.

4. Sequitur: *Et à meridie portæ tres.* Meridiana porta, per quam designatur *Justitia*, tres portas habet: quare & ipsa *Justitia* tripartita est. Est enim Justitia secundum debitum, & est Justitia secundum meritum, & est Justitia secundum propositum. Justitia secundum debitum est omnium fidelium, maxime monachorum: quia de die in diem satagunt reddere vota, quæ distinxerunt labia sua, Prophetæ consilium sequentes qui dicit: *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Justitia secundum meritum illorum est, qui pæne illicita nulla committunt, nec tamen licitis uti volunt; sed ea quæ retro sunt obliviscentes & ad anteriora sese extendentes, per sancta desideria indefessis fidei passibus, quotidianisque profectibus, ad perfectionis culmen ascendunt. Revera hi tales tam feliciter quam fiducialiter dicere possunt: *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini:* non innocentes, non miseri, non pœnitentes, *sed justi intrabunt in eam.* Et illud, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Justitiam secundum propositum illi retinent, qui quamvis superfluis cogitationibus affligantur, & illecebrosis cupiditatibus abstrahantur; dum tamen peccato pro viribus resistere curant, suique propositi vigorem inviolabili tenore conservant, dum cuncta adversantia evenire pro suis meritis sibi humiliter confitentur: omnia sibi in bonum cooperari creduntur. De talibus enim scriptum est: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

5. Sequitur: *Et ab Occidente portæ tres.* Occidentalis plaga, per quam designatur Pœnitentia, tres portas habere scribitur, quia Pœnitentia tripartita esse dignoscitur. Est enim pœnitentia gratuita; & est pœnitentia spontanea; & est pœnitentia coactitia. Pœnitentiam gratuitam Johannes Baptista & plusquam propheta exhibuit: qui à Propheta prænuntiatus, ab archangelo Gabriele promissus: & à Spiritu-sancto in utero sanctificatus, cunctisque mortalibus, qui ante eum fuerant, veridica Salvatoris voce est prælatus. Hic talis & tantus cum esset, sicut de Justo * legitur, plus appetiit mala mundi perpeti quam laudes: malens pro Deo fatigari laboribus, quam vitæ hujus blandimentis perfrui, & soli Deo vacare cupiens, relicta domo rebusque patris, desertum petiit; & pæne admirabilem pœnitentiæ formam posteris sequendam proprio exemplo reliquit. Hæc pœnitentia idcirco gratuita vocatur, quia gratis suffertur, immo offertur: quia pœnitentiæ regula est, ut qui illicita nulla commisit, licitis utatur ut sibi placuerit. Spontaneam pœnitentiam illi habent, qui post commissa peccata, post perpetrata flagitia, cum à Sole justitiæ illustrantur, jam non ex necessitate, sed ex voluntate sua Domino confitentur: voluntaria sollertia caventes, ut non regnet peccatum in eorum mortali corpore, sed regnet justitia: & qui prius exhibuerant sua membra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, nunc exhibent ea servire justitiæ in sanctificationem: & qui filii noctis erant dum opera tenebrarum sectabantur, per dignos fructus pœnitentiæ, filii lucis

Margin notes (left): 1. a; 1. 6.; 96. a; Corpor-cestis ... Innocen-; Justitiæ; 47. b; Pœniten-; Misericor-; 21.; ... a; 50. c; 21. d; Innocentia tri-plex.; 14. d; ... 2. d

Margin notes (right): Ezech. 44. a; Justitia tripartita.; Psal. 75. b; Psal. 117. e; 2. Tim. 4. b; Rom. 8. e; Pœnitentia triplex.; * scil. de S. Benedicto lib. 2. Dialog. S. Greg. c. 1.

efficiuntur. Coactitia pœnitentia est tepidorum, & mei similium: qui nullo igne caritatis accensi; nullo fervore devotionis animati, spiritum libertatis nondum sequuntur; sed in corpore consuetæ pusillanimitatis sese versantes, spiritu servitutis iterum deprimuntur, & ad explendum regularium observantiarum debitum modum vix prælatorum severitate compelluntur. Nullatenus tamen de talibus desperandum est; quia si susceptum semel christianæ servitutis jugum patienti perseverantia ferant, in patientia sua possidentes animas suas, in cælestem Jerusalem per portam pœnitentiæ intrant.

Misericordiæ tres portæ.

6. Sequitur: *Et ab Aquilone porta tres.* Aquilonaris plaga, per quam designatur *Misericordia*, tres portas habet; quarum una est Exterior, altera Interior, tertia Posterior, id est, ultima. Exterior est in eleemosynarum distributione; quia mundi hujus amatores Christum dumtaxat in fundamento habentes, quamvis rerum temporalium lucris toto mentis desiderio inserviant, & per omnia carnis suæ voluptatibus obedire non timeant, hora mortis instante, dum peccatorum suorum respectu, & sempiternæ ultionis metu introrsum concutiuntur: quæ injuste acquisierant, & illicite possederant, pro salute animarum suarum egenis & pauperibus Deoque famulantibus erogant. Credendum est itaque eos qui ejusmodi sunt, sanctæ Ecclesiæ suffragiis, atque etiam si lelium beneficiis multum juvari, dum ab eis recipiunt opem intercessionis, quos secundum Domini præceptum sibi fecerant amicos de mammona iniquitatis, ut ab eis reciperent æterna, quibus largiti sunt temporalia. Interior porta dicitur *Oris confessio*; quia hoc habet fides catholica & pietas christiana, quoniam peccatorum quisque, quamlibet immundus, quamlibet sit sceleratus, si instante mortis periculo per veram confessionem emundatur, pœnas æterni incendii nullatenus est intraturus: quia si omnia in confessione lavantur, profecto confitentes à regno misericordiæ non excluduntur. Dicit enim Propheta: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Posterior misericordiæ porta vocatur *Contritio cordis*, quia cum respectu summæ clementiæ cor peccatoris compungitur, oculis divinæ pietatis quasi sacrificium vespertinum offertur. Ille quoque, cujus natura pietas, cujus opus misericordia est, multos de talibus salvare creditur. Hæc porta idcirco posterior appellatur, quia post omnes alias succurrere probatur. Nam si largitio eleemosynarum non adsit, & oris confessio desit: Deus tamen qui absconditorum est cognitor, cor contritum & humiliatum non spernit, sed spiritus humiliati sacrificium quandoque libens suscipit, juxta quod sancti Spiritus organum ait: *In quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit.*

1. Eleemosyna. 2. Oris confessio. Psal. 31. 3. Porta contritio cordis. Ezech.

# IN CANTICUM B. VIRGINIS MARIÆ, SERMO.

*Hunc Sermonem Horstius excepit ex cod. ms. monasterii Horti-Mariæ Ord. Cisterc. qui* BERNARDUM *auctorem exprimit, ut & noster Gemeticensis, ex quo prodit emendatior: tametsi Bernardi venam haud omnino assequitur.*

1. MAgnificat anima mea Dominum. Magnificat voce, magnificat opere, magnificat affectu. Magnificat laudando, amando, prædicando. Magnificat, laudandi, amandi & magnificandi formam simul & materiam dando. *Magnificat anima mea Dominum:* quia magnifice à magnifico Domino magnificata est. In primis ad imaginem & similitudinem Dei anima mea mirabiliter à Domino creata est, sed postea in Adam miserabiliter deformata, nunc mirabilius, gloriosius & magnificentius à Domino renovata est. *Magnificat anima mea Dominum.* Magnificat omnis creatura Dominum, sed amplius super omnem creaturam anima mea Dominum magnificat. In omni enim creatura nihil tam magnifice fecit Dominus, sicut animam meam. Sed Dominus est: sicut voluit, sic factum est. *Magnificat anima mea Dominum.* Dominum magnifica, non temetipsum. Qui semetipsum magnificavit, quantum in ipso fuit, Deum exhonoravit: & ideo non se exaltavit, sed præcipitavit. Tuum est teipsum humiliare, Domini exaltare.

2. *Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Vide qualis ordo. Prius cytharam, postea psalterium tetigit: prius animam, postea spiritum posuit: non enim prius quod spirituale, sed quod animale: deinde quod spirituale. *Et exsultavit spiritus meus*, extra omnem creaturam, extra seipsum etiam præ immensitate gaudii saltavit. In quo? Non in me; sed in Deo creatore meo, cognitione & amore ejus fervendo: & hoc non per me, sed mediante & salvante me *Salutari meo* Jesu filio meo, singulariter meo. Meus est Deus, meus Salutaris, meus est filius. Omnium quidem & mei conditor est, sed mei solius filius est: & me mediante omnium salus est. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Non auderet ancilla sua nec oculos ad eum levare, nisi ipse prior ad ancillam suam dignaretur respicere. Ab illo prius respexit super nos misericordia, quia nos nimis despectos nostra reddiderat miseria. Me autem inter omnes specialiter respexit, cui super omnes singulare privilegium concessit. Et vide, quia non fuit contenta dicere, *respexit* me, aut *respexit* ancillam suam, aut *respexit* humilitatem meam; sed semetipsam depressit valde, & firmissima locavit fundamenta, ubi tantæ magnitudinis & pulcritudinis firmiter exciperet, & servaret ornamenta. *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ.* Singula verba suo pondere libranda sunt. Sunt enim ancillæ, sed non humiles. Ancilla fuit Agar, sed superba: dominam suam despexit. Sunt multæ satis humiles, sed non usque ad ancillas: sed multæ humiles etiam ancillæ, sed non Domini. Humilitas ergo contemptum sui: ancilla famulatum sua devotione commendat. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Respiciendo me per gratiam suam, & humilem me fecit, & ancillam suam. Suam, inquam, suam me fecit, qui de me & in me suum speciale opus fecit.

Gen. 16.

3. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* O dilatatum cor! quam perlucidis oculis omnem subito creaturam in vera beatitudine collocandam simul aspexisti! *Ecce*, inquit. Intuentis est hoc verbum & demonstrantis. Ecce video quod futurum sit de me, quis fructus procedet ex me, quot & quanta bona, non mihi soli, sed omnibus generationibus pervenient per me. *Beatam me dicent omnes generationes.* Beatam me non dicerent, nisi de eadem beatitudine, quam habeo, aliquid attingerent. Quomodo eructabit qui non manducat? *Beatam me dicet*, de cujus bono fructum percipient omnes generationes. Ex meo fructu benedicentur: & cum omnes beatificentur; omnes tamen beatam singulariter me dicent. Omnes, inquam, generationes, generationes cæli, generationes terræ, omnes Angeli & omnes Electi. Nam & in Angelis generationes sunt. Unde dicitur Pater spirituum, & ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Alii enim aliis in cælo patres sunt, quibus paterna caritate præsunt: in quibus generant & exprimunt omnem paternitatis affectum. Ex summo enim Patre omnis eorum paternitas nominatur: quia sicut summus & verus Pater omnes paterne diligit, & docet & regit: ita & ipsi secundum donum paternitatis quod acceperunt, subjectos sibi paterne diligunt & docent, & regunt. Sic & boni patres, qui sunt in terra, à summo

Ephes. 3.

Patre paternitatis suæ munus accipiunt: secundum quod & ipsi plus vel minus ad notitiam & amorem summæ paternitatis accedunt. *Omnes generationes beatam me dicent.* Angelicarum namque generationum numerus per generatum reintegrabitur: & hominum generatio in Adam maledicta, per benedictum fructum ventris mei ad æternam benedictionem regenerabitur. Inter has & super has omnes generationes, *beatam me dicent omnes ipsæ generationes.* Merito ergo, Domina, beatam te dicent omnes generationes: quæ omnibus generationibus veram & æternam beatitudinem genuisti.

4. *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Hoc, inquam, quod omnes generationes me beatificant, non mihi attribuo, non meis adscribo meritis, sed ei qui fecit mihi magna. Ex hoc enim beatificor ab omnibus, quia ab ipso beatificata sum, quasi in speculum beatitudinis omnibus proposita sum. *Quia fecit mihi magna.* Non enim aliquod magnum fecit mihi, sed multa magna. Magnum est per se, quod virgo sum; magnum per se quod mater; magnum, quod simul utrumque & virgo & mater sum. & cujus mater? Dei Unigeniti, Plasmatoris & Salvatoris omnium. *Fecit mihi magna.* Non potest narrari, non potest cogitari magnitudo & multitudo bonorum, quæ fecit mihi. Et quisnam est ille, qui tam magna fecit tibi? *Qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Nolite mirari, nolite dicere, quomodo possunt hæc fieri? potens est ille qui fecit hæc: potens est, immo omnipotens. Potentiam ejus attendite: quia omnia quæcumque vult, potens est facere. Magna sunt quæ attenditis in me: sed magna est illa potentia, quæ tam magna fecit mihi. Ex magnis & mirabilibus quæ fecit in me, magnam & mirabilem potentiam illius perpendite. Et quare hic tam magna fecit tibi? quia *sanctum nomen ejus.* Propter nomen suum, non propter meum meritum, tam magna fecit mihi: nomen suum quod est mirabile, & sanctum, & ineffabile, voluit in me declarare. Quod est hoc nomen? Bonus. Quia nemo bonus, nisi solus Deus. Ergo propter solam bonitatem suam tam magna fecit mihi; quia & potentiam & bonitatem suam in me voluit declarare: potens enim singulariter, & sanctum nomen ejus. Sed sicut in ipso sanctum est nomen ejus, sic sanctificetur & in nobis: sicut in ipso ab æterno prædestinatum est, sic compleatur in nobis.

5. *Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Ecce nomen ejus dicitur *misericordia ejus.* Ubi *à progenie in progenies.* A Judæa in omnes gentes: vel ab initio sæculi usque in finem, misericordia ejus impenditur, non passim, sed timentibus eum. Non est personarum acceptio apud Deum. Judæus & Græcus, barbarus & Scytha, servus & liber, masculus & femina in omni gente & progenie, si timet Deum & operatur justitiam, acceptus est illi. *Misericordia ejus timentibus eum.* A timore incipitur, ut ad amorem perveniatur. Non desperent adhuc timentes pro peccatis suis, quia misericordia illius super timentes eum. Misericordia ejus remittit peccata timentibus eum; remissio peccatorum nutrit amorem sitientibus eum: qui autem diligunt eum, nomen ejus agnoscunt. Amor ipse notitia est *: sed quanto adhuc à notitia ejus distamus; tanto etiam eum minus amamus. Si autem nondum illum perfecte amare possumus, quia nec perfecte novimus, vel cum amore timeamus. Qui autem sine amore timet, non filius sed servus est: & hic timor pœnam habet, non notitiam.

6. *Fecit potentiam in brachio suo.* Natura quidem filii eramus iræ; sed per redemptionem Jesu-Christi facti sumus filii misericordiæ: quia *fecit potentiam in brachio suo,* alligans fortem, & vasa ejus diripiens. Alioquin nisi nos Filius liberasset, & per mortem suam Deo reconciliasset; non esset super timentes blandiens misericordia, sed super timentes eum puniens justitia. Quia *dispersit superbos mente cordis sui.* Quoniam ergo universæ viæ Domini misericordia & veritas, sicut supra de misericordia qua humiles redemit; ita nunc & de justitia qua superbos judicat, agit: & quasi geminum parietem ex utrisque vicissim tractando constituit. *Dispersit superbos mente cordis sui.* Ab initio mundi tam homines quam Angeli superbientes sunt dispersi. Projectus est de cælo draco magnus, satanas, & dispersus est per hunc aërem tenebrosum: quoniam in unitate veritatis stare noluit. Qui enim in veritate Dei collectus non est, in sua vanitate dispersus est. Dispersi sunt superbi, qui ædificabant turrim Babel: quia unitas linguæ eorum in multitudine scissa est. Omnis superbus eo ipso quod superbit, dispersus est. Quid enim superbia, nisi pulvis in altum sublatus, & in ventum dispersus? *Dispersit superbos mente cordis sui:* hoc est eos, qui superbiunt mente cordis sui. Quam dilucide secretum pessimæ elationis latibulum reseravit! *[Superbiam sequitur dispersio.]*

7. Est enim quædam quasi bruta & vilis superbia, quæ omnibus etiam stultis palam est, quæ maxime in carnalium sensuum voluptate moratur; sicut est aut de nitida carne, aut de pulcra veste, aut de cibi vel alicujus immundi desiderii expleta voluptate gestire. Est & alia quæ sibi pulcrior videtur superbia, & tamen longe turpior, sicut est de scientia vel potentia, vel de ingenii subtilitate super alios extolli, & ceteros quasi pecora præ se reputare, quæ præclaros hujus sæculi solet occupare. Est & tertium genus teterrimum, uti de virtutibus, de miraculis, de intelligendis Angelorum linguis, vel mysteriis cælestibus apud se gloriari. Isti enim sunt qui superbiunt mente cordis sui. Mens subtilitas est intelligentiæ: cor affectio inanis gloriæ. Et bene additum est, *sui:* quia etsi à Deo aliqui habent scientiam, sed tamen à seipsis habent extollentiam. Omnis ergo generis superbos dispersit, pecora campi, volucres cæli & pisces maris. Isti enim pisces qui retia rumpunt, qui subtilia rimantur, qui inter fideles quasi in aquis humiles esse videntur; sed tamen non de fluminis dulcedine, sed de maris amaritudine sunt, pisces maris sunt: ideo non cæli, sed maris semitas perambulant. Nam etsi aliquid cæleste quasi in aëra saltando percipiunt: totum in profundum maris secum demergunt. At vero volucres cæli manifesta levantur superbia, qui pro temporali gloria, quasi vertice sidera tangere sibi videntur: qualem sacra historia describit Antiochum fuisse, vel Herodem, quales etiam multos hodieque non legere, sed lugere licet & videre. Pecora enim terræ, hoc est, homines gulæ tantum & luxuriæ dediti, facilius resipiscunt à diaboli laqueo, quam qui prudentes sunt in oculis suis. Dispersit igitur superbos mente cordis sui, quia ex omni genere superborum quosdam conterit, ut in æternum pereant; & quosdam humiliat, ut ad vitam redeant. *[Superbia triplex.]* *[Machab. 1. Act. 12.]*

8. *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Primo dæmones rectores tenebrarum harum, qui potentes erant effectu malitiæ suæ, à sua potentia infirmavit, & exterminans Jebusæum in Jerusalem, regni sui sedem in ea collocavit. *Deposuit potentes de sede,* quando pervenit sermo ad regem Ninive, hoc est, usque ad Imperatores hujus sæculi, & descendit de solio suo indutus sacco & cinere, & humiliavit se, ut ab ira Dei declinaret. Deposuit Saul, & exaltavit David. Deposuit & superbum Achab de sede, sicut ad Prophetam suum dicit: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* Sed quia in humilitate non permansit; ideo non exaltavit humilem: sed superbum damnavit. Deponit etiam quotidie potentes hujus sæculi; alios quidem ad supplicium æternum, alios ad humilitatis regnum. Habet enim in manu sua stateram suam: & *cui vult miseretur, & quem vult indurat.* Cur autem hunc depositum damnat, & hunc repositum salvat: ipse sibi in thesauris suis reconditum servat. Unum hoc pro certo scire licet; quia si non humiliamur, non salvamur. *[Jon. 3. b] [1. Reg. 6. d] [3. Reg. 12. g] [Rom. 9. d]*

9. *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Prius humiliavit, postea pavit. Prophetiæ spiritus est; futura, jam quasi præterita narrat; nondum enim bonis impleti sunt esurientes. Si enim bonis impleti; quomodo esurientes? Et si esurientes; quomodo bonis impleti? nisi forte dicamus secundum illud: *In quem concupiscunt Angeli prospicere:* qui tamen semper vident faciem Patris, & esurientes sunt, & impleti bonis habent desiderium in satietate, & satietatem in desiderio. Sed satietas illa sine fastidio, & esuries sine cruciatu, immo ipsa beata esuries semper satiat eos. Sed non sicut in patria, sic in via. In via sitiunt & esuriunt justitiam; in patria satura- *[1. Petr. 1. e]*

buntur, cum manifestabitur gloria: interim & hic in via esurientes implentur bonis, quia dat illis escam in tempore opportuno. Bonis implentur, malis evacuantur; implentur bonis, hoc est, Spiritus-sancti donis. Esurientes implentur non fastidientes, pauperes saturantur: nam divites dimisit inanes. Dives erat Esaü, ideo fratris sui dona non curavit. *Habeo*, inquit, *plura*; *sint tua tibi*. Dives erat Jethro sacerdos cognatus Moïsi, ideo noluit consentire, ut iret cum eo ad bona quæ promiserat Deus Israëli. Dives erat Hiram rex Tyri; ideo civitates quas separabat ei Salomon, parvi pendit. Numquam ergo tibi plenus & dives videaris: ne inanis & vacuus dimittaris. Dic semper Domino Deo tuo, *Egenus & pauper ego sum*: in manu tua Domine panis & vestimentum est animæ meæ. Si dederis mihi panem ad edendum, & vestimentum quo operiar; eris mihi in Deum, & lapis iste in signum. Si autem Ægypto dederimus manum & Assyriis, ut saturemur pane, jam extendimus manus nostras ad Deum alienum. Ad hoc ergo pascit & vestit nos Deus in via ista, & esurientes implet bonis consolationibus suis; ut tandem efficiamur Israël, id est contemplativi.

Gen. 33. b — Num. 10. d — 3. Reg. 9. d — Psal. 69. a — Gen. 28. d — Thren. 5. b

10. Tunc enim, hoc est, in contemplatione, *suscepit Israël puerum suum*. Quamdiu Jacob vocatur, in laboribus sudat: in alieno quidem, sed fideliter servit. At ubi ad patrem suum cum sua substantia regreditur; jam nunc aliud nomen sortitur, hoc est *Israël*: quia suscepit Israël puerum suum. Suscepit revertentem de Mesopotamia Syriæ, fatigatum laboribus & ærumnis, spirantem jam ad videndam faciem patris. Suscepit nutriendum, suscepit perficiendum: & usque ad faciem suam perducendum. *Suscepit Israël puerum suum*: non superbum sed humilem; non pilosum sed lenem: non venatorem sed pastorem. Et quare suscepit eum? *Recordatus misericordiæ suæ*, hæc sola causa est quare suscepit eum: ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Videbatur oblitus esse misereri Deus, quando usque in finem sæculorum distulit mittere filium suum: sed recordatus est, quod numquam oblitus fuit: ut nos semper memores simus, & in æternum misericordias Domini cantemus. *Suscepit Israël puerum suum*. Suscepit naturam, suscepit causam, suscepit negotium ejus, suscepit pater filium suum: suscepit in filio puerum suum, id est totum corpus ejus, à primo justo usque ad novissimum. Suscepit eum in odorem suavitatis sacrificium vespertinum: suscepit eum in hereditatem immarcessibilem, & incontaminatam conservatam in cælis. Nota quod finalis versus Cantici hujus misericordia est. A misericordia incœpit, à misericordia finit, circa misericordiam ubique versatur.

11. *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula*. Ultimus iste versus est, qui decalogum adimplet: qui decem cortinis consummat tabernaculum. In hoc versu & promissorum Dei veritas, & utriusque testamenti auctoritas, & omnium credentium unitas comprobatur, & convenienter ad omnia, & ad singula quæ superius dicta sunt, refertur: quasi diceret, hoc & hoc fecit mihi qui potens est, & misericors & justus, & verax in omnibus verbis * & operibus suis. Ita inquam opere complevit omnia: *Sicut locutus est ad patres nostros*. Et semel quidem locutus est Deus qui creavit omnia: sed quod in ipso semel æternaliter factum est, his quæ temporaliter decrevit, semel indicari non potuit. Unde multifariam multisque modis locutus est Deus Patribus, sed tamen nonnisi perperam & obscure, & perpauci de hoc verbo cognoverunt: donec novissime locutus est nobis in Filio, qui semetipsum expressius intimavit. Necdum tamen verbum illud nisi per speculum in ænigmate, & à paucissimis videtur, donec tandem novissime in splendoribus Sanctorum ex utero Patris ante luciferum genitus, ab electis cognoscetur. Ab initio ergo locutus est ad patres nostros, quod in fine sæculorum cœpit declarare: ut unus idemque lapis & antiquos, & novos filios in unius fidei caritatisque compagem colligaret, essetque una columba, & una speciosa, & quæ venturum credidisset, & quæ venientem excepisset. Inter quos utique patres, egregius & princeps & maximus fuit Abraham, in cujus semine æstimantur fideles om-

* Hic desinit cod. Gemmet. — Heb. 1. a

A nes: quibus etiam non loquitur Deus per columnam nubis in die, & per columnam ignis in nocte, & loquitur in sæcula superventura, non per speculum, aut per visionem, aut per somnium, sed per seipsum loquitur semel in omnibus, facie ad faciem, cum tradiderit regnum Deo & Patri & erit Deus omnia in omnibus. (1. Cor. 15)

## SERMO

### In verba Evangelii, *Ecce nos reliquimus omnia*.

B BERNARDO *adscribitur ad calcem cujusdam codicis editi Coloniæ Agripp. anno* 1575. *in quo quatuor Regulæ in Ecclesia receptissimæ continentur, cum commentariis Turrecrematæ & Smaragdi in Regul. S. P.* BENEDICTI.

1. ECce *nos reliquimus omnia & secuti sumus te*. Veræ conversionis exemplum nobis hoc proponitur admirandum & imitandum. Necesse est enim, ut veræ professor religionis omnia relinquat, & Christum sequatur. Et quidem beatus qui sic relinquit omnia, ut eum sequatur in quo sunt omnia. His qui volunt Christum expedita sequi mente, tria impedimenta sunt deserenda, videlicet avaritia, superbia, luxuria; avaritia mundi, superbia cordis, luxuria carnis. Hæc esse præcipue relinquenda exemplo suo nos edocet Petrus. Reliquit namque retia, navim & conjugium. Rete quod pisces aggregat & concludit, C cupiditatem designat, qua indecenter distentus homo, domum ad domum jungit, agrum agro copulat. Navis quæ superfertur undis, superbiam denotat, qua homo se ceteris præfert. Uxor exprimit carnalem voluptatem. Hæc tria juncta homini, seipsum auferunt. Per avaritiam extra se vagatur, per superbiam supra se levatur, per luxuriam intra se fœdatur. Vagatur sollicitudine, levatur sui æstimatione, fœdatur immunditiæ delectatione. Extra timet, supra tumet, infra fœtet. Timet acquisita minui; timet quæ desiderat, non posse adipisci; tumet inferiores despiciens, paribus se præferens, superioribus se coæquans. Fœtet cogitatione, fœtet actione, fœtet consuetudine. Avaritia hominem alienat à proximo, superbia D à Deo, luxuria projicit à seipso.

Matth. 19 — Tria e[...] tum se[...] tibus d[...] renda. — Tria hæc [...] nem sib[i] [au]ferunt.

2. His tribus vitiis intenti & detenti tres illi miserrimi, de quibus loquitur Evangelista*, ad cœnam Patrisfamilias venire recusarunt. Primus ut boves probaret: Secundus ut villam emptam videret: Tertius ut uxorem duceret. Probatio boum, cultus terrenorum: Villa emitur, cum dominandi facultas appetitur: Uxorem ducit, qui carnis desideriis satisfacit. Tales nisi conversi fuerint, nec ad cœnam Patrisfamilias venire, nec Christum sequi possunt. Primus enim citra Jordanem remoratur; Secundus transmigrat ad aquilonem: Tertius natat in flumine Babylonis. Cum ceteræ tribus in terram promissionis ingrederentur, Ruben & Gad & dimidia tribus Manasse E habentes pecora multa, citra Jordanem remanserunt; illos præfigurantes, qui more pecorum terrenis intenti cælestia spernunt. Jordanis descensus dicitur. Descensus alius bonus, & alius malus. Malus est de quo dicit Isaïas: *In Ægyptum descendit populus meus*. Et in Evangelio: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho*. Bonus descensus aliquando fit per humilitatem, plerumque per compassionem. Per humilitatem sicut per Rebeccam factus est, quæ videns Isaac, de camelo descendit, illam designans vel aperte perhibens humilitatis subjectionem, quam debet sponsa Sponso, Ecclesia Christo, anima Deo. Fit descensus per compassionem, sicut in Symbolo fidei habemus, quod Christus *propter nostram salutem descen-* F *dit de cælis*. Juxta moralem sensum, per Jordanem possumus intelligere descensum misericordiæ, quà ductus homo compatitur proximo.

* Luc. 14 — Jos. 22 — Descensus bonus & malus — Isa. 52. — Luc. 10 — In symb. Niceno.

3. Sciendum vero, quod alius citra Jordanem, alius intra, alius supra. Qui nulli & cui nullus compatitur, citra est: qui alterius & cui alter miseretur, intra est: qui aliis compatitur & nullius eget compassione, supra est. Citra, diabolus; intra, homo; supra, Deus. Avarus itaque quia nescit misereri, ac per hoc nec misericordiam consequi, citra est: *Judicium enim sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam*. (Jacob. 2)

4. Deinde

4. Deinde ſequitur quod ſuperbus tranſmigrat ad aqui- A lonem. Vt ſancti Doctores perhibent, aquilo ſignificat ſuperbiæ tumorem. Sicut enim *ab aquilone panditur omne malum:* ſic *initium omnis peccati ſuperbia.* Et item, in ipſa ſumpſit initium omnis perditio. Inde eſt quod Angelus apoſtata dicit in corde ſuo: *Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis.* Superbus itaque tranſmigrat ad aquilonem, quia ſuperbiens recedit à Deo, qui ſuperbis reſiſtit; & ſequitur diabolum, qui eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.

5. Deinde ſequitur, quod lubricus natat in flumine Babylonis. Flumen Babylonis eſt fluxus libidinis. In hoc flumine natat, qui libidinis delectatione raptus, in ea per conſuetudinem volutatur. Hæc tria vitia hominibus diabolus ſuggerit. Diabolus per avaritiam hominem occu- B pat: quia *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli.* Inde legitur, quod Judas cum veneno avaritiæ inebriatus Chriſtum Judæis traditurus eſſet, accepta ab eis pecunia, tunc introivit in illum ſatanas. Avaritia largitatem excludit, pietatem neſcit, miſericordiam deteſtatur. Superbia ſolium eſt iniquitatis, vitium hominis, perditio diaboli. Superbia odibilis Deo, Angelis inviſa, hominibus intolerabilis. Superbia origo peccati, mater diſcordiæ, & concordiæ noverca: ſuperbia vitiorum ſubſidium, ſuccidium virtutum. Sic per ſuperbiam diabolus in hominem regnat, per luxuriam in eo pauſat: quia, ſicut legimus, dormit in locis humentibus, id eſt in cordibus luxuriæ ſub- C ditis. Luxuria carnem diſſolvit, mentem afficit, & totum hominem in luctum convertit. Luxuria ſtercus immunditiarum, vitiorum ſpurcitia, fæx voluptatum.

6. Si placet, conſideremus adhuc attentius, quam viliter homo per tria præfata vitia tractetur. Per avaritiam enim cæcatur, per ſuperbiam pendet, per luxuriam putreſcit. Per avaritiam cæcatur, ut legimus. Cum enim prædictus Judas avaritia ductus Dominum traditurus à collegio diſcipulorum exiſſet, interiorem ejus cæcitatem volens oſtendere dixit Evangeliſta: *Erat autem nox.* Per avaritiam cæcatur homo, per ſuperbiam pendet: quia dum ſe aliis ditiorem attendit, non attendens æqua- D litatem conditionis, ſed gloriam, in multitudine divitiarum, interna cogitatione ſuper ceteros extollitur. Inde legimus, quod duæ mulieres, quas beatus Gregorius dicit ſuperbiam & inanem gloriam, inter cælum & terram amphoram, quæ deſignat avaritiam, levaverunt. Quod niſi fieret, nequaquam dixiſſet Apoſtolus: Præcipe divitibus hujus ſæculi non ſuperbe ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum. Per ſuperbiam ſuſpenſus homo in luxuriam reſolvitur; quia dum ſe ditiorem ceteris videt, ac per hoc in equuleo ſuperbiæ ſuſpenſus eſt, ubi nec Deum timet, nec hominem veretur; ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, ſtabulum voluptatis ingreditur, & in ſtercore ſuæ conditionis jacens com- E putreſcit. Unde dicitur: *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.* Adhuc nihilominus duæ mulieres inter cælum & terram, elevatam deferebant *, ut ædificarent ei domum Sennaar, id eſt in fœtore.

7. Hæc attendentes, dilectiſſimi, Creatori laudes referamus, cujus ope & gratia hæc reliquiſſe videmur. Teſtantur hoc via paupertatis quam intravimus, habitus humilitatis quem recepimus; obſervantia munditiæ quam devovimus. Viam paupertatis ingredientes, à nobis avaritiam depoſuimus: humilitatis habitum ſuſcipientes, ſuperbiam depoſuimus: munditiam voventes, luxuriam depoſuimus. Sciamus itaque, quia ſicut in illis quæ reliquimus, totius honeſtatis eſt ruina; ſic in iſtis F ad quæ tranſimus, totius honeſtatis ſumma conſiſtit. Religio namque humilitate fundatur, paupertate conſervatur, munditia decoratur. Omnis affectio vilis eſt in amore pecuniæ. Anima pecuniæ avida, etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque in corde illius remanet juſtitiæ veſtigium, in quo avaritia ſuum fixit habitaculum.

## HOMILIA

In illud Matthæi 13. *Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.*

*Tribuitur communiter* BERNARDO, *quamquam nec illius eſſe videatur. Deeſt apud Horſtium.*

1. REges terræ & omnes populi, Principes & omnes judices terræ, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus, audite ſupplico verbum Domini dicentis: *Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. inventa autem una pretioſa margarita, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Sed quæ eſt iſta Matt. 13. f quæſo, fratres mei cariſſimi, tam pretioſa margarita, pro qua univerſa dare debemus, id eſt, noſmetipſos, quia Religio Margaritæ comparatur. totum Deo dedit, qui ſeipſum obtulit, ut poſſimus eam habere? Nonne hæc religio ſancta, pura & immaculata, in qua homo vivit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, Profeſſionis religioſæ quanta bona. incedit cautius, irroratur frequentius, quieſcit ſecurius, moritur fiducius, purgatur citius, præmiatur copioſius? O religio glorioſa & mirabilis! Quæ mens cogitare, quis intellectus plene cognoſcĕre, quæ lingua humana te poterit ſufficienter & digne extollere? Hæc eſt enim, fratres mei, quæ miſerante Deo peccata remittit, & reſerat paradiſum: quæ contritum ſanat hominem, & triſtem exhilarat, vitam de interitu revocat, ſtatum reſtaurat, honorem renovat, fiduciam reformat, vireſque & gratiam abundantiorem refundit. O religio virtutibus ornata! O margarita præfulgida! quid novi de te referam? Omnia enim ligata tu ſolvis, omnia ſoluta tu reſeras. Omnia adverſa tu mitigas: omnia deſperata tu animas. O religio rutilantior auro, ſole ſplendidior! Si vere ſervatur, non vincit peccatum, nec detractio ſuperat, nec deſperatio dejicit: ſed uſque in finem, Deo dante, ut bravium apprehendat, perſeverat. Hæc eſt quæ reſpuit avaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat ſuperbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit nequitiam, cogitque hominem Dei amore omnia libenter ſufferre. O religio gratiſſima & toto corde perquirenda! Nonne per te cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, pauperes evangelizantur? O religio pacifica, à ſtrepitu maligni ſeculi elongata; & pro Chriſto ſeculo mortua, ubi Spiritus-ſanctus ſuper humilem venit & quietum, ſuper devotum Chriſtus deſcendit! O religio habitaculum Dei & Angelorum ejus! Hic permanſionem faciunt conſervi ſui. O religio vita beata, vita Angelorum! Ore proprio Spiritus-ſanctus dicit: *Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea.* O beatiſſima vita ſolitaria, vita contemplativa! Luc. 10. Quando in ſolitudine contemplabatur Virgo Maria, tunc veniſti: & in ea & de ea carnem aſſumpſiſti. O Deus meus! ô bone Jeſu! quid plura referam? Vere clauſtrum, fratres mei, vere religio eſt paradiſus. O religio vallo diſciplinæ munita, in qua eſt pretioſarum virtutum fœcunda fertilitas. Glorioſa res eſt homines unius moris habitare in domo. Bonum eſt & jucundum habitare fratres in Pſal. 132. unum. Videas illum peccata flentem, alium in Dei laudibus exſultantem; hunc hominibus miniſtrantem, alium alios erudientem; hunc orantem, illum legentem; hunc miſerantem, illum alium peccata punientem; hunc caritate flagrantem, alium humilitate pollentem; hunc in proſperis humilem, illum in adverſis ſublimem; hunc in activa laborantem, illum in contemplativa quieſcentem. Et poteris dicere: *Caſtra Dei ſunt hæc. Quam terribilis eſt locus iſte! Vere non eſt hic aliud niſi domus Dei* Gen. 32. a *& porta cæli.* O porta præclariſſima, per quam in ſanctam civitatem intratur, per quam regnum cælorum rapitur & poſſidetur. O religio prænobiliſſima! tu caſtitas Religioſorum, tu chorda Clericorum, tu theſaurus ſuper aurum. O ſolitudo beata! ô ereme mors vitiorum, vita virtutum! te lex & Prophetæ mirantur: & quicumque ad perfectionem venerunt, per te in paradiſum introierunt. O beata vita ſolitaria & contemplativa, quid ultra de te loquar? Ipſe Dei Filius, ſalvator & magiſter noſter, exemplum dedit nobis fugiens in deſertum, & manſit in ſolitudine, ubi ſunt roſæ caritatis quæ ſemper flammeſcunt, quæ ſemper in ſancto odore vivunt. Ubi mira per-

fectio mortificatorum, & gratiarum actio, scilicet considerare, quæ & quanta sunt quæ nobis promittuntur in cælis, & vilescere faciunt omnia quæ habentur in terris, & dicere: *Quid prodest homini si mundum lucretur, se autem perdat?* O solitudo negotiorum cælestium apotheca! In te transitoria & terrena mutantur in cælestia & æterna. Hoc per breve purgatorium operatur æternum & cæleste convivium, & pascuæ sempiternæ. Denique in te lacrymæ mutantur in risum, & gaudium pariunt sempiternum. Ex possessione quippe terrena, quæ vermibus mortalibus relaxatur, ad æternæ hereditatis patrimonium pervenitur. O religio, spiritualis exercitus lucta, mirabilis officina! in te fidelis anima Creatoris sui in se restaurat imaginem, ac ad suæ redit imaginis puritatem. Tu fornax, ubi vasa superni Regis formantur, ubi peccata solvuntur, & cum Angelis in divinis laudibus insudatur. O sancta vita, balneum animarum, mors peccatorum, & animarum purgatorium sordidarum. Tu mentium secreta purificas: tu conscientiarum squalorem diluis, atque ad angelicæ munditiæ puritatem pervenire facis animas. Tu scala Jacob, quæ animas perducis ad paradisum. Tu via regia paradisi, quæ homines perducis ad patriam. Tu stadium concertantium, luctatorumque bene currentium, perducis ad altas coronas. O religio, sepultura dominicæ passionis! de te Jeremias Propheta dicit: *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Stabit solitarius & tacebit* in eremo: quia in quiescendo & tacendo fit homo prudens. De his probata quædam sunt: unde dicitur: O homo, fuge homines, religionem elige, & salvaberis. Surge qui dormis in sæculo, & exsurge à mortuis, dimitteque mortuos sepelire mortuos suos. O vita mirabilis, spirituale habitaculum, quæ de superbis humiles facis, de gulosis sobrios, de crudelibus pios & sanctos, de iracundis mites, de luxuriosis pudicos, de inobedientibus obedientes, & de osoribus facis in fraterna dilectione ferventes. Tu loquacibus linguæ frenum imponis, tu immundis castitatis dulcis amoris Christi adhibes cingulum, tu jejuniorum ac vigiliarum es nutrix, tu vagos ligas catenis, tu patientiæ custos, tu purissimæ simplicitatis es magistra. Qui te fugiunt luce Dei privati sunt, qui diligunt te, adstringunt & gustant quam suavis est Dominus & dulcis. Tu ducis ad æterna gaudia quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, & lingua dicere non potest quæ tu parasti Domine diligentibus te. Ingredimini igitur, fratres mei dilectissimi, ex quo vocat vos magni consilii Angelus: & non tardate, quia pretium magnum, & non parvum est in mora periculum. In sanctam igitur festinate Christi religionem: & illuminabit vos Filius Dei per condignam satisfactionem, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Matt. 16. d

Tren. 3. e

Vox edita Arsenio.

## SERMO.

In illud Michææ, *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum*, &c.

*Tributur Bernardo in Spirensi cod. impresso anno* 1501. *non recte inscriptus*, De trina qualitate lacrymarum.

Mich 6, b

1. QUid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? *Indicabo tibi homo quid sit bonum, & quid Deus requirat à te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Tria hæc sunt quæ offerre debes: quia & Deus, qui trinitas est, non nisi trino in sacrificio placari potest. Offer ergo judicium Filio judici, offer misericordiam sanctæ caritati, offer sollicitudinem paternitati. Ad sapientiam pertinet discretio, ad caritatem pietas, ad paternitatem sollicitudo. Sic tamen offer, ut neque in discretione munerum unitatem Trinitatis dividas, neque in participatione donorum Trinitatem unitatis confundas, sed singulis sua, & simul uni singula exhibeas. Si juste judicas, justum judicem honoras. Si misericordiam diligis, eum qui pius est acceptabili sacrificio veneraris. Si sollicitus in timore Dei semper ambulas, placas tibi cælestem Patrem, quem pro peccatis tuis offensum tenebas.

Quid ... tati offe... dum.

2. Nunc ergo ausculta quale sit judicium quod facere juberis. Primum est tibi judicium faciendum de teipso, deinde inter te & proximum tuum, postremo de proximo tuo. In eo judicio, quo judicas inter te & proximum tuum, debes esse pius. Teipsum debes judicare hoc modo. Considerare diligenter quid facis, quid non facis; quid facere debes, & quid facere non debes. Postea hæc adinvicem conferendo, perpende si idem est quod facis & quod debes, quod non facis & quod non debes. Quod si ita inveneris, gaude. Si autem idem perspexeris quod facis & quod non debes, aut quod non facis & debes, time. Inter te & proximum tuum hoc modo judicare debes. Vide quid facis proximo tuo, & quid tibi facit proximus tuus. Si ille tibi bonum facit, & tu illi bonum reddis, malus non es. Si ille tibi malum facit, & tu illi malum reddis, bonus non es. Si ille tibi bonum facit, & tu illi malum reddis, malus es. Si ille tibi malum facit, & tu illi bonum reddis, bonus es. De proximo tuo hoc modo judicare debes. Vide quid facit. Si certum bonum, si dubium bonum; si certum malum, si dubium malum. Si certum bonum est parvum, majus existima. Si certum malum est magnum, parvum puta; parvum minus judica. Si dubium est bonum, verum puta: si dubium est malum, bonum puta. Hoc est judicium verum, judicium bonum, judicium Deo placitum. Quod si tu illi non solum discernendo, sed etiam faciendo in sacrificium obtuleris, placabis iram, & gratiam consequeris.

Quale ... cium ... debemu...

3. Deinde sequitur diligere misericordiam, ut bonum quod agis, non ex timore, sed ex amore. Postremo sollicitum incedere, ne vel bonum quod necdum habes non merearis accipere, vel bonum quod habes amittas. Porro in his tribus Trinitati in te operanti cooperaris. Sapientia enim te ad agnitionem veritatis illuminat, caritas te ad desiderium bonitatis inflammat, paternitas in te custodit quod creavit ne pereat. Per illuminantem ergo sapientiam & cum lucente rectum discernis, per inflammantem caritatem & cum ardente misereris, per providentem vero paternitatem, & cum tuente temetipsum custodis, per trinitatem cooperanti Trinitati Trinitatis imago efficeris, verumque sacrificium tunc teipsum Deo offers, cum ad ejus similitudinem reformaris, Amen.

# LIBER SENTENTIARUM.

*Sequentes Sententias, quæ Sermonibus de diversis in prioribus Edit. subjiciebantur, Horstius, Bellarmini consilium secutus, in dubiorum operum classem ob stili diversitatem relegavit.*

1. RAtionalis creatura in hoc se debet diligere, ut beata sit; & Deum, per quem solum beatificari possit: cujus insecutor & æmulus ad hoc elaborat, ut eam in utraque sui qualitate corrumpat. Corpoream igitur qualitatem appetitu gulæ & fluxu luxuriæ depravat penitus & corrumpit: jumentumque carnis his duobus aculeis agitatum in præcipitia mortis impellit. Invisibilem vero humanæ substantiæ portionem spiritualibus aggreditur armis, eamque gemina peste inficiens, tumore superbiæ, & avaritiæ labe commaculat, sicque totam massam fermenti hujus colluvione corrumpens, homini præripit beatitudinem, quam amisit.

Dæmon quo modo hominem corrumpat.

2. Quatuor sunt, quorum in hac vita obsequiis deservimus, Caro, Mundus, Diabolus, Deus. *Carni* militamus, gulæ illecebris serviendo, luxuriæ stimulis obsequendo. *Mundo* militamus, avaritiæ æstibus anhelando, honoris altitudinem affectando. *Diabolo* militamus, bonorum profectibus invidendo, & contra Deum superbiæ spiritu intumescendo. *Deo* militamus, pietatis operibus humiliter insistendo, potestates aërias virtute spiritus oppugnando. Habent & singuli principes isti donativa sua propria. Caro suis tironibus elargitur momentaneam voluptatem: mundus transitoriam sublimitatem: diabolus perpetuam captivitatem: Deus interminabilem felicitatem. Hæc sola præponderat.

Quatt... domin... viunt ... nes.

3. Evangelica sanctione præceptum est, ut in via mortalitatis hujus terrenis affectibus inhærentem neminem salutemus. Quos autem ab hac vita suspensos viderimus, illis securæ salutationis gaudium offeramus. Unde & in Evangelio tria salutationis genera invenimus. Virgo siquidem Maria salutavit Elisabeth, Angelus vero Mariam, Dominus autem Jesus discipulos salutavit post resurrectionem. Cum ergo videmus eos qui in sterilitate vitæ hujus servierunt, montana confessionis ascendendo, fervorem pœnitentiæ quasi filium quemdam concipere; illis vocem salutationis, illis in verbo Domini remissionis & gratiæ & veniæ largitatem debemus offerre. Quos vero in sanctitate & castimonia Domino servire conspicimus, invitando ad meliora, benedictionem & gratiæ fœcunditatem eis necessario promittamus. Quos sane in conclavi remotionis apostolicæ fastigium tendere videbimus: illis quietis & pacis geminam soliditatem, cujus etiam in suo corpore quædam præludia sentiunt, vivæ vocis ministerio spondeamus.

4. Dominum Jesum-Christum subire crucis & mortis ignominiam, tria quædam præcipua coactione voluntaria compulerunt. Filialis & pura obedientia, qua prioris inobedientiæ piaculum solveretur. Compassibilis & communis miseria, quæ illius justitiam inflexibilem, virgam ferream, & ad misericordiam hortabatur. Erat miseria illa & ponderosa & gravis, & cervices hominum communis peccati & mortis conditione premebat: publica & generalis, quæ justos & injustos simili damnationis sententia pariter obligabat: continua & perennis, quæ nisi per Christum redemptionis gratia fieret, irremediabilis captivitatis nexu, omne genus Adam damnationis voragine absorbebat. Porro tertium quod spontaneè cogit in mortem, celeberrima & sollemnis victoria, cujus successu, inevitabilis diaboli & mortis potentia in monumento gloriosè & efficaciter erat imminuenda.

5. Tribus modis exaltat Dominus caput nostrum: mentem scilicet à terrenis affectibus suspendendo, ut spe cælestium transitoria contemnamus: divinam scientiam conferendo, ut eorum quæ temporaliter non videntur, scientiam teneamus: ad amorem cælestium sublevando, ut in carne positi, ipsam quoque carnem divinæ dilectionis altitudine transscendamus.

6. Homines habent triformem statum vivendi. Non delinquere, quod agit utique timor servilis. Nolle delinquere, quod exhibet filialis. Non posse delinquere, quod sola confert beatitudo perennis.

7. Quatuor esse dicuntur, quæ nostræ gratiam devotionis adaugent. Memoria peccatorum, quæ hominem reddit humilem apud se. Recordatio pœnarum, quæ illum sollicitat ad bene agendum. Consideratio peregrinationis, quæ illum hortatur visibilia debere contemni. Desiderium vitæ perennis, quæ hominem incitans ad perfectum, cogit eum à terrenis affectibus voluntatis mutatione suspendi.

8. Nostræ inscientiæ tarditatem erudit Dominus tribus modis. Indulti beneficii largitate, quæ nostræ duritiam mentis emollit, & excitat ad amorem. Frequenti verberum severitate, quæ præstans intellectum auditui, incutit nobis timorem. Contemptus publica vilitate, quo implens facies nostras ignominia, parit nobis verecundiam & ruborem.

9. Motus & titillatio carnis nostræ tribus ex causis contingit. Ex præcedenti cogitatione, cum formas & imagines illicitas intus trahentes, in earum retractatione turpiter commovemur. Ex ventris plenitudine: quia cum venter ciborum cumulositate distenditur, caro lasciviens ad motum luxuriæ concitatur. Ex maligni spiritus impugnatione, quia quo justos superare se minime posse considerat, eo per carnis titillationem gravius eos impugnat.

10. Auctoritate Scripturarum, male cogitare, maledicere, & malefacere prohibemur: quia in *male cogitare* vel immunditia est, cum res sordidæ & impuræ memoria revolvuntur: vel superbia, cum animus quasi superior super proximos suos erigitur & inflatur: vel avaritia, cum diabolo instigante contra præceptum Dei res proximi concupiscitur. Necesse est enim malæ cogitationi horum trium aliquid semper inesse. In *maledicere* vero sermo est vel supervacuus, ratione & utilitate carens: vel detractorius, fraterna bona invida corrosione & odii instinctu diminuens: vel adulatorius, caput alicujus falsa olei delinitione demulcens. In *malefacere* quoque opus est vel simulatorium, cum aliud intendimus quam opere demonstramus: vel impium, cum proximos nostros lædimus: vel impudicum, cum nos aliquo modo sordidamus.

11. De convalle plorationis ascensuri, semper ad altiora tendere, & anhelare debemus. Est enim quasi quoddam desertum vita ista mortalis, de qua dicitur: *Terra deserta, invia & inaquosa.* Sed triformis est species desertorum. Est quippe desertum, momentanea scilicet vanitas, quam despicere vitæ moderatione debemus. De quo deserto ascendere nos oportet, sicut dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Deliciis affluimus, cum virtutibus abundamus. Super dilectum innitimur, cum Deo adscribimus quicquid boni operamur. Est aliud desertum, Christianæ simplicitatis humilitas: vocata desertum, quia fere nullus est imitator Christi, qui studeat istud bonum operari. Per hoc desertum necesse est ascendamus. Unde dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus?* Sicut virgula fumi ex aromatibus ascendimus, cum virtutum studio & disciplina exercitati, proximos nostros ad bene agendi similitudinem incitamus. Est aliud quoque desertum, innocentiæ purioris simplicitas vel integritas. Ad hoc debemus ascendere, quia ad veram munditiam, ut simus sancti corpore & spiritu, debemus anhelare. Ascendamus ergo de deserto momentaneæ vanitatis per desertum humillimæ simplicitatis ad desertum integerrimæ puritatis.

*Triplex desertum.* *Psal 62. a* *Cant 3 c & 8. d* *Ibidem.*

12. Dominus noster habet proprie sagittas, quibus hostes suos vulnerat, & in brachio virtutis expugnat. Sunt autem tres sagittæ, quibus hostes sauciantur. Stimulus amissæ pecuniæ, quia valde conteritur, qui instrumenta vivendi & satellites voluptatum divitias amisisse reminiscitur. Sequitur pestis corporalis molestiæ, quæ ut ejus vias ex omni parte sæpiat, eum quem ad peccatum festinare considerat, etiam corporis contritione flagellat. Sequitur malleus infernalis memoriæ: quia cum se homo undique circumseptum pondere pœnarum corporalium pensat, etiam ad illam quæ fine caret angustiam oculos porrigens, horribilem gehennæ fornacem timida secum consideratione tractat.

*Tres sagittæ Dei in suos hostes.*

13. Sunt & aliæ tres sagittæ, quibus Dominus etiam eos sauciat, quos ad degustandum dulcedinem suæ dilectionis invitat. Quarum prima est *timor castus*: qui ideo sic vocatur, quia & timeri Dominum à servo jubet, & servum ab illicitis continere respectu Domini admonitione continua persuadet. Sequitur *amor devotus*: qui dum mentem occupaverit, totam igne suavissimæ dilectionis accendit. Sequitur *desiderii virtus*: quæ dum latitudinem conscientiæ veluti aura lenis afflaverit, ea quæ retro sunt mens oblita, ad solam faciem conditoris anhelans, quia sui voti finem minime consequitur, contabescit.

*Tres sagittæ Dei in amicos suos.*

14. Oblatio nostræ laudis, quam Deo immolamus, triformis esse debet. Affectuosa, ut mens concordet voci. Fructuosa, ut ædificationem pariat intuenti. Gratiosa, ut placeat conditori qui gratis dedit.

*Psalmodia qualis.*

15. Decretis & adhortationibus sanctorum Patrum bene cogitare, & bene dicere, & bene facere jugiter admonemur: quia in *bene cogitare* cogitatio est vel honesta nihil impuritatis contrahens, vel humilis nihil superbum sapiens, vel pia nihil crudele moliens. *In bene dicere* vero sermo est vel auditori commodum afferens, vel humilis, nihil inanis eloquentiæ lepore turgescens, vel verisimilis, nihil fuco simulationis objectum in sua prætextione prætendens. *In bene facere* quoque factum vel purum, quod munditiam exhibet, vel pium quod misericordiam redolet, vel pudicum quod oculos intuentium non offendat aut violet.

*Tria Patres præcipiunt. v. n 10.*

16. Usitatum est satis & tritum, sæculum istud merito cæcitatis & ignorantiæ suæ Ægypti vocabulo nuncupari, quod nimirum quoties mutatione voluntatis egredimur, tria nobis occurrunt. *Stimulus cupiditatum*, qui, velut mare rubrum, sensum rationis nostræ tumidis & procellosis undis cogitationum involvit: & nisi virga discreti judicii aquæ superiores ab inferioribus secernantur, subruit funditus & demergit. Sequitur *cumulus tentationum*, quasi alter Jordanis alvei sui metas excedens, & terram corporis nostri solito plenius occupans, nisi arca testamenti, id est sententia veritatis, intercedens, impetus

*Sæculum fugientibus tria solent obstare.*

illius refrenet, & ipsum penitus arefaciat & exficcet. Sequitur *aculeus molestiarum*, qui cum ingruerit quasi iterum Jordanis Elisæo occurrens, sumendum Eliæ pallium, & mediis fluctibus opponendum: ut quicquid nos temporaliter cruciat, respectu Dominicæ passionis sapore mutato, nova nobis suavitate dulcescat.

Triplex via mortis.

17. Viæ quæ ducunt ad mortem, ratione trifaria dividuntur. Alia ærumnosa, alia laboriosa, alia deliciosa. *Ærumnosa est* in pauperibus, qui in paupertate sua regio spiritu & divite animo tumescentes, ab inopia temporali ad æternam miseriam transferuntur. *Laboriosa est* in avaris & cupidis, qui dum diversarum anxietate curarum miserabiliter distenduntur, obliviscuntur ea quærere quæ Dei sunt: & avaritiæ æstibus anhelantes, usque ad vitæ terminum ab inquietudine temporali ad æterni laboris angustias transferuntur. *Deliciosa* in divitibus delicatis, qui in deliciis & voluptatibus enutrientes corpora & corda sua, post dulcedines momentaneas & horarias suavitates ad sempiternas amaritudines deferuntur.

Item vitæ.

18. Via quoque quæ ducit ad vitam, simili ratione distinguitur. Est enim alia sanguinea, alia purpurea, alia lactea. *Sanguinea* in Martyribus, qui in sanguine Agni suorum corporum indumenta laverunt, & per iter martyrii, triumphalis altitudinis solium attigerunt. *Purpurea* est in Confessoribus, qui in sua carne vestigia Dominicæ passionis per abstinentiam expresserunt, & in suis corporibus vulnerum Christi stigmata portaverunt. *Lactea* in Virginibus, quæ in seipsis puritatis angelicæ candidatum & virtutes sanctimoniæ consecraverunt, & per viam munditiæ ad amplexus & thalamos veri sponsi, virtutum pennis feliciter evolarunt.

Resurrectio spiritualis.

19. Mors animæ, oblivio: de qua morte suscitatur hoc modo. Per memoriam sentit, per obedientiam audit, per intelligentiam videt, per circumspectionem olfacit, & gustat per dilectionem.

Quatuor genera voluntatis humanæ.

20. Quatuor sunt genera voluntatis humanæ. *Sicca* in reprobis & terrenis, quorum corda nullo rore gratiæ perfunduntur. *Recta* in inchoantibus, qui vitæ pristinæ tortitudinem relinquentes, ad boni operis rectitudinem mutatione voluntatis assurgunt. *Devota* in proficientibus, qui usu orationis assiduæ in amorem bene agendi cælitus eriguntur. *Beata* in consummatis, qui pæne nihil aliud nisi Deum cogitantes, in ipso totius desiderii sui finem reponunt. Inter siccam & rectam voluntatem chaos quoddam firmatum est, ut qui voluerit transire, non possit, perversa scilicet intentio. Inter rectam & devotam, inolita consuetudo. Inter devotam & beatam, corporalis affectatio. Quæ tria quasi quidam lapides dum in via nostri operis se opponunt, ne de virtute in virtutem ascendamus, impediunt.

Tria irrigua Ecclesiæ.

21. Ligna sunt omnes justi, qui plantati in medio Ecclesiæ temporalis, facere debent fructus vitæ qui maneant. Videat autem quisque ut eligat sibi locum irriguum, in quo fructificans proferat in tempore suo vitæ fructum. Sunt autem tres decursus aquarum. *Incitamenta Scripturarum*, quæ per minas & promissa honestam in homine suscitant voluntatem. *Charismata gratiarum*, quæ hominem spiritualem ex animali efficiunt ad sui provisionem & curam informando, & docendo omnem veritatem, ministrant operum fœcunditatem. *Stillicidia lacrymarum*, quæ dum venas intentionis atque propositi suo rore irrigant & infundunt ne lignum moriatur, perseverantiam largiuntur. Qui juxta hæc fluenta radicatus fuerit, per menses singulos faciet fructum, & folia ligni illius ad suavitatem gentium.

Vinum triplex inebrians.

22. Non uno eodemque modo omnes qui ebrii fuerint, debriantur. Aliud est *vinum malitiæ*, quod effluit de uva fellis, & à diabolo initium habuit, qui amaritudinem peccati & mortis humano generi propinavit: quo debriantur iniqui conformes facti ei. Aliud est *vinum molestiæ*, quod emanat de labrusca conditionis humanæ: quæ Domino suo acetum iniquitatis apposuit. Hoc vino quisquis inebriatur, non injuste, sed merito peccati sui, à Deo hoc perpeti comprobatur. Aliud est *vinum gratiæ*, quod ex botro cypri, id est, conditoris largitate decurrit: & hoc est mustum, quo sponsi filii debriantur: quod mittitur etiam & in utres novos.

Oleum plex Ele rum

23. Reges sunt & sacerdotes, omnes electi: & eos oportet oleo unctionis inungi. Est autem oleum triforme. Aliud siquidem est *oleum effusionis*, videlicet verbum Dei, quo initiantur veterem hominem exuentes, ut quasi adolescentulæ in amorem sponsi surgant. Aliud est *oleum puritatis*, quo lagenæ operum nostrorum impleri debent, quod in lampade divini fervoris ignem debet incessanter nutrire. Aliud vero *oleum exsultationis*, caritas videlicet principalis: quæ mentem quam repleverit, dilatat, ut gustans quam suavis est Dominus, in vertice justitiæ sedens in solo Deo glorietur & gaudeat.

Tria no Christo tanda.

24. Christiani à Christo nomen acceperunt: & operæ pretium est ut sicut sunt heredes nominis, ita sint imitatores sanctitatis. Tria ergo sunt quæ in Christo nobis expressa, plenis viribus exercere debemus: videlicet improbare vivaciter sæculi vanitatem: quia & Jesus ne rex constitueretur à turbis, aufugit. Exercere viriliter pœnitentiam: quia & Jesus sicut agnus occisus est. Et habere veraciter geminam caritatem: quia Jesus pro inimicis oravit.

Septem dus del sionis.

25. Septem gradus descensionis habet humilitas. Abdicationem rerum exemplo Apostolorum. Abdicationem vestium, sicut Elias & Johannes. Corporis exercitium, ut Paulus. Directionem in prosperis, instar David pauperis, & regis. Patientiam in adversis, sicut Job & Tobias. Proprium abhorrere consilium, & propriæ voluntatis affectum.

Arma tis cont ma neq

26. Arma virtutis, quibus arma nequitiæ expugnantur, sunt hæc. Plena peccati cognitio, quæ expellit tenebras voluptatis. Pœnitentialis afflictio, contra dulcedinem carnalitatis. Humilis & vera confessio, contra venenum iniquitatis. Sufficiens & digna correctio in mutatione pristinæ voluntatis. Perseverantiæ plena successio, ut perfecta subrogetur custodia sanitatis.

Tria pœ tentiæ faria.

27 Necessaria sunt pœnitentiæ tria hæc. *Abstinentia*, per quam carnis superbia edomatur. *Lectio*, cujus fructu reformandus in vigorem animus saginatur. *Oratio*, cujus munimine & tutela, virtutum examina proteguntur.

Tres h tatis n

28. Humilitatis virtus habet hæc tria. Superiori subdi, ut ad ejus æqualitatem nulla ambitione vel invidia rapiatur. Æquali non præferri, ne illicito appetitu superior velle fieri videatur. Minori subdi potius quam præponi, ut ex hoc humilitatis veritas comprobetur.

Triplex gressus Deum

29. Non omnes uniformiter gradiuntur ad Deum. *Quidam passu*, sicut illi qui terrenorum curis impliciti, vix aliquando respirant, ut Domini recordentur. *Quidam modesto incessu:* sicut hi qui Domini servitio mancipati, & Deo quidem serviunt, & tamen erga seipsos indulgentiores exsistunt. *Alii veloci*, id est, *rapido cursu:* sicut hi qui super carne sua se intuentes, & se & transitoria contemnentes, celeriter proficiscuntur ad Deum, hoc solummodo cupientes, in pace quiescere in idipsum.

30. Tria sunt loca, cælum, terra, infernus: & habent singula habitatores suos: cælum solos bonos, terra mixtos, infernus solos malos.

31. Triplici morbo laborat genus humanum: principio, medio, & fine, id est nativitate, vita, & morte. Nativitas immunda, vita perversa, mors periculosa. Venit Christus, & contra triplicem hunc morbum attulit triplex remedium. Natus est enim, vixit, mortuus est: atque ejus nativitas purgavit nostram, mors illius destruxit nostram, & vita ejus instruxit nostram.

32. Electos tria in futuro manent. Interna satietas: æterna jucunditas: jucunda voluptas. De his dicitur, *Exsultent justi*, &c. Psal. 6

33. Triforme est desiderium electorum. Unanimiter habitare in domo: unde est: *Unam petii à Domino*. Victoriam obtinere de mundo: unde est: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Præsentialiter frui Deo: unde est & illud: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Psal. 2 Rom. 7 Philipp

34. Trifarius est prælatorum timor. Ne audientium animos exquisitior apparatus commoveat, ne interni judicis oculos immoderatior usus offendat, ne justitiæ retributio in præsenti eis fiat.

35. Triformis est sanctorum dolor, quia ceciderunt de

paradiso : quia tenentur in exsilio : quia differuntur à regno.

36. In monte montium Christo fuerunt hæc duo, coagulum passionis, & pinguedo sanctitatis.

37. Vituli quos Domino immolare debemus, tres sunt. Novæ conversionis effectus : quasi vitulus novellus cornua producens & ungulas. Sacræ religionis profectus : qui est vitulus tenerrimus de armento. Consummatæ virtutis affectus : qui est vitulus saginatus.

38. Quadriformis est pressura nostra. Corruptibilis carnis angustiæ : quæ sunt dolores mortis. Temporalium pressurarum molestiæ : quæ sunt torrentes iniquitatis. Occulti hostis latentes insidiæ : quæ sunt dolores inferni. Deceptoriæ facies mundanæ gloriæ : quæ sunt laquei mortis.

39. Fumus est ab ira Dei : quia in consideratione iræ Dei electi compunguntur. Ignis à facie ejus : quia per cognitionem & præsentiam ad amorem accenduntur. Caligo sub pedibus ejus : quia per districtum illius examen reprobus desperationis nebulis obscuratur.

40. Ambulat Dominus super pennas ventorum, cum electi ejus dulcedinem vel tenuiter attingunt. Volat, cum de incircumscripta ejus substantia nihil percipiunt. Unde est : *Fuge dilecte mi.* Ponit Dominus tenebras profunditatis & altitudinis latibulum divinitatis suæ, in luce puritatis & sanctimoniæ habitaculum mansionis suæ.

41. Portas suas mundus habet quibus ingredimur ad eum, quæ sunt, corrupta sensualitas, & incesta cupiditas : unde est : *Appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Portæ inferi, cæca desperatio, & dura obstinatio : unde est : *Portæ inferi non prævalebunt :* portæ cæli, humilis patientia, quæ est porta ferrea ducens ad civitatem : & amoris concordia, quæ est porta orientalis.

42. Genera retributionis sunt quatuor, duo in hoc sæculo, & duo in futuro. Retributio prosperitatis & abundantiæ impiorum : unde est : *Receperunt mercedem suam.* Damnationis & ignominiæ eorum, familiaritatis & gratiæ justorum, dulcedinis, amoris & gloriæ. Duo autem sunt quæ remunerantur, justitia operis, & puritas cordis.

43. Tres sunt lucernæ. Regula disciplinæ Christus, quæ accenditur, ut drachma perdita inveniatur. Forma veritatis in Evangelio, quæ ponitur super candelabrum. Scientiæ puritas in corde bono, quæ illuminatur à Domino.

44. Pedes nostri esse debent sicut cervorum, & sicut vituli.

45. Alii sunt filii alieni, qui mentiuntur : alii filii Belial, qui non cognoscunt Deum : alii filii Israël, qui cognoscunt.

46. Triforme est semen : Veritatis & justitiæ, quod in terra jactum, facit fructum centuplum : iniquitatis & malitiæ, quod est genimen viperarum : erroris & malitiæ, quod est Canaan, & non Juda.

47. Sapientia Dei quasi perdix fovet filios quos non peperit, quasi gallina congregat pullos sub alis, quasi aquila provocat ad volandum.

48. Trifaria est vestis nostra. Pœnitentialis anxietas, quæ est vestis viduitatis : religiosa maturitas, quæ est vestis jucunditatis : sincera integritas, quæ est vestis virginum.

49. Vestes Esaii, honestas vitæ, & maturitas disciplinæ : pelliculæ hœdorum, abjectio noxiæ vetustatis, & mortificatio propriæ voluntatis. Cibi, hilaris obedientia, & humilis abstinentia. Pater tangit filium apposita probationis manu. Osculatur secretæ inspirationis instinctu. Benedicit religionis profectu.

50. Tria sunt necessaria puritati. Integritas actionis, simplicitas intentionis, tranquillitas devotionis.

51. Puritas tria confert, spiritum libertatis, gaudium securitatis, firmitudinem caritatis.

52. Reprobi aliquando sunt sicut *fumus*, quia in sua altitudine evanescunt. Aliquando sicut *pulvis*, quia nullum caritatis humorem proferunt. Aliquando sicut *cera*, quia ad calorem, id est impulsum tentationis, facile liquefiunt.

53. Portæ Sion, id est, Ecclesiæ, sunt *Sacramenta*, sine quibus Ecclesiam non intramus : Portæ justitiæ sunt *virtutes mediæ*, quas temporaliter exercemus. Portæ æternales sunt *præcipuæ* virtutes, quas etiam in futuro habituri sumus.

54. Tria sunt quibus obnoxii sumus Deo. *Signaculum naturæ*, quo ad similitudinem Dei facti sumus. *Talentum fidei*, quod per bonum opus Deo integrum resignare debemus. *Titulus professionis*, quo ad serviendum Deo sponsionis vinculis alligamur.

Tribus modis nos interrogat Deus. *Promulgatione præcepti*, ut nostra nobis obedientia nota fiat. *Invectione flagelli*, ut patientia nostra proximis innotescat. *Revelatione secreti*, ut se nobis virtus humilitatis aperiat.

55. Tribulatio tria confert. *Exercitium*, ne virtus amoris, otii tempore frigescat. *Probationem*, ut nostræ constantiæ fortitudo ad exemplum hominibus innotescat. *Præmium*, ut juxta tribulationis modum, immensum gloriæ pondus accipiat.

Adversitati tria sunt opponenda. *Electorum agones* & angustiæ, quas patiuntur qui pie vivunt. *Redemptoris afflictiones* & molestiæ, quas ei sævissimi principes intulerunt. *Dispositio moderatricis justitiæ*, cujus altitudinem quasi virgæ Joseph summitatem non discutere, sed adorare debemus. Hæc sunt tria illa ostia, vectes & termini, quibus Dominus circumdat mare sæculi.

56. Triforme est exercitium electorum. *Austeritas jejuniorum*, qua excolitur terra carnis, ut fructum ferat. *Assiduitas lectionum*, qua reficitur animus, ut homo interior pinguescat. *Instantia orationum*, qua mens ad cælestium appetitum assurgat.

57. Auctor mirabilium Deus tria quædam mirabilia operatus est in Maria. Integritatem munditiæ mirabiliter suscitavit, ut arca testamenti auro purissimo tegeretur. Puritatem virgineam potentialiter fœcundavit, ut rubus ardens non combureretur. Ima supernis ineffabiliter copulavit, ut scala Jacob mediante, terrena cælestibus unirentur.

58. Tria nobis contulit Mariæ fœcunditas. Avertit jugum captivitatis antiquæ, remisit iram indignationis divinæ, delevit notam iniquitatis humanæ.

59. Electi tria præstolantur in futuro. Quod in eis mortale est, à vita penitus absorberi : perennis gloriæ compensatione ditari : Deum sicuti est insatiabiliter contemplari.

60. Reprobi tria sperare dicuntur. Voluptatem corpoream sibi ad sufficientiam cumulari, momentaneam gloriam ad beatitudinem suffragari, mores suos & opera nullo posse judicio reprobari.

61. Imitator Christi tria debet agere. Simplicis innocentiæ sensum tenere, ut cum Christo puer efficiatur. Abjectum & humilem habitum amare, ut infantiæ Christi pannis vilibus involvatur. In disciplina simpliciter ambulare, ut cum Christo in præsepio positus inveniatur.

62. Spiritus sunt *administratorii*, qui curam habent salutis nostræ : sunt *operatorii*, qui auctores exsistunt sospitatis humanæ : sunt *contemplatorii*, qui assistunt vultui majestatis divinæ.

63. Beati spiritus visione satiantur, dulcedine ebriantur, caritate sociantur.

64. Homines Deum exspectantes, debent esse *suspensi* quando veniat, *dubii* quid eis deferat : hilares & devoti, diligentius adornati, tria sperantes in eo, nuptialem præsentiam, familiarem gratiam, liberalem munificentiam.

65. Tres sunt species nuptiarum. *Prima* reconciliationis per fidem, in qua sunt tria fercula : Peccatorum ablutio, gratiæ consecutio, naturæ reformatio. *Secunda* adoptionis per spem, in qua etiam sunt eloquii divini consolatio, alimoniæ cælestis communio, dulcedinis internæ prælibatio. *Tertia* est glorificationis perfectæ per caritatem : cujus fercula sunt, æterna incorruptio, vera glorificatio, perennis Dei visio.

66. Tres sunt equorum species. Mundialis *superbia*, cujus ascensor cadit retro. Spiritualis *scientia*, cujus collo circumdantur hinnitus. Integralis *munditia*, quam om-

nis cælorum exercitus sequitur in vestimentis albis.

67. Verba consolationis Dei sunt ablutio culpæ, restitutio gratiæ, evasio exsilii, consecutio regni, consortium divinitatis, adeptio æternitatis.

68. Arma fidelium tria sunt. Sapientiæ plenitudo, quæ est funda David, de qua sententiarum lapides emittuntur. Patientiæ firmitudo, quæ est baculus, quo luporum rabies propulsatur. Caritatis amplitudo, quæ est pera David, de qua orationes proferuntur.

69. Tria prælatis necessaria sunt. Viva fidei & doctrinæ sinceritas, ut inhabitent in eadem regione. Studiosa bene operandi sedulitas, ut vigilias cum pastoribus celebrent. De salute subditorum diligens curiositas, ut custodiant gregem suum.

70. Bubulcus habere debet duo. Vocis suavitatem, quæ laborem mulceat operantium. Aculei punctionem, quæ torporem excutiat pigritantium.

71. Tres sunt species pœnitentiæ. *Simulatoria & infructuosa*, cujus exemplum est in Esaü & in Saül. *Crudelis & desperata*, sicut in Caïn & Juda. *Utilis & consummata*, sicut in Maria & Zacchæo: cujus partes sunt quinque: Contritio in corde, confessio in ore, maceratio in carne, correctio in opere, perseverantia in virtute.

72. Tria inveniuntur in Petro; fidei unitas, pœnitentiæ veritas, amoris soliditas.

73. Tria sunt genera mutationum. Sublimitas in humilitatem: quando Verbum carnem assumpsit. Contemptibilitas in majestatem: quando se homo Deus coram discipulis transformavit. Mutabilitas in æternitatem: quando resurgens cælum regnaturus ascendit.

74. Ea quæ agimus, vel in *lumine vultus hominum* facimus, ut hominibus placeamus: vel *in lumine vultus nostri*, ut benefacere quod malum est nos credamus, vel *in lumine vultus Dei*, ut ipsi soli, quicquid boni in nobis est, humiliter adscribamus.

75. Tria sunt quæ patientiam subruunt. Anxietas nimia doloris, causa justa innocentis, indignitas inferentis.

76. Qui à societate recedit, amittit conventorum solatia: prosequendo socios subit fastidia: aberrans facile sequitur devia, incurrit sæpius vitæ naufragia.

77. Magistri operum Pharaonis tres sunt. Fœtidus ardor æstuantis luxuriæ: anxius furor sævientis avaritiæ: noxius appetitus inanis gloriæ.

78. Tres sunt in nobis principes quos necesse est mori, ut Christus vivat. *Prudentia* sæcularium, quæ est Joseph. *Eloquentia* spiritualium, quæ est Moyses. *Copia* temporalium, quæ est Josue.

79. Triforme est impiorum refugium. Deceptricis documentum fallaciæ, quæ est Phithon. Sæcularis munimentum potentiæ, quæ est Ramesse. Simulatricis figura justitiæ, quæ est civitas Solis. Has jubet Pharao ædificari.

80. Tres sunt calices quos Dominus nobis propinat. Pœnitentiæ & doloris, qui est plenus mixto. Patientiæ & laboris, quem bibit Jesus. Benevolentiæ & amoris, qui est inebrians & præclarus.

81. Quinque sunt torrentes. Crudelitatis & malitiæ, qui est Cison, apud quem Jabin occiditur. Philosophialis eloquentiæ: hic est Cedron, ultra quem Jesus egreditur. Passionis & angustiæ: hic est in via, de quo Jesus dicitur bibisse. Cælestis sapientiæ, apud quem Elias pascitur. Jucunditatis & lætitiæ, quo potantur electi.

82. Tribus modis renovamur. *Carne* per baptismi mysterium ab originali peccato: *opere* per pœnitentiæ remedium ab actuali delicto: *carne & spiritu* per resurrectionis donum.

83. Species terræ quadriformis est. Flos & viriditas temporalium bonorum, quæ irrigatur sicut paradisus. Utilis vita & conversatio electorum, de qua oritur panis. Amœnitas cælestium mansionum, quæ fluit lacte & melle. Situs gehennalium locorum: quæ est terra miseriæ & tenebrarum.

84. Quadrifarium est genus deserti. Invia mundani exsilii solitudo, de quo David: *In terra deserta, invia & inaquosa*. Disciplinæ Christianæ difficilis altitudo: in qua peregrinantur filii Israël. Cælestis Jerusalem delectabilis amplitudo: in qua relinquuntur oves nonaginta novem. Gehennalis miseriæ terribilis habitudo, quæ est desertum solitudinis.

85. Quatuor sunt species curruum. *Elationis & dominii*, in quo mergitur Pharao. *Humilitatis & studii*, in quo sedet Eunuchus. *Devotionis & obsequii*, in quo sedens Joseph occurrit patri. *Amoris & desiderii*, in quo rapitur Elias.

86. Triformis est ascensus Domini. Victoriosus, quo ascendit super occasum. Speciosus, quo ascendit super cælos cælorum. Gloriosus, quo ascendit super pennas ventorum.

87. Regnum cælorum *alii* violenter rapiunt, ut pauperes spiritu: *alii* mercantur, ut illi qui faciunt amicos de mammona iniquitatis: *alii* furantur, ut mulier quæ tangit fimbriam: *alii* compelluntur intrare, ut pauperes sæculi.

88. Quatuor sunt quæ veram conferunt humilitatem. Vilitas operis, assiduitas subjectionis, comparatio melioris, judicium conditoris.

89. Tria sunt judicia, alienum, proprium, divinum.

90. Pretiosam mortem aliquando facit *vita*, ut in confessoribus: aliquando *causa*, ut in martyribus: aliquando *vita & causa*, ut in plerisque.

91. Tria sunt præputia quæ præciduntur. Carnis præputium in Judæo: cordis præputium in Christiano: linguæ præputium in perfecto.

92. Quatuor sunt tempora, præfigurationis, prænuntiationis, visitationis, redemptionis.

93. Modis quatuor visitat nos Deus. *Exhibitione præcepti*. Præceptum enim aliud carnale, aliud spirituale. *Asperitate flagelli*, cujusmodi sunt quinque causæ, ut ab iniquitate corrigat, ne quis de collata virtute superbiat, ut virtus hominibus innotescat, ut alios ejus exemplo compescat: ut corona cumuletur & crescat. *Novitate miraculi*: quod visibile est: & invisibile, *Inspiratione subtili*.

94. Quater luctatus est Jacob. In utero cum Esaü, in adolescentia cum eodem, in Mesopotamia cum Laban, in Bethel cum Angelo.

95. Jesus dicitur ter flevisse: in ipso ortu genus humanum: processu temporis Lazarum: ad ultimum in Jerusalem futurum casum.

96. In fronte aliquando lepram, aliquando Thau, aliquando laminam auream gerimus.

97. Dominus sedet aliquando in valle Josaphat, aliquando in monte, aliquando in solio excelso.

98. Tonitruum aliud igneum, aliud pluviale.

99. Duo sunt calcaria quibus urget Propheta asinam suam; Pudor ne temporaliter polluatur, timor ne æternaliter puniatur.

100. Tria sunt quæ nos restringunt & cohibent, & quasi cinctoria dici possunt. Corporeæ mortis memoria, quæ est zona pellicea qua cingebantur Elias & Johannes. Probabilitas & decor pudicitiæ, qua cingitur Aaron accedens ad Deum. Amor religionis & justitiæ, quæ est zona aurea, & ea præcingitur Jesus ad mammillas.

101. Quatuor virgines sunt quas in conjugium sociare debemus. Eloquentia philosophalis, quæ est Zelpha ancilla Jacob. Sententia juridicialis, quæ per Balaam designatur. Innocentia actualis, quæ Lia potest dici. Contemplatio spiritualis, quæ Rachel intelligitur.

102. Duo sunt oculi sponsæ. Rerum labentium consideratio, quæ est velut flamma ignis: & cælestis patriæ digna æstimatio, in qua vulneratur cor sponsi.

103. Vestimenta communia ministris Dei tria sunt. Cælestis sapientia, quæ est Ephod, & caput operit: perseverans justitia, quæ poderis est, & totum corpus induit: carnalis continentia, quæ lumbos cingit.

104. Candelabra in Scripturis reperiuntur tria. Legalis obscuritas, quæ sphærulas habet & lilia: prophetalis subtilitas, quæ habet duas olivas in cacumine suo: & evangelica veritas, quæ habet in medio sui similem filio hominis.

105. Munitiones quibus anima vallatur, tres sunt. Sedula circumspectio, quæ est sæpes: sanctorum intercessio, quæ est vallum firmissimum: divina protectio, quæ est murus protegens ab incursu hostium.

106. Spem nostram triplex ratio discurit & roborat. A *Humilitas* collatæ sapientiæ, quod est ovum in aqua coquere: *firmitas* constantis patientiæ, quod est ovum igni assare: *veritas* inspirationis occultæ, quod est ovum in sagimine frigere.

107. Tria sunt quibus Deus vindictam exercet in hostes. *Lavacri* salutaris remedium, quod velut mare rubrum occidit Ægyptios. *Pœnitentiæ* condignæ exercitium, quod velut sulfur peccatores interimit. *Districtionis* extremæ judicium, quod velut ignis ad vocem Eliæ involvit.

108. Lectus animæ in quo pausat, tripartitus est. *Gravitas* debilitatis corporeæ, quam sibi languidus sanatus substernit. *Tranquillitas* quietæ conscientiæ, in qua fugiente David statua ponitur. Hæc est cui duæ culcitræ B supponuntur. De præterito securitatis & fiduciæ amplitudo: de futuro remunerationis & præmii certitudo. Cervical quod supponitur capiti, divinæ familiaritatis & gratiæ largitudo. Lectus tertius *humilitas* superioris gloriæ, quæ est lectus floridus, quem sexaginta fortes ambiunt.

109. Vitreæ per quas solis radius infunditur, tres sunt: *caritatis* integritas, per quam peccati remissio se infundit: *humilitatis* puritas, per quam Mariæ gratia cælestis illapsa est: *intellectus* subtilitas, per quam radius sapientiæ cor illustrat.

110. Septem lampades thronum electæ mentis illuminant: charismata scilicet spiritus, quæ plenius Propheta C prosequitur: quæ dum oleum gloriæ juncumque timoris & infirmitatis cælesti igne consumunt, lumen veritatis incessabiliter administrant.

111. Quod nobis apponitur ad edendum, trifarium est carnis edulium: *hœdus* de capris in fructu pœnitentiæ, quem Jacob obtulit Isaac ut benediceretur; *vitulus de armento* in actu justitiæ, quem Abraham expendit in cibos angelorum: *vitulus saginatus* in cumulo gloriæ, quem pater recepto filio legitur victimasse.

112. Triplex est hortus in quo electæ animæ spatiantur. *Molestia corruptibilis vitæ*, quæ est hortus nucum, in quo Susanna lavatur. *Amœnitas jucunditatis supernæ*, quæ est hortus deliciarum in quo ponitur Adam, ut ope- D retur & custodiat. *Dulcedo & suavitas visionis divinæ*, quæ est hortus conclusus, in quo Joseph statuit sibi monumentum in petra excisum. Munda quoque conscientia, pro sui diversitate hos in se suscipit hortos.

113. Esuriei nostræ mensæ tres apponuntur: Legis & Evangelii sacramentum, in quo sumuntur sapientiæ dapes: catholicæ institutionis mysterium, ubi accipitur caro piscis assi, & favus mellis: æternæ satietatis arcanum, quod intra velum est, & panes continet propositionis, & vitæ.

114. Thesauri quos thesaurizare debemus, tres sunt. *Desiderium* pietatis in corde, qui absconditur in agro ut ematur. *Doctrina* vanitatis in ore, quæ est thesaurus ni- E vis & grandinis. *Assiduitas* perseverans in homine, quæ habet frumentum & hordeum, & oleum & mel. Hi sunt thesauri Magorum, qui aurum, thus, & myrrham nato Domino obtulerunt.

115. Quatuor differentiæ panum in Scripturis reperiuntur, quibus diversæ generis humani deplorantur miseriæ: panis coctus in stercore *humano*, *bovino*, *cinere & clibano*, quibus diversi affectus mentis humanæ exprimuntur.

116. Altaria quibus vota superponere debemus, tria sunt: *divinarum sanctionum expletio*, quod fit de lignis Setim in deserto: *beatorum multiplex advocatio*, quod fit de lapidibus quos ferrum non tetigit: *Redemptoris hu-* F *milis incarnatio*, quod fit de terra.

117. Puellæ quæ evertunt sensum nostrum, tres sunt. *Teneritudo* carnis nostræ, quæ est Dalila quæ Samsoni eruit oculos. *Amœnitas* mundialis gloriæ, quæ est Jezabel, & Naboth occidit. *Diffidentia* futuræ vitæ, quæ est filia Herodiadis, & aufert caput prophetæ.

118. Duæ sunt tribus, *Levi & Juda*, ex quibus sacerdotes sumuntur, *Aaron & Christus*, & eorum successio. Quod qualiter conveniat, ex nominum interpretatione poterit conjectari.

119. Aquilæ Dominico corpori assidentes tres sunt. *Magnitudo* potentiæ laicalis, grandis & magnarum alarum. *Abusio* propositi clericalis, quæ ponit in cælo nidum suum. *Humilium* subtilitas spiritualis, quæ provocat ad volandum pullos suos.

120. Quadripertitum est officium sacerdotale: vivam carnis hostiam immolare, quod Leviticum est: virtutum charismata Deo offerre, quod est incendere aromata, & filiorum Aaron est: cum fervore martyrii cælum intrare, quod est introire cum sanguine sancta sanctorum: gratiæ & precum vota cælo transfundere; quod est panem & vinum Deo offerre.

121. Fontes quibus animæ lavantur, tres sunt. Anxietas contritionis, quæ irrigat superficiem terræ: humilitas confessionis, quæ posita est extra urbem: devotio compunctionis, super quam Jesus moratur & sedet.

122. Panes quibus alimur in hac vita, tres sunt. *Purgatorius* cum amaritudine, quem mulier Sareptana ministrat in fame: *consolatorius* cum dulcedine, quem angelus apponit quiescenti in umbra: *solidus* cum fortitudine, qui perducit ad montem Dei Oreb. Hi in tribus portionibus corporis Dominici continentur.

123. Lucernæ quæ noctem vitæ hujus illustrant, tres sunt. *Intelligentiæ vigor* in animo, quæ accenditur ut drachma reperiatur. *Sapientiæ splendor* in verbo, qui in alto ponitur, ut lumen ejus videatur. *Justitiæ forma* in proximo, quæ venienti ad nuptias antefertur, ut candelabris portari possit.

124. Tres rivi salutis fluxerunt à corpore Jesu: *verbum* doloris, in quo confessio: *sanguis* aspersionis, in quo afflictio: *aqua* emundationis, in qua compunctio.

125. Piscinæ tres in Scriptura reperiuntur. *Vetustas* erroris, quæ est post duos muros. *Sensualitas* carnis, in qua decumbebant languidi. *Perspicacitas* rationis, quæ est in via agri fullonis. In his adaquantur oves, & holocausta lavantur.

126. Fomenta ignis tria in nobis. *Stipula* cogitationis immundæ. *Fœnum* locutionis pravæ. *Lignum* operationis illicitæ. Hæc ad ignem nos nutriunt, nisi superioribus fontibus exstinguantur.

127. Contemplativorum fenestræ tres sunt: Originaria, quæ est versus Orientem. Gubernatricia, quæ vergit ad austrum. Consummativa, quæ respicit ad occidentem.

128. Quatuor fontes irrigant hortum Dei: reatus proprii *deploratio*, quæ circuit terram Æthiopiæ: excessionis fraternæ *compassio*, quæ vadit contra Assyrios: indultæ gratiæ *consideratio*, quæ medium intersecat Babylonis: desideriosa caritatis *affectio*, quæ circuit omnem terram Evilath. Hi fontes habent irriguum superius, & irriguum inferius, habentes aquas maris, fluminis, fontis & nivis.

129. In scutella Dei tria fercula continentur: claritatis *perspicuitas*, quæ fulgebit ut sol: *Integritas* puritatis, quæ erit ut angeli: *firmitas* æternitatis, quæ erit ut Deus.

130. Ostia per quæ transitur ad vitam, tria sunt: *fidei* veritas, retro quam Sara ridet: *spei* firmitas, quæ est in latere arcæ: *caritatis* soliditas, quam observat Cherubim cum flammeo gladio.

131. Triforme vinum est in scypho Dei: *rubicundum* in longanimitate sanctorum, quod lætificat Isaac in ægritudine: *album* in renumeratione justorum, quo ebrietatur Noë: *nigrum* & acidum in damnatione pravorum, quod Jesus gustat, sed non vult bibere.

132. Vestis qua sacerdos uti debet, triplex est; exterioris operis grossitudo, quo induitur Aaron coram populo; spiritualis sanctimoniæ habitudo, quam apud se Rebecca abscondit, & ea utitur Aaron in tabernaculo; contemplativæ dulcedinis pulcritudo, quæ inconsutilis est, & ea utitur Jesus.

133. Tunicæ quibus vestimur, tres sunt: castigativa corporis *edomatio*, quæ pellicea est, & induit Adam: constantis perseverantiæ *longitudo*, qua dilectus amicitur Joseph: remuneratricis gratiæ *largitudo*, qua vestitur Jesus.

134. Seraphim sex alæ sunt. Duæ pedales, pudor de præteritis, & metus de futuris. Laterales quibus volatur, timor deprimens, & spes sustollens. Capitaneæ, humilitas provehens, & caritas perficiens.

135. Solia duo Deus habet, angelicam substantiam, quæ est excelsum solium: & humanam naturam, quæ est solium elevatum.

136. Quatuor animalibus quatuor pennæ sunt: timor & pœnitentia, quæ corpus velant: amor & spes, quæ sibi junguntur, & volant.

137. Animalibus novæ legis sex alæ insunt: naturalis suggestio, legalis institutio, prophetalis assertio, evangelica sanctio, apostolica jussio, ecclesiastica consuetudo.

138. Cubile Jesu triplex est: unitas testamentorum, quæ est quasi uterus virginalis: Ecclesia electorum, quæ est quasi præsepium: conscientia purgatorum, quæ est quasi sepulcrum in petra.

139. Tria sunt quæ nobis in sanctis apponuntur ad edendum: *exterior corporis habitudo*, quam tria sata constituunt: in vultu gravitas, in habitu vilitas, in incessu maturitas. Hic est panis quo quinque millia satiantur, & est hordeaceus. Sequitur *interior spiritus aptitudo*, quam tria quoque sata constituunt: in prosperis humilitas, in adversis soliditas, in cunctis mediocritas. Hic est panis siligineus, quo quatuor millia saturantur. Sequitur *superior & Deo similis pulcritudo*. Hujus sata constituit in Deo & homine caritatis informitas, quæ amicum & inimicum complectitur, & diligit propter Deum. Hic est panis frumentitius, qui Spiritus-sancti vapore decoquitur, & panis angelorum vocatur.

140. Duæ sunt domus Dei. *Exterior*, rerum ministra curiositas, quæ tabernaculum est super quod apparet gloria Domini, & recedit: *Interior*, Deo vacans & serviens devota simplicitas, quæ templum est, & de loco non movetur.

141. Duæ sunt arcæ in veteri lege. Textus historiæ litteralis, quæ habet in se homines & jumenta: & sensus continentiæ spiritualis, quæ habet manna & virgam Aaron.

142. In Scriptura inveniuntur tres currus. *Elatio potentiæ temporalis*, cujus auriga est tumor præsumptionis & audaciæ, habens equum robur propriæ confidentiæ. Rotæ ejus præceps mobilitas vanitatis, & felix successio prosperitatis. Hic est currus Pharaonis, in quo moritur Rechab. Sequitur *altitudo conversationis & vitæ*. Auriga ejus sermo commonitionis divinæ, habens equum votum perseverantiæ. Rotæ ejus horrenda terribilitas tormentorum, & mira delectabilitas præmiorum. Hic est currus in quo legit cum Philippo Eunuchus. Sequitur *celsitudo contemplationis & gratiæ*. Auriga ejus amor cælestis patriæ, habens equum desiderium beatitudinis & vitæ. Rotæ, improbatio gloriæ mundialis, & divinæ reverentia majestatis. Hic est currus igneus, in quo Helias rapitur in cælum.

Exod 4 g

Act. 8. c

4. Reg. 2. b

143. Tria sunt operimenta altaris. De peccatis pœnitentialis afflictio, quæ est cilicium: de venia laudis & lætitiæ magnitudo, quæ est velut æs sonans: de gratia præcordialis jubilatio, quæ rutilat velut aurum.

144 Claves quæ nobis occulta reserant, tres sunt. Anxii temporis austeritas, quæ aperit puteum abyssi: præsumptivæ spei subtilitas, quæ reserat regnum cælorum, veræ dilectionis conspicuitas, quæ est clavis David.

145. Fluvii quibus peccatores se lavant, duo sunt. Fluxus corruptionis & lasciviæ, pestis adulationis & fallaciæ, qui sunt Abana & Pharphar fluvii Damasci. Quibus justi se balneant, duo sunt. Invectio corruptionis & contumeliæ, suavitas consolationis & gratiæ, qui sunt Jor & Dan fluvii Judææ.

146. Cantica fidelium quatuor sunt. *Victoriæ*, quod submerso canitur Pharaone. *Adhortationis*, quod terram promissionis concinunt intraturi. *Lætitiæ*, quod de susceptione filii cantat Anna. *Fortitudinis*, quod David cantat de manu Saulis ereptus.

Exod. 15. d
Num. 3 d
2. Reg. 1. d
Psal. 69.

147. Quatuor species herbarum sunt in horto Dei. *Puritas* corporalis munditiæ, quæ est quasi lilium: *gratia* spiritualis innocentiæ, quæ est quasi hyssopus: *veritas* liberalis eloquentiæ, quæ est quasi viola: *justitia* operationis continuæ, quæ est quasi rosa.

148. Martyrium sine sanguine triplex est. *Parcitas* in ubertate, quam habuit David & Job: *largitas* in paupertate, quam exercuit Tobias & vidua: *castitas* in juventute, qua usus est Joseph in Ægypto.

Duo sunt pedes quibus uti debemus, natura, & consuetudo.

149. Equi quibus ad cælum evehimur, tres sunt: *Dolor ex pœnitudine*, cujus ungulas coluber mordet. Hujus sella est de veniæ perceptione præsumptio, frenum & camus solatia Scripturarum & exempla veterum. Calcaria quibus urgetur, de reatus enormitate confusio, de pœnæ consideratione formido. Fovea, desperatio. Sequitur *fervor ex religione*, cui supersedet Mardochæus in veste regia. Hujus sella, temperans discretionis gravitas; frenum & camus, suspecta conditio carnis suæ, & utilis emersio perseverantiæ. Calcaria, exercendæ honestatis cupiditas, & fraternæ commoditatis aviditas. Fovea, intemperantia. Sequitur *desiderium ex amore*, cui datur fortitudo, & circumdatur hinnitus. Calcaria, fluxa labilitas præsentium, stabilis æternitas futurorum. Ductor, affectuositas videndi Deum. Fovea, indiscretio.

150. Speluncæ in libris sacris inveniuntur tres. *Perversa impietas voluntatis*, quæ est latronum, in qua Saül purgat ventrem. *Solida firmitas æquanimitatis*, quæ fit in altari, & est unius cubiti. *Exercitium geminæ pietatis*. Hæc est spelunca duplex, in qua patriarchæ sepeliuntur.

151. Quatuor sunt arma quibus principaliter communimur. *Prudens & humilis intelligentia*, quæ est quasi galea, & caput operit: *mediocris & parca temperantia*, quæ est lorica, & pectus tegit: *perseverans & patiens constantia*, quæ est quasi scutum, & dexteram munit: *retributrix æquitatis justitia*, quæ est gladius utrobique incidens ad divisionem animæ & spiritus.

152. Tria sunt sacrificia: *Pia contritio* habens butyrum humilitatis, & absinthium indignationis: *digna operatio*, habens oleum discretionis, & acetum confusionis: *gratiarum actio*, habens balsamum devotionis, & venenum ingratitudinis.

153. Quatuor sunt in quibus anima captivatur. Mundialis nequitia, inutilis tristitia, inanis gloria, latens superbia.

154. Cæli ad quos rapimur, tres sunt. Dignitas ecclesiasticæ puritatis, ad quam rapitur Helias in corpore: veritas angelicæ subtilitatis, ad quam rapitur Ezechiel in spiritu: summæ incircumscriptio Deitatis, ad quam rapiuntur animæ electorum.

155. Sex sunt refugii civitates. Interdictæ prævaricationis cautio, sequendæ præceptionis obeditio, propitiandæ divinitatis ambitio. Hæ sunt in terra Chanaan. Mundanæ fabricæ consideratio, urbis tyrannicæ jugis inspectio, & supereminens verbi Dei cognitio. Hæ sunt trans Jordanem, & sunt de sorte Levitica.

156. Paradisorum tria genera sunt. Voluptuosa dulcedo visibilium, quæ irrigatur sicut hortus deliciarum: sincera puritas spiritualium, quæ in se conservat hominem: deliciosa veritas supercælestium, ubi Paulus audit arcana verba.

157. Montium genera quatuor sunt. Montes Gelboë, ubi abjicitur clypeus Saül. Montes Samariæ, qui nimis eriguntur. Montes Armeniæ, super quos arca requievit. Montes Israël, qui expandunt ramos suos. 1. Reg. Amos Gen. Ezech.

158. Quæ nos revocant à proposito nostro, duo sunt. Rubor incœpti operis, & desperatio exsequendæ virtutis. Hi Rechab & Benaa, qui occidunt Hisboseth in strato suo. Reg.

159. Pallia quibus nostra nuditas operitur, quatuor sunt. *Vetustas erroris* & nequitiæ, quæ est quasi perizoma verendorum. *Novitas conversationis* & vitæ, qua Rebecca descendens de camelo operuit vultum suum, *Integritas cælestis sanctimoniæ*, quam Helias reliquit Helisæo, & dividit Jordanem. *Claritas immortalitatis* æternæ, quod est pallium sapphirinum, quo in die festo utitur Mardochæus. *Bonus est* Deus, temporale beneficium largiter impendendo. *Patiens* est, ultionem peccatorum misericorditer differendo. *Longanimis* est, reos ad pœnitentiam invitando. Gen. Gen. 4. Re

160. Hostes quibus tradimur, tres sunt. *Immundorum* desideriorum impuritas, quæ sunt quasi mures rodentes posteriora. *Corporalium* passionum obscœnitas, quæ sunt quasi locustæ more scorpii percutientes. Rationis & sensus

sus obstinata perversitas, quæ sunt serpentes igniti.

161. Latrones qui nobis optima quæque furantur, quatuor sunt. *Hebetati intellectus socordia*, tollens nobis scientiam veritatis. Hic latro apud Psalmistam dicitur negotium in tenebris. *Indomita carnis lascivia*, rapiens meritum integritatis, & dæmonium dicitur meridianum. Favorabilis auræ jactantia, tollens plenitudinem sanctitatis, & dicitur sagitta volans in die. Vitæ hujus amor & appetentia, rapiens præmium æternitatis, & dicitur timor nocturnus. Hi sunt latrones Syriæ.

162. Oscula tria sunt. *Reconciliatorium*, quo duo pedes Domini, misericordia & justitia continguntur. *Remuneratorium*, quo duæ manus, opus creatricis justitiæ, & modum gubernationis continuæ amplectuntur. *Contemplatorium*, quod sumitur ad os, & Verbum Dei, atque hominem in unitate miranda connectit. Possunt quoque dici Naturale, quando spontanea voluntate ducimur ad bonum. Doctrinale, quando admonitione alterius invitamur ad Deum. Gratiosum, quando jucunda inspiratione trahimur ad bene agendum.

163. Vocationes tres sunt. *Divina*, sicut in Paulo. *Humana*, in quinque millibus conversis ad vocem Apostolorum. *Necessaria*, in primo eremita Paulo.

164. Contemplatio dicitur cibus in hac vita, ubi in sudore vescimur pane nostro. Potus in futura, ubi libere & sine dolore sumitur. Ebrietas in ultimo, cum anima recepto corpore congaudebit. unde dicitur: *Comedite amici*, &c.

165. Contemplativi *alii* ascendunt & corruunt, sicut bestia, quæ tangit montem: *alii* rapiuntur & descendunt, sicut Petrus post excessum descendit de cœnaculo.

166. Duo sunt ubera. *Compassio*, de qua fluit lac consolationis, quo nutriuntur infirmi: *Congratulatio*, unde fluit lac adhortationis, unde sustentantur validi.

167. Unguenta tria sunt. *Compunctio* de memoria peccatorum, quæ infundit pedes Jesu. *Devotio* ex recordatione beneficiorum, qua perungitur caput Jesu. *Pietas* ex consideratione miserorum, quæ ad ungendum corpus Jesu à mulieribus præparatur.

168. Virgæ tres sunt. Virga Moysi, quæ dividit mare rubrum. Virga Aaron, quæ confert sacerdotium. Virga David pastoralis propulsans adversarium.

169. Triplex fuit forma Jesu. Communis & despecta: sole clarior & tota splendida: spiritualis & divina, sed humanis visibus temperata.

170. Cibi Israël tres sunt. Azyma scientiæ sæcularis in exitu de Ægypto. Manna intelligentiæ in deserto. Palma victoriæ triumphalis in promissionis regno.

171. Divinorum conscii secretorum tres sunt. Agnitæ fidei firmissimus exsecutor: ingruentium vitiorum strenuus supplantator: perceptæ gratiæ humilis confessor. Hi sunt Petrus, Jacobus, & Johannes.

172. Tres ex omni populo liberantur, Noë, Daniel, & Job.

173. Tres in sacerdotium assumuntur, Moyses, Aaron, & Samuël.

174. Latrones innocentiæ vestem diripiunt, tentationum sagittis confodiunt, cælesti consolatione destituunt.

175. A Domina nostra rei habent veniam, justi gratiam, Angeli lætitiam.

176. Bona providere coram hominibus debemus, *habitu*, ne sit notabilis: *actione*, ne sit reprehensibilis: *sermone*, ne sit contemptibilis. Coram Deo *cogitatione* sancta, affectione pura, intentione recta.

177. Duo sunt in Christo, *generatio divina* & *generatio humana*: & in Spiritu-sancto processio & gratia.

178. Spiritus-sanctus operatur aliud in nobis propter nos, ut compunctionem, dimittendo peccata; devotionem, sanando opera; amorem, revelando cælestia. Propter proximos aliud, ut doctrinam sermonum, gratiam curationum, &c.

179. Duplex est periculum, ne vel ea, quæ propter nos, dividamus proximis: vel ea quæ propter proximos, reservemus nobis. Hæc est discretio spirituum.

180. Janitor memoriæ, recordatio professionis; voluntatis janitor, memoria patriæ cælestis: portitor intentionis, consideratio gehennalis.

181. Modi diligendi sunt quatuor. Carnem amare carnaliter, spiritum carnaliter, carnem spiritualiter, spiritum spiritualiter.

182. Tres sunt panes, quos de via veniens quærit amicus: continentia, humilitas, caritas. Luc. 11.

183. Pax triformis, Ficta, ut in Juda. Inordinata, ut in Adam & in Eva. Vera, quam Christus reliquit discipulis suis.

184. Sequentium pacem tria sunt genera: Pacati, qui in pace possident terram suam: Patientes, qui in patientia sua possident animas suas: Pacifici, qui pacem faciunt inter discordes.

185. Contemplatores *alii* ascendunt & cadunt: ut illi, qui evanuerunt in cogitationibus suis: *alii* rapiuntur & descendunt, ubi sive mente excedimus Deo.

186. Quadrus lapis est superius amando cælestia, inferius contemnendo terrena, à dextris vilipendendo prospera, à sinistris æquanimiter sustinendo contraria.

---

## *DISPUTATIO CUJUSDAM JUSTI cum Deo, sive ad horam è corpore educti, & ad corpus reducti: sive in excessum rapti, & postmodum ad se revocati.*

Videbatur huic aliquando, sive in corpore, sive extra corpus, Deus scit, concessum sibi jam amodo requiescere à laboribus suis; & sabbatizare cum populo Dei, sedere ad pedes Jesu, & intendere in speciem decoris ejus; Mariæ optimam partem se jam perpetuo adeptum, ac Rachelis pulcritudinem à cælestis sponsi amplexibus numquam avellendam: cum ecce subito de cælo respiciens Dominus, vidit flentes parvulos, panem quærentes, matrem eorum viro viduatam ad maxillas lacrymas emittentem: consolationem sibi ac filiis quærentem, nec invenientem. Et respiciens virum voluntatis suæ juxta se de singulari gaudio tripudiantem, atque communem tristitiam velut ultra non curantem: respiciens, inquam, Dominus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, caritas, non quæ sua sunt, quærens: Salva sunt, inquit, tua tibi præmia, nec dilata minuentur: illorum potius miserere quos deseris. Numquid fratres tui ibunt ad pugnam, tu hic sedebis? numquid ipsi foris stabunt quærentes te, cum tu intraveris in gaudium Domini tui? Egrediendum tibi ad eos, & ad bella Domini surgendum & adjuvandum. Dixit ergo Dominus: Surge, & exi hinc. *Homo.* Domine, bonum est nos hic esse. Quò ibo à facie tua? *Dominus.* Exi hinc, & redi ad ægrotum tuum, corpus tuum, quod tibi commisi, custodiendum & observandum: jam tabescit. *Homo.* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Domine miserere. Ægrotus meus gravis est & intolerabilis, ad necessaria exigenda improbus, ad superflua vel noxia anxius & importunus. *Dominus.* Vide ut curam ejus facias: sed non in desideriis. Sic enim expedit infirmitati ejus. *Homo.* Dura providentia. *Dominus.* Exi hinc. Si quid ei quod suum est tuleris, in quadruplum restituere compellêris. Sed & pueri jam plorant & petunt panem, & non est qui frangat eis. *Homo.* Mihi autem quando? *Dominus.* Tibi autem facies postea. *Homo.* Quid Domine? quid? pascere eos non possum, nec curare nisi Ægypto dem manum, & Assyriis ut saturentur pane. *Dominus.* Creatura vanitati subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe. Liberabitur autem à servitute corruptionis in libertatem filiorum gloriæ Dei. *Homo.* Domine, Assur iste non solum devorat carnes nostras, sed etiam exossat nos. Non solum corpus fatigando excruciatur, sed pervenit gladius usque ad animam meam. *Dominus.* Si ego pro vobis tradidi animam meam, & vos debetis pro fratribus animas ponere. *Homo.* Et quare non defendis sanguinem nostrum? *Dominus.* Puer ergo es: qui nisi virgam, qua verberatus es, verberari videris, plorare

non desistis. *Homo.* Obsecro, Domine, sine me adhuc loqui *ad Dominum meum, cum sim terra & pulvis. Seduxisti me, Domine, & seductus sum: fortis fuisti & invaluisti.* Dixisti enim mihi: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Credidi, propter quod & locutus sum.* Confugi libens & gaudens sub jugum tuum: & ecce, te permittente, possident me, Domine, absque te, & suo jugo ferreo attritum urgent in trituram suam, & tuæ civitatis civem conscriptum, de luto & latere cogunt Ægyptii civitates ædificare. *Dominus.* Patientes estote usque ad adventum meum. *Homo.* Usquequo, Domine? *Dominus.* Moyses & Aaron ite ad onera vestra. Et projectum se sentiens homo à conspectu tam felicis beatitudinis, sicut Moyses & Aaron his verbis projecti sunt à conspectu Pharaonis, ad se reversus cum gemitu dixit: *Ego dixi in excessu mentis meæ, projectus sum à facie oculorum tuorum*, Domine. *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi.* Sicque pondus diei & æstus repetere, luti & lateris iterum se subire contagia deplorans, quod ei reliquum erat vitæ in doloribus egit, opperiens donec omnino assumeretur, & in gaudium Domini sui perfecte introduceretur.

---

## SOLILOQUIUM.

*Non est* S. BERNARDI. *Editum tamen est sub ejus nomine à Gretsero Ingolstadii anno 1617. ex Bibliotheca Cartusianorum Erfordensium.*

1. COr meum, rogo te, ne sis cor fatuum, quod est cor confractum, quod omnem sapientiam non tenebit. Sed recordare viarum tuarum, & vide quantum inter se distent viæ, per quam hactenus ambulasti, & per quam ambulare oporteat ad Deum. (Psal. 102.) Et vide, *quantum distat ortus ab occidente*, sic istas vias à se distare; cum via per quam ambulasti, sit plena levitate, otio, dissolutione corporis, & vanis quibusdam delectationibus. (Prov. 18.) Cum te non lateat, quod *qui mollis est & dissolutus, frater sit opera sua dissipantis.* Et quod vere opera tua in eo non vigeant; sed potius dissipentur. Fateor quidem, cogitas nonnumquam mores velle corrigere; carnalibus desideriis plus & plus velle resistere; Dei laudibus vigilantius velle insistere; carnem per omnia velle spiritui subjicere; otia fugere; vana & inutilia declinare; orationi ac meditationi ardentius invigilare. Proponis quidem hæc; sed numquam vel rarissime video te effectui mancipare; immo etiam si quando incipis, sic misere desinis, ut ab inimicis tuis merito tibi dicatur: (Bona proponimus sed raro perficimus. Luc. 14.) *Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Nonnumquam cum orationi vel meditationi deberes insistere, torpore gravaris, somno deprimeris, cogitatione superflua seduceris. Et nonnumquam, ut tempus orationis expendatur in desideriis, dormis. Et si qua tibi confortatio gratiæ tribuenda esset, hanc tibi surripit carnis pigritia, ita ut ipsa confortetur, spiritu debili permanente. O vere impia nimis & dura crudelitas, ancillam dominæ substantiam voluptuose consumere, domina famelica permanente. Restat ergo imminente pugna, ut à fortiori infirmior superetur. Quid fit aliud, cum corpus tempore sibi impenso ad sua commoda, cibo, potu, & somno non vult esse contentum, quin etiam tempore orationis abutendo, velit privari spiritum?

2. O vere beatum tempus, omni dignum reverentia & disciplina; quo omne tempus colligitur, & pro inutiliter transacto, gemitus & lacrymæ; pro utiliter expenso Deo laus, honor & gloria referuntur! (Tempus orationis quàm pretiosum & utile.) Quis digne dicat, quanta sit temporis hujus utilitas? In pulsante pure oratione, velut animæ nuntio, non jam paradisus, sed janua regni Filii Dei potenter aperitur, quod quærit ostenditur; petenti tribuitur. Hoc etiam tempore si cæca fuerit anima, illuminabitur: si infirma, sanatur: si pauper, ditatur: si nuda, vestitur: si debilis, confortatur: si nutans, constans efficitur: si cujuscumque rei dubia, certificabitur: si ab amore Dei frigida, sancti amoris vaporibus inflammatur: si insipiens & stulta fuerit, super omnes docentes se, sapiens & docta erit. Hoc etiam tempore *gustatur & videtur quàm suavis est Dominus.* (Psal. 33.) Est etiam tempus otii spiritualis, quod est fomentum & exercitatio omnium sanctorum laborum. Quia cum illud, pro quo laboratur, licet modicum, hoc tamen in tempore suaviter degustatur, laboris incendium tam dulciter quàm fortiter inflammatur. Quid plura? Hæc etiam omnium tribulationum finis erit, & omnis virtutis fortitudo. Hoc tempore perfectæ orationis merito omnes inimici viriliter subjugantur, ut virtus eorum ad nihilum redigatur. Virtutes vero per gratiam sancti Spiritus augentur, & firmissime roborantur. Hoc etiam tempore, quæ putanda & resecanda sunt in mente, ostenduntur, & in moribus, ut per confessionem postea amputentur. Immo tunc etiam aqua lacrymarum maculosa mundantur, & superflua sacræ contritionis vomere omnimodo evelluntur. Nonnumquam etiam cum cultorem vineæ viderit Jesus ad hujusmodi opera circumspectum, descendit & ipse in vineam suam, & incipit laborantem adjuvare, nociva evellere, superflua destruere & dissipare. Deinde etiam incipit humilia exaltare, utilia plantare, arida rigare, necessaria ædificare; &, ut dixi, tenebrosa illuminare, & frigida inflammare, clausa reserare, & abscondita in palam producere. Et, ut breviter dicam, omnia sic reformare incipiet, ut in illa vinea nil tortuosum valeat inveniri. O vere beata vinea, in quam tu vel semel descendisti cum tanta plenitudine gratiarum, ô bone Jesu! Quia numquam ejus cultorem interna gaudia inexpertum dicam, qui vel semel tanto hospite, immo collaboratore, feliciter meruit gloriari. Nequaquam deinceps erit indoctus, qui talem ac tantum habere meruit instructorem. Quid enim ille nescivit, cujus sapientiæ non est numerus? O quanta ex isto discere poterat, qui socius sui laboris erat!

3. Sed numquid recedente Jesu, vinea vendemiabitur ab inimico? Dico, quod non; si tamen Jesus per se recesserit, & non à cultore vineæ fugatus fuerit. Quia credo potius expertum Jesu tam suavem præsentiam, illum tanto in ipso amoris igne exarsisse, quod ipsum non dimisit, quin ei benedixerit, & *custodes* angelos *vineæ* adjunxerit, & se promiserit subito reversurum. Dico etiam, hunc ad omnia esse promptum & sollicitum, per quæ Jesu præsentia possit quantocius promereri. Sic nempe est vigil ad custodiam; fit in oratione devotus, fit fortis patientia, fit humiliter omnium pedibus provolutus, fit sollicitus se omnibus subjicere, ut vix vel minimum opus prætereat eum, cujus non fuerit coadjutor, fit fervidus caritate, fit obsequiosus hominibus & indefessus ob amorem Jesu, ut sponsa Jesu merito possit & debeat appellari. O quoties hunc credis Jesum sanctissimis desideriis revocare, pura & continua oratione vociferari post Jesum, & dicere: *Revertere dilecte mi?* (Cant.) Nonnumquam invenies hujusmodi sanctissima desideria foribus regni assistere pulsantia & dicentia, *Volumus videre Jesum.* (Luc.) Nec mirum, expediuntur sine mora. His enim ostiarius aperit: quia scit Jesum sic velle, & quia noscit ex frequentia. Intrant, procedunt, paupertate & humilitate, velut indumentis pretiosissimis adornata; ad thronum Filii Dei veniunt, stant, reverentur & dicunt: O Domine Jesu, dixisti, Quia *modicum & non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me.* (Johan.) Sed hoc est vere longum & grave modicum animæ desideranti te. Dixisti etiam, quia *vado & venio ad vos.* Quando venies ad nos? O bone Jesu, lectum ornavimus, flores floribus accumulavimus: & quæ à nobis præparari poterant, sunt parata, & sponsa moram absentiæ tuæ diutius ferre non potest: *quia languet amore* & desiderio te videndi. O vere beati nuntii, qui coram oculis inspectantis secreta cordium tam bonum de vestra domina nuntium perhibetis. Et quibus ob ejus reverentiam tantæ gloriæ patet accessus, & gratanter à Jesu recipiuntur, & de torrente voluptatis tantæ potantur. Et postea dicit eis Jesus: *Iterum veniam ad vos:* dans clenodia * quæ & sibi reservent, & sponsæ deferant. (* arrh) Præcurrunt gaudentes sponsæ nuntii, & gestu mirabili; ut si eos currentes videres, omnino ebrios reputares; sicut vere sunt, sed non à

vino, sed *ab ubertate domus* illius *inebriati*, curiam cælestem totam suis clamoribus commovent; à Cherubim & Seraphim usque ad novissimos ordines Angelorum. Dicens Jesus ad sponsam..... *Accingimini, & estote parati*, ut pariter veniatis ad sponsam. Veniunt stupore repleti; & adhuc de his quæ viderant, admiratione suspensi enarrare incipiunt, quam gratanter sint recepti, & dicunt: *Quia vidimus mirabilia hodie*; & omnino ineffabilia, quæ nobis considerantibus hæsit ratio, hebuit intellectus.

4. Et vere *sicut audivimus sic vidimus*: & plura horum. Audivimus quidem *gloriosa dicta de civitate Dei*, & ejus inhabitatoribus; sed valde gloriosiora, & laudabiliora vidimus civitatis ad quam ieramus. Muri & plateæ ex auro purissimo, & turres ejus gemmis ædificatæ, & omnes lapides ejus desiderabiles, propugnacula ejus ex lapide jaspide; fundata est in sapphiris; & portæ ejus nitent margaritis, & omnis circuitus muri ejus ex smaragdo & lapide pretioso. Omnes inhabitatores lætissimi & jucundi: quia lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & exsultationem obtinebunt. Non erit ibi mors, neque luctus, neque clamor, neque languor: sed nec senium, nec fraus, nec terror hostium: sed una vox lætantium, & unus ardor cordium; ô quam securus! Quia *sedent* omnes *in pulcritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & requie opulenta.* O opulenta, opulentia multa nimis, æternitas. Quicquid delectat, ad nutum adest; quicquid contristat, procul abest. Ibi sonant jugiter organa Sanctorum; ibi dulcis symphonia resonat musicorum, ibi Angeli & Archangeli hymnum Deo decantant ante thronum Dei. Ipse enim Deus populo suo est, ibi sertum exsultationis & corona lætitiæ. Ipse eorum merces; ipse pastor & pascua. Ibi pascuntur, nec fastidiunt. Eructatur eis omnis jucunditas. Ipse omnis suavitas, omnis libertas, & ut breviter dicam, est eis omnia in omnibus. O quàm dulcia coram eo resonant cantica canticorum! Auditur hinc & inde: *Magnus Dominus & laudabilis nimis*. Et ut dicam brevius, non est ibi locus, ubi non cantetur canticum lætitiæ, & per omnes vicos ejus ab universis dicitur laus, *honor* & gloria, *& benedictio* & omnis *gratiarum actio Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Hoc vidimus & loquimur, non ut quæ velut in parabolis, sed quæ in veritate sunt. *Quæ nec oculi videre, nec aures audire, nec* umquam *in corda hominum ascendere* potuerunt.

5. Nuntiis sic cum sponsa de sponsi gloria dulciter confabulantibus, & ejus adventum nuntiantibus; advenit quidam ignis divinus, qui faciem sponsi consuevit præcedere; qui tenebrosa illuminat, frigida inflammat, & tepidis pristinum calorem restituit, & viam ad corpus parat, peccati vel modicam rubiginem, si qua est, omnimodo exurendo. Gloriosus igitur sponsus, de sublimi regni solio descendens, humiliter ad sponsam accelerat. Omni laude plus laudabilis, Regina cælorum, mater sponsi *in vestitu deaurato* virginum, *varietate*, velut gemmis lucidissimis, adornata, comes itineris filii sui esse dignatur. His Michaël archangelus cum multitudine cælestis exercitus laudans & exsultans occurrit. O quàm dulcis laudantium sponsum, congratulantium sponsæ, perstrepit melodia! Sponsam non latet. Pergit & ipsa in occursum sponsi cum suis decantans alacriter: *Veniat dilectus meus in hortum meum.* Intrat sponsus sponsæ cubiculum, & cum quanta gloria intrat & gratia, quis poterit explicare? O quam floridum invenit operum bonorum & sanctarum meditationum floribus conspersum! cœnat jam hæc sancta anima cum dilecto. O felix convivium, ubi Dominus mensæ est convivium & conviva; cui non desunt splendida ministeria Angelorum. Relinquam expertis de hoc loqui convivio. Claves suorum thesaurorum sponsum quis dubitet attulisse? Ut quem sponsa plus appetit, aperiat sine mora, ut ipsa confidenter introiens sine metu quem velit accipiat; & prout velit sine defectu fruatur, & sine fastidio; & quæ plura attulerit, nec loqui valeo, nec forte scio.

6. Audisti quidem, cor meum, inexperta & omnino incognita: sed scias sponsam jam frui Dilecti cupitis amplexibus. Audisti, inquam, cor meum, hæc omnia: sed vere pudeat te, & super eo pœniteas, quod hoc pretiosum tempus sic omnino inutiliter præteristi. Hoc quoties in die pugnæ & imbecillum hostes repererunt? duritia frigoris tui te fugere non sinebat: & hoc quare? Quia tempus quo armari contra hostes, *illuminari in tenebris*, vestiri in frigore debueras, neglexisti. Quid plura? Succubuisti, incurvatus es, *& porta tua destructa*, & vectes tui confracti; & ascenderunt *hostes* in te, & *miserunt manus ad omnia desiderabilia* tua. Heu quoties in mediis tenebris lumen tuum jam non obscuratum; sed certe omnino exstinctum erat in tabernaculo tuo! Quia torpore *gravatus* lignis ligna, id est, opera bona operibus adjicere desisti. Et est impletum in te quod dicitur: *Auferatur* à nuptiis *lux sua*, ad suave & beatum incendium; quod semel accensum semper desiderat. Et quàm beatus est, qui post hunc ignem amoris Jesu vel semel accensum in se senserit! continuis ipsum ne exstinguatur bonis operibus fovere non desinit, quia vere eis deficientibus ignis subtraheretur. O cor miserabile & despectum! Si viam ambulasses mandatorum Dei ab eo tempore, quo primum cœpisti, & non prosperitate seductum, nec confractum adversitate sæpe fuisses, *nec fabulationes iniquorum* in via te tenentium audisses, poteras plura horum, quæ audisti expertum fuisse, & esse semita Regis angelorum: jam non esses *spelunca latronum*. Posses etiam jam esse vas dignum cælestium thesaurorum semper in te recondita, * stipatum ac munitum multis millibus angelorum. * *forte* reconditorum.

7. Sed *duplex fuisti animo, & inconstans in omnibus viis tuis*: idcirco video te adhuc positum in medio infernalium ministrorum. O vere stultum cor meum, quod sic abundanter possis cælestibus & æternis perfrui, quod tam bestialiter terrenis & caducis niteris involvi, quæ mentem tuam occupaverunt tempore orationis. Si te pulcritudo creaturæ transitoriæ occupat & sæculi hujus divitiæ fallaces, quare non potius æterni Creatoris pulcritudo & gloria regni cælestis sine fine mansura? Signum pro certo est, quod Creatorem tuum non diligis, qui amorem creaturæ ejus amori præponis. Si dicis quia utrumque diligis, mentiris: quia *amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur*. Si quando ad orandum venis, & affers forte unguentum contritionis, ut ungas pedes Jesu, *muscæ morientes* venientes continuo *perdunt suavitatem unguenti*. Si quid boni facere & mala dimittere cogitasti, in momento his contraria facere non vereris.

8. Restat igitur, ut si qua bona Jesus tibi facere proposuerat, horum effectu similiter frauderis & tu. Immo sæpe cum gratiam dedit, non aliud fecit quàm *qui merces congregavit, & misit eas in sacculum pertusum.* Quia sicut ille tempore necessitatis nil reperit: sic Jesus cum laudaretur pro beneficiis impensis à suis amatoribus, nihil à te laudis omnino recepit: sed omnia ejus beneficia perierunt apud te, laude & gratiarum actione frustrata. Heu quoties tempore laudis potuit tibi dicere Jesus: *Domus mea domus orationis vocabitur, tu autem fecisti illam speluncam latronum*. Et rursus: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Et iterum: *Hic populus labiis me honorat; cor autem eorum longe distat à me.* Quoties ergo maledictio super te venit illa, qua dicitur: *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter?* Hæc omnia veniunt super te, qui vocem ejus non audisti, qui dixit: *Indicabo tibi homo quid sit bonum, aut quid requiratur à te, facere judicium, & justitiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* In te omnino video impletum illud Propheticum: *Pravum est cor hominis & inscrutabile.* Nonnumquam cum Dominus Jesus foribus tuis pulsans affuit & clamans, quia *tempus putationis advenit*, ut surgeres & ires ad vineam cum ceteris sponsis, vel forte ut surgeres *& orares, ne intrares in tentationem*: tu certe, ut sopitus gubernator, in medio mari dormisti: & quemadmodum ille cujus tempora clavo sunt perforata *; vel omnino exieras sine dubio velut Dina, vel ut plus dicam, ad sæcularia negotia disponenda. O quoties tempore laudis & orationis castra vallabas, principum munitiones aliis construxisti, & solus expugnabas castra stans in oratione, quæ principes expugnare non poterant cum omni exercitu militari. Dic quæso mihi

Job 38. Jac. 1. Jac. 4. Eccles. 10. Agg. 1. Matth. 21. Matth. 15. Jerem. 48. Mich. 6. Jerem. 17. Cant. 2. Matth. 26. * Sisara Jud. 4. Gen. 34.

dum aliis castra construxeras, cui castrum tuum custodiendum reliqueras, jam circumdatum principibus tenebrarum? Nequaquam suum reliquerat qui dicebat: *Super custodiam meam ego stabo, & figam gradum* meum *super munitionem* meam, *& audiam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.* (*Abac. 2.*) Vel putabas vineas alienas non studio caritatis, sed vanæ suspicionis, *festucam de oculis* aliorum volens *ejicere, in oculo tuo trabe* relicta. (*Luc. 6.*) Rediisti quandoque, sed sero, immo redire omnino ad tuam vineam, prô dolor! aliquando nescivisti: tandem eam laborare intrasti. Sed quid acciderat? Hostes ascenderunt, *maceriam dissipaverunt, vineam vindemiaverunt,* (*Isa. 5.*) ita ut vix paucos racemos in ea reliquissent: *vepres & spina ascenderant super eam,* ut si qua reliqua fuissent ab hostibus, ab his suffocata viderentur omnia.

9. Hæc omnia pessima cavere poteras, si cum sponso ivisses ad vineas. Denique non dixit, Ite: sed, *eamus.* Iverunt aliæ, & quanta eis in eundo erat utilitas audisti. Illæ ergo jucunde & læte, & certe multum fructifere tempus gratiæ visitationis exspectant: quia fructus quibus sponsum pascant habent sponsæ gratissimos. In te autem quid aliud, nisi *labruscas* invenit? Certe nisi te corrigas, tremens pavidum tempus Judicis exspectabis. Timeo quod sæpius de te dicat Jesus: *Utinam esses frigidus vel calidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere.* (*Apoc. 3.*) Certe quia sæpe otia sectaris, vel si aliquando legisti, plus pro eo, ut alios doceres, quàm te corrigeres, fecisti. O vere magister erroris, qui numquam fuisti discipulus veritatis, cur alios doces, & teipsum non instruis? O certe iniquum studium, quod plus vis balbutire lingua, quam corde servare & opere exhibere! O vere ideo numquam sapientiam attigisti! Audi quod *arcus* tuus *in manu* tua debeat *instaurari*: (*Job 29.*) quia *cœpit Jesus facere & docere.* (*Act. 1.*) O cor meum, audisti multas tuas miserias, & certe propria mala quàm plurima frequenter evenire vidisti. Timeo tamen plura horum illum invenire, cum *Jerusalem scrutabitur in lucernis.* (*Soph. 1.*) Hæc est via per quam hactenus ambulasti: sed consulo tibi, ut una mecum vadas ad sponsam JESU, & discamus ab ea sapientiam, quia viam Dei ipsa ambulat, & hanc discamus ab ea imitatores ejus effecti.

10. Videamus primo viam ejus activam, & imitemur, ut per ejus merita etiam contemplativam adeamus. Videamus quàm viriliter *corpus* suum *castiget, & in servitutem redigat,* (*1. Cor. 9.*) & ad omnia quæ desiderat, spiritum deservire compellat.

*Sponsæ proprietates & officia. Secundum vitam activam.*

O quantum actionibus robur, omnibus obsequiosa, & nulli omnino onerosa, fraternis semper necessitatibus miserata, non attendit, in quo quis egeat, vel debeat adjuvari, sed in quo quis possit adjuvari. Quantumcumque manus ejus indefessa, fœcunda est semper in opere, & prior & posterior. Si nec manum potest apponere, apponit saltem vel digitum. Si nec digitum, ipso affectu paratissimam admittere se omne demonstrat: propterea negligit propria ut expleat aliena. Immo quanto plus communia, tanto sibi judicat esse singularia: ita ut numquam suis ipsam attendentem videas, quousque vel minimum caritatis opus, vel pietatis fuerit adimplendum. Opus sic vile, sic humile non æstimat, nec parvum, nec magnum, quod ipsam ob amorem sponsi pigeat adimplere, semper illud meditans, quod *Jesus non ministrari venerat, sed ministrare.* (*Matth. 20.*) Nec non & illud: *Qui major voluerit esse inter vos, sit* omnium *vestrum servus. Quis infirmatur,* & ipsa non compatitur? Quis dolet, & ipsa non condolet? Certe *flet cum flentibus, & gaudet cum gaudentibus.* (*Rom. 2.*) Laborat similiter, & non lassescit; sustinet similiter, & non gemit. Aliquando sub onere dolet, & non sentit. Deridetur, & non advertit. Vere enim est sibi *facta tamquam vas perditum,* (*Psal. 30.*) ut omnium necessitatibus præsto semper occurrat.

11. O sancta & mira caritas, quæ amarum convertit in dulce, durum in lene, & asperum in suave: quàm etiam delectat! O quàm pius aspectus, quàm grata facies! oculi pudici & semper terræ inhærentes, nec certe curiosi ad videndas negligentias aliorum: immo si aliquod malum grande aliorum videret, pudicissimum ejus cor credere malum nullo modo consentiret: immo si opus non posset evidentia, intentione omnino excusaret, & pauca, pudica sancta semper ejus eloquia. Jesum meditatur, Jesum loquitur, & Jesum opere imitatur. O quàm sero, ut de detractoribus, mendacibus & impudicis taceam, sæculare ex ejus ore verbum possis audire! Risus ejus semper modestus, incessus humilis, nil aliud est quod cupiat, quàm ut Jesu placeat. Tanta denique sensuum exteriorum & interiorum custodia est, ne in cor aliquid veniat, quod possessorem ejus offendat. O quanta in ea viget virtus patientiæ, nam quò plus in tribulationibus & incommodis quatitur, eò insuperabilior invenitur. Credo numquam ejus patientiam, ut de verbis taceam, sed nec verberibus, foris vel intus debere aliquatenus perturbari. Reprehendi & argui plus sibi placet, quàm laudari. O quàm pacifica, quæ cum his qui pacem sæpius à cordibus aliorum nituntur tollere, & à suo etiam semper corde & opere pacem servat! Foris operantem sponsam mira vidimus, & inenarrabilia operari: quid erit si ejus interiora viderimus? Oremus sponsum, ut ad sponsam liceat introire: quid credis hanc æstuantem laboribus, cum tempus quietis advenerit, & ipsa sub umbra arboris & crucis Jesu descenderit, consolationes recipere?

*Item j[…] vitam c[…] templat[…]*

12. O quanta reverentia laudibus Sponsi in ejus præsentia vacabit, quæ foris bonis actibus ipsum est ardentius insecuta! Cogitat certe quod ore loquitur, corde revolvere, nec jam erit ibi dimidia; sed sicut præsens est corpore, sic erit & corde: sensus omnes jubentur ingredi, amoveri extranea, & claudi cubiculum, ut securi & solliciti simul insistant laudibus Jesu. Cor omnibus spretis solum dirigitur in Jesum; lingua laudat, placat, orat: Jesum invitat, omnes sensus aliquando similiter ibi sunt in multa reverentia disciplinæ. Post diem transactum in laude Jesu & bona operatione, tunc appropinquat requiei, sed primo adest tempus sollicitudinis. Intrat namque sponsa Capitulum una cum suis, quærit, *vinea* bene vel *male fuerit custodita*; & si forte *maceriam ejus dissipatam* invenerit, per * custodis negligentiam hoc evenerit, diligenter inquirit, quod fructus vineæ sit dissipatus. Quem cum invenerit, sive sit visus, vel gustus, auditus, odoratus, lingua, tactus vel gressus, acerrime reprehendit, vel corripit, mandans ut sollicitior sit de cetero ad custodiam. Et si forte quis eorum deprehenditur, qui negligens fuerit in laudibus Dei, vel in alio quocumque opere ad eum spectante, similiter & hic corripitur; & mandatur ut caveat in futurum.

* adde[…]

13. Postea sponsa perquirit, si lumen adsit, propter imminentes tenebras; si vestimenta, propter frigora; si auxilium, *propter timores nocturnos.* Si hæc ad sufficientiam non adsunt omnia, quamvis tarde, mittit tamen adhuc nuntios, qui sponso nuntient horum defectum in sponsæ tabernaculo, & orent eum, ut ipse solita clementia præsto sit ad custodiam, quousque eo cooperante ipsa suis provideat necessaria in futurum. Si autem prompta invenit omnia, benedicit sponsum in donis suis, & devota oratione effusa pro sua suique custodia, & omnibus ostiis cubiculi firmiter seratis, pergit ad secreta cubiculi: & quid ibi agat, nescio. Tamen si dignaretur Jesus, rogarem, ut saltem velut sponsæ pedisequam, secreta cubiculi mihi cum ipsa subire liceret, ut plenius informaret. Sed quamdiu sponsa *sub umbra* arboris non dico *sedebit*, sed laborabit, licet ei ibi esse non sit utile, proteget tamen eam ab æstu tentationum. Sed quando fructus ejus comedet? forte nunc tempus advenit, ex quo nunc ingressa est secreta cubiculi. Videtur omnino necessarium: diu sollicite laboraverat, & forte jam erat famelica. O bone Jesu, ut dapes ejus cernam! Numquid forte *cibus* ejus *est, ut faciat voluntatem* tuam? Est utique, immo omnis laboris ejus consolatio est, ut numquam vel modicum à tua voluntate declinet. Hoc enim unicum sui laboris præmium exoptat, ut liceat ei te solum diligere, tua sequi vestigia, tuis obedire mandatis, & à te numquam in perpetuum separari. O bone Jesu, si amor tuus tantum delectat in *stadio*: quantum delectabit eam in *bravio*; cum tu sis lætitia omnium beatorum? Adhuc non vidimus secreta thalami, ô quis nos introducet, ut flores videamus, quibus tanti Regis cubiculum debeat adornari? Numquid violæ quæ sunt in sponsæ thalamo, non sunt

humilia initia tuæ nativitatis, & illa lilia germinantia inſignia tuæ cariſſimæ caſtitatis, & roſæ, quibus roſeus fuit thalamus ille *ſanguis* tuæ dulciſſimæ paſſionis?

14. Utique adhuc ſponſæ clenodia non vidimus: ſed tamen non videre licet. O ſi ingrediaris ſponſæ cubiculum! menſam quamdam digniſſimam ibi reperies, quæ eſt crux Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Et quidem in ea panis ſanctiſſimus continens *omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuavitatis*. Panis iſte, quem dedit Jeſus diſcipulis ſuis in cœna, ſcilicet corpuſculum ſuum, ab impiorum manibus ſic miſere contrectatum. Quis panem hunc vilem ſponſæ poterit exiſtimare, cum etiam eo paſcatur multitudo ſpirituum beatorum? O vere beata terra, quæ nobis hunc panem protuliſti! Laudarem te libenter, ſed quibus te laudibus efferam neſcio; ſed hunc gremio contuliſti, quem cæli & terra capere non poterant. Sit tuum nomen laudabile in ſæcula ſæculorum, Amen.

15. O quam dulcem potum ante ſponſam reperies, ſanguinem Jeſu fuſum de corpore, ſic recentem, ac ſi heri ſit fuſus vel hodie. Numquid pane ſolum vel potu erit contenta? Nequaquam; ſed habebit alia fercula pretioſa; flagellum, & ſpineum diadema, clavos & lanceam ſponſi: & certe panniculi, quibus puer erat involutus, quibus *fuit reclinatus in præſepio*, non ei deerunt. His quidem ipſa paſcitur: & his ferculis confortata, omnibus fortior redditur inimicis. His delectata ſit grata dilecto. His ſemper occupata ſit ſocia Angelorum. Nec tibi utcumque appareant vilia; ſed ſcias ea *dulciora ſuper mel & favum*, & gratiora *ſuper aurum & topazion*. Humilitatem in ſponſa tibi non laudaverim: tamen ſcias ei non deeſſe. Quia niſi ſuper humilitatis ſtabile fundamentum, laudabilis hujuſmodi, quam vidiſti, ſtare non poſſet virtutum fabrica ſpiritualis. Nemo credat hanc ſponſam aliquando à ſponſo derelinqui ſine cuſtodia. Immo ſciat, quod *lectulum* Jeſu *ſexaginta fortes ambiunt, de fortiſſimis Iſraël, Qui tota die ac nocte non tacebunt* laudare: vel, ſi magis placet, dicam eam muro conſtantiæ circumdatam, propugnaculis patientiæ ædificatam, & ſuper muros ejus Angelorum cuſtodiam: turrim in medio caſtri excelſam, firmam & pulcherrimam, quam dicam non immerito caritatis; ſuper ipſam ſponſa manet jugiter, & nonnumquam ſponſus cum ea, ut pericula à remotis proſpiciens, adjutorio ſponſi ea valeat tutius evitare.

16. O cor meum, ſponſam Jeſu tibi utcumque depinxi: certe prout in dulcedine ſua pauperi dedit Deus; ſuadens tibi in Domino, ut devotius eam imiteris. quod ſi feceris & *ſub umbra* ſæpe dictæ arboris *ſederis* ſtudioſe, majora horum experieris & tu. Et ſi hæc omnia quantocius non valeas comprehendere; tria tibi præcipue ſuadeo. *Primo*, ut magnitudinem omnino caveas. *Secundo*, ut humilem Jeſum humiliter ſequaris. *Tertio*, ut caritatem citius apprehendas. Non timeas, non diu ſedebis (ſi tamen perſeveranter ſederis) quin *fructus* hujus arboris *apprehendas*. Cave ne te verba hæc inaniter pertranſeant, quemadmodum multa verba ipſius Jeſu te admonentis: videlicet ut ipſum diligas *tota anima, toto corde, ex omnibus viribus*, & ut *renuntiares omnibus quæ poſſides*, & *abnegares temetipſum, & tolleres crucem* tuam, & humiliter *ſequereris ipſum*, ut tandem *coheres ejus* fieres. Quia ipſe ait: *Qui aliorum voluerit eſſe primus*, ut hic omnium *ſervus ſit* & miniſter: quemadmodum ipſe *non miniſtrari venit, ſed miniſtrare*. Hæc & multa his ſimilia uſque ad hunc diem aure ſurda prætteriſti, quia amor tuus ad plura diſtentus Jeſum nullatenus quærit comprehendere, immo ſi millies totus in Chriſtum Jeſum directus fuiſſet, ejus amoris merita utcumque nullatenus attigiſſet. Et ſi dilexiſti ipſum Jeſum parumper, non tamen totis viribus: quia ipſe in omnibus & ſuper omnia diligendus. Sic etiam aliquibus renuntiaſti, non tamen omnibus, quamdiu voluntas in te vim obtinet.

17. O ſi penſares quantorum malorum auctrix tua tibi fuiſſet voluntas! certe videres quod omnis peccati, omnis miſeriæ, & omnis diſtantiæ, & omnis guerræ inter Deum & te, ipſa tibi cauſa fuiſſet. Semper ipſa voluntatem Domini impugnabat, & heu ſæpiſſime expugnabat, & omnia mala ad te intrabant cum ipſa. Numquid *omni-* A *bus renuntiaſti*, qui omnium radicem ſic fortiter poſſediſti? Nulla ſane virtus vel ſalus radices ſuas mittet in te, quouſque hæc vitioſiſſima peccatorum radix omnino non fuerit exſtirpata. Noli ergo *auditor obliviosſus* eſſe: ſed die ac nocte legito Paſſionem Jeſu, & in omnibus actibus ſponſam Jeſu imitare; *tollens crucem* tuam, & ad imitationem ejus una cum ipſa currens ardenti deſiderio fortiter poſt Jeſum; ora flagita, ſupplica, ut hæc tua damnoſa & pernicioſa voluntas tollatur à te, & clama, & dic: *Fiat voluntas tua* Domine Jeſu, ſancta, & *bene placens, & perfecta, ſicut in cælo*; ſic & in me miſero, qui Matt 6. ſum *terra* & cinis: quouſque omnem ſuam voluntatem in me perficiat ſponſus Eccleſiæ Jeſus-Chriſtus, qui eſt B omni laude plus laudabilis; ut ſicut ipſe eſt *unum* cum Patre, ſic *conſummatum* in ſe vinculo caritatis *unum* eſſe faciat, ſic ut minime ab ejus voluntate deviem per infinita ſæcula ſæculorum. Amen

## FORMULA HONESTÆ VITÆ

*In codice Ciſterc. exſtat cum hac epigraphe:* Formula honeſtæ vitæ, data à S. Bernardo, ſicut creditur. *Eidem etiam in mſ. codice Eccleſiæ Pariſienſis tribuitur, ſed perperam.*

1. PEtis à me, Frater cariſſime, quod necdum à ſuo proviſore audivi aliquem petiiſſe. Verumtamen quia id inſtanter tua depoſcit devotio, cui juſte & rationabiliter C petenti aliquid in Chriſti nomine negare non valeo; Formulam honeſtæ vitæ brevi tibi ſermone depingam: quam ſi in Chriſti amore vel dilectione exardeſcens perſeveranter ſervaveris, vitam proculdubio conſequeris æternam. Ut ergo ab interiori homine ad exteriorem ſermo procedat, ita circa tui puritatem cordis te indeſinenter ſtudere oportet, quo totius puritatis amator Deus ibi ſedem tamquam in cælo ſibi collocare dignetur, juxta illud: *Cælum mihi ſedes eſt*. &, *Anima juſti ſedes eſt ſapientia*. Neceſſe Iſa. 66. a eſt igitur vigilanter intendas cogitationes tuas ad bonum Cuſtodia ſui. ſemper & honeſtum dirigere, ut videlicet cogitare vel meditari coram Deo pertimeſcas, quod in præſentia hominum dicere vel facere merito erubeſceres, ſciens quod ſicut per D verba vel facta innoteſcimus homini, ſic nimirum per cogitationes cuncta ſcrutanti ſpiritui: quia quod agunt hominibus dicta, eadem Deo cogitationes. *Deus* enim *novit cogitationes hominum, quia vanæ ſunt*. Et ſicut nulla Pſal. 93 b eſt ei inviſibilis creatura, ſic omnino nihil poteſt cogitari quod eum lateat. *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum cordis.* Heb. 4. c

2. Sit tibi quoque Jeſus ſemper in corde, & numquam imago crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi ſit cibus De Contemplatione Chriſti. & potus, dulcedo & conſolatio tua, mel tuum & deſiderium tuum, lectio tua, & meditatio tua, oratio & contemplatio tua, vita, mors, & reſurrectio tua. Semper cogita illum, nunc poſitum in præſepio, & pannis involutum, modo in templo Patri à parentibus præſentatum, nunc fugientem in Ægyptum, ibi diu in extrema paupertate & indigentia commorantem, & inde maximo cum labore redeuntem; modo in templo audientem doctores & interrogantem, qui docet hominem ſcientiam, & poſtea parentibus ſubditum, cui jure omnis creatura ſubditur: deinde eſurientem in deſerto & ſitientem, *qui eſt panis vitæ, & fons ſapientiæ, & qui paſcitur inter lilia, & implet omne animal benedictione*: modo fatigatum Cant. 2. d Pſal. 144. d ex itinere, ſedere ſic ſupra fontem, cum muliercula ſola ſolum loquentem, totius mundi ſtatum regentem: poſtea factum in agonia prolixius orantem, & omnia omnibus ſufficienter adminiſtrantem. Ab Angelo etiam ipſum, qui eſt dulcedo & conſolatio Angelorum & hominum, conſolationem nihilominus recipientem: aut ad columnam illum, qui totius eſt orbis ſuſtentamentum, ligatum & flagellatum: ipſum (qui eſt Angelorum ſplendor) ſputis illitum; palmis in facie percuſſum, ſpinis coronatum, opprobriis ſaturatum: ad ultimum cum iniquis deputatum, & pro te in cruce pendentem & morientem, atque ſpiritum ſuum in manus Patris commendantem. Sic nimirum erit *faſciculus myrrhæ dilectus tuus*, ſic *inter ubera* Cant 1. b

*tua commorabitur*. Sic de omnibus anxietatibus & amari- A tudinibus Domini tui quasi quemdam fasciculum colligas; ut amarum poculum lacrymarum tibi conficias. Quod si quando ardentissimo Christi amore succensus, volueris cum Apostolo jam illum cognoscere, & non secundum carnem; levabis parum mentis oculos ad victoriam resurgentis, ad gloriam ascendentis, ad gloriosam majestatem in gloria Dei Patris sedentis atque regnantis, *quæ sursum sunt sapiens, & quæ sursum sunt quærens, ubi Christus est in dextera Dei sedens*. Nec tamen ibi longam facies moram, ne forte, si diutius scrutator majestatis fueris, obruaris à gloria.

2. Cor. 5. d

Colos. 3. a

Prov. 25. d

De Humilitate.

3. Sane ante omnia te debere noveris omnem cordis elationem, jactantiam atque arrogantiam, quasi venenatas aspides, fugere, sciens proculdubio, quia immundus est coram Deo omnis qui exaltat cor suum. Itaque neminem spernas, nemini noceas, nulli detrahas, & pro Christi amore omnibus prodesse coneris. In tantum etiam inferiorem ac ceteris viliorem te non solum ex intimo cordis affectu credas, verum etiam non te dicas profecisse, sed nec te aliquid esse existimes, juxta illud Apostoli: *Qui se aliquid esse existimat, cum nihil sit, ipse se seducit*.

Galat. 6. a

De Modestia.

4. Sit præterea incessus tuus maturitate plenus, gravis & honestus: ut videlicet non fractis gressibus ambules, aut scapulas dextrorsum, sinistrorsum vergendo, non erecta cervice, non prominente pectore, seu etiam inclinato capite super humerum: quæ omnia aut levitatem redolent, aut elationem ostentant, aut hypocrisim sapiunt. Incedens ergo, stans & sedens, faciem semper habeto deorsum, revolvens in animo tuo, quod pulvis es, & in pulverem reverteris: & cor sursum, ubi Christus est in dexera Dei Patris sedens. Quaquaversum nulla curiositate, quin potius necessitate aspicias. Tristitiam autem, maxime in conventu, dissimulare te decet, quamdam in facie hilaritatem prætendens: privatim autem numquam vultus in diversa mutetur. Si quando coram aliis positus ridere alicujus rei causa fueris compulsus, ut adsolet, non sit risus tuus excussus. Nam juxta Sapientem, *amictus * corporis, & risus dentium, & gressus hominis, enuntiant de illo*. Tuis etiam interdum interpone gaudia curis.

Colos. 3. a

* al. fales tui sint fine dente.

Eccli 19. d

De Lectione & Meditatione.

5. Numquam sis otiosus, quin aut legas, aut aliquid de sacris Scripturis mediteris, vel certe, quod melius est, rumines psalmos, operando nihilo minus incessanter quod tibi fuerit injunctum, ut semper te diabolus inveniat occupatum. *Multam* enim *malitiam docuit otiositas*. Illas etiam scripturas libentius legas, quæ præcipue erga Christum tuum magis inflammaverint intellectum. Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum, si in sensu cogitaveris circumspectionem Dei. Cum oraveris, non impleas aures audientium singultibus & suspiriis, sed intente ora Deum in cubiculo cordis tui. Proderit tamen ad devotionem compunctionemque obtinendam, si ita semotus fueris, ut puras manus ad Deum levando, etiam tui ipsius vocem audire possis. Nonnumquam ad sublevandum intentionem in cælum prospicias, ut ibi sit cor tuum, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Ab oratione iterum revertaris ad lectionem: & iterum lectio, cum fastidium submoverit, ad orationem redeas.

Eccli. 33. d

De honesta societate.

6. Consortia juvenum, & maxime illorum qui imberbes sunt, inquantum convenienter poteris, devita. Numquam alicui oculos in faciem figas.

De refectione.

7. Sicut ad crucem, sic accedas ad cibum: id est, numquam voluptate, sed necessitate pascaris: & fames, non sapor provocet appetitum. Singularitatem fuge, & communitate esto contentus, sciens, quia caro pascenda est, & exstinguenda sunt vitia. Si quando tibi aliquid superapponitur, tamquam divinitus procuratum accipe illud, hoc tamen habens in animo semper & voluntate, ut alteri magis apponeretur.

De timore Domini.

8. Pone providentiæ tuæ modum, ne sapiens tibi videaris. Semper & ubique atque in omnibus operibus time, ne forte excedas in aliquo. Hinc beatus Job, *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*.

Job 9. d

De honest. dormition.

9. Cum ad stratum lassus deveneris, te honestissime jacendo componas, nec supinus jaceas, nec genua levando, calcaneos jungas ad tibias. Quod si forte luxuriæ te pompa concusserit, recordare dilectum tuum positum super lectum doloris, & universum stratum suum versatum in infirmitate ejus, hæc dicens in corde tuo: Dominus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Sicque invocato nomine Salvatoris, ingeminando sæpe nomen salutis, cessabit tandem, Deo succurente, quassatio. Ruminantem psalmos somnus te occupet, ut in somno somnies te dicere psalmos.

De Vigil.

10. Cum surrexeris ad vigilias, lauda Creatorem tuum ex omnibus viribus tuis, & ad laudem Redemptoris tui exalta vocem tuam in fortitudine. Postremo purissimum semper erga Christum amorem habeto, & nihil præter ipsum nisi propter ipsum amare memento. Prolixius quam putaveram descripsi tibi quæ ipse agere nequeo, in te adimpleri desiderans, quod in me deesse cognosco: quia profectus tuus gaudium est meum & corona in Domino.

B

## Utile monitum de consideratione mortis.

Si quando affectus fueris tædio; juxta lapidem, super quo lavantur corpora, te meditando compone, & diligenter cogita, quo tractentur usu sepeliendi: nunc enim in integrum, nunc in faciem versantur. Quomodo nutat caput, cadunt brachia, rigent crura, jacent tibiæ: quomodo induantur, consuantur, deferantur humanda. Quomodo componantur in tumulo, quomodo pulvere contegantur, quomodo vorentur à vermibus, quomodo quasi saccus putrefactus consumantur. Summaque tibi sit philosophia, meditatio mortis assidua. Hanc ubicumque fueris, & quocumque perrexeris, tecum porta, & in æternum non peccabis.

C

## Brevia et utilissima monita.

D

In omnibus cogitationibus, locutionibus sive actibus tuis, dic tibi: Itane ageres, si hanc scires pro certo novissimam vitæ tuæ horam? Cave tibi serve Dei, ne quos imitari non vis, damnare videaris. Incertum est quo loco te mors exspectat: ideo tu eam omni loco exspecta. Cognosce teipsum: & tempus quod tibi ad agendam pœnitentiam, ad promerendam gloriam miseratio Conditoris indulsit, observa. Sis hilaris dator, petitor rarus, acceptor verecundus. Sermo tibi in tempore sit austerus, aut nullus: aspectus tuus, aut officiosus, aut demissus & cohibitus intra se: oculus tuus sit in capite tuo. Risus tuus aut indicans lenitatem animi, aut provocans, rarus tamen. Et ipse sit quidem eductus interdum, effusus numquam. Sis autem tam modestus, ut non levitatis habearis suspectus. Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus, quod nobis Deus concedat. Amen.

Eccl. 21

E

## INSTRUCTIO.

### *Quomodo homo possit in bono proficere, & placere DEO.*

PRimo, studeat, quantum potest, se vilissimum reputare, & indignum beneficio Dei. Ipse sibi displiceat. Soli Deo placere cupiat. Ab aliis velit vilis & non humilis reputari: & cum sit vilis ex se, Dei clementiam recognoscat, quod tam vilem hominem, & quasi promptum ad omne malum & tardum ad omne bonum dignatur sibi in servum assumere; & quod majus est, in filium adoptare. Non ergo reputes magnum, quod Deo servis: sed maximum reputa, quod ipse dignatur te in servum assumere sibi. Secundo, ut de nihilo nisi de peccato, & ad peccatum inducente, & à bono retrahente doleat, immo de qualicumque tribulatione, injuria & afflictione gaudeat. Instantissime inimicos diligat, & specialem orationem pro eis faciat. Deinde Deo copiosas laudes referat de eo, & ad regratiandum de tanto beneficio insufficientem se recognoscat: quia quem Deus diligit, corripit & flagellat. Ipsæ enim tribulationes ad Deum nos ire compellunt. Tertio, ut de temporalibus nihil nisi stricte

Vilem re... sum æs...

F

Dole no... mi lo pec... sed culp...

propter necessitatem suam requirat, aut quocumque modo appetat, sed Christo domino in omni dejectione corporalis consolationis se conformari studeat: & hoc debet maximum reputare, quia Rex regum & Dominus dominantium Christus sic vilem servum suis ornamentis non dedignatur induere, & sibi lutum fœdum assimilare. Ideoque quanto videt se ditiorem, & in pluribus corporis consolationibus abundare: tanto debet profundius & intimius contristari, cernens se eo magis à Christi similitudine elongatum. Quarto, ut in his quæ indifferenter bona aut mala sunt, alterius potius, quam suam adimplere studeat voluntatem: immo semper in exterioribus actibus se sibi studeat abnegare: aliorum beneplacita affectans, cum omni vigilantia omne licitum adimplere. Et sic circa omnes, maxime tamen circa suos superiores, studeat idipsum observare. Quinto, ut nullum quantumcumque miserum despiciat: sed erga omnes materno moveatur affectu: ut sic omnibus compatiatur intime, sicut compateretur mater unico filio suo. Omnes eorum miserias reputet esse suas, & sicut sibi metipsi, si tamen possit, subveniat. Omnes etiam pauperes ut patronos revereri debet: quia ipsi sunt qui alios recipiunt in æterna tabernacula. Sextum est, ut nullum judicet de peccato, cum ignoret quid in anima divina operetur miseratio. Sed si aliquem per signa manifesta conjectarit esse peccatorem, prius de peccato illius doleat, acsi proprio corpori mors immineret. Recogitet quod pretiosior est anima quæ sic letaliter vulneratur, quam omnia corpora totius universi per se considerata. Et sicut corpus meum à morte, sic, immo multo magis deberem proximum cum omni diligentia custodire, & à peccato retrahere oratione, exhortatione, exemplo. Septimum est, ut bonum proximi diligat sicut suum: & sicut mater bonis filiis jucundatur, sic ipse in bonis omnium jucundari debet, & maxime de his quæ spiritualia sunt, & ad spiritualia inductiva. Et sicut sua, aliorum bona procuret, & procurata studeat promovere: & semper plura bona de proximo credat, quam possit ipse intueri. Octavum est, ut nihil præter Deum diligat: ut in omnibus solus Deus sincere sine socio diligatur. Nec eum alliciat quantacumque sanctitas alicujus, aut beneficiorum immensitas, aut aliquem diligat amore singulari, sed amore omnium, scilicet caritate in Deum omnes referens: magis alioquin diligat meliorem. Potest tamen beneficia pro beneficiis rependere, & pro ipsis beneficiis orationes Deo offerre. Nonum est, ut quisquis quibuscumque negotiis implicetur, Deum in corde memoriter studeat habere: & semper honorem Dei omnibus anteponat. Sed adhuc præcipue nitatur, ut sic semper Deum præsentem intelligat, ac si ipsum qui præsens est, in sua essentia videret: sicque eum timeat & revereatur, & intenso amore in eum feratur, eoque prout potest in via fruatur, & in ipso non in alio requiescat. Decimum est, ut si prædicta assequi possit, esse hæc Dei beneficia recognoscat. Debet etiam ceterorum beneficiorum secundum quod poterit reminisci. Primo, quia sua eum signavit imagine. Secundo, quod naturam ejus assumpsit, & pro ipso Deus mori dignatus est. Tertio, quod se præbet in cibum: & in futuro se præbebit in præmium. Et quia nondum assecutus est in præmium, in via tamen aspiciat eum in patibulo: sicque illi compatiatur, ac si omnia vulnera Christi in suo corpore sustineret: & de hoc præcipue debet dolere, quia tot videt frustrari beneficio hoc immenso.

## *VARIA ET BREVIA DOCUMENTA pie seu religiose vivendi.*

1. Si plene vis assequi quod intendis, duo sunt tibi necessaria. Primum est, ut subtrahas te ab omnibus transitoriis rebus & terrenis, ut nihil de eis cures, ac si non essent. Secundum, ut ita te des Deo, ut nihil dicas, vel facias, nisi quod credideris firmiter placere Deo. Primum autem assequeris hoc modo. Omnibus modis quibus potes, te vilifica, te nihil reputando esse, sed credas omnes homines esse bonos, & meliores te, magisque placere Deo. Quæcumque audis vel vides in religiosis personis, puta bona intentione dici vel fieri, etiam si contraria videantur. Nam humana suspicio facile fallitur. Nulli displiceas. Nihil umquam de te loquaris, quod laudem importet, quantumcumque sit familiaris ille, cum quo loqueris: immo plus labora celare virtutes quam vitia. De nullo prorsus sinistre loquaris, quantumcumque sit verum vel manifestum, nisi in confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum. Libentius accommoda aurem tuam, cum aliquis laudatur, quam cum vituperatur. Cum loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa, & de Deo. Si sæcularis loquitur tecum, & vana proponit, quam citius potes succide sermonem, & transferas te ad ea quæ Dei sunt. Quicquid contingat tibi vel alii quantumcumque conjuncto, non cures: & si est adversum, non tristeris: si est prosperum, non læteris: sed totum nihil puta, & lauda Deum. Sollicitudinem adhibe quantam maximam potes, ut vilitati sedulus intendas. Fuge loquutoria, quantum potes. Melius est enim silere quam loqui. Post Completorium non loquaris, quousque finita sit Missa sequentis diei, nisi causa maxima intervenerit. Cum vides aliquid, quod tibi displicet, vide si hoc est in te, & abscinde: si vero vides aliquid, quod tibi placet, vide si hoc est in te, & tene; si non est, adsume: & sic erunt tibi omnia in speculo. De nulla re murmures cum aliquo, nisi credideris prodesse, quantumcumque sit grave quod habes. Numquam pertinaciter aliquid affirmes vel neges, sed sint tuæ affirmationes & negationes dubitationis sale conditæ. A cachinnis semper abstineas: rideas vero raro, & cum paucis præstes os tuum. Breviter in omnibus dictis tuis sic te habeas, ut sint ita quæ dubia dimittantur.

2. Secundum assequeris hoc modo. Orationibus cum magna devotione intendas, & eas dicere labora horis debitis: & quod offers in oratione, reminiscaris in corde. Et, ut ea quæ legis confirmes, diligenter recogita, & eorum imagineris statum, in quorum memoria hæc dixeris. Ista tria semper in mente habeas, quid fuisti, quid es, & quid eris. Quid fuisti, quia sperma fœtidum: quid es, quia vas stercorum: quid eris, quia esca vermium. Similiter imagineris eorum pœnas, qui sunt in inferno; & quod numquam finientur, & pro quam modica delectatione tanta mala patiuntur. Similiter imagineris gloriam paradisi, & quod numquam finietur, & quam breviter & cito acquiritur, & quantus luctus & dolor poterit esse illis, qui pro parva re tantam gloriam amiserint. Cum habes aliquid quod tibi displicet, vel times habere: cogita quod si tu esses in inferno, & illud, & quicquid nolles, haberes. Et cum habes aliquid quod tibi placet, vel optas habere: cogita quod si tu esses in paradiso, haberes illud, & quicquid velles. Si autem in inferno esses, nec illud nec aliquid quod velles haberes. Quandocumque est festum alicujus sancti, cogita de illo quanta sustinuit propter Deum, quia brevia: & qualia adeptus est, quia æterna. Similiter cogita, quia transeunt bonorum tormenta, malorum gaudia. Hi cum istis tormentis adepti sunt gloriam æternam, & isti ex indebitis gaudiis æternam pœnam. Quandocumque te vincit acedia, accipias hoc scriptum, & imagineris hæc omnia diligenter. Et cogita de tempore quod sic perdis, quod illi qui in inferno sunt, darent totum mundum, si haberent, pro eo. Cum habes aliquas tribulationes: cogita quod illi qui sunt in paradiso, carent eis. Similiter cum habes aliquas consolationes, cogita illos de inferno carere eis. Omni die cum vadis cubitum, examina diligenter quid cogitasti, & quid dixisti in die: & quomodo utiliter tempus & spatium, quod datum est ad acquirendum vitam æternam, dispensasti. Et si bene transivisti, lauda Deum: si male vel negligenter, lugeas, & sequenti die non differas confiteri. Si aliquid cogitasti, dixisti, vel fecisti quod tuam conscientiam multum remordeat, non comedas antequam confitearis. Istud in fine pono, ut imagineris duas civitates: unam plenam omnibus tormentis, quæ est infernus: alteram plenam omni consolatione, quæ est paradisus. Et ad unam illarum oportet te currere. Vide quid te possit trahere ad

malum, vel impedire à bono. Credo quod nihil invenies. Certus sum quod si bene servaveris ea quæ sunt hic, Spiritus-sanctus habitabit in te, & perfecte docebit te facere omnia. Ergo bene serves ista, & nihil negligas. Et lege ea in septimana bis, scilicet in die Mercurii, & in die Sabbati: & ut inveneris te fecisse quod scriptum est, lauda Deum, qui est pius & misericors in sæcula sæculorum, Amen.

ARNULFI MONACHI DE BOERIIS *

* Boeriæ monast. Ord. Cisterc. in diœc. Laudunensi, fundatum ann. 1141.

## SPECULUM MONACHORUM.

*Auctorem indicavit R. P.* Tissier *in biblioth. PP. Cisterc. Tomo 6.*

1. SI quis emendatioris vitæ desiderio tactus, cogitationum, locutionum, operumque suorum sollicitus explorator, universos excessus suos corrigere nititur: in præsentis paginæ frequenti lectione & assidua meditatione, tamquam in speculo, interioris hominis sui faciem contempletur.

In primis ergo ex quo surgit ad vigilias, vitæ suæ tempus per momenta singula debet monachus computare, & videre semper ut bonum faciat, & malum caveat in omni opere suo, & hoc dicat sibi ipsi: Si modo moriturus esses, faceres istud?

Ad psalmodiam cor habeat: nisi fortassis ad aliquid sublimius rapiatur: sed etiam omnium, quæ ibi dicuntur, usque ad unam litteram se pro certo noverit debitorem vel dicendi in choro suo, vel audiendi in alio.

Ad intervallum debet stare ad orationem, vel corporis necessitati providere, ita tamen, ut vadens sibi dici noverit: *Sursum corda.* Est autem spiritualis propositi detrimentum, si cogat infirmitas rigoris pristini aliquantulum relaxari.

Post lectionem est orandum: & si ad legendum accedat, non tam quærat scientiam, quam saporem. Est autem Scriptura sacra puteus Jacob, ex quo hauriuntur aquæ quæ in oratione funduntur. Nec semper ad Oratorium est eundum, sed in ipsa lectione poterit contemplari & orare.

Sacris altaribus, si sacerdos est, tamquam unus ex summis Angelis in spiritu totus assistat. Si minister, tamquam Angelus Domino ministret.

Cum aliis eat ad laborem: ubi consideret, non quid agat, sed propter quid venerit. Cessante manu spiritus laboret vel orando, vel meditando, quamvis & in ipso labore idipsum facere teneatur.

Ad mensam non solum fauces cibum capiant: sed etiam aures hauriant verbum Dei. Non enim debet totus manducare: sed sic occupetur cor ad verbum Dei, ut solæ fauces sumant cibum, aures verbum. De hoc autem plurimum gaudeat, si ei viliora quam aliis apponuntur. Nam revera feliciores sunt, qui in parcitate sustinenda fuerint fortiores.

In gratiis agendis pro duobus sibi noverit supplicandum: vel pro peccatis eorum quorum eleemosynis sustentatur, vel forsitan pro seipso, quia corpori suo supra necessitatem indulserit.

Si vocatur ad colloquium; secundum Regulam * leniter, & sine risu, pauca verba & rationabilia loquatur: & antequam ea proferat, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam. Si cum sæculari loquendum est, tunc maxime adhibeat custodiam ori suo: ut nihil proferat quod non ædificet audientem.

* Reg. S. P. Bened. c. 7.

Sic in cunctis se habeat, ut ædificet videntes: & nemo dubitet, cum viderit eum vel audierit, quin vere sit monachus.

Post Completorium singulis diebus capitulum sibi teneat: & convocatis cogitationibus suis ponat rationem diligenter, quid ipso die cogitatione, locutione, vel opere deliquerit, publice, vel privatim: per singulas noctes lectum suum lavans, hoc est singulis peccatis, lacrymis & doloribus purificatis diligenter de singulis computet; in crastino publice de apertis, de occultis vero facturus confessionem secreto.

2. Quæ ut perfecta sit, tria debet habere: scilicet ut sit voluntaria, nuda, & munda. *Voluntaria*, id est, ex propria deliberatione & proposito. *Nuda*, ut nude prout gessit confiteatur peccatum suum. *Munda*, ne peccatum suum prædicet sicut Sodoma: sed pura & simplici intentione se accuset.

Confessionis conditio[nes]

In capitulo qui publice offendit, manifeste revelet tamquam assistens judici. In omnibus sic ibi loquatur, spondeat, vel proclamet, ut sermo ejus interius vel exterius sit perunctus oleo caritatis.

A nemine qualecumque munus accipiat.

Neminem habeat familiarem.

In omnibus fugiat singularitatis vel admirationis notam.

Loquens nihil dicat, unde multum eruditus multumve religiosus possit putari.

Ad interrogata paucis respondeat. Si de Scriptura vel moribus agatur, aurem paret, non linguam.

Cum loquitur, non studeat eloquentiæ: sed sermo ejus sit potius rusticanus quam urbanus.

In omnibus agendis non studeat curialis videri.

Salva honestate fugiat omnes homines in potestate positos, maxime sæculares.

Sectetur communia, operationes, labores, lectiones, & ceteras observantias: in quibus non sit tamquam vitula Ephraim, *docta diligere trituram*, id est, ad hujusmodi non consuetudine, sed devotione trahatur.

Osee 1[0]

Orationes quæ imperantur, primo loco habeat: nec sibi blandiatur de privatis orationibus suis, quæ in secundo loco ei habendæ sunt, cum in præceptis orationibus desidiosus fuerit.

Si autem familiaritas interdicitur hominum, quanto magis mulierum?

Sit facies communis cum ceteris, intus vero dissimilis: hoc est non nimia gravitate contracta, nec nimia locutione dissoluta, sed bona quadam mediocritate regatur: ut de sancto Martino legitur: Faciem ejus non suscitavit mæror, nec levigavit risus. Erit enim prudentis animæ thesaurum suum sollicite custodientis, more Moysi, cornutam velare faciem: & quodam risu, qui tamen modestus sit, interioris gloriam hominis, & mentis gravitatem abscondere.

Modes[tia] qualis.

Comparanda est dies instans diei præteritæ, ut ex eorum collatione suum deprehendere possit monachus vel profectum, vel defectum.

In omni actu vel cogitatu suo sibi Deum adesse memoretur: & omne tempus quo de ipso non cogitat, perdidisse se computet.

Tædio affectus componat se meditando supra petram in qua lavantur mortui: & cogitet apud se quomodo tractantur ibi sepeliendi: nunc in tergum, nunc in faciem versentur: quomodo nutet caput, cadant brachia, rigeant crura, tibiæ jaceant: quomodo induantur & consuantur, quomodo deferantur humandi, quomodo exponantur in tumulo, quomodo pulvere contegantur, quomodo vorentur à vermibus, & quasi saccus putrefactus consumantur.

Vide [...] al. pag.

Summaque est philosophia, meditatio mortis assidua. Hanc ubicumque perrexerit, secum portet: & in æternum non peccabit. Sit monachus quasi Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia: nec patrem sibi vocet super terram. Immo sic se existimet quasi ipse sit solus, & Deus.

Ecce in primis habemus ordinem & modum vivendi: remedium vero pollicetur assiduitas tenendi capitulum spirituale superius expressum. Semel ad minus in hebdomada confiteatur: ut veniam mereatur de perpetratis, & major ei detur gratia de vitandis malis. Amen.

*ITEM, ALIA DOCUMENTA vitæ religiosæ.* *

* alias [doc]trina B. [Ber]nardi.

QUando surgendum est ad vigilias, præparandus est animus ad devotionem, ita ut ferventer exsilias de lecto, & torpore discusso gratias divinæ misericordiæ agas pro quiete indulta, pro custodia & protectione angelica.

Deinde

Deinde veniens ad ecclesiam, pone manum super ostium, & dic: Exspectate hic, cogitationes malæ, intentiones & affectus cordis, & appetitus carnis. Tu autem anima mea intra in gaudium Domini Dei tui, ut videas voluntatem Domini, & visites templum ejus. Sicque veniens ante crucem dic: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi*, &c.

Deinde quoties dixeris versum in choro tuo, illum qui in choro altero dicitur, dicas silenter; & versus singulos saltem aliquo pipere consperges, meditatione scilicet aliqua spirituali: quia animum delicatum habes, & escæ ejus electæ debent esse.

Et ne defigas oculos tuos longius ante te, quam protenditur proceritas corporis tui: quia hoc multum impedit vagationes animi. Et depinges ibi quasi resupinatum ante te Dominum in cruce, & nunc pro clavis, nunc pro spinis, nunc pro sputis, nunc pro lateris effossione suspirabis, & gratias ages.

Cum exeundum fuerit à choro, dices Domino: Adhuc habeo, Domine, privatas laudes & benedictiones tibi dicere, quas scilicet nunc à publicis exiens cantabo tibi, & psallam in gloria mea.

Cum ad Missam ventum fuerit, suscipe invitantem ad Missas privatas, ac si panem Angelorum tibi delapsum de cælo videres.

Si quem amovere volentem intueberis, fuge, ac si fame deficienti è fauce buccellam panis auferre conaretur.

Cum ad Capitulum veneris; diligenter accipies armaturam Dei in galea providentiæ, in lorica patientiæ, in scuto mansuetudinis, quibus possis clamationes justas vel injustas elidere. Si peccasti, dic tantum, Emendabo. Si non, dic, Non memini. His nec amplius, nec minus aut clamoribus aut verberibus à te extorqueatur.

Cogita cum accedis ad judicium Capituli, Deum & Priorem, Pilatum & Pharisæos clamantes in eum, & milites verberantes eum sine causa. Cogita capitulum durum sanctorum Martyrum cum starent ante reges & præsides, cum pertinentiis suis, id est, cum pœnis & tormentis quæ patiebantur. Cogita futurum capitulum tuum in morte coram Deo, cum millia dæmonum clamabunt contra te, & decies centena millia adversum te: ut si quid hic tecum durius agitur, illorum consideratione levigetur. Cogita quod ille qui clamat te, novacula Dei est, & pilos vult tibi tollere deformes, ut speciosus fias. Cogita quod pitantia est de cælo missa correctio.

Quicumque te clamaverit, eadem die munerabis eum obsequio quocumque, si potes, eo quod te à deformitate peccati relevare voluerit.

Cum ad laborem veneris, sic temperabis onus agendum, ut sollicitudo operis intentionem animi tui ab iis quæ Dei sunt non avertat.

Quando pausandum est, noli angulos consectari, vel à ceteris semotus sedere, sed sint oculi tui ad fideles terræ, ut sedeant tecum: & tu consede in medio doctorum. Quidam frater cum apud nos pausantibus ceteris solus longe sederet, gravissimo cœpit carnis stimulo urgeri, audivitque vocem dicentem sibi: Vade ad castra. Et cum venisset ubi ceteri erant, quievit stimulus.

Cum veneris ad refectionem, nec primus intrabis nec ultimus. Si non potes sumere quæ apponuntur, non ea permittas omnino mutari, sed vel modicum sume, ut comedisse videaris. Si quis instet ut comedas, hoc tantum signo responde: Bonum est, multum est, factum est. Cogita quod multorum labore, infinitis navigantium periculis, haleca, pisces, vel cetera tibi necessaria procurantur, ut carnis tuæ desideriis satisfiat, & per singulas buccellas age gratias. Interim cogita Christum crucifixum exspectare gratias tuas, vel ad portam reliquias tuas pauperem præstolantem.

Abstinentiam omnino interdico tibi ne facias, sed quotidie secundum mensuram comede.

Si per noctem illusio tibi acciderit, ne contristeris; sed in crastino confitere: & aliquo te invitante ad Missam ut ministres, caute coram omnibus te excusa per signum, ut est consuetudinis, quatenus omnes illam tuam pollutionem intelligant. Fecit hoc aliquis apud nos etiam A nullo vocante ad Missas, ut magis erubesceret, & à tentatione carnis liberatus est, in tantum ut vix aliquid tale postmodum senserit, nec nisi semel vel secundo per annum pruritum hujusmodi patiebatur. Ex quo patet, quam vera sit sententia Dei dicentis: *Ego glorificantes me glorificabo*. Et, *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*. & *Humilibus dat gratiam*. Luc. 14. c

Quando legendum est, conversa facie ad ecclesiam, ante posito libro, utere soliloquio tuo, & ubicumque occurrerint Dei beneficia, dic: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* quantum debes anima mea? Psal. 15. a Et conversus ad Angelos dic: *Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. &* ad B ipsum deflectens oculos: Vere, inquies, *Domine misericordia tua magna est super me*. Si autem sollicitante te in hunc modum corde, & pulsante ostium paradisi aliqua cogitatio maligna interstrepit, statim propone & dic: *Cujus est imago hæc & superscriptio?* & audiens quod Cæsaris est, hoc est principis mundi, scilicet diaboli, dic: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Jam ostium clausum est, & Dominus hic Pascha manducat, non vacat mihi aperire tibi. Si autem adhuc steterit cogitatio mala, oppone illi signum crucis.

Sanctimonialis quædam apud nos in tanta veneratione habuit signum crucis, ut cum efferenda esset ad tumulum, facies crucifixi verteretur post eam in parte illa, C per quam elata est; & sic caput imaginis in partem illam intendens, perpetuo contra solitum sic permaneret. Alia revelavit cuidam computruisse manus suas, sed pollicem non posse corrumpi, quo signum crucis sibi imprimere consueverat.

Cave ne in tactu alicujus, vel consensu facias, vel tibi fieri permittas, unde te oporteat erubescere.

Colloquia privata nec fugias, nec requiras: cogita tamen quod poma silvestria sunt.

Cum videris aliquem in oratione, in lectione, in silentio, in patientia, in obedientia & similibus studiosum; gratias age Deo quod speculum tibi miserit, & non invideas.

D Cum aliquem turbatum videris, gratias age quod nubes illa per te non transiit, & dic: Quid illa tentatio de me fecisset, si Deus permisisset? & non judices alienam imperfectionem, neque fodias parietem conscientiæ ejus.

Cum aliquid rogaturus à Priore veneris, præpara te ad repulsam semper: & si contigerit negari tibi quod postulas, dic apud te: Quid decebat asellum, nisi frenum & stimulus? Ego nihil proprie vindicare possum in domo ista, nisi cilicium in morte, & crucem in fossa; hæc est hereditas mea; ita tamen ut modica gleba terræ crucem cooperiat. Et hoc habebis in memoria, quando cubitum vadis.

E Et cum sagum & coopertorium videris, lectum tumulo comparans quasi sepeliendus intrabis. Si dormire poteris, bene est: si non potes, expertum est, quod si cogitando procures, dormies.

Absconde super omnia hujusmodi studia tua, & dissimula apud alios meditationes tuas sanctas, quantum potes, & in omnibus obsequio sedulum te exhibe universis.

Præcipue æstima lucra aliorum in obsequiis publicis & privatis. Insuper paratus sis ad obediendum alacri animo & vultu.

Cogita monachum illum, Gerardum nomine, qui cum de Dei misericordia ultra modum desperaret, infirmatus F ad mortem, jacuit per triduum oculis clausis in mentis excessu, & visitatus ab Abbate oculis apertis ait: Bona est obedientia. Ad tribunal Christi fui, animas Sanctorum vidi, ipsumque facie ad faciem vidi dicentem mihi: Ecce locus tuus inter fratres tuos. Nullus tui Ordinis peribit, si Ordinem amaverit: aut in morte purgabitur, aut in brevi post mortem. Salvi autem qui de Ordine tuo sunt, aut in ordine Apostolorum, aut Martyrum, aut Confessorum sortem accipient. Et hæc dicens, communione accepta decessit.

Ad omnia quæ insurgunt, disce remedium aliquod adhibere.

Cum corpore depriméris, cogita quod hodie operari licet, cras forte non licebit.

Cum libidine pulsaris, cogita ignem æternum.

Si inobedientia te teneat, cogita quod quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere.

Si impatientia vexaris, cogita quid pro te pertulit Christus.

Cum superbia tentat, cogita meliores: cum mala voluntas; cogita quam pro modico damnatur, qui pro sola voluntate sine effectu operis reprobatur.

Cum vanitate pulsaris, cogita quia multa non feceris: & quo magis nunc occultaris, eo gloriosius in judicio innotesces.

Cum de vigore corporis vel decore hilarescis, agnosce quam celeriter febre tenuissima tolli potest.

Cum te molestat religionis pondus, & disciplinæ assiduitas, cogita illud beati Hieronymi: Nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria æternitatis acquiritur.

Cavendum fastidium susceptæ semel professionis.

Illud, fili dulcis, tamquam dæmonium meridianum fuge præ aliis hostis antiqui astutiis, quod cavendum tibi summopere denuntio, ut ex eo tempore quo religionem intraveris, numquam cogitationem illam suscipias, foveas, aut ei credas, qua suggeritur te minus utilem in religione manere suscepta; & in alio statu, vel habitu magis tibi, vel aliis posse proficere. Nam si cordis aurem hujusmodi phantasiis inclinaveris, divident & distendent animum tuum, ita ut nullum saporis spiritualis condimentum possis retinere: eritque cor tuum quasi vas confractum, quod omnem sapientiam non tenebit. Indeque non solum tædium, sed horrorem desperationemque boni operis præconcepti imminere necesse est, dum animus tuus circa multas professiones, studiaque diversa dividitur.

Cass. collat. 24. c. 5. & 6.

Unde quidam Patrum in Collationibus: Solent animi leves minimeque fundati, cum audierint quosdam in diversis virtutibus ac studiis bonis magnifice prædicari, ita eorum laude succendi, ut eorum imitari statum protinus desiderent: at frustra. Nam ex hujusmodi mutatione ac varietate propositi, dispendium capiunt, non profectum: quia qui multa sequitur, nihil integre consequetur. Ideo hoc unicuique expediens est, ut secundum propositum quod elegit, & gratiam quam accepit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet: aliorum laudes amet, & admiretur virtutes, ac nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat. Multis namque viis ad Deum tenditur. & ideo unusquisque viam semel arreptam, irrevocabili cursus sui intentione conficiat, ut sit saltem aliqua professione perfectus. Singulare autem contra omnia mala remedium est mortis memoria.

## OCTO PUNCTA PERFECTIONIS *assequendæ.*

HÆc octo si bene excolueris, omnium virtutum perfectionem & consummationem per gratiam Dei consequeris.

Primum, ut pure, integre peccata tua sæpius confitearis, cum magno dolore & proposito non plus faciendi.

Secundum, ut non frangaris adversitate vel tentatione; sed sta in justitia, timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Non enim est locus vel religio, qui vel quæ permittit hominem sine pugna militare & vivere. Nam tota vita hominis, militia est super terram: omnes etiam qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patientur. Permittit enim, teste beato Gregorio, Dominus electos suos lacerari detractionibus, ut in humilitate conserventur.

Tertium, ut non misceas te hominibus, nec interioribus nec exterioribus, in quantum potes bono modo: sed tene te solitarium sponso tuo Christo, & fuge rumores sæculi, & vana ac sæcularia colloquia, quæ mentem distrahunt, & inquietam reddunt, & in pace esse non permittunt.

2. Quartum, omni tempore debes puritati cordis studere; ut continue videlicet velut clausis sensibus carnalibus in temetipsum convertaris, & cordis ostia à formis sensibilium & imaginibus terrenorum, quantum possibile est, habeas diligenter serata. Puritas namque cordis inter omnia exercitia spiritualia est quodammodo tamquam finalis intentio, ac laborum omnium retributio, quam in hac vita miles Christi emeritus recipere consuevit, sibi vindicat principatum. Affectum tuum cum omni diligentia ab his omnibus, quæ libertatem ipsius impedire possent, & ab omni re possibilitatem habente alligandi & tenendi ipsum affectum ad inhærendum comprime, juxta illud legis Mosaïcæ: *Maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur ostium domus suæ die sabbati, & sabbatizabit populus.* In semetipso namque esse, est dispersiones cordis sui, & affectiones ad unum, verum, & simplicissimum bonum recolligere, & collectas habere. Sabbatizare vero, est cor ab affectione carnali ipsum inficiente, & à curis mundanis ipsum distrahente absolutum esse, & in pace cordis sui, tamquam in portu silentii, in amore & fruitione Conditoris suaviter quiescere.

Contin. puritati cordis studendum.

Exod. 16.

Super omnia autem alia tibi semper sit principalis conatus, ut animum tuum semper sursum in contemplatione divinorum elevatum habeas, ut divinis rebus ac Deo mens jugiter transferatur. Quicquid autem ab his diversum est, quamvis magis videantur, sicut corporis castigatio, jejunium, vel vigiliæ, & similia virtutis exercitia, quasi secundaria, & inferiora judicanda sunt, tantum expedientia, quantum ad cordis proficiunt puritatem. Inde est quod paucissimi jam ad veram perfectionem perveniunt, quia in mediis non multum proficuis tempus & vires expendunt, debita remedia negligunt & postponunt: tu autem cum ad finem intentum pervenire desideras, debes sine opere ad perpetuam cordis puritatem & mentis tranquillitatem anhelare, atque cor sursum jugiter ad Dominum habere. Verum tamen est quod nullus mortalium potest huic contemplationi jugiter inhærere: sed id ideo dictum est, ut scias, ubi mentis intentionem debeas habere fixam, & ad quam destinationem semper animæ tuæ revoces intuitum. quam cum poterit obtinere mens, gaudeat; & à qua distractam se doleat atque suspiret, quotiescumque ab illo intuitu se deprehenderit separatam. Quod si querulosa voce mihi obviare volueris, dicens te diu in eodem statu manere non posse: noscere debes quod divina virtus plus potest facere, quam homo possit cogitare: & quod frequentia actus similem sibi habitum generare consuevit. Unde sæpius contingit, quod illud ad quod fortassis homo se in principio adstrinxit cum quadam violentia & difficultate, postea faciliter operabitur, & tandem cum magna delectatione, dummodo non desistat.

Cur pauci perfecti.

3. Audi, fili mi, disciplinam patris mei. Attende diligenter illa verba, & ea in corde tuo quasi in libro scribe. Noli æmulari multitudinem eorum, qui jam retro conversi sunt post desideria cordis sui: in quibus devotio tepuit, caritas refriguit, & defecit humilitas, obedientia est prostrata: qui placere hominibus cupiunt, honores quærunt, ventri serviunt: qui supra modum diligunt munera sequuntur retributiones: qui in hoc mundo ipsum quod quærunt pro mercede operis sui recipiunt, & in futuro vacui manebunt. Sed illos egregios flores sanctissimos Patres, qui incomparabili flagrabant studio sanctitatis, attende, & eorum festines propositum simili studio & conversatione suscipere, quemadmodum tibi jam propositum est. Sive igitur comedas, sive bibas, sive aliquid aliud facias, semper hæc vox pii patris resonet in auribus tuis, admonentis & dicentis: Fili mi ad cor tuum redeas, ab omnibus, quantum possibile est, teipsum abstrahendo, mentis oculum semper in puritate & tranquilitate custodias, intellectum à formis rerum infirmarum reservando: voluntatis affectum à curis terrenorum penitus absolvas, summo bono, amore fervido, semper inhærendo: memoriam quoque jugiter sursum elevatam habeas per contemplationem divinorum ad superna tendendo: ita ut tota anima tua cum omnibus potentiis suis & viribus in Deum collecta, unus fiat spiritus cum eo, in quo summa perfectio vitæ cognoscitur

Multitudo non imitanda.

consistere. Hæc igitur brevis vitæ tuæ formula tibi sit tradita, in qua si diligenter studueris, & fideliter effectui mancipare volueris, beatus eris, & quodammodo æternam felicitatem in hoc fragili corpore inchoabis. Hæc est, fili, salutis via, quam tuus Arsenius ab Angelo edoctus servavit, & servari suis discipulis mandavit: *Fuge, tace, quiesce.* Hæc, inquam, sunt principia salutis. Hæc æterna sapientia ad discipulum. Item statim subinfertur: Fons & origo omnium bonorum homini spirituali est, in cella jugiter commorari.

4. Quintum, ut non contristeris vel læteris, aut sollicíteris pro amicis & cognatis tuis, sed committe eos Deo, & spirituale subsidium, scilicet orationum tuarum suffragia, eis impende: te autem mundo crucifixum reputa & mundum tibi: ad interiora extende, tamquam omnibus amicis orbatus.

Sextum, ut sis fervens in orationibus & meditationibus sanctis, & ab illa voluntate, qua ad religionem venisti, & à primo novitiatus fervore non tepescas. Homo enim remissus, si incipiat aliquid in principio, aliquantulum strenue agit: deinde diminuendo procedit, quia multorum est incipere, paucorum finire. Sola tamen perseverantia coronabitur, sola accipiet bravium. Nulla sine labore virtus: & ad magna præmia non pervenitur, nisi per magnos labores. Regnum enim cælorum non desides, non remissi, non delicati, sed violenti rapiunt illud, qui non aliis, sed suis voluntatibus præclaram inferunt violentiam. nam qui in moribus suis molles sunt & fluidi, more aquæ præcipitis ad ima descendunt. Qui vero constantes, firmi & fervidi, in arcem virtutis quotidie excrescunt. Stultis nihil diu placet. nam tales quod non habent cupiunt, & quod habent fastidiunt. Ergo constans esto, & non movearis exemplis tepidorum ad imitandum eos. Et quod rigore Ordinis non tenetur ab aliis, de hoc te non intromittas, sed videas, quod sine offendiculo ambules coram confratribus tuis, emendando eos plus exemplis, quam verbis, ut omnia quæ Ordinis sunt, sana & integra sint in persona tua. Et ideo non sis aliis rigidus; non reprehendas acriter vel dure increpando alios: quia fraterna correctio non habet locum, ubi non speratur emendatio; & frustra venit sonus ad aures, nisi Deus in corde loquatur: quia solus Deus convertit corda filiorum hominum.

Fraterna autem correctio debet fieri cum magno moderamine, cum gemitu & benevolentia, suo loco, suo tempore, semper oratione præcedente. Idcirco si aliqui non compleverunt omnia quæ sunt Ordinis, dummodo tu bonus æmulator fueris & discretus, non judicabis aliorum facta. Nec moveat te, si videris aliquos minus discretos, alios ignaros, alios indoctos, alios remissos in horis, aut quibuscumque vitiis noxios: claude oculos, in quantum potes, ad aliorum facta perscrutanda. Sane, ne quos imitari non vis, damnare videaris, quia in judicando alios magnum est periculum, & tales suspiciones sæpe sunt falsæ; diminuunt etiam affectum & caritatem, quam homo habet ad proximum: hoc multum debes cavere, ne caritas alicujus erga te vel quemcumque alium corrumpatur, vel etiam diminuatur: quia non est majus spolium vel damnum, quam in ablatione vel diminutione caritatis. Omnia namque quamvis utilia, quamvis necessaria videantur, spernenda tamen sunt, ut perturbatio devitetur; & omnia quæ adversa sunt vel putantur, sustinenda sunt, ut pacis dilectionisque tranquilitas servetur: quia nihil perniciosius ira, nec caritate quicquam utilius est credendum; nec tranquillitate animi pretiosius, propter quæ non solum commoda carnalium & transitoriorum, sed & spiritualium spernenda videntur, si alias acquiri vel perfici non possint.

5. Septimum, ut sis tacens & non multiloquens, ubicumque fueris loquendo vel respondendo leviter & morose, remissa voce, placido vultu, disciplinatis moribus, pauca & rationabilia verba loquaris. Bis ad limam veniant verba, quam semel ad linguam. Plus diligas audire, quam audiri: ut interrogatio magis aperiat os tuum, quam ad non interrogata respondere. Non innitaris tuæ prudentiæ, neque confidas in propriis sensibus, & non A sis sapiens in oculis tuis. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed discretum, modestum, & ordinatum te in omnibus exhibeas: quia Deo numquam placuit aliquid immoderatum, instabile, confusum, inordinatum: super humilem autem & quietum requiescit spiritus Domini.

6. Octavum & ultimum, ut numquam sis otiosus. nam in desideriis est omnis otiosus. Ama igitur scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis: nec vacet mens tua variis perturbationibus, quæ si pectori tuo insederint, dominabuntur tui, & te ducent ad delictum maximum. Semper igitur aut legas, aut ores, aut aliquid de sacris mediteris. Multa enim mala docuit otiositas: est enim B mors animæ, & vivi hominis sepultura, & sentina omnium malorum. Singulis horis & diebus sua tribue exercitia, spiritualibus spiritualia, corporalibus corporalia. In omnibus caveas tibi à peccato, & proximo à scandalo. Statim cum sentis te stimulari à vana gloria vel quacumque tentatione, principiis obsta, & sis agilis ad quæcumque agenda, quæ ex alterius admonitione vel divina instigatione intelligis esse facienda. Discas tibi ipsi præesse, & teipsum tegere, non alios; propriam vitam ordina, mores tuos compone, teipsum judica, apud te ipsum accusa & condemna, nec impunitum dimitte excessum. Tibi ipsi esto durus, numquam aliis. Mane præteritæ noctis fac à teipso C exactionem, & futuræ diei tibi indicito cautionem. Vespere præteritæ diei rationem exige, & supervenientis noctis fac indictionem. Considera quantum proficias, quantum tibi adhuc restet itineris: grandis enim tibi restat via, antequam videatur Deus deorum in Sion. Sed cum in his octo jam præmissis te exercueris, de virtute in virtutem proficiendo, esto cautus contra insidias diaboli, ne te abducat ab eis.

Otium fugiendum.

## EPISTOLA CUJUSDAM

*De doctrina vitæ agendæ, seu de regimine cordis, oris, & operis.*

1. TUa me pia & crebra infestatio angit, ut tuis petitionibus annuam, quæ doctrinam vitæ agendæ D deposcunt, seu quid expediat viatori, videlicet quid diligenter corde cogitari, quid aptius promi, quid honestius in actionem deduci possit. Hæc alta res est valde, licet communis. Inquirentes habet multos, pervenientes paucos, exquirentes multo pauciores. Sed ut ad condemnationem, aut ad misericordiam tuam & ceterorum legentium, prout videor sentire, depromam, nec tuæ petitioni, nec meæ intentioni pro voto sufficiens. Cor nostrum nihil dignius perficere potest, quam ut ei se restituat à quo factum est. & hoc à nobis Dominus expetit dicens, *Fili da mihi cor tuum.* Tunc siquidem cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat & circumflectitur super eum, & nihil E vult possidere penitus præter eum. Sicque colligato sibi animo, eum diligit, ut sine ipso amarus sit omnis amor. Nec aliud dixerim cor Domino dare, quam ipsum captivare in omne obsequium ejus, & ita voluntati ejus ex toto supponere, ut nihil aliud velit, quam quod noverit eum velle. Itaque cor Domino datum, ipsum in omnibus & de omnibus adorabit, & gratias aget, etiamsi multa nostris sensibus molesta videantur. Nihil turbationis ex rerum novitate suscipiet. Tentatus à Domino per tribulationes & asperas qualitates non movebitur. Aporiatus, id est * inops, gaudebit. Quicquid illatum, etiam si habeat asperum sensum, velut impellens ad superna, suscipiet. Qui cor suum dedit Deo, F cantabit melodice, & dicet cum propheta David; *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & psallam in gloria mea.* Est siquidem gloria prima, & secunda: prima virtutis, secunda beatitudinis; una in via, alia in patria. Proinde omnibus qui cor suum Deo tradiderunt, factum est in argumentum & signum quod cantant, & in virtutum gloria psallunt in tribulationibus, in pressuris, & in angustiis, in fame & siti, in nuditate & dejectione, in maledictis, in conviciis & derisionibus, in flagellis: ac etiam morte intentata, in cordibus plus exsultant. Non reaccipiunt amplius honestatem in eo quod

Prov. 23. b

Cor suum DEO dare quid.

* vel consilio destitutus.

Psal. 56. b

Domino tradiderunt. Nullum sacrilegii crimen reperitur deterius, quam in voluntate semel oblata Deo reaccipere potestatem. Non debent sibi vivere, qui cor suum Deo dicarunt, sed ei qui pro omnibus animam suam posuit. Nihil dignius cogitari potest quam cor ad eum referre, qui ut viveres, mori voluit: nam & *justus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum.* (Eccli. 39 a) Vigilatio cordis justa & cogitatio ejus justa, est, ut meditetur assidue quid accepit in bonis naturæ, quid in bonis gratiæ, quid in Dei filio pro nobis humanato, passo, mortuo, & sepulto: quid in promissione; à quo malo ereptus est, quid retribuit Domino pro omnibus quæ retribuit ei: quid diligimus, quid timemus, quid agimus: quo pergimus impulsu naturæ, quo ex libera voluntate, quo ducatu gratiæ nobis datæ.

(Directio cordis triplex. Joel. 2. c) 2. Est etiam triplex directio cordis nostri secundum sententiam scripturarum. *Prima est* ad Deum tota conversio, sicut exquirit à populo suo Dominus per Prophetam dicentem: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Ille siquidem ad Deum in toto corde convertitur, qui ab omni malitia rerum corruptibilium ex toto corde primo avertitur. Non potest quispiam ad Deum toto corde converti, nisi ab omni mundo fuerit ante aversus. Equidem implicamenta terrena non sinunt hominem ad Deum plena mente converti. Conversio totalis ad Deum cordis nostri est alienatio à sæculo, à seipso, & in Deo ferri per virtutem, & in ipso quiescere per invisibilem remotam animi pacem. Ad Deum toto corde conversus delectatur in ipso: si quid ultra delectabile possit accipere, non inquirit. Existimat inemendabile damnum, si ad horam ab eo deflexerit invisibilem interiorem visum, & deflectens in alio apostasiam operatus est.

3. Secunda est tota confessio, ut psalmus declarat, dicens: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* Hæc porro confessio in exceptu à te deprimit miseriam quæ peccando contrahitur, & nihil sibi novit nisi omnia mala tribuere, Deo autem refert omnem laudem, gratiam & benedictionem: & omnia bona ei tribuit à quo cuncta procedunt bona. Qui hanc confessionem novit inferre, vilescens sibi, unde in seipso exsultet non reperit, sed unde gemat atque tristetur, quoniam reus est mortis. Solum exsultat in eo à quo id quod habet accepit: nec in seipso, sed in Deo gloriatur. Idem & indivisus factus est in prosperis & adversis: quem nec prospera extollunt, nec adversa frangunt. Nec alteratur mens ejus qui in toto corde Deo confitetur, quin Dominum in omni tempore benedicat, & à motu cordis excæcatus, extra etiam communia hominibus, vita, moribus, lingua Christum Dominum confitetur, abhorrens quæ abhorruit, amplectens quæ ipse amplecti dignatus est. Tertia est directio cordis nostri, consummata dilectio: ut Deum ex toto corde diligamus. Non erit autem ipsa consummata dilectio, si corda hominum quadam dubietate tanguntur.

4. Cur ergo in hac vita tam expresse mandabatur, si in via velut in patria non impletur? Sed optimum est altitudinem considerare virtutum, quæ quamvis sub præcepto aut consilio sæpe tradantur, illarum tamen apicem nemo contingere potuit, nisi qui Deus & homo inter homines nasci, conversari, & mori voluit. Semper enim virtus supra facultatem quorumcumque sanctorum apprehensibilis mansit, ad quam semper patet ascensus, quousque in patriam veniretur: ac si per hoc hanc cordis directionem quasi totalem dilectionem ex toto habere non possumus, quam tamen protinus faciamus, declinantes omne vitium, etiamsi in omnem perfectionem intendere non valentes, Salvator ait, *Qui habet mandata mea, & servat ea, hic est qui me diligit.* (Johan. 1) Amator Dei inimicus est mundi: quoniam amicus mundi, inimicus est Dei. Inimicus ex corde, de inimico nulla gaudia suscipit, nisi cum eum videt oppressum, aut cum potentior factus in exsilium tradere aut interficere potuit. Hic typus quo fœdere cum sæculo quis adstringatur ostendit. Amator sic ex corde perfecto non sapit alta, sed consentit humilibus: & occupatus in ipso, ad judicia hominum non vacabit. Non meditabitur prava de rectis: non contendet; non invidebit iis qui humana prosperitate potiuntur. Ad aptitudinem nostri oris est proferenda purgatio, ut nihil impertinens ex eo proferatur: & moderatio in his habeatur quæ dicere necessitas ipsa compellit, quoniam per Sapientiam dicitur: *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* (Prov. 1) Et nihil in eo aptius, quam propriæ accusationes, orationes, laudes, benedictiones ad omnium creatorem, & humilis sermo, verecundus, exhortativus, ad proximum promatur, non in contentione aut disceptatione verborum, non in præsumptione; sed in omni mansuetudine animi, & suavitate linguæ. Tutius tamen est audire quam dicere: erudiri, quam erudire. Latet interdum blandus dæmon in proferendo sermones, ex quibus solet sæpe fama detestanda & vanitatis aura captari, & Spiritus-sanctus nos terret, quoniam *vir linguosus non dirigetur in terra.* (Psal. 1) Si aliquis præter necessitatem & apertam utilitatem etiam in bonis auditores alloquitur, semper digitus prudentiæ sit super os suum, ne verba indisciplinata eructet. Et cum David in hac virtute societur, qui dicebat: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.* (Psal.)

5. Honestæ autem hominum actiones non aliter quam ab honesto corde adjuvante divina gratia, & per legem Christi procedunt; ut est omnium sensuum sincera custodia, ne quid per eos improbum ad animam illabatur: & mores compositi, ne notabiles fiant ex singularitate vivendi, tales sint, quales decet servum Christi, superna non terrena captare volentem. Non conversatio importuna, sed rara pro necessitate propria vel communi. Non onerosa, non signata hypocritalibus notis, omnem duplicitatem & obliquitatem excludens, subjecta proximo in omnibus, præterquam in vitio. Delectare in teipso: ne te in aliquo magnipendas: humilis & suavis sub pondere paupertatis: à qua expugnari quotidie, proprie servorum est Christi. Capta ex laboribus & sudoribus vitam tuam. Ubi autem est infirmitas, & impossibilitas denegat, ne erubescas humilem quæstum facere. Nam ex quæstu in humilitate subvenitur indigenti, & superna merita conquiruntur, & formatio fit ad sanctos. Sæpe abluaris salutaribus sacramentis, & his atque divinis verbis tuam animam refocilla. Talis studeas vivere, qualis affectas in extremo judicio inveniri. Non tibi plura scribo. In his paucis exerce animam tuam. Curiosa, & non expedientia tibi, nec à me, nec ab aliis amplius quæras. Quod tibi novi utile, scripsi: & si aliud à me petisti, utiliter denegavi, nolens in magnis, sed in parvis & paucis involvere animam tuam. Tuos natos, ut potes, in Deo nutrias, & ora pro me. Patientia tibi expediens semper tecum sit. Amen.

* *Tribuitur etiam S. Bernardo alia epistola similis argumenti, de* cura & modo rei familiaris, *quæ sic incipit:* Gratioso & felici militi Raymundo, domino castri Ambasii, Bernardus in senium deductus, salutem. Doceri petis à nobis de cura & modo rei familiaris, &c. *ut apud Johannem Picardum. Sed hæc epistola tam indigna est nova luce, quam Bernardo auctore. An autem sit* BERNARDI SILVESTRIS, *cujus est opus metricum non editum, quod* MEGACOSMUS ET MICROCOSMUS *inscribitur,* GERRICO DOCTORI FAMOSISSIMO *nuncupatum, alii viderint.*

# OPUSCULUM IN HÆC VERBA, *AD QUID VENISTI?*

*Gerardus Vossius Præpositus Tungrensis, Romæ anno* 1594. *primus edidit sub hoc titulo :* Opusculum S. Bernardo abbati Claravallensi adscriptum. *Qui illud Bernardo primi tribuêre, hac forte moti sunt ratione, quod istud identidem frequentaret,* Ad quid venisti ? *ut patet ex lib.* I. *Vitæ cap.* 4. *Verum paucis immutatis, reperitur in Biblioth. PP. Tomo* 13. *edit. Colon. inter Opera* Davidis de Augusta *Ord. Minorum cum hoc titulo,* Formula Novitiorum, *præmissa epistola nuncupatoria* ad Bertholdum.

[Cap.] I. [Pro]po[sit]o & [co]gitan[...]

Primo considerare debes, ad quid veneris, seu propter quid veneris. Propter quid venisti, nisi solum propter Deum; ut is esset merces tua in vita æterna ? Sicut enim propter nullum alium venisti, ita propter nullum alium debes omittere bonum, nec tepescere alicujus exemplo; quin studeas ad hoc, ad quod venisti. Venisti enim ad serviendum Deo, cui servire omnis creatura debet. *Primo*, quia nihil habet nisi ab ipso : & ideo debet ei maxime omnis homo, tamquam rationalis, dare quod est, & quod potest. Et sicut omnia serviunt Creatori pro posse suo, multo magis homo, quem non solum creavit, sicut cetera sunt creata; sed insuper intellectu decoravit, libero arbitrio nobilitavit, mundi dominum constituit, sibi similem fecit, naturam ejus assumpsit: verbo & exemplo eum instruxit, proprio sanguine eum de morte æterna redemit, Spiritum-sanctum ei infudit, carnem suam in cibum tradidit ei, curam ejus habet sicut mater parvuli sui filii, & hereditatem æternam ei dare disposuit. Ecce quantum nos tenemur ei servire præ ceteris creaturis, qui nos præ omnibus creaturis mundi amavit.

[Cap.] II. [De ob]edien[tia]

Et quia non confidis tibi, ut præsumas te scire, quid Dominus velit : ideo commisisti te superiori tuo, ut ipse te regat : & dedisti manum tuam in confessione, ut ipse te ducat in viam Dei. Unde non licebit tibi vivere pro velle tuo : sed quò ductor tuus ire te jubet, illuc ire debes, & quod ipse prohibet, debes cavere. Quia qui artem aliquam discere cupit, debet regulam sui ductoris tenere, & proprias adinventiones relinquere. Ut infirmus, qui accessionem excessuum patitur, debet servare dietam, quam medicus illi indicit, si cito sanari desiderat: ita & tu nihil dicas vel facias, quod magistrum tuum nolle præsumis. Te enim dedisti ei, propter regnum cælorum: & ideo non es tuus, sed ejus. Te ei vendidisti, & ideo non licet tibi agere de te, sine ejus voluntate. Ipse est enim dominus tuæ voluntatis : & contractio rei alienæ invito domino furtum est. Fur autem cælo non appropiat. Ipsi rectores, quia sunt vicarii Domini super nos, & nos debemus eis obedire sicut Domino, non sicut hominibus, quia non propter ipsos, sed propter Deum subjicimus nos ipsis : ideo *servus non est major domino suo.* Talem ergo te exhibe ei, ut libere jubeat te facere vel dimittere, quicquid videtur ei expedire : quia si ipse te timeas, jam servus est major domino suo, & discipulus super magistrum.

[Cap.] III. [De r]everen[tia er]ga præ[latos]

Habeto pacem cum prælatis tuis. Non detrahas eis, nec libenter audias alios detrahentes eis : quia specialiter Deus hoc vitium punit in subditis, etiam in præsenti. Non acriter ponderes eorum excessum, sed ignoscas quasi hominibus : quia in multis curis non potest quandoque negligentia vitari, & sæpe quod alius pro bono facit, quia non intelligimus intentionem ejus, pro malo judicamus. Honora eos in corde tuo, & non spernas, ne forte & Deum spernas, cujus vicem gerunt. Et propter utilitatem tuam & animæ tuæ, ordinationes eorum & constitutiones serva, atque non fastidias quæ non sine causa faciunt, licet tu nescias causam. Qui ambulat simpliciter in via Dei, non ei talia nocent, sed prosunt, & & ad majus sibi meritum sunt. Verus servus Dei sic debet in via regia & mandatis Dei ambulare, quod statuta humana non arctent eum in aliquo : quia ipse debet semetipsum arctare, ut si non esset illud statutum, tamen caveret sibi ab omni quod non est expediens. Per talia enim statuta reprimuntur excessus eorum, qui metas disciplinæ transgrediuntur. His de obedientia præmissis, quæ initium bonæ religionis sunt, transeo ad alia. Et primo ad corporalia exercitia, deinde consequenter ad spiritualia; quoniam non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale est.

Cap. IV. De primitiis diei & cogitationum Deo offerendis.

Consuesce quod oportunum est, parum ante matutinas uigilare, ut spiritus tuus dirigatur ad Dominum in oratione, & postea magis sobrius sis atque devotus in servitio Dei & laudibus ejus : & evigilans statim omnes cogitationes & somnia abige, quibus diabolus te occupare volebat : & primitias cogitationum tuarum offeras Deo in oratione corde erecto vel genu flexo, donec aliquem affectum devotionis concipias, & incalescat spiritus tuus, & ex hoc tota die eris devotior & ferventior.

Cap. V. De reverentia & attentione in divino officio.

In divino officio non sis piger & acediosus : sed cogas corpus tuum & spiritum tuum. Reverenter & alacriter psalle Domino coram Angelis, qui ibi præsentes assistunt. Risus & verba inutilia deteſtare, ubi coram altissimæ majestatis oculis cum metu & reverentia debes assistere. Verba psalmodiæ distincte & integre pronuntia. Non libenter discurras per chorum, nec ante finem horarum exeas, nisi magna necessitas te compellat atque cogat. Priusquam incipiatur officium, prævenire stude, ut ad aliquam devotionem te excites. Ideo enim tam desides sumus in officio, quia non sumus ante excitati, & ita eximus frigidi & dissoluti, sicut intravimus. Stude ergo in ipso principio, cogitationes varias abjicere, & intendere his quæ psalluntur : alioquin postea tumultus earum vix poteris evadere. Post officium stude te conservare in devotione quam concepisti, & ne te statim effundas ad inania. Si autem non habes devotionem interius, saltem conserva disciplinam & morum gravitatem exterius, propter reverentiam Dei, & aliorum confratrum & proximorum exemplum.

Cap. VI. De accusatione sui & aliorum in Capitulo.

In Capitulo non multum loquaris, nisi valde utile sit, & hoc similiter dic, & correptus mansuete responde, nec te excuses quando corriperis; sicut Adam qui refudit in Deum & in mulierem culpam suam, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi, decepit me.* (Gen. 3.) Si in consilio interrogatus fueris, libere & humiliter quod tibi videtur expedire, responde. Si non requiritur, vel non recipitur consilium tuum, non sit tibi curæ, nec velis sententiam tuam pertinaciter defendere. Sufficiat tibi satisfacere conscientiæ tuæ. In accusationibus non sis anxius. Dic tamen, quod sit factum contra Regulam, & Ordinis statuta, sine odio alicujus, & mansuetis verbis, & vultu placido. Ad illud, quod non scis, non teneris. Noli opinando accusare, quia opinatio sæpe fallit. Ille qui dixit tibi quæ tu nescis, dicat per se, si verum est. Si autem præsens non est, tunc nec tu probare poteris, cum testem non habeas. Non graveris pro accusationibus tuis : sed dic tantum culpam tuam, si vera est, vel parva, licet non vera : alioquin consurget tibi major confusio, si procaciter te excuses quàm si humiliter confitearis. Si vero gravia essent, & non vera, maxime quæ alios possent scandalizare : tunc humiliter petita licentia exaudientiæ, indica eis paucis verbis & mansuetis, quod non sis tibi conscius, de quibus accusaris. Servus Dei non debet timere confusionem coram hominibus, ubi conscientia non accusat coram Deo : sed sustinere debet patienter, quidquid voluerit eum Dominus sustinere.

Cap. VII. De bonis institutis accurate servandis.

Assuesce, ubicumque à superioribus corriperis, sive in Capitulo, sive extra, ut statim genibus flexis tuam culpam dicas humiliter : hæc lex antiquæ religionis ab an-

tiquis Patribus tradita est. Unde debes studere, ut sicut ordo à tuis senioribus traditus est: ita & tu tradas eum posteris tuis, quantum in te est, verbo & exemplo. Nec aliquam consuetudinem non bonam inducas, vel doceas: nec aliquam bonam per negligentiam, vel per incuriam diaboli prætermittas, nec in te ipso, nec in aliis quibus cum modestia suadere potes. Quicumque enim aliquod exemplum relinquit aliis, sive bonum, sive malum, particeps erit imitatorum suorum, sive in præmio, sive in supplicio.

CAP. VIII. De regula & moderatione in mensa servanda.

In mensa non sint oculi tui gyrovagi, neque hinc inde respicias; ita quod videas, quis in latere tuo sedeat, vel quid faciat, quidve coram se habeat. Tibi soli & Deo debes esse intentus. Cum disciplina & silentio & timore comede: non autem cum impetu gulæ, quasi non possis satiari. Non effundas te totum super cibum, sicut canis famelicus: nec antea quæras satiare oculos, quàm palatum. Cum gratiarum actione sufficiant tibi præsentia: & semper in mensa malis penuriam pati, quàm abundare. Nil eorum quæ tibi apponuntur, spernas; nec indigneris, si aliquis defectus est in condimento, vel salis, vel cocturæ: sed cogita quod multi te meliores vilioribus sint contenti & paucioribus, & quidquid abjicis, pro magnis deliciis acceptarent. De mensura comedendi difficile est certam regulam tradere, nisi inter ista duo medium teneas: ne ita parum sumas, ut viribus deficias, & labore frangaris; & ne ita multum, ut post cibum non possis orare, vel legere, vel meditari, vel agilis esse ad omnia opera virtutum. Inter ista duo propria experientia melior magistra erit.

CAP. IX. De paupertate sectanda.

Paupertas Christi amica placeat tibi in omnibus, & ipsam summo conatu amplectere, in cibis, in vestibus, in utensilibus, in libris, in ædificiis, in omnibus. Vide quàm humiles gestus habeant pauperes, quàm simplex responsum, quàm pavidum animum. Numquam audiatur aliqua querimonia de te pro aliquo defectu in cibo, vel in potu, aut in vili vestitu. Semper reputa te indignum de iis, quæ habes. Quia defectus exterior crescit in augmentum gratiæ interioris, & in divitias bonæ conscientiæ: è contra exterior abundantia inopiam generat interiorem.

CAP. X. De modo cubandi seu dormiendi.

In dormitorio esto quietus, nec per te aliquis inquietetur. Quotiescumque evigilaveris, statim occurrat tibi memoria Dei cum gratiarum actione, quia ipse vigilat super nos, quando dormimus, ut custodiat nos. Quando dormire vis, prius intendere debes orando, vel meditando; & ita in ista occupatione obdormias; & erit tibi somnus dulcior & utilior: somniabis, & etiam evigilabis ferventior in eadem devotione, & surges alacrior, & facilius redibis in eamdem devotionem, in qua prius fuisti. Et licet dormientibus non imputandum videatur, quod nescii faciunt, vel patiuntur; tamen valde indecens est homini religioso, ita esse totum obrutum somno, sicut pecus, & jacere distentis manibus, & aliis membris incomposite in sinu contractis: cum propter hoc vestiti jaceamus & cincti, ut non habeamus potestatem circumducendi manus huc & illuc in nudo corpore, & magis parati simus ad orationem vel ad surgendum. Discretio in his necessaria est, per quam & corpus prudenter castiges, ne adversus spiritum caro rebellet: & spiritum discrete foveas, ne sub sarcina deficiat, & spiritualem defectum impediat præ nimia debilitate.

CAP. XI. De opere vili & Missæ servitio.

Ad labores communes, & ad humilitatis officia esto paratus in ecclesia & in coquina; & maxime ad illa te obsequia exhibe, quæ alii pro sua vilitate contemnunt, & quasi abhorrent; ut ligna portare, domum purgare, tunicas excutere, & pedes lavare. Ad Missam libenter servias, quoniam hoc est officium Angelorum. Ipsi enim devotissime Domino serviunt & ministrant. In hoc enim ministerio, triplex est fructus. *Primo*, boni operis exercitium est. *Secundo*, opus est caritatis, quia proximum provocat in bono. *Tertio*, opus est devotionis; quando adstas ante mensam summi Regis, & cum eo loqueris in oratione & in ministerio cum Angelis, quibus & familiarior eris ex ministerio. Ex hoc sacerdos specialiter, & omnes circumstantes generaliter pro te orare A debent, immo tota Ecclesia ubique in orbe terrarum; eo quod vices omnium geras, qui Domino suo de cælo cum devotissima gratiarum actione vehementi ministrare deberent, si possent adesse. Et vix potest esse, quin Deus aliqua speciali gratia remuneret eum in præsenti, qui devote & libenter ministrat ad sacramentum illud tam salutare: quo nil melius neque sanctius potest esse in cælo & in terra; & quodammodo præcipuum indicium divinæ dignationis & dilectionis ad homines. Quid enim minus facit Deus quotidie veniendo super altare, quàm cum de cælo descendens formam assumpsit humanam? & ideo reliquit memoriale totius dilectionis in se ipso, Incarnationis, Redemptionis, Glorificationis. Salubre B est ei sæpe communicare, qui omni devotione & studio virtutum, & custodia sui, non solum à magnis peccatis, sed etiam à levitate verborum, & operum, & cogitationum se ad hoc studet aptare. Licet enim omni tempore debeamus esse solliciti ad spiritualia opera, convenit tamen maxime, ut ad susceptionem tanti sacramenti nos præparemus, & susceptum reverenter custodiamus.

CAP. X[II]. De confessione re[cte] instituen[da].

Sæpe confitere peccata tua ad minus bis vel ter in qualibet hebdomada, & simpliciter dic culpam tuam, sicut uni Angelo, qui sciret secreta cordis tui. Non adjicias velamen excusationis vel alleviationis; nec implicate confitearis, ut confessor tuus non intelligat quid C notes. Specifica quid feceris, & nude & pure confitearis. Historias autem & facta aliorum noli recitare; sed quod recolis te excessisse à tempore, quo nuperrime es confessus, hæc breviter dic & pure; & noli tractatum texere cujusdam longæ & affirmativæ confessionis generalis, quia generat tædium confessori: ita poteris in oratione tua quotidie Domino confiteri. Defectus tuos ei expone, quos sentis in singulis virtutibus, & multum expedit super his ab eo remedium postulare miserationis. Parum enim valet confessio, nisi proponas de cetero cavere tibi ab iis quæ confiteris, & te studeas emendare.

CAP. X[III]. De amo[re] Cellæ & [ab]negatione propriæ [vo]luntatis.

In cella libenter esto, & in ea aliquid boni age, quod ædificet cor tuum, mentemve tuam, vel quod à tuo Su- D periore injunctum sit. Tam voluntarius debes esse ad obedientiam, ut si omni hora relinqueretur, quid facere deberes arbitrio tuo, libentius æquo animo accipias mandato obedientiæ deservire, & non tui juris esse: ita quod nec loqui sine licentia, nec ad aliquas necessitates proprias ires, si liberum arbitrium haberes: sicut sanctos Patres in Ægypto legimus vixisse, quorum gloriam si cupimus adipisci, virtutes imitemur.

CAP. X[IV]. De lectio[ne] scripturar[um] piorum [li]brorum.

Sæpe divino sacræ Scripturæ eloquio incumbe. Hoc tuum primum esse debet fundamentum, necnon via quæ ducit ad vitam. Lege Sanctorum vitam eorumque doctrinam: ut bonis operibus eorum & actibus instruaris, & humilieris, & ad devotionem accendaris, vel ad studium E provoceris; ut informeris in intellectu Scripturarum, & in fide illumineris, ut verum à falso scias discernere, & bonum à malo, vitium à virtute; & remedia tentationum, & reformationem morum invenire. Non legas ad hoc ut doctor vociteris, non causa curiositatis. Non legas libros qui non ædificent, ut sunt figmenta poëtarum: quia nova lectio novas generat cogitationes, & exstinguit mentis devotionem.

CAP. X[V]. De Præl[atio]ne & mu[nere] docendi affectanc[do].

Non affectes prælaturam, vel officium quodcumque, & quantumcumque dignus sis, non præsumas de te magna; sed stude teipsum semper deprimere & humiliare usque ad terram: si tamen dignus fueris, vocabit te Dominus renitentem. *Nemo enim sibi sumit honorem, sed* F *qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* (Hebr. 5.) Si insufficiens & indignus, erit tibi confusio magna. Unde est quod aliquando parvum consequimur fructum ex prædicationibus, vel confessionibus nostris? *Quia non vocati à Deo venimus, & non missi currimus.* (Hier. 23.) Prius volumus fructum ferre in aliis, quàm radices in terra fixerimus caritatis & veritatis. Et ideo fructus non est durabilis, quia non procedit ex radice caritatis. Hinc est quod in Levitico dicitur: *Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.* (Levit. 19.) *Quar-*

*to autem anno, omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno, comedetis fructus, congregantes poma, quæ proferunt.* Arbor in terra plantata, est homo de sæculo sumptus & in religione plantatus; qui fructus salutis debet afferre in se, & in aliis tempore opportuno. Si intempestivos fructus protulerit, immundi reputabuntur, & inutiles ad fructum spiritualem, propter præsumptionem. Primus annus est pœnitentia vera de peccatis præteritis. Secundus autem annus est perfecta conversatio ad statum emendationis. Tertius autem annus est usus bonæ conversationis. Quartus annus est laudes & humanos honores contemnere, & gloriam soli Deo quærere, & animarum salutem. Quicumque autem ante hunc annum ingerit se, ut fructum animarum proferat; non Deo acceptum, nec sibi meritorium propter levitatem, nec aliis erit proficuum. Post vero hunc annum, id est quinto anno, puræ caritatis comedent fructus, & congregabunt poma: quia tunc erit prædicatio fructuosa & sibi meritoria, ut fructum congregent in vitam æternam. Teipsum stude primo componere interius in bonis moribus, ac ordinare in sanctis affectionibus & cogitationibus: & tunc procedes ad docendum alios. Insana doctrina est, qui aliquem præsumpsit docere, antequam didicerit.

XVI. Numquam securus sis, etsi absconsus, quin te disciplinate habeas, & caste in omnibus, in visu, auditu, tactu, gustu, & odoratu, ac si videaris ab amico. Scito, quod sancti Angeli sunt nobiscum, & semper ubique vident omnia quæ facimus: quorum aspectus debemus vereri, & præsentiam revereri. Videt etiam nos ipse Deus & Dominus Judex noster: videt ipsa nostra conscientia, testis eorum quæ facimus, & accusat. Qui autem veretur magis hominum aspectus, quàm Dei & Angelorum & propriæ conscientiæ, non est castus amator boni, sed appetitor temporalis honoris: & talis non est servus Dei verus, qui adhuc magis cupit placere hominibus quàm Deo. Quibus enim plus times displicere, illis etiam magis affectas placere. *Nemo* autem *potest duobus dominis servire.*

XVII. Inter fratres exhibe te verecundum, gratiosum, modestum, affabilem, dulcem, & severiorem: ut disciplinam conserves, & tamen ex austeritate non sis onerosus aliquibus. Jocos dissolutos numquam exerceas, nec verba sæcularia alicubi proferas, nec libenter audias. quod enim te delectat audire, si auderes, etiam libenter proferres. Servus autem Dei ita castus esse debet in omnibus verbis, factisque suis; ut non tantum horreat, quæ indecenter sonant; sed etiam ea quæ dant intelligere aliqua turpia, licet aliqua sint honestate palliata. Omnes gestus & sermones tui, & mores, & aspectus, & incessus, quadam humili verecundia debent esse ornati. Nil appareat in te elatum & pomposum, vel audaciæ vel præsumptionis notabile. Verecundia enim est maximum decus in religioso, præcipue in juvenibus: ita ut qui eam postponunt, vix aliqua spes sit de eis, quod boni fiant & virtuosi. Sicut timor Domini componit homines, & ordinat interius omnia ad beatitudinem: ita verecundia componit exterius ad disciplinam. Nemo sit tibi ita familiaris, coram quo verecundiæ penitus obliviscaris. Incessus tuus sit maturus: non leviter curras sine necessitate; nec vultum tuum erectum geras, sed mediocriter depressum; nec vagus sis oculis; nec brachia multum ventiles; nec more sæcularium incomposito gradu incedas, sed plano & humili gestu. Sedens non pigre te in latus inclines, nec crura longe extendens, maxime præsentibus aliis. Exterior enim incompositio corporis indicium est indevotæ mentis. Risus tuus sit moderatus & rarus, sine cachinno. Magis enim vult Dominus bonitatem, quàm dissolutionem. Stude vultu esse serenus, & non turbulentus vel indignabundus: quia Deo hoc vitium valde displicet.

XVIII. Verba tua sint lenia; responsio humilis sine punctione amaritudinis, vel obliquæ redargutionis, atque irrisionis. Sic forma verba tua ad alterum, cum loqueris de aliquo, ac si illum auscultare, & prope stare cerneres. Non timeat te quisquam; quod in sui absentia famam suam denigres in aliquo. Magnum vitium est in Religioso, aliquid mali de absente loqui, quod loqui erubesceret, si ille audiret. Non libenter audias detrahi alicui, sed aut fuge detractorem, aut compesce si potes. Nil prodest audire detractiones. idcirco aliquem laudabilem elige virum, si potes, qui te & alios auditores ædificet verbis suis potius, quàm detrahendo noceat. Rumores nescias, quia inquietant cor, & mentem distrahunt, & devotionem exhauriunt, tempusque sine utilitate consumunt. Etiam omnia quæ scis, non effundas tamquam vas absque operculo; quod statim cum inclinatur, effundit quidquid continet. Non sis libenter in turba: nisi quando tractatur de Deo & his quæ animum ædificant. Non sis clamosus in loquendo, nec impetuosus ad evaporandum, quod intus tenes. Cave autem, ut sicut tu nullis detrahis, ita nullum prodas detractorem apud illum, cui detrahitur; ne magis degraves detractorem, & ex te semen discordiæ generetur. Potest namque esse, quod ille qui dixit de altero, non intendat derogare ei, sicut iste forte suspicatur, & incitatur ad odium contra eum, & ad vindictam provocatur: ille simpliciter dixit, non animo detrahendi; aut forte statim pœnituit, proponens se de cetero à similibus cavere. Si autem talia dicerentur de aliquo, quod omnino expediret eum scire de quo dicuntur, potes ei exprimere, si vis, quæ dicuntur, non exprimendo eum qui dixit: ut sciat quid cavere debeat, & non in odium contra detractorem inardescat.

CAP. XIX. De cavenda jactantia.

Jactantiam diligentissime cave. Ne umquam cures aliqua scire, quæ in te bona sunt, nec alicui debes significare de aliquo, quod in te est commendabile; nec velis in te inaniter gloriari ex eo quod in te potest esse aliquid laudabile quod non intelligant alii, licet tu taceas & abscondas: si te prodis & commendas, irrideberis & vilesces, & unde prius ædificabantur in te, postea despicient. Omnis quippe laus in proprio ore sordescit. Maledicta & convicia, mendacia levia & frivola, & omnia juramenta, omniaque turpia verba, licet etiam sint jocosa, ab ore religiosi perpetuo anathemate sunt arcenda. Jacobus apostolus ait: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Jacob. 1.

CAP. XX. De verbis jocosis fugiendis.

Verba jocosa sunt fugienda ubique: & licet grave non sit eorum peccatum, tamen consuetudo continua generat animæ detrimentum. Nam sæpe dum quasi licenter, vel silenter relaxamus linguam in verba otiosa, & non advertimus: dilabimur paulatim ad nociva, ex quibus oriuntur detractiones, murmurationes, dissolutiones & graves conscientiarum corrosiones.

CAP. XXI. De studio audiendi pia & utilia.

De Deo audi libenter loqui, & tu ipse loquaris similiter: quia talis locutio incitat ad studium virtutis, & affectum devotionis. Audi humiliter verba ab his, qui dicunt, nec disputes econtra. Sunt quidam, qui cum audiunt aliquid boni, ne ipsi videantur ignorare bonum quod alter proponit, statim volunt de hoc disputare, ut videantur etiam de hoc aliquid scire. Non enim quærunt ædificationes, sed ostentationes: & ideo propter tales sæpius multa bona omittuntur dicenda.

CAP. XXII. De cavenda contentione.

Noli esse contentiosus. Cito crede, cum bonum est & verum, quod alter proponit. Tuum non est resistere propter aliquam ostentationem, si bonum & verum est. Si autem non bonum, melius persuadebis ei veritatem pacifice & quiete demonstrando, quàm acriter arguendo.

CAP. XXIII. De modo loquendi religiosorum, & cura temporis.

Cum loqueris, loquaris voce remissa, vultu placido. Moribus disciplinatus, & quietus esse studeas, & quicquid tunc loqueris, magis authenticum & utile erit. Non sis audax coram senibus, sed verecundus, auscultans doctrinam eorum. Seniorum est docere, juvenum autem humiliter audire. Noli otiosus sedere, & intendere rumoribus & fabulis: quia principaliter duplex malum ex hoc contrahitur: Teris inutiliter tempus, & ex hoc pateris detrimentum, cum de eo redditurus sis Deo in die novissimo rationem: cum omne tempus tibi impensum exigetur à te in die judicii: aliud, quia non das in hoc aliis bonum exemplum, & de hoc etiam rationem reddet.

CAP. XXIV. De speculo omnium virtutum nobis proposito, id est vita Christi.

In omnibus virtutibus & bonis moribus, semper propone tibi illud præclarissimum speculum sanctitatis, & perfectissimum exemplum: scilicet vitam & mortem Filii Dei & Domini nostri Jesu-Christi, qui de cælo ad

hoc missus est, ut nobis præiret in via virtutum, & legem vitæ & disciplinæ suo nobis exemplo daret, & erudiret nos sicut semetipsum. Sicut enim naturaliter ad imaginem Dei creati sumus; ita ad morum ejus similitudinem pro nostra possibilitate conformemur, qui ejus imaginem peccato fœdavimus. Quanto enim quilibet se virtutum imitatione conformare Christo studuerit: tanto ei propinquior in patria, & similior in gloriæ claritate erit. Describe in corde tuo mores ejus; quàm humiliter se habuerit inter homines, quàm benigne inter discipulos, quàm modeste comedendo & bibendo, quàm mise- A ricors super peccatores, quibus se similem fecit per omnia; quomodo nullum sprevit vel horruit; etiamsi esset leprosus; quomodo divitibus non adulabatur: non anxius pro corporis necessitatibus erat: quàm verecundus in visu, quàm patiens in contumeliis, quàm mitis in responsionibus. Non enim studuit se vindicare in verbo mordaci & amaro: sed blanda & humili responsione, alterius malitiam sanabat. Item, quàm sollicitus in animarum salute: pro quarum salute, cum Deus esset, nasci & mori dignatus est. Qui est benedictus super omnia in sæcula, Amen.

## ADMONITIO IN SEQUENTEM LIBRUM.

S*equens Tractatus nec Bernardo convenit, nec ejus sorori Humbelinæ, quæ conjugata fuit in sæculo, antequam vitam monasticam profiteretur. Auctor Sororem monet num.* 65. ne conjugatas e sæculo ad Religionem venientes despiciat. *Non videtur fuisse Regulæ S. Benedicti addictus. Siquidem inter psalmos ad Primam recitari solitos meminit psalmi* Deus in nomine tuo, *&c. quem Benedictinæ Regulæ sectatores extra hebdomadam sanctam ad Primam non recitant. Quisquis tandem ille sit, jam senex hunc librum scripsit ex num.* 170. *Sed hæc plura quam sit necesse de hoc prolixiori tractatu, quem ad calcem hujusce Tomi relegare visum est.*

# LIBER DE MODO BENE VIVENDI AD SOROREM.

## PRÆFATIO.



CARISSIMA mihi in Christo soror, diu est quod rogasti, ut verba sanctæ admonitionis scriberem tibi. Sed cum scriptum sit, Superbia est quemquam velle docere meliorem se, indignum me ad hoc opus conspexi; & ideo quod rogasti, aliquamdiu facere distuli. Sed quia iterum, iterumque rogasti, rursus ad memoriam reduxi sententiam Domini dicentis, *Quicumque angariaverit te mille passus, vade cum eo duo millia, omnique petenti te tribue*: undique coactus, tandem caritate compulsus, tuisque orationibus adjutus, sub mensa Patrum micas collegi, & si non ut debui, tamen ut potui, quas in hoc libro tuæ sanctitati repræsento. Nunc ergo, carissima soror, hunc librum accipe, & eum ante oculos tuos quasi speculum propone, eumque omni hora velut speculum contemplare. Præcepta namque Dei specula sunt, in quibus seipsas animæ inspiciunt, & in quibus cognoscunt maculas, si quæ sunt, fœditatis; quia nemo mundus à delicto: & in quibus emendant vitia cogitationum suarum, & relucentes vultus quasi ex reddita imagine componunt: quia dum præceptis dominicis toto animo intendunt, in eis proculdubio quid in se cælesti sponso placeat, vel quid displiceat cognoscunt. Hunc igitur librum, soror venerabilis, libenter perlege, iterum iterumque relege: & in eo cognosces, qualiter Deum proximumque diligas, quomodo cuncta terrena & transitoria despicias, quemadmodum æterna ac cælestia concupiscas; qualiter pro Christo adversa hujus mundi patienter sustineas, & prospera ac blandimenta contemnas; quemadmodum in infirmitatibus tuis Deo gratias reddas vel agas, & in sanitate non superbias; quomodo in prosperitate non eleveris, nec in adversitate frangaris. Soror mihi in Christo dilecta, librum istum tua prudentia studiose percurrat, & peccata mea assidue lugeat: ut qui non sum dignus impetrare indulgentiam, saltem tuis orationibus possim consequi peccatorum meorum veniam. Omnipotens Deus custodiat, & ab omni malo te defendat, & cum omnibus tecum Deo pariter servientibus ad vitam perducat æternam, venerabilis soror, amen.

Matth. 5.

### I. *De Fide.*

Mar. 6.

1. DOminus dicit in Evangelio: *Omnia possibilia sunt credenti.* Nemo potest venire ad æternam beatitudinem nisi per fidem. Ille vero est beatus qui recte B credit, & recte credendo bene vivit, & bene vivendo fidem rectam custodit. Unde beatus Isidorus: Sine fide nemo potest placere Deo. Fides nequaquam vi extorquetur, sed exemplis atque ratione suadetur. A quibus autem violenter exigitur, perseverare in ea nequaquam possunt: exemplo novellæ arboris, cujus si quis cacumen violenter represserit, denuo dum laxatur, in quod prius fuerat confestim revertitur. *Fides sine operibus mortua est*: & frustra sibi de sola fide blanditur, qui bonis operibus C non ornatur. Qui crucem portat, debet mundo mori. nam crucem ferre, semetipsum est mortificare. Crucem ferre & non mori, simulatio hypocritarum est. Qui non dubitaverit in corde suo, sed crediderit, quodcumque petierit fiet sibi. *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam.* Qui autem non credit, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum. Sicut corpus sine anima mortuum est, ita *fides sine operibus mortua est*. Soror carissima, magna est fides, sed nihil valet sine caritate. Igitur, soror venerabilis, serva in te rectam fidem, tene sinceram fidem, custodi intemeratam fidem, maneat in te recta fides: sit in te incorruptæ confessionis fides. Nihil temere de Christo loquaris, nihil de Deo pravum & im- D pium sentias, nihil perverse cogites, nec dilectionem ejus offendas. Esto in fide justa: habeto in fide recta conversationem sanctam: Deum quem invocas fide, non deneges opere. Malum mixtum bonis contaminat plurima. Unum malum multa bona perdit. Non delinquas in opere, quæ perfecta es in fide. Male vivendo non polluas fidem. Integritatem fidei pravis moribus non corrumpas. Non admisceas vitium virtutibus, non adjungas malum bonis. Soror amabilis, Deus te incolumem custodiat, Amen.

Fide coge sed dend

Jac. 2.

Johan. 3.

### II. *De Spe.*

Mar. 11.

2. DOminus dicit in Evangelio: *Nolite desperare, sed habete fidem Dei in vobis.* Spes quæ vide- E tur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. Unde Salomon ait: *Exspectatio justorum lætitia, spes autem impiorum peribit.* Ergo, soror carissima, & tu exspecta Dominum, & custodi viam ejus, & exaltabit te ut hereditate capias regnum Dei. Exspecta Dominum, carissima, & recede à malo, & exaltabit te in die visitationis, id est, in die mortis tuæ, sive in die judicii. Qui male agere non cessant, in vanum misericordiam Dei exspectant: quam recte exspectarent, si à malo recederent.

Rom. 8.

Prov. 10.

derent. Unde beatus Isidorus: Timere debemus ne per spem quam Deus promittit nobis, perseveranter peccemus. Nec rursus quia juste peccata distringit, de Dei misericordia desperemus: sed quod melius, utrumque periculum fugiamus: ut è malo declinemus, & de pietate Dei veniam speremus. Omnis quippe justus spe & formidine nititur; quia nunc spes ad gaudium erigit, nunc ad formidinem terror gehennæ reducit. Qui enim de peccati venia desperat, plus se de desperatione quàm de peccato damnat. Igitur, soror dilecta, spes tua sit in Jesu-Christo sponso tuo firma, quia *sperantes in Domino misericordia circumdabit.* Spera firmiter *in Domino, & fac bonitatem: inhabita terram, & in cælesti regno pasceris in divitiis ejus.* Soror venerabilis, depone B injustitiam, & spera in Dei misericordiam: aufer à te iniquitatem, & spera in salutem. Emenda teipsam, & spera in Dei clementiam. Expelle à te pravitatem, & spera indulgentiam: corrige vitam tuam, & spera vitam æternam: ad quam te perducere dignetur ille qui te elegit ante sæcula, Amen.

### III. De Gratia Dei.

3. PAulus Apostolus dicit: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia:* ut sicut regnavit peccatum in morte, ita & gratia regnet per indulgentiam in vitam æternam. Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna. Unicuique autem vestrum data est C gratia secundum mensuram donationis Christi. Soror carissima, sicut beatus ait Isidorus, profectus hominis donum Dei est. Ergo si dono Dei proficimus, necesse est ut de bonis operibus non nosmetipsos, sed Deum laudemus. Nec à se potest quisquam corrigi nisi à Deo. Homo nihil boni habet proprium, cujus via non est ejus, testante Propheta qui ait: *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos.* Cumque aliquod donum percipit; non plus quærat quàm cum accepit: ne dum alterius membri officium surripere tendat, id quod meruit perdat. Conturbat enim ordinem corporis totum, qui non suo contentus officio surripit alienum. In divisione donorum diversa Dei dona perci- D piuntur. Nec uni homini conceduntur omnia dona, sed fit præ humilitatis studio ut alter habeat, unde admiretur in altero. Nam quod in Ezechiele animalium alæ alteræ ad alteram percutiuntur: virtutes designantur Sanctorum mutuo sese affectu provocantium, alternoque sese exemplo erudientium.

4. Honesta virgo, nolo etiam te lateat, quod sine gratia Dei præveniente, comitante, & cooperante, nihil boni possumus facere. Gratia Dei nos prævenit, ut bonum velimus; concomitatur nos, ut bonum incipiamus; cooperatur nobiscum, ut bonum perficiamus. Ergo à Deo datur nobis bonum velle, incipere, & perficere. Igitur à Deo dantur nobis virtutes, vitia vero & peccata oriuntur ex E nobis. Caritas, pudicitia, & honestas à Deo dantur nobis: superbia vero, avaritia, cupiditas sunt ex nobis. Sine Deo nihil boni possumus facere, sed per gratiam Dei multa bona possumus operari. Sine gratia Dei ad bene operandum tardi, pigri & tepidi exsistimus: sed per gratiam Dei in bonis operibus grati & solliciti & devoti sumus. Sine Deo ad peccandum statim parati sumus, sed per gratiam Dei à peccato liberamur. Sine Deo terrena & transitoria plus quàm oportet diligimus: sed per gratiam Dei cuncta quæ in hoc mundo sunt despicimus, & cælestia desideramus. Propter peccatum primi hominis de paradiso ejecti sumus, sed per gratiam Dei ad paradisum nos pervenire credimus. Per peccatum primi homi- F nis in infernum descendimus, sed per gratiam Dei nos confidimus ascendere in cælum. Nam & quod potentes sumus, quod divites, quod sapientes exsistimus, non nisi per gratiam Dei sumus.

5. Interea volo te scire, reverendissima soror, quòd omnia bona quæ in hoc sæculo habemus, per gratiam Dei habemus. Omnia enim mala eveniunt nobis propter peccata nostra. Deus per suam sanctam misericordiam & gratiam dat nobis bona: sed propter peccata nostra accidunt nobis mala. Per gratiam Dei tribuuntur nobis prospera;

A sed propter iniquitates nostras adveniunt nobis adversa. Per gratiam Dei dantur nobis necessaria, sed propter vitia nostra accidunt nobis contraria. Igitur, ô sponsa Christi, necesse est nobis, ut semper ad memoriam reducamus cum gratiarum actione bene merita Dei. unde Ecclesia in Canticis de Christo sponso suo loquitur, dicens: *Memores uberum tuorum super vinum, recti diligunt te.* Cant. 1. Ac si diceret, Memores gratiæ tuæ & misericordiæ tuæ, atque beneficiorum tuorum diligunt te: hoc est, illi te diligunt qui recti sunt corde. Illi recti corde sunt, qui de justitia aut sanctitate nihil suis meritis attribuunt, sed omnia tuæ gratiæ dono adscribunt. Memores gratiæ tuæ qui salvati sunt, diligunt te. Honesta virgo, semper memor B esto, quia quicquid boni in te est, per gratiam Dei est. Audi Paulum Apostolum de se dicentem: *Gratia Dei sum id quod sum:* 1. Cor. 15. sic & tu carissima, gratia Dei es quicquid es. Nam & quod sæculum contempsisti, & quod domum patris tui reliquisti, & quod ancilla Dei esse voluisti, & quod in monasterio servire Deo decrevisti, & quod inter ancillas Dei vivere nunc devovisti, omnia bona hæc per gratiam Dei provenerunt tibi. Nam & quod virgo es, & quòd prudens & sapiens es, non per te, sed per gratiam Dei es.

6. *Interrogatio.* Dic mihi quæso, Frater mi, quid est quod in sacra Scriptura legitur, quia nemo sanctus, nemo bonus, nemo justus, nisi solus Deus? Marc. 10. *Resp.* Soror C dilecta, sicut dicitur, ita est vere. Solus Deus est bonus, & sanctus, atque justus, quia per se est bonus: homines vero sunt boni, non per se, sed per Deum: & ideo solus Deus est bonus, quia per se est bonus. Homines vero sunt boni, & justi, & sancti, non per se, sed per gratiam Dei. Quod bene in Canticis canticorum sponsus Ecclesiæ, scilicet Christus, designat, dicens: *Ego flos campi, & lilium convallium:* Cant. 2. quia odorem virtutis meæ per universum mundum diffundo. *Ego*, inquit, *sum flos campi, & lilium convallium*, id est, ego sum sanctitas, bonitas & justitia eorum qui cum humilitate in me confidunt: quia nullus eorum poterit esse sanctus, nec bonus sine me, sicut dixi in Evangelio, *quia sine me nihil potestis* Johan. 15. D *facere. Ego sum flos campi, & lilium convallium.* Sicut enim campus floribus adornatur & vernat, ita totus mundus fide Christi & notitia decoratur. *Ego flos campi, & lilium convallium*, quia illis hominibus amplius meam gratiam dono, qui non in sua bonitate, nec in suis meritis confidunt, sed in me. Soror venerabilis, ideo te moneo, ut nihil tuis meritis attribuas, nihil de te præsumas. In virtute tua nihil ponas, in viribus tuis non confidas, in tua audacia fiduciam non habeas. Omnia divino dono & divinæ gratiæ adscribe. In omnibus operibus tuis Deo gratias refer. In omnibus actionibus tuis Deo gratias redde. In omni conversatione tua Deo gratias repende. Confidentia tua semper sit in Christo, qui te E creavit ex nihilo.

*Solus Deus sanctus, bonus, justus.*

*Non fidendum suis meritis.*

### IV. De Timore Dei.

7. SOror carissima, audi quæ dico, quæ moneo, ausculta quæ loquor. Deum time super omnia, & mandata ejus semper observa, quia ecce *oculi Domini super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus.* Psal. 32. Et Salomon: *Time Dominum, & recede à malo.* Prov. 3. *Qui timet Dominum, nihil negligit.* Eccles. 7. Etiam quidam Sapiens ait: Eccli. 1. *Timor Domini, gloria, gloriatio, & lætitia, & corona exsultationis. Timor Domini ditabit cor, & dabit gaudium & lætitiam in longitudine dierum. nam qui sine timore est, non poterit justificari. Timor Domini est sapientia & discipli*F*plina. Non sis incredulus in timore Dei, & ne accesseris ad illum duplici corde. Timentes Dominum sustinete ejus misericordiam, & ne deflectatis ab illo, ne cadatis.* Eccli. 2. *Qui timetis Dominum, credite in illum, ut in oblectatione veniat vobis misericordia. Qui timetis Dominum, credite in illum, & non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. Qui timent Dominum, non erunt increduli verbo ejus; & qui diligunt illum, conservabunt vias illius.* Ibidem. *Qui timent Dominum, inquirunt quæ beneplacita sunt illi: & qui diligunt illum replebuntur lege ejus. Qui timent Dominum, probabunt cor-*

Eccli 15 f. Eccli 21. Eccli 33. Ecci. 34. Eccli. 40. Eccli. 25. Eccli. 1.

*da sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata ejus, & patientiam habebunt usque ad inspectionem ipsius. Oculi Domini super timentes se, & ipse cognoscit omnia opera eorum. Consummatio amoris Dei est sapientia Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus liberabit illum à malo. Spiritus timentium Deum requiretur, & in respectione illius benedicetur. Timor Domini est sicut paradisus, benedictio & omnis gloria operiet illum. Beatus vir cui donatum est timorem Domini habere. Timor Domini est initium dilectionis ejus.*

8. O Soror dilecta, nulla res nos sic ab omni peccato custodit immunes, sicut timor inferni, & amor Dei. Deum timere est nulla mala facere, & nulla bona quæ facienda sunt præterire. Timor Domini est fons sapientiæ. (Eccli. 1.) *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die mortis suæ benedicetur.* Soror venerabilis, bonum est nobis timere Deum, quia timor Domini expellit peccatum. Timor Domini semper emendat. Timor Domini reprimit vitium. Timor Domini cautum facit hominem atque sollicitum: ubi vero timor non est, ibi perditio est animæ. Ubi timor non est, ibi dissolutio vitæ est: ubi timor non est, ibi est abundantia peccatorum. Igitur honesta virgo, timor & spes semper sint in corde tuo: pariter sint in te timor & fiducia. Spes & metus pariter perseverent in te. Sic spera in misericordia Dei, ut timeas ejus justitiam.

Timores quatuor.

9. Sed tamen, Soror mihi in Christo amabilis, volo te scire quatuor esse timores, videlicet humanum, servilem, initialem, & castum. (Humanus) *Humanus* timor est, ut ait Cassiodorus, quando timemus pati pericula carnis, vel perdere bona mundi, propter quod peccamus. Hic mundanus timor malus est, & in primo gradu cum mundo deseritur, quem Dominus prohibet in Evangelio, dicens: (Matth. 10.) *Noli te timere eos qui occidunt corpus*, &c. Secundus timor est (Servilis.) *servilis*, ut ait beatus Augustinus, cum timore gehennæ homo recedit à peccato, & omnia bona quæ facit, non propter Dei, sed propter timorem inferni facit. Ille quasi servus timet, qui bonum quod facit, non timore amittendi bonum quod non amat, sed timore patiendi malum quod formidat, facit. Ille non timet perdere amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in pœnas inferni. De hoc servili timore ait Paulus: (Rom. 8.) *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, id est spiritum filialem. Bonus est iste servilis timor, & utilis, licet insufficiens & imperfectus, per quem crescit paulatim consuetudo justitiæ. Cum incipit homo credere, diem judicii incipit timere. Si cœpit credere, cœpit & timere: sed qui adhuc timet, non habet perfectam fiduciam in die judicii. Nondum est in illo perfecta caritas qui adhuc timet: quia si perfecta in illo esset caritas, non timeret. Perfecta caritas faceret in homine perfectam justitiam, & homo non haberet unde timeret, sed haberet unde desideraret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Quid est perfecta caritas, nisi perfecta sanctitas? Ille habet in se perfectam caritatem, qui perfecte vivit. Qui perfecte vivit, non habet unde in inferno damnetur, sed unde in cælo coronetur. Qui perfectam habet in se caritatem, non timet in inferno puniri, sed sperat in cælo cum Deo gloriari. Unde dicitur in Psalmo: (Psal. 5.) *Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.* Ergo (Johan 4.) *timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem.* Timor prius venit in corde hominis, ut præparetur locus caritati.

10. Huic servili timori succedit tertius timor, videlicet (Initialis.) *initialis*, quando homo incipit facere bonum propter dilectionem Dei, quod antea faciebat propter timorem inferni. De hoc initiali timore ait David Propheta in Psalmo: (Psal. 110.) *Initium sapientiæ, timor Domini.* Initialis timor est, quando homo incipit amare Deum quem ante timebat: & sic excluditur à corde servilis timor. Huic initiali timori succedit quartus timor, scilicet (Castus.) *castus*, per quem timemus ne sponsus, scilicet Christus, tardet, ne discedat à nobis: ne eum offendamus, ne in eum peccemus, & ne eum perdamus. Timor iste, scilicet castus, de amore descendit, timor iste de amore nascitur. De hoc timore legitur in Psalmo: (Psal. 18.) *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* In corde hominis prius venit timor. Et quare venit? ut locum caritati præparet. Quanto autem magis caritas cœperit habitare in corde hominis, tanto magis timor decrescit. Quanto major est caritas in corde hominis, tanto minor est ibi timor. (Timor inducit caritatem.) Quare? quia caritas mittit eum foras. Audi, Soror dilecta, congruentem similitudinem. Sæpe videmus per setam introduci linum. Quando aliquid suitur, prius intrat seta, & post setam intrat linum: sic timor prius intrat in mentem hominis, & post timorem caritas. ideo intrat timor, ut introducat caritatem: sed postquam intravit caritas, foras mittit timorem. Timor iste sanctus est, quia in mente hominis generat sanctitatem. Timor iste sanctus est, quia introducit in mentem hominum perfectam caritatem. Perfecta etenim caritas, perfecta est sanctitas. Timor iste castus est, quia non recipit adulterum amorem, scilicet quia Deum super omnia diligit, & nihil amori illius præponit. Etiam timor iste dicitur filialis, quia non timet Deum, quasi servus crudelem dominum, sed quasi filius patrem dulcissimum. Hic timor ideo dicitur filialis, quia non timet quasi servus, sed quasi filius.

11. Sed quid est quod ait David propheta, (Psal. 18.) *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi:* cum Johannes dicat, (1. Johan.) *Perfecta caritas foras mittit timorem?* Hoc est quod superius diximus, quia ille habet castum & sanctum timorem, qui Deum non timet propter pœnas inferni, vel propter supplicia gehennæ, sed cum reverentia & amore. Et hic timor, scilicet reverentia Dei, permanet in sæculum sæculi. Ille vero qui Deum timet propter pœnas inferni, non habet in se timorem castum, sed servilem, quia non habet perfectam caritatem. Si enim Deum perfecte diligeret, perfectam in se justitiam haberet, & Deum non propter pœnas, sed cum reverentia & timore timeret. Et ideo timor pœnæ non est in caritate, quia perfecta caritas eum foras mittit. Aliter timet servus dominum, atque aliter timet filius patrem. Servus timet dominum cum desperatione & odio, filius timet patrem cum reverentia & amore. Nunc igitur, Soror reverendissima, moneo te, ut timeas Deum cum amore & reverentia. Nolo enim ut semper jaceas sub jugo timoris depressa, sed ut consurgas per dilectionem ad Dominum patrem tuum, qui te creavit quasi filiam. Etiam te moneo, ut Deum caste diligas, & nihil amori ejus præponas, sed pro amore ejus omnia quæ in hoc mundo sunt despicias. Iterum admoneo te, atque rogo honestissima virgo, ut corrigas vitam tuam cum omni studio, ita ut sit sermo tuus pudicus, incessus honestus, vultus humilis, lingua affabilis, mens plena dilectione, manus plena operatione, juvante Domino, sine quo nihil boni poteris facere. Amantissima mihi in Christo Soror, si me quasi fratrem audieris, & Deum in toto corde tuo timueris, multa bona non solum in hac vita, sed & in futura habebis, Amen.

## V. De Caritate.

12. *Introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinavit in me caritatem.* (Cant. 2.) Cella vinaria, Ecclesia est, in qua est vinum evangelicæ prædicationis. In hanc ergo cellam amica sponsi, scilicet sancta anima, introducitur, atque in ea caritas ordinatur: quia non sunt æqualiter omnia diligenda, sed differenter. Non debemus æqualiter omnia diligere, sed alia minus, & alia magis. Nam scire quid facere debeamus, & nescire ordinem faciendi, perfecta scientia non est. Si non diligimus ea quæ diligere debemus, vel si diligamus ea quæ diligere non debemus, ordinatam caritatem non habemus. Et si plus diligimus ea quæ minus diligere debemus, vel si minus diligamus quæ plus diligere debemus, ordinatam caritatem non tenemus. Hæc est ergo ordinata caritas, ut Deum ante omnia, & super omnia diligamus. (Caritas ordinata, q…) Debemus Deum diligere ex toto corde, id est, ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota voluntate, & ex tota mente, & ex

tota memoria: ut omnem intellectum & omnes cogitationes nostras, & omnem vitam nostram ad eum dirigamus, à quo omnia bona habemus: ut nulla pars vitæ nostræ otiosa relinquatur, sed quicquid in animam venerit, illuc dirigatur, ubi impetus dilectionis currit. Igitur, Soror carissima, dignissimum est & valde nobis necessarium, ut Deum in omnibus & super omnia diligamus, qui est summum bonum. Summum ergo bonum diligere summa est beatitudo. Quanto quisque Deum amplius dilexerit, tanto magis beatus erit. Qui Deum diligit, bonus est. Si bonus est, ergo beatus. Unde Salomon in Canticis canticorum: *Fortis est ut mors dilectio.* Vere Dei dilectio fortis esse ut mors dicitur, quia sicut mors violenter separat animam à corpore: ita dilectio Dei violenter separat hominem à mundo & carnali amore. Vere Dei dilectio fortis est ut mors, quia dum per dilectionem Dei à vitiis mortificamur: quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio Dei in sæculi cupiditatibus. Deus diligendus est propter semeptipsum, quia est summe bonus: & quia nos creavit ex nihilo. Caritas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum. In primo loco diligitur Deus, sicut jam dictum est, in omnibus, & super omnia. In secundo vero diligitur proximus in Deo, hoc est, in bono.

13. Caritas habet duo mandata: unum pertinens ad dilectionem Dei, quod est maximum mandatum: alterum vero pertinens ad dilectionem proximi, quod est simile huic: sicut scriptum est; *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut teipsum.* Ac si diceret. Ad hoc debes proximum tuum diligere, ad id quod diligis teipsum, scilicet ut bonus sit, & ut ad vitam æternam pervenire possit. De hac dilectione Dei & proximi in Canticis canticorum sponsus, scilicet Christus, loquitur sponsæ, scilicet Ecclesiæ, seu animæ sanctæ, dicens: *Quàm pulcræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Quid per mammas convenientius in hoc loco, quàm ipsa dilectio Dei & proximi, de qua superius diximus, intelligitur? per quas mammas mens sancta omnes sensus suos per suam dilectionem nutrit, cum Deo suo caritatis conjunctione conglutinatur: & proximis suis quicquid boni potest largitur. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Per unguenta quippe ipsas virtutes, quæ ex caritate nascuntur, intelligimus. Debemus proximos nostros in bono diligere, quia qui in malo diligit proximum non diligit proximum, sed odio habet. *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* Nequaquam. Igitur diligamus nos ad invicem, quia caritas ex Deo est. *Et qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est, & videt Deum.* Qui diligit fratrem suum quem videt oculis corporis, videt oculis mentis in se manentem Deum, scilicet caritatem: quia Deus caritas est. Et qui non diligit fratrem suum quem videt oculis corporis, non videt oculis mentis in se manentem Deum, scilicet caritatem: quia si in eo esset caritas, Deus esset in eo, quia Deus caritas est. Debemus etiam diligere propinquos nostros, si boni sunt, & si Deo serviunt. Plus debemus diligere extraneos, qui nobis sunt conjuncti vinculo caritatis Christi, quàm propinquos qui Deum non diligunt, nec Deo serviunt. Quare? Quia sanctior est copula cordium, quàm corporum. Omnes fideles homines debemus diligere, sed cum omnibus prodesse non possumus, illis maxime consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius nobis, quasi quadam sorte, conjunguntur. Pari dilectione est optanda vita æterna omnibus hominibus. Omnes homines affectu caritatis debemus diligere, scilicet ut Deo serviant, & ut salvi fiant. Sed opera misericordiæ non debemus omnibus hominibus æqualiter impendere, sed aliis minus, atque aliis magis.

14. Soror dilecta, si veram & perfectam caritatem volumus custodire, ad æternam patriam Deo adjuvante possumus pervenire. Præterea debemus diligere inimicos nostros propter Deum, sicut & ipse ait in Evangelio: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est.* Igitur, venerabilis Soror, necessaria est nobis caritas, sine qua nullus potest placere Deo. Deum non diligit, qui hominem odit. Nec Deum diligit, qui Dei præcepta contemnit. Caritas est radix omnium virtutum. Sine caritate enim quodcumque facimus, nihil nobis prodest. Nostrum studium est vacuum, si non habemus caritatem, quia Deus caritas est. Ibi regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas. Tunc homo est perfectus, quando est caritate plenus. Sine amore caritatis quamvis quisque recte credat, ad beatitudinem pervenire non potest. Tanta est etiam virtus caritatis, quæ si desit, frustra habentur ceteræ virtutes: si adsit, recte habentur omnia. Qui Deum non diligit, nec seipsum diligit. Nunc ergo moneo te, honestissima virgo, ut per amorem conjungaris invisibili sponso Jesu-Christo, & ut ardeas ejus desiderio. Nulla jam quæ in mundo sunt concupiscas. Longitudinem præsentis vitæ pœnam æstimes, exire de sæculo festines: nullam consolationem præsentis vitæ recipias, sed ad Christum quem diligis, tota mente suspires, ferveas, anheles, anxieris, & ipsa salus tui corporis, causa amoris Christi, fiat tibi vilis, vulnere amoris transfigaris, ita ut recte valeas dicere: Vulnerata caritate ego sum. Soror in Christo dilecta mihi, audi verba Jesu-Christi sponsi tui: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Dilige ergo eum, carissima, in hac vita, ut ipse te dignetur diligere cum Patre in æterna beatitudine, Amen.

Caritatis necessitas.

Johan. 14.

### *VI. De Primordiis conversorum.*

15. INchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur, sicut scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Tunc enim placet Deo nostra conversio, quando bonum quod inchoamus, usque in finem perducimus. Sic enim scriptum est: *Væ his qui sustinentiam perdiderunt*, id est, bonum opus non consummaverunt. Sunt multi homines, qui ex sola mentis devotione convertantur ad Deum. Multi etiam coacti plagis convertuntur ad Deum, qui ex devotione non convertebantur, sicut in psalmo legitur: *In camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Omnis conversus à fletu incipiat peccatorum, & sic transeat ad desiderium cælestium bonorum. Soror carissima, prius debemus mala quæ facimus lacrymis lavare, ut tunc munda mentis acie id quod quærimus contemplemur: ut dum antea à nobis plorando detergitur caligo peccati, mundatis cordis oculis albefacta inspiciantur. Necesse est omni converso, ut post timorem consurgat ad Deum per dilectionem quasi filius; ne semper sub timore jaceat sicut servus. Noviter conversi blandis verbis sunt consolandi: ne si exasperari cœperint, territi ad priora peccata recurrant. Qui enim novitium suavitate & dulcedine non docet, & castigat: plus novit exasperare quàm corrigere. Prius corrigendus & castigandus est novitius à pravo opere; deinde à cogitatione.

Matth 14.

Eccles. 2.

Psal. 31.

A quo incipienda perfectio.

Novitii quomodo tractandi.

16. Omnis nova conversio, adhuc pristinæ vitæ habet permixtionem. Propterea nequaquam ulla virtus ad oculos hominum debet exire, donec vetus conversatio funditus ab animo exstirpetur. Tunc magis gravari se quisque impulsu vitiorum cognoscit, quando in servitium Dei accedit. Sic populus Israël graviori onere ab Ægyptiis premitur, cum per Moysem divina cognitio aperitur. Vitia enim in homine ante conversionem habent pacem: quando autem expelluntur, gravius contra hominem insurgunt. Multi post conversionem motum libidinis sustinent: quem tamen non ad damnationem tolerant, sed ad probationem sustinent: scilicet ut semper habeant hostem cui resistant pro excutienda inertia, dum tamen non consentiant. Remissa conversio multos in pristinos errores deducit, ac vivendi torpore resolvit. Tepidus in conversione, otiosa verba & vanas cogitationes noxias esse non conspicit: sed cum animus à torpore mentis evigilaverit, ea quæ levia æstimabat, confestim quasi contraria & horrenda pertimescit. Fraus & desidia timenda sunt in omni opere Dei. Fraudem Deo facimus, quando

Tentationibus obnoxii.

Exod. 5.

non Deum, sed nosmetipsos de bono opere nostro laudamus. Desidiam facimus, quando per torporem languidi ea quæ Dei sunt, operamur. Omnis ars hujus sæculi strenuos habet amatores, & ad exsequendum promptissimos. Quare? Quia præsentem habet remunerationem sui operis. Ars vero divini timoris multos habet sectatores tepidos, languidos, & pigritiæ inertia congelatos. Sed hoc inde fit, quod merces laboris eorum non in præsenti vita, sed in futura dabitur. Qui noviter sunt conversi ad Deum, non debent in exterioribus curis provehi. Nam si illis implicentur, statim quasi arbuscula plantata, & necdum radice perfixa, concutiuntur pariter & arescunt: nec semper valet conversis pro animæ salute mutatio loci. Sæpe tamen quibusdam dum mutatur locus, B mutatur & mentis affectus. Congruum est enim, inde etiam quemque corporaliter recedere, ubi se meminit vitiis deserviisse.

*In exterioribus non debent occupari.*

17. Soror venerabilis, audi quæ dico. Multi convertuntur ad Deum non tam mente, quàm corpore; quod nos sine gravi gemitu dicere non possumus: habitum religionis habent, sed mentem religiosam non habent. Multi non habent religionis animum. Multi enim ad conversionem veniunt, non tam propter animæ salutem, quàm propter corporis necessitatem, qui non Deum colunt, sed ventrem suum, de quibus Apostolus ait: *Quorum Deus venter est.* Non est intentio eorum, ut digne Deo serviant, sed ut bene comedant, & bibant & ut bene vestiantur, & ut bene sit eis in hoc sæculo. Et quia terrena diligunt, cælestia perdunt. Et sicut ait Dominus in Evangelio: *Recipiunt suam mercedem in hoc sæculo.* Unde Soror dilecta, cavendum nobis est, ne transitoria & terrena plusquàm oportet diligamus: ideo Psalmista nos admonet, dicens: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Terrena quidem nobis in usu esse debent: cælestia vero in desiderio: terrena debemus expendere, cælestia desiderare. Est enim quædam admirabilis & magna multitudo dulcedinis, quam abscondit Deus his qui diligunt eum, de qua scriptum est, *quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Unde Propheta: *Satiabuntur*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Soror in Christo amabilis, ergo illa satietas sit nostra felicitas, Amen.

*Perversus quorumdam in religionem ingressus.* — *Philip. 3.* — *Matth. 6.* — *Psal. 61.* — *1. Cor. 2.* — *Psal. 16.*

## *VII. De Conversione.*

18. Dominus dicit in Evangelio: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Sed quid est semetipsum abnegare, nisi voluptatibus propriis renuntiare? ut qui superbus erat, sit humilis; & qui iracundus, sit mansuetus; & qui luxuriosus, sit castus; & qui erat ebriosus, sit sobrius; & qui erat avarus, sit largus. Nam si ita quisque renuntiet omnibus quæ possidet, & non renuntiet suis pravis moribus, non est Christi discipulus. Qui renuntiat suis rebus, sua abnegat: qui renuntiat suis pravis moribus, semetipsum abnegat. Ea quæ amatores sæculi diligunt, servi Dei velut adversa refugiunt. Servi Dei plus gaudent adversitatibus mundi, quàm prosperitatibus delectantur. Soror carissima, ea quæ in hoc mundo sunt, servis Dei contraria sunt, ut dum ista adversa sentiunt, ad cæleste regnum cum summo desiderio suspirent. Magna apud Deum refulget gratia, quæ huic mundo contemptibilis est. Nam revera necesse est ut quæ mundus odit, diligantur à Deo. Sancti viri peregrini sunt & hospites in sæculo: unde reprehenditur Petrus, quod tabernaculum in monte fieri voluerit: quia sanctis in hoc mundo tabernaculum non est, quibus in cælo patria & domus est. Soror venerabilis, cuncta temporalia quasi herbæ marcentes siccantur & transeunt: & ideo præ æternis rebus quæ numquam arescunt, recte servi Dei ista contemnunt & despiciunt, quia in eis nullam stabilitatem aspiciunt.

*Luc 9.* — *Abnegatio sui quid.* — *Terrena contemnenda.* — *Matth. 17.*

19. Sancti viri qui perfecte sæculum contemnunt, ita huic mundo moriuntur, ut soli Deo vivere delectentur. Et quanto se conversationi hujus sæculi subtrahunt, tanto magis oculis mentis præsentiam Dei, & angelicæ societatis frequentiam contemplantur, quamvis enim

A Deus in medio hominum carnalium vitam electorum protegat, tamen valde rarum est, ut homo inter sæculi voluptates positus à peccatis sit alienus. Non erit semper securus, qui periculo fuerit proximus. Soror dilecta, bonum est ut homo sit corporaliter remotus à mundo; sed multo est melius ut sit voluntate elongatus à sæculo. Ergo ille est perfectus, qui mente & corpore à sæculo est elongatus. Unde beatus Job: *Onager contemnit civitatem.* Et servus Dei contemnit sæcularium hominum societatem. Qui perfecte mundum despiciunt, adversa vitæ nostræ appetunt, & prospera contemnunt, & dum ab eis vita hæc contemnitur, cælestis invenitur. Longe quippe à Deo est animus, cui hæc miserabilis vita dulcis est. Iste enim quid de cælestibus concupiscat, vel quid de terrenis despiciat, ignorat. Nam sicut scriptum est: *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem.* Quanto homo plus potest superna cognoscere quæ concupiscat, tanto amplius dolere debet de terrenis & transitoriis rebus quibus involvitur.

*Notat.* — *Eccles. 1.*

20. Servi Dei qui parentum suorum utilitatem procurant, à Dei amore se separant. Unde spiritualis ita prodesse debet suis parentibus, ut dum illis gratiam carnis præstare studet, ipse à spirituali opere vel proposito non declinet. Soror in Christo dilecta mihi, audi sententiam beati Isidori: Multi canonicorum, monachorum, sanctimonialium feminarum præ amore suorum parentum C involvuntur terrenis curis, & phrenesibus, & jurgiis, ac negotiis, & pro temporali salute suorum parentum perdunt animas suas. Tamen ordinata discretio est, ut quod extraneis misericorditer impenditur, parentibus non negetur. Dignum est ut demus parentibus nostris, quod misericorditer damus extraneis. Parentibus enim carnaliter præstatur, quod extraneis pie impenditur. Honesta soror, non debemus odio habere parentes nostros: sed impedimenta eorum qui nos à recto itinere deviant. Per vaccas Philisthæorum quæ ducebant arcam Domini ad terram Israël, intelligimus figuram eorum qui propter Deum dereliquerunt sæculum. Nam Philisthæi sicut junxerunt vaccas plaustro, vitulosque eorum recluserunt D domi, & super plaustrum imposuerunt arcam testamenti Domini: ita jugum Christi leve & suave impositum est super cervices servorum Dei. Et sicut vaccæ amore vitulorum suorum mugiebant, & tamen non declinabant ad dexteram neque ad sinistram, sed recto tramite incedebant usque ad Bethsames, quæ erat in introitu terræ Israël: ita servi Dei recto tramite incedere debent, & pro amore parentum suorum non debent ad dexteram neque ad sinistram declinare à bono opere vel proposito, sed recto itinere usque ad Bethsames, id est, usque ad introitum cælestis regni pervenire. Et sicut vaccæ pro filiis suis mugiendo pergebant, ita convenit servis Dei pro parentibus suis mugire, id est, pro eis debent orare ut E bene sit eis, & ut à malo liberentur, atque in bono confirmentur.

*Parentum præpositum in religione affectus tatur.* — *1. Reg.*

21. Soror in Christo amabilis mihi, sicut superius dixi tibi, non debemus parentes nostros odio habere, sed diligere. Sed, sicut ait beatus Augustinus, si in via Dei nobis fuerint contrarii, nec sepultura à nobis illis debetur. Tu carissima, egressa es cum Abraham de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: & venisti in terram quam Deus monstravit tibi, id est in monasterium. Obsecro ergo ut perseveres in eo bene vivendo, quiescas in sinu ejusdem Abrahæ, hoc est in beata requie, ut post mortem tuam possis requiescere. Tu soror mihi in Christo dilecta, cum Loth egressa es de Sodoma, F id est de sæculari vita: ideo moneo te ne cum uxore illius retro respicias: ne, quod absit, in exemplum perversitatis omnibus hominibus fias. Sed rogo ut cum Loth in monte, id est, in monasterio salvam te facias, & aliis exemplum sanctitatis tribuas. Tu honesta virgo, egressa es cum Josue de Ægypto, hoc est, de sæculo: & cum eo moraris in deserto, id est, in monasterio in quo Deus manna pluit tibi: hoc est panem cælestis verbi dat tibi. Ideo Soror amantissima in Christo mihi, moneo te ut perseveres in monasterio sicut cœpisti, ut in eo vigilando, orando, psallendo, contra diabolum viriliter pugnan-

*Gen. 12.* — *Gen. 19.* — *Exod. 1.* — *Exod. 16.*

do, ad postremum devictis hostibus cunctis, atque omnibus sæculi delectationibus superatis, cum eodem Josue pervenire possis ad terram promissionis, hoc est, ad beatitudinem vitæ cælestis, atque ibi videre merearis faciem indefessi Solis, Amen.

### VIII. De Contemptu mundi.

22. Soror carissima, audi Dominum Jesum-Christum dicentem in Evangelio; *Omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Unde valde bonum est nobis, omnia terrena propter nomen Domini relinquere, ut ab eo possimus cælestia accipere. Quicumque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei erit. Igitur soror in Christo amabilis, non diligamus mundum, ne inimicum Deum habeamus. Facile contemnit omnia, qui se quotidie moriturum æstimat*. Si quotidie mortem nostram ad memoriam reducimus, libenter omnia terrena despicimus. Si diem mortis nostræ in mente habemus, cito omnia quæ in hoc mundo sunt despicimus. *Interrogatio.* O Frater mi, libenter propter nomen Domini omnia quæ in hoc mundo sunt relinquerem, si aliquid haberem: sed quia non habeo aurum, neque argentum, neque divitias hujus mundi, nescio quid relinquam propter nomen Domini. *Responsio.* O sponsa Christi, multum relinquis si voluntatem habendi dimittis: multum dimittis, si desiderium habendi postponis: multum relinquis, si carnalia desideria deseris: multum relinquis, si delectationem hujus mundi propter Deum despicis: multum dimittis, si cupiditatibus & desideriis terrenis renuntias; & plus amat Deus hominum animas, quàm divitias terrenas, Deus plus diligit mentem mundam & sanctam, quàm terrenam substantiam. Soror venerabilis, regnum Dei tantum valet quantum habes. Deus à te non requirit quod tibi non dedit. Ergo tu hoc da illi, quod ille dedit tibi, scilicet mentem sanctam, castam, mundam, pudicam, religiosam, timoratam, ac bonis moribus ornatam. Igitur; honesta Soror, regnum Dei tantum valet, quantum tu es. Trade teipsam Christo, & compara regnum ejus ab illo. Non turberis de pretio. Pretium non te turbet, non tibi videatur difficile, non sit tibi grave, quoniam Jesus-Christus rex cælorum semetipsum dedit, ut te de potestate diaboli liberaret, & Deo Patri acquireret. Ergo libenter da teipsam illi, qui te redemit de manu inimici. Integram te da illi, quia ut te salvaret, integrum se tradidit.

23. Dilecta mihi in Christo Soror, contemne terrenas divitias, ut acquirere possis cælestes. Divitiæ perducunt hominem usque ad periculum corporis & animæ: divitiæ pertrahunt hominem usque ad mortem. Multi propter opes periclitati sunt, & multi propter divitias in periculum devenerunt. Multis exitiabiles fiunt divitiæ, opes multis hominibus generaverunt mortem. Numquam habent requiem mentis, qui curis terrenis se implicant. Sollicitudines enim rerum mentem conturbant. Mens occupata in terrenis curis semper est in angustiis. Venerabilis sponsa Christi, si ergo vis esse quieta nihil ex his quæ in sæculo sunt quæras. Semper requiem mentis habebis, si te à mundi cura removeris. Semper habebis pacem mentis, si te à strepitu terrenarum actionum subtraxeris: quia divitiæ numquam sine peccato acquiruntur. Nullus administrat res terrenas sine peccato. Valde rarum est ut qui divitias possident, ad requiem perveniant. Qui curis terrenis se implicat, ab amore Dei se separat. Qui defigitur in amore temporalium rerum, in Deo nullatenus delectatur. Curæ temporalium rerum ab intentione Dei avertunt animum. Nemo potest simul amplecti gloriam Dei, & gloriam sæculi. Nemo potest diligere simul Christum & sæculum. Difficile est simul servire cælestibus curis & terrenis negotiis; difficile est Deum simul & mundum diligere. Nemo potest simul perfecte Deum & mundum diligere. Uterque autem simul æqualiter amari non potest,

24. Honesta virgo, audi quæ dico: quamvis homo in gloria sæculi fulgeat, quamvis purpura & auro vestitus sit, quamvis pretiosis vestimentis indutus sit, quamvis sæcularibus vestibus ornatus appareat, quamvis gemmis ac lapidibus decoratus resplendeat, quamvis pretioso habitu redimitus incedat, quamvis sit multitudine servorum circumdatus, quamvis sit excubantium armis protectus, quamvis sit innumeris obsequentium cuneis constipatus, quamvis agminibus tutus, semper est in pœna, semper est in angustia: semper est in luctu, semper est in periculo: semper in sericis stratis manet, sed turbatus in lectis aureis jacet, sed infirmus in lectis argenteis cubat, sed fragilis in pluma jacet, tamen fragilis & mortalis est. Soror amantissima in Christo mihi, ideo hæc dixi tibi, ut cognoscas quam vana est gloria hujus mundi. Felicitas hujus mundi brevis est. Modica est hujus sæculi gloria, caduca est, & fragilis temporalis potentia. Igitur venerabilis virgo, ut acquirere possis cælestes divitias, contemne terrenas: libenter despice terrena, ut possis pervenire ad cælestia bona. Respue transitoria, ut habere merearis æterna: da parva, ut à Deo consequaris magna. Fuge in terra societatem hominum, ut in cælo habeas societatem Angelorum: ad quam te perducere dignetur ille, qui te redemit pretioso suo sanguine, Amen. Nulla quies divitibus & potentibus.

### IX. De habitu.

25. Dominus noster Jesus-Christus dicit in Evangelio: *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* Mollia dicuntur vestimenta, quia mollem faciunt animum. Mollibus vestimentis delectatur regis curia: asperis vero & humilibus delectatur Christi Ecclesia. Talia debent esse vestimenta servorum & ancillarum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam, & ad vanam gloriam. Unde beatus Hieronymus: Non facit ornatum clericum tenera vestis, sed munditia mentis. Soror carissima, ergo ornemus nosmetipsos spiritualibus ornamentis, scilicet caritate, humilitate, mansuetudine, obedientia & patientia. Hæc sunt vestimenta quibus placere poterimus Jesu-Christo cælesti sponso. Christus invisibilis sponsus non requirit pulcritudinem foris, sed intus, sicut scriptum est in Psalmo. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Igitur Soror in Christo amabilis, divitiæ tuæ sint boni mores: pulcritudo tua sit bona vita. Carissima, opto, ut de te dicatur illud quod in Canticis Canticorum legitur: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Et iterum, *Veni de libano, veni, coronaberis.* Vere beata est illa anima quæ Jesu-Christo sponso cælesti servit sine macula. Sic & tu Soror venerabilis, beata eris, si Jesu-Christo sponso tuo sine macula servieris. Stude ergo placere Christo non pretiosis vestibus, sed bonis moribus: non pulcritudine carnis, sed pulcritudine mentis. Stude placere illi non in facie, sed in corde. Vestimenta tua & calciamenta nec nimium sint pretiosa, nec multum vilia: sed ex moderato & competenti habitu: sic enim ait beatus Augustinus de semetipso: Fateor, de pretiosa veste erubesco. Et iterum: Non decet hanc professionem, non decet hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Honesta virgo, vestis pura circumdetur tibi non ad pulcritudinem, sed propter corporis necessitatem: ne dum pretiosis vestimentis vestiris, cadas in turpitudinem animæ, quia quanto amplius corpus foris propter vanam gloriam componitur atque ornatur, tanto interius anima fœdatur & sordidatur. Matt. 11. Vestimenta religiosorum qualia. Psal. 44. Cant. 4.

26. Igitur, soror in Christo amabilis, professionem tuam habitu & incessu demonstra. Sit in gressu tuo simplicitas, sit in incessu honestas. Nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in incessu tuo appareat. Animus enim in corporis gestu apparet: gestus corporis signum est mentis. Corporis gestu animus proditur, soror carissima. Ergo incessus tuus non habeat imaginem levitatis: incessus tuus non offendat oculos alterius. Non præbeas de te spectaculum, non des aliis locum de te obtrectandi. Soror dilecta munda conscientiam tuam ab omni malitia, ut feliciter dicatur tibi à Jesu-Christo sponso cælesti: *Ecce tu pulcra es amica mea:* Corporis habitus index mentis. Cant. 1.

*ecce tu pulcra: oculi tui columbarum* Pulcra videlicet propter perfectionem corporis, & munditiam cogitationis. Ecce tu pulcra es, habens mundam & simplicem intentionem cordis: quia cuncta bona quæ agis, non ut ab hominibus videaris, sed ut soli Deo placeas operaris. Oculos habes columbarum, quia immunem te custodis ab omni malitia & simulatione, atque fictione.

Vestes pretiosæ Religiosis abjiciendæ.

27. Soror mihi in Christo amantissima, ideo hoc dixi, ut plus gaudeas intus in anima de sanctis virtutibus, quam foris in corpore de pretiosis vestibus. Nam, ut dicit beatus Gregorius, Nemo vestimenta pretiosa quærit, nisi ad inanem gloriam, videlicet ut inde laudetur, & ut honorabilior ceteris appareat. Nemo vult pretiosis vestibus indui, nisi ubi ab aliis possit videri. Ergo pro sola vana gloria vestimentum pretiosum quæritur. Virgo venerabilis, in hoc cognoscimus quod sæculum diligimus, quia pretiosa vestimenta amamus. Qui sæculum non diligit, pretiosa vestimenta non quærit. Quando homo gaudet de pulcritudine corporis, mens ejus elongatur ab amore Creatoris. Quanto amplius in compositione corporis lætamur, tanto magis à superno amore disjungimur. Quanto plus in terrenis & transitoriis rebus gaudemus, tanto minus cælestia desideramus. Vere maculam habet in se sanctimonialis femina, si diligit pretiosa vestimenta. Non est sine macula Christi sponsa, si amat vestem pretiosam. Ancilla Christi, quæ sæculum perfecte reliquit, vilia vestimenta quærit. Ancilla Christi quæ pretiosa vestimenta desiderat, adhuc perfecte sæculum non contempsit. Nigra vestis insinuat humilitatem mentis, vile vestimentum denuntiat mundi contemptum. Nigredo veli munditiem & puritatem demonstrat animi; nigrum velum castitatis & sanctitatis est signum. Nunc ergo, reverendissima Soror, moneo te, ut habitum quem ostendis specie, impleas opere. Obsecro te ut habitum ordinis bonis ornes moribus. Sanctus est habitus, sanctus sit animus: sicut sancta sunt vestimenta, sic opera tua sint sancta: sicut sacratum est velum, sic opus tuum sit sanctum. Non aliud abscondas intus, & aliud ostendas foris. Non sis aliud in secreto, & aliud in publico: qualis vis haberi, talis esto: qualis es in facie, talis esto in operatione: & qualis es in vultu, talis esto in actu, Amen.

### X. *De compunctione.*

28. Compunctio cordis est humilitas mentis veniens de recordatione peccati, & de timore judicii. Illa compunctio est perfecta, quæ repellit à se omnem delectationem carnalium rerum: & toto studio mentis figit intentionem suam in contemplatione Dei. Duplicem esse compunctionem legimus: unam scilicet qua propter Deum anima cujusque servi Dei afficitur, id est, cum ad memoriam reducit mala quæ fecit: altera vero cum suspirat propter desiderium æternæ vitæ. Quatuor modis compungitur mens justi hominis: nempe memoria peccatorum, recordatione futurarum pœnarum, consideratione peregrinationis hujus vitæ, desiderio supernæ patriæ, quatenus ad eam possit cito pervenire. Omnis peccator tunc se cognoscit visitari à Domino, quando compungitur ad lacrymas. Nam & Petrus tunc flevit, quando in eum Christus respexit, sicut scriptum est. *Et conversus Dominus respexit Petrum; qui statim egressus foras, flevit amare.* Unde etiam Psalmista dicit; *Respexit, & commota est, & contremuit terra.* Tunc terra contremiscit, quando peccator ad lacrymas commovetur. Admoneo igitur te Soror carissima, ut in oratione cum lacrymis ad memoriam reducas peccata tua: quia qui non habet cordis compunctionem vel contritionem, non habet mundam orationem. Soror mihi in Christo amabilis, audi exempla Sanctorum, qui per compunctionem & lacrymas apud Deum obtinuerunt veniam peccatorum suorum. Anna mater Samuelis per compunctionem & lacrymas meruit habere filium, insuper obtinuit apud Deum prophetiæ donum. David per compunctionem & lacrymas obtinuit veniam perpetrati homicidii atque adulterii. Sic enim audivit per Prophetam; *Non morieris, quia Dominus transtulit peccatum tuum.* Pater Tobias per compunctionem & lacrymas meruit accipere curationem cæcitatis, & consolationem paupertatis. Sic enim dixit ei Raphael Angelus: *Gaudium tibi semper sit.* & adjecit: *Forti animo esto, in proximo est ut à Deo cureris.* Etiam Maria Magdalena per compunctionem & lacrymas meruit à Domino audire. *Remittuntur tibi peccata tua.* Soror venerabilis, ideo exempla Sanctorum proposui tibi, ut lacrymæ per compunctionem suaves sint tibi.

Compunctio justi quadruplex.

Matt. 26.

Psal. 17.

Compunctionis & piarum lacrymarum effectus.

1. Reg. 1.

2. Reg. 18.

Tob. 5.

Luc. 7.

29. Bona compunctio thesaurus est desiderabilis, & inenarrabile gaudium in mente hominis. Anima quæ in oratione habet compunctionem, proficit ad salutem. Vir fortis non est minus laudabilis in luctu, quam in bello. Quia ergo post baptismum inquinavimus vitam, baptizemus lacrymis conscientiam nostram. Ubi lacrymæ fuerint, ibi accenditur spiritualis ignis qui illuminat secreta mentis. Lacrymæ pœnitentium pro baptismate reputantur apud Deum. Soror mihi in Christo dilecta, si compunctionem secundum Deum habueris, beata eris. Compunctio cordis, sanitas est animæ: compunctio mentis illuminatio est animæ: quia tunc anima illuminatur, quando ad lacrymas compungitur. Compunctio lacrymarum remissio est peccatorum; quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lacrymis ad memoriam reducuntur. Compunctio Spiritum-sanctum reducit ad se: quia cum à Spiritu-sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat.

Compunctionis e...

Motiva ...punctio...

30. *Interrogatio.* O Frater mi, quæso, dic mihi, quæ sunt causæ nostri doloris, pro quibus in hac vita mortali ploramus? *Responsio.* Propter peccata nostra, & propter miseriam hujus mundi, ac propter compassionem proximi, & propter dilectionem cælestis præmii. Propter peccata flebat ille qui dicebat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.* Idem de miseriis hujus mundi gemebat cum dicebat. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea!* Dominus per compassionem flevit super Lazarum, & super civitatem Jerusalem dicens: *Quia si cognovisses & tu.* Etiam Paulus Apostolus, qui præcipit gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, per compassionem dolebat, dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Cum dilectione cælestis præmii plorabant justi, dicentes illud Psalmistæ: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus dum recordaremur tui Sion.* Vita præsens, mors est, quia est plena miseriis: quod non est in patria, sed in via: nec est in domo, sed in exsilio. In hoc mundo non sumus in nostra civitate, sed in peregrinatione, sicut scriptum est: *Non habemus hic manentem civitatem sed futuram inquirimus.* Ideo Soror dilecta, moneo te, ut primo lugeas propter peccata tua: deinde propter miserias hujus mundi, atque compassionem proximi: ad postremum vero propter dilectionem Dei ac cælestis præmii. Honesta virgo, deprecare Deum cum omni devotione, ut det tibi veram mentis compunctionem, & cordis contritionem. Compunctio unigenitum Christum Dei filium facit habere in se, sicut Dominus ipse ait: *Ego & Pater veniemus, & apud eum qui me diligit, mansionem faciemus.* Ubi lacrymæ abundant, ibi graves cogitationes non propinquant: & si aliquando appropinquant, sibi radices non habent. Lacrymæ apud Deum semper nobis dant fiduciam magnam. Soror in Christo amabilis mihi, audi vocem Jesu-Christi sponsi tui dicentis: *Surge amica mea, & veni*, per dilectionem: *jam enim hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra: tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra*: hoc est vox prædicantium Apostolorum in Ecclesia. Turtur est avis castissima, quæ in excelsis & in arboribus semper nidificare vel morari solet, Apostolos vel ceteros Doctores significans, qui possunt dicere: *Nostra conversatio in cælis est*, quæ & gemitum habet pro cantu: & significat ploratum Sanctorum, qui suos ad lamentum & fletum hortantur, dicentes: *Miseri estote & lugete.*

Psal. 6.

Psal. 11...

Johann. Luc. 19. Rom. 12. 2. Corint.

Psal. 13...

Hebr. 1...

Johann.

Cant. 2.

Philip. 3

Jacob. 4

31. Igitur honesta virgo, accipe exemplum hujus turturis, & luge propter amorem Jesu-Christi sponsi tui, quousque eum videre possis regnantem in solio regni sui. Melius est tibi lugere cum amore Jesu-Christi, quam cum timore inferni. *Pulcra sunt genæ tuæ sicut turturis.* Natura turturis est, ut si per occasionem perdiderit conjugem,

Cant. 1...

alterum amplius non quærat. O sponsa Christi, assimilare & tu huic turturi, & præter Jesum-Christum sponsum tuum, amatorem non quæras alterum. O sponsa Christi, esto similis turturi, & luge die ac nocte cum desiderio Jesu-Christi sponsi tui, quia jam ascendit ad cælos, ut aliquando faciem illius videre merearis in dextera Patris. *Pulcra sunt genæ tuæ sicut turturis.* In genis solet esse verecundia. Soror venerabilis, genas habes turturis, si præ verecundia Jesu-Christi sponsi tui nihil contra voluntatem illius facis: genas habes turturis, si cum amore & reverentia Christi ea quæ illi displicent, postponis: genas habes turturis, si præter Christum alterum amicum non diligis. Igitur soror carissima, indesinenter peccata tua cum lacrymis lava. Quotidie lava tuas negligentias per compunctionem & lacrymas. Transgressiones tui Ordinis sine intermissione ablue cum lacrymis: & per lacrymas & compunctionem acquire tibi remissionem peccatorum: per lacrymas & crebra suspiria acquire tibi æterna gaudia. Plange iniquitates tuas, mala scelerum tuorum deplora, mala quæ egisti, flendo commemora; mæroris unda te irriget, compellat te plangere fluvius lacrymarum; quæ gessisti prave, fletibus dele, quæ illicite commisisti, lacrymis ablue. Honesta virgo, si peccata non ploraveris in hoc sæculo, quando dictura es Deo: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo?* Carissima, si iniquitates tuas non fleveris in hac mortalitate, quando dices: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte?* Moneo igitur te sponsa Christi, ut in hac mortali vita lugeas peccata tua, ut consolari merearis in cælesti patria, sicut scriptum est: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Amen.

### *XI. De tristitia.*

32. **D**Ominus dicit in Evangelio: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis vos & flebitis, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Etiam Salomon ait: *Cor gaudens exhilarat faciem: spiritus vero tristis dejicitur in mærorem animæ. Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus vero tristis exsiccat ossa. Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali. Omnis plaga, tristitia cordis est: Jucunditas cordis, est vita hominis. Cor pravum dabit tristitiam, & homo sapiens resistet illi. Per tristitiam festinat mors: tristitia flectit cervicem cordis.* Cor lætum bonam facit valetudinem, viro autem tristi exsiccantur ossa. Et beatus Athanasius dicit: Homo tristis semper malitiatur, & contristat Spiritum-sanctum sibi à Deo donatum. Hoc etiam docet Apostolus dicens: *Nolite contristare Spiritum-sanctum qui habitat in vobis, in quo signati estis in die redemptionis.* Vide ergo Soror carissima, ne contristes Spiritum-sanctum qui habitat in te, ne forte derelinquat te. Aufer à te dubietatem, & animositatem, quia utraque contristat Spiritum-sanctum. Aufer à te tristitiam, quia ipsa est soror dubietatis & animositatis. Certe tristitia sæcularis omnium malorum spirituum est pessimus, & nocet servis Dei. Tristitia sæcularis lædit & conterit atque allicit servos Dei. Spiritus enim sanctus non sustinet tristitiam carnalem. Igitur Soror dilecta, indue semper lætitiam spiritualem, quæ habet gratiam apud Deum. Omnis lætitia spiritualis semper bona est, & bona cogitat, atque contemnit vanam tristitiam. Si lætitia spiritualis bona non esset, numquam Propheta diceret: *Lætamini in Domino, & exsultate justi, & gloriamini omnes recti corde.* Et iterum: *Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.*

33. *Interrogatio.* O Frater carissime, si tristitia mala est & nocet servis Dei, quid est quod ait Salomon: *Cor sapientum ubi tristitia est, & cor stultorum ubi est lætitia? Responsio.* Soror venerabilis, hoc quod ait Salomon, *Cor sapientum ubi tristitia est, & cor stultorum ubi est lætitia,* non est intelligendum nisi de spirituali tristitia, & de sæculari lætitia. Ac si apertius diceret: cor sapientum ubi tristitia est spiritualis, & Cor stultorum ubi est sæcularis lætitia. Qui secundum Deum tristitiam habent, sapientes sunt: qui autem secundum sæculum tristitiam habent, sunt stulti. Unde Dominus in Evangelio: *Gaudete & exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Et Paulus Apostolus: *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Et iterum: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Ergo tristitia spiritualis bona est: tristitia vero quæ nascitur ex cupiditate temporalium rerum, est mala. De tristitia spirituali scriptum est: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* De tristitia autem sæculari ait Salomon: *Multos occidit tristitia, & non est utilitas in ea.* Iterum de lætitia spirituali dicitur: *Lætetur cor quærentium Dominum.* Et iterum de lætitia sæculari legitur: *Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam plorabitis & flebitis.* Soror carissima, audi etiam quod beatus Paulus dicit: *Tristitia quæ secundum Deum est, operatur salutem pœnitentiæ: tristitia vero quæ est secundum sæculum, operatur mortem.* Oratio hominis qui semper est tristis, non habet virtutem, nec potest ascendere ad Deum. Ubi tristitia fuerit cooperta Spiritu-sancto, non ibi est acceptabilis oratio, quia infirma est, & non potest ascendere ad Deum. Igitur soror mihi amabilis, omitte tristitiam; desine tristis esse, tristitiam repelle à te. Noli dare te multæ tristitiæ: non perseveres in tristitia; ne dederis tristitiæ cor tuum. Tristitia unum est ex septem principalibus vitiis: & ideo est cavenda ab omnibus servis Dei. Unde beatus Isidorus: Si bene & pie vixeris, numquam eris tristis. Bona vita semper habet gaudium. Honesta soror, ergo expelle à te tristitiam: quia sicut tinea comedit vestimentum, & sicut vermis rodit lignum, ita tristitia nocet cordi. Munda ergo cor tuum ab omni tristitia carnali atque sæculari, & oratio tua erit acceptabilis apud Deum. Igitur Soror venerabilis, de recordatione peccatorum tuorum luge, & in amorem Jesu-Christi sponsi tui gaude. De memoria præcedentium delictorum tuorum plora, & de spe cælestium bonorum exsulta. De transactis culpis & negligentiis tuis dole: & de promissione cælestis regni lætare. De præteritis tuis delictis contristare: & de gaudio æternæ retributionis hilaresce. Ad quod te perducere dignetur ille, cui in tuo virgineo corpore jucundum habitaculum præparasti, Amen.

Margin: 1 Cor 6. / Philip. 4. / Matth. 5. / Eccli 13. / Psal. 104. / Luc. 6. / 2. Cor. 7. / Tristitia orationem irritam facit.

### *XII. De dilectione Dei.*

34. **D**Ominus noster Jesus-Christus dicit in Evangelio: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et Johannes Apostolus, *Nos diligimus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis suis, & continebit se ab illis. Soror carissima dilige Deum, & invoca eum in salute tua: quia dilectio est vita, & odium est mors. Deus non vult se tantum verbis diligi, sed puro corde, & operibus bonis. Deum non diligit, qui præcepta Dei contemnit. Mens hominis qui Deum diligit, non est in terra, sed in cælo: quia semper cælestia desiderat. Moneo te, Soror carissima, ut diligas Deum super omnia; quia ipse te elegit ante sæcula. Plus debemus Deum diligere, quam parentes nostros. Quare? quia Deus fecit nos, & parentes nostros propriis manibus, id est, propria virtute, sicut scriptum est: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Majora tribuit nobis Christus, quam parentes nostri: & ideo super parentes debemus diligere Christum. Stultum est aliquid plus quam Deum amare: quia qui plus diligit creaturam quam Creatorem, peccat. Et qui præponit amorem creaturæ amori Creatoris, errat. Ergo super omnia est nobis Deus diligendus. Dic obsecro, honesta virgo, cum amore & dilectione de Christo: *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec adspiret dies, & inclinentur umbræ.* Sponsa Christi, rogo, ut apertius dicas: Dilectus meus mihi sociatur vinculo caritatis & amoris, & ego illi conjungar & socier vicissitudine mutuæ dilectionis, *qui pascitur inter lilia,* hoc est delectatur & jucundatur inter candidas & odoriferas virtutes sanctorum, atque inter choros virginum, *donec adspiret dies, & inclinentur umbræ:* donec nubila transeant præsentis vitæ, & appareat dies, hoc est, veniat claritas sempiternæ beatitudinis.

35. Soror carissima, justitia est Deum toto corde amare, illique tota adhærere voluntate, qui est summum bonum. Summum bonum amare, summa est beatitudo. Qui Deum amat, bonus est: si bonus, ergo & beatus. Quanto homo plus Deum diligit, tanto magis beatus erit. Dilectio est

Margin: Johann 14. / 1. Johann. 4. / Parentes minus diligendi quam Deus. Psal. 99. / Cant. 2. / Beatitudo in amore

specialis & propria virtus Sanctorum. Amantissima mihi in Christo Soror, ideo hæc dixi, ut nullus amor sæculi te separet ab amore Christi. Sponsa Christi etiam rogo, ut aliquid nobis de amore cælestis sponsi tui dicas. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Dic ergo carissima planius, ut ea quæ dicis, intelligamus. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Locus cordis est inter ubera, hoc est inter mammillas: ergo dilectus meus inter ubera mea commorabitur, id est, memoria, dilectio, & amor Jesu-Christi sponsi mei, semper erit inter mammillas meas, hoc est in corde meo. Et sive in prosperis, sive in adversis semper ad memoriam reducam omnia bona quæ mihi tribuit: quia dilexit me, & mortuus est pro me: atque ascendit ad cælos, & ut ad eum perveniam, quotidie vocat me dicens: *Veni de Libano sponsa, veni, coronaberis.* Læva Jesu-Christi sponsi mei sub capite meo, id est, donum Spiritus-sancti requiescat in me in hac præsenti vita: & intellectus sanctarum Scripturarum sit in mente mea, ut eum cognoscam & perfecte intelligam: & dextera illius amplexetur me, hoc est ad æternam beatitudinem pervenire faciat.

Cant. 1.

Cant. 4.

36. Carissima Soror, roga ancillas Christi, quæ tecum sunt, & dic eis: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore* Jesu-Christi sponsi mei *langueo.* O vos sanctæ sorores meæ, quæ jam Christum super omnia diligitis, & nihil amori illius præponitis: fulcite me bonorum vestrorum exemplis, & qualiter Christum dilectum meum invenire valeam ostendite: quia præ amore illius infirmor. Hic amor dulcis, hic languor suavis, hæc infirmitas sancta, hæc dilectio casta, conjunctio intemerata, hæc copula inviolata; hæc complexio illibata: & vos sanctæ sorores fulcite me floribus, id est, vestræ conversationis exemplis: quia præ amore sponsi mei infirmor. Honesta virgo, vere pro amore Jesu-Christi sponsi tui langues & infirmaris, si pro amore illius omnia quæ in mundo sunt, contemnis & despicis. Vere pro amore Jesu-Christi infirma jaces in lecto contemplationis, si Christum super omnia diligis. Vere pro amore Christi es infirma, si plus diligis cælestia quam terrena. Vere propter amorem & dilectionem Christi languida jaces in lecto intimæ dilectionis ac suavitatis, si in sanctis operibus fortis, & in terrenis actibus es debilis. Soror mihi in Christo amabilis, si Christum ex toto corde tuo dilexeris, & nihil amori illius præposueris, cum eodem Jesu-Christo sponso tuo in cælesti regno lætaberis. Si Christum in tota mente secuta fueris, & eum tota mente dilexeris, absque ulla dubitatione cum eo in cælesti patria gaudebis, & eum cum sanctis virginibus quocumque ierit sequeris. Si cum omni devotione Christo adhæseris, & ad eum die ac nocte suspiraveris in hoc præsenti sæculo, sine dubio cum eo exsultabis in cælesti palatio, atque inter virginum choros cantabis illi dulces hymnos, sicut scriptum est: *Qui pascis inter lilia septus choreis virginum: sponsus decorus gloria, sponsisque reddens præmia. Quocumque pergis, virgines sequuntur, atque laudibus post te canentes cursitant, hymnosque dulces personant.* Ideo hoc dixi, Soror carissima, ut Christum super omnia diligas, ut nihil amori illius præponas. Obsecro te, dilecta Soror, ut nullum præter Christum quæras amorem, & nullam præter Christum diligas pulcritudinem. Pro amore Christi luge, pro amore Christi plange, donec eum merearis videre in dextera Patris sui regnantem, Amen.

Cant. 2.

Infirmitas sancta & languor spiritualis, quis

In Hymno de Virginibus.

## XIII. *De dilectione proximi.*

37. Soror carissima, audi quæ Dominus Jesus-Christus ait discipulis suis: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* Omnes fideles, discipuli Christi sunt. Unusquisque illius discipulus est, cujus doctrinam sequitur. Ergo qui vult Christi discipulus esse, studeat proximos suos tamquam seipsum diligere. Dilectio proximi malum non operatur. Quare? quia plenitudo legis est dilectio. Et Paulus Apostolus: *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos, & tradidit semetipsum pro vobis.* Etiam Johannes Apostolus ait: *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum non est in eo: qui odit fratrem suum, & in tenebris est, nescit quo vadat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, & veritas in eo non est. Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Etiam Salomon ait: *Omni tempore diligit qui amicus est.* Et frater in necessitate comprobatur. & beatus Augustinus: Hominem vincis humana felicitate, diabolum vincis inimici dilectione. Tamen Soror dilecta, non debet inter servos Dei carnalis dilectio esse, sed spiritualis. Nihil Deo specialius virtute dilectionis. Nihil desiderabilius diabolo, quam exstinctio caritatis. Sanctus amor non habet scandalum. Omnem hominem fidelem judica tuum esse fratrem. Memento quod unus artifex condidit nos. Verus amor non habet amaritudinem scandali.

Johann. 13.

Rom. 13.

Ephes. 5.

1. Johann. 2.

1. Johann. 4.

Prov.

38. Soror venerabilis, in proximi dilectione cognosces quomodo debeas pervenire ad dilectionem Dei. Sicut dilectio mentem elevat; ita malitia demergit. Nec Deum vere sine proximo poteris diligere, nec proximum sine Deo. Veram caritatem tenes, si & amicum diligis in Deo, & inimicum diligis propter Deum. Quantum fueris larga in dilectione proximi; tantum eris alta in congregatione Dei. Si in veritate diligis proximum tuum, in tranquillitate est cor tuum. Ille vero qui proximum suum habet odio, circumdatus est tenebris. & ideo diligendo proximum purgas oculum mentis ad videndum Deum. Tamen reverendissima Soror, moneo te, ut nullum hominem carnaliter diligas. Unde beatus Isidorus: Multum in terra demersus est, qui diligit hominem moriturum plus quam oportet, carnaliter. Cum Deo manere non possumus, si in hoc sæculo unanimes esse nolumus. Amicus in necessitate comprobatur. Si præcepta Dei volumus custodire, sicut nosmetipsos debemus proximos nostros diligere: quia si sine dissimulatione diligit homo fratrem, cito placat Deum Patrem. Qui diligit proximum; non potest facere homicidium, non adulterium, non furtum, non perjurium, non falsum testimonium, non rapinam, non invidere, non litigare. Igitur honesta virgo, dilectionem Dei & proximi, in qua tota lex pendet & prophetæ, semper meditemur, & opere perficiamus. Sed si proximus noster patitur aliquam tribulationem, aut infirmitatem, aut damnum, aut in carcerem mittitur; si dolemus pro illo, in corpore Ecclesiæ sumus: si autem non dolemus, jam à corpore Ecclesiæ præcisi sumus. Caritas quæ colligit & vivificat omnia membra Ecclesiæ, si nos viderit de ruina proximi gaudere, statim nos præscindit à corpore. Tamdiu dolet membrum, quamdiu in corpore continetur. Si autem membrum præcisum fuit à corpore, nec sentire poterit, nec dolere. Si manus, aut pes, aut aliquod membrum præcisum fuerit à corpore, si totum corpus tunc in multis partibus dividatur, aut in ignem mittatur, manus illa jam non sentit, quia jam divisa est à corpore. Talis est omnis Christianus qui de alterius damno, aut tribulatione, aut angustia, aut necessitate non dolet, sed quod pejus est, gaudet, quia jam alienus est à corpore Ecclesiæ.

Modus dilectionis.

Ex caritate condolendum proximo.

39. Nos vero, honesta virgo, si veram & perfectam caritatem volumus custodire, diligamus bene. Omnes fideles sicut nosmetipsos studeamus diligere, ut quia Christus est caput nostrum, mereamur membra illius esse: ut cum Christus apparuerit, qui est gloria nostra, nos per concordiam caritatis, & per dilectionem Dei & proximi, cum ipso possimus apparere in gloria. Tunc vero amicus amatur, si non pro se, sed pro Deo amatur. Unde beatus Isidorus: Qui intemperanter amat amicum, magis amat illum pro se, quam pro Deo. Tunc quisque bonitati atque divinæ justitiæ fit contrarius, quando despicit amicum aliqua adversitate percussum. Vera amicitia nulla occasione excluditur, nullo tempore deletur: sed ubicumque se verterit tempus, illa firma est. Pauci sunt amici, qui usque ad finem sint cari. Illa est vera amicitia, quæ nihil ex rebus amici quærit, nisi solam benevolentiam, scilicet ut gratis amet amantem se. Igitur, Soror amabilis in Christo, moneo te ut diligas amicos tuos in Deo, hoc est in bono. Dilige etiam inimicos tuos propter Deum,

Amicitia vera, quæ

6. Deum, sicut scriptum est: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Et iterum: *Si esurierit inimicus*
11. *tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Et iterum: *Bene-*
6. *dicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere.* Dilectio est soror caritatis. Caritas numquam fuit sine dilectione; nec dilectio sine caritate. Honesta virgo, ergo necessaria est nobis dilectio, in qua tantæ virtutes consistunt, & de qua tanta bona nascuntur. Dilectio habet duas alas. Ala dextera est dilectio Dei: sinistra ala est dilectio proximi. Nullus hominum cum una ala poterit volare ad cælum. Quare? Quia nec sola dilectio Dei sine dilectione proximi valet ad consequendam æternam beatitudinem. Virgo prudens sume tibi has duas alas, videlicet dilectionem Dei & proximi, ut libere possis volare, B bona operando, & pervenire ad patriam cælestis regni, Amen.

dilec- alæ.

### XIV. De compassione.

40. Soror carissima, audi quid Dominus noster Jesus-Christus dicat: *Omnia bona quæ vultis ut faciant vobis homines, vos facite illis.* Hæc est enim lex, & Prophetæ Et Paulus ait: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Et iterum: *Suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* Et Salomon ait: *Qui despicit proximum suum, peccat. Fidem posside cum proximo tuo in paupertate illius, ut & in bonis ejus læteris. In tempore tribulationis permane proximo tuo fidelis, ut in hereditate illius sis coheres. Qui* C *cavat* * *proximo suo foveam, cadet in illam: & qui parat laqueum proximo suo, peribit in illo.* Unde Psalmista: *Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit.* Perfecte proximum non diligit, qui illi in necessitate non succurrit. Quanto amplius per compassionem proximis nostris in necessitate succurrimus, tanto amplius Creatori nostro appropinquamus. Sic debemus habere curam nostri, ut non negligamus curam proximi. Igitur soror dilecta, quod non vis tibi accidere, nec proximo tuo cupias evenire. Condole alienis calamitatibus. Saucia te fletibus in alienis mæroribus. In tribulatione alterius & tu esto tristis: cum infirmis esto infirma. Sic alienos mærores tamquam tuos luge: cum plangentibus plange, cum lugenti- D bus luge, cum flentibus fle, cum plorantibus plora: talis esto aliis, quales optas circa te esse alios. Quod non vis pati, non facias alteri; non facias alteri mala, ne tu patiaris similia. Ita clemens esto in alienis delictis, sicut in tuis, ut non aliter te, & aliter alios penses. Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari in ruina adversarii, noli extolli: non læteris super inimici interitu, ne forte & tibi superveniat malum. Non extollaris de casu inimici, ne forte convertat Deus iram suam in te. Qui enim gaudet de casu inimici, cito veniet super eum malum. Sit igitur humanus affectus erga miserum, sit erga pauperem dolor compassionis: sit erga dilectum amor miserationis. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, po-* E *tum da illi.* Non despicias pauperes, non contemnas egenos, non vilipendas pupillos: nullus à te tristitiam habeat, nemo à te confusus abscedat. Visita infirmos, consolare pusillanimes, ut tu à Domino consolari merearis in æterna beatitudine. Amen.

### XV. De Misericordia.

41. Soror carissima, audi Jesum-Christum in Evangelio dicentem: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et iterum: *Estote misericordes, quia & Pater vester cælestis misericors est.* Et Paulus Apostolus: *Estote autem invicem benigni, & misericordes, & in-* F *duite vos sicut electi Dei & sancti in sancta misericordia.* Pietas autem *ad omnia utilis est.* Et Salomon ait: *Facere misericordiam & judicium magis placet Deo quam sacrificium.* Misericordia facit locum unicuique secundum meritum operum suorum. *Miseratio hominis circa se, & circa proximum suum: misericordia autem Domini super omnem carnem. Ille offert sacrificium, qui facit misericordiam.* Misericordia autem Domini à compatiendo alienæ miseriæ, vocabulum sortita est. Qui in alterum misericors non fuerit, misericordiam Dei invenire non poterit. Soror dilecta mihi in Christo, misericordia & veritas te præce- A dant. Misericordiam numquam deseras. Benefacies animæ tuæ si misericors fueris. Qui alteri miseretur, misericordiam à Domino consequetur. Soror venerabilis, quod habes, habeto ad misericordiam. Præbe misericordiam sine murmure. Tale erit opus tuum, qualis fuerit intentio tua. Non est misericordia, ubi non est benevolentia. Bonum quod facis, propter misericordiam fac, non propter vanam gloriam. Nihil facias propter laudem, sed propter æternam remunerationem. Nihil facias propter temporalem opinionem, sed propter æternam mercedem. Nihil facias propter famam, sed propter vitam æternam. Ad quam te perducere dignetur omnipotens Deus, reverendissima soror. Amen.

ordia cepta.

### XVI. De exemplis Sanctorum.

42. Ad conversionem vel emendationem fidelium multum exempla Sanctorum prosunt, Soror carissima. Ideo scribuntur casus & reparationes Sanctorum, ut miseri propter multitudinem peccatorum non desperemus, sed per pœnitentiam resurgendi etiam post lapsum spem habeamus, ut nullus post peccatum de bonitate Dei desperet, dum conspicit etiam post ruinam reparationem fuisse Sanctorum. Propterea posuit Deus virtutes Sanctorum ad exemplum nostrum, ut per vestigia ipsorum pervenire possimus ad regna cælorum: vel si eos ad bene operandum sequi noluerimus, in pœnis inexcusabiles simus. Sancti Dei homines, quamdiu fuerunt in hoc sæculo, non cessaverunt currere in bonis operibus, scilicet in jejuniis, in vigiliis, in eleemosynis, in castitate, incontinentia, in longanimitate, in patientia, in suavitate, in orationibus, in persecutionibus, in benevolentia, in fame & siti, in frigore & nuditate, & in laboribus multis pro Christi nomine. Sancti homines despexerunt præsentem mundum, ut æternum regnum acquirerent: non acceperunt hic promissiones vel divitias miserabiles hujus sæculi, quæ perducunt homines male eis utentes ad tormenta inferni: sed hanc patriam tota intentione relinquentes, ad cælestem Jerusalem levaverunt oculos suos. Homines sancti vitaverunt peccatum in verbo, in facto, in cogitatione, in visu, in auditu, in nutu, in oculis, in manibus, in ira, in pedibus, in rixa, in furore, in dissensione, in vana gloria, in superbia, in elatione, in cupiditate, in gula, in somnolentia, in fornicatione, in vinolentia. Custodientes corpora sua & animas suas, duobus modis jejunaverunt, scilicet à vitiis, & cibis. Bona est abstinentia ciborum, sed multo est melior abstinentia vitiorum. Unde Ecclesia de suis membris, id est de eisdem sanctis Patribus, dicit: *Manus meæ stillaverunt myrrham.* Quid per manus nisi operationes Sanctorum intelligimus, & quid per myrrham nisi mortificatio carnis & mortificatio vitiorum accipitur? Manus Ecclesiæ sancti homines sunt bona operantes, de quibus dicit: *Operata sunt justitiam.* Manus ergo Ecclesiæ myrrham bonorum operum stillant, quia nobis exempla bene vivendi demonstrant, & ut vitia carnis nostræ mortificemus, prædicant. Unde quidam eorum dixit: *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et iterum: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Et iterum Ecclesia dicit: *Digiti mei myrrha probatissima.* Tunc vere est myrrha probatissima, quando perfecte caro mortificatur, & vitia atque peccata exstinguuntur.

Cur lapsus & virtutes SS. describantur.

Abstinentia vitiorum melior quam ciborum.

Cant. 5.

Hebr. 11.

Rom. 8.

Coloss. 3.

Cant. 5.

43. Igitur Soror in Christo dilecta, si societatem Sanctorum habere cupimus, necesse est ut exempla eorum sequamur. Si peccamus, jam de peccato nullam excusationem habemus. Quare? Quia & lex Dei quotidie nos admonet ut bene vivamus, & exempla sanctorum Patrum semper invitant ad bene operandum. Sed & si aliquando secuti sumus exempla malorum hominum, cur non sequimur exempla sanctorum Patrum? Et si apti * fuerimus ad imitandum malos in malum, cur pigri simus ad imitandum bonos in bonum? Soror venerabilis, ergo deprecemur Deum, ut virtutes sanctæ, quas suis Sanctis præparavit ad coronam, nobis non sint ad pœnam neque ad damnationem; sed ad profectum & salutem. Sine dubitatione credimus, quia si exempla Sanctorum secuti fuerimus,

* forte prompti.

post hanc vitam cum eis in cælo regnabimus. Quanto amplius vitam sanctorum Patrum legimus, si exempla eorum sequi nolumus, tanto amplius culpabiles sumus. Nunc honesta virgo, omnipotentem Deum deprecor, ut det tibi has virtutes sanctorum Patrum; scilicet humilitatem Christi, devotionem Petri, caritatem Johannis, obedientiam Abrahæ, patientiam Isaac, tolerantiam Jacob, castitatem Joseph, mansuetudinem Moïsi, constantiam Josue, benignitatem Samuelis, misericordiam David, abstinentiam Danielis, & cetera digna facta priorum Sanctorum, ut post hanc mortalem vitam pervenire possis ad societatem eorum.

44. Virgo Christi, quotidie considera, quo moderamine, qua intentione, vel qua compunctione homines Christi placuere Deo. Unde in persona Christi in Canticis canticorum Ecclesiæ dicitur: *Quam pulcri sunt gressus tui in calciamentis filia principis!* Christus per potentiam divinitatis princeps est omnium creaturarum: & ideo sancta Ecclesia filia principis dicitur, quia per prædicationem Christi in novam vitam regeneratur. Quæ sunt autem calciamenta Ecclesiæ, nisi exempla sanctorum Patrum, quibus in via hujus sæculi munimur, ut per omnes tribulationes calciamenta ista ambulent? Soror in Christo amabilis, & nos spiritualiter pedes calciamus, quando à sanctis Patribus exempla bene vivendi sumimus, ut ad similitudinem eorum tentationes hujus mundi vincamus. Iterum in eisdem Canticis sponsus Ecclesiæ Christus loquitur, dicens: *Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, & inspicerem, si floruissent vineæ, si germinassent mala punica.* Vineæ florent, quando in ecclesiis filii recenter in fide generantur, & ad sanctam conversationem quasi ad soliditatem bonorum operum præparantur. Mala punica germinant, quando perfecti homines per exempla bonorum operum suos proximos ædificant, & in novitate sanctæ conversationis per prædicationem suam & per ostensionem bonæ vitæ sanctis operibus renovant. Unde moneo te, in Christo spiritualis amica, ut des bonum exemplum de te omnibus hominibus in omni tua vita.

Cant. 7.

Cant. 6.

Exemplo bono aliis placendum.

45. Venerabilis virgo, desidero, ut luceas omnibus ancillis Dei quæ tecum sunt in monasterio, bene vivendo: quia, sicut ait beatus Gregorius, qui aliis suam bonam vitam abscondunt, in semetipsis accensi, sed aliis in exemplum luminis non sunt. Illi vero qui exemplum virtutum, & per viam sanctitatis atque per verbum prædicationis aliis lumen demonstrant, lampades ardentes sunt, quia aliis viam salutis ostendunt. Unde Dominus dicit: *Lux vestra luceat coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est:* quia videlicet soli Deo est reddenda omnis gloria. Christi virgo, te moneo tamen, ut ita sit opus tuum in publico, quatenus intentio tua maneat in occulto. Igitur amantissima mihi in Christo Soror, sicut superius dixi tibi, in omnibus actionibus tuis, in omni opere tuo, in omni conversatione tua imitare Sanctos, æmulare justos, habeto ante oculos tuos exempla Sanctorum, exempla justorum imitando considera. Exempla justorum propone tibi, Patrum exempla sint tibi imitamenta disciplinæ. Intende in virtutem Sanctorum ad bene operandum, intende ad bene vivendum: documenta Sanctorum nulla infamia scandalizent vitam tuam, nulla opinio adversa te contristet. Disce flagrare bono præconio, habeto testimonium bonum, custodi tuam famam bonam, tua bona fama nullis fœtoribus obscuretur, tua bona fama nullis opprobriis laceretur. Amen.

Matth. 5.

## XVII. De contentione.

46. PAulus Apostolus ait: *Cum enim sint inter vos zelus & contentio, nonne secundum hominem ambulatis, & carnales estis?* Et Salomon ait: *Inter superbos semper sunt jurgia. Semper malus jurgia quærit.* Angelus malus mittitur contra eum. Qui per loca periculosa vadit, cito cadit: sic ille qui quotidie cum proximis suis contendit, cito in scandalum cadit. Viri mites semper despiciunt lites: qui quotidie contendunt & rixantur, à paucis hominibus amantur. Propterea pax & concordia ab omnibus hominibus amantur, propterea pax & concordia omnibus hominibus sunt necessariæ. Soror carissima, audi beatum Augustinum dicentem: O quam irreprehensibiles esse possemus, si tam diligenter nostra vitia emendaremus, quanto studio aliena reprehendimus! Sed si nos bene consideramus, multa in nobis reprehendere possumus. Volo quod cognoscas, quia nihil est turpius quam lites inter religiosos, qui debent per concordiam & dilectionem lucere in mundo, sicut luminaria in cælo. Contentiones ex invidia & detractione solent evenire atque oriri. Sed si detractio & jurgia sunt in claustro, ubi est taciturnitas regularis, ubi sanctitas religionis, ubi silentium Ordinis, ubi religiositas monasterii, ubi vinculum caritatis, ubi pax unitatis, ubi concordia fraternitatis, ubi amor socialis? Heu pro dolor! periit taciturnitas regularis, ablata est sanctitas religionis, defecit silentium Ordinis, ad nihilum devenit religiositas monasterii, annullata caritas fraternitatis. Sed si illi qui in pace debent vivere, incipiunt contendere, litigare, detrahere; ubi est vita tranquilla, ubi vita quieta, ubi vita pacifica, ubi vita honesta, ubi vita modesta, ubi vita casta, ubi vita contemplativa, ubi angelica? Certe non potest ibi esse pax integra, ubi regnat detrahens lingua: ubi regnant rixæ & contentiones, non potest esse perfecta religio.

Cor 3.

Prov. 13.

Contentiones dedecent rel. (sic) fos.

47. Vide ergo, Soror dilecta, ne per lites & contentiones perdas labores. Cave ne dies tuos perdas per detractiones & rixas. Attende tibi diligenter, ne per jurgia & contentiones perdas cælestes promissiones. Esto sollicita, ne per stulta verba perdas gaudia æterna. Igitur linguam tuam refrena, & eris religiosa: quia si eam non refrenaveris, religiosa non eris. Sed si forsitan mihi non credis, audi Jacobum apostolum dicentem: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Lingua modicum est membrum* in corpore hominis, sed tamen si refrenata non fuerit, *totum corpus maculat & corrumpit.* Nam sicut modicum fermentum corrumpit totam massam, & sicut parva scintilla ignis magnam silvam incendit: ita lingua sine freno dominos & præpositos, æquales & socios, subjectos & parvulos, omnes scandalizat, ad iracundiam provocat. Lingua contentiosa si frenum non habeat, nullus homo cum ea in pace vivere poterit. Rixosa lingua veneno est plena: quæ si non fuerit castigata, omnes socios suos perducet ad scandala. Soror venerabilis, ergo bonum est tibi ut prohibeas linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.

Jac. c.

Ibid. Lingua refrena malum quanti

48. Considera unde venisti, & ad quid venisti. De mundo existi, & ad castra Dei, hoc est, ad monasterium fugisti: divitias sæculi postposuisti, & ad cælestes divitias promerendas venisti: & ideo paupertatem elegisti. Gratis paupertatem elegisti, & ideo oblivioni debes tradere omnia quæ propter Deum reliquisti. Cave ergo ne velis aliis te præferre: quanto major es, tanto te humilia in omnibus: dimitte conventicula conspirationis & detractionis: fuge murmurationes & susurrationes: susurrationes non audias. Murmurationibus autem tuam non præbeas, separa aures à detrahentibus, quasi à serpentibus. Fuge detrahentes; quasi serpentes detrahentes infundunt venenum mortiferum in auribus se audientium. Qui detrahit, & qui detrahentem libenter audit, uterque peccat. Non solum ille qui detrahit peccat, sed ille qui voluntarie detrahentem audit. Honesta virgo, audi ea quæ dicit perfectus vir in Christo. *Non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Tu ergo cum concilio vanitatis non sedeas, & cum mala loquentibus non commiscearis. Non contendas in ulla causa: in nulla causa decertare studeas. Contentio lites parit, contentio pacem cordis exstinguit, contentio rixas gignit, contentio jurgia seminat, contentio faces odiorum accendit, contentio concordiam rumpit, contentio conturbat oculum mentis, sicut ait David: *Turbatus est à furore oculus meus.* Igitur amabilis in Christo soror, moneo te, ut in ulla causa causa non contendas. Non contendas pro cibo neque pro potu, neque pro vestimento: sed accipe de manibus præpositarum tuarum ea

Murmurationes fugienda

Psal. 1

Psal. 3

quæ tibi dederint, sine murmuratione; quod à præpositis tuis tibi fuerit ministratum, sine murmuratione accipe. Si soror tua meliora vestimenta accepit, quam tu accepisti, non sit tibi curæ. Si præposita tua dederit tibi vile vestimentum, & sorori tuæ dederit pretiosum, de hoc non murmures. Sive meliora vestimenta sororibus tuis fuerint, & tu acceperis viliora, super hoc non contendas.

iora in ts tempo- ous non enda. 49. In nulla temporali causa eligas meliora, in transitoriis rebus meliora non quæras, in rebus mundi meliora non concupiscas. Quare? Quia non venisti ad divitias, sed ad paupertatem; non venisti ad monasterium, ut divitias terrenas habeas, sed ut virtutes spirituales acquiras; non venisti ad claustrum, ut in vestimentis pretiosis resplendeas, sed ut in simplicitate Deo servias; non B venisti ad Ordinem, ut ante oculos hominum in vestibus gloriosa appareas, sed ut per humilitatem Deo placeas; non venisti ad sanctam congregationem, ut voluntatem tuam compleas, sed ut voluntati alienæ obedias, & pro Deo omnia terrena despicias. Alioquin melius tibi fuerat in domo patris tui remanere, quam in monasterio pretiosa vestimenta quærere; melius tibi fuerat in domo parentum tuorum habere solatium, quam inter ancillas Dei pro terrenis & transitoriis rebus movere scandalum; melius tibi fuerat in terra tua commorari, quam in domo Dei pro temporalibus rebus contendere, aut litigare, aut murmurare. Igitur carissima, sicut superius dixi, in nulla causa decertare studeas, nisi ut soli Deo placeas, Amen.

## XVIII. De disciplina.

1. 50. Sapientissimus Salomon ait: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut*
4. *addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Tene disciplinam, & ne dimittas eam. Custodi illam, quia ipsa est ma-*
8. *ter tua. Accipe disciplinam, & noli abjicere eam. Qui odit*
10. *castigationes, stultus est. Qui increpationes relinquit, multum errat. Qui disciplinam despicit, peccat. Qui custodierit disciplinam, inveniet vitam. Qui vero disciplinam noluerit custodire, inveniet mortem. Egestas & ignominia erit illi qui*
15. *deserit disciplinam. Qui acquiescit castiganti, gloriabitur.*
15. *Stultus irridet disciplinam patris sui. Qui autem custodit increpationes, sapiens est.* Plus proficit cogitatio linguæ
10. apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. *Vir sapiens & disciplinatus non murmurabit adversus eum qui castigat illum.* Tamen castigatio debet esse moderata, unde beatus Ambrosius: Leviter castigatus exhibet reverentiam castiganti: qui vero crudeliter castigatur vel increpatur, nec increpationem suscipit, nec salutem. Blanda pietate sunt portandi, qui pro sua infirmitate non possunt increpari.

51. Pro diversitate peccantium alii portandi sunt, alii castigandi, quia modus est diversus peccatorum. Prælati Ecclesiæ portare debent subditos suos quos corrigunt, & corrigere quos portant. Hinc Salomon in basibus templi Domini imaginem leonis & bovis, & Cherubim opere sculptorio fecit pingi. Quid aliud designant bases in tem-
7. plo, nisi prælatos in Ecclesia? Quicumque sollicitudinem regiminis suscipiunt, tamquam bases portant onus superpositum. Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur. In basibus Cherubim monstratur, quia prælati Ecclesiæ pleni debent esse cælestis scientiæ. Per leonem terror severitatis figuratur, per bovem vero patientia mansuetudinis ostenditur. Itaque in basibus neque leones sine bobus, neque boves sine leonibus exprimuntur: quia prælati Ecclesiæ aliquando rigide, aliquando cum dulcedine, aliquando cum asperitate, aliquando verbis, aliquando flagellis debent subjectos suos corrigere: quia ille qui blandis verbis castigatus non corrigitur, necesse est ut acrius corrigatur & arguatur. Cum dolore enim abscindenda sunt vulnera, quæ leviter sanari non possunt. Qui secreto admonitos de peccato corrigi negligit, publice est arguendus: & vulnus quod occulte sanari nequit, manifeste debet emendari. Palam sunt arguendi qui palam nocent; ut dum aperta objurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerunt, corrigantur: ut dum unus corripitur, ceteri emendentur. Melius est ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Etiam beatus Gregorius ait: Sunt multi, qui verba increpationis audiunt, & ad pœnitentiam redire contemnunt. Unusquisque audiat de regno Dei quod diligat: audiat de inferno quod timeat: ut si per amorem ad regnum non venit, saltem per timorem veniat. Verba sunt Isidori: Justi benigne suscipiunt castigationem, quando de suis culpis arguuntur.

52. Soror carissima, disciplina est emendatrix, quæ non est vilipendenda: & ideo debemus prælatos nostros diligere, & verba eorum benigne suscipere, qui per increpationes & castigationes suas auferunt à nobis proprias voluntates, & mundi cupiditates. Unde in canticis Canticorum de eisdem prælatis Ecclesia vel quælibet fidelis anima dicit: *Invenerunt me custodes qui custodiunt civitatem: percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt mihi pallium meum custodes murorum.* Per custodes civitatis intelligimus prælatos, qui statum sanctæ Ecclesiæ custodiunt, qui etiam animam fidelem inveniunt: eamque suis prædicationibus & exhortationibus atque minis percutiunt, & amore caritatis Christi vulnerant. Nec solum hoc sufficit eis, sed etiam pallium ei tollunt, id est, omnem terrenam delectationem, atque substantiam temporalem ab ea auferunt, & eam nudam peccatis ac spoliatam divitiis ad regnum cælorum transmittunt. Igitur Soror mihi in Christo dilecta, valde dignum est ut prælatos nostros quasi patres diligamus, ut ab eis disciplinam nostræ salutis libenter suscipiamus, secundum consilium David dicentis: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Ergo si de via justa nolumus perire, necesse est nos disciplinam suscipere. Si ille qui disciplinam non suscipit, de via justa peribit: procul dubio in via justa confirmatus erit, qui disciplinam suscipit. Nunc ergo soror venerabilis, moneo te ut libenter suscipias disciplinam, ut ab ira Dei libereris, & in via justæ confirmeris. Multas age gratias illi qui castigaverit te: illi qui increpaverit te, gratias repende. Si Abbatissa vel Priorissa pro salute tua increpaverit te, non contristeris: cum monstraverit tibi viam salutis tuæ, suscipe doctrinam illius gratis; quando aliquis monstraverit tibi causam tuæ salutis, tu non sis rebellis. Dilige eas quæ te reprehendunt de tuis transgressionibus. Ama eas quæ te castigaverint de tuis negligentiis; quasi matres dilige eas quæ te reprehendunt de tuis transgressionibus. Castigantibus injuriam non respondeas. Increpantibus te contumeliam non dicas: mala pro bonis non reddas. Adversus bona consilia non respondeas jurgia. Adversus bona verba non respondeas mala. Quare? Quia qui diligit disciplinam, diligit sapientiam. Ergo & tu si disciplinam dilexeris, sapiens eris. Prudens eris, si increpationes patienter sustinueris: patiens eris, si humiliter castigationes portaveris.

53. Honesta virgo, ideo à Domino & à prælatis nostris in hac vita corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Multo melius est nobis in hac vita à prælatis nostris pro negligentiis corripi, quam in futura vita damnari. Melius est nobis in hoc sæculo à præpositis nostris pro transgressionibus & culpis castigari, quam in futuro sæculo puniri. Amabilis mihi in Christo soror, melius est tibi manu Abbatissæ flagellis cædi, quam in inferno pœnas pati: melius est tibi manu Abbatissæ vel Priorissæ flagellari in hac vita, quam in inferno cruciari in futuro: melius est tibi manu Abbatissæ flagellis verberari, quam in inferno torqueri: melius tibi est in hoc mundo de manu Abbatissæ vel Priorissæ sustinere flagella, quam pati æternas pœnas in gehenna: melius est tibi manu Abbatissæ vel Priorissæ temporaliter affligi virgulis, quam cremari æternis incendiis. A quibus te dignetur liberare ille, qui te redemit suo pretioso sanguine, Amen.

## XIX. De obedientia.

54. Soror carissima, audi verba Pauli Apostoli: *Non est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt ordinata, à Deo ordinata sunt. Ideoque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ergo non debemus contemnere potestates, sive mundi sint, sive Ecclesiæ, quia omnes à Deo ordinatæ sunt. Igitur quando per inobedientiam prælatis nostris

Correptio Prælatorum libenter suscipienda.

Cant. 5.

Psal. 2.

Rom. 13.

*Prælati obediendum.* contradicimus, Deo injuriam facimus: quando per superbiam & inobedientiam prælatis nostris rebelles sumus, contra Dei præcepta facimus: quando prælatis nostris contumaces sumus atque inobedientes, Deum contemnimus, qui dicit: *Qui vos audit, me audit*, id est, qui vobis est obediens, mihi obediens est, & qui vos despicit, me despicit. *Luc. 10.* Soror dilecta mihi in Christo, ergo qui prælatum suum despicit, Deum despicit: & qui prælatum suum honorat, Deum honorat: & qui obediens est prælato suo, obediens est Deo. Hanc virtutem, scilicet obedientiam laudat Samuel Propheta dicens: *Melior est obedientia, quam sacrificium, & obedire magis quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*, id est, nolle obedire. *1. Reg. 1.* Maria soror Aaron per superbiam & inobedientiam murmuravit contra Moïsen fratrem suum, & statim percussa est lepra. *Num. 12 Inobedientiæ exempla, & pœnæ.* Maria quæ contra Moïsen fratrem suum, id est, prælatum, murmuravit per inobedientiam & rebellionem, significat animam cujuslibet hominis, qui murmurat contra prælatum suum, cui non vult obedire, nec præcepta salutis accipere. Et quia non vult per obedientiam præcepta sui prælati suscipere, lepra peccatorum percutitur atque fœdatur. Etiam Core, Dathan & Abiron, qui contra Moïsen & Aaron per superbiam & contumeliam atque inobedientiam insurrexerunt, statim pro sua præsumptione pœnas sustinuerunt, sicut scriptum est in Psalmo: *Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron.* *Num 16.* Et iterum: *Exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores.* *Psal. 105. Psal. 104. 2. Part. 26 1. Reg. 15.* Nam & Ozias rex cum per superbiam & inobedientiam, atque contumaciam thuribulum accepisset, & contra legem Dei sacrificare voluisset, à Deo est lepra percussus, atque maculatus in fronte. Nam & Saul rex quia inobediens fuit, regnum perdidit, & in manibus inimicorum suorum cecidit. Etiam Jonas Propheta per inobedientiam fugit, & eum piscis absorbuit, atque in profundum maris misit. *Johann. 1.* Cavendum est igitur nobis, ne contra prælatos nostros per inobedientiam audeamus insurgere, ne Dominus per eos velit nos, quia vice sua fungitur, aspere visitare.

55. Venerabilis Soror, pro salute nostra posuit Deus prælatos in Ecclesia, ut nobis provideant, ut Deo pro nobis rationem reddant; atque nos ne mala faciamus custodiant. Unde Paulus Apostolus: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* *Hebr. 13.* Prælati debent custodire ac regere gregem Dominicum magna vigilantia ac sollicitudine, de quibus in Canticis canticorum legitur: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* *Cant. 3.* Verus Salomon Christus esse intelligitur, quia revera pacificus est, qui pacem inter Deum & hominem reformavit. Lectulus vero Salomonis congregatio est fidelium, in qua Deus habitat & requiescit. *Lectulum* vero Salomonis sexaginta fortes ambiunt, scilicet prælati, qui defendendo, castigando, increpando, corripiendo, admonendo circumeunt & custodiunt Ecclesiam Dei contra vitia, & contra inimicos visibiles atque invisibiles. Qui ideo fortes esse dicuntur, quia prælati sanctæ Ecclesiæ perfecti sunt in observatione mandatorum Dei: omnes tenentes gladios, id est, spirituale verbum, quia prædicando vitia subditorum debent reprimere. Ad bella sunt doctissimi, quia necesse est ut ad bella spiritualia sint instructi. Uniuscujusque ensis super femur suum. Prælati sanctæ Ecclesiæ super femur enses tenent, quia prius in se, & tunc in sibi subjectis vitia debent resecare. Et hæc omnia faciunt propter timores nocturnos, id est, propter occultas insidias malignorum spirituum, qui nocte hujus sæculi maxime insidiantur sanctis prælatis, ut illis deceptis, lectulum Salomonis, id est congregationem servorum Dei fœdare ac maculare possint.

56. Soror carissima, ideo hæc dixi tibi, ut cognoscas quam devote, quamque humiliter debemus prælatis nostris obedire. *Gregor.* Obedientia sola virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit, de qua Salomon ait: *Melior est obedientia quam victima*: *Eccle. 4. & Reg. 15. Prov. 21.* quia per victimas aliena caro mactatur, per obedientiam vero propria voluntas religatur. Unde *vir obediens loquitur victorias*, quia qui pro Domino alienæ voci humiliter obedit, semetipsum in corde superat. Adam in infernum cecidit*, quia inobediens fuit: Christus vero ad cælum ascendit, quia usque ad mortem Deo Patri obedivit. *Sicut per inobedientiam Adæ peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam Christi justi constituti sunt multi. Et sicut propter peccatum Adæ omnes homines sunt in condemnationem mortis, ita per justitiam Christi omnes homines in justificationem vitæ.* *Philip. 2. Rom. 5.* Et iterum: Sicut inobedientia primi parentis generavit mortem, ita obedientia Christi generavit vitam. Igitur soror dilecta, si pro Christo fueris obediens tuis prælatis, cum Christo regnabis in cælis. Contra matrem tuam, id est, Abbatissam vel Priorissam, numquam verbum asperum dicas. Prælatis tuis numquam rebellis exsistas, præpositis tuis in nulla causa contradicas. Venerare autem homines melioris scientiæ, ac melioris vitæ. Venerare unumquemque hominem pro suæ merito sanctitatis. Majori gradui reverentiam tribue competentem. Secundum dignitatem unicuique homini tribue honorem. Superiori gradui æqualem te non exhibeas. Senioribus præsta obedientiam, & famulare humiliter imperiis eorum. Cede auctoritati majorum, defer digna servitia majoribus. Esto cunctis obediens in bonis præceptis. *Non obediendum malis.* O sponsa Christi, ita obedias homini, ut non offendas voluntatem Dei. In malis operibus numquam sis obediens. Non obedias illi qui male tibi facere mandaverit: malum facere jussa non consentias. Noli obedire in malo cuiquam potestati, etiam si pœna compellat, si supplicia immineant, si tormenta occurrant. Melius est mortem pati, quam mala jussa implere. Melius est ab homine jugulari, quam æterno judicio damnari. Neque enim est sine culpa, qui ut malum fieret obedivit. Igitur soror venerabilis, esto obediens usque ad mortem, & dabit tibi Deus coronam vitæ, Amen.

* *Intellige quoad culpam seu debitum peccati, alias salvatione Adami contans est E... trum sententia*

### XX. *De perseverantia.*

57. Soror carissima, audi beatum Hieronymum dicentem: Non quæruntur in Christianis initia vel exordia, sed finis & perseverantia. Paulus Apostolus male cœpit, sed bene finivit: Judas vero Scarioth bene cœpit, sed male finivit. Laudatur initium Judæ, sed finis vitæ illius condemnatur. Unde beatus Gregorius: Fructus boni operis perseverantia est. Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur. De hoc etiam beatus Isidorus ait: Non judicat Deus hominem de præterita vita, sed de suo fine. Unusquisque enim in die mortis suæ justificabitur, aut condemnabitur: unde scriptum est, *Ubi te invenero, ibi te judicabo.* *Johann. 1.* Etiam beata Magdalena ideo Christum resurgentem prima meruit videre, quia eum requirendo perseveravit. Unde etiam in Canticis canticorum dicitur: *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* *Cant. 3.* Moneo ergo te, honesta virgo, ut quæras eumdem Jesum-Christum sponsum tuum in lectulo tuo, id est, in requie mentis, atque quietæ contemplationis. Per noctes quære eum, hoc est, in hac vita, ad eum suspirando, eumque desiderando, ut eum perfecte in futura vita invenire possis, ac videre regnantem eum in Patris solio. Sine intermissione quære eum bene vivendo, ut faciem ejus merearis videre in cælesti regno. Rogo Christi sponsa, ut dicas cum David Propheta: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini?* *Psal. 41.* Vere anima tua Deum sitit, si eum super omnia diligit. Vere anima tua Deum sitit, si pro amore illius despicit omnia terrena. Vere anima tua Deum sitit, si eum in dextera Patris regnantem concupiscit. Etiam idem Propheta nos admonet, dicens: *Quærite Dominum & confortamini, quærite faciem ejus semper*, id est, in prosperitate & angustia, in paupertate & abundantia, in infirmitate & in sanitate, in juventute & in senectute. *Psal. 10* Debemus Deum quærere tota mente, tota intentione, ut ab eo mereamur confirmari in sancta conversatione, & ut illum mereamur invenire ac videre in cælesti regno. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, quia nonnisi casto corpore ad cælos poterunt sublevari in die resurrectionis, nec poterunt videre gloriam divinæ

majestatis, nisi illi qui sunt mundo corde.

58. Soror dilecta, mihi crede, quia non otiosis & vagantibus dabitur regnum cælorum, sed quærentibus, & petentibus, atque pulsantibus. sic enim ait Dominus: *Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Petenda est ergo janua regni orando, quærenda bene vivendo; pulsanda in Dei servitio perseverando. Non sufficit bona incipere, nisi etiam quisque studeat ea quæ bene inchoavit, usque ad finem vitæ perducere: quia melius est viam justitiæ non cognoscere, quàm post cognitionem retrorsum converti. Unde Dominus in Evangelio: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Igitur, soror venerabilis, necesse est ut per desiderium æternæ beatitudinis pulsemus quotidie aures Dei omnipotentis, nec deficiamus à bonis quæ incœpimus, priusquam illo aperiente mereamur de carcere mortis hujus eripi, & ad portam cælestis patriæ pervenire. Soror in Christo amabilis mihi, bonum est perseverare in servitio Dei: quoniam qui de monasterio ad sæculum revertuntur, plus quàm carbones nigri efficiuntur. Qui de monasterio ad sæculum descendunt, efficiuntur nigri sicut carbones frigidi. Quare? Quia per torporem mentis ab igne caritatis Dei sunt mortui & exstincti. Unde beatus Isidorus: Qui de bona vita ad malam revertuntur per cupiditatem mundi, sunt contenebrati, & nigredine vitiorum sunt fœdati & fuscati, atque lucernæ claritatis Dei sunt extranei. Qui de monasterio ad sæculum fugiunt, à societate Angelorum separantur, & dæmonibus sociantur. Qui sanctam congregationem relinquunt, & ad sæcularem vitam descendunt, à societate Dei elongantur, atque dominio diaboli subjugantur.

59. Soror in Christo amantissima, considera quid fecisti. Quotidie reduc ad memoriam unde venisti, & ad quid venisti, & quare venisti. Tu propter Deum omnia quæ in hoc mundo sunt, reliquisti ac despexisti, & pro amore illius monasterium elegisti. Tu regnum cælorum comparasti, & teipsam in pretium illius tradidisti. Stude ergo cum summa vigilantia, ut non perdas regnum quod comparasti, sed ut habere possis in perpetuum quod desiderasti & optasti. Cave ne perdas regnum, pro quo temetipsam dedisti pretium. Audi Paulum Apostolum dicentem: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Ille laborat legitime, qui in bonis operibus perseverat usque ad diem mortis suæ. Ille certat legitime, qui in servitio Dei perseverat sine fraude & simulatione. Ille Deo digne servit, qui bonum opus quod cœpit, usque ad consummationem perducit. Ille in bonis operibus bene desudat, qui ea quæ bene inchoavit, consummat. Unde Ecclesia de suis membris in Dei servitio perseverantibus in Canticis canticorum, dicit: *Ligna domorum nostrarum cedrina, laquearia vero cypressina.* Domus Ecclesiæ sunt conventicula fidelium Deo servientium, atque in his quæ Dei sunt perseverantium. Cedrus itaque atque cypressus arbores sunt imputribilis naturæ, & signant sanctos Dei, qui infatigabili atque immarcessibili desiderio Conditoris sui flagrant, & in bonis operibus usque ad consummationem vitæ perseverant. Igitur, venerabilis virgo, & tu esto cypressus in domo Dei, in bona vita perseverando. Etiam in domo Dei cedrus eris, si de te exemplum bonæ vitæ dederis, atque odorem bonæ conversationis sociabus tuis.

60. Virgo prudens, ideo hæc dixi, ut tota mente despicias amorem sæculi: ideo hæc dixi, ut numquam velis religiosam vitam relinquere, & sæcularem requirere: ideo hæc dixi, ut numquam velis monachalem vitam deserere, & sicut canis ad vomitum redire ad sæculum. Moneo te, ut in monasterio cunctis diebus vitæ tuæ perseveres, & ut sæcularem vitam numquam desideres. Moneo te, ut cum summo desiderio monasterium diligas, & ut toto corde sæculum postponas. Moneo te, ut in omni tempore in domo Dei permaneas, & ut numquam ad sæculum redire quæras. Quare? Quia in monasterio est vita contemplativa, in sæculo est laboriosa: in monasterio est vita sancta, in sæculo est vita criminosa: in monasterio est vita spiritualis, in sæculo est vita carnalis: in monasterio est vita cælestis, in sæculo est vita terrestris: in monasterio est vita quieta, in sæculo est vita turbulenta: in monasterio est vita pacifica, in sæculo est vita litigiosa: in monasterio est vita tranquilla, in sæculo est vita contentiosa: in monasterio est vita pacifica, in sæculo est vita jurgiis plena: in monasterio est vita casta, in sæculo est vita luxuriosa: in monasterio est vita perfecta, in sæculo est vita vitiosa: in monasterio est vita plena virtutibus, in sæculo est vita plena vitiis: in monasterio est vita sanctitatis, in sæculo est vita iniquitatis.

61. Soror reverenda, audisti bona quæ sunt in monasterio, audisti mala quæ sunt in sæculo: audisti virtutes monasterii, audisti vitia sæculi: audisti salutem monasterii, audisti perditionem sæculi: audisti vitam, audisti mortem. Nunc igitur ecce in conspectu tuo bonum & malum: ecce ante oculos tuos perditionem animæ & salutem: ecce ante te vitam & mortem: ecce ignem & aquam: extende manum tuam, & elige quod vis. Ecce via paradisi, & ecce via inferni. Ecce via quæ ducit ad vitam, & ecce via quæ ducit ad mortem. Ergo ambula per quam volueris. Hoc solum rogo, ut eligas meliorem. Frater mi, consilium tuum accipiam, & meliorem viam eligam. Bonum est mihi consilium accipere, & per viam quæ ducit ad paradisum, ambulare cum Dei juvamine. Honesta virgo, quia meliorem viam eligis, Deo gratias reddo. Igitur vitam bonam quam cœpisti tenere, non deseras. Propositum bonum vitæ jam conserva omnibus diebus vitæ tuæ. Tunc erit opus tuum perfectum, si perduraverit usque in finem. Salus perseverantibus promittitur, præmium perseverantibus datur. Non est bonus qui bonum facit, sed qui incessabiliter facit. Si ergo in bonis operibus usque ad finem vitæ perseveraveris, salva eris.

Eccli. 15. — Præmium bene operantibus promittitur, perseverantibus datur. — Matth. 24.

### XXI. *De Virginitate.*

62. *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Soror carissima, audi quæ dico. Mente & corpore virgines non sunt fatuæ, sed prudentes: & possunt exire obviam sponso, quia habent oleum in vasis suis, id est, castitatem in mentibus. Virgines vero corpore & non mente non sunt prudentes, sed fatuæ: nec possunt exire obviam sponso, quia non habent oleum in vasis suis, id est, non habent castitatem in mentibus. Sic ait beatus Isidorus: Virgo corpore & non mente, non habet præmium in remuneratione. Et Dominus in Evangelio de fatuis virginibus ait: *Amen dico vobis, nescio vos.* Hac de causa te moneo, Soror dilecta mihi, ut sis mente & corpore virgo, ut post hanc vitam merearis collocari in cælesti thalamo à Jesu-Christo cælesti sponso. Virginitas non est jussa, sed admonita, quia nimis est excelsa. Duplicatum est bonum virginitatis, quia in hoc mundo sollicitudine caret sæculi, & in futuro præmium castitatis recipiet. Sine dubio qui casti perseverant & virgines, Angelis Dei erunt æquales. Virgines feliciores erunt in æterna beatitudine, Isaïa testante, qui ait: *Hæc dicit Dominus eunuchis: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Omne peccatum per pœnitentiam recipiet indulgentiam: Virginitas vero si labitur, nullo modo reparatur. nam quamvis quis per pœnitentiam recipiet veniam, tamen incorruptionem numquam recipiet pristinam.

Matth. 25. — Virginitas corporis sine integritate mentis inanis. — Ibidem. — 1. Cor. 7. — Isa. 56. — Amissa semel est irrecuperabilis.

63. Soror venerabilis, nihil valet virginitas carnis, ubi non est integritas mentis. Virgines de suis meritis gloriantes, hypocritis comparantur, qui gloriam boni operis foris appetunt, quam intra conscientiam habere debuerunt. Hoc est enim in Evangelio virgines non habere oleum in vasis suis; id est, non servare in conscientia testimonium boni operis: scilicet in facie gloriari apud homines, non in corde apud Deum. Verba sunt beati Augustini: Nihil prodest virginitas carnis, ubi habitat iracundia mentis. Multum distat inter puritatem virginalis animæ nulla contagione pollutæ, & eam quæ multorum libidini subjacuit. Soror venerabilis, audi beatum Hieronymum dicentem: Nihil prodest habere carnem virgineam, si mente quis nupserit; nihil etiam prodest corporis virginei custodire virginitatem, si oculos à concupiscentia noluerit

refrenare. Virginitas in corpore nihil proderit, si caritas aut humilitas à corde discesserit. Moneo igitur te, honesta soror in Christo, ut sis mente & corpore virgo. Moneo etiam te, ut accipias oleum bonorum operum tecum, atque ut ornes lampadem tuam bonis operibus, & illumines eam sacris virtutibus, ut cum clamor factus fuerit, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei* : possis occurrere Jesu-Christo sponso tuo cælesti, & ab eo collocari in cælesti thalamo.

*Matt. 25.*

### *XXII. De Continentia.*

*Fructus tricesimus, &c.*

64. SOror carissima, rogo, ut cum omni devotione audias admonitionis verba. Tricenarius numerus primus est, & significat fœdera nuptiarum. Sexagenarius numerus secundus gradus est, & significat continentiam viduarum. Centenarius numerus tertius gradus est, qui pro virginitatis corona virginibus deputatur. Beatus Isidorus ait : Quidam in juventute luxuriose viventes, in senectute continentes fieri volunt : & tunc volunt castitatem servare, quando eos luxuria servos habere contempsit. Tales non habent præmium, quia non habuerunt laboris certamen. Eos vero exspectat gloria, quibus fuerunt gloriosa certamina. Castitatis enim fructus est suavitas. Castitas est pulcritudo inviolata sanctorum. Castitas est securitas mentis, & sanitas corporis. Luxuria carnem debilitat, fractamque celeriter ducit ad senectutem. Longa castitas pro virginitate reputatur. Igitur, Soror veneranda, amanda est pulcritudo castitatis. Continentes & caste viventes, Deo in semetipsis præparant habitaculum. Unde Apostolus : *Caste viventes templum Dei sunt, & Spiritus-sanctus habitat in eis.* Continentia facit hominem proximum Deo. Ibi habitat Deus, ubi permanet continentia. Castitas jungit hominem cælo. Castitas perducit hominem ad regnum. Caste viventibus promittitur regnum cælorum. Caste viventes habebunt hereditatem in cælo. Bona est castitas conjugalis, sed melior est continentia vidualis, optima vero integritas virginalis. Melior est vidua humilis, quàm virgo superba. Melior est vidua cum humilitate, quàm virgo cum superbia. Melior est vidua lugens peccata sua, quàm virgo jactans semetipsam coram hominibus de virginitate sua. Melior est vidua plorans iniquitates suas, quàm virgo extollens semetipsam de meritis suis. Non debet virgo gloriari coram hominibus de dono suæ virginitatis: quia si hoc fecerit, non habet oleum secum : exstincta est enim lampas sua, non debet virgo despicere viduas. Virgo quæ Deo vult placere, non debet mulieres caste viventes contemnere : quia si hoc fecerit, Deo displicebit, & sibi nocebit. Virgo quæ mulieres caste viventes, & Deo servientes despicit, superbiam facit. Quare ? Quia melior est peccator humilis, quàm justus superbus.

*Castitatis elogia.*

*1. Cor. 6.*

*Vidua humilis melior quàm virgo superba.*

65. Tu ergo venerabilis Soror, non despicias mulieres quæ de sæculo venerunt, maritos habuerunt, filios genuerunt : quia si eas despexeris, nimis ante Deum culpabilis eris. Anna Prophetissa maritum habuit, sed tamen de Christo prophetavit, & eum videre meruit. Et Maria Magdalena sæcularis fuit, sed tamen Christum resurgentem vidit, & Apostolorum apostola esse meruit. Honesta virgo, ideo hæc dixi, ut nullo modo despicias ancillas Christi, quæ ad serviendum Deo venerunt de vita sæculari. Non debes ergo honestas feminas quæ de sæculo ad monasterium venerunt despicere, sed honorare : quia quos Deus dignatus est eligere, tu non debes contemnere. Moneo ergo te, venerabilis, ut pro amore Christi servias eis, ut diligas eas quasi matres. Soror in Christo dilecta, ideo debes eis servire quasi filia, quia Deus convertit eas ad se de sæculari vita : igitur Deo injuriam facis, si ancillas Dei despicis. Tu vero amabilis mihi in Christo Soror, non dicas, ecce ego lignum aridum : non dicas, ecce ego arbor infructuosa : quia si Christum sponsum tuum diligis, & times sicut debes, septem filios habes. Primus filius est verecundia, secundus patientia, tertius sobrietas, quartus temperantia, quintus caritas, sextus humilitas, septimus castitas. Ecce venerabilis soror, per gratiam Spiritus-sancti sine dolore ex incorrupto utero septem filios Christo peperisti, ut impleatur in te quod scriptum est : *Quia sterilis peperit septem.* Itaque soror amabilis in Christo, hos filios quos Jesu-Christo sponso tuo genuisti, debes nutrire, fovere, lactare, reficere, confortare & castigare. Nutri eos bonis moribus, fove eos in sinu intimæ contemplationis, & da eis mammillas æternæ dulcedinis. Refice eos amore supernæ suavitatis, & conforta eos pane verbi cælestis. Castiga eos flagellis timoris Dei, & manda eis ut non superbiant : & ut non sint leves, nec transgressores, atque ut numquam à te discedant, nec à te separentur. Vides, soror dilecta, quod virgines principalem locum teneant in regno Dei. Et non immerito : quia enim contempserunt præsentem mundum, ideo pervenerunt ad cæleste regnum, ad quod te perducere dignetur ille in cujus servitio corpus tuum & animam tuam consecrasti. Amen.

*Luc. 2.*

*Johan. 20.*

*Mulieres è sæculo ad religionem confugientes non despiciendas, monet.*

*Virgo religiosa quales filios pariat.*

*Jer. 15.*

### *XXIII. De Fornicatione.*

66. SOror in Christo dilecta mihi, moneo te, ut cum omni devotione audias hæc verba Domini nostri Jesu-Christi : *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Lucernas in manibus tenemus, quando proximis nostris lucis exempla monstramus. Fornicatio carnis, ut ait beatus Isidorus, adulterium est. Fornicatio animæ, servitus idolorum est. Prima fornicatio tela oculorum sunt, secunda verborum : sed qui non capitur oculis, potest resistere verbis. Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur, quamvis quisque diversa turpitudinis voluptate perfruatur. Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus regnum Dei clauditur, & homo à Deo separatur. Inter cetera septem vitia fornicatio maximum scelus est, quia per carnis immunditiam templum Dei violat : & tollens membrum Christi, facit membrum meretricis. Igitur, honesta virgo, si verum est quod in te Deus vivit, mortua sit in te fornicatio. Luxuria inimica est Deo, & paternæ benedictionis atque substantiæ perditio. Fornicatio non solum maculat corpus, sed & conscientiam. Qui luxuriatur, quamvis videatur vivens, tamen mortuus est. Fornicatores & adulteros judicabit Deus, id est, damnabit eos. Audi igitur, soror carissima, beati Isidori verba : Fornicatione coinquinari deterius est omni peccato ; fornicatio major est omnibus peccatis. Fornicatio grave peccatum est, fornicatio omnia mala superat, fornicatio gravior est morte. Melius est mori, quàm fornicari : melius est mori, quàm fornicatione maculari : melius est mori, quàm per fornicationem animam perdere. Luxuria perducit hominem ad pœnas inferni : luxuria mergit hominem in infernum : luxuria mittit hominem ad tartarum.

*Luc. 12.*

67. Oculi annuntii sunt fornicationis. Visio est prima occasio fornicationis. Mens enim per oculos capitur. Per oculos intrat ad mentem sagitta amoris, visio oculorum mittit sagittas fornicationis. Igitur in Christo Soror, reprime oculos tuos, ergo subtrahe visum. Non defigas oculos tuos in speciem carnis, nullum hominem hac intentione aspicias ut eum concupiscas, nullum hominem ideo aspicias ut eum carnaliter diligas. Faciem viri non videas ut eum in malo diligas : *Averte oculos tuos ne videant vanitatem* : pulcritudinem hominis non concupiscas. Dic mihi soror venerabilis, qualis profectus in pulcritudine carnis ? nonne sicut fœnum siccatur homo, & fugit pulcritudo ejus sicut umbra ? Et quando mors venerit, dic rogo, quanta pulcritudo in corpore remanebit ? Cum videris totum corpus tumidum esse, & in fœtorem conversum, nonne claudis nares tuas, ut non sustineas fœtorem fœtidissimum ? Dic ergo, ubi tunc pulcritudo vultus, ubi blanda verba quæ corda audientium molliebant ? Ubi tunc sermones dulces qui homines lætificabant ? Dic mihi honesta virgo, ubi tunc erit immoderatus risus, & jocus turpis ? Ubi tunc vana & inutilis lætitia, quæ in risum homines commovebat ? Periit, ad nihilum devenit, sicut fumus evanuit : ita est consummatio pulcritudinis carnis, consummatio corporis. Cognosce ergo, soror venerabilis, quia vana est pulcritudo. Unde etiam Salomon ait : *Fallax gratia, & vana est*

*Oculi fornicat. nuntii.*

*Psal. 118.*

*Forma corporis quam vana.*

*Prov. 31.*

*pulcritudo.* Igitur, soror in Christo amantissima, si pulcritudo carnis vana est, si pulcritudo carnis putredo est & vermis, si pulcritudo corporis cinis & terra est; cave ne ideo homines aspicias, & eorum pulcritudinem concupiscas. Quare? Quia *mundus transit, & concupiscentia ejus. Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum.* Despiciendus ergo est mundus propter Christum cum omnibus quæ in eo sunt. Tu vero honesta virgo, quæ propter Christum reliquisti sæculum, non debes lætari in pulcritudine hominum.

68. Te ergo moneo, Soror in Christo dilecta, ut Jesum-Christum sponsum tuum diligas super omnia, ut cum eo regnare possis in cælesti curia. Certe si plus delectat mentem concupiscentia fornicationis, quàm amor castitatis, adhuc peccatum regnat in homine. Sed si magis delectat mentem pulcritudo castitatis, quàm turpitudo fornicationis, jam non regnat peccatum in homine, sed regnat justitia. Quamvis homo sit castus in corpore, tamen si luxuriosus est in mente, peccatum regnat in corde ejus. Fornicatio cordis est idolorum servitus. Est & alia fornicatio spiritualis, de qua Dominus ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Maxime per carnis luxuriam homines subjiciuntur diabolo, magis quàm per cetera vitia. Castitas est pulcritudo animæ, & per hanc virtutem coæquatur homo meritis Angelorum. Soror in Christo amabilis, crede mihi, quia multi per incuriam oculorum inciderunt in periculum animarum suarum.

69 *Interrogatio.* Frater dilecte, dic mihi, si aliquem hominem nosti per visionem oculorum deceptum? *Resp.* O Soror venerabilis, quàm multos scio per visum esse deceptos & in laqueum diaboli missos! Tamen ex his quos audivi, aliquos dicam tibi. Quia *Dina filia Jacob egressa est ut videret mulieres regionis, & adamavit eam Sichem atque rapuit*, & virginitatem illius turpiter corrupit. Et sic misera puella quia incaute vidit quod videre non debuit, honestatem ac virginitatem suam perdidit. David etiam quadam die stans in solario domus suæ, vidit mulierem, & adamavit eam: pro cujus amore commisit adulterium & homicidium, & sic deceptus factus est legis Dei reus. Et quia vidit incaute quod non debuit videre, contraxit maculam omni tempore vitæ suæ. Fortissimus Samson descendit in regionem Philisthinorum, & vidit ibi mulierem atque adamavit, & in gremio illius dormivit: illa vero crines capitis ejus rasit, & tradidit eum in manibus inimicorum ejus, qui statim oculos ejus eruerunt: & sic miser quia vidit, quod videre non debuit, oculos perdidit, & in periculum corporis incidit. Cognosce ergo, Soror dilecta, quàm multi per visionem oculorum inciderunt in periculum corporum & animarum suarum. Moneo ergo te, Soror in Christo amabilis, ut facias pactum cum oculis tuis, ne incautè videas quod videre non debes. Cave etiam ne mors intret per fenestram oculorum tuorum ad animam tuam. Itaque, Soror in Christo dilectissima, sicut jam superius dixi tibi, si te caro tua adhuc impugnat, si te adhuc luxuria tentat, si te adhuc libido invitat, si adhuc memoria fornicationis te cruciat, memoriam mortis tuæ tibi objice. Finem vitæ tuæ ante oculos adhibe, diem exitus tui propone tibi. Propone tibi futura tormenta, futurum judicium quotidie cogita: versetur ante oculos tuos imago futuri judicii. Reduc ad memoriam horribiles pœnas inferni, ardor gehennæ exstinguat in te ardorem luxuriæ, recordatio æterni * judicii excludat ardorem corporis tui, flamma inferni inexstinguibilis repellat à te memoriam fornicationis. Major ardor minorem ardorem superet, major ardor minorem ardorem vincat, stridor flammarum horribilis amorem depellat libidinis. Sicut clavus clavum expellit, ita sæpe ardor gehennæ emittit foras ardorem luxuriæ. Soror venerabilis, omnipotentem Deum deprecor ut det tibi veram castitatem mentis & corporis. Amen.

## XXIV. De Abstinentia.

70. Hoc est perfectum jejunium, quando noster homo exterior jejunat, interior vero orat. Oratio per jejunium facilius penetrat cælum. Per jejunium & orationem mens hominis conjungitur Angelis, & copulatur Deo. Jejunia fortia arma sunt adversus tentationes dæmoniorum. Per jejunium & orationes vincuntur dæmones. Soror in Christo dilecta, vis scire, per quid magis luxuria restringitur? Frater mi, volo, atque ut illud mihi ostendas rogo. Audi ergo, amabilis soror in Christo. Per jejunium fornicatio superatur, per jejunium luxuria restringitur: remota saturitate non dominatur luxuria. Abstinentia carnem superat, abstinentia carnem refrenat, abstinentia frangit motum libidinis, abstinentia dissolvit virtutem fornicationis. Per famem & sitim luxuria destruitur, fames & sitis luxuriam vincunt. Mens multitudine ciborum lassata perdit vigorem orationis. Qualis est caro quæ non percipit diu cibum, talis est anima quæ assidue pascitur verbo Dei. Hieronymus sic ait: Jejunia moderata debent esse, ne nimis debilitent stomachum, quia modicus & temperatus cibus corpori & animæ est utilis. Pinguis venter non gignit subtilem sensum. Multo melius est quotidie parum sumere, quàm raro satis comedere. Parcus cibus, & venter cito esuriens triduanis præfertur jejuniis. Ille bene jejunat, qui ab omnibus vitiis declinat. Melior est abstinentia vitiorum quàm ciborum. Non est reputata abstinentia, ubi fuerit ventris satietas subsecuta. Et beatus Isidorus: Tota die epulas in cogitatione ruminat, qui ad explendam gulam vespere sibi delicias præparat. Venter vacuus in oratione vigilare facit. Nam qui repletus est, infert somnum gravissimum. unde non bene vigilare possumus, quando venter noster cibis est repletus.

*Jejunia moderata commendantur.*

71. Soror venerabilis, aridum porta corpus tuum propter desiderium cælestis regni, ut impleas quod scriptum est in Psalmo: *Sitivit anima mea ad Deum, quàm multipliciter ei caro mea!* Caro enim tunc Deum sitit, quando per jejunium abstinet & arescit. Soror in Christo amabilis, crede mihi, quia si in hac vita perfecte Deum esurieris & sitieris, ex eo in cælesti patria satiaberis. Abstinentia vivificat, & occidit: vivificat animam, & occidit corpus. Abstinentia ædificat in anima virtutes, & destruit vitia corporis. Omni studio debemus despicere gulam ciborum: spernenda est concupiscentia escarum: cavenda est cura ventris: quando enim venter immoderate reficitur, corpus ad luxuriam excitatur. Non debemus comedere ut venter impleatur, sed ut corpus sustentetur. Ubi venter est cibis repletus, ibi est ignis luxuriæ succensus. Corpus autem quod abstinentia frangit, ignis luxuriæ non exurit. Ille purpuratus dives, qui quotidie epulabatur splendide, quia abstinere à cibis in hoc sæculo noluit, ideo inter flammas positus guttam aquæ quæsivit, nec accipere meruit. Sicut per abstinentiam omnes virtutes spirituales radicantur atque ædificantur in anima: ita & per suavitatem ciborum omnia vitia nutriuntur & confortantur in corpore. Non potest quisquam accipere perfectionem virtutum, nisi prius domuerit in se ventris gulam. Ideo tres Pueri in camino ignis non arserunt, quia abstinentes fuerunt. Daniel etiam ideo liberatus est de ore leonum, quia servavit in se abstinentiam ciborum. Nemo potest à semetipso tentationes dæmonum expellere, nisi refrenaverit in se appetitum gulæ.

*Psal. 62.* *Abstinentiæ effectus.* *Luc. 16.* *Dan. 3. Dan. 13.*

72. *Interrogatio.* Frater carissime, rogo te ut dicas mihi, qualiter debeo castigare corpus meum per abstinentiam. *Resp.* Soror dilecta, sic debes nutrire corpus tuum, ut non superbiat; & iterum sic debes reprimere, ut non cadat: sic enim debes reficere carnem tuam, ut serviat: & sic eam debes castigare per abstinentiam, ut non pereat. Si carnem tuam supra modum affligis, civem tuum occidis: & iterum si eam plus quàm oportet reficis, inimicum tuum nutris. Carissima soror mea, hoc debes semper observare in omni abstinentia, ut non occidas carnem tuam, sed vitia. Igitur, Soror mihi in Christo amantissima, per abstinentiam corpus tuum castiga, jejuna & abstine à cibis, pallida gere ora, & non rubea: facies tua non sit rubicunda, sed pallida. Aridum porta corpus tuum, & non crassum: non sit corpus tuum crassum, sed siccum. Non nutrias carnem tuam vermibus. Ita manduca ut semper esurias, ita comede ut semper habeas famem: ven-

*Caro quomodo castiganda.*

ter tuus nequaquam impleatur cibis. Esuri & siti, abstine & aresce. Crede mihi, Soror venerabilis, quia tentationes vincere non poteris, nisi corpus totum per abstinentiam castigaveris. Per cibum & potum crescit luxuria. Ciborum saturitas suscitat luxuriam carnis: luxuria semper est adjuncta saturitati. Frigus vigiliarum exstinguit luxuriæ ardorem. Maligni spiritus ibi magis intrant, ubi plus escam & potum vident. Soror in Christo amabilis, sicut dixi tibi, si perfecte vis tentationes fugere carnis, abstine non solum à cibis, sed etiam ab omnibus sæculi delectationibus, ut post hanc vitam in cælo lætari possis cum Angelis. Amen.

## XXV. *De Ebrietate.*

73. Soror carissima mea, audi Domini nostri Jesu-Christi verba: *Attendite ne corda vestra graventur crapula & ebrietate.* (Luc. 21.) Paulus etiam Apostolus castigando suos discipulos ait: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (Ephes. 5.) Et Salomon: *Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas. Ne intuearis vinum, quando flavescit, nec cum splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur enim blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, & quasi serpens venenum effundit.* (Prov. 20.) Nullum secretum est, ubi ebrietas est. Multos exterminavit vinum, & perduxit eos ad periculum corporum & animarum. (Ebrietatis damna.) Vinum in jucunditatem creatum est, non in ebrietatem. (Eccles. 32.) Ubicumque saturitas abundaverit, ibi luxuria dominabitur. Ventrem distentum cibis & vini potationibus irrigatum voluptas luxuriæ sequitur. Ebrietas corpus debilitat, animam illaqueat: ebrietas generat perturbationem mentis, ebrietas auget furorem cordis, ebrietas nutrit flammam fornicationis, ebrietas ita alienat mentem, ut homo nesciat semetipsum: homo ebrius est ita à semetipso alienus, ut nesciat ubi sit. Plerisque laus est multum bibere, & non inebriari. quos Propheta increpat, dicens: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* (Isa. 5.) Et iterum: *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* Etiam Joël Propheta clamat, dicens: *Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine.* (Joël. 1.) non dicit, qui bibitis vinum in necessitate, sed *qui bibitis vinum in dulcedine*, hoc est in delectatione. Ebrietas mortale crimen est, ebrietas grave peccatum est, ebrietas inter homicidia & adulteria & fornicationes reputatur, ebrietas ejicit hominem à regno Dei, ebrietas expellit hominem à paradiso, ebrietas demergit hominem in infernum. (Ebrietatis detestatio.) Noë bibit vinum, & virilia quæ per sexcentos annos celaverat, nudavit. (Gen. 9.) Etiam Loth vino inebriatus dormivit cum filiabus suis, nec tamen peccatum sensit, quia alienatus à semetipso fuit. (Gen. 19.) Cogita ergo, soror dilecta, quantum sit detestanda & fugienda ebrietas ab omnibus servis Dei.

74. *Interrogatio.* Frater mi, est peccatum bibere vinum? *Resp.* Venerabilis Soror, non est peccatum bibere vinum temperatum, id est, cum sobrietate. Sic enim ait Paulus Apostolus Timotheo discipulo suo: *Modicum vinum bibe propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.* (1. Tim. 5.) Audi etiam quid Salomon dicat: *Vinum cum mensura potatum, sanitas est animæ & corporis.* (Eccli. 32.) Vinum intemperatum venenum est. Vinum sine mensura superat mentem, per multum vinum gravatur mens, per vinum luxuria crescit, per vinum luxuria excitatur, per multum vinum luxuria nutritur. Vinum enim nobis Deus ad lætitiam cordis dedit, non ad ebrietatem donavit. Igitur, honesta virgo, bibamus non quantum gula quærit, sed quantum necessitas requirit. Caveamus igitur, ne illud quod Deus ad medelam nobis corporis tribuit, vitio gulæ deputemus: caveamus ne vinum quod Deus nobis dedit ad salutem corporum, in usum vertamus vitiorum: caveamus ne medicinam carnis in vitium convertamus ebrietatis. (Vini abusus cavendus.) Multi per vinum à dæmonibus capti sunt, nec est aliud ebrietas quàm manifestissimus dæmon. Tu ergo, Soror in Christo amabilis, bibe vinum temperatum, & erit tibi sanitas corporis, & lætitia mentis. Bibe vinum cum sobrietate, & auferet à te pigritiam atque desidiam, & in Dei servitio te faciet sollicitam atque devotam. Quare? Quia vinum temperate potatum facit hominem ad orationem sollicitum, & in Dei servitio acutum. Igitur, Soror carissima, si me quasi fratrem tuum audieris, & hæc omnia sicut dixi feceris, sapiens eris.

## XXVI. *De Peccato.*

75. Soror carissima, audi Dominum in Evangelio dicentem: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* (1. Johan.) Duobus modis committitur peccatum, nempe aut amore cupiditatis, aut metu timoris: dum homo vel vult habere quod concupiscit; vel cum timet ne incurrat malum quod metuit. Quatuor modis committitur peccatum in corde, quatuor etiam modis perpetratur in opere. Committitur peccatum in corde, suggestione dæmonum, delectatione carnis, consensione mentis, defensione elationis. (Quot m... commi... peccatu...) Committitur etiam in opere aliquando latenter, aliquando publice, aliquando consuetudine, aliquando desperatione. Istis modis ergo & corde peccamus, & opere perpetramus peccatum. Tribus modis peccatum committitur, videlicet per ignorantiam, per infirmitatem, & per industriam, id est, scienter. Per ignorantiam peccavit Eva in paradiso, sicut ait Apostolus: *Vir non est seductus, sed mulier fuit seducta.* (1. Tim...) Ego Adam peccavit per industriam, Eva vero per ignorantiam. Qui vero decipitur, ignorat quid * consentiat. (* al. q... Matth...) Per infirmitatem peccavit Petrus, quando per timorem ancillæ Christum negavit. Gravius est peccare per infirmitatem, quàm per ignorantiam; sed multo est gravius peccare per industriam, quàm per infirmitatem. Gravius etiam peccat qui in publico delinquit, quàm qui in abscondito. Dupliciter peccat qui in publico peccat, quia & peccat, & aliis peccare demonstrat.

76. Jam quædam pars justitiæ est hominem suam iniquitatem cognoscere, & de peccatis propriis in semetipso verecundiam habere. Melius est hominem non peccare propter amorem Dei, quàm propter timorem inferni. Melius est etiam non peccare, quàm peccatum emendare. Omnis peccans superbus est. Faciens enim vetita, contemnit diuina præcepta. Audi ergo, Soror carissima, quæ dico, audi quæ moneo: per unum malum pereunt multa bona. Custodi animam tuam à peccato: qui in uno peccavit, factus est omnium reus: per unum peccatum multæ justitiæ pereunt. Non declines cor tuum in hoc quo delectatur corpus. Non des animam tuam in potestate carnis; non consentias carnali delectationi. Soror venerabilis, si secundum carnem vixeris, morieris. Munda ergo conscientiam tuam ab omni peccato: sit mens tua pura, sit etiam corpus tuum ab omni iniquitate purgatum: sit corpus tuum immaculatum, macula peccati in corde tuo non remaneat. Non potest corpus corrumpi, nisi prius fuerit corruptus animus. Si anima labitur, statim corpus ad peccandum paratum est. Anima præcedit carnem, in crimine anima prima vadit ad peccandum. Nihil potest corpus facere nisi quod voluerit animus. Munda ergo cor tuum ab iniquitate, & caro tua non peccabit.

77. *Interrogatio.* Frater mi, rogo ut dicas mihi, si anima hominis peccatoris est fœda, & nigra: vel si anima justi hominis est pulcra aut formosa? *Resp.* Soror in Christo dilecta, tria sunt in hoc mundo nigriora & deteriora omni malo, videlicet anima peccatoris perseverans in peccato, quæ est plus nigra quàm corvus: & mali angeli qui eam rapiunt in die mortis ejus: & infernus in quo jactatur. (Tria ... omni...) Non sunt fœdiora vel nigriora his tribus in hoc mundo. Iterum tria sunt quibus non sunt meliora: anima videlicet justi hominis perseverans in bonis operibus, quæ est pulcra sicut sol: & sancti Angeli qui eam suscipiunt in die mortis suæ: & paradisus in quo collocatur. (Tria ... non...) His tribus non sunt meliora in creaturis. Angeli sancti præsentant animam justi hominis ante Deum, dicentes: *Ecce quem elegisti, Domine, & assumpsisti, semper habitavit in atriis tuis.* (Psal.) Soror in Christo amabilis, si mentem tuam ab omni inquitate mundaveris, & in servitio Dei, sicut promisisti, perseveraveris, sine dubitatione in cælesti thalamo cum Jesu-Christo sponso tuo lætaberis. Amen.

XXVII.

*XXVII. De Confessione peccatorum & Pœnitentia.*

78. TUnc homo incipit esse justus, quando de peccatis suis propriis incipit accusare seipsum. unde scriptum est: *Justus in principio accusator est sui.* Nihil autem pejus quàm culpam cognoscere, nec deflere. Omnis peccator duobus modis debet flere peccata sua: uno, quia per negligentiam bonum non fecit: altero, quòd per audaciam malum commisit. Bonum, quod debuit facere, non fecit, & malum quod non debuit facere, fecit. Ille homo digne agit pœnitentiam, qui præterita peccata plangit, & iterum plangenda non committit. Nam qui plangit peccatum, & iterum facit peccatum, quasi si quis lavet laterem crudum: qui quanto amplius laverit, tanto amplius faciet lutum. Sic quando homo peccare potens pœnitet, & vitam suam vivens ab omni crimine corrigit, sine dubitatione quando ei mors advenerit, ad æternam perveniet requiem. Qui autem male vivit, & in morte pœnitentiam agit, sicut damnatio illius est incerta, ita & remissio illius est dubia. Qui ergo securus cupit esse in morte de indulgentia, in sanitate pœnitentiam agat, & in sanitate peccata sua lugeat. Igitur quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. Soror carissima, audi beati Isidori verba: Non oportet pœnitentem de peccatis suis habere securitatem. Quare? quia securitas negligentiam parit, negligentia vero sæpe hominem incautum ad priora peccata reducit.

79. Nunc ergo, Soror carissima, accipe consilium meum, & dum potes, vitam tuam emenda. Dum Deus dat tibi licentiam, peccata tua manifesta; dum datur tibi spatium, peccata tua plora: dum potes, pœnite: dum potes, peccata tua confitere: dum adhuc vivis, peccata tua luge. Morientium vocatio, tua sit emendatio. Dum potes, mala quæ fecisti emenda: dum potes, à peccato & vitio te trahe: dum tempus est, clama ad Deum pro te: dum adhuc vivis in corpore, tibi indulgentiam peccatorum tuorum acquire: priusquam dies mortis adveniat tibi, pœnitentiam age: antequam puteus te absorbeat, pœnite: priusquam infernus te rapiat, peccata tua luge: priusquam in profundum inferni mergaris, negligentias tuas plange: ubi jam non est locus indulgentiæ, ubi jam non est lætitia, non pœnitendi licentia, ubi jam non est licentia emendationis, ubi jam non est locus confessionis. Quare? quia in inferno nulla est redemptio. Quamvis sis peccatrix, tamen per pœnitentiam habebis veniam. Nulla tam gravis est culpa, quin per pœnitentiam habeat veniam. Desperatio auget peccatum, desperatio major est omnibus peccatis, desperatio pejor est omni peccato. Igitur, Soror dilecta, certissime crede, quia est spes in confessione: nullo modo dubites, nullo modo de misericordia Dei desperes. Habeto fiduciam in confessione de bonitate Dei. Frater carissime, bene dicis, bonum das mihi consilium.

80. Heu me peccatrix, heu me misera! in tantis peccatis, in tantis criminibus, in tantis negligentiis cecidi! quid primùm plangam, quid primùm plorem, quid primùm lugeam? Ego misera quem luctum primùm sumam? Ego indigna quas lacrymas prius fundam? Memoria non sufficit referre gesta tantorum criminum. O lacrymæ, ubi vos subtraxistis? ô lacrymæ, ubi estis? ubi estis fontes lacrymarum? movemini obsecro ad fletum meum: fontes lacrymarum, fluite super faciem meam, rigate maxillas meas, date mihi planctum amarum. Succurre mihi, Deus meus, antequam moriar, antequam mors præveniat, antequam me infernus rapiat, antequam me flamma comburat, antequam me tenebræ involvant. Subveni mihi, Deus meus, priusquam ad tormenta perveniam, priusquam me devoret ignis gehennæ, priusquam sine termino crucier in inferno. Deus meus, quid faciam cùm venerit tremendum judicium tuum? Quid respondebo, cum venerit examen judicii tui? Quid dicam, ego misera & peccatrix, cum præsentata fuero ante tribunal Christi? Væ diei illi in quo peccavi. Væ diei illi quando malum feci. Væ diei illi quando transgressa sum præcepta Dei. Utinam non illuxisset sol super me.

A Utinam non fuisset ortus sol super me. O dies detestanda, dies abominanda, ô dies penitus non nominanda, quæ me in hoc sæculum protulit, quæ mihi claustra ventris aperuit! melius mihi fuerat non esse in hoc sæculo natam, quàm in inferno perpetuo cruciatam: melius mihi fuerat non esse genitam, quàm pati æternas pœnas gehennæ: satius mihi fuerat non esse in hoc mundo procreatam, quàm pati æterna mala. Flete super me cælum & terra, plorate me omnes creaturæ, & quæ potestis sensum vitæ habere, lacrymas effundite super me. Peccavi enim graviter, peccavi infeliciter, peccavi miserabiliter: innumerabilia sunt peccata mea. Ut bene viverem, ultro promisi: sed bona quæ promisi, numquam servavi. Sem-
B per ad peccatum meum redii, semper peccata mea multiplicavi, semper delicta mea iteravi, numquam in melius mores mutavi, à malis factis numquam cessavi.

81. Orate pro me Dominum viri sancti, intercedite pro me ad Dominum omnes sancti. Omnes animæ justorum, intercedite pro me, si forte misereatur mei Deus, si forte iniquitates meas auferat. O misera anima mea, quis miserebitur tui? Quis consolabitur te? O anima misera! ô anima, quis dabit lamentum pro te? ubi es custos hominum? ubi es redemptor animarum? ubi es pastor bone? Cur despexisti me? cur avertisti faciem tuam à me? Deus meus, non me obliviscaris in finem. Non me deseras in perpetuum, non me deseras in potestate
C dæmonum. Peccatrix sum, indigna sum, tamen ad te Deum meum confugio. Tu clemens, tu pius, tu multæ miserationis. Nullum spernis, nullum detestaris, nullum recusas à misericordia. Domine, ostende in me misericordiam tuam. Obsecro, Domine, ut non deneges mihi quod misericorditer multis dedisti. Scelera mea non defendo, peccata mea non abscondo. Displicet mihi malum quod feci. Ego misera peccavi. Errorem meum confiteor, culpam meam manifesto, iniquitatem meam cognosco. Peccavi, Deus meus, propitius esto mihi peccatrici; parce malis meis, ignosce peccatis meis, indulge criminibus meis, Domine. si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? Nullus ad examen tuum, nec
D justitia justi secura erit, quis enim justus qui se audeat dicere sine peccato? Nullus homo est sine peccato, nemo est mundus à delicto, nemo est mundus in conspectu tuo, ecce inter sanctos nemo est immaculatus. Ecce qui *Job 25.*
servierunt Deo, non fuerunt stabiles, & in Angelis in- *Ibid. 15.* *Ibid. 6. & 4.*
venta est iniquitas: stellæ non sunt mundæ coram te, cæ- *Ibid. 14.*
li non sunt mundi in conspectu tuo. Si igitur nemo in conspectu tuo est sanctus, nemo immaculatus, quanto magis ego peccatrix & putredo ac vermis filia hominum, quæ bibi iniquitates quasi aquas, & multiplicavi peccata mea, quæ sedeo in pulvere, quæ habito in domo lutea, quæ terrenum habeo fundamentum? Deus meus, porrige dexteram tuam mihi peccatrici.

E 82. Memorare obsecro, Domine, quæ sit mea substantia. Memento, Domine, quia terra sum. Memento quia cinis, & pulvis sum. Medicinam qua saner tribue, medicinam qua curer impende. Ego misera cecidi in foveam peccatorum meorum, ego indigna cecidi in profundum inferni. Deus meus, libera animam meam captivam ab inferno: non concludat me profundum; non absorbeat me infernus, non urgeat super me puteus os suum, abyssus non deneget mihi exitum. Ecce dies timendus jam imminet, jam venit ultima dies, jam prope est dies mortis, nihil superest mihi nisi tumulus, nihil nisi sepulcrum: parce mihi, Domine, antequam vadam ad terram tenebrosam, subveni mihi, Deus meus, priusquam vadam ad *Job. 10.*
F terram miseriæ & tenebrarum. Redemptor animarum, succurre mihi antequam moriar, solve vincula peccatorum meorum priusquam ad mortem perveniam.

83. Soror mihi in Christo dilecta, Deus misereatur tui, & dimittat tibi omnia peccata tua, Deus retribuat tibi indulgentiam tuorum delictorum, Deus indulgeat tibi quicquid peccasti, Deus te lavet ab omni peccato. Age itaque jam ut oportet: propone in corde tuo ut amplius non pecces, statue in corde tuo, ut amplius malum non facias, cave culpas tuas iterare, non te polluas post peccatum, post luctum pœnitentiæ non redeas ad peccatum,

*Post pœnitentiam non iteranda peccata.*

non iterum facias quod iterum plangas. Non est pœnitens, sed irrisor, qui adhuc agit unde pœniteat: non videtur Deum deprecari humilis, sed subsannare superbus, qui adhuc malum agit unde jam pœnitentiam accepit. Unde & beatus Isidorus ait: Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. Et iterum, Iteratum vulnus tardius sanatur. Frequenter peccans & lugens vix meretur veniam. Esto igitur confirmata in pœnitentia: vitam bonam quam cœpisti tenere, non deseras. Salus perseverantibus datur. Unde dicitur: *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.* (*Psal. 109.*) Et iterum: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (*Matth. 24.*) Honesta virgo, moneo te ut semper portes verecundiam in vultu de recordatione peccati: portes pudorem in facie de memoria delicti. Propter verecundiam peccati oculos tuos levare erubesce: ambula demissa facie, mœsta mœrore, incede abjecto vultu, cilicium & cinis involvant membra tua, cilicium operiat corpus tuum. Terra sit tibi cubile: stratus sit tibi humus. Pulvis es, in pulvere sede; cinis es, in cinere sede. Esto semper plangens, semper mærens, semper suspiria cordis emittens: semper sit compunctio in corde tuo. Sit lamentum in tuo pectore, sint gemitus in tuo corde, frequenter lacrymæ fluant ab oculis tuis, semper esto parata ad lacrymas.

84. Venerabilis virgo, crede mihi, quia numquam servi Dei in hac vita debent esse securi, quamvis sint justi. Servi Dei semper debent vigilare, & peccata sua cum lacrymis ad memoriam reducere. Unde in laudibus Sponsi, scilicet Christi, in Cantico canticorum dicitur: *Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.* (*Cant. 5.*) Quid per comas Christi intelligimus, nisi fideles homines, qui dum fidem sanctæ Trinitatis in mente custodiunt, & Deo adhærentes quod credunt faciunt, quasi capilli in capite prudentes illi honorem conferunt? Palma autem vere in altum crescendo proficit, & victoriam sua significatione prætendit. Comæ ergo Christi *sicut elatæ palmarum* sunt, quia electi quique dum semper ad alta virtutum se efferunt, per Dei gratiam quandoque ad victoriam perducuntur. Nigræ autem sunt sicut corvus, quia quamvis virtutibus in cælum se erigant, semper tamen peccatores se esse cognoscunt. Sic & tu soror mihi in Christo amantissima, quamvis bene & religiose vivas, quamvis juste, & devote Deo servias: te tamen moneo ut numquam deseras lacrymas. Si igitur vis abluere peccatorum tuorum maculas, semper diligas lacrymas. Dulces tibi sint lacrymæ, delectet te semper planctus & luctus, numquam deseras planctum & luctum: tanto esto prona ad lamenta, quanto fuisti prona ad culpam; quanta fuit tibi intentio ad peccandum, tanta sit ad pœnitendum devotio. Secundum infirmitatem adhibenda est medicina, gravia peccata grandia lamenta desiderant. Soror venerabilis, ipse te adjuvare & consolari dignetur in hac præsenti vita, quem Angeli adorant in cælesti curia. Amen.

### XXVIII. *De Communione.*

85. *Quicumque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini,* (*1. Cor. 11.*) id est peccatum & maculam contrahet sibi. Quare? quia ad bonum male accedit. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ac si diceret: Unusquisque consideret vitam suam, & emundet cor suum ab omni malitia, ut digne possit accedere ad tam magnum sacramentum. *Quicumque* enim *Corpus & Sanguinem Domini manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit,* scilicet causam suæ damnationis. Unde etiam beatus Isidorus ait: Qui in Ecclesia scelerate vivunt, & communicare non desinunt, putantes se tali communione à peccatis posse mundari; sciant hi tales ad emundationem sibi non proficere, dicente Propheta: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?* (*Jerem. 11.*) Qui ergo corpus Christi vult accipere, prius studeat in Christi fide & dilectione manere. Hinc est quod ait Dominus in Evangelio: *Qui manducat carnem meam, in me* (*Johann. 6.*) *manet & ego in eo:* ac si diceret: Ille in me manet, qui in bonis operibus voluntatem meam adimplet. Alioquin nisi prius maneat in me per fidem, & bonam operationem, & ego in eo; carnem meam manducare non potest, nec sanguinem bibere. Quid est ergo quod manducant homines? Ecce omnes frequenter sacramenta altaris percipiunt plane, sed alius carnem Christi spiritualiter manducat & sanguinem bibit: alius vero non, sed tantum sacramentum, id est corpus Christi sub sacramento, & non rem sacramenti. (Differentia bonæ & indignæ communionis.) Sacramentum hoc dicitur Corpus Christi proprium de virgine natum, res vero spiritualis Christi caro. Bonus igitur accipit sacramentum, & rem sacramenti: malus vero quia *manducat indigne,* sicut Apostolus ait, *judicium sibi manducat & bibit:* non probans se prius, nec dijudicans corpus Domini. Ergo quid manducat peccator & quid bibit? non utique carnem & sanguinem spiritualiter ad suam salutem, sed judicium ad suam damnationem, licet videatur cum ceteris sacramentum altaris percipere. Itaque alius accipit corpus Domini ad salutem, alius vero ad damnationem. Ille qui cum Juda traditore corpus Domini accipit, cum Juda condemnatur: qui cum Petro & ceteris fidelibus devote ac fideliter illud sumit, sine dubio cum Petro & ceteris Apostolis in corpore Christi sanctificatur. Audi igitur sponsa Christi verba beati Augustini. Qui casto corpore & mundo corde cum pura conscientia atque devota mente ad istam altaris communionem venit, ad illud altare qui est Christus in cælis, ante oculos Dei felici transmigratione perveniet.

86. Soror in Christo amabilis, rogo ut audias prudentiam serpentis. (Venenu[m] instar [ser]pentis a[bjiciendum].) Serpens enim cum cœperit ire ad bibendum, antequam veniat ad fontem, evomit omne venenum. Imitare ergo & tu carissima hunc serpentem in hac parte, ut antequam venias ad fontem, id est, communionem Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu-Christi, evomas omne venenum, scilicet odium, iram, malitiam, invidiam, voluntatem malam, & noxias cogitationes ex corde tuo. Dimitte etiam omnibus sociabus tuis & omnibus proximis tuis ea quæ in te peccavere, ut tibi dimittantur à Deo peccata tua, sicut ipse Dominus ait: *Dimittite, & dimittetur vobis.* (*Luc. 6.*) Itaque si hæc omnia feceris sicut dixi, poteris accedere ad fontem vivum, id est, ad Christum, qui est fons omnium bonorum. Ipse etiam ait de seipso: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi.* (*Johann.*) De hoc pane dicit David in Psalmis: *Panem Angelorum manducavit homo.* (*Psal. 77.*) alioquin esca illa licet de cælo venerit, & potus, quia corporeus erat, Angelis non congruebat: sed utique ille panis, & potus qui per hoc præfigurabatur. Christus vero panis est Angelorum, & sacramentum hoc vera caro ejus est, & verus sanguis: quod sacramentum spiritualiter manducat & bibit homo. (Idem Angel[is] & hom[inibus].) Ac per hoc unde vivunt Angeli in cælis, inde vivit homo in terris: quia totum spirituale & divinum in eo quod percipit homo. Sed sicut Apostolus ait: *quidam in deserto eamdem escam spiritualem manducavere, & tamen mortui sunt.* (*1. Cor.*) Ita & nunc in Ecclesia quibusdam Corpus Domini est vita, quibusdam vero est pœna & supplicium peccati. Corpus Domini sine dubio est vita illis quibus Christus est vita: illis vero est mors, qui per culpam & ignorantiam, atque negligentiam membra sunt diaboli.

87. Unde Soror amantissima mihi in Christo, moneo te ut aliud gustando intelligas, quando Corpus Domini recipis, quam odore sentis. Audi etiam honesta virgo quid Sacerdos in consecratione Corporis Christi dicat: *Rogamus,* inquit, *hanc oblationem fieri benedictam,* (Verba [consecratio]nis.) per quam nos benedicamur: *adscriptam,* per quam nos omnes in cælo conscribamur: *ratam,* per quam in visceribus Christi censeamur: *rationalem,* per quam à bestiali sensu exuamur: *acceptabilemque facere digneris,* quatenus & nos per hoc quod in nobis displicemus, acceptabiles in ejus unico filio Jesu-Christo simus. Igitur honesta virgo, sicut superius jam dictum est, Christus in semetipso in cælo sanctos Angelos pascit: Christus etiam in semetipso in terra omnes fideles reficit. Christus per speciem sanctos Angelos satiat in patria: Christus nos pascit per fidem in terra, ne deficiamus in via. Christus

Angelos & homines reficit ex ſemetipſo, tamen integre remanet in ſuo. Quàm bonus panis, & quàm mirabilis, de quo in cælo Angeli ſaturantur, & in terra homines reficiuntur: quem manducat Angelus pleno ore in patria, ipſum comedit peregrinus homo pro modulo ſuo ne laſſetur in via. Chriſtus panis vivus, qui eſt refectio Angelorum, ipſe eſt redemptio & medicina hominum. Nunc ergo, ſoror cariſſima, deprecare Dominum in tota mente tua, ut mundet conſcientiam tuam ab omni malitia: quatenus digne poſſis accipere Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu-Chriſti myſteria.

### *XXIX. De Cogitatione.*

88. Soror cariſſima, audi ea quæ Dominus ait per Iſaïam prophetam: *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis veſtris.* Quamvis homo ceſſet ab opere malo, tamen ſi malam cogitationem habet in corde ſuo, non eſt ſine culpa. Unde beatus Iſidorus: Non ſolum in factis peccamus, ſed & in cogitationibus, ſi eis illicite occurrentibus delectemur. Sicut enim vipera à filiis ſuis in ventre adhuc poſitis occiditur, ita nos occidunt cogitationes noſtræ intra nos enutritæ: quia conſumunt animam noſtram veneno viperino. Igitur, Soror dilecta mihi in Chriſto, moneo te, ut cor tuum cum omni ſtudio cuſtodias: quoniam ibi eſt initium boni operis aut mali. unde ſcriptum eſt: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.* Audi etiam, rogo, honeſta virgo, quid Sponſus in laudibus Eccleſiæ dicat in Canticis canticorum: *Comæ capitis tui ut purpura regis juncta canalibus.* Comæ capitis Eccleſiæ lectulum ſanctæ animæ *, ut purpura regis juncta canalibus eſſe memoratur. Purpura quippe per faſciculos in canalibus ligatur, ſuper quos dum aqua projicitur, per canales ad veſtem quæ ſupra eſt currit ut veſtis tingatur: & inde nomen accepit, ut tincta colore purpureo purpura vocetur. quæ omnia ſanctæ menti congruunt. Comæ quippe capitis ſunt cogitationes mentis, quæ in canalibus ligantur, quia in ſcripturis divinis ne inutiliter fluant ſtringuntur.

89. Cuſtodi ergo cor tuum, venerabilis virgo, à contagione noxia, mentem tuam turpis cogitatio non ſubrepat, ſit mens tua pura. Deus enim non ſolum examinat carnem, ſed mentem: Dominus judicat conſcientias hominum, Deus judex etiam de cogitationibus judicat animam. Quando titillat mala cogitatio, non conſentias illi, non ſinas malam cogitationem manere in corde tuo. Quacumque hora mala cogitatio venerit, expelle eam. Quam cito apparuerit ſcorpio, contere caput ejus, contere caput ſerpentis, id eſt, malæ cogitationis. Ibi emenda culpam, ubi naſcitur, ſcilicet in corde: caput cogitationis pravæ expelle à cordo tuo. Ibi pecca *, ubi neſcis eſſe Deum. Nihil enim celatur ante Deum. Videt occulta, qui fecit abſcondita. Dominus ubique præſens eſt, Spiritus Dei totum implet: Majeſtas omnipotentis Dei penetrat omnia elementa, nullus locus eſt extra Deum, Dominus ſcit cogitationes hominum. Soror dilecta, vis numquam eſſe triſtis? Frater mi volo. Ergo bene vive. Si bene vixeris, numquam eris triſtis. Secura mens leviter ſuſtinet triſtitiam, bona mens ſemper habet gaudium. Si enim in bona vita perſeveraveris, triſtitia elongabitur à te; ſi in ſanctitate perſeveraveris, triſtitia non occurret tibi; ſi bene & pie vixeris, neque plagam, neque mortem timebis. Conſcientia autem peccatoribus ſemper eſt in pœna. Numquam reus homo ſecurus eſt: mens enim male ſibi conſcia propriis agitatur ſtimulis. Soror venerabilis, audi quid Dominus dicat de muliere ad ſerpentem: *Ipſa conteret caput tuum.* Caput ſerpentis conteritur, quando ibi culpa emendatur, ubi naſcitur. Omnipotens Deus mundet cor tuum ab omni contagione mala, ut ei poſſis ſervire ſine macula. Amen.

### *XXX. De Silentio.*

90. Isaïas propheta dicit: *Cultus juſtitiæ eſt ſilentium & ſecuritas uſque in ſempiternum.* Et iterum David obſecrando poſtulat, dicens: *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Sancti Patres ſumma cum vigilantia ſilentium cuſtodientes, ſtuduerunt

A vacare & videre, quàm dulcis & quàm ſuavis eſt Dominus: & activæ vitæ curis poſtpoſitis, adhæſerunt contemplativæ vitæ. Soror cariſſima, reſpue inhoneſta verba, fuge impudicos ſermones. Vanus ſermo cito polluit mentem, & facile agitur quod libenter auditur. Nihil umquam ex ore tuo procedat quod te poſſit impedire, nihil umquam loquaris quod non conveniat. Hoc non procedat de labiis tuis quod offendat aures audientis, fuge turpitudinem ſermonis. Vanus ſermo demonſtrat vanam conſcientiam, lingua oſtendit conſcientiam, lingua refert conſcientiam hominis: qualis ſermo oſtenditur, talis animus comprobatur: *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Ab otioſo ergo ſermone refrena linguam tuam:
B reſtringe linguam tuam ab otioſo verbo. Turpes fabulas non loquaris, non garrias vana verba. Sermo otioſus non erit abſque judicio. Unuſquiſque rationem reddîturus eſt ſermonum ſuorum. Ante uniuſcujuſque faciem verba ſua ſtabunt in die judicii. Ea quæ loqueris, gravitate atque doctrina digna fiant. Sit ſermo tuus irreprehenſibilis, lingua tua non te perdat, lingua tua non te damnet: non loquaris quod indigne ſuſcipiat adverſarius: amicum tuum ſit ſilentium. Pone cuſtodiam ori tuo, in labiis tuis pone ſignaculum, pone linguæ tuæ clauſtra ſilentii. Scito quo tempore dicas, conſidera qua hora loquaris, tempore congruo loquere, tempore congruo tace. Tace uſquequo interrogeris, interrogatio os tuum aperiat, ſint verba tua pauca, non tranſeas menſuram loquendi. Multiloquia non effugiunt culpam, multiloquium non declinat peccatum. Virgo linguoſa ſtulta eſt, virgo ſapiens paucis utitur verbis. Sapientia brevem ſermonem facit, loqui multum ſtultitia eſt: ſit ergo in verbo tuo menſura, ſit in ſermone tuo ſtatera. Modum loquendi non tranſeas. Venerabilis ſoror, ille dignetur ori tuo ponere cuſtodiam, qui te ſibi elegit in ſponſam.

Sermo vanus fugiendus.

Matth. 12.

Ibidem.

De verbis otioſis reddenda ratio.

Multiloquiũ cavendum.
Prov. 10.

### *XXXI. De Mendacio.*

91. Mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur *. Summo ſtudio cavendum eſt omne genus mendacii: quamvis ſit quoddam genus mendacii levioris
D culpæ; velut ſi quiſque pro ſalute hominum mentiatur. Sed quia ſcriptum eſt: *Os quod mentitur, occidit animam:* hoc genus mendacii perfecti viri ſummo ſtudio fugiunt, ut nec vitia cujuſlibet per eorum fallaciam defendant, nec ſuæ animæ noceant, dum præſtare alienæ carni volunt. Tamen hoc genus mendacii facile credimus dimitti. Soror cariſſima, moneo te ut ſummopere fugias omne genus mendacii, nec per occaſionem, nec per ſtudium loquaris falſum; non ſtudeas mentiri, nec etiam ut præſtes alicui. Non alienam vitam per mendacium defendas: nullum juſtum mendacium: omne mendacium in omnibus eſt peccatum: omne quod à veritate diſcordat, iniquitas eſt. Leges ſæculi damnant falſarios, leges ſæcu-
E li puniunt mendaces. Si mendacium apud homines damnatur, ſi falſitas humano judicio punitur; quanto magis ante Deum, qui eſt teſtis verborum & operum? ante quem etiam de otioſo verbo unuſquiſque rationem redditurus eſt, ante quem & pro otioſo ſermone pœnas quiſque ſuſtinebit: *Et perdes eos qui loquuntur mendacium.* Et teſtis falſus non erit impunitus. Soror venerabilis, declina ergo mendacium, falſum ne loquaris. Quod verum eſt loquere, numquam mentiaris. Eſto verax, neminem mentiendo decipias: non aliud dicas, & aliud facias. Soror dilecta, Deus det tibi vera loqui. Amen.

* Hieron.

Sapien. 1. c

Mendacium quodlibet etiam officioſum vitandum.

Matth. 12.

Pſal. 5.

### *XXXII. De Perjurio.*

F 92. Dominus dicit in Evangelio: *Non jures per cælum, quia ſedes Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum pedum ejus eſt; neque per caput tuum, quia non potes in eo unum capillum facere album aut nigrum. Sit autem ſermo tuus, eſt, non. Quod amplius eſt, à malo eſt.* Sicut mentiri non poteſt qui non loquitur: ſic pejerare non poterit, qui jurare non appetit. Quacumque arte verborum quiſque juret, Deus tamen qui eſt teſtis conſcientiæ, hoc ita accipit, ſicut ille cui juratur intelligit. Malum quod juramus facere, non debemus implere. Soror venerabilis, vis ut dicam tibi qualiter numquam

Matt. 5.

pejerabis? Numquam jures. Si non juraveris, numquam pejerabis: si pejerare times, numquam jures: prohibe etiam tibi juramentum, tolle usum jurandi. Periculosum enim est jurare, usus jurandi facit consuetudinem perjurii, usus jurandi ducit hominem ad perjurium. Sit in ore tuo, *est*, sit in ore tuo, *non est*. Veritas non indiget juramento, fidelis sermo retinet locum sacramenti, firma etiam sit sacramenti tui fides. Amantissima soror, Spiritus-sanctus qui in tuo virgineo corpore sibi fecit templum, ponat in ore tuo moderationis signaculum. Amen.

Juramento non eget veritas.

### XXXIII. De Detractione.

93. SOror mihi in Christo dilecta, audi quæ dico, ausculta quæ moneo, attende quæ loquor. Detractio grave vitium est, detractio grave peccatum est, detractio gravis damnatio * est, detractio grande crimen est. Omnes reprehendunt detractorem, omnes vituperant detrahentem, omnes dehonestant illum qui detrahit. Et David Propheta: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebatur.* Hoc summæ turpitudinis est, hoc nihil fœdius est. Detrahentes latrant quasi canes; sicut canes rodunt pedes transeuntium, ita detrahentes rodunt vitam proximorum. Canes solent mordere homines, & dente pestifero lacerare transeuntes. Soror venerabilis, ergo abscinde à lingua tua vitium detrahendi: alienam vitam non rodas, vitam alienam non reprehendas, vitam alienam non laceres, de alieno malo non inquines os tuum, non detrahas peccatori, sed condole. Quod in alio detrahis, in te potius pertimesce: quod in aliis reprehendis, in te emenda. Quanto studio reprehendis alienam vitam, tanto studio emenda temetipsam. Quando alteri detrahis, te discute; quando alium mordes, tua peccata redargue. Si vis detrahere, tuis peccatis detrahe. Non perspicias aliena peccata, sed tua propria. Non intendas alienis vitiis, sed tuis propriis. Numquam aliis detrahes, si te bene prospicias. De tua ergo emendatione esto sollicita. De tua correctione & salute esto attenta. Detrahentes non audias. Susurrantibus auditum non præbeas. Pari reatu detrahentes & audientes tenentur, similiter est culpabilis qui detrahit, & qui detrahentem audit. Maledici regnum Dei non possidebunt. Virgo quæ ad cælestem thalamum desiderat pervenire, non debet hominibus detrahere. O virgo venerabilis, si aures tuas à detrahentibus separaveris, & linguam tuam, sicut dixi, ab omni locutione perversa refrenaveris, inter prudentes virgines computaberis.

* al. male clamatio.

Psal. 104.

Intendens vitæ tuæ non facile detrahes alienæ.

### XXXIV. De Invidia.

94. HOmo invidus membrum est diaboli, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum. Invidia cuncta germina virtutum concremat, invidia cuncta bona pestifero ardore devorat, invidia tinea est animæ, invidia prius nocet sibi quàm alteri, invidia prius seipsam mordet quàm alterum, invidia primum suum mordet auctorem, invidia sensum hominis comedit, pectus urit, mentem lacerat, cor hominis quasi quædam pestis pascit. Igitur contra invidiam occurrat bonitas: caritas præparetur adversus invidiam. Soror amantissima mihi in Christo, de bono alterius non doleas, de alterius profectu non tabescas, de alterius felicitate non crucieris. Nulla virtus est quæ non habeat contrarium invidiæ malum. Sola miseria caret invidia. Quare? quia nemo invidet misero. Virgo quæ in cælo desiderat habitare, hominibus non debet invidere; virgo quæ cum Christo ad nuptias desiderat intrare, de alterius honore non debet contristari. Carissima soror, Deus mundet cor tuum ab omni malitia atque invidia, ut ei possis sine macula servire. Amen.

Sap. 2.

### XXXV. De Ira.

95. HOnesta virgo, audi quid Salomon dicat: *Responsio mollis frangit iram, sermo durus excitat furorem.* Et iterum: *Dulce verbum mitigat inimicos, & multiplicat amicos.* Tanto quisque convincitur minus sapiens, quanto est minus patiens. Per iram oculus mentis turbatur, per iram sapientes perdunt sapientiam: per iram alienatur homo à semetipso. Quidam cito irascuntur, sed ad pacem cito redeunt: quidam vero tardius irascuntur, & ad pacem tardius revertuntur: alii autem, quod gravius est, ad iram citius incitantur, & ad pacem tardius inclinantur. Melior est tamen qui citius irascitur, & ad pacem cito revertitur, quàm qui tardius irascitur, & ad pacem tardius incitatur. Carissima soror, audi etiam Jacobum dicentem: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum; & tardus ad iram.* Quare? *quia ira viri, Dei justitiam non operatur:* proculdubio nec ira virginis justitiam Dei operari poterit. Virgo quæ templum Dei debet fieri, nullo modo debet irasci, non decet Christi sponsam esse iracundam; virgo quæ in pectore suo præparat mansionem Christo, omnibus modis debet expellere iracundiam à corde suo; virgo quæ desiderat cum Christo ad cælestem thalamum pervenire, debet omnino à corde suo iram expellere. Amantissima soror, si te prævenerit iracundia, restringe illam: si te præoccupaverit ira, mitiga eam. Tempera furorem, tempera indignationem. Motum iracundiæ restringe, refrena impetum iræ. Si non potes vitare iram vel temperare, non te rapiat furor, non te inflammet ira, non te commoveat indignatio. Sol non occidat super iracundiam tuam. Amen.

Prov. 15.

Eccl. 6.

Irascentium diversa genera.

Jacob. 1.

Iracundia Virginem dedecet.

Ephes. 4.

### XXXVI. De odio.

96. HOnesta virgo, audi quæ dico. Odium separat hominem à regno Dei, odium separat hominem à paradiso, odium subtrahit hominem à cælo, odium nec per passionem deletur, nec per martyrium purgatur, nec per sanguinem effusum abluitur. Non debemus odio habere homines, sed vitia. Qui fratrem suum odit, homicida est, qui fratrem suum odit, in tenebris est, & in tenebris ambulat. Deum non diligit, qui hominem odit. Quantum interest inter festucam & trabem, tantum etiam distat inter iram & odium: odium est enim ira inveterata. Per iram turbatur oculus mentis, per odium exstinguitur oculus cordis. Soror in Christo amantissima mihi, audi quæ loquor. Si contristaveris in aliquo sororem tuam, satisfac illi: si peccaveris in sororem tuam, age pœnitentiam coram illa: si scandalizaveris aliquam ex ancillis Dei, roga eam ut dimittat tibi: perge festinanter ad reconciliationem: non dormias donec prius venias ad satisfactionem, non quiescas priusquam revertaris ad pacem. Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari: non læteris super inimici interitu, ne forte superveniant in te similia: ne convertat Deus ab eo in te iram suam. Delectet te dolere super eum qui afflictus est, condole alienis miseriis, in tribulatione alterius esto tristis, cum plangentibus plange, cum lugentibus luge. Soror venerabilis non sis dura, non sint tibi dura præcordia. Peccanti in te non retribuas secundum culpam suam, quia & in te venturum est judicium Dei. Dimitte, ut dimittatur tibi: non enim habebis indulgentiam, nisi dederis veniam. Expelle à corde tuo odium, in mente tua odium non maneat. Soror amabilis, Deus det tibi dilectionem sui & proximi. Amen.

Johan. 3.

Discrimen inter iram & odium.

Odii detestatio.

Prov. 24.

### XXXVII. De Superbia.

97. SUperbia est radix omnium malorum. Homo superbus Deo & hominibus est odibilis. Superbus homo similis est diabolo. Superbia & cupiditas in tantum est unum malum, ut nec superbia sine cupiditate, nec cupiditas sine superbia esse possit. Diabolus per superbiam & cupiditatem dixit: *In cælum ascendam.* Christus cum humilitate dixit: *Humiliata est in pulvere anima mea.* Diabolus per superbiam & cupiditatem dixit: *Ero similis Altissimo.* Christus per humilitatem factus est obediens Patri usque ad mortem. Ad ultimum diabolus per superbiam præcipitatur in infernum: Christus vero per humilitatem ad cælos elevatur. Quid est omne peccatum, nisi Dei contemptus, quo ejus præcepta contemnimus? Soror carissima, crede mihi, quod multorum temporum vigiliæ, orationes, jejunia, eleemosynæ, & labores, si cum superbia finem habuerint, pro nihilo reputantur

Eccli.

Isa. 14.

Isa. 43.

Phil. 2.

apud Deum. Igitur Soror venerabilis, alas superbiæ non extendas: pennas superbiæ non erigas. Quare? quia superbia Angelos deposuit, potentes stravit, superbos dejecit: *Superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam.* Moneo te etiam Christi sponsa, ut plus gaudeas de societate Angelorum & ancillarum Dei, quam de nobilitate generis tui. Rogo te, amantissima Soror, ut magis exsultes de societate pauperum virginum, quam de tuorum nobilitate parentum divitum. Quare? quia non est personarum acceptio apud Deum. Qui pauperem despicit, Deo injuriam facit. *Qui contemnit pauperem, exprobrat factori ejus.* Venerabilis soror, Deus det tibi profundam humilitatem & veram caritatem. Amen.

### XXXVIII. De Jactantia.

98. Tam in factis quam in dictis cavere debemus jactantiam. Igitur Soror carissima, circumspice teipsam, & nihil tibi arroges ex his quæ in te sunt, præter peccata. Cave jactantiam, fuge appetitum vanæ gloriæ, cave inanis gloriæ studium: non te arroges, non te jactes, nihil de te præsumas, non te insolenter extollas, nihil boni tibi tribuas, de bono opere non glorieris, non sis inflata vento favoris. Contemne laudem hominum, non exquiras si quis te laudet, aut si quis vituperet. Laus non te seducat, nec vituperatio frangat. Qui laudem non appetit, nec contumeliam sentit. Virgines quæ de suis meritis gloriantur coram hominibus, non habent oleum in vasis suis, quia per inanis gloriæ appetitum mercedem quam merebantur à Domino, perdiderunt. Semper suam aspiciant fœditatem, quia vanam gloriam diligunt: & doleant se perdidisse opus bonum, quod pro humana laude fecerunt. Unde Dominus in Evangelio: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Virtutes sanctorum per inanis gloriæ studium dominio subjiciuntur dæmonum; sicut Ezechias rex quia jactanter divitias suas Chaldæis manifestavit, propterea per Prophetam eas perituras audivit. Pharisæus etiam qui orare ad templum venerat, ideo bona sua perdidit, quia jactanter manifestavit. Sicut ex alto aquila ad escam descendit, sic homo de alto bonæ conversationis per vanæ gloriæ appetitum ad inferiora demergitur. Soror dilecta mihi in Christo, non ponas conscientiam tuam in aliena lingua. Quod si laudet te aliena lingua, & non tua; laudet te alienum os, & non tuum: tuo tamen judicio te decerne, non alieno. Nemo magis scire potest quæ sis, sicut tu, quæ conscia tui es.

99. Soror venerabilis, vis ut dicam tibi qualiter poteris omnes virtutes augere? Frater dilecte, volo; atque ut mihi ostendas rogo. Ausculta ergo, Soror venerabilis, si vis omnes virtutes tuas augere & non perdere: absconde virtutes tuas pro elatione: absconde tua bona facta pro arrogantia. Fuge videri quod commeruisti. Virtutes cela, peccata tua manifesta: vitia cordis tui revela. Absconde tua bona opera, numquam in medium proferas si quid boni feceris aut dixeris. Pravas cogitationes statim manifesta: peccatum enim manifestum cito curatur, crimen autem tacendo ampliatur; si latet, fit ex minimo magnum. Peccatum manifestando decrescit, tacendo crescit. Virtutes in occulto crescunt, in publico decrescunt. Virtutes jactanter manifestando annihilantur, humiliter occultando multiplicantur. Igitur honesta Soror, consilium & opus tuum semper ad Deum converte. In omni opere tuo Dei auxilium pone. Omnia divinæ gratiæ, divino dono adscribe, nil meritis tuis attribuas, in virtute tua nihil præsumas, nihil ponas in tua audacia. Carissima soror audi Apostolum dicentem: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Igitur venerabilis virgo, gloriatio tua & laus tua semper sit in Christo Jesu sponso tuo.

### XXXIX. De humilitate.

100. Soror carissima, audi Dominum Jesum-Christum sponsum tuum dicentem in Evangelio: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Soror venerabilis, *humilia temetipsam sub potenti manu Dei, ut te exaltet in tempore tribulationis.* Conscientia virginis semper debet esse humilis & tristis, scilicet ut per humilitatem non superbiat; & per inutilem tristitiam cor ad lasciviam non dissolvat. Humilitas est summa virtus virginis. Summum enim convicium est superbia. Virgo humilis licet habitu sit vilis, gloriosa tamen est apud Deum virtutibus: Virgo autem superba quamvis ante oculos hominum pulcra, formosa atque composita, tamen ante oculos Dei vilis & despecta atque reproba. Quare? quia anima justi sedes Dei est. Sicut ipse Dominus ait: *Super quem requiescam nisi super humilem & quietum, & timentem sermones meos?* Is. 66. Dilecta mihi soror in Christo, esto humilis: esto in humilitate fundata, esto novissima omnium. Carissima, nulli te præponas, nulli te superiorem deputes, æstima omnes superiores te esse, quanto major es, tanto te humilia in omnibus. Si humilitatem tenueris, habebis gloriam: quanto enim humilior fueris, tanto te major sequetur gloriæ altitudo. Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris, ne exaltata humilieris: quia *qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Prov. 11 & 15. Matth. 18. Qui enim extollitur, humiliabitur. De excelso gravior casus est, de alto major ruina est. Humilitas casum nescit, humilitas ruinam numquam incurrit, humilitas lapsum numquam passa est. O sponsa Christi agnosce quia Deus humilis venit, agnosce quia se in forma servi humiliavit, factus obediens usque ad mortem. Amabilis soror, ambula sicut ille ambulavit. Sequere exemplum ejus, imitare vestigia illius. Esto vilis, esto despecta, esto abjecta, displice tibi: qui enim sibi vilis est, ante Deum magnus est: qui sibi displicet, Deo placet. Carissima esto parvula in oculis tuis, ut sis magna in oculis Dei. Tanto eris ante oculos Dei pretiosior, quanto fueris ante oculos tuos despectior. Soror venerabilis, si humilitatem profundam tenueris, cum prudentibus virginibus in cælesti regno læraberis. Amen.

Humilitas nescit ruinam. 1 Petr. 2.

### XL. De patientia.

101. Dominus dicit in Evangelio: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Matth. 5. Soror carissima, ergo si homines pacifici sunt beati, & vocabuntur filii Dei, necessaria est tibi patientia: *Patientia opus perfectum habet.* Jac. 1. Virgo pacifica sapiens est, virgo iracunda non est prudens, sed stulta. Soror venerabilis, sine ferro martyr esse poteris, si patientiam in animo veraciter conservaveris. Non pacificus consortium non merebitur Angelorum: invidus & iracundus erit participes dæmoniorum. Non pacificus fugat concordias, immo iracundus suscitat lites. Virgo benigna etiam si patiatur injurias, pro nihilo ducit. Virgo pacifica in corde suo præparat mansionem Christo. Quare? quia Christus pax est, & in pace consuevit requiescere. Filius pacis pacem debet diligere. Plus te præpara ad suscipiendam injuriam, quam ad inferendam; disce potius mala tolerare, quam mala facere. Esto patiens, esto mitis, esto suavis, modesta, mansueta. Ama pacem, dilige pacem, pacem cum omnibus retine. Omnes in mansuetudine & caritate amplectere: proba te amplius amare, quam ipsa ameris: proba te amplius diligere quam diligaris. Non sis levis in amicitia, retine semper vinculum amicitiæ. Habeto semper patientiam mentis. Esto benigna, esto prompta affectu, esto affabilis in sermone, grato animo appare ad omnes. Tolle occasionem litis, sperne litem, vive semper in pace. Carissima soror, si fieri potest, cum omnibus hominibus retine pacem, contumelias detrahentium per patientiam supera, clypeo patientiæ frange sagittas contumeliæ, præbe scutum conscientiæ contra gladium linguæ. Magnæ virtutis es, si non lædas, à quo læsa es: magnæ fortitudinis es, si etiam læsa dimittas: magnæ es gloriæ, si ei de quo te potuisti ulcisci, parcas. Venerabilis soror, pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat cor tuum & animam tuam. Amen.

Patiens esto contra injurias.

### XLI. De concordia.

102. *Sex sunt quæ odit anima mea*, dicit Dominus, *& septimum quod detestatur*, videlicet eum qui seminat discordias inter fratres. Prov. 6. Maledictus homo qui inter servos Dei discordias seminat. Qui pacem & concordiam rumpit, adversus Deum facit, Christo facit injuriam, qui

Ephes. 2.

inter servos Dei seminat discordiam. Quare? quia *Christus est pax nostra, qui facit utraque unum*, videlicet quia Angelos & homines fecit esse concordes. Concordia malorum, contrarietas est bonorum. sicut optamus ut boni pacem habeant; ita optare debemus ut concordia malorum rumpatur. Concordia ad faciendum peccatum, mala est: concordia vero ad faciendum bonum, ad sectandam justitiam, ad serviendum Deo, bona est. Propter hoc sumus congregati in unum, ut in servitio Dei omnes unum spiritum & unum animum habeamus. Omnibus habitantibus in domo Dei debet esse anima una & cor unum in Deo. Nihil prodest si nos contineat una domus, & separet voluntas diversa. Plus diligit Deus unitatem animi, quam loci. Ecce sumus in domo ista multi homines, diversi mores, diversa corda, diversæ animæ: hæc omnia debet in unum conjungere vita, intentio, unus amor in Deum. Debemus ergo in hoc esse unius animi & unius voluntatis, ut serviamus Deo: & ut diligamus Deum ex toto corde, & ex tota anima, & proximum nostrum sicut nos ipsos. Necessaria itaque est nobis virtus concordiæ. Quod si ego volo facere voluntatem meam, & iste suam, & ille suam; fiunt divisiones, oriuntur lites, iræ quoque & rixæ, quæ sunt opera carnis: & sicut ait Apostolus, *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Soror carissima, crede mihi, quia Deo non tantum placent nostra jejunia, nostræ orationes, nostra sacrificia, quantum concordia. Ideo Deus dicit in Evangelio: *Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Venerabilis Soror, magna est virtus concordiæ apud Deum, sine qua non placent Deo nostra sacrificia, quibus delentur peccata. Scire debemus quia cum ad conversionem venimus, luctamen contra diabolum sumimus.

Concordia Religiosis necessaria.

Gal 5.

Deo acceptior est sacrificio.

Matt. 5.

103. *Interrogatio*. Frater dilecte, dic mihi si aliquid timeat diabolus? *Resp*. Soror amabilis, nihil est quod diabolus tantum timeat, quantum concordiam & caritatem. Nam si totum quod habemus, damus propter Deum: hoc diabolus non timet, quia ipse nihil habet. Si jejunamus, hoc diabolus non timet, quia ipse numquam comedit; si vigilamus, hoc diabolus non timet, quia ipse numquam dormit: sed si caritatem & concordiam tenemus, hoc diabolus vehementer timet. Quare? quia hoc tenemus in terra, quod ipse in cælo tenere noluit. Hoc est etiam quod sancta Ecclesia terribilis esse ut castrorum acies ordinata dicitur: quia sicut hostes timent quando acies castrorum bene ordinatas ad bellum vident: ita certe diabolus expavescit, quando spirituales viros virtutum armis accinctos in unitate concordiæ vivere conspicit. Ipse victus & confusus vehementer dolet, cum eos per discordiam dividere & penetrare non valet. Omnes ergo unanimiter & concorditer debemus vivere in domo Dei, ut possimus diabolum vincere. Ancilla Dei quæ vult concorditer vivere, prius debet pravas consuetudines relinquere, ne sit perversa, inordinata, ne sit indisciplinata, ne perversitate sua ceteras ancillas Dei conturbet vel scandalizet. Debet etiam mensurare actus suos, motus suos, sermones suos & totam vitam suam; ut secundum Deum concordare possit cum illis cum quibus vivit. Igitur Soror dilecta moneo te ut concorditer & humiliter vivas in monasterio cum omnibus ancillis Dei. Soror venerabilis, odientes ad pacem invita, discordantes ad concordiam revoca. Nullus exsistat sermo jurgiorum qui concordiam dividat. O sponsa Christi, caritas, quæ te separavit à sæculo, ipsa te conjungat Deo. Amen.

Diabolo est formidabilis.

Cant. 6.

Qui conservetur.

### *XLII. De tolerantia.*

104. Carissima Soror disce à Christo modestiam, disce tolerantiam. Christum attende, & non dolebis de injuriis. Pro nobis namque passus reliquit nobis exemplum. Palmis enim percussus, flagellis cæsus, sputis derisus, clavis confixus, spinis coronatus, cruce damnatus, semper conticuit. Quando enim aliquis tibi conviciatur, propter tua peccata contingit tibi: quando tibi injuriatur, mala tua hoc faciunt: quidquid tibi contingat adversum, pro tuo evenit peccato. Levius sustinebis, si pro quibus tibi infertur, intenderis. Cum ergo deroga-

1. Pet. 2.

Isa. 53.

A tur tibi, tu ora: quando aliquis maledicit tibi, tu benedic ei: benedic ei qui maledixerit tibi. Maledicenti tibi benedictionem appone: irascentem patientia delini, blandimento iracundiam furentis dissolve, lenitate vince nequitiam, bonitate malitiam. Tuo bono supera mala aliorum. Tua tranquilla mente aliorum contumelias disperde. Soror venerabilis, ad bona & ad mala præpara cor tuum, & bona & mala prout tibi evenerint, porta. Sustine adversa & prospera, ut quæcumque occurrerint tibi, quæcumque evenerint tibi, mente placida sustineas. Respue probra illatæ contumeliæ, despiciendo supera irrisionum probra. Dissimulando contemne errores detrahentium.

B 105. Honesta virgo, quamvis te quisque irritet, quamvis te incitet, quamvis exasperet, quamvis insultet, quamvis convicietur, quamvis criminetur, quamvis ad litem provocet, quamvis ad jurgium vocet, quamvis convicium dicat, quamvis injuriam faciat, quamvis afficiat contumeliis, tu sile, tu tace, tu dissimula, tu contemne, tu non loquaris, tu tene silentium, injuriam non respondeas, mala verba non dicas, convicium non retorqueas, contumeliam non respondeas, tene silentii pacem: tacendo citius vinces. O sponsa Christi, sume luctamen contra temporales molestias. Esto in cunctis casibus firma, patienter tolera omnia: patienter ab uno sustinendum est,

Silentio & contemptu superantur contumeli[æ]

C quod multis accidit. Et qui affligit, & qui affligitur, mortalis est: & qui mala facit, & qui mala sustinet, morietur. Amabilis soror, crede mihi, quia nullus tibi adversari potuisset, nisi Dominus potestatem dedisset. Nec habuisset in te potestatem diabolus, nisi permitteret Deus. *Oportet per multas tribulationes nos intrare in regnum Dei. Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Soror carissima, impossibile est ut sis femina, & non gustes angustias. Omnia in hoc sæculo eventu simili sustinemus. Nullus est qui in hac vita positus non suspiret, ista vita lacrymis est plena, vita ista à fletibus inchoat: infans quando nascitur, à fletu incipit vivere: infans quando egreditur de vulva, prius incipit lugere quam ridere, flentes projiciuntur in hanc miseram vi-

Act. 14.

Rom. 8.

Præsens continuo versis ob[no]xia.

D tam. Utilis est tribulatio, utiles sunt vitæ hujus pressuræ: quanto in hoc sæculo frangimur, tanto in perpetuo solidamur, quanto in præsenti tempore affligimur, tanto in futuro gaudebimus: si hic flagellis atterimur, purgati in judicio inveniemur. Amen.

### *XLIII. De infirmitate.*

106. Dominus loquitur in Apocalypsi, dicens: *Ego quos amo, arguo & castigo*. Tribus modis Deus in hac vita castigat homines. Scilicet ad damnationem percutit reprobos; ad purgationem corripit quos videt errare electos; castigat justos ad augendam gloriam meritorum. Deus percussit Ægyptum plagis ad damnationem,

Apoc. 3.

Castigatio triplex.

E flagellatus est pauper Lazarus ad purgationem, flagellatus est etiam Job ad probationem. Flagellat etiam hominem ante peccatum, ne malus fiat; sicut flagellavit Paulum, qui instigante angelo satanæ tolerabat stimulos carnis. Flagellatur etiam homo à Deo post peccatum, ut emendetur, sicut ille qui traditus est satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus salvus esset. Qui valentiores sunt & sani, utile est eis infirmari, ne per vigorem salutis plus lætentur in transitoriis & terrenis rebus quam debent. Mala est sanitas carnis, quæ hominem deducit ad infirmitatem animæ: & valde est bona infirmitas carnis, quæ perducit hominem ad sanitatem animæ. Infirmitatem carnis laudat Apostolus, dicens: *Cum enim infirmor, tunc*

Exod 5.

Luc 16.

Job. 1.

2. Cor. 12.

1. Cor. 5.

Ægritudo corporis mittitur [ad] sanitatem animæ.

2. Cor.

F *fortior sum*, scilicet spiritu. In flagellis Dei non debet murmurare homo, quia per hoc quod castigatur, à peccato emendatur. Levius sustinebimus infirmitates corporis, si ad memoriam reduxerimus mala quæ fecimus. In infirmitate non debet homo murmurare. Quare? quia ab illo judicatur, cujus judicia semper sunt justa. Qui infirmitatem patitur, & contra Deum murmurat, justitiam judicantis accusat; ac per hoc iram Dei adversum se provocat. Non potest non esse justum, quod justo placet judici. Quem enim diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit: & quasi pater in filio

In infirmitate non [est] murmurand[um] contra [Deum].

Heb. 12.

complacet sibi. In hac vita Deus parcit peccatoribus, & A non parcit justis. In futura vita parcet justis, & non parcet peccatoribus: qui in hac vita flagellari non meretur, in inferno torquebitur. Soror cariſſima, dolor & triſtitia omnibus ſunt communia: nemo eſt qui in hoc ſæculo non doleat. Semper Deus hos caſtigat, quos ad ſalutem præparat perpetuam. Soror venerabilis, in infirmitatibus tuis non contriſteris. In languoribus tuis gratias age Deo. Valere te magis opta animo, quam corpore; deſidera plus valere mente quam carne. Adverſa carnis, remedia ſunt animi: ægritudo carnem vulnerat, mentem curat: languor enim vitia excoquit, languor vires libidinis frangit. Probari te in dolore cognoſce, non frangaris: in fornace probatur aurum ut ſordibus careat: tribulationis camino B purgaris: ut purior appareas, perſecutionis igne conflaris. Conflaris, ut omni peccatorum ſorde purgeris: ad probationem ſunt omnia iſta quæ ſuſtines. Igitur dilecta mihi in Chriſto ſoror, in infirmitatibus tuis non murmures, non blaſphemes, non dicas, quare ſuſtineo mala? non dicas, cur affligor? ut quid mala patior?

107 Frater mi, obſecro te ut dicas mihi quid in infirmitatibus meis debeo dicere, vel qualiter oportet meipſam accuſare. Soror honeſta, hoc modo te accuſa. Peccavi, ut eram digna non recepi: æqualem vindictam peccati mei non ſentio, minus me ſentio percuſſam quam mereor; juxta modum meriti minor eſt tribulatio ultionis; ſecundum meritum peccatorum meorum diſpar eſt cauſa C pœnarum: non ſunt tanta ſupplicia, quanta exſtiterunt peccata. O ſponſa Chriſti, vis à peccatis tuis purgari? in pœna te accuſa, & Dei juſtitiam lauda. Ad purgationem tuam ſufficit, ſi ea quæ pateris, ad juſtitiam Dei retuleris, ſi pro irrogata infirmitate tu humilis Deum glorificaveris. Corripit enim te Deus flagello piæ caſtigationis, exercet in te diſciplinam: & qui parcendo te à ſe abjiciebat, feriendo clamat ut redeas. Venerabilis virgo, cogita quoſlibet mundi cruciatus: intende animo quaſcumque mundi pœnas, quoſcumque tormentorum dolores, quaſcumque dolorum acerbitates: compara hoc totum gehennæ, & leve erit quod pateris. Soror amabilis, ſi times, pœnas inferni time. Iſtæ enim pœnæ temporales ſunt, illæ æternæ: in D iſtis pœnis moriendo tormenta recedunt, in illis moriendo æternus dolor ſuccedit. Si enim converſa fueris, emendatio eſt quod pateris. Converſo inſtantes plagæ ad purgationem proficiunt. Qui enim hic caſtigatus corrigitur, illic liberatur: qui vero nec ſub flagello corriguntur, & temporali pœna, & æterna damnantur. Et in hoc prius judicantur ſæculo, & illic denuo in futuro. His duplex eſt pœna & damnatio: gemina his percuſſio eſt, quia & hic habent judicia tormentorum, & illic ſupplementum pœnarum. Manus igitur Dei te ad pœnam tradidit, indignatio Dei te affligi juſſit. Ipſe iratus juſſit te mala omnia experiri, Soror reverenda. nam quod & corporis debilitatibus frangeris, quod carnis E morbis afficeris, quod languorum ſtimulis cruciaris, quod paſſionibus animæ quateris, quod mentis anguſtia torqueris, quod creſcente impugnatione malignorum ſpirituum agitaris, hoc ipſum pro peccato tuo tibi divina juſtitia irrogat. Tua contra te dimicant arma, ſagittis tuis plagaris, telis tuis vulneraris: per quæ enim peccaſti, per hæc & torqueris. Quia ſequuta es carnem, flagellaris in carne: in ipſa gemis, in qua peccaſti. Soror amabilis, in ipſa carne cruciaris, in qua deliquiſti: in ipſa tibi eſt cenſura ſupplicii, in qua fuit cauſa peccati. Unde corruiſti ad vitia, inde ſuſtines tormenta. O ſponſa Chriſti, juſte argueris, juſte flagellaris, juſto judicio judicaris. Procella juſte te conterit, juſtitiæ pœna te premit.

*XLIV. De avaritia.*

108. DOminus dicit in Evangelio: *Cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt ſuper terram ex his quæ poſſidet.* Et Paulus Apoſtolus: *Omnis fornicatio & immunditia, & avaritia, nec nominetur inter vos.* Et iterum: *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hereditatem in regno Dei.* Unde Salomon: *Conturbat domum ſuam qui ſectatur avaritiam.* Avarus *non implebitur* Prov. 5. *pecuniis. Qui amat divitias, non capiet fructum ex eis.* Ibid. *Nihil eſt pejus quam amare pecunias, hinc enim animam* Eccli. 10. *ſuam venalem habet.* Sicut avaritia mergit hominem in infernum, ita omnino largitas eleemoſynæ levat ad cælum. Avarus homo ſimilis eſt inferno: ſicut infernus Eccli. 5. numquam dicit, ſatis eſt; ita avarus numquam ſatiatur Avari inſatiabiles. pecuniis. Sicut hydropicus quanto plus bibit, tanto plus ſitit: ita avarus quanto plus acquirit, tanto plus concupiſcit. Avaritia & cupiditas, ſorores ſunt: ſuperbia vero eſt mater earum. Numquam ſuperbia fuit ſine cupiditate, nec cupiditas ſine avaritia. Soror venerabilis non ſit manus tua porrecta ad accipiendum, & collecta ad dandum: plus te delectet dare quam accipere. Melius eſt dare quam accipere. Soror cariſſima, avaritia non defigat radices in corde tuo, avaritia non ſit in te. Expelle à corde tuo avaritiam. Sic perfecte pro Chriſto ſponſo tuo lætaberis in cæleſti patria, Amen.

*XLV. De cupiditate.*

109. RAdix omnium malorum eſt cupiditas. *Nemo po-* 1. Tim. 6. teſt perfecte ſpiritualia bella ſuſcipere, niſi prius carnis edomuerit voluptates: non poteſt mens ad contemplandum Deum eſſe libera, quæ terrena & tranſitoria hujus mundi concupiſcit: non poteſt videre oculus mentis alta, ſi eum claudit pulvis terrenæ cupiditatis. Cupiditas grave peccatum eſt, omnium criminum materia eſt. Non eſt mirum ſi morientes inferni ignibus deputentur, qui viventes flammam cupiditatis ſuæ non exſtinxerunt. Soror cariſſima, quamvis non habeas pecuniam, tamen ſi habes cupiditatem habendi, nihil valet tibi: nihil valet corporis nuditas, ſi tibi eſt veſtimenti cupiditas. Judas per cupiditatem vendidit Chriſtum. Nudi naſ- Job 1. cimur in hac vita, nudi exituri ſumus de hac vita. Cur ergo concupiſcimus terrena & tranſitoria? Si ergo bona hujus mundi credimus peritura, cur tanto amore diligimus ea? Si terrena & tranſitoria hujus mundi pluſquam oportet diligimus, peccamus. Soror ergo dilecta, curſum tuum conſidera, & cognoſce tibi pauca ſufficere poſſe quæ habes. Si igitur cupiditas eſt radix omnium malorum, ſicut ſuperius diximus, neceſſe eſt ut expellas eam à corde tuo: ut ceteræ ſoboles non pullulent, vitiorum cupiditas perverſa non ſit in te. Soror venerabilis, omnipotens Deus te faciat propter ſemetipſum proſpera mundi deſpicere, & nulla ejus adverſa formidare, Amen.

*XLVI. De paupertate.*

110. B*Eati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum* Matt. 5. *cælorum.* Multi ſunt pauperes, quos ipſa paupertas non facit beatos, ſed miſeros, quia ipſam paupertatem non propter Deum ſuſtinent, ſed coacti. Sunt etiam nonnulli pauperes, quos paupertas non facit miſeros, ſed beatos, quia eam propter Deum ſuſtinent: de quibus dicitur: *Beati pauperes ſpiritu.* Cariſſima ſoror, iterum ad Pauperes voluntarii ſolum beati. te revertor loquendo. Audiſti tribulationem & patientiam Job; & ideo te moneo, ut nec in tribulatione frangaris, nec in proſperitate eleveris. Tu Patriarchas divites opibus, ſed humiles fuiſſe legis animo: qualis fuit Abraham, qui dicebat: *Loquar ad Dominum Deum meum, cum* Gen. 18. *ſim terra & cinis.* Ideoque beata eris, ſoror venerabilis, ſi in proſperis & adverſis ſemper Deo gratias egeris, & felicitatem hujus temporalis vitæ velut fumum & vaporem evaneſcentem credideris. Ait enim Paulus Apoſtolus: *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus in Chriſto, miſera-* 1. Cor 15. *biliores ſumus omnibus hominibus.* Chriſtus enim ne aurum diligeremus, oblata in vita munera contemnere do- F cuit: ne famem timeremus, quadraginta diebus jejunavit: ne nuditatem timeremus, unam tunicam diſcipulis Matth. 4. ſuis habere mandavit: ne tribulationes expaveſceremus, Matth. 10. ille pro nobis tribulationes ſuſtinuit: & ne mortem timeremus, pro nobis mortem ſuſtinuit & ſuſcepit. Om- Johann. 2. ne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi. Et mundus peribit, & concupiſcentia ejus. Igitur dilecta ſoror, non diligamus ea quæ ſunt in mundo, ne pereamus cum mundo. Certe David regnabat, & cum haberet theſauros

argenti, & imperaret populis manu forti, tamen humilem se cognoscit, & dicit: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Et iterum: *Egenus & pauper sum ego.* Item dicit: *Incola ego sum in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei.*

*Psal. 87. Psal. 69. Psal. 38.*

111. Soror venerabilis, non te delectent blandimenta transitoria: nec commoda terrena, nec de mundanis lucris gaudeas: & non contristaberis de terrenis damnis. Sic enim scriptum est: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Quæ cum amore possidemus, cum dolore perdimus. Audi sponsa Christi, quæ dico. Ille cui cælestia & terrestria serviunt, pauper pro nobis factus est. Quare? ut nos sua paupertate faceret divites. Tu ergo honesta virgo, ambula per viam qua præcessit Jesus-Christus sponsus tuus, & passibus indefessis sequere cælestem ducem. Sine dubio si consequuta fueris, cum ipso in cælo regnabis. Soror venerabilis, virginitatem & paupertatem beatæ Mariæ virginis prospice, quæ tam dives in Domino fuit, ut mater Domini esse mereretur: & in tantum fuit ope externa destituta, ut tempore partus non haberet obstetrices vel ancillas ad serviendum sibi: & in tantum fuit rebus paupercula, ut ipsum etiam diversorium tam angustum habuerit, ut infantem non in lectulo, sed in præsepio reclinaret. Sed & Joseph cui fuerat desponsata, cum esset justus, erat tamen pauper: ita ut victum & vestitum artificio quæreret. Certe faber fuisse legitur. Etiam de sanctis Apostolis legimus, quia serviebant Deo in fame & siti. Unde Paulus Apostolus: *In fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, & in vigiliis multis.*

*Psal. 61. Christus pro nobis pauper factus. B. Mariæ Virginis paupertas. Item Joseph. Et Apostolorum. 2. Cor. 11.*

112. O sponsa Christi habes exempla, quibus possis terrenas divitias contemnere, & cælestes concupiscere: quoniam qui *volunt divites fieri in hoc mundo, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa & nociva, quæ mergunt hominem in interitum.* Libenter contemnunt terrenas divitias, qui perfecte sperant cælestes: quia voluntaria paupertas introducit hominem in regnum cælorum. Non ideo venimus ad monasterium, ut in deliciis in eo vivamus, sed ut vigilando, orando, jejunando, psallendo, contra adversarium nostrum dimicando, ad regnum nobis promissum Christo adjuvante perveniamus. Nam ideo nudi nascimur in hoc sæculo, nudi etiam accedimus ad baptismum, ut nudi & sine impedimento perveniamus ad cælum. Quam incongruum est & absurdum, & quam turpe, ut quem nudum mater genuit, nudum suscepit terra, dives intrare velit in cælum! *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem introire in regnum cælorum.* Melius est plus egere quam plus habere. Nimis est avarus, cui non sufficit Dominus. Soror dilecta, si in hoc sæculo famem & sitim atque nuditatem pro Christo sustinuerimus, gratiùs cum eodem Domino nostro Jesu-Christo in cælesti regno gaudebimus, Amen.

*1. Tim. 6. Mar. 10.*

## XLVII. De murmuratione.

113. Hospitium cordis nostri per gratiam Dei sanctificatur, & per inhabitationem Spiritus-sancti, quando intus est caritas, pax, bonitas, humilitas, concordia, mansuetudo & alia hujusmodi: hæ sunt nostræ divitiæ, scilicet boni mores, & virtutes. Sed si incipimus inter nos litigare, murmurare, contendere, statim ab his spiritualibus bonis vacui remanemus & nudi. Quare? quia virtutes non possunt remanere cum vitiis. Nam & modicum fermentum totam massam corrumpit. Quisque servus Dei debet pensare in corde suo, quam malum magnum incurrit, si pro rebus temporalibus murmurat: unde debuerat esse dives, fit pauper. Quæ sunt divitiæ nostræ? virtutes scilicet. Virtutes ergo perdimus, si pro cibo vel potu murmuramus. Grave peccatum est murmuratio. unde Gregorius: Regnum cælorum nullus qui murmurat accipit: nullus qui illud accipit murmurare potest. Præcordia fatui, sicut rota currus, fœnum portans & murmurans. Tales sunt multi fratres & multæ sorores in congregatione, qui sunt carnalibus desideriis subditi, & murmurare numquam cessant. Igitur soror carissima, necessarium est valde nobis consilium Pauli Apostoli dicentis: *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmura-*

*Rom. 10.*

A *verunt*, in deserto videlicet, *& perierunt ab exterminatore.* Igitur periculosum est nobis murmurare, ne forte pereamus ab exterminatore in monasterio, sicut illi perierunt in deserto. Linguas ergo nostras à murmuratione custodiamus, ne (quod absit) sicut illi perierunt in hoc sæculo, nos pereamus in futuro. Non ergo murmuremus, ne forte sicut illi perierunt in hac vita, nos pereamus in futura. Caveamus ab omni murmuratione, ne forte quod illi passi sunt in corporibus, nos patiamur in animabus.

*Murmuratio quam periculosa.*

114. Iterum Apostolus consulendo nobis loquitur, dicens: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.* Christum tentat, qui B pro cibo vel potu, sive pro vestimento murmurat; sicut scriptum est de eodem populo: *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.* Et iterum: *Et murmuraverunt in tabernaculis suis, & non exaudierunt vocem Domini.* Christum tentat, qui in monasterio superflua requirendo murmurat. Contra Christum facit, qui in monasterio plus quam oportet, requirit. In Christum peccat, qui in monasterio res terrenas & transitorias requirendo, præpositos suos scandalizat. *Et à serpentibus perierunt.* Quare à serpentibus perierunt, nisi quia serpens venenosus est, & omnis qui murmurat, venenum diaboli habet in lingua? Unde Jacobus Apostolus: *Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero.* Caven- C dum est ergo nobis à murmuratione, ne mortifero & diabolico veneno pereamus. Soror dilecta mihi in Christo, audi quid Dominus noster Jesus-Christus dicit in Evangelio: *Dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Ac si apertius dicat: Deus qui dedit vobis animam, dabit & escam; & qui dedit corpus, dabit vestimentum. Et adjecit: *Respicite volatilia cæli, quoniam non seminant, neque colligunt, neque congregant in horrea, neque in cellaria, & Deus pascit illa*: id est, si Deus gubernat aves quæ hodie sunt, & cras non erunt, quarum anima est mortalis: quanto magis dabit servis & ancillis suis cibum & vestimentum, quorum anima est immortalis, & quibus D regnum cælorum promittitur? Et iterum: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant neque nent*, id est, non texunt neque filant; & Deus sic vestit illa: quanto magis vestiet servos suos & ancillas suas? Non occidet Deus animas servorum suorum fame, aut siti, aut nuditate. Et adjecit: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Ac si diceret: Servite Domino in timore, cantate, & exsultate ei die ac nocte cum tremore, & ipse dabit vobis in hac vita & in futura omnia necessaria: *Inquirentes Dominum non minuentur omni bono.* Soror carissima, Deus qui te eduxit de domo patris tui, si in servitio ejus perseveraveris, dabit tibi in bono petitiones cordis tui, Amen.

*Ibidem. Psal. 77. Murmur, venenum. Jac. 3. Matth. 6. Psal. 33.*

E

## XLVIII. De proprio.

115. Soror carissima, peculiare quod habetur apud servos Dei, pro magno crimine numquam inveniatur in te. Omnia quæ in monasterio sunt, omnibus sunt communia: ergo si ancilla Dei aliquid habet absconsum vel proprium, quod à ceteris ancillis Dei ignoratur, furtum est, peccatum furti est. Quare? quia omnia habet in communi cum ceteris ancillis Dei, & quasi proprium sibi aliquid abscondit. Furtive aliquid habere non commune cum ceteris ancillis Dei, & quasi proprium sibi aliquid abscondere, hoc furtum est: hæc manifesta fraus est. Hoc grande peccatum est, hoc est iter inferni, per F hanc viam latrones descenderunt in infernum. Sic enim ait Paulus Apostolus: *Neque latrones, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Ancilla Dei quæ semetipsam separat à communione monasterii, aliquid quasi proprium abscondendo, consequens est, ut separetur à consortio cælestis vitæ. Multi ad communem societatem monasterii veniunt: sed, quod sine gravi gemitu dicere non possumus, non omnes in eo secundum Evangelium vivunt. In monasterio sunt sancti Apostoli Jesu-Christi: est etiam ibi Judas Scarioth traditor Domini. Est ibi Ananias cum sua uxore Sapphira. Est etiam ibi Giezi discipulus Elisæi. Qui

*Furti instar est in monasterio habere aliquid proprium. 1. Cor. 6.*

Qui itaque propter Deum omnia quæ habent in hoc mundo, ad imitationem Apostolorum derelinquunt causa solius æternæ vitæ, cum eisdem Apostolis lætabuntur & remunerabuntur in æterna beatitudine. Qui autem postquam ad conversionem monasterii venit, de rebus monasterii facere fraudem præsumit, Judas est, & pœnam Judæ sustinebit in inferno: quia de hoc quod commune est, facere fraudem præsumit, cum proprium facit. Qui ergo de sæculari vita ad servitium Dei convertuntur, si de his quæ in sæculo habuerunt, unam partem sibi reservant, alteram vero secum monasterio tradunt, cum Anania & Sapphira sententiam maledictionis merentur: qui autem de sæculo ad monasterium venit, si quod in domo sua habere non potuit, illud in monasterio habere B voluerit, vel requisierit, sine dubitatione lepra Giezi adhærebit ei: & lepram quam Giezi sustinuit in corpore, iste sustinebit in anima.

116. Honesta soror, sicut superius dixi tibi, magna est differentia inter eos qui in monasterio vivunt, ab illis qui in monasterio more Apostolorum vivunt. His qui ex his quæ in hoc sæculo habuerunt, vel habent in monasterio, nihil abscondunt, convenit illud Psalmistæ: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Deo spem meam.* Et illud: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Illis qui sicut Judas Scarioth proprium retinent, vel de rebus monasterii abscondunt, convenit illud: *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebant.* C Illis vero qui cum Anania & Sapphira ex his quæ in sæculo habuerunt, unam partem monasterio tradunt, alteram vero sibi in proprium retinent, convenit illud: *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Etiam illis qui sicut Giezi ea quæ non poterant habere in sæculo, requirunt in monasterio, convenit illud: *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua.* Tu ergo soror venerabilis, nihil celes, nihil abscondas, nihil apud te absconsum reponas, in abscondito nihil retineas, apud te nihil remaneat absconsum. Quicquid habes, habeto cum licentia: si quid habes, habeto cum D benedictione; sine licentia Abbatissæ vel Priorissæ nihil habeas, sine benedictione nihil accipias, sine licentia nil tribuas. Honesta virgo *jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.*

*XLIX. De oratione.*

117. Carissima soror, audi quæ dico. Ante tempus orare, est providentia. In tempore constituto orare, est obedientia. Tempus orandi præterire, est negligentia. Tanto crebrior debet esse oratio, quanto est utilior. Dominus dicit in Evangelio: *Omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis.* Et Paulus Apostolus: *Sine intermissione orate.* Et Jacobus: *Multum valet deprecatio* E *justi assidua.* Soror venerabilis, *ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* In oratione præpara te, & ostende conscientiam cordis tui, ut ampliorem gratiam consequaris à Deo tuo. Tunc veraciter oras, quando aliud in corde non cogitas. Citius ad precem judex flectitur, si peccator à pravitate sua corrigatur. Oratio cordis est, non labiorum. Melius est cum silentio cordis orare, quam solis verbis sine intentione mentis. Pura est oratio, quando in suo tempore superfluæ cogitationes non conturbant. Longe quippe est à Deo animus, qui in oratione cogitationibus sæculi est occupatus. Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare quisque possit quod postulat: nempe si adhuc homo F mala committit, aut si peccanti in se ex toto corde non dimittit. Mens nostra cælestis est: & tunc Deum in oratione bene contemplatur, quando nullis terrenis curis aut erroribus impeditur. Quando quisque orat, Spiritum sanctum ad se vocat: sed postquam venerit, confestim omnia tentamenta dæmoniorum, quæ se mentibus hominum immergunt, præsentiam ejus ferre non sustinentes effugiunt. Qui læditur, non desistat orare pro se lædentibus. Alioquin juxta Domini sententiam peccat, qui pro inimicis suis non orat. Sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc in eo est ferrum: ità nihil proficit oratio illius, qui odium habet in corde. Culpabiliter expandit manus ad Deum, qui facta sua orando jactanter manifestat, sicut Pharisæus in templo jactanter orabat, & *Luc. 8.* magis laudabat semetipsum de bonis operibus, quam Deum.

118. Soror dilecta, ora cum lacrymis indesinenter. Ora *Oratio frequens commendatur.* jugiter, precare Deum diebus ac noctibus. Oratio sit sine cessatione, oratio sit frequens, orationis sint arma assidua, oratio de ore tuo non cadat, insiste orationi, frequenter incumbe orationi. Geme semper & plange: surge in nocte ad precem: vigila & ora, pernocta in oratione & prece, incumbe nocturnis vigiliis. Ad modicum clausis oculis, rursus ora. Oratio frequens diaboli jacula submovet. Oratio quotidiana diaboli tela exsuperat. Oratio est prima virtus adversus tentationum incursus: oratio super tentamenta inimicorum: vincit dæmones, superat immundos spiritus. Per orationem vincuntur dæmonia: oratio dæmoniis omnibus malis prævalet. Honesta virgo sit oratio tua pura. Moneo te carissima, ut ores pro bonis hominibus, ut in bonis perseverent. Rogo etiam te, ut ores pro malis hominibus, ut de malo ad bonum convertantur. Ora pro amicis tuis, ora & pro tuis inimicis. Ora etiam pro omnibus fidelibus vivis & *Psal. 140.* defunctis. Dirigatur oratio tua sicut incensum in conspectu Dei.

*L. De lectione.*

119. Per orationem mundamur à peccatis; per lectio- *Orationis & lectionis necessitas & utilitas.* nem docemur quid faciamus. Utrumque bonum est, si licet. Si vero non licet, melius est orare, quam legere. nam cum oramus, cum Deo loquimur: cum legimus, Deus nobiscum loquitur. Soror carissima, si vis cum Deo semper esse, semper ora, & semper lege. Valde nobis est necessaria lectio divina. Nam per lectionem discimus quid facere, quid cavere, quo tendere debeamus. Unde dicitur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lu-* *Psal. 1.* *men semitis mei.* Per lectionem sensus & intellectus augentur. Lectio nos ad orationem instruit & ad operationem, lectio nos informat ad activam & contemplativam vitam. ideo dicitur in Psalmis: *Beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte.* Lectio & oratio sunt arma, quibus diabolus expugnatur: hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur. Per orationem & lectionem vitia destruuntur, & virtutes in anima nutriuntur. Ancilla Dei semper debet orare, & legere. Unde legitur in Psalmis: *Tunc non confundar, cum perspexero in mandatis tuis.* Igitur dilecta mihi soror in Christo, insiste orationi frequenter, persevera in meditatione Scripturarum, in lege Dei esto assidua, habeto studium in divinis legibus, usus legendi sit tibi frequens, lectio sit tibi quotidiana legis meditatio. Lectio demit errorem vitæ, subtrahit hominem à vanitate mundi. Per lectionem sensus & intellectus crescunt: lectio enim docet quid facias, discernit quid caveas, ostendit quo tendas. Multum proficis cum legis, tamen si facias ea quæ legis. Soror venerabilis, adaperiat Deus cor tuum in lege sua, & in præceptis suis.

*LI. De Operatione.*

120. Jeremias Propheta dicit: *Levemus corda nostra cum* *Thren. 3.* *manibus ad Deum.* Qui orat & laborat, cor levat ad Deum cum manibus. Qui vero orat, & non laborat, cor *Operatio sit orationis & lectionis comes.* levat ad Deum, & non manus. Qui autem laborat, & non orat, manus levat ad Deum, & non cor. Igitur, Soror carissima, necesse est nobis cor in oratione ad Deum levare, & manus cum operatione ad Deum extendere. Quare? Ne de negligentia mandatorum reprehendamur, dum salutem quærimus obtinere sola oratione, aut sola operatione. Unde Paulus Apostolus: *Qui non laborat, non* *2. Thess. 3.* *manducet.* Ancilla Christi debet semper orare, legere, & operari, ne forte spiritus fornicationis decipiat otiosam mentem. Delectatio carnis per laborem vinci- *Diei partitio.* tur. Soror carissima, divide tibi spatium diei in tres partes: in prima ora, in secunda lege, in tertia parte labora. Rex Salomon per otium semetipsum involvit in multis

fornicationibus, & per cupiditatem fornicationis adoravit idola. Soror venerabilis, hæc tria sunt tibi necessaria valde, scilicet oratio, lectio, & operatio. Oratione mundamur, lectione instruimur, operatione beatificamur, sicut dicit Spiritus-sanctus in Psalmo: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Si aliquando à lectione cessaveris, operari debes, ut numquam sis otiosa, quia otium inimicum est animæ. Diabolus cito decipit eum, quem otiosum invenit: diabolus quotidie in claustra intrat, & si aliquem invenit otiosum, statim accusat. O sponsa Christi, vide ne cum diabolus claustra intraverit, & uniuscujusque facta scrutatus fuerit, aliquid inveniat unde te accusare possit. Hac de causa moneo Soror mihi in Christo dilecta, ut per amorem Jesu-Christi numquam sis otiosa.

Psal. 127.

121. Rogo ut amorem Christi ostendas sociabus tuis non solum verbis, sed & operibus bonis. Tunc vere Deum diligis, si pro amore illius bona quæ potes operaris. Unaquæque sancta anima debet in se monstrare amorem Dei & verbis sanctis, & actionibus. Unde in Canticis canticorum sponsus, scilicet Christus, sponsam, id est, sanctam animam ornat, dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum.* In corde sunt cogitationes, & in brachiis operationes. Ergo super cor & super brachium sponsæ dilectus in signaculum ponitur, quia in sancta anima quantum ab ea diligatur, & voluntate & actione designatur, quia amor Dei numquam est otiosus. Si vero est amor, magna operatur: si vero non operatur, non est amor. Rogo igitur te venerabilis virgo, ut Deum perfecte diligas, & ut pro amore illius numquam otiosa sedeas. Si vere Deum diligis, nulla hora otiosa eris: si Deum in veritate amas, pro amore illius otium recusas: si ex toto corde diligis Deum, omni tempore contemnis otium. Qui Deum tota mente diligit, propter Deum otium postponit. Regnum Dei non dabitur otiosis, sed in servitio Dei studiosis: regnum Dei non dabitur vagantibus, sed pro Deo digne laborantibus: qui in bonis operibus sunt pigri & tepidi, non habebunt locum in regno Dei. Luxuria cito decipit homines otio deditos, luxuria cito decipit hominem otiosum & vagantem, luxuria gravius urit quem otiosum invenit. Libido cedit rebus, luxuria cedit operibus, luxuria cedit industriæ & labori; homo per laborem sæpe vincit libidinem: corpus enim labore fatigatum minus delectatur flagitio. Quapropter amabilis in Christo Soror, præcave otium, non diligas otium, fatiga corpus labore, exerce opus bonum, quære tibi opus utile, quo animi implicetur intentio. Opus bonum & intentio tua semper sit in Deo. Amen.

Verus amans numquam est otiosus.

Cant. 8.

Libido otiosis infesta.

## LII. De Psalmis & Hymnis.

122. SOror carissima, cum in conspectu Dei cantas psalmos & hymnos, hoc tracta in mente tua, quod cantas in voce. Mens tua cum voce concordet, concordet cum lingua: non aliud cogites, & aliud cantes. Si aliud cantes in mente, & aliud cantes in voce, perdis fructum laboris tui. Si corpus tuum stat in ecclesia, & foris vagatur mens tua, perdis mercedem tuam. Unde dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Sicut enim ait Apostolus: *Psallam spiritu, psallam & mente.* Cantabo ore, & corde. Bonum est ergo semper orare Deum mente. Bonum est etiam cum sono vocis & hymnis & psalmis, & canticis spiritualibus glorificare Deum. Sicut orationibus juvamur, ita psalmorum modulationibus delectamur. Usus cantandi consolatur tristia corda. Cantus in ecclesia mentes hominum lætificat, fastidiosos oblectat, pigros sollicitat, peccatores ad lamenta invitat: nam quamvis dura sint corda sæcularium hominum, statim ut dulcedinem psalmorum audierint, ad amorem pietatis convertuntur. Sunt multi qui suavitate psalmorum compuncti peccata sua lugent. Oratio tantummodo in hac vita effunditur in remissionem peccatorum, psalmorum autem decantatio significat perpetuam laude n Dei in æterna gaudia, sicut scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Quicumque fideliter & intenta mente psalmos decantat, quodammodo Angelis Dei sociatur.

Attentio.

Matth. 15.

1. Cor. 14.

Cantus ecclesiastici effectus & utilitas.

Psal. 83.

Quomodo? Quia homo illum pro modulo suo laudat in terris, quem Angeli sine intermissione adorant & glorificant in cælis. Psalmorum decantatio aliquando commovet nos ad lacrymas, aliquando invitat nos ad orationem.

123. Psalmi faciunt nobis gratas esse vigilias noctis, dicentes: *Exsultate justi in Domino, rectos decet collaudatio.* Psalmi pronuntiant nobis horam diei primam cum exsultatione lucis, dicendo: *Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me.* Psalmi consecrant nobis horam diei tertiam cum dicunt: *Et veniat super nos misericordia tua Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.* Psalmi nos lætificant hora diei sexta in panis confractione. Psalmi ad horam diei nonam jejunia resolvunt, & nos satiant dulcedine ac suavitate spirituali. Psalmi nos Deo commendant hora diei vespertina, dicendo: *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Psalmi nos admonent ut benedicamus Domino ad completorium dicentes: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini.* Soror mihi in Christo dilecta, firmiter retine in tua memoria quod in auribus Dei bene sonat cum sancta anima. Per dilectionem, & amorem, ac devotionem, psalmos, hymnos, & cantica spiritualia Deo canta. Unde sponsus, scilicet Christus, in Canticis canticorum sponsam, id est, Ecclesiam vel sanctam animam, admonet, dicens: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis, & facies tua decora.* Tu, inquit, dilecta mea, quæ jaces in lectulo dulcissimæ contemplationis, in qua mihi in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus atque orationibus placere desideras, veni & ostende mihi faciem tuam, id est, egredere à secreto cordis, & aliis pulcritudinem bonorum operum tuorum ad exemplum demonstra; ut cum illi viderint opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. *Sonet vox tua in auribus meis.* Vox scilicet prædicationis, vox divinæ laudis, vox jubilationis, quæ alios ad laudem & gloriam meam proficere faciat. Cantus psalmorum oblectat aures audientium, & instruit animas fidelium ad bene vivendum. Vox cantantium sit una, & cum Angelis Dei, quos videre non possumus, verba laudis misceamus.

Psal. 3[illegible]

Psal. 5[illegible]

Psal. [illegible]

Psal. 1[illegible]

Psal. 1[illegible]

Cant. 2.

Matth.

124. Servi Dei semper debent laudare nomen Dei, quod & aquæ superiores insinuant, de quibus dicitur: *Benedicite aquæ omnes quæ super cælos sunt Domino*, quia electi non tacebunt in perpetuum laudare nomen Domini. De aquis vero inferioribus dictum est: *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum unum*, quia reprobi per totum mundum modo dispersi congregabuntur in infernum cruciandi. Sine intermissione fideles debent referre laudes Deo, quia Deus delectatur in illis. Quod enim Deus delectetur in laudibus fidelium, testatur sponsus, scilicet Christus, qui in Canticis canticorum sponsæ, id est, sanctæ animæ loquitur, dicens: *Quæ habitas in hortis.* In hortis habitat Ecclesia, vel quælibet sancta anima, quæ jam viriditate & spe bonorum operum est repleta. Quæ ergo jam in hortis habitat, oportet ut sponsum suum vocem suam audire faciat, id est, cantum bonæ prædicationis, vel sanctæ jubilationis: vel vocem divinæ laudis emittat, in qua ille delectetur, quam desiderat, quam amici auscultant, videlicet omnes electi, qui verba vitæ, scilicet lectiones, psalmos, hymnos, & cantica spiritualia audire desiderant, ut ad cælestem patriam reviviscant. Igitur Soror reverendissima, sicut jam superius dixi, valde necessarium est tibi, ut in omni vita tua laudes omnipotentem Deum creatorem tuum, quoniam inde promittitur tibi venia, unde eum laudes. Lauda ergo eum in corde, lauda eum in voce, lauda eum in voce jubilationis, lauda etiam eum in secreto contemplationis, lauda eum in cubiculo mentis, in jubilatione vocis. Quamvis enim ad laudandum Deum peccatores & indigni simus, tamen cessare à laudibus non debemus, quia inde consequi veniam peccatorum credimus, unde Deum laudamus. Unde vox divina in Psalmis: *Sacrificium laudis honorificabit me*, inquit, *& illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Ac si apertius diceret: In Psalmis

Psal. [illegible]

Gen. [illegible]

Cant. 8

Psal. 4[illegible]

est iter laudis, quo ad æternam laudem pervenire possis. Sed si ego illud tibi non ostendero, illud invenire non poteris. Propterea carissima, quia iter nostræ salutis in manibus est Creatoris, moneo te ut laus Dei numquam discedat ab ore tuo. Soror mihi in Christo amantissima, Deus est laus tua, ergo & tu laus illius esto, ita ut semper sit laus illius in ore. Amen.

### LIII. *De activa & contemplativa vita.*

125. Vidit Jacob scalam stantem super terram, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & cacumen illius cælos tangebat. In hac scala sunt positi omnes ad vitam æternam prædestinati: & omnis qui spectat ad regnum cælorum, in hac scala habet locum. Scala ista generalis est Ecclesia, quæ ex parte adhuc militat in terris, & ex parte jam regnat in cælis. In hac scala sunt tres ordines hominum, scilicet sæculares, activi, & contemplativi. Sæculares sunt in minori gradu. Activi sunt in altiori loco. Contemplativi vero sunt in summo. Et de istis tribus ordinibus hominum quidam sunt in mola, quidam sunt in agro, quidam vero sunt in lecto. Mola est vita sæcularis. Ager est animus hominis sæculi. In agro sunt prædicatores verbi Dei. In lecto est amor sponsi, scilicet Christi. Qui sunt in mola, terram circumeunt, qui terrena quærunt & diligunt. Qui sunt in agro, terram colunt, qui seminant verbum Dei in auribus hominum. In lecto sunt qui despiciunt & contemnunt. Ad pedes hujus scalæ sunt homines sæculi. In medio scalæ sunt activi: in summitate hujus scalæ sunt contemplativi, jam quasi in cælo positi, quia cælestia cogitant. Isti sunt Angeli Dei per scalam ascendentes, quia ascendunt per contemplationem ad Deum, & descendunt per compassionem ad proximum. Activa vita innocentia est bonorum operum: contemplativa vita est speculatio supernorum. Activa vita communis est multorum, contemplativa vero paucorum. Activa vita terrenis rebus bene utitur: contemplativa vero sæculo renuntians, soli Deo vivere delectatur.

126. *Interrogatio.* Frater dilecte, rogo ut ostendas mihi differentias activæ & contemplativæ vitæ. *Resp.* Soror carissima inter activam & contemplativam vitam maxima est differentia. Activa vita est panem esurienti dare, verbum sapientiæ proximos docere, errantem corrigere, ad viam humilitatis superbientem reducere, discordantes ad concordiam revocare, infirmos visitare, mortuos sepelire, captivos & in carcere positos redimere, quæ singulis quibuscumque expediat dispensare, necessaria unicuique providere. Soror mihi in Christo dilecta, ecce audisti opera activæ vitæ: nunc, si placet, audi virtutes vitæ contemplativæ. Contemplativa vita est caritatem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione requiescere, soli desiderio Conditoris inhærere: ita ut jam nihil agere libeat, sed despectis omnibus curis sæculi, ad videndum faciem sui Creatoris animus inardescat: ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mærore portare, totisque desideriis optare hymnidicis Angelorum choris interesse, appetere admisceri cælestibus civibus, de æterna incorruptione in conspectu Dei gaudere. Venerabilis soror, audisti activam vitam, audisti etiam contemplativam: nunc rogo, ut cum Maria Magdalena eligas meliorem partem, scilicet vitam contemplativam. Bona est vita activa, sed multo est melior contemplativa. Qui prius in hac vita proficit, ad contemplativam bene conscendit. Quicumque adhuc temporalem gloriam, aut carnalem affectat concupiscentiam, à contemplatione prohibetur. Exemplum enim activæ vitæ & contemplativæ de Jacob accipe, qui dum adamaret Rachelem, quæ significat contemplativam vitam, data est ei Lia, quæ significat activam vitam. Activa vita in laboribus hujus mundi Deo servit, dum pauperes pascit, recipit, potat & vestit, visitat & consolatur, sepelit, & cetera opera misericordiæ eis impendit. Et tamen Lia est fœcunda in filiis, quia multi sunt activi, & pauci contemplativi. Rachel vero ovis vel videns principium interpretatur: quia contemplativi simplices & innocentes sunt sicut oves, & ab omni tumultu sæculi alieni: ut soli divinæ contemplationi adhærentes videant illum qui ait: *Ego sum principium, qui & loquor vobis.* Johann. 8.

127. Rachel duos filios habet, quia duo sunt genera contemplativorum. Alii namque vivunt in commune in monasteriis, alii vero sunt solitarii, & ab omnibus separati. Sed beatior & perfectior contemplativa vita, quam activa. Sicut aquila defigit oculos in radios solis, nec deflectit, nisi quando vult corpus suum reficere cibis; ita & sancti aliquando à contemplatione ad activam vitam revertuntur; considerantes illa sublimia sic esse utilia, ut tamen ista humilia paululum nostræ indigentiæ sint necessaria. Unde in Canticis canticorum sponsus, scilicet Christus, sponsam, id est, sanctam animam contemplationi deditam hortatur, dicens: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* ac si apertius diceret: Surge, propera amica mea per dilectionem & fidem: columba mea per innocentiam & simplicitatem: formosa mea per virtutem & castitatem; surge de illo dulcissimo stratu tuo, hoc est de quiete contemplationis, in qua mihi soli complacere desideras in psalmis, hymnis, orationibus & canticis spiritualibus: festina ergo, & veni, id est egredere ad utilitatem proximorum: ut illos etiam per officium prædicationis, & per exempla bonorum operum imitatores tui facias, & ad salutem animarum suarum perducas. Visio animalium in Ezechiele, quæ ibant & non revertebantur, pertinet ad perseverantiam activæ vitæ. Et iterum animalia quæ ibant & revertebantur, pertinent ad mensuram contemplativæ vitæ, in qua dum quisque intenderit, sua reverberatus infirmitate statim descendit; atque iterum renovata mentis acie, ad ea unde descenderat rursus ascendit. quod fieri in activa vita non potest: de qua si quisquam vel ad modicum descenderit, statim inquinationibus vitiorum involvitur.

Gen. 35. — Cant. 2. — Ezech. 10.

128. Sæpe mens de terra ad cælum erigitur, & iterum gravata infirmitate carnis, de cælo ad terram descendit. Multos sæculares homines visitat Deus, & per suam gratiam elevat ad altitudinem contemplationis: & multos contemplativos justo atque occulto judicio suo Deus in terrenis actibus lapsos derelinquit. Sicut sepultus in monumento cessat ab omni terreno negotio, ita homo contemplativus cessat ab omni terreno opere vel ministerio: & sicut homines ab activa vita ascendentes sepeliuntur in quiete contemplationis; ita à sæculari vita recedentes activa vita suscipit in se quasi sepeliendos. Ac per hoc sicut activa vita est sepulcrum sæcularis vitæ, ita contemplativa vita est monumentum activæ vitæ. Viri sancti sicut aliquando egrediuntur à secreto contemplationis ad activam vitam, ita rursus ab activa vita revertuntur ad secretum intimæ contemplationis: ut intus Deum laudent, ubi acceperunt unde foris ad ejus gloriam operentur. Sicut Deus vult ut aliquando contemplativi egrediantur ad activam vitam, ut aliis proficiant: ita aliquando vult, ut nemo eos inquietet, sed ut quiescant in secreto contemplationis suavissimæ: quod bene in Canticis canticorum sponsus insinuat, cum filias Jerusalem ne sponsam evigilare faciant adjurat, dicens: *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Hoc est, ne suscitetis neque evigilare faciatis animam divinæ contemplationi deditam, orationibus & lectionibus divinis occupatam; & ne eam ad exteriora opera inquietare velitis, donec ipsa velit: hoc est, donec expleto contemplationis tempore, admonente corporis fragilitate, velit ipsa suscitari à somno internæ quietis, & intimæ dulcedinis.

Cant. 2. — Contemplantis quies non interpellanda.

129. Sed tamen in hac mortali vita nemo potest perfecte contemplari Deum. Unde Johannes in Apocalypsi dicit: *Factum est silentium in cælo quasi media hora.* Cælum quippe est anima justi, sicut Dominus per Prophetam dicit: *Cælum mihi sedes est.* Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo, id est, in anima: quia strepitus terrenarum rerum atque operationum cessat in cogitatione. Sed quia contemplativa vita in hoc mundo non potest esse perfecta, nequaquam hora

Apoc. 8. — Isa. 66.

integra factum silentium dicitur in cælo; sed quasi media hora. Qui perfecte vitam contemplativam vult tenere, debet ab omni terreno opere cessare. Unde in eisdem Canticis sponsa de se dicit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* ac si aperte mens sancta loqueretur dicens: Dum à mundanis tumultibus exterius dormio, in interiori cogitatione quæ sunt cælestia atque spiritualia penso. Etiam arca Noë, quæ bicamerata dicitur, significat activos & contemplativos, quorum activi deorsum stant, contemplativi vero stant sursum. Quod etiam arca dicitur tricamerata, significat tres ordines in sancta Ecclesia, scilicet conjugatorum, continentium, atque virginum. De hac contemplativa vita dicit Dominus in Evangelio: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.* Et de Maria Magdalena ait: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Vita contemplativa non auferetur in hoc sæculo, neque in futuro. Activa vita auferetur ab homine in futuro sæculo, activa vita in hoc sæculo habet finem: contemplativa vero non, quia semper perseverat. Activa vita in hoc sæculo deficiet, contemplativa vero in hoc sæculo incipit, sed in cælo perficitur. Honesta virgo moneo te, ut propter Deum despicias præsens sæculum, propter Deum ab omnibus curis sæculi te suspende. Sine impedimento sæculi Deo servire stude. Nulla cura sæculi subtrahat te à timore Dei. Nulla sollicitudo rerum te subtrahat ab intentione Dei: abjice à te quicquid potest impedire bonum propositum. Toto animo odi & damna quod diligit mundus, esto mortua mundo, & mundus tibi: tamquam mortua ab amore præsentis vitæ te separa, tamquam mortua mundi gloriam non concupiscas. Soror mihi amabilis in Christo, sicut sepulta in monumento, non habeas curam de sæculo: tamquam defuncta in sepulcro, ab omni terreno te priva negotio. Soror mihi in Christo amabilis, contemne vivens, quæ post mortem habere non poteris. Si hæc ita feceris, post mortem tuam vitam æternam habebis.

Cant. 5. — Gen. 6. — Matt. 19. — Luc. 10. — Activa deficiet, non contemplativa.

## LIV. De curiositate.

130. Soror carissima moneo te, ut de die in diem studeas proficere in bonis operibus, & ut non consideres mala quæ alii faciunt, sed considera bona quæ tu facere debes. Unde quidam sapiens ait: *In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter.* Non est tibi necesse ea cognoscere quæ ab humanis sensibus sunt remota. Dignum est valde ut mentes hominum desinat judicare, qui aliena corda nescit perfecte cognoscere. Quare? quia incerta nos judicamus, *quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Dignum est etiam ut desinat peccare, qui alienam vitam vult reprehendere. Stulti homines dum alienos errores volunt reprehendere, demonstrant suos. Tamdiu homo ignorat peccata sua quæ debuerat flere & cognoscere, quamdiu aliena vitia exquirit curiose: sed cum homo ad semetipsum revertitur, & sese bene considerat, non exquirit quod in aliis reprehendat, quia in semetipso multa reperit quæ lugeat. Qui semetipsum bene considerat, in semetipso invenit multa quæ plangat. Unde beatus Gregorius: Nos tanto minus debemus aliena corda reprehendere, quanto scimus visu nostro non posse alienæ cogitationis tenebras illustrare. Etiam beatus Isidorus ait: Facilius reprehendimus vitia uniuscujusque hominis, quam virtutes intendimus: nec quid boni quisque fecerit agnoscere cupimus, sed quid male egerit perscrutamur.

Eccli. 3. — 1. Cor. 4. — Sibi intentus alios non scrutatur.

131. Igitur soror mihi in Christo dilecta, moneo te, ut amplius reprehendas tua vitia quam aliena. Prius vide tua propria quam aliena delicta. De tua correctione esto sollicita; de tua salute esto attenta; de tua emendatione esto provida: quod ad te non pertinet, noli quærere: numquam desideres cognoscere, quod inter se loquuntur homines. Noli quærere quid quisque dicat vel faciat. Cave curiositatem, omitte curas alienæ vitæ: nulla curiositas animum tuum decipiat, nulla concupiscentia detestandæ curiositatis te subrepat, ne tu oblita tuorum morum alienos perquiras. Christi sponsa, tanta cura corrige tua vitia, quanto studio reprehendis aliena: nulla tibi sit cura sciendi latentia. Cave inquirere ea quæ non debes scire: prætermitte quasi secretum quod Scripturæ sanctæ auctoritate non didicisti: nihil ultra quæras quam scriptum est: nihil amplius perquiras quam divinæ litteræ demonstrant. Scire numquam desideres quod scire non debes. Soror venerabilis, scito pro certo quia curiositas periculosa præsumptio est; curiositas damnosa peritia est, ad hæresim provocat, in fabulas sacrilegas præcipitat mentem, in causis obscuris reddit audaces, in rebus ignaris facit homines præcipites. Soror amantissima, cum omni studio vitam tuam emenda, ut post hanc vitam merearis pervenire ad æterna gaudia. Amen.

Curiositas sciendi fugienda.

## LV. De vigilantia.

132. Dilecta soror, audi Dominum Jesum-Christum in Evangelio dicentem: *Vigilate, quia nescitis quando Dominus venturus est.* Et iterum: *Omnibus dico, vigilate.* Et Petrus Apostolus: *Estote prudentes, & vigilate in orationibus. Cum homines dixerint, Pax est, & securitas; tunc repentinus veniet super eos interitus.* Et Salomon ait: *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* Quare? quia omnia in futurum reservantur incerta. Soror in Christo dilecta, ideo Dominus celavit nobis tempus sui adventus, ut nos longa exspectatione incerti, semper credamus judicem verum esse venturum, quia quando venturus sit, ignoramus. Verba sunt beati Gregorii: Lætitia præsentis vitæ ita est agenda, ut amaritudo sequentis judicii numquam recedat à memoria. Sæpe diabolus decipit hominem ad peccandum, & cum de ruina conspicit eum afflictum, iterum per securitatem decipit eum. Igitur soror dilecta mihi in Christo, semper necesse est, ut cum bona agimus, mala quæ fecimus, ad memoriam reducamus: ut dum culpam certe cognoscimus, numquam de bono opere incauti lætemur. Ideo Dominus voluit nobis horam ultimam esse incognitam, ut semper simus suspensi: ut dum illam videre non possumus, quotidie nos ad illam præparemus. Etiam in hac vita ne simus securi, beatus Isidorus nos admonet, dicens: Neque justus de sua justitia confidat, neque peccator de misericordia Dei desperet quicquam, sed pariter habeant in corde spem & metum: sic speret Dei misericordiam, ut semper timeat ejus justitiam. Quamvis conversatio sanctorum sit probabilis, tamen incertum est hominibus ad quem finem sunt destinati. Ideo numquam homo debet esse sine metu, quia satisfactio pœnitentiæ divino tantum judicio pensatur, non humano. Unde ait Cæsarius: quanto sumus securi de præteritis, tanto debemus esse solliciti de futuris. Venerabilis soror firmiter tene, quia omnis vita sapientis hominis meditatio est mortis.

Matt. 24. — Mar. 13. — 1. Pet. 4. — 1. Thess. — Eccli. 9. — Cur hora mortis incerta. — Nulla hic securitas.

133. Igitur soror in Christo mihi amabilis, si omni hora ad Deum vigilaveris, sapiens eris. Si quotidie mentem tuam ad Deum levaveris, & diem mortis tuæ ad memoriam reduxeris, beata eris, secundum illud quod quidam sapiens ait: *Beatus homo qui semper est pavidus.* Hac de causa moneo virgo honesta, ut semper sis pavida, semperque suspensa: semper esto sollicita, & contra diaboli tentationes astuta: semper vigila, & contra antiquum hostem incessanter pugna: diebus ac noctibus ora cum omni vigilantia, & contra insidias diaboli viriliter dimica: in omni vita tua esto provida, & contra versutias inimici, & cum omni sollicitudine decerta. Etiam audi honesta virgo, ea quæ Jesus-Christus sponsus tuus dicit in Evangelio: *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem.* Ergo si ad eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum vigilaveris tota mente, inter beatos computaberis in æterna beatitudine. Beata eris, si cum omni devotione oculos mentis ad verum lumen quod Deus est levaveris. Vere beata eris, si ad Deum cum omni instantia vigilaveris, quia promisit Deus coronam vigilantibus. Unde in Canticis canticorum de oculis sponsi dicitur: *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.* Oculi sponsi, sancti viri sunt, qui sicut columbæ

Prov. 28. — Luc. 12. — Cant. 5.

in simplicitate vivunt, & aliis suis prædicationibus atque A exemplis viam salutis ostendunt. Super rivulos aquarum esse perhibentur, quia semper in refectione sanctarum Scripturarum conversantur: qui lacte sunt loti, quia per gratiam Dei in baptismo à peccatis suis sunt mundati. Quid per fluenta plenissima juxta quæ sedent intelligimus, nisi sacræ Scripturæ profunda & arcana dicta, quibus nos reficimus, dum ea legendo vel audiendo haurimus? Nam sicut juxta fluenta aquarum columbæ residere solent, ut umbram volantium desuper avium in aqua videant, & per eam irruentium in se ungues rapaces effugiant: sic sancti viri in Scriptura sancta fraudes dæmonum prospiciunt, & ex descriptione quam vident, quasi ex umbra inimicum cognoscunt, & ejus deceptio- B nes fugiunt. Sic & tu Soror honestissima, in meditationibus sanctarum Scripturarum esto assidua, quia in eis poteris cognoscere qualiter hostium insidias valeas declinare. Honesta virgo, iterum te moneo, ut te consiliis sanctæ Scripturæ ex toto committas, videlicet ut nihil aliud facias, nisi quod ex responso Scripturarum audieris, quia ibi invenies, qualiter fraudes dæmonum fugias. Moneo etiam te, ut metu rapacium avium, id est, dæmonum, super fluenta sanctarum Scripturarum sedeas, ne tu improvisa (quod absit) inimicis tuis præda fias. Rogo ut super rivulos sanctarum Scripturarum indesinenter vigiles, & ut cum summo studio deceptiones inimico- C rum vites.

134. Heu insipientes quare non cognoscimus vel intelligimus, quia in conspectu Domini cogitationes nostræ antequam ad actum procedant, manifestæ sunt & apertæ? Dicit enim Psalmista: *Scrutans corda & renes Deus.* Igitur, soror amantissima, cogitemus nos in conspectu Dei semper adstare, & cognoscamus quia terra & cinis sumus. Ecce Deus noster terribilis, retribuens unicuique secundum opera sua, in proximo est, non tardabit: ipse veniet, & salvos nos faciet. Vigilemus ergo cum omni perseverantia & devotione, ut cum venerit & pulsaverit, non inveniat nos dormientes, sed vigilantes in suis laudibus, & in suo amore atque in suo sancto servitio. Curramus ergo dum lucem habemus, ne tenebræ nos D comprehendant. Sic enim ait Sapientia Dei in Proverbiis: *Beatus qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Virgo Christi ideo te moneo, ut cum omni studio vigiles ad Deum, ut in die necessitatis tuæ possis eum habere propitium. Igitur, honesta virgo, nullus casus te inveniat imparatam, nullus sit casus quem non præveniat meditatio tua, propone ante oculos tuos nihil esse quod accidere non possit. Commemorare semper futuras miserias, in prosperis meditare, quo pacto adversaberis. Semper cogita in mente ne aliquid contrarii accidat. Sapientis hominis est prævidere jacturam periculi. Omnia meditata leviori even- E tu accidunt. Exspectata mala tolerabiliter feruntur; prospecta res admittitur, cum acciderit. Advenientes impetus præmeditatio frangit; præcogitatio attenuat futuras molestias, prævisio lenit adventum malorum, inopinatum malum fortiter ferit. Gravia sunt quæ cogitata non fuerant. Acerba exsistunt, in quibus improvisi incurrimus. Improvisa mala graviter feriunt. Repentinum malum cito frangit: quod provisum non est, vehementer affligit. Subita maris tempestas terrorem suscitat. Improvisus hostis male perturbat, omnia repentina graviora sunt; quæ repente accidunt, gravius occurrunt. Igitur, Soror mihi in Christo dilectissima, & ad bona, & mala cor tuum præpara. *In die bonorum ne immemor sis* F *malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum.* Esto pervigil sensu, ne vanis cogitationibus polluaris. Ama scientiam Scripturarum, & contemne vitia carnis. Soror carissima, si ex toto corde tuo ad Deum vigilaveris, & ei in omni vita tua cum omni devotione servieris, absque ulla dubitatione cum eo in cælesti curia regnabis. Amen.

## *LVI. De Prudentia.*

135. SOror carissima, audi Dominum Jesum-Christum in Evangelio dicentem: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Et Salomon ait: *Simplicitas justorum diriget eos, & supplantatio perversorum vastabit illos: via simplicis via Domini, & pavor his qui operantur malum. Justitia simplicis diriget animam ejus, & in impietate sua corruet impius. Innocens credit omni verbo. Qui autem decipit justos in via mala, in interitu suo corruet, & simplices possidebunt bona ejus. Viri sanguinum oderunt hominem simplicem, justi autem quærunt salutem illius.* Sancta rusticitas sibi soli prodest, & B quantum ædificat Ecclesia Christi merito vitæ, tantum destruit, si his qui veritatem destruunt non resistit. Et beatus Hieronymus ait: In servis & in ancillis Dei non est quærendus cultus corporis, sed simplicitas mentis. Nec simplex, nec rusticus ideo secundum se existimet sanctitatem in sua lingua, sed tantummodo in pura & simplici conscientia. Ex duobus imperfectis multo est melius habere rusticitatem sanctam, quàm eloquentiam peccatricem. Magis veneranda est sancta rusticitas, quàm verbosa loquacitas. Soror in Christo dilecta, si nostra intentio est simplex apud Deum, in judicio ejus nostra operatio tenebrosa non erit. Qui casti esse per justitiam nesciunt, nequaquam esse innocentes per simplicitatem C possunt. Sanctorum electorum Ecclesia vias rectitudinis & simplicitatis suæ timore inchoat, sed caritate consummat. Deus enim non solum verborum, sed & cordis inspector est, & diligit eos qui in simplicitate cordis serviunt ei. Unde sponsus in Canticis canticorum loquitur, dicens: *Una est columba mea, perfecta mea: una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Mater nostra est regeneratrix gratia Dei, apud quam una columba eligitur: quia illos solos colligit, qui in simplicitate permanent, & ab unitate non dividuntur. Multi quippe fideles dum ad ipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum & animam unam se in caritate conjungunt, ex multis membris unum corpus efficiunt, D in quo omnes in simplicitate unitatis viventes una columba exsistunt. Ea quæ apud homines despecta sunt, & in contemptu habentur, in magna gloria sunt apud Deum.

Matth. 10. | Prov. 11. | Prov. 10. | Prov. 11. | Prov. 14. | Prov. 28. | Prov. 29. | Rusticitas sancta melior quàm vana loquacitas. | Simplex intentio. | Cant. 6.

136. Igitur, venerabilis soror, omnipotentem Deum deprecemur, ut mittat nobis Spiritum-sanctum de cælis, qui nobis faciat habere simplicitatem columbæ, & prudentiam serpentis, ut simus in malitia simplices, & in bonis operibus prudentes. Serpens enim astutum est animal, ut de aspide legitur, quæ videns incantatorem venientem, affigit aurem unam terræ, & aliam cauda obturat, ne incantatoris vocem audiat. Unde Propheta de his qui crudeles & prudentes sunt in malo, dicit: *Fu-* E *ror illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, ut non exaudiat vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Imitare ergo, & tu soror amabilis, hunc serpentem in hac parte, videlicet ut aures tuas claudas, ne mala verba audias. Honesta virgo, deprecare Deum, & oleum peccatoris non impinguet caput tuum. Oleum peccatoris, laus est adulatoris. Serpens obturat aurem suam ne audiat incantatorem: & tu claude aurem similiter, ut non audias detrahentem. Prudens est aspis ne verbum mortis audiat, ut moriatur: ergo & tu esto prudens, ne verba mala per aures tuas intrent ad animam tuam, & moriaris. Igitur, sponsa Christi, nec prudentia serpentis sine simplicitate F columbæ, nec simplicitas columbæ sine prudentia serpentis debet esse in te: quatenus columbæ simplicitatem astutia serpentis ut mala caveat, sollicitet, & prudentiam serpentis simplicitas columbæ ut bona faciat, temperet.

Psal. 57. | Aures adulationi & detractioni claudendæ. | Psal. 140.

137. Soror amantissima mihi in Christo, etiam columba septem virtutes habet (ut legimus) in se, quas tu per gratiam sancti Spiritus poteris habere in te. 1. Columba sæpe super rivulos aquarum sedet, ut viso accipitre veniente se in undas immergat, & evadat: 2. in tritico meliora grana eligit: 3. sæpe alienos pullos nutrit: 4. rostro

Columbæ virtutes septem imitandas propo- nit.

non percutit: 5. non habet fel: 6. nidum facit in fenestris murorum: 7. gemitum habet pro cantu. Deprecare ergo Deum, honesta virgo, cum summo studio, ut det tibi has virtutes columbæ, scilicet ut super rivulos sanctarum Scripturarum sedeas, & admonitione earum incursum diaboli evadas. In sacra Scriptura meliores elige sententias, ex quibus te reficias. Nutri alienos pullos, id est, homines prius à Deo alienos, tuis verbis atque exemplis ad Deum converte. Rostro non percutias, id est, proximo tuo malum non facias, nec malum dicas. Non habeas fel, id est, non habeas in te iracundiam. In fenestris petrarum fac nidum tuum, id est, spem tuam. Gemitum habe pro cantu, videlicet ut sicut homines sæculares gaudent cantilenis sæculi, ita tu gaudeas in gemitu & tristitia spirituali. Igitur, soror venerabilis, sicut superius dixi tibi, oportet te pariter intelligere & cavere insidias inimici cum omni sollicitudine. Sic te oportet per innocentiam vitæ esse prudentem. Ille qui non miscet prudentiam simplicitati, secundum quod ait Propheta, columba est seducta, non habens cor. Sed ideo est columba, quia simplex: ideo autem non habet cor, quia non habet prudentiam. Iterum, soror carissima, te moneo, ut in corde tuo præpares dignum habitaculum Christo, quatenus ipse veniens cum Patre & Spiritu-sancto dignetur apud te mansionem sibi facere in domicilio tui pectoris, Amen.

Osee 7.

### LVII. *De fuga mulierum sæcularium.*

138. Carissima soror, fuge societatem sæcularium mulierum. Sæculares feminæ, quæ tecum non habent unam professionem, non accedant ad tuam societatem, quia quod amant hæ, tibi prædicant. Ecce quod diligunt, tibi dicunt: ideo debes vitare societatem sæcularium feminarum, quia sæculum diligunt, & de sæcularibus loquuntur; terrena amant, ideo terrena tibi annuntiant; transitoria concupiscunt, & ideo in auribus tuis transitoria exponunt. Sic enim scriptum est: Unusquisque hoc laudat quod diligit. Et ideo sæcularis femina sæculum laudat, quia sæculum diligit: certe si cælestia diligeret, cælestia laudaret. Sine dubio, si cælestia amaret, cælestia approbaret, cælestia prædicaret: si æterna concupisceret, æterna tibi suaderet. Et ideo soror, moneo te, ut societatem sæcularium feminarum expellas à te. Quare? *Quia corrumpunt bonos mores colloquia mala & prava.* Quid facit uxor viri cum sponsa Christi? aut quid agit mulier nupta cum virgine Deo devota? quid in unum agit sæcularis femina cum Christi sponsa? quid agit femina sæcularis cum sanctimoniali femina? vel quid agit femina quæ mundum diligit, cum femina quæ mundum reliquit? quid agit femina maritata cum muliere Christo dilecta? quid quæ amat virum, cum ea quæ diligit Christum? Femina quæ tuum propositum non tenet, quare ad tuam societatem venit? sæcularis femina quæ non habet tuum habitum, quare accedit ad tuum consortium? sæcularis femina quid tecum agit, quæ tecum jugum Christi non ducit? femina quæ tecum jugo Christi collum non submisit, quare ad tuum colloquium accedit? Dispar est habitu, dispar affectu: & sicut dispar est vestimento, ita animo. Mulier sæcularis organum est satanæ. Hæc cantat tibi quod illecebras sæculi moveat, & semitas diaboli ostendat, sicut legimus. Sirena maris talis est sursum ex umbilico, qualis pulcherrima & formosa virgo: ab umbilico vero usque ad pedes talis sicut est piscis. Sirena habet caput virginis, & posteriora piscis. Cantat dulce magnis vocibus, & multis modulis, atque cum magna dulcedine dat voces concordes: sed per suas dulces cantilenas sæpe marinarios decipit, & in discrimen perducit. Sæpe nautæ navigantes mare dulces audiunt voces sirenarum, & per dulces voces & suaves cantus earum decipiuntur, & ad mortale periculum perducuntur. Sicut sirena per dulces cantus decipit marinarios, ita sæcularis femina per suos deceptorios sermones decipit Christi servos. Et sicut sirena per suaves cantilenas solet navigantes mare à recto itinere deviare, atque in perditionem perducere, ita sæcularis femina per blanda verba ac seductoria, solet Deo servientes à sancto proposito retrahere, & in periculum animarum suarum perducere.

1. Cor. 15.

Sirenæ & mulieris sæcularis similitudo.

139. Igitur soror dilecta mihi in Christo, fuge cantus sirenarum, ne dum delectaris audire delectamenta terrena, à recto itinere avertaris. Quid enim sunt verba sæcularium mulierum nisi cantus sirenarum? Ergo cantus sirenæ fuge, & à lingua male suadentis mulieris separa aures tuas. Sic declina verba sæcularis mulieris, quasi sibilos serpentis. Cave ne sicut serpens decepit mulierem in paradiso, ita te decipiat venenosa lingua male suadentis mulieris in monasterio. Vide ne mulier vana & garrula infundat in aures tuas mortis venena. Cave ne mors intret per fenestras tuas, id est, per oculos & aures tuas in animam tuam. Soror venerabilis, cum videris mulierem disparem tui propositi, muni cor tuum scuto fidei: & contra eam trophæo crucis arma frontem tuam. Honesta soror, in hoc solum cum muliere sæculari concedo tibi colloquium, ut sanctis admonitionibus suadeas illi relinquere sæculum, & venire ad monasterium. In hoc solum tantum do tibi licentiam loquendi cum sæculi femina, ut doceas eam despicere terrena, & amare cælestia, & etiam exire de sæculo, & servire Deo. Item ut per tuam allocutionem transitoria despiciat, & æterna concupiscat. Soror carissima, si ita feceris, sicut dixi tibi: & te in hoc sæculo à malo custodies, & in futuro à Domino coronam in cælo recipies. Amen.

### LVIII. *De cavendo virorum consortio.*

140. Soror carissima, si tanto studio fugies feminas; quanto magis debes fugere viros? Et si tam sollicite vitabis societatem mulierum, quanto magis vitare debes societatem virorum? Et si tanta cura confabulationes feminarum declinabis, quanto magis deceptiones virorum declinare debes? Et si tantopere aures tuas separabis à verbis feminarum, quanto magis eas debes separare à seductoriis virorum verbis? Soror mihi in Christo dilecta, moneo te, ut vir quamvis sit sanctus, nullam tamen tecum habeat societatem. Licet sit sanctus & justus, nullam tecum habeat familiaritatem; quamvis sit religiosus, nullam tecum habeat assiduitatem; quamvis sit bonus, nullam tecum habeat vivendi jugitatem. Quare? Ne visitandi familiaritate utriusque pereat castitas, ne videndi frequentatione utriusque annihiletur honestas, ne videndi jugitate utriusque religiositas infametur, ne videndi usu utriusque persona dehonestetur. Decidet à caritate Dei, qui occasionem dederit peccandi. Decidet etiam à caritate proximi, qui occasionem præbuerit male faciendi: quia etsi male non facit opere, tamen opinionem pessimam nutrit. Per assiduitatem sæpe peccat homo. Sæpe familiaritas vincit, quos vitium superare non potuit. Sæpe occasio peccandi voluntatem fecit & facit. Quos voluptas superare non potuit, assiduitas superat. Dispar sexus in unum collocatus illuc provocat instinctum carnis, quo nascitur. Etiam naturalis flamma carnis accenditur, si illicita attingit. Vir & femina diversi sunt per naturam: qui si in unum fuerint collocati, quamvis non peccent, tamen per usum inter se malam famam nutriunt.

Disparis sexus contubernium uti periculosum, scandalosum est fugiendum.

141. Quis colligabit ignem in sinu suo, & non comburetur? Ignis & stupa in unum posita flammas nutriunt. Quamquam sint contraria, si in unum fuerint collocata, flammas generant: ita vir & femina, si in unum fuerint positi, licet malum non faciant, tamen per assiduitatem inter se malam famam nutriunt, & alios de se murmurare faciunt. Religiosus vir & sanctimonialis femina si immoderate conjunguntur sibi, aliis de se locum præbent murmurandi. Sexus viri & feminæ diversus est: & ideo si in unum conjunguntur, statim inde occasio peccandi nascitur. Quid ergo in unum facit ignis & stupa? cur serpens collocatur in sinu? quare ignis collocatur in vestimento? quare femina quæ castitatem promisit Deo, societatem habet cum viro? femina quæ propter Deum sæculum contempsit, quare viri familiaritatem diligit? quare amat præsentiam virorum, quæ cum Christo desiderat intrare cælestem thalamum? quare femina Deo devota quærit audire deceptoria virorum verba? quare quæ in sæculo ma-

Prov. 6.

ritum habere noluit, in monasterio posita facies hominum videre concupiscit? Igitur, soror mihi in Christo dilecta, si vis esse à fornicatione secura, esto mente & corpore à societate hominis separata: si perfecte vis castitatem tenere pro amore Christi, longe te fac à societate viri. Tu circa serpentem composita, certe non eris longo tempore secura: circa ignem sedens, etsi ferrea sis, aliquando dissolveris: circa periculum constituta, non eris diu illæsa vel secura. Audi ergo, soror mihi in Christo amantissima, boni consilii verba. Viri nomen tuum non sciant, faciem tuam non videant, faciem tuam non cognoscant, quamvis nomen tuum audiant. Audi etiam, virgo honesta, Pauli Apostoli verba: *Oportet nos habere testimonium bonum ab his qui foris sunt*, intus quidem B bonam vitam propter nos, bonam vero famam propter ceteros. Soror venerabilis, si propter Deum in terra vitaveris societatem virorum, per Deum in cælo habebis societatem Angelorum. Amen.

### *LIX. De fugienda Societate Juvenum.*

142. CArissima mea soror, & si taliter viri sancti sunt declinandi, ne utriusque sanctitas pereat assiduitate videndi, quanto magis declinandi sunt juvenes, qui sequuntur temporalis vitæ tenebrosas vias, ac delectationes? Et si tanta cura frequentiam sanctorum virorum fugere debes: quanto magis te oportet fugere juvenes C hujus sæculi concupiscentias sequentes? Ad hoc diabolus oculis religiosæ feminæ juvenes objicit, ut formas eorum quos per diem viderit, meditetur in nocte, & ut recens visio & corporis inspectio assidue versetur in animo. Sic intrat sagitta satanæ per januas oculorum usque ad animum. Unde Propheta: *Intravit mors*, inquit, *per fenestras vestras, ingressa est domos vestras.* Non intrat sagitta diaboli ad interiora mentis, nisi per sensus corporis. Soror in Christo dilecta mihi, amandi sunt viri, sed absentes. Amandi sunt homines, non intus, sed foris: diligere debemus homines in animo, sed non in domo: dilige homines in mente, sed à longe: diligendi sunt viri, quia sunt opus Dei, sed extra domum: amandi sunt viri D non propter pulcritudinem corporis, sed quia sunt opus Creatoris. Iterum, soror venerabilis, te moneo, ut numquam loquaris sola cum solo. Nullus loquatur tecum singulariter: nec tu præter duarum aut trium testimonium loquaris cum aliquo. Non debet sponsa Christi sola cum solo loqui, nisi cum suo magistro, cum agit pœnitentiam de suis peccatis. Sanctimonialis femina quæ cum viro sola loqui desiderat, stultitia in mente ejus regnat. Audi igitur dilecta mihi, si perfecte castitatem vis tenere pro amore Christi, longe discede à societate viri. Si perfecte in terra contempseris societatem virorum pro Christo, absque ulla dubitatione cum eo regnabis in cælo. Amen. E

### *LX. De vitando pravorum consortio.*

143. HOnestissima soror, audi verba Salomonis. *Fili mi si te lactaverint peccatores, non acquiescas eis: ne amuleris hominem injustum, ne sequaris viam ejus.* Discede *ab homine iniquo: & habebis pacem.* Viri *justi socii sint tibi, in timore Dei sit gloria tua.* Quemcumque hominem cognoveris observantem timorem Dei, in amicitia jungatur tibi. Hominibus malis non conjungaris. Beatus Ambrosius: Sanctorum hominum vita ceteris hominibus bene vivendi debet esse norma. Qui enim sancto viro associatus fuerit, ex ejus societate accipiet usum bonæ locutionis, & exemplum boni operis, ut accendatur de die in diem mens ejus in amore Dei. F Non est valde laudabilis ille, qui bonus est cum bonis: sed vere ille est laudabilis, qui bonus est cum malis. Vere ille homo est laudabilis, qui in societate malorum est bonus. Sicut ille est culpandus, qui malus est inter bonos: ita ille est laudandus, qui bonus est inter malos. Verba vitæ sunt verba hominum Deum timentium: & sanitas animæ his qui ea sequuntur & diligunt. Sicut sol oriens expellit caliginem, ita sanctorum doctrina à sensibus nostris expellit tenebras vitiorum. Unde David Propheta:

A *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris.* Igitur, soror mihi in Christo dilecta, si vis bene vivere, malorum societatem declina. Vita malos, cave iniquos, fuge improbos, sperne à te ignavos. Fuge turbas hominum, maxime ætatum quæ pronæ sunt ad vitium: nec te adjungas levibus personis, nec te admisceas vanis. Bonis te conjunge, bonorum consortium appete, bonorum societatem require, sanctis individue adhære. Si fueris socia eorum conversationis, eris & virtutis. Qui cum sapientibus ambulat, sapiens est: qui cum stultis graditur, stultus est. Similis enim simili conjungi solet. Periculosum est vitam cum hominibus malis ducere: perniciosum est vitam cum his qui pravæ voluntatis sunt, sociari. Melius est habere malorum odium quam consortium. Sicut multa habet bona vita communis sanctorum: sic plurima mala affert societas malorum. Qui enim tetigerit immundum, coinquinabitur: qui tetigerit sordidum, sordidabitur. Igitur, soror venerabilis, si verba mea libenter audieris, & ea opere impleveris, inter electos Dei computaberis. Amen.

Psal. 17.

Prov. 13.

### *LXI. De litteris vel munusculis clanculum non acceptandis.*

144. CArissima soror, audi quæ dico. Ancilla Christi quæ in abscondito litteras vel dona recipit, ordinem suum frangit. Magnum malum facit, & grande peccatum committit, si ab hominibus litteras vel aliud quodlibet munus suscipit, quia suum ordinem frangit. Grande malum agit, quæ propter temporalia dona, sui ordinis prævaricatrix exsistit. Sanctimonialis femina quæ cum Christo desiderat intrare ad nuptias, non debet hominibus dare sudariola, pectines, corrigias, vel specula, aut fascias. Quæ Christum exspectat cum ardente lampade, non debet ab hominibus accipere dona sæcularia, scilicet pectines, specula, & cetera alia: quæ propter amorem Christi velata, non debet ab amicis suis accipere vanitatis dona: quæ propter Deum super caput suum velum sacrum imposuit, multum peccat, si ab hominibus dona sæcularia accipit. Sanctimonialis femina quæ in talibus delectatur, magna vanitate decipitur, & signum demonstrat meretricis. Unde dicit beatus Hieronymus: Dulces litteras & sudariola & crebra munuscula sanctus amor non habet. Ac si diceret: Si in mente sanctimonialis feminæ sanctus amor esset, dona vanitatis & superfluitatis ab hominibus non acciperet. Mens casta & religiosa non desiderat à sæcularibus amicis accipere dona, sed à Christo, pro cujus amore contemnit omnia terrena: & ab illo solo debet concupiscere dona, cum quo sperat gaudere in cælesti patria. Casta femina non quærit terrena dona, sed cælestia. Quanto homo amplius in terrenis donis delectatur, tanto magis à Dei amore elongatur.

Feminæ religiosæ nec dent nec recipiant munuscula.

145. Si sanctimoniales feminæ faciunt in monasterio quod mulieres sæculares facere solent in sæculo, satis culpabiles sunt coram Deo, & inter sæculares & sanctimoniales nulla est differentia. Igitur si inter eas quæ sunt in monasterio, & eas quæ sunt in sæculo, nulla est distantia, inter religiosas etiam & sæculares feminas nulla est dissonantia. Ergo si sanctimoniales feminæ delectabilia dona dant suis amicis, sicut facere solent meretrices, ubi est honestas; ubi religiositas, ubi castitas, ubi puritas, ubi sanctitas? Si sanctimoniales feminæ quæ per bona opera debuerant placere Deo, suis amicis placent in malo, luxuriosa dona dando; ubi est pudicitia, ubi continentia, ubi reverentia, ubi verecundia? Ita si sanctimoniales feminæ plus volunt placere hominibus in sæculo, quàm Jesu-Christo æterno Regi in cælo; ubi est observantia religionis, ubi rigor ordinis, ubi ardor contemplationis, ubi munditia mentis, ubi contritio cordis, ubi sollicitudo orationis, ubi gemitus pectoris, ubi habitus monachalis? Si sanctimoniales feminæ lætantur in temporalibus donis, sicut lætari solent sæculares homines; ubi est contemptus sæculi, ubi timor inferni, ubi memoria judicii, ubi recordatio æterni incendii, ubi amor Dei? Igitur si sanctimoniales feminæ concupiscunt dona vanitatis ab hominibus accipere, ubi est memoria delictorum, ubi

lacrymæ oculorum, ubi recordatio peccatorum? Vilipenditur, contemnitur, despicitur, annihilatur. Revera sanctimonialis femina, quæ ab hominibus accipit, in quibus delectetur, ordinem suum contemnit. Quæ plus gaudet in suorum amicorum donis, quàm in præceptis sui Ordinis, propositi est prævaricatrix. De talibus Propheta ait: *Dextera eorum repleta est muneribus.* ac si diceret: Quamvis opera eorum videantur bona, tamen plus lætantur in muneribus, quàm in bonis operibus. Magis volunt ab hominibus accipere dona, quàm à Christo æterna bona. Sanctimonialis femina quæ Christum perfecte diligit, delectabilia & superflua dona ab hominibus non recipit, quia Christum omnibus donis anteponit. Unde in Canticis canticorum Ecclesiæ dicitur: *Pulcra sunt gena tua sicut turturis.* Turturi assimilatur Ecclesia, vel quælibet sancta anima: quia Christum perfecte diligit, & nihil amori ejus præponit. Turtur ex quo per occasionem conjugem suum perdidit, numquam alterum amplius quærit, quia adulterinum amorem non recipit. Sic sanctimonialis femina quæ Christum perfecte diligit, amplius adulterinum amorem non recipit, id est, amplius malos homines non diligit. Religiosa femina quæ plus diligit hominem quàm Christum, non est casta, sed adultera, quia Christum contemnit, cui fuerat desponsata. Religiosa femina quando primum ad monasterium venit, Christum in sponsum suscipit. Post hæc vero si carnaliter hominem super Christum diligit, adulterium facit: & si non corpore, jam tamen adultera in mente, secundum illud quod dicitur: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo:* sic etiam mœchatur mulier cum viro, si eum in corde suo concupierit, vel eum carnaliter dilexerit.

Psal. 45. — Cant. 1. — Adulterium spirituale. — Matth. 5.

146. Quapropter dilectissima mihi in Christo Soror, te moneo, ut Christum sponsum tuum super omnia ames, & ab illo solo dona accipere desideres. Obsecro, ut Jesum-Christum sponsum tuum super omnia diligas, & pro amore illius sæcularia dona non accipias. Proculdubio qui terrena dona affectat, cælestia non sperat. *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Certe si *munera excæcant oculos sapientum*, obcæcant etiam ne Deum videant mentes religiosorum virorum. Si (quod verum est) dona oculos sapientum excæcant, etiam & oculos servorum Dei, ne Christus videatur, conturbant. Unde beatus Isidorus: Non potest oculus mentis alta videre, quem pulvis claudit. ac si apertius diceret: Non potest oculus mentis perfecte cælestia conspicere, quem pulvis clausit concupiscentiæ. Non potest mens servi Dei ad contemplandum Deum esse libera, si adhuc terrenis cupiditatibus obscuratur. Si adhuc mens sanctimonialis feminæ in terrenis donis delectatur, perfecte cælestia non contemplatur. Si accipiendo vel donando hominibus placere desiderat, Deum perfecte non amat. Nam & à Deo despecti sunt qui in his vanitatibus placere concupiscunt. Unde ait David propheta: *Deus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Rogo etiam te soror venerabilis in Christo, ut cum omni devotione audias Isaïam prophetam dicentem: *Qui excutit manus suas ab omni munere, in excelsis habitabit: & Regem sanctorum videbunt oculi ejus in decore suo.* Ac si diceret: Qui propter Deum manus suas ab omni munere excutit, in cælo habitabit, & Regem sanctorum in gloria sua videbit. Qui causa amoris Dei ab hominibus dona vanitatis & superfluitatis non recipit, Deum in majestate sua videbit, & cum omnibus sanctis in decore illius in perpetuum gaudebit. Ideo, Soror in Christo amabilis, te rogo, ut capias consilium hujus sancti Prophetæ, & excutias manus tuas ab omni munere; si tu in excelsis vis habitare, ab omni munere manus tuas excute. Iterum te moneo per gratiam Dei, ut studeas imitari illum qui ait: *Ego cum justitia apparebo in conspectu tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua.* Amen.

Eccle. 20. — Psal. 36. — Isa. 33. — Psal 16.

### LXII. *De votis Deo reddendis.*

147. Soror carissima, bene cogites quid Deo voveas, & reddas. Teipsam vove integram, & redde. Teipsam de peccatis accusa: Deum in beneficiis lauda. Nihil boni tribuas: ab illo cuncta bona quæ habes, te accepisse dicas: confitere illum misericordem, te peccatricem: illum veracem, te mendacem. Rogo, soror dilecta, ut dicas cum Propheta: *Introibo in domum tuam*, id est, monasterium, *in holocaustis*, hoc est in spiritu contritionis & compunctionis. *Reddam tibi vota mea*, id est, ibi me ingratam offeram tibi in ara cordis, quam tibi vovi. Necesse est ut qui salvari desiderat, bona quæ Deo vovit, cum omni devotione reddat. Quicumque ad gaudia æterna desiderat pervenire, necesse est, ut bona quæ Deo promisit, studeat adimplere. unde Propheta: *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Ac si diceret: Vosipsos vovere & reddite: quia necesse est ut qui vovit, etiam reddat: quia vovendo se debitorem fecit. *Et melius esset non vovere, quàm post votum promissa non solvere.* Sunt etiam quædam vota omnibus communia, quædam vero specialia. Communia vota sunt ea, quæ in baptismo promisimus, scilicet ut non peccaremus, & ut diabolo & operibus ejus abrenuntiemus. Specialia vota sunt, quando aliquis se monachum fieri, aut canonicum, aut eremitam, vel aliquid aliud promittit. Quod si ille qui vovit, non reddiderit: salvus esse non poterit. Quare? quia qui Deo ut bene viveret promiserit, si hæc bonis operibus non impleverit, salvari non poterit. Quisquis bona quæ Deo pollicitus est, implere neglexerit; ad illa bona quæ Deus promisit, pervenire non poterit. Ille qui Deo non vult reddere bona, quæ vovit ei: quomodo vult à Deo accipere bona quæ ei Deus promisit? quomodo vult à Deo accipere donum cæleste, qui Deo non vult reddere suum votum? aut quomodo se putat à Deo accipere cælestia dona, qui Deo negligit persolvere vota sua? quia non est fidelis, sed infidelis, inter infideles condemnabitur ille, qui vota sua Deo negligit reddere: inter infideles peribit, qui votum suum in bonis non consummaverit.

Psal. — Psal. — Eccle. — Vota communia & aliqua.

148. Igitur, Soror in Christo dilecta mihi, moneo ut facias bonum quod promisisti. Non sis in verbis facilis, & in operibus difficilis. Coram Deo facere aliquid facile non promittas: sine consideratione virium nihil præsumas. Quod non potes facere, non promittas. In conspectu Dei multum eris culpabilis, si non reddideris bonum quod promiseris. Qui vota sua non explent, Deo displicent. Inter infideles deputabuntur, qui quod voverunt non impleverunt. Melius est enim non promittere, quàm fidem promissi non solvere. Verumtamen, Soror venerabilis, rescinde fidem in malis promissis, in turpi voto muta decretum. Malum quod promisisti, non facias: quod incaute vovisti, non impleas. Impia est promissio quæ scelere adimpletur. Nunc ergo sponsa Christi, sicut jam dixi tibi, si cum omni devotione reddideris Deo bona quæ ei promisisti, accipies ab eo æterna bona quæ ille promisit tibi. Amen.

Prom[issa] licita [red]dend[a].

### LXIII. *De fine & scopo sui status semper considerando.*

149. Soror carissima, scito quid sis: cognosce temetipsam: reduc ad memoriam quare sis nata, esto memor cur sis orta, in quem usum sis genita, qua conditione sis edita; ad quam rem sis in hoc sæculo provocata. Memento conditionis tuæ, serva ordinem naturæ tuæ, esto quod es facta. Talis esto, qualem te Deus fecit: qualem te factor instituit, esto talis. Tene modum in omni opere tuo: in omni re temperamentum tene. Nihil facias sine temperantia: nec minus facias aliquid nec nimis, nec ultra quàm oportet, nec infra. Etiam in bonis immoderatum aliquid non debet esse. Omnia mediocria sunt utilia, & in suo modo perfecta. Quæ cum temperantia fiunt, salubria sunt: bona autem immoderato usu noxia efficiuntur. Omnis enim nimietas in vitio deputatur. Temperate facere cuncta prudentia est. Ne de bono facias malum. Soror dilecta, respice etiam, quid sit aptum cuique tempori. Primo videas quid debeas facere, ubi & quando, qualiter, & quamdiu facias. Per discretionem cognosce causas rerum. Cum omni diligentia distingue omnia quæ agis, diligenter excogita qualiter bonum incipias & perficias, tene discretionem in omni actione tua, cum bene distinxeris opus tuum, optime

Medi[ocritas] laudal[is], nimie[tas vi]tiosa. — Virtus discre[tionis] vitium.

optime justa eris. quidquid boni feceris cum discretione, virtus erit; quod sine discretione, erit vitium. indiscreta enim virtus pro vitio reputatur: virtus sine discretione locum vitii obtinet. Per pravam consuetudinem multa sunt vitiata, pravo usu multa sunt profanata. Multa sunt illicite usurpata contra pudicos mores. Usus igitur auctoritati cedat. Lex & ratio pravum usum vincant. Honesta virgo, moneo te, ut teneas fidem firmam in corde, galeam salutis in capite, signum crucis in fronte, verbum veritatis in ore, voluntatem bonam in mente, timorem & veram dilectionem Dei & proximi in pectore, cingulum castitatis in corpore, honestatem in actione, sobrietatem in consuetudine & bonitate, humilitatem in prosperitate, patientiam in tribulatione, simplicitatem B in conversatione, spem certam in Creatore, amorem vitæ æternæ, perseverantiam in bonis operibus usque in finem. Amen.

*LXIV. De studio placendi hominibus per pulcritudinem cavendo.*

150. Carissima soror, vitemus perniciosas pulcritudines, ne omnium malorum germina inde pullulent. Qui pulcritudinem corporis diligit, semetipsum decipit. Quare? quia pulcritudo corporis fallax est, vana est, terra & cinis est, deceptio est hominis. Unde Salomon, *Fallax gratia, & vana est pulcritudo.* Multi fuerunt & sunt decepti per pulcritudinem corporis. Stulti C homines dum considerant pulcritudinem corporis, incidunt in diaboli laqueum; dum carnis pulcritudinem attendunt, retiaculis diaboli præpediuntur. Multi per pulcritudinem corporis alligantur in peccatis. Deus non requirit corporis decorem, sed animæ pulcritudinem. Amplius diligit Deus spiritualem pulcritudinem, quàm carnalem. Christus non delectatur in corporis pulcritudine, sed in animæ puritate. Igitur, soror mihi in Christo dilecta, moneo te, ut illam pulcritudinem diligas, in qua delectatur Deus. Numquam hoc animo homines attendas, ut eorum pulcritudinem diligas: non consideres homines hac intentione, ut læteris in eorum pulcritudine: numquam ideo homines conspicias, ut pulcritu- D dinem eorum concupiscas. Te etiam rogo, ut numquam vultum tuum componas, ut hominibus placeas: numquam ideo exôrnes vultum, ut placeas in oculis hominum: non sit talis intentio tua, ut coram hominibus velis apparere formosa: quia si ob hoc facis, ut in conspectu hominum formosa videaris; Jesu-Christo sponso tuo injuriam facis. Cum sis Christo desponsata, si ante oculos hominum vis apparere, non es casta, sed adultera. Quasi adultera Christo facis injuriam, si ut ab hominibus ameris, ostendis pulcritudinem tuam. Quomodo non adulteratis, quæ plus quam Christum diligis homines? aut quomodo non facis adulterium quæ homines amas super Christum? quomodo dicis, non sum adultera, quæ Chris- E to te in monasterio tradidisti, & nunc hominibus vis placere de pulcritudine vultus tui? Cum hoc facis signum demonstras meretricis: hoc facere solent meretrices, & sæculares mulieres: videlicet componunt facies suas, ut in oculis hominum appareant formosæ. O quàm turpe est & quàm absurdum illud facere feminas sanctimoniales, quod facere solent meretrices, & sæculares mulieres!

151. Igitur, honesta virgo, audi quæ dico, attende quæ moneo. Numquam vultum tuum componas ut hominibus placeas, sed interius orna faciem tuæ conscientiæ bonis virtutibus, ut Jesu-Christo cælesti sponso placere valeas. Deus non delectatur in pulcritudine corporis, F sed in pulcritudine mentis, non in compositione vultûs, sed in bonis moribus, non in corporis compositione, sed in sancta conversatione. Cum sancta anima intus propter Christum bonis moribus ornatur, à Christo diligitur atque amatur: quod bene sponsus insinuat in Canticis canticorum, ubi sponsæ loquitur dicens: *Quàm pulcra es amica mea, & quàm decora carissima in deliciis!* ac si diceret: Quàm pulcra es amica mea, id est, juste, sancte, & religiose vivendo es pulcra, & me super omnia diligendo es amica. Ideo es pulcra & decora, quia A bene vivendo in bonis operibus conversaris: atque ideo es amica, quia perfecte me diligis, quia alterum amicum plusquam me non diligis. Nec solum es amica mea, sed etiam carissima, quia plus mihi desideras placere per bona opera in mente, quàm hominibus foras de corporis pulcritudine. Ideo non solum es amica, sed etiam in deliciis carissima. Sancta anima carissima dicitur in deliciis, videlicet Scripturarum sanctarum, quia ad amorem & familiaritatem Christi perfecte non pervenit, qui scripturæ sanctæ deliciis abundare contemnit. Ille ad amorem Christi perfecte pervenire poterit, qui deliciis scripturarum se reficit, & Christum diligit, & à Christo diligitur: qui vero plus desiderat placere hominibus de pulcritudine vultus sui, quàm Christo de bonis operibus, nec Christum perfecte diligit, nec à Christo diligitur. Moneo ergo te, soror carissima, ut Christum diligas super omnia, quia Deus Pater te elegit in ipso ante sæcula. Rogo etiam te, ut illi soli placere concupiscas, Ephes. 1. & ut ab hominibus laudem temporalem non accipias. Amen.

*LXV. De risu immoderato fugiendo.*

152. Soror carissima, audi sapientissimi Salomonis verba: *Risum deputavi errorem, & gaudio dixi:* Eccl. 2. *quid frustra deciperis?* Error dicitur, quando aliud debet fieri, & aliud fit. Tunc ergo fit error, quando ille qui debet plorare, ridet. Ideo risus dicitur error, quia dum Risus cur error reputetur. quisque ridet, diem mortis suæ ipse in mente sua non habet. Vere frustra decipitur, qui in temporalibus gaudiis gaudet & lætatur. Decipiuntur qui gaudent in prosperitatibus hujus sæculi, quoniam si diem mortis suæ ad memoriam reducerent, prius peccata sua plorarent, quàm de rebus vanis riderent. Qui de rebus vanis rident, si mala quæ passuri sunt, in mente haberent, non riderent, sed lugerent. Unde etiam Salomon ait: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupabit.* Et Dominus in Prov. 14. Evangelio: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. Non dixit beati qui rident, sed beati qui lugent: quia vere illi sunt beati qui peccata sua lugent, non illi qui de rebus vanis rident. Qui secundum Deum lugent, beati sunt, quoniam ipsi consolabuntur. Et Jacobus Apostolus stulte ridentes increpat dicens: *Risus vester vertetur in* Jac. 4. *luctum, & gaudium in mærorem.* Stultus *in risu exaltat vocem suam, sapiens autem vix tacite ridebit.* Risum Eccl. 21. ergo, Soror dilecta, quasi errorem devita, & temporalem lætitiam in luctum commuta. Quare? scilicet ut beatifices te, si in hac peregrinatione ploraveris: videlicet ut in die mortis tuæ beata inveniaris, si teipsam in hoc mundo ploraveris. Cognosce te peregrinam esse in hoc mundo, Hic locus & tempus est flendi non ridendi. quia non est hic patria tua, sed in cælo; non habes hic civitatem manentem; quia Deus promisit tibi in cælo Jerusalem cælestem, ad quam David Propheta pervenire desiderabat, cum dicebat: *Lætatus sum in his quæ dicta* Psal. 121. *sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Tali etiam desiderio ardebat Christi servus, qui dicebat: *Cupio dissolvi, &* Philipp. 1. *esse cum Christo.* Ille etiam ad cælum pervenire cupiebat, qui dicebat: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est,* Psal. 119. *habitavi cum habitantibus Cedar.* Quando hæc dicebat, de vanitatibus hujus mundi non ridebat, sed de hac peregrinatione lugebat.

153. Igitur, honesta virgo, gaudium tuum semper sit in cælo. Tui cordis lætitia semper sit modesta & tranquilla, juxta quod Apostolus ait: *Gaudete in Domino sem-* Philipp. 4. *per, iterum dico, gaudete.* Et alio loco dicit: *Fructus au-* Gal. 5. *tem Spiritus est gaudium.* Tale gaudium non perturbat mentem fœcunditate ridendi, sed sublevat animam per desiderium perveniendi ad cælestem patriam, ubi possit audire: *Intra in gaudium Domini tui.* Facies hominis, est Matth. 25. speculum cordis. Per risum potest homo cognoscere cor sanctimonialis feminæ. Risus & joci inutiles conscientiam vanam ostendunt sanctimonialis feminæ: plerumque quale sit cor feminæ sanctimonialis, demonstrat risus & jo- Risus & sermo sunt speculum animi. cus turpis. Non enim illa imprudenter rideret, si cor castum haberet: numquam rideret lascive, si lasciviam non haberet in mente. Sic enim ait Dominus: *Ex abundantia* Matth. 12. *cordis os loquitur.* Ergo ex abundantia vanissimi pecto-

ris ridet facies virginis. In mente feminæ si vanitas non esset, de vanitate numquam rideret. Mens casta plus gaudet in luctu quàm risu. Certe si sanctimonialis femina haberet in mente veram castitatem, plus amaret lacrymas, quàm lætitiam temporalem. Si ad memoriam reduceret suas negligentias, & inferni pœnas, plus diligeret lacrymas quàm risus. Ubi risus & jocus abundat, ibi perfecta caritas non regnat. Si sanctimonialis perfecte Christum diligeret, non rideret, sed cum desiderio illius indesinenter ploraret: quia qui perfecte Christum diligit & timet, non ridet, sed amore ejus luget. Miror quare illa quærit jocos & risus, quæ ideo venit ad monasterium, ut pro peccatis suis funderet lacrymas. Miror quare non habet verecundiam, quæ in risu exaltat vocem suam. Quàm turpe est ei ridere, quæ in hac peregrinatione debuerat peccata sua plorare? Nos miseri quare ridemus, qui de omnibus operibus nostris in conspectu Angelorum, & omnium Sanctorum Deo rationem reddituri sumus? Ideo melius est nobis in hac vita lugere peccata nostra, ut à Domino possimus consequi veniam in futuro. Obsecro igitur te Soror venerabilis, ut risus & jocos caveas: & pro peccatis tuis indesinenter lacrymas fundas: jocos & risus fuge, & peccata tua incessanter luge. Audi, sponsa Christi, quid Sponsus in Canticis canticorum sponsæ loquitur dicens: *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon.* Bene oculi sponsæ sicut piscina dicuntur, quia dum sancta anima de hac peregrinatione plorat, per gratiam Dei à peccatis se lavat. Sic sanctimonialis femina debet sine intermissione lugere, ut se à peccatis suis possit lavare. Igitur, soror carissima, si in hac vita peccata nostra perfecte ploraverimus, & à vanitatibus hujus mundi recesserimus, peccatorum nostrorum veniam nos obtinere credimus.

*Feminis Religiosis magis fletus quàm risus convenit.*

*Cant. 7.*

### LXVI. *De non vagando foras.*

154. Honestissima soror, audi quomodo Jeremias Propheta nostras iniquitates plorat, dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color ejus optimus? Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* Per aurum intelligimus vitam religiosorum hominum, quæ antea erat per gloriam virtutum clara: nunc vero per turpes operationes est obscura. Color optimus auri, significat habitum sanctitatis, qui per bona opera prius erat pretiosus atque optimus: nunc vero per vitia & sæcularia opera est mutatus, & vilis atque despectus. Vere est mutatus habitus optimus religiosorum virorum, videlicet monachorum, canonicorum, & sanctimonialium feminarum, quando amplius componitur, ut placeat in conspectu populi, quàm ut placeat in conspectu Dei. Vere est mutatus optimus color auri, quando plus aptatur habitus religiosorum virorum, ut placeat per vanam gloriam in conspectu hominum, quàm ut placeat per humilitatem ante Deum. Certe hodie sunt mutata religiosorum virorum optima vestimenta, quando magis ornantur ut placeant in palatio regis, quam in conspectu Creatoris. Sequitur: *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* Lapides sanctuarii designant religiosos viros, qui numquam debent foris vagari, sed in secreto monasterii ante oculos Dei semper commorari. Sed dispersi sunt hodie lapides sanctuarii in capite omnium platearum, quando religiosi viri quærendo vana & sæcularia foris vagantur. In capite omnium platearum lapides sanctuarii sunt dispersi, quando viri religiosi plus desiderant in palatio regis versari, quàm intra claustrum monasterii commorari. Dispersi sunt, quando plus desiderant audire superflua verba divitum, quàm præcepta scripturarum. In capite platearum disperguntur, quando plus lætantur in conviviis & locutionibus divitum, quàm in paupertate & abstinentia religiosorum fratrum. Servi Dei plus debent diligere legumina in monasterio, quàm opulenta convivia in sæculo. Religiosi viri plus debent amare olera inter suos fratres, quàm multitudinem ciborum inter divites. Viri religiosi amplius debent gaudere in mensa pauperum fratrum, quàm in mensa regum. Quare? quia, sicut ait Augustinus, melius est minus egere, quàm plus habere.

*Thren. 4.*

*Vide hunc locum Jerem. in similem sensum eleganter explicatum à B. Greg. 2. par. Pastor. cap. 7.*

*Monasterii frugalitas gratior sit religiosis omnibus secularium ferculis.*

Melius est pro Christo in monasterio paupertatem sustinere, quàm in sæculo multas divitias habere.

155. Necesse est igitur, ut quisque religiosus si salvari desiderat, sæculum contemnat, & sese intra monasterii claustra concludat. Debet religiosus vir conventus sæcularium hominum fugere, & societatem servorum Dei requirere. Viri religiosi plus debent diligere claustra, quàm aulam. Nunc igitur audi quæ dico, ausculta quæ moneo. Melius est tibi in claustro sedere, quàm plateas civitatis circuire: plus dilige in monasterio consistere, quàm civitates videre. Melius est quiescere intra parietes monasterii, quàm apparere in conspectu populi. Si te incluseris in claustro, amaberis à Christo. Quod bene in Canticis canticorum sponsus insinuat, cum sponsæ loquitur, dicens: *Hortus conclusus, soror mea, hortus conclusus, fons signatus.* Unaquæque sancta anima, hortus conclusus esse intelligitur, quia dum virtutes nutrit, flores gignit, virtutibus se nutrit, reficit: fructus quos germinat, eosdem custodit. *Conclusus* enim *hortus* sancta anima esse dicitur, quia dum amore vitæ æternæ à strepitu sæculari se abstrahit: dum visus hominum fugit; dum bona quæ agit propter laudes hominum abscondit; dum se propter Deum, ne ab hominibus videatur, includit; dum humanas laudes contemnit; ipsa bona contemnere intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrumpere possit. *Fons* etiam *signatus* dicitur, quia dum cælestia assidue cogitat, & scientiam Scripturarum semper in ventre memoriæ congregat, quasi aquas viventes sancta mens in se gignere non cessat, ex quibus sitientes proximos reficere valeat. Igitur, soror carissima, sicut superius dixi tibi, si dum vivis, teipsam pro amore Christi intra parietes claustri incluseris, & perfecte præceptis Regulæ adhæseris: post hanc vitam cum eodem Domino nostro Jesu-Christo sponso tuo in thalamo lætaberis. Amen.

*Cant.*

### LXVII. *De Tentatione.*

156. Honestissima soror, audi Jacobum Apostolum dicentem: *Resistite diabolo & fugiet à vobis.* Et beatus Hieronymus dicit: Nihil eo fortius qui diabolum vincit: & nihil imbecillius, quàm ille qui à carne sua superatur. Sagittæ diaboli frigore vigiliarum, & jejuniorum parcitate sunt exstinguendæ. Callidus inimicus noster semper exquirit, unde nos decipere possit, & non tantum curat jugulare corpora, sed animas, quasi lupus gregem. Diabolus dissipat animas, cum fidelem populum per tentationem necat: tamen diabolus non amplius tentat electos, quàm permittat Deus. Quando diabolus servos Dei tentat, eorum utilitatibus servit; cum eos per tentationes suas non decipit, sed erudit. Sæpe tentationes quas diabolus commovet ad interitum hominum, Deus convertit eas ad profectum animarum. Numquam servi Dei tentationes diaboli sustinere potuissent, si nequitiam eorum pietas Dei non temperaret vel refrenaret. Quamvis diabolus semper cupiat tentare servos Dei, tamen si à Deo potestatem non accipit, non potest implere quod quærit. Unde & omnis voluntas diaboli semper est injusta, sed tamen permittente Deo justa est potestas ejus. Diabolus ex semetipso injuste quærit tentare servos Dei, sed eos qui tentandi sunt tentare non poterit, nisi ei Deus licentiam dederit. Unde & in libris Regum de diabolo scriptum est, quia *spiritus Domini malus exagitabat Saül:* ubi juste quasi spiritus Domini erat: sed cur malus erat? si malus erat, cur Domini erat? Sed in hoc loco comprehensa est duobus verbis & Dei potestas justa, & diaboli voluntas injusta. Nam spiritus malus erat per malam voluntatem, & idem spiritus Domini erat per acceptam justissimam potestatem. Diabolus non est jussor vitiorum, sed solummodo incentor: neque alibi potest fomenta concupiscentiæ succendere, nisi ubi prius graves delectationes cogitationis viderit. Sed si à nobis expellimus delectationes pravæ cogitationis, statim diabolus confusus recedit, & arma tentationis ejus franguntur.

*Jac. 4.*

*Job 1.*

*Diabo[...] tentan[...] prodest*

*Diabol[...] testas & inju[...] quomo[...]*

*1. Reg.*

157. Sæpe diabolus per speciem boni vult decipere servos Dei, quando se simulat angelum lucis: sed dis-

*2. Cor. 1[...]*

cretio sanctorum tanta debet esse, ut inter bonum & malum valeat discernere, ne eos diabolus fraudulenter valeat decipere. Hæc est enim percunctatio Josue dicentis: *Noster es, an adversariorum?* Propter hoc & Jeremiæ Prophetæ dicitur: *Si pretiosum à vili separaveris, quasi os meum eris.* Diabolus in oculis sæcularium hominum terribilis est, sed in oculis electorum Dei vilis est. Increduli diabolum timent quasi leonem: illi vero qui in fide fortes sunt, diabolum despiciunt quasi vermiculum: & cum eum viderint, contemnunt. Diabolus est serpens lubricus: sed si capiti ejus, hoc est, primæ suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum sentitur, illabitur. Vitia diabolicarum tentationum fragilia sunt: sed si non caveantur, & per usum in consuetudinem B transeant, in novissimis fortiter convalescunt: ita ut numquam, aut cum difficultate vincantur. Diabolus quando decipere aliquem hominem quærit, prius naturam uniuscujusque hominis intendit, & inde se applicat, unde videt hominem aptum ad peccandum. Unde beatus Isidorus: Amplius tentat diabolus hominem ex parte illa qua eum videt per excrescentem humorem facile inclinari ad vitia: ut secundum humoris conspersionem adhibeat & tentationem: sicut ille qui aquam deducit, non eam per aliam partem mittit, nisi ubi eam melius currere cognoscit. In tota vita diabolus cupit hominem decipere, sed amplius in fine. Et hoc est quod in principio serpenti dictum est: *Tu insidiaberis calcaneo* C *ejus.* Tunc diabolus calcaneo hominis insidiatur, quando eum in fine vitæ decipere conatur: quia nimirum diabolus hominem quem spatio vitæ non decepit, in fine decipere disponit. Proinde quamvis homo sit justus, numquam tamen ita sibi fidat, ut sit in hac vita securus: sed semper humilis caveat, semperque ne in fine decipiatur, sollicitus pertimescat.

158. Igitur, Soror mihi in Christo dilecta, necesse est ut deprecemur Deum omnipotentem, ne permittat nos tentari supra id quod possumus sustinere: quia semper Deus vires diaboli restringit, ne tantum noceat, quantum nocere cupit. Unde in Canticis canticorum Spiritus-sanctus diabolum increpat, dicens: *Surge Aquilo,* D *& veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Per Aquilonem, qui in frigore constringit & torpentes facit: quid aliud nisi immundus spiritus designatur? qui dum tentat & possidet omnes reprobos, à bono opere torpere facit: per Austrum vero, scilicet calidum ventum, Spiritus-sanctus designatur: qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat, & ferventes in Dei amore facit. Ergo surgat Aquilo, id est, malignus spiritus ab Ecclesia, vel ab unaquaque fideli anima discedat: ne amplius tentet quàm oportet: veniatque Auster & perflet hortum sponsi, & fluant aromata illius: ut Spiritus-sanctus videlicet adveniens ignem caritatis mentibus infundat, & à tentatione atque torpore E negligentiæ mentem solvat. Quod dum agit, aromata fluunt, quia adveniente Spiritu-sancto, cor quod prius torpuerat, ad bona opera se excitat, & quasi hortus florescit, & post florem fructus redolentes ac reficientes facit, quibus se & proximos suos per bona exempla reficit.

159. *Interrogatio.* Frater carissime, rogo, ut ostendas mihi quod est remedium adversus tentationes dæmonum. *Resp.* Soror mihi in Christo dilecta, hoc est remedium ejus qui vitiorum, vel dæmonum tentationibus æstuat, ut quanto amplius tentatur, tanto amplius ad orationem currat. Si ergo cogitationes hujus sæculi malæ & sordidæ conturbant cor tuum, & persuadent aliquid F illicitum perpetrare: per orationes puras & vigilias sanctas depellantur ab anima. Assidue cum omni devotione assiste in conspectu Domini in tempore orationis tuæ: ut imminentem tentationem diaboli facilius possis evadere. Cognosce, venerabilis Soror, quia non solum debemus pugnare contra diaboli tentationem, sed etiam contra vitia carnis. Quare? quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Ideo tam perseveranter debemus orare, quousque possimus per gratiam Dei suggestiones carnalium desideriorum atque tentationes dæmonum vincere. Frequens oratio exstinguit impugnationem vitiorum. Oratio continua superat tela diaboli. Oratio est prima virtus adversus tentationum incursus. Igitur, Soror carissima, sicut jam dixi tibi, per orationes vinces tentationes diabolicas. Sed si adhuc sentis molestias carnis, si tangeris stimulis carnis, si memoria libidinis adhuc titillat animum tuum: si caro tua adhuc te impugnat, si te luxuria tentat, si te libido ad peccandum invitat: objice tibi memoriam mortis tuæ, propone tibi futurum judicium, reduc ad memoriam futura tormenta, propone tibi æterna supplicia: & etiam propone ante oculos tuos perpetuos ignes inferorum: propone tibi horribiles pœnas gehennæ. Memoria ardoris gehennæ exstinguat in te ardorem luxuriæ. Amen.

Memoria novissimorum.

## LXVIII. *De Somniis.*

160. Honestissima soror, ea quæ dicuntur ausculta. Sæpe in noctibus dæmones occurrentes conturbant sensus hominum per visiones: sæpe etiam aperta impugnatione grassantes corpora hominum verberant. Diverso modo fiunt somnia. Quædam somnia eveniunt per saturitatem, sive per exinanitionem, quæ etiam per experientiam nota sunt: quædam etiam ex propria cogitatione oriuntur (nam sæpe quæ in die cogitamus, in nocte recognoscimus:) multa somnia eveniunt ex illusione immundorum spirituum, Salomone attestante, qui ait: *Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis:* quædam autem visiones justo eveniunt modo, id est, super revelationis mysterio, sicut in veteri testamento legitur de Joseph filio Jacob, qui per somnium fratribus dicitur præferendus: vel sicut legitur in Evangelio de Joseph sponso Mariæ, qui per somnium est admonitus ut fugeret cum puero in Ægyptum. Nonnumquam accidunt permixtæ etiam visiones, id est, cogitationes simul & illusiones, atque item cogitationes simul & revelationes, Daniele dicente: *Qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.*

Somniorum variæ causæ. Eccli. 34. Gen. 37. Mat. 2. Dan. 2.

161. Quamvis autem quædam vera somnia sunt, tamen facile non debemus eis credere, quia è diversis imaginationibus nascuntur, & unde veniant perfecte non cognoscimus. Igitur somniis facile non debemus fidem adhibere: ne forte satan in angelum lucis se transformans, aliquem hominem incautum decipiat. Aliquando dæmones quosdam curiosos & somnia observantes ita deceptoria arte decipiunt, ut quædam somnia non aliter eveniant quàm ipsi dicunt: & ideo aliquando vera pronuntiant, ut in multis fallant. Sed quamvis ita somnia eveniant sicut pronuntiant dæmones, tamen credenda non sunt: ne ex illusione procedant, secundum testimonium Scripturæ dicentis: *Si dixerint vobis, & ita evenerit, non credatis.* Somnia similia sunt auguriis, & qui ea observant, augurari noscuntur. Ergo somniis fides non est adhibenda, quamvis videantur esse vera. Qui in somniis vel auguriis spem suam ponit, non confidit in Deo: & talis est qualis ille qui ventum sequitur, aut umbram aprehendere nititur. Auguria mendacia, & somnia deceptoria, utraque vana sunt. Non debemus credere somniis, ne forte decipiamur in illis. Spes nostra in Deo semper sit firma: & de somniis nulla nobis sit cura. Dignum valde est, ut in Deo ponamus spem nostram, & in somniis nullam habeamus fiduciam. Ideo, Soror carissima, te moneo, ut mens tua non sit in somniis vel auguriis intenta, sed in Deo omnipotenti sit firma. Si enim auguria, vel somnia observaveris, cito decipieris. In omni vita tua contemne auguria, & somnia, & pone spem tuam perfecte in Dei providentia: & in hac vita & in futura venient tibi prospera. Amen.

Non credendum somniis. Deut. 13.

## LXIX. *De brevitate Vitæ.*

162. Soror carissima, audi verba Salomonis: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Tantum enim in hac præsenti vita est licitum operari bonum. In futura namque

Eccle. 9.

vita jam non exſpectatur operatio, ſed bonorum operum retributio. Vita iſta brevis eſt & caduca. Unde beatus Iſidorus; Qui longitudinem præſentis vitæ non de ſuo ſpatio, ſed de ejus fine conſiderat, quàm ſit brevis & miſera, ſatis utiliter penſat. Igitur, ſoror dilecta mihi in Chriſto, ſi veram vitam quæris, ad eam vitam tende, quæ eſt vera, pro qua es Chriſtiana, id eſt, ad vitam æternam. Æterna vita eſt vitalis, iſta eſt mortalis. Ideo debes in carne mori mundo, ne moriaris in anima Chriſto. Tunc quiſque vivere creditur, ſi ſecundum ſæculum moriens, in ſolo Deo vivit, in quo vivere promiſit. De mora vitæ hujus tædium patitur juſtus: eo quòd ad deſideratam patriam tarde perveniat. Venturi exitus ignorantia hominibus eſt incerta: & dum quiſque mori non arbitratur, confeſtim moritur. Unde feſtinet unuſquiſque emendare malum quod fecit, ne in iniquitatibus moriatur, & ſimul finiatur vita cum culpa. Diabolus quos viventes accendit ad vitia, morientes ſubito nititur pertrahere ad tormenta. Quamvis homo in hac vita juſtus ſit; tamen cum de corpore iſto egreditur, pertimeſcit ne ſupplicio dignus ſit. Tranquilla vocatio commendat finem juſtorum hominum, ut ex eo intelligantur ſanctorum Angelorum habere conſortium, ex quo ſine gravi vexatione de hoc mortali corpore egrediuntur. Jeſus-Chriſtus Filius Dei cum magno honore recipit ſervos ſuos ab hac vita recedentes in æterna beatitudine. Unde ſponſa in Canticis canticorum loquitur dicens: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum.* Deſcendit, quia Eccleſiam viſitans ad eos majori gratia venit, quos ſanctis operibus & exemplis virtutum, odorem bonæ famæ proximis ſuis emittere cognoſcit. In hortis paſcitur, quando in virtutibus animarum delectatur. Lilia colligit, quando electos ſuos ab hac vita ſuccidit, & ad gaudia æternæ vitæ eos tranſire facit. De talibus dicitur: *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.* Tela conſumitur filis, & vita hominis expenditur diebus ſingulis. In die mortis animæ electorum nimio terrentur metu, incertæ utrum ad præmium, an ad ſupplicia tranſeant. Quidam autem electi in fine ſuo purgantur à levibus peccatis: quidam vero in ipſa mortis ſuæ hora hilareſcunt & gaudent ex contemplatione æternorum bonorum.

Vita vera eſt, vivere Chriſto.

Cant. 6.

Pſal. 115.

Cur incerta mortis dies.

163. Ideo voluit omnipotens Deus diem mortis noſtræ nobis eſſe incognitum, ut ſemper ignoretur, ſemper eſſe proximus credatur; & tanto quis ſollicitus ſit in bono opere, quanto incertior eſt de ſua evocatione. Dæmones ſuſcipiunt animas malorum hominum in die mortis eorum, ut ipſi ſint tortores in pœnis, qui fuerunt ſuaſores in vitiis. Tunc maligni ſpiritus opera ſua requirunt, quando anima de corpore egreditur: & nunc mala quæ ſuaſerunt replicant, ut eam ſecum ad tormenta pertrahant. Iniquus poſt mortem ducitur cruciandus: juſtus vero poſt laborem quieſcit ſecurus. Sicut enim electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt quod à die exitus ſui ignis peccatores exurat. Soror mihi in Chriſto dilecta, ideo in auribus tuis hæc expono, ut cognoſcas quia neceſſe eſt nos terrena ſemper deſpicere, & diem mortis noſtræ ſemper in mente habere. Audi etiam quid Jacobus Apoſtolus dicat: *Quæ eſt vita noſtra, niſi vapor ad modicum parens?* Iterum Salomon ait: *Ne glorieris in craſtinum, ignoras enim quid ſuperventura pariat dies.* Sollicite ergo, ſoror venerabilis, debes vivere, & terminum vitæ tuæ conſiderare quotidie, ut hujus ſæculi blandimenta poſſis deſpicere, & cæleſtia bona acquirere. *In omnibus operibus tuis conſidera noviſſima tua, & in æternum non peccabis:* quia ſi ea ſemper conſideraveris, numquam, aut raro peccabis. Hac de cauſa te moneo, ſoror, ut in rebus vanis hujus mundi non læteris, quia ſine dubio morieris. Nec habeas ſpem in rebus temporalibus, quia per nullam ſortem poteris effugere mortem. Caro miſera cur in terrenis lætatur, quæ ad manducandum vermibus præparatur? Honeſtiſſima ſoror, ideo hoc dixi, ut numquam obliviſcaris ordinem tuæ conditionis. *Memento quia cinis es, & in cinerem reverteris. Pulvis es, & in pulverem ibis.* Sic enim ait Dominus primo homini. Reduc etiam ad memoriam ea quæ Job de ſe locutus eſt dicens: *Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea.* Memoriam tuæ mortis tibi objice, diem exitus tui tibi propone, dies mortis tuæ ſemper ſit in memoria tua, & recordatione illius perfecte caveas peccata & vitia. Amen.

Jac. 4.

Prov. 27.

Eccli. 7.

Gen 3.

Job. 13.

### LXX. De Morte.

164. Soror venerabilis, rogo ut audias verba cujuſdam Sapientis: *O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis.* Et iterum: *O mors, bonum eſt judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur divitiis & viribus.* Huic ſimile eſt quod ait beatus Iſidorus: O mors, quàm dulcis es miſeris, quàm ſuavis es amare viventibus, quàm jucunda es triſtibus atque lugentibus. Mors ponit finem omnibus malis in hac vita. Dat terminum malis in hoc ſæculo, adimit omnem calamitatem. Mors præbet terminum hominibus in tribulationibus in hoc mundo, ſed heu exſpectata mors tarde venit. Igitur, ſoror cariſſima, melius eſt bene mori, quàm male vivere: melius eſt non eſſe, quàm eſſe infeliciter.

Eccli.

Ibidem.

165. *Interrogatio.* Frater dilecte, rogo te, ut dicas, ſi debemus mortuos lugere, aut pro amicis mortuis planctum facere? *Reſp.* Soror dilecta, ad hoc beatus Iſidorus reſpondeat tibi: Quamvis, inquit, pietas pro defunctis fidelibus plorare jubeat: fides tamen pro eis lugere vetat. Pro fidelibus igitur defunctis non debemus plorare, ſed Deo gratias agere, quia eos de miſeria hujus ſæculi dignatus eſt liberare, & eos ad loca refrigerii, lucis ac pacis, ſicut credimus, fecit tranſire. Defunctos fideles lugere non debemus, quos ad requiem migraſſe non dubitamus. Honeſta virgo, audi quæ dico: Illi homines ſunt in morte plorandi, quos dæmones cum ignominia rapiunt; non illi quos Angeli cum honore ſuſcipiunt: vel illi ſunt lugendi, quos dæmones pertrahunt ad pœnas inferni; non autem illi quos Angeli perducunt ad gaudia paradiſi. Aut illi ſunt plorandi, qui poſt mortem à dæmonibus ſepeliuntur in inferno; non illi qui ab Angelis collocantur in cælo: illi ſunt plorandi, qui male moriuntur; non illi qui bene finiunt: illi ſunt flendi, qui mala morte præoccupantur, & non illi qui pretioſa morte honorantur. Chriſti virgo, audi quæ dico: Quando mortuos qui bene moriuntur, lugeo, mihi noceo, & illis non proficio: quando mortuos ploro, & illis non prodeſt, & mihi obeſt. Illi ergo mortuos ſuos carnaliter lugeant, qui reſurrectionem negant: aut qui poſt mortem non credunt reſurrectionem. Igitur, Soror cariſſima, nos qui mortuos noſtros credimus cum Chriſto regnare, non debemus pro eis plorare, ſed orare: non debemus mortuos carnaliter lugere, ſed pro eis Domino preces fundere, ut eos dignetur de pœnis eripere.

Mortuos lugere

### LXXI. De Judicio.

166. Duplex eſt judicium divinum: unum, quo in hac vita judicantur homines: alterum, quo in futura judicabuntur. Propterea quidam hic judicantur per infirmitates & paupertates, & per varias tribulationes hujus ſæculi, ne in futuro judicentur. Ideo quibuſdam ad purgationem proficit temporalis pœna: quorumdam vero hic inchoatur damnatio, & illic paratur perfecta perditio. Quidam judicantur in hoc ſæculo per tribulationem: quidam vero in futuro judicabuntur per ignem. Ad examen diſtricti Judicis, nec juſtitia ſecura erit. Inde eſt quod de Domino loquitur Job: *Innocentem & impium ipſe conſumit.* Conſumitur quippe à Deo innocens, quando ipſa innocentia liquidius requiſita, & divinæ innocentiæ comparata, nihil efficitur. Conſumitur etiam à Deo impius, quando ſubtilitate divini examinis impietas illius requiritur, & de recto damnatur. Chriſtus in judicio pro diverſitate meritorum mitis ac ſuavis apparebit electis: reprobis vero apparebit terribilis. In die judicii qualem unuſquiſque habuit conſcientiam, talem judicem habebit: ut Chriſto in ſua tranquillitate manente, illis ſolis terribilis appareat, quos mala conſcientia accuſat. Soror cariſſima, audi beatum Iſidorum: Nullus homo eſt ſine peccato, nec

Judicium divinum duplex.

1. Cor

Job 9.

Pro diverſitate meritorum diverſa erit facies Judicis.

quisquam securus esse potest de Dei judicio: cum etiam de otiosis verbis reddenda sit ratio. Heu nobis miseris peccatoribus! Heu nobis indignis, quid in illa die dicturi sumus, qui non solum otiosis verbis, sed & factis quotidie peccamus, & à malis actibus numquam cessamus. Si in judicio omnipotentis Dei justus securus non erit, quid de nobis peccatoribus erit? Si ad examen districti Judicis, nec justitia justi hominis erit secura: nos miseri quid faciemus in die illa, qui quotidie multiplicamus peccata nostra? Si in die judicii vix salvabitur justus, nos quî innumerabilia peccata fecimus, in die illa ubi apparebimus? Nullus homo sine timore poterit esse in die illa, quando cæli movendi sunt & terra; & omnia elementa calore sunt solvenda, de qua etiam dicitur: B *Dies illa, dies tribulationis, dies miseriæ & vindictæ, dies nubis & caliginis, dies tubæ & clangoris, tribulabitur in ea fortis.*

167. Heu frater mi, quid in illa die dicturi sumus, quando ille districtus Judex advenerit? Dum enim adventum illius memorasti, me plorare fecisti. Tu memorando terribilem diem judicii, ad lacrymas me coëgisti. Soror mihi in Christo dilecta, bene fecisti, si cum timore districti judicis flevisti: quia antequam appareat dies judicii, oportet nos prævenire ante faciem ejus in confessione, & lacrymas nostras in conspectu ejus ponere. In hac vita est tempus acceptabile, & dies salutis. Unde dicitur: *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum* C *prope est.* In hac vita non videtur judex, & est prope: in futura vita videbitur, & erit longe. Igitur Soror carissima necesse est, ut quæramus Dominum in toto corde, & tota mente in hac præsenti vita, si eum invenire quærimus in futura. Si eum in hac vita cum omni devotione quæsierimus, & à malis operibus recesserimus, in die judicii misericordiam ab eo consequemur, quia benignus & misericors est. De illo namque scriptum est: *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Igitur Soror carissima, deprecemur ipsum terribilem ac justissimum Judicem cum lacrymis & omni devotione, ut in die judicii non reddat nobis secundum iniquitates nostras, sed secundum misericordias suas, & D ut non permittat nos cum impiis audire illam terribilem sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum:* sed ut nos faciat cum electis suis audire: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.*

### LXXII. Epilogus.

168. Soror carissima, jam per gratiam Dei navim locutionis ad portum dirigo: sed tamen iterum ad te revertor loquendo. Tu enim rogasti, ut verba sanctæ admonitionis scriberem tibi. Ego vero si non ut debui, tamen per gratiam Dei, ut potui, ex dictis sanctorum Patrum ad tuam commonitionem sententias collegi, quas tuæ dilectioni in hoc libro repræsentavi. Ecce igitur So- E ror mihi in Christo dilecta, habes bonæ vitæ monita. Datum est tibi consilium bene vivendi, & etiam norma. Nulla jam ignorantia à peccato te excusat. Non es jam nescia bonæ vitæ. Non enim imprudens aut ignara bene vivendi jam poteris dicere: Per ignorantiam peccavi. Quare? quia jam lex posita est tibi quam debes sequi: jam ostensa sunt tibi præcepta bene vivendi: jam demonstratum est tibi qualiter in domo Dei debeas conversari: qualis debeas esse, jam ostensum est tibi. Jam habes cognitionem mandatorum: jam scis quid sit recte vivere Vide ergo ne ultra offendas, vide ne deinceps bonum quod nosti, dissimules. Bonum legis male vivendo contemnis. Si bona quæ legis, male vivendo con- F tempseris, in conspectu Dei nimis eris culpabilis. Quare? quia melius est viam salutis non cognoscere, quam post A cognitionem retro ire. Ergo acceptum donum scientiæ mente & opere retine: imple opere quod didicisti præceptione. Soror venerabilis, iterum iterumque præcipio tibi, ut summo studio custodias monita hujus libri.

### LXXIII. Sororis pro se intercessionem apud Deum rogat.

169. Te deprecor, Soror carissima in Christo, ut non pigeat audire ea, quæ tibi volo dicere cum magno desiderio; quia in Christo te multum diligo, ideo tibi conscientiam ostendo meam. Sed dum tibi peccata mea manifesto, ne forte aures tuas polluam timeo. Te tamen rogo dilecta Soror in Christo, ut des veniam mihi peccatori indigno. Ego miser & peccator à primis fere annis contaminavi vitam meam: semper nova peccata veteribus conjunxi: semper peccata peccatis addidi: peccare numquam desii: bonum quod debueram facere, non feci: malum quod non debueram facere, feci. Ego miser non sum dignus videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatis meæ, quoniam irritavi iram omnipotentis Dei adversum me, & innumerabilia mala coram eo cogitavi, dixi, & feci ab infantia mea usque in præsentem diem. Ego infelix peccavi in infantia, peccavi in pueritia, in adolescentia, in juventute, sed etiam quod est gravius & periculosius peccavi, in senectute. Cecidi miser in cœnum flagitiorum. Ego reus cecidi in foveam peccatorum. Ego culpabilis cecidi in puteum iniquitatis. Ego infelix cecidi in profundum malorum: descendi miser in volutabrum vitiorum. Heu miser, heu infelix cecidi, & per me non valeo surgere. Te ergo deprecor Soror in Christo amabilis, ut tu me subleves manu tuæ orationis. Manum tuæ orationis mihi porrige, & me de profundo vitiorum extrahe. Tuæ intercessionis manum intende, & me de fovea iniquitatis eripe. Soror carissima, certus sum quod si tu pactum quod cum Christo pepigisti, servaveris: & tibi dabitur corona in æterna gaudia, & mihi peccatori dabitur venia in hac vita. Si tu ea quæ Christo vovisti, devota mente impleveris: & mihi indigno veniam obtinebis, & tu cum sanctis virginibus in cælesti thalamo lætaberis.

170. Honesta virgo, certus sum nec dubito, quod tua virginalis oratio poterit obtinere veniam peccatorum meorum mihi indigno. Soror venerabilis, si tu in servitio Dei, sicut pollicita es, perseveraveris, & mihi peccatori indulgentiam consequeris: & tu inter choros virginum in perpetuum exaltaberis. Honesta virgo, rogo ut intenta mente audias quæ dico. Tu es soror mea devotissima in Christo, per cujus intercessionem mundari à peccatorum meorum sordibus non dubito. Si tu honorabilis virgo, accepta es virgo Deo, & si tu cum Jesu-Christo sponso tuo casto cubili cubueris, pro salute mea quicquid ab eo petieris impetrabis. Si tu Soror castis amplexibus Christum amplexata fueris, profecto mihi peccatori veniam obtinere poteris. Si tu amplexibus Christi fragrantissimo odore virginitatis adhæseris, mihi indigno indulgentiam obtinebis. Si Jesum-Christum sponsum cælestem super omnia amaveris, & in ejus dulcissimo amore requieveris, delictorum meorum absolutionem acquirere poteris. Jesus-Christus sponsus tuus non te contristabit, sed quodcumque petieris dabit tibi, qui te suæ copulæ sociavit. multum enim te diligit, qui suo sanguine te redemit. Igitur amor tuus in Christo, erit peccatorum meorum remissio. Spem remissionis habeo, si tu carissima soror, quam multum diligo, intraveris cum Christo ad nuptias in cælestem thalamum. Tu soror venerabilis in die districti ac tremendi judicii Dei solatium meum eris, ubi sum redditurus rationem de culpis & negligentiis meis. Meritum enim tuæ sanctæ virginitatis minuet pœnam meæ iniquitatis, Amen.



## ADMONITIO IN SEQQ. VERSUS ET RYTHMOS.

Berengarius *scholasticus in Apologia pro Abaëlardo contra S. Bernardum auctor est, Bernardum ipsum* à primis fere adolescentiæ rudimentis cantiunculas mimicas (*sic ille pro innata petulantia loquitur*) & urbanos modulos fictitasse, & rythmico certamine *cum fratribus contendisse. Non tamen existimem, sequentes versus & rythmos Bernardo esse tribuendos. Quippe Cistercienses nihil admittebant, quod metricis legibus coërcetur. Unde Bernardus in componendo sancti Victoris Officio leges non tantum metri, sed etiam rythmi omnino neglexit. Non ergo ejus esse putem* Carmen paræneticum ad Rainaldum, *quod Petrus Possinus Soc. Jesu ex Bibliotheca Chigiana Romæ vulgavit anno* M. DC. LXIII. *neque rythmum sequentem, à Carolo* de Visch *monacho Dunensi editum. Nec quidquam certius habemus de* Jubilo rythmico de nomine Jesu, *jam pridem Bernardo adscripto: qui in quodam codice Vallis-Cernaii Ord. Cisterc. inscribitur,* Meditatio cujusdam sanctæ Virginis de amore Christi. *Sunt qui hymnum* Ave Maris stella *eidem sancto Doctori tribuunt. Verum hunc antiquioris esse auctoris patet tum ex vetustiori codice nostro Germanensi, tum ex Breviario Casinensi, quod modo in domo institutionis Patrum Oratorii Parisiis asservatur, scripto tempore Oderisii abbatis eo nomine primi, qui anno* M. C. V. *vivere desiit: quibus in libris hymnus iste habetur.*

# CARMEN PARÆNETICUM.

## *AD RAINALDUM.*

Hartula nostra tibi portat, Rainalde salutes,
Plura videbis ibi, si non hæc dona refutes.
Dulcia sunt animæ solatia quæ tibi mando:
Sed prosunt minime, nisi serves hæc operando.
Quod mea verba monent tu noli tradere vento,
Cordis in aure sonent, & sic retinere memento.
Ut tibi grande bonum nostri monitus operentur,
Perque Dei donum tibi cælica regna parentur.
Menti sinceræ possunt hæc verba placere.
Hæc iter ostendunt, hortantur, non reprehendunt.
VOX Divina sonat, quod nemo spem sibi ponat
In rebus Mundi, quæ causam dant pereundi.
Quisquis amat Christum, Mundum non diligit istum,
Sed quasi fœtores spernens illius amores,
Æstimat obscœnum quod Mundus credit amœnum.
Et sibi vilescit totum quod in Orbe nitescit.
Vitat terrenum decus ut mortale venenum,
Abjectoque foris cœno carnalis amoris,
Ad Regnum cæli suspirat mente fideli,
Jamque fide plena Paradisi sperat amœna.
Tu quoque Frater, ita carnis contagia vita;
Ut placeas Christo dum Mundo vivis in isto.
Quæ cito labuntur, magnoque labore petuntur,
Non tibi sint curæ res ad nihilum rediture:
Nec modo læteris, quia forsan cras morieris,
Per nullam sortem poteris depellere mortem.
Cur caro lætatur, quæ vermibus esca paratur?
Nunc locus est flendi, locus est peccata luendi.
Postea gaudebit qui nunc sua crimina flebit:
Jam jam lætetur quia gaudia summa meretur.
Gaudia stultorum cumulant augmenta malorum.
Talia prudentes fugiunt ea despicientes.
Cur cito non spernis quæ prætereuntia cernis?
Nonne vides Mundum nimis infirmum & moribundum
Sub gladio diræ mortis languendo perire?
Mors resecat, mors ecce necat quod carne creatur,
Magnificos premit & modicos; cunctis dominatur,
Tam Ducibus quam Principibus communis habetur,
Nobilium tenet imperium, nullum reveretur.
Mors juvenes rapit atque senes, nulli miseretur,
Illa fremit, genus omne tremit quod in orbe movetur,
Illa ferit, caro tota perit: dum sub pede mortis
Conteritur non eripitur vir robore fortis.
Cur igitur qui sic moritur vult magnificari?
Cur nimias sibi divitias vult ille parari?
Instabiles sumus & fragiles multisque ruinis
Atterimur: sic jam trahimur sub tempore finis.
Prætereunt & non redeunt mortalia quæque.
Nec spatio manet in dubio: sed nocte dieque
Vita brevis, velut umbra levis sic annihilatur;
Sic vadit subitoque cadit dum stare putatur.
Quis redimit dum mors perimit, quis fœderat usquam?
Nec pretium nec servitium, mors accipit umquam.
Sed quid plura loquor? nulli mors improba parcit.
Non evadit inops nec qui marsupia farcit.
Non igitur cesses ea quæ bona sunt operari:
Nam mors non cessat tibi nocte dieque minari.
Amplius in rebus noli sperare caducis:
Sed tua mens cupiat æternæ gaudia lucis.
Fallitur insipiens vitæ præsentis amore;
Sed sapiens noscit quanto sit plena dolore.
Quidquid formosum Mundus gerit & pretiosum,
Floris habet morem cui dat natura colorem,
Mox ut siccatur totus color annihilatur.
Postea nec florem monstrat, nec spirat odorem.
Regia majestas, omnis terrena potestas,
Prosperitas rerum, series longæva dierum,
Transiet absque mora mortis dum venerit hora;
Horam nescimus mortis, mortem bene scimus.
Nescit fama mori, mors nulla paratur honori.
Audi quid sit honor, sed non tibi scribere conor;
Nosti quippe satis, quia nil habet utilitatis.
Prædia terrarum, possessio divitiarum,
Fabrica murorum, grandis structura domorum,
Gratia mensarum cum deliciis epularum,
Insignesque thori, cuppæ scyphique decori,
Resplendens vestis quæ moribus obstat honestis;
Grex armentorum, spatiosus cultus agrorum,
Fertile vinetum diversa vite repletum,
Gloria natorum, dilectio dulcis & horum,
Cuncta relinquentur, nec post hæc invenientur.
Quod breviter durat quis prudens quærere curat?
Non metuens hominem faciet mors aspera finem
Rebus mundanis mendacibus, & malesanis.
Causa gravis scelerum cessabit amor mulierum;
Colloquium quarum nil est nisi virus amarum,
Præbens sub mellis dulcedine pocula fellis.
Nam decor illarum laqueus fallax animarum.
Cum verbis blandis, fallacibus atque nefandis
Illaqueat stultos & fert ad tartara multos.
Tempora transibunt & gaudia vana peribunt,
Et patient fructum tristem per secula luctum.
Omnibus hoc dico, ne se subdant inimico;
Ne supplantetur qui captus in his retinetur.
Noli confundi misera dulcedine mundi,
Nam sua dulcedo dilabitur ordine fœdo,
Quæ tepidas mentes & mollia quæque sequentes
Fallit mulcendo carnem blandeque fovendo:

Postea finitur nec dulcis jam reperitur:
Sed fit amara nimis, non æquans ultima primis;
Et graviter pungit miseros quos primitus ungit.
Nam sic illusos & semper mollibus usos
Damnatos digne post mortem torquet in igne,
Atque voluptatem convertit in anxietatem,
Et fit flamma furens illos sine fine perurens.
Talia lucra ferent studiis qui talibus hærent.
Sed qui salvari vult perpetuoque beari,
Christo devotum studeat se tradere totum.
Sedibus in lætis æternæ dona quietis
Ejus inhærendo præceptis, & faciendo,
Quod scripturarum monstrant documenta sacrarum,
Accipiet vere qui vult hæc jussa tenere,
Quæ cunctis dantur qui corde Deo famulantur.
Hic est servorum requies & vita suorum.
Gaudia quæ præstat, tribulatio nulla molestat,
Gloria sollemnis manet illis, paxque perennis.
Semper honoratos, semper facit esse beatos;
Quos recipit secum, quod quamvis judicet æquum,
Plura tamen dantur Sanctis quam promereantur.
Omnia dat gratis divinæ fons pietatis,
Proque labore brevi confert bona perpetis ævi.
His qui salvantur sic præmia multa parantur,
Sic mala multa malis mors præparat exitialis.
Isti gaudebunt, illi sine fine dolebunt.
Nemo potest fari, nec cernere, nec meditari
Gaudia justorum, sed nec tormenta malorum:
Quam male fraudantur qui stulte ludificantur,
Qui propter florem Mundi vanumque decorem,
Qui prius apparet quasi ros, & protinus aret,
Vadit in infernum perdens diadema supernum,
Quod Dominus donat cunctis quos ipse coronat.
Errat homo vere qui cum bona possit habere,
Sponte subit pœnas infernalesque catenas.
Hujus amor Mundi putei parat ima profundi:
Protinus exstinctus moritur qui mittitur intus,
Semper ad ima cadit, semper mors obvia vadit,
Nec venit ad metas mortis venerabilis ætas.
Nescia finiri, semperque videtur oriri,
Semper vexando, semper gemitus renovando,
Ingerit ardores infinitosque dolores.
Sunt ibi serpentes flammas ex ore vomentes,
Deformes, nigri, sed non ad verbera pigri:
Numquam laxantur, sed semper ad hæc renovantur,
Et male ferventes sunt ad tormenta recentes,
Semper tristati, semperque ferire parati,
Semper inardescunt, non cessant, nec requiescunt.
Sic exercentur, nec parcunt, nec miserentur.
Quam male damnatur, quam fortiter excruciatur,
Qui fert tantorum feritatem suppliciorum!
Quid tibi thesauri, quid acervus proderit auri,
Cum peccatores mittentur ad inferiores
Inferni latebras, ignem, pariterque tenebras
Semper passuri, nec ab his umquam redituri?
Est flens & tristis qui pœnis traditur istis,
Mallet præteritæ quod in omni tempore vitæ
Pauper vixisset, quam divitias habuisset.
Stat male securus qui protinus est ruiturus;
Nec bene lætatur cui pœna dolorque paratur.
Non igitur cures gazas acquirere plures,
Gazas fallaces incertas atque fugaces,
Quæ magis optantur cum plenius accumulantur,
Nec satiant mentes semper majora petentes.
Divitiæ tales sunt omnibus exitiales.
Nam sibi credentes faciunt miseros & egentes;
Post carnis vitam per blanditias nutritam.
Expertesque boni traduntur perditioni.
Nemo tamen credat quod ab ista luce recedat,
Si proprium servet vel divitias coacervet,
Ignibus arsurus vel propter opes periturus.
Quamvis sit rarum, poterit possessor earum
Juste salvari, fugiat si nomen avari.
Vivat prudenter, gazas habeat sapienter!
Non abscondendo, sed egenis distribuendo.
Sed satis est notum quod plus dimittere totum;
Prodest, quam temere quæ sunt incerta tenere.
Tutius est vere morsum fugiendo cavere,
Quam prope serpentes procumbere virus habentes.
Si nunc de mundo est horror, Tibi consilium do;
Quatenus hoc spreto, Te tradas, pectore læto
Servitio Christi cui traditus ipse fuisti.
Hic tibi præbebit Regnum quod fine carebit,
Huic si Te dederis, celsis opibus potieris,
Tollere quas fures nequeunt, nec rodere mures.
Collige thesaurum qui gemmas vincat & aurum,
Quique bonos mores Tibi congregat interiores.
Gazas congestas mentis præcellit honestas.
Quam miser est, & erit, qui Mundi prospera quærit:
Est dives vere qui non ea curat habere.
Qui bonus est intus fidei munimine cinctus,
Semper honestatis studium tenet & probitatis.
Cum bona quis tractat, tum se virtutibus aptat.
Si nihil est sordis quod polluat intima cordis,
His delectatur Dominus qui cor speculatur.
Thesaurus talis pretiosus, spiritualis
Comparat æternam vitam patriamque supernam.
Congregat in cælis thesauros quisque fidelis,
Perque bonos mores ad summos tendit honores.
Nec modo vult fieri locuples, nec magnus haberi:
Sed semper minimus, semper despectus & imus,
Plus paupertatem cupiens, quam prosperitatem.
Hæc ideo tolerat, quia cæli gaudia sperat.
Pauper amabilis & venerabilis est benedictus,
Dives inutilis & miserabilis est maledictus.
Qui bona negligit, & mala diligit intrat abyssum.
Nulla potentia, nulla pecunia liberat ipsum.
Immiserabilis, insatiabilis illa vorago,
Hic ubi mergitur, horrida cernitur omnis imago.
Hæc cruciamina per sua crimina promeruere
Vir miserabilis, Evaque flebilis, & subiere.
Jussa Dei pia, jussa salubria si tenuissent,
Vir neque femina, nec sua semina morte periissent.
Sed quia solvere, jussaque spernere non timuerunt;
Mors gravis irruit; hoc merito fuit, & perierunt.
Janua mortis, læsio fortis, crimen eorum,
Attulit orbi semina morbi totque malorum.
Illa parentes atque sequentes culpa peremit,
Atque piarum deliciarum munus ademit.
Flebile factum dans cruciatum, dansque dolorem,
Ista mereri, perdere veri Regis amorem,
Tam lacrymosa, tamque perosa sorte perire,
Atque ferorum suppliciorum claustra subire.
Est data sævam causa per Evam perditionis,
Dum meliores sperat honores voce draconis,
Hæc male credens, nos quoque lædens crimine magno;
Omine tristi subdidit isti sæcula damno:
Stirps miserorum plena dolorum postea crevit.
His quoque damnis pluribus annis subdita flevit.
Tunc Deus omnipotens qui verbo cuncta creavit,
Sic cecidisse dolens hominem quem semper amavit,
Ipse suum Verbum transmisit ad infima Mundi,
Exsulibus miseris aperire vias redeundi.
Filius ergo Dei descendit ab arce superna,
Numquam descendens à majestate paterna.
Qui corpus sumens animatum, numine salvo,
Processit natus sacræ de Virginis alvo.
Verus homo verusque Deus, pius & miserator,
Salvator verus, nostræque salutis amator.
Vivendique volens nobis ostendere normam;
Se dedit exemplum rectamque per omnia formam.
Insuper & multos voluit sufferre labores,
Atque dolore suo nostros auferre labores.
Sponte sua moriens mortem moriendo peremit,
Et sic perpetua miseros à morte redemit.
Quod non debebat persolvens fons pietatis
Succurrit nobis mortali peste gravatis.
Pondera nostra ferens penitus nos exoneravit,
Et quidquid crimen vetus abstulerat, reparavit.
Nam de morte pia consurgens ut leo fortis,
Restituit vitam, prostrato Principe mortis.
Sic Domini pietas mundum non passa perire;

Fecit nos miseros ad gaudia prima redire.
Jam satis audisti, Frater, quod gratia Christi
Sic nos salvavit, nostrumque genus renovavit.
Si sapis hoc credis, nec ab hac ratione recedis.
Sed quid lucratur credens quod non operatur?
Hic male se lædit, male vivens non bene credit.
Crede, magis magnum facit illa fides sibi damnum;
Quam si nescisset fidei quod dogma fuisset.
Mortem lucratur, quæ mortua jure vocatur.
Hunc facit ipsa mori sub judicio graviori.
Quod loquor est notum retinentibus utile totum.
Frater id ausculta, venient Tibi commoda multa,
Si retinere velis, quia sic eris ipse fidelis.
Hanc per virtutem poteris retinere salutem,
Atque beatus eris si quæ bona sunt opereris.
Ergo verborum semper memor esto meorum.
Cura tuæ mentis semper sit in his documentis.
Si vis salvari semper studeas imitari
Vitam justorum, fugiens exempla malorum.
Illis jungeris quorum Tu facta sequeris.
Elige Sanctorum consortia non reproborum.
O quam ditantur queis cælica Regna parantur!
Sic exaltantur qui Sanctis associantur,
Vivent jocundi qui spernunt gaudia mundi,
Qui carnis miseræ norunt vitiosa cavere,
Sub pedibus quorum victus jacet hostis eorum;
His dabitur vere Dominum sine fine tenere,
Angelicosque choros divina laude sonoros,
Cum quibus ante Deum referunt cum laude trophæum.
Quæ Tibi nunc dico si serves corde pudico,
Hoc iterum certus vives sine tempore lætus.
Sed miseri flebunt, quia gaudia nulla videbunt.
Numquam cum reprobis tribuatur portio nobis.
Ad pœnas ibunt, à Te sine fine peribunt.
Mundus ad hanc partem trahitur per dæmonis artem,
Talia damna ferent istis qui sordibus hærent.
His igitur monitis tactus toties repetitis,
Sensu discreto quæ sunt nocitura caveto.
Pervigili cura semper meditare futura.
Quam fera, quam fortis veniet destructio mortis;
Quæ via pandetur cum spiritus egredietur,
Quid sit facturus, vel quos comites habiturus,
Quam miser infernus, quam nobilis ordo supernus,
Quæ mala damnatis, quæ sint bona parta Beatis,
Quantum gaudebunt quos gaudia summa replebunt!
Quos illustrabit, quos semper lætificabit
Visio sancta Dei, splendorque suæ faciei.
Talia quærenti venient nova gaudia menti.
Cum studio tali dulcedine spirituali
Mens tua pascetur, si jugiter hæc meditetur.
Hoc studium mentes Domino facit esse placentes;
Curas terrenas magno cruciamine plenas
Funditus expellit, vitiorum germina vellit.
Sic æternorum mens tacta timore dolorum,
Deserit errorem, Mundique repellit amorem.
Postea summorum flagrescit amore bonorum.
Confert tale bonum Domini mirabile donum.
Nam cum mutatur mala mens, Deus hoc operatur.
Virtutum munus præstare potest Deus unus,
Qui sic servorum docet intus corda suorum,
Qui bona sectantur, vel dicunt, vel meditantur.
Sic Dominus mores illos levat ad meliores,
Quos exsurgentes videt auxiliumque petentes,
Ergo fide pura Christo Te subdere cura,
Auxilio cujus fugies mala temporis hujus.
Atria sunt cæli vero patefacta Fideli.
Semper ibi vives divino munere dives,
Si vis sincere Christi præcepta tenere:
Christo junguntur sua qui præcepta sequuntur.
Nam decus æternum datur his regnumque supernum,
Gloria cælestis paradisi debita festis
Hos faciet lætos, & pax æterna quietos.
Jam delectaris qui talia præmeditaris:
Ista libens audis, & ad hæc pia gaudia plaudis;
Ne tamen ignores per magnos ista labores
Sanctius acquiri, nec fortuito reperiri.
Sed quamvis gratis tribuat Deus ista Beatis:
Nemo tamen segnis vitæ fert dona perennis,
Ni melior. factus proprios contempserit actus.
Quem facit his dignum Dominus, vult esse benignum;
Promptum, ferventem, sed non hæc vana sequentem.
Ad Regnum cæli non tendit mente fideli
Insipiens & hebes: sed Tu bene credere debes
Christo dicenti: Rapiunt illud violenti.
Scilicet austeri; sed distinguendo severi;
Mollia spernentes & carni vim facientes.
Semper & intenti Domino parere volenti.
Res est nota satis, nec habet quidquam novitatis;
Spiritus inde perit corpus si dulcia quærit.
Et dum vexatur caro, spiritus alleviatur.
Cumque relaxatur, mortaliter ille gravatur.
Omne quod ostendo, potes ipse videre legendo;
Indice scriptura poteris cognoscere plura.
Vitam quærenti dat iter sacra lectio menti.
Accipe scriptorum super hæc monumenta meorum;
Quæ Tibi monstravi, quæ dulciter insinuavi,
Non ea corde gravi videas, sed mente suavi.
Quidquid enim scripsi, multum Tibi proderit ipsum;
Si via virtutis delectat iterque salutis.
Nam Rex cælestis, quem nil latet, est mihi testis,
Nil tibi narravi, nisi quod prodesse putavi.
Nec ratio veri debet Tibi dura videri:
Namque per angustum Tibi dixi currere Justum;
Sic probus ascendit dum semper ad ardua tendit;
Hunc facies cursum si vis ascendere sursum.
Fortassis puero tibi frustra mittere quæro
Istum sermonem, quia non capis hanc rationem;
Sed Pater immensus perfectos det tibi sensus.
Roboret ætatem, tribuat simul & probitatem.
Filius ipse Dei spes nostræ progeniei,
Auctor honestatis, fons perpetuæ bonitatis;
Virtutum flores & honestos det Tibi mores.
Spiritus amborum qui tangit corda suorum,
Et sine verborum sonitu fit doctor eorum,
Ipse tuam mentem regat, & faciat sapientem;
Recte credentem, monitusque bonos retinentem;
Ut bene vivendo mandataque sancta sequendo,
Lætitiam veræ lucis merearis habere.
Quæ tenebras nescit nimioque decore nitescit,
Et cuicumque datur sine fine beatificatur,
Hoc Tibi det munus qui regnat Trinus & Unus;
Amen.

## RYTHMUS DE CONTEMPTU MUNDI.

O Miranda vanitas! ô divitiarum
Amor lamentabilis! ô virus amarum!
Cur tot viros inficis, faciendo carum,
Quod pertransit citius quam flamma stupparum.
Homo miser, cogita; mors omnes compescit,
Quis est ab initio, qui morti non cessit?
Quando moriturus est, omnis homo nescit:
Hic qui vivit hodie, cras forte putrescit.
Qui de morte cogitat, miror quod lætatur;
Cum sic genus hominum morti deputatur,
Quo post mortem transeat homo, nesciatur:
Unde quidam sapiens ita de se fatur:
Dum de morte cogito, contristor & ploro,
Verum est quod moriar, & tempus ignoro,
Ultimum quod nescio, cui jungar choro:
Ut cum sanctis merear jungi, Deum oro.
Cur mundus militat sub vana gloria?
Cujus prosperitas est transitoria:
Tam cito labitur ejus potentia,
Quam vasa figuli, quæ sunt fragilia.
Plus fide litteris, scriptis in glacie,
Quam mundi miseri vanæ fallaciæ,
Fallax in præmiis, virtutis specie,
Qui numquam habuit tempus fiduciæ.
Credendum magis est viris veracibus;
Quam mundi miseris prosperitatibus:
Falsis in somniis, & vanitatibus,
Falsis in studiis, & voluptatibus,

Dic

Dic ubi Salomon, olim tam nobilis?
Vel ubi Samson est, dux invincibilis?
Vel pulcher Absalon, vultu mirabilis?
Vel dulcis Jonathas, multum amabilis?
Quo Cæsar abiit, celsus imperio?
Vel Dives splendidus, totus in prandio?
Dic, ubi Tullius, clarus eloquio?
Vel Aristoteles, summus ingenio?
Tot clari proceres, tot retro spatia,
Tot ora Præsulum, tot regna fortia;
Tot mundi Principes, tanta potentia,
In ictu oculi clauduntur omnia.
Quam breve festum est, hæc mundi gloria!
Ut umbra hominis, sunt ejus gaudia,
Quæ semper subtrahunt æterna præmia,
Et ducunt homines ad dura devia.
O esca vermium! ô massa pulveris!
O roris vanitas, cur sic extolleris?
Ignorans penitus, utrum cras vixeris!
Fac bonum omnibus, quamdiu poteris.
Hæc carnis gloria, quæ magni penditur,
Sacris in litteris flos fœni dicitur;
Ut leve folium, quod vento rapitur,
Sic vita hominis, luci subtrahitur.
Nil tuum dixeris, quod potes perdere,
Quod mundus tribuit, intendit rapere:
Superna cogita, cor sit in æthere,
Felix qui potuit mundum contemnere.

*Idem Bernardus.*

Dic homo cur abuteris Discretionis gratia;
Cur vitæ viam deseris, Et tendis ad supplicia?
Saluti præfers otia, Et pretiosis vilia.
Nec metu pœnæ flecteris, Nec spe salutis traheris,
Ut summa quæras gaudia. Dic homo cur abuteris
Discretionis gratia?
Quid valet mundi gloria, Vide, quam sic amplecteris?
Multa vides indicia Quod scienter deciperis:
Mundum qui fugit sequeris, Et cum labente laberis
Sequendo transitoria. Sic bona permanentia
Sub aure surda præteris. Dic homo cur abuteris
Discretionis gratia?
Certe, non excusaberis Dissimulando talia.
Nam si sic subterfugeris, Post restat conscientia,
Quæ non tacet latentia: Et divina judicia
Declinare non poteris; Sed si convictus fueris,
Patet mortis sententia. Dic homo, cur abuteris
Discretionis gratia?
Non confidas de venia, Si sero pœnitueris.
Dies est peremptoria; Quam nisi tu præveneris
Fructu condigni operis, Et reatum purgaveris,
Erit tibi miseria Absque misericordia,
In æternum cum miseris. Dic homo, cur abuteris
Discretionis gratia?
Ergo, vide, cum veneris In Judicis præsentia,
Qui tibi prout egeris Reddet ipse stipendia:
Ne gloriosa patria Tua te privent vitia.
Nam si mundus occurreris, Cum justis sociaberis
In æterna lætitia. Dic homo, cur abuteris
Discretionis gratia?
O, Christi longanimitas, Et longa exspectatio!
O, mira Christi bonitas, O quanta miseratio!
O, cordis induratio Et mortis festinatio!
Quid differs, cur non cogitas! Homo, quæ vitæ brevitas,
Cernat hoc meditatio, Quid nos primo fuerimus.
O, vanitatum vanitas, Curarum occupatio?
O, cur ambitur dignitas, Cur opum cumulatio?
Quo tendit congregatio, Aut quid valet cupiditas;
Est in sepulcro fœditas, Et extra dealbatio.
Cernat hoc meditatio, Quid nos primo fuerimus.
O quæ mortis acerbitas, Et quanta trepidatio!
Cum jam cogit mortalitas, Ut fiat separatio.
Quid prodest delectatio, Quid festiva jucunditas?
Quid nunc pro vita flagitas? O sera recordatio!
Cernat hoc meditatio, Quid nos primo fuerimus.
O, servitus, quid cogitas, Apparens in judicio!
O, arguens crudelitas Hostis, & accusatio!
O, dolor & confusio! O horror, ô obscuritas!
O pœnarum æternitas, Et ignis conflagratio!
Cernat hoc meditatio, Quid nos primo fuerimus.
O homo, cur non festinas Ut detur tibi mansio,
Qua felix immortalitas, Et nulla trepidatio:
Sed perpes exsultatio, Et sanctorum societas,
Ac permanet felicitas Et læta Dei visio.
Cernat hoc meditatio, Quid nos primo fuerimus.
Cum sit omnis homo fœnum, Et post fœnum fiat cœnum;
Ut quid homo extolleris? Cerne quid es, & quid eris.
Modo flos es, & verteris In favillam cineris.
Per ætatum incrementa, Immo magis detrimenta,
Ad non esse traheris. Velut umbra, cum declinat
Vita surgit, & festinat, Claudit meta funeris.
Homo dictus es ab humo, Cito transis, quia fumo
Similis efficeris. Numquam in eodem statu
Permanes, dum sub rotatu Hujus vitæ volveris.
O sors gravis! ô sors dura! O lex dira, quam natura
Promulgavit miseris! Homo nascens cum mærore
Vitam ducis cum labore, Et cum metu moreris.
Ergo si scis qualitatem Tuæ sortis, voluptatem
Carnis quare sequeris? Memento te moriturum,
Et post mortem id messurum, Quod hic seminaveris.
Terram teris, terram geris, Et in terram reverteris
Qui de terra sumeris. Cerne quid es, & quid eris,
Modo flos es, & verteris In favillam cineris.

## JUBILUS RYTHMICUS, DE NOMINE JESU.

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia:
Sed super mel & omnia
Ejus dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei filius.
Jesu spes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quærentibus,
Sed quid invenientibus?
Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere:
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.
Jesum quæram in lectulo,
Clauso cordis cubiculo:
Privatim & in publico
Quæram amore sedulo.
Cum Maria diluculo
Jesum quæram in tumulo,
Clamore cordis querulo,
Mente quæram, non oculo.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus;
Jesu provolvar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.
Jesu rex admirabilis;
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet caritas.
Amor Jesu dulcissimus
Et vere suavissimus
Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.
Hoc probat ejus Passio,
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur, & Dei visio.
Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardenter quærite,
Quærendo inardescite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
Jesu auctor clementiæ,
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.
Jesu mi bone, sentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per præsentiam
Tuam videre gloriam.
Quum digne loqui nequeam
De te, tamen ne sileam:
Amor facit ut audeam
Cum de te solum gaudeam.
Tua Jesu dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,

Dans famem desiderio:
Qui te gustant esuriunt?
Qui bibunt, adhuc sitiunt:
Desiderare nesciunt
Nisi Jesum, quem diligunt.
Quem tuus amor ebriat,
Novit quid Jesus sapiat,
Quam felix est, quem satiat!
Non est ultra quod cupiat.
Jesu, decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?
Amor tuus continuus
Mihi languor assiduus,
Mihi fructus mellifluus
Est & vitæ perpetuus.
Jesu, summa benignitas,
Mira cordis jucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat caritas,
Bonum mihi diligere
Jesum, nil ultra quærere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.
O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ,
Te quærunt piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Quocumque loco fuero,
Mecum Jesum desidero:
Quam lætus, cum invenero!
Quam felix, cum tenuero!
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula,
Tunc felix Christi copula,
Sed in his parva morula.
Jam quod quæsivi, video;
Quod concupivi, teneo:
Amore Jesu langueo,
Et corde totus ardeo.
Jesus cum sic diligitur,
Hic amor non exstinguitur:
Non tepescit, nec moritur:
Plus crescit, & accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.
Hic amor missus cælitus
Hæret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur spiritus.
O beatum incendium,
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium!
Jesu, flos Matris virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus, honor numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, veni, Rex optime,
Pater immensæ gloriæ,
Affulge menti clarius,
Jam exspectatus sæpius.
Jesu sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Ceteris amabilior.
Cujus gustus sic afficit,
Cujus odor sic reficit,
In quo mea mens deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio;
Tu mea gloriatio,
Jesu mundi salvatio.
Mi dilecte revertere,
Consors paternæ dexteræ:
Hostem vicisti prospere,
Jam cæli regno fruere.
Sequar te quoquo ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cum meum cor abstuleris
Jesus laus nostri generis.
Cæli cives occurrite,
Portas vestras attollite:
Triumphatori dicite,
Ave Jesu rex inclyte.
Rex virtutum, rex gloriæ,
Rex insignis victoriæ,
Jesu largitor veniæ,
Honor cælestis patriæ.
Tu fons misericordiæ;
Tu veræ lumen patriæ:
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.
Te cæli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat:
Jesus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Jesus in pace imperat,
Quæ omnem sensum superat:
Hanc mea mens desiderat,
Et ea frui properat.
Jesus ad Patrem rediit,
Cæleste regnum subiit:
Cor meum à me transiit,
Post Jesum simul abiit.
Quem prosequamur laudibus;
Votis, hymnis, & precibus:
Ut nos donet cælestibus,
Secum perfrui sedibus, Amen.

*Rythmica oratio ad unum quodlibet membrorum Christi patientis, & à cruce pendentis.*

## *AD PEDES.*

Salve mundi salutare:
Salve, salve Jesu care,
Cruci tuæ me aptare
Vellem vere, tu scis quare,
Da mihi tui copiam.
Ac si præsens sis, accedo,
Immo te præsentem credo.
O quam mundum hic te cerno!
Ecce tibi me prosterno:
Sis facilis ad veniam.
Clavos pedum, plagas duras,
Et tam graves impressuras,
Circumplector cum affectu,
Tuo pavens in aspectu,
Tuorum memor vulnerum.
Grates tantæ caritati,
Nos agamus vulnerati.
O amator peccatorum,
Reparator confractorum:
O dulcis pater pauperum!
Quicquid est in me confractum,
Dissipatum, aut distractum,
Dulcis Jesu totum sana,
Tu restaura, tu complana,
Tam pio medicamine.
Te in tua cruce quæro,
Prout queo, corde mero,
Me sanabis hic, ut spero,
Sana me & salvus ero,
In tuo lavans sanguine.
Plagas tuas rubicundas,
Et fixuras tam profundas,
Cordi meo fac inscribi,
Ut configar totus tibi,
Te modis amans omnibus.
Dulcis Jesu, pie Deus,
Ad te clamo licet reus:
Præbe mihi te benignum,
Ne repellas me indignum
De tuis sanctis pedibus.
Coram cruce procumbentem;
Hosque pedes complectentem,
Jesu bone, non me spernas,
Sed de cruce sancta cernas
Compassionis gratia.
In hac cruce stans directe;
Vide me, ô mi dilecte,
Ad te totum me converte:
Esto sanus, dic aperte,
Dimitto tibi omnia.

## *Ad genua.*

Salve Jesu, Rex Sanctorum,
Spes votiva peccatorum,
Crucis ligno tamquam reus
Pendens homo verus Deus,
Caducis nutans genibus.
O quam pauper! ô quam nudus!
Qualis es in cruce ludus
Derisorum totus factus,
Sponte tamen, non coactus;
Attritus membris omnibus.
Sanguis tuus abundanter
Fusus, fluit incessanter,
Totus lotus in cruore,
Stas in maximo dolore,
Præcinctus vili tegmine.
O Majestas infinita!
O egestas inaudita!
Quis pro tanta caritate;
Quærit te in veritate,
Dans sanguinem pro sanguine?
Quid sum tibi responsurus,
Actu vilis, corde durus?
Quid rependam amatori,
Qui elegit pro me mori,
Ne dupla morte morerer?
Amor tuus amor fortis,
Quem non vincunt jura mortis;
O quam pia me sub cura,
Tua foves in pressura,
Ne morsu mortis vulnerer.
Ecce tuo præ amore,
Te complector cum rubore:
Me coapto diligenter,
Tu scis causam evidenter,
Sed suffer & dissimula.
Hoc quod ago non te gravet,
Sed me sanet & me lavet
Inquinatum & ægrotum,
Sanguis fluens hic per totum,
Ut non supersit macula.
In hac cruce te cruentum,
Te contemptum & distentum,
Ut requiram, me impelle,
Et hoc imple meum velle,
Facturus quod desidero.
Ut te quæram mente pura;
Sit hæc mea prima cura.
Non est labor, nec gravabor,
Sed sanabor & mundabor,
Cum te complexus fuero.

## *Ad manus.*

Salve Jesu, pastor bone,
Fatigatus in agone,
Qui per lignum es distractus,
Et ad lignum es compactus,
Expansis sanctis manibus.
Manus sanctæ vos avete,
Rosis novis adimplete,
Hos ad ramos dure junctæ:
Et crudeli ferro punctæ

Tot guttis decurrentibus.
Ecce fluit circumquaque
Manu tua de utraque,
Sanguis tuus copiose,
Rubicundus instar rosæ,
Magnæ salutis pretium.
Manus clavis perforatas,
Et cruore purpuratas,
Corde primo præ amore,
Sitibundo bibens ore,
Cruoris stillicidium.
O quam large te exponis,
Promptus malis atque bonis:
Trahis pigros, pios vocas,
Et in tuis ulnis locas,
Paratus gratis omnibus.
Ecce tibi me præsento;
Vulnerato & cruento:
Semper ægris misereris,
De me ergo ne graveris
Qui præsto es amantibus.
In hac cruce sic intensus,
In te meos trahe sensus
Meum posse, velle, scire,
Cruci tuæ fac servire,
Me tuis apta brachiis.
In tam lata caritate
Traſſe me in veritate,
Propter crucem tuam almam;
Trahe me ad crucis palmam,
Dans finem meis vitiis.
Manus sanctæ vos amplector;
Et gemendo condelector,
Grates ago plagis tantis,
Clavis duris, guttis sanctis,
Dans lacrymas cum osculis.
In cruore tuo lotum,
Me commendo tibi totum:
Tuæ sanctæ manus istæ
Me defendant Jesu-Christe
Extremis in periculis.

*Ad latus.*

Salve Jesu summe bonus,
Ad parcendum nimis pronus:
Membra tua macilenta
Quam acerbe sunt distenta
In ramo crucis torrida.
Salve latus Salvatoris;
In quo latet mel dulcoris,
In quo patet vis amoris,
Ex quo scatet fons cruoris;
Qui corda lavat sordida:
Ecce tibi appropinquo,
Parce Jesu si delinquo:
Verecunda quidem fronte,
Ad te tamen veni sponte,
Scrutari tua vulnera.
Salve mitis apertura,
De qua manat vena pura,
Porta patens & profunda,
Super rosam rubicunda,
Medela salutifera.
Odor tuus super vinum;
Virus pellens serpentinum,
Potus tuus, potus vitæ:
Qui sititis, huc venite,
Tu dulce vulnus aperi.
Plaga rubens aperire.
Fac cor meum te sentire,
Sine me in te transire,
Vellem totus introire:
Pulsanti pande pauperi.
Ore meo te contingo,
Et ardenter ad me stringo:
In te meum cor intingo,
Et ferventi corde lingo,

Me totum in te trajice.
O quam dulcis sapor iste,
Qui te gustat Jesu-Christe,
Tuo victus à dulcore,
Mori posset præ amore,
Te unum amans unice.
In hac fossa me reconde;
Infer meum cor profunde,
Ubi latens incalescat,
Et in pace conquiescat,
Nec prorsus quemquam timeat.
Hora mortis meus flatus
Intret Jesu tuum latus,
Hinc exspirans in te vadat,
Ne hunc leo trux invadat
Sed apud te permaneat.

*Ad pectus.*

Salve Salus mea Deus;
Jesu dulcis amor meus,
Salve pectus reverendum,
Cum tremore contingendum
Amoris domicilium.
Ave thronus Trinitatis,
Arca latæ caritatis,
Firmamentum infirmatis,
Pax & pausa fatigatis,
Humilium triclinium.
Salve Jesu reverende;
Digne semper inquirende,
Me præsentem hic attende,
Accedentem me succende,
Præcordiali gratia.
Pectus mihi confer mundum,
Ardens, pium, gemebundum,
Voluntatem abnegatam,
Tibi semper conformatam,
Juncta virtutum copia.
Jesu dulcis Pastor pie,
Fili Dei & Mariæ,
Largo fonte tui cordis,
Fœditatem meæ sordis
Benigne Pater dilue.
Ave splendor & figura
Summi Dei genitura,
De thesauris tuis plenis,
Desolatis & egenis
Munus clementer proflue.
Dulcis Jesu-Christi pectus
Tuo fiam dono rectus,
Absolutus à peccatis,
Ardens igne caritatis
Ut semper te recogitem.
Tu abyssus es sophiæ,
Angelorum harmoniæ
Te collaudant, ex te fluxit
Quod Johannes cubans suxit:
In te fac ut inhabitem.
Ave fons benignitatis,
Plenitudo deitatis
Corporalis in te manet:
Vanitatem in me sanet
Quod tu confers consilium.
Ave verum templum Dei,
Precor miserere mei:
Tu totius arca boni,
Fac electis me apponi,
Vas dives, Deus omnium.

*Ad Cor.*

Summi Regis Cor aveto,
Te saluto corde læto,
Te complecti me delectat,
Et hoc meum cor affectat,
Ut ad te loquar, animes.
Quo amore vincebaris,
Quo dolore torquebaris,
Cum te totum exhaurires,

Ut te nobis impartires;
Et nos à morte tolleres?
O mors illa quam amara;
Quam immitis, quam avara,
Quæ per cellam introivit,
In qua mundi vita vivit,
Te mordens cor dulcissimum.
Propter mortem quam tulisti;
Quando pro me defecisti,
Cordis mei Cor dilectum,
In te meum fer affectum,
Hoc est quod opto plurimum.
O cor dulce prædilectum,
Munda cor meum illectum,
Et in vanis induratum,
Pium fac & timoratum,
Repulso tetro frigore.
Per medullam cordis mei;
Peccatoris atque rei,
Tuus amor transferatur;
Quo cor totum rapiatur
Languens amoris vulnere.
Dilatare, aperire,
Tamquam rosa fragrans mire;
Cordi meo te conjunge,
Unge illud & compunge,
Qui amat te quid patitur?
Quidnam agat nescit vere,
Nec se valet cohibere,
Nullum modum dat amori;
Multa morte vellet mori,
Amore quisquis vincitur.
Viva cordis voce clamo,
Dulce cor, te namque amo
Ad cor meum inclinare,
Ut se possit applicare
Devoto tibi pectore.
Tuo vivat in amore;
Ne dormitet in torpore
Ad te oret, ad te ploret;
Te adoret, te honoret,
Te fruens omni tempore.
Rosa cordis aperire,
Cujus odor fragrat mire;
Te dignare dilatare,
Fac cor meum anhelare
Flamma desiderii.
Da cor cordi sociari;
Tecum Jesu vulnerari.
Nam cor cordi similatur,
Si cor meum perforatur
Sagittis improperii.
Infer tuum intra sinum
Cor ut tibi sit vicinum,
In dolore gaudioso
Cum deformi specioso,
Quod vix seipsum capiat.
Hic repauset, hic moretur;
Ecce jam post te movetur,
Te ardenter vult sitire.
Jesu noli contraire,
Ut bene de te sentiat.

*Ad Faciem.*

Salve caput cruentatum;
Totum spinis coronatum,
Conquassatum, vulneratum;
Arundine verberatum,
Facie sputis illita.
Salve cujus dulcis vultus;
Immutatus & incultus,
Immutavit suum florem,
Totus versus in pallorem
Quem * cæli curia.
Omnis vigor atque viror
Hinc recessit, non admiror,
Mors apparet in aspectu

* *Adde cupit vel quid simile.*

Totus pendens in defectu,
Attritus ægra macie.
Sic affectus, sic despectus,
Propter me sic interfectus,
Peccatori tam indigno
Cum amoris intersigno
Appare clara facie.
In hac tua passione,
Me agnosce Pastor bone,
Cujus sumpsi mel ex ore,
Haustum lactis cum dulcore,
Præ omnibus deliciis.
Non me reum asperneris,
Nec indignum dedigneris,
Morte tibi jam vicina,
Tuum caput hic inclina,
In meis pausa brachiis.
Tuæ sanctæ passioni
Me gauderem interponi,
In hac cruce tecum mori:
Præsta crucis amatori,
Sub cruce tua moriar.
Morti tuæ tam amaræ
Grates ago Jesu care,
Qui es clemens pie Deus,
Fac quod petit tuus reus,
Ut absque te non finiar.
Dum me mori est necesse
Noli mihi tunc deesse,
In tremenda mortis hora
Veni Jesu absque mora,
Tuere me & libera.
Cum me jubes emigrare,
Jesu care tunc appare:
O amator amplectende
Temetipsum tunc ostende
In cruce salutifera.

*Oratio devota ad Dominum Jesum, & B. Mariam matrem ejus.*

SUmme summi tu Patris unice,
Mundi faber & rector fabricæ,
Pietatis respectu deicæ,
Peccatores afflictos respice
Pie Pater.
Summa summi tu Mater Filii,
Clavem nostri tenens auxilii,
Fove tui lacte consilii
Peregrinos hujus exsilii,
Pia Mater.
Consolentur, ô bone Domine,
Respirantes in tuo nomine,
Qui pro mundi tollendo crimine,
Dignatus es nasci de Virgine,
Matris Pater.
Consolentur, ô bona Domina,
Sitientes tua solamina,
De qua sola felice femina
Prædicantur hæc duo nomina,
Virgo, Mater.
O figura Patris substantiæ!
Tu es splendor paternæ gloriæ,
Tu es verum lumen justitiæ,
De quo manat totius gratiæ
Plenitudo.
O Regina regni Davidici!
Tu es virga floris Dominici,
Tu es arca panis Angelici,
De quo nostra meretur refici
Solitudo.
Virtus Patris & sapientia,
Suaviter disponens omnia,
Tu & Pater una substantia,
Æquus honor, eadem gloria
Est utrique.
Stella maris, Regina sæculi,
Tu es Mater illius parvuli,
Quem adorant fideles populi,
Semper omnes & semper singuli,
Et ubique.
O Sanctorum sancte mirabilis,
Toti mundo desiderabilis,
Homo potens & Deus humilis:
Non est tibi nec erit similis,
Deus meus.
O Sanctarum sancta dulcissima,
Sola tanto partu dignissima,
Ut de tua carne mundissima
Nasceretur majestas maxima,
Homo Deus.
JESU-Christe fons indeficiens,
Fons humana corda reficiens,
Te suspiro te solum sitiens:
Solus eris mihi sufficiens,
Fili Dei.
Mater Christi, decus virgineum,
Thronum sedens super æthereum:
Nomen tuum sapore melleum,
Liquefacit affectum ferreum
Cordis mei.
Summum bonum plenum dulcedine,
Verum lumen de vero lumine,
Solo cujus audito nomine,
Satiatur mira pinguedine.
Cor justorum.
Summi boni reclinatorium,
Dulcis vini dulce cellarium,
Quod indulcans dulcedo dulcium,
Prælegit sibi in proprium,
Rex cælorum.
Patrum Pater præcelse ceteris,
Reparator humani generis:
O qui carnem pro nobis miseris
Mulieris de carne pauperis
Assumpsisti.
Matrum Mater & Virgo Virginum,
Apotheca salutis hominum,
O, quæ munda de carne Dominum,
Sine carnis mixtura seminum
Concepisti.
Audi precor, ô qui das gratiam,
Peccatoris hujus miseriam,
Et per tuam misericordiam,
Peccatorum meorum veniam
Mihi dona.
Audi precor, ô plena gratia,
Peccatoris hujus suspiria,
Et pro tua misericordia
Deo meo me reconcilia,
Mater bona.
Tibi Pater fac beneplacitum
Peccatoris istius gemitum,
Solve mei reatus debitum,
Quia malum protendo meritum,
Et protendi.
Tibi Mater fac acceptabilem
Peccatoris hanc vocem flebilem,
Redde mihi Deum placabilem,
Ne se præstet inexorabilem,
Quem offendi.
O intactæ fili puerperæ,
Audi planctus animæ miseræ,
Quæ peccati jacens in pulvere,
Ut jumentum se computrescere,
Lamentatur.
O, intacta Virgo puerpera,
Ad te clamat mens mea misera,
Quæ nefanda semper ad scelera
Ab ætate nunc usque tenera
Effrenatur.
Pie Pater errantem corrige,
Piam manum labenti porrige,
Jam de luto me fæcis erige,
Et in viam tuorum dirige
Mandatorum.
Pia Mater orantem visita,
Pio corde de me recogita,
Coram Jesu benigno clamita,
Ut meorum remittat debita
Peccatorum.
Esto nobis, Pater, propitius,
Quorum frater es atque socius:
Te laudamus, te benedicimus,
Adoramus atque diligimus
Mente tota.
Esto nobis, Mater, propitia,
Quorum soror es atque socia:
In tuarum laudum præconia,
Corda nostra fac voluntaria,
Ac devota.
Benedicte Creator omnium,
Benedicas mentes fidelium,
Nomen tuum benedicentium,
Mortis tuæ per beneficium
Quos salvasti.
Benedicta tu in mulieribus,
Benedic te benedicentibus,
Benedictis tuis uberibus,
Qui dat escam esurientibus,
Quem lactasti.
Laus & honor sit Dei Filio,
Salus virtus & benedictio,
Benedicta sit incarnatio,
Mors illius & Resurrectio,
In æternum.
Benedictus sit Pater luminum,
Benedicta sit Virgo virginum,
Benedicat cor meum Dominum,
Sitiatque fontem dulcedinum,
Sempiternum, Amen.

*Prosa de Nativitate Domini.*

LÆtabundus
Exsultet fidelis chorus,
Alleluia.
Regem Regum
Intactæ profudit thorus,
Res miranda.
Angelus consilii
Natus est de Virgine,
Sol de stella.
Sol occasum nesciens,
Stella semper rutilans,
Semper clara.
Sicut sidus radium,
Profert virgo filium
Pari forma.
Neque sidus radio,
Neque Mater Filio,
Fit corrupta.
Cedrus alta libani
Conformatur hyssopo,
Valle nostra.
Verbum ens altissimi
Corporari passum est
Carne sumpta.
Esaias cecinit,
Synagoga meminit:
Numquam tamen desinit
Esse cæca.
Si non suis Vatibus,
Credat vel gentilibus,
Sibyllinis versibus
Hæc prædicta.
Infelix propera,
Crede vel vetera,
Cur damnaberis gens misera?
Quem docet littera,
Natum considera,
Ipsum en genuit puerpera. Amen.

*FINIS TOMI QUINTI.*

# APPENDIX
## SEU TOMUS VI.
# S. BERNARDI
# ABBATIS
## OPERUM,

Complectens Sermones GUERRICI Abbatis Igniacensis ejus discipuli; GUIGONIS Cartusiæ majoris Prioris quinti quasdam epistolas; necnon VARIOS AUCTORES, qui de sancti Bernardi rebus gestis scripserunt.

# DE B. GUERRICO ABBATE IGNIACENSI.

*Ex lib. Exord. Mag. Cisterc. Dist. 3. c. 7.*

SAnctæ recordationis domnus Guerricus, quondam abbas Igniaci, dum adhuc sub disciplina beati Bernardi monachus esset in Clara-valle, & regalibus sacræ doctrinæ uberibus lactaretur, haud degenerem se tanti Patris filium moribus & vita probabat. Tanto siquidem sublimius arcem virtutis conscendere didicerat, quanto secretius magno Dei munere de incorruptionis titulo testimonio conscientiæ gloriabatur. Sicut enim hi quibus secreta tanti viri nosse datum fuerat, adstruebant, immaculatam incorruptionis tunicam duce gratia usque ad exitum vitæ conservavit. Porro quantæ puritatis & integritatis fuerit, vita & conversatio ejus, quamque purissimum devotionis thymiama quotidie Deo in ara cordis incenderat, Dominus gloriosis & manifestis indiciis declarare dignatus est. Succedente vero tempore venerabilis Guerricus factus abbas Igniaci, *diœcesis Remensis, nempe post Humbertum, virum eximiæ pietatis, de quo in epistolis & in Sermonibus sancti Bernardi*, qualem se exhibuerit, quàm strenue officium sibi commissum adimpleverit, non est nostræ parvitatis edicere. In hoc tamen nimis contristabatur, & seipsum valde humiliabat, quod pæne continue conventum fratrum deserere, & in infirmitorio jacere causa debilitatis suæ cogebatur; nec poterat ita fratribus suis exemplum quotidiani laboris præbere. Verum quicquid minus habebat de exercitio corporali, totum sinceræ pietatis affectus, & ardens in Deum devotio supplebat. Conqueritur ipse debilitatem & insufficientiam suam in quodam Sermone, ita dicens: Amici venerunt ad me de via: sed non habeo quod ponam ante illos. Plane quàm sanæ verbis doctrinæ fuerit, luculentissimi atque disertissimi & vere spirituales sermones ejus, quos in sollemnitatibus præcipuis in conventibus Fratrum fecit, & à Cantore ejusdem ecclesiæ excepti sunt, manifeste declarant.

*Ex eodem lib. & Dist. cap. 8.*

CUm autem fidelis servus Domini Guerricus fidelissima distributione conservis suis annona Domini sui dispertita, plenus dierum & virtutum transiturus esset de hoc mundo ad Patrem; tactus ægritudine, ipsiusque ægritudinis molestia ingravescente, ad extrema deductus est. Curiosius vero cunctos angulos conscientiæ suæ eo discutiente, ne quid forte esset, quod perperam gestum & inemendatum districtum sibi Judicem offensum redderet, & malignis spiritibus occasionem calumniandi præberet, recordatus est libelli Sermonum, quem fecerat: simulque memoriæ occurrit, Patres statuisse, nullum absque generalis Capituli licentia libros facere debere. & graviter ingemiscens convocatis fratribus dixit: En fratres, dum vestris profectibus invigilare, vestræque petitioni parere studui, crimen inobedientiæ, quod, testante sancto Samuele, quasi scelus idololatriæ est, incurri. Libellum nempe Sermonum, quem rogatu vestro dictavi, temerarie nimis absque Capituli generalis licentia edere præsumpsi. Quapropter quantocius illum afferentes igne cremate, ne pro culpa inobedientiæ ultricibus gehennæ flammis tradar consumendus. Dei vero providentia accidit, ut jam in aliis quaternulis transscriptus esset liber, Deo aliquid melius pro nobis & in hoc disponente: ne videlicet sancta ecclesia ipsius, & præcipue Cisterciensis Ordo tantæ eruditionis gratia privaretur. Mirabili namque temperamento ita litteralis scientiæ lepos in volumine illo tumet, & Christianæ simplicitatis humilitas sic in eo resplendet; ut non modo minime onerosus, verum etiam gratiosus valde sit legentibus. Porro ignitum eloquium Domini vehementer quod in sermonibus illis invenitur, ita movet, afficit & accendit legentem; ut durissimus corde sit, qui non ex eorum lectione compunctus ad meliora proficere studeat. *Hunc Belgam fuisse existimant, & quidem ex magistro Scholæ Tornacensis canonicum, quem Bernardus anno* 1131. *ad se traxit. Manricus ejus obitum circiter annum* 1157. *reponit. Ejus Sermones pari fere, qua Bernardi, reverentia legi merentur.*

# GUERRICI ABBATIS IGNIACENSIS, DISCIPULI SANCTI BERNARDI, SERMONES PER ANNUM.

## DE ADVENTU DOMINI, SERMO I.

1. *Salvatorem exspectamus.* Vere exspectatio justorum lætitia, exspectantium beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi. *Et nunc quæ est exspectatio mea?* inquit justus, *nonne Dominus?* Et conversus ad Dominum: Scio, inquit, quia non confundes me ab exspectatione mea; quia jam *substantia mea apud te est*, quia natura nostra de nobis sumpta, & pro nobis oblata, apud te glorificata est: spem nobis tribuens, *quia ad te omnis caro veniet:* caputque membra sequentur, ut holocaustum compleatur. Pleniore tamen fiducia, quia tutiore conscientia, Dominum exspectare potest, cui dicere datum est: Substantia possessiunculæ meæ, ô Domine, apud te est: quia facultates meas, vel tibi erogando, vel pro te contemnendo, in cælis thesaurizavi, & ad pedes tuos omnia mea deposui, sciens quia potens es depositum meum non modo servare, sed etiam in centuplum restituere, & vitam æternam adjicere. Quàm beati vos pauperes spiritu, quia juxta consilium admirabilis Consiliarii thesaurizastis vobis thesauros in cælo; ne si in terra thesauri vestri remanerent, corda vestra pariter putrescerent. *Ubi enim*, inquit, *thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Eant igitur, eant corda post thesauros suos: sursum affixa sit cogitatio, & ad Dominum suspensa exspectatio, ut & vobis competat dicere cum Apostolo: *Nostra autem conversatio in cælis est, unde etiam Salvatorem exspectamus.* O exspectatio gentium! Universi qui te exspectant non confundentur. *Te exspectaverunt patres nostri*, omnes justi ab origine mundi *in te speraverunt*, *& non sunt confusi.* Jam enim suscepta misericordia tua in medio templi tui, chorus lætantium & laudantium concinit: *Benedictus qui venit in nomine Domini. Exspectans exspectavi Dominum, & intendit mihi.* Et in humilitate carnis agnoscentes majestatem divinitatis; *Ecce*, inquiunt, *Dominus noster iste: exspectavimus eum, & salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum: exsultabimus & lætabimur in salutari ejus.*

2. Sicut autem Ecclesia in antiquis justis exspectavit adventum primum, sic in novis reexspectat secundum: sicut in primo certa de pretio redemptionis, sic in secundo de præmio remunerationis: atque hujus exspectatione spei suspensa à terrenis, tam feliciter quàm ardenter inhiat æternis. Cum igitur alii festinantes præsentibus beari, nec sustinentes consilium Domini, currunt ad diripiendam prædam hujus mundi: *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas:* qui abstinet se à vitiis eorum, tamquam ab immunditiis, *Sciens melius esse humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia cum superbis.* Loquensque secum consolatur se, & ait: *Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea exspectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* Defecit quidem anima mea in salutare tuum, ô Domine, sed in verbum tuum supersperavi. *Spes* quidem *quæ differtur*, scriptum est, *affligit animam:* sed licet lassa sit ex desiderii dilatione, secura est tamen ex promissione. In ipsum solum sperans, sed & supersperans adjiciam spem: sicut assidue adjicitur tribulatio super tribulationem, dilatio super dilationem. Certus sum enim, quia *apparebit in finem, & non mentietur.* Ideoque etsi moram fecerit, exspectabo eum, *quia veniens veniet, & non tardabit*, ultra præstitutum tempus vel opportunum. Quod opportunum? Cum impletus fuerit numerus fratrum nostrorum, & consummatum fuerit tempus misericordiæ ad pœnitentiam indultum. Audi Isaïam ad superna sæpius admissum consilia, quo videlicet consilio Dominus judicium differat. *Propterea*, inquit, *Dominus exspectat, ut misereatur vestri; & ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus judicii Dominus. Beati omnes qui exspectant eum.* Isa. 30. d

3. Propterea si sapis, prospicies tibi quomodo dilationis hujus induciis utaris: utique si peccator es, ad pœnitentiam, non ad negligentiam: si sanctus, ut proficias in sanctitate, non ut deficias à fide. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire; & cœperit percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus & stridor dentium.* Hujus servi nequam & infidelis videtur esse vox illa tædii & desperationis, quæ apud Isaïam legitur: quia videlicet moram faciente Domino, frequentibus nuntiis ejus increduli & illusores insultare videntur: *Manda, remanda: manda, remanda, exspecta, reexspecta: modicum ibi, modicum ibi.* Sed quæ pœna sequatur miseros, Propheta non tacuit, cum post pauca subintulit: *Et erit eis*, inquit, *verbum Domini*, quod videlicet subsannant, dicentes Prophetis; *Manda, remanda: manda, remanda: exspecta, reexspecta: modicum ibi, modicum ibi: ut vadant & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.* Vadunt retrorsum per apostasiam, cadunt in criminalia, illaqueantur mortifera delectatione, vel quadam inextricabili peccandi necessitate, ut nec velint, nec possint pœnitere: capiuntur improvisa morte, conteruntur æterna damnatione. *Nescit* enim *finem suum homo: sed sicut pisces capiuntur hamo, & aves laqueo: sic homines*, inquit Salomon, *capiuntur tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.* Propterea videlicet, ne pro dilatione spei fides nostra tepescat, aut æstuet patientia, & incipiamus esse de illis *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt:* clamat nobis de cælo qui fidem donat, donatam probat, probatam coronat, inquiens: *Qui crediderit, non festinet*, scilicet videre quod credit. Si enim quod non videmus, speramus: per patientiam exspectamus. Sponsæ quoque suæ, quam sibi desponsavit in fide, mandat Deus per Osee, dicens: *Dies multos exspectabis me: non fornicaberis, & non eris viro.* Hoc nempe est Dominum veraciter exspectare, si fidem ei servemus: ut licet careamus consolatione præsentiæ ejus, adulterum tamen non sequamur: sed pendeamus ad reditum ejus. Sic namque Dominus ait in eodem Propheta: *Pendebit populus meus ad reditum meum.* Pulcre omnino & proprie, *pendebit*, tamquam inter cælum & terram: licet adhuc apprehendere cælestia non valeat, non velit tamen tangere terrena. Et si aliquando tangit, nonnisi summis articulis, id est, extremis partibus animæ: propter necessitatem scilicet corruptionis nostræ, cui cogimur servire, quamdiu *creatura vanitati subjecta est, non volens.* Vulgo dicitur: Male exspectat, qui pendet. Ego autem dico, Feliciter exspectat, qui sic pendet. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & in ipso suspendio mortem ossa mea: ut perseveranter in cruce ista pendere merear, donec immoriar.

Dilationis induciis quomodo utendum. Matth. 24. d
Isa. 28. e
Ibidem.
Procrastinantium pericula.
Eccl. 9. c
Luc. 8. c
Isa. 28. d
Patientia opus in exspectanda retributione.
Osee 3. b
Osee 11 b
Terrena quomodo tangenda.
Rom. 8. d

Christus in cruce pendens, nec ante mortem depositus quid nos doceat

4. O Domine Jesu, cum animam potestate positurus A esses, & quo genere mortis id facere velles, tuo subesset arbitrio; suspendium elegit anima tua, ut exaltatus à terrâ, nos quoque ad te traheres, & à terrenis suspenderes. Sed nec ante mortem deponi passus es, ut & nos usque ad mortem in cruce perseveremus, & de ipsa tamquam de sublimi gradu facilior sit in cælum conscensus. Gratias tibi, Domine Jesu! ibi sumus, ibi te exspectamus, non Eliam, qui ad deponendum nos veniat; sed Eli, id est, Dominum nostrum, qui nos suscipiat. Modicum ibi, modicum ibi, si mandas atque remandas. Ego quidem mandatis tuis semel credidi: sed adjuva incredulitatem meam, ut immobilis ibi te exspectem, reexspectem,
Psal. 26. d donec quod credo videam: *Credo* enim *videre bona Do-* B *mini in terra viventium.* Credis & tu: igitur *exspecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diverterunt in vias pravas. Et quid facient, cum inspicere cœperit Dominus? Qui tamen longanimiter se mandat exspectari, alibi se cito venturum esse promittit: in altero nimirum sustinentiam informans; in altero pusillanimes
Apoc. 22. d confortans, imparatos terrens, & pigros excitans. *Ecce,* inquit, *venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicui-*
Mic. 4. *que secundum opera sua.* Et ad Jerusalem: *Cito veniet salus tua: quare mærore consumeris?* Et revera tempus breve est, maxime uniuscujusque nostrum; licet longum videatur æstuanti, seu præ labore, seu præ amore. Ideoque C utrumque necesse est, ut timeamus Judicem, qui prope est, & forsitan mihi, forsitan tibi in januis est; & longanimiter exspectemus, si moram fecerit. Veniens veniet ille Dominus, timor & desiderium nostrum, requies & merces laborantium, dulcedo & amplexus amantium, beatitudo omnium, Salvator noster Jesus-Christus, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum.

## DE ADVENTU DOMINI,
### SERMO II.

1. ECce venit Rex, occurramus obviam Salvatori nos-
Prov. 25. d tro. Salomon pulcre ait; *Aqua frigida animæ si-* D *tienti, & nuntius bonus de terra longinqua.* Bonus itaque nuntius, qui adventum Salvatoris nuntiat, reconciliatio-
Isa 52 d nem mundi, bona superventuri sæculi. Quàm pulcri pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona! Multi siquidem, non unus. Multi, inquam, sed in uno spiritu longa serie ab initio sæculi nobis supervenêre nun-
Ezech 39 b Isa 46. d Prophetæ nuntii advenientis Christi. tii, & omnium vox una, simul una sententia: *Venit, ecce venit.* Et unde, inquis, isti venere nuntii? Ut scriptum est, *de terra longinqua:* quia de terra viventium, quæ magno interstitio separata est ab hac terra morientium. nam inter nos & illos adhuc chaos magnum firmatum est. Inde tamen Prophetæ nobis, sicut & Angeli missi sunt: quia si corpore hic versabantur, spiritu illuc assumeban- E tur, quando mittendi erant: ut illic audirent & viderent, quod hic nuntiarent. Hujusmodi nuntii aqua refrigerii, potusque sapientiæ sunt salutaris animæ Deum sitienti: cui nimirum qui nuntiat adventum vel alia mysteria Salvatoris, haurit ei, & propinat aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, ut etiam nuntianti sibi, sive Isaïæ, sive cuilibet ex Prophetis, eadem anima respondere videatur verbis
Luc. 1. c Elizabeth, quia eodem potata spiritu quo Elizabeth: *Et unde mihi hoc, ut veniat Dominus meus ad me?* Ecce enim ut facta est vox annuntiationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio spiritus in corde meo, gestiens occurrere Deo Salvatori suo.

2. Et revera, fratres, exsultatione spiritus Christo F venienti occurrendum est. Et jam nunc à longe salutandus, vel certe resalutandus, qui mandat salutes Ja-
Eccl. 22 d cob. *Amicum salutare non confundar,* inquit Sapiens; quanto magis resalutare? O salutare vultus mei, & Deus
Quomodo Christo advenienti occurrendum. meus! quanta dignatio fuit quod servos salutasti, sed quanto major quod salvasti? Nec enim integra nobis salus esset, si salutes mandares, & non dares. Dedisti autem, non modo quos salutaveras verbis pacificis, postmodum salutando in osculo pacis, videlicet per unionem carnis; sed etiam salutem operando per mortem crucis. Exsurgat igitur spiritus noster alacri gaudio, curratque obviam Salvatori suo, & jam à longe venientem adoret & salutet, acclamans ei & dicens: *O Domine, salvum me fac,* Psal. 17. *ô Domine, bene prosperare! Benedictus qui venturus es in nomine Domini.* Salve qui venis salvare nos; benedictus qui venis benedicere nos. Igitur, ô Domine, bene prosperare, qui tam prosper & salutaris advenis generi humano. Intende, prospere procede & regna. Prosperum iter faciet tibi Pater, Deus salutarium nostrorum. Prosperabitur, inquit Pater, in his ad quæ misi illum: non pro votis carnalium, non pro voluntate Petri, qui abhorrebat illum pati. *Et omnia quæcumque faciet prosperabun-* Psal. 1. *tur:* non ad præproperam hominum voluntatem, sed ad veram eorum salutem. Vana quidem salus hominis: sed Domini est salus, qui operatus est salutem de sanguine suo, fundens illum in pretium, & propinans in potum. Veni ergo, ô Domine, salvum me fac, & salvus ero. Veni & ostende faciem tuam, & salvi erimus. *Te enim* Isa. 33 *exspectavimus: esto brachium nostrum, salus nostra in tempore tribulationis.* Sic Prophetæ & justi desiderio & affectu tanto ante Christo venturo occurrebant, desiderantes, si fieri posset, oculis videre quod spiritu prævidebant. Unde Dominus discipulis dicebat: *Beati oculi qui vident quæ* Luc. *vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Abraham quoque pater noster exsultavit, ut videret diem Christi: vidit, sed apud inferos, & gavisus est. In quo utique tepor & duritia cordis nostri suggillatur, si non videt eum gaudio spirituali.

3. Christi nascentis diem anniversarium exspectamus; qui nobis in proximo videndus, Domino annuente, promittitur. Hoc sane gaudium nostrum tale videtur exigere scriptura, ut spiritus noster levans se super se, Christo venienti quodammodo occurrere gestiat: & desiderio se extendens in anteriora, impatiensque morarum, jam videre contendat futura. Ego namque non solum ad secundum adventum, sed etiam ad primum arbitror pertinere, quod tot locis scripturarum ei monemur occurrere. Quomodo inquis? Quia videlicet sicut secundo adventui occurremus motu & exsultatione corporis: sic & primo occurrendum est affectu & exsultatione cordis. Scitis enim, quia resumptis in resurrectione corporibus novis, secundum doctrinam Apostoli, *rapiemur in nubibus ob-* 1. Thess. *viam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Sic nec modo desunt nubes, quæ spiritus nostros, si nimis non fuerint pigri terræque affixi, sublevabunt ad altiora; & sic cum Domino erimus, vel hora dimidia. Agnoscit, ni fallor, experientia vestra quod loquor, cum aliquando vocem dederunt nubes, id est, sonuerunt in Ecclesia Prophetarum, vel Apostolorum voces, ad quam sublimia sensus vestri, quasi vehiculo nubis, fuerint subvecti: & eo usque nonnumquam excesserint, ut gloriam Domini quantulumcumque mererentur speculari. Tunc, ni fallor, vobis innotuit veritas illius sermonis, quem Do- Adventus Christi spiritualis ... mam minus de illa nube pluit, quam quotidie ponit ascensum vobis: *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter,* Psal. *quo ostendam illi salutare Dei.* Ita ergo fit, ut ante adventum suum Dominus veniat ad vos, & antequam mundo generaliter adveniat, familiariter invisat vos. *Non* Johan. *vos,* inquit, *relinquam orphanos: vado, & veniam ad vos.* Et quidem pro merito cujusque, vel studio, creber est ad unumquemque iste Domini adventus, hoc tempore medio inter adventum primum & novissimum, conformans nos adventui primo, & præparans novissimo. Ad hoc nempe venit modo in nos, ne primo adventu frustra venerit ad nos, vel ne in novissimo veniat iratus adversus nos. Hoc siquidem adventu satagit reformare sensum superbiæ nostræ, configuratum sensui humilitatis suæ, quam primo veniens exhibuit; ut perinde reformet corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, quam denuo rediens exhibebit. Prorsus optandus omnibus votis, & expetendus studiis adventus iste familiaris, qui nobis gratiam impertiat adventus primi, & gloriam promittat novissimi. *Quia enim misericordiam & veritatem diligit* Psal. *Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus,* per misericordiam prærogans gratiam, per veritatem reddens gloriam.

4. Porro

4. Porro sicut dispositione temporis, sic etiam proportione similitudinis medius est adventus iste spiritualis inter adventum utrumque corporalem, & velut quidam mediator, participat cum utroque. Primus siquidem adventus, occultus & humilis; ultimus, manifestus & admirabilis: iste autem occultus quidem, sed mirabilis. Occultum sane dixerim, non quod ignoretur ab eo cui venit, sed quia secretus ei advenit. Unde glorians illa gloriosa anima secum dixit: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Sed nec ab ipso cui advenit, potest ante videri, quàm teneri, juxta illud beati Job de se confitentis: *Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam.* Nec veniens quippe videtur, nec recedens intelligitur, qui solummodo dum præsens est, lumen est animæ & intellectus, quo invisibilis videtur, & incogitabilis intelligitur. Ceterum quàm admirabilis sit, licet occultus sit iste adventus Domini, quàm suavi & felici stupore in admirationem sui suspendat & expendat animam contemplantis, quomodo omnia ossa interioris hominis acclament ei, Domine, quis similis tui? norunt quidem experti; sed utinam satis desiderent experiri non experti: ita dumtaxat, ut non temeraria curiositas faciat scrutari majestatem opprimendos à gloria, sed pia caritas suspirare dilectum suspiciendos à gratia. *Suscipiens* enim *mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram, Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Cum igitur primus adventus sit gratiæ, novissimus gloriæ, iste nimirum gratiæ pariter & gloriæ; in quo videlicet per consolantem gratiam, futuram nobis utcumque datur prælibare gloriam. Cum igitur in primo Deus majestatis visus sit contemptibilis, in novissimo autem videndus sit terribilis, in isto medio videtur mirabilis & amabilis: ut nec propter dignationem gratiæ, qua se præbet amabilem, possit esse contemptui, sed admirationi: nec propter magnificentiam gloriæ, qua mirabilis apparet, sit terrori, sed potius consolationi. De primo dicebat Videns: *Vidimus eum, & non erat ei species, neque decor: unde nec reputavimus eum.* De ultimo expavescit etiam justus, dicens: *Et quis stabit ad videndum eum?* De isto autem dicit Apostolus: *Gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tamquàm à Domini spiritu.* Mirabile prorsus, & amabile, cum Deus amor amantis sensibus illabitur: cum sponsam Sponsus in unitate Spiritus amplectitur, & in eamdem cum illa imaginem transformatur; per quam, velut per speculum, Domini gloriam speculatur. Quàm beati, quorum ardens caritas hanc prærogativam jam meruit obtinere! sed & illi beati, quorum sancta simplicitas idem quandoque potest sperare. Et illi quidem jam de fructu amoris, sui capiunt solatium laboris: isti autem tanto fortasse majore merito, quanto interim minore solatio, portantes pondus diei & æstus, exspectant adventum remunerationis. Nos igitur, fratres, quos nondum consolatur tam sublimis experientia, ut patientes simus usque ad adventum Domini, consoletur interim certa fides & pura conscientia, quæ tam feliciter quàm fideliter cum Paulo dicat: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem:* in adventum scilicet gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu-Christi, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## DE ADVENTU DOMINI, SERMO III.

1. *Paratus est Israël in occcursum Domini, quoniam venit.* Et vos, fratres, estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Nihil certius quàm quod veniat, sed nihil incertius quàm quando veniat. Usque adeo siquidem non est nostrum scire *tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, ut nec Angelis qui assistunt ei, de die illa vel hora scire datum sit. Dies quoque noster ultimus, certissimus nobis quod veniat: incertissimus est quando, vel ubi, vel unde nobis adveniat; nisi quod, ut ante nos dictum est, senibus est in januis, qui juvenibus est in insidiis. Et utinam vel illi se observarent, qui mortem tam paratam intrare, immo jam intrantem vident. An non ex parte jam intravit, quæ aliquas partes corporis jam permortuas occupavit? In pluribus tamen semimortuis videre est adhuc viventem concupiscentiam mundi: frigescunt membra, & fervet avaritia: vita finitur, & ambitio protrahitur. Quandoquidem nobis quoque quibus fortassis ætas, aut salus aliquid longius promittere videtur, quanto minus mors in conspectu est, tanto magis utique, si sapimus, suspecta est: ne videlicet dies illa, sicut fur in nocte, incautos & imparatos nos comprehendat: quæ in insidiis posita, quo minus videri aut caveri potest, eo magis timenda est. Una igitur securitas est, numquam esse securum: quatenus timor se observans reddat semper paratum; donec securitas succedat timori, non timor securitati. *Observabo me*, inquit Sapiens, *ab iniquitate mea*, quandoquidem non possum à morte mea: sciens quia *justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit:* immo in morte triumphat, cui non dominatur iniquitas in vita. Quàm pulcrum, fratres, quàm beatum, in morte non modo securum, sed & gloriosum triumphare; ex auctoritate conscientiæ, spiritu & voce Martini cruentam bestiam, si adstare præsumpserit, increpare: Judici venienti & pulsanti gratanter aperire! Tum vero videas, heu, similes mei trepidare, inducias petere, nec accipere: oleum conscientiæ lamentis pœnitentiæ velle emere, nec tempus sufficere; larvales illas facies declinare velle, nec posse: à facie iræ tonantis velle in corpore delitescere, & cogi exire. Exibit spiritus ejus, & revertetur peccator in terram suam, unde sumptus est. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Scio quidem, quia conditionis humanæ est, sub discrimine exitus conturbari, cum etiam perfecti nolunt exspoliari, sed supervestiri: & qui nihil sibi sunt conscii, quia tamen non in hoc sunt justificati, necesse habent judicium, quod ignorant, vereri. Sed sive conditionis affectu, sive sanctitatis defectu, sive judicii metu conturbata fuerit anima mea, inquit Justus: *Tu Domine, misericordia memor eris, mittesque misericordiam tuam & veritatem tuam, & eripies animam meam de medio catulorum leonum:* & qui prius conturbatus eram, postmodum *in pace in idipsum dormiam & requiescam.* Vocavit Deus terram, & audivit eum in tremore. Cum enim auditum fecit de cælo judicium, auditu solo terra tremuit, & terrore purgata quievit. Beati qui nunc eatenus excoquunt in se omnem scoriam peccati, ut tunc solo sufficiat timore purgari. Mecum siquidem servo inutili & negligenti bene agitur, si vel per ignem salvus fiam; si crematis lignis, fœno, stipula, quæ mihi coacervavi, vel semiustus evadam. Et quidem comparatione mali, bonum vel per ignem salvari; sed indubitanter longe melius, sola purgatione metus consummari: optimum autem & felicissimum, nec metu turbari.

2. Idcirco paratus esto, ô verus Israël, in occursum Domini: non solum, ut cum venerit & pulsaverit, aperias ei; sed etiam adhuc illo longe agente, alacer & gratulabundus occurras ei: & tamquam fiduciam habens in die judicii, regnum ejus advenire pleno preceris affectu. Si ergo vis tunc paratus inveniri, *Ante judicium para justitiam tibi*, juxta consilium Sapientis; paratus sis ad omne opus bonum faciendum; paratus sis nihilo minus ad omne malum patiendum: ut sine reprehensione cordis cantet os tuum: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum quidem, ut te cooperante faciam digna; paratum, ut patiar indigna. Et ideo paratum ad utrumque, quod *cantabo & psallam in gloria mea:* id est, laudabo & gloriabor pro utroque. Et statim in hoc ipsum se Justus excitat: *Exsurge*, inquiens, *psalterium & cithara*, id est, cor meum & caro mea, ad exsultandum in Deum vivum: cor scilicet, propter speciales actiones; caro, propter suas passiones. Cor namque sapiens quæ sursum sunt, psalterium est sonans de superiori: caro patiens quæ deorsum sunt, cithara sonans ab inferiori. Sic & alibi devotionem suam David offerens Deo; *Paratus sum*, inquit, *ut custodiam mandata tua:* & tam paratus, quod *non sum turbatus*, cum tentatio irrueret, & persecutio grassaretur. Cum persequeretur æmulus, malediceret servus, animam quæreret filius; non sum tamen

Psal. 17 b. Sap. 4 b. Martini in morte fiducia. Timor in morte. Psal. 56 a. Psal. 4 b. Purgat animas. Eccli. 18 c. Psal. 56 b. Ibidem. Psal. 118 b. 1 Reg. 15. 16. 17. & 18.

*Davidis insignis pietas in ipsis malis & adversis*

turbatus, quo minus custodirem mandata perfectionis A evangelicæ: retribuentibus mala pro bonis, retribuens bona pro malis: sollicitus de persecutorum salute, mæstus de morte; sustinens à servo exprobrari, non sustinens ab amico vindicari. Ecce ante Evangelium evangelica perfectio, caritas scilicet patiens & benigna, etiam erga malignos, quos tolerat. Quia igitur tam paratus erat, fiducialiter Domino nimirum occurrebat: *Sine iniquitate*, inquit, *cucurri, & direxi* distortos, quantum in me fuit. (*Psal. 58.a*) *Tu exsurge igitur in occursum meum*, occurrentis tibi: & (*Psal. 138.d*) quia nec sic pertingere possum ad celsitudinem tuam, nisi tu condescendens operi manuum tuarum porrigas dexteram; *Exsurge in occursum meum, & vide si via iniquitatis in me est:* & si inveneris nescio quam viam iniquitatis, B amove à me: & de lege tua misertus mei, *deduc me in via æterna*, id est, Christo, qui via est per quam itur, & æternitas ad quam pervenitur: via immaculata, mansio beata.

3. Puto tamen quia & ante mansionem illam beatam, si paraveris Domino viam immaculatam, ipse dignabitur sæpius in via ponere gressus suos, dilatabitque subtus te gressus tuos, ut dilatato corde curras viam mandatorum, cujus angustum forte causabaris initium *Sapientia*, namque ut ipsa perhibet, *in viis justitiæ ambulat:* (*Prov. 8.c*) &, *qui continens est justitiæ apprehendet illam, & obviabit illi quasi mater honorificata.* (*Eccl. 15.c*) Dignos seipsa circuit quærens, & in viis suis ostendit se illis. Si minus aut numquam tibi eam occurrere conquereris, vide ne forte C viam tuam corruperis. Sic enim scriptum habes: *Insipientia viri corrumpit viam suam; Deus autem causabitur in corde suo.* Ipse siquidem stat ad ostium & pulsat: ut si quis aperuerit ei, cœnet cum eo cælestis mensæ delicias. Loquitur Sponsa: *Vox dilecti mei pulsantis, Aperi mihi soror mea sponsa.* (*Cant. 5.b*) Aperi mihi cor tuum, & cibabo illud. Aperi mihi os tuum, & implebo illud. *Os meum*, (*Psal. 118.b*) inquit David, *aperui, & attraxi spiritum.* Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, non modo invitandus, sed & attrahendus quadam violentia precis, vehementiaque fervoris in hospitium cordis: sicut de duobus discipulis in typum hujus rei historia refert Evangelii. (*Christus non solum invitandus, sed & attrahendus.*) Et ipse siquidem non ob aliud, nisi ut probet de- D votionem caritatis tuæ, aliquando se fingit longius ire: (*Luc. 24.d*) sicut & duo Angeli, Loth adorante & obsecrante ut intrarent, dissimulabant tamen dicentes: *Minime, sed manebimus in platea.* (*Gen. 19.a*) Sed quid dicit scriptura? *Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum.* Pia violentia, qua regnum cæleste rapitur: laudabilis importunitas, quæ Christum hospitem, aut Angelos promeretur. Sed quid est, inquis, quod Jesus fingit se longius ire? Quid nisi illud quod Ecclesiastes confitetur de se? *Dixi: Sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me.* (*Eccl. 7.c*) Hoc autem Sponsa manifestius exponit, nostram utique quotidianam exprimens querimoniam, ubi ait: *Surrexi aperire dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Quæsivi illum, & non inveni:* (*Cant. 5.b*) E vocavi, & non respondit mihi, sicut nec mulieri Chananeæ. Spiritum sapientiæ invocabas, spiritum gratiæ quærebas in oratione: si tibi videtur longius recedere, ne desperes, sed importunus insiste; donec respondeatur tibi: *Magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti.* (*Matth 15.c*)

4. Cum tamen invitas Jesum, vide ne Deum majestatis ad sordidum & indignum invites hospitium: ubi nec teipsum patiatur habitare quietum uxor litigiosa, seu fumus, aut stillicidium. (*Hospitium quale Christo exhibendum.*) Non enim nisi in pace fit locus ejus: nec aliud quàm justitia & judicium præparatio sedis ejus. Nunc autem *me*, inquit, *de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, & judicium Dei sui non dereliquerit.* (*Isa. 58 a*) *Justitia*, inquit, *&* (*Psal 58.*) F *judicium præparatio sedis ejus.* Noli causari quasi sumptuosum * fit, viresque tuæ excedat paupertatis, tam magnifico, tamque potenti præparare domum hospiti: habes ad manum unde id possis. (** forte præsumptuosum.*) Humanum dico propter infirmitatem carnis tuæ, vel magis angustiam mentis tuæ. Confitere perfecte de præterito: bonam voluntatem habe de cetero: *Pax* enim *hominibus bonæ voluntatis:* & hoc judicio & justitia sedem Altissimo præparasti. Vis manifestius audire de confessione, quod eam oporteat fieri in præparatione adventus Domini? *Justus*, ait Scrip- (*Prov. 18.c*) A tura, *in initio sermonis accusator est sui.* Et quid sequitur? *Venit amicus ejus*, qui modo ante confessionem inimicus assistebat longius. Cum enim dixit, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; & ipse remisit. *Venit*, inquam, *& investigabit eum.* Prorsus investigabit, tamquam potio valida, scrutans corda & renes: pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, exhauriens noxia de medullis animæ, mentisque visceribus, purgans affectus ut fructum plus afferat: de cujus primitivo fructu confessionis, jam gaudet pater agricola. Ipse tamen qui post confessionem nonnumquam & antequam invocetur, adest, nonnumquam exspectat ut tu prior eum invites: & ut meritum tibi augeat, sæpe diutius dissimulat: ut tu attentius psallendo, instantius orando, dulciter violentus intrare compellas. alioquin planget Propheta quod *civitates Austri clausæ sint, nullo introeunte.* (*Jer. 13*) Cum ergo dicere potueris: *Paratum cor meum Deus*, quia vacuatum à malis: *paratum cor meum*, quia sanctis plenum desideriis, tunc sedulus fac quod sequitur: *cantabo & psalmum dicam.* (*Psal.*) Et quicumque sit sonus cantantis vel psallentis, hæc sit intentio mentis: Exsurge gloria mea, exsurge in occursum mei: quia quantum potui, occurri tibi. O benigne Jesu, quàm alacer & promptus, quàm lætus & festivus occurris hujusmodi devotioni! quàm hilarem te ostendis in viis istis! *Occurristi*, inquit Isaïas, *lætanti & facienti justitiam: in viis tuis recordabuntur tui.* (*Isa.*) Si enim psallas sapienter, in via immaculata veniet, veniet qui & illuminabit abscondita tua, ut quæ nescis intelligas mysteria scripturarum, eritque ut dicas: *Psallam & intelligam in via immaculata, quando veniet ad me.* (*Psal.*) *Excita, Domine, potentiam tuam*, quæ excitet pigritiam nostram in occursum tui: *& veni, ut salvos nos facias*, Salvator mundi: qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen. (*Psal. 7*)

## DE ADVENTU DOMINI, SERMO IV.

1. VOx *clamantis in deserto, parate viam Domini.* (*Isa. 40*) Primo omnium considerandam arbitror gratiam deserti, beatitudinem eremi: quæ ab initio gratiæ, quieti Sanctorum meruit consecrari. (*Quin solitud confec re.*) Consecravit nobis plane habitationem deserti vox clamantis in deserto, Johannes prædicans & tribuens baptismum pœnitentiæ in deserto; quamquam & ante ipsum quibusque sanctissimis Prophetarum, velut auditorium Spiritus, amica semper fuerit solitudo. Longe tamen excellentior atque divinior ipsi loco gratia sanctificationis accessit, cum Jesus Johanni successit: qui etiam antequam prædicare pœnitentibus inciperet, locum pœnitentibus præparandum putavit: atque per dies quadraginta dum versatur in deserto, velut purificans locum, novumque novæ vitæ dedicans locum, tyrannum qui incubabat, omnemque malitiam & subtilitatem ejus, non tam sibi, quàm illis qui accolæ eremi futuri erant, superavit. Si ergo elongasti fugiens & manens in solitudine, ibi permane, ibi exspecta eum qui te salvum faciet à pusillanimitate spiritus, & tempestate. Quantalibet ingruat tibi tempestas bellorum, quantacumque patiaris in deserto, penuriam etiam victualium, noli pusillanimitate spiritus redire mente in Ægyptum. (*Vitæ s riæ co datio.*) Felicius te pascet eremus manna, id est panem Angelorum, quàm Ægyptus ollis carnium. Ipse Jesus quidem in eremo jejunavit; sed multitudinem sequentium se in deserto, sæpe & mirabiliter pavit. Sæpius autem & mirabilius te satiabit, qui tanto gratiore merito, quanto sanctiore proposito secutus es eum in deserto. Cum enim diutius eum tui oblitum putaveris, ipse suæ non immemor bonitatis, consolabitur te, & dicet tibi: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & caritatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto.* (*Jer. 2*) Tunc plane ponet desertum tuum, quasi delicias paradisi: & ipse confiteberis, quia *gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron.* (*Isa. 35*) (*Psal. 6*) Sicut enim in multis hodie locis, etiam juxta litteram illud propheticum videmus impleri: *Pinguescent speciosa deserti;* &, *Deserta in ubertatem versa advenæ comedent:* (*Isa. 5.*) sic quilibet scripturæ locus, qui ante

tibi sterilis videbatur & aridus, repente ad benedictionem Dei mira replebitur ubertate, ac pinguedine spiritus: ut de saturitate mentis eructes hymnum laudis. *Confiteantur*, inquiens, *Domino, misericordia ejus, & mirabilia ejus filiis hominum: quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis.*

2. Illud sane mirabili gratia provisum est divinæ dispensationis, ut in his desertis nostris quietem habeamus solitudinis, nec tamen consolatione careamus gratiæ & sanctæ societatis. Licet cuique sedere solitarium, & tacere, eo quod neminem patiatur interpellantem: nec tamen væ soli, eo quod non habeat confoventem, aut, si ceciderit, sublevantem. In frequentia hominum sumus, & sine turba sumus; velut in urbe versamur, nullum tamen tumultum patimur, quominus vox clamantis in deserto à nobis audiatur: si modo interius, sicut exterius silentium habeamus. *Verba namque sapientium*, ait Salomon, *audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos.* Et nunc quoque si medium silentium teneant omnia interiora tua omnipotens Sermo tibi secretus illabetur de sede paterna. Felix igitur, qui sic elongavit fugiens tumultum mundi: qui tam procul recessit in secretum & solitudinem quietæ mentis, ut non modo vocem Verbi, sed & Verbum ipsum; non Johannem, sed Jesum mereatur audire. Interim tamen quid vox Verbi nobis clamet audiamus: ut quandoque de voce ad Verbum proficiamus. *Parate*, inquit, *viam Domino: rectas facite semitas ejus.* Parat viam, qui corrigit vitam: rectam facit semitam, qui per arctiorem se dirigit viam. Plane vita correcta, via est recta, per quam Dominus veniat ad nos, qui in hoc ipsum prævenit nos. A Domino siquidem gressus hominis dirigentur, & viam sic ejus volet, ut gratanter per eam veniens ad hominem, cum eo jugiter ambulet. Nisi enim suum ad nos adventum ipse præveniat, qui est Via, Veritas & Vita; non potest via nostra corrigi secundum regulam veritatis, ac per hoc nec dirigi ad vitam æternitatis. In quo vero corrigit adolescentior viam suam, nisi in custodiendo sermones ejus, nisi in sequendo vestigia ejus, qui viam fecit seipsum, qua veniamus ad ipsum? *Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas*, ô Domine, *vias tuas*: ut propter verba labiorum tuorum custodiam etiam vias duras: quæ etsi duræ videantur carni, quia infirma est, suaves & pulcræ videbuntur spiritui, si promptus est. *Viæ*, inquit, *ejus, viæ pulcræ, & omnes semitæ ejus pacificæ.* Non solum pacatæ, sed & pacificæ sunt viæ sapientiæ: quia *cum placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos ejus convertet ad pacem. Israël si in viis meis*, inquit, *ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.* Quare enim contritio & infelicitas in viis eorum, nisi qui viam pacis non cognoverunt? Ea propter si quando vidi hominem inquietum, contumacem, litigiosum, gravissima tentatione vexari, vel tribulatione flagellari, recordabar illius proverbii: *Semper jurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum*, cui traditur forsitan in afflictionem carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Si tamen aliquando prosperatur via impiorum, noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias: quia hæc via eorum scandalum ipsis: ut tanto liberius in mortem currant, quanto minus sæpitur eis via quâ ambulant. De istis sapiens loquitur: *Via peccantium complanata lapidibus: sed in fine illorum, inferi, tenebræ & pœnæ.* Et, *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto descendunt ad inferos.* Beati igitur immaculati in via, qui ambulant in via Domini: quia etsi de torrente in via bibunt, propterea exaltabunt caput; quia caput suum, quod sequuntur per viam passionis, consequentur in fine mansionis.

Domini [im]maculata. 3. Quidquid igitur ocurrerit vobis in via Domini, læto ac dilatato corde currite viam mandatorum Dei: quia etsi pusillanimis arcta videtur via, tamen recta; & si dura videtur, immaculata est. Plane beati immaculati in via, qui sic immaculato calle transeunt viam mundi, ut non inquinent vestimenta sua: aut certe si inquinaverint, secundum beatitudinis non amittunt locum: sed lavant vestimenta sua baptismo pœnitentiæ, quo Johannes baptizat

A in eremo, viam parans Domino. Via utique immaculata, castitas: via grata, per quam Dominus gratiæ dignanter veniat: cui Propheta cantat, *Deus meus impolluta via ejus.* Psal. 17. d Impolluta castitas Virginis, qua venit in uterum illius: impolluta necesse est sit castitas hominis, qua veniat in animam illius. Felix conscientia, cui convenit vox illa: *Deus præcinxit me virtute* continentiæ, *& posuit immaculatam viam meam.* Ibidem. Verumtamen ne de castitate sine virtutibus aliis glorieris, quasi jam viam immaculatam Domino paraveris: scito quia nihilo minus necesse est, ut via hæc etiam recta sit, plana sit, ut etiam tenebrosa vel lubrica non sit. Recta. *Nam via impiorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.* Psal. 34. d Prov. 4. c Et via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant. Putamusne, fratres, in aliquo nostrûm inveniatur adhuc pravum aliquid in voluntatibus, asperum in moribus, tenebrosum per ignorantiam sensus, lubricum per inconstantiam actûs? Quomodo autem scripturam de via paranda implebimus, nisi, sicut scriptum est, faciamus: *Ut sint prava, in directa; & aspera, in vias planas?* Isa. 4. b Luc. 3. b

4. Primo itaque necesse est, ut si qua est in nobis prava & distorta voluntas, corrigatur, & ad regulam divinæ voluntatis dirigatur. Ad hoc voluntas rectificanda. Aliter videbimur dicere, sicut impii dicunt: *Non est recta via Domini.* Ezech. 18. g Sed statim refellit nos irrefragabilis veritas, & increpat terribilis severitas: *Numquid non via mea recta sunt, & non magis C via vestræ pravæ sunt?* Qui igitur viam Domino parare festinas, primo omnium bona sit voluntas: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia.* Sap. 1. a Cum autem hoc modo posueris prava in directa, scito quia non minus necesse est, ut aspera sint in vias planas: ut scilicet omnem morum complanes asperitatem, & in quamdam vitæ socialis sternas æqualitatem, ne mitis & suavis ille viator offensus asperitate viæ resiliat. Plana per mansuetudinem. Quidni resiliret ille *mitis & humilis corde*, qui non nisi super mansuetum requiescit & humilem; cum etiam humanus omnis sensus refugiat & horreat hominem iracundum, & intractabilem? Sed & si eatenus profecisti in via Domini, ut & propositum rectitudinis, & disciplinam mansuetudinis D assecutus sis; profecisti quidem, sed non perfecisti, nisi lucerna sit pedibus tuis verbum Dei, & lumen semitis tuis. Lucida per Legis Dei scientiam. *In via enim qua ambulabam*, ait, *absconderunt laqueum mihi.* Psal. 141. a Et sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, novissimum autem earum ducit in profundum inferni. *Via* enim *impiorum tenebrosa*, ut Salomon ait: *nesciunt ubi corruant.* Prov. 4. d Hoc & Dominus ait: *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Johan. 12. e Prov. 6. e At vero mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. Qui enim increpationes relinquit, errat. Si igitur sapis, in via qua numquam ambulasti, non ipse tibi doctor aut ductor eris, Magistri vitæ spiritualis audiendi. sed aurem magistris inclinabis, & increpationibus eorum acquiesces, & consiliis: & operam scientiæ & lectioni E dabis, ne sero pœnitens dicas: *Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum: nec audivi vocem docentium me, & magistris non inclinavi aurem meam? Pæne fui in omni malo, in medio ecclesiæ, & synagogæ.* Prov. 5. d Quod enim scientia legis liberet à laqueis, audi confitentem David: *Posuerunt peccatores laqueum mihi, sed de mandatis tuis non erravi.* Psal. 118. g Quomodo id potuisti? *Quia hereditate acquisivi testimonia tua. Et in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Me expectaverunt peccatores, ut perderent me*: sed per hoc evasi, *quia testimonia tua intellexi. Lex Dei*, inquit, *in corde justi, & per hoc non supplantabuntur gressus ejus.* Psal. 36. d Hinc & filius ejus Salomon ait: *Simulator ore decipit amicum suum,* Prov. 11. b F *justi autem liberabuntur scientia.*

5. Sed utinam hæc via, qua salutem vel Salvatorem suscipere debemus, sicut jam non est tenebrosa per ignorantiam veri, sic nec lubrica sit per inconstantiam operis. Non lubrica. Sed sicut Balaam cadens apertos habebat oculos, sic & nos: & videmus apertis oculis per scientiam, & cadimus per negligentiam. Num. 22. g Volentes & scientes peccamus, & libentes lubricamus: nec tam lubricum viæ causari possumus, quàm propositum mentis, id est pedem cui innitimur. Quis enim non ambulat in lubrico, dum in mundo, dum in corpore vivit luteo? Non igitur tam via quàm

pes in culpa est, qui in via Dei minus firmus est. Sed numquid qui cadit, non adjiciet ut resurgat? (*Prov. 24. b*) Septies cadit justus in die, & septies resurgit. (*Psal. 144. b*) Dominus enim erigit elisos, Dominus dirigit justos. Nam si dicebam, motus est pes meus; (*Psal. 93. a*) misericordia tua, Domine, adjuvabat me. Quando igitur aliter non potes cadens, surgens viam ambula, clamans tamen semper ei, quem sequi & consequi desideras: (*Psal. 16. b*) *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Et, (*Psal. 138. d*) *si via iniquitatis in me est* (ut est humana fragilitas) *deduc me in via æterna.* quatenus per te, qui es via & veritas, perveniam ad te, qui es veritas, & vita æterna: tibi gloria per æterna sæcula, Amen.

## DE ADVENTU DOMINI, SERMO V.

(*Isa. 40. a*) 1. *Parate viam Domino.* Via Domini, fratres, quam parare jubemur, ambulando paratur, parando ambulatur. Et licet multum profeceritis in ea, semper tamen vobis restat paranda: ut de his in quæ pervenistis, tendatis & extendatis vos in ulteriora: quatenus per singulos profectus Dominus, cujus adventui via paratur, quasi novus, ac se ipso semper major occurrat. Ideo bene Justus orat: (*Psal. 118. d*) *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, & exquiram eam semper.* Ideo forsitan vita æterna dicta est; quia licet providentia semitam cujusque investigaverit, terminumque constituerit quousque proficiat; terminum tamen non habet illius, in quam proficitis, bonitatis natura. (*Iustus semper ad perfectiora contendit.*) Itaque sapiens impigerque viator cum consummatus fuerit, tunc incipiet: ita scilicet obliviscens quæ retro sunt, ut quotidie dicat sibi: (*Psal. 76. b*) *Nunc cœpi.* Exsultat ut gigas, quem nil terreat ad currendam viam mandatorum Dei: Idithumque factus, pigros qui in via resident, facile transsilit in impetu cursus sui. Et licet novissima diei hora venerit, consummatus in brevi explet tempora multa: ut repente de novissimo primus, inter primos coronam accipiat.

2. Sed nos qui de profectu viæ ejus loquimur, utinam vel initium ejus apprehenderimus! Meo namque sensu, atque judicio non parum in ea proficit qui cœpit; si tamen vere cœpit; si viam civitatis habitaculi invenit. (*In via cœpisse est profecisse*) (*Math. 7. b*) Quàm pauci sunt, ait Veritas, qui inveniunt eam! quàm multi sunt qui in solitudine errant! prorsus omnes solitarii, id est, omnes superbi, qui se solos reputant. Nullus eorum adhuc dicere potest: (*Psal. 76 b*) *Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Non enim est illis commutatio*, (*Psal. 54. d*) ut desinant esse quod erant, quia *non timuerunt Deum*, cum *initium sapientiæ, sit timor Domini.* Si initium sapientiæ, nimirum & viæ bonæ. Ipse nempe timor Domini, ipse est qui statim illud sapiens consilium generat in corde viri, ut dicere possit: (*Psal. 118. h*) *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.* Ipse confessionem persuadet, quam Psalmista initium boni operis esse docet: (*Psal. 146. a*) *Incipite*, inquit, *Domino in confessione.* Ipse ad pœnitentiam superbum inclinat, ut vocem clamantis in deserto viamque parari jubentis, & unde incipiendum sit ostendentis, audiat: (*Math. 3 a*) *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Huic sententia consonat Salomonis, qui manifesta diffinitione rudes instruit, dicens: (*Prov. 16. a*) *Initium viæ bonæ, facere justa.* Quid est enim justa facere, nisi pœnitentiam agere? nisi de nobis ipsis quod Deo debemus exigere, & quod rapuimus exsolvere? Hæc est justitia quæ ante Dominum ambulat, viamque ei placitam parat, sicut scriptum est: (*Psal. 84. d*) *Justitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Sicut enim Johannes Jesum, sic pœnitentia gratiam præcedit, illam scilicet gratiam qua post satisfactionem reconciliati, suscipimur in osculo pacis. (*Pœnitentia Deo viam parat.*) In hac siquidem pœnitentiæ via, grato atque hilari occursu obviant sibi, seseque osculantur justitia & pax; justitia scilicet hominis se punientis, & pax Dei ignoscentis: lætumque ac jucundum celebrant in osculo sancto fœdus reconciliationis. Denique ne parvi æstimetur meriti hæc justitia hominis de semetipso facientis judicium & justitiam, neve oratiunculæ, & vota pigrorum se laboribus pœnitentium comparare præsumant: quid de ipsa Salomon sentiat, audiant: (*Prov. 16. a*) *Initium*, inquit, *viæ* A *bonæ, facere justa: accepta autem Deo magis, quàm immolare hostias.* Si ergo videris hominem huic pœnitentiæ professum, regularibus ac sanctis laboribus, quorum debitor est, singulares oratiunculas præferentem; ingere ei hanc sapientis sententiam: *Initium viæ bonæ, facere justa: accepta autem magis Deo, quàm immolare hostias.* Similiter si videris hominem, adversus quem frater suus aliquid habet, munus seu laudum, seu Sacramentorum, ad altare offerentem; repete ei nihilominus eumdem sermonem: *Initium viæ bonæ, facere justa*, ut fratri reconcilieris: *accepta autem Deo magis, quàm immolare hostias.* Nam & illo etiam spectat hæc sententia, ut daturus eleemosynam, prius, si quem defraudavit, vel simplum restituat. B Sic & tu quoque voluntaria oris tui beneplacita nullatenus Deo esse credideris, illa scilicet quæ in psalmis, vel in orationibus secretis ei obtuleris; si propterea canonem psalmorum ex Regula constitutum negligentius exsolveris. Nonne si recte offeras, & non recte dividas peccasti? (*Gen. 3.*) *Rectas*, inquit, *facite semitas ejus*, vos (*Math.*) qui paratis viam Domini.

3. O Domine, tu parasti directiones nobis, si modo nos recte ambulemus in illis. Tu legem posuisti nobis; viam justificationum tuarum, per illum scilicet, quem hujus sanctæ institutionis Legislatorem dedisti: hæc via, inquiens, *Ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad* (*Isa. 30*) *sinistram.* Hæc via plane sicut Propheta promiserat: *Via* (*Isa. 35*) C *directa nobis, ita ut stulti non errent per eam.* Junior fui, etenim senui; & non vidi, si bene memini, stultum errantem per viam: cum vix aliquem sapientem viderim, qui rectitudinem ejus tenere potuerit. *Væ qui sapientes* (*Isa. 5.*) *estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes!* Quos sapientia vestra devios abducit à via salutis, nec sinit stultitiam sequi Salvatoris. Non ignorabat ille stultus propter Christum, quid hæc sapientia terrena, animalis, diabolica mali faciat, qui dicebat: *Si quis sapiens esse videtur in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens apud Deum.* (*1. Cor.*) Optabilis stultitia, quæ divino judicio reputatur sapientia, quæ hominem non sinit errare de via. (*Stultitia commendabilis.*) Hæc stultitia, nisi fallor, est illa desursum sapientia, pudica, pacifica, modesta, (*Jac. 3.*) D suadibilis, bonis consentiens: à quibus omnibus quàm procul abhorreat sapiens in oculis suis, utinam numquam experientia ipsa probasset in oculis nostris. Si contristat vos arrogantia, seu pervicacia hujusmodi sapientium, consolatur abundantius nostrorum pax atque modestia stultorum, qui quanto minus sibi credunt, tanto suadibiliores bonis consentiunt. Tales itaque stulti non errant facile de via Dei, sed juxta verbum Prophetæ semper audiunt vocem post tergum monentis: *Hæc via,* (*Isa. 30.*) *ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram*: ne scilicet per fervorem excedentes modum, aut per teporem subsistentes citra modum, legem præscriptam, viamque deseratis regiam. Spiritus est ad dexteram, caro est (*Cautelandum via Domini*) E ad sinistram: & hæc sibi colluctantia semper sibi adversantur, ut non quæcumque vult, sive ista, sive ille, faciamus: ne si plus justo sequimur impetum spiritus, declinemus ad dexteram: aut si plus justo carni indulgemus, deviemus ad sinistram.

4. Hanc denique viam justificationum Domini, viam veritatis quam elegistis, quanta laude prædicet Isaïas, (*Viæ Domini seu viæ religiosæ commendatio.*) delectat me cum caritate vestra recordari. *Et erit*, inquit, *ibi*, id est in antiquis cubilibus draconum, in (*Isa. 35.*) terra utique deserta & invia, *semita & via*, sicut hodie cernere est: quia in feris & incultis hominibus, qui sine lege vivebant, in ipsis invenitur ordo vitæ, & disciplina. *Et hæc via*, inquit, *sancta vocabitur:* F quia nimirum sanctificatio est peccatorum, perditorumque salus. Quanta vero virtute ac reverentia sanctitatis præemineat, inde probat Propheta, quia *non transibit*, inquit, *pollutus per eam.* O mi Isaïa, ibunt igitur qui polluti sunt per aliam viam? Immo potius huc omnes, huc veniant, hàc incedant. Immundis enim præcipue Christus hanc viam stravit, qui venit quærere, & salvum facere quod perierat in viis sæculi. Quid igitur? Transibit pollutus per viam sanctam? Absit. Veniat quamtumlibet pollutus ad eam, non tamen transibit pollutus per eam: quia cum transierit, jam pollutus non (*Via Domini pollutos admittit, & abluit.*)

erit. Admittit quidem via sancta pollutum, sed statim abluit admissum: quia diluit omne commissum, tamquam vere baptismus alter pœnitentium. Hic plane, hic baptizat, non Johannes, sed Jesus baptismo pœnitentiæ: hic patet fons domus David in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Propterea namque via hæc pollutum admittit, sed pollutum non transmittit: quia via arcta est, & quasi foramen illud angustum est, quo serpens innovandus cum exuviis suæ vetustatis venire potest, sed cum ipsis transire non potest: sed novum suaque nuditate melius vestitum, transitus angustia trajicit, extricans omnem, quem attulerat, squalorem vetustatis. Bene ergo prudentiam serpentis imitari rogamur, qui nec aliter innovari possumus, nisi per angustum coarctemur.

5. Sane quod illius antiqui serpentis insidias evadamus, si per hanc arctam viam hujus novi serpentis exemplum sequamur, Isaïas promittit, qui de eadem via subdit: *Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi.* Securi ergo simus, si de via non exorbitamus. Potest leo ille, qui circuit quærens quem devoret, juxta iter scandala ponere, laqueos abscondere, viatores rugitu terrere: sed persistentes in via lædere non potest: quippe cui via ipsa terror & supplicium est. *Fortitudo* nempe *simplicis, via Domini, & pavor his qui operantur malum.* Si ergo in via es, hoc solum time, ne devies, ne Dominum offendas, qui te per viam ducit, ut dimittat te vagum in via cordis tui: præter eum ne timeas alienum. Quod si nimis arctam viam causaris, prospice finem, quo te via ducit. Si enim omnis consummationis videris finem, continuo dices; *Latum mandatum tuum nimis.* Si minus videre potes, crede videnti Isaïæ, qui oculus tui corporis est. Ipse utcumque videbat, cum id quod sequitur dicebat: *Et ecce ambulabunt* hac via *qui liberati fuerint, & redempti à Domino: & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum. Gaudium* quoque *& lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus.* Qui satis hunc finem cogitat, puto quia non solum viam dilatat sibi: sed etiam pennas, ut jam non ambulet, sed volet, assumit sibi. Semper ergo, fratres, cogitate finem præmiorum, & cum omni facultate & alacritate curretis viam mandatorum. Per ipsam vos deducat & perducat ipse, qui est via currentium, & bravium pervenientium, Christus Jesus, cui honor & gloria per omnia sæcula sæculorum.

## DE NATIVITATE DOMINI, SERMO I.

1. Puer natus est nobis. Puer antiquus dierum. Puer forma corporis & ætate: antiquus dierum, incomprehensibili Verbi æternitate. Quamquam & in ipsa sua dierum antiquitate etsi puer non sit, novus tamen semper fit, immo non tam novus sit, quam ipsa novitas in se semper manens & innovans omnia, à quo quæque res prout recedit, inveteratur; prout reaccedit, renovatur. Et novo quodam modo unde antiquus, inde novus: quoniam quidem æternitas ipsius sine initio nascendi, sine defectu veterascendi, ipsa est & antiqua novitas, & nova antiquitas ipsius. Alia tamen est novitas hujus temporalis nativitatis, quia puer natus est nobis innovandis, qui ab æterno Deus natus est Angelis beatificandis. Illa quidem nativitas amplioris gloriæ, sed ista profusioris misericordiæ. Ista siquidem propter me, qui misericordia indigebam, quoniam miseria circumdatus eram, & miseria quam expiare non poteram. *Ostende nobis misericordiam tuam,* qui nondum idonei sumus videre gloriam tuam: appareat benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei, ut per hanc digni efficiamur & idonei, quibus appareat majestas & divinitas Creatoris nostri Dei. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, nostrâ indutam miseria, & novo miserendi genere de ipsa miseria miserorum operantem remedia. Ad hoc siquidem ars misericordiæ beatitudinem Dei, & miseriam hominis in unitate Mediatoris temperavit; ut operante sacramento unitatis, per virtutem resurrectionis beatitudo miseriam absorbeat, mortemque vita deglutiat; & totus homo glorificatus in divinæ consortium naturæ transeat. Usque adeo autem universas infirmitates carnis, quibus ob culpam humana subjacet natura, absque culpa videlicet, dignatio suscepit divina; ut nec infantiæ recusaret injurias, nec alia, quam communis habet conditio, sortiri vellet exordia: excepto sane, quod per Spiritum-sanctum immaculatus nascens de immaculata, vitia nostræ originis emundabat, atque secundæ nativitatis nobis sacramenta dedicabat.

2. Itaque *parvulus natus est nobis,* & Deus majestatis exinaniens semetipsum, non solum terreno mortalium corpori, sed etiam infirmæ ac pusillæ infantium se configuravit ætati. Isa 9. b O beata infantia, cujus infirmum & stultum fortius & sapientius est omnibus hominibus; quia nimirum Dei virtus, & Dei sapientia sua in nostris, divina operatur in humanis! Hujus siquidem infantis infirmitas principem mundi triumphat, fortem armatum ligat, crudelem tyrannum captivat, & captivitatem nostram absolvit & liberat. Hujus infantis muta (ut videtur) & elinguis simplicitas linguas infantium facit disertas: linguis hominum loqui facit & Angelorum, linguas dividens igneas: inscius iste, ut videtur, ipse est qui docet hominem scientiam & Angelum, tamquam vere Deus scientiarum, Sapientia Dei, & Verbum. O sacra & dulcis infantia, quæ veram humanis innocentiam refudisti, per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam; ut tibique conformis fiat, non pusillitate membrorum, sed humilitate sensus, & pietate morum. Prorsus vos filii Adæ, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excrevistis: *Nisi conversi fueritis, & effecti sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. Ego sum ostium regni,* ait parvulus iste: nisi incurvetur altitudo virorum, non eos admittet humilitatis janua. Ideo nimirum *conquassabit capita in terra multorum:* & qui elati accedunt, repulsi capite illiso cadent retrorsum. Quid enim? Adhuc tu superbis terra & cinis, postquam Deus factus est humilis? Adhuc magnus es in oculis tuis, postquam Deus parvulus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinanivit ut pæne videretur esse nihil, sine quo factum est nihil: & tu in immensum inflaris & extolleris, existimans te aliquid esse, cum vere sis nihil! ipse te seducis, clamat tibi Apostolus; cum etsi aliquid esses, si magnum aliquid esses, tanto magis humiliari te oporteret. *Quanto,* inquit Sapiens, *magnus es, humiliate in omnibus: & invenies gratiam coram Deo,* qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam:* qui & ipse, ut tibi fieret exemplum, cum esset maximus omnium, factus est humillimus omnium, & minimus. Parum erat ei, ut fieret minor Angelis conditione mortalis naturæ, nisi & hominibus minor fieret ætate imbecillis infantiæ. Videat igitur pius & humilis, & glorietur: videat impius & superbus, & confundatur. Videat, inquam Deum immensum, parvulum factum, & infantulum adorandum, stupendum mysterium, redemptionem piorum, gloriam humilium, judicium impiorum, ruinam superborum. O venerandum ac tremendum mysterium! Quam sanctum & terribile est nomen tuum, fons misericordiarum, & abyssus judiciorum! Quis de hoc fonte bibit, & non amavit? Quis hanc abyssum consideravit, & non expavit? Qui non amavit, nequam & impius est: sicut qui non expavit, vecors & insensatus est. Nihil tamen est cur judicium expavescas, si non adversus misericordiam insolescas. Et ipse siquidem mallet amari, quam serviliter timeri: magisque probat, quod liber ac voluntarius offert affectus filiorum, quam quod coactitius extorquet metus servulorum. Ideo & nunc cum primo se manifestavit mortalibus, puerum se maluit exhibere, magisque amabilis, quam terribilis apparere: ut quia salvare veniebat, & non judicare; præferret interim unde provocaret amorem, differret unde incutere posset timorem.

3. Cum fiducia igitur accedamus ad thronum gratiæ ejus, qui nec cogitare sine tremore poteramus de throno gloriæ ejus. Nihil hic terroris, nihil severitatis, quam metuas: sed omnimoda benignitas atque mansuetudo, de qua præsumas. Et si potestas & terror apud ipsum est,

Christi infantia quid nobis præstitit. Humilitatem docet, superbiam confundit. Matt. 18. a. Johann. 10. b. Psal. 109. b. Gal. 6. a. Eccli. 3. c. Jacob. 4. b. Amorem petit non timorem.

totum tamen interim dissimulat, donec pœnitenti parcat, A confitentem recipiat. Ne sit tibi scrupulo, quod graviter deliquisti: nescit puer læsus irasci, aut si irascitur facile potest placari. Vere nihil placabilius animo hujus pueri, qui in hoc ipsum pacem tuam satisfactionemque prævenit, priorque legatos de pace mittit: ut qui reus es, velis reconciliari. Tantummodo velis, & vere perfecteque velis: non modo veniam indulgebit, sed & gratiam cumulabit: quin immo lucrum non mediocre deputans, ovem recuperasse perditam, diem festum aget cum Angelis. Congruebat ergo cum divina mansuetudine ætas innocentis ac facilis infantiæ, satisque convenienter & commode salutem peccatorum ab hac exorditus est ætate: ut quos reatus propriæ terrebat conscientiæ, spes con- B solaretur non difficilis indulgentiæ.

Quam pronus ad indulgentiam.

Aspiratio ad Jesum.

4. O puer dulcissime, Jesu bone, quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, & perficies sperantibus in te, qui tantam exhibuisti necdum scientibus te! Prorsus dulcedo incomparabilis, & pietas ineffabilis; ut Deum qui creavit me, videam puerum creatum propter me: Deusque majestatis & gloriæ non solum similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis, & velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmitate. Vere tu puer Deus, salutare vultus mei, & Deus meus, cum totus sis dulcedo, & desiderium, dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum. Hæc nimirum te capabilem facit sensibus & af- C fectibus parvulorum, qui nondum sunt te solidum idonei capere cibum. Dulce interim, dulce prorsus & sapidum, cogitare puerum Deum: quin etiam efficax & operatorium ad medendum, ac dulcorandum, si quis in nobis est, rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem. Neque enim crediderim, ubi sensus & memoria fuerit hujus divinæ dulcedinis, locum iræ vel tristitiæ inveniri: sed omnis indignatio, & amaritudo cum omni malitia tolletur à nobis. Ita fiet, ut quasi modo geniti infantes, modo genitum infantem Dominum digne laudemus, & in consonantia morum & vocum, ex ore infantium & lactentium perficiatur laus infantis, & lactentis Domini Jesu-Christi, D cui cum Patre & Spiritu-sancto laus & jubilatio, per æterna sæcula sæculorum. Amen.

## DE NATIVITATE DOMINI, SERMO II.

Isa. 9. b

1. *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.* Inde probatur quod natus est nobis, quia scilicet datus est nobis. Illis enim recte dicitur natus, quibus videtur datus. Et omnibus quidem gratia nativitatis hujus oblata est, sed non ab omnibus suscepta est. Non enim omnium est fides. *In propria venit, & sui eum non recepe-* E *runt.* Inutiliter autem natus esset nisi & datus esset: frustraque factus esset filius hominis, si non recepissent eum filii hominum, quibus daret potestatem filios Dei fieri. Væ igitur Judæa incredula, ingrata & impia: ablatum est à te regnum Dei, & datum est genti facienti fructus ejus. Ejectus Jesus est de Synagoga, sed susceptus est ab Ecclesia. Ejectus est de contradictionibus Judæorum, constitutus est in caput Gentium. Ecce populus, quem non cognovit, servivit illi, auditu auris obedivit ei: cum de vobis filiis alienis, filiis sceleratis & parricidis, fit pii patris illa querela terribilis: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Sed qui spernit, numquid non & ipse spernetur? *Quia repulistis verbum Dei*, in- F quiunt Apostoli; *& indignos vos judicastis vita æterna, ecce convertimur ad gentes.* O felix gentilitas! ecce affertur tibi Jesus: curre obviis manibus, extende manus, expande sinus, devotionem tuam probet tam actus quam effectus; filium qui tibi offertur, suscipe fide, amplexare affectu; semperque inter ubera tua commoretur. Et ecce videor mihi audire vocem exsultationis & confessionis de cunctis partibus orbis: à finibus terræ laudes audio, gloriam justi. Est autem sonus ut multitudinis, ut sonus castrorum Dei, vox una laudantium & dicentium: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.* Ipsa

Johann. 1. b

Christus ablatus Judæis & datus Gentibus.

Isa. 1. a

Act. 13. g

Isa. 9 b

est, ni fallor, Ecclesia lætabunda, & laudans, toto orbe terrarum; pro eo quod sibi natum, sibi datum amplexatur filium, quem oblatum, sed ablatum merito videt perfidiæ Judæorum. *Lauda sterilis quæ non pariebas, decanta laudem, & jubila quæ non parturiebas: quia* per hunc filium qui datus est tibi, *multi erunt filii desertæ, magis quam ejus, quæ* vinculo legis Deo *maritata*, ei videbatur adhærere. *Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum. Tunc dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non pariens, transmigrata & captiva: & istos quis enutrivit? Ego destituta & sola, & isti ubi hic erant?* O mater incorrupta, virgo fœcunda, filius qui datus est tibi, hos tibi dedit. Est enim filius Altissimi, cui Pater istos adoptavit, ut sint omnes conformes imaginis ejus, & sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Dilata*, inquit, *itaque locum tentorii tui* ab ortu ad occasum, & à mari ad mare, quia *ad dexteram & ad lævam penetrabis, & semen tuum gentes hereditabit.* Iste namque Unigenitus Mariæ, primogenitus est omnis creaturæ, cui dicitur à Patre: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Isa. 54. a

Isa. 49. f Ecclesiæ tua sterilis fecunditas.

Isa. 54. a

Psal. 2. b

2. Sicut autem suscepto Dei Filio, Ecclesia sterilis peperit plurimos, & roborata est: ita ipso ejecto, æmula ejus Synagoga, quæ multos filios habebat, infirmata est. Ideo enim hodie Ecclesia gratulabunda de dato sibi filio gratiarum actione & voce laudis replet cælos: illa muta sedet in tenebris, aut certe ejulatu fatigat inferos. Misera & cæca, cur non advertit, quam manifeste Deus ejus ad nos transierit: quam evidenter ipsa repudiata, solumque retinente libellum repudii, litteram dico legis, quæ adulteria ipsius coarguit, universam dotem ipsius, ad novam Sponsus nuptam transtulerit? Ecce in manibus nostris tabulæ matrimonii, in duobus Testamentis: ecce Sacramenta unctionum, dignitas Regum, ordo Sacerdotum, ministeria Levitarum, cultus templi & vasorum, sacrificiorum veritas, omnis denique ipsorum gloria translata ab ipsis, collata est nobis: quia causa & veritas omnium, *Filius datus est nobis.* Ipse calicem legis, quæ in manu est Mediatoris, ex hoc Judæo in hunc Christianum inclinavit. Et omne quod in ea merum ac verum fuit, eliquatum nobis transfudit: fæx sola, quæ non est exinanita, apud Judæos remansit: ipsam bibunt, ipsa pars calicis eorum.

Judæorum cæcitas.

Universa synagogæ Ecclesiam translata.

3. Sed quid verbis moror? Numquid enim potest enarrari, quæ & quanta sunt data nobis, cum iste Filius datus est nobis? Nonne omne datum optimum, & omne donum perfectum ab ipso, & cum ipso, pariter ad nos descendit? Nonne universas opes cæli, omnes thesauros Dei, secum nobis advexit? qui licet adhuc in ipso contineantur absconditi, multa tamen jam & magna, & quasi donativum pugnaturis erogavit; sed nihil omnia ad ea quæ victoribus reservavit. Quis enumeret tot munera charismatum, tot genera virtutum, nostrorum scilicet varietatem armorum, subsidia Sacramentorum, fercula Scripturarum, gradus & ordines ministrorum: in omni ætate, sexu, & conditione, natione & lingua, tot Martyrum trophæa, Confessorum insignia, Virginum coronas? Si miraris, inquit Ecclesia, unde repente mihi pauperculæ hæc multitudo divitiarum, & magnitudo gloriæ: inde nimirum, quia Filius Dei datus est nobis, Deus gratiæ, Dominus virtutum, & Rex gloriæ. Immo magis mirum esset, si non sequerentur Dominum bona sua: cum etiam ipse sit omnia bona. *Inquirentes*, inquit, *Dominum, non minuentur omni bono*: quanto magis suscipientes? Si enim miraris ista nobis per Filium data, ego (ut plus mireris) adjiciam, omnia omnino nobis cum illo esse donata. Cum enim Filium, per quem & in quo omnia subsistunt, Pater nobis donavit: *quomodo non omnia nobis cum illo donavit?* Omnia nostra sunt, ait Apostolus, quia noster est auctor omnium & Dominus, ut etsi videamur tamquam nihil habentes, inveniamur tamen omnia possidentes. Vides igitur quantum, & quale datum sit Filius: quamque probabile sit, quod de Sapientia quæ ipse est, legitur: *Venerunt mihi omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Quare autem hoc ita inculco, fratres mei? Quare, nisi ut discatis

Cum Christo omnia nobis data.

Psal. 33

Rom. 8.

Sap. 7.

gloriari, quia *filius datus est nobis*: & quicquid mundus potest dare, aut promittere vobis, non modo vile & indignum ad illum, sed etiam detrimentum propter illum deputetis? Non quomodo mundus dat, dat ille vobis: tantum grati estote, quia datus est vobis, & satagite, ut amplius & perfectius detur vobis. Qui enim semel datus est mundo in forma carnis, & certis diebus aut horis datur fidelibus in specie panis, scilicet in esu Sacramenti sui; sæpius & incertis horis datur devotis, in gustu spiritus sui. Primum ad redemptionem, secundum ad sanctificationem, tertium etiam ad consolationem. Primum exigit, ut fides sit recta; secundum, ut conscientia pura; tertium, ut devotio prompta. Hæc mentem elevat, ut gratiæ occurrat: cor aperit, ut excipiat: affectum dilatat, ut plurimum ipsius capiat. Non solum autem istam, sed & omnem gratiam abundare faciat in vobis, Deus omnis gratiæ, Filius, qui datus est vobis, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

## DE NATIVITATE DOMINI,

### SERMO III.

1. *Puer natus est nobis*. Nobis prorsus: non enim sibi, non Angelis. Sibi, inquam, natus non est, ut scilicet hac nativitate esse, aut melius esse inciperet, qui antequam temporaliter nasceretur, æternaliter erat, & perfecta beatitudo sibi erat: quia de Deo perfecto perfectus Deus natus erat. Angelis natus non est, quia nec Angelus ille qui in veritate stabat, reparatione indigebat: nec illius qui ceciderat, casus reparabilis erat. Ideo nusquam Angelos apprehendit, sed semen apprehendit Abrahæ: & qui Deus natus erat sibi, puer natus est nobis: se quodammodo relinquens, & Angelos transiliens, ut ad nos usque deveniens unus fieret è nobis: & exinanitus à semetipso, minoratur ab Angelis, ut æqualis fieret nobis. Qui igitur natus æternaliter sibi & Angelis erat beatitudo, natus temporaliter nobis, factus est nobis redemptio: quia nos solos laborare videbat antiquo nostræ nativitatis præjudicio. Quam felix, quam amabilis nativitas tua, puer Jesu, quæ nativitatem omnium emendat, conditionem reformat, præjudicium solvit, chirographum damnatæ naturæ rescindit: ut si quem piget damnabiliter esse natum, possit felicissime renasci! Quotquot autem receperunt eum, dedisti eis potestatem filios Dei fieri. Gratias agimus gratuitæ atque gratiosæ nativitati tuæ, Deus fili hominis, per quam accessum habemus in gratiam istam in qua stamus, *& gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*. Prorsus admirabile commercium, ut sumens carnem, largiaris deitatem! commercium, inquam, caritate, non cupiditate contractum: indulgentiæ quidem tuæ gloriosum, sed indigentiæ meæ omnino lucrosum. Vere tu puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit: licet pariter misericordia & veritas in te obviaverunt sibi. Vere, inquam, tu misericors puer, natus es nobis, non tibi: lucra nostra, non augmenta tua nascens de nobis quæsisti, quia ad hoc solum nasci dignatus es, ut nos minoratione tui proveheres, humiliatione glorificares. Tu exinanitus nos replesti: tu enim omnem tuæ plenitudinem Divinitatis in hominem transfudisti. Transfudisti, sed non confudisti. Transfusum tamen Deum in hominem non dicerem, si ad mensuram datum huic homini spiritum audirem: si de omni sua plenitudine penes Deum aliquid resedisset, quod non in hominem, cui unitus est, effudisset.

2. Merito igitur oleum effusum nomen Dei hominis, vel certe unguentum exinanitum: cum ita funditus Deus in hominem effusus sit, ut eum semetipsum exinanisse confiteatur fides Apostoli. Quamquam sic utique se exinanivit, ut in seipsô nihil prorsus minuerit, aut mutaverit: nec alia esse potuit naturæ immutabilis exinanitio, quam naturæ nostræ, quæ terra inanis & vacua est, assumptio. Magna prorsus exinanitio ista in oculis videntium, ut splendor gloriæ & figura paternæ substantiæ, non nisi formam præferat servilem, & in ipsa non habens speciem neque decorem. Quasi enim parum exinanitus esset, si homo solum fieret, etiam humanæ carnis gloriam ita funditus in se vacuavit, sapientiam infatuavit, infirmavit virtutem, minuit magnitudinem: ut & in nativitate minimum, & in passione se exhiberet novissimum virorum: unde nec reputaverunt eum. Vis autem videre Deum exinanitum à semetipso? vide jacentem in præsepio. *Ecce Deus noster*, Isaïas ait, qui de tam longinquo vidit, & cognovit præsepe Domini sui, immo Deum in præsepi. *Ecce*, inquit, *Deus noster*. Ubi quæso? in præsepio, inquit. Infantulum quidem ibi invenio. Hunccine tu dicis illum esse, qui dicit: *Cælum & terram ego impleo:* immo cujus majestati angusta est omnis cæli latitudo? Pannis involutum video. Hunccine tu dicis illum esse, qui gloriam & decorem induit lucis inaccessibilis, amictus incircumscripto lumine sicut vestimento? Vagientem audio. Hiccine est qui in cælis tonat, sub cujus vocis tonitruo potestates angelicæ submittunt alas suas? Sic est, inquit alius Propheta satisfaciens pro Isaïa, omnino sic est: *hic est Deus noster*; sed exinanitus est, ut te repleat, & à se quodammodo deficere voluit, ut te reficiat. Conclamat omnis chorus Prophetarum uno spiritu, eademque sententia, etsi aliqui voce diversa, sic est: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius præter eum:* neque enim est alius præter eum. Sed scio, inquit David, scio, quia non credet signo huic, sed contradicet generatio prava & adultera Judæorum: enarrate vos Apostoli, in progenie altera Gentium. Quid? Quoniam hic quem Judæus jacentem in præsepi, nec respicit; pendentem in cruce despicit: cum miro modo nascitur, non videt: cum mira operatur, invidet: cum dira patitur, irridet. Hic, inquam, *hic est Deus noster in æternum & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.*

3. Et ecce jam prædicantibus Apostolis, testificantibus Prophetis, etsi vellus siccatum est, sed areæ latitudo infusa est: etsi cucurbita aruit; Ninive salvata est, & amissio Judæorum, divitiæ facta est mundi, & salus Gentium. Adorant omnes Reges terræ parvulum qui natus est nobis, omnes Gentes serviunt ei: quia si qui sunt qui non serviant, vel non sint servituri, *quasi non sint, sic sunt coram eo:* gens etiam & regnum, quod non servierit ei, peribit. Jam tamen videmus & gaudemus impletum, quod per Isaïam fuerat à Patre promissum: *Viri sublimes ad te transibunt, tui erunt, post te ambulabunt, te adorabunt, teque deprecabuntur* Et merito, inquit, quia in te tantum est Deus, *& non est absque te Deus*. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël, Salvator. Si umquam manifestius, si expressius potuit dici, Jesus Deus, numquam credat Judæus: aut certe si derogat hæc esse dicta de Jesu, ostendat alium in quo sit Deus, & qui sit Deus, nec præter eum Deus: quandoquidem nec Personarum Trinitatem fatetur, ut assignare possit Deum, in quo sit Deus, ita ut alius Deus præter eum non sit. Sed te, perfide, scandalizat, quod ad pietatem ædificare debuerat: quod scilicet Deus absconditus, & homo oculis adhibitus est, tamquam lutum ex sputo, quod ad videndum Deum cæcum illuminaret. Hoc, inquam, scandalo tibi est, quod in infirmitate carnis abscondita est fortitudo Dei, & in infirmitate crucis abscondita est fortitudo hominis Dei: quod inglorius inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum; unde nec reputasti eum, sed putasti quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum: cum Deus posuerit in eo iniquitates omnium nostrûm. Nam & tuam quoque suscepisset, si tu eam vel ad extremum deponere voluisses. At tu miser non deponis, sed apponis iniquitatem super iniquitatem, super sanguinem Prophetarum, sanguinem Filii Dei & Apostolorum. Impone igitur, quandoquidem ita vis, impone jugum iniquitatum tuarum, tibi & filiis tuis; mihi enim r[illegible]num Christi portare magis decet, ut meas ipse portet iniquitates. Tu porta colligationes impietatis, fasciculos deprimentes: ego portem fasciculum myrrhæ, quem Maria mihi colligavit, pannisque involutum in præsepi reposuit.

4. Vos igitur, fratres mei, qui cognovistis præsepe Domini vestri, Dominumque in præsepi, quem Israël non cognovit: vos, inquam, quibus Salvator ideo non viluit,

[Marginal notes: Isa. 25. c; Jerem. 23. c; Bar 3. d; Psal. 47. b; Isa. 60. b; Isa. 44. a; Ibid.; Christus verus Deus.; Judæi non agnoscunt Christi divinitatem ob carnis ejus infirmitatem.; Isa. 53. b]

quia misericors esse voluit:sed eo vobis tenerior in affec- A tu, quo minor est in aspectu: cantate,& exsultate & psallite: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.* De Judæis quidem est natus, sed nobis est natus; quia illis ablatus, nobis est datus. *Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit. Notum fecit Dominus salutare suum:* adeo ut & asinus de gentibus cognoscat in præsepi Dominum suum, fœnum sibi factum: *quia omnis caro fœnum. In conspectu namque gentium revelavit justitiam suam:* quam Judæus ignorat, verum adhuc habens super faciem suam. Velum habet, quia zelum tenet: unde nec velum videt, sed invidet, *quod puer natus est nobis, filius datus est nobis.* Nec invidet, quod cupiat habere sibi, sed quod cupiat perire & mihi, & sibi. Mallet æmula & B mala meretrix infantem necari, quam vivum mihi dari. Sed judicium nostri Salomonis, cujus sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, scrutans corda & renes, in invenienda matre non erravit: Date, inquit, Ecclesiæ infantem vivum: hæc est enim mater ejus. *Quicumque enim fecerit voluntatem ejus, ipse mater, & frater, & soror ejus est.* O Domine Salomon, tu matrem dicis, ego ancillam profiteor. Ancilla Christi sum: fiat mihi secundum verbum tuum. Et quidem matrem amore & sollicitudine me præstabo, quantum potero: sed conditionis meæ semper memor ero.

*Psal. 97. a* — *Isa. 4. b* — *Psal. 97. a* — Elegans tropologia. — *3. Reg 3.* — *Matth. 12. d* — *Luc 1. d*

Matres Christi spirituales etiam nos.

5. O fratres, hoc nomen matris non est singulare Prælatis, quamvis specialis eis incumbat cura maternæ sol- C licitudinis & pietatis: commune est & vobis, qui facitis voluntatem Domini. Utique & vos matres estis pueri qui datus est vobis, & in vobis, ex quo videlicet à timore Domini concepistis, & parturistis spiritum salutis. Vigila igitur, ô mater sancta, vigila super curam recens nati, donec formetur in te Christus, qui natus est tibi: quia quo tenerior est, eo facilius potest perire tibi, qui numquam perit sibi. Spiritus siquidem qui in te est, si tibi exstinctus fuerit, redit ad Deum qui dedit illum. Vigila, inquam, super curam recens nati, memor quoniam æmula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei. Quæ est enim illa, nisi carnalis anima, quæ spiritum exstinguit negligentia & inertia. Hujusmodi homines, cum reli- D gionis amiserint fervorem, ipsius tamen sibi arrogant gloriam & nomen. Inde contentiones carnalium adversus spirituales, etiam in Capitulis, ubi verus Salomon invisibiliter judex præsidet. Filius meus, inquiunt carnales, vivit, & tuus mortuus est: ego spiritum Dei habeo, tu non habes; in me vivit amor Dei, in te mortuus est; dum scilicet æmulantur sibi religionis auctoritatem, cujus spirituales habent veritatem: ut subducta eis auctoritate, consuetudines inducant pro sui sensus libidine. Et revera quidem mater vult æmulæ dari vivum & integrum infantem, non invidens ei gloriam, dummodo habeat & virtutem: sed illa, *Nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed dividatur*: quia nimirum sanctitatis sibi cupit retinere ho- E norem, & aliis relinquere laborem. Sed non errat qui judicat, etsi aliquamdiu dissimulat. Gladius Salomonis matrem invenit, cui adjudicat indivisum sicut affectum caritatis, sic effectum potestatis; sicut fervorem operandi, sic favorem imperandi. Vos itaque, fratres, in quibus fides per dilectionem operans nata est de Spiritu-sancto, custodite eam, pascite, nutrite, tamquam parvulum Jesum, donec formetur in vobis puer qui natus est nobis; qui non solum nascendo, sed vivendo & moriendo, formam cui conformemur tradidit nobis; memor quippe semper, quod nonnisi nobis natus fuit, nec nisi nobis vivere voluit, nec mori nisi pro nobis, qui pro se non habuit; ut & nos per ipsum renasceremur, secundum ipsum viveremus; F in ipso moreremur, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*3. Reg. 3.*

## DE NATIVITATE DOMINI,

### SERMO IV.

*Gal. 4. a* — Plenitudo temporis à Christo allata quæ.

1. ECce jam venit plenitudo temporis. Plenitudo ista temporis apud Paulum accipitur, seu propter abundantiam gratiæ, seu propter adimpletionem præcedentis prophetiæ, seu propter pleniorem ætatem fidei adultæ. De singulis videamus. Omnium plenitudo bonorum Christus Dominus est, quippe qui omnibus thesauris sapientiæ & scientiæ Dei, totiusque gratiæ plenus est: immo *in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter.* Viderunt Apostoli plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine ejus omnes acceperunt. adeo ut novissimus eorum & abortivus Paulus, vas electionis, de plenitudine quam acceperat, disseminaret ubique plenitudinem gratiæ & veritatis, clamans & dicens: *Ecce jam venit plenitudo temporis.* Cum enim plenus omnibus bonis natus esset temporaliter auctor temporis, quidni plenitudinem attulisset temporis? Cum cæli rorarent desuper, & nubes plurerent Justum, Salvatorem terra germinaret, tanta supernæ benedictionis ubertas quidni fœcunditatem terris omnibus præstaret? *Benedixisti, Domine, terram tuam, dedisti benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum*; videlicet de uno grano frumenti, quod germinavit alvus Virginis, ubique terrarum pullulante copiosa messe fidelium. Nolo enim hanc plenitudinem temporis requiras in copia bonorum temporalium, sed æternorum; non in proventu agrorum, sed cælorum. Si cæli rorant desuper, & nubes pluunt justum; si terra germinat Salvatorem, & justitia oritur simul; si denique oritur in diebus Domini non solum justitia, sed & abundantia pacis; feliciora tempora ne quæsieris, quando & regnum Dei nihil aliud est quàm justitia, & pax, & gaudium in Spiritu-sancto, quod de illis procedit. Nam & nostrorum temporum ille status judicatur optimus, atque pulcherrimus, cum & justitia moribus imponit disciplinam, & abundantia cum pace quietem vitæ præstat & lætitiam. Denique *misericordia Domini plena est terra:* benedixit Dominus coronæ anni benignitatis suæ, & campi ejus repleti sunt ubertate totius gratiæ spiritalis. Et quis, nisi ingratus, plenitudinem neget esse temporis? Quæ umquam aurea ætas simile aliquid habuit hujus plenitudini temporis, quando panis Angelorum, omnem habens saporem suavitatis, & omne delectamentum, apponitur etiam jumentis: & non solum homines, sed & jumenta, cibo pascuntur cælesti? *Homines enim & jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Infinite multiplex hæc tua Deus misericordia, ut qui panis Angelorum, non solum hominum dites ac beatifices mensas, sed etiam fœnum factus, jumentorum repleas præsepia. Confiteris, ô Domine sapientia misericors, quia sapientibus & insipientibus debitor es; ut qui utrosque fecisti, utrisque necessariam alimoniam procures: & tam homines quàm jumenta, tam spirituales quam animales, suo quemque gradu & ordine salves. *Confiteantur igitur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum:* quia misit Verbum suum carnem factum, medicinam & escam omnium: ut etiam incapaces Verbi, sanentur tamen & satientur carne Verbi. Edant itaque pauperes & saturentur, & confiteantur venisse beatam temporis plenitudinem; quando & in præsepibus suis paratum sine sudore vultus sui panem inveniunt cælestem. Numquid ergo mugiet bos, cum ante præsepe sic plenum steterit? Mugiat, sed præ gaudio spiritus in jubilo cordis; quia præsepe Domini sui, immo Dominum in præsepi suo cognovit.

*Col. 2. b* — *Gal. 4. a* — *Psal. 84.* — Quæ vera felicitas temporum censenda. — *Rom. 14.* — *Psal. 32.* — *Psal. 64.* — *Psal. 35.* — Deus spirituales & animales salvat. — *Psal. 106.* — *Job 6.*

2. Libet autem adhuc manifestius videre, Christus veniens è cælis quantam plenitudinem temporis advexerit, quàm facili & exiguo pretio omne pretiosum comparari posse decreverit. Duobus minutis, seu calice aquæ frigidæ, aut certe sola bona voluntate, jam à diebus ejus emitur regnum cælorum; quamquam etiam nunc vix inveniat emptorem in tanta multitudine divitum. Prô pudor! etiam nos ipsi qui jam emere cœpimus, jam tabulas emptionis conscripsimus, jam pignus hereditatis accepimus: etiam nos, inquam, toties à pacto resilimus, ac pæne complaciti pœnitemus, querimur, murmuramus: quasi in negotio simus circumventi; quasi magnum sit illud prope nihil, quod exigitur à nobis. Bene de nobis prophetavit Scriptura: *Malum est: malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit, gloriabitur.* Annon merito poterit gloriari, qui immensum illud & æternum pondus

Quale pretium regni cælorum. — *Prov. 20.*

pondus gloriæ, hoc levi & momentaneo tribulationis suæ A comparaverit, qui sic pro nihilo salvus factus fuerit? At nunc quotidianas hinc inde querelas & molesta murmura audias: Malum hoc, malum illud; grave hoc importabile illud; quis tanta ac talia ferat? Ita nemo fere est qui digne pro merito sui rem æstimans dicat: *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis:* nisi tunc demum cum cœperit revelari. Tunc plane gloriabitur, qui modo detrahit, ac de pretio se gravari gemit; cum scilicet de foro, id est, de mundo hoc, ubi contractus celebratur hujus commercii, recesserit, & in domum æternitatis suæ, secum ferens rem tantam tantillo emptam, redierit. Homo plane secundum cor Dei erat ille, homo simplex sine querela, B qui ab hac arte, immo inertia & infidelitate emptorum alienus erat, Davidem dico, qui dicebat: *Quoniam non cognovi negotiationem, Domine, memorabor justitia tuæ solius.* Justitiæ meæ nullatenus memorabor, ut labores meos exaggerem, merita magnificem: potius *memorabor justitiæ tuæ solius*, qui gratis obligasti te mihi promissorem. *In veritate tua exaudi me, in justitia tua, & non intres in judicium cum servo tuo:* qui si voluero me justificare, os meum condemnabit me. Per hoc enim, inquit, *introibo in potentias Domini:* quia scilicet justitias meas non statuam; per hoc potentem me faciet, & nunc in prœlio, & tunc in regno; quia semper infirmitates meas confitebor. Cum enim infirmor, tunc potens C sum. Sicut ergo prudenter apud Deum causam agit, qui justitiæ suæ immemor totum misericordiæ committit: sic prudenter emit, qui omnem fictionem, atque avaritiam negotiationis scire renuit; qui inventa illa pretiosa margarita, non solum omnia sua, sed & seipsum ultro ac desideranter impendit. At nos tepidi, ficti, ingrati, indevoti, voluptatum amatores magis quàm Dei, vix ab illa voce infidelis & nequissimi murmuris, *Malum est, malum est*; valemus compesci: etiam postquam gustavimus, & vidimus, sicut de muliere forti scriptum est, quoniam bona est negotiatio nostra.

3. Adhuc ferebat me quidam implacabilis zelus adversus ingratitudinem, & infidelitatem hujus temporis D nostri; sed revocat me, de qua sermonem institui, sancta ac beata plenitudo temporis Christi, qua etiam hodie plenius pascendi estis. Conjunctim tamen currunt, pariterque feruntur hæc duo tempora tam diversa, tamque adversa, tempus scilicet gratiæ, & tempus malitiæ; cum tamen nonnisi unum tempus inveniatur utriusque. Si enim modo non esset tempus gratiæ, non diceret Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et iterum, si modo non esset tempus malitiæ, non diceret idem Apostolus; *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Confligunt igitur in tempore uno gratia & ingratitudo, velut in stadio uno. Jam olim siquidem sapientia pugnat adversus malitiam, propter quod & nunc in hu- E jus mundi descendit aream. Pugnat, inquam, nolens vinci à malo, sed volens vincere in bono malum. Abundabat iniquitas, & licet humana congelata esset, divina tamen non frigescebat caritas. Magnus ille ardor caritatis, & revera, sicut scriptum est, aquis multis inexstinguibilis; quod cum extremum jam judicium postularet multitudo peccatorum, Deus tamen Filium suum misit, non ut judicaret mundum, *sed ut salvaretur per ipsum.* Cum igitur jam pæne consummata mundi malitia finem indicaret temporis, Redemptoris adventus novam & inopinatam plenitudinem temporis rebus infudit humanis. Cum enim mundus consenuisset, atque prope interitum esset temporis ætate; subito ad adventum Conditoris sui, nova & F insperata renovatus est virtutis juventute, fideique quodam juvenili calore. Fides siquidem, cujus primævum tempus velut, quædam pueritia, fuit in Patriarchis, qui exorti sunt primo mane Ecclesiæ nascentis; adolescentia vero in Prophetis, ad plenitudinem demum juvenilis excrevit roboris in Apostolis; quando & calorem suæ virtutis mundo spectabilem præbuit in tam præclaris, atque fortissimis innumerabilium Martyrum triumphis. Hanc adultam ac plenam ætatem fidei, vocat Apostolus *plenitudinem temporis:* quando scilicet hi qui sub pæda-gogo legis erat, nihilque a servo differebant, dum erant parvuli: jam adulti libertatem filiorum receperunt per Unigenitum Patris. Qui nimirum ut nulla plenitudo suo deesset tempori, plenus tam gratia quam veritate venit: quatenus & per gratiam impleri faceret legis mandata, & per veritatem impleret ipse promissa; adeo ut quidquid etiam universis retro sæculis mystice gestum aut dictum fuit, totum verius ac plenius impletum sit in hac plenitudine temporis. Nam & hic ipse dies, tot sacramenta, tot oracula, quasi recapitulata in brevi hodie exhibuit, ut de eo vere dici possit: *Consummatus in brevi, explevit tempora multa.*

Gal. 4. c

Sap. 4. c

4. Cum ergo tot modis constet, quia venit beata plenitudo temporis, recte querelas insipientium Salomon compescuit, dicens: *Ne dicas, Quid putas causæ est quod meliora fuere tempora priora quam nunc sunt? Stulta est,* inquit, *hujusmodi interrogatio:* cum manifeste felicissima tempora fecerit hominibus gratia Dei; ingratitudo autem hominum pessima fecerit ea sibi. O tempus acceptabile, cui tam beatum, tam auspicatum initium dedit dies iste! quo natus conditor æternus temporis, æternitatem mortalibus nuntiavit. O vere dies salutis dies iste, quo nata salus mundi seipsam poculum salutare miscuit ægrotis! O fratres, de die isto loquebatur, ni fallor, Sapiens filio suo: *Non defrauderis à die bono.* Et exponens quid sit non defraudari: *Particula*, inquit, *boni doni non te prætereat.* Diem quippe bonum pro eo dicit, quia datum est hodie donum bonum, prorsus datum optimum, donumque perfectum, descendens à Patre luminum; quod quale sit nemo scit, nisi qui accepit. At vos, fratres, spiritum qui ex Deo est accepistis, ut sciatis quæ à Deo donata sunt vobis, qui ex sententia cordium cantatis: *Filius datus est nobis.* Filius iste, panis est filiorum: qui de seipso hodie beatum ac sollemne universæ familiæ Patris exhibet epulum.

Eccles. 7. b

Felicitas temporis gratiæ.

Eccl. 14. b

Isa. 9. b

5. Gratias tibi Pater misericordiarum, qui panem nostrum quotidianum das nobis hodie, tantaque largitate aperuisti manum tuam ad implendum omne animal benedictione, ut ipsa etiam benedictione plenum invenia-tur eorum præsepe. Quam miserum, quam brutum ac stolidum, immo quam sibi nequam & invidum illud animal; quod sese isto die bono defraudat, ut eum particula doni boni prætereat: ut scilicet expers gratiæ cælestis, quæ ei proposita est, fiat; diemque totius refectionis & gaudii tristi ac jejuno corde prætereat; quasi necdum venerit copiosissima plenitudo temporis, nec præsepia simplicium & humilium panis impleverit cælestis. Hujusmodi hominem sibi nequam & invidum, Deo ingratum & injuriosum, notat Sapientia, cum ait: *Oculus malus ad mala opera: & non saturabitur, pane indigens, & in tristitia erit super mensam suam.* Ideo, inquit, non saturabitur bonis anima ipsius: quia oculus ejus ad mala, nec revertetur oculus ejus, ut videat bona; ut cum pietate & fide consideret, quæ ei apposita sunt in magna divitis mensa. *Nequam est* enim, inquit, *oculus lividi, avertens faciem suam, & despiciens animam suam.* Proculdubio, fratres, si faciem non avertimus à consideratione illius qui jacet in præsepi; ipso intuitu possumus felicissime pasci, dicemusque: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit; in loco pascuæ, ibi me collocavit.* Tunc plane sciemus, quia venit desideratissima plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum, per quem tanta jam replemur plenitudine bonorum; ipsi benedictio & gratiarum actio, & nunc, & per infinita sæcula sæculorum.

Stoliditas hominum ex hoc tempore non proficientium.

Eccli. 14. b

Ibidem

Psal. 22. a

## DE NATIVITATE DOMINI,
### SERMO V.

1. Convenistis, fratres, ad audiendum verbum Dei. Deus autem aliquid melius providit nobis: ut non solum audire, sed etiam videre datum nobis hodie sit Verbum Dei; si modo *transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* Noverat hominum sensus invisibilium incapaces, cælestium indocibiles, ad fidem quoque difficiles; nisi res ipsa de qua fides suadetur, visibiliter ipsis sensibus convincendis ingeratur. Nam etsi fides est ex auditu, multo tamen

Luc. 2. b

Cur Deus visibilis apparerat.

proclivius ac promptius ex visu: sicut illius exemplo docemur, cui dicitur: *Quia vidisti me, credidisti*: qui scilicet dum audiebas, incredulus fuisti. (Johann. 1. a) Quia enim difficilius audita, quam visa creduntur, ideo merito fides illorum qui non viderunt, à Domino beata prædicatur; quippe qui plus detulerint auctoritati sermonis, quam experientiæ proprii sensus, aut rationis. Deus tamen per omnia volens satisfacere tarditati nostræ, Verbum suum quod prius fecerat audibile, hodie fecit nobis etiam visibile, immo & tractabile, ut & quidam ex nobis potuerint dicere: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ.* (I. Johan. 1. a) Fuit ab initio illius, quæ sine initio est, æternitatis: audivimus promissum ab initio temporis: vidimus & contrectavimus exhibitum in fine temporis. Alias autem inveniens quod non solum visibile & tractabile, sed etiam gustabile & odorabile nobis Verbum Dei factum sit; quippe quod per omnes vias sensuum, aditum sibi ad animam quæsierit; quatenus sicut per sensus mors intraverat, sic per eosdem rediret & vita. Quod ergo *Verbum caro factum est*, nobis qui toti sumus caro, factum est; ut qui antea Verbum Dei tantum poteramus audire, jam carnem factum & videre possimus, & gustare, omnesque sensus in testimonium auditus convocare; quatenus omnes nostri sensus consensu uno, & voce una confiteantur: *Sicut audivimus, sic vidimus.* (Psal. 47. a) Incomparabiliter tamen amplius tunc concessum est visui, quam umquam fuerat auditui: cum modo videatur Verbum quod Deus est: & antea magnum haberetur audire verbum quodcumque ex Deo. Et verbum quidem quod ex Deo est, vidi aliquando, fratres cum tædio audiri; sed Verbum quod Deus est, numquid poterit nisi cum gaudio videri? (Deus absque gaudio videri non potest.) In me primum sententiam feram; quia Verbum quod Deus est, cum se hodie mihi videndum præbeat, in eo quod sum; si me non lætificat, impius sum: si non ædificat, reprobus sum.

2. Si quis ergo, fratres, acediosus invenitur inter nos, nolo diutius ut fatigentur aures ejus sermone nostro contemptibili: transeat usque Bethleem, & illud in quod desiderant Angeli prospicere, prospiciat ibi, Verbum scilicet Dei, quod Dominus ostendit nobis: imaginetur animo, Sermo Dei vivus & efficax qualis ibi jaceat * in præsepi. (* al. qualiter ibi taceat.) Si tantum pietas oculum illuminet intuentis, quid tam delectabiliter potest videri, tam salubriter cogitari? Quid æque mores ædificat, spem roborat, caritatem inflammat? Omnino fidelis sermo, & omni acceptione dignus, omnipotens Sermo tuus Domine: qui tam alto silentio à regalibus Patris sedibus animalium illapsus præsepibus, (Sap. 18. c) melius interim suo nobis silentio sermocinatur. Qui habet aures audiendi, audiat quid nobis hoc pium & mysticum æterni Verbi loquatur silentium: quoniam (nisi me fallit auditus) inter alia quæ loquitur, loquitur pacem in plebem sanctorum, quibus reverentia ipsius & exemplum religiosum imposuit silentium, & rectissime quidem imposuit. (Silentium commendat Verbum silens.) Quid enim tanto pondere, tantaque auctoritate disciplinam commendat silentii, quid tanto terrore compescit inquietum malum linguarum procellasque verborum, sicut Sermo Dei silens in medio hominum? Non est sermo in lingua mea, confiteri videtur omnipotens Sermo, dum Matri subditus est; & nos qua dementia dicemus: *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* (Psal. 11. a) Liberet mihi, si liceret, obmutescere, & humiliari, & silere etiam à bonis: ut attentius, & diligentius aurem possem adhibere vocibus arcanis, sacrisque sensibus hujus divini silentii: & vel tanto tempore sub silentio discere in schola Verbi, quanto Verbum ipsum sub disciplina siluit Matris.

3. O fratres, si pie ac diligenter intendamus huic Verbo quod Dominus fecit hodie, & ostendit nobis; quanta, quamque facile possemus ab ipso perdoceri? Verbum siquidem breviatum est, ita tamen ut in eo consummatum sit omne verbum quod ad salutem est, quia nimirum verbum consummans & abbrevians in æquitate ipsum est. (Verbum abbreviatum, sed omni doctrinæ perfectione consummatum.) Et hæc *consummatio abbreviata inundavit justitiam*; (Isa. 10. c) sicut promissum meministis per Isaïam: quia de sua plenitudine in participes suos redundavit justitiam, ut abundet justitia ipsorum, plusquam & Pharisæorum, & Scribarum; licet illi per tam multiplices se exerceant justificationes legis, isti autem brevi ac simplici contenti sint verbo fidei. Sed quid mirum, si omnia verba sua nobis Verbum Dei breviavit; quando & seipsum breviari, & quodammodo minui voluit, adeo ut de incomprehensibili immensitate sui ad angustias uteri quodammodo se contraxerit, & continens mundum, in præsepi se passum sit contineri? In cælo Verbum istud horribili altitudine sua virtutes angelicas stupefacit; in præsepi simplices & hebetes pascit: ibi subtilissimis Angelorum intellectibus inscrutabile, hic etiam obtusis hominum sensibus palpabile. Quia enim Deus non poterat loqui nobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; (Cur V... caro f...) Verbum ejus factum est caro, ut non solum audire, sed & videre posset omnis caro, quod os Domini locutum est. Et quia in sapientia sua, non cognovit mundus sapientiam Dei; dignatione ineffabili eadem Sapientia Dei, se stultitiam fecit; ut quamlibet idiotis, vel hebetibus se discibilem præberet, & per stultitiam prædicationis, salvos faceret credentes. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia sapientiam tuam abscondisti à sapientibus & prudentibus, & revelasti eam parvulis. Ita Pater, sic fuit placitum ante te*: (Matt.) ut parvulus daretur parvulus, qui natus est nobis; quandoquidem altitudo superborum nimis abhorret ab hujus humilitate parvuli: (Deus... tus p... damn... perbo... comm... humil...) & quod altum est apud homines, abominabile est apud Deum: qui cum veraciter altus sit, parvulis factus est pro nobis. Cum solis nimirum parvulis concordat iste parvulus; in solis requiescit humilibus, & quietis. Sicut igitur parvuli gloriantes de eo, cantant, *Parvulus natus est nobis*: (Isa. 9.) sic & ipse gloriatur de eis: *Ecce ego, inquiens, & pueri mei, quos mihi donavit Dominus.* (Isa. 8.) Ut enim parvulo Filio suo Pater sodales daret de coætaneis suis, statim primo omnium ab innocentia parvulorum cœpit gloria martyrii; (Matth.) hoc significante Spiritu-sancto, quia nonnisi talium esset regnum cælorum.

4. Si tales effici volumus, fratres, iterum atque iterum transeamus usque Bethleem, & diligentius intueamur hoc Verbum quod caro factum est per Deum immensum, qui parvulus factus est, ut in hoc visibili & breviato Verbo discamus sapientiam Dei, quæ tota humilitas facta est. In hanc quippe virtutem illa omnimoda virtus se interim totam contulit. Nihil aliud illa summa Sapientia interim scire voluit, nisi illam scilicet humilitatem, cujus se postmodum magistrum voluit profiteri. Et iste quidem (quod nimirum in suggillationem mei ipsius loquor) iste, inquam, digne & juste magister docendæ humilitatis effectus est; (Christ... timus ... litatis m... ter.) qui licet eam sibi non ignoraret, & originalem à Matre, & naturalem à Patre, nihilo minus tamen ab ipso Matris utero didicit eam ex his quæ passus est. In diversorio viatorum natus est, ut hospites & peregrinos super terram, ipsius exemplo edocti, nos esse confiteremur. Ibi quoque novissimum eligens locum, in præsepio positus est, ut & nos illud Davidicum, *Elegi abjectus esse in domo Dei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*, (Psal. 83) opere disceremus. Pannis involutus est, ut habentes tantum quibus tegamur, his contenti simus: per omnia paupertate materna contentus, (Religio quædam ma à C... to nasc... tradita.) Matrique per omnia subditus, ut totius religionis forma jam in ejus nativitate nata videretur. Beata sane simplicium fides pastorum! quæ cum invenisset infantem pannis involutum, nequaquam in illis scandalizata est ad incredulitatem, ut minora de eo sentiret; sed ædificata potius ad pietatem, ut tantæ dignationi gratior fieret. Quanto namque se pro ipsis profundius humiliatam ac funditus exinanitam illa exhibuit majestas, tanto facilius & plenius, si digne de eis sentire volumus, totos eorum affectus sibi illius rapuit, & vindicavit caritas.

5. Fratres, & vos invenietis hodie infantem pannis involutum, & positum in præsepio altaris: (Veritas ... poris C... in altari) videte, vilitas tegminis ne offendat, aut turbet obtutum vestræ fidei, veritatem reverendi corporis sub aliis rerum formis intuentis. Sicut enim mater Maria quibusdam assumentis pannorum involvit infantem, sic mater gratia dispensatoriis speciebus rerum ejusdem sacri corporis

nobis obtegit veritatem; sic etiam mater sapientia ænigmatibus & figuris arcanam divini Verbi contegit majestatem; quatenus & ibi simplicitas fidei, & hic exercitium studii, meritum sibi cumulet ad salutem. Nam ego, fratres, cum vobis veritatem, quæ Christus est, verbis meis enuntio, quid aliud quam Christum pannis satis vilibus involvo? Beatus tamen, cui nec in pannis istis Christus est vilior, sicut nec merces pretiosæ prudenti vilescunt propter veteres quibus amiciuntur sacculos. Christus plane est, quem vobis tradere cupio, qualibuscumque sermonibus nostris; ut juxta sermonem Petri Apostoli, sanctificetis eum in cordibus vestris. *Suscipite in mansuetudine insitum verbum, quod potest salvare animas vestras:* & verbum Christi abundanter habitet in vobis, amor scilicet, & memoria Verbi incarnati, quatenus tam feliciter quam fideliter decantetis: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Tota igitur pietate cogitemus Christum in pannis, quibus Mater eum operuit, ut æterna felicitate videamus gloriam, & decorem, quem ei Pater induit, gloriam quasi Unigeniti à Patre, cum quo & cum Spiritu-sancto honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN EPIPHANIA DOMINI, SERMO I.

1. *Afferte Domino filii Dei, afferte.* Satius est ei afferre, quam sanguisugæ, id est concupiscentiæ, cujus duæ filiæ, voluptas & vanitas, non dant requiem die ac nocte, dicentes: *Affer, affer.* Quid igitur afferemus Domino? Afferte Domino gloriam *auri*, & honorem *thuris*: afferte Domino gloriam nomini ejus, *myrrham* sepulturæ ejus. Sed dicit mihi discipulus Christi, filius Petri: *Argentum & aurum non est mihi*, nec sacculi peregrinarum mercium myrrhæ & thuris. Ergone vacuus apparebis in conspectu Domini; & cunabula novi Regis nullis honorabis xeniis? O dives paupertas, ô locuples nuditas, si tamen Christiana & voluntaria. Quibus enim divitiis non abundas, non solum auri, sed etiam auri primi, auri igniti; non solùm myrrhæ & thuris, sed etiam universi pulveris pigmentarii? Immo qui sunt alii qui possint abundare divitiis hujusmodi, nisi pauperes Christi? *In viis*, inquit, *justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Nec deest ei unde id possit: *Mecum sunt*, inquit, *divitiæ & gloria, opes superbæ, & justitia.* Bonæ opes prorsus divitiæ salutis, in quibus ita superbitur, ut justitia non deseratur. Fratres, superbia ista est gloria exsultantium in Domino, & insultantium mundo, quod nihil habeat tam pretiosum, ut paupertati valeat comparari Sanctorum. O qui pusillo animo estis, cur non superbitis mecum in opibus istis? Superbiam istam non damnat, sed remunerat Magister humilitatis: si videlicet ita magnanimus sis in contemptu mundi, ut omnem gloriam ejus quasi de sublimi despicias, & nihili pendas præ amore & gloria tuæ nuditatis. Omnino dives es, si in paupertate glorieris: & de te quoque gratias aget congratulatio Apostoli: *Gratias*, inquit, *ago Deo meo, quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo & sanctitate, ut nihil vobis desit in ulla gloria.* Longe aliter illum alloquitur Dominus, qui sibi applaudebat de affluentia mundi hujus: *Tu*, inquit, *dicis, quia dives sum, & nullius egeo: & tu miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

2. Sane inter divitias hujusmodi, pro quibus Paulus congratulabatur discipulis, non dubitaverim aurum, thus, & myrrham posse reperiri, quæ digne & grate Christo nato queant offerri. At ego, inquies, non sum mihi conscius tale quid accepisse, nec aliquid tam pretiosum, ut est aurum, thus & myrrha, penes me posse inveniri. Ego enim videns paupertatem meam, vix mendicabo stipem quotidianam, pauperem exigens vitam. Putas, inquit, te nihil tale accepisse? vide magis, ne acceptam à Patre substantiam dissipaveris vivendo luxuriose. Sed omitto istud: non enim improperandum est, ut Sapiens ait, homini avertenti se à peccato. Vellem magis, ut non pigeret te tentare & quærere, si forte vel minimum aliquid paternæ substantiæ resedisset apud te, unde initium recuperandi posses capere. Vellem foderes intra te: solent namque pretiosi latere thesauri in abditis terræ. In agro absconditus erat thesaurus ille, qui desiderio sui compulit hominem omnia sua vendere. In agro se dicebant thesauros absconditos habere decem viri Israëlitæ, & per hoc gladium evaserunt homicidæ. O quanti thesauri bonorum operum, quantæ divitiæ piorum fructuum absconditi latent in agro humani corporis, & quanto plures in abdito cordis; si modo sit qui exerceat & fodiat! Neque illud Platonicum dico, quod anima ante corpus artes didicerit, quæ oblivione & mole corporis obrutæ, disciplina & industria refodiendæ sint: sed quod ratio hominis & ingenium, juvante gratia, omnium sit virtutum seminarium. Si ergo ad cor redeas, & corpus exerceas, non diffidas te inventurum thesauros desiderabiles: & si non auri statim in initio, aut thuris, certe vel myrrhæ non inutilis. Inutilem aut vilem tu ne dixeris, quam Christus acceptat in munere, qua sui corporis sepultura non solum præsignari, cum ei offerretur, sed etiam consummari voluit, cum ex ea perungeretur.

Matth. 13. — Jer. 41. 8 — Platonis opinio, quod omnis nostra scientia non sit nisi reminiscentia.

3. Si ergo manifestius vis audire, myrrha in corde tuo dolor est; myrrha in corpore tuo labor est: si tamen iste, vel ille pœnitentialis est. Myrrham siquidem utrumque esse non solum probat etymologia nominis, aut qualitas saporis; sed etiam medicinalis operatio virtutis. Myrrha namque amarissimum gustum sui etiam nomine prodit; effectu autem, præter alias sui utilitates, corruptioni resistit. Et quid gustu amarius, quid effectu salubrius, quam dolor, quo peccator ad pœnitentiam contristatur? Recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, dicens Deo: *Noli me condemnare:* sed omnis hæc amaritudo nihil aliud quam myrrha est, vindicans à corruptione tam luxuriarum, in quibus computruit, quam vermium immortalium, quos metuit. Quid vero labor corporis? Non tam myrrha est, quam fasciculus myrrhæ: si credere volumus his qui de sæculo nuper venere: quibus regula jejuniorum & vigiliarum, quotidianum opus manuum, asperitas vestium, & omnia pæne amara, quia insolita, velut in unum colligata fasciculum, imposita sunt ad ferendum. Et quidem amarissime portarent hunc myrrhæ fasciculum: nisi quia etsi nondum gaudent communicare passionibus Dilecti, ut dicant: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Dulce tamen nimium habent amaritudinem cordis amaritudine mitigare exteriori, tamquam choleram stomachi potu absinthii. Sicut enim stomachus, immoderato usu dulcium corruptus, potione purgatur amara: sic eorum qui suaviter vixerunt in amaricata conscientia, numquam melius quam contrario, id est vita & consuetudine curantur austera. Maxime autem si sæpius detur eis bibere vinum myrrhatum Dominicæ passionis, id est potentur vino compunctionis, quod quanto amarius est ex recordatione peccati, tanto salubrius est peccatori. Ideo Jesus noluit bibere, quia peccatum non fecerat, quod ei crucifixor imputabat, qui de amaritudine vitis alienæ ei propinabat, qui de genimine vitis veræ, vinum novum cum amicis in regno Patris habebat bibere.

Myrrha symbolum pœnitentiæ. — Job 10. 2 — Myrrha tirocinium vitæ religiosæ. — Cant. 1. 12 — Quomodo dulcescat. — Matth. 27.

4. Ceterum quamquam perfectis, qualis Timotheus erat, exercitatio corporalis ad modicum utilis sit comparatione pietatis; quantum tamen rudibus & imperfectis, quales nos sumus, utilis sit, vos ipsi, Fratres, vobis testes estis: quomodo scilicet redimit de corruptione vitam nostram amaritudo parsimoniæ & laboris. Ipsi etenim scitis, quomodo vermescerent corda, quomodo vermescerent corpora, si non quotidie de manibus laborantium distillaret myrrha. An non vermis luxuria? Nescio si alter nocentior. Ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transforat delectando, perimit consensu voluntario. An non vermis acedia, & tristitia? *Sicut tinea*, inquit, *vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.* Quid omnia desideria mala? An non vermes & ipsa? *At in desideriis est omnis otiosus, & desideria occidunt pigrum.* Beatus igitur cui ad mortificandos vermes hujuscemodi, manus propriæ distillant myrrham

1. Tim. 4. 8 — Labor & afflictio corpor, quam sit utilis animæ. — Luxuria pestilens vermis. — Prov. 25. d — Item tristitia. — Prov. 21. d — Et omnia prava desideria.

per universum sui: jamque prævenit ungere corpus suum in sepulturam. Sed suum dicam, an Jesu? Immo & Jesu. Corpus enim illius, membrum est Jesu. Quisquis ille est qui sic unctus est, non est quod timeat vermem qui non moritur: quia jam mortuus est ei vermis, unde illi moritur.

5. Myrrham itaque, & myrrham electam atque probatissimam Domino cum regibus rex & ipse obtulisti, si interim dum non sufficit manus tua ad offerendum aurum sapientiæ aut thus devotionis, saltem cor contritum corpusque afflictum cum amaritudine pœnitentiæ Domino sanctificasti. Existimo enim, sine præjudicio tamen melioris intellectus, myrrham esse primam oblationem incipientium; deinde thus proficientium, demumque aurum perfectorum: atque idcirco cum simul ab Evangelista nominata sunt, pretiosiora quæque & digniora pro merito sui prælata esse in ordine nominum. Alias namque secundum ordinem profectuum myrrham thuri præpositam invenis, ut est illud: *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.* Et, *vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Non parvus siquidem profectus est, cum de myrrha ad thus proficitur, cum de ista, quæ ad usus est infirmitatis humanæ ad illud, quod divinis & festivis deputatum est sacrificiis, pervenitur: ut qui sacrificium spiritus contribulati, corporisque humiliati offerebat non sine myrrha amaritudinis, jam sacrificium laudis offerat cum thure devotionis; & juxta promissionem Domini, tanta consolatio immittatur lugentibus Sion, ut det eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Tunc cantat qui lugebat: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum*, spiritum mœroris, *& circumdedisti me lætitia,* pallio scilicet laudis, *ut cantet tibi gloria mea, & non compungar. Gaudens enim gaudebo in Domino, & exsultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me.*

Myrrha est oblatio incipientium, Thus proficientium, Aurum perfectorum.
Cant. 3. b
Cant. 4. b
Thus devotionis symbolum.
Isa. 61. c
Psal. 29. a
Isa. 61. d

6. O fratres, quibus minus sufficiunt vestimenta vestræ paupertatis in hac asperitate hiemis; qui dicitis: Ante faciem frigoris hujus quis sustinebit? cur non induimini, quæso, hoc vestimento lætitiæ & salutis, hoc pallio laudis? Si Dominum laudatis, in Domino laudabitur anima vestra, & pallio laudis quo opertus est laudabilis nimis, vos quoque operiet, & confovebit, quemadmodum gallina pullos suos sub alis, si modo velitis. Ah quoties voluit, & noluistis! Numquid enim hoc pallium breve est, ut utrumque operire non possit? *Non angustiamini*, inquit, *in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.* Dilatamini & vos, & pallium dilatabit se usque ad vos. Non est abbreviata manus ejus, ut salvare nequeat: nec grande est ei ut consoletur nos, nisi pravitas nostra prohibeat. O qui algetis, pallium hoc calidum est: quia calor est, qui non modo interius, sed exterius calefacere potest. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum terra tua perflata fuerit austro, immo ignis missus in ossibus, ac vehementer accensus? Hoc igne thus illud adole, quod ubi cum Regibus obtuleris, dirigatur oratio tua sicut incensum in conspectu Domini: & cum de sacrificio tuo odoratus fuerit odorem suavitatis, dicat tibi: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

Pallium divinæ laudis.
2. Cor. 6 c
Job. 37. c
Thren. 1. c
Cant. 4. c

4. Jam vero de auro sapientiæ (quæ oblatio, ut diximus, perfectorum est) loquatur vobis, qui illud assecutus est, quia nec novit illud nisi qui accipit. Qui ergo sapientiam didicit, sapientiam loquatur inter perfectos: & de auro quod possidet, murenulas aureas auribus vestris fabricet. *Ego enim non arbitror comprehendisse me, sequor autem si quo modo comprehendam.* Magnus prorsus ac beatus, qui invenit sapientiam, & affluit prudentia: sapientiam in contemplatione æternorum, prudentiam in administratione temporalium: vel, ut moderatius sapientem definiam, qui novit se ipsum regere & alium. Pretiosius est hoc *aurum* cunctis opibus, etiam *thure & myrrha*: & omnia quæ desiderantur in virtutibus vel gratiis, huic non valent comparari. Denique sapiens, tamquam vir virtutum, dives in omnibus, etsi prævalet aurum offerre in sublimi contemplatione, vel prudenti administratione; non tamen negligit offerre thus in devotione divini operis; myrrham in mortificatione sui. Nos igitur, fratres, quod habemus offeramus in gloriam novi Regis: quod minus habemus, ab ipso petamus cui offerre cupimus. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Munera mea, data mea, ait Pater luminum, à quo omne donum perfectum, & omne datum optimum, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Aurum sapientiam significat.
Philip. 3. d
Sapientis definitio.
Offere aurum neglig thus & rham.
Jac. 1.

## DE EPIPHANIA DOMINI, SERMO II.

1. SUrge, *illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum.* Hodiernum diem luminum illuminavit nobis & consecravit lumen de lumine, quod hodie cum lateret incognitum, ad illuminationem omnium gentium sese dignatum est mundo revelare. Hodie namque se revelavit Chaldæis novi sideris indicio, cum eorum primitiis omnium fidem gentium dedicavit. Hodie se revelavit Judæis, non solum Johannis, sed & Patris & Spiritus-sancti testimonio: ubi in Jordane baptizatus, baptisma omnium consecravit. Hodie manifestavit gloriam suam coram discipulis suis: quando mutatione aquæ in vinum, illud ineffabile præostendit mysterium, in quo, verbo ipsius, substantiæ mutantur rerum. His omnibus Dei apparitionibus prævidens Spiritus illuminandam Ecclesiæ fidem, alloquitur eam sub typo & nomine Jerusalem, dicens: *Surge, illuminare Jerusalem: quia venit lumen tuum.* Venerat quidem lumen: in mundo erat, & mundus per ipsum factus erat: sed mundus ipsum non cognoscebat. Erat natus, sed non erat notus, donec declarare eum cœpit luminosa dies ista. Ait ergo Propheta: *O Jerusalem nova*, civitas magna novi regis, *mons Sion, latera Aquilonis*, id est, de utroque ædificanda pariete circumcisionis & præputii: *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum.* Surgite qui sedetis in tenebris, intendite lumini, quod exortum est in tenebris, sed non comprehenditur à tenebris. *Accedite ad eum & illuminamini*, & in lumine ejus videbitis lumen: diceturque vobis: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Intendite lumini æterno, quod se vestris aspectibus temperavit: ut qui lucem habitat inaccessibilem, infirmis quoque & lippientibus oculis posset accedi. Advertite lumen in lucerna testæ, solem in nube, Deum in homine, in luteo vasculo carnis nostræ splendorem gloriæ, candoremque lucis æternæ.

Isa. 6
Triple mini festatio
Isa. 60
Psal. 4
Psal. 3
Ephes.

2. Latet quidem majestas in humanitate, virtus in humilitate; sed signa virtutum erumpentia, unde hæc prodeant, non sinunt ambigere. *Opera*, inquit, *quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Magnum quidem testimonium Johannis, qui venit ut testimonium perhiberet, lucerna de lumine: at enim multo majus illud testimonium cæleste, quod Pater & Spiritus-sanctus Filio perhibuere: Pater in voce, Spiritus in specie, cum in ore duorum testium stet omne verbum. Sed & hoc ipsum si minus accipitur: *Opera*, inquit, innumerabilia, & irrefragabilia, *quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Plane incorruptus & irrevincibilis testis, cum creatura insensibilis sensum quemdam accipit in confessionem Creatoris, voluntatem ejus exaudiens, ac nutui incunctanter obediens. Quid enim divinius poterat exhiberi sensibus mortalium, quàm hodiernæ novitatis signum, quod etiam ante signorum suorum præmisit Jesus initium? Vagit puer novus in terris, & sidus novum creat in supernis: ut lumen testetur de lumine, stella de sole, & Reges in splendore ortus sui, ad exortum quoque æternum splendorem, ab oriente ad verum Orientem, id est, *virum cui nomen Oriens*, stella perducat: non quasi stella, sed quasi rationale animal in via præcedens, in fine viæ consistens, ac velut digito ipsum qui quærebatur ostendens. Sed esto, calumnietur infidelis, hanc stellam non esse opus Christi, dummodo confiteatur opus esse Patris in testimonium Filii. Attamen obruet eum multitudo infinita, ac magnitudo mirabilium plane divinorum, quæ absque contradictione Jesus noster operatus est in carne, sed non ex carne.

Johan. 5
Majestas Christi bus sig declarat
Luc. 3. c
Johan. 1
Novæ & miracul
Zach. 6

3. Sed operiant tenebræ terram, & caligo populos: A qui cum *lux venit in mundum, dilexerunt magis tenebras quàm lucem:* dummodo tu illumineris, Jerusalem civitas cælestis, quæ in omni terra & populo, Deo paritura es filios lucis, quos de potestate tenebrarum transferet in regnum claritatis suæ lumen verum. Gratias tibi Pater luminum, *qui de tenebris nos vocasti in admirabile lumen tuum.* Gratias tibi, *qui dixisti de tenebris lumen splendescere, & illuxisti in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ in facie* Christi Jesu. Hæc siquidem est lux vera, immo vita æterna, ut cognoscamus te unum Deum, & quem misisti Jesum-Christum. Cognoscimus te, quia cognoscimus Jesum, quoniam Pater & Filius unum. Cognoscimus quidem per fidem, ipsam tenentes B arrham fidelem, quia cognoscemus te per speciem. Interim tamen auge nobis fidem, deducens nos ex fide in fidem, à claritate in claritatem, tamquam à tuo spiritu: ut de die in diem thesauros luminis profundius ingrediamur, quo fides amplior, scientia plenior, caritas ferventior fiat & diffusior: donec per fidem perducamur ad faciem, tamquam per stellam prædúcem ad nostrum Bethleemiticum ducem, qui egressus de Bethleem regit Israëlem, & regnat in Jerusalem; non ista quæ occidit Prophetas, ipsumque Dominum Prophetarum: sed illa in qua coronat occisos idem Dominus, causa, virtus, & gloria Martyrum.

4. O quanto gaudio ibi tripudiat fides Magorum, cer- C nentium in illa Jerusalem regnantem, quem in Bethleem adoraverunt vagientem! Hic visus est in diversorio pauperum, ibi in palatio videtur Angelorum: hic in pannis parvulorum, ibi in splendoribus Sanctorum: hic in gremio Matris, ibi in solio Patris. Plane digna beatorum fides Magorum, ut tam felici visione remuneretur: quæ cum in eo nihil nisi infirmum & contemptibile videret; non tamen scandalizari potuit, quominus Deum in homine, & hominem in Deo veneraretur. Proculdubio stella ex Jacob illuxerat in cordibus eorum: stella inquam matutina, lucifer qui nescit occasum, qui etiam foris stellam, matutini ortus sui indicem, accenderat in cordibus eorum. De his omnino convenienter intelligi D potest, quod apud Salomonem scriptum est: *Justorum semita, quasi lux splendescens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Primo namque semitam justitiæ ingressi sunt ad lucem splendentis sideris, cujus ductu profecerunt ad videndum novum ortum matutinæ lucis: sicque demum pervenerunt ad contemplandam faciem meridiani solis, in die virtutis suæ rutilantis.

5. Pulcre igitur signanterque in his Gentium primitiis, in his nascentis Ecclesiæ primordiis, præostensus est fidei profectus in singulis: unde scilicet incipiat: quomodo proficiat, & quo demum perveniat: ut facile ipsorum qui patres sunt, in filiis agnoscantur vestigia. Sicut illi cœperunt à visione sideris, profecerunt ad visionem E pueri, pervenerunt ad visionem Dei; sic in nobis fides nascitur supernorum prædicatione luminarium: roboratur visione quarumdam imaginum, per speculum & in ænigmate Deum velut incarnatum nobis exhibentium: consummabitur, cum præsens & nuda videbitur veritas rerum facie ad faciem contemplantibus, quod vix tenuiter & raptim in ænigmate nunc attingitur; cum & ipsa fides transibit in cognitionem, spes in possessionem, desiderium in fruitionem. Lucent namque & nobis stellæ, non una, sed multæ; nisi quia multæ una, quarum scilicet cor unum est, & anima una; fides eadem, prædicatio consona, similisque vita. Quæ sint hæ stellæ, si dubitas, Danielem interroga: *Qui ad justitiam*, inquit, *erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Paulus F etiam *luminaria* vocat eos, qui lucent *in medio nationis pravæ & perversæ*, continentque verbum vitæ, tamquam splendorem mutuatum ab æterna luce: quo & noctem hujus mundi jussi sunt illuminare. Ideo Dominus fons & origo lucis, cum ordinaret lunam & stellas in potestatem noctis, dicebat illis: *Vos estis lux mundi.* Et iterum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Lucent itaque verbo, lucent exemplo; & utroque lucis A radio ortum æternæ lucis annuntiant, dum cælestem quem voce prædicant, etiam cælestis vitæ similitudine commendant.

6. Suspicite, fratres, in cælum: in cælo siquidem est conversatio eorum; suspicite, & intendite mentis oculos, si necdum potestis in rotam solis, saltem in fulgorem siderum; admiramini splendorem Sanctorum, imitamini fidem, æmulamini sanctitatem. Stellæ istæ sicut flamma coruscant; & lumen luminum ortum demonstrant: ducunt ad cunabula novi Regis, ad cubiculum Virginis Matris, quod est inviolabile fidei mysterium: immo perducent in templum Regis, in sanctuarium Dei Patris; quod est incogitabile fidei præmium. Interim autem dum idonei non sumus, sapientiam Dei quæ in mysterio abscondita est, scrutari, vel majestatem quæ in præmium reposita est, contemplari: contenti simus Sanctorum claritatem mirari, sanctitatem imitari. *Fili*, inquit, *concupisti sapientiam, serva mandata: & Dominus præbebit tibi illam. Altiora autem te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit Dominus tibi, ipsa conserva semper. Præceptum* namque *Domini lucidum, illuminans oculos:* quibus postmodum ipsum corpus luminis valeas intueri, cum in luce radiorum, id est, in opere mandatorum, versari consueveris. *Dulce* quidem *lumen*, ut ait Salomon, *& delectabile oculis, videre solem.* Dulce prorsus & delectabile, sed illis quibus tolerabile. Sanos oculos fovet, infirmos torquet. Et quis est tam sano & acuto C visu, ut in aspectu illius invisibilis Solis non cæcutiat? Quis ille scrutator majestatis, qui non opprimatur à gloria? Mirabilis facta est, ô Domine, claritas tua, tum ex se, tum etiam ex me: quia confortata est adversum me, dum acies mea infirmata est in me: & jam non potero ad eam, sicut poteram in Adam. Potero forsitan ad claritatem siderum, qui non possum ad solem ipsum: & per hanc quandoque confortabor ad illum.

7. Eia surge, illuminare anima mea, quæ sedebas in tenebris; suspice luminaria cæli, leva oculos tuos in montes unde veniet auxilium tibi, si veneris ad illum qui habitat in cælis, id est, in montibus ipsis. A montibus, inquam, veniet auxilium tibi, quia lux tibi inaccessibilis illuminat mirabiliter à montibus æternis. Susceperunt montes lucem populo, à quibus ad valles campósque descendat subjectos. Hoc itaque dico, fratres, optimum est, nostræque infirmitati congruum illuminationis initium, si intendamus in eos qui illuminati sunt. Rectissima via est inveniendi Jesum, si præcedentium Patrum sequamur lumen prævium. *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.* Qui justum sequitur, non ambulat in tenebris: non modo videbit, sed habebit lumen vitæ. Videbit ad consolationem præsentis vitæ: habebit in possessionem hereditatis æternæ. Pietas nempe promissionem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ. Exerceamur ad pietatem, & neutro nos fraudabit qui se ultro nobis fecit debitorem. Exerceamur in operibus lucis, & qui abscondit lucem in manibus suis, annuntians de ea amico suo, quod possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere: nunc aliquando in solatium operis eam nobis demonstrabit, & postmodum in præmium dabit, ipse lux nostra Jesus-Christus; qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Margin notes: Sanctorum claritas contemplanda, dum solem non possumus. — Eccli. 1 d — Eccli. 3 c — Psal. 18. b — Eccli. 11. b — Isa. 26. b — 1. Tim. 4. b — Job 36. d

## DE EPIPHANIA DOMINI, Sermo III.

1. Surge, *illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum.* Isa. 60. a
Benedictum lumen, quod venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis: de cujus munere etiam dies iste, dies sanctificatus de illuminatione Ecclesiæ illuxit nobis. Gratias tibi lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, quæ ad hoc ipsum venisti homo in hunc mundum. Illuminata est Jerusalem mater nostra, mater omnium qui illuminari meruerunt: adeo ut jam luceat omnibus qui in mundo sunt. Gratias tibi lux vera, quæ lucerna es facta, ut Jerusalem illuminares, & lucerna pedibus meis, Verbum Dei fieret. Gratias, inquam, tibi, quoniam ipsa Jerusalem il-

luminata facta est lucerna, ut luceat omnibus qui sunt in domo magni patrisfamilias. Non solum enim illuminata est, sed exaltata, & super candelabrum illud totum aureum sita est: civitas super montem montium, illa quondam derelicta & odio habita, posita est in superbiam sæculorum; ut tam longe lateque fulgeat ejus Evangelium, quam longe lateque mundi vigebat imperium. Et si opertum est ejus Evangelium, in his qui pereunt opertum est: in quibus deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis gloria Ecclesiæ Christi. Quibus tamen non fulget ut videant, fulget ut invideant: & Ecclesiæ torquentur gloria, qui ipsius illuminari nolunt gratia. Verum Ecclesia nec propter gloriam qua floret, superbiens, nec gratiam qua pollet, invidens, etiam illis quos molestos tolerat, lumen quod accepit implorat, dicens: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Mei forsitan sunt, quia prædestinati; sed adhuc tenebræ sunt, quia nondum vocati aut justificati. Voca & ipsos in admirabile lumen tuum, & prædicabunt mecum admirabile nomen tuum. Quamquam justus quisque ac sanctus in Ecclesia ita se illuminatum gaudeat, ut adhuc se non minima ex parte tenebrosum videat & doleat: & ideo necessario, cum illuminatus sit, adhuc se illuminari petat. Quanto namque amplius lucerna ejus illuminata fuerit, tanto verius ex lucerna ipsa tenebras suas deprehendit. Nec statim contrarium putaveris, quod in Evangelio Veritas ait: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Non enim, quia ex oculo sinceræ intentionis totum opus nostrum lucidum fit, ideo consequens est, ut statim omnes tenebræ ignorantiarum nostrarum illuminatæ sint. Is nempe modus est adhuc illuminationis nostræ, ut in lumen veritatis multum existimetur profecisse, qui defectum suum potuerit nosse, & scire quid desit sibi. Inde est quod & apud sapientes hujus mundi, qui magis sobrie disputarunt de scientia, primus numeratur gradus scientiæ, scire quod nescias.

Gloria & dilatatio Ecclesiæ Christi.
2. Cor. 4. a
Nota.
Psal. 17. c
Justus non omnino liber à tenebris.
Matth. 8. c
Primus scientiæ gradus Scire quod nescias.

2. Fratres, omnes vos filii lucis estis, & filii Dei. Non sumus noctis, neque tenebrarum. *Nox enim præcessit, dies autem appropinquavit. Et si fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Verumtamen si, quoniam non sumus tenebræ, nec filii tenebrarum, dixerimus nos nihil pati tenebrarum, nos ipsos seducimus, & tenebras mortis, quæ illuminari non mereantur, nobis inducimus. Quid enim, ait Lux mundi, quæ in judicium venit in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant? *Quia*, inquit, *dicitis, videmus: peccatum vestrum manet.* Video quantulumcumque, *quoniam tu illuminas lucernam meam, ô Domine*: sed quia parum est quod video; *Deus meus illumina tenebras meas.* Videmus ut multum per speculum & in ænigmate; sed multum longe est hoc ipsum à claritate vera, claraque veritate, quæ videbitur in facie. Ideo forsitan cæcus, quem apud Marcum Dominus illuminare cœperat, homines quasi arbores ambulantes videbat: quia videlicet nonnisi per speculum, & in ænigmate videbat; sed secundo imponens manum restituit eum, ita ut videret clare omnia. quod in nobis fiet, cum nos reficiet, & sanitatem perficiet impositione manuum secunda, quam cœpit prima, restituens nos in claritate perfecta.

Rom. 13. d
Ephes. 5. b
Tenebræ in nobis residuæ.
Joh. 9. g
Psal. 17. c
Matth. 8.

3. Sed hoc ipsum per speculum & in ænigmate, cui, aut quando, vel quamdiu potest contingere? Quam misericorditer mecum ageretur, quàm feliciter mihi videter illuminatus, si peccata mea possem videre, cui quotidie necesse est plangere ac dicere: *Circumdederunt me mala quorum non est numerus, & non potui ut viderem.* Nam *delicta quis intelligit*, quando etiam specie virtutis vitium decipiens interficit, quasi vere Angelus tenebrarum transfigurans se in Angelum lucis? Magnus utique, multumque illuminatus, qui delicta ad liquidum intelligere potuit, & voluit; nam neque & dolosus potuit, & *noluit intelligere, ut bene ageret.* Deus illuminator omnium gentium, de te nobis cantabatur: Ecce veniet Dominus, & illuminabit oculos servorum suorum. Ecce venisti, ô lumen meum, illumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte: ne peccatum ad mortem oculos nostros aliqua delectatione claudat, & ad consensum illiciat, aut velut Isboseth dormientem inveniens transfodiat. Venisti, ô lumen fidelium omnium, & ecce hodie de illuminatione veræ fidei, id est, lucernæ nostræ, dedisti nobis gaudere: da etiam de illuminatione tenebrarum nostrarum, quæ residuæ sunt, semper in Domino gaudere. Dedisti lumen veræ fidei, da & lumen veræ justitiæ, da lumen divinæ scientiæ, da etiam & divinæ sapientiæ.

Psal. 39. c
Psal. 18. c
Cæcitas cordis humani ad intelligenda peccata.
Psal. 35. a
2. Reg.

4. His profecto gradibus proficiendum, hac via proficiscendum tibi esse puto, ô anima fidelis, quò fallacis mundi hujus tenebris exuta, pervenias ad patriam claritatis æternæ, ubi tenebræ tuæ erunt sicut clara meridies, & nox sicut dies illuminabitur. Tunc prorsus, *tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum:* quando replebitur divina majestate incircumscripti luminis omnis terra, & gloria ejus in te videbitur. *Domus Jacob venite, ambulemus in lumine Domini:* ut veri filii lucis ambulemus de claritate in claritatem, tamquam prælucente Domini spiritu, ut per singulos gradus virtutum regnum claritatis ulterius invadamus. Qui igitur jam per fidem sumus in lumine, ex ea & per eam in amplius & serenius lumen progrediamur, primo justitiæ, dein scientiæ, demumque sapientiæ. Quod enim credimus per fidem, consequenter operandum vel promerendum est per justitiam, post intelligendum per scientiam, ac postremo contemplandum per sapientiam. Prima namque omnium accensa est lucerna fidei, ad quam operemur in nocte hujus sæculi. Inde scriptum est in laudem mulieris fortis, quæ de nocte surrexit, & de nocte ac die operans manibus suis, panem otiosa non comedit: *Non exstinguetur*, inquit, *in nocte lucerna ejus*, id est, non deficiet in tentatione fides ejus. Ad hanc lucernam non fiunt opera tenebrarum, sed exstinguitur cum fiunt. *Qui* enim *male agit, odit lucem.* Ideoque exstinguit lucernam fidei, postponit memoriam Dei: non est timor Dei ante oculos ejus, & de tenebris quas sibi fecit, arbitrorumque absentia blanditur sibi, dicens: Quis me videt? *Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me.* Quem vereor? *Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. & non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius.* Bona vero opera, etsi aliquando propter vanitatem declinandam in abscondito fiunt; ad lucem tamen internam & æternam, id est, sub judicio fidei, & testimonio Dei fiunt, quia opera lucis sunt: lucernæ utique ardentes in manibus operantium, & exspectantium adventum sponsi, qui educet quasi lumen justitiam tuam, ad conspectum hominum & angelorum: & sicut lux meridiana clara est, clarescere faciet opera tua, quia in Deo sunt facta, ut Deum in te, & te in Deo clarificent omnium judicia.

Quibus gradibus a[d] [sa]pientiæ [lu]men p[er]veniatur.
Isa. 60.
Isa. 2.
1. Perf[ectio] fidei.
Prov. 3[1].
Joban.
Eccli. 2[3].
Per [quæ] bona se[nt] lucida.

5. Quanta vero claritate justitia resplendeat etiam in præsenti, quanta luce lætificet conscientiam justi, familiarius & suavius conscientiæ vestræ testimonium vos docebit. Sæpe autem & fides radiat, & justitia coruscat, & adhuc tamen intellectus caligat: ut mysterium fidei quod velut involutum tenens veneratur, explicare nesciat: signatus sit ei liber scripturæ, quasi litteras nesciat; sed nec ad discretionem boni & mali, veri & falsi sensus exercitatos habeat. Et tales quidem multi in Ecclesia, quorum fides multa, abundans justitia, scientia fere nulla. Quod tamen ad lumen justitiæ accedere oporteat lumen scientiæ, docet sermo Prophetæ, qui cum præmisisset, *Seminate vobis ad justitiam:* ut ostenderet quas interim primitias colligamus de hoc semine, subjunxit, *illuminate vobis lumen scientiæ.* Sic & Apostolus ait, *fructificantes in opere bono, & crescentes in scientia Dei.* Tu quoque, David, sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, quomodo *super senes intellexisti? Quia mandata*, inquit, *quæsivi:* A mandatis prorsus intellexi, quia intellectus bonus omnibus facientibus timorem Domini. Nam & unctio docens de omnibus, sciens nimirum quó ordine quidque apud eam discendum sit, prius docet *bonitatem & disciplinam*, & postmodum *scientiam:* si tamen qui docendus est, primo omnium cre-

3. Per[fectio] scienti[æ].
Osee 10.
Col. 1.
Psal. 11[8].

diderit, id est elementa exordii sermonum justitiæ didicerit. Ideo ille discipulus unctionis tam prudenter precem ordinabat, atque allegabat: *Bonitatem*, inquit, *& disciplinam & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Ac si diceret: Didici prima elementa, id est, fidem non fictam: jam quod sequitur, doce justitiam, id est, bonitatem & disciplinam, ut sic demum provehar ad Sanctorum scientiam. Vocasti ad gratiam fidei, jam justifica per bonitatem amoris, & disciplinam casti timoris: ut post magnifices munere scientiæ spiritalis. *Quos autem vocavit, hos & justificavit: & quos justificavit, illos & magnificavit.*

6. Sciendum sane, quod cum sit hæc scientia Sanctorum, non tamen omnes Sancti docentur eam; sed illi dumtaxat, in quibus nec industria gratiam, nec gratia destituit industriam: sed utrumque mutuo sibi suffragio cooperatur, ut & docibilis sit homo discipulus, & spiritus adsit doctor sedulus. Cum autem varia charismata contineat hæc scientia, Spiritus tamen moderator non in unum facile confert omnia, sed dividit singulis prout vult, alii notitiam mysteriorum, alii intellectum Scripturarum, alii interpretationem sermonum, alii discretionem spirituum; alii illam, quæ pernecessaria est, velut in gustu dignoscentiam, atque dijudicationem virtutum ac vitiorum, ne fallant vitia specie virtutum. *Non nocebunt*, inquit, *& non occident in universo sancto monte meo: quia repleta est terra scientia Domini.*

7. Jam vero si quis post hæc & per hæc tria fidem, justitiam, atque scientiam, proficiat ad sapientiam, id est, saporem & gustum æternorum, ut possit vacare & videre, videndoque gustare quàm suavis Dominus: & quod oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, ei per Spiritum reveletur: hunc omnino dixerim illuminatum magnifice & gloriose, tamquam qui gloriam Domini revelata facie speculetur, & super quem gloria Domini sæpius oriatur. Huic utique dicere habet non Propheta, sed Prophetarum Spiritus: *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Fratres, non omnes capiunt hoc verbum, sed qui potest capere capiat. Non condemnatur qui non capit: sed qui non cupit, utique teporis arguitur. Qui autem cupit; noverit, quia hoc lumen sapientiæ fervens accendit oratio, sicut & lumen scientiæ frequens lectio; si tamen cum legis, lucernam ardentem adhibueris, id est, justitiam operum, piorumque experientiam sensuum. Tu autem, Domine Pater luminum, qui lumen de te lumine unicum tuum misisti illuminare tenebras mortalium, da nobis per viam luminum pervenire ad lumen æternum, ut placeamus coram te in lumine viventium, qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## DE EPIPHANIA DOMINI, SERMO IV.

1. Secunda nobis hodie, fratres, nativitas celebratur, quæ de illa prima nativitate, tamquam de causa effectus, consequenter nata videtur. Illa siquidem quam usque hodie celebravimus, nativitas Christi est: ista quam hodie celebramus, nativitas nostra est. In illa namque Christus natus est, in ista Christianitas nata est. Cum enim tria sint quæ nos faciunt Christianos, Fides, Baptismus, & Altaris participatio: hodierna dies fidem nobis initiavit, baptisma consecravit, ac mensæ cælestis miracula præformavit. Quomodo sane prima gentium illuminatio fidem nobis initiaverit, quomodo Christus baptizatus baptisma nostrum consecraverit; qualiter illa conversio aquæ in vinum, mutationem rerum in convivio mensæ Dominicæ præostenderit, nequaquam jam opus est ut doceamus: sed illud arbitror operæ pretium, ut nosmetipsos commoneamus, ne fides in nobis à suis degeneret initiis; ne vacuetur in nobis gratia baptismatis; ne cedat nobis in judicium participatio calicis Christi.

2. Et ipsa quidem fides, qualis ab illis Magis, primis videlicet auctoribus suis, nobis hodie tradita sit, qualiter maximum fidei sacramentum mysticis insinuaverint munerum figuris, satis abundeque disseruere patres nostri: ut ex ea parte nullus jam alius labor, quàm in labores eorum introire nobis resederit. Sed neque magnopere postulat status, immo ruina temporis hujus, ut de mysterio fidei disputetur: sed ut magis id modis omnibus elaboretur, ut, sicut Apostolus ait, in conscientia pura, idem fidei mysterium habeatur. Ecce enim hodie si de mysterio fidei interrogas, omnes fere invenies Christianissimos, si conscientias discutias, paucos admodum invenies vere Christianos. Totus fere mundus *confitetur verbis se nosse Deum, factis autem negat*; adeo ut & qui speciem pietatis videntur habere, virtutem ejus sæpius inveniantur propemodum abnegare. Quid putatis autem, fratres mei, quos in hoc significare voluerim, quos scilicet dicam pietatis habere speciem, sed abnegare virtutem? Si illos qui spatiosam viam sæculi ambulant, intelligitis: quid illi vel de sola præferunt pietatis specie, qui nomine solo Christiani, atque in vacuum assumentes nomen sanctum Christi, tota ac libera professione sectantur quæ huic inimica sunt nomini, qui omni specie conversationis & modo vitæ, se protestantur inimicos crucis Christi? Hæccine est species pietatis quam in eis videmus; habitus & incessus meretricius, sermo scurrilis, oculus impudicus, venter qui pro Deo colitur, & omnis illa vitæ contumelia, quæ publice & gloriabunde, velut in faciem pietati irrogatur? *Quæ enim in occulto ab ipsis fiunt, turpe est & dicere.* Fodiat parietem eorum qui ad ipsos missus est prophetare: ut adhuc majores abominationes videat, quas non erubescunt, aut verentur coram illa tremenda majestate perpetrare. Quid enim mihi, qui monachus videor, de his qui extra hoc monasterium sunt judicare? Utinam nec de his ipsis qui hic intus sunt, mihi esset judicare. Ad meipsum namque conturbata est anima mea, dum scilicet vereor, ne hæc ipsa species pietatis, quam utcumque vobiscum gero, gravius me incipiat accusare: si pietatem ipsam me convicerit abnegasse.

1. Tim. 3. d

Multi nomine, pauci re Christiani.

Tit. 1. d

Ephes. 5.

3. Omnino, fratres, verendum est mihi, an vero & vobisipsis, vos videritis, ne ad nos præcipue spectet ille sermo, qui per Apostolum prophetatus est de temporibus novissimis: ubi cum malitiam hominum describeret tunc futurorum, qualis nunc manifeste legi potest in vita & moribus eorum, longum tamdem sic conclusit malorum catalogum: *Habentes*, inquit, *speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Quid enim ita speciem pietatis habet, sicut hæc quam prætendimus, humilitas tonsuræ & habitus, parsimonia cibi & potus, labor fere continuus, & ordinatissimus per omnia vivendi modus? Ceterum de virtute ipsa pietatis, quam hæc species exterior promittit, quàm prope nihil in me meique similibus valeat inveniri, pudor mihi esset confiteri, si non omnibus essemus manifesti. Quæ est enim virtus pietatis, nisi caritas non ficta, humilitas vera, patientia longanimis, obedientia non segnis? In his virtutibus earumque similibus, quantum vobis liceat gloriari, vestro, fratres, relinquimus judicio: de me siquidem ingenue confiteor, quia nomina quidem earum scio, saporem adhuc ignoro. Merito itaque pudorem mihi pariter & timorem incutit habitus quem gero religionis, cui fere nullum suffragatur testimonium virtutis. Numquid enim tuto mihi possum usurpare monachi nomen & honorem, cujus non habeo meritum & virtutem; cum, sicut ante nos dictum est, simulata sanctitas, duplicata sit iniquitas: & lupus sub ovina pelle deprehensus graviore sit sententia percellendus? Propterea vos quoque fratres, ut tuto gloriari possitis, in hac qua corpora vestra decorata sunt, specie pietatis, ponite corda vestra in virtute ejus, ut species in corporibus, virtus in cordibus, probatos vos exhibeant tam Angelis, quàm hominibus: sitque sicut scriptum est, *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.*

2. Tim. 3. a

Non gloriandum de specie, sed de veritate pietatis.

Aug. in Psal. 63, tom. 8.

Esa. 61. c

4. Hæc est, fratres, Christianæ fidei pietas vera, hoc est habere mysterium fidei in conscientia pura. Ut enim mysterium fidei, quod hodie nobis mystica commendaverunt Magorum munera, fideliter & digne conservaremus immaculatum in conscientia pura: hodie itidem

Hebr. 10. d — Christus baptizatus, non sibi sed nobis; *Aspersit*, sicut Apostolus ait, *corda nostra à conscientia mala, & abluit corpora aqua munda.* Quam felix, ô fratres, anima illa, quæ sic lota in salutem, mox è vestigio secuta est Salvatorem, ut deinceps adhærens ei cum Apostolis, illam meruerit audire vocem; *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Ceterum *qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Ego postquam baptismo lotus fui, non unum mortuum, sed tot mortuos, quot opera mortis tetigi: & juxta Petrum Apostolum, contigit mihi illud veri proverbii; *Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* Quid igitur faciam? Quibus ulterius aquis sordes tantas diluam? Audio quia sicut una Fides, B sic unum Baptisma est, nec secundo Baptismati locus est: quoniam quicumque baptizamur, in morte Christi baptizamur: qui sicut semel mortuus est, sic & semel baptizatus est: ut & nobis unici modum & formam Baptismatis præscriberet. Diffiderem forsitan ulterius posse mundari, nisi quia desperantem reducit in spem, inter alias Scripturæ consolationes, etiam fidele consilium Elisæi, etiamsi totus instar Naaman Syri lepra sim perfusus, ac veterno incurabili possessus. *Vade*, inquit, *& lavare septies in Jordane, & mundaberis.* Si dixisset lavare ter, mundaberis; continuo intellexissem trinam mersionem qua inundantur baptizati, diceremque totum illud miraculum gratiam prophetare baptismatis, ut jam tunc Jor- C danis de virtute Dominici Baptismi cœpisset ad salutem Gentium operari. Nunc autem cum signanter dicat, lavare septies in Jordane, quid sibi vult septenarius iste, aut quis est Jordanis ille? Jordanis, ut aiunt, interpretatur descensus eorum. Quorum? Illorum utique qui humiliantur ad pœnitentiam, qui nimirum quanto profundius descendunt per gradus humilitatis, tanto se penitius mergunt, & plenius abluunt spiritalis alveo Jordanis.

(Margin: Johan. 13. b; Eccl. 34. d; 2. Pet. 2. d; Post baptismi remedium, pœnitentia.; 4. Reg. 5. d; Figura in Naaman.)

5. Ad meipsum, ô Deus, conturbata est anima mea, memor peccatorum suorum; propterea memor ero tui de terra Jordanis, quomodo scilicet in descensu humiliationis mundaveris Naaman leprosum. *Descendit*, inquit, *& lavit septies in Jordane, juxta sermonem viri Dei, &* D *mundatus est.* Descende & tu ô anima mea, de curru superbiæ in salubres aquas Jordanis, qui de fonte domus David, toto jam profluit orbe in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Hæc est nimirum humilitas pœnitendi, quæ de domo pariter & exemplo profluens Christi, toto jam prædicatur orbe, totiusque purgat crimina mundi. O vos Naaman Syri (non enim unus, sed innumeri) ô inquam divites, sed leprosi; superbi, sed ærumnosi; quare tam vehementer abhorretis lavari his medicinalibus aquis? Cur vobis ita viluit noster iste Jordanis præ fluviis Damasci? Dicitis enim, si forte quærentibus aliquando consilium salutis imitanda prædicetur humilitas & paupertas Christi: *Numquid non meliores sunt fluvii Damas-* E *ci omnibus aquis Israël, ut laver in eis, & munder?* Numquid non est melius, & ad purgationem peccatorum efficacius, quotidie benefacere de affluentia mundi, quam semel omnia relinquendo pauperem fieri? Sed enim audi, Naaman. Fluvium Damascenum absorbebit Leviathan, & non mirabitur: nam de Jordane *si habeat fiduciam quod influat in os ejus*, spes eum frustrabitur. Neque enim grande reputat quantiscumque, præter humilitatem Christianam, virtutibus affluas: cum etiam pauperes Christi devorare se posse confidat, sed nihil in eis inimicus proficiat. Damascus secundum nomen suum, civitas sanguinis est, & aquæ ejus sanguine mixtæ sunt: quia opera etiam bona carnalium & sæcularium, vix à quocumque peccato F pura sunt. Et quomodo id quod infectum est sanguine, sanguinem mundabit? qua ratione lepram, id quod leprosum est, curabit? At Jordanis noster ipse quidem purum profluit, nec te calumniari poterunt superbi, si totus in eo mersus fueris, ac velut consepultus humilitati Christi.

(Margin: Ibidem.; Ibidem.; Nullum opus delet peccata sine humilitate pœnitentiæ.; Job 40.)

6. Audi saltem, ô Naaman, domesticos tuos, humiles amicos, fideles consiliarios. Naaman recedebat indignans adversum virum Dei, quem consuluerat: at illi, *Pater*, inquiunt, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras.* Fidele prorsus verbum, rationis & A sapientiæ plenum: quippe suggestio est rationalium hominis sensuum, quos sibi Deus testes retinuit adversus hominem ipsum. *Pater*, inquiunt, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras.* Non credere namque Prophetæ, Dei est injuria: non tentare omnia pro salute, odium est sui ipsius & invidia. Quid enim grande esse potest in præcepto, ubi salus est in promisso? Quanto magis non debet videri grande vel difficile, discere ab Jesu, quia mitis est & humilis corde: cum in eo pariter inveniatur & requies animæ, & præsens medela spiritalis lepræ, pignusque salutis æternæ? Tandem vix ægreque obtinetur à superbo peccatore, ut descendat in Jordanem & lavet: si tamen septies lavat, totumque se B plenius & sæpius mergat, non moratur effectus salutis fidem prophetico facere sermoni. Sed prô dolor, quanta est hujus nostri miseria temporis! quia non solum divites, sed etiam pauperes leprosi, ita inveniuntur delicati, ut vix usque ad talos salubribus intingi patiantur aquis: aut si semel laverint, mox sibi plenissime videantur mundati.

(Margin: 4. Reg. 5. d; Omni… salute… tanda…)

7. At Elisæus non ita sentit, sed signanter exprimit, *Septies lavare, & mundaberis.* Sciebat nimirum humilitatem Christi, quæ nobis imitanda est, si perfecte volumus mundari, septemplicis esse virtutis. *Prima* virtus, quod cum dives esset, pauper factus est. *Secunda*, quod paupertati extremitatem adjiciens, in præsepi positus est. C *Tertia*, quod Matri subditus. *Quarta*, quod servi manibus hodie inclinavit caput. *Quinta*, quod discipulum furem tulit & proditorem. *Sexta*, quod sic fuit mansuetus ante iniquum judicem. *Septima*, quod crucifixoribus tam clemens intercessor fuit apud Patrem. His vestigiis, licet satis à longe, gigantem sequeris, si paupertatem diligis; si inter pauperes extremitatem eligis: si monasterii subditus es disciplinæ: si minorem tibi pateris præesse: si falsos fratres æquanimiter tuleris: si mansuetudine vincas cum judicaris: si caritatem rependas illis, à quibus injuste pateris. Hæc humilitas plane sine injuria unici Baptismi rebaptizat: quia mortem Christi non iterat, sed mortificationem & sepulturam criminum instau- D rat: & quod in illo Baptismo gestum est specie, hic rursus impletur veritate. Hæc siquidem humilitas cælos aperit, spiritum adoptionis restituit: Pater agnoscit filium, quippe in innocentia & puritate pueri regenerati reformatum. Unde bene de Naaman Scriptura meminit, quia *restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli:* significans, ut arbitror, quia eorum, qui sic se abluunt, non solum corda recuperant innocentiam parvulorum; sed etiam corpora secundum quemdam modum puerilem sibi vindicant puritatem mortificatione membrorum. Sic enim de quodam Sanctorum legitur, quia in membris defuncti, septennis quodammodo pueri gratia videbatur. Ecce, fratres, qui primi gratiam baptismatis tantis voluptatum E sordibus amisimus, ecce verum Jordanem, descensum scilicet humilium, ubi pie rebaptizari licet, invenimus. Hoc tantum est, ut non parcamus nobis de die in diem descendere profundius, & plenius mergi, Christoque penitus consepeliri. Ipsi gratias agamus, cujus humilitas & formam Baptismi hodie dedicavit credentibus, & gratiam non disparem reservavit pœnitentibus. Ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(Margin: Hum… Chri… tupl…; Quo… imit…; Hum… & b… tis a…; 4. Re…; De S… no d… apud… cium)

## IN FESTO PURIFICATIONIS
### Beatæ Mariæ Virginis.

### SERMO I.

1. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* *Sint lumbi nostri præcincti*, ut Purificationem Mariæ æmulemur; *sint lucernæ ardentes in manibus*, ut gaudium Simeonis, lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis repræsentemus. Simus videlicet casti corpore, & mundi corde; & Purificationem Mariæ expressimus: simus ardentes devotione, & lucentes opere; & cum Simeone Christum portamus in manibus. Maria tamen non tam purificata fuit, quàm mysterium Purificationis commendavit; implendo legem

(Margin: Luc. …)

lem, significando spiritalem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoque permansit: immo quæ ipso conceptu plane purificata fuit, si quid forte minus ante puritatis habuisset*? Quid, inquam, mundandum habuit conceptus ille, qui solus *potest facere mundum de immundo conceptum semine:* qui fontem, quo immundus purificetur, edidit, fontem domus David, qui hodieque patet, indefesseque scatet in ablutionem peccatoris, & menstruatæ? Suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, ut simul & obedientissimæ humilitatis virtutem, & Evangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Ubi nunc ille, qui tam fallaciter quàm contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quod sanctus sit: numquid sicut Sanctarum sanctissima, quæ Sanctum sanctorum peperit, Maria? Utinam, fratres mei, utinam nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam vere habuerunt Sancti in virtutibus suis. Sed omittamus nunc istud, ut quod cœpimus prosequamur. Ac primo quidem de illa spirituali Purificatione, quam Maria offerens pro se & pro filio par turturum, aut duos pullos columbarum, nobis commendavit, prosequeremur: nisi quod Patres nostri, sicut vobis notissimum est, omnia ad liquidum prosecuti sunt: & quomodo turtur ad castitatem carnis, columba ad simplicitatem mentis pertineat, diligenter differuerunt: nec illud quidem prætereuntes, quid sit sacrificium de uno turture, vel pullo columbino, quid holocaustum de altero. Hoc unum tamen adjicimus quod quanto notiora nobis sunt mysteria, tanto districtius & justius eorum à nobis exiguntur opera: quia *scienti bonum & non facienti, peccatum est illi:* &, *Servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis.*

2. Relinquentes igitur quod tractatum est sufficienter, illud potius tractemus, si placet, quid hæc pulcherrima Ecclesiæ consuetudo luminarium hodie gestandorum, aut factum repræsentet, aut faciendum demonstret. Quamquam ne id puto quidem vobis incognitum; etiam si numquam sit auditum. Quis enim hodie cereum ardentem gestans in manibus, non statim illius Senis recordetur, qui hodie Jesum accipiens in ulnas suas, Verbum in carne tamquam lumen in cera, ipsum esse lumen ad illuminationem Gentium perhibebat? Erat profecto & ipse lucerna ardens & lucens, testimonium perhibens de lumine, qui ad hoc ipsum in Spiritu quo plenus erat, venit in templum, ut suscipiens misericordiam tuam Deus in medio templi tui, prædicaret ipsam esse misericordiam, & lumen populi tui. Vere tu, senex serene, lumen portabas non modo manibus, sed & sensibus: qui sic eras illuminatus, ut cùm tanto ante futuram illuminationem Gentium tam clare videres, etiam nunc inter tenebras Judaïcæ infidelitatis, hodierna claritas fidei nostræ tibi coruscaret. Lætare jam senior juste, vide jam quod prævidebas: discussæ sunt mundi tenebræ, ambulant Gentes in lumine tuo; plena est omnis terra gloria luminis illius, quod occultum in sinu fovebas, immo quo sensus tuos refovebas. O fomes amoris, ipse amor suavis & dulcis ad refocillandam animam! Prorsus suavis & dulcis, etiam cum crucias & affligis: cruciatus feliciter delectans; sicut ignis salubriter refrigerans. Ignis iste, fratres, si in sinu absconditus fuerit, vestimenta non comburit: immo illum ignem exstinguit, qui in sinu celatus, non modo vestimentum adurit, sed & quod vestitum est, depascit, id est, corpus & animam pariter consumit. *Deus*, inquit, *noster ignis consumens est*, sed ignem consumentem: nam animam refovet, demulcet mentem, spiritum recreat, reparatque pereuntem. Hujus ignis vim Simeon non ignorabat, qui in sinu suo eum portare gaudebat, pectusque senile fotu illius calefaciebat. Quanto salubrius & suavius ignis iste senem nostrum calefecit; quàm regem David Abisag Sunamitis? nisi forte Abisag hic ignis idem fuit, sapientia scilicet, cujus amplexu non solum recalescunt frigidi, sed etiam reviviscunt mortui.

3. Amplectere igitur, ô beate senex, sapientiam Dei, & recalescant atque recanescant quasi de novo sensus tui: adstringe uberibus tuis misericordiam Dei, & erit senectus tua in misericordia uberi. *Inter ubera*, inquit, *mea commorabitur:* etiam cum reddam illum Matri suæ, manebit apud me. Et cum inter materna ubera continebitur, nihilo minus inter ubera mea commorabitur, & ubera quoque mea inebriabit misericordia uberi: etsi non quantum ubera Matris. Illa quippe sicut singulariter mater est summæ misericordiæ, sic excellenter habet ubera uberis misericordiæ. Gratulor & gratificor tibi gratia plena, quæ misericordiam genuisti quam suscepi; cereum præparasti, quem accepi. Tu ceram ministrasti suscepto lumini, Virgo virginum Virgini: dum incorrupta mater incorruptibile Verbum, incorrupta carne vestisti. Eia, fratres mei, ecce ardet cereus in manibus Simeonis, accendite & vos cereos vestros de illius mutuatione luminis, lucernas dico quas Dominus jubet esse in manibus vestris. Accedite ad eum, & illuminamini, ut non tam lucernas feratis quàm ipsi lucernæ sitis, lucentes intus & foris, vobis & proximis. Sit ergo lucerna in corde, sit in manu, sit in ore. Lucerna in corde luceat vobis: lucerna in manu vel ore luceat proximis. Lucerna in corde, est pietas fidei: lucerna in manu, exemplum operis: lucerna in ore, sermo ædificationis. Non solum autem coram hominibus lucere nos necesse est per operationem; & sermonem: sed & coram Angelis per orationem, coram Deo per intentionem. Lucerna nostra coram Angelis est pura devotio, cum in conspectu Angelorum psallimus sapienter, vel oramus ardenter: lucerna coram Deo, simplex intentio, ut ei soli placeamus, cui nos probavimus.

4. Et ne putemur in his quæ dicimus, sensus nostri somnia secuti fuisse: probemus nos potius in omnibus adhæsisse testimoniis Scripturæ. Quod enim fides lucerna sit, testatur Salomon loquens de muliere forti, *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus:* quod utique intelligimus, non deficiet in tentatione fides ejus. Nam & de caritate, quæ nihil aliud est quàm fides operans per dilectionem, apud eumdem legimus Salomonem: *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aqua multa non poterunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* Quod opus bonum lucerna sit, lux ipsa veritatis indicat, cum ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris:* Et, *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Quod sermo ædificationis lucerna sit, David dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Et Petrus Apostolus de sermone prophetico, *cui benefacitis*, inquit, *intendentes, tamquam lucernæ lucenti in obscuro loco.* Declaratio quoque sermonum Dei illuminat, *& intellectum dat parvulis:* sive cum sermones Evangelici declarant umbram legis, sive cum ipsi sermones tam Evangelii quàm legis declarantur expositionibus dilucidis, qui non intelligentibus parvulis videbantur obscuri: & in lumine dicimus, quod dictum erat nobis in tenebris. Ideo Philippus in figura cujuslibet ecclesiastici doctoris dictus est os lampadis, eo quod de ore ipsius ad illuminationem audientium coruscaret ignitum eloquium Domini. Sermonem autem Dei intelligo, fratres mei, quicquid spiritus ejus dignatione sua loquitur in vobis, omnem utique sermonem qui bonus est ad ædificationem fidei, in provocationem caritatis. *Si quis* ergo vestrum *loquitur, quasi sermones Dei;* ut etiam in privatis colloquiis omnis sermo malus non procedat de ore vestro; sed si quis est ad ædificationem fidei, ut gratiam det audienti: ut qui audierit, dicat gratias agens tibi: Benedictus sermo oris tui, quia *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* De oratione autem quod & ipsa lucerna sit, maxime si divinitus sit illuminata, ex eo colligimus quod Salomon ait: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris.* Lumen namque quod nobis orantibus, vel psallentibus desuper aperitur, spiraculum vitæ est, in quod suaviter respiramus. Hujus lucernæ videtur Job recordari, cum in mærore tentationis recolens cum suspirio lætitiam præteritæ consolationis, ait: *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum*

Cant. 1. d
Christus cereo comparatur.
Ab eo lucerna nostra quadruplex accendenda.
Luc. 12. e
1. Lucerna fidei & boni operis.
Prov. 31. b
Cant 8. b
Luc. 12. c
Matth 5. b
2. Lucerna boni sermonis
Psal. 118. o
2. Pet. 1. d
Psal. 118 g
1. Pet. 4. c
Psal. 118. o
3. Lucerna orationis.
Prov. 20. d
Job 29. a

*dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris?* Ceterum quod lucerna hæc dicitur investigare omnia secreta ventris, id est mentis: non illud esse putandum est, quod Dominus comminatur se scrutaturum in lucernis: cum istud gratiæ sit illuminantis, illud judicii exquirentis. *Sophon. 1. c* Nam & aliter investigat secreta ventris potio medici, aliter gladius carnificis. *4. Lucerna intentionis* Jam vero de intentione, quod & ipsa dicatur lucerna, nemo est qui ambigat, si tamen Evangelicum illud intelligat: *Matt. 6. c* *Lucerna corporis tui est oculus tuus.*

5. Ut igitur tot lucernas vobis, fratres, illuminetis, accedite ad fontem luminis, & illuminamini, Jesum dico, qui lucet in manibus Simeonis: ut scilicet fidem illuminet, opus illustret, sermonem homini subministret, orationem inflammet, intentionem purget; ut sive opere, sive sermone vel oratione quæratis placere coram eo *Sophon. 1. c* in lumine viventium, qui scrutari habet Jerusalem in lucernis suis, & examinare etiam lumen nostrum. His omnibus accensis, ô fili lucis, jam non ambulabis in tenebris, *Prov. 20. c* nec timenda tibi erit sententia maledicti: *Qui maledixerit patri, vel matri, exstinguetur lucerna ejus in tenebris:* id est, deficiet consolatio hujus lucis, irruentibus undique hinc exterioribus, inde interioribus tenebris. Tibi enim cui tot interius ardent lucernæ, cum exstincta fuerit lucerna hujus vitæ, orietur lux inexstinguibilis vitæ, & quasi fulgor meridianus consurget tibi ad vespe- *Job 11 d* rum: *& cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer,* *Isa. 58. c* *& tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Non tamen erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, aut splendor lunæ illuminabit te: sed Dominus erit tibi in lucem sempiternam: quia Agnus lucerna est novæ Jerusalem, cui benedictio & claritas in sæcula sæculorum. Amen.

## IN FESTO PURIFICATIONIS
### Beatæ Mariæ Virginis.
### SERMO II.

1. Sicut ad diem nativitatis, id est, adventus Domini, pertinuit illa gratiarum actio & vox laudis: *Psal. 117. d* *Benedictus qui venit in nomine Domini:* & ad diem apparitionis, id est, nostræ illuminationis, illud quod sequitur: *Deus Dominus & illuxit nobis:* sic etiam quod subse- ** Vulgata in condensis.* quitur. *Constituite diem sollemnem in confrequentationibus* usque ad cornu altaris:* non absurde, ut arbitror, pertinere dicetur ad hunc diem, nobis utique celebrem, frequentia sollemni, diem scilicet Dominicæ Præsentationis, quando à Matre sollemniter ad Altare præsentatus est Pa- *Ibid.* tri. Nam & in eo quod adjungitur: *Deus meus es tu & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te: confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem:* quid tam convenienter accipimus quam fidem & confessionem *Luc. 2. f* Simeonis & Annæ, *quæ & ipsa hora superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui exspectabant consolationem Israël?* Bene ergo citharista noster monebat lætari Jerusalem & conventum facere in die tam sol- *Psal. 117. d* lemni. *Constituite*, inquiens, *diem sollemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris.* Non mediocris aut parum sollemnis illa frequentia fuit, cum inde venit Jesus & Maria cum turba parentum inducentium puerum, *Luc. 2. d* *ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo:* inde occurrit Simeon & Anna cum turba exspectantium consolationem Israël, quibus testificati sunt de eo.

2. Non crediderim ego de hac sollemnitate quæ tam pium, tam lætum conventum habuit, illam fuisse Pro- *Thren. 1. a* phetæ querelam lacrymabilem: *Viæ Sion lugent, quia non est qui veniat ad sollemnitatem:* nisi forte arguat paucos venisse de tanto populo qui erat in omni Judæa & Jerusalem. Ad comparationem siquidem tantæ multitudinis pauci venerunt, & de ipsis paucis paucissimi, ut arbitror, eum receperunt, cum præsentem viderent diu exspectatum, sicut voce Patris per Malachiam fuerat repro- *Mal. 3. a* missum: *Ecce*, inquit, *veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* O Judæi, adest, ecce Dominator quem vos quæritis, cur offerentem se vobis non recipitis? Quæritis & non quæritis. Sed si quæritis, quærite: convertimini & venite. Quæritis qui redimat de manu hominum, non quæritis, qui redimat de manu dæmonum. Quæritis qui eruat de servitute Romanorum, non quæritis qui eruat de captivitate vitiorum. Si vere utique liberatorem quæritis, quærite liberatorem animarum vestrarum, qui salvum faciat populum suum à peccatis eorum. Si quæritis sublimem, quærite prius humilem, quoniam ut ait Daniel: *Humillimum hominem constituet Deus super omne regnum.* Si quæritis dominatorem potentiæ, quærite prius doctorem justitiæ, quia *justitia firmabitur thronus ejus, & justitia & judicium præparatio sedis ejus.* Quia enim perfecte non quæritis, ideo nec præsentem invenitis, sicut de vobis ipse prædixit: Quærent me mali, & non invenient me, quia oderunt me. Quærent absentem nec invenient etiam præsentem, quia oderunt lucem mala eorum opera arguentem, cum sapientia nonnisi per dilectionem possit quæri, nedum inveniri. Simeon namque, quia pio & fideli quærebat desiderio, quæsitum invenit, & inventum agnovit sine alterius indicio, sine humano scilicet testimonio. Nam Spiritus est qui testificatur, quoniam CHRISTUS est veritas: virtus utique quæ de ipso procedit, unctio docens de omnibus, quæ de illo singulariter secundum nomen suum uncto, multipliciter profluit.

3. Quid autem putamus fratres mei, unctus iste, qui ungit etiam quos non tangit, quomodo candidum & sanctum pectus senis nostri perunxerit, cum suscipiens eum in ulnas suas, adstringeret eum uberibus suis, & gestiret includere si posset in intimis cordis sui? Quid, inquam, putamus ille suavis & mitis, qualem insinuabat seipsum castissimo sinui pii senis, qualis illabebatur medullis, quàm delectabilem & salubrem, immo quàm omnino ineffabilem se implicabat ossibus, inspirabat sensibus? Prorsus liquescebat unctus in unctionem, quasi ad ignem resolutus ad amplectentis amorem: ut nimirum doceret unctio quod dicit lectio, sed non discit nisi dilectio. Quomodo enim legis? *Unguentum*, inquit, *exinanitum* nomen tuum.* Hoc siquidem unguentum exinanitur, cum à quadam duritia sui resolvitur, non ut perefluat substantia illius, sed ut fluant aromata illius, ut quasi nihil habens solidi sentiri possit, teneri non possit. Aut certe magis anima Senis liquescebat in amplexu hujus uncti, vel unguenti, ut diceret: *Anima mea liquefacta est*, ut dilectus meus infusus est mihi. Infusio itaque unctionis, testimonium est uncti; Hæc Seni testabatur de puero, Simeoni de Christo, tamquam spiritus veritatis & caritatis: veritate docens, caritate ungens, & accendens, & omnia interiora gelidi Senis ponens, quasi cum unguenta bulliunt. Motus bullientium unguentorum, æstus desideriorum: sonus eorum, jubilus affectuum pariter dicentium, (si tamen aliquid exprimere valentium) *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël*, annuntians te. Confitebor inquam tibi, quoniam exaudisti me, quotidie cum lacrymis dicentem, *Quando consolaberis me?* Exaudisti me & nunc demum Simeonem, id est, exauditum fecisti me: quia *factus es mihi in salutem.* Jesus mihi factus ex semine David secundum carnem, qui David & omnia fecisti secundum Deitatem. Omnibus quidem generaliter factus es in Salvatorem; sed mihi specialiter factus es in salutem: pectus morbidum perungens, vitalemque resuscitans calorem, animam refocillans, & oculos illuminans. Defecerat enim anima mea in salutare tuum, ô Domine, Pater Domini mei Jesu-Christi, *defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me?* Factus eram *sicut uter in pruina*, frigidus corpore, aridus corde, spiritu marcidus, & totus desiderio languidus. Sed quia in verbum tuæ promissionis supersperavi, non visurum scilicet me mortem, nisi viderem Christum tuum, quod speravi jam video, quod desideravi teneo, quod concupivi complector. Video Deum Salvatorem meum in carne mea, & salva facta est anima mea. Viderunt oculi mei salutare Dei: & illuminati sunt interiores

oculi mei, qui languebant præ inopia. Omnino ad tactum hujus pueri, hujus hominis novi, renovata est ut aquilæ juventus mea, sicut paulo ante mihi loquens pollicebar. *Introibo ad altare Dei*, ubi Maria Jesum offert Patri, *ad Deum qui lætificat* senectutem meam, immo renovabit *juventutem meam.*

4. Nec minore fortassis gaudio exsultabat cor Annæ in Domino: quæ, ut arbitror, tanto majoris fuit meriti, quanto altioris propositi & sanctioris desiderii, quam illa Anna mater Samuelis: cum illa cogitaret quæ mundi sunt, quomodo placeret viro; hæc quomodo Deo: illa de thoro viri quæreret sobolem; hæc de sinu Patris peteret Salvatorem. Hæc igitur quodam præsagio gratiæ excellentis, quæ in vita ejus effloruit, qua etiam gratiam Redemptoris agnoscere & prædicare meruit, gratiæ nomen accepit: exemplar veræ viduitatis, speculum sanctitatis, & vivum in emortuo corpore simulacrum totius virtutis. Hæc finem Legis & initium Evangelii sentiens propinquare, ritus Judaïcos Christiana jam cœperat pietate mutare: jejuniis potius & orationibus serviens nocte ac die, quàm cibis & potibus & variis baptismatibus; justitiis carnis, non animæ. Inde erat quod benedictione filiorum, quæ in Lege magni habebatur, contempta; nomen melius à filiis & filiabus elegerat, & jam per annos octoginta quatuor, lignum esse aridum, ligno que insidere arido, tamquam turtur amissa semel conjuge gaudebat.

5. Ecce habes par turturum, senem justum, & viduam anum: utrumque castum, utrumque desiderio Redemptoris gemebundum: qui utique semetipsos hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, Domino & pro Domino obtulerunt. Par turturum sane dico, non conjugum, sed conjunctorum, non copula matrimonii, sed sacratioris mysterii: pares nimirum fide, æquales castitate, similes devotione, consortes prædicatione gratiæ, ambos provectæ ætatis, ambos perfectæ sanctitatis, qui etiam ante Evangelium, evangelicæ puritatis ac pietatis in utroque sexu primitias dedicaverunt. Hi duo vario decore virtutum adornaverunt thalamum tuum Sion ad suscipiendum Christum Regem, non parietes templi tui, sed penetralia cordis sui; secreta cubiculi, ubi adorare Patrem in spiritu & veritate jubemur: ubi & suscipitur, qui in manu factis se nequaquam habitare testatur. In istis itaque suscepit Christum fidelis Sion, in istis gaudens & lætabunda occurrit Deo suo. Alias vix habet ubi reclinet caput suum, & secundum Isaïam, *Aporiatus est, & non est qui occurrat.* Sufficit tamen istorum occursus ad omnem sollemnitatem & lætitiam, eo quod consummatio abbreviata inundet justitiam, & consummata atque abundans justitia paucorum facile compenset infidelitatem multorum.

6. Mihi omnino celebris est iste conventus, mihi sollemnis ista processio, omnique festiva gaudio, ubi hinc advenit puer & puerpera, Jesus & Maria: inde occurrit senex & vidua, Simeon & Anna: hinc Dominus & Domina, inde servus & ancilla: hinc Mediator & Mediatrix, inde tam fideles tamque devoti ipsorum testes & ministri. In hoc denique conventu *misericordia & veritas obviaverunt sibi:* misericordia scilicet redemptionis in JESU, veritas confessionis in senibus. In hoc occursu, *justitia & pax osculatæ sunt:* dum justitia piorum senum, & pax reconciliantis mundum invicem in osculo affectuum & gaudio Spiritus consociatæ sunt. Recte ergo quod hac nocte cantavimus, ad lætitiam hujus diei pertinere credimus, salvo dumtaxat alio profundiore intellectu: *Lætare Jerusalem, & diem festum agite omnes qui diligitis eam.* Ac si diceretur: Lætata est Nazareth de annuntiatione, Bethleem de nativitate: lætare & tu Jerusalem de purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, & in Bethleem natus est, in Jerusalem est susceptus & prædicatus. *Et diem*, inquit, *festum agite*, sive conventum facite, *omnes qui diligitis eam*, scilicet Jerusalem, id est, festiva devotione convenite in templum, ad suscipiendum Redemptorem, omnes qui exspectatis redemptionem Israël.

7. Jam vero, fratres, si moraliter, sicut mos vester est, ædificari vestra quærit sanctitas, quatuor illas illustres in hac processione consideret personas: quarum vita, non solum ecclesias illustrat, sed & cælos adornat: Jesum loquor & Mariam, Simeonem & Annam. Et ut ab inferioribus ad superiora progrediatur sermo; in Anna, quæ jejuniis & obsecrationibus serviebat nocte ac die, jejunium nobis commendatur & oratio: in Simeone, qui tanto Jesum amplectitur gaudio, pietas & devotio: in Maria, quæ cum nihil deberet legi, in hac scilicet parte purificationis legem nihilo minus implevit, humilitas & obedientia: in Domino autem Jesu, qui factus ex muliere, factus est etiam sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, caritas & misericordia. Nam castitatis sanctimonia, cujus laus, ut comperi, vestram semper puritatem delectat, in omnibus effulsit communiter, licet satis dissimiliter: cum in senibus fuerit labore continentiæ, in puella munere gratiæ, in puero jure & proprietate naturæ, non pueritiæ recens natæ, sed puritatis innatæ. In ipso non solum hujus virtutis, sed etiam omnium origo & perfectio; ab ipso singularum distributio; per ipsum earum conservatio; apud ipsum remuneratio. Apud ipsum igitur ambiamus tam virginis Mariæ, quàm Simeonis & Annæ meritis suffragantibus, ut quod minus habemus virtutis largiatur, quod largitus fuerit tueatur: ut depositum ipsius, per tutelam ipsius integrum ei reconsignantes, remunerationem consequamur ipsius, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Quales proponantur imitandæ.

# IN FESTO PURIFICATIONIS Beatæ Mariæ Virginis.

## SERMO III.

1. *SEnex puerum portabat.* Senex plenus dierum, puerum antiquum dierum. Longitudine dierum adimpleverat Deus senem istum, ut ostenderet ei salutare suum in vultu nostro; sed adhuc aliorum longitudine dierum adimpleturus erat, ut ostenderet ei salutare suum in vultu suo. Plenus ergo dierum temporalium portabat antiquum dierum antiquorum, atque spei æternæ pignus fidelissimum tenebat in sinu repositum: quod videlicet dies suos super dies regis adjiceret puer ille, juventutemque ejus renovaret ut aquilæ. Quamquam senem quoque istum; sicut Abraham, cum dicitur, *plenus dierum*, libentius accipiam plenum virtutum quàm temporum: cum tempora statum nullum habeant, suoque accessu decedentia, hominem potius exhauriant quàm adimpleant. Sed neque magnum est, immo magis malum est, multis vixisse diebus, si non senueris virtutibus: cum puer centum annorum moriturus sit, & peccator centum annorum maledicendus. Ideo *si annis multis vixerit homo*, ut ait Salomon, *& in omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Ceterum è contrario, *senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt enim sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Si hac utique senectute Simeon non consenuisset, numquam coronam senum, sapientiam Dei Christum portare meruisset. Sic namque scriptum est: *Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperitur.* Et quæ est illa senectus, quæ in viis justitiæ reperitur, quæ reperienti in coronam aptatur, nisi sapientia Dei Christus? Ipse namque merito justorum operum tribuit canos sensus sapientiæ, quam postmodum formabit justis in coronam gloriæ. Sanctus itaque senex Simeon, ut sanctius senesceret adhuc, senectutem sapientium, sive sapientiam senum factam puerum, in viis justitiæ; cum scilicet in spiritu venit in templum, reperit, & comperit in veritate: quia senectus erat in lactente, sapientia in infante, virtus in infirmitate, Verbum in carne. O infantia, ô senectus! quàm bene vobis pariter convenit in hujus pueri sensibus & moribus! quo utique nihil innocentius, sed nihil sapientius: nihil jucundius, sed nihil maturius: nihil mitius, sed nihil justius.

Senectus non annorum, sed morum commendabilis.

Isa. 65. d

Eccl. 11. d

Sap. 4. b

Prov. 83. d

2. Vobis, ô filii hominum, vobis jam tunc ipso suo silentio loquebatur Dei Sermo, ut videlicet malitia fitis parvuli, sensibus autem perfecti. Alii siquidem ex vobis columba seducta non habens cor, simplicitatem non sapientes prudentia, relinquuntur fatui; alii sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt: & prudentiam non dulcorantes bonitate, efficiuntur acerbi. Prorsus congruum & gratum utrisque temperamentum atque condimentum puer iste antiquus dierum, in pueritia præferens ingenitam sibi innocentiam, & de antiquitate dierum referens primogenitam omnium sapientiam. Si quis se imperfectum sensibus, aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, & puerum quem mater affert Maria, accipiat in manibus; id est Verbum Dei, quod mater offert Ecclesia, complectatur affectibus. Ipsum utique repositum in sinu sensus ædificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis & ordinem vitæ grata & salubri suavitate temperabit. Non solum autem mater Ecclesia in audiendo, sed multo magis mater gratia in orando, puerum tibi dabit amplectendum, si modo frequens & devotus orator venias in templum, ut dicas quotidie Deo: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Quem enim Ecclesia prædicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus, eo utique præsentiorem & suaviorem, quò nudam veritatem puris tradidit sensibus. Veritatem quippe, quæ est Christus, Maria vestitam carne, Ecclesia vestitam sermone, gratia nudam tradit amplectendam Spiritus infusione: quamquam hoc ipsum diverso modo fiat, pro captu scilicet suscipientis animæ, sive pro arbitratu dispensantis misericordiæ. Licet enim ipsam summæ veritatis faciem non facile videamus, magnusque habeatur, cui vel per speculum & in ænigmate eam intueri datur: quiddam tamen ipsius, cum Spiritus nobis illabitur, veluti nudum sentimus, sensusque noster in amorem ipsius veluti ad nudum confricatur. Tunc prorsus ex sententia dicere possumus, & cantare lætabundi: *Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.* Beatus qui ut dignius & crebrius eam suscipiat, congruum ei locum in cordis penetralibus parat. Beata Sion illa, quæ thalamum suum diligenter ac decenter adornat, ut cum digno ac placito Christum Regem honore suscipiat.

Simplicitatis & prudentiæ temperamentum à Christo discendum.

Quomodo Maria, Ecclesia & gratia Christum nobis offerant.

Psal. 5. b

Psal. 47. b

3. O sancta Sion, anima speculans æterna, considera quæ sit illa majestas suscipienda; cogita qua cura ac diligentia te illi præparare locum oporteat. Si quis dixerit; Et ad hæc quis idoneus? quis esse potest magnificentiæ & gloriæ tanti Regis congruus ornatus? Frustra, inquit David, paupertatem quispiam causetur; *In pace factus est locus ejus*, &, *justitia & judicium præparatio sedis ejus.* Simeon utique quia hujusmodi palliis thalamum adornavit, ideo Christum cum multa suscipere gratia dignus fuit. Vis videre quia in pace invenerat locum Domino, quia sedem præparaverat ei in justitia & judicio? *Homo*, inquit, *erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus & timoratus.* In pace erat domus Simeonis, qui habitabat in Jerusalem, id est, in visione & amore pacis, de qua scilicet Jerusalem audierat David promittentem; *Non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem.* Et ut noveris, quia pacis habitator & amator erat, pacemque imperturbabilem illius stabilis & æternæ Jerusalem præ omnibus requirebat; cum pacem Dei & hominum Jesum, qui pacem super pacem dare veniebat, sinu recepit, hæc prima vox de pectore senis jamdudum pacem meditantis erupit; *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Postquam viderunt oculi mei salutare tuum, qui est pax nostra faciens utraque unum, non solum Judæum & Gentilem, sed etiam Deum & hominem; & in homine spiritum & carnem: jam hoc solum superest desideriis servi tui, ut *in pace in idipsum dormiam & requiescam*; & pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, me totum in illius summæ & simplicis unitatis absorbeat consensum. Venit pax quam sustinui: requiescat in pace qui pacem quæsivit, & quæ pacis sunt sectari semper studuit. Sic quippe Isaïas ait: *Veniat pax, requiescat in cubili suo, quia ambulavit in directione sua.* In pace utique Simeon straverat cubile suum,

Dispositiones ad suscipiendum Christum.

Psal. 75. a
Psal. 88. e

Luc. 2. c

Psal. 124. a

Luc. 2. d

Christus pax nostra faciens utraque unum.

Psal. 4. b

Isa. 57. a

A qui omnibus aliis curis ejectis solum in corde meditabatur Jesum, ubi & reclinavit susceptum. In directione quoque sua ambulaverat, qui justus & timoratus erat, & exspectans consolationem Israël, adventanti quotidie desideriis occurrebat.

4. In eo igitur quod justus dicitur & timoratus, justitiam & judicium intellige, quo sedes Dei præparatur. Et justitia quidem suo nomine demonstratur: judicium vero timoris nomine, vel timor nomine judicii ideo recte accipi posse putatur, quia scilicet timor non solum nascitur de futuri consideratione judicii, sed etiam operatur nunc in nobis quamdam illius formam & exsecutionem judicii. Qui enim prohibemur judicare ante tem-
B pus de proximis, jubemur de nobis; ut dum nosmetipsos dijudicamus, à Domino non judicemur. Porro timor iste sanctior est, cum justitiam sequitur, quàm cum præcedit: quia qui præcedens ad justitiam initiat, sequens eamdem consummat & conservat: dum scilicet de justitia præsumere non finit, sed omnia opera sua hominem vereri facit, ut post judicium sui adhuc de subtiliore judicio suspectus sit, dicatque sibi: *Qui judicat me Dominus est*; qui cum acceperit tempus, etiam justitias judicabit. Qui sine timore isto est, non poterit justificari, ut scriptura testatur: quia quantumcumque se justis exercitet operibus, alieni comedunt robur ejus, dum suam volens justitiam constituere, justitiæ Dei non
C est subjectus.

1. Cor. 4
1. Cor.
Quis ti sanctior

1. Cor.

Eccli. 1.

5. Vigilanter itaque Evangelium perfectam commendans Simeonis justitiam, non ait, timoratus & justus, ne timorem, qui est initium justitiæ, intelligeremus: sed ait *justus & timoratus*, ut timorem, qui justitiæ per omnes gradus comes individuus ipsam promovet & tuetur, ipsius exemplo disceremus. Nam neque illud putaverim otiosum, quod non timentem dixit, sed *timoratum*: non novum, non horarium, aut perfunctorium volens intelligi timorem illum; sed qui utique versus esset in habitum, qui altius hominis imbibisset affectum, possideret sensum, modestia & gravitate sermonem ornaret & vultum, circumspectione moderaretur actum, totum denique in-
D terioris & exterioris hominis componeret statum. Neque enim vanis animum consolationibus resolvebat, qui consolationem Israël exspectabat. Quod & ipsum ad suæ cumulum adjecerat justitiæ, ut sollicitus non pro sua tantum, sed etiam pro populi consolatione, longa suspensus maneret exspectatione.

Justitia meonis lis.

6. Denique ut manifestius audias, quàm pretioso ac vero nitore virtutum, non fuco colorum adornaverat thalamum suum illa Sion, id est Simeon, *Spiritus-sanctus*, inquit, *erat in eo.* Quid huic ornatui Sion illa terrena comparare poterat, in omni illa multifaria thalami, id est templi sui, ambitione & gloria? Si faciem templi coronis ornasset aureis, quid aurum nisi lutum etiam sine
E comparatione virtutis? Puto quia nec Salomon in omni gloria sua ornatus est sicut Simeon: cum ille sapientiam qua florebat, in senectute perdiderit, iste susceperit. Te tamen, ô infidelis Sion, thalamus tuus arguit, quod cum satis tibi prædictum esset, *Ecce veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis*; adorna thalamum tuum Sion, *induere vestimentis gloriæ tuæ civitas Sancti*: tu tamen nihil prorsus ad quotidianum cultum templi in adventu ipsius addidisti, non vela, non coronas, non lucernas plures, aut victimas, non alios Psalmos, aut cantica: omnino inhonoratum, insalutatum remittis, qui te salvare venerat. Ideo utique tuus iste thalamus, domus gloriæ tuæ deserta tibi relinquetur, immo non re-
F linquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Tibi enim Domine templum augustius, amplius & perfectius, scilicet Ecclesiam magnam à solis ortu usque ad occasum fides ædificabit gentium, *& secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ*, unde etiam hodie laudes audivimus, gloriam justi, voces scilicet laudantium & dicentium; *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, id est, in communione sancti populi tui. O fratres, suscepistis misericordiam Dei & vos, immo abundantius vos: videte ne in vacuum susceperitis, ne gratiam ingratitudine vacuetis. Gaudeat ergo

Simeon natior q Salomo

Mal. 3.

Psal. 47

Ibidem

vestra devotio: quem Simeon hodie portavit in sinu suo, vos omni die glorificate & portate in corpore vestro Jesum-Christum Dominum nostrum, cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## IN FESTO PURIFICATIONIS Beatæ Mariæ Virginis.

### SERMO IV.

1. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ.* Scriptura redemptionis nostræ narrans mysteria, sic refert quæ pro nobis historialiter sunt gesta, ut significet quæ moraliter à nobis sunt gerenda. Cum enim hodie beatæ Purificatio Mariæ recensetur, manifeste de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem vero tanti non moveat auctoritas exempli, cum videamus scilicet, quia illa sanctarum sanctissima, quæ nihil purgandum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit? O Mater immaculata, Mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis; quia scilicet integritatem tuam nec conceptus, nec partus violavit, sed sacravit? Quare ergo, tamquam muliebre aliquid in concipiendo vel pariendo sis passa, sic mundationis quæ muliebri provisa est infirmitati, quæris remedia? Sic, inquit, decet nos implere omnem justitiam, ut quæ summæ mater electa sum justitiæ, speculum quoque sim totius & exemplar justitiæ. Novi ego superbiam filiorum Evæ, quæ promptior est ad excusandum, quam ad expurgandum commissa. Necessarium arbitror, ut vitiis originis antiquæ statim in initiis omnia novæ generationis occurrant exempla. Mater prævaricationis peccavit & excusavit procaciter, Mater redemptionis non peccet, & satisfaciat humiliter: ut filii hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem novitatis trahant humilitatem purgandi.

2. O filii hominum, tempus purgationis advenit, quando Mater summæ puritatis, de cujus purgatione dies festus est nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis quod debeamus purgari. Satius est, ô fratres, & suavius fonte purgari quam igne. Prorsus qui fonte non fuerint modo purgati, igne habent purgari, si tamen purgari meruerint: quando scilicet Judex ipse, *quasi ignis conflans, sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi.* Nunc Christus aqua diluens, tunc ignis consumens. Modo fons patens in ablutionem peccatoris & menstruatæ, tunc flamma sæviens & ignis vorans usque ad medullas animæ. De ardore siquidem irati fontis ille purgatorius ignis exardescet in conspectu ejus, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. *Ascendit*, inquit, *fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit.* Inde cadent super eos carbones pœnaliter purgatorii, quibus modo non adhibentur carbones salubriter desolatorii: qualem illum fuisse reor carbonem sublatum de altari, qui Prophetæ labia purgavit. An vero & illi carbones hujusmodi queant intelligi, de quibus cuidam dicitur, *Ecce dati sunt tibi carbones, & sedebis super eos, hi erunt tibi in adjutorium:* vobis relinquo dijudicandum. Illud autem non dubius assero, quia ignis ille, quem Dominus Jesus misit in terram, si vehementer (sicut est voluntas mittentis) in nobis arserit, ignis ille purgatorius qui in judicio purgabit filios Levi, non ligna, non fœnum, non stipulam consumenda reperiet in nobis. Uterque quidem ignis purgatorius, sed satis differenti modo. Iste siquidem purificat ungendo, ille urendo. Hic refrigerium roris, ibi spiritus judicii & spiritus ardoris, quo abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem lavabit de medio ejus.

3. Est quidem & in hoc ipso multa Domini clementia erga filias Sion: sed longe clementius & mitius purificata est illa, quam beatam prædicant filiæ Sion, cui scilicet dictum est: *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hæc nempe supernæ virtutis obumbratio, vera fuit purificatio Mariæ, non ista, quæ quadam mystica dispensatione tantum specie tenus hodie celebrata est. Hæc plane fuit tota ac vera sanctificatio

A Matris & Filii, sicut & Angelus exposuit ei. *Ideo*, inquit, *& quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Antea namque purificanda erat natura mortalis, ut Deum conciperet, non postea quam concepisset: cum concepisse Sanctum sanctorum summa sanctificatio sit, & ea quæ Mater ipsius sanctitatis effecta sit, nihil sanctius esse possit. Cum ergo filiæ Sion quæ mollius & dissolutius vivunt, & ardorem forsitan experiuntur carnis, merito purificandæ sint spiritu judicii & spiritu ardoris; Virgo perpetua ac singularis, quæ sola Spiritus obumbratione Deum concepit, solo purificata est spiritu gratiæ & refrigerio roris. Omnium sane purgationum, quibus conditio reparatur mortalis, hæc beatæ purificatio Virginis B mitissima atque felicissima fuit. nam illa filiarum Sion quæ purgatorio fiet igne judicii, sicut novissima, sic & severissima omnium erit. Nec ista itaque potest esse nobis nisi admirationi, nec illa nisi formidini: quippe qui nec ad istam possumus adspirare, & in illam, si sapimus, semper formidamus incidere. Omnino si sapimus, semper clamabimus, plus emendatione morum, quam strepitu verborum: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

4. Necessarie igitur nobis & misericorditer inter utrumque genus purgationis illud summum ad quod non attingimus, & illud ultimum quod metuimus, alia purgationum genera pietas providit divina, sicut tempus & C locum pœnitentiæ, sic plurima salutis indulgens remedia. Quæ licet multa ac varia sint, sub quatuor tamen generibus videntur omnia fere posse comprehendi, ne scilicet indigesta multitudine rerum memoriam confundamus auditoris. Hæc igitur quatuor esse arbitror quibus opportune & commode his diebus purgationis nostræ purgari possumus: scilicet contritionem cordis, afflictionem corporis, opera pietatis & fidei, patientiam tribulationis. Ad hunc siquidem modum quatuor invenies, quibus mundum generaliter purificat Christus, purgationem peccatorum faciens: *aquam* scilicet & *sanguinem, spiritum & ignem. Hic est*, inquit Johannes, *qui venit per aquam & sanguinem. Hic est qui baptizat in Spi-* D *ritu-sancto, & igni. Aqua* baptizavit, pedesque discipulorum lavit, dedicans baptismum quoque lacrymarum, quæ de contritione profluunt cordis. *Sanguinem* fudit: ut & nos mortificatione corporis participantes ejus passioni, lavemus stolas nostras in sanguine Agni. *Spiritum* dedit: ut caritas Dei ac proximi diffusa in cordibus nostris per Spiritum, multitudinem in nobis operiat peccatorum. Quæ si minus perfecta est, ut tot & tanta non sufficiat operire, admovet *ignem* conflator ille, qui purgat filios Levi, & quicquid residuum est rubiginis, ignis excoquit, seu præsentis, seu futuræ tribulationis, ut tandem decantare possint: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Sic nempe & mun- E dus iste prius baptizatus aqua diluvii, postea purgatus igne judicii, in novum transibit statum incorruptionis.

5. Denique ut teneris atque delicatis geramus aliquatenus morem, si lacrymas non habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationem; numquid & illud excusabunt, quod Salomon commendat, *Per misericordiam*, inquiens, *& fidem purgantur peccata?* Quid misericordia suavius? quid fide jucundius? Hæc oleum est membris, illa lumen oculis. Hæc ungit affectus, illa sensus illuminat, dirigitque gressus: ut ad lumen ejus ambules in tenebris, ut invisibilia contempleris, & futuram tuam beatitudinem jam animo præsumptam mediteris. Bene autem dicitur, *per misericordiam & fidem* purgari F peccata: quia misericordia de proprio impendens, redimit debita; fides autem etiam gratis sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia nempe dicit Propheta: *Iniquitates tuas redime misericordiis pauperum:* & Dominus Prophetarum, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* De fide autem ait Apostolus: *Fide mundans corda eorum.* Et Dominus Apostolorum: *Vade*, inquit, *fides tua te salvum fecit.* Quamquam in hac Salomonis sententia, possit intelligi non fides qua credimus, sed qua credibiles nos exhibemus, dum fidem Deo & hominibus servamus, ut quod hic dicitur, *Per misericordiam*

Marginalia (left, partly cut off): ... & subit catio ... ut do- ...mili- | 3. d | ... pur- ... fontis ... | 9. a | ... a | ... f ... uplex ... s pu- ... alter ... alter

Marginalia (right): Ibidem. | B. Virgo purificata est spiritu gratiæ, aliæ non ita. | Psal. 6. a | Purgationis nostræ quatuor genera. | 1. Johan. 5. b | Aquæ. | Sanguinis. | Spiritus. | Et ignis seu tribulationis. | Psal. 65. c | Prov. 15. d | Item alia duo, misericordiæ & fidei. | Dan. 4. e | Luc. 11. c | Act. 15. b | Marc. 10. c | Prov. 15. d

*Ibid. 16. a*

*& fidem purgantur peccata*, & paulo post, *Misericordia & veritate redimitur iniquitas*, eadem fit in diversitate verborum repetita sententia. Recte igitur misericordia & veritas seu fides sociata sunt: cum in omnibus viis nostris nisi misericordia & veritas obvient sibi, plus augeri quam purgari peccata sit verendum. Ut enim de aliis actionibus interim taceam, & de misericordiis pauperum loquar, quas abundantius nunc fieri temporis hujus postulat necessitas: quid in ipsis etiam, quibus peccata purganda sunt, peccati committitur, si misericordia fide, vel fides misericordia destituatur?

Utile monitum de præstandis eleemosynis.

6. Audiant ergo quibus dispensatio credita est: audiant quibus credita non est: isti scilicet ne sic velint esse fideles, ut misericordiam deserant; illi, ne sic velint esse misericordes, ut fidem lædant. Sunt enim aliqui qui plus volunt esse fideles quam oportet, & sunt aliqui qui plus volunt esse misericordes quam eis liceat. Qui ergo contra fidem indebitam usurpant misericordiam, audiant Salomonem dicentem: *Multi homines misericordes vocantur, fidelem autem virum quis inveniet?* (*Prov. 20. a*) Qui autem velut propter fidem negligunt debitam misericordiam, audiant plusquam Salomonem dicentem: *Quod superest date eleemosynam*; (*Luc. 11. c*) ut saltem abundantia vestra aliorum suppleat inopiam. Multum prorsus pepercit infirmæ & pusillæ nostræ fidei, qui bona communia non ex æquo fratribus partiri, sed ex eo quod superest propriæ necessitati, jussit eleemosynam eis impertiri. (Ex superfluo necessitatis propriæ dandæ eleemosynæ.) Ut enim taceamus de jure naturæ, quæ quicquid parens omnium terra generat, omnibus commune terrigenis adjudicat: illis saltem quibus indifferens est germanitas adoptionis, & communis sors hereditatis, quomodo communis non erit usus panis, quem Pater administrat cælestis? Esto tamen, sit istud jus ordinatæ caritatis, quod moderatio Evangelii suas cuique necessitates primum excepit: quis ille est qui recte metiatur necessitates proprias; qui inter necessarium & superfluum æquo judicio discernat? (Sed quis æquus arbiter seu æstimator necessitatis propriæ.) Attendamus nobis, fratres, ne de mortibus pauperum fratrum nostrorum incipiamus judicari, si superflue retinemus aut insumimus nobis unde vita eorum valeat sustentari. Et quoniam hodierna purificatio purissimæ ac pauperrimæ Virginis de nostra nos purificatione loqui commonuit, in hoc maxime nostram constare puritatem noverimus, si quicquid superfluum est nobis amputemus: ut non solum sanctitate castitatis, sed etiam simplicitate paupertatis aliquatenus æmulemur pauperem Matrem pauperis Christi, cui regnum & imperium, & nunc & per omnia sæcula sæculorum Amen.

*De sequenti sermone dubitat* Horstius *an sit* Guerrici, *tum quod desideretur in* ms. Coloniensi, *qui ipsius sermones continet: tum quod* GUERRICI *stilus pressior & nervosior videatur. Porro licet hactenus* BERNARDI *operibus insertus sit, minus tanto dignus est auctore.*

# IN FESTO PURIFICATIONIS

## Beatæ Mariæ Virginis.

### SERMO V.

1. *Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem Christum, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quem genuit adoravit**. (* *Ita canit Ecclesia in Officio hujus diei.*) Ad nos, fratres, ad nos loquitur Spiritus-sanctus, qui sumus Sion, qui sumus speculantes, qui die ac nocte levamus oculos nostros ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Adornemus igitur thalamum nostrum, & suscipiamus regem Christum. Ecce, fratres, Christus in propria veniens, & à suis repulsus, non habet ubi caput reclinet. Præ foribus nostris inter materna brachia vagiens, per Spiritum-sanctum quærit hospitium, dicens: *Adorna thalamum tuum Sion.* Emundemus igitur thalamum nostrum; prius expellendo quæ oculos Christi intrando offendere possunt; & sic demum adornemus ea inferendo quibus delectatur & gaudet. Quæ sunt, ait forsitan aliquis vestrum, quæ oculos Christi offendere possunt? Cui dicimus: Nihil ita oculos ejus offendit, sicut superbia, quæ Angelum de cælo, & hominem expulit de paradiso: (Nihil ita Deum offendit sicut superbia.) quæ est initium omnis peccati: quam hortatur nos Spiritus-sanctus vitare dicens: *Quid superbis terra & cinis?* (*Eccl. 10*) Et alibi: *Omnis caro fœnum; exsiccatum est fœnum, & flos ejus decidit.* (*Ibid. Isa. 40.*) Videamus nunc quid superbia fecit. Angelum de cælo, & hominem expulit de paradiso. Merito hæc oculos Christi offendit, quæ pulcherrimum opus ejus in cælo & in paradiso fœdavit, quæ fecit de Angelo diabolum, & de homine nuper creato justo perfidum. Quæ sicut & peccatorum primum & maximum, sic est omnium regina & mater vitiorum.

2. Videndum est igitur & sollicite considerandum, ut eam mens nostra cum tota prole sua excludat, ut thalamus noster emundatus & ornatus Christum Regem qui foris* pulsat, suscipiat. (* *al. fo*…) Cum tota, inquam, prole sua, septem scilicet principalibus vitiis. Quæ sunt hæc? Inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Hæ sunt filiæ superbiæ, quæ matrem suam sequuntur: (Superbiæ filiæ.) quæ hospitium quodcumque intraverint, fœtidum reddunt. Sed quæ nobis cum istis communio? Quis consensus templo Dei cum idolis? Nulla nobis (Deo agimus gratias) cum eis societas, quas exuentes veterem hominem cum actibus suis, gladio veræ confessionis & pœnitentiæ enecavimus. Nihil igitur in nobis ultra possit superbia, quæ de Archangelo diabolum, & de primo homine fecit impium, & Creatori suo rebellem. (Religio… quam… perbia… beant alieni.) Nihil habeat in nobis vana gloria, qui à die conversionis nostræ, in cruce Domini nostri Jesu-Christi cœpimus gloriari cum Apostolo dicentes; *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu-Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* (*Gal. 6.*) Gloria itaque nostra sit crux Christi quam portamus, & testimonium conscientiæ per crucem Christi purgatæ, de qua Apostolus ait: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* (*2. Cor.*) In qua conscientia gloriari, de donis Dei est Deo gratias agere. Ad quod nos hortatur Apostolus dicens: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*: (*1. Cor.*) id est in Domino de puritate conscientiæ suæ glorietur. *Non enim qui seipsum commendat* &c. (Nor…) Ceterum qui in se gloriatur, & qui sibi placet, stulto homini placet. Qui in alio homine gloriatur, aut laudem in mente ab ore alterius exspectat, mercedem operum recipit, ac oleo peccatoris ungit caput suum, auditque Propheram sibi dicentem: *Maledictus homo, qui ponit spem suam in homine.* (*Hier.*) Et in die judicii cum dixerint, *Domine, Domine aperi nobis*, ait: *Amen dico vobis, nescio vos.* (*Matth.*) Hæc vana gloria filia est superbiæ: quæ in quocumque fuerit, inobedientem facit.

3. Rursum post conversionem, nihil ultra in nobis habeat invidia, (Item al… dia.) per quam mors intravit in orbem terrarum. Diabolus enim invidit homini ascensum unde corruerat, & propter hoc tentavit, & in anima occidit. Hæc est illa, quæ non magnos, sed parvos semper torquet, dicente sancto Job: *Parvulum occidit invidia.* (*Sap. 2. Job 3.* Non n… filioru…) In eo enim quod aliquis alicui invidet, minorem se ostendit ei cui invidet. Sic diabolus invidit primo homini, sic Esau Jacob, & Cain Abel. Hæc invidia parvulum occidit; quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret. Hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Unde si qua desiderat, illi invidet qui penitus ea accepit, vel illi partem habendo quantitatem ei restringit. Hunc parvulum occidit invidia, quia dum non potest adipisci quod alii invidet, in odium, invidiæ filiam, cadit.

4. Rursum, Fratres, post conversionem nostram ira non habeat in nobis locum, (Ira à r… fis exf…) quia, ut ait Dominus in Evangelio, gradatim ducit ad gehennæ puteum, dicens: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit racha*, (*Matt.*) hoc est, vocem indignationis per iram emiserit, *reus erit consilio*, in quo tractatur qua pœna sit mulctandus. *Qui dixerit, fatue*, hoc est tale quid fecerit aut verbo aut verbere, ut inter fratres despiciatur, *reus erit gehennæ ignis*, nisi resipuerit. Hæc est ira, quæ stultorum oculos exstinguit, sapientium oculos nonnumquam turbat dicente Psalmista: *Turbatus est præ ira oculus meus.* (*Psal.*) Et de ira stulti Job ait: *Virum stultum interficit iracundia.* (*Job 5.*) Ecce duas iras videmus; quarum altera nonnumquam

turbat oculum, altera ſemper exſtinguit. Altera venit ex impatientia, altera ex zelo rectitudinis. Altera venit ex vitio, altera ex virtute. De altera quæ venit ex virtute Pſalmiſta ait: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Quaſi dicat, Crudeles eſtote in vitium, mites in fratrem, conſiderantes voſmetipſos, ne & vos tentemini. De altera quæ venit ex vitio, ait Apoſtolus: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, id eſt, Chriſtus qui eſt ſol juſtitiæ, mentem veſtram iraſcentem non deſerat, qui cum ira numquam habitat. Ira, quæ venit ex zelo rectitudinis, debemus iraſci prius noſtris erratibus, & poſt erratibus proximorum: quæ melior eſt riſu, quia per triſtitiam vultus, corrigitur proximus. Quæ debet tamen ſubeſſe rationi, ne ſit immoderata, ſed in ultione peccati tempus & modum conſideret. Hæc ſapientes interdum turbat: ira per vitium ſtultos occidit, dum in rixas & in contumeliam linguam relaxat.

5. Rurſum, Fratres, poſt converſionem noſtram muniendus eſt thalamus cordis noſtri, ne triſtitia rediens introeat, illam dico quæ mortem operatur, quæ de amiſſione rerum temporalium venit. Hæc eſt illa quæ pravas cogitationes generat, murmuroſum monachum reddit, quæ faſtidium parit, & tenentem aratrum Dei cum uxore Loth retro reſpicere compellit. Sine dolore namque non poteſt amittere, quod cum inordinato amore poſſedit. Hanc itaque triſtitiam quæ mortem operatur excludamus: & intromittamus eam quæ venit de memoria peccatorum, & de peregrinatione noſtra, dicamuſque cum Pſalmiſta: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Hæc eſt triſtitia, quæ vitam operatur, de qua ait Apoſtolus: *Quaſi triſtes ſemper autem gaudentes.* Hæc eſt illa de qua Dominus ad diſcipulos dicit: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Altera parit mortem, parit animi rancorem.

6. Rurſum, Fratres, poſt converſionem muniamus thalamum noſtrum, ne avaritia, quæ eſt radix omnium malorum, rediens introeat, noſque ab unius Dei cultura abſtrahat, idolorum cultores faciat. De qua inter cetera ſic ait Apoſtolus ad diſcipulos ſuos: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus.* Ecce avaritiam idololatriæ comparat, & merito: quia ſicut uni Deo idololatra nititur auferre gloriam, ne ſolus habeat nomen Deitatis: ita avarus in Dei res ſe extendit, ut ſolus uſurpet quæ Deus omnipotens in uſum plurimorum fecit. Utraque Deo inimica, quia negat Deo, quæ ſunt ejus. Eſt & avaritia non ſolum amor congregandæ pecuniæ aut conſervandæ, ſed ambitio prælationis, cum nititur homo homini præeſſe. Hæc, ut verum dicam, etiam pauperes (qui ſemel pro Chriſto reliquerunt ſua) in tantum vexat, ut contra jus & fas, & propoſitum ſuum, non tantum velint, ſed etiam ſtudeant fratribus & conſervis præeſſe. Quod ſi Abbas aut Prior eorum voto non conſenſerit, iraſcuntur, obloquuntur, eoſque aut invidos, aut ſibi malevolos (qui ſe non provehunt) clamant. Hæc eſt avaritia quæ memoriam mandatorum Dei turbat dicente Pſalmiſta Domino: *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam*, quæ proditionis eſt mater, quæ Judam Dei diſcipulum primum ad mandatorum Dei oblivionem, de oblivione ad proditionem, de proditione traxit ad laqueum.

7. Rurſum, Fratres, poſt converſionem noſtram muniamus thalamum cordis, ne gula rediens introeat, quæ & Adam innocentiæ veſte, & Eſaü privavit primogeniti dignitate. Hæc eſt illa peſtis quæ patres noſtros in deſerto ingratos beneficiis Dei fecit, quæ compulit eos murmurare contra Deum, & dicere: *Utinam mortui eſſemus in Ægypto, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus allia, cepe, & pepones.* Hæc eſt illa funeſta peſtis quæ eos ad blaſphemiam duxit, quaſi non eſſet alia vita poſt iſtam, cum dicebant: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, id eſt in futuro. Quaſi dicerent: Hoc ſolum habemus quod comedimus, nihil in futuro poſt hanc vitam nos habituros ſperamus. Hanc peſtem cum homine perituram pronuntiat Apoſtolus dicens: *Eſca ventri, & venter eſcis. Deus autem & hunc & hanc deſtruet.* Hæc peſtis tripertita eſt: quia aut ante horam canonicam, aut aliud quam licet, aut plus quam neceſſe eſt facit comedere, & carnis curam in concupiſcentiis nititur facere. De qua naſcitur inepta lætitia: ſicut de populo Iſraël dicitur: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.*

8. Rurſum, Fratres poſt converſionem noſtram muniamus thalamum cordis noſtri, ne luxuria rediens introitum inveniat: quæ peſtilentia rediens eſt pejor quam ante fuerat. Numquam enim ſola reddit, ſed ſicut Dominus ait in Evangelio, *Aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Hæc eſt peſtis illa quæ corpus Chriſti dimembrat, quæ de membris Chriſti facit membra diaboli. Nam qui adhæret alicui perſonæ cauſa libidinis explendæ, unum corpus fit cum illa perſona, & fit membrum diaboli: cujus & illa membrum eſt per conjunctionem malorum operum. Hæc eſt illa peſtis quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit, ut vegetum ſit & robuſtum ad libidinem explendam: & quæ igni illi inexſtinguibili materiam ſemper apponit, & vires miniſtrat, ut de ſuo ſemper habeat unde ſine fine ardeat. De his duobus ignibus luxuriæ & gehennæ habemus auctoritatem ſcripturæ. De igne luxuriæ ait: *Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente.* De igne gehennæ ait: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*, hoc eſt judicii, ut intus ardeant (ſicut clibanus accenſus) in conſcientia. *Dominus in ira ſua conturbabit eos*, dicens: *Diſcedite à me operarii iniquitatis.* Et devorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt propter luxuriæ fœda opera. Sit ergo, fratres, ſumma cura & ſummum ſtudium his qui in talibus ſunt, de talibus evadere & fugere.

9. Nobis vero qui per gratiam Dei evaſimus, & veterem exuimus hominem, qui ſumus Sion, ſit ſummum ſtudium thalamum noſtrum munire & adornare, & Chriſtum Regem ſuſcipere, ſicut hæc Scriptura præcipit quam recitavimus; *Adorna thalamum tuum Sion.* Quid eſt adornare thalamum tuum? Virtutes congregare, quibus & pavimentum, & parietes quaſi cortinis & floribus tota domus adornetur. Primus ornatus thalami noſtri, qui ſumus Sion, ſit Timor, qui eſt initium ſapientiæ, id eſt primus gradus per quem aſcenditur ad ſapientiam. De quo timore ait Scriptura: *Beatus homo qui ſemper pavidus.* Et Pſalmiſta ait: *Servite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore*: ut timor auferat ſecuritatem noxiam, & exſultatio mortiferam triſtitiam. Hic timor generat humilitatem, quæ eſt pretioſiſſimus ornatus thalami Sion, quæ magis placuit Chriſto cum in thalamum virgineum ingrederetur, dicente beata Maria: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hæc, inquam, humilitas eſt ornatus Sion, id eſt pauperum Chriſti, de quibus ipſe dicit: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Ecce quomodo timor Domini primus gradus aſcenſionis, & primus ornatus thalami Sion, alios etiam ornatus generat, humilitatem ſcilicet, & voluntariam paupertatem. Adorna ergo thalamum tuum Sion, timore Domini.

10. Secundus ornatus thalami Sion, & ſecundus gradus ad ſapientiam, eſt Pietas, de qua dicit ſcriptura: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Et alibi, *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum?* Hæc miſeretur in ſe peccantibus; fraterna onera portat, magis eligit quælibet temporalia bona perdere, quam cum fratre lite contendere. Quæ profecto pietas aliud nihil eſt niſi Deum colere, & per cultum Dei Deo placere. Hæc in nobis generat manſuetudinem, optimum ornatum thalami Sion, quæ filios Dei nos facit, dicente Domino, *Beati mites, quoniam filii Dei vocabuntur.* Ecce quomodo pietas ſecundus ornatus thalami Sion, & ſecundus gradus aſcenſionis, alium ornatum de ſe generat manſuetudinem, quæ filios Dei efficit. Adorna igitur thalamum tuum Sion, pietate.

11. Tertius ornatus thalami Sion & tertius gradus aſcen-

Margin notes (left): duplex: ira ex vitio; altera ex zelo. — 4. a — Eph. 4. c — 7. a — Reſiſtendum triſtitiæ ... — 119. a — 2. Cor. 6. b — 16. c — Avaritia — Col. 3 — Avaritia eſt idololatria. — Ambitio prælationis ... — Pſal. 118. c — Gula religioſis vitanda. — Num. 11. a & 16. a — Iſa. 22. d

Margin notes (right): 1. Cor. 6. c — Triplex gulæ vitium. — Exod. 32. b — Luxuria religioſis abominabilis. — Matth. 12. — Oſee 7. a — Pſal. 20. b — Luc. 13. — Primus ornatus animæ Timor. — Prov. 28. b — Pſal. 2. c — Hic generat humilitatem. — Luc. 1. e — Matth. 5. a — Secundus ornatus, Pietas. — Eccli. 30. d — Iſa. 66. — Quæ generat manſuetudinem. Matth. 5. a

Tertius ornatus, Scientia.

sionis est Scientia, quæ homini sui cognitionem præbet, A ut scilicet homo, neque minus neque plus quam debet de se præsumat. Quorum alterum, scilicet de se nimium præsumere, in mala facit præcipitem: alterum, scilicet se non cognoscere, facit ad quælibet bona torpentem. Ad hanc scientiam Spiritus-sanctus invitat Ecclesiam in

Cant. 1. d

Canticis: *Si ignoras te ô pulcra inter mulieres, abi post vestigia gregum tuorum*, scilicet hæreticorum: & pasce hœdos tuos, hoc est carnales concupiscentias. Hæc scientia præbet nobis fiduciam vincendi omnes tentationes

Matth. 9. d

per veram fidem, dicente Domino in Evangelio: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*, per Dei scilicet

Hæc parit luctum.

gratiam, & liberum arbitrium. Videmus jam quomodo scientia tertius ornatus thalami Sion, & tertius gradus B ascensionis, alium ornatum in nobis generat, religiosum videlicet luctum, qui consolationem à Domino in futuro meretur. Hæc scientia parat in nobis dolorem & luctum peregrinationis, ut videndo mala exsilii quæ patimur, cum luctu desideremus patriam à qua peregri-

Matth. 5. a

namur, audiamusque à Domino nobis dici: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Quartus ornatus, Fortitudo.

12. Quartus ornatus thalami Sion, est Fortitudo, quæ convenit laborantibus pro veris bonis acquirendis. Hæc est quæ munit thalamum Sion, ut non extollatur prosperis, non frangatur adversis: quæ linguam increpantem

Psal. 119 a
Hæc generat esuriem justitiæ.

& blandientem his verbis confundit, dicens, *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* C Hæc est illa quæ semper de die in diem robustior, esuriem & sitim justitiæ in thalamo Sion accendit, facitque

Matth. 5. a

eam audire à Domino: *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Adorna igitur thala-

Quintus ornatus, Consilium.

mum tuum Sion, fortitudine. Quintus ornatus thalami Sion est Consilium, quo homo infirmitates suas requirit, suum posse & suum non posse investigat; & ex sua infir-

Pariens misericordiam.

mitate alios considerat, aliis parcit & miseretur, sicut & vult Deum sibi misereri; aliis dimittit debita, sicut sibi vult dimitti à Deo: mereturque audire à Domino:

Ibidem.

*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Adorna igitur thalamum tuum Sion, consilio. Sex-

Sextus ornatus, Intellectus.

tus ornatus thalami Sion, est Intellectus: qui mentem D hominis super hæc infirma rapit, omnesque corporeas substantias intellectuali intuitu transiens, non corporeis substantiis figitur, volensque ultra progredi, & proprius

Exod. 3. b
Exo 33 d
Matth. 5. a

accedere audit à Domino: *Ne appropinques huc: non enim videbit me homo, & vivet.* Hic intellectus convenit iis, qui à Deo purgatum oculum habent, de quibus dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Adorna igitur thalamum tuum Sion, intellectu.

Septimus, Sapientia.

13. Septimus ornatus thalami Sion, est Sapientia, quæ convenit iis qui intellectualibus oculis æterna contemplantur; quorum conversatio in cælis est; qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo: in quorum persona dice-

Phil. 1. c

bat Apostolus: *Mihi vivere Christus, & est mori lucrum.* E Quasi diceret: Ut Christum magnificem, Christo vivere volo tantum, & Christus est præmium mortis. Et post

Ibidem.

pauca: *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multo melius: manere autem in carne necessarium propter vos.* Ecce quid facit vera sapientia, quæ omnes rebelles motus corporis ita subjugat, ut nullam ultra pugnam in carne sentiat: pro infirmis fratribus (ut eis Christum nuntiet) exsilium libenter patitur; probra non audit, damna non sentit; auferenti tunicam dimittit & pallium, percutienti unam maxillam præbet

Matth. 5. d

& alteram, auditque à Domino: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Hi ornatus thalami Sion: istis nos adornemus qui sumus Sion, & regem Christum suscipia- F mus, quem Virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quadragesima, hoc est hodierna die, in templo Dei præsentavit.

Lev 12. a

14. In lege namque scriptum erat, ut mulier quæ suscepto semine peperisset masculum, quadragesimo die purgata templum cum filio intraret, deferens hostias se-

B. Virgo humilitatis causa purificationis legem implet.

cum pro peccato agnum anniculum immaculatum. Si autem non haberet agnum, par turturum, sive duos pullos columbæ offerret. Hæc omnia beata Virgo non ex necessitate, sed ex humilitate implevit. Abstinuit ab introitu templi quadraginta diebus, non necesse habens purgari, quæ sine omni delectatione, salvo virginitatis sigillo, de Spiritu-sancto concepit. Obtulit hostiam non pro peccato, sicut aliæ mulieres, sed pro humilitate: ostendens etiam in hoc quod Filius Dei Jesus-Christus non solvere venerat legem, sed adimplere. Et ecce Simeon grandævus, qui acceperat responsum non visurum se mortem nisi videret Christum Domini, & eum susciperet quem exspectabat: accepit eum in ulnas suas, hoc est, inter brachia sua amplexatus est, illum qui appendit tribus digitis molem terræ, qui omnia implet, omnia complectitur, inter brachia portat, dicens: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum, secundum verbum tuum in pace.* Cupio dissolvi, & ejus adventum cum Patriarchis & Prophetis in inferno exspectare, qui inter te & humanum genus facturus est pacem. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*, filium tuum, quem desideravi, de quo responsum à Spiritu-sancto accepi. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* De quo ait Isaïas: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam:* quia *cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israël salvus fiet.*

Luc. 2. d
Isa. 9.
Rom. 11

15. Audite, fratres, audite quid offert Maria, quid Simeon suscipit. Unigenitum Dei, Deo Patri consubstantialem, & coæternum, Verbum in principio. Et ut utilitatem & consolationem nostram audiamus; illum offert Virgo, quem Deus Abrahæ promisit, dicens: *In semine tuo*, hoc est in Christo, *benedicentur omnes gentes.* Et quem David promisit, dicens: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hic est quem Virgo offert, Patriarcharum gaudium, desiderium Prophetarum, Gentium exspectatio, Judæorum qui eum receperunt salvatio, ruinæ Angelorum reparatio. Talis est quem Virgo offert Deo, immo multo major quàm lingua, aut hominum, aut angelorum possit dicere. Et cum sit tantus ac talis, qualem aut quantum ipse se novit, non sufficit Virgini ipsum solum offerre; sed hostiam quam lex præceperat, pro eo obtulit: ob humilitatis scilicet exemplum, ut nos doceret quomodo & nos eum debeamus offerre. Duos turtures, aut duos pullos columbæ pro eo obtulit. Columba, fratres, simplex est animal, felle caret, rostro non lædit, in cavernis petrarum nidificat, alienos pullos nutrit, juxta fluenta manet, ut visa umbra accipitris fugiat, meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, gregatim volat, alis se defendit, visum recuperat. Et nos, fratres, cum ante altare steterimus, ut Dei Filium Deo offeramus, cum eo & pro eo *par turturum*, castitatem corporis & animæ offeramus. Et *duos pullos columbarum*, pro cantu gementes, compunctionem geminam pro desiderio patriæ cælestis, & de consideratione nostræ miseriæ habentes. Columba felle caret: & nos ira careamus, quæ peccare nos facit. Rostro non lædamus, sed percussi in unam maxillam, aliam præbeamus. In cavernis petrarum nidificemus: in fide plagarum Christi refugium habeamus. Alienos pullos nutriamus; de filiis diaboli facientes verbo prædicationis filios Dei. Juxta flumina maneamus: id est juxta hunc mortalitatis fluxum sedentes, umbram accipitris, hoc est peccata quæ sunt umbra diaboli, malorum ruinas considerantes, ab ejus ungulis fugiamus. Meliora grana eligamus: id est meliores sententias in Scripturis sanctis. Gregatim volemus: unum consensum in bono in congregatione sub pastore habentes. Alis novi & veteris Testamenti contra inimicos Dei nos defendamus; vel duobus præceptis caritatis, Dei videlicet amore & proximi. Visum recuperemus, de bono actionis ad bonum semper intendentes contemplationis.

Gen. 22
Psal. 131
Columb proprietates ad mores posita.

16. Fratres carissimi, tales oportet nos esse cum corpus Christi consecramus, cum consecratum manducantes sacrificamus, cum vobis idem corpus in salutem corporis & animæ porrigimus. Tales etiam vos oportet esse, cum sacrum Sacramentum de manibus nostris accipitis, scientes, quod qui corpus Christi indigne accipit, & sanguinem ejus indigne bibit, judicium sibi manducat & bibit. Verum quia raro invenitur talis qui in se hæc omnia habeat, diligat illum qui bonum habet, quod in se non habet:

Disposit in sacer celebran
1 Cor. 11

bet: & in illo habeat, quod in se non videt. Neque enim A credere debemus quod soli sacerdoti supradictæ virtutes sint necessariæ, quasi solus consecret & sacrificet corpus Christi. Non solus sacrificat, non solus consecrat *, sed totus conventus fidelium qui adstat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat. Nec solus ligni faber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius trabes, &c. comportat. Debent itaque adstantes habere de suo, sicut & sacerdos, fidem firmam, orationem puram, devotionem piam. Sciendumque, quod sine firma fide nemo adstantium esse debet. Ceteras vero virtutes, quas supra diximus, etsi omnes non habent; diligant illum qui habet quod in se non inveniunt, & in illo habent quod in se nondum vident. Sicut Petrus in Johanne virginitatis habet meritum: sic B Johannes in Petro martyrii habet præmium.

17. Sciendum quoque, quod corpori Christi, quem Maria hodie præsentavit in templo, quem Simeon in ulnis suis suscepit, tria debemus, dignitatem, reverentiam, & fructum. Dignitatem, ut eum Dei filium, Deum de Deo, omnipotentem, creatorem omnium, judicem vivorum & mortuorum credamus. Dignitatem, ut credamus nos statim postquam de corpore exierimus, ab eo, sicut à judice, percepturos sicut gessimus, sive bonum, sive malum. Ille namque quem Maria in templo præsentavit, quem Simeon suscepit, quem in manibus consecrantes ante Deum levamus, benedicimus, manducamus, vobis porrigimus manducandum: ille familiaris C noster, Judex erit noster. Caveamus ergo ab eo separari per judicium post mortem, cui ita sumus familiares in vita. Dicamus itaque ei in corde, cum eum tractamus; dicamus cum eum consecramus: Domine ad te veniemus post mortem, ante tuum tribunal judicandi adstabimus. Qui nobis ita familiaris esse dignaris in vita, quod à nobis tractaris, consecraris, manducaris: noli nobis alienus esse in morte, sed parce nobis in die mala. Confundantur dæmones qui nos tunc persequentur, destrue fortitudinem illorum in virtute tua: quia non est qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus & familiaris noster. Hæc est dignitas quam ei debemus.

18. Debemus ei & reverentiam, investigare scilicet D nosmetipsos: & si invenimus cor pollutum fœdis cogitationibus aut mala voluntate, ab ejus contactu, ut ab igne, & nos & alios arceamus. Ignis enim consumens est, ad quem indignus non debet accedere, ne interius consumatur, & in reprobum sensum tradatur. Exeat ergo extra castra, sicut Moïses præcepit, qui nocturno pollutus est somno, hoc est qui per negligentiam istius obscuræ vitæ (quæ tota ut somnus pertransit) pervenit usque ad pollutas cogitationes. Exeat extra castra, hoc est dum in illo statu est, judicet se indignum societate fidelium communicantium hoc sacro corpore, lavetque vestimenta sua per sanctam confessionem: & E post solis occasum, hoc est post tentationis calorem & ardorem jam mortuum, lætus redeat, & cum aliis fidelibus communicet. Hæc est reverentia quam debemus corpori Christi, quem virgo Maria hodierna die in templo præsentavit, quem Simeon lætus inter brachia suscepit.

19. Debemus etiam fructum scire, intelligere scilicet quem fructum accipimus, si eum digne comedimus. Audite, fratres, non me, sed Apostolum dicentem: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Calix, id est communicatio calicis, facit nos habere quamdam communionem cum Christo. *Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis est Domini?* F Ac si dicat: Panis quem frangimus, facit nos unum corpus sub Christo capite: quoniam sicut unus panis ex multis granis conficitur, qui postea in corpus Christi & per fidem, & per sancta verba, quæ Christus suos docuit, convertitur: sic diversi participantes hoc corpore in unitate fidei, spei, & caritatis, unum corpus cum Christo sunt, ad Christum statim post mortem venturi, & cum Christo sicut cum capite suo sine fine regnaturi: quem virgo concepit, virgo peperit, virgo in templo hodierna die præsentavit, qui cum Patre & Spiritu-sancto, vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

# IN FESTO PURIFICATIONIS Beatæ Mariæ Virginis.

## SERMO VI.

1. POstquam impleti sunt dies purgationis, tulerunt Jesum in Jerusalem. O quam felix est, de quo dici potest: Impleti sunt dies purgationis ejus: ut jam nihil aliud ei supersit, nisi ut ferant eum in Jerusalem supernam; & sistant eum Domino. Talis nimirum erat Simeon ille noster senex, tam desiderabilis, quam plenus desideriis, cujus cum jam olim, ut arbitror, essent impleti dies purgationis, hodie impleti sunt etiam dies exspectationis: ut jam, secundum verbum Domini, nihil aliud ei restaret postquam vidisset Christum Domini; Christum pacem Dei & hominum, nisi ut dimitteretur in pace, & dormiret in pace in idipsum: hoc est, ut ferrent eum in Jerusalem pacis æternæ, & sisterent eum ad contemplandam pacem, quæ exsuperat omnem sensum. O Simeon vir desideriorum, impletum est in bonis desiderium tuum. O beate senex, renovata est ut aquilæ juventus tua. Introisti jam ad altare Dei illud supernum, æternum, totum aureum, ad Deum qui lætificat juventutem tuam æterna visione sui, cujus lætificavit senectutem hodierna visione Christi sui. Ad altare illud invisibile jam ipse præsentatus es Patri; cui ad altare hoc visibile filium hodie præsentasti. Ibi filium ipsum, quem hodie tuo sinu gestasti, æterno jam & indissolubili tibi conseris amplexu.

*Luc. 2. c*

*Simeonis impleti dies purgationis & exspectationis.*

2. Repletum est igitur in bonis beati senis desiderium, cujus tota erat exspectatio & desiderium, exspectatio Gentium & desideratus earum. Renovata est ut aquilæ juventus ejus, quoniam in senectute bona impleti sunt dies purgationis ejus. Alioquin nequaquam illius capax novitatis esse posset, nisi sedulo vetustatem his diebus expurgasset. Fratres expurgate vetus fermentum, dum tempus habetis ad expurgandum: ut cum impleti fuerint dies vestræ purgationis; inveniamini & vos capaces illius gaudii, quo plena est jam anima Simeonis. Et quidem dies qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus, nolimus, implemus: sed væ nobis si dies implentur, & purgatio minime impletur: ut postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita excogitari potest. Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui cum hinc exierit, nihil illi debeat igni: qui sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, ut gloriari possit castum se habere cor; ut dicere possit; Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Pauci quidem sunt electi, sed inter illos paucos paucissimi sunt (ut arbitror) ita perfecti, ut purgationem illam impleverint, de qua Sapiens dicit: *De negligentia purga te cum paucis.* Omnino si de negligentia nos purgaremus, de paucis essemus. Nunc autem quoniam non modo minima, sed & maxima negligimus, longe à paucis de terra divisi sumus, & de nobis dicit ille, qui paucitatem sanctorum multitudini præfert negligentium: *Inter multos erant mecum.*

*Aut hic purgandi sumus, aut igni purgatorio reservandi.*

*Pauci illum evadunt.*

*Eccles 7. d*

*Psal 54. e*

3. Et quid hodie tam proprium simul & commune his quos religionis fovet umbra, sicut negligentia; &, ut de me ipso loquar, quoties derident hostes sabbata mea? Quoties dormitat anima mea præ tædio, diemque fere totum, ac si tempus revocabile esset, inertia consumo. Et utinam sic dormitaret anima mea, ut apertis & vigilantibus oculis, ipse mihi misero non fingerem somnia vana & illusoria! At nunc in perversum mutata sententia, ego vigilo, & cor meum dormit, somnoque tam gravi, ut vix aliquando valeat expergisci ad tonitruum supernæ illius increpationis: *Usquequo piger dormis? Quando consurges è somno tuo? Paulolum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias; & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.* Illud sane miserrimum est, quod hodie non putatur jactura, sed lucrum, si dies qui nobis ad purgationem dati sunt, elabantur nobis dormiendo, prætereant & pereant negligendo. Gentilis *, aiunt, cum sederet ad

*Accusatio negligentiæ nostræ.*

*Prov. 6. a & 10. b*

* Titus Im-

per. v. Sue
ton. in Tito.
Temporis incuria & jactura deploratur.

mensam, venissetque in mentem nihil strenuum, aut A memorabile se egisse die illo: cum gemitu gravi & dolore mensam repulit, exclamans; *O amici, diem perdidi.* Nos hodie dicere videmur, diem lucrifeci, si sine opere totus per inertiam possit elabi. Sic nullus fere est, qui tempori pretium ponat*, qui cogitet apud se, quantum valeat ad comparandam æternitatem dies una. Putasne est aliquis in nobis, qui quotidianam dierum suorum à semetipso rationem exigat; qui cujusque diei dispendia vel emolumenta diligenter sibi describat: ut si deprehenderit se hodie negligenter egisse, vindicet in seipsum, ac de cetero cautius agat? Beatus ille servus, quem, cum venerit dies extremus, invenerit ita facientem.

* *Idem iisdem pene verbis queritur Seneca. epist 1.*

4. Hoc nempe esset de negligentia cum paucis purga- B ri, si recte & utiliter implerentur dies purgationis, ut aliquando posset accessus ad sancta salubriter obtineri. Alioquin quamdiu manserit quis in sanguine purificationis suæ, sancivit æterna justitia (sicut scriptum est in lege Moïsi) ut omne sanctum non tangat, nec ingrediatur sanctuarium, *donec impleantur dies purgationis ejus.* Viderint ergo qua fronte ingrediantur sanctuarium, qua conscientia non solum tangant sancta, sed etiam tractent & sumant Sanctum sanctorum; qui scilicet nondum liberati de sanguinibus, nullum tamen suæ purificationis studium gerunt. Annon audiunt protestantem & dicentem: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt?* Quid C enim si mundus sum à sanguine alieno, & conculcari me Dominus videt in sanguine proprio, sicut de Jerusalem loquitur per Ezechielem? Quid inquam mihi proderit, si veloces non sunt pedes mei ad effundendum sanguinem proximorum; & veloces sunt affectus mei ad acquiescendum carni & sanguini, de quibus dicit Apostolus: *Quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt?* *Maledictus*, inquit Jeremias, *qui prohibet gladium suum à sanguine:* id est, qui vitia carnis & sanguinis sibi parcit abscindere. Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ, ne cum sanguine purificationis meæ sanctuarium ingrediens, aut Sancta contingens, reus inveniar Corporis & Sanguinis tui, indigne manducans & bibens. D Verumtamen gratias tibi Deus Deus salutis meæ, qui in hoc ipsum pretiosum tuum fudisti sanguinem, ut immunditiam nostri purificares sanguinis, tactumque peccatricis sanguinem fluentis, sed salutem desiderantis non abhorreres, sciens nimirum quod nullus potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es: nec sanis, sed male habentibus, melius tamen habere cupientibus, medicus opus est. Tangere itaque Sanctum sanctorum, sicut illis quos delectat in sanguine suo versari, judicium est mortis: sic illis qui desiderant purificari, remedium est salutis, juxta prophetiam Simeonis: Quia *hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum.*

*Levit.* 12. b
Purgatio præmittenda sacris mysteriis.
*Isa.* 1. d
*Ezech* 16. a
1. *Cor.* 15. a
*Jerem.* 48. d
*Psal.* 5. c
Quibus proficiat communio.
*Luc.* 2. c

5. Fratres, & vos quidem in sanguine fuistis, sed E abluti estis, sed purificati estis: nisi quia sicut justus confitetur: *Si loti fueritis velut aquis nivis, sordibus vos statim intingit*, non solum conditio corrupta, sed etiam voluntas infirma; ut semper novis sordibus opus sit purificatione nova. Illa vero mirabilis & miserabilis est in hominibus sui negligentia, ut cum nemo sit qui se purificatione non indigere præsumat, vix tamen est aliquis qui tempus ad hoc indultum, quasi purgatissimus sit, non negligat. Fratres, *breves dies hominis sunt*, sed tamen valde pretiosi sunt, immo quo breviores, eo pretiosiores: quia dies sunt purificationis, cum statim postmodum futuri sint dies retributionis. Beati qui in diebus istis lavant F stolas suas, & candidas eas faciunt in sanguine Agni: ne postea vestimentum eorum, si mixtum fuerit sanguine, sit in combustionem & cibus ignis. Nec solum timor urget supplicii, sed etiam spes invitat præmii: ut omni cura & instantia nostræ modo studeamus purificationi; ut quod hodie figurare voluit in seipso Filius Dei quadam dispensatoria specie, completum quandoque gaudeamus in nobis ipsa rerum veritate. Quid illud? *Postquam*, inquit, *impleti sunt dies purgationis, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.* Et nos utique si tempora purgationis legitime fuerint à nobis impleta, tollent in supernam Jerusalem ministeria Angelorum, ut illic assistentes vultui Dei, oblatio ejus simus accepta & immaculata. Ibi demum purificabimur ex toto: sicut à peccato, sic etiam à pœna peccati. Ibi nostræ purificationis ipsa erit consummatio, quæ & remuneratio: cum scilicet divinus ignis totos nos absumet in holocaustum Domino.

*Job* 14. a
*Job* 9 d
Tempus nostrum breve, sed pretiosum.
*Isa.* 9. a
*Luc.* 2. c
Oblatio nostri in superna Jerusalem.

6. Porro hunc ipsum beatissimæ purificationis inexplicabilem modum nec modo quidem cessat æmulari devotio sanctorum, quantum tamen corruptela corporum, & sollicitudo terrenæ inhabitationis permittunt: dum scilicet mente excedentes in illam Jerusalem, verum orationis locum, illic in conspectu Domini quasi turturem & columbam pro seipsis ac de seipsis offerunt: corde videlicet & carne exsultantes in Deum vivum; quia scilicet *columba invenit sibi domum & turtur nidum, altaria tua Domine virtutum.* Ego tamen arbitror, quod ad meritum non sit inferius, & fortassis ad purgationem efficacius, si illud quod per speculum & in ænigmate raro & raris experiri datur, id est, ut in Jerusalem sistantur Domino, nos per fidem jugiter actitemus: proponentes scilicet Dominum in conspectu nostro semper, & oculos ejus & judicia super nos pervigili fide, irremissoque semper timore cogitantes. Fides ista, fratres, sit in vobis, & eritis de paucis: timor iste sit in vobis, & de negligentia purgabitis vos cum paucis; quia timor iste nihil facile negligit. Denique ab initio hujus pertransibitis, sicut sponsus sponsæ pollicetur, euntes de virtute in virtutem, à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu: proficientes de visione quæ est per fidem, ad illam quæ est per speculum & imaginem: ac postremo de illa quæ est in imagine speciei, ad eam quæ erit in ipsa veritate faciei, seu facie veritatis. Si enim jugiter præsentiam Domini, licet velatam, intendatis per fidem; aliquando etiam revelata facie gloriam ejus speculabimini, licet per speculum & imaginem. Cum autem impletis diebus purgationis venerit quod perfectum est, assistetis Domino in Jerusalem, habitantes cum vultu ejus, ac sine fine contuentes eum facie ad faciem, cui benedictio, & claritas in sæcula sæculorum. Amen.

*Psal.* 83.
2. *Cor*

## IN QUADRAGESIMA.

### SERMO I.

1. BEnedictus *Deus, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Duplex autem genus tribulationum patimur: quia non solum duplici natura subsistimus, carne scilicet ac spiritu, sed etiam duplici qualitate vivimus: partim scilicet carnaliter, partim spiritaliter. In mundo eramus toti carnales, in cælo erimus toti spiritales: nunc autem ex parte carnales, ex parte spiritua-les. Prout autem proficimus in spiritu, aut magis efficimur spiritales, aut magis efficimur spirituales & minus carnales, aut magis remanemus carnales, & minus spirituales. Propterea duplex modo consurgit tribulatio: quia quod in nobis carnale est, contristat adversitas: quod spirituale, iniquitas. Si nihil in nobis esset carnale, nulla nos contristaret, immo nulla esset adversitas: si nihil spirituale, non nos nostra contristaret, sed magis delectaret iniquitas, sicut de quibusdam dicitur; *Lætantur cum male fecerint, & exsultant in rebus pessimis.* Illa ergo nostra de adversitate tristitia, carnalis & secundum sæculum est: hæc autem de iniquitate, spiritualis & secundum Deum. Illa mortem operatur, si desit consolatio: hæc salutem operatur, si non desit consolatio. Multum tamen interest in adversitate exteriori, cujusmodi sit consolatio tristium: quia consolationi divitum comminatio divina *Væ* intentat æternum. Quia nimirum plerumque qui humiliari poterant ex adversitate, gravius superbiunt de prosperitate, proditque ex adipe iniquitas eorum: immo & audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum.

2 *Cor*
*Psal.* 3
Tribu[latio] homi[nis du]plex.
*Prov.*
Carna[lis &] spiritu[alis]
*Luc.*
Prosp[eritas] occasi[o su]perbi[æ]

2. Nos autem & cum abundat illa consolatio temporalis, oportet esse gratiores & humiliores: & cum

Prosp[eritas] quom[odo] utend[a]

deficit, de æterna redemptione certiores & lætiores. Cum A tamen suppetit sive salus corporum, sive tranquillitas temporum aut copia rerum, ea moderatione utenda ac dispensanda est, ut fit non occasio peccati, sed adjutorium virtutis, ac potius de bonis bona faciamus, quam de bonis mali fiamus. Illa namque consolatione, qua se diffundit voluptas, vel extollit vanitas, renuat consolari anima mea, magisque eligat cum Moïse & viris Israëliticis affligi, quam temporalis peccati habere jucunditatem. Sive autem consolemur exterius, sive tribulemur, benedictus Deus, qui consolationem internam & æternam dedit in cordibus nostris: id est, gaudium spei, quæ suadet nos etiam gloriari in tribulationibus nostris, pollicens, quia *si compatimur, & conregnabimus*. B Illam sane tribulationem, quam interius de iniquitate nostra patimur, tanto molestiorem portamus, quanto periculosiorem experimur: quia nimirum quotidie de vita periclitamur, ut veraciter confiteamur: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Gratias tibi Domine Jesu, quia si gravia sunt pericula, facilia sunt remedia: quia *si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adjuvabat me.* Et quod semel in Petro figurasti corporaliter, in filiis Petri quotidie adimples spiritualiter. Jussisti nos venire ad te super aquas, id est, hoc mare magnum & spatiosum manibus: ecce virtute tua ambulamus, sed pondere nostro gravamur, & plerumque irruente spiritu procellarum C impellimur, ut etiam mergi incipiamus, idest pæne jam jamque tentatori consentiamus. Sed si celeriter confiteamur pedem motum, id est, titubasse animum, & fideliter invocemus auxilium, tu misericorditer porrigis manum, firmasque & dirigis gressum.

3. Super hoc quotidie justus decantat: *Impulsus sum, ut caderem*, sed non cecidi, *quia Dominus suscepit me.* Sed *cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam:* id est cum peccaverit, non condemnabitur, quia advocatum habet Jesum, eo quod etsi septies in die cadit, septies resurgit. Non delectatur jacere ubi cadit, & in luto volutari: sed ocius exsurgens excutit se de pulvere, & sordes diluit satisfactione. Per hoc namque D justus fit, quod semper in initio sermonis accusator est sui, memor consilii divini, quo dictum est ei: *Dic iniquitates tuas, ut justificeris.* Ita fit ut dum seipsum judicat, & Deum de se vindicat, illum quem judicem metuebat justum, reus advocatum habeat. *Justus* enim *Dominus, & justitias dilexit:* nec potest injustas causas suscipere aut tueri, qui cum acceperit tempus, etiam justitias judicabit. Et tamen qui judicem se minatur futurum superbe de justitia præsumentium, advocatum se pollicetur humiliter peccata confitentium: quoniam apud illum, in cujus conspectu non justificabitur omnis homo, nullatenus causam testificari nostram melius possumus, quam si nosmetipsos accusantes & punientes, justitiam E ipsius in nos transferamus, & partes judicis adversus reos exsequamur.

4. Sed & si in aliquo veniali vel per ignorantiam fallimur, vel per infirmitatem vincimur, ut Jebusæum nostrum nequaquam exterminare prævaleamus, sed semper sub oculis nostris in terra nobiscum habitare patiamur; in hac quoque imperfectione nostra consolatur nos sermo propheticus, qui nos in se transfigurans ait: *In ipsis fuimus semper & salvabimur. Imperfectum meum*, inquit corpus Christi, *viderunt misericordes oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur*, id est scripti invenientur, tam perfecti quam imperfecti. Pollicetur siquidem Dominus se perfecturum imperfectionem nostram, F loquens per Joëlem prophetam: *Et mundabo*, inquit, *sanguinem eorum quem non mundaverunt.* Hinc Isaïas cum præmisisset de perfectione futuræ cælestis Jerusalem: *Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.* quod in infirmis non nisi purgatione divina perficienda sit sanctitas illa, subjunxit dicens: *Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, & sanguinem laverit de medio Jerusalem.* Consolatur quidem me lavatio quæ promittitur; sed terret modus qui subditur: *Spiritu*, inquit, *judicii, & spiritu ardoris.* Ignis *enim opus cujusque probabit. Si cujus opus arserit detrimentum patietur, ipse autem salvus fiet* merito fundamenti, *sic tamen quasi per ignem.* Ibidem. 1. Cor. 3. c

5. Quanto melius nunc arderemus delectabili amore, quam tunc illo pœnali ardore? Quanto suavius nunc igne amoris purgaremur, ut mundanum in nobis non relinqueretur quod mundi incendio obnoxium inveniretur, sed sicut tribus pueris ventus roris fieret nobis fornax Babylonis? Alioquin si tepide & negligenter viventes, ligna, fœnum, stipulam nobis coacervamus, & tantam ignium materiam hinc nobiscum portamus; cum examen illius purgatorii tales intraverimus, quis poterit de nobis habitare cum igne devorante? aut quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis, quando omne etiam vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis? Scio quidem, quia si satis arderem igne caritatis, de me quoque diceretur: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Nunc autem si purgari non mereor igne dilectionis, utinam vel purgarer alicujus igne passionis, fieretque mihi quod Propheta imprecatur sibi: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis.* Utinam *qui cœpit ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me: & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Verumtamen nosti, Domine, infirmitatem figmenti mei. Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam, aut quis finis meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Hoc primum quidem peto, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Sed quoniam audio abs te, *Ego quos amo, arguo & castigo*, & beatus homo qui corripitur à Domino: corripe me Domine in misericordia, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me, & dicatur de me; *Detraxisti eum ab emundatione.* Intuere infirmitatem meam & secundum illam manum tuam moderare, ne vehementia verberis frangat patientiam cordis: sed magis tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem. Sed væ mihi si quotidie uror, & non emundor, ut & de me dici contingat: *Multo labore sudatum est, & non exivit de anima rubigo ejus neque per ignem. Immunditia tua exsecrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te.*

Igne amoris nunc præstat purgari; quam postea igne purgatorii.

Dan. 3. c

Isa. 33. b

Luc. 7. g

Purgatio in præsenti vita optanda.

Abac. 3. d

Job 6. d

Ibid.

Psal. 6. a

Apoc. 3. d

Job 5. c

Jerem. 10. d

Psal. 88. g

Ezech. 24. c

6. Quam vereor ne id cadat in nos, qui districtione vitæ, velut quodam purgatorio igne, quotidie coquimur, & numquam ab iniquitate nostra, sicut oportet, mundamur! & forsitan non mundabimur, donec sedeat Judex ipse quasi ignis conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi. Verumtamen quantulumcumque proficiat nunc iste ignis, malo tamen interim mihi hunc adhiberi, quam ad illum penitus differri. Nam si ad invicem comparentur, iste quidem medicina est misericordis, ille ultio irati. Ita sentiebat, qui dicebat: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Scio quidem quia tunc etiam cum conturbata fuerit anima mea Domine, in ira misericordiæ memor eris. Scio quia etiam in luctu & pœnis consolarer me spe meliori: & inimicæ potestati, cui emendandus ad tempus traditus essem, verbis Prophetæ responderem dicens: *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quia peccavi ei, donec judicet causam meam. Educet me in lucem, videbo justitiam ejus: & aspiciet me inimica mea, & operietur confusione.* Et dicam in illa die: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me.* Verumtamen cur timebo in die mala? Cur non magis in die bona bonis fruor, & diem malam præcaveo? Nonne ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis? Cur non audiam modo consilium Sapientis? *Quodcumque potest manus tua instanter operare: quia non est consilium, nec ratio, nec sapientia apud inferos quo tu properas.* & illud Apostoli: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Cœperamus quidem à consolationibus, sed

Malac. 3. a

Psal. 6. a

Mich. 7. b

Isa. 12. a

1. Cor. 6. a

Eccl. 9. c

*Gal. 6. c* Consolatio utilis quæ miscetur terrori.

ad terrores devenimus: quia tunc nimirum consolatio utilis erit, si terrori mixta fuerit: tunc ingrediemur in veritate tua Domine, si ita lætatur cor nostrum, ut timeat nomen tuum. Alioquin si omnino vos securos faceremus, diceretur & de nobis: *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & vestigia gressuum tuorum dissipant.* Tunc autem vere beati erimus, si miseriam nostram recte agnoscamus & pie doleamus: tunc securi in morte erimus, si semper pavidi suspectique vivamus.

*Isa. 3. c*

Timor in vita, securitas in morte.

## SABBATO II. HEBDOMADÆ Quadragesimæ.

### *De Parabola filii prodigi.*

Pœnitentia quantum valeat apud Deum.

1. O Felix humilitas pœnitentium! ô beata spes confitentium! quam potens es apud omnipotentem, quam facile vincis invincibilem, quam cito tremendum judicem convertis in piissimum patrem! Prodigus iste filius, cujus hodie in magnam ædificationem nostram audivimus peregrinationem ærumnosam, pœnitentiam lacrymosam, susceptionem gloriosam; prodigus, inquam, iste tam graviter reus, nondum confessus erat, sed tantum confiteri deliberaverat: nondum satisfecerat, sed tantum ad satisfaciendum animum inclinaverat: & de solo fere proposito conceptæ humilitatis veniam statim obtinuit, quæ tanto tempore tantis expetitur votis, imploratur lacrymis, ambitur obsequiis. Latronem in cruce sola confessio absolvit, istum sola voluntas confitendi. *Dixi*, inquit, *confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ubique misericordia prævenit. Prævenerat voluntatem confessionis, ipsam inspirando: prævenit & vocem confessionis, quod confitendum erat indulgendo. *Cum adhuc*, inquit, *longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est; & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Quantum hæc verba sonare videntur, tardius videbatur patri, filio veniam dedisse, quam illi accepisse. Sic festinabat absolvere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciaret misericordem compassio miseri, quam ipsum miserum passio sui. Neque hoc dicimus, quo in natura incommutabili humanos ponamus affectus, sed ut in amorem illius summæ bonitatis affectus noster dulcescat: dum ipsam plus nos amare, quam ipsi nos amemus, ex similitudine discimus humana.

*Psal. 31. a*

*Luc. 15. c*

Quam pronus Deus ad misericordiam.

2. Vide autem quomodo ubi abundavit delictum, superabundet gratia. Reus vix poterat sperare veniam: Judex, immo jam non judex, sed advocatus, accumulat gratiam. *Cito*, inquit, *proferte stolam primam, & induite illum, & date anulum in manu ejus, & calceamenta in pedes, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit.* Verum ut hæc omnia prætereamus, scilicet *stolam primam*, id est, sanctificationem spiritus, qua baptizatus induitur, & pœnitens reinduitur: *anulum fidei*, quo subarrhatur; *calceamenta*, quibus ad calcanda serpentum venena munitur, vel ad evangelizandum præparatur: *vitulum saginatum*, qui ei in altari immolatur; festiva illa *gaudia*, quæ pro recepto indicta filio toto celebrantur cælo: ut hæc, inquam, omnia taceamus, & doctioribus tractanda servemus; amplexus ille & osculum paternæ pietatis, quid non habet gratiæ & dulcedinis? quid non felicissimi gaudii? quid non sanctissimæ voluptatis? *Cecidit*, inquit, *super collum ejus, & osculatus est eum.* Cum sic super eum affectabat, quid agebat amplectens & osculans, nisi illum sibi vel seipsum illi insinuabat, se illi inspirabat, ut adhærendo sibi unus secum fieret spiritus, sicut adhærendo meretricibus unum cum eis corpus fuerat effectus? Parum erat illi summæ misericordiæ viscera suæ miserationis non claudere miseris: in ipsa sua eos viscera trahit, suisque inserit membris. Non poterat nos sibi arctius adstringere, non poterat nos magis intimos habere, quam ut incorporaret sibi; & sicut caritate, sic virtute ineffabili, non solum assumpto corpori, sed etiam ipsi coü-

*Luc. 15. e*

*Ibidem.*

Divinæ caritatis & misericordiæ vis.

nitet spiritui. Quod si tanta est gratia pœnitentium, quæ erit gloria regnantium? Si ista sunt solatia miserorum, quæ erunt gaudia beatorum? Et qui hoc prærogat in via, quid servat in patria? Utique quod in cor hominis non ascendit: ut ei similes simus, & sit Deus omnia in omnibus.

3. Jam vero tu, beate peccator, sed licet non ideo beatus quia peccator, sed quia pœnitens de peccato: quid tibi, rogo, animi erat inter amplexus patris & oscula, cum prope desperatum refovebat, cum cor mundum tibi innovans, lætitiam salutaris sui tibi refundebat? Et quomodo, inquit, sermo explicabit, quod mens non capit? Inenarrabiles gemitus, & inexplicabiles sunt affectus, quos de incomprehensibili velut impregnatus parturit animus. Angustum est eis cor humanum, unde & scissum effundit seipsum; & ardorem quem concipit, sed non capit, quibus potest modis, lacrymis, gemitibus, suspiriis, evaporat ac digerit. Norunt hæc melius, qui gustaverunt sæpius & uberius. Nunc quoque, inquam, cum dimissus post illos amplexus & oscula, te & teipsum recogitas, cum causam tuam qualis fuerit, qualiterve ab eo judicata sit retractas: & illinc abundantiam delicti tui, hinc superabundantiam gratiæ pensas: quid tibi obsecro parit cogitatio tua? Quidni, inquit, intolerabilis in meditatione mea exardescat ignis, illinc dolore & pudore, hinc gaudio & amore? Non me hominem putarem, sed lapidem, si ita duri cordis exsisterem, ut meipsum non dolerem vel erubescerem: vel ita nequam & ingrati, ut non totus in gaudium vel amorem illius Patris liquefierem.

Affec[tus pec]catori[s] conc[...]

4. Custodi igitur, ô felix peccator, custodi sollicite ac vigilanter hunc spiritum tuum, hunc justissimum humilitatis ac pietatis affectum: quo semper ita de te sentias in humilitate, de Domino in bonitate. Nihil illo majus in donis Spiritus-sancti, nihil pretiosius in thesauris Dei, nihil sanctius inter omnia charismata, nihil salubrius inter omnia sacramenta. Custodi, inquam, si vis ipse custodiri, humilitatem illius sensus & vocis, qua Patri confiteris, & dicis: *Pater jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Nihil ita Patrem promeretur, sicut hujus vocis affectus; nec melius te filium facies dignum, quam si semper confitearis indignum. Hæc humilitas non solum peccatores justificat, sed etiam justos consummat, justitiamque eis accumulat: si videlicet se servos fateantur inutiles, etiam cum quæ præcepta sunt, fecerint omnia. Peccatum tuum coram te sit semper, & juxta consilium Sapientis, etiam *de propitiato peccato noli esse absque metu.* Incerta & occulta sunt judicia Dei; non temere præsumendum est de illis, cum nil inde certius teneamus, quam quod in conspectu Dei non justificabitur omnis vivens, nisi in quantum se judicat peccatorem. Alioquin quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Blande te misericordia suscepit, pie refovit: time judicium, ne gratia quæ data est humili, auferatur superbienti. Elegisti abjectus esse in domo patris tui; contentus eras fieri quasi unus ex mercenariis: sta in sententia, ut etiamsi promotus es, adhuc ad majora proveharis. Extremum locum semper occupa, aut certe desidera: servitutem tibi mercenarii, non libertatem filii tibi vindica. Devotione quidem filii Patrem cole, conscius quid ipse de te meruerit; sed humilitate & labore mercenarii contentus esto, conscius quid ipse merueris. Numquam tibi displiceat humilitas, per quam placere cœpisti, & sine qua displicere incipies, quantiscumque polleres virtutibus, quantumcumque patri officiosus deservire videaris. Humilitas siquidem omnium virtutum est maxima, cum tamen virtutem se esse nesciat. Ipsa fere omnium radix, & seminarium, & fomes, & incentivum, & ipsa cumulus & fastigium, custodia & disciplina. Ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consummantur, per ipsam conservantur. Cumque omnibus ut virtutes sint tribuat, si qua earum defuerit, vel minus perfecta fuerit, ipsa alterius defectu proficiens, dispendium illius de se compensat.

Ipsi[...] sollic[...] servan[da hu]militas.

*Luc.*

*Eccl.*

*Isa.*

Hum[ilitas] excel[lentia].

# IN FESTO SANCTI BENEDICTI.

## SERMO I.

14. c 1. **B**Eatus vir, *qui in sapientia morabitur, & qui in justitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.* Quàm congrue verba hæc in laudem beati Benedicti cantata sint, facile quivis vestrum intelligit, cui tamen vita & doctrina ipsius non ignota sit. Quàm commode vero ad vitæ nostræ doctrinam trahi possint, ipsa per se verborum facies ostendit: quæ scilicet illa, quibus nihil est utilius in vita, sapientiam, justitiam, timorem Dei, cum præmio etiam beatitudinis commendat. *Beatus*, inquit, *vir, qui in sapientia morabitur.* Prorsus hæc est beatitudo, hæc sapientia, si moreris in sapientia, ut perseveranter eam teneas. non enim statim qui invenerit, sed qui tenuerit eam, beatus. 9. b Dicit quidem Scriptura: *Beatus qui invenit sapientiam.* sed non ibi quievit, immo addidit, *& qui affluit sapientia:* ne videlicet solum invenisse statim putaretur ad beatitudinem sufficere, nisi cum inveneris, cum ea & in ea demoreris, & contubernio atque convictu ipsius delecteris; nec discedas à magisterio ejus, donec meditando justitiam, cogitando circumspectionem Dei, affluere prudentia possit. Nam & Salomon sapientiam invenit: sed quia prudentia minus affluxit, nec satis prudenter sibi circumspexit, dum videlicet non caute sibi providit à mulieribus alienis; non modo sapientiam perdidit, sed usque ad ultimam idololatriæ insipientiam proruit. Sapientes quoque hujus mundi, qui invisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt, sapientiam invenisse visi sunt: sed quia nec ipsi prudentia affluxerunt, & cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; stulti & ipsi facti sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum usque ad reprobum sensum, & ignominiam turpitudinum.

2. Alios itaque, sicut istorum exemplo liquet, repellit à sapientia quam invenerant, superbia cordis: alios, sicut in Salomone patet, abstrahit illecebra carnis: alii autem levitate & inconstantia mentis, levi perturbatione offensi eam relinquunt, qui scilicet ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quare autem recedunt? Quia radices non habent, quibus teneantur. Quomodo autem radicari poterunt, nisi morentur? Quæ umquam planta radicatur, nisi loco cui affixa fuerit immoretur? Sic justus plantatus in domo Domini, nec radicari, nec fundari in caritate poterit, nisi mora & stabilitate loci. Si autem radicatus non fuerit, nec florere, nec fructum qui maneat, afferre poterit: & si florere visus fuerit alicujus spei initio, dicetur de illo: *Ante messem totus floruit, & immatura perfectio germinavit.* Et secundum alium Prophetam, *si fecerit fructum, alieni comedent eum.* Vis autem scire quàm sit necessaria stabilitas loci, ut in sapientia moreris, ut radicari & fructificare possis mora temporis? Interroga patrem tuum Benedictum, & annuntiabit tibi, quia claustrum monasterii, & stabilitas in congregatione locus idoneus sit ad ferendum omnium fere fructus virtutum, quarum longum ibidem texit catalogum. Quid enim de instabili Salomon ait? 17. a *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum.* Invenerat turtur nidum, ubi poneret pullos suos: cœperat eum calefacere, & ab eo calefieri, venerant usque ad partum pulli, & ecce avolat, opusque cœptum imperfectum relinquit. Quare, unde, vel quo avolet ipse viderit: vel quando tot dispendia, quæ interim patitur, compensabit, vel qua ratione primam fidem irritam factam excusabit. Ego enim non putarem esse consilii, pro spe incerta, certa subire dispendia: etsi profectus quorumdam me jubeat interim à præcipitatione cohibere sententiam.

3. Enimvero multum dissimilis est causa eorum, qui amore sapientiæ inquieti fiunt, & eorum de quibus loqui cœperam, qui levi & frivola permoti causa à sapientia resiliunt. Sicut enim per patientiam disciplinis sapientiæ quis immoratur, ut discat sapientiam; sic *qui facile perdunt sustinentiam, non demorabuntur*, ut scriptum est, *projicere illam.* A Quid autem eos offendat, præmisit scriptura cum ait: *Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis.* Offenderunt in lapidem offensionis & petram scandali, cujus probata virtus corripiebat & erudiebat insipientes, probabatque mentes: cum ipsi virtutem sapientiæ duritiam lapidis interpretarentur, duraque omnia; disciplinam, vultum, sermonem causarentur. *Durus est*, inquiunt, *hic sermo.* Esto, Sermo durus est: numquid non verus est? Lapis durus est: numquid non pretiosus est? Quare autem veritas dura est tibi, nisi propter duritiam cordis tui? si cor tibi pietate mollesceret, plus tibi soliditas veritatis, quàm vanitas mendacii, vel oleum adulationis placeret. Durus est, aiebant, hic sermo, quia quasi B lapidis virtus erat illis probatio sapientiæ, ideoque non sunt demorati eam projicere, & retro abire. Nec ob aliud pretiosum & electum à Deo lapidem reprobaverunt, nisi quia durum putaverunt. Et erat quidem Petra Christus, sed virtute, non duritia. Erat Petra, sed quæ converti posset, immo & conversa est in stagna vel fontes aquarum, ubi mollia & humilia, quibus influeret, invenit corda fidelium. Nam & isti qui tam cito offensi quadam specie duritiæ retro abierunt, si permansissent cum Apostolis, bibissent forsitan & ipsi cum eis de consequenti eos Petra, bibissent flumina aquæ vivæ de petra percussa in cruce fluentis largissime, ita ut hodieque bibat populus & jumenta: immo suxissent etiam mel de petra, oleumque de saxo durissimo. C

4. Prorsus tu beatus es Simon Barjona, tibi jam revelabat Pater pietatem mysterii, latentem, ut videbatur, sub duritia sermonis, qui interrogatis duodecim, an & ipsi vellent abire, constanter respondisti: *Domine, verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Plane beatus, qui cum sapientia morari, & cum domesticis ejus ad mensam ipsius pane interim sacramenti nutriri delegisti; donec de fide proficientem ad intellectum pane vitæ & intellectus te cibaret, & aqua sapientiæ salutaris potaret. Beati & vos fratres mei, qui in disciplinam sapientiæ, & Christianæ scholam Philosophiæ nomina dedistis, sed si perseveranter in sapientia moremini: ut cum durior sermo D ipsius visus fuerit, duriora scilicet præcipientis, aut durius corripientis, non sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo vivo, sed constanter dicatis cum Apostolo: *Verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Fingis quidem laborem in præcepto, duritiam in sermone: sed scimus, quia *magna est multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te:* perficies sperantibus in te. Ego autem semper sperabo, etiamsi occideris me. Immo tunc amplius sperabo, cum flagellaveris, secueris, usseris, occideris quicquid vivebat in me: ut non ego, sed Christus vivat in me. Omnino non discedimus à te, quia vivificabis nos etiam occidens, sanabis percutiens. Vere beatus, qui cum sapientia mora- E tur, hac constantia & fide longanimiter patiens & fideliter obediens usque ad mortem, nec *deserens locum suum, quotiescumque spiritus potestatem habentis ascenderit super eum, sciens* quia *curatio disciplinæ faciet cessare maxima peccata.*

5. Sane ad hanc sapientiam morandi in sapientia, illud præcipue pertinere arbitror, ut inquietudo vel quælibet levis molestia non facile quodcumque opus sapientiæ nobis excutiat: verbi gratia, sollemnem psalmodiam, orationem, lectionem divinam, pensum operis diurni, aut silentii disciplinam. Quia enim sapientia in exitu canitur, *gaudebunt*, ait Sanctus, *labia mea, cum cantavero tibi*, dum etiam ad litteram, exitus matutini & vespere F delectabis. De oratione quoque certum & ipsi quotidie capitis experimentum, quod melior est finis orationis quàm principium: ut fidele probetis Dominicum illud toties inculcatum, tot exemplis commendatum de orationis perseverantia consilium. Jam legere & negligere, vel antequam ceperis librum, de manibus projicere, quem fructum putas tibi poterit parere? Si scripturæ immoratus non fueris, ut assiduitate studii ei fias familiaris, quando putas se tibi revelabit? *Qui habet*, inquit, *amorem verbi, dabitur ei intellectus, & abundabit: qui vero non habet, & quod habet per naturam, auferetur ab*

Iohann. 6. f

Durà videtur veritas, sed ob duritiam cordis.

Petra Christus, non duritia, sed virtute.

Iohan 6 b

Petrus Christo adhærens laudatur.

Religiosi itidem perseverantes.

Psal. 93.

Psal. 30.

Eccli. 10. a

Ad morandum in sapientia, vitandum fastidium in exercitiis.

Psal. 70. d

Matth. 13. b

eo propter negligentiam. De opere autem manuum nonne & de isto satis comperistis, quia sicut denarius operariis, sic consolatio sæpius servatur in fine operis? De silentio quippe nota est promissio Prophetica, quia *in silentio & spe erit*, inquit, *fortitudo vestra*. Si enim colas justitiam in silentio, &, sicut Jeremias bonum esse ait, *præstoleris cum silentio salutare Domini*, in medio silentio secretus tibi illabetur à regalibus sedibus omnipotens sermo, & aquæ Siloë, quæ vadunt cum silentio, convallem quieti ac placidi pectoris grato rigabunt profluvio. Hoc non semel, sed sæpius experieris, si modo silentium tuum cultus justitiæ sit, id est si in justitia mediteris: ut perseveres in Scriptura quam proposui*, & in sensu cogites circumspectionem Dei.

6. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus fiat. Si enim iniquitatem mediteris in cubili tuo, malitias scilicet quas malignus immittit, aut phantasias quas cor tuum parturit, aut inanes Philosophias, seu fallaces theorias, quæ sunt velut ægri somnia; nonne magis injustitiæ quàm justitiæ cultus erit silentium tuum? Si ergo vis in sapientia morari, stude in justitia meditari. *Concupisti*, inquit, *sapientiam, conserva justitiam, & Dominus præbebit illam tibi.* Si autem quasi violente irruunt cogitationes noxiæ, pone tibi virilem & fidelem custodiam, quæ omni custodia servet cor tuum. Dico autem Timorem Dei, qui nihil negligit, qui nullum indiscussum intrare permittit: sæpius interrogans etiam Angelum lucis: *Noster es, an adversariorum?* Undique enim sibi circumspicit, tamquam omni hora cogitans circumspectionem Dei, quem sine intermissione intueri ac judicare corda filiorum hominum attendit. Pulcre autem dictum est, *In sensu cogitabit*: quia prorsus sine sensu est & à corde excessit, qui timorem Dei cogitare negligit, qui pondus tantæ Majestatis ac judicii sibi incumbentis non sentit. Signanter quoque circumspicere Deus dicitur, qui omnia tam præterita, quàm futura habet præsentia, ut nec ista respiciat, nec illa prospiciat: sed similiter, quia simpliciter cuncta circumspiciat: sitque illa æternitas velut punctum, omnium media temporalium, cujus immobili simplicitati semper æqualiter præsens est circuitus & rota temporum. Hunc oculum æternum, sine intermissione videntem, & judicantem omnia, semper cogitat, suaque se cogitatione sollicitat timor Domini, qui revocat à malis non solum operibus, sed & cogitationibus: erudiens nos, ut justitiam potius meditemur; continens, ut cum sapientia moremur. Ita enim sensim fit, ut qui primo coërcetur timore judicii & pœnæ, postea pascatur amore ac meditatione justitiæ, demumque requiescat ac delectetur in convictu & amplexu sapientiæ. Hæc non modo foras mittit timorem, diffundendo caritatem; sed etiam pellit ab animo tædium & angorem, infundendo suavitatem, sicut quidam contubernium habens ipsius, de ea loquebatur: *Intrans in domum meam conquiescam cum illa. non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Horum participes nos faciat, qui particeps nostri fieri dignatus est Dei sapientia Christus Jesus, qui vivit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN FESTO SANCTI BENEDICTI, SERMO II.

1. *Benedictus vir qui confidit in Domino.* Sanctus pater noster gratia Benedictus & nomine, cujus memoria in benedictione est, ipse profecto fuit benedictus vir qui confisus est in Domino. Quem enim Dominus prævenit in benedictionibus dulcedinis, ut in Domino confideret, jam benedixit omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, quia in Domino confisus est. Nec solum in cælestibus benedictionem omnium Angelorum, sed etiam in terrestribus benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Ubi enim gentium non benedicitur hodie benedictus Domini Benedictus? Plane *benedictio Domini super caput justi*, quem tot benedictionibus cæli & terræ gratia Dei cumulavit. Non tamen sicut Esaü in pinguedine terræ, & in rore cæli benedictio ejus, sed in pinguedine spiritus, & in rore cæli qui per Prophetam loquitur: *Ero quasi ros.* & cui dicitur: *Ros lucis ros tuus.* In Christo utique benedictio Patris, cui pater imprecatus est: *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Merito proinde benedictus in Domino vir qui confidit in Domino, quia qui in Domino fidit, in eo seipsum figit. Ubi autem arbor radicem figit, inde succum vitæ atque humorem pinguedinis bibit. Plane ad humorem radices misit, qui, ut verbis utar Benedicti magistri*, spem suam Deo commisit, ac de ipso fonte summi boni aquas vitæ totius benedictionis & gratiæ bibit.

2. Per hanc nempe piam & fidelem fiduciam remittuntur peccata; sanitatum corporalium, sed magis spiritualium obtinentur remedia; propulsantur pericula; terrores contemnuntur; vincitur mundus; omnia denique possibilia credenti redduntur. Illi quippe qui in peccatis erat: *Confide*, ait, *fili, remittuntur tibi peccata tua.* Illis quibus donabatur sanitas corporum vel animarum; *Secundum fidem tuam fiat tibi.* &, *Fides tua te salvum fecit.* Illis qui periculo terrebantur naufragandi: *Habete*, inquit, *fidem Dei.* &, *Quid timidi estis modicæ fidei?* Illis quos armabat adversus sævitiam mundi furoresque diaboli; *Confidite*, ait, *ego vici mundum.* Et utique *hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*: si modo non sit tepida, non trepida, sed sit fiducia, id est, fides non ficta, seu spes non infirma. Non solum autem mundus per eam vincitur, sed & cælum possidetur: super æternitatem homo stabilitur, & in Deo ipso per caritatem radicatur & fundatur. Qui enim confidunt in Domino, sunt sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui fundatus est super æternum. Tam enim perire non potest, quàm nec ille, cui adhærens unus cum ipso spiritus est. *Quis enim speravit in Domino, & confusus est: permansit in mandatis illius, & derelictus est?* Si dixerit infidelis, Ille derelictus erat qui in cruce clamabat, *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* puto quia non usquequaque dereliquit, in quo erat mundum reconcilians sibi. O quanta consolatio, sic desolari! quanta dilectio, sic derelinqui! ut Unico Patris unice dilecto merearis vel in passionibus consociari.

3. Aperi, Domine, oculos hujus pueri, rudem loquor & novitium, qui cum tribulatur, putat se derelictum. Novum hoc omnino & insolitum, si justum quempiam viderem derelictum, cum Ecclesia dicat: *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum.* Aperi, inquam, ô Domine oculos pueri tui, ut videat, quia plures nobiscum sunt quàm cum adversariis. Siquidem Dominus virtutum nobiscum, & cum eo omnis virtus & militia cæli, immo favor omnis creaturæ, servientis nutui & arbitrio Creatoris sui. *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Et quis est qui nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus?* Poterit invidus ille sævire: sed hoc erit servire. Poterit urere, tundere, dissecare: sed hoc erit coronas fabricare. Diligam te, Domine, fortitudo mea, per quem mihi vermiculo succumbit omnis fortitudo contraria, & illuditur ab Angelis tuis in ministerium nostrum missis antiqui draconis astutia, ut volens nocere, prosit. Diligam te, Domine, propugnator potens, gubernator prudens, consolator clemens, remunerator affluens. Securus in eum projicio omnem sollicitudinem meam, cujus nec potentia vinci, nec sapientia falli, nec benevolentia potest fatigari, quo minus expleat omnem indigentiam meam. Quàm satius, quàm securius est ipsum esse sollicitum, quàm meipsum pro me! quàm bonum est confidere in Domino, quàm in homine! quàm jure maledictus qui confidit in homine, carnem ponit brachium suum, & recedit à Domino cor ejus! Et quidem egenus & pauper ego sum: sed si Dominus sollicitus est mei, dives sum, beatus sum; cui nimirum omnia cooperantur in bonum. *Sperent* igitur *in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis sperantes in te Domine*: sedeatque populus tuus, sicut scriptum est, *in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta, in securitate sempiterna.* Omnino pulcra pax & securitas sempiterna, habitare in adjutorio Altissimi, in protectione

Dei cæli commorari. Prorsus requies opulenta, sedere A feriatum sub vite vera, ficu & oliva; & post saturitatem variorum fructuum, seipsum mulcere carmine amatorio, ac dicere: *Sub umbra illius, quam desideraham* *, *sedi;* & *fructus illius dulcis gutturi meo.* Plane dulcis gutturi fructus, de cujus gustu tam dulcis erumpit ructus.

4. Hæc sunt ergo tabernacula fiduciæ, in quibus verus Israël habitat confidenter, pascit & cubat, & non est qui exterreat, & sicut Sapientia promittit, *Requiescet absque terrore, abundantia perfruetur, malorum timore sublato.* Et bene *timore malorum sublato*, non timore Domini: ne fiducia ista & securitate, quam commendamus, negligentiam putes generari, cum non in alio quàm in timore Domini sit fiducia fortitudinis. Timor quippe B dum cavet offensam, custodit gratiam; locumque servat fiduciæ, quamdiu tibi conscius non es Dominum offendisse. Inde fit ut nonnisi caste timeas eum: præter eum nullatenus timeas alienum. Sola ergo conscientia bona fiduciam istam præsumit, suadet corda nostra esse in conspectu Judicis æterni. Quis enim bene sibi de illo promittat, à quo se minime diligi intelligat? Qui autem diligit, numquam diffidit; sciens quia is quem corda non fallunt, diligentes se diligit, etiam cum arguit & corripit. Siquidem eruditis corde in sapientia, non aufert, sed auget fiduciam Patris disciplina, scientes scriptum: *Beatus qui corripitur à Domino.* &, *Ego quos amo arguo & castigo.* Cum igitur exarserit in brevi ira ejus, beati C omnes qui confidunt in eo: quos scilicet amoris proprii conscientia consolatur, quia cum iratus fuerit misericordiæ recordabitur: & cum dixerint, *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi*, statim subsequentur: *Conversus est furor tuus & consolatus es me:* eo quod nonnisi in brevi exarserit ira ejus, quam tam cito placaverit confessio reatus.

5. Merito igitur benedictum virum qui confidit in Domino, ligno comparat Jeremias, quod transplantatur super aquas: quod quia ad humorem amoris mittit radices cordis, non timebit cum venerit æstus iræ & tribulationis; sed & in tempore siccitatis, cum multo tempore cælum clausum fuerit, nec ros nec pluvia gratiæ super D eum descenderit, non erit tamen sollicitum, quasi Deus eum projecerit. Sentit quippe se plantatum fide, radicatum caritate super aquas vitæ, quæ secundum Ezechielem, de sanctuario egredientes vivificant omnia, & habent in utraque ripa omne lignum pomiferum, cujus folium non defluit, nec fructus deficit. Cur igitur lignum illud benedictum, aut timeret æstum, aut de siccitate esset sollicitum, cui aqua viva, id est Spiritus-sancti gratia, vitalem in occulto succum spei & caritatis subministrare non desinit: unde & folium sit viride, id est, Verbum plenum gratiæ & veritatis; & ipsum non desinat aliquando facere fructum quodcumque opus pietatis? Et grata quidem illa verna temperies, pacis & lætitiæ: E desiderabilis illa pluvia voluntaria, quam segregavit Deus hereditati suæ: sed si ita necesse est, adurat omnia æstus tribulationis, veniant iterum quæcumque prophetavit Jeremias de sermonibus siccitatis spiritualis; non tamen timebit, quem fiducia Domini radicavit super aquam refectionis, id est gratiam Spiritus-sancti: quæ etsi manifeste non pluat, ut sensibiliter influat, occulte tamen interius vivificat & fœcundat: quamdiu videlicet fidem propositi conservat, ad perseverandum confortat, verbumque irreprehensibile & opus stabile subministrat.

6. In hujusmodi vestra, fratres, sit consolatio, quoties alias consolationes non modo carnales, sed & spirituales subtraxerit vobis, non negligentia vestra, sed dis- F pensatio divina. Et fortasse quidem illa, quam diximus, occulta gratia Spiritus irriguum est inferius, quo nimirum Axa non vult esse contenta, nisi adjiciatur ei & irriguum superius: ut scilicet de excelso effundatur Spiritus, rorent cæli desuper, & nubes angelicæ pluant justum, justificans Dei verbum, loquens ad cor Jerusalem. Et bene illud irriguum inferius; quod quasi ad radices fluens nutrit humilitatem: hoc autem superius, quod sese desuper effundens, spe & exsultatione attollit mentem. Si ergo & vos, fratres, ad illud suspiratis superius irriguum, laudabile quidem desiderium; si tamen nondum attingitis, mittite radices interim ad humorem, salubre remedium. Qui igitur non prævalet capere lætitiam contemplativæ, meditetur justitiam vitæ activæ. Inde radices affectionum impinguet, dulcoret mores, omnemque vitæ statum informet: quatenus in ipso nec marcescat aut defluat folium, id est, verbum leviter aut inutiliter prolatum, nec aliquando vita desinat facere fructum. Benedictum lignum, cujus folium ad medicinam, fructus ad vitam; id est cujus sermo gratiam parit audienti, & opus vitam facienti.

*Contemplativæ incapax quid facere debeat.*

7. Ad hoc profecto vos, fratres mei, quos carnalis generatio vel consuetudo sæcularis plantaverat in terra inaquosa, in terra salsuginis, divina generatio vel mutatio dexteræ Excelsi transplantavit super aquas refectionis; ut quibus prius propter sterilitatem parabatur securis & ignis, nunc plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, floreatis, & fructum faciatis, & fructus vester maneat. Annon aquæ refectionis Scripturæ Spiritus-sancti, in quibus meditamur die ac nocte? Annon aquæ refectionis, lacrymæ compunctionis, quæ nobis factæ sunt panes die ac nocte? Annon aquæ refectionis, sacramenta & subsidia nostræ salutis, quibus pascimur & potamur in altari? In his siquidem omnibus, quasi quibusdam rivulis, fons sapientiæ qui oritur in medio paradisi, derivatur foris, & in plateis aquas suas dividit. *Ego*, inquit Sapientia, *quasi aquæductus exivi de paradiso. Dixi, rigabo hortum meum plantationum, inebriabo partus mei fructum.* Ecce, ut colligere potestis ex ipsius ore Sapientiæ parientis & plantantis, hortus plantationum, est congregatio filiorum. *Numquid* enim *ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus?* Ipse parit, cum ingenerat voluntatem bonam: plantat, cum instituit vitam: rigat, cum sensibus infundit gratiam: colit, cum moribus adhibet disciplinam. *Audite me, divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.* Mittite radices ad humorem vitæ, id est, ad amorem terræ viventium, non hujus in qua omnia senescunt & putrescunt. Non potest arbor facere fructum qui permaneat, nisi sursum in cælestibus radicem figat: ut quæ sursum sunt, non quæ super terram quærat & sapiat. Quod enim Physici dicunt hominem esse arborem inversam, eo quod nervi corporis radicem & initium in vertice habeant: ego illo potius sensu interpretor, quod radicem amoris & desiderii figere debeat in cælo, in summo vertice rerum capite nostro Jesu-Christo. Qui illuc radices miserit, & de illo fonte æterno succum vitæ & gratiæ jugiter biberit, non timebit cum venerit æstus judicii: sed afferens & offerens fructum quem fecit plurimum, id remunerationis accipiet, ut floreat in æternum ante Dominum, cui est honor & gloria per omnia sæcula sæculorum Amen.

*Aquæ refectionis quænam.*

*Eccli. 24 d*

*Isa. 66. d*

*Quomodo Deus excolat animam.*

*Eccli. 39 b*

*Homo arbor inversa.*

## IN FESTO SANCTI BENEDICTI, SERMO III.

1. Dilectus à Deo & hominibus. Paucis expressit bonum ac beatum virum, qualem nimirum constat dilectum Domini fuisse Benedictum. Paucis, inquam, comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiæ & virtutis; simulque beatitudinem vitæ perennis, & consolationem præsentis. Quid enim deesse potest ad æternam felicitatem illi, qui à Deo diligitur? quid ad præsentem consolationem illi, qui ab hominibus diligitur? Illi nempe qui à Deo diligitur, etsi aliquid deesse videtur, non ob aliud deest, nisi ut nihil ei desit: & suo, ut putatur, defectu perfectior fit. Nam virtus in infirmitate perficitur. *Paule*, ait Dominus, *sufficit tibi gratia mea.* Cui gratia Dei sufficit, sine damno gravi, immo cum lucro non mediocri aliquid gratiæ deficit, quandoquidem ipse defectus & infirmitas virtutem perficit; & imminutio cujusdam gratiæ, summam omnium gratiam Dei ampliorem ei & stabiliorem efficit. Longe fac, Domine, à servis tuis gratiam illam, quæcumque sit, quæ adimere aut imminuere gratiam tui possit: unde videlicet aliquis gloriosior in oculis suis, odiosior fiat in oculis

*Eccli. 45 a*

*Dilectus Deo & hominibus hic & in cælo beatus.*

*2. Cor. 12. d*

*Dona Dei quibus homo non fit gratior Deo, timenda.*

tuis. Non est illa gratia, sed ira: illis plane quibus iratus es dari digna; quibus propter dolos posuisti talia, dejiciens eos dum allevantur, & elidens valide, dum super ventum ponuntur. Ut igitur illa sola gratia, sine qua nullus à te diligitur, salva nobis maneat, omnem aliam gratiam tua nobis gratia subtrahat, aut certe gratiam utendi simul conferat: quatenus habentes gratiam, per quam serviamus placentes cum metu & reverentia, de gratia muneris gratiam promereamur remuneratoris; & quanto quis fuerit gratiosior, tanto tibi fiat gratior.

Cur Deus hominem de statu suo dubium hic esse velit.

2. Sane mirabili arte, sed mirabiliori caritate prudens clementia clemensque prudentia Dei, saluti consuluit humanæ, ut cum cunctos diligat, non tamen facile de dilectione sua certos, aut securos esse sinat; nec ob B aliud magnam multitudinem dulcedinis suæ timentibus se abscondat, nisi ut dum semper custodit humiles, semper habeat amabiles. Sunt enim justi & sapientes, & opera eorum in manu Dei; & *tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* (Eccl. 9. a) Moderator nempe omnium sic eis dispensat gratiam munerum & operum, ut ex quibusdam quæ concedit, consolationem quod digni sint amore tribuat: ex quibusdam quæ subtrahit, suspicionem ac metum quod odio digni sint injiciat. Consolatur, cum diluculo visitat; terret, cum subito probat. Nunc mortificat, nunc vivificat: nunc deducit ad inferos, nunc reducit. Nunc pauperem facit & ditat: nunc humiliat & sublevat. Et in tanta vicissitu- C dinum varietate tanto certius salutem nostram operatur, quanto nos incertiores de ea, cum majore metu ac tremore ei cooperamur. Ait quidem Paulus: *Certus sum quia nihil me separabit à caritate Dei.* Sed vere Paulus hic erat, non ego aut tu, quibus omnia in futurum servari expedit incerta. Paulus, inquam, hic erat qui hoc dicebat, cui nimirum & illud dicere competebat: *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus*, qui scilicet ita totus in quemdam divinum conversus erat affectum, ut adhærens Domino unus cum ipso esset spiritus. Vide tamen hunc ipsum Paulum, qui ita modo certus erat, alias trepidum ac sollicitum & castigantem corpus suum, ne forte cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur: D vide etiam colaphizari à satana, ne forte extollatur. In ipso itaque Paulo jam tibi est videre, quomodo omnis certitudo quæ ad horam confortatur & convalescit de spiritus consolatione, item infirmatur & evanescit superveniente tentatione. Ego igitur miser & ipsa indignus vita, qua consolatione, qua fiducia me dignum esse amore præsumam, cui omnia & interiora & exteriora manifestum odium denuntiant? Cujus vita, non tentatio, non militia est adversus peccatum, sed ultronea servitus peccati? qui tam mente quàm carne servio legi peccati? qui cum prudentia carnis & amicitia mundi, quæ ambæ inimicæ sunt Deo, fœdus miserum pepigisse videor, plane fœdus cum morte, pactum cum inferno? Scio tamen, E scio qui dixit: *Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum cum inferno non stabit:* quia nimirum inimicis Dei nil amicum esse poterit, & non mortem, aut infernum, sed omnem quoque creaturam ad ultionem inimicorum zelus armabit. Quàm beatus in die illo quicumque erit ille dilectus à Deo, quàm laudabiles quibus tunc laus erit à Deo, quibus dicet evidenti rerum argumento: *Vos amici mei estis, eo quod feceritis quæ præcepi vobis.* Et hæc quidem prima virtus, istud optimum gratiæ munus, præcipuus vitæ fructus: quia beatitudinis certissimum pignus, Dei scilicet amicitiam promereri; quo propitio poterit homini aliquis inimicari; sed nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

(1. Reg. 2. b — Vicissitudo utuis — Rom. 8 g — Gal. 2 d — Paulus quomodo certus, & nihilo minus trepidus — 1. Cor 9 b — 2. Cor. 12. b — Isa. 28. d — Johan 15. b — Amicitiam Dei mereri, præcipuus vitæ fructus. — Psal 88. d)

Favor & amor hominum quærenus probandus.

3. Jam vero si post hanc & per hanc summam omnium causamque bonorum, gratiam etiam illam promerearis, ut dilectus à Deo, etiam dilectus sis ab hominibus: quæ consolatio est illa in miseriis hujus vitæ? quæ requies? quod gaudium? quæ deliciæ? præsertim si didiceris favore gratiæ humanæ non evanescere, sed exardescere ad diligendum Deum amplius, propter quem diligaris ab hominibus. Alioquin nempe si aliunde oriatur, vel alio referatur, quid est favor humanus, nisi ventus urens,

Favoris humani damna.

A aura corrumpens vel pestilens, latrunculus spolians, homicida insidians, coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro? Vir quippe vanus erigitur in superbiam, & vanitate sensus sui, velut equo præcipiti, fertur in ruinam. Hujusmodi nimirum serpens vulnerat & subvertit vestigia: dum veluti blandiens capiti, tenera illius facit laudari primordia. Haud secus, nisi fallor, contingit homini, qui antequam diligere sciat, diligi nimie affectat: & antequam vel sibi ipsi amicus esse didicerit, amicos sibi omnes conciliare quærit: facit divitias non cum judicio, in medio dierum suorum derelinquet eas, & in novissimo suo erit insipiens, cum omnes amici ejus spreverint eum, pro quibus sprevit ipse Deum. Tunc fiet sermo qui scriptus est: *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus sprevit eos.* (Psal.)

4. Primo itaque omnium illa, quæ prima & finis est omnium, quærenda est dilectio Dei, cujus merito digni simus etiam ab hominibus diligi; & cujus studio docti simus, dilectione hominum qualiter nos oporteat uti. Cum autem rem in tuto locaveris; ita scilicet firmato affectu mentis, ut nonnisi in Deo, & propter Deum diligi velis: tunc omnino volo, ut dulcedo morum tuorum, humilitas obsequiorum, honestas studiorum, ad omnem te commendet conscientiam hominum, ut ultro rapias affectus omnium, testimonio prædiceris omnium: quatenus ipsa religio, quæ te commendat, justa vicissitudine per te commendabilis fiat. Sic in te quoque filio adoptivo, Unigeniti complebitur oratio: *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te:* dum videntes claritatem operum tuorum glorificabunt Patrem tuum. Neque id dicimus, quod inter dilectionem Dei, & dilectionem proximi sit aliquis ordo temporis, quamvis sit ordo affectionis. Statim quippe ab initio & illam oportet observare, & istam non negligere: quando nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo vere potest diligi, quamvis ordinata affectio ignorare non possit, quæ de duabus dilectionibus præponderet alteri, quæ debeat alteri formam & modum præscribere, finemque præfigere. Sed hoc dicimus, quod aliud est amari, aliud amari studere. Quod profecto studium sicut periculose assumitur ab illis qui plus vanitate, quàm caritate blandi sunt: sic periculose negligitur ab his, qui plus superbia, quàm sapientia austeri sunt. Quam ob rem beatum dixerunt, qui inter utrumque vitium, illius scilicet vanæ amicabilitatis, & superbæ severitatis, mediam tenere potuit regalem viam veritatis, id est, ut vera caritate plenus, nec per vanitatem hoc studium sectetur, nec per tumorem dedignetur.

(Per a... Dei q... dus an... mun... — Johan — No'r. — Amar... liud & studer... ri.)

5. Illa tamen est vis & natura veri amoris, ut etiam cum non affectat, tamen efficiat se reamari: quoniam veritas etiam sine alieno suffragio facile se ad omnem conscientiam commendat, nisi dira malignæ mentis obsistat nequitia, quæ parata est sinistre interpretari omnia. Ad hunc tamen sanctum amorem conciliandum quidam proprium donum habent ex Deo: qui exhilarans facies eorum in oleo, perfudit eos quodam placore ac nitore gratioso, omnia tam facta quàm dicta ipsorum gratificans in oculis omnium: cum multi qui forsitan non minus, immo & amplius amant, non facile eamdem gratiam inveniant. Ad omnes autem pertinet, *ut providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*, nec conscientiam negligant amore famæ, nec famam fiducia conscientiæ. Nam & de ipsa conscientia quomodo tibi blandiri potes, nisi sine querela sis inter fratres, immo nisi te fratrem in- F ter fratres in omni conversatione tua demonstres? Putas enim satis esse, si non scandalizas? Immo scandalizas, si non ædificas: si non testimonium habens bonum intus & foris, quantum ad gradum tuum attinet, Deum ubique glorificas. Sane malis, quibus non placet nisi malum, quibus Justus gravis est etiam ad videndum, si illis placere te non sinit, non tua negligentia, (cum omnes etiam inimicos diligas) sed ipsorum nequitia, qui retribuunt mala pro bonis, odium pro dilectione tua; consolatur te qui ait: *Beati eritis cum vos oderint homines.* & ille qui ait: quia talibus si placeret, Christi servus non esset.

(Amor dum quæri... rit am... — Amab... peculi... donu... — Rom. — Consc... non c... gliger... more... nec c... — Non... — Luc. — Galat.)

6. Verum

6. Verum illud miserabile est malum, omnique lacrymarum flumine plangendum, quod quidem sæpius experiuntur non modo Prælati, sed etiam subditi, qui fratres suos æmulantur Dei æmulatione: quod scilicet & boni, licet non ex ea parte qua sunt boni, bonos inveniuntur odisse. Oderunt corripientem in porta, & inimici hominis domestici ejus, ita ut etiam Paulus ingemiscat, quod filiis & amicis inimicus factus sit, vera dicens. Ergo & ipse expertus est quod Comicus * ait, *Veritas odium parit*; immo & illud quod sponsa memorat: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, cum ego pugnarem pro eorum salute. O victrix regina, ô triumphatrix magnifica, pugna, ne cedas, ne discedas, aut lassescas. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. *Sapientia vincit malitiam*, quanto magis infirmitatem aut imprudentiam? Neque contradictionem carnalium, malitiam interpretari potest caritas spiritualium; sed magis ignorantiam, aut infirmitatem qua præventi sunt. Quamquam nec ipsis Apostolis contumelia visa sit, quod mali à Domino sunt appellati. Quare autem hæc ita loquor, fratres mei, dilecti Deo & mihi? Numquid quia malum hujusmodi suspicer in aliquo vestrum, contra quod mihi vel fratribus meis sit pugnandum? Numquid enim aliquis invenitur in vobis, non dico rebellis, sed vel durus & intractabilis? Loquor hæc non quia ita in vobis sit, sed ne aliquando sit, ne forte aliquando cuipiam aliqua infirmitas subrepat, ut quamcumque correptionem caritatis, nisi cum caritate suscipiat. Sic fiet, ut tam is qui corripit quàm ille qui corripitur dilectus sit à Deo & hominibus, & memoria utriusque in benedictione sit: quod meritis beati Benedicti patris nostri præstare dignetur ille singulariter benedictus Dei Patris Jesus-Christus, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

## IN FESTO SANCTI BENEDICTI, SERMO IV.

1. IN *fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum.* Hæc quidem de Moyse scripta sunt, sed hodie beato Benedicto non incongrue, quantum arbitror, aptata sunt. Qui cum omnino plenus fuerit Spiritu Sanctorum, multo magis de spiritu Moysi credendus est habuisse non minimum. Si enim Dominus de spiritu Moysi tulit, & posuit super omnem illam suffraganeam turbam seniorum, qui in partem ministerii sunt adsciti; quanto magis super istum qui plenitudinem totius ministerii, tanto verius quanto spiritualius implevit? Ille dux fuit exeuntium de Ægypto, iste renuntiantium sæculo: legislator ille, legislator & iste: ille tantum minister litteræ occidentis; iste spiritus vivificantis: ille ad duritiam cordis Judæorum dedit eis justificationes non bonas, præter pauca moralia; iste solam puritatem Evangelicam simplicemque morum tradidit disciplinam: ille tam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia, vel inutilia; iste rectissimam vitæ scribit Regulam, sermone luculentam, discretione præcipuam. Denique dux ille filiorum Israël, quos de Ægypto eduxit, in requiem promissam non induxit; dux noster recta via, orientis tramite, tamquam signifer exercitus Monachorum hodie præcessit nos in regnum cælorum. Itaque non erit absurdum, si credatur illius adæquasse meritum, cujus invenitur etiam superasse ministerium. Nec incongrue videbitur ad ipsum esse translatum, quod de illo scriptum legitur; *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus*: præsertim, cum harum præcipue virtutum, fidei scilicet & lenitatis, nobis ipse magister fit, qui nequaquam aliter vixit quàm docuit.

2. Quid enim præclarius illius fide, qui in ætate puerili mundum sibi arridentem irridens, tam mundi quàm corporis sui florem quasi jam aridum calcavit, magis appetens pro Deo mala mundi perpeti, quàm in eo temporaliter prosperari? Quid similius illi fidei Moysi, quam Apostolus commendans ait; *Fide Moyses grandis factus negavit se filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem?* Quid autem sanctius lenitate Patris nostri, qui nec malitia falsorum fratrum vitæ ipsius insidiantium, & pro vino venenum propinantium potuit exasperari? Moysen quidem Scriptura prædicat mitissimum fuisse super omnes homines qui morabantur in terra: numquid tamen exacerbatum spiritum ejus negat? Numquid non iratum & valde iratum adversus æmulos memorat? Hujus autem magistri nostri mansuetudinem non solum erga maledicos, sed etiam erga maleficos, mirabilem me legisse memini, iracundiam non memini. Quamquam nec in ipso, sicut nec in Moyse, præconio sanctæ lenitatis præjudicet, si justus zelo contra peccantes fervet, sine quo lenitas tepor, aut timiditas est. Quomodo namque lenitas illa sanctum quempiam faceret, quæ in Eli, qui alias sanctus erat, damnata est? Fratres *habete pacem inter vos*, mandat ille Magister pacificus, & lenis: prius tamen præmittit, *habete salem in vobis*; sciens nimirum, pacis lenitatem vitiorum esse nutricem, nisi prius asperitas zeli mordacem eis insperserit salem, sicut & carnes vermescere facit clementia temporis, nisi desiccaverit eas fervor salis. Habete itaque pacem inter vos, sed quæ sale condita sit sapientiæ: sectamini lenitatem, sed quæ ferveat fide. Num. 12. a Num. 16. e Lenitas sine zelo vitiosa 1. Reg. 2. Mar. 9. g

3. In fide & lenitate vos quoque sancti eritis: nec jam lenitas suspecta erit, si fides præcesserit: tantum fides non ficta, sed vera sit: fides non mortua, sed viva & vivida sit. Non modo viva vel vivida, sed & constans & intrepida fides erat Moysi, de quo Paulus scribit: *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis.* Animosi sunt reges, sed animosior est fides: quippe quæ potentiam eorum nullam esse videt, ac per hoc omnem persequentium insaniam secura, quasi superior irridet: promptior & fortior ad perferendum, quàm illorum furor ad persequendum. Duo sane commendare mihi videtur Apostolus in illa memorabili fide Moysi, cui occasione lectionis hodiernæ comparandam diximus fidem sancti Patris nostri Benedicti, scilicet quod idem Moyses qui fidei exemplum factus est, hujus mundi contempsit prospera, nec timuit adversa. Prospera contempsit, majores divitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi: adversa non timuit, non veritus scilicet animositatem regis. Ad utrumque vero causam Apostolus subjunxit, unde scilicet id potuerit, ut discamus unde fides nostra infirmetur in nobis. *Majores divitias reputabat thesauris Ægyptiorum improperium Christi. aspiciebat enim, inquit, in remunerationem.* Non est veritus animositatem regis: *invisibilem enim, inquit, tamquam videns sustinuit.* Nimirum inde fit ut nihil reputentur temporalia, si præ oculis habeantur æterna: inde fit ut facile potestas contemnatur humana, si tamquam semper imminens potestas timeatur divina. Utrumque vero sola fides agit, cujus tam vividi, tam perspicaces sunt oculi, ut & in ea quæ futura sunt prospectum vivaciter porrigat: & in ea quæ licet præsentia sint, occulta tamen, intuitum perspicaciter figat. Fidei siquidem quam æternus Spiritus illuminat, nec mora temporis, nec moles corporis præjudicare potest, quin & tempus præcedat, præsumendo quod futurum est; & corpus excedat, intuendo quod spiritus est. Gemina siquidem est fidei virtus, contemplantis non ea quæ videntur, sed quæ non videntur; sicut gemina est ratio eorum quæ non videntur. Aut enim ideo non videntur, quia præsentia non sunt: aut ideo, quia etsi præsentia sunt, spiritualia sunt. Præsentia non sunt bona futura quæ promittuntur: præsens est, sed occultus est, quia spiritus est Deus ipse qui promittit vel minatur. Porro fides quia est *substantia sperandarum rerum*, bona futura quæ sperat, quasi præsentia præsumit, & jam quasi subsistere in corde credentis facit. Item quia est *argumentum non apparentium*, Deum etsi non appareat, præsentem tamen esse sibi coarguit, probat & convincit. Illi qui dicebat, *Qui conresuscitavit & consedere fecit in cælestibus in Christo*, fides erat substantia rerum sperandarum: illi, qui *invisibilem tamquam videns sustinebat*, argumentum erat non apparentium. Qui enim dicebat, *Spe salvi facti sumus*, nonne quod sperabat & per patientiam exspectabat, jam per fidem in corde suo subsistere demonstrabat? Et qui proponebat Dominum in conspectu suo semper, nonne persuasum Heb. 11 c Fides nullam potentiam metuit. Fides prospera & adversa vincit. Ibidem. Fidei lyncei oculi. Heb. 11. a Fidei definitio. Eph 2 b Heb. 11. e Rom. 8. d Psal. 15. b

tenebat argumento fidei, eum præsentem esse, qui non apparebat?

4. Huic fidei prorsus aptissime congruit quod Scriptura dicit: *Justus ex fide vivit.* Hæc enim justum facit, justumque custodit: & ut vivat in æternum, interim spei gaudio pascit. Quid enim sic hominem à peccato revocat & servat, sicut fides quæ invisibilem tamquam videns sustinet & observat? Quid ita spe gaudentem facit, sicut fides quæ semper in remunerationem aspicit? Nos enim, fratres, quare negligentes sumus, nisi quia præsentiam Judicis nostri minus vigilanter intendimus? Aut quare tristitia pæne absorbemur, nisi quia remunerationem promissam minus fideliter cogitamus? Hæc siquidem duo mala sunt, negligentia scilicet & tristitia, quibus miserabiliter infidelitas nostra laborat: quia videlicet aut negligimus mandata, aut si necessitate timoris à negligentia coërcemur, nequaquam hilariter operamur, nec sicut fides postulat, spe remunerationis in labore consolamur. *Credere*, inquit, *oportet accedentes ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator est.* Si non dissimulemus *quia est*, habemus custodiam timoris: si non dissimulemus, quia *inquirentibus se remunerator est*, habemus consolationem spei. Ubi custodia timoris, nullus locus negligentiæ: ubi consolatio spei, nullus locus tristitiæ. Sicut autem de fide qua Deus esse creditur, timor salutis nascitur; ita cum minime creditur, aut dissimulatur, omnibus malis frena laxantur. Quare enim *corrupti & abominabiles facti sunt in iniquitatibus*; nisi quia *dixit* ille generalis *insipiens in corde suo, non est Deus*: aut certe si nescire Deum non permittitur, *non est timor Dei ante oculos ejus*, sed dolose agit in conspectu ejus dissimulans quod novit invitus, *ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.* Merito prorsus dolosus ad odium, qui ignorantiam Dei non habet, sed odium. Quomodo enim non odit Deum, cujus declinat aspectum, contemnit imperium, vellet non esse judicium? Ignorans quidem ignorabitur, odiens autem & odietur. Ille reprobabitur veritate judicii, in istum vindicabitur severitate odii.

*Abac. 2. & Rom. 1. b* — *Negligentia & tristitia nostra unde.* — *Heb. 11. e* — *Psal. 5. a* — *Psal. 35. a*

5. Adeo, fratres, periculosior est fides ficta, fides dolosa, quæ seipsam dissimulat, quàm fides nulla. Fides nulla, per insipientiam dicit in corde suo, *Non est Deus*: fides ficta per nequitiam *dolose agit in conspectu ejus*, & se scire Deum vel sciri à Deo dissimulat: dum sciens & prudens, immo imprudens & impudens sub oculis ejus peccat. Nescio tamen quomodo possit dici fides, quæ fictos & dolosos potius facit quàm fideles. Scio quidem quia confessione fidei plena est terra, sed tamen audio Prophetam plangentem, quia *periit fides de terra.* Putas enim Filius hominis si nunc veniret, inveniret fidem super terram? Numquid fidem reputaret hanc fidem fictam negligentium & contemnentium, quâ levius damnat cæcitatem infidelium, qua meliorem judicat credulitatem dæmonum? Dæmones credunt & contremiscunt, homines credunt nec contremiscunt. Dæmones quem credunt verentur: homines dum quem credunt, nec timent, nec verentur, gravius de contemptu judicantur. Non fallamur ergo, fratres, generali nomine fidei, quasi quæcumque fides ad justitiam debeat reputari, sed meminerimus Doctor gentium in fide & veritate, qualem diffinierit fidem, qua Deo est placendum? *Fides*, inquiens, *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Hæc est fides quæ per dilectionem operatur, ut suadente conscientia meritorum, de fide spes nascatur, fidesque supponatur velut subjectum & fundamentum, cui superædificentur bona æterna, quæ speranda sunt. *Sine ista fide impossibile est placere Deo*: & cum ista impossibile est displicere Deo. *Oculi tui, Domine, respiciunt fidem*, dixit ille, qui jugiter in conspectu tuo stabat per fidem. Omnino juste & merito. Prorsus debita vicissitudo, ut oculi tui, Domine, respiciant fidem, quia oculi mei semper ad Dominum fidelem.

*Fides ficta pejor & periculosior quàm nulla.* — *Jer. 7. f* — *Luc. 18 b* — *Jac. 2. c* — *Fides non omnis reputatur ad justitiam.* — *Heb 11 a* — *Ibidem.* — *Jer. 5. a*

6. Nos autem, fratres, si tamquam sine fide simus, Deum post dorsum nostrum ponimus, ut dissimulantes timorem ejus, in vanitates potius respiciamus, quo merito nos respiciendos putamus? Immo respiciemur, sed quo vultu? *Vultus Domini super facientes mala*: sed quàm iratus, quàm terribilis, quàm importabilis tunc demum scietur quando fugient qui oderunt eum à facie ejus? Et à facie tua, Domine, quò fugient, nisi in tenebras exteriores, in illud chaos & abyssum ignis & caliginis? *Tunc* enim *dicent montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos*: levius æstimantes absorberi voragine inferni, quàm sustinere faciem Dei irati. Enimvero tunc stabunt justi in magna constantia: tunc fides quæ modo sollicita stat in conspectu Domini, ad videndam voluntatem ipsius, secura stabit ad videndam gloriam ejus. *Vigilate*, fratres, *state in fide.* Quem fides timore sollicitat, non potest dormitare per negligentiam: quem fides in spe radicat, non potest titubare per diffidentiam. Omnia autem vestra in caritate fiant, ut fidei lenitas jungatur, quatenus de unoquoque vestrum dicatur; *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus*: quod ipse præstet Sanctus sanctorum; qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Psal. 33 c* — *Vultus irati qu[am] improbi[s] terribili[s]* — *Luc. 23* — *1. Cor.* — *Eccl 4*

## IN ANNUNTIATIONE DOMINICA,

### SERMO I.

1. Opportune nobis in his diebus Quadragesimalis observantiæ sollemnitas intervenit Dominicæ Annuntiationis, ut qui fatigantur afflictione corporali, gaudio recreari valeant spiritali: & quos humiliavit pœnitentiæ luctus, annuntiatio illius qui tollit peccata mundi, consoletur. Sic quippe scriptum habes: *Mæror in corde viri humiliabit eum; & sermone bono lætificabitur.* Prorsus sermo bonus, sermo fidelis & omni acceptione dignus, Evangelium nostræ salutis: quod Angelus missus à Deo, hodierna die Mariæ evangelizavit, ac lætum de Incarnatione Verbi, dies diei, Angelus Virgini verbum eructavit. Sermo ille dum Filium promittit Virgini, veniam pollicetur reis, redemptionem captivis, adapertionem clausis, vitamque sepultis. Sermo ille dum Filii regnum prædicat, justorum quoque gloriam annuntiat: terret inferos, lætificat cælos: & sicut cognitione mysteriorum, sic etiam novitate gaudiorum perfectionem auxisse videtur Angelorum. Quem ergo non lætificet ille sermo bonus in afflictione sua, quem non consoletur verbum illud in humilitate sua? *Memor esto*, inquit David, *verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; hæc enim me consolata est in humilitate mea.* Verbum tantum promissionis acceperat, sed nullo adhuc indicio sese effectus prodebat. Affligebat eum dilatio voti, sed consolabatur certitudo spei ex fide promittentis.

*Opport[unitas] hujus [festi]* — *Prov.* — *Lætitia [nun]tii hod[ierni] cælo al[lata]* — *Psal. 118*

2. Si ergo David sola spe salutis hujus quæ nobis servabatur, animum pascebat: quod gaudium, quæ deliciæ, rei ipsius exhibitio nobis esse debuerat? O felicitas temporum istorum! O infelicitas temporum istorum! An non felicitas temporum, in quibus tanta plenitudo gratiæ & omnium bonorum? An non infelicitas temporum, in quibus tanta ingratitudo redemptorum? Ecce enim venit plenitudo temporis, in quo mittit Deus Filium suum, ut fiat Filius hominis, hominumque Salvator: & ecce magnitudo teporis, ut Salvatorem suum fastidiat homo peccator. Annuntiatur salus perditis, & contemnunt: promittitur vita desperatis, & negligunt: venit Deus ad homines, & non assurgunt. Assurgit, qui aliqua devotione se erigit ut det gloriam gratiæ Dei: assurgit, qui saltem cum gaudio suscipit verbum propriæ salutis. Scio autem scio, quis est qui lætificatur illo sermone bono. Ille proculdubio quem prius humiliavit pius mæror in corde suo, mæror de peregrinatione & exsilio, mæror de vinculis mortis & periculis inferni; qui mærens quotidie plangit, quod præoccupaverint eum laquei mortis, & pericula inferni invenerint. Huic nimirum jucundus advenit hodiernus ille nuntius de cælo, hic gratulabundus excipit sermonem de Dei Filio: huic, inquam lugenti & mœrenti quod tantis sit malis præventus & circumventus, non sine gaudio liberator annuntiatur: qui oleum gaudii daturus est pro luctu, pallium laudis pro spiritu mæroris; qui videlicet finem dabit miseriis, & sine fine beatitudinem dabit miseris. Beati ergo qui lugent quoniam ipsi consolabuntur: beati

*Tempo[ra] istius [temporis] & feli[cia] & infe[licia]* — *Gaudi[um] hujus [nuntii] quos p[erti]neat.*

quos humiliavit pius mærot in corde ſuo, quoniam læti- A ficabuntur ſermone bono. Bonus plane ſermo & conſolatorius omnipotens Sermo tuus Domine, qui hodie à regalibus ſedibus venit in uterum Virginis, ubi etiam ſedem ſibi regalem exſtruxit: in qua cum etiam nunc ſedeat, quaſi Rex circumſtante exercitu Angelorum in cælis, eſt tamen mærentium conſolator in terris.

virgo pere- 3. Regali ſiquidem ex progenie Virgo electa eſt, generoſitatis quidem regiæ nobilis proles, ſed virtutis regiæ nobilior indoles: ut æterno Regi, filio Regis, materna quoque nobilitas regium honorem deferret, & venientem à regali ſede Patris, regalis etiam thronus in aula virginali Reginæ ſuſciperet Matris. In ipſa quippe & ex ipſa, Sapientia ædificavit ſibi domum, in ipſa & ex ipſa paravit B ſibi thronum: cum in ea & ex ea corpus aptavit ſibi ita ad omnia perfectum & congruum, ut & domus ei ſit ad quieſcendum, & thronus ad judicandum, quod primo tabernaculum ei fuit ad pugnandum, & cathedra ad docendum. Vide autem ne forte ipſa ſit *ſedes David patris ejus*, quam ei dandam promittit Angelus. non quod David in ea ſederit: ſed quod ex ſemine David aſſumpta & fabricata ſit. Et certe ſi ſedes David non eſt, tamen ſedes tua DEUS in ſæculum ſæculi ipſa eſt. Si ſolium David non eſt; certe ſolium excelſum & elevatum ſuper omnem creaturam, ipſa eſt. Si quis autem etiam thronum illum grandem, *quem rex Salomon ſibi fecit de ebore*, corpus ipſum interpretetur, quod Pacificus noſter hodie C ſumpſit ex Virgine, non multum à vero videbitur abhorrere: quandoquidem & illud quod ſequitur, *& veſtivit eum auro fulvo nimis*, eidem ſatis corpori congruit: quod jam Dominus decorem induit fulgoris intolerabilis. *Veſtivit*, inquit, *eum auro fulvo.* Prorſus ſi interroges oculos Apoſtolorum qui transfiguratum in monte viderunt, confitebuntur aurum nimis eſſe fulvum, id eſt fulgorem corporis eſſe nimium, quem ferre nequiverunt, quamvis *nimis* pro *valde* ponere conſuetudinis ſit Scripturarum. Cetera namque quæ proſequitur Scriptura de illius throni magnificentia, accommodatius, niſi fallor, ſi quis tractare voluerit, accipientur de corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. D

4. Mihi ſane magis mirari modo libet illud ebur tam pretioſum, immo & impretiabile virginalis caſtimoniæ, de quo ſcilicet ſedem ſibi facere delegit, qui ſedet ſuper Cherubim: *Hæc*, inquiens, *requies mea in ſæculum ſæculi, hic ſedebo quoniam elegi eam.* Quam nitidum ebur illud, quod oculis tanti tamque divitis Regis placuit, in cujus diebus argentum nullius eſt pretii! quàm frigidum, quod nec à conceptu incaluit! quàm ſolidum, quod nec partus violavit! quàm candidum ſimul & rubicundum, quod candor lucis æternæ igniſque Spiritus-ſancti, univerſa ſui plenitudine replevit! Maria ſiquidem & ipſa candidior nive, rubicundior ebore antiquo, cui ſcilicet incomparabilem & caſtitas candorem, & caritas ſeu E martyrium rutilantem præ antiquis electis noſcitur contuliſſe ruborem. Nam & ſuam ipſius animam pertranſivit gladius, ut mater ſummi Virginis & Martyris eſſet & virgo ipſa & martyr, candida & rubicunda, quemadmodum dilectus ejus candidus & rubicundus. Denique ſicut Salomon in omnibus theſauris ſuis & opibus tantis nihil habuit tam pretioſum, quod in opus illud, magnificum thronum ſcilicet gloriæ ſuæ judicaret ebori præferendum: ſic Maria ſingularem præ omnibus Electis Angelorum & hominum invenit gratiam apud DEUM, ut videlicet DEI conciperet & pareret Filium, atque ex ebore corporis ejus thronum ſibi virtus Altiſſimi ſine manibus excideret glorioſum. Glorioſus prorſus ille F thronus ac mirabilis, de quo Scriptura perhibet: *Quia non eſt factum tale opus in univerſis regnis.* quod facile teſtimoniis probaretur Angelorum, qui ſemper & inſatiabiliter in gloriam & decorem Dominici corporis proſpicere concupiſcunt. Quia enim in univerſis regnis non eſt tale opus factum, quicquid factum eſt, flectat ei genu in omnibus regnis, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Quàm beatus igitur ille venter eburneus, unde caro eburnea ſumpta eſt Redemptoris, pretium animarum, miraculum Angelorum, ſolium ſummæ majeſtatis, thronuſque poteſtatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, reſtitutio ſanitatis. *Quotquot*, inquit, *tangebant eum, ſanabantur à languoribus ſuis: nam virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Mar. 6 g Luc. 6. c

5. Beatus igitur venter, qui te Domine Jeſu portavit! felix caſtitas uteri virginalis, quæ huic operi materiam miniſtravit! Felix prorſus, fratres mei, nitor illius eboris, id eſt, candor caſtitatis: cui nec aurum mundanæ ſapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicujus excellentis gratiæ, noſtri præfert electio Salomonis; ſi modo tamen caſtitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillæ ſuæ reſpexit Dominus. Proinde namque Salomon cum in carmine amoris caſtitatem prædicaret virginis, ſeu ſponſæ videlicet ſeu ſponſi, (quia quorum ſpiritus unus & caro una, in pleriſque etiam laus una) ut caſtitatem illius adornatam noſtramque adornandam etiam aliis virtutibus doceret, ait: *Venter ejus eburneus, diſtinctus ſapphyris.* Ut autem noveris, quia caſtitas aliarum virtutum ſeu gratiarum ſit receptaculum, apothecæ aromaticæ ſeu unguentariæ noſtri Salomonis nonniſi domus eburneæ ſunt, ſicut David in illo Epithalamio cecinit, quod inſcriptio tituli; *Canticum pro dilecto*, de Sponſo Eccleſiæ accipiendum oſtendit. *Myrrha*, inquit, *& gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.* Corpora ſiquidem eburnea ſanctorum, domus Chriſti ſunt; veſtimentum Chriſti ſunt; membra Chriſti ſunt; templum Spiritus-ſancti ſunt. Ab his veſtimentis Chriſti, ab his domibus eburneis ſpirat ei omnis fragrantia virtutum & chariſmatum, ex quibus delectant & honorant Regem regum filiæ Apoſtolorum & Prophetarum. Probaſtis & ipſi, fratres mei, ex quo cœpiſtis poſſidere unuſquiſque vas ſuum in ſanctificatione & honore, non paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum, quid unguentorum, quid odoramentorum divina largitate ſit infuſum, quo modo corpus quod erat ſentina ſordium, nunc Spiritus-ſancti ſit venerabile ſacrarium: & quod erat vorago flagitiorum, nunc quædam ſit apotheca gratiarum.

Caſtitas cum humilitate conjuncta Deo acceptiſſima.

Luc. 1. e. Cant. 5. c. Pſal. 44. b. 1. Theſſ. 4 a

6. *Myrrha*, inquit, *& gutta, & caſia à veſtimentis tuis à domibus eburneis.* Inhabitamus quidem domos luteas, ſed quæ materiæ qualitate ſunt luteæ, continentiæ virtute fiunt eburneæ: ex quibus ſi myrrha prima ſpirare cœperit per mortificationem voluptatum, conſequentur & aliæ ſpecies aromaticæ, quæ multiformem virtutum gratiam ſpirabunt. Spirabunt autem Chriſto delectabiliter, tamquam de veſtimentis ſuis: ſpirabunt etiam longe lateque proximis, tamquam bonus odor Chriſti in omni loco. Horum veſtimentorum Chriſti fragrantiam ſtatim ut ſenſit Iſaac; *Ecce*, inquit, *odor filii mei, ſicut odor agri cui benedixit Dominus.* Sed & Sponſus ad Sponſam, quæ etiam corpus & veſtimentum ipſius eſt, loquitur dicens: *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.* Quem nimirum odorem thuris Sponſo gratiſſimum, pietas, ô fratres, veſtrorum ſpirabit cordium, ſi ita fragrans & devota fuerit, ut dirigatur oratio veſtra ſicut incenſum in conſpectu Altiſſimi, & aſcendat coram eo *ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.* Et quidem myrrha fragrat ei de corporibus veſtris; fragrat utique & mihi. utinam ita & thus fragret dè cordibus veſtris, quatenus Sponſus probans vos ſicut caſtos, ſic etiam devotos, frequentius vos ſua viſitatione dignetur & dicat: *Ibo mihi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Videtur tamen ſermo iſte, prophetia hujus eſſe diei, per Salomonem olim prædicta, per Jeſum hodie impleta. Hodie namque venit in illum montem altiſſimum montium, montem non modo myrrhæ & thuris, ſed & omnium aromatum: dico autem Virginem virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipue, niſi fallor, redolebat ſponſo myrrha caſtitatis, & thus pietatis. Odor iſte, fratres mei, ſuper omnia aromata; odor iſte Dominum majeſtatis de excelſis attrahit & invitat, ut inclinet cælos & deſcendat, ſicut probat dies hæc, cum Altiſſimus Angelo miſſo de cælis, ipſe quoque deſcendit in uterum Matris, qui ſemper manet in ſinu Patris, cum quo vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Continentia diſponit animum ad divina chariſmata.

Gen. 27 d. Cant. 4. c. Cant. 3. c. Cant. 4 b

## IN ANNUNTIATIONE DOMINICA, SERMO II.

1. HOdie Verbum caro factum est, & habitare cœpit in nobis, secundum regulam scilicet sanæ fidei, quam ecclesiasticorum dogmatum diffinitio * tradidit nobis. [* scilicet Gennadius.] Firmissime namque tenet, & nullatenus dubitat Ecclesia, carnem Christi non prius conceptam, quàm à Verbo susceptam; sed ipsum Verbum Dei carnis acceptione conceptum, carnemque Verbi incarnatione conceptam. Hodie itaque Sapientia ædificare cœpit sibi domum corporis nostri in utero Virginis, & ad ædificandam unitatem Ecclesiæ, angularem lapidem de monte sine manibus abscidit: dum sine opere humano de corpore virginali carnem sibi nostræ redemptionis separavit. [Dan. 2. e] Ab hoc ergo die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob: quia hodie Domini est assumptio nostra, ut inhabitet gloria in terra nostra. Prorsus hodie benedixisti, Domine, terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus-sancti, ut terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, & rorantibus cælis desuper uterus virginalis Salvatorem germinaret. [Gen. 3. c] Maledicta terra in opere prævaricatoris, quæ etiam exercitata, spinas & tribulos germinat heredibus maledictionis. At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ remissionem peccatorum fructumque vitæ parturit universis, & filiis Adæ præjudicium originalis dissolvit maledicti. [Maledictio Adæ hodie mutata in benedictionem.] Prorsus benedicta illa terra, quæ omnino intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cæli Salvatorem germinat, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrat. Hæc itaque terra quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat opimo fructu referta: videbatur esse eremus solitudinis, sed erat paradisus beatitudinis. Plane hortus deliciarum DEI; eremus cujus campi germinaverunt germen odoris, plane desertum refertum, de quo Agnum dominatorem terræ Pater emisit. [Isa. 16. a] *Emitte*, inquit, *Agnum, Domine, de petra deserti*, id est, abscinde Petram de Petra, Sanctum & inviolabilem sancta & inviolata proferat virginitas. Sane in hoc ipso satis decenter Christi occasus ortui, sepultura respondet conceptioni: dum videlicet emittitur Agnus de petra deserti, condendus in petra monumenti: & cujus corpori monumentum excidendum erat in petra, ipse ab initio conceptus sui, & corpus sibi excidit de petra, & corpori locum in petra; sic integritatem petræ cum de ea emitteretur non imminuens, sicut nec signatam sepulturæ petram, cum de ea egrederetur aperiens.

2. [1 Cor. 10. a] Si ergo *Petra Christus*, ut ait Apostolus, non degenerat à Matre Filius, quando & ipsa petræ nomine censetur. [Deiparam recte dici petram.] Annon recte vocatur petra, quæ & in amorem integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso adversus illecebram peccati tota insensibilis erat & lapidea? Annon recte petra virginalis integritas, quæ & nihil parit per naturam sui, & cum parit, roris virtute divini, nec admittens conceptum, nec emittens partum novit aperiri? [Isa. 45. b] Sed *aperiatur terra*, inquit Isaïas, *aperiatur, & germinet Salvatorem.* O sancte Isaïa, qui dicis *aperiatur*, quid ergo est quod Dominus ad Ezechielem testatur; [Ezech. 44. a] *Porta hæc clausa erit, & non aperietur?* An tibi reseratum fuit tantummodo consilium fœcundandæ Matris, & clausum tibi fuit mysterium clausæ perenniter integritatis? Absit, inquit: nemo magis quàm ego conscius hujus secreti. Quomodo enim me latuisset perpetuæ virginitatis mysterium, qui tanto ante prædixi; [Isa. 7. b] *Ecce virgo concipiet, & pariet filium?* Quæris igitur quomodo dicamus, ego, *aperiatur*; ille, *non aperietur?* Non aperietur viro, aperietur Domino: sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem, [Ezech. 44. c] *Vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.* [Beata Virgo Christum concepit & peperit salva integritate carnis.] Aperietur autem Domino non virginalis integritas corporis, quia sicut Ezechiel post prædicta subdidit, *Hæc clausa erit ipsi etiam principi*; sed aperietur auris & porta cordis: quia videlicet intravit per aurem Virginis Verbum incarnandum, & exivit per clausam portam corporis incarnatum. Omnipotens namque Verbum DEI, etsi infirmitatem nostram suscepit, nihil tamen de sua sibi omnipotentia minuit, quo minus contra naturam carnis, & supra intelligentiam sensus nostri, corpus suum palpabile per clausa posset & integra trajicere, sicut etiam discipulos ingrediens januis clausis, oculis probavit, quod ratio non capit.

3. Secura igitur, ô Virgo intemerata, ô porta sanctuarii perenniter clausa, secura aperi Domino DEO Israël, qui tibi jam dudum clamat: *Aperi mihi soror mea, amica mea.* [Cant. 5] Non est quod timeas integritati tuæ: Deus non novit integra violare, sed violata consolidare. Si Verbo DEI apta es, tum demum non modo clausa, sed & signata es. *Pone me*, inquit, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* [Ibid. 8.] Jesus quippe impressus in corde, expressus in opere, sigillum plane & munimentum est inviolabile castitatis sponsæ suæ, & eo ipso quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam. Sit ergo, ô Virgo fidelis, auris tua aperta ad audiendum & mens tua ad credendum: aure percipe verbum Angeli, & corde suscipe Verbum Altissimi, & corpore concipe Filium Dei. Dic & tu, ô beata tam humilis quàm fidelis, dic; *Dominus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abii.* [Isa. 50] *Ecce ancilla Domini:* [Luc. 1] præsto sum ejus voluntati: quinimmo juvabo votis si possum, *fiat mihi secundum verbum tuum.* Hoc dicere, sic suam devotionem offerre, istud plane est Domino pectus aperire, istud est etiam os aperire, & spiritum attrahere. Sic profecto aperiebatur terra: ut quem rorabant cæli desuper, susciperet rorem, & germinaret Salvatorem. Nobile germen, germen justum, germen odoris, germen Domini, quod jam est in magnificentia & gloria, cum idem fructus terræ sublimis est super omnia, id est, exaltatus est super cælos Deus, & super omnem terram gloria ejus. Nihil enim interest, sive germen, sive fructum, aut florem dixeris, cum hæc omnia, immo infinita alia unus Christus sit: res una, sed multiformis gratia, & virtutis unius operatio multifaria: cui si infinita nomina paupertas humani sensus & sermonis, pro similitudine commodaverit, rei tamen implere significationem non poterit. Bene autem simul vocatur germen, & flos, & fructus, qui sine gradu profectus, ab initio conceptus sui omni virtute & gratia in seipso exstitit perfectus. [Christo plura nomina.] In nobis enim primum ipse *germen* est, cum fides in confessionem prorumpit, vel opus manifestum: postmodum *flos*, cum super proficientem efflorescit sanctificatio Dei quodam spectabili decore virtutum: demum autem *fructus*, cum beatitudo satiat hominem consummatum. Pulcherrime sane ac vigilantissime, non solum mysteria, sed & mysteriorum præsagia dispensatio præordinavit divina, ut locus in quo terra germinavit Salvatorem germen justum, & flos de virga & radice Jesse ascendit, *Nazareth*, id est sanctitas, germen, flos, virgultum vocaretur: [Nazare… etymol…] ut videlicet negotium loco, locusque negotio consona voce contestaretur, pariterque & nomen loci rem gerendam pronuntiaret, & res gesta causam nominis indicaret.

4. Ignoscite mihi, fratres mei, quia qui morum vestrorum servire debueram instructioni, plus forsitan quàm necesse erat demoratus sum in illius ineffabilis admiratione & præconio mysterii. Quid enim mirum, si miror quod stupent Angeli: si prædicare gestio quam cæli enarrant gloriam Dei? Quid mirum, si me delectat, quod beatos Spiritus lætificat, quod peccatores justificat, justosque glorificat? [Verbi in… nati con… ratio q… efficax… praxim… tutum.] Nescio tamen si ulla esse possit efficacior ac suavior morum ædificatio, quàm hujus mysterii, id est, Verbi incarnati fidelis & pia consideratio. Quid enim sic hominem excitare potest ad amorem Dei, quàm præveniens hominem amor Dei tam vehemens ad hominem, ut homo propter hominem velit fieri? Quid autem ita nutrit amorem proximi, quam similitudo & natura proximi in humanitate Dei? Nam humilitatis exemplum nec cogitari posse majus aliquod existimo, quàm exinanitionem Dei in formam servi, & servitutem plus quàm servi. Castitatem porro quid æque commendat, sicut quod ipsa castitas Salvatorem germinat? Aut

fidei virtutem ac meritum quid evidentius ostendit, quam A quod Virgo Deum fide concepit, fide omnia sibi promissa divinitus impleri promeruerit? *Beata*, inquit, *quæ credidit: quoniam perficientur quæ dicta sunt ei à Domino.* Et ut plenius noveris conceptum Virginis non solum esse mysticum, sed & moralem: quod sacramentum est ad redemptionem, exemplum quoque tibi est ad imitationem: ut manifeste evacues in te gratiam sacramenti, si non imiteris virtutem exempli. Quæ enim Deum fide concepit, si fidem habeas, idem tibi promittit, quod videlicet si verbum ex ore nuntii cælestis fideliter velis suscipere, Deum quem totus orbis non potest capere, possis & ipse concipere. Concipere autem corde, immo & corpore, licet non corporali opere aut specie, tamen plane cor- B pore tuo: quandoquidem jubemur ab Apostolo, *glorificare & portare Deum in corpore nostro.* Attende itaque ut scriptum est, diligenter auditui tuo, nam fides ex auditu, auditus autem per Verbum Dei: quod tibi absque dubio evangelizat Angelus Dei, cum de timore aut amore ejus tecum agit prædicator fidelis, quem Angelum Domini exercituum dici & esse non est tibi fas ambigere. Quam beati qui dicere possunt: *A timore tuo Domine concepimus & parturivimus spiritum salutis.* qui nimirum non est alius quam spiritus Salvatoris, quam veritas Jesu-Christi. Vide ineffabilem dignationem DEI, simulque virtutem incomprehensibilis mysterii: qui creavit te, creatur in te: & quasi parum esset te ipsum habere C patrem, vult etiam te sibi fieri matrem. *Quicumque*, inquit, *fecerit voluntatem patris mei, ipse meus & frater, & soror, & mater est.* O fidelis anima expande sinus, dilata affectus, ne angustieris in visceribus tuis, concipe quem creatura non capit. Aperi Verbo Dei aurem audiendi: hæc est ad uterum cordis via spiritus concipiendi, hac ratione compinguntur ossa Christi, id est, virtutes in ventre prægnantis.

5. Gratias tibi sancte Spiritus, qui ubi vis spiras. Video munere tuo non unam, sed innumeras fidelium animas illo generoso germine gravidas: custodi opera tua, ne aliqua illarum abortiat, conceptumque divinæ sobolis informem aut mortuum excutiat. Vos quoque, ô ma- D tres beatæ tam gloriosæ prolis, attendite vobis ipsis, donec formetur Christus in vobis: attendite ne qua foris offensa gravior fœtum tenerum lædat, ne quid ingeratis ventri, id est, menti quod spiritum quem concepistis exstinguat. Parcite, si non vobis, certe filio Dei in vobis: parcite inquam, non solum ab operibus & sermonibus malis, sed etiam à cogitationibus noxiis, & delectationibus mortiferis, quæ plane suffocant semen Dei. Omni itaque custodia servate corda vestra, quia ex ipsis vita procedet: cum scilicet maturus se partus absolvet, & vita Christi quæ nunc abscondita est in cordibus vestris, manifestabitur in carne vestra mortali. Concepistis spiritum salutis, sed adhuc parturitis, nondum peperis- E tis. Si labor in parturiendo, magna de spe partus consolatio. *Mulier cum parit tristitiam habet* laboris, cum autem pepererit puerum, jam non memor erit pressuræ propter gaudium, quia natus erit homo Christus in mundum exteriorem corporis nostri, quod & minor mundus solet appellari. Qui enim nunc conceptus est Deus in spiritibus nostris, configurans eos spiritui caritatis suæ, tunc velut homo nascetur in corporibus, configurans ea corpori claritatis suæ, in qua vivit & gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN ANNUNTIATIONE DOMINICA,
### SERMO III.

1. *Audite domus David: Ecce dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet.* Hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris. Hodie namque illud ineffabile conceptus virginalis miraculum, sicut audieratis promissum, sic audistis impletum: Virgo hodie concepit. Et hoc signum prioribus retro sæculis inauditum, nostris sæculis Dominus dedit. Et sicut Jeremias eodem spiritu & eodem sensu prædixit: *Creabit Dominus novum super terram, quia femina circumdabit virum.* Quid est enim *creabit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum*, quod ait Jeremias; nisi quod ait Isaïas, *Dabit Dominus signum, Virgo concipiet filium?* Hoc nempe est *circumdabit*, non de consortio virili suscipiet, sed de se sola intra semetipsam concipiet, & solius materni corporis involucro vestiet. Alioquin dicant si possunt Judæi, quod signum Dominus in hoc dedit, si non virgo, sed adolescentula, ut ipsi falso interpretantur, concepit: aut quid novum Dominus creavit, si femina masculum de masculo susceptum circumdedit. Potest quidem mentiri iniquitas sibi; sed in multitudine virtutis tuæ, ô Domine, mentientur tibi inimici tui, ut virtutem tuam dum negat pravitas & paucitas Judæorum, gloriosius & copiosius confiteatur fides omnium populorum. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: quia terra dedit fructum suum:* Virgo germinavit *Jesum.* Velint, nolint Judæi, creavit Dominus novitatem hujus miraculi, in signum eorum incredulitatis: utique in signum cui contradicunt usque hodie: plus nisi fallor pertinacia odibili, quam ignorantia miserabili.

2. Non alienum tamen ab origine & consuetudine viperei germinis, si modo contradicunt huic signo, postquam factum est, qui ab initio in patre & rege suo impiissimo Achaz contradixerunt ne fieret. *Locutus est* enim *Dominus ad Achaz dicens: Pete tibi signum. Non petam*, inquit, *& non tentabo Dominum.* O religio profana! ô pietas exsecranda! ô humilitas dolosa! Ne tentes, ut ais, Dominum, contemnis Dominum. Quomodo enim tentares, si fideliter obedires? Nunc autem quomodo non graviter tentas, quem manifesto contemptu irritas? Novimus utique, novimus dolum & invidiam Judaïcæ radicis, quæ & ante quam Christus nasceretur, invidere cœpit gloriæ illius. Nam & iste Achaz quantum ex vita & moribus ipsius intelligi datur, (nam cultor idolorum erat,) non alia religione aut metu signum recusavit petere cum juberetur, nisi ideo scilicet, ne Dominus glorificaretur. Sane mira & plane digna ira DEI & hominum, tam dira perversitas Judæorum, qui cum jubentur signa quærere renuunt, non, ut fingunt, ne tentent, sed ne glorificent Dominum; cum non jubentur, tentant & quærunt. Nam velut natura & usu Judæi signa quærunt, & si dantur, calumniantur & inficiari contendunt, ut manifeste confiteantur, quia tentantes quærebant: non ut crederent facienti, sed ut insultarent non facienti. O gens peccatrix, *semen nequam, filii scelerati*, ait Isaïas: *Numquid parum est vobis molestos esse hominibus*, mihi & aliis prophetis, immo universo generi hominum, *quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Quia enim vos in perversum adversum eum inceditis, & ipse, ut ait, perversus incedet vobis. Non vultis signum dari, ne glorificetur auctor miraculi: & ipse propter hoc dabit, ut ipse glorificetur, & vos confundamini. Fac Domine, *fac mecum signum in bonum, ut videant qui me oderunt, & confundantur*, ait de Judæis ad Patrem Filius.

3. Primum autem signum quod Pater & Filius operati sunt in confusionem infidelium & gloriam fidelium, in testimonium suæ virtutis & opus nostræ salutis, arbitror hodiernum esse Virginis conceptum. Nam de ipso cum præmissum esset, *dabit Dominus signum*, quasi quærentibus quod signum, intulit contextus Prophetæ, verbis tamen Evangelistæ: *Ecce virgo concipiet & pariet filium:* ut plane aut consequentia vel veritate contextus careat; aut (quod est probabilius) mendacium Judæorum latebram non habeat. Merito proinde cum jam *generatio* F *prava & adultera signum quærit, signum non datur ei, nisi signum Jonæ*, ut videlicet qui ob perversitatem mentis non ædificantur signo virtutis, scandalizentur signo infirmitatis, triduanæ scilicet sepulturæ & mortis. Nam verbum crucis & mortis Judæis qui pereunt, scandalum est: his autem qui salvi fiunt; id est nobis, virtus Dei est: nec minor aut infirmior nobis est filius hominis in corde terræ, quam in consessu paternæ dexteræ. Signum quippe quod illi recusaverunt, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra, nos fide plena ac veneratione devota suscipimus, agnoscentes filium quem concipit

Marginalia (right): Isa. 7. c — Judæorum malitia non agnoscentium Christum de Virgine natum. — Psal. 65. a — Isa. 7. c — Item signa præpostere recusantium & postulantium. — Matth. 16. a — Isa. 1. b — Isa. 7. b — Psal. 85. d — Isa. 7. c — Luc. 1. c — Matth. 16. a — 1. Cor. 1. d — Signum Jonæ Judæis datum quale.

Virgo, in profundo inferni signum nobis esse liberatio- A nis & veniæ: in excelsum supra, signum & spem exsultationis & gloriæ. Qui enim primum descendit in inferiores partes terræ, [Eph. 4. d] ut in sanguine testamenti sui extraheret vinctos de lacu in quo non est aqua, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia. Jam levavit Dominus signum primum in patibulo crucis, postmodum in throno regni: & exaltavit signum ad populos nationum, quia contradictum est ei à populo Judæorum, & quotidie à quatuor ventis congregat dispersos veri Israël ad hoc signum. O Radix Jesse, qui stas in signum populorum, super quem jam continent reges os suum, obstruatur etiam os loquentium iniqua, id est, Judæorum blasphemantium, qui adhuc signo immaculato concep- B tus tui contradicunt, & nec Angelo Gabriëli credunt, dicenti, [Luc. 1. d] quia non est impossibile apud te omne verbum. Beata quæ credidit, cui hæc ratio satisfecit, & cum quæsisset quomodo Filium susciperet, quæ non cognosceret virum, tam de integritate quam de prole securam deinceps effecit.

4. Quicquid ergo garriat impietas infidelium, nobis concipiat & pariat Virgo Filium: nos quippe signum habemus in bonum, etiam Matrem & Filium. Nobis plane Mater tota miraculum est, quæ singulariter & sine exemplo mater est & virgo: nobis Filius totus miraculum, qui non solum singulariter, sed incomprehensibiliter Deus est & homo. Mater virgo concipiens, & pa- C riens, signum nobis est, quia Deus est homo iste qui concipitur & paritur: Filius divina faciens, & humana patiens, signum nobis est, quia in Deum transferet hominem, pro quo concipitur & paritur, etiam & patitur. [Infirmitatum omnium quas pro nobis Christus suscepit, maxima quæ.] Omnium tamen humanarum infirmitatum vel injuriarum quas pro nobis pertulit divina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate fere maximam existimo, quod in utero concipi, in utero novem mensium tempore majestas illa incircumscripta passa est contineri. Ubi enim sic se exinanivit, aut quando ita penitus à semetipso defecisse visus fuit? Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur: nullo signo visibili majestas quæ clausa latet, proditur. Non D sic in cruce visus est infirmus, ubi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus: quando & moriens glorificat latronem, & exspirans inspirat Centurionem: quando horarius dolor passionis ei non solum compati fecit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In utero autem sic est quasi non sit: sic omnipotens virtus vacat, quasi nihil possit, & Verbum æternum sub silentio se premit.

5. [Silentii religiosi commendatio ab exemplo Christi] Vobis tamen, fratres, vobis illud silentium verbi loquitur, vobis clamat; vobis utique disciplinam silentii commendat. *In silentio* enim *& spe erit fortitudo vestra*, [Isa. 30. c] sicut Isaïas promittit, qui *cultum justitiæ* silentium [Ibidem 32. d] E diffinivit. Sicut namque puer ille conceptus in utero ad maturitatem partus sub alto & diuturno profecit silentio, sic & spiritum hominis disciplina silentii nutrit, format & roborat: & quanto occultius, tanto tutius & salubrius incrementum præstat. Nescit homo animalis [Eccl. 11. b] qui non percipit quæ sunt spiritus Dei, quæ sit via spiritus, & quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis: sed *non occultatum os meum à te*, ait sanctus Deo, [Psal. 138. c] *quod fecisti* mihi *in occulto* mentis, sub secreto silentii. [Silentii quanta virtus.] Sed nec à vobis occultatum est hoc mysterium, fratres mei, quorum experientia & confessio testis mihi est, quomodo quietus, & modestus spiritus sub silentio roboretur, pinguescat & floreat: quomodo e contrario per F verba velut quadam paralysi dissolvatur & defluat; quomodo macrescat, & marcescat, & aridus decidat. Denique si in silentio fortitudo non esset, Salomon nequaquam dixisset: [Prov. 25. d] *Sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* [Silentio religioso quæ conveniat occupatio.] Ceterum si quæris quo negotio sit occupanda mens in silentio, nihil tibi imponimus onerosum: comede panem tuum, sicut & ipse Dominus conceptus suo tibi commonstrat exemplo. Quid enim Propheta de eo dixit, cum loqueretur de porta orientali semper clausa in domo

A Domini, quæ tamen Deum Israël admisit & emisit? *Princeps ipse*, inquit, *sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino.* [Ezech. 44] *Sedebit*, inquit *in ea*, quoniam requiescet in ea, de qua & ipse loquitur, *Hæc requies mea*: [Psal. 131] sedebit in ea tamquam in throno grandi: quem, sicut alias [3. Reg.] dixi, Salomon rex sibi de ebore fecit. Si attendas angustias uteri, locus prorsus angustus est: si latitudinem cordis, thronus grandis est, propter quam etiam uterus tantæ majestatis capax factus est. In ea ergo princeps sedit & panem comedit: quia *si quis*, inquit, *aperuerit* [Apoc. 3.] *mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.*

6. [Christus panis.] Non est hæc cœna sine pane, quando & ipse qui cœnat, panis est vitæ: panis qui hodie descendit de B cælo, & dat vitam mundo. Sed res mira, si idem est qui cœnat, & quod cœnatur: & qui comedit, ipse est panis qui ab eo comeditur. Revera res mira, sed res vera: quia Christus non alio pane quam se ipso pascitur. Ipse namque totus est panis, Verbum propter se, caro propter unionem Verbi. Alioquin *caro non prodest quicquam*, [Johann. 6] cum *spiritus sit qui vivificat*: nec *in solo pane vivat homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* [Matth. 4] Omne verbum procedens de ore Dei unum & unigenitum est Verbum Patris, quod cum simplex sit, in se tamen continet rationem & formam omnis verbi divini. Verbum itaque pascitur de Verbo, Filius vivit de seipso: quia sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & C Filio vitam habere in semetipso. [Johan. 5] Alia tamen ratione, sed tamen ineffabili beatitudine, Verbo pascebatur anima illa, Verbo ipsi in persona conjuncta: & incomparabili felicitate princeps ille sedens in porta virginalis uteri, panem verbi coram Domino comedebat. Id igitur operis tu quoque, si sapis, in silentio tuo actitabis: ut panem verbi divini comedas coram Domino, conservans, sicut Maria, quæ de Christo dicuntur, & conferens in corde tuo. [Luc. 2.] Hunc panem tecum Christus manducare delectabitur: & qui te pascit, ipse in te pascetur: & panis ipse quo plus editur, plus abundabit edendus: [Nota] quia gratia non minuitur usu, sed augetur.

7. In hoc propterea tibi sit exemplo Jesus conceptus D & gestatus in utero: ut sicut onus illud leve ac suave etsi gravidavit, non tamen gravavit uterum Mariæ; sic te non sentiat gravem aut molestum uterus Ecclesiæ. Gravida est, ô Fratres, Ecclesia, non sicut Maria solo Jesu, [Ecclesia nos & malos complectitur.] sed sicut Rebecca Jacob & Esaü: non solum scilicet bonis & modestis, sed etiam dyscolis & indisciplinatis: quos tamen & ipsos propter nomen Jesu, vel forsitan aliquod initium substantiæ ejus Ecclesiæ viscera suscipiunt & amplectuntur. Sed cum sese collliderent parvuli discordes in utero Rebeccæ, quæ prius oraverat ut conciperet, dolensque ventrem suum à tribulatione malorum & dolore, pæne pœnitebat quod concepisset: *Si* [Gen. 25] *sic*, inquit, *futurum mihi erat, quid necesse erat concipere?* E Si de aliquo nostrum, Fratres, sic conqueri contigerit viscera matris nostræ, timeo ne melius fuisset si conceptus non fuisset homo ille: nisi quod nec de talibus sinit nos desperare, qui etiam de lapidibus suscitat filios Abrahæ. [Luc. 3.] Ipse in eis, si qui tales sunt, emolliat cor lapideum, ne quatiant viscera matris: ipse viscera matris consoletur, ne fatigetur eos qualescumque sint portare, donec formetur in eis Christus, qui perfectus Deus, perfectus homo vivit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

### SERMO I.

F 1. HOc *sentite in vobis, quod & in CHRISTO JESU, qui cum in forma Dei esset, &c.* [Phili. 2.] Audiat servus nequam & fugitivus, hominem dico; qui cum esset in natura & conditione servili & necessitate serviendi, servire detrectans, arripere sibi conatus est libertatem & æqualitatem Domini sui. CHRISTUS cum in forma DEI esset, non rapina, sed natura æqualis, quia coomnipotens, coæternus, & consubstantialis, exinaniens semetipsum, non solum formam servi accepit in similitudinem hominum factus, sed etiam ministerium servi implevit,

humilians semetipsum, & obediens factus Patri usque ad mortem: mortem autem crucis. Sed parum tibi videatur, quod cum esset filius & coæqualis, tamquam servus servivit Patri, si non & servo suo plusquam servus servivit. Factus quidem erat homo, ut serviret Creatori. Et quid justius quam ut servias illi, à quo creatus es, sine quo nec esse potes? Et quid beatius aut sublimius, quam servire illi, cui servire regnare est? Non serviam, inquit homo, Creatori. Ego igitur serviam tibi, inquit, Creator, homini. Tu recumbe: ego ministrabo, ego tibi pedes lavabo. Tu quiesce: ego languores tuos feram, infirmitates portabo. Utere me, ut libet, in omni necessitate tua, non modo ut servo tuo, sed etiam ut jumento tuo, ut peculio tuo. Si fatigatus aut oneratus es, ego te & onus tuum feram, ut legem meam primus impleam. *Alter*, inquit, *alterius onera portate, & sic adimplebitis legem CHRISTI.* Si esuris, aut sitis, & ad manum forte nihil melius habes, nec alter tibi vitulus æque saginatus præsto est; ecce ego paratus immolari, ut carnes meas comedas, & sanguinem bibas. Nec verearis ex morte servi damna servitii ejus pati, etiam comestus & bibitus, manebo tibi integer & vivus, serviamque ut prius. Si in captivitatem ductus aut venumdatus es, ecce vende me, teque pretio mei, vel meipso pretio redime. Vile quidem mancipium videor; sed etsi noctu & clanculo distrahar quasi res furtiva: etsi ab avarissimis Judæorum sacerdotibus emar, attamen saltem triginta argenteos appretiari potero: hoc pretio mei poterit emi sepultura peregrinorum, me pretio vita sepultorum. Si infirmaris, & mori times, ego moriar pro te: ut de sanguine meo tibi conficias medicamenta vitæ.

2. Euge serve bone & fidelis, servisti revera, servisti in omni fide & veritate, servisti in omni patientia & longanimitate. Non tepide, qui exsultasti ut gigas ad currendam viam obedientiæ: non ficte, qui etiam animam post tot & tantos labores superimpendisti: non murmurose, qui innocens flagellatus, nec os aperuisti. Scriptum est, & justum est: *Servus sciens voluntatem domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis.* Sed iste servus, obsecro, quid non dignum fecit: quid debuit facere & non fecit? *Bene omnia fecit*, clamant qui facta ejus observabant, *& surdos fecit audire & mutos loqui.* Omnia fecit digna, & quomodo sic omnia passus est indigna? Dorsum posuit ad flagella, plagis vapulavit non paucis nec parvis, indicio sunt sanguinis rivuli qui de tot partibus profluunt corporis. Contumelia & tormento interrogatus fuit, veluti servus aut latro subditus quæstioni, qua confessio extorqueatur criminis. O detestabilem superbiam hominis servire contemnentis, quæ alio exemplo non poterat humiliari, nisi servitute & tali servitute Domini sui. Et utinam vel sic possit, utinam vel nunc habeat & referat gratiam tantæ humilitati ac bonitati. Sed, ut mihi videtur, adhuc audio eumdem Dominum apud Isaïam conquerentem de ingratitudine nequam servi, ubi scilicet ait: *Non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi prabui in thure.* Verumtamen me servire fecisti in peccatis tuis: laborem præbuisti mihi iniquitatibus tuis. Et quem laborem? Usque ad defatigationem, esuriem & sitim, sed usque ad sudorem, sudorem autem sanguinis decurrentis in terram: sed usque ad mortem, mortem autem crucis, ne omnia modo replicem, quod alapis cæsus, sputis illitus, coronatus spinis, confixus clavis, lancea perforatus, aceto & felle potatus. Hoc *torcular*, inquit, *calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Vos ergo qui statis tota die otiosi, attendite & videte si est labor sicut labor meus.

3. Utique valde laborasti, Domine mi, in serviendo mihi: justum profecto & æquum esset, ut alterm de cetero tu quiesceres, tuusque tibi servus vel ordine vicis suæ, quia ad ipsum ventum est, serviret. Quam magno, Domine mi, inutile tibi meum redemisti, qui nec ministeriis indiges Angelorum? Quam suavi & benigna arte pietatis recuperasti tibi & subdidisti contumacem servum, vincens in bono malum, humilitate confundens superbum, beneficiis obruens ingratum. Sic nimirum, sic sapientia vincit malitiam; sic carbones ignis congessisti super caput contumacis, quibus accenderetur ad pœnitentiam. Vicisti ergo, Domine, vicisti rebellem: ecce do manus in vincula tua, jugoque tuo suppono cervicem. Dignare tantum ut tibi serviam, patere ut tibi laborem. Accipe me servum sempiternum, licet inutilem, nisi nunc quoque mecum sit & mecum laboret gratia tua, semper & præveniens & subsequens. Præveniat nos, prior ostendens humilitatis & patientiæ exempla: subsequatur nos adjuvans, ut imitetur ostensa. Quam felices nos, ô fratres mei, si super hoc audiamus consilium Apostoli. *Hoc sentite*, inquit, *in vobis quod & in CHRISTO JESU* præcessisse cognoscitis: hoc est, nullus extollatur supra se, sed magis humilietur infra se: qui major est, aliis serviat: si quis læditur, prior satisfaciat, in commune usque ad mortem quisque obediat. His vestigiis, fratres, sequemur Christum in forma Dei, in qua vivit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Aspiratio animæ Christo se mancipantis. — Philip. 2. a

## IN DOMINICA PALMARUM,

### SERMO II.

1. PAULUS doctor noster in fide & veritate, si hodie veniret ad nos, puto quia non judicaret se aliquid scire inter nos, nisi Jesum-Christum, & hunc crucifixum. In his siquidem diebus in quibus anniversaria dominicæ passionis & crucis memoria sollemniter celebratur, nihil ut arbitror, convenientius prædicatur, quam JESUS-CHRISTUS, & hic crucifixus. Nam & aliis quibuslibet diebus quid umquam potest prædicari fidelius? quid audiri salubrius? quid cogitari fructuosius? Quid enim tam pium fidelium affectibus, tam medicinale moribus, quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit & roborat, sicut crucifixi memoria? Loquatur ergo Paulus inter perfectos sapientiam in mysterio absconditam, mihi, cujus imperfectum vident etiam oculi hominum, loquatur CHRISTUM crucifixum: his quidem qui pereunt stultitiam, mihi autem & his qui salvi fiunt plane DEI virtutem, Deique sapientiam, mihi prorsus altissimam atque nobilissimam philosophiam, per quam infatuatam irrideo tam mundi quam carnis sapientiam. Quam perfectum me putarem, quam provectum in sapientia, si Crucifixi vel idoneus invenirer auditor, qui factus est nobis à DEO non solum sapientia, sed & justitia & sanctificatio & redemptio! Omnino si CHRISTO confixus es cruci, sapiens es, justus es, sanctus es, liber es. Annon sapiens, qui cum CHRISTO exaltatus à terra, sapit & quærit quæ sursum sunt? An non justus, in quo destructum est corpus peccati, ut ultra non serviat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibuit hostiam vivam, sanctam, placentem Deo? An non vere liber, quem Filius liberavit; qui de libertate conscientiæ illam liberam vocem Filii sibi assumere confidit, *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam?* Vere apud Crucifixum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, qui sic redimit Israël ex omnibus iniquitatibus ejus; ut principis hujus mundi calumnias liber evadere mereatur.

1. Cor. 2. a — Crucifixi memoria nihil salubrius. — 1. Cor. 1. d — Crucifixorum dotes. — Johan. 14. d

2. Sciat tamen, sciat quicumque est ille beatus & verus Israël, non esse hoc suæ meritum perfectionis, sed divinæ gratiam redemptionis: non scilicet quia peccatum non fecerit, nec inventus sit dolus in ore ejus: sed quia ille cujus hæc laus propria est, Christus scilicet, purgavit peccata illius, qui per sanguinem crucis suæ purgationem peccatorum faciens, ibi maxime triumphavit principatus & potestates, ubi abscondita erat fortitudo ejus. Erat abscondita, sed non perdita: quia crucifixus ex infirmitate, vivebat ex virtute Dei. Erat occulta, sed non erat otiosa: quia Crucifixus, veterem hominem in omnibus electis crucifigebat. Crucifigebat mundum Paulo, & Paulum mundo. Crucifigebat denique tyrannum hujus mundi, omnesque suæ antiquæ ministros tyrannidis. Hamum plane sub esca recondebat, qui sub infirmitate fortitudinem abscondebat. Ac perinde

Christi virtus occultata in cruce. — Gal. 6 d

ille homicida ab initio sitiens humanum sanguinem, dum irruit in infirmitatem, incidit in virtutem: morsus dum momordit, confixus dum Crucifixum appetivit.

3. Gratias cruci & clavis tuis, Domine Jesu: video perforatas fauces illius draconis, ut transeant liberati, qui etiam fuerant absorpti. Et qui fiduciam habebat quod influeret Jordanis in os ejus, fluvium quem absorbuerat, se non minima ex parte perdidisse frendens irascitur. De illis quippe faucibus nobis isti venerunt, qui hodie nobiscum nobilem ac magnificum crucis decantant triumphum. Plane de ore leonis liberati sunt, immo de ventre inferi regressi sunt. Irascatur ergo, fremat & tabescat de cujus dentibus præda erepta est: nam Christus gratulabitur quod non gratis crucifixus est. Lugeat Infernus & Mors: ille morsus, ista mortua: nam cæli lætantur, & exsultat Ecclesia, quod Christus infernum spoliat mortemque triumphat: In conversione nempe istorum triumphum suæ renovavit passionis, crucisque miracula suscitavit. In istis crux refloruit, hunc fructum pretiosum nunc etiam arbor vitæ tulit. Quomodo namque maneret sterilis, quæ non modo rigata, sed etiam vivifica facta est sanguine Salvatoris? jam non pœnitebit eum, quod in palmam ascendit: cum tantum tamque pretiosum de ea fructum collegerit. Hunc quippe fructum inter alios prævidebat, cum voluntarius ad crucem properabat, *Dixi*, inquit, *ascendam in Palmam, & apprehendam fructus ejus*. Paucis absolvit, quod voluntate passus sit, quod passione exaltatus sit, quod non sine fructu nostro passus sit. In dicto si quidem proponentis, arbitrii libertas; in ascensu, triumphi sublimitas; in apprehensione fructuum, redemptionis monstratur utilitas. Vos insensati Judæi, clamabatis quidem, Ascende calve, ascende calve: sed ordinationi ejus liberrimæ, qui sponte decreverat ascendere, non potuit furor vester nisi servire. Ascendit crucem voluntate; triumphavit in ea potestate; fructum ex ea collegit pietate. Uno igitur opere & Judæum irrisit, & diabolum peremit, atque Christianum redemit.

Job 40. c

Fructus crucis.

Cant. 7. b

4. Dicant igitur qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos: dicant, inquam, voce & mente magistri sui: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu-Christi*, in qua sapientia Dei nequam infatuavit consilium, justitia destruxit eum qui habebat mortis imperium, misericordia liberavit captivum. Merito prorsus, ô sapiens gloriator, gloriaberis in cruce Domini tui, cujus liberatus es triumpho, vivificatus mysterio, justificatus exemplo, munitus signo. Sic enim justæ rationis consequentia postulare videtur, ut exemplum Crucifixi ad justificationem suam imprimant moribus, qui signum crucis ad munimen sui imprimunt frontibus, & illius vivant lege, cujus armantur fide. Alioquin fallaciter miles characterem regis gestat, cujus præscriptum non observat: nec recte se tuetur illius signo, cujus non paret imperio. Vide autem quanta perversitas & abusio sit, ut inimici crucis Christi tueri se velint signo crucis Christi: dum securi sunt, luxuriantes contra pietatem crucis, cum in periculo deprehensi sunt, volentes esse defensi virtute crucis. Plane inimici crucis Christi sunt, amici ventris sui; quorum deus venter est; quorum idolum nummus est. Sciat tamen, sciat quicumque nunc fallaciter sibi Crucifixi signum usurpat, nequaquam se illo tueri poterit in illa necessitate suprema, quando jam non arbitrio hominum, sed judicio & ministerio Angelorum signabitur Thau super frontes virorum gementium & dolentium, ut discernantur salvandi à multitudine perditorum.

Psal 106. à
Gal. 6. d

Crucis signum frontibus impressum quid à nobis exigat.

Philip. 3. d

Quibus proderit.

Ezec. 9. b

5. Sed & Paulus dux ille strenuus militiæ Christianæ, fidelis signifer, qui stigmata Crucifixi in corpore suo portabat; nunc quoque in hac verorum ac falsorum militum confusione, signo utique notabili istos ab illis discernebat, cum dicebat: *Qui autem sunt Christi, carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Cauta prorsus & circumspecta diffinitio, ac velut formam referens de ipsius veritatis exemplari impresso. Nimirum quod impressum retinet vita, signantius exprimit lingua. Qui ergo Christo confixus erat cruci, de propriæ conscientiæ exemplari formam istam protulit: *Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Noverat vir multæ scientiæ & experientiæ, multos esse aut fore, qui crucifigerent concupiscentias carnis, & sinerent regnare vitia cordis, multos è contrario qui fiducia pacati cordis, negligerent mortificationem corporis. Sed sicut nonnumquam divina justitia spiritum sibi non subditum, contumeliis carnis licet afflictæ flagellat: sic plerumque corpus incrassatum recalcitrat, & nova bella spiritui jam quieto resuscitat. Eapropter vult Apostolus, ut crucifixis tam vitiis interioribus, quam concupiscentiis exterioribus, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctimoniam in timore DEI. Timor nempe DEI, velut quidam clavi in altum defixi, cruci nos configit, & velut affixus justitiæ continere nos facit, ut non exhibeamús membra nostra arma iniquitatis, sed justitiæ: & licet sit, non tamen regnet peccatum in nostro mortali corpore. Sane quod timor DEI comparetur configentibus clavis, sententia est David, qui ait *Confige* quasi à clavis, *timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui*. Si ergo nondum prævales ut vitia exstinguas, in hoc vult te esse sollicitum Apostolus, ut crucifigas. Non ait, *qui Christi sunt*, exstinxerunt vitia, quæ virtus paucorum est, sed *crucifixerunt*, sine quo salus nulla est: sicut præter crucem Christi, nulla redemptio est. Ideo namque Redemptor ad operandam & informandam salutem nostram hunc passionis modum elegit, ut redemptionis sacramentum, justificationis fieret exemplum: ut quomodo videlicet ipse similitudinem carnis peccati crucifixit, de peccato damnans peccatum: sic nos, immo multo magis nos, carnem peccatricem cruciemus, crucifigentes, etsi nondum exstinguentes in ea peccatum.

Gal. 6. d
Gal. 5. d

Crucifixio carnis nota militum Christi.

Timor cruci figit.

Psal. 118

Christus crucifixus nos docet crucifigere carnem.

6. Hic recordari potes, quia Moyses ad placandam iram Domini crucifixit principes Israëlitarum: Josue autem, qui & Jesus, quinque reges Amorrhæorum. Si enim iram Domini, quam meruimus, placare volumus, necesse est ut per continentiam nos cruciemus. Jesus autem noster qui nos in terram promissionis introducturus est, vitia quinque sensuum in nobis crucifiget, immo & exstinguet; si tamen, sicut est jussum, pendeamus in patibulis usque ad vesperum. Hujus enim perseverantiæ in cruce Salvator de seipso tibi curavit exemplum præbere, nolens consummari nisi in cruce, aut deponi de cruce ante vesperum tam diei ipsius quam vitæ suæ. Balaam dicebat: *Moriatur anima mea morte justorum*: tu vero dic: Moriatur anima mea morte Domini mei Jesu-Christi, & fiant novissima mea illius similia: ut videlicet in voluntaria cruce pœnitentiæ pendere merear usque ad terminum vitæ. Quanta fiducia de cruce Filii, in manus Patris spriritum commendabis, immo quanta clementia Pater suscipiet quem Filius commendabit! Filius namque qui causam animæ tuæ semel in cruce suscepit agendam, numquam eam agere desinit, apud Patrem semper interpellans. Vade securus; vade gratulabundus, ubi judex tuus est advocatus tuus: tantummodo signum crucis, mortificationem Jesu, quam circumfers in corpore tuo, secum deferat spiritus tuus. Dominus autem gloriæ qui pro vobis, Fratres, passus, in vobis est glorificatus, dignetur vos habere socios passionis & gloriæ, & gloriantes in cruce glorificet in ea claritate, quam habuit apud Patrem ante initium sæculorum, & habiturus est per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Num. 25
Jos. 10

Perseverantiam in cruce usque ad mortem exemplo Christi.
Num.

Vide sup. 1 Advent. fin. 1 apud sermo n. 3.

## DOMINICA IN RAMIS PALMARUM,

### SERMO III.

1. DEsiderium animæ nostræ speciosum forma præ filiis hominum, hodierna dies alia & alia specie repræsentat filiis hominum: utraque quidem specie spectabilem, in utraque desiderabilem & amabilem, quia in utraque salvatorem hominum: licet in una sublimem, in altera humilem: in ista gloriosum, in illa ærumnosum: in ista venerabilem, in illa miserabilem, si tamen dici decet miserabilis, qui miseriam suscepit dignatione miserationis: ut de miseria sua misericordiam præstaret

Duplici specie hodie Christus proponitur spectandus.

præstaret miseris, non ut qui sibi beatitudo est, misericordiam à miseris flagitaret. Ubi ergo miserandus videri voluit, ibi & amplius venerandus fuit. Sed *sustinui*, inquit, *qui simul contristaretur, & non fuit; qui consolaretur, & non inveni*. Ita qui miseratione omnium miser ultro fieri voluit, apud nullum fere miserationem invenit. Sed ubi, inquies, spectatur hodie sublimis & gloriosus: ubi humilis & ærumnosus? Vide processionem; audi passionem. In his evidenter agnoscere poteris, quod Isaias ait: *Sicut obstupuerunt super eum multi, sic inglorius erit inter viros vultus ejus, & forma ejus inter filios hominum.* Obstupuerunt multi de gloria quasi victoris triumphantis, cum Jerusalem ingrederetur; sed nihilo minus paulo post vultus ejus inglorius & despectus, cum pateretur. *Cum intrasset Jerosolymam*, ait Matthæus, *commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?* Cum pateretur, confusio faciem ejus operuit, ut vere confiteatur; *Exaltatus, humiliatus sum & confusus.* Sane quod hic se confusum dicit, intelligendum est secundum hoc quod alibi dicit de facie corporis: *Operuit confusio faciem meam*; quia non pepercerunt in faciem meam spuere, velare, percutere & illudere. Nam facies mentis, quæ semper & immobiliter habitabat cum vultu Dei, nec turbari poterat, nec confundi. *Dominus Deus*, inquit, *auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam, ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar.* In te enim Domine speravi, non confundar in æternum. *Confundantur* potius *illi, & non confundar ego: paveant, & non paveam ego.*

2. Si igitur, ut dicere cœperam, hodierna processio simul & passio considerentur, ibi plane videtur Jesus sublimis & gloriosus; hic humilis & ærumnosus. In processione namque cogitatur in honore regis: in passione spectatur in pœna latronis. Ibi circumdant eum gloria & honor; hic non est ei species neque decor. Ibi gaudium hominum & gloria plebis: hic opprobrium hominum & abjectio plebis. Ibi acclamatur ei, *Hosanna filio David, benedictus qui venit rex Israel:* hic inclamatur, *reus mortis*; subsannaturque quod se fecerit regem Israel. Ibi cum ramis palmarum ei occurritur: hic alapis palmarum in faciem cæditur, & arundine percutitur caput. Ibi præconiis sublimatur, hic saturatur opprobriis. Ibi certatim ei via sternitur vestimentis alienis; hic exuitur propriis. Ibi tamquam rex justus & salvator suscipitur in Jerusalem; hic tamquam reus & seductor damnatus ejicitur de Jerusalem. Ibi sedet in asino stipatus obsequiis: hic pendet in ligno crucis cæsus flagellis, confossus plagis, & desertus à suis. Ecce plusquam Job hic, cui tam repente, tam vehementer omnia semel in contrarium Deus vertit. *Sufferentiam Job audistis, finem Domini vidistis*, ait Jacobus Apostolus. Ac si diceret: Sufferentia Job fuit usque ad reditum substantiæ, sufferentia Domini usque ad exitum vitæ. Job quidem patienter damna sustinuit, sed mox in terra sua duplicia suscepit: Christus ut erat repletus miseriis, & inebriatus amaritudinibus, è mundo migravit. Itaque plusquam Job hic, qui de summa, ut putabatur, repente semelque dejectus felicitate, in extrema atque gravissima finem sortitus est calamitate. *Et hæc*, inquit, *passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces*, etiam pro crucifixoribus, ut eis ignosceret.

3. Annon igitur recte videbitur velut turbatus tanta tamque subita rerum mutatione Filius Patrem interpellare illa voce lacrymabili: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Certe manus tuæ fecerunt me, in voluntate tua deduxisti me, & paulo ante cum gloria suscepisti me; & sic repente præcipitas me? Elevans allisisti me, quasi super ventum ponens me, & elidens valde. Exaltatus, humiliatus sum & confusus: & eo confusus amplius, quo tunc exaltatus sublimius, & nunc humiliatus profundius; quantoque tunc altius elevatus, tanto nunc gravius allisus. Justum quidem est, ô Pater, ut qui se exaltat humilietur, & elatio indigni digna dejectione puniatur: sed numquid similiter justum erat, ut quem tu exaltaveras, ita confusibiliter humiliaretur, & gloriam quam humilitas meruerat, tanta sequeretur contumelia? Numquid mihi, Pater, iratus fuisti, quod vel ad horam hic me passus sum honorari; & illud etiam perexiguum quod susceperam de bonis hujus mundi, exsolvendum erat ante mortem in pœnis & contumeliis, ne postea mihi posset objici: Fili, suscepisti bona in vita tua? At qui tuus erat honor, ô Pater, honor erat Filii: quia qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Ecce exprobrant inimici tui Domine, exprobrant commutationem Christi tui: ecce gloriantur in contumelia mea & tormento, qui paulo ante cruciabantur gloria & honore meo. Numquid non respondebo exprobrantibus mihi verbum, ut sciant aliquando, qua dispensatione commutaveris Christum tuum, quo consilio sic exaltaveris mox humiliandum, vel humiliaveris exaltatum?

4. Respondebis, ô Domine Jesu; respondebis exprobrantibus tibi verbum, & verbum asperum: quando scilicet respondebit eis in facie arrogantia eorum, & arguet eos malitia eorum; videntes in quem transfixerunt. Cum enim *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna & majestate*, tunc scient quod modo nolunt credere: quia illius posterioris gloriæ, prior hodiernæ processionis gloria, mysterium fuerit & figura; sicut passionis contumelia, meritum & causa. Tunc intelligent, quia Christus nunc honoratus, nunc ludibrio habitus, his qui pereunt positus est in offensionem & ruinam, sicut his qui salvi fiunt in resurrectionem & doctrinam: quia quod sacramentum est redemptionis, simul est etiam documentum ædificationis. Sic enim postulabant merita superborum, ut eorum superbiæ & honor Christi fieret scandalum, & mors præcipitium: atque invidiam juste pereuntium gloria triumphantis excitaret, morientis pœna damnaret. Ceterum his qui salvi fiunt, id est nobis, omnino erat necessarium, ut Christus transiens viam hujus mundi, sequentibus se viam sterneret sicut per adversa, sic etiam per prospera: atque prius exaltatus, post humiliatus, suo traderet exemplo, qualiter modestia servaretur in honore, patientia teneretur in contumelia vel dolore. Ipse siquidem honorari potuit, inflari non potuit: voluit despici, sed nescivit aut pusillanimitate dejici, aut ira mordeti. Sicut enim alias cum vellent eum rapere & facere regem, ipse refugiens & in solitudinem ad orandum aufugiens, docuit exemplo quod dixit & verbo, ne scilicet velimus in sublime tolli: sic modo quadam alia dispensatione sese ad horam honorari patiens; & nihilò minus solitam, quia inolitam mansuetudinem in honore retinens, formam dabat his qui in potestate sunt constituti. Qui tamen ut discerent ea discretione per humilitatem esse mansueti, ut cum res postularet per zelum essent erecti; Dominus statim in templum regressus, flagello facto de funiculis vindicat injurias Patris, magisque eligit furorem sacerdotum in necem suam provocare, quam templi profanationem dissimulare.

5. Ut igitur, fratres, inoffenso pede tam per prospera, quam per adversa sequamur ducem nostrum, in processione consideremus eum in honore positum, in passione contumeliis & doloribus subditum: numquam tamen in tanta mutatione rerum mente mutatum, etsi vultum immutaverit coram Abimelech, id est regno * Judæorum: quam commutationem Christi cæcitas exprobrat perfidorum. De immutabili mentis illius statu dicit Scriptura: *Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol; nam stultus ut luna mutatur.* De mutatione faciei illius dicit alia Scriptura: *Sapientia hominis lucet in vultu ejus, & potentissimus faciem illius immutabit.* Prorsus in vultu tuo, Domine Jesu, qualitercumque videatur immutatus, sive gloriosus, sive inglorius appareat, lucet sapientia; de vultu tuo candor lucis æternæ radiat. utinam super nos lumen vultus tui Domine effulgeat! Vultus tuus sicut in tristibus, sic in lætis sibi modestus, serenus, ac totus arcano lumine cordis floridus: justis hilaris & jucundus, pœnitentibus clemens & pius. Intendite, fratres, in vultum serenissimi Regis. *In hilaritate vultus regis vita*, dicit Scriptura, *& clementia ejus quasi imber serotinus.* Aspexit in Protoplastum, & mox animatus spiravit in vitam: respexit Petrum, & mox compunctus respiravit ad veniam. Mox enim ut Dominus respexit

Matth. 24. c Quid nobis inde ad morum ædificationem.

Johan. 6. b

Matth. 21. b

* al. Rege.

Eccli. 27 b

Ecclesi. 8. a

Prov. 13. b Gen. 1 d Luc. 22 g Aspectus Christi quam efficax.

Petrum, Petrus de clementia piissimi vultus suscepit imbrem serotinum, lacrymas post peccatum. Lux vultus tui, ô lumen æternum, teste Job, non cadit in terram. *Job 25.* Quæ enim communicatio luci ad tenebras? *2. Cor. 6. c* Animæ potius fidelium radios illius excipiant, adspiretque bene consciis lætitiam, sauciis medicinam. Plane vultus triumphantis Jesu, qualis spectandus est in processione, lætitia & jubilus: vultus morientis, qualis cogitandus est in passione, medela & salus. *Qui timent te videbunt me*, inquit, *& lætabuntur*: *Psal. 118.* qui dolent se videbunt me, & sanabuntur, sicut aspicientes in serpentem ligno suspensum post venena serpentium. Te igitur, gaudium & salus omnium, seu videant sedentem in asino, seu pendentem in ligno, vota benedicant omnium: ut cum viderint regnantem in throno, laudent in sæcula sæculorum, cui laus & honor per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN DOMINICA PALMARUM.

### SERMO IV.

*Matt. 21. a* 1. HOsanna filio David. Vox exsultationis & salutis, vox gaudii & pietatis, vox fidei & amoris, adgratulans adventui Redemptoris, atque prophetico protestans gaudio desideratæ lætitiam redemptionis. *Hosanna filio David*, ait hæc familia David, salus est illi qui factus est ex semine David, ut salvet eos qui sunt ex fide David. Laudate, *laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* *Psal. 112. a* dicite; *Sit nomen Domini benedictum*, sit *benedictus qui venit in nomine Domini.* Ex ore istorum perfecisti, ô Pater, laudem Filii tui, ut incorrupto simplicis innocentiæ testimonio, destruas inimicum & ultorem, *Psal. 8 a* Pharisæum & Pontificem; non ultorem divinæ legis, ut mentita est iniquitas sibi, sed invidiæ propriæ & furoris. Sed convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet. *Psal 7 b* *Deus laudem meam ne tacueris*, *Psal. 108. a* ait Filius Patri: *quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est.* Nihil potest negare Pater Filio: non tacuit laudem Filii vox paterna sæpius audita de cælo, non tacuerunt creaturæ, in tot signis & prodigiis confitentes eum auctorem naturæ. Angeli testati sunt, dæmones confessi sunt, ordo propheticus voce consona sibi invicem respondentes cecinerunt. Sed ista demum perfecta laus est, quam ætas illa non tacet, quæ nescit adulari, & quod Spiritus suggerit, dissimulare non potest. *Laus Christi ex ore infantium perfecta.* Quid enim manifestius, quam quod illa ætas à semetipsa, tam nova, tam insolita, nec dicebat, nec faciebat: sed Spiritus-sanctus more suo per ora simplicium loquens, testimonium Filio perhibebat?

2. Plane Spiritus-sanctus conscius operum Christi, quid ille scilicet Christi pareret adventus, quid gaudii, quid salutis humano generi passio parturiret illius: præsaga in cordibus innocentium gaudia suscitabat, atque ad prophetandam mundo redemptionis lætitiam, simplicium sibi ministeria sensuum assumebat. Istos nempe Spiritus alloquebatur, vocans ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt: cum per Prophetam suum dicebat, quæ hodie per ipsum facta sunt: mandabat tunc, & nunc creata sunt. *Exsulta*, inquit, *satis filia Sion*, *Zach. 9. b* *jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper & ascendens super asinum.* Jam, inquit, exsulta satis, quæ hactenus in tristitia fuisti: jam te satia, si tamen satiari potes, gaudio ineffabili, quod sic desiderium satiat, ut amplius & felicius esurire faciat. Repleatur gaudio os tuum, & lingua tua exsultatione: cui si nec os, nec lingua possunt sufficere, superessfundat jubilus, quod non capit affectus. *Jubila*, inquit, *filia Jerusalem.* *Psal. 88. c* Beatus enim populus, qui scit jubilationem. Plane beatus populus, qui scit & intelligit hodie sibi ineffabiliter gaudendum, quando ei Salvator advenit promissus & exspectatus ab initio sæculorum. Beatus populus, qui tota alacritate devotionis hodie ei occurrit, corde simul & voce acclamans ei: *Matth. 21. a* *Benedictus qui venit in nomine Domini.* In hoc siquidem benedictus est à Patre Filius, ut qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur, non una scilicet, sed pluribus: quia nimirum benedictio quam Domino quis fœneratur, cum multiplici fœnore redit in caput ejus. Væ genti peccatrici, semini nequam, filiis sceleratis, ad quos spectat illa Domini querela terribilis: *Non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi, dicit Dominus.* *Jer. 15.* Judaïcus populus hic erat, qui in ratione dati & accepti communicare contempsit Domino, nolens benedicere benedictum Dei Patris, ut benediceretur ab eo; sed Samaritanum, *Johan 8* dæmoniacum vocans, insanis atque blasphemis Deum insectabatur maledictis, *Maledicent illi*, inquit, *& tu benedices.* *Psal. 10[8]* nam ab eis benedictio quam noluerunt, elongabitur ad gentes. Benedicite gentes Deum nostrum, quoniam qui prior fœneravit vobis, præveniens vos in benedictionibus dulcedinis, fœnerantibus sibi multiplices restituet usuras in benedictionibus beatitudinis.

3. Ego tamen vereor, fratres mei, ne forte hæc tempora teporis & infidelitatis tangat illa querela Domini: *Non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam.* *Jerem. 1[5]* quia videlicet gratia offertur, nec suscipitur: promittitur merces operi, & vix aliquis spe illius operatur. *Quomodo nobis [Deus] fœnera[t, &] nos De[o].* Dominus siquidem fœnerat, cum talenta servis partiens scientiam verbi vel gratiam cujuslibet muneris ad lucrum prærogat: Domino autem fœnerat jucundus homo qui miseretur & commodat, dicente Scriptura: *Fœneratur Domino, qui misericordiam facit proximo.* *Prov. 1[9]* Immo Domino fœneratur quicumque spe divinæ retributionis aliquid operatur, ut dicere possit: *Scio cui credidi*, *1. Tim.* scio qui dixit, *Si quid erogaveris, cum rediero reddam tibi.* *Luc. 1[0]* Nos autem aut nihil, aut ita timide gelideque fœneramus ei, quasi debitor infidelis sit, aut non habeat unde reddere possit. Magnæ prorsus fidei illa plebs Hebræa, quæ cum eum pauperem sedentem super asellum, & ipsum non suum cerneret; omni tamen securitate ac devotione fœnerabat ei, non solum vestimenta sua in via sternens, sed & se totam, quantum poterat, honori ejus impendens. Sed nimirum intelligebat super egenum & pauperem, quippe cui Propheta signum dederat intelligendi Salvatorem, ipsam qua superbis viluit, paupertatem. *Paupertas insigne [Sal]vatoris.* *Ipse*, inquit, *pauper, & ascendens super asinum.* *Zach. 9* Hoc, inquit, signo poteris venientem agnoscere Regem tuum, cujus regnum non est de hoc mundo: quia scilicet ad debellandam superbiam, quæ regnat in mundo, paupertatem seu humilitatem evangelizabit, sicut verbo, sic etiam exemplo.

4. Beata itaque filia Sion, quæ humilitatem tamquam armaturam cælestem, tamquam insigne regium didicit venerari. Misera mater ejus infidelis illa Sion, quæ cum humilem vidit, fastidivit: cum honoratum vidit, invidit. Beata, inquam, Ecclesia primitivorum, quæ tam fideliter agnovit, tamque gratanter suscepit venientem in nomine Domini: infelix Synagoga perfidorum, quæ venturum in suo nomine parata suscipere, illius qui Patris gloriam quærebat, cruciabatur honore. *Increpa*, inquiunt *discipulos tuos.* *Luc. 19* quasi scilicet aut illorum simplicitas posset adulari, aut ipsius puritas vanis posset laudibus delectari. *Dico*, inquit, *vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*; *Ibidem.* quia Deus laudem meam non tacebit. Prorsus ita est, si tacuerint, lapides clamabunt: quia tempore passionis isti tacuerunt, sed lapides clamaverunt; dum in testimonium & laudem morientis, *petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Prorsus ita est, quia modo tacente Synagoga, juxta illud: *Nocte tacere feci matrem tuam*, *Matt. 2[7]* *Osee 4.* clamat vivis ex lapidibus Gentium Ecclesia, clamant plane lapides, de quibus suscitavit filios Abrahæ qui potens est. *Laudate*, inquit Propheta, *habitatores petræ, de vertice montium clamabunt.* *Isa. 42.* Ecce hodie in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ vox columbæ resonat, clamantis & dicentis: *Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini.* *Matth. 2[1]*

5. Benedictus, qui ut nidificare possem in foraminibus petræ, manus, pedes & latus perforari sibi tulit, & se mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscondito tabernaculi sui. *Christi [vul]nera, a[sylum] fidelium* Opportunum quidem petra refugium erinaciis, sed & habitatio grata columbis, cujus foramina tot

vulneribus toto fere corpore patentia, & veniam offe- A runt reis, & gratiam conferunt justis. Immo vero tuta habitatio, fratres mei, turrisque fortitudinis à facie inimici, pia ac sedula meditatione Christi Domini vulneribus immorari, fideque & amore Crucifixi, animam ab æstu carnis, à turbine sæculi, ab impetu diaboli contutari. Super omnem gloriam mundi protectio hujus tabernaculi, videlicet in umbraculum diei ab æstu, in securitatem & absconsionem à turbine & à pluvia: ut per diem sol non urat te prosperitate, nec turbo moveat in tempestate *Ingredere* igitur *in petram*, ô homo, *abscondere in fossa humo*; pone tibi latibulum in crucifixo. Ipse petra, ipse humus, quia Deus & homo: ipse petra forata, humus fossa, *quia foderunt manus meas*, inquit, *& B pedes meos. Abscondere,* inquit, *in fossa humo à facie timoris Domini:* hoc est, ab ipso fuge ad ipsum, à judice ad redemptorem, à tribunali ad crucem, à justo ad misericordem; ab eo qui percutiet terram virga oris sui, ad eum qui inebriat terram stillicidiis cruoris sui; ab eo qui spiritu labiorum suorum interficiet impium, ad eum qui sanguine vulnerum suorum vivificat exstinctum. Quinimmo non ad ipsum tantum, sed in ipsum fuge, in foramina petræ ingredere, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fosso latere te ipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere Arcæ salvandis à facie diluvii? Illud tamen figura, istud autem veritas: ubi non modo servatur vita mortalis, sed C recuperatur immortalis. Ideo quippe latus suum pius & misericors aperuit, ut cruor te vulneris vivificet, calor corporis refocillet, spiritus cordis quasi patenti & libero meatu adspiret. Ibi tuto latebis, donec transeat iniquitas: ibi nequaquam algebis, eo quod in visceribus Christi non frigescat caritas: ibi deliciis afflues, ibi gaudiis supereffiues: vel tunc demum cum à vita capitis tua & omnium membrorum corporis ejus absorpta fuerit mortalitas.

6. Merito itaque columba Christi, formosa Christi, cui ipsius vulnera tam tuta, quam grata ad nidificandum paravere foramina, laudes ipsius utique hodie lætabunda decantat, ac de passionis memoria vel imitatione de D vulnerum meditatione, tamquam de foraminibus petræ vox suavis in auribus sponsi resonat. Ceterum vobis, fratres mei, qui tanto interius nidificastis in foraminibus petræ, quanto secretius vivitis in Christo, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*; vobis incumbit omnino, ut quorum est conversatio quietior & tutior, sit etiam devotio dulcior, præsertim hodie, cum & recursus temporis & repræsentatio operis, velut interesse nos facit illi gaudio sollemni, quo susceptus est in Jerusalem; *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Ipsi benedictio, regnum & imperium, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

## DE RESURRECTIONE DOMINI, E

### SERMO I.

1. NUntiaverunt *Jacob, dicentes: Joseph vivit. Quo audito, revixit spiritus ejus, & ait: Sufficit mihi, si Joseph filius meus vivit. Vadam & videbo eum, antequam moriar.* Dicetis forsitan mihi: Bene. sed quid ad rem? Quid de Joseph ad gaudium hujus diei, ad gloriam resurrectionis Christi? Pascha est, & tu iterum apponis quadragesimalia? Agnum paschalem esurit anima nostra, cui se per tam longa præparavit jejunia. Ardens est cor nostrum in nobis de Jesu, Jesum desideramus: sed nondum meremur ipsum videre, vel de ipso audire. F Jesum, non Joseph esurimus; Salvatorem, non somniatorem; dominatorem cæli, non Ægypti: non qui pavit ventres, sed qui pascit mentes, sed esurientes. In hoc saltem nos adjuvet sermo tuus, ut quem esurimus, amplius esuriamus. Legimus enim: *Beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur.* Cum audimus, magis esurimus. Nam & qui epulas commendat, famem irritat. Si de Jesu audierimus, auditui nostro dabitur gaudium & lætitia, & exsultabunt ossa humiliata. Humiliata sunt ossa nostra quadragesimali afflictione & luctu, magis autem dolore passionis ejus: sed exsultabunt nuntio resurrectionis ejus. Cur ergo tuum Joseph nobis ingeris, cum præter Jesum, quicquid loquaris, non sapiat nobis; præsertim hodie, cum paschalis agnus comeditur; cum Pascha nostrum immolatus est Christus?

2. Ovum sive nucem apposui vobis, fratres: frangite testam, & invenietis escam. Joseph discutiatur, & Jesus invenietur agnus paschalis, quem esuritis: qui tanto dulcius comeditur, quanto latens abstrusius, & studiosius quæritur, & difficilius invenitur. Dicitis mihi: Quid Joseph ad Christum? quid historia quam proposui ad diem istum? Multum per omnem modum. Historiam recordamini, & ultro sese vobis revelabit pietas mysterii, si modo Jesum interpretem habeatis, qui hodieque resurgens, de occidente littera loquitur suis in via, & aperit Scripturas. Quis enim in omnibus Patriarchis & Prophetis manifestius aut signantius quam Joseph figuram exprimit Salvatoris? Et ut breviter summam perstringam secundum illud, *Da occasionem sapienti, & addetur ei sapientia*; si cum fide ac pietate cogitemus interpretationem nominis ejus: deinde quod præ ceteris fratribus *pulcra facie & decorus aspectu*: quod innocens actu, prudens intellectu; quod venditus à suis, suos à morte redemit: quod prius humiliatus usque ad ergastulum, & sic exaltatus usque ad solium: quod denique pro merito operis sui novo nomine appellatus est inter gentes, *Salvator mundi*: si hæc omnia, inquam, pie ac fideliter cogitemus; nonne incunctanter agnoscimus, quam vere sit à Domino dictum; *In manibus Prophetarum assimilatus sum?*

[Joseph typus Christi. — Prov. 9. b — Gen. 39. b — Gen. 41. f — Osee 12. c]

3. Jam vero si veniamus ad verba illa quæ de historia proposui, puto quia non tam expositione indigebunt, quam admirationem & gaudium movebunt; quod videlicet tam evidenter resurrectio Christi testificata sit à Lege & Prophetis; & historia vetus tam proprie nova sacramenta loquatur, ut cum prophetia legitur, pæne Evangelium mutatis dumtaxat nominibus audiri videatur. *Nuntiaverunt*, inquit, *Jacob dicentes, Joseph vivit.* Quid aliud hic intelligere possum, nisi nuntiaverunt Apostolis dicentes, Jesus vivit? Jacob namque nihil aliud quam Apostolorum chorum intelligo. nec absurde, ut arbitror: non solum quia de Jacob orti sunt, non solum quia de Jacob Israël facti sunt, cum de lucta activæ ad visionem & requiem contemplativæ transierunt; sed etiam quia Patres sunt multitudinis credentium, id est, verorum Israëlitarum, sicut ille carnalium. Sicut ille, sic isti suum Joseph cum putarent periisse, inconsolabiliter doluerunt: cum audissent vivere, difficulter & tarde crediderunt: cum cognovissent, ineffabiliter gavisi sunt. *Nuntiaverunt*, inquit, *Jacob dicentes: Joseph vivit. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis.* Quasi aliis verbis mihi videtur dictum, quod in Evangelio legitur scriptum: *Illa vadens*, haud dubium, quin Maria Magdalene, *nuntiavit his qui cum ea fuerant lugentibus & flentibus: & illi audientes quia viveret, & visus esset ab ea, non crediderunt. Post hæc ostensus est duobus in via, & illi exeuntes nuntiaverunt ceteris, nec illis crediderunt.* Item apud Lucam: *Et regressæ à monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus: & visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis:* nimirum quia evigilabant de gravi somno tædii & desperationis. *Cum autem*, inquit, *vidisset Jacob universa quæ Joseph miserat ei, revixit spiritus ejus, & ait: Sufficit mihi, si Joseph filius meus vivit. Vadam & videbo eum, antequam moriar.* Sic utique in Apostolis parum profecerunt verba, donec acceperunt munera. Nam & ipse Jesus cum se eis præsentem exhibuit, non tam persuasit ostensione corporis, quam adspiratione muneris.

[Mira symphonia Legis & Evangelii. — Josephi exaltatio Christo resurgenti applicatur. — Gen. 45. g — Marc. 16 b — Luc. 24. a — Gen. 45. g]

4. Scitis quia cum venit ad eos januis clausis, & stetit in medio eorum, *illi conturbati & conterriti existimabant se spiritum videre.* Cum autem insufflavit in eos, dicens, *Accipite Spiritum-sanctum*; vel cum cælitus misit eumdem Spiritum, sed aliud donum; hæc utique dona, resurrectionis & vitæ indubitata testimonia fuerunt & argumenta. Spiritus enim est qui testificatur apud Sanctorum corda & per eorum ora, quoniam Christus

[Luc. 24. c — Johan. 20. e]

est veritas; vera resurrectio & vita. Ideo & Apostoli A qui prius dubitabant etiam post intuitum corporis viventis, post gustum spiritus vivificantis, virtute magna reddebant testimonium resurrectionis. Adeo plus est corde Jesum concipere, quam oculis videre, vel auribus de ipso audire; tantoque potentior est operatio Spiritus apud sensus hominis interioris, quam corporalium apud sensus exterioris. Quis enim dubietati relinquatur locus, ubi qui testificatur, & cui testificatur, unus fuerit Spiritus? Si unus Spiritus & unus sensus, parque consensus. Tunc ergo vere, sicut de Jacob legitur, revixit eorum spiritus, qui jam propemodum luctu erat exstinctus, immo desperatione sepultus. Tunc (nisi fallor) quisque eorum dicebat sibi, Sufficit mihi quod Joseph meus vivit: quia B vivere mihi Christus est, & mori lucrum. Vadam igitur in Galilæam, in montem ubi constituit nobis Jesus; & videbo eum, & adorabo antequam moriar, ut postea numquam moriar: quia omnis qui videt Filium & credit in eum, habet vitam æternam, ut etiam si mortuus fuerit vivat.

Christum mente concipere, præstat quam oculis videre.

*Johann. 6. e Johann. 11. c*

5. Nunc ergo, fratres mei, quid vobis testatur gaudium cordis vestri de amore Christi? Puto equidem (an recte, vos videritis) quoniam si umquam amastis Jesum, seu vivum, seu mortuum, sive redivivum; hodie cum tam crebro in Ecclesia personant & consonant nuntii Resurrectionis, cor vestrum in vobis gloriatur sibi, & dicit: Nuntiaverunt mihi, dicentes: Jesus Deus meus vivit. C Quo audito revixit spiritus meus, qui dormitabat præ tædio, vel languebat tepore, aut nimia deficiebat pusillanimitate. Nam & de morte suscitat criminosos jucunda vox hujus felicis nuntii. Alioquin certe desperandus est & oblivione sepeliendus, quem Jesus regrediens ab inferis, in infimo reliquit inferni. In hoc sane noveris, quod spiritus tuus plene in Christo revixerit, si quod sequitur ex sententia dixerit: Sufficit mihi, si Jesus vivit. O vocem fidelem & plane dignam amicis Jesu! ô castissimum affectum, qui sic loquitur: Sufficit mihi si Jesus vivit. Si vivit, vivo, cum de ipso pendeat anima mea: immo ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid enim mihi deesse poterit, si Jesus vivit? Immo desint omnia D alia, nihil interest mea, dummodo Jesus vivat. Ipse ergo, si placet ei, desim mihi: sufficit mihi, dummodo vivat ipse vel sibi. Cum sic amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, ut negligens & immemor sui nonnisi Jesum-Christum, & ea quæ sunt Jesu-Christi sentiat; tunc demum, ut arbitror, perfecta est in eo caritas. Huic utique qui sic affectus est, non est onerosa paupertas: iste non sentit injurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat; immo nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat, & fidenter dicat: Vadam & videbo eum, antequam moriar.

Verum hominis solatium de Christo redivivo.

6. Nos tamen, fratres mei, licet non simus tantæ nobis puritatis conscii, eamus nihilo minus, eamus videre E Jesum in montem Galileæ cælestis, ubi constituit nobis. Eundo crescet affectus, & saltem perveniendo perficietur. Eundo, via prius arcta & difficilis dilatatur, & virtus infirmis augetur. Ut enim nec Jacob, nec aliquis de domo Jacob se excusaret à via, præter alia munera, missa sunt pauperi seni sumptus & vehicula, ne quis videlicet aut paupertatem causaretur, aut infirmitatem. Caro Christi est viaticum, spiritus vehiculum. Ipse est cibus, ipse currus Israel & auriga ejus. Cum perveneris, tua sunt optima quæque, non Ægypti, sed cæli: in optimo loco regni, tuus Joseph tibi requiem providit. Qui prius misit Angelos, Mulieres, & Apostolos resurrectionis suæ testes & nuntios: nunc ipse clamat è cælo: Ecce ego quem F mortuum lugebatis hoc triduo, mortuus quidem fui propter vos, sed ecce vivo, & data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Venite ad me qui laboratis fame, & ego reficiam vos. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paravi. Qui vos eò vocat, ipse perducat, ubi cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Similitudo elegans.

*Matth. 28. d Matth. 11 d Matth. 25. c*

## DE RESURRECTIONE DOMINI, SERMO II.

1. **B***Eatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. Ego sum*, inquit Jesus, *resurrectio & vita*. Ipse utique resurrectio prima, ipse & resurrectio secunda. Resurgens quippe à mortuis primitiæ dormientium Christus, & sacramento suæ resurrectionis operatus est nobis resurrectionem primam, & exemplo ejusdem suæ resurrectionis operabitur nobis secundam. Prima enim est animarum, cum eas sibi conresuscitat in novitatem vitæ: secunda erit corporum, cum reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Recte igitur resurrectionem & vitam Christus se profitetur: quandoquidem per ipsum, & in ipsum resurgimus, ut secundum ipsum, & apud ipsum vivamus: nunc quidem secundum ipsum in sanctitate & justitia; postmodum apud ipsum in beatitudine & gloria. Porro sicut resurrectio prima capitis nostri Domini Jesu-Christi, causa est & argumentum secundæ resurrectionis, quæ erit totius ipsius corporis: sic unicuique nostrum prima resurrectio animæ, qua reviviscit à morte peccati, argumentum est & causa secundæ suæ resurrectionis, qua corpus liberabitur non modo à corruptione mortis, sed etiam ab omni corruptibilitate mortalitatis. Quod enim hæc illius argumentum & causa sit, Apostolus evidenter ostendit, ubi ait: *Si spiritus Christi habitat in vobis, qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.*

*Apoc. Johan.* Resurrectio duplex, prima animæ, secunda corporis.

*Philip.*

Prima causa secundæ.

*Rom.*

2. Bene igitur dicitur: *Beatus & sanctus qui habet partem in prima resurrectione.* Sanctus videlicet, propter primam quam jam adeptus est per innovationem animæ; beatus, propter secundam quam feliciter exspectat in corporis restitutione. Denique unde beatus sit, eadem aperit Scriptura, cum subdit: In his scilicet *qui partem habent in prima resurrectione*, mors secunda non habet potestatem, etiamsi prima mors visa est ad horam in eis exercuisse dominationem. Regnavit quippe mors ab Adam usque ad Moïsen, etiam in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Sed sicut *Christus*, sic & Christianus *resurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Itaque in beatis illic nec mors secunda potestatem habebit, nec prima potestatem quam ad tempus habuit, retinebit: quoniam mors una Christi utramque nostram triumphavit, ab ista liberans jam captos, ab illa capiendos: ne videlicet in illam incidamus, nec in ista remaneamus. Quam vera, quam pia simul & magnifica illa morientis comminatio! *Ero mors tua ô mors.* Quam pulcre & mirifice triumphavit, qui mortem pro omnibus gustans, tam suam quam omnium omnimodam mortem absorbuit! Prorsus absorpta est mors in victoria. Securus insultet ei quicumque beatus ille est, qui partem habet in resurrectione prima: *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?* Victa es quæ omnia vincebas: sed & arma perdidisti, in quibus confidebas. Ubi enim est stimulus tuus? *Stimulus mortis peccatum*, quod semel pungens humani radicem generis, in totam propaginem immedicabile mortis venenum diffudit, dicente Apostolo: *quia per unum hominem peccatum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransivit.* Victrix ergo regnabat mors ab Adam primo etiam usque ad secundum: quoniam sicut originali lege tenebatur universum genus humanum vinculo peccati, sic etiam debito moriendi.

*Apoc.*

*Rom. Ibid.* Christi utiamque nostram mortem vicit.

*Osee*

*1. Cor.*

*Ibid.*

*Ibid.*

*Rom.*

3. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam tam peccati, quam mortis: utique per Dominum Jesum Christum, qui prorsus à peccato immunis, ac per hoc liber à debito mortis: hanc tamen ultro pro nobis exsolvit moriens, & peccato nos absolvit resurgens. *Christus* enim, ait Apostolus, *mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Moriens namque delictorum nostrorum pendit pœnam, & resurgens justificationis perpetuæ nobis condidit formam & causam: ut quomodo videlicet *Christus resurgens à mortuis*

*Rom. 4*

*Rom. 5*

*jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*: sic A Christianus conresurgens Christo jam non peccet ad mortem, nec ei peccatum ultra dominetur. Hic est ille beatus & sanctus, qui partem habet in resurrectione prima, in quem nec potestatem habebit mors secunda, sed absorbebitur in victoriam resurrectionis Christi etiam mors prima. Hic est qui non solum agnovit, sed etiam apprehendit virtutem resurrectionis Christi, & societatem passionis illius: configuratus morti ejus, ut occurrat ad resurrectionem ex mortuis. Non errabat Apostolus, qui ob lucrum illud omnia quæ ei lucra fuerant, non solum detrimenta reputabat, sed etiam velut stercora arbitrabatur, tantum ut Christo inveniretur, configuratus sicut morti, sic & resurrectioni ipsius. Lucrosum omnino com- B mercium, contemnere ea quæ te deterunt & polluunt, ut lucrifacias Christum! immo, si opus sit, non solum tua, sed & teipsum superimpendere, ut cum tanto fœnore immortalitatis & gloriæ, teipsum merearis recipere. Quis enim ambigat lucrosum esse commercium, seminare corpus mortale, animale, ignobile; ut surgat immortale, spirituale, gloriosum? mori mundo, ut possis dicere, *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum?* O cupidi quid immoramini studio lucrandi? cur non discitis artem lucrandi? Cur non vilia, immo detrimenta & stercora contemnitis, ut Christum lucrifaciatis? *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* Ut video, vilior est vobis argento vestro panis C ille qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Sed non potest scire * quanti sit, qui non vult gustare qualis sit. Utinam avarus vel ipse sibi pretiosior esset pecunia sua, nec amore illius venalem exponeret animam suam, projiceretque in vita sua intima sua. Prudens ille negotiator dignusque rerum æstimator, Paulum nimirum loquor, qui nec animam suam, id est animalem sensualemque vitam, pretiosiorem fecit seipso, id est spiritu suo, quo videlicet connexus inhærebat Christo, paratus animam perdere, ut in vitam æternam posset eam custodire.

4. Quia igitur qui divitias habent, difficile intrant in regnum cælorum; & qui thesaurizant argentum, citius D appendunt illud in inanibus, quàm in panibus, in azymis dico sinceritatis & veritatis, cum quibus hodie comedendus est Agnus paschalis: vos beati pauperes, filii pauperis Crucifixi; vos, inquam, qui non habetis, argentum, properate, emite & comedite. Promptius omnino & facilius emunt bonum illud nihil habentes, quàm multa possidentes. Cum deest facultas, sufficit ad emendum bona voluntas: qua plerumque sunt ditiores, qui rebus sunt pauperiores. Hos nimirum recte invitat Scriptura: *Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione, vinum & lac.* Vides, ô felix pauper, solam à te voluntatem bonam exigi, in illa sola rationem tanti constare commercii? Ne recuses ingratus quod E tam gratis offertur, immo ne perdas ingrata voluntate, quod jam merueras beata paupertate. Agnosce quanti lucri sit, non habere partem in ruina mundi, ut partem habeas in resurrectione Christi. Intellige quantæ felicitatis sit, non inebriari luxu & furore sæculi, ut cum Christo novum bibas vinum in regno Patris sui. Invitat ipse Agnus paschalis amicos ad delicias corporis & sanguinis sui: *Comedite*, inquiens, *amici, bibite, & inebriamini carissimi.* Cibus iste & potus, vitæ est mysterium, immortalitatis medicamentum, causa resurrectionis primæ, pignusque secundæ: quia divinæ plane in nobis initium substantiæ. *Participes*, inquit Apostolus, *Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem fir-* F *mum retineamus.* Qui enim post acceptam gratiam ad vomitum suum revertitur, *divitias quas devoravit evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Vel certe panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: quia nimirum gratia percepta in pœnam conscientiæ vertitur, cum sanguis testamenti, quo sanctificatus quis fuerat, pollutus ducitur, & Spiritui gratiæ contumelia irrogatur. Hoc contemptu & nausea divitiæ devoratæ evomuntur, ita ut de eo, qui ejusmodi, est dicatur: *Non remansit quicquam de cibo ejus, & propter- ea nihil permanebit de bonis illius.*

5. Videat autem, ne forte & ipsum terribilis ista perstringat sententia, qui cum per gratiam devotionis repletus fuerit in bonis domus Dei, nihil prorsus ex illis in memoria retinet, ut memoriam abundantiæ suavitatis divinæ nobis eructet: non saporem in sermonibus, tamquam gustum in faucibus; non virtutem in moribus, tamquam succum in visceribus: sed dum statim totum per inania vel scurrilia revomit, gratiam sibi in iram convertit. Prorsus in iram, & iram terribilem, si in ipsum cadit quod Scriptura contexuit dicens: *Cum satiatus fuerit arctabitur, & irruet in eum omnis dolor. Utinam impleatur venter ejus, ut immittat in eum iram furoris sui, & pluat super eum bellum suum.* Justum quippe sentiebat atque consentiebat Propheta, ut pluat super peccatores bellum, qui ad pluviam voluntariam, fructum pacis non retulerunt: sitque ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum, qui calicem Domini indigne biberunt. *Terra enim sæpe venientem bibens imbrem, & generans herbam opportunam, accipit benedictionem: proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.* Confidimus autem de vobis, Fratres, meliora & viciniora saluti. Tantum gratiæ Dei grati sitis: & sicut in novam creaturam translati estis paschalibus mysteriis, sic in novitate vitæ semper ambuletis. Qui ergo participes Christi effecti estis societate fidei, participatione sacramenti, communione Spiritus-sancti: initium substantiæ ejus non solum usque ad finem firmum retinere, sed etiam sedulo augere nitimini: ut qui per tot munerum prærogativas partem habere cœpistis in resurrectione prima, tanti fiducia pignoris in die agnitionis consignati, jus vobis perpetuum vindicetis in resurrectione secunda: præstante Domino nostro Jesu-Christo, resurrectione & vita nostra, qui pro nobis mortuus per triduum, jam vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ibidem.

Heb. 6. b

## DE RESURRECTIONE DOMINI, SERMO III.

1. BEatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. Primitiæ dormientium Christus, primogenitus ex mortuis, quia sua resurrectione, quæ prima est omnium, & primam nobis resurrectionem animarum, & secundam corporum dedicavit: dum in corpore suo quod suscitavit à mortuis, & animabus sacramentum, & corporibus exemplum resurgendi nuntiavit. Sed & animabus ipsis duplicem gratiam resurrectionis simplex Christi resurrectio præparavit, dum & quotidie reviviscunt à morte peccati per operationem mysterii, & hodie maxime resurgunt à somno torporis per devotionem gaudii. Quis enim ille tam piger, aut tepidus, qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam, *Resurrexit Dominus*, non totus in exsultationem suscitetur, non totus reviviscat & recalescat spiritu? Immo *& cor meum & caro mea exsultaverunt*, inquit, *in Deum vivum*, qui totus concideram in mærorem ac desperationem, Jesum aspiciens mortuum. Non mediocri lucro fidei, nec parvo fœnore gaudii, Jesus mihi de sepulcro redit: dum & Deus vivus agnoscitur, qui paulo ante ut homo mortuus lugebatur, & quem occisum cor meum dolebat, jam in eum vivum non solum cor meum, sed & caro mea exsultat, de sua scilicet per eum resurrectione & immortalitate secura. O anima mea, *ego dormivi & exsurrexi*, ait Christus: surge & tu quæ dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus. An non, Fratres, mortuo similis, qui adhuc stertit orto jam sole, qui adhuc negligentia & socordia premitur, quasi desperato sepultus torpore, jam ubique gratia resurrectionis rutilante? Ferit oculos Sol novus emergens ab inferis, his qui de mane vigilant ad eum, diem reserans æternitatis. Dies iste vesperam nescit, quia non occidet ultra sol ejus, qui semel occidens, semel ascendit super occasum, mortem sibi subjiciens.

Apoc. 20 d
Quid nobis Christi resurrectio confert.

Psal. 83. a

Psal 3. a
Ephes. 5. c

2. O Fratres, hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus & lætemur in ea. Exsultemus in spe ejus, ut videa- Psal. 117. c

mus & gaudeamus in luce ejus. *Exsultavit Abraham ut videret diem Christi*, & hoc merito *vidit, & gavisus est.* Nam & tu quoque si vigiles quotidie ad fores Sapientiæ, & observes ad postes ejus, pervigilque excubes cum illa Magdalena ad ostium monumenti ejus; probabis, ni fallor, & ipse cum eadem Maria, quàm verum sit, quod de ipsa Sapientia, quæ Christus est, legitur: *Facile videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat: qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.* Sic enim & ipse promisit dicens: *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Invenit quidem Maria corporaliter Jesum ad quem vigilabat, ad cujus monumentum, cum adhuc essent tenebræ, excubare venerat. Tu vero qui jam non debes nosse Jesum secundum carnem, sed secundum spiritum: spiritaliter nimirum eum invenire poteris, si simili eum desiderio quæsieris, si te similiter pervigilem in oratione adverterit. Dic ergo Domino Jesu desiderio & affectu Mariæ: *Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te.* Dic voce & mente Psalmistæ: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea.* Et vide si non cum eis tibi cantare congruerit: *Repleti sumus mane misericordia tua, & exsultavimus, & delectati sumus.*

Johan. 8. g; Matt. 27. Luc. 24.; Sap. 6. c; Prov. 8. d; Vigilantia invenit Christum.; Isa. 26. b; Psal. 26. b; Psal. 89. c

3. Vigilate ergo, Fratres, in orationibus intenti, vigilate in actionibus circumspecti: præsertim quia jam mane illius diei indeclinabilis inclaruit, postquam videlicet lux æterna serenior nobis & gratior ab inferis rediit, solemque novum susceptio matutina reparavit. Prorsus hora est jam nos de somno surgere, postquam nox præcessit, dies autem appropinquavit. Vigilate, inquam, ut oriatur vobis matutina lux, Christus scilicet, cujus quasi diluculum, præparatus est egressus, paratus utique vigilantibus ad se, mysterium suæ matutinæ resurrectionis sæpius innovare. Tunc utique cantabis in jubilo cordis: *Deus Dominus illuxit nobis. Hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus & lætemur in ea:* cum videlicet lucem quam in manibus abscondit, interlucere tibi permiserit: annuntians de ea amico, quod possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere. Usquequo piger dormis? usquequo dormitas? *Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias:* & cum te dormiente, te nesciente Christus de sepulcro surrexerit, & gloria ejus transeunte, nec posteriora ejus videre merueris; tunc sera pœnitentia planges, & dices cum impiis; *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Vobis autem inquit, *timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ*; &, *qui ambulat in justitiis, Regem in decore suo videbunt oculi ejus.* Et id quidem beatitudo est vitæ sequentis, sed juxta quemdam modum indulgetur etiam ad consolationem præsentis, sicut evidenter probat resurrectio Christi. In multis siquidem argumentis per dies quadraginta Sapientia nobis probavit, quoniam *dignos seipsa circuit quærens, & in viis suis ostendit se illis hilariter, & in omni prudentia occurrit illis.* Ut enim Jesus se illam esse sapientiam, de qua hæc scripta sunt, ostenderet, & quod quotidie spiritualiter actitare non desinit, id est, in viis justitiæ se ostendere hilariter, hodie corporalis etiam operis specie figuraret; in via hodie occurrit mulieribus à monumento redeuntibus, in via se ostendit duobus euntibus in Emmaus.

Vigilantia tum orationis, tum actionis, commendatur.; Rom. 13. d; Psal. 117. c; Job 36. d; Sap. 5. a; Malac. 4. a; Isa. 33. c; Sap. 6. d; Luc. 24. b

4. Audiant & gaudeant qui in viis justitiæ ambulant: audiant, inquam, quia non solum inhærentes studio contemplationis, sed etiam ambulantes juste ac pie vias actionis, Jesus dignatur & occursu & manifestatione sui. Agnoscit, ni fallor, experientia quorumdam vestrum, quia sæpe Jesus quem quæsierunt velut ad monumentum, ad memorias altarium, nec invenerunt, insperatus occurrit eis in viis laborum. Tunc nimirum accesserunt, & tenuerunt pedes ejus: quorum scilicet pedes non tenuerat pigritia, præ desiderio ejus. Noli ergo tu, Frater, nimis parcere pedibus tuis à viis obedientiæ & discursibus operum, quandoquidem Jesus pedibus suis non pepercit propter te etiam à dolore clavorum; & adhuc eorumdem amplexu & osculo pedum, non gravatur laborem remunerare, aut relevare pedum tuorum. Nam & illud quantæ consolationis erit, si se tibi viæ comitem adjunxerit, miraque delectatione suæ sermocinationis, etiam sensum tibi laboris ademerit, aperiens tibi sensum, ut intelligas scripturas, quas fortasse domi sedens legebas, & non intelligebas? Obsecro vos, Fratres mei, quibus hoc aliquando dedit experiri dignatio divina, nonne cor vestrum ardens erat in vobis de Jesu, cum loqueretur vobis in via, & aperiret scripturas? Recordentur igitur illud experti, & cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini: credant & experiri satagant inexperti, ut aliquando & ipsis cantabiles fiant justificationes Dei, in loco peregrinationis suæ & afflictionis.

Christus non solum contemplationi, sed & actioni vacantibus se manifestat.

5. Resurgat itaque ac reviviscat spiritus omnium nostrum, sive ad vigilantiam orandi, sive ad instantiam operandi: ut quadam rediviva ac vivida alacritate probet se de novo portionem accepisse in resurrectione Christi. Et primum quidem vitæ in hominem redeuntis indicium est, si strenuus & impiger sit ad actionem. nam perfecta resurrectio ejus est in hoc dumtaxat moribundo corpore, si oculos aperiat ad contemplationem. Quod tamen non ante promeretur intellectus, quàm crebris suspiriis, & vehementibus desideriis dilatetur affectus, ut tantæ nimirum capax majestatis reddatur. Quod videlicet velut per quosdam gradus incrementum resurgendi, signanter figuratum arbitror in mortuo quem Elisæus suscitavit, qui cum ad vitam redire inciperet, primo dicitur, quia *calefacta est caro pueri:* deinde, quia *septies oscitavit*, & sic demum oculos aperuit. Caro pueri, cor carneum est in Christo parvuli, cui prima spes vitæ est, si dicere possit: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Quamquam & vestimenta ejus calida sint, cum terra ejus perflata austro, Spiritu utique sancto, quem verus Elisæus præveniendo adspirat redivivo. Amplius autem & evidentius ad resurrectionem proficit, cum desiderio & esurie quadam justitiæ oscitare frequentius incipit, illo scilicet modo quo oscitabat qui dicebat: *Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Oscitatio quippe ista, distensio est affectus, ut capacior fiat spiritus vitæ, quatenus post alia charismata septiformis gratiæ, infusus etiam spiritus intellectus & sapientiæ, oculos tandem ad contemplandum Deum faciat aperire. Primus ergo calor vitæ redeuntis est, cum bonus exercetur actus: secundus resurrectionis profectus, cum per orationem dilatatur affectus: perfectio autem, cum ad contemplandum illuminatur intellectus. His gradibus virtutum, his sanctioris vitæ incrementis, Fratres mei, resurgere magis ac magis enitimini, si quo modo *occurratis*, ut Apostolus ait, *ad resurrectionem Christi ex mortuis*, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Indici[a] resurre[ctionis] spiritu[alis]; 4. Re[g.]; Psal.; Psal. 1[18]

## IN DIEBUS ROGATIONUM,

### SERMO.

1. *Commoda mihi tres panes. Amici* venerunt ad nos de via, sed non habeo quod ponam ante illos. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Ideo dicebam ab initio, *Nolite me constituere principem.* Non enim debet præesse, qui non potest prodesse. Quomodo autem prodesse potest, qui nec medicus est; nec panem in domo habet, id est nec artem novit qua sciat curare, nec doctrinam habet qua sufficiat pascere? Hæc quidem dicebam; sed heu! non audistis me: principem enim constituistis me. Supererat igitur, ut quia non potui effugere periculum, confugerem ad remedium, & audirem super hoc illud Sapientis consilium: *Principem, te constituerunt, esto inter illos quasi unus ex ipsis.* Sed væ mihi! neque hoc ipsum relictum est mihi. Sicut enim imperitia prohibet esse super alios, sic imbecillitas non patitur inter alios esse: & sicut spiritu non sufficio ad ministrandum verbum, sic corpore deficio ad præbendum exemplum. Qui igitur idoneus non sum nec præesse, nec coesse; ubi potero esse, nisi ultimum & turissi-

Luc. 11.; Isa. 3. b; Prælati non tan[tum] præesse & prodesse; Eccli. 32

mum eligam locum, scilicet omnibus subesse? Et hoc quidem valeo, humilia scilicet, immo vera de me sentiendo; nihilque me prohibet, immo plurimum veritas ipsa monet, subesse cunctis animo, licet præesse cogar officio.

2. Tu Domine Deus ipse es, qui & subesse mones, & nihilo minus præesse jubes: à te expeto, à te exspecto, ut humilem simul & utilem in injuncto me facias ministerio: humilem, vera de me sentiendo: utilem, recta de te loquendo. Illud inspira cordi, hoc ministra ori. Da sermonem rectum & bene sonantem in apertione oris mei, qui dixisti, *Aperi os tuum & implebo illud*: ut omnis familia tua benedictionibus impleatur. Ecce venerunt amici, mei quidem amici, sed amplius tui. Non habeo quod ponam ante illos, nisi commodatum fuerit ab alio. Et quis alius æque dives aut liberalis ad præstandum, sicut Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: nisi forte illi qui vel pigre petit, vel ingrate detinet gratiam quam accepit? Quanti mercenarii in domo Patrisfamilias istius abundant panibus, qui quoniam Christum annuntiant, licet non sincere, propter alios tamen eis doctrinæ gratia non negatur? Et ubi abundant mercenarii, numquid egebunt filii? Tu ergo, Domine, (amicum enim dicere vereor, sed Dominum confiteor,) commoda mihi tres panes, unde reficiantur amici, ne, si dimisero eos jejunos, deficiant in via, & tunc vocer in causam pro eis, & dicatur mihi: *Parvuli petierunt panem, & non fuit qui frangeret eis*. Commoda, Domine, quod in lucrum tuum proficiat: recepturus utique cum tibi placuerit, quod tuum est, cum usura. Commoda, inquam, tres panes, si placet; aut certe quodcumque placet, quantulumque fuerit, etiamsi buccella panis, sufficiet in quantalibet millia, si tantum benedicas. Scio equidem, quia vis nos esse tibi importunos, ut licet dissimules, licet excuses, eo quod jam in cælum receptus sis, & Apostoli tui tecum sint in cubili; nos tamen nihilo minus perseveremus in petendo, quærendo, pulsando: scientes quia doctrinam non sola vitæ meretur innocentia, qua amici efficimur, sine assiduitate studii & instantia precis, qua importuni videamur. Mihi tamen neutrum suffragatur: solum eorum qui pascendi sunt meritum obtendo: illi merentur quod ego non mereor.

3. Vos autem, Fratres mei, usibus quorum, & pro meritis quorum peto panes istos, putatis sufficimus, sive ego ad frangendum, sive vos ad edendum? Timeo ne dicatur mihi: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris*. Timeo ne dicatur & vobis: *Facti estis quibus opus est lacte, non pane*. Scio revera panes esse apud Patremfamilias, quos si nostra præsumat infantia, citius frangentur dentes, quam impleantur ventres, id est, ædificentur mentes. Quis enim capiat, quis explicare aut cogitare digne sufficiat illud Trinitatis mysterium ineffabile: quomodo Pater à se, Filius à Patre, Spiritus-sanctus ab utroque, & tres personæ in unitate substantiæ? Mulier insipiens, audax hæreticorum vanitas, prurientes auribus ad talia discutienda sollicitat, cum Deus credendus sit, non discutiendus. Panes, inquit, occultos libenter attingite. Quasi vero tu insipiens attigeris, quod sublimius est Angelis. Et ad quid mihi panes occultos attingere, quos non licet sine periculo frangere vel edere? Sufficit mihi scire, quia sunt, quia tres panes sunt: non dico Trinitatem personarum, sed trinitatem sermonum, vel magis intellectuum, qui de personis habendi sunt: tres, inquam, panes unius magnitudinis & ponderis, unius formæ & saporis. Quanta enim & qualia de Patre, tanta & talia de Filio, seu de Spiritu-sancto sentienda sunt: excepto dumtaxat, quod proprietatum discretio numerum facit personarum, sicut in Trinitate, sic intelligentiarum in earum distinctione.

4. Hos ergo panes relinquamus frangendos angelicæ sublimitati, donec ad eorum crescentes æqualitatem, mensæ eorum simus idonei. Multifarie siquidem aliorum trinitates panum de Scriptura nobis possunt proponi, qui nostræ magis congruant infirmitati: verbi gratia, ut nondum longius ab illa summa Trinitate recedamus, quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: quod à Patre creati, per Filium redempti, in Spiritu-sancto sumus sanctificati. In hunc modum tam multa dici possunt, ut quàmlibet famelicus venerit amicus de via, si vel dimidium ei apponas, non minus fortasse incipiat periclitari fastidio, quàm prius inedia: ut copia obruat, quem inopia prius angebat. Non solum enim ipsum qui fecit nos, & ea quæ facta sunt propter nos, sed etiam quæ scripta sunt propter nos, describere tripliciter poteris, ut copiosa refectio sit in tribus panibus, Historiæ, Allegoriæ, & Moralitatis. Universa quoque Scripturæ continentia in tres partes divisa, velut in tres panes digesta est: dum aut de naturali justitia disserit, aut de litterali, aut de spiritali: id est, ante legem, sub lege, & post legem, quod est sub gratia. Natura rectum dedit intellectum, lex etiam actum, gratia autem affectum. Sed & Doctor & pastor gentium in fide & veritate, pascendam docet Ecclesiam quadam panum trinitate: ut qui Ecclesiam ædificat, loquatur ad *ædificationem*, ad *exhortationem*, ad *consolationem*. Ad ædificationem, ut quid agere debeas, noris: ad exhortationem, ut quod noris, velis: ad consolationem, ut etiam in adversis possis, quod noveris & volueris. Denique non solum in materia rerum, sensibus & partibus scripturarum, generibus & modis locutionum, sed etiam in omni fine earum, quamdam panum invenies trinitatem, & ipsam quidem sapidam satis & salubrem: fidem scilicet, spem, & caritatem. Eo quippe omnis scripturarum, vel sermonum intentio spectare videtur, ut credamus, speremus, diligamus. Nam & caritas sola finis præcepti diffinita est, quæ & ipsa quodammodo triplex est, dum ex toto corde, tota anima, tota virtute habenda est. Sed quoniam vitio ducitur longior & varia epulatio, nos finem dabimus lectioni: vestrum erit fragmenta quæ superaverunt, id est subtiliora, quæ manus nostras effugerunt, colligere: simul autem & vestrum & nostrum, ei qui pascit nos cantare, Benedictus Deus in donis suis, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN DIE ASCENSIONIS DOMINI, SERMO.

1. *Pater cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo*. Hæc oratio Domini habita est ante diem passionis. Non absurde tamen aptatur diei Ascensionis: quando scilicet supremo discessurus erat à filiolis suis, quos Patri commendabat. Qui enim in cælis creavit, docet & regit multitudinem Angelorum, in terris aggregaverat sibi pusillum gregem discipulorum sub præsentia suæ carnis erudiendum, quoadusque grandiusculi sensus effecti, disciplinæ spiritus fierent idonei. Magnus itaque parvulos magna dilectione diligebat; quippe quos ab amore mundi abstraxerat, & relicta omni spe sæculi, de se solo pendere videbat. Quamdiu tamen cum eis corporaliter conversari voluit, non facile aut multum hunc suum eis affectum prodidit: maturiorem se eis, quàm teneriorem exhibens, sicut magistrum decebat & patrem. Cum autem tempus quo ab eis recessurus erat instaret, tunc veluti vinci tenero eorum affectu visus est, ut magnam multitudinem dulcedinis suæ, quam eis absconderat, dissimulare non posset. Hinc illud est, quod *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Tunc enim propemodum omnem vim amoris effudit amicis, antequam etiam ipse sicut aqua effunderetur pro inimicis. Tunc eis sacramentum Corporis & Sanguinis sui tradidit, & celebrandum instituit, nescio virtute an caritate mirabiliori: hoc novum genus mansionis adinveniens in consolationem recessus sui: ut si discederet ab eis specie corporis, maneret non solum cum eis, sed etiam in eis virtute sacramenti. Tunc veluti prorsus suæ oblitus majestatis, & velut injuriam faciens sibi, nisi quia gloria est caritatis, humiliare se pro amicis; dignatione ineffabili Dominus, & talis Dominus, pedes servorum lavit: uno opere condens eis & humilitatis exemplum, & remissionis sacramentum.

Mystici panes varii.

Scripturæ sanctæ triplex sensus & divisio.

1. Cor. 4.

Scripturæ scopus.

Johan. 17.

Johan. 13.

Vis amoris Christi erga discipulos.

Eucharistiæ institutio quorsum.

2. Tunc denique post exhortationem prolixioris sermonis Patri eos commendans, sublevatis in cælum oculis, inter cetera sic ait: *Pater cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo, & nemo ex his periit, nisi filius perditionis. Nunc autem ad te venio: serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo*, & cetera, quæ non est hujus temporis retexere, multo minus exponere. Summa tamen orationis, sicut indicat textus lectionis, est in his tribus, in quibus est & summa salutis, immo & perfectionis, ut nihil possit addi, scilicet *ut à malo serventur*, ut in *veritate sanctificentur*, ut cum *ipso glorificentur. Pater*, inquit, *quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & ipsi sint mecum, ut videant claritatem meam.* O felices! quorum advocatus ipse judex est, pro quibus orat qui pari honore cum eo quem orat, adorandus est. Voluntate laborium ejus non fraudabit eum Pater, cum quo est ei una voluntas & una potestas, quia unus Deus est. Omnino quod Christus orat, impleri necesse est: cujus sermo virtus est, & voluntas effectus: qui de omnibus quæ sunt, *dixit & facta sunt: mandavit, & creata sunt. Volo*, inquit, *ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum.* O quanta securitas fidelium, quanta fiducia credentium! tantum non abjiciant gratiam quam acceperunt. Non enim solis Apostolis proposita est hæc securitas, vel condiscipulis eorum, sed omnibus qui per eorum verbum credituri sunt in Dei verbum. *Non pro eis*, inquit, *rogo tantum, sed pro eis qui crediIturi sunt per verbum eorum in me.*

*Johan. 17. b*
Summa salutis nostræ in tribus consistit.
*Johan. 17. d*
Christus ipse advocatus & judex noster.
*Psal. 32. d*
*Johan. 17. d*
*Ibid. e*

3. Vobis autem, Fratres, *donatum est*, ut ait Apostolus, *non solum ut in eum credatis, sed etiam ut patiamini pro eo*: quos scilicet fides promissionis Christi, non securitate negligentiores, sed alacritate faciens ferventiores, & quotidiano vitiorum conflictu, martyrio coronat assiduo: assiduo, sed facili; facili, sed sublimi. Facile est ubi supra virtutem nihil imperatur: sublime, ubi de omni virtute illius fortis armati triumphatur. An non facile suave Christi jugum portare? an non sublime in regno ejus excellere? Quid facilius rogo, quàm portare pennas quæ portent portantem se? quid sublimius quàm supra omnem cælorum altitudinem, quo Christus ascendit, evolare? Plane sancti, quorum sicut aquilæ juventus renovabitur, assument pennas sicut aquilæ, & volabunt. Quo volabunt? *Ubicumque*, inquit, *fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.*

*Phil. 1. d*
Martyrium assiduum quotidianus cum vitiis conflictus.
Jugum Christi facile.
*Matth. 24. c*

4. Sed quid putamus, Fratres, quomodo tunc repente de terris ad cælos evolare poterit, qui nunc exercitio & usu quotidiano volitare non didicerit? Si quæris quo doctore, quo duce: numquid non Christus sicut aquila provocabat hodie ad volandum pullos suos, quando super eos volitabat, cum scilicet videntibus illis elevaretur, diuque sequerentur oculis euntem in cælum? Poterat utique repente in ictu oculi, ex oculis eorum rapi, & ubi vellet, constitui. Sed plane, *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans*, & corda sursum levare post se nitebatur amore sui, & corpora similiter posse sublevari pollicebatur exemplo corporis sui: sicut Apostolus ait æterni conscius mysterii, quia & nos bajulis nubibus *rapiemur obviam Christo* redeunti. Ipse quidem *ascendit super Cherubim, & volavit super pennas ventorum*, id est, supergressus est virtutes Angelorum: tuæ tamen condescendens infirmitati, expandet alas suas, & assumet te, atque portabit in humeris suis, si modo pullus degener non exsistas, ut à terra levari, & aura puriore perfrui non extimescas.

Volitare nunc discat à terris ad cælos, qui tandem in cælum evolare cupit.
*Deut. 32. b*
*Thess. 4. d*
*Psal. 17. a*

5. Alii volant contemplando, tu saltem amando. Paulus mente excedit, & ad tertium usque pervolat cælum: Johannes ad id quod in principio erat Verbum: tu saltem humi degenerem non trahas animum: nec patiaris obrutum inertia, in terra putrescere cor tuum: sed clamanti *Sursum corda* Pontifici magno, (qui hodie introivit in sancta, æterna redemptione inventa, ubi & assistit vultui Dei interpellans pro nobis) responde fideliter, *Habemus ad Dominum.* Sed & si aliquando quæsivisti non quæ sursum sunt, sed quæ super terram: jam teipsum increpa, & dic Domino cum Propheta: *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Heu quàm misere errabam! Tam magnum est illud in cælo mihi repositum, quod contemnebam: tam nihil hoc super terram, quod tantopere expetebam. Christus itaque thesaurus tuus ascendit in cælum: ibi sit & cor tuum. Inde ducis originem, ibi habes Patrem & hereditatem, inde exspectas Salvatorem. Amen.

*2. Cor. 12. a*
Quomodo volandum ad cælos.
*Psal. 72. d*

## IN FESTO PENTECOSTES,
### SERMO I.

1. INeffabilis Deus, ineffabilis misericordia ejus. Secundum nomen ejus, ita & opus ejus. Plane ineffabilis divinæ circa nos dignatio caritatis. Parum erat Patri, tradidisse Filium, ut redimeret servum: nisi daret & Spiritum-sanctum, quo servum adoptaret in filium. Dedit Filium in pretium redemptionis; dedit Spiritum in privilegium adoptationis: se denique totum servat hereditatem adoptatis. O Deum (si fas est dici) prodigum sui, præ desiderio hominis! An non prodigum, qui non solum sua, sed & seipsum impendit, ut hominem recuperaret, non tam sibi, quam homini ipsi? An non prodigum, qui sicut *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: sic nec Spiritui-sancto pepercit, ut ita loquar, sed nova & mira largitate super omnem carnem effudit illum? Multum quidem effusus sui prodigus ille filius, qui tam patrimonium, quàm seipsum donavit meretricibus; sed multo effusior pater in recuperationem perditi filii, quàm ille in perditionem sui: si tamen ulla debet esse comparatio gratiæ & pecuniæ, spiritus & carnis, Dei & hominis. Vide enim quanta largitate toto orbe gratia Spiritus effusa sit, non solum justis confirmandis, sed & peccatoribus justificandis: quomodo ubique gentium, Spiritu creante novum genus hominum, renovata sit facies terræ: immo quanta quotidie mutatio fiat per dexteram excelsi, ut repente perditissimi hominum publicani & meretrices, justos quamplurimos præcedant in regno Dei, & novissimi fiant primi. Prorsus *non sicut delictum, ita & donum: quia ubi abundavit delictum, ibi superabundans gratia* non solum donat delicta, sed etiam virtutum accumulat merita: & sublimius restituit lapsos redemptio, quàm constituerat prima creatio. Sane in his omnibus quanto mirabilior Dei gratia prædicatur, tanto damnabilior hominis duritia convincitur: si gratiam vel oblatam recuset, vel acceptam non servet. Cui enim non offertur? Super quem non effulget lumen illius? Quis se abscondit à calore ejus? Neque enim reliquit se Deus sine testimonio apud conscientias hominum, illustrans eos splendore veritatis, & fovens calore bonitatis: cum & lux vera illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, & Deus faciat oriri solem suum super bonos & malos, & pluat super justos & injustos. Sed væ illis qui rebelles sunt lumini, & resistunt Spiritui-sancto, nec acquiescunt veritati quam intelligunt; & sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate & beneficiis Dei duriores fiunt, audacter etiam provocantes eum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum.

Dei ineffabilis erga nos caritas.
*Rom. 8.*
*Luc.*
Gratiæ Spiritus sancti larga effusio.
*Rom. 5.*
Ingratitudo hominum notatur.
*Johan.*
*Matth.*

2. Verum quid ad nos de his qui foris sunt? Ad vos potius nobis est sermo, qui spiritum adoptionis filiorum accepistis, habentes eumdem spiritum in signum adoptionis & pignus hereditatis: qui velut quidam character insignis, vasa misericordiæ à vasis iræ discernit. Quamquam de salute nostra, vel magis de spe salutis, ea nobis modestia gaudendum sit; ut quod in illis dolemus, adhuc de nobis pro nostra mutabilitate timeamus. Sicut enim de illis desperare impium, ita de nobis præsumere est temerarium; cum tam de nobis, quàm de illis, qualiscumque sit scientia præsentium, nulla possit esse præscientia futurorum: nec levis sit injuria summæ potestati, penes quam est arbitrium vitæ & mortis, si vel de illis tam crudeliter, vel de nobis tam audacter præjudicetur ejus judiciis. Denique de massa eorum sumus assumpti: & qui paulo ante eramus, sicut & illi, natura & vita filii iræ, repente facti sumus filii gratiæ. Nos ERGO simus illis exemplum spei ad pœnitentiam, ipsi nobis timoris ad perseverantiam. In nobis se misericordia commendat, ut

Quid reprobis de filiis de [illegible] quid de [illegible] sentiendum.

ut ametur: in illis se judicium exserit ut timeatur. Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine: pro ista gratias agens, pro illo preces fundens: pro ista gratus & lætus, pro illo timoratus & cautus: de utroque eruditus exsultabo tibi cum tremore, quia tunc ingrediar in veritate tua, si ita lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Neque enim timor iste, quem amor castum facit, gaudium tollit, sed custodit: non destruit, sed instruit: non inamaricat, sed condit; ut tanto sit durabilius, quanto modestius: tanto verius, quanto severius; tanto dulcius, quanto sanctius. O castum & fidele gaudium! quàm fidelis est illa de te sententia Sapientis; *Non est census super salutem corporis, & non est oblectatio super gaudium cordis.* Hoc utique gaudio non est gaudere impiis, quorum fatuos risus & frivola gaudia Sapiens detestatur & increpat. *Risum*, inquit, *reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.*

3. O bone Jesu, quàm dissimile est illud gaudium tuum, quo interim consolaris renuntiantes illi falso & fallaci gaudio! quàm melior est misericordia tua super vitas! quàm melior est dies una in atriis tuis super millia! quanto beatiores facis pauperes tuos ipsa paupertate tua, quàm mundus facere possit sua quantalibet affluentia, ubi quicquid affluit, defluit, sibique inhærentem pereffluere facit! Aliis affluebat deliciis illa pauper familia Christi, quam fluminis impetus inundabat lætificans civitatem Dei; cum scilicet hodierna die Spiritus, tamquam torrens, *replevit totam domum, ubi erant sedentes* Apostoli. Exhibebat quippe divina Veritas, quod per Prophetam promiserat: *Ecce ego declino in vos, ut flumen pacis, & ut torrens inundans gloria gentium.* Quantum illis affluebat, quibus tantus influebat: quantumque de illis profluebat, de quorum ventre fluebant flumina aquæ vivæ! Nec solum de corde benevolentia caritatis, sed etiam ex ore vehementia profluebat torrentis eloquii, cui non poterant resistere & contradicere omnes eorum adversarii: sicut de Stephano dicitur, *quia non poterant resistere sapientia & Spiritui qui loquebatur.*

4. Ad hujusmodi gaudia vos interim, fratres, consolator vester invitat. Hoc torrente voluptatis suæ sitibundas amantium mentes potare desiderat. *Si quis*, inquit, *sitit, veniat & bibat.* O affluens liberalitas Dei, ô indeficiens largitas divinæ bonitatis! Spiritum, cujus hodie primitias dedit Apostolis, offert universis. Thesaurum suum, fontem aquæ vivæ, aperit tam hominibus quàm jumentis; tamquam & ipse omnibus sapientibus & insipientibus debitor sit. *Omnes*, inquit, *sitientes venite ad aquas.* Ecce personas non accipit, conditiones non discernit, merita non requirit: tantum sitire quis noverit, venire velit. Gratia quippe non admittit fastidientes; sed sicut esurientes implet bonis, sic divites dimittit inanes. O fastidium tinea cordium, rubigo mentium, languor pessimus animarum, quod abominari facis bonum Dei verbum, contemnere cæleste donum, fastidire manna propter ollas carnium! Quæ enim lues tam pestifera, quis morbus tam letalis, qui sic faciat hominem immemorem suæ salutis, ridentem ac male securum appropinquare usque ad portas mortis? Sed unde rogo tam late lues ista Christi ovilia infecit, greges invasit, ut quampluribus de grege Domini videatur etiam locus horroris & vastæ solitudinis, locus pascuæ ubi sunt collocati, & in pascuis uberrimis, in herbis virentibus misere pereant fastidio languidi? Annon, quæso, gustaverunt donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus-sancti; gustaverunt nihilo minus bonum Dei verbum, & virtutes sæculi venturi? Si enim non gustaverunt bonum Dei verbum, unde toties eructavit cor eorum verbum bonum, cum scilicet de memoria abundantiæ suavitatis ejus eructabant labia eorum hymnum? Nunc autem divinis intersunt laudibus, & dormitant; aut otiosa vel etiam perniciosa mente pertractant: sedent ad librum, & oscitant: verbum exhortationis audiunt, & ipso auditu laborant; de pascuis mutantur in pascua, & tam ista fastidiunt quàm illa: jugiter versantur inter fercula vitæ, & moriuntur fame. Unde ergo post illam felicem experientiam, gustumque suavem supernæ dulcedinis, tanta hæc oblivio, & incuria boni, languorque mentium subintravit? Sola relicta est eis vox illa plangentis, si tamen plangere velint: *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.* Currebant utique bene: quis eos fascinavit retrorsum converti? Spiritu cœperunt: quomodo nunc carne consummantur? Voluptuose vescebantur: quomodo nunc intereunt in viis?

5. Videant quæso ipsi, ne forte inimicus homo, qui super bonum semen patrisfamilias lolium suum superseminare consuevit, post illam suavem escam Christi, felle suo fauces eorum tinxerit, ac per hoc non modo desiderium, sed & memoriam prioris gustus aboleverit. Enimvero statim denuntiat Apostolus his qui ejusmodi sunt; *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Annon tibi videtur non modo potatus, sed & inebriatus calice dæmoniorum, qui libidinis, iræ, impatientiæ, aut similium raptatur furore passionum? Ego, ut loquar de his quæ jam magis in usu quàm in crimine sunt, puto quod & ille mensæ dæmoniorum particeps sit, & pascens eos pascatur ab eis, cujus os abundat malitia, lingua concinnat dolos, sedens adversus fratrem suum loquitur; & adversus filium matris suæ ponit scandalum; qui etiamsi non detrahit, detrahentem libenter audit; qui scurrilitate stultiloquii cachinnantes dissolvit. Videat ergo qui ejusmodi est, an dignum sit, ut volutatus velut in cruore immolatitio & sordibus dæmonum, mox admittatur ad mensam Christi & Angelorum. Absit autem, fratres mei, ut hæc dicens, innocentiam vestram, qua plurimum delector, inscribam sceleri: sed hæc dico ut salvi sitis, & aliorum exemplo cautiores facti, manusque lavantes in sanguine peccatoris, gratiam Spiritus-sancti quam alii negligentia perdunt, vos omni vigilantia servare curetis; ad laudem & gloriam ipsius largitoris Jesu-Christi Domini nostri, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

# IN FESTO PENTECOSTES,
## SERMO II.

1. Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei. Nimirum ex abundantia cordis linguæ loquebantur in eis. Exsultationes Dei in gutture eorum; quia caritas Dei diffusa erat in cordibus eorum. O Domine Deus meus, & ego utique similiter laudarem, si similiter potatus essem. Quia vero arida est anima mea, ideo est & torpida lingua. Sed sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exsultationis laudabit os meum. Eructabunt labia mea hymnum; sed cum docueris me justificationes tuas: id est, cum dederis gustare quàm suavis es, ut discam te diligere toto corde, tota anima, tota virtute. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me justificationes tuas. Bonitas siquidem tua, unctio tua est, qua doces eos de quibus prædictum est: *Erunt omnes docibiles Dei.* Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. Lex Domini immaculata convertens animas, caritas est: lex utique ignea, quæ est in dextera ejus, quæ cum digito Dei scribitur super latitudinem cordis, & ipsum cor amoris incendio, & os ignito fervere facit eloquio. *De excelso*, inquit, *misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* O quanta facilitate & celeritate, quanta copia & facultate, ignis ille quem Dominus Jesus misit in terram, non solum erudivit imperitos, sed etiam expedivit impeditos! Prorsus igneæ linguæ, quas ex se dispertivit ignis iste, quæ sic ignescere fecerunt, non solum mentes, sed & linguas Apostolorum, ut etiam nunc pius auditor ad sermones ignescat eorum. Prorsus ignea lingua Petri, ignea lingua Pauli, in quorum verbis nunc quoque vivit ignis perpetuus, qui & super corda nostra scintillat, si accedamus; si autem vel animum ab eorum sermonibus non avertamus.

2. Si meruissem aliquam accipere de linguis hujusmodi, dicerem utique & ego: *Dominus dedit mihi linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum*, sicut de illis

scriptum est: *Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei.* A Dicerem & illud: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est verbo.* (Isa. 50 b) Apostoli & eorum similes linguis sibi datis, magnalia Dei prædicant, tyrannos verberant, dæmonia flagellant, terram compluunt, cælos aperiunt; quia linguæ eorum claves cæli factæ sunt, quippe quibus de ipsis cælis linguæ missæ sunt. Mihi autem utinam vel lingua canis data sit, qua possim primum quidem propria, deinde & aliena ulcera lingere: si qui forte sunt qui ad hoc ipsum sibi me dignentur admittere. (Lingua Pastoribus necessaria, quæ.) Beati quidem, quibus amor & dilectio divinæ laudis cor replet gaudio, & os jubilo. Sed & illos utique beatos dixerim, qui cum de vulneribus animarum virus ablingunt & purulentiam; trahunt B in se, quo anima eorum saginetur, spiritum & gratiam. Esuriunt siquidem & sitiunt justitiam, & famem patiuntur ut canes: ideoque nihil fastidiunt quod in corpus suum possint trajicere; neminem peccatorem abominantur, quem ad justitiam possint convertere. Quod Deus mundavit, tu ne immundum dixeris, dictum est Principi Apostolorum, & in ipso aliis. (Act. 11. d) & ob hoc mactat & manducat omne genus reptilium & volatilium, & ait: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia impatientis desiderii cibi mei sunt.* (Job 6. b) Quinimmo mirum in modum quanto quisque peccator ante conversionem amarior, tanto postmodum conversio ejus dulcior; quantoque desperatior, tanto gratior nobis ejus salus: quia C & salvantis gratiam plus miramur, qui ovem perditam reportans in humeris, gaudium facit Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis. (Luc. 15. b)

3. Dicant igitur alii quibus datum est; Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine! (Psal. 118. c) anima autem mea esuriens & famem patiens ut canis, etiam amarum sumet pro dulci, & abominabile pro desiderabili. Delectentur alii lambere mella Scripturarum: ego vero delectabor ulcera lingere peccatorum, mei scilicet mihique similium. Fœdum quidem ulcus peccati, visuque horribile: sed tamen ipsum lingere, cujus sit saporis & gratiæ, non sapit, non capit, nisi qui salutem periclitantium esurit, & D famem patitur ut canis, de qualibus dictum est: *Lingua canum tuorum ex inimicis.* (Psal. 67. c) Sed væ miseris qui tanto studio pereunt, tantoque desiderio mortem sibi consciscunt, ut vulnera sua tegant, curamque canum refugiant, & asperitatem linguæ medicinalis arbitrentur morsum odii letalis! *Oderunt corripientem in porta, & perfecte loquentem abominati sunt.* (Amos 5. c) Perfecte loquentem dico, non tam de perfectione differentem, quàm perfecta dilectione corripientem. Sed dicam perfecta dilectione, an perfecto odio? Immo utrumque, & perfecta dilectione, & perfecto odio: quia perfectum odium nihil aliud est, quàm perfecta dilectio, & una est utriusque perfectio, (Odium perfectum, est perfecta dilectio.) quam Apostolus determinat, dicens: *Odientes malum,* E *adhærentes autem bono.* (Rom. 12 b)

4. Sed revertar ad id unde digressus eram. Optabam mihi linguam qua laudarem Deum, vel certe linguam qua confitentium ulcera curarem: in altero quidem mihi quærens divinæ devotionis fructum, in altero fraternæ salutis lucrum; vobis quoque in altero dulcis, in altero fieri desiderans utilis. Nam & de sæcularium arte & officio poëtarum, ita sumptum est apud quemdam eorum: *Aut prodesse volunt, aut delectare poëtæ. Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.* (Horatius in arte poetica.) Optabam, inquam, mihi gratiam oris, qua Deo & vobis officiosus deservirem: ut aliquatenus compensarem verbo, quod minus prosum exemplo. Quamquam satis suspecta mihi sit hæc conso- F latio, si dicam & non faciam: si suppetant suffragia linguæ, cum desint merita vitæ; immo magis timendum sit, ne peccanti dicat Deus: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* (Psal. 49. c) Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus; & si tacuero, non recedet à me. (Job 6. a) Pavor est utrobique molestus, & coarctor è duobus; quia locutionem & officii locus exigit, & vita contradicit. Sed recordor verbi quod apud Sapientem inveni: *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.* (Prov. 16. d) Loquar igitur, non prout locus expetit, sed prout sensus suppetit, immo prout Dominus dederit: in cujus manu sumus & nos, & sermones nostri. Loquar inquam, & meipsum lingua obligabo propria, ut vel præ confusione aliquando laborare compellar: & si corpus à labore manuum excusaverit, certe anima laborantis laboret sibi, ut dicat cum David: *Laboravi in gemitu meo.* (Psal. 6. b) O si mihi dentur illi gemitus inenarrabiles, quibus Spiritus postulat pro sanctis, ut laborem in eis! Proculdubio labor hujusmodi gemituum satis digne pensaret mihi quotidianum laborem manuum.

5. Sed & vos ipsi, fratres, si æmulari meliora charismata didicistis, optate gemitus hujusmodi à Spiritu vobis infundi. (Lacrymarum donum qu[...] utile & o[...]portunum) Nescio si sit in donis Spiritus aliud convenientius, aut commodius his, qui sunt infirmitate & miseria circumdati: nescio si Spiritui-sancto qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Hoc autem scio, quia in nullo opere tanta tamque parata nobis suppetat materia, sicut in gemitu & planctu nostri: nisi miseriam suam nostra dissimulet superbia, aut sensus obduretur stupore vel amentia. Hoc autem primum circa infirmos, quorum curam suscipit, operatur medicina sancti Spiritus, qui est illuminatio nostra & salus nostra; ut videlicet seipsum phreneticus sentiat & sciat, & conversus ad cor dicat Domino cum Propheta: *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* (Jerem. 31.) Nisi enim quis apponat scientiam, non apponet dolorem: nisi doluerit, non meretur consolationem. Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. (Matth. 5) Puto quia nec in Apostolis hodie locum invenisset Paracliti consolatio, nisi quia lugebant se desolatos, quia non poterant non lugere filii sponsi, cum sponsus ablatus esset ab eis. Inde erat quod eis dicebat: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* (Johan. 16.) Nisi desolati fueritis præsentia mea corporali, non vos consolabitur visitatio spiritalis. *Date, inquit, siceram mærentibus, & vinum his qui amaro animo sunt:* (Prov. 31) non scilicet illis qui ebrii sunt gaudio & luxu sæculi. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Numquid bibere possunt calicem Domini, & calicem dæmoniorum? (1. Cor. 6.) *Bibant,* inquit, potius pauperes Apostoli, *& obliviscantur egestatis suæ,* ut dicant: *Sicut egentes, multos autem locupletantes.* Bibant mærentes de absentia sponsi, & dolorum non recordentur amplius, sed dicant: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* (Ibid. d) Nam & teipsum, si pio affectu Psalmistæ dicere potueris, *Ego sum pauper & dolens,* (Psal. 68. c) sic ditabit, sic lætificabit sobria ebrietas hujus præclari calicis, ut & si pauper sis, paupertas animum non urat: & si dolebas quia peccasti, jam peccati reatus conscientiam non mordeat.

6. Vide autem, si non & ipse Spiritus-sanctus in judicium venit in hunc mundum, ut qui dolent non doleant: & qui rident, æterno & inconsolabili se luctui tradant. (Luctus spiritualis meretur consolationem Spiritus-sancti.) Melius est igitur ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii. (Eccli. 7.) Et revera sapiens etsi aliquando consolationem mereatur, ut dolorum non recordetur amplius, eorum scilicet de quibus consolationem accipit; semper tamen, ut locum paret consolationibus novis, novas exquirit de seipso causas doloris: non statim blandiens sibi, quasi jam per omnia justus sit; sed eo subtilior, quo jam illuminari cœpit; eo districtior, quo justificari cœpit, fit accusator & judex sui. Ei ergo qui ejusmodi est, crebro, nisi fallor, Spiritus consolator advenit, quoniam & adventum jam ipse suum antevenit; adveniens scilicet ut consolationem tribuat, sed anteveniens, ut lugere doceat. Luctus siquidem pius atque religiosus, in doctrina Spiritus & ordine primus, & utilitate invenitur præcipuus: (Pii luctus commendatio.) quippe cum sit summa sapientia Sanctorum, custodia justorum, sobrietas modestorum, prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntium salus, periclitantium portus, promissionem denique habens consolationum quæ nunc sunt, & gaudiorum quæ futura sunt: ad quæ nos perducat, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

# IN NATIVITATE S. JOHANNIS Baptistæ,

## SERMO I.

1. AH *Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Fratres, si Jeremias, sicut ex lectione audistis hesterna, ne prædicationis susciperet officium, verecundius quàm justius minorem causabatur ætatem: quanto rectius ego sensum causarer minorem? Si sanctum ex utero, & quem manifeste divina mittebat electio, ætas deterrebat infirmior; mihi quæ frons esse potest ad loquendum, cui nec ad sanctitatem suffragatur conscientia, nec ad sermonis facultatem suppetit scientia? Illi erat timori pueritia sua, mihi non erit puerilitas mea? Verumtamen tu puer Propheta Altissimi, de quo sermonem hodie nostri debet locus officii, puerilitatem nostram non pateris excusatam haberi, quin saltem gestiamus more puerorum de te quoquomodo balbutire: qui etiam in materia leviori, plena necdum didicimus verba formare. Tuum erit, ô vox Verbi, vox sapientiæ, tibi devotæ solvere vinculum linguæ, qui necdum loquens, usum loquendi muto potuisti patri reformare. Nec sine fœnore magno rediit intercepta facultas loquendi, cui simul accessit gratia prophetandi, ut videlicet uterque parens aliquid sibi gauderet prærogatum de prærogativa filii.

2. Qui enim Propheta, & plus quàm Propheta futurus erat, immo ante prophetare quàm profari, prius Deum quàm seipsum sentire cœperat, parentes quoque suos Prophetas faciebat: & in eos qui in se transfuderant carnis substantiam, spiritus sui & gratiæ superabundantiam refundebat. Nam & Elizabeth postquam exsultavit in gaudio infans in utero ejus, tunc & ipsa prophetavit repleta Spiritu-sancto: quia necdum loquens filius, matri tamen occultam Domini præsentiam exsultatione manifesta revelavit. Salutabat Salvatorem motu quo poterat, & in occursum Domini præcursor impiger erumpere gestiebat. Plane incomparabilis gratia, inæstimabilis divinæ virtutis potentia. Vox Mariæ dum auribus Elizabeth insonat, ad cor Johannis penetrat, qui abstrusus intra materna latebat viscera, spiritum ejus animat, gaudioque salutari vegetat: & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam, adeo ut etiam de plenitudine filii copiose videatur in matrem refundi. Vere *gratia plena Maria:* manifeste Deus totius gratiæ in ea erat, de cujus munificentia, tam copiose, tam magnifice, principaliter in Matrem, de Matre in Johannem, de Johanne in parentes gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ vivæ, & fons vitæ & gratiæ oriebatur de medio paradisi ad irriganda ligna paradisi.

3. Proxima erat fonti cedrus ista nobilis, Johannem loquor, consobrinum & amicum sponsi, præcursorem, Baptistam, & martyrem Domini: ideoque nimirum uberius irrigata in tantum excrevit, ut inter natos mulierum nihil illa sublimius posset inveniri. Omnino Salvatori proximus erat, qui non solum copula sanguinis conjunctus, aut amicitia intimus erat, sed etiam gloria annuntiationis; novitate nativitatis, sanctitate pæne originali, prædicatione consimili, auctoritate baptizandi, virtute patiendi, ante mortales omnes ei propius accedebat. Denique si alia cessarent omnia, si cuncta de eo silerent Prophetarum præconia; solius gratia nominis ejus *, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur, satis abundeque singularem in eo futuram Dei gratiam testabatur. Dignum quippe erat, ut gratiam Dei, quam gratia plena profudit, plenus gratia prædicaret: & gratia non mediocri emineret, qui gratiæ tempus à tempore legis velut medius limes disterminaret. *Usque ad Johannem enim Lex & Prophetæ prophetaverunt*, qui videlicet primus ostendit præsentem, quem lex & prophetia promiserat venturum.

4. Merito igitur nativitas hujus pueri multos gaudere tunc fecit, hodieque facit, qui in senectute parentum natus, mundo senescenti gratiam prædicaturus erat renascendi. Merito nativitatem istam, quam mirabiliter operatur gratia, miraturque natura, sollemniter veneratur Ecclesia: præsertim cum singularis illius nativitatis cujus gratia naturam reparavit, per hanc pignora fidelia sibi videat esse præmissa. Non ingratam se reprobat Ecclesia, non immemorem: fideliter agnoscit qua devotione, qua gratiarum actione suscipere debeat Præcursorem, per quem ipsum agnovit Salvatorem. Mihi plane novo nascitur gaudio lucerna mundi, cujus indicio lucem veram agnovi lucentem in tenebris, sed non comprehensam à tenebris. Mihi prorsus ineffabili nascitur gaudio, cum quo tot & tanta mundo nascuntur bona, qui videlicet Ecclesiam primus catechizat, per pœnitentiam initiat, per baptismum præparat, præparatam Christo consignat & copulat; & quam ad vivendum temperanter informat, etiam ad moriendum fortiter propria morte confirmat, atque in his omnibus plebem perfectam Domino parat.

5. O fratres, quorum propositum est, (utinam & ita desiderium) ad perfectionem festinare: quàm cito Christianam assequeretur perfectionem, qui huic magistro animum accommodaret docibilem: cujus etiam prima elementa justitiæ modum supergressa sunt perfectionis humanæ; cujus rudimenta primævæ ætatis gravitatem sapientiæ vicere senilis. Qui enim antequam natus, sanctus fuit, quid mirum si in processu conversationis plusquam sanctus fuit? Mirari possumus, imitari non possumus sanctitatem tuam, sanctorum sanctissime: omnino necesse est, ut qui de publicanis & peccatoribus plebem perfectam Domino parare festinas, humanius eis loquaris quàm vivas, & modum perfectionis non secundum vitæ formulam tuæ, sed secundum virtutem mediocritatis temperes humanæ. *Facite*, inquit, *dignos fructus pœnitentiæ.* Nos quidem, ô fratres, gloriamur perfectius loqui, quàm vivere: Johannes autem sublimius vivens quàm possint homines vel intelligere, loquitur tamen eis, prout possunt audire. *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ. Humanum*, inquit, *dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Si nondum esse potest in vobis omnium plenitudo bonorum; sit saltem vera omnium pœnitudo malorum. Si nondum facere prævaletis perfectæ fructus justitiæ; sit interim hæc vestra perfectio, ut faciatis dignos fructus pœnitentiæ.

6. Si recordari volumus, fratres, lectionis hesternæ, ad dignos fructus pœnitentiæ pertinet, quod Jeremiæ, aut certe Johanni sub typo Jeremiæ dictum est; *Ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes:* ad fructus justitiæ, *ut ædifices, & plantes.* Beatus, qui manus hujus exstirpatoris adjuverit. nam ipse Dei adjutor est, qui videlicet cooperans verbo & gratiæ Dei, in hoc studium & operam dederit, ut evellat & disperdat de affectionibus & moribus suis omnem plantationem, quam non plantavit Pater cælestis; destruat & dissipet omnem ædificationem Babylonicæ superbiæ & confusionis, ut postmodum melius ædificet & plantet, fiatque sicut scriptum est: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Ascendat abies pro saliuncula, & myrtus pro urtica:* omnis scilicet pulcritudo & gratia virtutum, pro situ & horrore vitiorum. Quis putas est ille tam perfectus in nobis, ut saltem hoc initium perfectionis habeat, qui scilicet ita digne perfecteque pœnitens sit, ac tota severitate damnet mala sua quæ fecit, prioribus usquequaque renuntians vitiis, ut omne germen maledictionis radicitus evellat & disperdat de agro cordis: ita ut de radice pessima, nullus amplius germinet fructus amaritudinis? quique semel ita destruat ac dissipet omnem altitudinem, extollentem se adversus humilitatem Christi, ut iterum non reædificet quæ destruxit? Quàm felix hodie esset Ecclesia sanctorum! quanta pace & gratia florerent congregationes beatorum pauperum; si fructus istos, quos facere debuerat rudium pœnitentia, vel eorum qui perfecti & sancti videri volunt, afferret justitia! Denique, qui nec justitiam Sanctorum, nec exactam habemus pœnitentiam peccatorum, redimamus vel ex parte aliqua teporem

Marginalia: Johannis Baptistæ nativitatem merito veneratur Ecclesia. — Sanctitas Johannis ab ipsa pueritia. — Docet pro captu auditorum. — Matt. 3. b — Rom. 6. d — Jerem. 1. a — Prius evellendum quam plantandum. — Isa. 9. b — Ibidem. 55. — Vera pœnitentia quæ. — Luc. 16. d

nostrum devota veneratione Sanctorum: præcipue beati Johannis, cujus tam magnifice sanctitas effloruit supra modum aliorum, ut crederetur Sanctus sanctorum. Magnificentiam gloriæ sanctitatis ejus loquamur ac meditemur, fratres mei, ut propitium faciat peccatis nostris eum, cujus singulariter amicus esse meruit, Filium Dei, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN NATIVITATE S. JOHANNIS Baptistæ,

### SERMO II.

Matt. 11. b

1. A*Diebus Johannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Merito igitur læta nobis est ejus nativitas, cujus tam fausta sunt tempora, ut regnum Dei jam exinde nobis expositum sit ad diripiendum, quibus utique justitia non sufficiebat ad promerendum. Merito multi in nativitate ejus gaudent, sicut promittebat Angelus: sub quo tanta felicitate mutatus est temporum status, ut regnum Dei quod ante nulla innocentium obtinebat justitia, nunc pœnitentium invadat & possideat violentia. Quid enim aliud debuit dici pœnitentia peccatorum, nisi violentia in regnum cælorum? Annon violentia est, rapere virtute, quod non erat concessum naturæ; ut qui natura erant filii iræ & gehennæ, labore improbo qui omnia vincit, intrudant se in hereditatem Sanctorum & consortium gloriæ? Annon plane violentus Deo strenuus ille luctator Patriarcha Jacob, qui, ut scriptum est, *contra Deum fortis fuit* & invaluit; qui cum eo luctatus usque mane, constanter & obnixe tenebat rogantem dimitti, *Non dimittam te*, inquiens, *nisi benedixeris mihi?* Dico quia cum Deo luctatus est: Deus siquidem erat in Angelo, cum quo luctatus est. Alioquin nec Angelus diceret, *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* nec Jacob diceret: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Sed neque Dominus de Jacob diceret per Osee Prophetam, *In Bethel locutus est nobiscum.* Bona igitur violentia, quæ benedictionem extorsit: felix lucta, qua Deus homini succubuit, victusque victorem gratia benedictionis & honore sanctioris nominis muneravit. Quid enim si tetigit nervum femoris ejus, & emarcuit, ac de cetero claudicavit? Facilis jactura corporis, damnumque consolabile, quod tanto compensatum est munere: præsertim illi qui potuit dicere; *Super salutem & omnem pulcritudinem dilexi sapientiam.* Utinam marcescat in me non solum nervus femoris, sed virtus totius corporis: dummodo vel unam merear benedictionem Angeli. Utinam non solo claudicem cum Jacob, sed & moriar cum Paulo, ut gratiam & nomen Israëlis obtineam munere perpetuo. Jacob quidem femur gerit marcidum, Paulus vero corpus emortuum: quia mortificationem membrorum, quam cœpit propheticæ religionis initium, ad integrum consummavit Evangelium. Jacob claudicans, quia ex parte quæ mundi sunt cogitans, alterum pedem à terra suspensum portat. Paulus cogitans solum quæ Dei sunt, *sive in corpore, sive extra corpus, nescit, Deus scit*, totus tamen in spiritu liber ad cælum volat.

Pœnitentia est violentia rapiens regnum cælorum.

Gen. 32. f

Jacob cum Deo luctatus quasi vi benedictionem extorsit.

Ibid.

Osee 12. b

Sap. 7. b

2. Cor. 12. a

2. Vobis itaque dicimus, fratres, qui aggressi estis cælum rapere, qui congressi estis luctari cum Angelo, qui viam custodit ligni vitæ: vobis, inquam, dicimus omnino necesse esse, ut constanter & irremisse luctemini: non dico usque ad enervationem femoris, unde generatio propagatur carnis, sed etiam usque ad mortificationem corporis. Hoc tamen ipsum nec sic labor noster poterit assequi, nisi tactu & beneficio divinæ virtutis, cum vestram videlicet constantiam invincibilem sibi probaverit. Sic enim scriptum est: *Cumque videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit.* Annon tibi cum Angelo, immo cum Deo ipso luctari videris, quando quotidie præproperis tuis resistit votis? Lavaris velut aquis nivis, ut mundus sis corde & corpore, & ipse sordibus intingit te. Dicis, Sapiens efficiar, & ipse longius recedit à te. Clamas ad eum, nec exaudit te: vis accedere ad eum, & repellit te. Decernis rem, & in contrarium tibi cedit; & per omnia fere in duritia manus suæ adversatur tibi. O dissimulatrix clementia, quæ duritiam te simulas: quanta pietate pugnas adversus eos pro quibus pugnas! Licet enim hæc celes in corde tuo, scio tamen quia diligis diligentes te, & immensa multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondis timentibus te. Noli igitur desperare, constanter age, felix anima, quæ cum Deo luctari cœpisti: amat utique vim abs te pati, desiderat à te superari. Nam & cum iratus est, manumque ad feriendum extendit, quærit, ut ipse confitetur, virum similem Moysi qui resistat sibi; & si non invenerit, conqueritur & dicit: *Non est qui consurgat, & teneat me.* Nam si implacabilis sit ejus ira, inflexibilisque sententia, flebit & dicet Jeremias qui resistere tentaverat: *Fortior fuisti, & invaluisti.*

Gen 32. f

Lucta nobis cum Deo quotidiana qualis.

Amat Deus à nobis vim pati.

Isa. 64.

Jerem. 20.

3. Sed absit, fratres, qui placita ei postulatis: absit ut fortis adversum vos sit, qui pro vobis infirmari usque ad mortem voluit. Tot vulneribus confossus est, toto corpore crucifixus est; unde quæso virtus ei esse potest ad resistendum illi caritati, quæ veluti victum & captum per omnia genera infirmitatum usque ad mortem, mortem autem crucis perduxit? Jam non fortis ut mors, sed fortior quàm mors dilectio: cum virtute dilectionis infirmata sit usque ad mortem Dei fortitudo; cujus tamen infirmitas fortior inventa est omni fortissimo; cujus mors probata est esse mors tua, ô mors. Virtute igitur dilectionis armatus sis, quicumque es ille pius invasor, qui rapere contendis regnum cælorum: & securus esto, quia facile vinces Regem ipsum cælorum. Si qua enim videtur tibi adversari difficultate, aut duritia; ne sis pusillanimis, sed intellige, qua mente id faciat. Nempe ut contrarietate ipse tibi acuat animum, sicut solet esse natura magnanimorum ac fortium; ut vires exercitet, constantiam probet, multiplicet victorias, augeatque coronas.

Deus ad vincendum facilis, quo modo.

Cur Deus subinde nobis adversari videtur.

4. Quamobrem accingimini filii Israël, & estote filii fortitudinis. non enim opus est nisi magnanimitate & constantia, quæ nullis possit terreri adversis. Infirmus dicat, Fortis sum: & præ gaudio spei se nesciat infirmum, cui tam facile jam jamque capiendum est cælum. Plane cælum violenter rapit, qui imbecillitati suæ vim facit, aut ætati. Immo, ut magis proprie loquar, plane vim facit propriæ perditioni, qui intonante tuba mandati, nescit parcere sibi. *Homo enim in laboribus*, ut Scriptura ait, *laborat sibi, & vim facit perditioni suæ.* Accingimini, inquam, viri virtutis, & sequimini ducem ac magistrum felicis hujus militiæ, Johannem Baptistam loquor, à diebus cujus cælum esse cœpit expugnabile. Iste siquidem est, qui velut alter David princeps factus latronum, piorumque ductor prædonum, & victoriosum illum exercitum publicanorum & peccatorum per illam laudabilem ac religiosam violentiam post se induxit in regnum cælorum. Quis enim scelestus aut profanus tubam ejus audivit, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*; & non se continuo præparavit ad bellum? Sequimini, inquam, ducem istum, cujus vexilla proprio rutilant sanguine, cujus hodie virtutes ac triumphos debita decantastis veneratione. Ipse, nisi fallor, quos post se traxerit exemplo, juvabit merito, commendabitque suffragio, cum inter natos mulierum nullus sit acceptior Regi summo Jesu-Christo Domino nostro, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Exhortatio ad vim inferendam.

Prov. 16. juxta lectionem LXX.

Matt. 3. a

## IN NATIVITATE S. JOHANNIS Baptistæ.

### SERMO III.

1. INter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista. Salomon ait: *Laudent te labia proximi tui.* Sed quam felicius & gloriosius, cum laudant quempiam labia DEI sui. Deus quippe nec falli potest, nec adulari. DEUS neminem facile laudat, quem laude posse inflari videat, vel quem ex fine debere reprobari prævideat. Homini quidem recte dicitur, ne laudet hominem in vita sua; cujus sicut scire non potest intima, sic nec præscire novissima; cum de seipso quoque confiteri

Matt. 11

Prov. 27.

Laudandus nemo ante mortem.

habeat; *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Sunt enim *justi & sapientes, & opera eorum in manu Dei sunt*, & tamen *nemo scit, utrum sit dignus amore an odio, sed omnia in futurum servantur incerta.* Felix igitur, qui testimonio ipsius Judicis dignum se amore scire meruerit; nisi quod testimonium justitiæ præsentis, mutabilitati humanæ suspicionem ac metum non adimit de futuris. Indubitabile tamen eximiæ virtutis & magnæ perfectionis est indicium, quoties hominem adhuc corruptioni subditum, suæ suffragio laudis illud irrefragabile Dei dignatur judicium: Magnum profecto justitiæ præconium, quod summa justitia dicit ad Noë; *Te vidi justum coram me.* Magni quidem insigne meriti, quod Abrahæ testificatur Deus, propter ipsum implendas esse promissiones, quæ ad ipsum factæ sunt. Quantæ autem illud est gloriæ, quod de beato Job Dominus gloriatur adversus invidum: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra: homo simplex & rectus, & timens Deum, ac recedens à malo?* Quantæ etiam illud erat gratiæ, quod pro Moïse æmulabatur & confundebat æmulos ejus? *Si quis*, inquit, *fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moïses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei, & palam, non per ænigmata videt Deum. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?* Quis vero in omnibus sicut David, de quo gratulatur Dominus; quia invenit virum secundum cor suum?

2. Verumtamen quantumlibet magni fuerint, sive isti, sive alii; nec inter istos, nec inter alios natos mulierum, teste Nato Virginis, surrexit major Joanne-Baptistà. Nam etsi stella differat à stella in claritate, & in choro sanctorum siderum, quæ ante exortum veri Solis illustrarunt noctem hujus sæculi, quadam effulserunt claritate mirabili; nullum tamen in omnibus majus aut splendidius lucifero isto, lucerna scilicet ardenti & lucenti, quam Pater Christo suo paravit: Lucifero, inquam, prælucanæ lucis, qui præcursor Solis diem instantem mortalibus nuntiavit; dormientibus in tenebris & umbra mortis clamitans & dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Ac si diceret: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjicite opera tenebrarum. Surge qui dormis & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

3. Non est autem negligenter prætereundum, sed etiam atque etiam considerandum, quam sublimis meriti, quam excellentis gratiæ & virtutis, oculus ille quem nil fallit, eum perviderit, qui post tanta præcedentium præconia, hanc de illo sententiam tulit: quod *inter natos mulierum*, nullus illo *major surrexerit*; nec nisi de ordine Angelorum, vel qui pervenisset ad æqualitatem Angelorum, aliquem ei præferendum judicavit. Nec semel quidem, aut perfunctorie vel breviter laudem ejus attigit: sed quotiescumque se offerebat occasio sermonis, laudibus ejus delectabatur immorari, quod satis probat historia Evangelii. Propterea Marcus quoque, Lucas & Johannes initia librorum præconiis ejus dedicaverunt: ut videlicet auctoritas tanti nominis prima fronte prælati, totum deinceps commendabilius redderet Evangelium; & lucerna in ipso ingressu ac vestibulo ardens & lucens perduceret ad lucem, quæ lucebat in tenebris; sed à tenebris nequibat comprehendi. Matthæus enim quia eum nativitas Domini in initiis occupatum tenuit, mox ut puerum nutriendum Nazareth commendavit, ad Præcursorem & Baptistam ejus stilum convertit, arbitrans imperfectum fore quicquid de Sponso diceret, si de individuo amico Sponsi reticeret. Hæc namque cura non minima fuit, non solum Evangelistis narrantibus, sed etiam Prophetis & Angelis prænuntiantibus: ut lucerna Christi, testis Domini talis induceretur, cujus splendore & auctoritate inimici facile confunderentur, & ex cujus magnitudine incomparabilis Altissimi magnitudo manifeste monstraretur. Cum enim maximus inter natos mulierum Natum Virginis testabatur tam longe magnitudinem suam vincere, ut indignum se confiteretur ejus calceamenta portare: quid aliud dabatur intelligi, nisi quia ille erat *magnus Dominus, cujus magnitudinis non est finis?* & de quo dicitur: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* Et hæc utique illa magnitudo Johannis fuit, qua inter magnos tam magnus excrevit: quia videlicet virtutes suas magnas & innumeras, quibus nulli mortalium secundus fuit, maxima omnium virtutum humilitate cumulavit sibi: cum putaretur summus omnium, ultro ac devotissime præferens humillimum omnium, & in tantum præferens, ut calceamentis ejus detrahendis se testaretur indignum.

*Psal. 144. a* *Psal. 88. a* Unde S. Johannis magnitudo. *Luc. 3. d*

4. Mirentur igitur alii, quod à Prophetis prænuntiatus, quod ab Archangelo promissus, & eodem quo Christus; cum tamen Christus in cubiculo, Johannes in oraculo; quod de tam sanctis ac nobilibus parentibus; quod de senibus, & sterilibus contra debitum naturæ, dono gratiæ; quod ante sanctus, quam natus; ante propheta, quam prophetaret; quod plusquam propheta, quia Angelus angelicum officium vitamque gerens in terris, in carne præter carnem vivens; & licet innocentissimus, pœnitentiæ tamen formam plus exemplo quam verbo tradens; quod in spiritu & virtute Eliæ præcurrens adventum Redemptoris, & viam ei parans in eremo; quod corda patrum ad filios, & filiorum ad patres convertit: quod Filium baptizare, Patrem audire, Spiritum-sanctum videre meruit; quod denique usque ad mortem pro veritate certavit: ut etiam ad inferos Christum præcurreret; ante passionem Christi, martyr Christi fuit. Mirentur, inquam, hæc alii, si tamen est qui digne possit mirari: nobis, Fratres, non solum miranda, sed & imitanda proponitur virtus humilitatis ejus, qua major se credi, cum potuit, noluit: immo credentes ne errarent, quantum valuit compescuit. Fidelis enim amicus Sponsi, magis amator Domini sui, quam sui; se minui, ut ille cresceret optabat, & de minoratione sui gloriam illius augere satagebat, ante Apostolum opere & veritate dicens illud apostolicum: *Non nosmetipsos prædicamus, sed Dominum Jesum-Christum.* Ideo nimirum magna est gloria ejus in salutari tuo, in Jesu tuo Domine, cujus justitiæ & bonitatis est diligentes se diligere, & glorificantes se glorificare. Magna prorsus gloria ejus in Jesu, magna à Jesu: qui & apud se glorificavit eum consortio gloriæ suæ, & apud homines testimonio vocis suæ. Persuasum sibi habebat Johannes illud fidele Sapientis consilium; *Qui gloriatur, in Domino glorietur. non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Maluit itaque in Domino sane, quam in seipso vane gloriari: quia & maluit veraciter à Domino, quam fallaciter à seipso commendari. Ideo probatus est DEO & hominibus; & gloria ejus veritas apud homines, felicitas apud Deum: qui si seipsum glorificasset, gloria sua nihil esset.

Elogia S. Johannis summatim congesta. Baptistæ humilitas præcipue miranda & imitanda. *Johan. 3. d* *2. Cor. 4. b* *Ibidem. d*

5. O filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Ut quid vanam & mendacem gloriam diligitis, & gloriam quæ à Deo solo est, non vultis? Sed quomodo quæritis? Utinam agendo fortia, non loquendo sublimia: utinam saltem vera loquendo, licet vane, & non mentiendo plane: utinam denique mentiendo tantum de vobis, non etiam detrahendo de aliis! Hoc jam non est gloriam accipere vel quærere, sed magis furari & rapere. Quærere siquidem gloriam, non sua, sed contraria via; non illa scilicet cui debetur gloria, sed contumelia, id est, non virtutis titulo, sed mendacii, & detractionis latrocinio: quid aliud est hoc nisi rapere, vel furari nequiter, quod concupieris turpiter? Certe si gloriam ab homine non quæreres, sed oblatam acciperes, jam ex hoc secundum veritatem non ambulares. Nunc autem quid? cum non solum accipis si offertur, sed & quæris cum non offertur? Quid denique, cum alium velut trucidas venenosa & insidiosa lingua, ut gloriam ejus tibi rapias: ut de malo ejus tu melior, de contemptu ejus tu gloriosior appareas? Sit ergo illud, gloriam scilicet accipere vel quærere ab homine, insipientium vanitas: quid istud, nisi sævientium crudelitas? Sit certe illud, ut mitius loquar, tentatio humana: quid istud nisi imitatio diabolica? Plane imitantur diabolum qui sunt ex parte illius, id est, omnes superbi. Ipse est

*Psal. 4. a* Gloriæ præposteri amatores arguuntur. Item detractores. Nota.

enim rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.

*Qui ex aliorum contemptu ſibi gloriam quærunt, diabolum imitantur.*

6. Quomodo, inquis, imitantur? Diabolus quia ſuperbivit, meliori ſe, id eſt, DEO invidit; quia invidit, detraxit. Sic filii ſuperbiæ ejus, mox ut infecti ſunt vitio ejus, id eſt amore propriæ excellentiæ, invident alienæ. Ut cœperint invidere, incipient, ſi poſſunt, detrahere, ut ſcilicet accreſcat eis quod derogaverint aliis. Quanto ſalubrius imitarentur humilitatem Johannis, qui detrahebat ſibi, ut adderet alii: qui contendebat minor credi quam credebatur, ut alius inciperet apparere quod non putabatur? Denique ſi non placet humilitas ex ſui honeſtate & æquitate, placeat ſaltem ex utilitate: quia nulla via rectior, aut facilior ad gloriam divinam, ſed nec ad gratiam humanam ulla pulcrior aut juſtior, & ſæpe nulla compendioſior. *Quanto*, inquit, *magnus es, humilia te in omnibus, & invenies gratiam coram Deo & hominibus.* Hæc beatum Johannem glorificavit apud Deum & homines, ſicut eſt dies hæc, quæ de nativitate ejus glorioſa conſolationem præſtat mundo, gaudium cælo, gloriam Deo: cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

*Humilitate nulla via rectior ad gloriam.*

*Eccl. 3. c*

## IN NATIVITATE S. JOHANNIS Baptiſtæ.

### SERMO IV.

*Matth. 11. a* *Cant. 2. d*

1. Cœpit *Jeſus dicere ad turbas de Johanne: Quid exiſtis videre in deſerto?* Ecce illud quod ſponſa de ſponſo gloriatur in Cantico amoris ſui: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi:* Johannes Jeſu, & Jeſus Johanni. Johannes Jeſum prædicat, Johannem Jeſus commendat. Par pari redditur, & tam amica quam juſta viciſſitudine caritas in invicem provocatur, aut remuneratur. *Ego enim*, inquit Jeſus, *diligentes me diligo, & glorificantes me glorificabo.* Habet pietas promiſſionem vitæ quæ nunc eſt, & futuræ; & Dominus dilectum ſibi quem glorificaturus eſt in futuro redditione præmii, etiam nunc incipit glorificare * redditione præconii, teſtemque ſuum etiam apud homines proprii ſublimat honore teſtimonii. *Quid exiſtis*, inquit, *videre in deſerto?* Vos hominem miramini commorantem in deſerto: ſed per iſtum pingueſcent ſpecioſa deſerti, & florebit ſolitudo, cum ubique novi cultores eremi de Johannis ſuccreſcent exemplo. Tunc erit deſertum quaſi deliciæ paradiſi, & ſolitudo quaſi hortus Domini. *Tunc gloria Libani dabitur ei, decor Carmeli & Saron.* Sed quid, inquam, *exiſtis videre in deſerto? arundinem vento agitatam?* Et ſi moretur in deſertis, non eſt tamen arundo deſerti, ſed cedrus paradiſi, columna cæli, gloria generis humani, miraculum mundi, virtute & merito ultra menſuram hominum, conditione citra naturam Angelorum.

*Prov. 8. b*

** Al. exhibitione.*

*Iſa. 35. a*

*Johannis encomium.*

*Non fuit arundo vento agitata.*

2. Non eſt arundo vento agitata, ſed palma fortior omni procella, quam nullus turbo quatiat: aut certe cypreſſus in monte Sion æternæ plantata, altius ſcilicet quam ut ventorum rabiem timeat. Non eſt obnoxius tempeſtatibus hujus aëris, quia ſuperior eſt cunctis cupiditatibus mundi. In cælo radicem fixit, quo nullus ſpiritus procellarum adſpirat, unde minas & bella ventorum, & cuncta in ſæculo adverſantia ſecurus irrideat. Iraſcatur Herodes, inſidietur Herodias, de interioribus eorum ebulliat tempeſtas, ac nequam ſpiritus procellarum, qui in abyſſis cordium eorum cubat, omnes vires ſuas & argumenta malitiæ commoveat: nihil illum terrebit, nihil à ſententia movebit, quo minus libere nuptias eorum inceſtas arguat. Quomodo enim flecterent adverſa, quem mollire non potuerunt proſpera? Flaverunt ſiquidem aliquando & molles, atque blandientes venti, auræ ſcilicet favoris popularis: ſed nec illis à rectitudine ſua potuit inclinari. Vos miſiſtis ad Johannem, & teſtimonium perhibuit veritati. *Miſerunt enim Judæi Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negavit, quia non ſum ego Chriſtus:* cum tamen ei flaret favor popularis, & blandiretur exiſtimatio communis, non ut Chriſtum prædicaret ſe eſſe, ſed ut credentibus tantum non contradiceret. Sed & alias cum diſcipuli ejus dicerent ei: *Rabbi cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum:* numquid hoc vento potuit agitari, aut de ſua deſertione, & alterius frequentia & gloria, ad dolorem, vel invidiam moveri? Immo conſtantia immobili ventum repellens & frangens, reſpondit: *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quia dixerim, Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum.*

*Johann. 1. c.*

*Johann. 3*

*Ibidem.*

*Gradus d[...] ad vitæ ſpi[...] talis perfe[...] tionem.*

3. Sed *quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum?* Laudaverat eum de conſtantia animi, & nunc laudat de contemptu corporis ſui, ac poſtremo de ſuperexcellentia gratiæ prophetalis, atque dignitate angelici officii & nominis. His etenim duobus gradibus ad ſpiritalia ac divina nititur humilitas humana, ſi videlicet adverſus irruentium tentationum ventos immobilis perſiſtat, & deſiderio ſpiritualium bonorum corpus affligat. Sicut enim in initiis, ut vincamus tentationes, corpus eſt caſtigandum, ne regnet in eo peccatum; ſic etiam victis tentationibus in eodem tamen eſt perſiſtendum, non ſolum metu recidendi, ſed etiam deſiderio proficiendi: ut ſcilicet de mortificatione carnis ſpiritus vegetior fiat, & quanto levius ac ſubtilius vinculum geſtat, tanto ad ſpiritalia liberior aſſurgat. Johannes qui antequam exiret de ventre, ſanctificatus erat, cui illud dicere competebat; *Ab infantia mea mecum crevit ſanctitas, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum;* quem nullus tentationis ventus agitare poterat: nec mollibus tamen veſtiebatur, nec ſuavibus veſcebatur; ſciens utique, quia ſicut peccatoribus; ut ſancti fiant; ſic ſanctis, ut ſanctiores fiant, neceſſaria eſt ſeverior vivendi diſciplina. Nunc autem Deo gratias, qui dedit nobis, ſi tamen dedit, ſine pugna victoriam, ſine pœnitentia veniam, ſine opere juſtitiam, ſanctimoniam ſine labore; deliciis carnalibus ſimul & ſpiritualibus affluere. Induimur, ſi non purpura & byſſo, certe mollioribus & calidioribus quam ſint purpura & byſſus; & epulamur quotidie ſplendide: & nihilo minus diſtenti & ructantes crapulam, dormiemus cum Lazaro quondam paupere in ſinu Abrahæ, vel potius in ſinu Chriſti cum Johanne? Plane ſi ita eſt, melius nobiſcum actum eſt, quam cum illis, qui tantis emere laboribus, quod nos delicati gratuito poſſidemus. Plane ſi ita eſt, ridenda eſt magis quam prædicanda vita Johannis: & omnem nationem filiorum DEI, qui dura & arcta via ſecuti ſunt unicum Patris, reprobare magis expedit, quam imitari.

*Mortifica[...] corporis [...] per neceſ[...] ria.*

*Job 31.*

4. Veri ſimilius autem videtur quod non ita ſit; ſed magis ſicut Veritas dicit, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei:* & ſicut Diſcipulus Veritatis perhibet, quia *vidua in deliciis vivens mortua eſt.* Ideo Dominus cum de aſperitate veſtis laudaſſet amicum in omni domo ſua fideliſſimum, *Ecce*, inquit, *qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt:* volens nimirum intelligi, quia qui ſectantur delicias carnis, regno hujus ſæculi militant, non regno DEI. Heu quam terribilem ſententiam cælitus audivi contra mollitiem illius magnæ & purpuratæ meretricis! *Quantum*, inquit, *glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Utinam tamen his deliciis, tantum mollitie veſtium, & ſuavitate epularum contenta eſſet teneritudo delicatorum, nec alias ſpinas vitiorum germinaret in eis rhamnus voluptatum, ut hoc eſſet omne peccatum eorum, deliciari, non luxuriari. Ipſi viderint, ſi ita extinctus eſt in eis ingenitus ille peſtifer ignis, ut tot fomentis circumpoſitis nequeat reaccendi: præſertim ventis ex adverſo flantibus, id eſt, verbis & riſibus laſcivis tentantibus. Soleo tamen audire, quia ſæpe vivit etiam in moriente, viget in ſene: ſuſcitatur & exſurgit etiam ſine fomite, furit nullo irritante. Ipſi ergo viderint ſibi. Nihil enim mihi de aliorum conſcientiis judicare, cum ſciam multos in omni copia & gloria mundi temperanter & pudice vixiſſe: & è diverſo nonnullos in habitu aſperiore & victu parciore nequiter egiſſe. Sed & ſcio regem Iſraël ſub purpura ſua cilicio ad carnem fuiſſe indutum; & panem ſolum nonnumquam regibus appoſitum: cum hodie delicatiſſima quæque ac mollia tegat pulla veſtis pœnitentium, vel magis pœnitentiam pro-

*Act. 14.*

*2. Tim.*

*Matth.*

*Qui del[...] ſectant[...] gno m[...] militant Dei.*

*Apoc. 1[...]*

*Libido [...] extingu[...] poteſt.*

*4. Reg. [...]*

*Religioſ[...] delicatu[...] perſtrin[...]*

sitentium; & fastidiis eorum non satis sint opes mundi, A non satisfaciant artes & tormenta coquorum. Verum quia in hujusmodi causis facile quisque sibi invenit patrocinium, alius infirmitatis, alius societatis cui morem gerit, alius honoris quem gerit: esto, vivant ut volunt, comedant ut volunt: tantum ne excedat ulterius hoc malum, ad id scilicet, quod qui perpetrare volunt, confiteri nolunt, quia tueri non possunt: & incipiant notari proverbio mulieris nequam, *quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum.* Nam & de magna illa Babylone, de cujus medio delicati pœnitentes isti videbantur exisse, audeam dicere: Quantum vult purpurata sit, quantum vult delicata sit: tantum meretrix non sit, nec divaricet pedes suos omni transeunti. B

5. Tu ergo si non potes imitari Johannem in asperitate vestitus, vel parsimonia victus: vel in hoc imitari contende, ut non sis arundo vento agitata, & ut Sapiens ait, *Non te ventiles in omnem ventum, & non eas in omnem viam.* Sic enim peccator probatur in duplici lingua. Sed *esto firmus*, inquit, *in via Domini*, ne te projiciat ventus à facie terræ seu loci, cui professus es; seu regni, cui præparandus es. Solet repente ventus vehemens irruere à regione deserti, & concutere quatuor angulos domus filiorum Job, & fit ruina ejus magna, si tamen super arenam fundata sit, non supra petram: si arundinea sit, non lapidea: immo si is qui ædificat eam, & inhabitat, arundo sit: foris per hypocrisim nitidus, jactantia vel promissione cassa sonorus; intus veritate vacuus. C In secreto hujus arundinis Behemoth dormire amat, quæ & in locis humentibus, ubi nulla fluxarum rerum penuria, sed ad luxum superfluunt omnia, sæpius & uberius crescit atque luxuriat. Huic arundini si quis innitatur, manum ejus perforabit: quia si quis in adjutorium operis eum adsciverit, vel alicujus ei muneris functionem imposuerit, sperantem in se gravi scandalo vulnerabit. Patientia tamen Domini hujusmodi arundinem etiam quassatam non conterit, sed sustinet, ut in melius convertatur. Nonnumquam etiam increpat feras arundinis, quæ cum principe suo in secreto ejus dormiunt: nonnumquam justi tamquam scintillæ æris candentis in arundineto discurrunt, D qui tamquam carbones desolatorii, quicquid in eo steriliter silvescit incendunt, novisque fructibus purum præparant locum. Hoc agebat Johannes, Vox clamantis in deserto, non arundo, sed scintilla in arundineto: *cujus sermo*, ut scriptum est, *sermo scintilla ad commovendum cor* pigrum & stolidum, ut pararet viam Domino. Hoc etiam nunc in nobis agat eadem Vox, cooperante Verbo ipso, cujus erat vox, Jesu-Christo Domino nostro, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN NATALI APOSTOLORUM Petri & Pauli.

### SERMO I.

1. ET respondi, inquit Zacharias, *& dixi ad Angelum qui loquebatur in me: Quid sunt duæ olivæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram ejus? Isti sunt, inquit, duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori universæ terræ.* De candelabro quod viderat totum aureum, & septem lucernas ejus super illud intellexerat Propheta: sed nec nobis dubitare jam licet, cum in lumine ejus videamus lumen. Hoc lumen cum alia demonstret, seipsum ignorari non patitur, sed testimonium perhibens de seipso loquitur: *Ego sum lux mundi.* Lux ex divinitate, F candelabrum ex humanitate. Et ipsum totum aureum, non auratum: quia sive divinitas, sive sapientia, sive caritas auro significetur, hæc omnia Christus non per participationem, sed per substantiam. Nos cum simus natura plumbei, vel magis lutei, gratia & participatione ipsius, non aurum vel aurei, sed ut multum aurati. Septem lucernæ super ipsum, septem spiritus, septem oculi Domini, qui discurrunt in universam terram. De his ergo Propheta certus, de duabus olivis quidnam sint percunctatur, auditque ab Angelo qui in eo loquebatur:

A *Isti sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori universæ terræ.* Interpretentur alii ut volunt, aut possunt unusquisque pro sensu suo: sive Enoch & Eliam, qui apud Deum in secreto vivunt: sive Moïsen & Eliam, qui cum eo in monte visi sunt: sive duos ordines prædicatorum, veteris scilicet ac novi Testamenti: ut qui *Veteris*, ad sinistram sint propter promissa temporalia: qui *Novi*, ad dexteram propter æterna. Ego quicquid à regula fidei non discrepat, aut à contextu lectionis non nimie dissonat, suscipio, veneror, amplector. *Zach. 4. d* *NOTA.*

2. Puto tamen sine præjudicio melioris intellectus, Petrum & Paulum non absurde posse intelligi: immo absurdum videri, qui hodie aliud interpretari velit, cum B hodie nihil aliud cantet aut tractet Ecclesia ubique terrarum, quam præconia Patrum Doctorumque suorum. Nam etsi aliis possit aptari, puto quia istis specialius congruit, seu illud quod tamquam duæ olivæ circa candelabrum à Propheta videntur, seu quod duo filii esse olei splendoris ab Angelo memorantur. Et alterum quidem altero exponitur, visio scilicet prophetica interpretatione angelica: ut inde intelligantur olivæ, quia filii olei splendoris: inde circa candelabrum, quia Domino assistunt. Quia enim ex oleo Spiritus-sancti sunt regenerati, hodieque florent & fructificant sicut oliva fructifera in domo Domini: etiam oleastro gentili, qui in ipsos insertus est, impertientes pinguedinis suæ succum ac C dulcedinis, gratias illis agat sterilis dudum & amara gentilitas: & si non ab ipsis, tamen per ipsos est, quod nunc tam copioso, tam pretioso fructu per orbem abundat. *In SS. Apostolis gloriandum.*

3. Vobis tamen, Fratres, quibus sicut substantia & domus una, ita cor unum & anima una: vobis inquam, specialius in ipsis censeo gloriandum, qui sicut novella olivarum de eorum radice traduxistis non solum fidei succum, sed & formam vitæ atque ordinis exemplum: Quod si novella olivarum vos, utique & filii olei vos, filii uncti, qui est Christus Dei: diceturque ei de vobis, cum hodie ad altare accedetis: *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* O novella oliva- D rum nobilium! ô generosum germen tam pinguium, tamque feracium arborum! semper obsecro recordare de qua pullulaveris stirpe, de qua succreveris radice, ne umquam sterilitas operum, aut amaritudo morum te degenerem arguat, aut, quod absit, inutilem ignibus addicat. Cave, quæso, notam infelicium temporum, de quibus meministi prophetatum: *Mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum.* Duo tamen præcipue tibi existimo cavenda, ne aut per teporem fias sicut oliva projiciens florem suum, sicut legis in Propheta, ut videlicet fructum quem in initiis novitii fervoris promittebas non facias: aut cum feceris, ne per superbiam perdas, & dicat tibi Jeremias: *Olivam uberem, pulcram, fructiferam,* E *speciosam vocavit Dominus nomen tuum:* sed heu! *ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt omnia fruteta ejus.* Confidimus autem de vobis meliora, dilectissimi, tametsi ita loquamur. Confidimus, quia oleum splendoris, vel magis olei splendor, cujus estis filii, sicut & patres nostri Apostoli, unctione sua docebit vos de omnibus: nec solum deterget torporem, quia oleum est: sed & discutiet errorem, quia splendor est. *Præsertim religiosis.* *Psal. 27. b* *Abac. 3. d* *Duo ipsis cavenda.* *Jerem. 11. d*

4. Scio posse intelligi *olei splendoris*, id est, quod de splendore Filio procedit, vel quod splendorem illuminationis diffundit: sed puto quia non inconvenienter etiam per intransitionem accipi potest oleum, quod splendor est. Utrumque siquidem Spiritus est in natura sui, & F unctio scilicet spiritalis, & splendor invisibilis: utrumque in nobis operatur munere sui. Ungit affectus ex eo quod oleum est: illuminat intellectus ex eo quod splendor est. Qui tamen non ex alio atque alio, sed ex uno ipso & oleum, & splendor est: quia nonnisi unum ipsum est. Ungit affectus, quia caritas est: illuminat intellectus, quia veritas est. Ungit affectus, cum devotionem donat; illuminat intellectus, cum mysteria revelat. Cum bonitatem docet, ut simus simplices sicut columbæ, ungit affectus: cum scientiam docet, ut simus prudentes sicut serpentes, illuminat intellectus. Illuminat, ut habeamus *Spiritus-sanctus oleum & splendor.*

in nobis salem : ungit, ut habeamus inter nos pacem. In hoc igitur te nobis probabis filium olei splendoris, si suavem & unctum per benevolentiam, discretum & maturum per sapientiam te nobis exhibueris: ut suavitas veritate sit condita, & æquitate caritas ordinata. Puto autem quod hanc geminam virtutem sui, vel effectum muneris sui, propter quam splendor voluit dici, etiam in illo igne Spiritus-sanctus significaverit, in quo ipse invisibilis invisibiliter Apostolis apparuit. Qui enim splendor fuit in aspectu oculorum, oleum, nisi fallor, fuit in sensu corporum: ut veluti in quodam lavacro olei viderentur sibi baptizati, cum super eos effunderetur ignis iste cælestis. Verumtamen qualiscumque fuerit in eis corporaliter sensus illius ignis (parum enim interest qualis sentiatur, sed qualiter operetur) illud, ut opinor, & probabilius dicitur, & religiosius creditur, quod idem ignis qui inflammavit & illuminavit corda, refrigeravit corpora: ut per caritatem mentes arderent, & per castitatem membra frigerent, & utrumque congrueret singulis, sive illud Jeremiæ, *De excelso misit ignem in ossibus meis*; sive illud Psalmistæ, *Caro mea immutata est propter oleum.* Nisi forte aliquid de lege membrorum contra legem mentis relinquere voluit Spiritus, ut virtus in infirmitate perficeretur.

Utrumque in igne, quo apparuit Apost. significatum

Thren. 1. d
Psal. 108. c

5. Sed prosequamur quod proposuimus. *Isti sunt*, inquit, *duo filii olei splendoris, qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Ecce habes bonitatem in oleo, scientiam in splendore: accipe disciplinam in eo quod ait, *qui assistunt Dominatori universæ terræ*: ut agnoscas eos vere discipulos illius fuisse cui cantamus, *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.* Hæc est namque perfectio disciplinæ, tam in mente, quam in corpore: ut proponentes Dominum in conspectu nostro semper, semper & ubique majestati æternæ, quæ nos inspicit & judicat sine intermissione, cum metu & reverentia assistamus, privigili fide ac jugi devotione. *Sicut oculi*, inquit, *servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum*, intentissime & indeclinabiliter observantes nutus ejus, quid velit, quid jubeat, ut quam celerrime devotio nostra obediat. Sic Moyses invisibilem tamquam videns sustinebat, nec umquam imminentis metum judicis dissimulare poterat. Sic Elias & alii prophetæ qui dicebant: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* Inde nimirum & gratiam, & nomen assecuti sunt *Videntium*: quoniam quæ semper intuebantur per fidem non fictam, merebantur sæpius intueri per speciem, licet factam. Hæc fides vigil, non ficta, non dissimulatrix, ipsa est, ut arbitror, quæ sola vel maxime facili compendio ad perfectionem perducit: quæ gravitatem disciplinæ, sobrietatemque modestiæ, tam interiori quam exteriori nostro tribuit, & velut in disciplina famulantium Domino semper assistere facit. Hac virtute meruerunt Apostoli dici filii olei splendoris: ut sicut Domino adstiterunt in terris contemplando per fidem, ita nunc ei assistant in cælis contemplando per speciem, Regemque in decore suo videant oculi eorum, cujus timorem hic meditabatur cor eorum. Hac via, Fratres, sequimini Patres fidei vestræ, & auctores Ordinis, quatenus eorum provocati exemplis & adjuti suffragiis, quo ipsi hodie præcesserunt, pervenire valeatis, adjuvante Domino nostro Jesu-Christo, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 118. f

Dei præsentia ubique metuenda.

Psal. 122. a

4. Reg. 5. b

Ejus praxis utilitas.

## IN NATALI APOSTOLORUM
### Petri & Pauli.

### SERMO II.

Cant. 4. b

1. **D**Uo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec adspiret dies, & inclinentur umbræ.* Videte, Fratres, ne degeneretis. Ut taceam de nobilitate patris vestri, nobilis est mater quæ vos genuit, generosa sunt ubera quibus lactati estis. Mater vestra est sponsa cui hæc dicuntur, cujus ubera voce sponsi laudantur. Quæ nimirum duo ubera Ecclesiæ Petrum & Paulum esse, non solum interpretatur nobis dies ista, in qua potamur ab uberibus consolationis eorum satis jocunde & abunde, sed etiam evidentia operis ipsorum approbant argumenta ac monumenta doctrinæ. Quibus enim aliis uberibus nutriti sunt filii Ecclesiæ, sive ex præputio, sive ex circumcisione? istos utique ego reor esse, de quibus olim parvulæ & pauperculæ consolatio divina promittebat Ecclesiæ: *Reges nutritii tui erunt*, & *mammilla regum lactaberis.* Nisi enim tam generoso lacte nutrita esset, numquam ad hoc virtutis ac gloriæ culmen excrevisset. Ad ubera parvulos Petrus invitabat, quibus dicebat; *Sicut modo geniti infantes, lac concupiscite.* Ubera Paulus præbuerat quibus dicebat: *Lac vobis potum dedi.* & illud: *Factus sum in medio vestri sicut nutrix sedens & nutriens filios suos.* Quam plenus autem lacte redundaverit spirituali, pulcre significatum est unda illius lactis visibilis, quod de corpore ipsius fertur exisse loco sanguinis, cum decollatus hodierna die pro illis quibus dabat mammillam, dedit & animam. Plane nihil in eo sanguineum, sed totum lacteum: qui nihil carnale, nihil suum cogitabat, sed tantum quod aliis utile erat. Nec tam habebat ubera, quam ipse totus uber erat: qui ita misericordia uberi affluebat, ut non modo spiritum suum desideraret totum filiis immulgere, sed & corpus impendere.

Petrus & Paulus quasi duo ubera Ecclesiæ.

Isa. 49. Ibid.

1. Pet. 2
1. Cor. 3
1. Thess

S. Pauli ... lacte

2. Antequam hæc duo ubera, Petrum & Paulum, accepisset primitiva Ecclesia sanctorum in terris, conquerebatur & dicebat Ecclesia beatorum spirituum in cælis: *Soror nostra parva est, & ubera non habet.* Cum enim Christus rediens in cælum reliquisset pusillum gregem discipulorum, ac nondum misisset Spiritum suum, quo erant fœtanda viscera, & implenda ubera sanctorum: erat, ut opinor, illa Ecclesia in cælis sollicita pro filiolis sponsi, sive jam natis, sive nascituris, cui videlicet committerentur alendi: eo quod Ecclesiam istam viderent parvam numero, virtute & auctoritate, & sine uberibus doctrinæ. Nam & ipse sponsus in diebus carnis suæ genuerat aliquos verbo veritatis, & quamdiu fuerat cum eis, lactaverat eos uberibus ædificationis & consolationis. Et ipse siquidem sponsus habet ubera meliora vino, id est doctrina legali, vel gaudio sæculari. Habet, inquam, sponsus ubera, ne ullum de omnibus officiis & nominibus pietatis eum prætereat: ut qui pater est creatione naturæ, vel regeneratione gratiæ, seu etiam auctoritate disciplinæ; sit etiam mater affectu clementiæ, sit & nutrix sedulitate officii & curæ. Erant igitur parvuli, quos alebat initium aliquod creaturæ ejus, sed nonnisi initium: multumque supererat curæ & laboris, donec adducerentur ad perfectum, & formaretur Christus in eis. Cum autem & ipse reliquisset eos; superni Spiritus, etsi læti de reditu Unigeniti, de nova tamen adoptionis progenie solliciti, quodammodo affectu suo videbantur apud eum conqueri: Quis illos nutriet? Lactasti eos, sed ante tempus ablactasti. Non enutristi juvenes, nec ad incrementum perduxisti virgines. Quis illos nutriet? *Soror nostra parva est, & ubera non habet.* Dixisti Petro: *Pasce agnos meos.* sed nec ipse adhuc sufficientiam lactis in uberibus habet. Cito pietas ejus aresceret, qui plus adhuc cuti suæ quam animabus parvulorum timet. Facile relinqueret agnos in tentatione, qui Pastorem tam suum quam illorum negavit in interrogatione. Ecce autem repente Spiritu misso de cælo, tamquam lacte de propriis Christi uberibus effuso, Petrus impletus est lacte plurimo: nec multo post de Saulo fit Paulus, prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice: ut plane intelligeres totum ejus sanguinem mutatum in lactis dulcedinem, sævitiam in pietatem.

Cant. 8.

Cant. 1.

Christus ... bis pater, mater, & ... trix.

Johann.

Christus dum d... rens no... nutrices vidit, A... tolos.

3. His igitur uberibus geminis pectori suo affixis gloriatur Ecclesia, non modo matrem se esse fœcundam, sed & civitatem munitam. *Ego*, inquit, *murus, & ubera mea turris.* Mille clypei pendent jam de turribus istis, omnis armatura fortium. Ipse quoque sponsus de eisdem uberibus in laudem sponsæ in carmine amoris, mystico sermone sic ait: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Capream hoc loco accipimus Ecclesiam: acutam visu ad penetranda mysteria Christi, agilem saltu ad transiliendа spinosa hujus sæculi, potentem ad exsuperanda venena serpentis antiqui. Cujus duo gemelli non inconvenienter,

Cant. 8.

Cant. 4.
Caprea ... clesiam ... gnat.

nienter, ut arbitror, intelliguntur hi duo Apostoli: germani fide, consimiles devotione, pares merito & virtute, unanimes caritate, conjuncti in ipsa etiam passione & morte. Quomodo enim in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati. Quia vero desideria summorum pascuntur in profectibus minorum, donec scilicet adspirante gratia tollant se ad contemplandum sublimia, bene de his hinnulis subditur: *Qui pascuntur in liliis, donec adspiret dies, & inclinentur umbræ.* Animalia cum declinant æstum diei, captant umbrosa pascua convallium, ubi & liliorum solet esse proventus uberior, donec spirante tepescentis aura vesperi, egrediantur ad aperta camporum, vel ardua montium. Sic & hinnuli nostri quamdiu non adspirat eis ad contemplandum clementior aura diei æterni, pascuntur in liliis convallium; id est, delectantur in virtutibus humilium, aut etiam occupantur in actionibus eorum. Cum autem adspirat dies ille mentibus eorum, egrediuntur & saliunt ad uberiora & feliciora pascua montium æternorum. *Per me*, inquit Pastor & ostium, *si quis introierit salvabitur, & ingredietur* Ecclesiam, *& egredietur* sæpius contemplando, semel migrando ad cælestem patriam; *& pascua inveniet*, & hic, & ibi. Hic inter lilia agri, ibi inter ligna paradisi: hic in floribus, ibi in fructibus: hic in virtutibus Sanctorum, ibi in gaudiis Angelorum.

4. Prorsus in loco pascuæ ibi me Dominus collocavit, cum ecclesiæ Sanctorum associavit, cujus *venter sicut acervus tritici vallatus liliis*, ut pascat simul & tritici gustu, & liliorum aspectu. Quid enim acervus tritici, nisi copia divini sermonis in tot libris undique congestis? Quid lilia, nisi justi qui germinant sicut lilium, & florent immarcessibiliter ante Dominum, quorum tantus candor in sanctimonia corporis & cordis puritate, tanta fragrantia in opinione, tanta medicinalis virtus in opere & sermone? Non mediocre pabulum istud fideli animæ, videre circa se tot lilia tanta venustate & gratia florentia, ubi omnium virtutum ex eis, licet diversarum ex diversis, capere possit exempla. Iste fundatior humilitate, ille amplior caritate. Alius robustior ad patientiam, alius velocior ad obedientiam. Iste frugalitate parcior, ille labore utilior: iste devotior in oratione, ille in lectione studiosior: iste in administratione prudentior, ille in quiete sanctior. Sed licet aliquam insignius florentem in unoquoque gratiam mireris: non una tamen, sed multæ virtutes in singulis, sicut flores in liliis. Quot enim justi, tot lilia: quot virtutes eorum, tot flores liliorum. Qui igitur hæc videns gaudet in illis, aut etiam proficit ex illis, quid nisi pascitur in liliis?

5. Pascebat Paulus: sed nihilo minus in illis quos pascebat, pascebatur. Pascebat eos sermonibus, pascebatur eorum operibus. Ventrem quidem suum, immo & alienum pascebat manibus propriis: mentem vero non tam suis pascebat bonis quam alienis, qui non quærebat quod sibi utile, sed quod aliis. *Nunc vivimus*, inquit, *si vos statis in Domino. Quæ enim gloria mea, aut gaudium, aut corona? nonne vos ante Deum?* Ideo sæpius ei spirabat dies æterni luminis, atque afflabat eum lenior aura Spiritus-sancti, cujus vi rapiebatur ad interna pascua, aliquando paradisi, aliquando tertii cæli, *sive in corpore, sive extra corpus, nescio*, inquit, *Deus scit.* Dignum quippe erat, ut qui fideliter pascebat, fideliter pasceretur: & qui foris gaudebat in bonis dominicæ familiæ, in gaudium Domini sui juberetur intrare, atque repleretur in bonis domus DEI, non solum istius visibilis, pro qua sudabat; sed etiam illius invisibilis, ad quam spirabat, unde & dies ei adspirabat.

6. Nec minora de beato Petro sentienda, puto cum maxima sit gloria Pauli, illius coæquari meritis, quem judicium Veritatis potestate & primatu prætulit universis. Cum enim Pater qui est in cælis veritatem Unigeniti Petro revelabat, quid aliud quam dies ei æternus adspirabat, & dies diei verbum eructabat? Cui autem magis pervium fuisse cælum credendum est, quam ipsi Janitori, cujus lingua clavis cæli facta est? Qui potestatem habebat claudere cælum nubibus, & aperire portas ejus, quomodo ipse non sæpius intrasse credetur? Esuriit aliquando Petrus, & cælum ei apertum est, cum adhuc in terra consisteret: tantaque ei inde ciborum copia missa est, ut adhuc multa supersint, licet plurima mactaverit, & manducaverit, immunda & virulenta animalia in sancta & florulenta convertens lilia: ut videlicet deliciose pasceretur in liliis, donec adspirante die, gloriose in ipsis pasceretur cælis. Sed ecce dum commendamus vobis duo hæc ubera sponsæ, hora jam præteriit, qua de ipsis uberibus lac vobis cupiebamus immulgere: quamquam & aliis diebus hoc ipsum facere possimus & soleamus. De uberibus siquidem Apostolorum lac vobis trahimus, quoties de verbis eorum ad ædificationem vestram tractamus. Nunc igitur pro tempore satis sit admonere, si tamen moneri indigetis: ut sicut ubera ista diligitis, ita lac eorum semper concupiscatis: ut in eo crescatis in salutem, donec formatum in vobis exhibeatis Salvatorem Jesum-Christum Dominum nostrum, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO III.

De eo quod scriptum est, *Donec adspiret dies, & inclinentur umbræ.* Cant. 2. d

1. Erratis fratres in me, sed amore magis, ut arbitror, aut humilitate, quam temeritate. Putatis me Scripturarum scientiam habere, qui vix umquam attigi vel primum limen scientiæ. Displicet enim vobis, ut mihi videtur, quod capitulum Scripturæ, de quo heri sum locutus, non sum ad finem usque persecutus. quasi illa mihi sit facultas, ut valeam Scripturas explanare, aut etiam explanationes aliorum digne & congrue ad memoriam revocare. Sed neque hoc mihi solet propositum esse, ut scripturam, unde sermonem ordior, exponam; sed ut de ipsa, & secundum ipsam sermonem debitum suo diei persolvam. Huc accedit quod Magister noster ille interpres Spiritus-sancti, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit; spemque nobis dedit ex eis quæ jam edidit, quia si pervenerit ad locum de quo quæritis, *donec adspiret dies, & inclinentur umbræ*, umbras ipsas ponat in lucem intelligentiæ: quod dictum est, vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine. Vos tamen dicitis, & recte dicitis, quia vetera novis supervenientibus projicietis; quantoque magis incondita seu rancida fuerint vetera nostra, tanto nova illius sapidiora erunt & gratiora. Nam & ipse Jesus servat vinum bonum usque ad extremum, sciens utique, quomodo nostro sit fastidio medendum.

2. Quia igitur cogitis me, (nam impatientes dilationis vos video) nec spes incerta futuri præsenti satisfacit desiderio: ecce vobis morem gero, finemque versiculi, de quo heri loquebamur, suo, prout potero, reddam principio. Illud enim quærere videmini, quid sit adspirante die spiritali umbras inclinari: cum magis consequens videretur, ut non crescere, sed minui tunc & deficere, dicerentur. Nam si sequamur proprietatem verbi, hoc est umbris crescere, quod inclinari: cum umbrarum ea natura sit, ut quanto inclinantur, tanto procumbant longiores; quantoque surgunt, tanto stent minores. Unde & Poëta vesperum significans ait: *Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.* Sed sciendum, quia cum hæc proprietas umbrarum sit corporalium, longe alia est spiritualium, de quibus non dubitamus hic loqui Spiritum-sanctum. Nam sicut corporalibus umbris inclinari est crescere: sic spiritualibus hoc est inclinari, quod deponi, minui, vel deficere. Umbræ autem spiritales sunt umbrosi spiritus & tetri, seu dæmonum, seu hominum: umbræ sunt tenebræ errorum: umbræ sunt obscuræ significationes veterum sacramentorum. Et umbræ quidem significationum jam inclinatæ sunt ad occasum & finem: umbræ autem errorum de die in diem inclinantur ad diminutionem: umbræ vero tenebrosorum spirituum tandem inclinabuntur in infernum & mortem. Primum quidem factum est, cum dies æternus adspiravit, apparens in carne; secundum quotidie fit, cum magis ac magis adspirat illustrans veritate; tertium novissime fiet, cum adspirabit rutilans in majestate.

3. Videre autem mihi videor & alias umbras intra nos,

*Umbræ intra nos duplices: aliæ obscurant, aliæ illuminant.*

quæ velut in quodam speculo de rebus aliis nascuntur in sensu nostro, & obumbrant nobis, vel obumbrant nos. Obumbrant nos quæ refrigidant & obscurant nos: obumbrant nobis quæ refrigerant & illuminant nos. Istæ quidem noxiæ & graves, illæ delectabiles & salubres. Istæ namque de inferioribus sunt & mundanis, illæ de superioribus & divinis. Anima nempe humana in quodam medio condita & posita est: ut sub ipsa esset mundus, supra ipsam Deus. Supra ipsam, à quo & ad quem & propter quem facta est: sub ipsa, quod propter ipsam factum est. Nam sicut propter animam corpus, sic propter corpus domus ejus, id est, mundus. Cum igitur incurvatur ad corporalia vel mundana, ascendunt in eam umbræ de inferioribus: cum erigitur ad divina, inclinantur super eam umbræ de superioribus. Illius enim rei quam cogitat, umbram sibi format. Quamquam de divinis satis dubia umbra est, quantumcumque cogitationis exacuatur acies: aut certe non umbra ipsius rei, sed aliud pro illa est, nisi cum adspirat dies ille. Nam tunc quoque non videtur, ut arbitror, nisi umbra, quæ etsi luminosa, etsi gloriosa est, tamen umbra est; sicut cum in facie speculi tersa & lucida, splendidissimæ rei splendens imago resultat. Ceterum videre faciem veritatis ipsius, vel veritatem faciei ejus, sicut numquam erit hujus corporis: ita nec modo erit hujus temporis, nec aliquando erit, donec corpus dissolvet mortalitas, aut absolvet immortalitas, & tempus absorbebit æternitas, & spiritum qui nunc gravatur corpore & mutatur tempore, sublevabit ad se, & firmabit in se immortalis & immutabilis divinitas.

*Anima humana in medio quodam constituta.*

4. Initium hujus gratiæ, & perfectionem illius gloriæ Paulus satis proprie distinguebat, cum dicebat: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ut autem & hoc ipsum fit, scilicet ut videamus per speculum & in ænigmate, opus est non solum ut facies speculi nostri ab omni phantasmate & umbra corporalium tersa sit: sed etiam ut ille sublimis, habitans lucem inaccessibilem, dignetur ad nos inclinari, & vel per umbram suæ imaginis manifestari. Quantumcumque enim contendamus à visibilibus ad invisibilia, nihil nostra apprehendet humilitas, nisi condescendat illa majestas. Moïses ascendit in montem, & Dominus inclinavit cælos & descendit. Et alius, *Exsurge*, inquit, *in occursum meum, & vide.* Ideo nec umbra videtur, nisi inclinetur: nec inclinari dicitur, nisi adspirante die: quia neque per speculum & in ænigmate possumus Deum videre, nisi inclinante se majestate, & adspirante favore gratiæ. Sane hoc ipsum quod umbra vocatur comparatione manifestæ veritatis, ineffabilis plerumque gloriæ est & splendoris, in illis scilicet quorum est perlucidum speculum mentis. Cujus felicis experientiæ Paulus sibi conscius, de se sibique similibus loquebatur: *Nos vero omnes gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu.* Sic enim in promissione dictum est: *Implebit splendoribus animam tuam.* Ut autem claritates istas umbras esse noveris, audi David: *Dies mei*, inquit, *sicut umbra declinaverunt.* Transibat quidem & ipse David de claritate in claritatem, tamquam de die in diem. Sed heu, tam breves & obscuros dies, tam longas & laboriosas noctes habet hiems ista, ut & Propheta laborans in gemitu suo, lavansque per singulas noctes lectum lacrymis, merito plangat: *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Prorsus *melior est dies una in atriis tuis super millia* dierum meorum: quia dies mei sicut umbra quamvis lucida: dies illa una, lux vera & mera, sicut sine umbra, sic sine vespera; cum dies meos faciat plurimos & brevissimos assidua longarum noctium interpolatio.

*1. Cor. 13 d. Ad videndum Deum hic quid requiratur.* *Exod. 19. a. Psal. 58. a.* *2. Cor. 3. d.* *Isa. 58. d.* *Psal. 101. b. Umbræ lucidæ quam breves.*

5. Ceterum si quæratur, cur umbræ pluraliter dictæ sint, cum res ipsa, cujus umbræ sunt, una sit? ideo nimirum, quia nunc minus, nunc amplius nobis Altissimi virtus obumbrat; nunc obscurius, nunc manifestius veritas sese nobis innotescens adumbrat: & sicut non æqualiter semper spirat, ita nec similiter semper nobis imagines format. Hoc & Apostolus innuit, qui transire se confitetur à claritate in claritatem, à minore scilicet in majorem: & Propheta qui non splendore sed splendoribus implendam promittit fidelem animam. Sic Jacobus Deum memorat patrem luminum, cum lumen, cujus pater est, & unum sit & unicum. Quamquam sic possit intelligi pater luminum, quomodo pater misericordiarum.

*2. Cor. 3. d. Isa. 58. d. Jac. 1. c.*

6. Jam vero vos, fratres, qui laboratis portantes pondus diei & æstus, vel secundum Isaïam, in spiritu vestro duro meditamini per diem æstus, ad umbras istas placet invitare quas ille dies serenus adspirans rorem misericordiæ cupit æstuantibus inclinare. Audite ipsum diem, ad umbrarum refrigeria clementer vos invitantem: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Servus enim sub sole laborans, ut ait Job, desiderat umbram, in qua scilicet à labore recreetur ad laborem, vel per horam dimidiam, qua silentium fit in cælo: quam cum obtinuerit indulgentia Prioris sui, gloriatur & dicit: *Sub umbra illius, quam desiderabam, sedi.* In qua nimirum umbra, quia non sola sessio est ad quietem, sed etiam refectio ad satietatem, congrue subdit: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Sic enim dictum est per Prophetam; *Convertentur sedentes in umbra ejus: vivent tritico, & germinabunt sicut vitis.* Servus seu mercenarius, quem sæpius hæc umbra recreaverit, longanimiter præstolabitur finem operis sui. Sic enim habes: *Servus desiderat umbram, & mercenarius præstolatur finem operis sui.* In umbra quidem non finis, sed pausatio. Finis enim erit operis remuneratio, cum evacuatis omnibus umbris, videbimus eum sicuti est: cui modo dicimus: *In umbra tua vivemus inter gentes*; inter Angelos nempe, non in umbra, sed in luce manifesta.

*Isa. 27. b. Matth. 11. Job 7. a. Cant. 2. a. Osee 14. Job 7. a. Thren. 4.*

7. Hoc autem notandum, quod cum umbræ illæ de superioribus inclinantur supra nos, umbræ istæ de inferioribus inclinantur infra nos. Cum enim divinis propinquamus, mundana superamus: & quatenus vel ad umbram lucis accedimus, eatenus mortis umbram evadimus. Lux enim & vita in cælo, mors in inferno: umbra autem mortis in hoc terreno & tenebroso loco. Cum igitur spiritus altius nos elevat inter terram & cælum, non tangimur umbra terrenorum: & licet nondum plena luce fruamur cælorum, tamen umbris illuminamur montium æternorum: vel certe montis illius umbrosi & condensi, de quo venit Sanctus sanctorum. Mox tamen pondere nostro in regionem umbræ mortis revolvimur, ubi & diutissime sedere cogimur, donec visitatione orientis ex alto consolemur. Cogimur, inquam, & utinam cogamur, & non delectemur! utinam quod patimur, necessitatis tantum sit, non etiam voluntatis aut voluptatis! Sed heu tam facile, tam libenter projicimus nos, & obdormiscimus sub gravi umbra juniperi spinosæ & infructuosæ arboris, tam negligentes & securi torpescimus & immorimur curis & desideriis hujus mundi! Propterea Leviathan, qui sub umbra dormit, cubile sibi, nisi præcaveamus, ponit in nobis: quia videlicet amicas sibi umbras hujus sæculi invenit in sensibus & affectibus nostris. Istæ siquidem umbræ, teste Job, protegunt umbram ejus: quia nimirum curæ & desideria sæcularia, quæ sunt in nobis, umbram nobis abscondunt imminentis damnationis, ut eam non prævideamus, donec in ipsam impingamus. Adspira ô dies dierum, obumbra supra caput nostrum in die belli, inclina super nos umbras salutis & refrigerii, & inclinentur subtus nos umbræ torporis & tædii, immo cæcitatis & mortis. Et licet contingant nos umbræ de cogitatione terrenorum, non nos contegant tenebræ, id est, umbræ crassiores de amore eorum; sed semper respiremus in luminosum amorem tuum, ô Pater luminum, qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Accessus umbrâ l... est recessus ab umbra mortis.* *Curæ & desideria s... sunt umbræ mortis & ... ditionis.* *Job 40. Ibid.*

## IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ, SERMO I.

1. V*Eni electa mea, & ponam in te thronum meum.* Multi vocati, pauci vero electi. *Beati quos elegisti Domine, habitabunt in atriis tuis:* immo tu in eis habitabis, tu in eis regnabis, thronumque regni tui in eis collocabis. Sane omnium Beatorum beatissima est Maria, quæ de numero omnium electorum singulariter est electa & prælecta: quoniame legit eam Dominus, elegit eam in habitationem sibi, dicens: *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.* Habitavit in ea novem mensibus, ha-

*In offic. virginibus. Psal. 64. Maria c... nium b... rum bea... ma. Psal. 13...*

bitavit cum ea & sub ea annis pluribus. Habitans in ea A replebat eam singulari gratia charismatum: habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suavitate morum, & divinorum desiderabili sapientia sermonum. Nunc autem in ea & cum ea, sicut interminabili ævo, sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantium gloria visionum, foris quidem glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam Verbi glorificantis imprimens. O Maria, *non vocaberis*, ait Dominus, *ultra derelicta, & terra tua non vocabitur ultra desolata*, ut quia virgo, ideo sis infœcunda: sed *vocaberis voluntas mea*, id est, dilectus Filius meus in ea, *quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur*. Habitabit enim juvenis in virgine, & habitabit in te filius tuus, immo, si B magis placet, ut non recedamus à verbis Scripturæ, *habitabunt in te filii tui.*

[…2. a]

2. Quid, hæretice, caput erigis? Quid mysterium pietatis ad occasionem perfidiæ rapis? Unum quidem genuit: qui sicut unicus est Patri in cælis, ita unicus est Matri in terris. Neque enim sicut tu impie blasphemas, alios postea filios genuit; sed intemeratum manet, sicut signaculum perpetuæ virginitatis in matre, ita sacramentum catholicæ unitatis in prole. Ipsa tamen unica virgo Mater, quæ se Patris Unicum genuisse gloriatur, eumdem unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur, omniumque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eva vetus C illa, non tam mater quam noverca, quæ filiis ante propinavit præjudicium mortis quam initium lucis, dicta est quidem mater cunctorum viventium; sed inventa est verius interfectrix viventium, seu genitrix morientium: cum suum generare nihil aliud sit, quam mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista implevit mysterium: quæ & ipsa, sicut Ecclesia, cujus forma est, mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est Vitæ qua vivunt universi; quam dum ex se genuit, nimirum omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodo regeneravit. Unus generabatur, sed nos omnes regenerabamur: quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, jam tunc in illo D omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semen carnalis generationis; sic in Christo ante initium, propter semen spiritalis regenerationis.

3. Porro beata Mater illa Christi, quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterii: cura quoque se matrem eis præstat & affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui, cujus viscera semel quidem fœta, sed numquam effœta, numquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem fructus ventris tui, gravidam te, ô pia Mater, inexhausta pietate reliquit; ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens & affluens, & in horto concluso castitatis fontem signatum caritatis semper abundare faciens; qui licet signatus sit, foras tamen derivatur, & in plateis aquæ ejus nobis dividuntur. Licet namque fons caritatis, proprius Ecclesiæ, incommunicabilis sit alienis; beneficium tamen ejus impertire gaudet etiam inimicis. Denique si servus Christi filiolos suos iterum atque iterum parturit cura atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus; quanto magis ipsa Mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos, verbum veritatis quo regenerati sunt prædicando: Maria autem longe divinius atque sanctius, Verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis mysterium, sed plus miror ac veneror in Maria generationis mysterium.

4. Vide autem si non & filii Matrem videntur agnoscere, dictante utique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, ut ad invocationem nominis ejus, primo vel maxime refugiant in omnibus necessitatibus & periculis, tamquam parvuli ad sinum matris. Unde nimirum de his filiis puto non absurde intelligi, quod per Prophetam promissum est ei: *Habitabunt in te filii tui*, salvo dumtaxat intellectu, quo de Ecclesia hæc prophetia principaliter accipitur. Et nunc siquidem habitamus in adjutorio Matris Altissimi, in protectione ipsius commoramur, tamquam sub umbra alarum ejus: & postmodum in consortio A gloriæ ipsius, tamquam in sinu ipsius confovebimur. Tunc erit vox una lætantium & aggratulantium Matri: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix.* Nullatenus autem credideris majoris esse felicitatis & gloriæ, habitare in sinu Abrahæ, quam in sinu Mariæ, cum thronum suum in ea posuerit Rex gloriæ. Psal. 86. b

5. *Veni*, inquit, *electa mea, & ponam in te thronum meum.* Non poterat signantius, aut elegantius describi prærogativa gloriæ ejus, quam ut thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tanta plenitudine aut familiaritate copiam sui divina majestas videtur indulgere, sicut illi in qua specialiter præ ceteris residere delegerit. Discipulis quidem Dominus loquebatur, qui B pauperes facti pauperem sequebantur: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes.* Alibi quoque promittit idem Agonotheta noster, de cælo spectans & incitans decertantes: *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi in throno Patris mei.* Matri vero cujus longe differens est meritum, nihilo minus differens promittit præmium. *Veni*, inquit, *electa mea, & ponam in te thronum meum.* Parum est, inquit, ut judicanti consedeas, nisi & ipsa mihi sedes fias: ut majestatem regnantis eo felicius quo familiarius in te contineas, & specialius præ ceteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti parvulum in gremio: continebis immensum in animo. C Fuisti diversorium peregrinantis: eris palatium regnantis. Fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo: eris solium triumphantis in cælo. Fuisti thalamus Sponsi incarnati: eris thronus Regis coronati. Maria thronus Dei. Matth 19. d Apoc. 3. d

6. O Fili Dei, nihil tibi, nihil in illo tuo displicuit hospitio, quod tam libenter repetit, tamque affluenter remunerat tua dignatio. Nihil utique in illo sordidum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinosum, quia nulla erat superbia, sed fundatissima humilitas: nihil obscurum, quia exclusa erat infidelitas: nihil angustum, quia diffusa erat caritas. Adornaverat thalamum Virgo prudentissima, te Regem Christum non solum hospitem susceptura; sed & sponsum habitura. Adornaverat, inquam, multiplici decore virtu- D tum & gloria, tanto fortasse locupletius, quanto interius totum erat. Hunc ornatum mirabatur qui dicebat: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate.* Et alius: *O quam pulcra est casta generatio cum caritate!* Domum tuam decet Domine hujusmodi sanctitudo & decor. Is decor te invitavit, ut intrares: illexit, ut redires. Intrans benedictionis gratiam multiplicasti: sed rediens cumulasti. Cum intrasti, homo natus es in ea: cum redisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiæ; nunc autem thronum gloriæ. Psal. 44. d Sap. 4. a Hoc nomen sublimius ipsi, quam Angelis competit.

7. Dicuntur quidem & sunt alii throni, quidam scilicet E Spiritus divini, præ aliis, ut putamus, subjectis ordinibus, Dei præsidentis majestate pleni: quorum quæ sit prærogativa, Scriptura non exprimit, licet innuat ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed & anima cujuslibet justi dicitur sedes sapientiæ. Quæ autem nunc est sedes sapientiæ, profecto tunc erit & gloriæ. Sit igitur illud cæli palatium plenum sedibus & thronis, sedeatque Deus in omnibus, accommodans se & aptans cuique pro meritis. Non immerito tamen creditur, sine injuria vel invidia ceterarum sedium quoddam esse speciale Regis solium excelsum & elevatum super gloriam omnium, Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur supra se Mater nisi Filium solum; nihil miretur supra se Regina nisi Regem solum; nihil veneretur supra se Media- F trix nostra nisi Mediatorem solum: cui nos ipsa precibus suis conciliet, commendet, & repræsentet unico Filio suo Jesu-Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ, SERMO II.

1. **F***Iliæ Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Verba ista quæ à nobis hac nocte cantata sunt, qualiter ad Assumptionem B. Mariæ possint videri pertinere, Can. 5. c

volumus, si placet, cum vestra caritate tractare. Id autem eo genere sermonis faciendum videtur, quo non modo sæcularium, sed etiam ecclesiasticarum auctores litterarum nonnumquam usi sunt: maxime in tractandis Canticis, unde hæc sunt sumpta. Hoc namque genus sermonis, salva veritate, quadam ampliori utitur libertate, cum videlicet sumpto themate causæ, ut beatus Hieronymus ait, non tam loquitur quæ revera facta vel dicta sint, quam ejusmodi fuisse negotium ostendit, ut ea quæ dicuntur, etsi facta vel dicta non fuerint, fieri tamen vel dici potuisse, aut etiam in affectu facientis, vel dicentis fuisse non absurde credi possint. Maria igitur migratura corpore decumbebat, ut est humana infirmitas. Porro filiæ Jerusalem quæ sursum est, id est angelicæ virtutes, scientes nimirum quia obsequiis Matris captanda est gratia Filii, visitabant satis officiose Dominam suam, Matrem Domini sui. Et fortasse aliquid hujusmodi primo post salutationis officia locuti sunt ei Angeli: sicut speciem humano vultui, ita sermonem humano nimirum conformantes affectui vel usui.

NOTA.

2. Quid est obsecro, mi Domina, quod sic ægra videris & languida? Quid est quod præter solitum tristis & pigra, ab heri & nudiustertius, sicut solebas, non sancta revisis loca, quorum contemplatione amorem tuum pascebas? Jam per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Calvariæ ascendentem, ut ibi locum crucis impleres lacrymis; aut ad sepulcrum Filii adorantem gloriam resurrectionis, aut in monte Oliveti deosculantem extrema vestigia ascendentis. Ob hoc ipsum siquidem creditur in valle Josaphat commorata (ubi & sepulcrum ejus monstratur, ut ait beatus Hieronymus) in ecclesia miro lapideo fabricata tabulatu: ne scilicet à sanctis locis longius recederet, sed sæpius ea invisens, licet omnia memoria teneret, formam tamen gestorum, velut corporaliter in ipsis effigiatam locis, dulcius amplecteretur, ut vel sic suum aliquatenus amorem solaretur.

Maria in valle Josaphat commorata.

3. Causam itaque percunctantibus illis, cur ab his modo vacaret, & ex toto decumberet: Langueo, inquit. Quare langues? Languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tam diu habitavit? De corpore illius Filii tui virtus exibat & sanabat omnes, adeo ut etiam fimbria vestimenti Hæmorrhoissam sanaret; & tu quæ tamdiu ipsum in utero, in sinu, in gremio continuisti, ulli infirmitati, aut languori vel accessibilis esse potuisti? Non est, inquit, quod id miremini: si illud ipsum corpus Filii mei, quale aliquando fuerit recordemini. Et ipsum enim quam infirmum, quantisve defectibus subditum fuerit, voluntate tamen, ego novi, quæ ipsum in utero alui, uberibus lactavi, sinu fovi: nec solius infantiæ, sed & sequentium defectus ætatum vidi, & eis, ut potui, ministravi: ad extremum non sine passione mea, ludibria & supplicia passionis & crucis aspexi, per singula discens, quam vere de eo noster Isaïas dixerit: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Cur ergo doleam non eum meo dedisse corpori, quod suo non dedit? Non sum ita delicata aut superba, ut quod ille dignatus est pati, ego quantulacumque ex parte pati non possim aut nolim. Et ille quidem misericordi voluntate, ego naturali necessitate. Sane aliud est sanitas, aliud est sanctitas. Sanctitatem dedit corpori meo, concepti sui corporis sacramento; sanitatem se daturum promisit, suscitati corporis exemplo. Denique ut minus miremini languorem meum: amore langueo. Langueo plus impatientia amoris, quam passione doloris: plus vulnerata caritate, quam gravata infirmitate.

Matth. 9. a

Maria exemplo Filii infirmitati obnoxia.

Isa. 53. b

4. Heu, inquiunt illi, quam frequentes, immo continuæ causæ languoris! Bone Jesu, quomodo hæc Mater tua postquam te genuit, numquam fere nisi in languore fuit? Primo languit timore, postea dolore: nunc amore. Timor à nativitate usque ad passionem, cum semper vitam Filii insidiis appeti videret: dolore, toto tempore passionis, donec redivivum reciperet; nunc amore & desiderio felicius, sed mirabilius cruciatur, quia sedentem in cælo non tenet. Quomodo, Jesu bone, qui summi fructus es gaudii, tam longi factus es illi causa martyrii, ut carissimam tibi ipsius animam, tot & tam acuti sine cessatione pertranseant gladii? Sed obsecramus te, Domina, quid vis faciamus tibi? Vis saltem ut resideat hic iste Gabriel symmystes tuus, ut assideat & ministret tibi, qui ab initio conscius & minister mysterii tui, custos quoque tui cubiculi meruit deputari? Non opus est, inquit Virgo. Sufficit mihi meus novus in carne Angelus, Discipulum dico quem diligebat Jesus, cujus me dilectionis heredem reliquit, cum illum mihi & me illi in cruce commendavit: cujus obsequio nihil mihi gratius, quia conversatione & affectu nihil castius, moribus nihil suavius, nihil sincerius fide, nihil sanctius sermone. Nos ergo, aiunt illi, in quo tibi esse poterimus officiosi? *Filiæ*, inquit, *Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Ipse novit quomodo meo medendum sit languori.

Languor Mariæ triplex.

B. Maria martyr.

S. Johan. Ev. quasi Mariæ ... ceptus.

5. At nosti, inquiunt, quia cum sciat omnia, de multis quasi nescius interrogat. Si ergo quæsierit, quid illud sit quod tuo vulneri velis adhiberi, quid respondebimus ei? Sodales, inquit, estis sponsi, Gabriel iste meus paranymphus; non puto vobis esse celandum amoris mysterium. Dicam igitur: tantum ne judicet temeraria, quod majora me quærere videar. *Osculetur me osculo oris sui.* Si quid mihi conscia essem, contenta essem cum Maria Magdalene osculo pedum, ubi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris, gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, si illud os mihi reposco, quod de me sibi formavit ipse conditus & conditor? Cum parvulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum forma præ filiis hominum mihi libebat, satis licebat: numquam faciem avertebat, numquam matrem repellebat. Et si fortassis impatientia desiderii eram nimia: ipse tamen more suo, morem matri gerebat. Gaudebat eam replere gratia, quæ diffusa erat in labiis ejus, & dulcedine qua totus erat plenus, totus concupiscentia & desiderium, castarum scilicet animarum. Unde sicut ipse de se confitetur: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient*: quanto gratiam oris illius gustavi suavius, tanto nimirum repeto nunc ardentius. Crevit quidem gloria & majestate: sed nihil ab illa ingenita mutatus est mansuetudine & bonitate. Nihil ad illum illud superbiæ sæcularis elogium: *Honores mutant mores.* Sublimior est, sed non superbior: gloriosior, sed non dedignantior. Non fastidiet matrem quam elegit, nec æternam electionem suam novo judicio reprobabit.

Osculum oris à ... suspetit ... go Ma...

Eccli.

6. Ne timeas Maria, ait Gabriel more suo: invenisti enim gratiam apud Deum. Etiam in ceteris qui longe jacent tuis sub vestigiis, probare consuevit improbitatem hujus affectus & precis: qui nihil nimium, aut injuriosum sibi deputat, quod in eum vera dumtaxat caritas præsumat. Et conversus ad sociam multitudinem; Eamus, inquit, eamus: ne ipsi Filio facere videamur injuriam, si gloriam Matris differamus. Cum ergo reversi nuntiassent hæc Domino suo, quid putamus Jesum nisi tale aliquid locutum? Ego sum qui patrem & matrem filiis honorandos commendavi; ego ut facerem quod docui, & exemplo essem aliis, ut Patrem honorarem, in terram descendi: nihilo minus ut Matrem honorarem, in cælum reascendi. Ascendi & præparavi ei locum, thronum gloriæ: ut à dextris Regis Regina coronata consedeat in vestitu deaurato, circumdata varietate. Neque hoc dico, quod in parte thronus ei collocetur: quia potius ipsa erit thronus meus. Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum. In te mihi quamdam regni sedem constituam, de te judicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministravit in humilitate mea. Communicasti mihi præter alia quod homo sum: communicabo tibi quod Deus sum. Flagitabas osculum oris, quinimmo tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labiis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo & indissolubili: quia concupivi speciem tuam, etiam desiderantius quam tu meam; nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris. Gloria tibi Domine Jesu, subintulit chorus Angelorum. Gloria tibi Domine Jesu, ingeminet cœtus fidelium. Glorificatio Matris tibi proficiat ad gloriam, nobis ad veniam: te præstante cui est honor, & gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Christ... nuens ... ponde... to Ma...

# IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ, SERMO III.

24. a 1. IN *omnibus requiem quæsivi*. Grata quies fessis. Grate igitur & opportune vobis, qui fessi estis, dies iste quietis & feriationis intervenit, ut dum sanctæ DEi Genitricis requiem celebramus, non solum corpora recreentur hac diurna quiete à labore messis, sed etiam corda respirent in recordationem & amorem illius æternæ quietis. Et ibi tamen, ô Fratres, ibi etiam metetis, sed requiem metetis qui nunc laborem hujus messis seminatis. Fructus hujus laboris, illa requies erit; requies à labore, merces pro labore, cujus etiam recordatio fideles vires reparat in labore. Umbra est æstuantibus, cibus esurientibus. Sic enim ait illa, quæ memoriam abundantiæ suavitatis ejus eructabat: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* O qui laboratis, ô qui portatis pondus diei & æstus! sub umbra alarum Jesu invenietis requiem animabus vestris, firmamentum, ut scriptum est, virtutis, tegimen ardoris, umbraculum meridiani: ut ex sententia cordis sit illa confessio oris: *Domine, Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli*, in die æstus & laboris, certaminis & tentationis. Cum enim meditatio æternæ requiei capitibus laborantium obumbrat, non solum ab æstu tentationum refrigerat, sed etiam ad laborem animos innovat, juxta illud quod scriptum est de asino forti Issachar: *Vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum ad portandum*: id est, desiderio illius quietis & hereditatis sponte humiliavit se ad laborandum. Et iste ergo dicere potuit: *In omnibus requiem quæsivi, & in hereditate Domini morabor.*

2. Felix qui in omnibus laboribus & viis suis requiem quærit beatam: semper festinans ingredi, ut Apostolus monet, *in illam requiem*, ejus desiderio corpus affligens, animum autem jam illi requiei parans & componens: cum omnibus hominibus, quod ex ipso est, pacem habens; requiem & otium Mariæ voluntate præeligens, laborem autem & negotium Marthæ necessitate quidem suscipiens: sed quanta prævalet pace & quiete spiritus adimplens, & semper ad illud unum necessarium de illa multiplici distractione sese recolligens. Homo hujusmodi etiam cum laborat, quiescit: sicut è diverso impius etiam cum quiescit, laborat. Quomodo enim quiescerent, quibus Deus immittit rotam malorum: quibus juravit in ira sua, si introibunt in requiem meam? Extra illam non est nisi afflictio & miseria; & in circuitu ejus tempestas valida: sicut & in natura rerum fit, ut quicquid extra simplicitatem & unitatem puncti fuerit, in motu & agitatione sit: tantoque concitatiore quilibet circulus impetu rotetur, quanto ab immobilitate principii sui, id est, à medietate centri recesserit longius. Sane *in circuitu impii ambulant*, quibus Deus immittit rotam malorum: ideoque in illam internam & æternam requiem intrare non possunt. Ideo *contritio & infelicitas in viis eorum*, quia *viam pacis non cognoverunt*: quia nec quæsierunt, ut dicere possint, *In omnibus requiem quæsivi*: ut videlicet in multiplicitate actuum suorum, quibus turbantur, & turbant, unum quod est necessarium, cogitent aut requirant. Justorum potius est vox illa, qui & dicere possunt: *Unam petii à Domino, hanc requiram.* Vultum tuum, Domine, quæsivi, vultum tuum requiram: qui nonnisi quietis illius amore laborant, qui omnino præoptant ingredi putredinem in ossibus suis, ut requiescant in die tribulationis, quàm in bonis ducere dies suos, & in puncto ad infernum descendere.

3. Si quis tamen curiosius inquirere velit, cujus potissimum vox illa sit, *In omnibus requiem quæsivi*: vox est utique Sapientiæ, vox est Ecclesiæ, vox est Mariæ, vox est cujus libet sapientis animæ. Sapientia in omnibus requiem quæsivit, sed in solis humilibus invenit. Ecclesia in omnibus mundi nationibus requiem quæsivit, sed in solis credentibus invenit. Maria, sicut & quælibet fidelis anima, in omnibus actionibus suis requiem quæsivit; sed hodie demum invenit, cum post persecutionem Herodis, & fugam Ægypti, post tot insidias & atrocitates Judaïcæ impietatis, post tot passiones suas, de passione & morte Filii; postquam tot & tam acerbi ipsius animam pertransierunt gladii, tandem hodie dicere datum est ei: *Convertere anima in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Psal. 114. b
Qui creavit me, creatus ex me, requievit in tabernaculo corporis mei, negare non poterit mihi requiem cæli sui. Qui enim gratiam ultro cumulat aliis, par pari quomodo non referet matri? Perge, Maria, perge secura in bonis Filii tui, fiducialiter age tamquam regina, mater Regis & sponsa. Requiem quærebas, sed amplioris gloriæ est, quod tibi debetur, regnum & potestas. Indivisum habere tecum cupit imperium, cui tecum in carne una, & uno spiritu indivisum fuit pietatis & unitatis mysterium: dum scilicet salvo honore naturæ, geminato munere gratiæ, juncta est mater in matrimonium. Requiesce igitur, ô felix, inter brachia Sponsi. Replicabit tibi, ni fallor, inter amplexus & oscula, quàm suaviter requieverit in tabernaculo corporis tui, quàm suavis in cubiculo cordis tui. Non est injustus Deus, ô Fratres, ut obliviscatur operis boni: vivit semper apud eum memoria beneficii semel accepti. Beatus, apud quem Deus vel semel requiem invenerit, in cujus tabernaculo vel hora una requieverit.

4. Ecce nunc quoque Sapientia clamitat in plateis: *In omnibus requiem quæsivi.* Pulsavi, nec fuit qui aperiret: vocavi, nec fuit qui responderet. Filius hominis, factus, secundum Prophetam, *velut vir vagus, & quasi viator declinans ad manendum*, non habet ubi reclinet caput suum: foris stat plenus caput rore, & cincinnos guttis noctium. Quis ille in nobis tam humanus atque hospitalis, ut surgat & aperiat ei, & inducat in cubiculum suum, aut certe ostendat ei cœnaculum grande stratum, ubi cum discipulis pascha manducet novum? Hoc enim dico, Fratres, nisi requiem quam quærit, invenerit apud nos, nec nos optatam requiem inveniemus in illo. Ait quidem Dominus per Prophetam: *Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium.* Beatus *qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala* parabit ei Dominus vicissitudine debita requiem & refrigerium. Si ergo humanitatem membris suis exhibitam Deus imputat sibi: quanto magis quod ipsius fit spiritui, cum gratiarum actione recolet, Hospes, inquiens, fui & suscepistis me? Numquid enim multorum paupertas sanctorum, quæ vagos colligere, esurientes pascere non sufficit, Domino qui magis apud pauperes hospitari consuevit, inhumana & inhospitalis erit? *Super quem* autem *requiescam*, inquit, *nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea?* O humilitas angusta tibi, ampla divinitati; pauper & insufficiens tibi, sufficiens ei quem non capit orbis: copiose ac deliciose reficiens illum, qui & Angelos pascit. *Super quem*, inquit, *requiescam nisi super humilem?* In omnibus requiem quæsivi: sed apud humilem ancillam inveni. Non est inventa similis illi in gratia humilitatis: ideo in plenitudine humilitatis requievit etiam corporaliter omnis plenitudo divinitatis. Quamquam aliter requieverit in Filio: quia etsi mater humillima, longe tamen filius humilior. Idcirco Spiritus septiformis non solum super ipsum requievit: sed etiam omnibus qui mites & humiles ab eo esse didicerunt, diversas in eo felicissimæ quietis mansiones præparavit, immo totum ipsum quoddam aureum fecit reclinatorium ad quiescendum. Hujus nimirum reclinatorii beatissimam requiem visus est quadam specie prælibasse, qui supra pectus ejus meruit in cœna recumbere.

5. Sed adhuc libet intueri, quàm plenum rationis & congruentiæ sit quod ait: *Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum?* Quomodo namque super inquietum aliquid quiesceret, quomodo super basem, quæ nutaret aut vacillaret, columna immobilis staret? Quis autem, nisi humilis, quietus esse potest? Quis, nisi humilis in pace quieti & modesti spiritus, seipsum possidere potest? Impium projicit ventus à facie terræ, circumferturque omni vento doctrinæ. *Impius*, inquit Propheta, *quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Fervet ira,

Jerem. 14. b
Sapientia Dei requiem quærit in cordibus hominum.
Isa. 28. c
Psal. 40. a
Apud quos requiescat.
Isa. 66. a
Ibidem.
Nemo quietus, nisi humilis & opus suum agens.
Psal. 1. b
Isa. 57. d

æstuat avaritia, intumescit superbia, seipsum jugiter pugna quærit intestina, ac seditione collidit domestica. Ut ergo requiescat in vobis, ô Fratres mei, amator ille lar-
1. Thess. 4. d gitorque quietis, date operam juxta consilium Apostoli, ut quieti sitis. Quonam modo istud erit? Dico, inquit, vobis: Ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris. Opus est onus, quo veluti pondus navibus, ita quies & gravitas inquietis additur cordibus, sed exterioris hominis fundatur atque componitur status. Ma-
Prov. 17. b gnorum initium malorum est, sicut legistis, mulier vaga, quietis impatiens, nec valens consistere in domo pedibus suis; nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. Nec sine causa est quod Magister gentium hoc inquietudinis malum sic habet suspectum: ut non solum correptione, sed etiam separatione censeat illud
1. Thess. 5. c persequendum. *Rogamus*, inquit, *vos fratres, corripite inquietos.* Et item in secunda ad eosdem Thessalonicenses inter alia quæ super inquietos velut è cælis tonabat:
2. Thess. 3. c *Audivimus*, inquit, *inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His qui ejusmodi sunt denuntiamus, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate: & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.*

6. Si quis forte, (quod absit,) ejusmodi invenitur inter vos, pulcrius & honestius, antequam tam graviter & publice notetur, ultro confundetur: inde scilicet, quia notabilis est, & dissimulatur: reprehensibilis, & toleratur. Sic autem confundatur, ut confusione corrigatur, correptione lætetur, lætificetque non modo nos, sed Spiritum Dei: qui cum dicat, *In omnibus requiem quæsivi*, non invenit eam nisi in quietis, nec præstat nisi quietis. Unde & inquietos per Prophetam revocat & compescit:
Isa. 30. c *Si revertamini, & quiescatis, salvi eritis.* Omnes ergo pariter sic operam demus, ut quieti simus, ut in quiete nostra semper in meditatione æternæ quietis occupemur, ac desiderio illius ad omnem parati laborem inveniamur. Hoc nobis impetret beata DEI Genitrix, cujus requiem celebramus, ab eo qui requievit in tabernaculo corporis & cordis ejus. Ipse est requies æterna Christus Jesus: cui est honor, & gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ,

### SERMO IV.

Luc. 10. g 1. MAria optimam partem elegit. Hoc de Maria sorore Marthæ scriptum est: sed in Maria matre Domini hodie plenius & sanctius impletum est. Hodie namque beata virgo Maria optimam partem elegit, immo quam dudum elegerat, hodie perpetuo possidendam accepit: ut scilicet inseparabiliter adhæreat Domino, perenniterque fruatur Dei Verbo. Nec alienum aut incongruum, si quod de illa Maria dictum est, in istam transsumatur: cum ad convenientiam transformationis, similitudo non solum nominis, sed etiam operis suffragetur. Illa siquidem Dominum hospitio tecti, hæc thala-
Eccli. 24. a mo suscepit uteri. *Et qui creavit me*, inquit, *requievit*
Luc. 10. g *in tabernaculo meo.* Illa *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*: hæc sedula circa curam humanitatis ejus, conservabat omnia verba quæ de illo erant, confe-
Luc. 2. c rens in corde suo. Sed & cum evangelizans circumiret Jesus civitates & castella, Maria comes individua vestigiis ejus adhærebat, pendebatque ex ore docentis: adeo, ut nec procella persecutionis, nec horrore supplicii à
Johan. 19. c consectatu Filii & Magistri potuerit absterreri. *Stabat*, inquit, *juxta crucem Jesu Maria mater ejus.* Plane mater, quæ nec in terrore mortis filium deserebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cujus caritas fortis ut
Nota. mors, immo fortior quàm mors erat? Plane juxta crucem Jesu stabat, cujus mentem dolor crucis simul crucifigebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confossum corpus Filii cernebat vulneribus. Merito igitur ibi mater agnita est, & cura ipsius idoneo tutori delegata est, ubi maxime probata est & Matris ad Filium sincera caritas, & Filii de Matre

Johan 19 c Christus cur Matrem in cruce potius quàm aliàs agnovisse videatur.

A vera humanitas. Nam alias velut dissimulasse Matrem visus est: sive cum in nuptiis flagitanti miraculum ait: *Quid mihi & tibi mulier?* sive cum in mediis sermoni- Johan. 2.
bus Evangelii dicenti cuidam; *Ecce mater tua & fratres* Matth. 1[2]
*tui foris stant quærentes te: Quæ est*, inquit, *mater mea?* Sed & Matri cum miraculum posceret, sic respondendum erat, ut aliunde quàm à Matre se miracula habere significaret: & illi qui sermonem Evangelii parentes annuntiando interrumpebat, melius respondere non poterat, ut videlicet spiritalia carnalibus præferenda monstraret. Ac si more suo diceret parentibus, occupatum in negotio Evangelii quærentibus: *Quid est quod me quæ-* Luc. 2.
*ritis? Nescitis, quia in his quæ Patris mei sunt oportet*
B *me esse?*

2. Absit enim ut Matrem aspernatus sit, qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit. Absit, inquam, ut in terra fastidierit Matrem: cujus è cælo concupivit decorem. Immo potius ordinabat in nobis caritatem, tam verbis quàm exemplis nobiscum agens, ut carnalium affectibus necessitudinum, non solum Dei præponamus dilectionem, sed etiam eorum qui Dei faciunt voluntatem. Ille siquidem affectus de cordibus exigitur omnium nostrum, quos summi Patris adoptavit dignatio, quo fideliter dicamus cum ipsius Unigenito: *Quicumque* Matth. 1[2]
*fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Prorsus filiis Dei competit vox
C ista, nec ullum fidelius testimonium reddit ipse Spiritus spiritui nostro quod simus filii Dei, quàm ut sonet de cordibus nostris hæc vox Unigeniti Dei. Itaque Mariam, quæ secundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem sibi Jesus probat: quandoquidem & ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsa prædiceret Pater; *Vocaberis voluntas mea in ea.* Igitur ubi eam vi- Isa. 62.
sus est ignorasse Filius, ibi amplius honorasse invenitur: cum ei scilicet materni nominis honor duplicatur, pro eo quod eumdem Filium, quem alvo gestaverat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum.

Christus [a]spernatu[s] est Matr[em] sed cari[tatis] ordinem exemplo docuit.

Maria d[upli]ci titulo [ma]ter Chr[isti].

3. Ceterum cum dilexisset eam Jesus, in finem dilexit eam, ut non solum propter ipsam finem vivendi, verum
D & in ipsam finem pæne faceret loquendi: dum velut inter ultima verba testamenti, curam Matris, cujus debitorem se cognoscebat, carissimo transscribit heredi. Sic quippe inter Petrum qui plus diligebat, & Johannem qui plus diligebatur, hereditatem suam Christus divisit: ut Petrus sortiretur Ecclesiam, Johannes Mariam. Huic plane competebat hæc portio non solum jure propinquitatis, sed etiam amoris privilegio testimonioque pudoris. Decebat namque ut non nisi virgo virgini deserviret, quatenus & Virgo beata, divino languens præ amore, floribus fulciretur castitatis: & virginitas adolescentis id interim perciperet remunerationis, ut de contubernio proficeret tantæ sanctitatis. Qui etiam, quia fidelis pro-
E batus est in obsequio incorruptæ matris; mysteria quoque divinitatis, & arcana Verbi incorruptibilis sibi credi promeruit. Decebat, inquam, ut Matri Domini non alius obsequeretur quàm dilectus Filii: quatenus & Mater semper suspirans Filium in dilectum Filii suavius respiraret; & Discipulus Magistrum sibi conquerens nimis cito subtractum, Magistram totius veritatis se reperisse gauderet. Idque satis commode provisum, ut scripturus Evangelium familiarius de singulis conferret cum ea, quæ conscia erat omnium: quippe quæ ab initio omnia Filii sui diligentius observaverat, conservans omnia verba quæ de illo erant, conferens in corde suo. Sic nem- Luc. 1...
pe se Martham exhibuit in cura pueri nutriendi; ut ni-
F hilo minus Mariæ partes exsecuta credatur in studio verbi cognoscendi. Maxime tamen postquam idem Filius ascendit ubi erat prius, Mater absoluta omni sollicitudine temporali, sanctoque Spiritu, quem præter singulares illas conceptus sui primitias communiter cum Apostolis acceperat, plenius illuminata, gaudebat nimirum vacare, & videre quoniam Jesus est Deus. Visio prorsus ineffabilis gaudii, summæque delectationis omnibus qui diligunt Jesum: sed præ omnibus illi quæ genuit Jesum: cui sicut singulariter excepta est gratia Deum generandi: sic & prærogativa gloriandi in eo quem genuit. Om-

Christus [Pe]tro Ecc[le]siam, Jo[han]ni Mari[am] commen[da]vit.

Cur Jo[hanni] comme[ndata] Maria.

Beata V[irgo] Mariæ [et] Marthæ [offi]cia imp[levit].

nino singularis atque incomparabilis gloria Virginis matris, videre Deum Regem omnium in diademate carnis quo coronavit eum, ut & Deum agnoscat & adoret in corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo. His interim, ut opinor, contemplationibus pascebatur Maria, hanc optimam partem elegerat: quæ non ablata, sed perfecta est hodie in ea. Quia enim negligens aut segnis non exstitit in opere Marthæ, nequaquam vacua derelicta est à fructu Mariæ. Labor in actione, fructus seu merces in contemplatione. *Propterea*, inquit, *quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur.*

4. Vobis hæc dicimus, Fratres, ut si quis desiderio tangitur illius optimæ partis, quæ in Maria laudatur, sciat quia hæc præmium est illius, quæ in Martha non improbatur: nec æquum est ut præmium ante meritum requiratur. Jacob prius oportet jungi Liæ, quàm fruatur amplexibus Rachel: sed & ipsum prius vocari & esse Jacob, quàm Israël. *Rectorem*, inquit, *te posuerunt? curam illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam.* Labor siquidem operis, seu sollicitudo administrationis, semina sunt justitiæ: pro quibus gaudia metenda sunt ex ore consolantis misericordiæ. Sic enim ait Propheta; *Seminate vobis in justitia, metite in ore misericordiæ.* At enim; *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictione, de benedictionibus & metet.* Nullus sane tam profusa benedictione seminavit, sicut illa benedicta in mulieribus; quæ benedictum semen de ventre profudit. Sed semen dicam, an fructum? Melius utrumque. Qui enim semen est operantibus justitiam, fructus erit metentibus gloriam. Semen in passione: fructus in resurrectione. *Potens in terra semen* istud, quod cadens in terram mox excitavit potentiam suam, ut multum fructum afferret, & in semine illo benedicerentur omnes gentes. Unde & ibi sequitur: *Generatio rectorum benedicetur.*

5. De benedictionibus suis itaque Maria metat: & quæ benedictionem omnium gentium seminavit, benedictionem omnium gentium singulariter accipiat. *Beatam me dicent*, inquit, *omnes generationes.* Parum est hoc. Beatam te dicent omnes beatorum Spirituum ordines. *Viderunt* hodie ascendentem *filiæ Sion* cælestis, & *beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.* Prorsus de benedictionibus suis hodie Maria metit, quia refusa est spiritaliter in eam omnimoda benedictio illa, quam de se profudit. Date ei, inquit Spiritus-sanctus, de fructu ventris sui: & saturetur illo quem genuit. O Mater misericordiæ, saturare gloria Filii tui: & dimitte reliquias tuas parvulis tuis. Tu jam ad mensam Domina, nos sub mensa catelli. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita familia hæc famelica de te præstolatur alimoniam vitæ. Per te fructum vitæ communicavimus, in mensa præsentium sacramentorum: per te eumdem fructum vitæ communicemus in mensa perennium gaudiorum, Jesum benedictum fructum ventris tui: cui est honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ, SERMO I.

1. Ego quasi *vitis fructificavi suavitatem odoris.* Natalem beatissimæ Virginis matris celebramus, de qua Vita omnium accepit natalem. Nata est hodie Virgo, de qua Salus omnium voluit nasci: ut natis ad mortem, daret ad vitam posse renasci. Nata est hodie Mater nova, quæ primæ matris maledictionem dissolvit: ut per istam benedictionem hereditate possideant, qui per illam sub præjudicio maledicti æterni fuerant nati. Prorsus nova mater, quæ novitatem attulit filiis inveteratis, vitiumque sanavit tam ingenitæ, quàm superadditæ vetustatis. Prorsus nova mater, quæ tam novo miraculo parit, ut pariat, & virgo sit; ipsumque pariat, qui omnia matremque ipsam inter omnia creavit. Mirabilis quidem novitas fœcundæ virginitatis, sed longe mirabilior novitas editæ prolis. Nulli enim incredibile jam erit Virginem permansisse quæ peperit, qui Deum agnoverit esse qui natus fuit. Nullatenus siquidem cum injuria maternæ nasceretur integritatis, qui etiam corrupta redintegrare consuevit: nec veritas assumpti corporis potentiæ præjudicavit Creatoris, quo minus servaret sibi, quod pluribus dedit creaturis. Multas nempe creaturas invenies nasci sine corruptione gignentium, & quadam voce sua Creatori super inviolabili partu suo perhibere testimonium.

2. Sed loquatur Mater ipsa, quæ sui conscia est mysterii, & nos edoceat, quomodo vel quid ipsa genuerit. Loquatur autem non novæ assertionis argumento, sed antiquo prophetiæ oraculo: quia, ut ait Petrus Apostolus, etiam *miraculis firmior* testis est *propheticus sermo.* Quid enim minus patet calumniæ, aut suspicionem admittit falsitatis, quàm testimonium divinitus de nondum natis prolatum? Longe igitur antequam nasceretur Maria, vocem ipsius assumebat Spiritus, qui in ea futurus erat, & tam divinitatem Filii, quàm integritatem Matris, opus videlicet suum, contra blasphemias impiorum defendebat, & in persona ipsius, si modo communem intellectum sequimur, quod nunc audistis dicebat: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Quod enim personæ Sapientiæ, id est ipsius Filii, tribuit hæc verba contextus lectionis, sicut ipsi scitis, qui regulas nostis Scripturarum, nihil huic præjudicat intellectui, quo minus, sicut alia multa, possint aptari personæ quoque Virginis Matris. Sed neque illud ignoratis quod satis superque suppetant alia testimonia, familiarius ac manifestius huic negotio servientia; sed non erit fraudanda exspectatio vestra de his quæ lectio proposuit hodierna.

2. Pet. 1. d

Eccli 24. c

3. Respondeat ergo Maria blasphemis tam pro se, quàm pro Filio; cunctasque hæreses solo interimat verbo, & dicat; *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Ac si aperte dicat: Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris quomodo virginitas genuit Salvatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inveneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Salvatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim aliud est virginitas, quàm flos inviolati corporis? Quid aliud est filius virginitatis, quàm suavitas odoris? Tu tamen cave ne bono moriaris odore. Bonus enim aliis odor vitæ in vitam, his qui scilicet salvi fiunt: aliis odor mortis in mortem, his scilicet qui pereunt, nimirum tamquam odor vineæ florentis animalibus venenatis. Sane suavitate hujus odoris refocillabatur spiritus Patriarchæ senis, qui filium tangens, & fragrantiam Christi sentiens, de memoria abundantiæ suavitatis illius eructabat, dicens: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Suavitatem hujus odoris odoratus est DEUS Pater, & delectatus repropitiatus est humano generi, cum Filius offerret semetipsum oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Hoc suavi odore trahimur, cum per conversionem currimus ad ipsum: hoc trahuntur adolescentulæ, cum per devotionem currunt post ipsum. Quamquam alius sit odor ille qui de fama prædicationis percipitur, alius odor iste qui de vestimentis vel unguentis, vel de ipso fortassis corpore ejus quodammodo crassior adspergitur. Qui utique non est aliud quàm virtus quæ de illo exit, quæ pigros excitat, & fervorem amoris innovat, ut ad currendam viam mandatorum exsultare faciat.

Similitudine vitis id pulcre ostenditur.

Gen. 27. d

Odor Christi triplex, hostiæ, doctrinæ, & gratiæ.

4. Quia ergo tam odoriferum fructum edidit, glorietur Maria & dicat: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Pulcre *quasi vitis*: nam botrus Cypri dilectus suus illi, de quo non solum torcular passionis rubens mustum expressit pretiosi sanguinis, quo calix præclarus inebriat; sed & quotidie devotio sancta sibi vinum exprimit, quod lætificat cor hominis, & inebriat voluptate gaudii & amoris. Verum non prius inebriat gustus saporis, quàm trahat suavitas odoris: nec lætificat gaudium visionis, nisi prius alliciat pietas opinionis: quia nisi crediderimus non intelligemus, nec gustabimus quoniam suavis est Dominus. Fides siquidem est quæ odoratur, experientia quæ gustat & fruitur. Ideo fortassis Maria

Cant. 1. d

Non præbet saporem, nisi postquam dederit odorem

Isa. 7. b

Jesum suum describens per virtutes ipsius & efficientias, A primo suavitatem odoris eum nominat : quia videlicet hoc initio Jesus in nobis habet subsistere, si redolentia sanctæ opinionis suæ ad se nos trahat. Quis sit autem fructus unde iste odor prodit, & quo nos trahat, aperit cum subdit : *Et flores mei fructus honoris & honestatis.* Prorsus iste est Jesus suavitas odoris invitans, honestas sanctificans, honor glorificans. Suavitas odoris, qua velut ad viam adducimur: honestas, per quam deducimur: honor, ad quem perducimur. Pulcre autem honestas dicitur, quasi honoris status. Neque enim honor ille summæ dignitatis & gloriæ statum tunc in nobis habere posset, nisi nunc honestas vitæ & morum sedem ei præpararet. Nullus tunc, sicut nunc, passim cernitur honoratus sine honestate, sicut nec ullus honestus sine honore. B Est ergo Jesus primo suavitas odoris his quos vocat : deinde honestas his quos justificat : demum honor illis quos magnificat. Nam *quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & magnificavit.*

Eccli. 24. c

Rom. 8. f

5. Talis est igitur Dilectus meus, ait Maria : & iste est filius meus, ô filiæ Jerusalem. Iste est benedictus fructus ventris mei, hunc fructificaverunt *flores mei.* Non ait flos, sed *flores* : quia cum virgo sancta est, flos virginitatis in ea multiformis est. In Maria tamen gratia singulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulcra intus & foris, tota vernabat quadam florulentia & C venustate pudoris. Nam & in te quoque si castimonia perfecta sit, non solun reflorebit caro tua, sed & super te totum efflorebit sanctificatio quædam divina. Non erit aspectus petulans, aut vagus, sed pudicitia floridus: non sermo lascivus aut ineptus, sed verecundia gratus, aut sapientia conditus. Non prurient aures libidine audiendi nova vel turpia, nec palatum desiderio sumendi dulcia. Non erit incessus inordinatus, sed modestus: non ipse habitus non dicam meretricius, sed neque superstitiosus, immo religiosus; totusque hominis tui status sanctimoniæ gratia florulentus, ut recte sponso dicere possis, cum eum ad secretum tuum invitaveris : *Lectulus noster floridus.* Quinimmo ipse totus eris quidam D flos pulcherrimus, qualibus Sponsa languorem amoris sui fulciri ac recreari desiderat, cum ait : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Hujusmodi justus, etiam cum senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ vivæ in resurrectione, id est, in refloritione justorum, germinabit sicut lilium : & florebit in æternum ante Dominum, florem de flore, natum virginem, virginis filium, Sponsum & coronam virginum, florem, inquam, quo coronanda est non solum integritas virginum, sed & castitas continentium; ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Flores virginum.

Cant. 1. a

Cant. 2. d

## IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ, E

### SERMO II.

Eccli. 24. c

1. **E**Go mater pulcra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Meminisse potestis cum præterito anno loqueremur de principio lectionis hodiernæ, non inconvenienter, ut arbitror, beatæ Dei Genitrici nos illud assignasse, salvo tamen intellectu illo, quo tota lectio Filio ejusdem proprie competit, id est, Dei Sapientiæ. Multo autem manifestius in eo quod modo de eadem lectione proposuimus, ejusdem Virginis se demonstrat vox & persona, si tamen advertamus, in eo quod ait : *Ego mater pulcra dilectionis*, &c. quàm pul- F cre & commode Filium his virtutum nominibus describat. Notus erat Matri Filius, nec minus utique quàm illi qui dicebat : *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Primo novit eum secundum formam carnis, in qua ipsa eum genuit : sed longe hoc à cognitione illius formæ, in qua Pater eum genuit. In illa visus est aliquando, & non erat ei species neque decor : in ista splendor est gloriæ & candor lucis æternæ, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Visio illius formæ incredulis auxit peccatum, visio istius justis servatur in præmium. Igitur inter formam carnis & formam Verbi, quasi medius de ista ad illam gradus est, quædam alia forma Christi, spiritalis quidem, sed quam in carne palam exhibuit, forma scilicet vitæ quam in corpore gessit ad informationem eorum qui erant credituri. Si enim secundum exemplar vitæ & morum, quod in eo monstratum est, formatus fuerit in nobis Christus; tunc demum idonei erimus videre non formam solum, quæ formata est propter nos, sed etiam illam quæ formavit nos.

2. Cor. 5. d

Isa. 53. a
Sap. 7 d
Jac. 1. c
Triplex Christi forma.

2. Est utique in Christo alia forma corporalis, alia moralis, alia intellectualis. In corporali frater est, in morali magister est, in intellectuali Deus noster est. Corporalem suscepit, ut impleret sacramentum : moralem exhibuit, ut præberet exemplum : intellectualem seu divinam revelabit ad præmium. Quamquam etiam corporalem tunc cernere, in quam Angeli concupiscunt prospicere, non minima sit portio gloriæ. Beatus autem qui nunc amator factus est formæ hujus, quæ in exemplum est proposita. nam qui scrutator est illius quæ in præmium est reposita, opprimetur à gloria. Hujus formæ mirator & amator factus erat, qui dicebat; *Speciosus forma præ filiis hominum.* Vis scire quia non formam corporis, sed cordis, non pulcritudinem membrorum, sed morum prædicabat ? Audi sequentia; *Specie tua*, inquit, *& pulcritudine tua, intende, prospere procede & regna.* Adhuc fortassis dubium est, nisi addat, *Propter veritatem*, inquit, *& mansuetudinem & justitiam.* Prorsus hæc est species tua & pulcritudo tua, qua regnum acquisivisti, pulcherrime regum, veritas utique sermonum, mansuetudo morum, justitia judiciorum. Hac pulcritudine facile illexisti & subjecisti tibi etiam corda inimicorum, quippe totus concupiscentia & desiderium. Mirabilis triumphus gratiæ, omnino novum ac pulcherrimum genus victoriæ, hostem non perdere ad mortem fortitudine, sed convertere ad amorem pulcritudine. Ecce mundus totus post eum abiit concupiscens speciem decoris ejus, non quia faciem ejus viderit, sed quia tam multa amabilia de mansuetudine, veritate & justitia ejus audivit. Ex Sion species decoris ejus, quia *de Sion exivit lex, & verbum Domini de Jerusalem* : unde scilicet Evangelium ad nos missum est, in quo quædam pulcrior Christi facies ostensa est : forma scilicet vitæ & doctrinæ, quam & tradidit verbo, & in se expressit exemplo.

Prov. 25
Psal. 44.
Christus pulcritudine sibi cuncta subjecit.
Psal. 49
Mich. 4

3. In hac forma nosse Christum, interim pietas est Christianorum; cum nosse in forma carnis, scandalum fuerit Judæorum : nam nosse in forma divinitatis felicitas est, & gaudium Angelorum. Ideo & Paulus sciens quia caro non prodest quicquam, sine spiritu videlicet qui vivificat, nosse jam Christum secundum carnem repudiat: nimirum ut spiritui vivificanti studiosius totus intendat. Hoc ipsum & Maria sapere videtur, quæ dilectum uteri sui, dilectum votorum suorum insinuare cupiens affectibus omnium, describit eum non secundum carnem, sed secundum spiritum : quasi diceret & ipsa : Etsi cognovi Christum secundum carnem, sed nunc jam non novi. Cupit namque & ipsa formare Unigenitum suum in omnibus filiis adoptionis, qui etsi geniti sunt verbo veritatis, nihilo minus tamen parturit eos quotidie desiderio & cura pietatis, donec occurrant in virum perfectum, in mensuram plenitudinis ætatis Filii sui, quem semel parturivit & peperit, immo, ut Isaïas ait, *Antequam parturiret peperit* : quia peperit sine dolore, nec experta est difficultatem & molestiam parturitionis, cum pareret gaudii fructum æterni.

2. Cor. 3
Isa. 66.

4. Hunc igitur commendans nobis sic ait : *Ego mater pulcra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Ergone est iste filius tuus, ô virgo virginum ? Ergone talis est dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum ? Plane talis est dilectus meus, & ipse est filius meus, ô filiæ Jerusalem. Dilectus meus est pulcra dilectio in seipso : dilectus meus est pulcra dilectio, timor, & spes, & agnitio in illo qui natus est ex ipso. Ipse enim est non solum quem diligimus, timemus, agnoscimus, & in quem speramus; sed hæc etiam omnia in nobis operatur, atque his virtutibus, veluti quibusdam membris & partibus, in nobis

Eccli. 24.

nobis perficitur atque formatur. Tunc enim perfecte, pro modulo hujus vitæ, Christus in te formatus est, tunc veritas ipsius in te expressa est, si veritatem quæ ipse est agnovisti, & agnitam glorificasti, timore videlicet & spe; & ne spes confundat, caritas diffusa sit in corde. Si huic sensui judicas incongruum; quod alius sit istarum ordo virtutum vel profectuum, & alius ordo positionis nominum: non enim ait: Ego mater agnitionis, & timoris, & spei, & dilectionis, sed ait: *Ego mater pulcra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei*, fortassis & in hoc ordine ipso quem ponit, inveniri poterit aliquid congruentiæ & rationis. Sicut enim de agnitione timor nascitur, quem, ne in desperationem concidat, spes adjuncta consolatur, ipsique spei, ne confundat, dilectio suffragatur: ita versa vice dilectio castum parit timorem, timorque cum dilectione illuminat agnitionem, secundum illud Sapientis: *Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Quanto autem verius illuminato corde Deus agnoscitur, tanto fiducialius in eum speratur. Unde est illud, *Sperent in te omnes qui noverunt nomen tuum, Domine.* Spes vero sancta est, sicut Johannes de spe videndi Deum loquens ait: *Omnis qui habet hanc spem in illum sanctificat seipsum*; sicut & ille sanctus est.

5. Pulcre autem & proprie dicta est *pulcra dilectio*, cum caritas Deus sit, ac per hoc summa pulcritudo, sitque virtus ista fere tota pulcritudo Ecclesiæ, quàm ipse Sponsus ejus in Cantico amoris invenitur tantum ac toties in ea mirari & extollere. Prorsus dilectio pulcra: quæ de corde puro est, & conscientia bona, & fide non ficta. Ubi enim cor purum est, nulla est ruga; ubi conscientia bona, nulla est macula: ubi fides non ficta, non est aliquid ejusmodi quod oculis Sponsi displiceat; quo minus sibi Ecclesiam nunc gratiosam, tunc gloriosam exhibeat. Distinguenda etiam erat hoc nomine dilectio sanctorum ab amore hominum, sive turpi, qui nec nominandus est inter fideles; sive naturali, quo amantur parentes; sive sæculari, quo se invicem amant propter sæculi necessitates vel cupiditates. Procul ergo, procul; immo nusquam prorsus sub oculis Dei amor turpitudinis; seorsum autem interim cedat amor necessitudinis, solusque regnet amor internæ & æternæ pulcritudinis, quo solum Deum, vel propter Deum amant vere pulcri. Tu vero, bone Jesu, pulcritudo Sanctorum, speciosus forma, non modo præ filiis hominum, sed & præ virtutibus cælorum: specie tua & pulcritudine tua, intende, prospere procede, & regna; tamque late regnet pulcra dilectio tua, ut turpem de finibus rerum perturbet & eliminet, sæcularem ad se convertat & inclinet, naturalem sub se regat & ordinet: ut illa pulcra & vera dilectione te diligat mundus, qua dilexisti mundum, Salvator mundi, qui vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN SOLLEMNITATE OMNIUM Sanctorum,

### SERMO.

1. *B*Eati pauperes spiritu. Agnosco notum illud ac nobile prognosticum, quod in testimonium sui, necdum natus in carne Dei Filius protulit: jam vero natus, sed nondum notus, sibi competere docuit: *Spiritus*, inquit; *Domini super me, evangelizare pauperibus misit me.* Ecce pauperes evangelizantur, ecce pauperibus Evangelium regni nuntiatur: *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Lætum prorsus ac novæ plenum gratiæ novi testamenti principium, etiam quantumlibet infidelem aut pigrum provocans ad audiendum, sed amplius ad faciendum, cum scilicet beatitudo miseris, exsulibus & egenis promittitur regnum cælorum. Gratum, inquam, & auspicatum novæ legis initium, quando in ipso statim initio, tot beatitudinum benedictiones dat Legislator, quibus delectati eant de virtute in virtutem: per istos videlicet octo gradus ascensionis, quos in corde nostro disposuit structura Evangelii, secundum exemplar & imaginem cælestium, quod Ezechieli quoque ostensum est in monte visionum Dei. Est enim manifeste quidam ascensus cordium, & profectus meritorum iste per ordinem digestus octonarius virtutum, gradatim de imis ad summa perducens virum evangelicæ perfectionis, donec ad videndum Deum deorum in Sion ingrediatur templum, de quo Propheta dicit: *Et in octo gradibus ascensus ejus.* Ezech. 40

2. Prima siquidem virtus inchoantium, est *renuntiatio* sæculi, qua pauperes efficimur spiritu: secunda *mansuetudo*, qua nos obedientiæ subdimus, & assuescimus: deinde *luctus*, quo peccata plorantur, vel virtutes implorantur. Ibi nimirum gustamus, unde amplius esuriamus, & sitiamus justitiam, tam in nobis quàm in aliis, zeloque contra peccantes incipimus commoveri. Sed ne zelus immoderatior in vitium feratur, sequitur *misericordia*, qua temperetur. His ergo studiis, vel exercitiis, cum quis justus & misericors esse didicerit, idoneus erit fortassis contemplationi vacare, & mundando cordi, quo Deus videatur, operam dare. Exercitatus autem & probatus tam in actione, quàm in contemplatione, tum demum dignus erit, qui nomen & officium Filii Dei gerens, pater & minister factus aliorum, tamquam mediator & sequester *pacificet* inter ipsos & Deum: pacificet ipsos adinvicem, vel etiam ad eos qui foris sunt: sicut scriptum est, in laude sanctorum patrum: *Pacificantes in domibus suis.* In hoc officio qui fidelis & constans fuerit, sæpe virtutem & meritum sibi martyrii comparabit, *persecutionem* patiens propter justitiam; aliquando & ab his pro quibus pugnabit, ut sit ei dicere: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, &, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis impugnabant me gratis.* Eccl. 44. Cant. 1 Psal. 119.

3. Quantæ autem gloriæ, quàmque copiosæ mercedis in cælo sit culmen hujus perfectionis, inde utcumque licet æstimare, quod ipsa etiam abrenuntiantium sæculo primordia tantæ Dominus prædicat felicitatis, ut dicat: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Plane beati qui, projectis vilibus, sed gravibus sarcinulis hujus mundi, nolunt divites fieri, nisi de solo Creatore mundi, propter ipsum, tamquam nihil habentes, & per ipsum omnia possidentes. An non possident omnia qui possident continentem & disponentem omnia; quorum Deus portio est & hereditas; qui ut nihil desit timentibus eum, cetera prout expedire novit, dispensat ad utendum, & seipsum servat ad fruendum? Cum heres Dei, coheres autem Christi, adultus & emancipatus introducetur in plenariam possessionem exspectatæ hereditatis, tunc profecto jus absolutum, ac liberum imperium habebit in creaturis: qui modò quanto tempore parvulus est, nihil differt à servo, cum sit dominus omnium; sed sub tutoribus, & actoribus est usque ad tempus præfinitum à Patre. Tunc mundus agnoscet justum ac legitimum heredem Dominum suum, propter quem creatus est: agnoscet, inquam, quia jam non conformem sibi, sed reformatum in novitate sensus sui ad imaginem Dei, ad quam factus est. Sed & nunc quoque *fideli homini totus mundus divitiarum est*, non solum quia ad agnoscendum vel diligendum auctorem mundi, mundanis omnibus utitur tamquam ad hoc sibi datis: & in via testimoniorum Dei, quæ videt facturam, sicut & scripturam perhibere factori, delectatur sicut in omnibus divitiis: sed etiam, quia ita sufficiens & gratus esse didicit, ut quasi totius mundi divitias computet illud prope nihil quod habet, sive hoc ipsum quod nihil habet. Ideo jure beatificat Ecclesiam sanctorum Salomon, quæ pauper pro Christo, tam dives est in Christo. *Multæ*, inquit, *filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Alii siquidem rapiunt non sua, & semper in egestate sunt: sancti dividunt propria, & ditiores fiunt. *Divites enim eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Pauperes spiritu, cur beati. Prov. 17 juxta LXX. Lectio hæc, Aug. Gregor. Bernardo aliisque PP. familiaris. Prov. 31. Ibidem. Psal. 33.

4. Avarus quo plura possidet, pluribus eget. Quamquam nil minus habeat, quàm quod habere se putat: cum habeatur, non habeat, servus pecuniæ, mancipium avaritiæ, cultorque crumenæ, idololatra detestandus, cui nummus est Deus. Pulcre autem jam nunc quoque vindicat in peccatores justitia divina, res ipsas quas amant Avarus servus & miser.

Gradus virtutum, secundum ordinem beatitudinum.

convertens eis in tormenta, & vitia faciens esse supplicia. Pecunia enim quæ justum amplius justificat, & verius ditat dispensata, vel semel data; avarum cruciat servata, prodigum polluit profligata. Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, ut sola, quis sit optimus divitiarum usus, invenerit: quod videlicet divitiæ, quæ pauperem faciunt & miserum, si diliguntur; tunc demum faciunt divitem & beatum, si pro Christo contemnuntur. Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis, id est humilibus; qui utique non sunt alii quàm pauperes spiritu, quorum hic beatitudo prædicatur.

Bonus divitiarum usus cui competat.

Matth. 11. d

5. Hoc enim licet scientes tamen commonere vos velim, fratres, quod vera ac beata paupertas spiritus, plus est in humilitate cordis, quàm in angustia rei familiaris: plus consistit in abdicatione superbiæ, quàm in contemptu substantiæ. Substantia nonnumquam utiliter habetur, superbia numquam nisi damnabiliter retinetur. Diabolus nihil in mundo possidet, aut possidere desiderat, quem sola, vel maxime superbia damnat. Parum igitur prodest renuntiare sæculi possessionibus, nisi renuntietur & moribus: immo stultum, ac ridiculum est nudari divitiis, & divitum implicari vitiis: pauperem fieri rebus, nec ditari virtutibus: relinquere omnia, nec sequi Christum, sed magis forsitan in castris Christi, juvare partes antichristi. Plane antichristi partes adjuvat, quisquis superbiæ militat, nomenque sanctum, quod verbis vel habitu profitetur, moribus impugnat. Vexillum Christi humilitas, antichristi superbia, vel potius capitis ejus diaboli, qui super omnes filios superbiæ regnat, & ab initio per superbiam peccat. Gloriemur igitur, fratres, quia pauperes sumus pro Christo; sed operam demus, ut humiles simus cum Christo. Paupere superbo sicut nihil detestabilius, ita nihil miserabilius: cum eum & paupertas nunc affligat, & superbia in perpetuum addicat. Pauper autem humilis, etsi uritur & purgatur in camino paupertatis, exsultat refrigerio conscientiæ divitis: consolatur se promissione sanctæ spei, sciens & sentiens, quoniam ipsius est regnum Dei: quod jam intra seipsum velut in semine vel radice gerit, primitias scilicet spiritus, & pignus æternæ hereditatis. An non vestrum est, fratres, unde toties sicut vobis conscii estis, fructus suavissimos, & beata gaudia decerpitis, quorum gustus amarescere vobis jam omnem fecit dulcedinem mundi? Gustastis enim, ni fallor, & vidistis, quoniam bona est negotiatio vestra, qui pro re gratis contemnenda ac projicienda, summa comparastis bona. Denique non est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu-sancto. Si hæc ergo sentimus in nobis, cur non confidenter pronuntiemus intra nos esse regnum Dei? Quod autem intra nos est, illud vere nostrum est: quia nobis invitis eripi non potest.

Paupertas spiritus in quo.

Frustra est, renuntiare divitiis, & non divitum vitiis.

Vexillum Christi humilitas, anti Christi superbia.

Paupere superbo nihil detestabilius.

Solatium pauperum.

Rom. 14. c

6. Recte itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait, *ipsorum* erit, sed, *est regnum cælorum*, non solum propter jus firmissimum, sed etiam propter pignus certissimum usumque felicissimum: non solum quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam quia jam in quamdam ipsius possessionem cœperunt introduci, jam habentes thesaurum cælestem in vasis fictilibus, jam portantes Deum in corporibus suis & cordibus. Quàm beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, quàm vicini sunt Dei regno qui regem ipsum, cui servire regnare est, jam possident, & gestant in corde suo. *Funes*, inquit, *ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi.* Litigent alii de dividenda hereditate hujus mundi: *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei.* Pugnent inter se quis eorum fiat miserior, nihil omnium quæ ambiunt, illis invideo: ego enim & anima mea delectabimur in Domino. O præclara hereditas pauperum, ô beata possessio nihil habentium! quoniam non solum omnem sufficientiam nobis subministras, sed etiam ad omnem gloriam abundas, ad omnem lætitiam redundas, tamquam in sinu reposita supereffluens mensura. Prorsus tecum sunt divitiæ & gloria, opes superbæ & justitia.

Quomodo pauperibus regnum cælorum hic competat.

Psal. 15. a

Ibid.

A 7. Superbiat, ô pauperes, superbiat, ô humiles, anima vestra, glorians in humilitate sua, omnemque altitudinem hujus mundi longe sub pedibus suis jacentem despiciat: indignumque judicet gloriæ suæ, ad concupiscentiam vilis prædæ suam ulterius majestatem inclinare. Quid? jam jam tollenda es in cælum, & nunc te demum mergeres in cœnum? Parata tibi sunt æterna, & præeligeres transitoria, somnoque similia? Te præstolatur curia Sanctorum, & præponeres societatem dæmoniorum? Quàm miser homo, qui cum in honore esset, non intellexit, ac perinde comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. An non manifeste hoc illis contingit, quos cum beata paupertas fecisset B honorabiles cælo, mirabiles mundo, & ut nihil præteritum sit, etiam formidabiles inferno: postea arbitrantes miseriam, cæcato sensu, paupertatem, humilitatem, ignaviam: voluerunt divites fieri, & inciderunt in tentationes & laqueos diaboli: cumque essent Domini universorum, vendiderunt seipsos sine pretio propter ea quæ nihil sunt. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diverterunt in vias pravas. Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus? Ipsi viderint, quid facturi sint. Vos enim quibus amica est paupertas, & grata spiritus humilitas, securos fecit de possidendo regno cælorum incommutabilis Veritas: vestrum illud esse asserens, vobis illud repositum fideliter custodiens: si tamen & vos C ipsi spem istam in sinu vestro repositam firmiter custodiatis usque in finem, cooperante Domino nostro Jesu-Christo, cui est honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Indignum contemptis terrenis, iis inhiare.

Psal. 48

## SERMO.

In verba Cantici cantic. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Cant. 8. d

1. IN conventu sodalium & amicorum, id est Ecclesia sanctorum, cujus vocem deceat audiri, sponsus ipse sponsæ loquens, innuit cum ait: *Quæ habitas in hortis, D amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Non sum ego cui hoc dictum debeat videri; non sum qui habitem in hortis; magis mihi videor esse de illis qui habitant in sepulcris. Corpora enim peccatorum, quid sunt nisi sepulcra mortuorum? Qui ergo dediti sunt corporibus suis, non in hortis habitant, sed in sepulcris: Deumque exasperant, donec qui educit vinctos in fortitudine, forti voce inclamet: *Lazare veni foras*, suisque discipulis super eo præcipiat, *Solvite eum & sinite abire.* Magna sane differentia est sepulcrorum & hortorum. Hæc plena omni spurcitia & ossibus mortuorum; illi omni suavitate & gratia florum, aut fructuum. Quid enim si aliquando sepulcra videntur in hortis? Nam & Dominus in horto E sepultus fuit. Etsi enim sepulcra in hortis, numquid tamen horti in sepulcris? Ita fortassis, sed in sepulcris justorum. Ibi plane vernabit gratissima quædam amœnitas hortorum, verno scilicet illo tempore Resurrectionis eorum, cum reflorebit caro eorum, & non solum ossa justi sicut herba germinabunt, sed & totus justus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Non sic impii, non sic, qui sepultura asini sepeliuntur, & sine omni spe melioris resurrectionis subditi corruptioni, hac præsenti futuram auspicantur. De sepulcris eorum dicere cœperam, quod quantum à spurcitia illorum abhorret florentium species hortorum, tantum, immo incomparabiliter amplius distat oblectatio spiritualium à F voluptate gaudiorum carnalium.

Cant. 8.

NOTA

Horti in sepulcris justorum.

Jerem.

2. Vos igitur, ni fallor, estis qui in hortis habitatis, qui scilicet in lege Domini meditamini die ac nocte, & quot libros legitis, tot hortos perambulatis: quot sententias eligitis, tot poma carpitis. Et beati quibus omnia poma nova & vetera servata sunt: id est, tam Prophetarum, quàm Evangelistarum, vel Apostolorum eloquia reposita sunt, ut & unicuique vestrum illud sponsæ ad sponsum videatur dictum: *Omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Scrutamini igitur Scripturas. Vos enim non falso vitam in ipsis putatis vos habere, qui

Horti rum sunt libri sac

Cant. 7

nihil aliud in illis quæritis quàm Christum, cui testimonium perhibent Scripturæ. *Beati plane qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Mirabilia testimonia tua, Domine, ideo scrutata est ea anima mea.* Scrutinio quidem opus est, non solum ut eruantur mystica, sed etiam ut fugantur moralia. Ideoque vos qui perambulatis hortos Scripturarum, nolite negligenter & otiose transvolare, sed scrutantes singula, velut apes sedulæ mel de floribus, spiritum de sermonibus colligite. *Spiritus enim meus*, inquit Jesus, *super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum.* Ita probantes quid sapiat manna absconditum, eructabitis illud Davidicum: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel & favum ori meo.*

3. Ab his hortis in alios, ubi requies secretior & voluptas beatior, & species mirabilior, sponsus, ni fallor, vos introducit, cum intentos laudibus suis in voce exsultationis & confessionis, rapit in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, lucem scilicet inaccessibilem, ubi habitat, ubi pascit, ubi cubat in meridie. Si enim devotio psallentium & orantium habet aliquid de illa pia curiositate quærentium, *Rabbi ubi habitas?* puto quia merentur audire; *Venite & videte. Venerunt*, inquit, *& viderunt, & apud eum manserunt die illo.* Quamdiu apud Patrem luminum sumus, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; noctem nescimus, tantummodo die beato fruimur. Cum inde labimur, in noctem nostram recidimus. Heu mihi! quàm cito defecerunt dies mei, quàm cito sicut fœnum arui, qui quamdiu fui in horto cum illo, sicut paradisus Dei virui & florui. Cum illo hortus voluptatis: sine illo locus horroris & vastæ solitudinis. Existimo enim qui in hortum illius intrat, quod & ipse hortus fiat; sitque anima illius velut hortus irriguus, ut & sponsus in laudem ejus dicat: *Hortus conclusus, soror mea sponsa.* Annon sunt hortus, in quibus fit quod ipse hortulanus loquitur plantationi, quam plantavit Pater suus? *Audite me*, inquit, *divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.* Quasi Libanus, odorem suavitatis habete. Florete flores quasi lilium, date odorem, & frondete in gratiam.

4. O Domine Jesu, vere hortulane: operare in nobis quod exigis à nobis. nam sine te nihil possumus facere. Tu enim verus es hortulanus, idem creator qui cultor vel custos horti tui, qui verbo plantas, spiritu rigas, virtute incrementum das. Errabas Maria, quæ eum existimabas hortulanum illius horti pauperis & exigui, in quo sepultus fuit. Hortulanus est totius mundi, hortulanus est cæli, hortulanus est Ecclesiæ, quam hic plantat & rigat, donec incremento consummato transplantet eam in terram viventium, secus decursus aquarum viventium, ubi non timebit cum venerit æstus, sed erit folium ejus viride, nec aliquando desinet facere fructum. Beati qui habitant in illis hortis tuis, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Paulus habitabat in illis, cujus conversatio in cælis; qui mente sæpius excedens perambulabat paradisum beatæ voluptatis, horto deliciarum Dei, ubi & pertransiens rosas Martyrum, & lilia Virginum, desinens etiam mirari altitudinem cedrorum Dei, delectabatur potius carpere de fructu ligni vitæ, quod est in medio paradisi, in ipso nimirum gustans plenius & felicius quàm suavis est Dominus. Ideoque cum inde redibat, amicis auscultantibus memoriam abundantiæ suavitatis ejus profusius eructabat, & ex abundantia cordis os redundabat. Quia enim sicut adipe & pinguedine repleta erat anima ejus, ideo labiis exsultationis laudabat os ejus. *Cor quippe sapientis erudiet os ejus, & labiis illius addet gratiam.* Eructabat itaque cor ejus verbum bonum, ac de bono thesauro bonus bona proferebat, sponsumque ipsum qui in amicis auscultabat, velut jucundo carmine oblectabat. Prorsus carmen jucundum, suavisque melodia, ubi tam canorum Spiritus-sancti organum, tanta morum & sermonum consonantia, tanta dulcedine amoris, tanta gratia oris Christum Jesum jubilum cordis sui personabat. Si enim lingua suavis vim carminis non haberet, scriptum non esset: *Tibiæ & psalterium faciunt suavem melodiam, & super utraque lingua suavis.* Si carmine hujusmodi Psalmista Deum oblectari nesciret, nequaquam diceret: *Jucundum sit ei eloquium meum.* Sed nec ipse sponsus diceret: *Fac me audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua suavis*, quia exaltationes Dei in faucibus tuis, tamquam habitantis in hortis, in deliciis paradisi. Econtra vero, *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, qui habitat in sepulcris. Cujus enim vita Deum exasperat, lingua non delectat, sed terribiliter increpatur voce divina: *Quare tu enarras justitias meas? Cantica lyræ tuæ non audiam.*

5. Sed quoniam Scriptura quam assumpseram in excusationem sermonis, occasionem & materiam ministravit sermonis, si placet finiamus quod de illa cœperamus. Dupliciter itaque potest intelligi, quod à sponso dicitur: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam:* vel quod devotum amatorem invitet ad psallendum vel orandum; vel quod sanctum prædicatorem excitet ad loquendum. Quod ut magis persuadeat, amicos auscultare memorat, Angelos scilicet orantem vel psallentem: fideles, prædicantem. Ubi primo intuemur, qua disciplina cordis & corporis nos oporteat in conspectu angelorum psallere vel orare, ne vacui dimissi vacuos nos dimittant, qui venerant ut vota deferrent, & dona referrent, immo recedant inimici qui venerant amici. Quinimmo sponsus ipse, qui stat ad ostium & pulsat, si nulla ei digna devotio deintus respondens aperiat, recedet conquerens, & dicens: *Attendi & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur. Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prœlium.* Si autem prædicatorem exhortatur, fiduciam ei loquendi tribuit de benevolentia & attentione auditorum, quia scilicet non increduli obloquuntur, aut litigant; non æmuli detrectant, aut subsannant; non tepidi dormitant, aut oscitant: sed amici attenti auscultant, quorum amor & meritum possit evangelizanti impetrare verbum & spiritum. Et bene amici auscultant. Est enim velut proprium amici, scilicet quod devotus audiat vocem sponsi, sicut Johannes ait: *Amicus sponsi est qui stat*, non vagans animo, aut prostratus somno, *audit & gaudet gaudio propter vocem sponsi*, quam agnoscit etiam in servis. Et nos itaque inde probemus nos amicos, ut sive per os loquentis, sive legentis aut cantantis vox sponsi sonuerit, sic stemus ad audiendum, quatenus auditui nostro det gaudium & lætitiam: & non solum cum gaudio suscipere verbum, sed & fructum afferre in patientia.

*His* GUERRICI *sermonibus in Bibliotheca Patrum tomo* 13. *editionis Coloniæ, quinque alii subjiciuntur hactenus recensiti inter* BERNARDI *sermones* de Diversis, *nimirum* 8. 28. 73. 76. *&* 79. *quos Horstius* GUERRICO *abjudicat, eo quod desiderentur in mss. Coloniensi. Vide quid de his dictum sit in Præfatione ad tomum tertium, ubi discussio facta est sermonum de diversis, & in proprio eorum loco. His porro Guerrici Sermonibus visum est subjicere Nicolai monachi Claræ-vallensis Sermonem de beata Maria Magdalena, inter Bernardinos antehac editum; quem suo loco inter Nicolai Sermones tomo quinto per oblivionem omisimus. Unus est ex novemdecim illis Sermonibus, quos Nicolaus Henrico Campaniæ Comiti nuncupavit; totusque conflatus est ex Bernardi Sermonibus in Cantica.*

## IN FESTO BEATÆ MARIÆ Magdalenæ.

### SERMO Nicolai Claræ-vallensis.

1. HOdie misericordia & veritas obviaverunt sibi, & multitudo miserationum Domini in peccatricem feminam refusa est. Filius enim Virginis peccatricis & menstruatæ manibus attrectatur, Deumque Dei filium mulier infrunita contingit. Tangit pedes mundi

atque mundantis, immunda; & vestigiis Creatoris mulier criminosa procumbit. Transit in affectum cordis prævaricatrix, & redit ad cor: & scelerum magnitudinem lacrymarum multitudo condemnat. Dissimulat pietas tangentis officium, & obsequiorum instantiam remuneratorius ille majestatis oculus felici dedignatione non aspicit.

Christi pietas & misericordia in conversione Mariæ Magdalenæ.

Osculatur Maria pedes Christi frequentibus osculis, & oculis inundantibus vestigia Redemptoris infundit, tergit crinibus, odoriferis illinit & irrorat unguentis. Videt & invidet singularitatis amator, & utrumque redarguit Pharisæi jactantia, illum ignorantiæ, præsumptionis istam. Sed deliberans providentia suspendit judicium, dum affectat obsequium; & invectivam retinet præparatam, donec Mariæ sacrificium in holocaustum pertranseat. Gaudent Angeli super peccatrice pœnitentiam agente, & odoris fragrantia cælestis ille conventus adspergitur, salvantemque & salvandam tota misericordiæ dulcedo pertingit*. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, & numerositatem criminum præponderans pietas intercludit. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, in peccatricis confessione, quàm justa reprehensio in Pharisæi superbia & abusione! Enumeratur obsequentis obsequium, & per obliquum tangitur indignantis iniquitas, toto litterali cohærentia Simonis invidiam impugnante. Et quia ubi spiritus Domini, ibi libertas; dimittuntur illi peccata multa quæ multum diligit: immittuntur illi qui multum negligit. Non erat satiatus ab uberibus sponsæ, nec induerat compassionis affectum, legem relegens quæ misericordiam nescit, novit justitiam. Lex dura, duris & lapideis promulgata, parata percutere, nesciens misereri. Lex excludens pœnitentiæ locum, veniam negans, emendationis ignara. Lex vinum durum & acidum de botris amarissimis eliquatum, consecratum feritati, derivatum Israëli, Salvatori propinatum. Vinum de quo dentes bibentium obstupescunt: non de genimine vitis illius, quod Salvator bibit novum in regno Patris sui.

* al. præcingit. Rom. 5. 20. 2. Cor. 3. 17.

Legis veteris austeritas.

Duo sponsæ ubera. Cant. 1. 1. Rom. 12. 15.

2. Vere meliora sunt ubera sponsæ vino isto. Quænam sunt illa? Procedat in medium Paulus Apostolus, & ubera felici lacte manantia nobis assignet. *Gaudere*, inquit, *cum gaudentibus, flere cum flentibus*. O quàm brevi sermone totius religionis depinxit insigne! Quàm eleganti clausula proposuit pietatem, æquitatem statuit, submovit invidiam! His uberibus mater Ecclesia lactat proficientes, nutrit perfectos. *Gaudere*, inquit, *cum gaudentibus*. Facessat hinc sæcularis plausus, insania & lætitia mundialis abscedat, quia non est gaudere impiis, dicit Dominus. Numquid illorum os gaudio repleri æstimas, qui lætantur cum male fecerint, & exsultant in rebus pessimis? Sed nec illi qui laudibus adulatoriis rapiuntur, divinæ jubilationis agnovere lætitiam. Numquid qui vestiuntur purpura & bysso, & epulantur quotidie splendide, gaudium & lætitiam obtinebunt? Absit, ut in terra suaviter viventium gaudiorum inveniatur materia; cum tantis alternationibus tota mundi facies immutetur; ut elevans allidatur, & respiret allisus. Sed est gaudium continua sibi jucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur. Mens enim ab hujus mundi adspergine pure pressèque detersa, & in divinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, & exsultat anima sua in Deo salutari suo. Talis anima minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, & omnium scandalorum immunis, in pace in idipsum dormiens requiescit. *Pax multa diligentibus legem tuam*, ait justus, *& non est illis scandalum*. Noverat enim quia lictores non persequuntur Martyres, sed coronant. Cum hujusmodi gaudentibus gaudet Apostolus, & ut abundantius gaudeant, tota securitate promittit. Hoc gaudium certum & plenum est: tantoque certius est, quanto vicinius circa identitatem imprimitur. Hæc est mammilla congratulationis, de qua lac exhortationis effunditur, quo nutriuntur perfecti, ut cum avulsi fuerint à lacte isto, epulentur ab introitu gloriæ Dei.

Isa. 48. 22. Prov. 2. 14. Verum gaudium quibus competit. Psal. 118. 165. Mammilla congratulationis. Quænam tristitia laudabilis, vel non.

3. Secunda est *flere cum flentibus*. Numquid Apostolus præcipit flere rerum amissionem, intermissionem voluptatum, filiorum mortes, morborum instantiam, gravitatem inopiæ, pressuram fortiorum? Absit. Plorandi enim sunt, qui taliter plorant. Religiosa enim tristitia, aut alienum luget peccatum, aut proprium. Beati quorum luctus in hac intentione versatur, quia consolatoriam possunt in hac exspectare dulcedinem. O quàm leni & dulcissimo spiritu imbutus est spiritus illius, qui novit in spiritu lenitatis peccantem instruere, suspendere vindictam, & affectuosis officiis inviscerare sibi peccatorem, donec vitæ reddatur! De hac compassionis mammilla lac consolationis exprimitur, & hoc lacte pascit Apostolus illos, qui solido cibo vesci non possunt. Amator innocentiæ, pacis amicus, patientibus compatiens, & congaudens gaudentibus, perfectionis metam cursu consummato contingit. Hæc sunt ubera lacteis irrorata liquoribus, meliora vino, lacte dulciora, misericordiam sonantia, redolentia pietatem. *Fragrantia*, inquit, *unguentis optimis*. Digna prorsus ubera, de quibus eliquatur unguentorum infinitas, odorata diffluxione civitatem Dei viventis circumquaque respergens. Hæc sunt unguenta, quæ regina Saba attulit in Jerusalem, de quibus dicit Scriptura: *Non sunt allata ultra aromata tam multa, quàm ea quæ dedit regina Saba Salomoni*. Quàm excellenter apposuit *optima* Spiritus ille subtilis, qui totam sibi libri hujus rapit positionem? Est enim unguentum bonum, quod Maria pedibus Salvatoris infudit: est & melius, quod eadem, si tamen eadem, super caput recumbentis effudit: est & optimum, quod & ipsa præparavit toti corpori Christi.

Mammi[lla] compass[ionis]. Cant. 1. 3. Reg. Triplex [Mag]dalenæ [un]guentu[m].

4. Primum unguentum contritionis est, de recordatione peccatorum, de spiritu contrito & contribulato descendens. Hoc infunduntur pedes illius qui ambulat super pennas ventorum: hic adorat Maria in loco ubi steterunt pedes ejus. Steterunt, inquam, qui validissima amoris manu pedem utrumque retinuit, donec utrumque perungeret, & audiret criminum remissionem, & dimissionem in pace. *Remittuntur*, inquit, *tibi peccata*; *& vade in pace*. Magnam prorsus miseriam magna misericordia diluit & abstergit, & hoc quidem festinanter, quia sine ullo intervallo conjunguntur & lacrymæ peccatricis, & indulgentia Salvatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur: ut & de præterito non sit sollicita, & secura de futuro. Pedes isti sunt misericordia & judicium: quorum alterum sine altero osculari vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Quis enim Dei misericordiam indesinenter attendens, non statim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cum enim recogitat universitatis Dominum formam servi pro servis suscipere, triginta & tribus annis operari salutem nostram in medio terræ hujus; capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filiis hominum: statim deceptoria spe sibi blanditur, & alludit; gaudet observari in misericordia, & miserationibus; judicium nescit, ignorat justitiam, & punienda æstimat non puniri. Fallitur qui sic osculatur misericordiæ pedem, ut pedem judicii non attendat: qui totum de Dei pietate præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quod credit. Rursus cum abducit os, & judicii pedem crebrioribus osculis intertangit; subcutitur carnis animæque substantia, & utriusque hominis statum vehementior aura percellit. Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis, offendere Creatorem, nescire Dominum, recalcitrare dominantis imperio, qui habet potestatem corpus & animam mittere in gehennam. Terribilis certe, sicut ait Apostolus, quædam exspectatio judicii, quando ignis in conspectu ejus exardescet, & virtutes cælorum movebuntur, & vacillantibus conscientiis latitudinem mundi validissimus ignis aduret. Nihil prorsus terribilius, quàm videre diaboli officinam plenam sanguine, cumulatam opprobriis, tormentis undantem. Quis hæc diutius cogitans non statim contremiscat, & in desperationis rotetur abyssum? Non est igitur huic pedi morosius incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia judicantis occludat*. Utrumque igitur inungat pedem animæ pœnitentis affectus, & nu[…] misericordiam

Primum contriti[onis]. Luc. 7. Pedes C[hristi] mystice [mise]ricordia [&] judicium. Misericordiæ pes no[n so]lus amp[lec]tendus. Heb. 10. Ibid. 27. Sed nec judicii sed utr[umque]. * al. ex[clu]dat.

amplectens, nunc judicium deosculans, contribulati spiritus offerat holocaustum. Vide Mariam judicii pedem fortiter attendentem, dum nobilis & lasciva mulier convivantium faciem non attendit, sed extenso corpore provolvitur pedibus majestatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. Sed & misericordiæ pedem labiis impressioribus osculatur, in cujus spe firmiter inhæret vestigiis Redemptoris *, donec audiat, *Remittuntur tibi peccata tua.* ecum-

5. Sane pretiosum unguentum, quo non solum terrena domus, sed etiam cælestis adspergitur. Vilissimæ tamen sunt species de quibus conficitur, & magna earum copia intra nostros hortulos poterit inveniri. Peccata igitur nostra plantata in conscientiis nostris, quorum multitudo numerari non potest, species ejus sunt. Ipsa igitur in mortariolo pœnitentiæ, macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, & in aheno disciplinæ concocta, unguentum exhibent pretiosum, & acceptum pedibus Salvatoris. Compendiose autem istud confecimus, sapienti rerum occasionem penitus relinquentes. Et licet materia videatur indignior, interim tamen bonum est unguentum istud, quod domum replet, penetrat cælos, Angelos lætificat, & beatæ civitati lætitiam refundit & gaudium. Hoc est sacrificium justitiæ: quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus.* enti i spe- c com- o. 19.

B

6. Secundum unguentum est devotionis de recordatione beneficiorum Dei. Prorsus dignissima hujus unguenti compositio: & in istius comparatione prioris est conspersio vilipendenda. Ejus enim species de cælesti paradiso allatæ sunt, & in terra filiorum hominum nequeunt inveniri. Virtutes enim divinitus collatæ, & in mortariolo pectoris pistillo diligentissimæ meditationis contritæ, & exsultationis oleo superfusæ, suffuso igne justitiæ & in humilitatis aheno decoctæ, faciunt unguentum, & odore & virtute mirabile: quod solum super caput Domini recumbentis possit effundi, & exhiberi reverentiæ majestatis. Sed & hoc recolligimus breviter: illis qui multa de paucis excipere noverunt, verborum multitudinem reservantes. Notanda tamen utriusque differentia, & secundi sublimitas attendenda; quoniam illud est *sacrificium Deo spiritus contribulatus*, & istud *sacrificium laudis*, quod honorificat Deum. Pedes igitur ungimus Salvatoris, cum de peccatis compungimur: ungimus caput, cum de collatis virtutibus, virtutum largitori gratias cumulamus. Interstitii tamen morositas inter pedes esse debet & caput: quia profecto difficillimus & præsumptuosus saltus est à vestigiis ad verticem Domini transvolare. Neque enim eadem quæ unxit pedes, unxit & caput: cum illa meretrix nihil horum fecisse legatur, secundum illud: *Verte impios, & non erunt.* Unxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profecto jam dilecta, jam familiaris effecta, longeque à peccatricis illius obvoluta vestigiis *, quam infelix ille septenarius confundebat. dam ntum onis C s com- onis m. que nti ntia. D ı2 7. evoluta giis

E

7. Porro si duo præmissa unguenta tantæ dignitatis sunt, ut alterum pedibus, alterum complaceat capiti dominantis: illud tertium quod optimum est & superexcellens, ubinam invenire poterimus? Sed absit ut sponsa veritatis à veritate dissentiat, & tale aliquid habere se jactitet, quod habere non possit. Est ergo tertium unguentum pietatis: quod est super omnia aromata morbis omnibus & periculis salutare, quodque nulli umquam pesti inveniatur inefficax. De ipso namque sic legitur: *Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Videsne in prima fronte capituli propositum, quod non una vel duæ, sed tres vix sufficiunt ad emendum tantæ compositionis unguentum? Intelligis quia non pedes, aut caput, sed totum Crucifixi corpus sibi vindicat ista confectio? Confectio sine dubio pretiosa, quæ toti sufficiat corpori Creatoris. Et attende quia unguentum pedibus infusum, adeo dignantissima lenitate suscepit, ut Pharisæum murmurantem parabolica prolixitate convinceret, & retorto suggillaret exemplo. Sed & de refuso super caput ejus unguento Discipulos indignantes coarguit, bonum mulieris opus esse protestans: & tumidam eorum animositatem verbis compescuit moderatis. Hoc vero tam salubre, tamque mirificum, in am un- um is aliis, ilius. 16. 1. F 7. 41. 26. 10. 14. 6.

A mortuo suo corpore noluit expendi, quod vivo utique reservabat. Duo enim corpora habet Christus, unum quod suscepit ex Virgine, alterum Ecclesiæ, quod carius habet benignitas redimentis. Denique illud pro isto morti exposuit & tormentis, addictus cruci, junctus sceleratis, morte turpissima condemnatus. Poterimusne tam salubrem conficere confectionem? Universæ miserorum miseriæ, tam animarum quam corporum, oculo pietatis inspectæ, species ejus sunt. Istæ igitur in mortariolo largitatis, dulcedinis pistillo confractæ, & delinitæ caritatis oleo, succenso compassionis igne, & in aheno perseverantiæ despumatæ, unguentum faciunt ipsis etiam Angelis admirandum. Duo Christi corpora, verum & mysticum. Confectio hujus tertii unguenti.

8. Sunt viri divitiarum in domo Domini virtutum: investigemus an apud eos hujusmodi habeantur unguenta. Primus occurit mihi Paulus, sicut ubique solet, totus præsenti delibutus unguento. *Quis infirmatur*, inquit, *& ego non infirmor?* Felix anima facta sibi tamquam vas perditum, ut omnium miserias suas faceret, & in sua conscientia colligaret: totum se toti corpori Christi donaverat, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret. Sed & ille simplex, & rectus, & timens Deum, vide quomodo non secundum hominem, immo vero hominem, &, quod verius est, supra hominem ambulabat. *Oculus*, inquit, *fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, &c.* Qui sic eum hoc unguento perunxerat, ut de misericordiæ thalamo largius irroratus exiret. Samuelem recolo, qui non semel, sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saül, cum sciret illum longius ab oculis divinitatis elongatum. Non cessabat tamen compassio quæ condolentis animum irrepserat, fundens lacrymas, etsi non profuturas, tamen pias. David parricidam filium continua lamentatione plorabat, plorans in eo non carnis necessitudinem, sed fidei destructionem. Cerne quomodo Joseph totus hoc melle illitus erat. Veniunt fratres non jam ante fratrem, sed ante dominum assistentes, conscii proditionis, homicidii rei, fratricidii succensores. Videt eos Joseph, & omnium injuriarum immemor, dulcissimis fletibus inundatur, & pietatis adeps qui intus latitat, foras per oculos emanat. Fugit odium, nescit iram, tempus iracundiæ non reservat: reddens bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem. Pæne quin oblitus sim Moysen, adeo sacri liquoris hujus rore perfusum, ut totus ex eo superfundatur & profluat. Peccat Israël, & Moyses peccantem reconciliare nititur Creatori, sed dissimulat Dominus exaudire rogantem. Promittit plurima Moysi Creator omnium, & feriendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysen fecit. *Dimitte me*, inquit, *ut irascatur furor meus contra eos, & faciam te in gentem magnam.* Respondit Moyses. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti.* Obstupescenda profecto dulcedo! Et principatum respuit gentis alienæ, & de libro vitæ ventium deleri desiderat, nisi peccantibus dimittatur offensa. 2. Cor. 11. 29. Sanctorum erga proximos pius affectus & compassio, S. Pauli. Job 29. 15. 1. Reg. 15. 35. Et aliorum. 2. Reg. 13. F Gen. 45. 1. Exod. 32. 18.

9. Hæc sunt unguenta pietatis & misericordiæ, quæ à sponsæ uberibus eliquantur *, infirmitates omnes fugantia, profligantia passiones. Felix Maria unxit pedes Jesu: felicior eadem unxit caput auctoris: felicissima quæ rorem unguentarium toti corpori Christi præparavit. Considera quam vehementissimo dilectionis affectu beata hæc mulier diligebat Christum regem. *Domine*, inquit, *si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam.* Quem eum Maria? Cum de nullo feceris mentionem, ad quem relationem facias? Putasne quod in omnium cordibus versetur ita memoria dilecti tui, sicut & in consistorio cordis tui? *Et ego*, inquit, *eum tollam.* Mira res! Hominem perfectæ ætatis; virum cujus corpori vix centum libræ sufficiunt unguentorum, tenerrima mulier portabis & tolles? Ardens & affecta locutio, quæ de puritatis amore refusa, promittit quod implere non potest. Nihil enim amanti difficile esse videtur. Quis desperare debeat, tanta peccatrice non solum veniam, sed & gloriam consequente? Ipsa hodie intercedat pro peccatis nostris, & placatum nobis reddat Judicem nostrum amicum suum, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula. Amen. * al. eliciuntur. Johan 20. 15. Vis amoris in Magdalena. Amanti nihil difficile.

# ADMONITIO
## IN SEQUENTES GUIGONIS EPISTOLAS.

*Tres sequentes Guigonis Epistolas Horstius in hanc Appendicem retulit, propterea quod Guigo ipse magnam habuerit cum S. Bernardo necessitudinem, ut patet vel maxime ex epistola* XI. *ad eum scripta. His tribus Epistolis quartam adjicimus ex tomo primo nostrorum Analectorum. Animus erat ejusdem Guigonis Meditationes, quæ in Bibliotheca Patrum exstant, & primaria Cartusiensium Statuta, ab eodem scripta, etiam exhibere hoc loco. Verum nos ab ejusmodi consilio revocavit plus justo jam excedens alienorum Operum congeries. De Guigone plura ad Bernardi epistolam* XI.

## GUIGONIS MAJORIS CARTUSIÆ PRIORIS QUINTI. EPISTOLÆ QUÆDAM.

### *Ad* HAYMERICUM *Card. & Cancellarium.*
### EPISTOLA I.

*Monet duos esse hostes, quibuscum maxime sit pugnandum, & contra Ecclesiæ adversarios non armis corporalibus, sed humilitate & pœnitentia utendum.*

Domino & amico in Christo reverendissimo, Sedis apostolicæ cancellario HAYMERICO, amici, (si tamen dignum est) ejus, & sui Cartusienses fratres, terrena despicere, & amare cælestia.

1. Quam grata fuerit nobis vestra præsentia, recordatione sentimus: unde quæsumus sic agite, ut cum ab his diebus, qui secundum Apostolum, mali sunt, & secundum Psalmistam, sicut umbra deficiunt, ad dies bonos & annos æternos transieritis, non de nostra, (quid enim nos vel sumus, vel erimus?) sed de illius visione & societate cum Sanctis omnibus lætemini, propter quem nostram & obscuritatem nosse, & necessitatem supplere, &, quod longe pluris ducimus, tot & tantis ecclesiasticis, quibus numquam caretis, interpositis negotiis, latebras nostras, non solum humiliter, sed & laboriose penetrare, nosque ipsos oculo ad oculum invisere, & ore ad os loqui, non est dedignata vestra sublimitas; à quo solo summo beneficio & bono, societate scilicet & visione Dei, non spatiis locorum aut temporum (semper enim est, & ubique, & in ipso vivimus, movemur, & sumus) sed meritis sejungimur peccatorum, sicut scriptum est: *Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat: sed peccata vestra diviserunt inter vos & Deum vestrum.* (*Isa 59 1.*) Quæ quoniam pæne cuncta de mentis elatione, aut de carnis veniunt voluptate; quorum nobis alterum cum belluis, alterum cum Angelis est commune, sed reprobis: nitendum summopere est, ut & mentis superbia prematur humilitate, & carnis luxuria sobrietate. Hinc Dominus, *Videte*, inquit, *ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ.* (*Luc. 21. 34*) Itemque, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* (*Matth. 11. 29.*)

2. Non ergo in multa nostra diffundatur intentio. Duo sunt tantum, adversus quæ nobis totis est viribus dimicandum: elatio in mente, voluptas in corpore. His superatis nil remanebit vincendum, nil supererit metuendum. Cupiditas enim rerum exteriorum non ob aliud inflammatur, nisi ut his modis omnibus serviatur. Contra quæ, si nostrum sentimus non satis esse conatum, divinum imploremus auxilium: sed imploremus humiliter, imploremus devote, corde, ore, actu, habitu. (*Hostes nostri præcipui duo, elatio mentis & voluptas carnis.*) Dictum quippe Israëlitico, cum peccasset, est populo: *Jam nunc pone ornatum tuum. Deposuerunt ergo ornatum suum de monte Oreb.* (*Exod. 33. 5.*) Itemque alias luxit populus, & nullus eorum indutus est ex cultu suo. Sicut & Ninivitarum Rex, homo gentilis, ad unius hominis ignoti vocem & naufragi, *Descendit de solio suo, & abjecit vestimenta sua à se, & indutus est sacco & sedit in pulvere, & clamavit ad Dominum*; (*Jona. 3. 6.*) eamdem austeritatem non solum omnis ætatis, & sexus homines, sed jumenta subire compellens. Et nos itaque Dominici corporis, quod est Ecclesia, cruentam scissionem, quam nonnisi nostris evenisse credendum est meritis, nec immotis visceribus, nec siccis aspiciamus oculis. (*Quomodo publicis Ecclesiæ m[a]lis consulendum.*) alioquin pretiosis ornati vestibus, herminiis & griseis consoti pellibus; numerosis & exquisitis refecti dapibus, plumis instar Sardanapali, non tam impositi quam immersi mollibus, divinam indignationem quomodo nostris putamus placandam precibus? & non magis metuimus, ne tum prophetica contra nos dirigatur invectio, dicaturque: *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel! qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris!* (*Amos 6.*) de quibus concluditur, *& nihil patiebantur super contritione Joseph.*

3. Erubescamus ad hoc, dulcissime, sero cognite, brevi conspecte, cito rapte, & corporalibus oculis numquam deinceps forte conspiciende; ab amoris tamen nostri complexibus nullis casibus, nullis avellende temporibus. Erubescamus ad hoc, nosque ipsos, si possumus, defleamus, quod & Judaïcam & gentilem videamur superasse duritiam, dum illi divinam severitatem media ciborum & vilitate simul atque asperitate mitigant vestium, nos in peccatis multis atque periculis, nec gloriæ modum damus, neque deliciis. Neque enim agnum jam de grege, aut vitulos tantum de medio armenti, sed greges integros, & armenta tota consumimus. In modum quippe Amalech, cum innumera multitudine hominum; & jumentorum supervenientes ecclesiis cuncta complemus, quicquid tetigerimus, devastantes; nec his contenti, tabulas, cruces, calices, & sacras spoliamus imagines. (*Ecclesiam bella dedecent.*) Et ut quid hoc? forte ut pauperes sustententur, monasteria construantur, captivi redimantur? Non ita: sed potius, ut ad interficiendos Christianos & sagittarii, & ballistarii, equites, & lancearii conducantur: & his eripiant res & animas, pro quibus debuerunt ponere suas. Pro dolor! à summis hodie Pontificibus, & per totum pæne orbem, exemplo Sedis apostolicæ, frater in fratrem, id est Christianus in Christianum, sacra pecunia conducitur & armatur: & talibus triumphis Ecclesia mater gratulatur, & post hæc totis manibus cruenta conscientia divina pergitur ad sacrificia. Si hoc ferendum, quid reprehendendum?

4. At regalia, aiunt, hæc sunt, & de Imperatoris sumpta palatio. Non negamus. Atque utinam in palatiis mansissent semper, non in sacrariis, immo magis nec in palatiis umquam fuissent, nec in ecclesiis! (*Ecclesiæ Principes non imite[n]tur Reges.*) Quanto enim melius ecclesiæ palatiis leges, quam palatia darent ecclesiis? numquid enim ecclesiæ palatiis, & non potius palatia docenda commissa sunt ecclesiis? aut palatia Christum ecclesiis, non ecclesiæ dedere palatiis? Quanto ergo rectius à nobis reges cilicia, quam nos ab eis purpuras sumeremus! Quanto utilius ipsi nostram paupertatem,

nostra jejunia susciperent, atque humilitatem, quam A nos eorum avaritias, delicias, atque elationem? Quod si quis in ecclesiis, vel ecclesiasticis tentaverit quid horum arguere personis, nonne statim respondebitur hoc agentibus: Quid agis? Quid me meis, contra evangelicam sententiam, meliorem vis facere magistris? Numquid non ecclesia Romana variis, griseis, herminiis, marturinis, jugulatis, & lumbatis *, necnon & sericis abutitur indumentis? Numquid ecclesia Romana convivia respuit, exercitum non conducit, bella non conficit? Non est autem discipulus supra magistrum, neque Apostolus major eo qui misit illum: sed potius perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus. Quid ad hæc dicetur? Videtis in quam arcto constituti sumus. Aut enim quod B malum est, bonum dicere, aut Deo regente prorsus non faciemus; aut apostolicam sedem (quod quis audeat?) reprehendere; aut, quod forte tutius est, omnino tacere compellimur. Et ô Apostolorum tempora infelicissima, in quibus ad Dei regnum, nisi per famem & sitim, frigus & nuditatem aditus non patebat! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos! qui ut ad vitam quoque pertingerent, propter verba labiorum Dei, tam duras vias custodiebant, & hæc nostra compendia nesciebant.

5. Hæc non doctoris, aut reprehensoris auctoritate, sed dolentis & lamentantis affectu fuderimus; zelo domus Dei, cujus diligimus decorem, rodente viscera nostra: C rogantes & obsecrantes, si non in ceteris, in vobis saltem nonnihil proferant fructus. Si, inquam, hi cum quibus conversamini, saluti suæ aut nullam, aut parvam, aut non sufficientem adhibent curam, vos tamen, vestri non immemores, animam vestram nolite negligere: Scriptum est enim: *Custodi temetipsum & animam tuam sollicite.* & iterum, *Miserere animæ tuæ placens Deo.* itemque, *Omni custodia conserva cor tuum.* & Dominus, *Quid prodest*, ait, *homini, si mundum universum lucretur; animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* Non igitur ejus vobis curam eripiat aut favor Principum, aut nitor ornamentorum, aut frequentia negotiorum, aut gloria pomparum, D aut deliciæ conviviorum, aut oblatorum quantitas ulla donorum. Semper & ubique vestro versetur in animo, quia nescitis in tremendo Christi judicio, cum quibus futuri sitis, utrum cum illis quibus dicitur, *Ite maledicti*; aut cum illis, qui audient, *Venite benedicti*. Valete. Deus Pater, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum-Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se, per Jesum-Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum, amen. Nobis autem misereatur idem ipse omnipotens Deus, per vestras & totius ecclesiæ Romanæ intercessiones E & opera sacra, exhilarans corda nostra fragrantissimis & saluberrimis odoribus famæ vestræ, & continuis in veritate profectibus. Iterum valete. Salutate nobis reverendos Patres Albanum *, scilicet & Ostiensem episcopos *: & si quos alios vestræ visum fuerit discretioni. Valete tertio. Habetote quæsumus domum istam in mente vestra, sicut ipsa vos reclusit in sua.

## AD HUGONEM S. MILITIÆ PRIOREM. EPISTOLA II.

*Docet qua ratione bellum spirituale sit agendum.*

Dominis & amicis in Christo carissimis ac reverendissimis, HUGONI sanctæ Militiæ Priori, & omnibus qui reguntur ejus consilio, servi & amici Cartusiæ fratres, spiritualium simul & corporalium Christianæ religionis hostium victoriam plenariam, & pacem per Christum Dominum nostrum.

1. QUoniam in revertendo, sicut in veniendo, præsentiæ vestræ gratissima allocutione frui nequivimus; visum est nobis, ut per litteras vobiscum saltem pauca colloqueremur. Ad corporea quidem bella pugnasque visibiles dilectionem vestram exhortari nequaquam novimus: ad spiritualia vero, in quibus & quotidie versamur, etsi excitare idonei non sumus, admonere saltem desideramus. Frustra quippe exteriores hostes impetimus, si non prius intimos superamus. Et pudendum nimis est & indignum, quorumlibet velle ditioni nostræ subjicere agmina, si non prius nostra nobis subjecta fuerint corpora. Quis enim ferat, exterius in amplas terras extendere velle nos dominationem, & exiguis cæspitibus, id est, carnibus nostris, ignominiosam perpeti vitiorum servitutem? Acquiramus itaque, dilectissimi, prius nosmetipsos, ut secure deinceps ad exteros pugnemus inimicos: mentes nostras prius à vitiis, dehinc terras purgemus à barbaris.

Ante hostes interiores subigendi quam exteriores.

2. Non igitur regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus; nec exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeamus nos Deo, tamquam ex mortuis viventes, & membra nostra arma justitiæ Deo, & si caro concupiscit adversus spiritum indomabiliter. *Hæc enim*, inquit Apostolus, *sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis faciatis.* Vellemus namque omni, si fieri posset, carere concupiscentia. Sed si in hac vita, quæ tota tentatio est, concupiscentia ad plenum carere non possumus, concupiscentiis saltem non serviamus. Ad quod, quia viribus nobis parum sufficientes sumus, confortemur in Domino, & in potentia virtutis ejus: induamusque armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli. *Non enim*, sicut ibidem sequitur, *colluctatio nobis est adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum: contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, id est contra vitia, & eorum incentores nequissimos spiritus. Qui si (quod & David rogat) nostri dominati non fuerint, tunc immaculati erimus, & emundabimur à delictis maximis.

3. Stemus ergo succincti lumbos nostros in veritate, & calciati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea exstinguere; caput galea salutis obtectum, dexteram gladio salutis munitam habentes. Curramus, non quasi in incertum; pugnemus, non quasi aërem verberantes: sed castigemus corpus nostrum, & subjiciamus servituti, quia hic est hominis, id est, animalis ad Dei imaginem conditi status ordinatissimus, cum & caro servit spiritui, & spiritus subditur Conditori. In hoc bello tanto erit quisque robustior, tantoque, regente & protegente Deo, numerosis prostratis hostibus triumpho gloriosiore sublimior, quanto per omnia fategerit esse humilior: tantoque è contra ad omnia bona infirmior & inconstantior, quanto voluerit esse superbior. Deus enim resistit superbis. Non ergo opus est, ut ad debellandos eos aliunde quæratur pugnator, quibus omnipotens resistit præliator. Quos contra David dicit: *Custodiens parvulos Dominus.* atque idipsum expertus in seipso subjunxit, *Humiliatus sum & liberavit me.* Utamur exemplo, si simili cupimus uti remedio. Faciamus quod fecit, si desideramus quod accepit: humiliemur, ut à malis omnibus liberemur. Apostolus etiam de Domino Jesu-Christo: *Humiliavit*, inquit, *semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Nec incassum. Propter hoc enim, ait, *& Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus Jesus-Christus est in gloria Dei Patris.* F Et hinc quoque vel maxime sumamus exemplum, si ardemus ad præmium. Faciamus quod fecit, ut sequamur quo præcessit. Sectemur viam tantæ humilitatis, ut perveniamus ad gloriam Dei Patris. *Omnis enim qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur*, testante eodem Domino nostro Jesu-Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Omnipotentissima misericordia, & misericordissima omnipotentia Dei, tam in spiritualibus, quam etiam corporalibus præliis faciat vos semper & felicissime pugnare, & gloriosissime triumphare. Optamus vos bene valere, & in sacris quæ tuemi-

Bellum spirituale qui peragendum.

Humilitas maxime necessaria.

ni locis, noſtri, cum oratis, memoriam habere, cariſſimi & præſtantiſſimi, & meritis inſigniſſimi fratres. Has litteras per duos diverſos nuntios tranſmiſimus, ne quo impedimento (quod abſit) non quirent pervenire: quas petimus, ut cunctis fratribus exponi faciatis.

## AD INNOCENTIUM PAPAM II.

## EPISTOLA III. *

* Scripta ante ann. 1131. quo mortuus eſt S. Hugo epiſcopus Gratianopol. de quo in hac epiſtola.

*Conſolatur ſummum Pontificem adverſus ſchiſmatis moleſtias.*

Domino & patri Cariſſimo ac Reverendiſſimo Apoſtolicæ Sedis ſummo Pontifici INNOCENTIO, ſervi & filii Cartuſiæ pauperes; illam quam mundus dare non poteſt pacem: ſuæque paternitatis devotam ſervitutem, & non neceſſarium licet obſequium.

1. MUltas ad veſtri apoſtolatus ſacratas aures preces, multas pro eccleſia Gratianopolitana diſponebamus offerre ſupplicationes, cogentibus ejuſdem Eccleſiæ Clericis, & præcipue cariſſimo & omni veneratione digniſſimo Patre & Epiſcopo noſtro Hugone, qui (quod ſine lacrymis non ſcribimus) diſſolutus morbis & ſenio, inter defunctos quantum ad epiſcopale ſpectat officium, poteſt annumerari; ſed divina, ut credimus, miſeratione provenit à viro venerabili, & circa veſtram obedientiam valde devoto abbate Pontiniacenſi Hugone, noſtram exiguitatem interim viſitari, cujus auribus cuncta quæ conceperamus, infudimus, efficacius & plenius viva voce veſtris conſpectibus inferenda. Et quia ſemel, cum nihil ſimus, forte non ſine præſumptionis periculo cœpimus loqui ad dominum noſtrum: rogamus & obſecramus, admonere vel exhortari minus idonei, quatenus in omnibus, quæ Romana veſtris diebus vel patitur, vel facit eccleſia, nequaquam terreamini: ſed magis confortemini in Domino, & in potentia virtutis ejus, inſuperabilibus armis munitus, quæ ſuis commilitonibus ex copiis univerſalis Imperatoris beatus offert Apoſtolus: ſcuto ſcilicet fidei, & galea ſalutis, & qui non membra, ſed errores, & vitia trucidat, gladio ſpiritus.

2. Nunc enim revera non adverſus tantum carnem & ſanguinem, quæ regnum Dei non poſſidebunt; ſed adverſus rectores tenebrarum, & ſpirituales nequitias pugnandum eſt, vel pugnatum. Nam quid aliud petrinam duritiam, & leoninam rabiem, quæ adverſatur & extollitur adverſus Principis Apoſtolorum Vicarium, niſi diabolica nequitia, & inſpiratio viperea tam atrociter concitavit? Quid aliud inveteratum dierum malorum, Engoliſmenſem Gerardum, niſi veternoſa cupiditas, & ambitio diabolicis immiſſa ſuggeſtionibus, contra catholicam pacem & veritatem tam imprudenter tamque pertinaciter ire coëgit? Quid niſi ſerpentina calliditas per humanam mutabilitatem aditum nocendi reperiens, tam deteſtandi ſchiſmatis flendis auctoribus, ex his quoque de quorum ſcientia præſumebatur & fide, plurimos copulavit? Sed hæc religioſos animos, & in catholica veritate fundatos tanto minus movere, tantoque minus terrere debent, quanto ſunt & ab ipſo Domino longius ante prædicta, & à miniſtris iniquitatis crebrius tentata, & à veritatis ſectatoribus numeroſius ac felicius ſuperata. Quis enim numerare ſufficiat, quoties apoſtolica fides atque conſtantia, ipſo qui eam dedit, prædicente, & prædicendo roborante, non ſolum non defectura, ſed & alios confirmatura; quis, inquam, numerare ſufficiat, quoties poteſtatum ſæculi crudelitatibus ſit impugnata, & ſchiſmaticorum atque hæreticorum inſidiis & fraudibus impetita? Quare autem ab eo, quo permittente vel jubente cuncta fiunt, aliquid aliquando poſſe permiſſi ſunt, niſi ut infirmi quaterentur, fortes exercerentur, imperiti erudirentur, ſapientes oſtenderentur; & univerſaliter boni coronarentur, mali condemnarentur?

Gerard. Epiſc. Engoliſm. fautor ſchiſmatis Petri Leonis adverſus Innocent.

Perſecutiones Eccleſiæ cur Deus permittat.

3. Nunc quoniam ſacri pectoris intentionem à melioribus & divinioribus avocatam diutius forte quam decuit noſtris tenuimus ineptiis occupatam, veſtræ majeſtatis pedibus advoluti, pro cunctis quidem ſed maxime pro novellis regionibus, Ciſtercienſi ſcilicet, &, Fontebraldenſi, necnon & pro univerſo mundo, preces offerimus, non enim pars una, ſed totus pæne eſt orbis veſtra diœceſis. Nam ſicut Deus eſt unus, mediator unus, mundus unus, ſol unus, &, ut minora inferamus, in animalibus cunctis caput unum: ita beati Petri Vicarius, id eſt Papa, non poteſt eſſe niſi unus. Univerſo itaque mundo rigorem diſciplinæ, rectitudinem juſtitiæ, lumen doctrinæ & ipſius, quam nomine quoque præfertis, irreprehenſibilis debetis exemplar innocentiæ. Nam ſicut in hoc mundo viſibili, lux eſt tenebris, & calor contrarius eſt frigori: ita veſtra totius ſæculi peccatis innocentia, erroribus ſapientia, luxuriis temperantia, adverſitatibus tolerantia, vitiis eſt objecta juſtitia: ut dum ab uno vincitur unus, id eſt, à beati Petri Vicario mundus, quo ſine multitudinis viribus fuerit parta victoria, eo major Deo, cujus eſt totum, honor reddatur & gloria. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Deo Patre, & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Papæ pr tus & pe tas.

## AD FRATRES DURBONENSES

## EPISTOLA IV.

*De ſuppoſititiis beati Hieronymi epiſtolis.*

Amicis & fratribus in Chriſto dilectiſſimis, Lazaro Durbonenſi Priori, & ceteris in eadem eremo Deo famulantibus, Cartuſiæ Prior vocatus GUIGO, æternam à Domino ſalutem.

1. INter cetera catholicorum virorum, quæ ad eruditionem fidelium elaboraverunt opera, quæ noſtra quoque parvitas congregare ſtuduit, vel emendare; etiam epiſtolas beati Hieronymi, quotquot potuimus, undecumque quæſitas, & pro conceſſa à Deo facultate, mendaciis expurgatas, in unum grande volumen redegimus. Abſcidimus autem ab eis quaſdam, quas vel ex aliorum Doctorum ſcriptis, vel ex ſtili, ſententiarumque diſtantia, titulo tanti viri comperimus indignas: ex quibus illa eſt, cujus eſt titulus AD DEMETRIADEM, hoc habens initium, *Si ſummo ingenio, parique fretus ſcientia.* Hanc quippe beatus Auguſtinus in opere contra Pelagium *de gratia Chriſti & de peccato originali*, ejuſdem Pelagii eſſe dicit, quædam ipſius fruſta tractatui ſuo interſerens, atque redarguens. Huic adduntur & iſtæ, AD TITATIUM *de morte filiæ*, cujus initium tale eſt, *Caritatis tuæ ſcripta percepi.* AD OCEANUM *conſolatoria*, tale habens initium, *Diverſorum opprobria, tribulationes multiplices.* AD VIDUAM, quæ ſic incipit, *Magnam humilitati noſtræ fiduciam ſcribendi.* AD VIRGINEM, ſive AD FILIAM MAURICII, dupliciter quippe intitulata reperitur, exordium iſtud accipiens, *Quantam in cæleſtibus beatitudinem.* Item *de lapſu virginis* ſive *de pœnitentia ad Suſannam.* (Uterque enim titulus in diverſis codicibus invenitur) quæ tam diverſis titulatur auctoribus, ut eorum nullius ſit decoranda vocabulo; cujus hoc eſt in quibuſdam libris initium, *Puto leve eſſe crimen.* In aliis iſtud, *Quid agis anima? quid cogitationibus æſtuas?* AD DESIDERIUM *de XII. lectoribus*, à neſcio quo in irriſionem Doctorum compoſita. AD CELANTIAM, ſic incipiens, *Veteris ſcripturæ celebrata ſententia eſt.* Hæc ſtilo quidem nobiliore eſt ſcripta: ſed nec ſic beato Hieronymo digna. Poſtrema eſt *De origine animæ diſputatio*, quaſi inter beatos Hieronymum & Auguſtinum: ubi licet multa ex eorum ſcriptis ponantur, falſa tamen eſt: tum quia præfati Doctores numquam inter ſe præſentialiter ſunt locuti: tum quia eadem quæſtio nec apud eos, nec apud ceteros Fidei catholicæ ſectatores adhuc uſque potuit liquido definiri. Hujus diſputationis tale reperitur principium, *Cum apud vos cæleſtis eloquentia puriſſimi fontis.* Ne autem prædicti Doctoris epiſtolæ ſine rationabili cauſa apud imperitos ſuo videantur numero diminutæ, has noſtræ parvitatis litteras in principio collocare. Valete. Orate pro nobis.

ADMONITIO

# ADMONITIO
## IN LIBROS SEQUENTES DE VITA ET GESTIS S. Bernardi.

*Ubi de illustri genere ejusdem.*

I. *Vix quisquam sanctorum est, qui tot rerum suarum gestarum præcones, tamque eximios & probatæ fidei scriptores habuerit, quam beatus Bernardus: cujus vitam & præclara facta tres auctores clarissimi, continuato sermone, quasi ex condicto sunt persecuti, nempe* GUILLELMUS *olim sancti Theoderici prope Remos abbas, sed tunc monachus Signiacensis;* ERNALDUS *Bonæ-vallis in agro Carnutensi abbas, &* GAUFRIDUS, *ipsius Bernardi notarius; omnes quasi testes rerum oculati. His accesserunt alii post eos,* ALANUS *episcopus Autissiodorensis, & ut alios posteriores prætermittam,* JOHANNES EREMITA, *& multi alii recentiores: quos inter* PHILOTHEUS, *verum an fictum nomen, monachus Claræ-vallensis, Bernardi gesta carmine cecinit.*

II. *Librum primum de vita sancti Bernardi, vivente ipso Bernardo, sed nesciente, scriptum fuisse diserte asserit in Præfatione ejus auctor* GUILLELMUS; pridem sancti Theoderici abbas, sed tunc jam monachus Signiacensis cœnobii *in pago Regitestensi diœcesis Remensis*, ad quod desiderio solitudinis & quietis se se contulerat, *testante Burchardo abbate Balernensi in subscriptione ejusdem libri primi. Tempus Guillelmi secessûs Signiacum intelligitur ex chartaceo S. Theoderici libro, in quo Helinus abbas, ejus apud S. Theodericum successor, anno* M C XXXV. *primum nominatur. Quo anno inchoatus sit à Guillelmo liber iste, non constat. Certe post translationem monasterii Claræ-vallensis in capaciorem locum, novamque ædium fabricationem, ex num.* 34. *&* 62. *itemque post schismata Ecclesiæ sedata, & confutatas hæreses, ex num.* 40. *adeoque post annum* M C XL. *& forte post* M C XLV. *Porro ante* Bernardum *obiit Guillelmus, de quo plura in tomo V. in Admonitione præfixa epistolæ ad Fratres de Monte-Dei, & in Notis fusioribus ad epistolam* LXXXV.

III. *Vitam à Guillelmo inchoatam mortuo Bernardo persecutus est secundo libro* ERNALDUS *seu* Arnaldus *abbas Bonæ-vallis, non ejus, quæ in diœcesi Vesontionensi; neque alterius, quæ in Rutinensi Ord. Cisterciensis; sed illius, quæ est in agro Carnutensi Nigrorum monachorum: ad quem Arnoldum extrema Bernardi epistola* CCC X. *scripta est, quicquid alii in contrarium sentiant. Vide notas fusiores ad epistolam* CCC X. *Hunc librum adortus est Ernaldus rogatu Claræ-vallensium, qui præ modestia hanc provinciam in ipsum rejecerunt, ut in Præfatione libri secundi auctor testatur, qui opus imperfectum moriens reliquit.*

IV. *Superioribus duobus libris tres adjecit* GAUFRIDUS, *non alius sine dubio quam ipsius Bernardi notarius; distinguendus utique à Gaufrido de Perona, cujus mentio in lib.* 4. *num.* 16. *itemque à Godefrido Bernardi consanguineo, & conversionis socio, postmodum Priore Claræ-vallensi, ac demum episcopo Lingonensi, qui tandem ad privatam Claræ-vallensium vitam se se recepit, ibidemque mortuus est VI. Id. Novemb. anni* M C LXIV. *Gaufridus vero in Præfatione trium sequentium librorum lugens scribit, post annos à sua ipsius conversione* circiter tredecim, *acerba morte ab se avulsum fuisse Bernardum: atque adeo Gaufridi conversio anno* M C XL. *accidisse dicenda est. Is patria* Autissiodorensis, *ante suam conversionem Petri Abaëlardi discipulus fuit, & quidem* clericus, *ut patet ex libro Declamationum, cujus & ipse auctor est, num.* 13. Postremo & nos in clero fuimus. *Post conversionem Bernardi una cum Nicolao Claræ-vallensi notarius, ac peregrinationum socius, dein Bernardo mortuo Igniaci primum, tum Claræ-vallis post Fastredum abbas anno* M C LXII. *cui loco* quadrienno circiter præfuit, *ex Chronico Claræ-vallensi apud Chiffletium: sed postmodum à suis vexatus*, abbatiam dimisit anno M C LXV. *& ad Fossam-novam in Italia se recepit: ubi & abbas postmodum fuit, ac demum Altacumbæ, ut fusius in eodem Chronico legitur. Ibidem quædam ejus opera recensentur, nempe opus insigne super* Cantica canticorum, vita sancti Petri archiepiscopi Tarentasiensis, & plures alii libri & sermones. *Extat apud Baronium ejusdem epistola ad Henricum cardinalem & episcopum Albanensem, atque* domini Papæ Vicarium *seu legatum, scripta de quadam nova controversia, quam reversus in Galliam comperit, scilicet* de substantia aquæ, quæ vino mixta in calice offertur, an & ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur. *Item ejusdem est* libellus contra capitula Gilleberti *Porretani Pictaviensis episcopi, quem libellum post libros de vita Bernardi cum aliis ejus Opusculis referemus. Denique scripsit etiam contra Abaëlardum, ut mox dicemus, & sermonem edidit de sancto Bernardo in ferius edendum cum ejusdem commentariolo in Orationem dominicam. An autem Bernardi vitam, cujus fragmenta tertio loco proferemus; secundamque partem libri sexti de miraculis Bernardi, præter libros tres jam memoratos, composuerit; nunc dispiciendum.*

V. *Quinque libris de vita Bernardi mox dictis subjicimus libros duos de miraculis ejusdem: unum à variis auctoribus scriptum: alterum ex magno Exordio Cisterciensi collectum, atque ex fragmentis Herberti ex monacho Claræ-vallensi archiepiscopi Turritani in Sardinia, qui libros tres de miraculis suorum Cisterciensium composuit, editos apud Chiffletium. Prior liber miraculorum dividitur in tres partes: quarum prima scripta est à* PHILIPPO *monacho Claræ-vallensi ad Samsonem Remorum archiepiscopum: altera ab aliis Claræ-vallensibus, quibus Philippus ipse hanc curam injunxit. Ex his unus est Gaufridus,*

*tertiæ partis item ſcriptor in epiſtola ad Hermannum epiſcopum Conſtantienſem, de miraculis ſcilicet, quæ à Spira uſque Leodium à Bernardo facta viderat. Huic alia ejuſdem argumenti ſuccedit epiſtola Gaufredi monachi* magiſtro ſuo cariſſimo Archenfredo & utrique Capitulo fratribus ſuis uterinis. *Hunc porro Gaufridum eumdem eſſe, qui tres poſteriores vitæ libros ſcripſit, non dubito. Neque enim aſſentior Carolo* de Viſch, *qui hos libros Gaufrido Notario tribuit; illam vero partem libri de miraculis Gaufrido Autiſiodorenſi: quem à Gaufrido Notario minime diſtinguendum eſſe probat Helinandus monachus in Chronico his verbis.* Hujus Petri, *ſcilicet Abaëlardi*, aliquando fuerat diſcipulus GAUFREDUS Autiſiodorenſis, qui multo tempore fuit Notarius ſancti Bernardi: qui inter cetera de eodem Petro dixit: Ego mihi aliquando recolo magiſtrum fuiſſe illum, qui pretium redemptionis noſtræ evacuans, nihil aliud in ſacrificio dominicæ paſſionis commendabat, niſi virtutis exemplum, & amoris incentivum *&c.* Benedictus Deus, qui mihi ſimul & vobis magiſtrum dedit meliorem, *Bernardum*, per quem prioris redarguit ignorantiam, & inſolentiam confutavit: ſecundum quem tria ſpecialia in paſſione ſua Chriſtus nobis exhibuit, exemplum virtutis, incentivum amoris, & ſacrificium redemptionis, *apud Bernardum tomi ſecundi Opuſculo XI. num.* 25. Hæc & alia multa, *addit Helinandus*, dictus Gaufredus contra Petrum magiſtrum ſuum fortiter & catholice ſcripſit. *Ad Gaufridum Nicolaus Claræ-vallenſis ſcripſit epiſtolam XLII.* pro epiſcopo Aletenſi. *Hæc de Gaufrido aliiſque vitæ prioris & miraculorum ſcriptoribus ſufficiant: de aliis ſcriptoribus poſt ipſa miracula agendum.*

VI. *Non eſt prætermittendum hoc loco, Petrum Franciſcum Chiffletium, Soc. Jeſu Presbyterum eruditum, anno* M. DC. LX. *Divione vulgaſſe* Diatribam de illuſtri genere S. Bernardi, *ut oſtenderet Romani Breviarii clauſulam, qua S. Bernardus* honeſto loco *natus dicitur; eſſe infra ejus dignitatem: cum illum utroque parente fuiſſe conſtet perquam nobilem. Diatribæ appendicem cum Probationibus variiſque monumentis adjecit. Hæc in pauca contrahere juvat.*

VII. TECELINUS, *Bernardi pater*, vir antiquæ & legitimæ militiæ, *id eſt probatæ nobilitatis, quam equeſtrem vocamus, fuiſſe perhibetur à Guillelmo abbate, cap. I. Huic agnomen erat* SORUS, *id eſt Subrufus, à colore ſcilicet capillitii, in diplomate Hugonis ſecundi Burgundiæ ducis pro Cabilonenſi S. Marcelli monaſterio: cui diplomati primo loco poſt Rainerium Ducis dapiferum ſubſcribit Tecelinus ante Bernardum de Monte-forti, Vvarnerium de Sumbernone, alioſque nobiliſſimos viros.* GUIDO de Acro-monte, *teſtante Alberico Trium-fontium monacho*, fuit ex parte matris frater Teſſelini Sori de Fontanis, qui fuit pater Bernardi Claræ-vallenſis abbatis; fuitque ex alia parte frater Ulrici, ſub quo fundata eſt abbatia Morimundi. *Guidonis nobilitas probatur ex ejus conjunctione cum* Heſcelina domina de Mulleïo, *Holdoini filia, qui Holdoinus* Gaufridum Jonæ-villæ dominum habuit fratrem. *Hæc de linea paterna.*

VIII. *Ad maternam quod attinet, Bernardi mater* ALETH *ſeu* ALAYSIA, *quam tertiæ Vitæ ſcriptor unus* Elizabeth, *forte librarii errore, appellat, fuit* filia Bernardi Montis-barri domini, viri potentis & magni ſecundum ſæculi dignitatem, & ex antiqua (ſicut aſſerunt multi) Burgundiæ Ducum generoſitate trahens originem, *ut ex Johanne Eremita, quartæ vitæ ſcriptore, diſcimus. In Necrologio Divionenſis monaſterii S. Benigni, ubi primum ſepulta fuit, ſimpliciter* laica *dicitur, efferturque hoc modo ejus memoria:* Kalendis Septembris obiit Alayſa laïca. *quo nomine diſtingui ſolent in illo Necrologio etiam illuſtres perſonæ à ſanctimonialibus. In hunc diem incidit feſtum ſancti Ambroſii ſeu Ambroſiniani confeſſoris, teſte Johanne Eremita, apud Fontanas celebrari ſolitum: quem nonnulli cum S. Ambroſio Mediolanenſi antiſtite perperam hic confundunt. Rainardus Montis-barri dominus, Bernardi avunculus, & Alayſiæ germanus fuit. Tam illuſtre cum fuerit ex utroque parente Bernardi genus, non mirum ſi Guido ejus primogenitus frater* vir magnus *à Guillelmo appellatur in cap. III.* *uxor ejus* nobilis juvencula: *Soror vero ejus Humbelina*, adoleſcentula nobilis, *quæ* cum comitatu ſuperbo & apparatu *incedebat, ex cap. VI. Hæc ex Chiffletio. Quibus adde Galdricum, Bernardi avunculum, à Guillelmo vocari num.* 10. potentem in ſæculo, & in ſæcularis militiæ gloria nominatum, dominum caſtri in territorio Æduenſi, quod Tuillium dicitur. *Et* JOSBERTUS de Firmitate, *quæ ſuper Albam ſita eſt*, vir nobilis, & ſecundum carnem *Bernardi* propinquus *erat, ex eodem Guillelmo num.* 43. *Denique* RAINERIUS Miles *erat frater Godefridi, ex Priore Claræ-vallenſi epiſcopi Lingonenſis, qui Bernardum conſanguinitate attinebat. Porro Chiffletius probat, S. Bernardi paternum genus, quod* à Fontanis *appellationem habet, per Bartholomæum Sombernionenſem (quæ familia in veterum Burgundiæ Ducum regium ſanguinem, enubentis filiæ heredis affinitate transfuſa eſt) ad noſtra uſque tempora propagatum fuiſſe. Cetera quæ de illuſtri Bernardi genere apud eumdem Chiffletium vel minus certa, vel minus neceſſaria videntur, conſulto prætermus, hoc tantum addito, monaſterii Claræ vallenſis ſtemma, quod in ſcuto nigro baltheum auri ſive argenti, minii ductu gemino teſſellatum præfert, non eſſe derivatum (ut quidam volunt) à S. Bernardi inſigni gentilitio, ſed à Campaniæ Ducum familia, ex quibus Hugo Claram-vallem fundavit: ſenas vero faſcias ex auro & cyano dextrorſus obliquatas in margine purpureo, quod Ciſtercienſis Ordinis ſymbolum eſt, petitum à Burgundiæ Ducum familia, quorum maxime beneficiis & auctoritate Ordo Ciſtercienſis fundatus eſt. In fine hîc monemus, ea quæ anſulis in conſequentibus offendes, ab Horſtio ex codice Campenſi, vel à nobis addita fuiſſe.*

# SANCTI BERNARDI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS VITA ET RES GESTÆ LIBRIS SEPTEM COMPREHENSÆ.

## LIBER PRIMUS.

AUCTORE GUILLELMO OLIM S. THEODERICI prope Remos abbate, tunc monacho Signiacensi.

### PRÆFATIO.

SCRIPTURUS vitam servi tui ad honorem nominis tui, prout tu dederis Domine Deus ipsius, per quem Ecclesiam temporis nostri in antiquum apostolicæ gratiæ & virtutis decus voluisti reflorere, eum invoco adjutorem, quem jam olim habeo incentorem, amorem tuum. Quis enim de amore tuo quantulumcumque spiraculum vitæ habens, & videns testimonium gloriæ & honoris tui tam præclarum & tam fidele mundo insolitum effulsisse, non det operam, quantamcumque potuerit, ne lumen à te accensum, tuorum quempiam lateat; sed quantum humano fieri stilo potest (quod melius ipse tamen per virtutem operum facis) manifestatum & exaltatum luceat omnibus, qui sunt in domo tua? In quo cum ego jam olim vellem qualecumque ministerium agere vi- B cis meæ, seu timore, seu verecundia prohibitus sum usque adhuc, modo quidem supra me judicans esse dignitatem materiæ, & dignioribus opificibus reservandam; modo etiam post obitum ejus, quasi supervicturus ei, melius hoc & competentius deliberans actitandum, cum jam homo non gravaretur laudibus suis; & tutius id fieret à conturbatione hominum, & contradictione linguarum. At ille vigens & valens, quanto infirmior corpore, tanto fortior fit & potens, non cessans agere digna memoriæ, & magna majoribus semper accumulans, quæ ipso tacente scriptorem requirant. Ego vero jam delibor, urgentibus infirmitatibus corporis mortis hujus, & membris omnibus incipientibus habere responsum vicinæ C mortis, sentio instare tempus resolutionis meæ; plurimumque timeo, ne sero me pœniteat tamdiu distulisse, quod, priusquam pereffluam, velim omnimodis peregisse.

Sed & me Fratrum quorumdam pia benevolentia plurimum ad hoc impellit & cohortatur, qui cum Viro Dei jugiter assistant, omnia ejus noverunt, ingerentes quædam diligenti inquisitione vestigata, plura etiam, quibus, cum fierent, ipsi interfuerunt, & viderunt, & audierunt. Qui cum multa suggerant & præclara, quæ per servum suum Deus ipsis præsentibus operatur, & nota eorum religio, & schola magisterii ab omni me liberet suspicione falsi; adhuc etiam ad testimonium sibi adsciscunt probabilium auctoritatem personarum, episcopo- D rum, clericorum, & monachorum, quibus fidem non habere nulli fidelium licet. Quamquam id superfluo dixerim, cum totus ea noverit mundus, & virtutes ejus narret omnis ecclesia Sanctorum. Quapropter attendens divinæ laudis mirificam materiam omnibus se offerentem, neminem vero suscipientem, dissimulantibus eis qui melius hoc ac dignius poterant: suscepi in ea agere ipse quæ potero: non vanitate præsumentis, sed fiducia diligentis. [ Metiens tamen memetipsum in memetipso, & meipsum comparans mihi, nequaquam totam vitam Viri Dei suscepi digerendam, sed ex parte, experimenta scilicet aliqua viventis & loquentis in eo Christi, opera quædam exterioris cum hominibus conversationis ejus, quæ de ipso viderunt quibus hoc datum est, & nos quoque ex parte vidimus, & audivimus, & manus nostræ contrectaverunt. Cum enim hoc ipsum ex parte magna de seipso sentiendum sit, quod de eo, qui dicit, *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus*; & alibi, *An*, inquit, *experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* non invisibilem illam vitam viventis & loquentis in eo Christi enarrare proposui, sed exteriora quædam vitæ ipsius experimenta, de puritate interioris sanctitatis & invisibilis conscientiæ, per opera exterioris hominis, ad sensus hominis exteriores micantia: quæ sicut omnibus scire, sic etiam quibuslibet utcumque scribere in promptu est. ] Præsertim cum nec ipsa quasi accuratius digerenda, sed saltem in unum congerenda & reponenda susceperim: nec edenda vivente ipso, sicut nec scribuntur ipso sciente. Confido autem in Domino, quoniam post nos, & post obitum ejus exsurgent qui melius ac dignius perficient, quod nos conati sumus: qui etiam exteriora interioribus comparare poterunt, & pretiosam in conspectu Domini mortem ejus, vitæ similem, continuare scribendo, & de vita mortem, & de morte vitam commendare. Jam ergo, adjuvante Domino, propositum aggrediamur.

Gal. 2.
2. Cor. 13.

### CAPUT I.

*De parentibus B. Bernardi, eorumque insigni pietate in educandis liberis; deque Bernardi jam tum pueri indole, & præclaris moribus.*

1. BErnardus Burgundiæ partibus, Fontanis [a] oppido Patris sui oriundus fuit, parentibus claris secundum dignitatem sæculi, sed dignioribus ac nobilioribus secundum Christianæ religionis pietatem. Pater ejus Tecelinus *, vir antiquæ & legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, justitiæ tenax. Evangelicam namque secundum instituta Præcursoris Domini militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus stipendiis suis, quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic consilio & armis serviebat temporalibus dominis suis,

* al. Thesselinus
Luc. 3. 6

a Apposite in tertia vita, Tescelinus vocatur *dominus minoris castri, cui Fontanæ nomen est, quod famosissimo illi castro Divionis supereminet, in excelsa rupe locatum*, vulgo *Fontaines*, ubi paternæ (ut creditur) Bernardi ædes conversæ sunt in Fuliensium Patrum conventum.

ut etiam Domino Deo suo non negligeret reddere quod debebat. Mater Aleth, ex castro cui nomen Mons-Barrus; & ipsa in ordine suo, apostolicam regulam tenens, subdita viro, sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat, operibus misericordiæ insistens, filios enutriens in omni disciplina. Septem quippe liberos genuit non tam viro suo quam Deo, sex mares, feminam unam: mares omnes monachos futuros, feminam sanctimonialem. Deo namque (ut dictum est) non sæculo generans, singulos mox ut partu ediderat, ipsa manibus propriis Domino offerebat. Propter quod etiam alienis uberibus nutriendos committere illustris femina refugiebat, quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem crevissent, quamdiu sub manu ejus erant, eremo magis quam curiæ nutriebat, non patiens delicatioribus assuescere cibis, sed grossioribus & communibus pascens; & sic eos præparans & instituens, Domino inspirante, quasi continuo ad eremum transmittendos.

Eph. 5. d

2. Hæc cum in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in utero, somnium vidit præsagium futurorum, catellum [a] scilicet totum candidum, in dorso subrufum, & latrantem in utero se habere. Super quo territa vehementer, cum religiosum quemdam virum consuluisset, continuo ille spiritum prophetiæ concipiens, quo David de sanctis prædicatoribus Domino dicit, *Lingua canum tuorum ex inimicis*; trepidanti & anxiæ respondit: Ne timeas, bene res agitur, optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, & tamquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis in multis multos morbos curaturus est animarum. Quo responso mulier pia & fidelis quasi à Deo suscepto, læta efficitur, & jam tunc in amorem nondum nati tota transfunditur, cogitans sacris eum litteris erudiendum tradere secundum modum visionis & interpretationis, quæ ei de illo tam sublimia promittebantur. quod & factum est. Mox enim ut felici partu edidit, non modo obtulit eum Deo, sicut de aliis agere consueverat, sed, sicut legitur de sancta Anna matre Samuelis, quæ petitum à Domino & acceptum filium in tabernaculo ejus destinavit perpetuo serviturum: sic & ipsa eum in Ecclesia Dei acceptabile obtulit munus.

Psal. 76. a

1. Reg. 1. b

3. Unde & quam citius potuit, in ecclesia Castellionis (quæ postmodum ipsius Bernardi opera à sæculari conversatione in Ordinem regularium Canonicorum promota cognoscitur) magistris litterarum tradens erudiendum, egit quicquid potuit, ut in eis proficeret. Puer autem & gratia plenus, & ingenio naturali pollens, cito in hoc desiderium matris implevit. Nam in litterarum quidem studio supra ætatem & præ coætaneis suis proficiebat: sed in rebus sæcularibus jam mortificationem futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat namque simplicissimus in sæcularibus, amans habitare secum, publicum fugitans, mire cogitativus, parentibus obediens & subditus; omnibus benignus & gratus, domi simplex & quietus, foris rarus, & ultra quam credi posset verecundus; nusquam multum loqui amans, Deo devotus, ut puram sibi pueritiam suam conservaret; litterarum etiam studio deditus, per quas in Scripturis Deum disceret & cognosceret: in quo quantum in brevi & profecerit, & quam perspicacem in discernendo induerit sensum, ex eo quod subjungimus, adverti potest.

## CAPUT II.

*De integritate Bernardi pueri, curam feminæ præstigiatricis detestantis, de visione nati Salvatoris ei facta, & de matris obitu.*

4. CUm adhuc puerulus gravi capitis dolore vexaretur, decidit in lectum. Adducta autem ad eum est muliercula, quasi dolorem mitigatura carminibus. Quam

A cum ille appropinquantem sentiret cum carminalibus instrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere consueverat, cum indignatione magna exclamans à se repulit & abjecit. Nec defuit misericordia divina bono zelo sancti pueri: sed continuo sensit virtutem, & in ipso impetu spiritus surgens, ab omni dolore liberatum se esse cognovit. Ex quo cum non parum in fide proficeret, adjecit ei Dominus apparere, sicut olim puero Samueli in Silo, & manifestare ei gloriam suam. Aderat namque sollemnis illa nox Nativitatis Dominicæ; & ad sollemnes vigilias omnes, ut moris est, parabantur. Cumque celebrandi nocturni officii hora aliquantisper protelaretur, contigit sedentem exspectantemque Ber-

1. Reg. 3

B nardum cum ceteris inclinato capite paululum soporari. Affuit ilico puero suo se revelans pueri JESU sancta Nativitas, teneræ fidei suggerens incrementa, & divinæ in eo inchoans mysteria contemplationis. Apparuit enim velut denuo procedens sponsus è thalamo suo. Apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex utero matris Virginis Verbum infans, speciosus forma præ filiis hominum, & pueruli sancti in se rapiens minime jam pueriles affectus. Persuasum autem est animo ejus, & nunc usque fatetur, quod eam credat horam fuisse dominicæ Nativitatis. Sed & facile est advertere iis qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta benedictione ea hora prævenerit eum Dominus; cum usque hodie in iis

C quæ ad illud pertinent sacramentum, & sensus ei profundior, & sermo copiosior suppetere videatur. Unde & postmodum in laudem Genitricis & Geniti, & sanctæ ejus Nativitatis, insigne edidit opusculum, inter initia operum suorum seu tractatuum, sumpta materia ex eo Evangelii loco, ubi legitur: *Missus est Gabriel Angelus à Deo in civitatem Galilææ*, & cetera quæ ibi sequuntur.

Luc. 1.

5. Neque illud tacendum, quod ab ipsis jam puerilibus annis, si quos poterat nummos habere, clandestinas faciens eleemosynas, & verecundiæ suæ morem gerebat, & pro ætate, immo supra ætatem, pietatis opera sectabatur. Cum autem aliquanto tempore evoluto, proficiens ætate & gratia apud Deum & homines puer Ber-

D nardus de pueritia transiret in adolescentiam; mater ejus liberis fideliter educatis, & vias sæculi ingredientibus, quasi peractis omnibus quæ sua erant, feliciter migravit ad Dominum. De qua nequaquam prætereundum est, quod cum multo tempore vixisset cum viro suo honeste & juste secundum justitias & honestates sæculi hujus, & legem fidemque conjugii; per aliquot ante obitum suum annos, in eo ad quod nutrire filios videbatur, prout potuit & licuit mulieri sub potestate viri constitutæ, nec habenti proprii corporis potestatem, omnes ipsa prævenit. Etenim in domo sua, & in professione conjugali, & in medio sæculi eremiticam seu monasticam vitam non parvo tempore visa est æmulari, in victus parcitate,

E in vilitate vestitus, delicias & pompas sæculi à se abdicando, ab actibus & curis sæcularibus, in quantum poterat se subtrahendo, insistendo jejuniis, vigiliis, & orationibus; & quod minus assumptæ professionis habebat, eleemosynis & diversis operibus misericordiæ redimendo. In quo de die in diem proficiens, ad extrema devenit, perficienda in futuro in eo, in quo proficiens de hoc sæculo migravit. Obdormivit autem psallentibus clericis qui convenerant, & ipsa pariter psallens, ut in extremis quoque, cum jam vox ejus audiri non posset, adhuc moveri labia viderentur, & lingua palpitans Dominum confiteri. Demum inter litaniæ supplicationes, cum diceretur, *Per passionem & crucem tuam libera eam*

F *Domine*, elevans manum signavit se, & emisit [b] spiritum, ita ut manum non posset deponere quam levaverat.

a Huc referri potest id quod ait Bernardus in epistola 78. num. 7. *Malis audacter, cum vidimus, oblatravimus.* Confer epistolam 230. *Demonstro lupum, instigo canes*, & sermonem Gaufridi de S. Bernardo inferius, num. 17.

b Herbertus in lib. 2. cap. 23. tradit, Bernardum novitium quotidie pro anima matris suæ septem psalmos pœnitentiales recitare solitum, iis semel ex parte omissis, ab Stephano abbate increpitum fuisse. Matris obitus contigit kal. Septemb. Corpus in Divionensi S. Benigni ecclesia sepultum, postea in Claram-vallem translatum est.

## CAPUT III.

*De studio tuendæ castitatis, deque vitæ religiosæ proposito, & allectis in eamdem sententiam fratribus suis, aliisque sociis.*

6. EX hoc Bernardus suo jam more, suo jure victitare incipiens, eleganti corpore, grata facie præeminens, suavissimis ornatus moribus, acri ingenio præditus, acceptabili pollens eloquio, magnæ spei adolescens prædicabatur. Cui tamquam ingrediens sæculum, plures se viæ sæculi ipsius offerre cœperunt, & in omnibus assurgere prosperitates vitæ hujus, & magnæ spes undique arridere. Obsidebant autem benignum juvenis animum sodalium dissimiles mores, & amicitiæ procellosæ, similem sibi efficere gestientes. Quæ si ei dulcescere perstitissent, necesse erat amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus insederat, castitatis amorem. Cui præcipue invidens coluber tortuosus, spargebat laqueos tentationum, ac variis occursibus calcaneo ejus insidiabatur. Cum enim aliquando curiosius aspiciendo, defixos in quamdam oculos aliquamdiu tenuisset; continuo ad se reversus, & de semetipso erubescens apud semetipsum, in seipsum ultor severissimus exarsit. Stagno quippe gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collo tenus insiliens, tamdiu inibi permansit, donec pæne exsanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis etiam à calore carnalis concupiscentiæ totus refriguit, induens illum castitatis affectum quem induerat, qui dicebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*

7. Circa idem tempus instinctu dæmonis in lectum dormientis injecta est puella nuda. Quam ille sentiens, cum omni pace & silentio partem ei lectuli quam occupaverat, cessit, & in latus alterum se convertit, atque dormivit. Misera vero illa aliquamdiu jacuit sustinens & exspectans, deinde palpans & stimulans: novissime cum immobilis ille persisteret, illa, licet impudentissima esset, erubuit; & horrore ingenti atque admiratione perfusa, relicto eo surgens aufugit. Contigit item ut cum sociis aliquantis apud matronam aliquam Bernardus hospitaretur. Considerans autem mulier adolescentem decorum aspectu, capta est laqueo oculorum suorum, & in concupiscentiam ejus exarsit. Cumque tamquam honoratiori omnium, seorsum ei fecisset lectulum præparari, surgens ipsa de nocte impudenter accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens, nec consilii inops, clamare cœpit, Latrones, latrones. Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exsurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minime invenitur. Ad lectulos singuli redeunt, fit silentium, fiunt tenebræ sicut prius, pausant ceteri, sed non illa misera requiescit. Exsurgit denuo, & Bernardi lectulum petit: sed denuo ille proclamat, Latrones, latrones. Quæritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo qui solus noverat, publicatur. Usque tertio improba mulier sic repulsa, vix tamdem seu metu, seu desperatione victa cessavit. Cum autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernardum socii, quosnam toties ea nocte latrones somniaverit, perquirebant. Quibus ille, Veraciter, inquit, aderat latro, & quod mihi pretiosius est in hac vita, castitatem videlicet, hospita nitebatur auferre, incomparabilemque thesaurum.

8. Inter hæc tamen cogitans & perpendens quod vulgo dicitur, non esse tutum diu cohabitare serpenti; fugam meditari cœpit. Videbat enim mundum & principem ejus exterius sibi multa offerentem, magnas res, spes majores, sed fallaces omnes, & vanitates vanitatum, & vanitatem omnia. Veritatem vero ipsam interius jugiter audiebat clamantem ac dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris.* Perfectius vero relinquere mundum deliberans, cœpit inquirere & investigare, ubi certius ac purius inveniret requiem animæ suæ sub jugo Christi. Inquirenti autem occurrit Cistercii innovatæ monasticæ religionis nova plantatio; messis multa, sed operariis indigens, cum vix adhuc aliquis conversionis gratia illuc declinaret, ob nimiam vitæ ipsius & paupertatis austeritatem. Quæ tamen cum animum vere Deum quærentem minime terrerent, posthabita omni hæsitatione ac timore, illuc vertit intentionem, posse se æstimans omnino ibi delitescere, & abscondi in abscondito faciei Dei ab omni conturbatione hominum, maximeque ad effugium vanitatis, seu de sæculari generositate, seu de acrioris ingenii gratia, seu etiam forte de alicujus nomine sanctitatis.

9. Ubi vero de conversione tractantem fratres ejus, & qui carnaliter eum diligebant, persenserunt; omnimodis agere cœperunt, ut animum ejus ad studium possent divertere litterarum, & amore scientiæ sæcularis sæculo arctius implicare. Qua nimirum suggestione, sicut fateri solet, propemodum retardati fuerant gressus ejus: sed matris sanctæ memoria importune animo ejus instabat, ita ut sæpius sibi occurrentem videre videretur, conquerentem & improperantem, quia non ad hujusmodi nugacitatem tam tenere educaverat, non in hac spe erudierat eum. Demum cum aliquando ad fratres pergeret, in obsidione castri, quod Granceium * dicitur, cum Duce Burgundiæ constitutos, cœpit in hujusmodi cogitatione vehementius anxiari. Inventaque in itinere medio ecclesia quadam, divertit, & ingressus oravit cum multo imbre lacrymarum, expandens manus in cælum, & effundens sicut aquam cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Ea igitur die firmatum est propositum cordis ejus.

10. Nec vero surda aure percepit vocem dicentis: *Qui audit, dicat, Veni.* Siquidem ab illa hora sicut ignis qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes, hinc inde prius viciniora quæque corripiens, postmodum in ulteriora progrediens: sic ignis quem miserat Dominus in cor servi sui volens ut arderet, primo fratres ejus aggreditur, solo minimo ad conversionem adhuc minus habili, seniori patri ad solatium derelicto, deinde cognatos, & socios, & amicos, de quibuscumque poterat esse spes conversionis. Primus omnium Galdricus avunculus ejus, absque dilatione aut hæsitatione, pedibus (ut aiunt) ivit in sententiam nepotis, & consensum conversionis, vir honestus & potens in sæculo, & in sæcularis militiæ gloria nominatus, dominus castri in territorio Æduensi, quod Tuillium * dicitur. Continuo etiam Bartholomæus occurrens, junior ceteris fratribus, & necdum miles, sine difficultate eadem hora salutaribus monitis dedit assensum. Porro Andreas, Bernardo etiam ipse junior, & novus eo tempore miles, verbum fratris difficilius admittebat, donec subito exclamavit: Video, inquit, matrem meam. Visibiliter siquidem ei apparuit, serena facie subridens, & congratulans proposito filiorum. Itaque & ipse continuo manus dedit, & de tirone sæculi factus est miles Christi. Nec solus vidit Andreas tantorum matrem filiorum lætantem, sed confessus est & Bernardus eamdem similiter se vidisse. Guido primogenitus fratrum, conjugio jam alligatus erat, vir magnus, & præ aliis jam in sæculo radicatus. Hic primo paululum hæsitans, sed continuo rem perpendens & recogitans, conversioni consensit, si tamen conjux annueret. Verum id quidem de juvencula nobili, & parvulas filias nutriente, pæne impossibile videbatur. At Bernardus de misericordia Domini spem concipiens certiorem, incunctanter ei spopondit aut consensuram feminam, aut celeriter morituram. Demum cum omnimodis illa renueret, vir ejus magnanimus, immo ea jam præventus fidei virtute, in qua postmodum excellenter enituit; virile consilium Domino inspirante concepit, ut abjiciens quicquid habere videbatur in sæculo, vitam institueret agere rusticanam, laborare scilicet manibus propriis, unde suam sustentaret & uxoris vitam, quam invitam dimittere non licebat. Interim supervenit Bernardus, qui undique alios atque alios colligens discurrebat. Nec mora, flagellabatur prædicta Guidonis uxor infirmitate gravi. Et cognoscens quia durum sibi esset contra stimulum calcitrare, accersito Bernardo veniam deprecatur, & prior ipsa con-

Marginal notes: [Job. 31.] d; Matth. 11.; * Granceÿ; Apoc. 22. d; * Touillon.

versionis petit assensum. Denique juxta morem ecclesiasticum separata à viro, interveniente parili voto castitatis, in cœtum sanctimonialium transiit feminarum, religiose [a] usque hodie serviens Deo.

11. Secundus natu post Guidonem Gerardus erat, miles in armis strenuus, magnæ prudentiæ, benignitatis eximiæ, & qui ab omnibus diligeretur. qui ceteris, ut dictum est, primo auditu & primo die acquiescentibus, ut mos est sapientiæ sæcularis, levitatem reputans, obstinato animo salubre consilium & fratris monita repellebat. Tum Bernardus fide jam igneus, & fraternæ caritatis zelo mirum in modum exasperatus: Scio, inquit, scio, sola vexatio intellectum dabit auditui. Digitumque lateri ejus apponens: Veniet, inquit dies, & cito veniet, cum lancea, lateri huic infixa, pervium iter ad cor tuum faciet consilio salutis tuæ, quod aspernaris: & timebis quidem, sed minime morieris. Sic dictum, sicque factum est. Paucissimis interpositis diebus circumvallatus ab inimicis, captus & vulneratus juxta verbum fratris, lanceam gestans ipsi lateri, eidemque infixam loco cui ille digitum applicuerat, trahebatur, & mortem quasi jam præsentem metuens clamabat: Monachus sum, monachus sum Cisterciensis. Nihilo minus tamen captus & reclusus in custodia est. Vocatus est Bernardus per celerem nuntium, sed non venit. Sciebam, inquit, & prædixeram quod durum esset ei contra stimulum calcitrare: nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam. Et factum est ita. Siquidem de vulnere præter spem cito convaluit, propositum vero seu votum quod voverat, non mutavit. Cumque jam liber ab amore sæculi hostilibus adhuc vinculis teneretur, & hoc solum esset quod conversionis ejus propositum retardaret, in hoc etiam cito affuit ei misericordia Dei. Venit frater ejus laborans ut erui posset, sed non profecit. Et cum nec loqui ei permitteretur, accedens ad carcerem clamavit: Scito, frater Gerarde, quia ituri sumus in proximo, & monasterium introituri. Tu vero quandoquidem exire non licet, hic monachus esto, sciens quod vis, & non potes, pro facto reputari.

12. Cumque Gerardus magis ac magis anxiaretur, paucis interpositis diebus audivit vocem in somnis dicentem sibi: Hodie liberaberis. Erat autem sacrum Quadragesimæ tempus. Circa vespertinam itaque diei horam cogitans quod audierat, compedes suas tetigit, & ecce ex parte crepuit in manu ejus ferrum, ut minus jam teneretur, & aliquatenus incedere posset. Sed quid ageret? Erat ostium obseratum, & pro foribus pauperum multitudo. Surrexit tamen, & non tam spe evadendi quàm tædio jacendi, seu curiositate tentandi, accedens ad ostium subterraneæ domus, in qua vinctus & clausus erat; mox ut pessulum tetigit, sera tota inter manus ejus collapsa est, & ostium domus apertum. Exiensque pedetentim, sicut homo compeditus, ad ecclesiam, ubi adhuc vespertina celebrabantur officia, pertendebat. Porro mendici qui pro foribus domus adstabant, videntes quod fiebat, & divinitus exterriti, in fugam versi sunt, nihil clamantes. Cumque jam ecclesiæ propinquaret, egrediens quidam de familia domus captivitatis suæ, germanus illius à quo custodiebatur, vidensque eum ad ecclesiam properantem: Tarde, inquit, Gerarde venisti. Expavescente illo, Festina, ait, adhuc superest quod audias. Oculi quippe ejus tenebantur, nec prorsus quid ageretur, intelligebat. Demum ad altiores gradus ecclesiæ cum adhuc compeditum data manu Gerardum sublevasset, introeunte illo ecclesiam, tunc primum quid ageretur agnovit, & conatus eum retinere non potuit. Hoc modo Gerardus à captivitate amoris sæculi hujus, & captivitate filiorum sæculi liberatus, votum quod voverat fideliter exsolvit. In quo potissimum notum fecit Dominus, à quanta perfectione sanctæ conversationis gratiam iste Dei famulus cœperit, qui in ejus spiritu, qui fecit quæ futura sunt, quod erat futurum videre potuit quasi jam factum. Præsentialiter quippe in latere fratris ei lancea apparebat, quando digitum applicuit locò vulneris mox futuri, sicut postmodum ipse confessus est, cum ab his interrogaretur, quibus celare non poterat.

13. Cum autem ceteri, ut diximus, prima die in eodem essent cum Bernardo spiritu congregati, mane intrantibus eis ad ecclesiam, apostolicum illud capitulum legebatur: *Fidelis est Deus, quia qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem Jesu-Christi.* (Philip. 1.) quod devotus juvenis haud secus accepit, quàm si de cælo sonuisset. Exsultans itaque spiritualis jam Pater regeneratorum in Christo fratrum suorum, & manum Domini intelligens secum operantem, cœpit ex hoc prædicationi insistere, & quoscumque poterat aggregare. Cœpit novum induere hominem, & cum quibus de litteris sæculi, seu de sæculo ipso agere solebat, de seriis & conversione tractare; ostendens gaudia mundi fugitiva, vitæ miserias, celerem mortem, vitam post mortem, seu in bonis, seu in malis, perpetuam fore. Quid multa? Quotquot ad hoc præordinati erant, operante in eis gratia Dei, & verbo virtutis ejus, & oratione & instantia servi ejus, primo cunctati, deinde compuncti, alter post alterum credebant & consentiebant. Inter quos adjunctus est ei etiam dominus Hugo Matisconensis, nobilitate & probitate morum, possessionibus & divitiis sæculi ampliatus. qui hodie merito religionis & sanctitatis suæ, raptus à Pontiniacensi cœnobio, quod ipse ædificavit, Autissiodorensi ecclesiæ præest, merito & honore Pontificis. Hic audiens de conversione socii & amici carissimi, flebat quasi perditum, quem sæculo mortuum audiebat. Ubi autem primo data est utrique facultas mutui colloquii, post dissimiles lacrymas, & gemitus dissimilium dolorum, verba verbis cœperunt conferri, & res rebus comparari. Cumque inter ipsa verba familiaris amicitiæ Hugoni infunderetur spiritus veritatis, aliam jam faciem habere cœperunt verba mutuæ collocutionis. Datis itaque dextris in sodalitium novæ vitæ, longe dignius veriusque facti sunt cor unum & anima una in Christo, quàm in sæculo ante fuissent.

14. Post paucos autem dies nuntiatur Bernardo, subversum ab aliis sociis Hugonem, à proposito resilire. Qui opportunitate inventa, quod magnus quidam Episcoporum conventus illis in partibus haberetur, festinat ut revocet pereuntem, iterumque parturiat. Observantes autem prædicti sodales & subversores Hugonis, viso eo, prædam ambiunt suam, & omnem ei loquendi adimunt facultatem, omnem aditum intercludunt. At ille, cum ei loqui non posset, clamabat pro eo ad Dominum. quo orante cum lacrymis, subita & vehemens inundatio pluviæ mox erupit. Consederant autem in campo, quod aër serenus esset, & nil tale sperarent. Dispersi igitur omnes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens, Mecum, ait, sustinebis hujus pluviæ guttas. Cumque soli remansissent, non fuerunt soli, sed Dominus fuit cum eis, reddens eis continuo & aëris & animi serenitatem. Ibi renovatum est fœdus & propositum confirmatum, quod non potuit deinceps violari.

15. Videbat ista peccator, & irascebatur, dentibus suis fremebat & tabescebat; justus autem confidens in Domino gloriose de sæculo triumphabat. Jamque eo publice & privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant: quia voci ejus Spiritus-sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Crescente siquidem numero eorum, qui in hanc conversionis unanimitatem consenserant, sicut de primitivis Ecclesiæ filiis legitur, *Multitudinis eorum erat cor unum, & anima una in Domino*, (Act. 4.) & habitabant unanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se conjungere eis. Erat enim eis Castellioni domus una propria & communis omnium, ubi conveniebant, & cohabitabant, & colloquebantur, quam ingredi vix aliquis audebat qui non esset de cœtu eorum. Sed & si quis intrabat, videns & audiens

a Et quidem apud Elariacum seu Lariacum, vulgo *Lairé*, ad muros Divionenses ex tertia vita, & ex tabulis Lariacensibus. qui locus nunc Prioratus est monasterii S. Benigni, cui tum istæ Sanctimoniales subjectæ erant, uti & Julliacenses Molismensibus. Guntramnus rex locum S. Benigno concessit.

14. quæ ibi gerebantur & dicebantur, ſicut de Chriſtianis Corinthiis Apoſtolus dicit, omnibus quodammodo prophetantibus convincebatur ab omnibus, dijudicabatur ab omnibus; & adorans Dominum, & confitens quod vere Deus eſſet in eis, aut ipſe unanimitati eorum adhærebat, aut recedens flebat ſemetipſum, illos autem beatificabat. Hoc enim illis temporibus, & in illis erat partibus inauditum, ut alicujus adhuc in ſæculo commorantis converſio præſciretur. Ipſi vero quaſi menſibus ſex poſt primum propoſitum in ſæculari habitu ſtabant, ut proinde plures congregarentur, dum quorumdam negotia per id temporis expediebantur.

16. Cum autem jam ſuſpecta inciperet eſſe multitudo, ne quem de numero eorum ſurriperet is qui tentat, placuit Deo ſuper hoc revelare quid futurum eſſet. Aſpiciebat enim quidam eorum in viſu noctis, & videbat quaſi eos omnes conſediſſe in domo una: & per ordinem ſingulos quaſi communicare de cibo quodam miri candoris & ſaporis. quem ceteris omnibus optime ſuſcipientibus, & cum gaudio magno, duos ex omni numero illo notabat à cibi illius ſalutaris participatione vacuos remanſiſſe. Alter namque eorum nec ſumebat, alter ſumere quidem videbatur, ſed tamquam minus caute ſumeret, ſpargebatur. Utrumque vero poſtea probavit eventus. Alter enim priuſquam ventum eſſet ad rem, converſus retrorſum in ſæculum rediit: alter cum ceteris cœpit quidem opus bonum, ſed non perfecit. Vidi ego eum in ſæculo poſtea vagum & profugum à facie Domini ſicut Caïn, quantum animadvertere potui, hominem humillimum, & miſerabilis confuſionis, ſed nimiæ puſillanimitatis. Qui tamen in ultimis Claram-vallem rediit infirmitate corporis & inopia cogente, cum homo bene natus ab omnibus cognatis & amicis projiceretur: ibique proprietati renuntians, ſed non omnino propriæ voluntati, obiit, non quidem intus, ſicut frater & domeſticus, ſed foris miſericordiam poſtulans, ſicut pauper & mendicus.

17. Jam vero adveniente die reddendi voti & complendi deſiderii, egreſſus eſt de domo paterna Bernardus, pater fratrum ſuorum cum fratribus ſuis, filiis ſuis ſpiritualibus, quos verbo vitæ Chriſto genuerat. Videns autem Guido primogenitus fratrum ſuorum Nivardum fratrem ſuum minimum, puerum cum pueris aliis in platea: Eia, inquit, frater Nivarde, ad te ſolum reſpicit omnis terra poſſeſſionis noſtræ. Ad quod puer non pueriliter motus: Vobis ergo, inquit, cælum, & mihi terra? Non ex æquo diviſio hæc facta eſt. Quo dicto abeuntibus illis, tunc quidem domi cum patre remanſit, ſed modico poſt evoluto tempore fratres ſecutus, nec à patre, nec à propinquis ſeu amicis potuit retineri. Supererat de Deo dicata domo illa pater ſenior cum filia, de quibus etiam ſuo loco dicemus.

18. Eo tempore novellus & puſillus grex Ciſtercienſis ſub abbate degens viro venerabili Stephano, cum jam graviter ei tædio eſſe inciperet paucitas ſua, & omnis ſpes poſteritatis decideret, in quam ſanctæ illius paupertatis hereditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ ſanctitatem, ſed refugientibus auſteritatem: repente divina hac viſitatione tam læta, tam inſperata, tam ſubita lætificatus eſt, ut in die illa reſponſum hoc à Spiritu-ſancto accepiſſe ſibi domus illa videretur: *Lætare ſterilis quæ non pariebas, erumpe & clama quæ non parturiebas; quia multi filii deſertæ magis quàm ejus quæ habet virum*, de quibus poſtmodum viſura es 45.
filios filiorum uſque in multas generationes. [Nam anno priore uni ex eiſdem Ciſtercienſibus primis fratribus in extremo jam poſito, apparuit innumera hominum multitudo prope baſilicam, ad fontem lavans veſtimenta ſua: & in ipſa viſione dictum eſt ei, quia fons Ennon vocaretur. Quod cum indicaſſet abbati, intellexit protinus vir magnificus divinam conſolationem: & multum quidem jam tunc de promiſſione, ſed plurimum poſtea de exhibitione lætatus, egit gratias Deo per Jeſum-Chriſtum: qui cum eo & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, amen.] ex Ms.

## CAPUT IV.

*De ingreſſu Ordinis, & fervore novitiatus. Quàm parcus cibi & ſomni; cupidus quoque laboris externi; deque ejus miro in ſacra Scriptura profectu.*

19. ANno ab incarnatione Domini M C X I I I. à conſtitutione domus Ciſtercienſis XV. ſervus Dei Bernardus annos natus circiter XXIII*. Ciſtercium ingreſſus, cum ſociis amplius quàm XXX. ſub abbate Stephano, ſuavi jugo Chriſti collum ſubmiſit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, & vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum ſuum, extendens palmites ſuos uſque ad mare, & ultra mare propagines ſuas. [Quia vero ex prædictis ſociis ejus, uxorati aliqui fuerant, & uxores quoque cum viris idem votum ſacræ converſationis inierant: per ipſius ſollicitudinem ædificatum eis cœnobium ſanctimonialium feminarum, quod Julleïum [a] dicitur, in Lingonenſi parochia, Domino cooperante, magnifice ſatis excrevit, uſque hodie religionis opinione celeberrimum, & perſonis ac poſſeſſionibus dilatatum: ſed & propagatum jam per loca alia, & non ceſſans adhuc ampliorem facere fructum.] Hæc quidem fuere Viri Dei converſationis ſancta principia. Converſationis autem ejus inſignia, quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare poſſe puto, qui non vivat de ſpiritu, de quo ille vixit. Solius quippe donantis & accipientis eſt, noſſe quantum ab ipſo mox converſionis exordio prævenerit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis ſuæ; quanta repleverit gratia electionis; quomodo ab ubertate domus ſuæ inebriaverit eum. Ingreſſus eſt autem domum illam pauperem ſpiritu, & eo adhuc tempore abſconditam ac pæne nullam, intentione ibi moriendi à cordibus & memoria hominum, & ſpe deliteſcendi & latendi tamquam vas perditum; Deo aliter diſponente, & eum ſibi in vas electionis præparante, non ſolum ad Ordinem monaſticum confortandum ac dilatandum, ſed etiam ad nomen ſuum portandum coram regibus & gentibus, & uſque ad extremum terræ. Ipſe vero nil tale de ſe æſtimans aut cogitans, potius ad cuſtodiam ſui cordis, & propoſiti conſtantiam, hoc ſemper in corde, ſæpe etiam in ore habebat: Bernarde, Bernarde, ad quid veniſti? Et ſicut de Domino legitur, quia *cœpit Jeſus facere & docere*: à prima die ingreſſus ſui in cellam noviriorum, ipſe cœpit agere in ſemetipſo quod alios erat docturus. Act. 1, 1.

20. Poſtmodum enim cum Claræ-vallis abbas eſſet ordinatus, adventantibus noviriis & feſtinantibus ingredi, audire eum ſoliti ſumus prædicantem ac dicentem: Si ad ea quæ intus ſunt feſtinatis, hîc foris dimittite corpora quæ de ſæculo attuliſtis: ſoli ſpiritus ingrediantur, caro non prodeſt quicquam. Quod cum noviriis ad novitatem verbi perterritis, parcens teneritudini eorum, clementius exponendo, carnalem concupiſcentiam prædicare ſolebat foris dimittendam; ipſe cum novitius eſſet, in nullo ſibi parcens, inſtabat omnimodis mortificare non ſolum concupiſcentias carnis, quæ per ſenſus corporis fiunt, ſed & ſenſus ipſos per quos fiunt. Cum enim jam interiore ſenſu illuminati amoris dulcius ac frequentius ſentire inciperet deſurſum ſpirantem ſibi ſuavitatem, ſenſui illi interiori timens à ſenſibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum ſufficeret ad exterioris cum hominibus converſationis ſocietatem. Quod cum continui uſus inſtantia in conſuetudinem mitteret, conſuetudo ei ipſa quodammodo vertebatur in naturam: totuſque abſorptus in ſpiritum, ſpe tota in Deum directa intentione ſeu meditatione ſpirituali tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat:

* al. XXII.

a Aliis *Juliacum*, vulgo *Juilly*, quem locum Milo Barri Comes cœnobio Moliſmenſi conceſſit, *ut religioſis deſerviret feminis ſub ordinatione Moliſmenſis abbatis: quibus ad regimen ſui, tam corporum, quàm animarum, quatuor deputati erant monachi per abbatem Moliſmenſem.* Hæc acta ſub Guidone abbate ſub annum 1115. ad quem Bernardi epiſtola 80. ex charta apud Chiffletium. De Julleïo iterum infra num. 30.

nihil sapiebat gustanti, vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat in cella novitiorum, cum exiens inde ignoraret adhuc, an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere cælaturam. Multo tempore frequentaverat intrans & exiens domum ecclesiæ, cum in ejus capite, ubi tres erant, unam tantum fenestram esse arbitraretur. Curiositatis enim sensu mortificato, nil hujusmodi sentiebat; vel si forte aliquando eum contingebat videre, memoria, ut dictum est, alibi occupata non advertebat. Sine memoria quippe sensus sentientis nullus est.

21. Natura quoque in eo non dissentiebat à gratia, ut in eo quoque quodammodo impletum videretur esse quod legitur: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam: & cum magis essem bonus veni ad corpus incoinquinatum.* Ad contemplanda quippe spiritualia quæque seu divina, cum gratia spirituali, naturali quadam virtute pollebat ingenii, sortitusque etiam in hoc erat animam bonam, sensualitatem non curiose lascivam, nec superbe rebellem, sed congaudentem spiritualibus studiis, & in eis quæ ad Deum sunt, sponte subditam spiritui & servientem: corpus etiam nullius umquam contaminatum consensu flagitii: etsi neglectum minus*, sicut oportebat, curaretur, ad serviendum spiritui in servitio Dei aptissimum instrumentum. Sed cum caro in eo ex dono prævenientis gratiæ, & adjutorio subsequentis naturæ, & usu bono spiritualis disciplinæ, vix jam aliquid concupisceret adversus spiritum, hoc est quod spiritum læderet; spiritus supra vires, supra virtutem carnis ac sanguinis, tanta adversus carnem concupiscebat, ut infirmum animal cadens sub onere, usque in hanc diem non adjiciat ut resurgat. Quid enim dicam de somno, qui in ceteris hominibus solet esse refectio laborum & sensuum, aut mentium recreatio? Extunc usque hodie vigilat ultra possibilitatem humanam. Nullum enim tempus magis se perdere conqueri solet, quàm quo dormit, idoneam satis reputans comparationem mortis & somni: ut sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. Unde etiam si quem forte religiosum in dormiendo seu durius stertentem audierit, seu minus composite jacentem viderit; patienter ferre vix potest, sed carnaliter eum seu sæculariter dormire causatur. In ipso namque tenuem victum tenuis somnus comitatur. In neutro enim ullam indulget corpori suo satietatem; nisi quod in utroque sumpsisse aliquid sat ei est. Quantum enim ad vigilias, vigiliarum ei modus est non totam noctem ducere insomnem.

Sap. 8. d

* al. non nimis neglectum.

22. Porro ad comedendum usque hodie vix aliquando voluptate trahitur appetitus, sed solo timore defectus. Etenim comesturus, priusquam comedat, sola cibi memoria satiatus est. Sic accedit ad sumendum cibum, quasi ad tormentum. A primo siquidem conversionis suæ anno seu egressionis de cella novitiorum, natura ejus, cum teneræ nimis semper & delicatæ complexionis fuisset, jejuniis multis & vigiliis, frigore & labore, durioribus & continuis exercitiis attrita, corrupto stomacho, crudum continuo per os solet rejicere quod ingeritur. Quod si quid naturali decoctione digestum transfunditur ad inferiora, ibi nihilo minus partibus illis corporis non minoribus infirmitatum incommodis obsessis, non nisi cum gravi tormento egeritur. Si quid autem residuum est, ipsum est alimentum corporis ejus qualecumque, non tam ad vitam sustentandam, quam ad differendam mortem. Semper autem post cibum quasi pensare solitus est, quantum comederit. Siquando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehenderit, impune abire non patitur. Sed & usus parsimoniæ sic ei in naturam versus est, ut etsi aliquando corporalis sibi cujuslibet refectionis plus aliquid solito velit indulgere, vix possit. Sic autem ab initio fuit, inter novitios novitius, monachus inter monachos, spiritu validus, corpore infirmus: nil indulgentiæ circa corporis quietem seu refectionem, nil remissionis de communi labore vel opere fieri sibi aliquando acquiescens. Ceteros namque sanctos esse arbitrabatur & perfectos; se vero sicut novitium & incipientem, nequaquam emeritorum perfectorumque indulgentiis & remissionibus indigere, sed fervore novitio, & Ordinis districtione, & rigore disciplinæ.

23. Propter quod communis vitæ seu conversationis ferventissimus æmulator, cum opus aliquod manuum fratres actitarent, quod seu minor usus ei, seu imperitia denegabat: fodiendo, seu ligna cædendo, propriis humeris deportando, vel quibuslibet laboribus æque laboriosis illud redimebat. Ubi vero vires deficiebant, ad viliora quæque opera confugiens, laborem humilitate compensabat. Et mirum in modum is, qui tantam contemplatione rerum spiritualium ac divinarum acceperat gratiam, circa talia non solum occupari patiebatur, sed & plurimum delectabatur. Sed mortificata, ut dictum est, sensualitate, cujus seu curiositate, seu infirmitate in hujusmodi laborum corporalium distractionibus, perfectorum etiam quorumcumque mentes sæpe necesse est, etsi non intentione, certe memoria & cogitatione ab interiore unitate spiritus aliquam pati dissolutionem: ipse privilegio majoris gratiæ in virtute spiritus simul & totus quodammodo exterius laborabat, & totus interius Deo vacabat: in altero pascens conscientiam, in altero devotionem. Laboris ergo tempore & intus orabat seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, & exterius laborabat absque jactura interioris suavitatis. Nam usque hodie quicquid in Scripturis valet, quicquid in eis spiritualiter sentit, maxime in silvis & in agris meditando & orando se confitetur accepisse; & in hoc nullos aliquando se magistros habuisse, nisi quercus & fagos, joco illo suo gratioso inter amicos dicere solet.

24. Messis tempore fratribus ad secandum cum fervore & gaudio sancti Spiritus occupatis, cum ipse quasi impotens & nescius laboris ipsius, sedere sibi & requiescere juberetur, admodum contristatus, ad orationem confugit, cum magnis lacrymis postulans à Deo donari sibi gratiam metendi. Nec fefellit simplicitas fidei desiderium religiosi. Continuo namque quod petiit, impetravit. Et ex illo die in labore illo præ ceteris peritum se esse cum quadam jucunditate gratulatur: tanto in hoc opere devotior, quanto se in hoc ipso facultatem ex solo Dei dono reminiscitur accepisse. Feriatus autem ab hujusmodi labore vel opere, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, ea utebatur: sin autem, ubicumque, seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, ubique solus erat. Canonicas autem Scripturas simpliciter & seriatim libentius ac sæpius legebat, nec ullis magis quàm ipsarum verbis eas intelligere se dicebat: & quicquid in eis divinæ sibi elucebat veritatis, aut virtutis, in primæ sibi originis suæ fonte magis, quàm in decurrentibus expositionum rivis sapere testabatur. Sanctos tamen & orthodoxos earum Expositores humiliter legens, nequaquam eorum sensibus suos sensus æquabat, sed subjiciebat formandos: & vestigiis eorum fideliter inhærens, sæpe de fonte unde illi hauserant, & ipse bibebat. Inde est quod plenus spiritu, quo omnis sancta Scriptura divinitus est inspirata, tam confidenter & utiliter ea usque hodie, sicut Apostolus dicit, utitur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum. Et dum prædicat verbum Dei, quicquid de ea affert in medium, sic patens, & placens efficit, & circa id unde agitur efficax ad movendum, ut mirentur omnes tam sæculari quam spirituali præditi doctrina, in verbis gratiæ quæ procedunt de ore ejus.

2. Tim. 3.

## CAPUT V.

*De initio Claræ-vallis, & vili victu primorum ibidem monachorum, deque ostenso divinitus ejus incremento.*

25. Cum autem complacuit ei qui eum segregavit à sæculo, & vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam, & multos filios Dei qui erant dispersi, per eum congregaret in unum; misit in cor abbatis Stephani

NOTAS. Ep. 31. Stephani ad ædificandam domum Claræ-vallis * mittere fratres ejus. Quibus abeuntibus ipsum etiam domnum Bernardum præfecit abbatem, mirantibus sane illis, tamquam maturis & strenuis tam in religione quàm in sæculo viris, & timentibus ei tum pro tenerioris ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate, & minori usu exterioris occupationis. Erat autem Clara-vallis locus in territorio Lingonensi, non longe à fluvio Alba *, antiqua spelunca latronum, quæ antiquitus dicebatur Vallis absinthialis, seu propter abundantis ibi absinthii copiam, seu propter amaritudinem doloris incidentium ibi in manus latronum. Ibi ergo in loco horroris & vastæ solitudinis consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum templum Dei, & domum orationis. Ubi simpliciter aliquanto tempore Deo servierunt in paupertate spiritus, in fame & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria sæpius ex foliis fagi conficiebant. Panis instar prophetici illius ex hordeo, & milio, & vicia * erat, ita ut aliquando religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio, ubertim plorans, clam asportaverit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quod inde viverent homines, & tales homines.

26. At Virum Dei minus ista movebant. Summa ei sollicitudo de salute multorum, quæ à prima die conversionis suæ usque ad hoc tempus tam singulariter sacrum illud pectus noscitur possidere, ut erga omnes animas maternum gerere videatur affectum. Erat ergo vehemens in præcordiis ejus, sancti desiderii, & sanctæ humilitatis conflictus. Modo enim seipsum dejiciens, fatebatur indignum, per quem fructus aliquis proveniret: modo oblitus sui, æstuabat flagrantissimo ardore, ut nullam nisi ex multorum salute consolationem posse admittere videretur. Sane fiduciam caritas pariebat, sed eamdem castigabat humilitas. Contigit autem inter hæc, ut aliquando temperius solito surgeret ad vigilias. Quibus peractis, cum usque ad matutinas laudes aliquanto longius superesset noctis intervallum, egressus foras, & loca vicina circumiens, orabat Deum, ut acceptum haberet obsequium suum, & fratrum suorum: & in eo quod diximus spiritualis fructus desiderio constitutus, subito stans in ipsa oratione, modice interclusis oculis, vidit undique ex vicinis montibus tantam diversi habitus & diversæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem descendere, ut vallis ipsa capere non posset. quod quid significaverit, jam omnibus manifestum est. Hac igitur Vir Domini visione magnifice consolatus, exhortatus est etiam fratres suos, commonens eos de misericordia Dei numquam desperare.

## CAPUT VI.

*De magna ejus in angustiis erga Deum fiducia: deque zelo perfectionis, & conversione sororis.*

27. Cum vero ante instantem hiemem Gerardus frater ejus, cellarius * domus, apud eum durius quæreretur ad necessaria domus & fratrum multa deesse, nec habere se unde ea coëmeret, & urgente necessitate jam nullam verborum reciperet consolationem, res autem in promptu non esset quæ daretur: Vir Dei, quantum interim ad præsentes angustias sufficere posset, inquisivit: ille vero undecim * libras respondit. Tunc dimittens eum, ad orationem confugit. Post paululum vero rediens Gerardus, mulierem quamdam de Castellione foris esse, & velle ei loqui nuntiavit. Ad quam cum egrederetur, procidens ad pedes ejus eadem mulier, duodecim librarum benedictionem ei obtulit, orationum suffragia implorans viro suo periculose ægrotanti. Quam breviter allocutus dimisit à se: Vade, inquiens, sanum invenies virum tuum. Illa vero abiens in domum suam, sicut audierat, sic invenit. Abbas vero consolans pusillanimitatem Cellarii sui, ad sustinendum Dominum de cetero reddidit fortiorem. Nec tantum semel hoc ei contigisse certum est, sed sæpe, cum hujusmodi necessitas instaret, repente, unde non sperabatur, auxilium ei à Domino affuisse. Propter quod viri pruden-

A tes intelligentes manum Domini esse cum eo, teneritudinem mentis ejus à deliciis paradisi nuper egressi, rerum exteriorum sollicitudine gravare cavebant, eas ipsi intra semetipsos ut poterant digerentes, & tantummodo de interioribus conscientiis suis, & causa animarum suarum eum consulentes.

28. In quo tamen pæne hoc eis contigit, quod filiis Israël legimus olim de Moyse contigisse, cum diu conversatus cum Domino in monte Sina, & de caligine nubis egrederetur & descenderet ad populum, ex colloquio Domini facies ejus cornuta appareret, & terribilis, adeo ut fugeret populus ab eo. Egressus enim Vir sanctus à facie Domini, qua in solitudine Cistercii, & sublimioris altitudine contemplationis in silentio aliquamdiu fruitus erat, quasi de cælo afferens inter homines miraculum quoddam conquisitæ sibi apud Deum plusquam humanæ puritatis, homines quos regere, & inter quos conversari veniebat, pæne omnes à se absterruit. Si quando namque de spiritualibus, & ædificatione animarum sermonem ad eos habebat, loquebatur hominibus lingua Angelorum, & vix intelligebatur. Maxime autem in his quæ ad mores hominum pertinebant, ex abundantia cordis sui tam sublimia eis proponebat, tam perfecta exigebat ab eis, ut durus videretur sermo, in tantum non capiebant quæ dicebantur. Rursum cum singillatim eos audiret confitentes sibi, & semetipsos accusantes super diversis illusionibus cogitationum communium humanarum, quas nullus in carne vivens homo penitus vitare potest; hoc potissimum fuit, in quo luci illi ad tenebras illas conventio esse non potuit: scilicet quod homines inveniebat, quos in hac parte Angelos æstimabat. Angelicam enim magna ex parte degustans puritatem, & ex conscientia jam olim acceptæ à Deo gratiæ singularis, simpliciter præjudicans universæ conditioni humanæ fragilitatis, in tentationes seu inquinationes cogitationum harum nullum Religiosum posse incidere; vel si incideret, vere religiosum non esse æstimabat.

29. Sed viri vere religiosi, & pie prudentes, & in prædicatione sermonum ejus venerabantur etiam quæ non capiebant, & in confessionibus suis, licet ad novum stuperent auditum, eo quod seminarium quoddam desperationis præferre videretur infirmis: tamen juxta sententiam sancti Job, nefas putabant contradicere sermonibus sancti, non excusantes, sed accusantes infirmitatem suam in conspectu hominis Dei, in quo nemo vivens justificari potest in conspectu Dei. Unde factum est, ut fieret magistra magistri pia humilitas discipulorum. Cum enim ad nutum arguentis humiliarentur qui arguebantur, cœpit etiam spirituali magistro adversus fratres humiles & subjectos zelus suus esse suspectus, in tantum ut ipse jam potius accusaret ignorantiam suam, & defleret necessitatem, quod silere non liceret, cum nesciret loqui: quod non tam alta ad homines, quàm indigna hominibus loquendo læderet conscientias auditorum: quod tam scrupulose perfectionem à fratribus simplicibus exigebat, in quo se nondum inveniret ipse perfectum. Cogitabat namque eos multo meliora & viciniora saluti suæ in silentio suo meditari, quàm ab ipso audirent: devotius & efficacius salutem suam operari, quàm ex ejus exemplo acciperent: ex prædicatione vero ejus scandalizari potius, quàm aliquid concipere ædificationis. Cumque super hoc vehementius turbaretur & contristaretur, & diversæ cogitationes ascenderent in cor ejus: post multos cogitationum flexus & cruciatus cordis, decrevit ab exterioribus omnibus ad interiora sua recolligere se, ibique in solitudine cordis & secreto silentii continere, & præstolari Dominum, donec quocumque modo misericordiæ suæ super hoc ei suam revelaret voluntatem. Nec tardavit misericordia Dei auxilium in tempore opportuno. Paucis siquidem evolutis diebus, vidit in visu noctis puerum caritate quadam divina adstantem sibi, & magna auctoritate præcipientem fiducialiter loqui quicquid ei suggereretur in apertione oris sui, quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo. Et extunc manifestius in

Exod. 34. Job 6.

eo & per eum loquens Spiritus-sanctus, & sermonem ei potentiorem & sensum in Scripturis abundantius suggerens in apertione oris ejus, apud auditores quoque ei gratiam addidit & auctoritatem, & intellectum super egenum & pauperem, peccatorem pœnitentem, & veniam postulantem.

30. Cumque jam aliquaterius didicisset inter homines conversari, & humana agere & tolerare, jamque inter fratres suos, & cum eis inciperet frui fructibus conversionis suæ: pater quoque, qui solus domi remanserat, veniens ad filios suos, appositus est ad eos. qui cum aliquantum tempus ibi fecisset, obiit [a] in senectute bona. Soror quoque eorum in sæculo nupta *, & sæculo dedita, cum in divitiis sæculi periclitaretur, tandem aliquando inspiravit ei Deus ut fratres suos visitaret. Cumque venisset quasi visura venerabilem fratrem suum, & adesset cum comitatu superbo & apparatu; ille detestans & exsecrans eam tamquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquievit exire ad videndum eam. Quod audiens illa, confusa, & compuncta vehementer, cum ei nullus fratrum suorum occurrere dignaretur, cum à fratre suo Andrea, quem ad portam invenerat monasterii, ob vestium apparatum stercus involutum argueretur, tota in lacrymas resoluta: Etsi peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcircò consilium & colloquium bonorum requiro. Et si despicit frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei animam meam. Veniat, præcipiat: quicquid præceperit, facere parata sum. Hanc ergo promissionem tenens, exiit ad eam cum fratribus suis frater ejus. Et quia eam separare à viro non poterat, primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu vestium, & in omnibus sæculi pompis & curiositatibus interdixit; formam vitæ matris suæ, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, & sic eam à se dimisit. Illa vero obedientissime parens præcepto, rediit ad propria, mutata repente secundum omnipotentiam dexteræ Excelsi. Stupebant omnes, adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu & victu, in medio sæculi vitam ducere eremiticam: instare vigiliis & jejuniis, & continuis orationibus, & ab omni sæculo prorsus se facere alienam. Biennio postea sic vixit cum viro suo, illo sane, secundo maxime anno, dante Deo honorem, nec temerare ulterius præsumente templum Spiritus-sancti. Qui etiam tandem virtute ejus perseverantiæ victus, liberamque à se dimittens, juxta ritum Ecclesiæ, facultatem ei concessit serviendi Deo cui se probavit. Illa vero optata libertate potita, monasterium Julleium * adiens, cum sanctimonialibus inibi Deo servientibus reliquum vitæ suæ Deo vovit: ubi tantam ei Dominus gratiam contulit sanctitatis, ut non minus animo, quàm carne illorum probaretur virorum Dei esse germana.

[Margin: * Humbelina.] [Margin: * Tully supra num. 19.]

## CAPUT VII.

*De Ordinatione S. Bernardi in Abbatem, deque cura valetudinis ejus; item de laude disciplinæ religiosæ jam tum in Clara-valle vigentis.*

31. Cum autem missus noviter Claram-vallem Bernardus, ordinandus esset in ministerium ad quod assumptus erat; & sedes Lingonensis vacaret, ad quam ordinatio ipsa respiciebat: quærentibus fratribus, quo eum ducerent ordinandum, cito de proximo se obtulit bona fama venerabilis Catalaunensium episcopi, opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis, illucque eum transmittendum esse diffinitum est. Sicque factum est. Abiit autem Catalaunum, assumpto secum Elboldone monacho quodam Cisterciensi. Intravit ergo prædicti Episcopi domum juvenis exesi corporis & moribundi, habitu quoque despicabilis, subsequente monacho seniore, & magnitudine & robore corporis eleganti, aliis ridentibus, aliis irridentibus, aliis rem, sicut erat, interpretando venerantibus. Cum autem quæreretur, quis eorum esset Abbas; Episcopus primus oculos in eum apertos habens, agnovit servum Dei, & suscepit eum sicut servus Dei. Cum enim primo in privato colloquio omni melius locutione prudentiam juvenis magis magisque proderet verecundia loquendi, intellexit vir sapiens divinam visitationem in adventu hospitis sui. Nec defuit hospitalitatis pia instantia, donec usque ad familiarem fiduciam & libertatem loquendi producto colloquio ad alterutrum, jam melius eum commendaret conscientia sua quàm verba. Quid multa? Ex illa die & ex illa hora facti sunt cor unum, & anima una in Domino, in tantum ut sæpe alter alterum hospitem deinceps haberet, & propria esset domus Episcopi Clara-vallis; Claræ-vallensium vero efficeretur non sola domus Episcopi, sed & per ipsum tota civitas Catalaunensis. Quin etiam & Remensis provincia, & Gallia tota per eum in devotionem excitata est ad reverentiam Viri Dei. Ab illo siquidem tanto Episcopo ceteri didicerunt suscipere eum, & revereri tamquam angelum Dei, ita ut hujus temporis præsensisse in eo gratiam videatur homo tantæ auctoritatis, sic affectus erga ignotum monachum, & monachum tantæ humilitatis.

32. Modico vero post tempore transacto, cum eousque infirmitas Abbatis ingravesceret, ut jam non nisi mors ejus, aut omni morte gravior vita speraretur, ab Episcopo visitatus est. Cumque viso eo Episcopus se non solum vitæ ejus, sed & sanitatis spem habere diceret, si consilio ejus acquiescens, secundum infirmitatis suæ modum aliquam corpori suo curam pateretur impendi; ille vero à rigore vel usu consuetudinis suæ minus facile flecti posset: profectus Episcopus ad Capitulum Cisterciense, ibi coram pauculis Abbatibus qui convenerant, pontificali humilitate & sacerdotali caritate, toto corpore in terram prostratus, petiit, & obtinuit, ut tantum anno uno in obedientiam sibi traderetur. Quid enim tantæ humilitati in tanta posset auctoritate negari? Reversus itaque Claram-vallem, extra claustra & terminos monasterii domunculam unam ei fieri præcepit: ordinans & mandans in cibo vel potu, sive in aliquo ejusmodi circa eum nullam ibi teneri Ordinis districtionem; nullam de tota cura domus ad eum referri sollicitudinem, sed sini * eum vivere secundum modum ab eo præstitutum. [Margin: * al. sibi.]

33. Eodem tempore & ego Claram-vallem, ipsumque frequentare cœpi: quem cum ibi cum quodam Abbate altero visitarem, inveni eum in suo illo tugurio, quale leprosis in compitis publicis fieri solet. Inveni autem ex præcepto, ut dictum est, Episcopi & Abbatum feriatum ab omni sollicitudine domus, tam interiori, quàm exteriori, vacantem Deo & sibi, & quasi in deliciis paradisi exsultantem. Ingressusque regium illud cubiculum, cum considerarem habitationem & habitatorem, tantam mihi, Deum testor, domus ipsa incutiebat reverentiam sui, ac si ingrederer ad altare Dei. Tantaque affectus sum suavitate circa hominem illum, tantoque desiderio in paupertate illa & simplicitate cohabitandi ei, ut si optio illa die mihi data fuisset, nil tam optassem, quàm ibi cum eo semper manere ad serviendum ei. Cumque & ipse vicissim nos cum gaudio suscepisset, & quæreremus quid ageret; quomodo ibi viveret; modo illo suo generoso arridens nobis: Optime, inquit. Ego cui hactenus homines rationabiles obediebant, justo Dei judicio irrationali cuidam bestiæ datus sum ad obediendum. Dicebat autem de quodam homine rusticano & vano, nihil prorsus sciente, ipsumque ab infirmitate qua laborat, curaturum se jactitante, cui ad obediendum ab Episcopo & Abbatibus & fratribus suis traditus erat. Ibique cum eo manducantes, cum arbitraremur hominem tam infirmum, tantæque providentiæ commissum, sicut oportebat, procurandum, & videremus ei agente medico illo suo offerri cibos, quos sanus quis vix præ angustia famis attingeret; videbamus & tabescebamus, vix regulari silentio nos cohibente, quin in illum quasi sacrilegum & homicidam ira & contumeliis insurgeremus. Ipse autem in quem hæc fiebant, indifferenter cuncta sumens, æque omnia approbabat: sicut qui sensu ipso corrupto, & pæne emortuo sapore, vix aliquid discer-

a De eo in Necrologio S. Benigni, *III. Idus Aprilis obiit Tescelinus monachus, pater domni Bernardi abbatis Clara-vallis.*

nebat. Nam & ſanguinem crudum per errorem ſibi oblatum pro butyro multis diebus noſcitur comediſſe; oleum bibiſſe tamquam aquam, & multa talia contingebant ei. Solam quippe aquam ſibi ſapere dicebat, eo quod dum ſumeret, fauces & guttur ei refrigerabat.

34. Sic ergo tunc eum inveni, & ſic habitabat in illa ſolitudine ſua vir ille Dei. Sed non erat ſolus, cum quo erat Deus, & cuſtodia & conſolatio ſanctorum Angelorum: quod etiam manifeſtis indiciis demonſtratum eſt. Nocte enim quadam ſolito attentius orando effuderat ſuper ſe animam ſuam, cum tenuiter ſoporatus voces audivit tamquam tranſeuntis multitudinis copioſe. Evigilans autem & eaſdem voces plenius audiens, cellam quoque in qua jacebat egreditur, & proſequitur abeuntes. B Haud procul aberat locus denſis adhuc ſpinarum vepriumque frutetis abundans, ſed nunc longe mutatus ab illo. Super hunc aliquamdiu ſtabant velut alternantes chori hinc inde diſpoſiti, & vir ſanctus audiebat, & delectabatur. Cujus tamen myſterium viſionis non prius agnovit, quàm tranſlatis poſt aliquot annos ædificiis monaſterii, eodem loco poſitum oratorium cerneret, ubi voces illas audiſſet. Manſi autem indignus ego cum eo paucis diebus, quocumque oculos vertebam, mirans, quaſi cælos me videre novos, & terram novam, & antiquorum Ægyptiorum monachorum patrum noſtrorum antiquas ſemitas, & in eis noſtri temporis hominum recentia veſtigia.

C 35. Erat enim tunc temporis videre Claræ-vallis aurea ſæcula, cum viri virtutis, olim divites in ſæculo & honorati, tunc in paupertate Chriſti gloriantes, Eccleſiam Dei plantarent in ſanguine ſuo, in labore & ærumna, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in perſecutionibus, & contumeliis, & anguſtiis multis; præparantes Claræ-valli eam quam hodie habet ſufficientiam & pacem. Neque enim ſe tam ſibi, quàm Chriſto & fratribus inibi Deo ſervituris vivere æſtimantes, pro nihilo habebant quicquid ſibi deeſſet: dum relinquerent poſt ſe quod illis ſufficeret & ad ſubſidium neceſſitatis, & ad aliquam conſcientiam voluntariæ pro Chriſto paupertatis. Primaque facie ab introeuntibus Claram-vallem per deſcen- D ſum montis, Deus in domibus ejus cognoſcebatur, cum in ſimplicitate & humilitate ædificiorum ſimplicitatem & humilitatem inhabitantium pauperum Chriſti vallis muta loqueretur. Denique in valle illa plena hominum, in qua nemini otioſum eſſe licebat; omnibus laborantibus, & ſingulis circa injuncta occupatis; media die mediæ noctis ſilentium à ſupervenientibus inveniebatur, præter laborum ſonitus, vel ſi fratres in laudibus Dei occuparentur. Porro ſilentii ipſius ordo & fama tantam etiam apud ſæculares homines ſupervenientes ſui faciebat reverentiam, ut & ipſi, non dicam prava vel otioſa, ſed aliquid etiam quod ad rem non attineret, ibi loqui vererentur. Loci vero ipſius ſolitudo inter opaca ſilvarum, E & vicinorum hinc inde montium anguſtias, in quo ſervi Dei latebant, ſpeluncam illam ſancti Benedicti patris noſtri quodammodo repræſentabat, in qua aliquando à paſtoribus inventus eſt: ut cujus imitabantur vitam, habitationem ejus ac ſolitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippe etiam in multitudine ſolitarii ibi erant. Vallem namque illam plenam hominibus, ordinis ratione caritas ordinata ſingulis ſolitariam faciebat: quia ſicut unus homo inordinatus, etiam cum ſolus eſt, ipſe ſibi turba eſt: ſic ibi unitate ſpiritus, & regularis lege ſilentii in multitudine hominum ordinata, ſolitudinem cordis ſui ſingulis ordo ipſe defendebat.

?. ad de Dei

F 36. Domibus vero & habitaculis ſimplicibus victus inhabitantium perſimilis erat. Panis non tam furfureus, quàm terreus videbatur, duris fratrum laboribus vix de terra deſerti illius ſterili productus: cetera quoque cibaria quæque vix erant aliquid ſaporis habentia, præter quam quod fames ſeu amor Dei faciebat. Sed & ipſum novitii fervoris ſimplicitas ſibi tollebat, cum quaſi venenum arbitrantes quicquid comedentem utcumque delectaret, recuſarent dona Dei propter gratiam, quam in eis ſentiebant. Cum enim circa omne genus carnalis

A tolerantiæ, cum adjutorio gratiæ Dei, ſtudium ſpiritualis Patris hoc in eis effeciſſet, ut plurima quæ homini in carne conſtituto impoſſibilia prius videbantur, jam non ſolum conſtanter peragerent & ſine murmuratione, ſed etiam cum ingenti delectatione: ipſa delectatio aliam in eis pepererat murmurationem, eo periculoſiorem, quo eam æſtimabant quaſi remotiorem à carne, ſpiritui propinquiorem. Perſuaſum quippe habentes, & quaſi cum teſtimonio conſcientiæ ſuæ memoriæ fideliter commendatum, inimicam eſſe animæ omnem delectationem carnis; quicquid carnem cum qualibet delectatione nutrire videretur, fugiendum arbitrabantur. Quaſi enim per aliam viam reduci ſe putabant in regio- B nem ſuam, cum præ dulcedine amoris interioris, amara æque ac dulcia delectabiliter edendo, delectabilius vivere ſibi viderentur in eremo, quàm prius vixiſſent in ſæculo.

37. Cumque in hoc ſuſpectam aliquatenus haberent ſpiritualis Patris quotidianam * correptionem, quaſi carni eorum pluſquam ſpiritui deferentem; aliquando ad judicium prædicti Catalaunenſis Epiſcopi, qui tunc forte aderat, res delata eſt. Super quo vir ille potens in verbo, ſermonem ad eos aggreſſus ad eum finem perduxit, ut omnem hominem, quicumque dona Dei recuſaverit propter gratiam Dei, inimicum eſſe gratiæ Dei, & Spiritui-ſancto reſiſtere pronuntiaret. Adducta ſiquidem hiſtoria de Eliſæo Propheta, & filiis Prophetarum C cum eo in deſertis locis vitam eremiticam ducentibus, quomodo cum aliquando ad horam refectionis ventum eſſet, amaritudo quædam mortis in olla decoctionis eorum inventa, per virtutem Dei & miniſterium Prophetæ, per infuſionem farinulæ dulcorata eſt; Olla, inquit, « illa prophetica, olla veſtra eſt, nil in ſe niſi amaritu- « dinem habens: farina vero amaritudinem in dulcedi- « nem convertens, gratia Dei operans eſt in vobis. Sumi- « te ergo ſecuri, & cum gratiarum actione, quod cum « naturaliter minus aptum fuerit uſibus humanis, ad hoc « per gratiam Dei veſtris eſt uſibus aptatum, ut utamini « & comedatis. In quo ſi inobedientes & increduli per- « D manetis, reſiſtitis Spiritui-ſancto, & gratiæ ejus ingrati eſtis. «

* Vide Serm. 1 de Epiphania num. 1.

## CAPUT VIII.

*De magna vitæ ejus ſeveritate, & indefeſſo inter continua fractæ valetudinis incommoda laborandi ſtudio.*

38. HÆc ergo fuit in tempore illo ſub abbate Bernardo & magiſterio ejus in clariſſima & cariſſima valle illa ſpiritualium ſchola ſtudiorum: hic fervor regularis diſciplinæ, omnia eo faciente & ordinante, & tabernaculum Deo in terris ædificante ſecundum E exemplar quod ei in monte oſtenſum eſt, cum in ſolitudine Ciſtercienſi cum Deo in nube habitaret. Et utinam poſt rudimenta primæ converſationis, poſtquam didicit aliquatenus & conſuevit homo cum hominibus eſſe, & intelligere ſuper egenum & pauperem, compatiendo infirmitatibus hominum; utinam ſe circa ſemetipſum talem exhibuiſſet qualem erga ceteros, tam benignum, tam diſcretum, tam ſollicitum. Sed continuo cum ab annuæ illius obedientiæ vinculo ſolutus, & ſui juris effectus eſt; velut arcus diſtentus ad priſtinum rigorem, & ſicut torrens detentus & dimiſſus, ad prioris curſus conſuetudinem reverſus eſt, quaſi repetens à ſemetipſo pœnas diutinæ * illius quietis, & damna laboris intermiſſi. Vi- F deres hominem imbecillem & languidum conari & aggredi quæcumque vellet, minus conſiderate quid poſſet; ſollicitum pro omnibus, circa ſeipſum negligentem; omnibus in omnibus aliis obedientiſſimum, ſed de ſeipſo vix aliquando ſeu caritati, ſeu poteſtati obedientem. Semper enim priora ſua nulla reputans, majora moliebatur ad non parcendum corpori, ad ſtudiis ſpiritualibus robur addendum: corpus ſuum variis infirmitatibus per ſe attenuatum, jejuniis inſuper & vigiliis ſine intermiſſione atterendo.

* al. diuſculæ.

39. Orabat ſtans die noctuque, donec genua ejus

infirmata à jejunio, & pedes ejus à labore inflati, corpus sustinere non possent. Multo tempore, & quamdiu occultum esse potuit, cilicio ad carnem usus est: ubi vero sciri advertit, continuo illud abjiciens, ad communia se convertit. Cibus ejus cum pane lac, vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes, quales infantibus fieri solent. Cetera vel ejus infirmitas non recipiebat, vel parsimoniæ studio ipse recusabat. Vino si quando utebatur, raro & nimis modico, cum magis aquam & infirmitati suæ & appetitui competere testaretur. Sic autem affectus & confectus, à communi fratrum labore, seu diurno, seu nocturno, vix se aliquando patiebatur esse excusatum, seu ab occupationibus & laboribus ministerii sui. Videbant eum & conversationem ejus homines medici, & mirabantur, tantamque vim eum in seipso causabantur inferre naturæ, ac si agnus ad aratrum alligatus arare cogeretur. Nam cum crebra illa ex corruptione stomachi per os ejus indigestæ cruditatis eruptio aliis inciperet esse molestior, maxime autem in choro psallentium, non tamen ilico collectas fratrum deseruit: sed juxta locum stationis suæ procurato ac effosso in terra receptaculo, doloris illius sic aliquamdiu, prout potuit, necessitatem illam transegit. At ubi ne hoc quidem permisit intolerantia rei, tunc demum collectas deserere, & seorsum secum habitare compulsus est, nisi quantum sive collocutionis, sive consolationis gratia, sive disciplinæ claustralis necessitate, conventui eum fratrum aliquando oportebat interesse.

40. Et hæc fuit tristis illa necessitas, qua primo sancta illa fraternitas sanctæ illius paternitatis jugi consortio carere posse coacta est. In quo dolemus quidem & plangimus infirmitatis ejus tristem effectum; sed sancti desiderii & spiritualis fervoris affectum veneramur. Quamquam nec infirmitatis ejus effectus usquequaque plangendus sit & dolendus. Quid enim si voluit sapientia Dei per infirma potius hominis illius tot tantaque confundere fortia mundi hujus? Quid vero aliquando pro qualibet infirmitate ejus remansit infectum, quod per eum secundum datam sibi gratiam fieri oporteret? Quis enim nostra ætate, quantumvis robusti corporis, & accuratæ valetudinis, tanta aliquando fecit, quanta iste fecit, & facit moribundus & languidus ad honorem Dei, & sanctæ Ecclesiæ utilitatem? Quantum postea numerum hominum verbo & exemplo traxit de sæculo non solum ad conversionem, sed ad perfectionem? Quantas ex eis per totum Christianum orbem constituit domos seu civitates refugii, ut quicumque peccaverint ad mortem, & æternæ mortis rei judicati fuerint, reminiscantur & convertantur ad Dominum, & confugiant ad eas, & salventur in eis? Quæ schismata Ecclesiæ non sedavit? quas non confudit hæreses? quam pacem inter dissidentes ecclesias & populos non restituit? Et hæc quidem communia sunt. Ceterum quæ bona innumeris hominibus singillatim præstitit pro causa, pro persona, pro loco, pro tempore, quis enumeret?

41. Porro si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris, habet certe apud pias mentes excessus iste reverentiam suam: quia quicumque spiritu Dei aguntur, multum verentur in servo Dei reprehendere nimium * istam nimietatem. Habet & facilem apud homines excusationem, cum vix audeat quisquam eum condemnare, quem Deus justificat, tam multa, tam sublimia cum eo & per eum operando. Felix cui solum reputatur ad culpam, quod ceteri præsumere sibi solent ad gloriam. Fuerit autem bono juveni suspecta juventus sua, beatus quippe qui semper est pavidus: fuerit ei studium tantam virtutum plenitudinem quam habebat ex gratia, aliqua etiam laboris sui conscientia cumulare: sed & vita ejus, quæ omnibus proponebatur imitanda, frugalis continentiæ exemplo carere non debuit. In quo servus Dei, etsi nimietate forsitan excessit, piis certe mentibus non de nimietate, sed de fervore exemplum reliquit. Quid autem eum nitimur excusare, in quo ipse qui veretur omnia opera sua, non confunditur usque hodie se accusare, sacrilegii arguens semetipsum, quod servitio Dei & fratrum abstulerit corpus suum, dum indiscreto fervore imbecille illud reddiderit, ac pæne inutile? Sed convaluit de infirmitate, & infirmus fortior & potens factus est. Virtus namque Dei vehementius in infirmitate ejus refulgens, extunc usque hodie digniorem quamdam apud homines ei efficit reverentiam, & in reverentia auctoritatem, & in auctoritate obedientiam.

* al. nimiam.

Prov. 28.

42. Jam tunc enim ad opus prædicationis divinitus aptabatur, ad quod, ut supra dictum est *, ex utero matris suæ cum testimonio divinæ revelationis olim fuerat præsignatus. Nec tunc tantummodo, sed omni tempore conversionis, & subjectionis, & prælationis suæ, ipso ordinante quo & agente, congruo ordine ad hoc instituebatur; & ignorans quid de se fieret, non solum monastico, sed & omni ecclesiastico ordini in hoc præparabatur. Et primum quidem circa resuscitandum in monastico Ordine antiquæ religionis fervorem, primitias juventutis suæ dedicavit, exemplo & verbo in conventu fratrum intra septa monasterii ad hoc omni studio vacans. Postmodum autem cum ad alium vitæ & conversationis ordinem infirmitate corporis cogeretur, &, sicut dictum est, necessitas infirmitatis, & ordo necessitatis à communi eum conversatione conventus plus solito sequestraret: hæc prima cœpit esse occasio, ut quasi hominibus de sæculo expositus, quorum jam ad eum multitudo magna confluebat, ipse etiam præsentiam suam liberius eis ac liberalius commodans, verbum vitæ prædicaret. Cumque & longius aliquando à monasterio pro causis Ecclesiæ communibus obedientia traheretur, & quocumque veniret, undecumque locuturus, de Deo silere non posset, & agere quæ Dei sunt non cessaret; sic in brevi apud homines innotuit, ut Ecclesia Dei tam utili membro in corpore suo reperto uti ad quodcumque oportebat non dissimularet. Sed & licet à primo flore ineuntis ætatis, fructibus Spiritus semper abundaverit: ab hoc tamen tempore copiosius ei addita est, sicut Apostolus dicit, manifestatio Spiritus ad utilitatem; sermo scilicet fœcundior sapientiæ ac scientiæ cum gratia prophetiæ, operationes virtutum, & diversarum opitulationes sanitatum. Quorum quædam quæ certa narratione didici, qua fide à fidelibus mihi viris assignata sunt, eadem & ipse legentibus resigno.

* cap. 1. n.

1. Cor. 12

## CAPUT IX.

*De miraculis per eum patratis, & periculo arrogantiæ in eo mire per propinquos represso.*

43. Primum ergo signum hoc fuit, quod in manu servi sui mundo celebre Christus effecit. Cum aliquantos jam in Clara-valle explesset annos, contigit virum nobilem, & ipsius quoque secundum carnem propinquum, Josbertum de Firmitate *, quod est oppidum proximum monasterio, graviter infirmari. qui subito præoccupatus, amisit penitus intellectum pariter & loquelam. Unde & filius ejus Josbertus junior, & omnes simul amici, eo magis affligebantur dolore, quod sine confessione & Viatico vir magnificus & magnifice honoratus obiret. Cucurrit nuntius ad Abbatem, neque enim tunc in monasterio erat. Venit, & invenit eum jam triduo sic jacentem. Compassus autem homini, sed & motus lacrymis filii simul & lugentium ceterorum, confisus est de misericordia Dei, & sermonem magnificum protulit, dicens eis: Notum vobis est, quod in pluribus homo iste « gravavit ecclesias, oppressit pauperes, offendit Deum. « Si mihi creditis, ut ecclesiis restituantur ablata, & usur- « patæ in gravamen pauperum consuetudines dimittantur; « loquetur adhuc, & suorum confessionem faciet delictorum, « divina quoque suscipiet Sacramenta devotus. Mirantur « omnes, lætatur filius, familia omnis exsultat: quicquid præcipit homo Dei firmiter ei promittitur, & impletur. Ceterum frater ejus Gerardus, & Galdricus avunculus, non parum territi & turbati, secretius eum super tali promissione conveniunt, durius arguunt, acrius invehuntur. Quibus breviter simpliciterque respondens: Facile, inquit, « facere potest Deus, quod difficile credere vos potestis. « Itaque post secretam orationem, ad oblationem Sacrificii immortalis accedit. Quo offerente nuntius supervenit,

* La Fer... sur Aube

qui indicaret præfatum Josbertum, libere jam loquentem, rogare obnixius, ut vir Dei festinaret ad eum. Cui etiam post oblatum Sacrificium venienti cum lacrymis & gemitu peccata confessus, divina Sacramenta suscepit: & duobus post hæc aut tribus diebus vivens & loquens, ea maxime quæ præceperat Abbas sanctus, constituit sine ulla retractatione servari. Sed & disposuit domui suæ, & eleemosynas dedit: & sic demum Christiano more in bona spe misericordiæ Dei animam exhalavit.

44. Revertebatur aliquando Pater sanctus à pratis, & obviam habuit mulierem parvulum filium in brachiis deportantem, quem de longe attulerat ad eum, ab utero matris habentem manum aridam, & brachium tortum. Motus autem lacrymis matris & precibus, jussit puerum deponi; factaque oratione continuo signans puerum, & brachium, & manum ejus, dixit mulieri ut vocaret filium suum. Vocavit illa infantem, & ille accurrit, & utroque brachio amplexatus matrem suam, sanus factus est ex ea hora.

45. Erant autem hujus beati viri fratres & filii spirituales mirantes super his, quæ audiebant & videbant de eo. Nec tamen more carnalium in gloriam elevabantur humanam, sed juvenili ejus ætati, & novæ adhuc conversationi, spirituali sollicitudine metuebant. In quo nimirum zelo Galdricus avunculus ejus, & Guido primogenitus fratrum, ceteros anteibant: ut ipsos tamquam geminos quosdam stimulos carnis suæ, ne gratiarum magnitudo eum extolleret, accepisse divinitus videretur. Neque enim parcebant, verbis durioribus exagitantes teneram verecundiam ejus, calumniantes etiam bene gesta, signa omnia annihilantes, & hominem mansuetissimum, nihilque contradicentem, frequenter usque ad lacrymas improperiis & opprobriis affligentes. Narrare solet venerabilis episcopus Lingonensis Godefridus, sancti Viri & propinquus sanguine, & conversione socius, & extunc per omnia individuus comes, primo miraculo quod per manus ejus fieri vidit, prædictum germanum ejus affuisse Guidonem. Erat enim eis transitus per Castrum-Nantonis * in territorio Senonum, & juvenis quidam, cujus pedem fistula occupaverat, prædicti Patris tactum & benedictionem cum multa supplicatione petebat. Signatus autem statim convaluit, & post paucissimos dies regressi per idem oppidum, sanum eum atque incolumem invenerunt. Ceterum sæpedictus beati Viri frater ne ipso quidem poterat compesci miraculo, quominus increparet eum, & præsumptionis argueret, quod acquieverit tangere hominem: tanta siquidem caritate pro eo sollicitus erat.

* Beau-...

## CAPUT X.

*De aliis sanitatum beneficiis erga diversos præstitis.*

46. Circa idem tempus accidit, ut avunculus ejus Galdricus, qui & ipse zelo simili ejus mansuetudinem (sicut prædiximus) duris increpationibus obruebat, gravissimis febribus laboraret. Demum ingravescente morbo, ipsa doloris magnitudine superatus, Abbatem humili obsecratione compellat, ut sui misereatur, & opem sibi ferat quam ceteris consuevit. At ille, cujus spiritus super mel dulcis, primum leniter breviterque commemorans crebras super hujusmodi objurgationes ipsius, & opponens ei ne forte hæc diceret tentans eum, persistenti tandem * manum imponit, & febrem abscedere jubet. Nec mora, ad imperium ejus reliquit eum febris, expertum in semetipso quod in ceteris arguebat. Idem quoque Galdricus cum in Clara-valle aliquantos jam perageret annos, fervens spiritu, & totius boni æmulator, ex hac luce migravit. qui ante unam fere horam mortis turbatus ad momentum, & toto corpore terribiliter motus infremuit; sed ad pristinam serenitatem reversus, vultu deinceps placidissimo exspiravit. Noluit autem Dominus sollicitum Abbatis animum hujus rei cognitione fraudari. Siquidem post aliquot dies idem Galdricus apparens ei in visu noctis, cum omnia erga se prospera esse sciscitanti responderet, & in magna sese gratularetur felicitate locatum, demum interrogatus est,

* tamen.

quidnam sibi voluerit tam acerba illa in morte, tamque repentina commotio. Dicebat autem quod ea hora duo spiritus nequam velut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parassent: unde territus ita contremuit, sed beato Petro accurrente ereptus, nihil sensit deinceps læsionis.

47. Longum esset cuncta narrare quæ super his qui ex hac vita discesserant, & eorum felicitate seu etiam necessitate, divina ei gratia revelare ab ipsis initiis consuevit. Unum tamen dixerim, quod ob fratrum commonitionem aliquoties etiam ipse commemorat. Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga ceteros fratres conversationis, & minus compatiens quam deberet, in monasterio defunctus est. Post paucos autem dies Viro Dei apparuit vultu lugubri, & habitu miserabili, significans non ad votum sibi cuncta succedere. Interrogatus autem quid sibi esset, quatuor laceratis * sese traditum querebatur. Ad quod verbum continuo impulsus est, & quasi præcipitanter expulsus à facie Viri Dei. qui gravius ingemiscens post tergum ejus clamavit: Præcipio tibi in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur, in proximo mihi iterum innotescas. Et conversus ad orationem pro eo, & oblationem hostiæ salutaris, aliquos etiam fratrum, quorum ampliorem noverat sanctitatem, eidem similiter subvenire monebat. Nec vero destitit, donec post paucos dies, sicut præceperat, per aliam revelationem cognita ejus liberatione, meruit consolari.

* al. dilaceratis.

48. [ Vir reverendissimus Humbertus, Igniacensis * postea cœnobii ædificator & primus Pater, in Claravalle tam acriter morbo epilepsiæ laborabat, ut septies corruens una die, demum etiam cerebro turbato, vix multorum manibus fratrum colligatus in lectulo teneretur. Adveniens autem venerabilis Abbas, & sic inveniens virum, quem pro sua sanctitate, speciali venerabatur affectu, repletus est zelo, & ait: Quid facimus? Eamus, oremus. Ut autem ingressus oratorium genua flexit, prædictus vir inter manus tenentium obdormivit. qui sequenti die dominica, de manu ejus Sacramenta suscipiens, perfectam adeptus est sospitatem, ut nihil umquam deinceps tale pateretur. ]

* Igny in diœc. Remensi fundatur ann. 1127 v. Sermonem de Humberto

49. Circa hoc tempus in regno Galliæ, & finitimis regionibus fames invaluit: servorum autem suorum horrea Domini benedictio cumulavit. Siquidem usque ad annum illum numquam eis laboris sui annona suffecerat. Sed & tunc quoque post messem collectam, diligenter omnibus supputatis, vix usque ad Pascha sibi eam posse sufficere æstimabant. Cum autem emere vellent, sumptus non invenerunt, quod longe carius solito venderetur. Itaque ipso tempore quadragesimali, pauperum ad eos maxima multitudo confluxit, quibus erogantes fideliter quod habebant, Domino benedicente, ex modica illa annona usque ad messem ipsi pariter, & qui superveniebant pauperes, alacriter sustentabantur. Virum pauperem non longe à monasterio habitantem uxor adultera maleficiis cruciabat. Sicut enim ei in ira & furore fuerat comminata, egerat per malignas incantationes, ut miser homo consumptis carnibus nec posset mori, nec vivere mereretur. Sæpius denique & vocis usum, & sensum omnem corporis amittebat, iterumque redibat non ad vitam, sed ad mortem prolixiorem crudeliter revocatus. Adducitur tandem homo ad Virum Dei in monasterio demorantem, & ei tragœdia miserabilis explicatur. qui vehementer indignans, antiqui hostis malitiam tantum sibi in Christianum hominem usurpasse, vocans duos è fratribus ante sanctum altare hominem deportari: ibique superposito capiti ejus vasculo Eucharistiam continente, in ipsius Sacramenti virtute, à læsione Christiani jubet dæmonem prohiberi. Factum est ut præcepit: & miserum hominem, post tantos cruciatus, fides perfecta perfectæ reddidit sanitati.

## CAPUT XI.

*De miraculo epistolæ in imbre scriptæ, nec madefactæ, & aliis quibusdam stupendis.*

50. FRater Robertus, ejusdem sancti Viri monachus & secundum carnem propinquus, in adolescentia sua quorumdam persuasione deceptus, Cluniacum sese contulerat. Venerabilis autem Pater posteaquam aliquamdiu dissimulavit, eumdem fratrem statuit per epistolam revocare. Quo dictante, venerabilis Guilielmus, Rievallis postea monasterii primus abbas, in membrana scribens eamdem excipiebat epistolam. Erant autem ambo pariter sub dio sedentes: ad dictandum quippe secretius sæpta monasterii egressi fuerant. Subito autem inopinatus imber erupit: & is qui scribebat (sicut ipso referente didicimus) chartam reponere voluit. Ad quem Pater sanctus: Opus, inquit, Dei est; scribe, ne timeas. Scripsit ergo epistolam in medio imbre sine imbre. Cum enim undique plueret, chartam expositam virtus operuit caritatis, & quæ dictabat epistolam, schedulam quoque pariter conservabat. Et hæc quidem epistola ob tam grande miraculum, in codice epistolarum ejus à fratribus [a] non immerito prima est ordinata.

51. Agebatur sollemnitas quædam præcipua, & frater aliquis, quem pro secreta culpa ab altaris sacri communione suspenderat, notari timens, & ruborem non sustinens, ad manum ejus cum ceteris nimium præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit, sed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiam non poterat ad interiora trajicere, & diu multumque conatus, cum nullo modo prævaleret, anxius & tremebundus clausam ore servabat. Expleta denique hora orationis sexta, Patrem sanctum traxit in partem: cujus pedibus advolutus, cum multis ei lacrymis quod patiebatur, aperuit, & aperto ore ipsam quoque eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum confitentem absolvit, & ex eo sine difficultate recepit Dominica Sacramenta.

* Feigny fundatur anno 1121.

52. In minimis etiam rebus magna per eum novimus contigisse. Venerat aliquando Fusniacum *, quæ est abbatia una de primis, quam ipse ædificavit, in Laudunensi territorio sita. Cumque novi ibidem oratorii dedicatio pararetur, ita illud occupaverat muscarum incredibilis multitudo, ut earum sonitus improbusque discursus gravem nimis introëuntibus molestiam generaret. Nullo igitur occurrente remedio, dixit sanctus: Excommunico eas. & mane omnes pariter mortuas invenerunt. Cumque pavimentum omne operuissent, palis ejicientes eas, ita demum basilicam mundaverunt. Hoc autem tam notum & tam celebre fuit, ut inter vicinos quoque, quorum ad dedicationem maxima multitudo convenit, muscarum Fusniacarum maledictio in parabolam verteretur.

* Charlieu in diœc. Bisuntin. fundata anno 1131.

53. In eo quoque monasterio, cui Carus-locus * nomen est, puerum quemdam qui incessanter flebat & ejulabat, Vir sanctus osculo sanavit. Cum enim per multos dies sine intermissione plorans, nullam reciperet consolationem, quod genus morbi medici non ignorant, miserabiliter deficiens tabescebat. Quem seorsum alloquens Pater sanctus monebat, ut suorum confessionem faceret delictorum. Facta autem confessione, subito vultum serenans, petiit à beato Patre sibi osculum dari. Acceptoque osculo pacis ex ore Sancti, in omni protinus pace quievit, &, lacrymarum fonte siccato, lætus & incolumis est regressus ad propria.

54. Exeunti aliquando Abbati post fratres reliquos ad laborem, filium claudum ei pater obtulit, supplicans, ut ei manum imponere dignaretur. Excusabat autem se Vir Dei, dicens, non se esse illius meriti, à quo talia deberent beneficia postulari: claudis reddere gressum, apostolicæ esse, non suæ virtutis. Victus tamen patris instantia, signavit puerum, ac dimisit. Qui ex ea hora convaluit, & intra paucos dies ab eodem iterum patre cum multa gratiarum actione reductus incolumis oblatus est Viro Dei.

55. Divertit aliquando nobilium cohors Militum ad Claram-vallem, ut viderent locum, ac sanctum ejus Abbatem. Prope autem erat sacrum Quadragesimæ tempus: & illi omnes fere juvenes dediti militiæ sæculari, circumibant quærentes exsecrabiles illas nundinas, quas vulgo Tornetas * vocant. Cœpit itaque ab eis petere, paucos illos qui ante Quadragesimam supererant dies, ne armis interim uterentur. Quibus obstinato animo ejus acquiescere monitis renuentibus, Confido, ait, in Domino, quod ipse mihi dabit inducias quas negastis. Et accersito fratre, jubet eis cerevisiam propinari, benedicens eam, & dicens, ut potionem biberent animarum. Biberunt ergo pariter, quidam tamen inviti præ amore sæculi, metuentes eum quem postea sunt experti divinæ virtutis effectum. Ut enim egressi sunt monasterii fores, mutuis sese cœperunt inflammare sermonibus, quia cor eorum ardens erat in eis. Inspirante igitur Deo, & currente velociter verbo ejus, eadem hora reversi, & conversi à viis suis, spirituali militiæ dextras dederunt. Quorum quidam adhuc militant Deo, quidam autem cum eo jam regnant, carnis vinculis absoluti.

* Tournois

56. Quid autem mirum, quod devotis hunc hominem colit obsequiis major ætas, in cujus devotionem divina virtus ipsam quoque infantiam excitat expertem adhuc rationis, & devotionis ignaram? Norunt multi illustrem juvenem Vvaltherum de Monte-mirabili *, cujus patruus frater Vvaltherus inter eos, quos prædiximus Milites, sacram in Clara-valle militiam est professus. Hunc ergo Vvaltherum juniorem, cum adhuc infantulus esset *, & necdum ab ortu suo mensem tertium explevisset, mater sua benedicendum obtulit Viro Dei, gratulabunda & exsultans, quod in domo sua hospitem mereretur habere tam sanctum virum. Cumque Vir Dei, sicut semper & in omni loco facere consueverat, de salute & ædificatione animarum ad circumpositos loqueretur, prædicti mater infantis tenens eum in gremio, sedebat secus pedes ipsius. Accidit autem, ut inter loquendum aliquando manum protenderet, & apprehendere eam conabatur infantulus. Advertitur tandem conatus parvuli, cum sæpius id fecisset; & mirantibus universis datur ei facultas, ut manum possit apprehendere quam optavit. Tum vero mira admodum reverentia alteram manum suam supponens, altera tenens eam, tulit ad os suum, & osculatus est eam. Neque id semel tantum, sed toties faciebat, quoties beatam manum tenere permissus est.

* de Mon[t]mirail.

* al. esset adhuc an[n]culus sola posse cognoscere ubera co[gnosceretur], mater, &c.

## CAPUT XII.

*De altercatione Bernardi cum diabolo. De sanitate per B. Virginem ipsi reddita. Item de abbate Guillelmo ab eo sanato.*

57. INfirmabatur aliquando homo Dei, & velut rivulus quidam phlegmatis incessanter ab ejus ore fluebat. Unde exhausto corpore usquequaque deficiens, paulo minus ad extrema devenit. Convenerunt itaque filii & amici ejus velut ad exsequias tanti Patris: & ego ipse inter ceteros adfui, quod me quoque ejus dignatio in amicorum numero reputaret. Cumque extremum jam trahere spiritum videretur, in excessu mentis suæ ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Adfuit autem & satan ex adverso improbis eum accusationibus pulsans. Ubi vero ille omnia fuerat prosecutus, & Viro Dei esset pro sua parte dicendum, nil territus aut turbatus, ait: Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cælorum. Ceterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hereditate scilicet Patris, & merito passionis; altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vindicans, non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conventus ille solutus, & homo Dei in se reversus est. Cumque ex hoc magis dissolutionem sui corporis imminere speraret, visio altera longe dissimilis est secuta.

58. Siquidem velut in littore quodam positus videbatur

a Et quidem ab auctore tertiæ Vitæ, ex cap. 6. infra.

sibi navem quæ se transveheret exspectare : cumque applicuisset navis ad littus, festinabat ingredi, & illa cedens impingebat in aquam. Usque tertio ita faciens, tandem relicto eo navis ibat, & non revertebatur. Intellexit autem protinus needum tempus suæ migrationis adesse. Adhuc tamen crescebat dolor, eo utique magis molestus, quo minus jam eum spes imminentis exitus solabatur. Contigit autem advesperascente jam die, ut ceteris fratribus, juxta consuetudinem, accedentibus ad lectionem collationum, solus Abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diversorio in quo jacebat. Cumque vehementius affligeretur, & supra vires dolor excresceret, advocans alterum è duobus, jubet citius oratum ire. Excusantem denique & dicentem, Non sum ego talis orator; obedientiæ auctoritate compellit. Itum est, & oratum ad altaria, quæ in eadem basilica erant tria. Primum in honore beatæ Dei Genitricis : duo circumposita in honore beati Laurentii martyris, & beati Benedicti abbatis. Eadem igitur hora adfuit Viro Dei prædicta beata Virgo, duobus illis stipata ministris, beato scilicet Laurentio, & beato Benedicto. Aderant autem in ea serenitate & suavitate quæ eos decebat, & tam manifeste, ut ex ipso introitu cellulæ, personas quoque discerneret singulorum. Imponentesque ei manus, & loca doloris attactu piissimo lenientes, omnem protinus ægritudinem depulerunt. Siccatus est enim ilico phlegmatis rivus, & dolor omnis abscessit.

59. Cum autem & ego ægrotarem aliquando in domo nostra, & jam me nimium fatigasset & attrivisset in longum nimium se protendens ægritudo : audiens hoc misit ad me fratrem suum, virum bonæ memoriæ Gerardum, mandans me venire ad Claram-vallem, spondens me ibi cito aut curandum, aut moriturum. Ego vero quasi divinitus accepta vel oblata facultate, seu apud eum moriendi, seu aliquandiu cum eo vivendi, (quorum quid maluerim tunc, ignoto) profectus statim sum illuc, quamvis cum nimio labore ae dolore. Ubi factum est mihi quod promissum fuerat, & fateor sicut volui. Reddita quippe mihi sanitas est à magna & periculosa infirmitate; sed paulatim vires corporis redierunt. Deus bone, quid mihi boni contulit illa infirmitas, feriæ illæ, vacatio illa, ex parte ad quod volebam! Nam & cooperabatur necessitati meæ toto illo tempore infirmitatis meæ apud eum infirmitas ejus, qua & ipse tunc temporis detinebatur. Infirmi ergo ambo, tota die de spirituali physica animæ conferebamus, de medicamentis virtutum contra languores vitiorum. Itaque tunc disseruit mihi de Cantico canticorum, quantum tempus illud infirmitatis meæ permisit, moraliter tantum, intermissis mysteriis Scripturæ illius, quia sic volebam, & sic petieram ab eo. Singulisque diebus quæcumque super hoc audiebam, ne mihi effugerent, scripto alligabam, in quantum mihi Deus donabat, & memoria me juvabat. In quo cum benigne & sine invidia exponeret mihi, & communicaret sententias intelligentiæ & sensus experientiæ suæ, & multa docere niteretur inexpertum, quæ nonnisi experiendo discuntur; etsi intelligere non poteram adhuc, quæ apponebantur mihi, plus tamen solito intelligere me faciebat, quid ad ea intelligenda deesset mihi. Sed de his huc usque dixisse sufficiat.

60. Cum autem instante Dominica, quæ Septuagesima denominatur, vespere sabbati Dominicam ipsam præcedentis, jam tantum convaluissem, ut valerem de lecto per me surgere, & solus exire, & intrare possem, cœpi disponere de reditu nostro ad fratres nostros. Quod ipse auditum omnino prohibuit; & usque ad Dominicam Quinquagesimæ omnem mihi spem reditus, & conatum interdixit. Acquievi facile, cum quod præcipiebatur, & voluntas non abnueret, & infirmitas requirere videretur. Cum autem ultra Dominicam illam Septuagesimæ, à carnibus, quibus usque ad diem illam, ipso præcipiente & necessitate cogente, vescebar; vellem abstinere;& hoc ipsum prohibuit. Super quo cum nec monenti acquiescerem, nec rogantem audirem, nec obedirem præcipienti : sic vespera illa sabbati ab invicem discessimus, ille tacitus ad Completorium, ego ad lectum. Et ecce infirmitatis meæ rabies rediviva, quasi resumptis omnibus viribus pristinis, cum tanta me vehementia & ferocitate invadens corripuit, tantaque malignitate tota nocte illa devastando cruciavit, supra vires, supra virtutem, ut de vita desperans, vix saltem usque ad diem, ut vel semel adhuc loquerer Viro Dei, crederem me victurum. Cumque in dolore illo totam noctem duxissem, summo mane accersitus ille advenit, non tamen afferens mihi, quem solebat,vultum compatientis, sed quasi arguentis. Subridens tamen : Quid, inquit, hodie comeditis? Ego vero qui jam,ipso tacente, hesternam inobedientiam certissime interpretabar causam esse illius afflictionis meæ; Quicquid, inquam, præcipietis. Quiescite ergo, ait, non moriemini modo. Et abiit. Et quid dicam? Confestim & omnis dolor abiit : nisi quod fatigatus nocturno illo dolore meo, tota ipsa die vix de lecto surgere prævalui. Quis enim aut qualis fuit ille dolor? Non recolo similem me aliquando fuisse perpessum. In crastino autem sanus factus sum, & vires recepi : & paucis interpositis diebus, cum benedictione & gratia bona boni hospitis mei, ad propria reversus sum.

## CAPUT XIII.

*De fama sanctitatis ejus ubique divulgata; & ipsius Claræ-vallis mirabili propagatione. Item de spiritu prophetiæ ipsi concesso.*

61. Cumque dilectus Deo & hominibus Bernardus in illa valle sua & vicinis civitatibus & regionibus, quas aliquoties eum invisere domesticæ curæ ratio cogebat, tantis floreret virtutibus & miraculis; cœpit etiam seu communibus Ecclesiæ necessitatibus, seu caritate fratrum, seu obedientia majorum, ad remotas pertrahi regiones, paces desperatas inter dissidentes ecclesias & Principes sæculi reformare,causas humano sensui & consilio interminabiles, auxilio Dei pacifice terminare; & virtute potius fidei, quam spiritu hujus mundi de multis hujusmodi impossibilibus possibilia faciendo, quasi montes transferendo, magis ac magis in oculis omnium mirabilis & venerabilis apparere. Maxime vero in tantum in eo enitescere cœpit virtus prædicationis, ut dura etiam corda auditorum ad conversionem emolliret, & vix aliquando vacuus domum rediret. Postmodum vero feliciter proficiente & usu sermonis, & exemplo conversationis, rete verbi Dei in manu piscatoris Dei tam copiosas piscium rationalium multitudines cœpit concludere, ut de singulis ejus capturis navicula domus illius impleri posse videretur. Unde factum est, ut in brevi majori miraculo præ omnibus quæ in hac vita gessit miraculis, per unum hominem languidum & seminecem, & tantummodo loqui valentem, obscura usque ad illud tempus illa vallis, & re & nomine Clara-vallis efficeretur, divinæ cujusdam claritatis lumen, quasi de summo quodam apice virtutum diffundens in devexa terrarum. Et ex tunc apud vallem illam, quæ prius dicebatur vallis Absinthialis & amara, cœperunt montes stillare dulcedinem. Quæ vacua fuerat & sterilis ab omni bono, cœpit abundare spirituali frumento, & de rore cæli & benedictione Dei in tantum pinguescere omnia deserta ejus, & multiplicata gente magnificare lætitiam : ut impletum in ea videatur quod olim per Prophetam dictum est ad civitatem Jerusalem : *Adhuc, inquit, dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ : Angustus est locus, fac locum ut habitemus. Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non parturiens, & istos quis enutrivit?* Isa. 49.

62. Jam enim de locis angustioribus vallis illius, domus claustralis habitationis, non sine divinis quibusdam revelationibus translatæ in locum planiorem & spatiosum, magnificatæ ibi & amplificatæ sunt, & adhuc multitudini inhabitantium ipse locus angustus est. Jam domus Ordinis illius, filiæ domus ipsius, citra & ultra alpes & maria, deserta plurima impleverunt, & adhuc sunt & quotidie confluunt, quibus locus quærendus est. Et petuntur undique fratres & mittuntur, cum beatos se æstiment Reges gentium & Præsules ecclesiarum, civi-

tates & regiones, quæcumque de domo illa & disciplina A Viri Dei meruerint contubernium aliquod adipisci. Quid dico? Ultra homines, usque ad barbaras nationes, in quibus naturalis feritas naturam quodammodo exuit humanam, religio hæc profecta est: ubi per eam bestiæ silvæ homines fiunt, & cum hominibus assuetæ conversari, discunt cantare Domino canticum novum. Quapropter piscator Dei, præcipiente Domino, non cessat laxare retia in capturam; & aliis abeuntibus, aliis succedentibus in locum eorum, numquam sanctæ illius congregationis minuitur plenitudo. Hoc usque nunc egerunt, & quotidie agunt mirificæ ejus capturæ, Catalaunensis, Remensis, Parisiacensis, Maguntinensis, Leodiensis, & aliarum nonnullarum civitatum; Flandriæ quoque & Ger- B maniæ, Italiæ, Aquitaniæ, & aliarum regionum, quascumque, quacumque necessitate contigit aliquando, seu adhuc usque hodie contingit Virum Dei visitare. Cooperante siquidem gratia Spiritus-sancti, quocumque vadit, plenus redit, & sua eum plenitudo ubique comitatur.

63. Nec dimittit suos, quos à se transmittit: sed ubicumque sunt, & ipse semper paterna sollicitudine cum eis est: & sicut ad locum unde exeunt flumina revertuntur; sic ad ipsum quotidie seu læta, seu tristia filiorum suorum. Sæpe etiam sine omni revelatione carnis ac sanguinis, paternæ ejus sollicitudini divinitus innotescit, quid circa aliquos eorum longe à se distantes agatur, si quid eis providendum, si quid in eis emen- C dandum sit, tentationes, & excessus eorum, infirmitates & obitus, & quarumlibet sæcularium tribulationum incursus. Nam & pro absentium fratrum certis necessitatibus, præsentibus circa se fratribus sæpe orationem indicit. Nonnumquam etiam morientes in locis aliis ad ipsum per visionem accessisse noscuntur, benedictionem ejus & licentiam postulantes: nimirum hoc agente & obedientia missorum, & caritate mittentis. Veneram aliquando ad eum, & dum loquerer ei, vidi & audivi quod silere non debeo. Aderat monachus quidam Fusniacensis, continuo ad suos rediturus. Cumque accepto responso super his pro quibus venerat, jam ab eo egrederetur; in spiritu & virtute Eliæ revocans eum Prophe- D ta Dei, & nomine fratris cujusdam de domo illa præmissa, de occultis quibusdam me audiente mandavit illi ut ea corrigeret: sin autem, super se judicium Dei in proximo exspectaret. Stupefactus ille, quis hoc ei dixerit, requisivit. Quisquis, inquit, dixerit mihi, tu vade, & dic quæ ego dico tibi, ne si dissimulaveris, te quoque involvat par pœna peccati. Mirabar super hoc, sed miranti mihi in simili penitus causa multo mirabiliora de eo narrata sunt.

64. Guido namque, frater ejus major natu inter fratres suos, cujus gravitatis & veritatis fuerit vir, omnes sciunt qui eum scire potuerunt. Hic cum simul aliquando * essemus, & de hujusmodi loqueremur, & quærerem ego ab eo; si- E cut jucundæ ad amicos collocutionis esse solebat: Fabulæ, inquit, sunt quæ auditis. Cumque suo more & solito studio fraternas virtutes deprimeret, mihi tamen nollet esse molestus; Quæ, inquit, nescio, non dico vobis: sed unum scio & expertus sum, multa ei in oratione revelari. Deinde narravit mihi, quomodo cum primo mellisflua illa spiritualium apum alvearia nova de se examina circumquaque proferre, novasque ex eis domos Ordinis sui ædificare cœpissent: petente & agente domino Guillelmo episcopo, in episcopatu Catalaunensi eam, quæ Trium fontium * dicitur, construxerunt. Ad quam cum abbatem cum monachis emisissent dominum Rogerium, virum nobilem secundum sæculum, sed nobilio- F rem sanctitate, & viros quosdam similis formæ cum eo; spiritualis Pater filios, quos emisit, non dimisit, sed paterna sollicitudine & pia affectione cum eis erat. Unde cum die quadam soli simul essent Abbas & ipse, cujus hoc relatione didici, & de fratribus ipsis ad alterutrum loquerentur; subito altius suspirans, durius aliquid solito de eis corde suo sibi respondente: Vade, ait fratri suo, ora pro eis; & quicquid de eis ostenderit tibi Deus, refer ad me. Ipse enim gravissima valetudine ea hora laborans, in lectulo tenebatur. At ille vehementer expavescens; Absit, inquit, non sum qui hoc modo noverim orare, qui hoc merear impetrare. Perseverante tamen eo in sententia, itum est, & oratum. Orans ergo quantum prævaluit, pro singulis effudit animam suam: tantaque per singulos in orando perfusus est suavitate conscientiæ, tantaque impetrandi fiducia, & omni gratia spiritualis consolationis, ut in omnibus certa fide exauditum se exsultaret spiritus ejus, exceptis duobus, in quibus oratio titubavit, hæsitavit devotio, fiducia defecit. Quod cum retulisset ad eum à quo missus erat, ille statim pronuntiavit de illis duobus, quod postea probavit eventus.

* al. alicubi.

* Trois-fontaines, in Ducatu Barrensi fundata ann. 1118.

65. Abbas autem Rogerius, & aliqui qui cum eo erant, ipsi fuerunt, quos Vir Dei aliquando de Catalaunensi traxerat civitate, de quibus vel in quibus etiam tunc simile quid fuerat factum. Cum enim Episcopi gratia Catalaunum frequentaret, rediens aliquando traxit secum multitudinem nobilium & litteratorum, clericorum, & laïcorum. Quibus adhuc in domo hospitum demorantibus, dum novellas plantationes cælestibus rigaret eloquiis, supervenit portarius monachus, nuntians Stephanum de Vitreïo *, magistrum eorum, adesse ad renuntiandum sæculo, & cum eis commorandum. Quis alius de talis viri adventu non exsultasset, præsertim cum vallis illa hujusmodi frumento non multum adhuc abundaret? Ipse vero, revelante sibi Spiritu-sancto insidias spiritualis nequitiæ, tacitus aliquantulum ingemiscens, erupit in vocem audientibus universis: Malignus, ait, spiritus huc eum adduxit. Solus venit, solus revertetur. Obstupuere omnes, qui prius audito ejus adventu non se capere poterant præ lætitia. Verumtamen ne pusillos adhuc scandalizaret filios, suscepit hominem, de perseverantia aliisque virtutum studiis studiose commonuit; & sciens & prævidens omnia promittentem nihil acturum, cum vere Deum quærentibus & perseveraturis in cellam noviciorum probandum intromisit. Sed de omnibus quæ prædixerat, nihil cecidit in terram. Vidit idem Stephanus, sicut confessus est, cum in cella novitiorum adhuc demoraretur, maurulum quemdam puerum ab oratorio se extrahentem. Ubi novem ferme mensibus degens, novissime tamen defecit, &, ut de eo prædictum fuerat, sicut solus venerat, sic solus recessit. Frustrata autem est & versutia inimici, & quem novitiorum paraverat in ruinam, de ipsius potius ruina illi confirmati sunt.

* De Vi[treïo]

66. Priusquam à Catalauno recedamus, cum aliquando Pater sanctus inde rediret, frigore & vento tam ipse, quam qui cum eo erant, graviter laborabant. Cumque præcedentibus multis, qui tunc forte in comitatu ejus erant, nec præ angustia frigoris ad eum attendentibus, pæne solus ipse sequeretur; contigit equum unius de duobus qui cum eo erant, incaute dimissum evadere, & excurrere per planiciem late patentem. quem cum apprehendere non possent, & intemperies aëris ad hoc non permitteret vacare diutius: Oremus, inquit. flexisque genibus in oratione cum fratre qui cum eo erat, vix adhuc dominicam poterant orationem explevisse, cum ecce equus ille cum omni mansuetudine rediens substitit ante pedes ipsius, & redditus est sessori suo.

## CAPUT XIV.

*De aliis quibusdam beneficiis divinitus per eum præstitis; & honorum seu dignitatum fuga.*

67. ET ut à Catalauno ad Remensem civitatem pertranseamus, contigit aliquando dissentientibus Archiepiscopo & populo Remensi, ad conciliandos eos adesse Virum Dei. Cumque in palatio ejusdem civitatis cum Josleno Suessionensi episcopo consedisset, & magna cleri plebisque frequentia repleta domo, de pace tractaretur; ecce coram omnibus misera mulier filium suum, plenum (ut putabatur) dæmone, ei offerens, misericordiam precabatur. siquidem jam ea ipsa die insurgens in ipsam matrem suam, pæne eam occiderat, & mutus effectus & cæcus, & surdus, apertis oculis non videbat, & stupentibus in eo sensibus omnibus, etiam sine intellectu permanebat. Compassus vero miseræ matri, quam maxime sensus

sensus doloris illius excruciabat, misero adolescenti blandiens, & piis manibus caput ejus & faciem demulcens, alloqui eum cœpit, & quomodo in matrem suam mittere manus præsumpserit, sciscitari. Ille vero ad se reversus, continuo peccatum suum recognovit, & deinceps emendationem promittens, incolumis restitutus est matri suæ. In monasterio quoque, quod Alpense * dicitur, inter ceteros qui curam requirebant infirmos, venit ad eum mulier, quæ caduco morbo laborabat. Hæc in ipsa hora, cum staret coram eo, à repentino impetu mali illius corruit. Sed apprehensâ Vir Domini manu ejus, continuo erexit eam, nec tantum in illa hora, sed perfectè omnino curata est ab infirmitate sua.

68. Ducissa Lotharingiæ, femina nobilis, sed non tam nobiliter victitans, cum vidisset aliquando in somnis hominem illum Dei serpentes septem horribiles de utero suo manibus propriis attrahentem: postmodum ad religiose vivendum [a] ejus admonitione conversa, usque hodie se esse de qua septem dæmonia ejecerit, gloriatur. Novi ego clericum quemdam, Nicolaum nomine, sæculo pæne desperabiliter deditum, sed per eum de sæculo liberatum: qui cum in Clara-valle monasticæ conversationis habitum & ordinem suscepisset, videns eos qui de sæculi naufragio illuc confugerant, naufragii sui damna continuis redimere lacrymis, idem ipse facere volens, nec valens præ duritia cordis sui, rogabat eum cum magno cordis dolore, ut impetraret sibi à Deo gratiam lacrymarum. Oravit, tantamque ei & tam continuam impetravit compunctionem cordis cum gratia lacrymarum, ut vix aliquando ultra invenirentur vultus ejus in diversa mutati, vel oculi ejus sine lacrymis, etiam cum comederet, cum iret per viam, vel dum cum quolibet loqueretur.

69. Tot sunt & tantæ quas in hunc modum de eo audivimus & vidimus virtutes, & circa diversas hominum necessitates diversæ opitulationes, ut si quis omnia velit vel verbo pronuntiare vel scripto, fastidiosis incredulitatem, vel incredulis possit generare fastidium. In omnibus autem operibus suis quam purus ei sit oculus intentionis, manifeste denuntiat corpus lucidæ operationis. Summos quippe honores ecclesiasticos & sæcularium Principum favores, quasi dignum eum jugiter persequentes, non jactanter respuendo, sed religiose & rationabiliter declinando, quid in omni operatione sua semper quæsierit, quid ambierit, manifeste declarat. [ Mediolani, Remis, clero eligente, populo acclamante, in archiepiscopum nominatus est; Catalauni, Lingonis in episcopum: & idipsum in multis jam aliis civitatibus actum fuisset, si consensus ejus aliqua spes esse potuisset. ] Cumque dignus esset ut cogeretur, nescio quo judicio Dei, & singularis reverentia sanctitatis jam olim apud omnes obtinuit, ne aliquando ad aliquid contra voluntatem suam cogatur. Sed cum hoc modo mundi hujus fugit honorem, omnium honorum non effugit auctoritatem, dignus in conscientiis omnium, qui in timore & amore Dei timeatur & ametur: quo præsente, ubicumque fuerit, nihil contra justitiam audeatur; cui ubicumque aliquid loquitur, vel agit pro justitia, obediatur.

70. Ejusmodi fultus auctoritate in Ecclesia Dei, cum obedientiæ vel caritatis urget necessitas, nullam refugit incommoditatem laboris sui. Cujus enim voluntati sic detulit, cujus consilio sic se humiliavit omnis tam sæcularis, quam ecclesiasticæ dignitatis altitudo? Reges superbi, Principes & tyranni, milites & raptores sic eum timent & reverentur, ut videatur in eis impletum, quod in Evangelio legitur Dominus dixisse discipulis suis: *Ecce*, inquit, *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; & nihil vobis nocebit*. Porro inter spirituales, & ubi spiritualia spiritualiter examinantur, longe ei alia auctoritas est. Sicut enim dicitur per Prophetam de sanctis animalibus, quia cum fieret vox supra firmamentum quod imminebat capiti eorum, *stabant, & submittebant alas suas*: sic hodie ubique terrarum spirituales quique loquente eo seu tractante stant, cedendo præcedenti; & sensibus ejus vel intelligentiis submittunt sensus, & intelligentias suas; [ Testantur hoc scripta ejus, quæ vel ipse scripsit, vel alii scripserunt, sicut ex ore ejus exceperunt. ] Tanti ergo virum illum sanctum usque hodie apud Deum & apud homines commendant sacrarum insignia virtutum, testimonia circumvallant sanctitatis, charismata sancti Spiritus illustrant: quodque majus his omnibus & difficillimum est in rebus humanis, hæc ei omnia sine invidia adesse videntur. Compescit autem ab eo invidiam, quod omni invidia major est, in quantum nequitia cordis humani hoc sæpe cessat homini invidere, quo non potest adspirare.

71. Sed & ipse omnem invidiam aut mortificat exemplo humilitatis, aut mutat in melius provocatione caritatis, aut, si nequior aut durior est, obruit pondere auctoritatis. Quis enim tam efficacis & affectuosæ prudentiæ hodie invenitur ad fovendam caritatem ubi est, ad provocandam ubi non est? tam ad quoscumque potest beneficus, ad omnes benevolus, tantam habens gratiam ad amicos, patientiam ad inimicos? si tamen ullum aliquando potuit habere inimicum, qui nulli aliquando voluit inimicari. Sicut enim amicitia nonnisi duorum est; nec nisi inter duos amicos haberi potest: sic nec inimicitia nisi duorum forsitan inimicorum. Qui enim odit, vel non diligit diligentem se, non tam inimicus, quam iniquus est. Sed qui omnem hominem diligens, nullum aliquando inimicum habet virtute sua; nonnumquam tamen est quod patiatur, inimicante sibi gratis iniquitate aliena. Caritas autem quæ totum eum possidet, patiens est, benigna est, sapientia vincens malitiam, patientia impatientiam, superbiam humilitate.

*Finis libri primi.*

## SUBSCRIPTIO OPERIS PRÆCEDENTIS, QUAM AUCTORE *defuncto* BURCHARDUS * *abbas Balernensis apposuit.*

* *Ad eum epist.* 148.

PRæscriptum opus, quod de vita sanctissimi viri Bernardi Claræ-vallis abbatis conscriptum est à venerabili Guillelmo pridem sancti Theoderici abbate, sed tunc jam monacho Signiacensis cœnobii (ad quod desiderio solitudinis & quietis sese contulerat) usque ad tempus schismatis, adversus Innocentium Papam à Petro Leonis conflati, digestum esse cognoscitur. Fuit autem præfato fideli viro specialis causa scribendi, amicitia & familiaritas, quibus Viro Dei multo tempore conjunctus erat. Unde & tantam apud illum invenerat gratiam, ut vix alter magis intimus inveniretur ad secreta mutuæ dilectionis communicanda, ad spiritualium mysteriorum conferenda colloquia. Cujus familiaritatis gratia ex eo præcipue usque modo prodit ad manifestationem: quia plures epistolas idem Sanctus scripsit ad illum, in quibus quid de eo sentiat, manifeste liquet legentibus illas. Scripsit etiam ad ipsum librum Apologeticum, & alterum de Gratia & Libero arbitrio. Fuit tamen eidem Guillelmo, speciali valentior, generalis causa scribendi, videlicet utilitas totius Ecclesiæ Dei: ne cum absconditur vas plenum thesauro desiderabili, ipse quoque thesaurus pariter abscondatur. Unde non immerito conqueritur, qui exponi desiderat dicens: *Thesaurus invisus, & sapientia abscondita, quæ utilitas in utrisque?* (Eccli. 20.) Exponit ille divitias salutis, thesaurum desiderabilem, ne lateat cum gleba quod gleba non est, sed pretiosissima margarita. Accidit tamen ei contra desiderium suum: quia, sicut ipse in præfatione sua vereri se denuntiarat, præoccupatus morte non explevit, quantum animo conceperat stilo mandandum. Itaque qui accedit ad lectionem operis hujus, facile satis intelliget, à quanta perfectione pius puer & religiosus Bernardus, velut

Guillelmus morte præventus non absolvit opus.

a Nempe in parthenone Tartensi, Ord. Cisterc. tunc prope, nunc intra Divionem, ut patet tum ex tertiæ Vitæ cap. 7. tum ex litteris Matthæi Lotharingiæ ducis ejus filii pro eodem parthenone apud Chiffletium, ubi hæc Ducissa ATHELAIDIS appellatur. Vide epistolam 119.

alter Benedictus, primordia conversionis fuerit aggressus, qui & in utero matris significationem * visus est accepisse, de qua concepta sunt præsagia futuræ sanctitatis illius vitæ pariter & doctrinæ. Quid etiam adolescens factus agere cœperit, in præscripto narratur opere, ac deinceps usque ad virum perfectionis depingitur diligenter, quantum (sicut jam dictum est) licuit optimo pictori, sed præoccupato.

* al. sanctificationem.

# DE VITA S. BERNARDI ABBATIS, LIBER SECUNDUS,

## AUCTORE ERNALDO ABBATE * BONÆ-VALLIS IN AGRO Carnutensi.

* al Arnaldo

### PRÆFATIO AUCTORIS.

VIRORUM illustrium gesta nonnulli scriptorum laudibus attollentes, verbis ea sollemnibus celebrarunt, quantum excellentis ingenii & disertæ linguæ potuere conamina. Cumque tractator & opus junctis complexibus pari sunt fœdere conjugati, & ad propositum thema ordinandum ingenium & eloquentia convenerunt, prospere actum est, & ad quietum tranquillumque portum directo gressu materia digne ordinateque disposita appulit. Ubi vero sublimitas negotii sub imperito artifice naufraga illiditur scopulis, & succumbente sensus hebetudine, tractatoris lassatur præsumptio, sero de correctione initur consilium: quia B quæ in multos effusa sunt, nec revocari possunt, nec corrigi; & dissonantiam scripti & operum venustius esset abradi, quam emendari. Hæc ergo mecum reputans & revolvens, omnino timeo, ne sicut ipse multorum imprudentiæ soleo indignari, qui cum scientia & facundia careant, ad scribendum præcipites, cum se vehementer emunxerint, eliciunt sanguinem: ita & ego si quod supra me est aggrediar, meipsum derisioni exponam. Quis enim ego sum, qui ad scribenda gesta sanctissimi viri Bernardi Claræ-vallis abbatis adspirem, qui nostris temporibus singulari religione floruit & doctrina? cujus odor exinanitus universam replevit Ecclesiam: cujus gratia, operante Domino, signis & miraculis declara- C tur. Quot in monasterium ejus litteratos viros, quot rhetores, quot philosophos sæculi hujus scholæ miserunt ad conversationem theoricam, & mores divinos? Quæ non ibi floruit disciplina, ubi erant examina magistrorum, & egregii viri exercitato intellectu insignes, qui divinis studiis inhærentes, multis gratiarum auctoramentis invicem seipsos edocent & accendunt? [Quorum unanimis universitas cantat canticum graduum; & ascendens cum Jacob in summitate scalæ, in decore suo Deum videt radianti corona perspicuum.] Debuerant utique viri illi, quibus nihil in aliqua gratia deest, hunc laborem assumere, & venerabilis Patris insculpere monimenta: ut esset eorum studio delectabilis pagina, quam quasi D viventem traderent legendam discipulis, & perpes fieret consolatio secus positis reliquiis sacri corporis & sermonis. Sed extrema æmulari, & quæ homines lateant, Claræ-vallis consuevit humilitas: & proferre in publicum aliqua sui indicia viri illi nobiles erubescunt; & quietiores facit eos contemptus & abjectio, quam quælibet oblatio dignitatis, in qua sibi professio humilitatis periclitari videtur. Ob hujusmodi causas sese intra silentii cardines retinentes, magis in sacco eremi, quam in socco * palatii delectantur: nec jam in stilo, sed in cruce gloriam quærunt. In hoc ergo, sicut & in ceteris ejusmodi, negotiorum suorum sarcinas aliis libenter imponunt. Et nunc sublato venerabilis memoriæ domno Guillel- E mo, qui ejusdem Viri sancti gloriosa primordia fideliter & devote conscripsit, ad meam exiguitatem hujus operis devenit petitio, & imposuit mihi dilectæ ecclesiæ caritas, ut coquam pulmentum filiis Prophetarum. In quo si colocynthidas miscuero negligens, superjecta (ut confido) farinula condiet Elisæus, & excessus insipientiæ obedientiæ excusabit affectus.

Claræ-vallensium multi litterati & eruditi

Claræ-vallensium modestia.

* al. serico.

### CAPUT I.

*De pontificatu Innocentii II. opera S. Bernardi fortiter & feliciter vindicato. Item de profectione Pontificis in Gallias, & repressione Imperatoris.*

1. EA tempestate Honorius Papa viam universæ carnis ingressus est *. Nec mora in electione dissidentibus Cardinalibus, & divisa Ecclesia, plures numero, & saniores consilio, vita probabiles, viri virtutum, presbyteri, diaconi, episcopi, Innocentium elegerunt: cujus vita, & fama, & ætas, & scientia digna summo sacerdotio habebatur. At vero pars altera, infames ausus violentia, non ratione corroborans, Petrum Leonis, ad hunc apicem adspirantem, fraudulentis machinationibus seorsum & præcipitanter nominavit Anacletum, & ceteris renitentibus ordinavit. Qui vero in parte catholica erant, electum suum sollemniter ordinatum collocarunt in cathedra, & per loca illa, in quibus sessiones habent ex antiqua consuetudine Romani Pontifices, circumduxere, & pro tempore honor debitus apostolicæ affuit dignitati. Et tunc sane circa Lateranense palatium morabantur, nec erat jam eis tuta in domibus propriis mansio, cum eos acerrime Petri satellites infestarent. Ibi etiam diu resistere non valentes, per confœderatos sibi quosdam ex nobilibus Romanis ad tempus in turribus eorum receptacula habuerunt. Sed nec in eis perseveravit fidelitas. Nam in brevi, aut vi, aut formidine temerariæ multitudinis, aut pretio corrupti sunt. Nam Petro tam propria generis virtute, quam adhærentium sibi affinitate, multitudo tanta erat, ut fere tota eum civitas sequeretur, vel pecunia, vel commodis obligata. Congregaverat sane opes innumeras tam in exactionibus curiæ, quam in legationum negotiationibus, quas ad exspectatas nundinas reservarat. Insuper & paterni census ampla congeries eatenus sigillata, modo distributa in populum, ad fas & nefas venalem plebem armaverat. Quibus erogatis, donaria Regum in ornamentis ecclesiæ ab ipsis evulsit altaribus. Et cum calices frangere, & crucifixos aureos membratim dividere ipsi profani Christiani vel timerent, vel erubescerent; Judæos aiunt esse quæsitos, qui sacra vasa & imagines Deo dicatas audacter comminuerent. Igitur quisque pro modo suo secundum majus & minus conducti ad scelus, sacramentis generalibus publice Petro vendiderunt assensum, & in omnem sanguinem manus exposuerunt & arma, & quotidianis congressibus partem, quæ cum Innocentio erat, maledictis insectabantur & gladiis.

* anno

2. Habuere igitur servi Dei consilium: & quia vi humana se tueri non poterant, cedere elegerunt: & procuratis clam navigiis, de ore Leonis & de manu bestiæ per Tiberim in Tyrrhenum mare elapsi, prosperis ventis carbasa impellentibus, in portum Pisanum feliciter appulerunt. [Audito tantorum virorum adventu, & cognita causa, propter quam de urbe exierant, gratulata est Pisa, quod ad se Romani nominis gloria transferretur,

& illis perpetuæ sibi infamiæ insculpentibus notam, sibi A nominis æterni & perennis famæ inscriptio pararetur. Occurrunt ergo honorati & consules, & domini Papæ pedibus advoluti, gratias agunt, quod eos tanto dignos judicasset honore, ut eorum eligeret urbem, quam propria dignaretur illustrare præsentia. Tua est, inquiunt, civitas, nos populus tuus: nostris stipendiis famulamur tibi, immo in usus tuos respublica quicquid apud se repositum habet, exponet. Nihil duplicitatis invenies in Pisanis: non modo adhærebunt, modo resilient; modo jurabunt, modo juramenta dissolvent. Non inhiat populus iste rapinis domesticis & cædibus intestinis. Non est gens nostra domi audax, nec extra meticulosa. Nos nec servi sumus, nec domini: sed concives B & fratres, honore invicem prævenientes, non seditiosis ausibus alterutrum provocantes. Domi mansuetudine utimur: fortitudinem nostram sæpe extranei experiuntur. Nos, Pœnis subactis & Balearibus insulis subjugatis, terra marique de piratis & dyscolis triumphantes, Reges eorum captivos in vinculis Pisam induximus: de quorum spoliis & varia supellectile in adventu tuo ornantur compita & plateæ, & lætabunda civitas coronatur. Post hujusmodi verba populo obviam procedente, præ innumerabili multitudine vix patebat advenientibus via: sed pedetentim procedentes, desideratam sui copiam prospicientibus per fenestras matronis & virginibus & parvulis Cardinales præbebant, & porrectis hinc inde benedic- C tionibus, usque ad beatæ Mariæ canonicam, dominus Papa cum comitatu suo gloriose deductus, & honorifice susceptus est. ]

3. Præmissi, antequam de urbe egrederetur, à domino Papa in Gallias fuerant nuntii, qui dissensionis & schismatis à Petro facti ordinem Gallicanæ intimarent ecclesiæ, & hortarentur Episcopos, ut in ultionem præsumptionis hujus accingerentur, & damnata parte schismatica, subscriberent unitati. Necdum vero ad plenum tenor operis innotuerat Episcopis, nec privatim quisquam commodare præsumpsit consensum, donec collecto Stampis generali conventu, in commune decernerent, quid reciperent, quid damnarent. Neque enim Francia, D ceteris regionibus proclivibus ad schismata, aliquando tali factione * fœdata est, nec malignorum acquievit erroribus: nec fabricata est idolum in Ecclesia, venerata in Petri cathedra monstrum. Nec enim talibus in causis principalia aliquando eos terruerunt edicta, aut generalibus utilitatibus privata commoda prætulerunt; nec declinantes in partem, personis detulere, sed causis: sed si quid oportuerit, fortiter persecutionibus obviarunt, nec damna nec exsilia formidarunt. Convocato igitur apud Stampas Concilio abbas sanctus Claræ-vallensis Bernardus, specialiter ab ipso Rege Francorum & præcipuis quibusque Pontificibus accersitus, sicut postea fatebatur, non mediocriter pavidus & tremebundus advenit, periculum quippe & pondus negotii non ignorans. In E itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem, unde speravit pacem sine dubio proventuram. Ubi vero ad locum ventum est, celebrato prius jejunio, & precibus ad Deum fusis, cum de eodem verbo tractaturi Rex & Episcopi cum Principibus consedissent, unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei, Dei famulo imponeretur, & ex ore ejus causa tota penderet. Quod ille, timens licet & tremens, monitis tamen virorum fidelium acquiescens suscepit, & diligenter prosecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam & famam prioris electi, aperuit os F suum, & Spiritus-sanctus implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus summum Pontificem Innocentium nominavit: & ratum esse omnes pariter acclamarunt, & decantatis ex more laudibus Deo,

[Margin: ...liber- ...urdi- ...eptio-]

[Margin: ...ium ...nse.]

obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter subscripserunt.

4. Interea dominus Papa multis in Pisis, & in Tuscia, & in aliis provinciis potestative dispositis, valefaciens Pisanis & gratias agens in Provinciam * navigio delatus est, & Burgundiam transiens Aurelianum pervenit: ubi occurrentibus Episcopis, à rege piissimo Francorum Ludovico alacriter & honorifice susceptus est. Inde à Gaufrido Carnotensi episcopo, magnarum virtutum viro, Carnotum deducitur: ubi etiam gloriosus Anglorum rex Henricus ei cum maximo Episcoporum & Procerum comitatu occurrit. Hunc quoque Regem venerabilis Abbas ad eum præmissus adduxit: quem vix persuasit Innocentium recipere, ab Episcopis Angliæ penitus dissuasum. Cum enim omnimodis recalcitraret & detrectaret, Quid « times ait? times peccatum incurrere si obedias Inno- « centio? Cogita, inquit, quomodo de aliis peccatis tuis « respondeas Deo, istud mihi relinque, in me sit hoc pec- « catum. Ad quod verbum persuasus Rex ille tam potens, extra terram suam domino Papæ occurrit usque Carnotum. [ Multa ibi dicta & facta sunt; multaque ibi sæcularia & ecclesiastica negotia definita. ]

[Margin: * la Provence]

5. Reversi interim de Germania Legati domini Papæ, tam Episcoporum, quam Regis assensum & litteras detulerunt, & deprecationem publicam, ut ad eos transiens, suam eis desideratam exhiberet præsentiam. Facile enim persuasi sunt recipere eum, quem jam ceteri recepissent. Sed detinuit eum dilectio & devotio ecclesiæ Gallicanæ; & singuli & omnes visitationem apostolicam expetebant. Perlustrata igitur Francia, Remis convocavit * Concilium, in quo multis ad honorem Dei dispositis, regem Ludovicum, vivente patre, pro Philippo fratre coronavit in regem. In omnibus his dominus Papa Abbatem à se separari non patiebatur, sed cum Cardinalibus rebus publicis assidebat. Sed & privatim quotquot habebant negotia, Virum Dei secretius consulebant. Ipse vero audita referebat ad Curiam, & oppressis patrocinia exhibebat. Igitur soluto [a] Concilio, * Leodium dominus Papa Romanorum Regi occurrit. Et honorifice quidem susceptus est, sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem importune idem Rex institit, tempus habere se reputans opportunum, Episcoporum sibi restitui investituras, quas ab ejus prædecessore Imperatore Henrico per maximos quidem labores & multa pericula Romana ecclesia vindicarat. Ad quod verbum expavere & expalluere Romani, gravius sese apud Leodium arbitrati periculum offendisse, quam declinaverint Romæ. Nec consilium suppetebat, donec murum se opposuit Abbas sanctus. Audacter enim resistens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit.

[Margin: Concilium Remense. * anno 1131. * Liege. a]

6. Rediens autem Leodio, Claram-vallem dominus Papa per seipsum voluit visitare: ubi à pauperibus Christi, non purpura & bysso ornatis, nec cum deauratis Evangeliis occurrentibus, sed pannosis agminibus scopulosam bajulantibus crucem, non tumultuantium classicorum tonitruo, non clamosa jubilatione, sed suppressa modulatione affectuosissime susceptus est. Flebant Episcopi, flebat ipse summus Pontifex: & omnes mirabantur congregationis illius gravitatem, quod in tam sollemni gaudio oculi omnium humi defixi, nusquam vagabunda curiositate circumferrentur; sed complosis palpebris ipsi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in ecclesia illa vidit Romanus quod cuperet, nulla ibi supellex eorum sollicitavit aspectum; nihil in Oratorio nisi nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio, nec damnosa poterat esse fratribus hujusmodi præda, cum minui non posset asportata religio. Gaudebant omnes in Domino, & sollemnitas non cibis, sed virtutibus agebatur. Panis ibi autopyrus [b] pro simila, pro careno sapa, pro rhombis b

a Innocentii iter Leodium ante Concilium Remense accidisse demonstratum est in Præfatione ad tomum primum.

b *Panis autopyros* dicitur is, ex quo nihil neque pollinis, neque furfuris excretum est, quasi totum in se triticum non imminutum habens. Vide Cels. lib. 2. cap. 17. Differt à pane cibario. nam huic bona pars pollinis adempta est; & magna ex parte, furfuraceus est. A simila autem differt. nam hæc est medulla farinæ triticeæ, hoc est, ea pars quæ media est inter pollinem, & secundarium. *Carenum*, ex Laurentio Lucensi, est vini dulcis cocti genus. *Sapa* vero (alias vinum ad tertiam decoctum significans) est succus herbarum: unde fortasse gallice *Souppe* pro jusculo; hic opinor, positum pro *zyto* seu *cervisia* vel *ptisanna*. *Rhombus*, gallice *Turbot*, piscis plani genus.

olera, pro quibuslibet deliciis legumina ponebantur. Si forte piscis inventus est, domino Papæ appositus est, & aspectu, non usu in commune profecit.

7. Invidit diabolus, & servorum Dei gloriam, quos tanti hospitis nobilitabat præsentia, ferre non valens, dum in choro alacriter psallerent & devote, præsentibus etiam nonnullis ex Cardinalibus, qui in auditu & aspectu eorum delectabantur, aliquantos fratrum horribili pavore turbavit. Nam & unus præ ceteris occupatus, blasphema quædam verba locutus est: Dicite, inquiens, Ego sum Christus. & alii plures territi & tremebundi, ad beati Patris vestigia confugerunt. At ille conversus ad ceteros: Orate, inquit. ac deinceps sub silentio eos qui turbati videbantur eduxit, atque compescuit: ut nequissimus ille, qui conventum pietatis transferre conabatur in theatrum, & scholam innocentiæ in derisum, non, ut putabat, existimationem religiosorum hominum corrumpere posset, sed se proderet, & conatus suos experiretur infirmos. Tanta siquidem celeritate omnia sunt sedata, ut personas illas, quæ prope adstabant, omnino latuerit quod acciderat, & malignus hostis velociter increpatus, non modo scandalum eis quod parabat, inferre nequiverit, sed nec ad illorum notitiam rem perferre. Factumque est ex eo, ut ampliori sese custodia fratres munirent: & merito, & numero, & possessionibus deinceps cresceret Clara-vallis, & multiplicatis conventibus, fere per omnem latitudinem loci illius dilataretur religio; ipse etiam Abbas sanctus extunc amplius solito miraculis clareret & signis.

## CAPUT II.

*De Synodo Pisis per Innocentium celebrata. Item de Mediolanensibus opera Bernardi Ecclesiæ reconciliatis & energumenis ibidem curatis.*

8. Longas in Galliis facere moras dominus Papa non potuit, sed, sicut cum Lothario rege condixerat, Romam ei occurrit, & vi exercitus in Lateranense palatium deductus est. Multi etiam ex nobilibus Romanis, fideles Ecclesiæ, eum honorifice susceperunt. Verum Petrus Leonis non ponens Deum adjutorem suum, sed confœderatorum stipatus malitia, in editioribus & tutioribus turribus manens, Lotharii ludificavit virtutem, & interdicens suis congressus publicos, nec sibi securitatis suæ fecit periculum, nec causam conflictus hostibus dedit: sed tamen liberum eorum discursum machinis superioribus & obstaculis variis impedivit. Vitavit etiam obstinatissime Imperatoris colloquium, nec minis, nec blandimentis flexus est, nec de statu suo consilium cujusslibet personæ admisit. Relicto igitur Romæ Innocentio, alias Imperator digreditur: Petrus vero post ejus discessum crebros movens per Urbem excursus, fidelium cædibus inhiabat. Intelligens ergo Innocentius Romæ sibi infructuosam eo tempore moram, ne præsentia sua illius bestiæ rabiem efferaret, rursus Pisas revertitur *: ibique aggregatis totius Occidentis Episcopis, aliisque religiosis viris, magnæ gloriæ Synodus * celebratur. Adfuit per omnia & consiliis, & judiciis, & definitionibus omnibus sanctus Abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, & excubabant ante ejus limina sacerdotes; non quod fastus, sed multitudo communem prohiberet accessum: & aliis egredientibus, alii introibant, ita ut videretur Vir humilis, & nihil sibi de his honoribus arrogans, non esse in parte sollicitudinis, sed in plenitudine potestatis. Actiones Concilii longum est prosequi: summa tamen in excommunicatione Petri & irregressibili fautorum ejus dejectione constitit, & usque hodie hæc sententia perseverat.

Concilium Pisanum.

* v. Epist. 130.

* ann. 1134.

9. Soluto Concilio, ad reconciliandos Mediolanenses dominus Papa Abbatem Claræ-vallis, quem multis supplicationibus expetierant, & Guidonem Pisanum, & Matthæum Albanensem episcopum à latere suo direxit *, qui schisma per Anselmum in eadem urbe factum abluerent, & ad unitatem Ecclesiæ devios revocarent. Abbas igitur cum prædictis viris, quos à domino Papa collegas acceperat, addidit consortio & communi consilio virum venerabilem Gaufredum Carnotensem episcopum; cujus innocentiam & sinceritatem in multis probaverat. Etenim visum est Cardinalibus bonum, ut tanto adjutore negotium tanti ponderis fulciretur. Transcenso itaque Apennino, ubi audierunt Mediolanenses Abbatem desideratum suis finibus propinquare, longe à civitate milliaribus septem omnis ei populus obviat: nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasi de civitate migrarent, proprios lares deserunt, & distinctis agminibus incredibili reverentia Virum Dei suscipiunt. Omnes pariter delectantur aspectu, felices se judicant qui possunt frui auditu. Deosculantur pedes ejus universi: & licet hoc ille moleste acciperet, nulla potuit pronos & devotos ratione compescere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos quos poterant de indumentis ejus, & ad morborum remedia de pannorum laciniis aliquid detrahebant, omnia sancta, quæ ille tetigisset, judicantes, & se tactu eorum vel usu sanctificari. Præcedentes itaque & subsequentes lætabundis acclamationibus applaudebant Abbati, & diu intra agminum spissamenta detentum, tandem sollemni reddidere hospitio. Et cum tractatum esset in publico de negotio, propter quod tam Vir Dei, quàm Cardinales advenerant, oblita fortitudinis suæ civitas, omni ferocitate deposita, se ita Abbati substravit, ut obedientiæ eorum non incongrue ille posset aptari Poëtæ versiculus:

* ann. 1134. v. Epist. 131.

*Jussa sequi, tam velle mihi, quam posse necesse est.*

10. Pacatis omnibus, reconciliata ecclesia, firmatis inter plebes concordiæ pactionibus, alia cœperunt nasci negotia, & insanienti diabolo, & in quibusdam obsessis corporibus debacchanti, oppositum est Christi vexillum, & increpante Viro Dei, de possessis atriis superveniente eminentiori virtute, territa & tremebunda diffugere dæmonia. Ecce nova legatio, non Romanum pragma circumferens, sed divinis legibus fidei pragma allegans, prolatis in medium litteris sanguine Christi conscriptis, & bulla crucis impressis, quæ figura auctoritate sua terrestria & inferna sibi subdit & curvat. Inaudita est nostris temporibus tanta populi fides, tanta in homine virtus: inter quos religiosa erat contentio, cum signorum gloriam Abbas credulitati eorum, illi vero sanctitati Abbatis adscriberent, & hoc de eo indubitanter sentirent, ut quicquid à Domino peteret, impetraret. Adducunt igitur ad eum nihil hæsitantes mulierem omnibus notam, quam annis septem immundus vexaverat spiritus: & postulant supplices, ut in nomine Domini dæmoni imperet fugam, & mulieri restituat sospitatem. Quæ populi fides non minimam verecundiam Viro Dei ingerebat, & humilitate magistra, inconsueta experiri non præsumebat, & instante petitione populi erubescebat, si caritati postulantium obstinatius resisteret: & videbatur ei quod offenderet Deum, & omnipotentiam ejus diffidentia obnubilare videretur, si à fide populi fides propria dissentiret. Æstuabat igitur secum, & licet signa non fidelibus, sed infidelibus fieri oportere assereret; ausus suos Spiritui-sancto committit, & orationi incumbens, cælitus elapsa virtute satanam in spiritu fortitudinis increpat & fugat, mulieremque reddit incolumem & quietam. Lætantur qui aderant, & levantes manus ad sidera, Deo qui de excelso eos visitavit, gratias agunt. Auditum est hoc verbum, & percrebuit fama, & repente totam perculit urbem, per ecclesias, per prætoria, & per compita omnia conveniunt undique: de viro Dei sermo habetur ubique: dicunt publice, nihil ei impossibile esse quod à Domino postulet, & ad preces ejus apertas Dei aures dicunt & credunt, prædicant & affirmant. Nec possunt aspectu ejus, vel auditu ullo modo satiari. Irruunt alii in præsentiam ejus: alii, donec exeat, pro foribus præstolantur. Cessatum est ab officiis & artibus, tota civitas in hoc spectaculum suspensa manet: concurrunt, postulant benedici: & tetigisse eum singulis salutare videtur.

11. Tertia die ad ecclesiam sancti Ambrosii divina celebraturus mysteria servus Dei procedit: ubi exspectante innumera populi multitudine, inter ipsa Missarum sollemnia, dum clericis canentibus ipse secus altare sederet, puellam ei parvulam offerentes, quam vehementi im-

petu vexabat diabolus, orant ut misellæ subveniat, & A diabolum in ea debacchantem elidat. Audita supplicatione adstantium, & intuitus personam frendentem dentibus & stridentem, ut etiam intuentibus esset horrori, compassus est ætati, & vehementiæ anxietatis ejus condoluit. Patenam igitur calicis, in quo divina celebraturus erat mysteria, accipit: & digitis latice superfuso, orans intra se, & de Domini virtute confidens, ori puellæ salubrem potum applicat, & corpori ejus stillam medicinalem infundit. Nec mora, quasi ureretur satanas, infusionis illius virtutem ferre non potuit, sed urgente intrinsecus crucis antidoto, festinanter egrediens, vomitu sordidissimo tremebundus erupit. Sic purgata persona, diabolo profugo & confuso, laudes debitas Deo ca- B nit ecclesia: & post acclamationes lætabundas alacer populus ibidem, donec divina compleantur mysteria, immobilis perseverat. Sub aspectu itaque omnium incolumis puella à suis domum reducitur, & vix tandem à populo dimissus ad hospitium Vir Dei revertitur.

12. Divino judicio ea tempestate in Mediolano, juxta Isaïæ verbum, *pilosi clamabant alter ad alterum, & occurrebant onocentauris dæmonia*, & effrenatis decursibus plurimos infestabant: nec erat qui insolentiæ eorum resisteret, cum diu sub Anselmi schismate, qui Petri fautor Mediolanensem occupaverat cathedram, sacerdotes gementes, virgines squalidæ, sanctificationes maledictæ, altare pollutum iram Dei in populum provocassent. C At vero in adventu Viri Dei abdicatis Anselmi præstigiis, & in Sedis apostolicæ obedientiam sub Innocentio revocata ecclesia, impedita est illa dæmonum licentia, & quotidie dabat locum, & ad preces Viri Dei diffugiebat diabolus: & si quando resistere conabatur, in ipso conflictu succumbens gloriosius vincebatur.

## CAPUT III.

*De expulsione dæmonum à variis obsessis, tum virtute Eucharistiæ, tum panis & aquæ benedictæ, tum signi crucis. Item de aliis curationum beneficiis.*

13. Inter eos igitur qui vexabantur, mulier grandæ- D va, civis Mediolanensis, & honorata quondam matrona, usque ad ecclesiam beati Ambrosii post beatum Virum à multis tracta est, in cujus pectore pluribus annis diabolus sederat, & jam ita suffocaverat eam, ut visu & auditu & verbo privata, frendens dentibus, & linguam in modum promuscidis elephantinæ protendens, monstrum non femina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fœtidus, inhabitatoris satanæ colluvia testabantur. Hanc cum aspexisset Vir Dei, novit inhærentem ei & inviscatum * diabolum, nec facile egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Conversus ad populum, cujus innumera aderat multitudo, orare jubet attentius, & clericis, & monachis secum E juxta altare consistentibus, mulierem ibidem jubet constitui & teneri. Illa vero reluctans, & vi diabolica, non naturali virtute recalcitrans, non sine aliorum injuria, ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuete ille contemsit: & ad expulsionem non indignatione iræ, sed pacifica & humili supplicatione Deum invocat adjutorem: & ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eamdem sacram hostiam signat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo crucis edito spiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam & ille malignus, quoties adversus eum signum Crucis intenditur, percussum se indicans, acrius sævit, & recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret, prodit F invitus.

14. Expleta autem oratione dominica, efficacius hostem aggreditur vir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini Corpus imponens, & mulieris capiti superponens, talia loquebatur: Adest, inique spiritus, Judex tuus, adest summa potestas. Jam resiste si potes. Adest ille qui pro nostra salute passurus; *Nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras*. Hoc illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cælum. In hujus ergo majestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens contingere eam deinceps non præsumas. Cumque eam invitus deserens, & manere ultra non valens, atrocius afflictaret, tam magnam iram, quàm modicum tempus habens; rediens Pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris rite complevit, diffundendamque in populum pacem ministro dedit; & confestim pax & salus integra reddita est mulieri. Sic ille nequam, divina mysteria quantæ sint efficientiæ & virtutis, non confessione, sed fuga coactus ostendit. Fugato diabolo mulier, quam in tantorum sartagine tormentorum carnifex pestilens tanto tempore frixerat, mentis suæ compos effecta, redditis cum ratione sensibus, revoluta intra fauces linguâ, Deum confessa gratias egit, & intuita curatorem suum, pedibus ejus advoluta est. Ingens per ecclesiam attollitur clamor, omnis ætas jubilat Deo, personant æramenta, benedicitur ab omnibus Deus, excedit veneratio modum, & servum Dei supra hominem, si dici fas est, liquefacta caritate civitas veneratur.

15. Audiebantur hæc quæ Mediolani fiebant: & per totam Italiam Viri Dei discurrebat opinio, & divulgabatur ubique quod surrexisset Propheta magnus, potens in opere & sermone, qui invocato Christi nomine, & infirmos curaret, & obsessos à dæmonibus liberaret. Maxima quidem ei in curationibus ægritudinum gratia, sed in dæmonibus eliminandis frequentior operatio erat, quia copiosior vexatorum numerus ad experta subsidia concurrebat, & majorum operatio virtutum minores obscurabat effectus. Jam vero præ frequentia populi qui à mane usque ad vesperam foribus assidebat, oppressionem vulgi præ corporis imbecillitate non ferens, ad fenestras domus procedens, se eis conspiciendum præbebat, & elevata manu benedicebat eis. Panes quoque & aquam devehebant secum, quibus benedictioni ejus suppositis, pro beneficiis ea sacramentalibus referebant. Ex vicinis sane castellis, & vicis, & urbibus multi confluxerant; & communia tam advenarum, quàm civium in Mediolano studia erant prosequi Sanctum, expetere beneficium, audire verbum, videre signum; & doctrina & miraculis ultra quàm credibile est, delectabantur.

16. Aderat inter eos quidam ex suburbanis, qui puerum dæmoniacum illuc advexerat: qui repente coram omnibus ad signum crucis, quod Vir sanctus edidit, de bajuli sui brachiis ruit, & elisus humi quasi mortuus sine ullo sensu immobilis visus est: neque vox, neque halitus erat in eo, tantum circa præcordia exiguus ei supererat vapor. Dant igitur ceteri locum ut posset procedere, & admitti ad Virum Dei seminecis pueri bajulus; & attonita multitudo tam miserabilis casus præstolabatur eventum. Ingressus igitur ad Virum Dei homo est, & puerum stupidum, nec aliquid sentientem ante pedes Abbatis exposuit, & ait: Puer iste, domine Pater, quem ante tuos posui pedes, jam per triennium à dæmonio acerrime vexatus est: & quoties vel ecclesiam ingreditur, & salibus exorcizatis adspergitur, vel signum ei crucis imponitur, vel Evangelium audire compellitur, vel divinis interest Sacramentis, offenditur habitator ejus diabolus, & torquetur atrocius. Dumque modo cum ceteris ego pro foribus exspectarem, signum sanctæ crucis figurante te, & extendente in populos manum, sacramentalium signorum virtute exacerbatus diabolus, vehementius solito totus ad pueri vexationem se contulit: & sicut vides, totum corpus ejus occupans, fere ei etiam vitalem spiritum intercludit. Sed & ipse puer, cum audita esset apud nos gratiæ, quam à Deo accepisti, opinio, ex aliorum curationibus suam sperans salutem, rogavit me ut eum ad te adducerem. Obsecro igitur per misericordiam Dei, ut & laboribus meis, qui in ejus custodia operam damnosam & periculosam impendo, & illius miseriæ, quæ tanta est, quantam ipse oculis probas, pio & consueto affectu subvenias, & rabiem dæmonis non usquequaque procedere patiaris. Flebat igitur, & lacrymis ora perfusus præsentes quosque commovit, ut omnes pariter supplicarent.

17. Tunc Vir Dei confidere eos in Dei misericordia A jubens, baculo cui innitebatur, collum pueri leniter tangit. Sed & frater ejus Gerardus volens experiri quæ ab homine dicta fuerant, latenter dorso ejus signum crucis impressit. Cumque prius sine motu & sensu nec videns, nec audiens, ante pedes Abbatis diu extensus pavimento hæsisset; ad tactum baculi & ad signum crucis infremuit, & turbatus ingemuit. Jubet igitur Abbas super proprium lectulum eum poni. At ille quasi ex injuria offensus rejecit se in pavimentum, & stridebat dentibus, & mordebat procuratorem suum: & capillis eorum qui aderant, manus injiciens, quo poterat conatu se ab eorum manibus abstrahebat, & ab eis vix teneri poterat. Eia, inquit Abbas, ad lectum nostrum eum re- B ducite. Orante itaque Abbate, & fratribus in oratione prostratis, quasi ardentibus paleis, quæ in lecto continebantur, diabolus ureretur, tormenti æstuantis, vi divina propinquante, passionem clamoribus testabatur. Jubet igitur Vir sanctus aquam benedictam in os patientis infundi. quam ille pressis labiis & dentibus non admittens, vix tandem cuneo infixo dissolvente pressuram, vellet, nollet, intra fauces & guttur recepit. Confestimque ut penetrans sanctificatio ad interiora descendit, quasi infuso antidoto vis maligna erupit, & vomitu sordidissimo, quasi torrentis impulsu, festina præcipitatione rotatus cum ingenti contumelia dæmon exivit. Repente qui videbatur mortuus, vivit: & de lecto Abbatis quie- C tus & incolumis surgens, patronumque * suum amplexatus, Deo gratias, sanus sum, inquit. Gratias agunt omnes communiter Deo, & qui modo flebant, lætantur. Foras clamor effunditur, res intus gesta super tecta sollemniter prædicatur, tota ad spectaculum convenit civitas, benedicitur Deus, gaudet populus, in Abbate tanti operis patratore totius plebis requiescit affectus.

* al. patratum.

18. Febricitantibus multis idem Sanctus manus imponens, & aquam benedictam porrigens ad bibendum, sanitatem obtinuit; aridas manus, & membra paralysi dissoluta tangens incolumitati restituit: cæci etiam sub multorum testimonio in eadem civitate ut viderent, imposito signo crucis, à Patre luminum potenter obtinuit. D Per idem tempus hospitium Albanensis * Episcopi, quem dominus Papa in eadem legatione sibi collegam dederat, gratia tractandorum negotiorum intraverat, & de his quæ injuncta fuerant conferebant: cum repente irruit super eos adolescens cujus manus arida erat, & retorta ad brachium; & advolutus pedibus ejus suppliciter postulat sanitatem. Ille alias occupatus, benedixit quidem, & abire præcepit, & ne amplius sibi molestiam faceret, verbis solito severioribus interdixit. Recedebat ille non consecutus quod quæsierat: cum venerabilis Episcopus sub omni celeritate eum regredi jubet, & manu arreptum tradit Abbati. Huic, inquit, qui minime beneficium consecutus, tibi, ut discederet, obedivit, tu E ne claudas viscera misericordiæ: quin potius tu obedi, & virtute obedientiæ me jubente adstrictus, fac quod postulat, largire quod petit; & confidens in ejus virtute, per quem expetit sanitatem, postula, & impetrabis: ut & nos de Dei munere, & ille de optata glorietur salute.

* Matthæi de quo supra num. 9.

19. Ad præceptum Episcopi Abbas, apprehensa pueri manu, invocavit Dominum, & exaudivit eum; & signo crucis edito, nervi qui obriguerant, extensi sunt, & caro quam assiduus * congelaverat morbus, sedeunte sospitate ingenita, mobilis facta est & flexibilis, & dicto citius languidum diu membrum convaluit. Obstupuit Episcopus tam repentinæ virtutis admirans effectum, & ampliori etiam extunc veneratione Virum Dei coluit, F & miraculorum illius ipse testis exstitit & relator. Compulit autem eum, ut ibidem ea nocte cœnaret. Cujus rei assensum cum magna difficultate obtinuit, ea dumtaxat ratione suasum, quod intolerabilis undique populus exspectaret; nec sine periculo posse egredi videretur. Inter cœnandum vero paropsidem, in qua Abbas comederat, Episcopus ministro familiari servandam tradidit, & præcepit ut seorsum reconditam cum omni diligentia custodiret. Elapsis exinde aliquot diebus, Episcopus idem febrium vehementi ardore corripitur: & recordatus hominis Dei, familiarem jubet accersiri ministrum. Discum, inquit, Abbatis, quem tibi nuper tradidi conservandum, huc afferre ne cuncteris. Cumque ille obtulisset allatum: Infunde, inquit, aquam in eo, & panis exiguas buccellas conscinde. Quod cum factum esset, confidens in Domino, & Abbatis precibus se commendans, comedit & bibit, & absque ulla dilatione convaluit.

* al. assidens.

20. Augebatur adventantium numerus, & mirifica opera ad se populos invitabant; nec usquam Viro Dei dabatur requies, dum ex ejus lassitudine alii sibi requiem procurarent. Abeuntibus occurrebant advenientes, & succedebant sibi beneficia mendicantes. Inter quos miles quidam in ulnis suis puellulam ad Virum Dei attulit, quæ ita exosam lucem habebat, ut semper clausis palpebris etiam brachium opponeret oculis, ne aliquo modo aliqua lucis particula se ei ingereret. Avellebantur aliquando opposita brachia violenter, & cum se ei lumen infunderet, clamabat & flebat, & erat ei claritas pro cruciatu, & lux visa quasi aculeos ejus cerebro infigebat. Benedicit infantulæ Vir Dei, & signaculum crucis faciens super eam, tranquilliorem dimittit: & dum domum referretur, ultro aperit oculos, & pedes sine vectore ipsa revertitur. Et ipso in loco mulieri à dæmonio vexatæ multis adstantibus à Patre misericordiarum idem Sanctus obtinuit sanitatem.

## CAPUT IV.

*De dæmoniacis curatis, & mira humilitate Bernardi, inter tot illustria opera æque semper de se modeste sentientis.*

21. JAm Papiam * advenerat, & fama virtutum adventum ejus præcesserat, & cum debito gaudio & apparatu tantæ gloriæ Virum civitas lætabunda suscepit. Et ne diu populi desiderium dilatio suspenderet, qui sicut Mediolani miracula facta audierat, signum ab eo optabat videre; advenit repente post eum rusticus quidam qui de Mediolano secutus eum fuerat, uxorem dæmoniacam secum adducens, quam ante pedes ejus lacrymabili voce intrinsecas protestans anxietates deposuit. Nec mora in contumeliam Abbatis per os miseræ mulieris diabolus locutus est, & irridens servum Dei: Non, inquit, me de canicula mea hic porrulos edens & brassicas devorans pellet. Multa in hunc modum in Virum Dei jaculabatur convicia, ut blasphemiis provocatus, impatienter ferret opprobria, & confunderetur in præsentia populi, cum indignis se audiret sermonibus lacessiri. Sed Vir Dei astutias ejus intelligens, irrisorem irrisit, & ultionem non ipse expetens, sed ad Deum remittens, ad ecclesiam sancti Syri dæmoniacam duci præcepit. Voluit quippe curationis illius gloriam dare Martyri, & primitias operationum virtuti ejus adscribi. At E vero sanctus Syrus ad hospitem suum remisit negotium, nec in ecclesia sua quippiam sibi deferens, intactum opus reduci voluit ad Abbatem. Reducitur igitur mulier ad Abbatis hospitium, garriente per os ejus diabolo, & dicente: Non me Syrulus ejiciet, non expellet Bernardulus. Ad hæc servus Dei respondit: Nec Syrus, nec te Bernardus ejiciet, sed Dominus Jesus-Christus. Et conversus ad orationem, pro salute mulieris Domino supplicabat. Tum vero spiritus nequam, velut priori improbitate mutata; Quàm libens, inquit, egrederer ab hac canicula, graviter molestatus in ea, quam libens egrederer! sed non possum. Interrogatus causam, quia necdum vult magnus Dominus, ait. Cui Sanctus: Et F quis est magnus Dominus? Et ille: Jesus Nazarenus. Ad quem rursum Vir Dei: Unde enim Jesum nosti, aut si umquam vidisti eum? Vidi, inquit. Ubinam eum vidisti? In gloria. Et tu in gloria fuisti? Fui quidem. Et quomodo inde existi? Cum Lucifero, inquit, multi cecidimus. Hæc autem omnia voce lugubri per os vetulæ audientibus omnibus loquebatur. Respondente autem Abbate sancto: Numquid non in illam redire gloriam velles, & restitui in gaudium pristinum? rursum voce mutata, & miro modo cachinnans: Hoc, inquit, tardatum * est. Et nihil ultra locutus, orante attentius viro Dei, ne-

* Paviam.

* al. tard

quissimus ille victus abscessit, & mulier sibi reddita, quantas potuit gratias egit.

22. Revertitur igitur vir cum muliere, & per totam viam incolumitati ejus congaudens, exspectantibus amicis domui suæ redditur. Lætabantur omnes qui ordinem rei gestæ audierunt; sed repente gaudium vertitur in mærorem: quia ubi domus suæ limina mulier attigit, rursus eam intrat diabolus, & infestior solito miseram discerpit atrocius. Quid faceret miser maritus, quo se verteret, nesciebat. Cohabitare cum dæmoniaca molestissimum, relinquere impium videbatur. Surgit igitur, & assumpta secum muliere, rursum Papiam revertitur: ubi cum Virum Dei non invenisset, usque Cremonam prosequitur abeuntem. Indicat quid factum sit: & ut gratiam inveniat, lacrymabiliter deprecatur. Nec deest piæ petitioni Abbatis clementia; sed præcipit ut ecclesiam civitatis illius ingrediatur, [ & ante Confessorum corpora ] orans exspectet, donec ipse sequatur. Itaque memor promissi, circa noctis crepusculum, ceteris dormitum euntibus, ipse uno tantum prosequente ecclesiam ingreditur, & tota nocte illa orationi vacans, obtinuit à Domino quod petebat: & impetrata mulieri sanitate, jubet eam securam reverti ad propria. Sed cum illa reditum ad se diaboli, sicut jam experta fuerat, formidaret, collo ejus alligari chartulam hæc verba continentem præcepit: In nomine Domini nostri Jesu-Christi præcipio tibi dæmon, ne hanc amodo mulierem præsumas contingere. Quod mandatum sic expavit diabolus, ut mulieri regressæ ad propria numquam deinceps appropinquare præsumpserit.

23. Erat etiam in eadem civitate dæmoniacus quidam, cujus passio multos ad risum movebat, cum alii qui severioris animi erant, clementissimo ei compaterentur affectu. Hic ita latrabat, ut si audires, nec videres personam, canem crederes. Quem sibi exhibitum Vir Dei cum latrantem audisset, ingemuit: qui eo modo latrabat, quo solent percussi vel obruti canes irasci, & ringere * in percussores. Sed & in præsentia Viri Dei anhelans & latrans, acrius solito turbabatur. Increpato itaque diabolo, & in virtute Christi expulso, homini imperat ut loquatur. Purgatus homo intrat ecclesiam, interest Sacramentis, Crucis signo se munit, audit Evangelia, confitetur & orat, & cetera sanæ mentis officia Deo reddit & consecrat.

* freme-

24. Cum secundo per Mediolanum eodem anno Pater sanctus transiret, oblata est ei dæmoniaca mulier. Nam eo tempore aberat, quo primum Vir Dei civitatem prædictam sua illustravit præsentia. Hanc possidebat dæmonium, quod modo Italica, modo Ibera * lingua loquebatur; nec satis certum, utrum unus esset bilinguis, an duo, sui quisque sermonis idiomate utens: sed tam proprie modo hæc, modo illa sonabat, ut diceres, Hic qui loquitur, Ligur * est, hic Hispanus. Hæc etiam genuum passione, & poplitis tremore perturbabatur. Quæ cum ad Virum Dei adducta fuisset, saltu concito scamnum, in quo sedebat, inopinata celeritate transsiliit. Reducta & interrogata quid sibi vellet & saltus, & fuga; & unde ægrotanti & vetulæ tanta virtus & velocitas advenisset: respondit hanc sibi agilitatem ex præsentia inesse diaboli, ut currentes comprehenderet equos, & eorum dorso sine ullo adminiculo insiliret. Hæc sequenti die dum in ecclesia divinis quæ ille celebrabat officiis interesset, crudelissime & diutissime coram omnibus vexata est. Compassus Abbas mulieri, jam sæpe in talibus expertus Dei clementiam, imperat diabolo ut recedat. Ille ad imperium servi Dei tremebundus evanuit: mulier vero non solum à vexatione, sed etiam à nervorum contractione in momento convaluit. Hæc & alia multa intra Alpes constitutus operatus est Vir Dei, & diversa loca perlustrans, benefaciebat iis qui infirmabantur, illuminando cæcos, erigendo debiles, curando febricitantes, maxime oppressos à diabolo diligentiori studio purgans: & quæ malignus fœdaverat spiritus pectora, templa Deo acceptabilia consecrabat.

* [H]ispagnola

* [Lo]mbardi

25. Plurima autem in eum probabilia & laude digna concurrunt. Alii namque doctrinam, alii mores, alii mirantur miracula. Ego quidem congruum his omnibus honorem defero: sed præ omnibus, quantum in me est, hoc sublimius duco, hoc propensius prædico, quod cum esset vas electionis, & nomen Christi coram gentibus & regibus ferret intrepidus, cum obedirent ei Principes mundi, & ad nutum ejus in omni natione starent Episcopi; cum ipsa Romana Ecclesia singulari privilegio ejus veneraretur consilia, & quasi generali legatione concessa subjecisset ei gentes & regna; cum etiam, quod gloriosius judicatur, facta ejus & verba confirmarentur miraculis; numquam excessit, numquam supra se in mirabilibus ambulavit: sed de se semper humiliter sentiens, venerabilium operum non se auctorem credidit, sed ministrum: & cum esset omnium judicio summus, suo sibi judicio constitit infimus. Soli Deo quicquid fecit adscripsit: immo se nihil boni, aut velle, aut posse, nisi inspirante & operante Deo, & sensit, & dixit. Sed aderat vis divina in tempore accepto, & in die salutis, segregans in Evangelium suum servum suum, cujus humilitatem respexerat, cujus animam Spiritus-sanctus ornaverat: & quia sinceritatem ejus nulla maculabat duplicitas, nec interrumpebat bonum ejus qualibet conspersio falsitatis, in loco suo idem spiritus manebat immobilis.

Bernardi humilitas.

26. Qui ut semper splendidior esset & purior, quotidie in fornace probabatur, & ne quid ei rubiginis obreperet, crebris malleorum ictibus in incude tundebatur, flagellabatur, & arguebatur; non ad pœnam pro crimine, sed ad gloriam pro virtute. Numquam ei defuit stimulus ægritudinis. Et cum sciret virtutem in infirmitate perfici; sufficientem sibi in hoc experiebatur gratiam, quod videret suos omnes quantulumcumque extraordinarios motus lima illius quotidianæ afflictionis abradi. Erat quidem caro infirma, sed spiritus promptus: & quo minus in corpore poterat delectari, amplius delectabatur in Domino; nec aliqua sæculi hujus ambitione pulsabatur, qui solis cælestibus inhiabat. Quot ecclesiæ destitutæ pastoribus, eum sibi in episcopum elegerunt? Elegit eum domestica Lingonensis ecclesia, elegit Catalaunensis. Intra Italiam civitas Januensis, & Mediolanum metropolis Ligurum, hunc optaverunt pastorem & magistrum. Remi, nobilissima Franciæ civitas, secundæ Belgicæ provinciæ caput, ejus dominationem ambivit. Omnibus his vocationibus postpositis, non sollicitavit animam ejus honor oblatus, nec motus est pes ejus ut inclinaret se ad gloriam; nec magis eum delectabat tiara & anulus, quàm rastrum & sarculus.

Infirmitates & morbi.

Dignitates recusat.

27. Petentibus se nec annuens aliquando, nec insolenter aut improbe renuens, dicebat se non esse suum, sed aliorum servitio deputatum. Quæ res cum referretur ad Fratres, respondebant: Nos omnibus quæ possidebamus venditis, inventam pretiosam margaritam comparavimus: ad patrimonia distracta redire non possumus. Quod si & pretium & appretiatum nobis perierit, & substantiis, & margarita privati fuerimus; exspectationi nostræ male provisum est, si oleo nostro effuso, clausis januis sicut fatui mendicemus. Providerant etiam sibi ex consilio sanctissimi Fratres, & domini Papæ auctoritate muniti erant, ne quis gaudium suum tollere posset ab eis, & aliorum consolatio eis fieret tribulatio, & eorum inopia aliorum plenitudinem cumularet. His aliisque rationibus servi Dei expugnaverant petitores, & jam divulgatum erat ubique, Abbatem sic statutum in Ecclesia à Deo, sicut in Hebræorum populo Moyses fuit, qui cum non esset Pontifex, Aaron tamen unxit & sacravit pontificem; & dispositionibus ejus tota Levitica omni tempore successio paruit.

## CAPUT V.

*De reditu Bernardi ex Italia, & de monasterii Claræ-vallis in locum capaciorem translatione.*

28. JAm Alpes transscenderat *, & descendebant in occursum ejus de summis rupibus pastores, & armentarii, & agreste hominum genus, & conclamabant à longe benedictionem petentes: & reptabant per fauces montium, regredientes ad caulas suas, colloquentes ad in-

* Anno 1135.

vicem & gaudentes, quod sanctum Domini vidissent, & manu ejus super se extensa optatæ benedictionis gratiam accepissent. Tandem Chrysopolin* veniens, usque Lingonas sollemniter deducitur: circa quos fines fratres ei Claræ-vallenses occurrunt: provoluti genibus, surgunt ad oscula: & vicissim ei colloquentes, Claram-vallem eum deducunt alacriter. Adsunt fratres congregati in unum, & mira devotione dilectum Patrem suscipiunt. Agitur sine tumultu cum omni gravitate lætitia. Facies quidem purior hilaritatem dissimulare non poterat: sed castigatus actionum & locutionum modus metas proprias non transgrediebatur, & cohibebant se affectiones ipsæ, ne quid agerent, in quo dissolutionis nota religionis maturitatem offenderet. In tanta Abbatis mora nihil in Clara-valle potuit diabolus texere, nihil interim rubiginis sinceris affricuit mentibus; nec in aliqua parte domus Dei supra petram fundata mota est. Ita opus suum servus Dei absens corpore, præsens spiritu, orationum instantia munierat & solidarat, ut nec rima aliqua in tantis constructionibus hiscere videretur. Nullæ in adventum ejus lites servatæ sunt, non odia nutrita in præsentia judicis eruperunt. Nihil juniores adversus priores de austeritate vel duritia, nihil priores adversus juniores de dissolutione aliqua vel remissione causati sunt. Integer universorum status, concors societas, vera unitas; omnes unius moris in domo Dei, in pace & sanctimonia inventi sunt, ascendentes scalam Jacob, & festinantes ad intuitum Dei, cujus delectabilis aspectus in superioribus eminebat. Abbas itaque non immemor ejus qui ait, *Videbam satanam sicut fulgur cadentem de cælo:* eo humilior erat, & subjectior Deo, quo intelligebat desideriis suis Deum adesse propitium. Nec de hoc in se gloriabatur, quod subjiciebantur ei dæmonia: quin potius in Domino gaudebat, quod nomina fratrum suorum scripta videbat in cælo, quorum unanimitas immaculatam se ab hoc sæculo custodiret.

[* Besançon.] [Luc. 10.]

29. Aderant ei in consiliis venerabiles fratres sui; aderat Godefridus Prior ejusdem loci, propinquus ejus in carne & spiritu, vir sapiens & constans, qui etiam religionis & prudentiæ merito postea in ecclesia Lingonensi factus episcopus, & sanctitatis formam retinens, & dignitatis in qua est honorem non minuens, usque hodie ingrediens & egrediens laudabiliter perseverat. Hic ergo atque alii plures viri providi, & de communi utilitate solliciti, Virum Dei, cujus conversatio in cælis erat, aliquando descendere compellebant, & indicabant ei quæ domus necessitas exigebat. Insinuant itaque ei locum angustum & incommodum in quo consederant, nec capacem tantæ multitudinis; & cum quotidie catervatim adventantium numerus augeretur, non posse eos intra constructas recipi officinas, & vix oratorium solis sufficere monachis. Addunt etiam se considerasse inferius aptam planitiem, & opportunitatem fluminis quod infra illabitur, ibique locum esse spatiosum ad omnes monasterii necessitates, ad prata, ad colonias, ad virgulta & vineas: & si silvæ videatur deesse clausura, facile hoc parietibus lapideis, quorum ingens ibi copia est, posse suppleri. In primis Vir Dei non acquievit consilio. Videtis, inquit, quia multis expensis & sudoribus jam domus lapideæ [a] consummatæ sunt, aquæductus cum maximis sumptibus per singulas officinas traducti. Si hæc omnia confregerimus, poterunt homines sæculi male de nobis sentire, quod aut leves sumus & mutabiles; aut nimiæ, quas tamen non habemus, divitiæ nos faciunt insanire. Cumque certissimum vobis sit, penes nos non esse pecunias; verbo evangelico vobis dico, quia ædificaturo turrim, futuri operis necesse est supputare expensas. alioquin cum cœperit, & defecerit, dicetur: *Hic homo fatuus cœpit ædificare, & non potuit consummare.*

[Luc. 14.]

30. Ad hæc fratres respondent: Si consummatis iis quæ ad monasterium pertinent, habitatores cessasset mittere Deus, stare posset sententia, & cessandum ab operibus rationabilis esset censura. Nunc vero cum quotidie gregem suum Deus multiplicet, aut repellendi sunt quos mittit, aut providenda mansio in qua suscipiantur. Nec dubium est, qui parat mansores, quin præparet mansiones. Absit autem ut pro diffidentia sumptuum confusionis hujus incurramus discrimina. Audiens hæc Abbas, fide & caritate eorum delectatus est, & aliquando tandem consiliis acquievit; plurimis tamen prius super hoc ad Deum precibus fusis, nonnullis quoque revelationibus præostensis. Gavisi sunt fratres, ubi effusum est verbum in publicum.

31. Audivit hoc sanctæ memoriæ nobilissimus princeps Theobaldus, & multa in sumptus dedit, & ampliora spopondit subsidia. Audierunt episcopi regionum, & viri inclyti, & negotiatores terræ, & hilari animo sine exactore ultro ad opus Dei copiosa contulere suffragia. Abundantibus sumptibus, conductis festinanter operariis, ipsi fratres per omnia incumbebant operibus. Alii cædebant ligna [alii lapides conquadrabant, alii muros struebant] alii diffusis limitibus partiebantur fluvium, & extollebant saltus aquarum ad molas. Sed & fullones, & pistores, & coriarii, & fabri, aliique artifices, congruas aptabant suis operibus machinas, ut scaturiret & prodiret, ubicumque opportunum esset, in omni domo subterraneis canalibus deductus rivus ultro ebulliens: & demum congruis ministeriis per omnes officinas expletis, purgata domo ad cardinalem alveum reverterentur quæ diffusæ fuerant aquæ, & flumini propriam redderent quantitatem. Inopinata celeritate consummati sunt muri, totum monasterii ambitum spatiosissime complectentes. Surrexit domus, & quasi animam viventem atque motabilem haberet nuper nata ecclesia, in brevi profecit & crevit.

[Hæc ex m... Corb.]

## CAPUT VI.

*De schismate Aquitaniæ, opera Bernardi composito; & femina ab incubo dæmone mirabiliter liberata.*

32. Laborabat ea tempestate sub schismaticorum oppressione tota Burdegalensis ecclesia: & non erat in Aquitania qui posset resistere Principi, cujus animum induraverat Deus: qui, annuente Gerardo Engolismensi episcopo, & instillante in cor ejus dissensionis semina, factus est schismatis defensor & auctor. Quicumque susceptioni Petri Leonis non subscribebant, persecutionibus expositi, alii damnis, alii proscriptionibus mulctabantur, alii à sedibus propriis pulsi exsulare compellebantur. Sibilabat in auribus Comitis illius crebris persuasionibus *, quasi serpens antiquus, veterator ille, qui diu in partibus illis Sedis apostolicæ fuerat Legatus, & nunc à magistratu tanto dejectus, non poterat se pati suæ solius ecclesiæ episcopum, qui se viderat totius Aquitaniæ principem & magistrum. Erubescebat enim ad primam domum redire, cujus potentatui & Turonica, & Burdegalensis, & Auxiensis provinciæ subjectæ fuerant, & quicquid à collibus Iberorum usque ad Ligerim complectitur & claudit Oceanus, paruerat ejus imperio. Consuetus igitur prædari provincias, & sub titulo justitiæ de causis emergentibus facere quæstum, infinitas aggregarat pecunias, quæ sibi erant in idolum & in apostasiæ simulacrum. Videns itaque periisse sibi exactionum auctoritatem, & solam domum, quæ nuper multis stipata clamoribus, jam carebat ærariis; impatienter ferens quod manus ejus non implerentur muneribus, homo serpentinæ astutiæ, festinato ad Petrum Leonis misit, ut ei legationem concederet, & ipse ei fidelitate jurata obediret: insuper & Principem terræ, & quoscumque posset, ad ejus imperium inclinaret. Gavisus homo perditionis, quia locum, in quo dilataret malitiam suam, se invenisse putavit, cito annuit; & libenter ei etiam in adstipulationem erroris Gilonem Tusculanum cardinalem episcopum, qui solus de Romanis cum Petro Portuensi episcopo ei adhæserat, celeriter delegavit.

[Anno 11.. V. Epist.] [* al. suggestionibus]

33. Porro Gerardus ipse, qui prius se mutilatum dolebat, resumpsit cornua, & deinceps cœpit securior & audacior apparere. Nam &, quod ante non fecerat, publice procedebat mitratus, ut ipsa sacri officii insignia ampliorem ei reverentiam in populos vindicarent. Aggreditur ergo Comitem multis pecuniis, invadit animam

[a] Codex Corbeiensis, *domus ista parata est, sublimis est ecclesia, domus lapidea* &c.

ejus

ejus rationibus venenatis, & hominem promptum ſeducit facile & corrumpit. In primis ab urbe Pictavenſi Guilielmus epiſcopus, vir honeſtus, homo catholicus, in ſocietate & defenſione univerſalis Eccleſiæ ſtabilis, violenter expellitur, & à Gerardo cardinale & adjutore ſuo, quia Petrum abdicabat, damnatur. Erant & aliæ familiares cauſæ, pro quibus ei à multo tempore Comes infenſus, data occaſione, libentiſſime eum perſequitur & abjurat. Viſum eſt autem tam Gerardo quàm Comiti, ut ad confirmationem partis ſuæ ſine mora Pictavi crearent epiſcopum. Et invenerunt hominem ambitioſum, nobilem quidem genere, ſed degenerem fide: quem, ut genus ſuum cum eo in cauſa ponerent, quibuſdam ex clericis conſentientibus elegerunt: & profanas ei imponentes manus, exſecrabile caput ejus non tam unxerunt, quàm contaminaverunt. Simile huic monſtrum in Lemovicenſi eccleſia intruſerunt Ramnulfum quemdam Doratenſem * abbatem, quem non multo poſt ultio divina ſecuta eſt. Cadens enim reſupinus de equo in via plana, uno tantum lapide ultore, qui ad hoc ibi erat relictus, infixo capiti ejus, & quaſſato cerebro exſpiravit.

* al. orbit.

34. Audiens hæc & hujuſmodi vir venerabilis Gaufredus Carnotenſis epiſcopus, cui à Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, vehementer indoluit, & ſuccurrendum periclitanti Eccleſiæ, poſtpoſitis aliis negotiis, ſine ulla dilatione decrevit. Abbatem igitur Claræ-vallenſem petit & obſecrat, ut ſibi ad tanta mala eliminanda ſuccurrat. Aſſenſit Vir Dei, & ſe in proximo congregationem monachorum in Britanniam [a], in locum quem juxta Nannetum Comitiſſa Ermengardis paraverat, ducturum intimat; & promittit diſpoſita illa domo ſecundum genus & ſpecies ſuas, ſe cum eo in Aquitaniam profecturum. Ibant igitur ſimul, & ne multis ambagibus utar, ſimul Nannetum venerunt. Erat autem in regione illa miſera mulier, quæ à quodam petulante diabolo vexabatur. [ Apparuit autem ei laſcivus ille diabolus in ſpecie militis, valde pulcri aſpectu, & in amorem ſuum intus ſuggeſtione latenti, extra locutione blandienti animum ejus fallaciter inclinavit. Cumque mulieris aſſenſum obtinuiſſet, expanſis brachiis, pedes ejus ſuper una manuum ſuarum poſuit: altera vero manu caput ejus operuit, ſibique eam fœderis hujus ſigno dotavit*. ] Habebat autem illa virum ſtrenuum militem, ſed hujus tam exſecrabilis commercii prorſus ignarum. Abutebatur ergo ea, etiam in eodem lecto cubante marito, inviſibiliter impuriſſimus ille adulter, & incredibili vexabat libidine.

* al. deſpon-

35. Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo vero anno confuſa eſt in ſe ipſa, & expavit, tum propter colluvionem tam continuæ turpitudinis, tum propter timorem Dei, cujus judicio ſingulis momentis timebat intercipi & damnari. Confugit ad Sacerdotes, & piaculum confitetur. Peragrat loca ſancta, & Sanctorum implorat ſuffragia: ſed nulla ei confeſſio, nulla oratio, nulla eleemoſynarum largitio ſuffragatur. Quotidie ut prius, & importunius à dæmone infeſtatur. Denique in publicum tantum ſcelus effuſum eſt. Quo audito & cognito, maritus ejus contubernium exſecratur. Interea ad locum prædictum Vir Dei cum comitatu ſuo advenerat: cujus ut audivit adventum infelix mulier, ſe ad pedes ejus tremebunda projecit. Aperit ei lacrymis perfuſa paſſionem horribilem, & ludificationem inveteratam; & quod nihil ei profeciſſent, quæcumque feciſſet ſibi à presbyteris imperata. Addidit ſibi ab oppreſſore ſuo adventum ejus prædictum, & minaciter ei interdictum, ne ante ejus veniret præſentiam, quia nihil ei prodeſſet; & ipſe, recedente Abbate, qui fuerat amator, crudeliſſimus ei fieret perſecutor. Audiens hæc Vir Dei, blandis verbis conſolatur mulierem; & de cælo promittens auxilium, præcipit ut die altera, jam enim nox inſtabat, confidens in Domino revertatur. Reverſa mane, cum Viro Dei blaſphemias & minas, quas eadem nocte ab incubo ſuo audierat, retuliſſet; Ne « cures, inquit Vir Dei, minas ejus, ſed tolle baculum « hunc noſtrum; & pone in lectulo tuo, & ſi quid po- « teſt, agat. Egit mulier quod juſſum fuerat, & recubans in lectulo ſuo, ſigno crucis munita, juxta ſe baculum ponit. Adeſt ille continuo, ſed nec ad conſuetum opus, nec ad ipſum cubile præſumit accedere: minatur tamen acerrime, quod diſcedente Viro Dei, ipſe in ejus ſupplicia reverteretur. Inſtabat dies Dominica, & voluit Vir Dei per edictum Epiſcopi populum in eccleſiam accerſiri. Cumque ipſa die maximus populus ad eccleſiam conveniſſet, inter Miſſarum ſollemnia comitantibus epiſcopis, Gaufredo Carnotenſi, & Brictio Nannetenſi, ipſe ad ambonem conſcendit, & ut omnes qui in eccleſia erant, accenſas candelas in manibus teneant, locuturus edicit. Quod & ipſe cum epiſcopis & clericis faciens, inauditos diaboli auſus publice aperit, & fornicatorem ſpiritum, qui in tam horrenda inquinamenta, etiam contra naturam ſuam, exarſerat, cum omnium fidelium qui aderant ſubſcriptione anathematizat: & auctoritate Chriſti tam ad illam, quàm ad omnes mulieres deinceps interdicit acceſſum. Exſtinctis itaque ſacramentalibus illis luminibus, exſtincta eſt deinceps tota virtus diaboli, & mulieri poſt confeſſionem communicanti, numquam poſtea apparuit inimicus, ſed irregreſſibiliter eliminatus aufugit.

36. His itaque patratis, ſimul Abbas & Legatus ingrediuntur Aquitaniam. Interim Gerardus, aſſenſu Comitis, Burdegalenſem archiepiſcopatum occupaverat, & ſimul Burdegalenſem & Engoliſmenſem detinebat eccleſiam. Sed effluentibus pecuniis, quas in aſſentatorum manus injecerat, & magis ac magis cognita veritate, jam defluebant ab eo ſubſidia principum, & perfidiæ ejus timebant exſiſtere defenſores. Morabatur itaque in locis illis, in quibus ſecuriorem ſe putabat, nec jam facile publicis ſeſe conventibus præſentabat. Ut enim prius geſta breviter repetamus, ubi primum cœpit audiri, quid adverſus Eccleſiam Dei Gerardus ille machinaretur, ab Innocentio Papa adhuc in Galliis demorante miſſi ſunt Abbas noſter Claræ-vallenſis, & Joſlenus venerabilis epiſcopus Sueſſionenſis, & Pictavim uſque venerunt, ut tam ipſum quàm prædictum Principem convenirent. At ille jam eodem Principe perſuaſo, impudenter in Eccleſiam catholicam, à qua ſe præcidebat, convicia cœpit jaculari, & pollicitam prius Innocentio ſubtrahere obedientiam. Anacletum ſuum electum digniorem *; & quicumque ei non obedirent, * al. dignius. erroneos & acephalos nominare. Unde factum eſt, ut animati & armati in inſaniam clerici, publice ex ea die perſecutionem Catholicis intentarent. Prius tamen, quàm [b] ab unitate ſeipſos taliter præcidiſſent, obtulerat Abbas ſanctus in eorum eccleſia ſacrificium Deo. b Poſt cujus diſceſſum, Decanus ejuſdem eccleſiæ altare, in quo divina myſteria celebrarat, impie quidem, ſed non impune confregit. Siquidem poſt breve tempus percuſſus à Deo, cum ſpiritum exhalaret, domum, in qua moriebatur, plenam vidit dæmonibus; & ſe à dæmonio jugulari clamitans, cultellum à circumſtantibus poſtulabat quem immergeret gutturi ſuo, ut extracto dæmone viveret. Sed diabolus, cui datus erat, eum inter hæc verba exſtinxit, & peſtilentem animam in infernum demerſit. Archipresbyter quoque, qui Petri invaſoris Pictavenſis eccleſiæ ſynodum denuntiabat, coram ipſis, quos ad conventum perfidiæ invitabat, à diabolo correptus eſt. Sed & in alios multos, qui in ſchiſmate illo ferventiores exſtiterant, manus divina manifeſtam exercuerat ultionem. Propter hæc & alia hujuſmodi, ante homines confundi cœperat Gerardus, & timens opponi ſibi quæ negari non poterant, conventus publicos evitabat.

37. Significatum eſt interim Comiti per viros illuſtres, qui ad eum ſecurius audebant accedere, quod Abbas Claræ-vallenſis, & Epiſcopus Carnotenſis, aliique Epiſcopi, & religioſi viri colloquium ejus expeterent, quorum

a De hoc monaſterio vide Notas fuſiores in epiſtolam 116.
b Aliis, *quàm ſic eorum propalata fuiſſet & obſirmata perfidia, obtulerat &c.*

etiam studium esset, ut secum de pace Ecclesiæ, & de malo removendo tractarent. Persuasumque est illi, ne tantorum virorum devitaret colloquium: quia poterat fieri, ut communicato cum eis consilio, facile esset quod modo putabatur difficile; & quod videbatur impossibile, repentino proventu possibile redderetur. Itaque apud Partiniacum * hinc inde conveniunt; & in primis de divisione Ecclesiæ, & de scissuræ obstinatione, quæ infra Alpes in sola Aquitania, quasi nebulæ corruptela consederat, multis modis & rationibus à servis Dei Comiti intimatum est, quod Ecclesia una est, & quicquid extra eam est, quasi extra arcam, judicio Dei necesse est interire & dilui. Adducta quoque exempla Dathan & Abiron, quos pro reatu schismatis terra vivos absorbuit, nec tanto malo vindictam Dei aliquando defuisse monstratum est. His auditis, Comes ex parte sano usus consilio, respondit, se in obedientiam Innocentii Papæ posse dare consensum; sed in restitutionem episcoporum, quos de sedibus suis expulerat, nulla ratione induci, quoniam implacabiliter eum offenderant; & juraverat, se eorum pacem nullo tempore suscepturum. Diu per internuntios protractus est sermo: & dum vicissim verbis se mutuo occupant, Vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare sanctum oblaturus & supplicaturus accedit. Intraverant ecclesiam, quibus licebat divinis interesse mysteriis: Comes sustinebat pro foribus.

* Parthenay. — Num. 36.

38. Peractis igitur consecrationibus, & pace data & diffusa in populum, Vir Dei jam non se agens ut hominem, Corpus Domini super patenam ponit & secum tollit, atque ignea facie, & flammeis oculis, non supplicans, sed minax foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem: Rogavimus te, inquit, & sprevisti nos. Supplicavit tibi in altero quem jam tecum habuimus conventu, servorum Dei ante te adunata multitudo, & contempsisti. Ecce ad te processit Filius Virginis, qui est Caput & Dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest Judex tuus, in cujus nomine omne genu curvatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Adest Judex tuus, in cujus manus illa anima tua deveniet. Numquid & ipsum spernes? numquid & ipsum, sicut servos ejus contemnes? Lacrymabantur universi qui aderant, & orationibus intenti præstolabantur exitum rei: & omnium suspensa exspectatio, nescio quid divinum fieri cælitus exspectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, & sacratissimum Domini Corpus ferentem in manibus, expavit & diriguit, membrisque tremebundis metu & dissolutis, quasi amens solo provolvitur. Elevatus à militibus rursum in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, salivis in barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur. Tum Vir Dei ad eum propius accedit, & pede pulsans acclivem, surgere jubet, & stare supra pedes, & Dei audire sententiam. Præsens est, inquit, Pictavensis Episcopus, quem ab ecclesia sua expulisti. Vade & reconciliare ei, & in osculo sancto pacis cum eo jungito fœdera, & ipse ad Sedem suam eum reducito: & satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in universo principatu tuo divisos & discordes ad caritatis revoca unitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei omnis obedit Ecclesia, tu quoque electo à Deo tanto pare Pontifici. Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus-sancti, & sanctorum Sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere, nec poterat: sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit Episcopum: & eadem qua eum abjuraverat manu, cum totius exsultatione civitatis ad propriam Sedem reduxit. Sed & deinceps Abbas cum Comite jam familiarius & suavius loquens, paterne eum monuit, ne ad tam impios, & tam temerarios ausus ultra exsurgeret, ne Dei patientiam tantis irritaret flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret.

39. Pace itaque omni Aquitaniæ ecclesiæ reddita, solus Gerardus perseverat in malis: sed non multo post, adveniente die iræ, in domo sua miserabiliter exstinctus est. Et cum dicat Scriptura, *Est peccatum ad mortem, pro eo non dico ut roget quis*: impœnitens & subito mortuus, sine Confessione & Viatico, de corpore egredientem spiritum ei reddidit, cujus minister usque in finem exstiterat. Corpus ejus à nepotibus suis, quos in ecclesia illa honoribus sublimaverat, inventum in lectulo suo exanime, & enormiter tumidum, in basilica quadam humatum est, sed postea à Gaufrido Carnotensi episcopo Sedis apostolicæ legato inde extractum, alioque projectum est. Nepotes quoque ejus ab eadem ecclesia postea eliminati sunt, & omnis progenies & plantatio à radice avulsa, per extera regna, tanti judicii circumferens querimonias, exsulavit. Tanto igitur malo obruto, & schismate Gerardi redacto in cineres, Vir Dei cum gaudio magno Claram-vallem revertitur. Adsunt Fratres, circumfusi pedibus ejus: gratias agunt Deo, qui bonis initiis feliciores proventus accumulat, & servi sui humilitatem ubique glorificat & exaltat.

1. Johan 5.

40. Nactus vero Vir Dei aliquod quietis tempus, aliis se negotiis occupavit, & secedens in casulam pisatiis * torquibus circumtextam, solus meditationibus divinis vacare disponit. Et repente occurrunt ei in diversorio humili, quasi ad præsepe Domini consistenti, amatoria Cantica, & spiritualium fercula nuptiarum. Considerat & expavescit, quod Sponsus ille speciosus forma præ filiis hominum, in quem etiam Angeli prospicere desiderant, fuscam adamaverit sponsam, & decoloratam à sole, tanto extollat præconio, ut dicat eam totam formosam, nec ullam in ea maculam esse. Ipsam quoque sponsam dilectione languere miratur, & inquirit diligenter, quæ sit illa caritas, cujus oscula * dulciora sunt vino, ad quorum delibationem tanto affectu anima impatienter anhelat. Cumque Sponsus multis laudibus sponsam attollat, non tamen in omnibus plenam ei sui copiam præbeat, nec usque ad plenitudinem satietatis se sponsæ desideranti concedat: quæsitus aliquando non inveniatur, & post longos circuitus repertus teneatur, ne fugiat. Multo tempore * in harum meditatione rerum animam suam effudit; & multipliciter hæc exponens, quantum in se profecerit qui quotidie in illis epulabatur deliciis, quantum nobis profuerit, quibus ejusdem benedictionis reliquias in scriptura servavit, manifestum est legentibus eam.

* Psal. de pisc. — * al. u... — * al. quamd...

## CAPUT VII.

*De causa schismatis Romæ, & apud Rogerium regem Siciliæ feliciter acta.*

41. INterea litteræ apostolicæ Virum Dei vocant, & ut adsit laboranti Ecclesiæ, supplicant Cardinales. Intermittuntur studia, & quæ modo continua erant, interpolatis discursibus resumuntur. Nulla vacatio superest: servus Dei aut orat, aut meditatur, aut legit, aut concionatur. Videns igitur excusationes frustra expendi *, [& necesse esse obedire mandatis,] convocatos à multis partibus fratres, diu profundeque suspirans, affatur. Videtis, fratres, in quantis tribulationibus laboret Ecclesia. Pars quidem Petri, & in Italia, & in Aquitania, auctore Deo elisa, jam non parturit, sed abortit. Evasati sunt in his regionibus schismatis defensores. Romæ magna pars nobilium Innocentium sequitur, & favent ei multi fidelium: qui tamen temerariæ multitudinis impetum formidantes, non audent publice confiteri, quem Innocentio firmavere, consensum. Conjuratores habet Petrus homines perditos, quos corrupit pecunia: & munitionibus eorum occupatis, non Simonis Petri fidem, sed Simonis Magi repræsentat præstigias. Contra unam gentem, Occidente edomito, superest lucta. Orantibus vobis & jubilantibus Jericho ruet; & cum extenderitis ad Deum cum Moyse manus, Amalech victus aufugiet. Josue pugnat, & ut ad consummationem victoriæ dies sufficiat protelata, Soli ut stet, non tam orat, quàm imperat: & meretur fides tam solis obedientiam, quàm de hoste prostrato victoriam. Nobis igitur pugnantibus vos ferte præsidium, & auxilium de cælo supplicibus animis implorate. Agite quæ agitis, & state in gradu quo statis: & licet nihil vobis conscii sitis, judicio tamen vestro non æstimetis vos justos: quia solus Deus quos justificat judicat, & perfectissimus quisque judicii

* al. o di.

» divini districtum examen ignorat. Judicari autem ab humano die non multum curetis, neque vestra propria, neque aliena judicia approbantes, sub timore Dei sic state, ut nec vos quempiam judicantes aliquando extollamini; nec aliorum curantes judicia, excidatis in nugas: singula vero prosequentes, vos servos inutiles reputetis. Eundum est autem quo nos obedientia vocat, & hujus domus fraternitatem *, & vestri custodiam Deo, pro quo hunc assumimus laborem, confidentes de ejus clementia, tradimus & commendamus.

42. Hæc dicens, & benedicens, flentibus universis discessit: & cum multa reverentia ubique susceptus, demum Romam pervenit. In cujus adventu tam dominus Papa, quam Fratres * lætati sunt; & communicatis cum eo consiliis, secundum rerum proventus & statum causarum Abbas alia via aggreditur; nec in curribus, nec in equis spem ponens, sed colloquia quorumdam suscipiens, sciscitatur, quæ sit eorum facultas, qui fautorum animi; utrum errore, an malitia seducti, tantum scelus protrahant & protelent. Intelligit ex secretis Clerum qui cum Petro erat, de statu suo sollicitum, scire quidem peccatum, sed non audere reverti, ne perpetua notatus infamia, vilis inter ceteros haberetur: & malle sub umbra honestatis interim sic esse, quam expelli à sedibus suis, & publicæ mendicitati exponi. Eorum qui de Petri prosapia erant, hæc erat responsio: quia jam credi eis à nemine posset, si demembrarent genus suum, & eum relinquerent, qui cognationis suæ caput esset & dominus. Ceteri juramento fidelitatis excusabant perfidiam, nec aliquis ex sana conscientia parti illi conferebat suffragia. Denuntiabat itaque eis Abbas colligationes impietatis esse sacrilegas, & profanas conspirationes legibus & Canonibus condemnatas juramentis non posse muniri; non posse, nec debere veritatis sacramenta mendacio suffragari. Insanire autem eos, qui rem illicitam sacramenti patrocinio constare existimant, cum oporteat extraordinarias pactiones, quocumque religionis obtentu sancitas, revocari * in irritum, & auctoritate divina dissolvi. Auditis his aliisque viri Dei sermonibus defluebant à Petro, & quotidie partis illius dissociatis agminibus, vincula rumpebantur: ipsius quoque Petri animus tabescebat, quia se quotidie minui, Innocentium vero crescere minime dubitabat. Defecerant pecuniæ, contabuerat curiæ amplitudo, aruerant ministeria domus. Rarus mensam ejus frequentabat conviva, deliciæ in plebeia cibaria commutatæ, cultus obsequentium vetustate obscurus, [ macri & acuti ] stipendiarii ære alieno oppressi, & tota domus effigies pallida, dissolutionem proximam indicabat.

(* fratern... ; * cardina... ; * eva...)

43. Interea rex Siciliæ Rogerius, qui solus jam ex principibus obedire Papæ Innocentio detrectabat, ad eum mittit, petens, ut Aimericum cancellarium suum, & Abbatem Claræ-vallensem ad se mitteret: nihilominus à Petro Leonis idem petens, ut Petrum sibi Pisanum à suo latere delegaret. Aiebat autem se dissensionis hujus, quæ jamdiu induruerat, velle scire originem; & cognita veritate, aut corrigere errorem, aut sancire sententiam. Mittebat autem in dolo, quia audierat Petrum Pisanum eloquentissimum esse, & in Legum & Canonum scientia nulli secundum; putabatque si eloquentiæ ejus in publico consistorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis simplicitatem Abbatis posse obrui, & silentium ei vi verborum & pondere rationum imponi. Ne diu morer, venit pars utraque Salernum. Sed militaverat ultio, & prævenerat tanti sceleris machinamentum. Parato namque ad bellum innumerabili exercitu adversus Rannulfum Ducem, idem Rex in campum armatas produxerat acies: cum subito viso Duce audacter obviam procedente, territus fugit, effusumque exercitum prædæ & cædibus exposuit, & innumeris militibus captis & interfectis, invitus Ducem ditavit opibus, gloria sublimavit. Quæ quidem ei juxta verbum Viri Dei omnia contigerunt. Cum enim primus eorum qui vocati fuerant Abbas sanctus adveniens, Regem in castris positum invenisset, per multos dies vicinas acies ne committerent, impedivit: denuntians Regi, quia si conflictum inieris, victus & confusus abibis. Novissime vero cum ejusdem Regis plurimum crevisset exercitus, ignorans, quod non in multitudine foret eventus belli; Virum sanctum quærentem ea quæ pacis erant, ulterius audire contempsit.

44. At ille Ducem Rannulfum, & Catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, sicut Regi fugam, sic illis victoriam pollicitus est & triumphum. Cumque ad proximam villulam declinasset, & instaret orationi, repente fugientium & insequentium clamor auditur. Siquidem per eumdem locum fugientem Regis exercitum Rannulfus persequebatur. Egressus itaque frater quidam ex his qui cum Abbate erant, uni ex militibus occurrit, & quid accidisset, interrogabat. At ille, siquidem litteras noverat: *Vidi*, inquit, *impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat.* Psal. 36. Nec mora, Dux ipse secutus, ut monachum vidit, sicut erat armatus, equo desiliit: & ejus pedibus advolutus; Gratias, inquit, ago Deo, & fideli servo ejus, quia non nostris viribus, sed ejus fidei collata hæc victoria est. Iterumque insiliens equo, hostes insequebatur.

45. Nec tamen hac plaga, sibi inflicta cælitus, correctus est animus Regis, nec detumuit procella quam conglomeraverat pravæ mentis elatio: sed post fugam reversis qui evaserant, simulans alacritatem, regio se ornatu attollens, stipata militibus curia, utramque partem præcipit accersiri; & prius instructo Petro, & multarum promissionum auctoramentis accenso, de causæ suæ rationibus eloqui jubet. Prior itaque Petrus electionem domini sui canonicam probare contendit; & verba sua multis legum & canonum assertionibus munit. At vero Vir Dei non in sermone, sed in virtute regnum Dei esse intelligens, Scio, inquit, Petre, te virum sapientem & litteratum esse: & utinam sanior pars, & honestiora te occupassent negotia! Utinam te patronum causa justior & felicior obtineret! & sine dubio rationabilia allegantem nulla posset impedire facundia. Et nos quidem agrestes, sæpius ligonibus quàm pragmaticis advocationibus * assueti, si causa fidei non urgeret, institutum silentium teneremus. Nunc autem cogit nos caritas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore passionis nec Ethnicus præsumpsit scindere, nec Judæus, fautore hoc domino, Petrus Leonis lacerat & disrumpit. Una est Fides, unus Dominus, unum Baptisma. Nos neque duos dominos, nec geminam fidem, nec duo baptismata novimus. Ut ab antiquis ordiar, una arca tempore diluvii fuit. In hac octo animæ, ceteris omnibus pereuntibus, evaserunt; & quotquot extra arcam inventi sunt, perierunt. Arcam hanc typum tenere Ecclesiæ, nemo est qui ambigat. Arca alia nuper fabricata est, & cum duæ sint, alteram necesse est esse adulteram, & in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, si ex Deo est, necesse est, ut arca, quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus: peribit Francia, peribit Germania: Iberi * & Angli, & barbara regna in profundum pelagi demergentur. Religio Camaldrensis *, & Cartusiensis, & Cluniacensis, & Grandimontensis, & Cistercicnsis, & Præmonstratensis, aliaque innumerabilia servorum, & ancillarum Dei collegia, necesse est, ut sub uno turbine corruant in abyssum. Episcopos, & abbates, & reliquos Ecclesiæ principes collo præcipiti mola asinaria alligata pelagus vorax excipiet. Solus ex principibus mundi arcam Petri intravit iste Rogerius, & ceteris omnibus enecatis, solus ipse salvabitur? Absit ut totius mundi religio pereat, & ambitio Petri, cujus vita palam est qualis exstiterit, regnum cælorum obtineat.

(* al. declamationibus. * Espagnols. * al. Camaldulensis.)

46. Ad hæc verba non se poterant ultra, qui præsentes aderant, continere, sed abominati sunt & vitam Petri Leonis, & causam. Abbas autem tenens manum Petri Pisani elevavit eum, & simul ipse surrexit; Tutiorem, inquiens, si mihi credas, intrabimus arcam. Et sicut jam pridem mente conceperat, salutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus persuasit, ut ad Urbem rediens, Innocentio Papæ reconciliaretur. Soluta concione, Rex necdum voluit obedire, quia sancti

Petri patrimonium, quod in Cassinensi & Beneventana provincia amplissimum est, cupidus occupaverat, putabatque hujusmodi suspensionibus aliqua à Romanis extorquere privilegia, per quæ in jus proprium deinceps sibi stabiliretur hereditas. Sic Herodes visum Salvatorem contempsit, & quem desideravit absentem, contempsit præsentem. Sic omnipotens Deus claritatem, quam accepit à Patre, dedit hominibus, & contemnentes se facit inglorios, & erigit in sublime humiliatos. Igitur circa curationem cujusdam viri nobilis, & in urbe Salernitana notissimi, succumbentibus medicis, quorum ibi præcipue ars viget & studium, eidem viro de medicorum auxilio desperanti, noctu quidam per somnium apparens intimavit advenisse Salernum Virum sanctum, & in curationibus efficacem. Hunc inquirere jubetur, & de lavacro manuum ejus bibere. Quæsivit, invenit, aquam petiit, bibit, convaluit. Hoc verbum per totam urbem divulgatum, ad aures Regis & procerum ejus pervenit. Cum omnium igitur populorum favore, solo Rege in malitia permanente, Abbas Romam revertitur: prædictum quoque Petrum Pisanum, & quosdam alios reconciliat Ecclesiæ, & Innocentio Papæ confœderat.

Luc. 23. Johan. 17. 3. Reg. 3.

47. Advenerat tempus, in quo completa Amorrhæi malitia Angelus percutiens gladium jam vibrabat, & pertransiens domos, quarum superliminaria sanguis Agni imbuerat, ad domum Petri Leonis veniens, salutare in ea non reperit signum. Percussit igitur miserum, nec tamen ilico defungitur: sed datur per triduum pœnitentiæ locus. Ille patientia Dei abutitur, & in peccato suo moritur desperatus. Miserabili pompa corpus ejus effertur, cadaver ejus in latebris sepelitur, & usque hodie fovea illa à Catholicis ignoratur. Attamen pars ipsius, Papam sibi pro illo alterum statuerunt *: non tam ex pertinacia schismatis; quàm ut opportunius per aliquam temporis moram Papæ Innocentio reconciliarentur. quod sine mora per manum servi sui Christus effecit. Nam & ipse ridiculus Pontifex, Petri Leonis heres, ad eumdem virum Dei nocte se contulit: & ille quidem nudatum eum usurpatis insignibus ad domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto civitas gratulabunda lætatur, Innocentio ecclesia redditur, Romanus populus ut pastorem & dominum Innocentium veneratur. Abbas Claræ-vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, & Pater patriæ prædicatur. Procedentem viri nobiles prosequuntur, acclamat populus, matronæ sequuntur, & omnes ei prompto animo obsequuntur. Sed quamdiu ille gloriam toleravit? quamdiu pace fruitus est post tam diuturnum laborem? Nec diem pro anno recipere acquievit. Sedatis omnibus & compositis, vix quinque dies teneri potuit, qui septem annis & ultra pro resarcienda eadem scissione sudavit. Exeuntem Roma prosequitur, deducit Clerus, concurrit populus, universa nobilitas comitatur. Nec poterat sine communi mærore dimitti, qui colebatur amore communi. [Lacrymantur post eum, & se ab eo postulant benedici, & orationibus ejus cum omni devotione se commendant.]

* nomine Victorem.

48. Accepta ergo ab Innocentio licentia, confirmata pace, Vir [a] Dei regreditur; & maximum domi reportans gaudium, à fratribus cum gratiarum actione devote suscipitur. Interea Romæ Innocentius potestative agenda disponit, undique visitatores occurrunt. Alii cum negotiis, alii tantum gratia congaudendi adveniunt. Processiones per ecclesias sollemniter celebrantur, depositis armis ad audiendum verbum Domini plebes accurrunt. Post multifarias egestates in brevi civitas opulenta reflorет: quæ discordiæ tempore distracta fuerant, pax solidata reducit & revocat. Arantur solitudines, & deserta pinguescunt. Requiescunt singuli sub vite & ficulnea sua: nocturnæ silent excubiæ, & apertis januis, omnis timor excluditur. Dato tempore Innocentius Ecclesiæ ruinas restaurat, recolligit exsules, ecclesiis antiqua servitia, depopulatas colonias expulsis restituit, insuper & congrua dona largitur. Monasterium etiam apud Aquas-Salvias [b] in sancti Anastasii martyris honore constituit; quod quidem ibi prius fuerat, sed hoc tempore sola ecclesia deerat habitator. Constructis itaque cœnobialibus mansionibus, & reformata ecclesia, assignatis etiam ad alimonias domibus, agris, & vineis, à Claravalle Abbatem & conventum Fratrum sibi mitti dominus Papa petiit, & obtinuit. Mittitur ergo Bernardus *, Pisanæ olim ecclesiæ vice-dominus, & religiosi cum eo fratres, qui secundum beati Benedicti Regulam in eodem loco Domino deservirent. Cito profecit illa plantatio, & associatis sibi viris indigenis, servorum Dei multiplicatus est numerus; & pascua congrua nutrimentis multiplex in brevi produxere peculium.

* Cognomento de Paganelli

## CAPUT VIII.

*De Præsulibus Ecclesiæ è Clara-valle progenitis. De insigni pietate Comitis Theobaldi, ejusque gravi tribulatione.*

49. Abbas sanctus ad studia sua reversus, dilectum amplectitur Epithalamium. E diversis etiam regionibus odore religionis illius ubique diffuso, fratres ad fundanda monasteria invitantur. Fundata quoque & statuta ditioni ejus sese subjiciunt, & arctioris ineunt regulas disciplinæ. Sed & diversarum regionum civitates ex hoc collegio meruere Episcopos. In primis Roma summo ornatur Pontifice. Præneste * Stephanum habuit totius modestiæ * virum. Ostia * virum magnum Hugonem. In ipsa quoque Romana curia Henricus, & Bernardus, alter presbyter, alter diaconus ordinati sunt cardinales. Prope urbem Romam Nepa quoque sub Huberto refloruit. In Tuscia, Pisis natalis soli gloria, & magnum Ecclesiæ lumen Balduinus effulsit. Citra Alpes Lausannæ datus est Amedeus; Seduno Garinus, Lingonis Godefridus, Autissiodoro Alanus, Nannetis Bernardus, Belvaco Henricus, Tornaco Giraldus, Eboraco Henricus. In Hibernia duo Episcopi, re & nomine Christiani. In Alemannia civitate Curia Algotus, sapientia, ætate & gratia reverendus. Hæc luminaria de Clara-valle assumpta fulgore puro prædictas urbes sua illustravere præsentia, & pastoralis officii elucidantes gloriam, exemplum ceteris Episcopis facti sunt doctrinæ & vitæ, & in altitudine sua semper humiles constiterunt.

* Palestri[na] * al glor[iæ] * Ostie.

50. Defuncto siquidem Innocentio Papa, & successoribus ejus Cælestino & Lucio quàm velociter consummatis, Bernardus quem prius apud sanctum Anastasium abbatem diximus ordinatum, Papa Urbis efficitur, & Eugenius tertius appellatur. Hic seditione orta in populo, pulverem pedum in litigantes excussit, & relictis eis, in Franciam venit. Cumque se Romæ comederent ac morderent, & se invicem consumerent, exspectavit in pace, donec fatigati conflictibus & damnis afflicti, ejus præsentiam cuperent & optarent. Qui interim celebrato Remis Concilio Claram-vallem humiliter visitat, & gloriam pontificatus Romani pauperum repræsentat aspectibus. Mirantur omnes in tanta altitudine humilitatem immobilem, & in tam excellenti culmine propositi sancti permanere virtutem; ut altitudini sociata humilitas pro officio exterius splendeat, & pro virtute nequaquam interius inanescat. Adhærebat carni ejus lanea [c] tunica, & diebus ac noctibus cuculla vestitus sic ibat, & sic cubabat. Intus monachi habitum retinens, extra se pontificem & moribus, & vestibus exhibebat: rem difficilem agens, diversarum in uno homine proprietatem exprimens personarum. Segmentata * ei circumferebantur pulvinaria. Lectus ejus palliis opertus cortina ambiebatur purpurea; sed si revolveres operimenta, invenires superjectis laneis complosa stramina,

* Carreaux de broderie

a Codex Corb. *Vir Dei domum revertitur, & duplex exhibens gaudium cum exsultatione universæ terræ suscipitur* &c.

b Ibi cœnobium monachorum Honorius I. instituerat anno 626.

c Vide religionem in Summo Pontifice, qui non lanea interula, sed tunica corpori adhærente utebatur, nec cucullam de nocte etiam in lecto abjiciebat, non Scapulari, quod tunc non licebat, teste Herberto in lib. 2. de miraculis Cisterciensium cap. 35. Bernardo ob infirmitates permissus lanei indusii usus cum pileo simili, infra lib. 3. num. 5.

& paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde: ipse vero bona coram Deo, & hominibus providebat. Alloquitur fratres non sine lacrymis, miscens sermonibus avulsa à corde suspiria, hortatur & consolatur, & se inter eos fratrem & socium, non dominum exhibet, vel magistrum. Cumque ibi morari diutius non pateretur magna eum prosequens comitantium multitudo, salutatis fratribus iter in Italiam dirigens abscessit, & ad Urbem pervenit.

51. Scripsit ad eumdem Papam vir sanctus multæ subtilitatis † Librum *, in quo acutissima indagatione tam ea quæ circa eum, quam quæ infra sunt, prosequens, etiam ad ea, quæ supra ipsum sunt, ascendens, tanta de natura divina disseruit, ut videatur in tertium cælum assumptus audisse quædam verba, quæ non licet homini loqui, & Regem in decore suo vidisse. In his quæ infra, & quæ circa ipsum sunt; morum societas, naturæ æqualitas, officiorum distantia, consideratio meritorum, dijudicatio provectuum subtilissime distinguitur, & singulis in suo genere sui cognitio intimatur. In his quæ supra hominem sunt, speculatur cælestia, non eo modo, quo Angeli, qui semper adhærent Deo, considerant; sed eo modo, quo potest homo puri animi & mentis sinceræ divina contingere, & conformari hierarchiæ cælesti sacerdotium temporale. Cum enim in cælesti militia constet alios aliis principari, & ministeriales spiritus, ad nutum superiorum potestatum, ad diversa officia delegari; quidam vicinius assistentes ab ipso accipiunt, quæ aliis, vel agenda, vel intelligenda insinuent. Cumque exigat homo præpositura suæ reverentiam exhiberi, ad honorem summæ potestatis cuncta referri necesse est: quia cum sit subditus homini homo, vel spiritui spiritus; subdi maxime oportet Deo, de cujus munere datur ista prælatio, & quo docente fit, ut pateat homini tam cognitio sui, quam per fidem & spem ad divinam contemplationem pro modo data & indulta accessio. Dictabat vir Dei, & nonnumquam scribebat, in tabulis cereis [mella restituens, & quidem gratiora prioribus,] non patiebatur perire inspirata sibi divinitus. Sedabat lites ecclesiarum, & appellationes importunas, quas inter se discordes clerici concitabant, blando spiramine componebat. Interdum etiam durius increpante eo, redibat tranquillitas, & detumescentibus procellis, qui seditiosi ante eum venerant, & bile diffusa scaturientes declamationibus, pacifici revertebantur.

52. Adhæsit ei præ ceteris quidem Principibus Comes Theobaldus, & dilectionem opere prosecutus, & se, & sua in subsidia Claræ-vallis exposuit, & in manibus Abbatis posuit animam suam, deposita altitudine principali, se inter servos Dei conservum exhibens, non dominum; ut obediret ad omnia, quæcumque domus illius infimi postulassent *. Emebat igitur fundos, construebat domos, abbatiis novis præbebat impensas; & ubicumque servi Dei extendissent propagines, delegabat pecunias: non unam domum, sicut Salomon Jerosolymis, statuens; sed ubicumque hujus schematis consedissent personæ, satagebat eis ministrare necessaria, quasi Christo in terris præsenti propriam faceret mansionem. Sed & hoc in arbitrio Viri Dei posuit, ut quibuscumque egentibus eo mandante ad opus Dei sumptus præberet. Videns igitur Abbas promptum Principis animum, pietatem accendit, & maxime quidem domesticis fidei voluit eum esse obnoxium; & immortalia templa fundare consuluit, & eleemosynas ea sagacitate disponere, ut semper fructificantes redivivis & renascentibus accessionibus novas semper eleemosynas parturirent. Deinde egenis, quos hac atque illac quasi vespæ pungentes stimuli paupertatis exagitabant, omnimodis docuit misereri: aliis indumenta, aliis alimenta largiri monuit: & suggessit, ut per seipsum xenodochia visitaret, nec horreret aspectus * languentium: quia in hoc duplicaretur clementiæ bonum, si & videret, & foveret; si consolaretur, & reficeret. Humiliare pauperum oppressores, defendere pupillum & viduam, misereri & commodare, sermones in judicio disponere, providere quieti Ecclesiæ, rationem gladii intelligere quasi elementarium instruxit, summam principalis officii ei intimans, & hoc à principe requiri ex debito, ut laudi bonorum, & vindictæ malorum intendat.

53. Hæc & alia hujusmodi salubria monita homo rationabilis reverenter accipiens, luxum curiæ, & fastum altitudinis in humilitatem & honestatem convertit: nec erat qui in præsentia ejus auderet aliquid indecens vel agere, vel loqui: sed in hoc etiam ei placere studentes, sive ficto, sine puro animo ea, in quibus dominum suum delectari videbant, ipsi quoque sæpius factitabant. Introducebant igitur ad eum, qui familiarius ei assistebant, pauperes patientes calumniam, nuntiabant languentes in plateis jacentes, & quoscumque in amaritudine & miseria constitutos; & ipse oblata sibi occasione clementiæ lætabatur, & altiori gratia amplectebatur, quos de hujusmodi rebus videbat magis esse sollicitos. [Et quia suorum neminem vel in illa curia, vel pro causa illa vir Dei passus est demorari;] duos religiosos viros de Præmonstratensi Ordine evocatos eleemosynæ suæ præposuit, ad quorum curam spectaret circumire castella & vicos, in quibus ipse maneret: & de propria mensa languentes & leprosos, qui ibi manebant, quamdiu in illis locis esset, abundanter refici jussit. Sed & aliis pauperibus largas, & congruas personis eleemosynas, sive in cibis, sive in vestibus, eorum ministerio donari instituit. Et illis quidem tantum in domo sua voluit esse dominium, ut potestative pincernis, & pistoribus, & coquis, & reliquis ministerialibus, quæ vellent juberent, quæ placeret tollerent; nec esset qui aliquid prohibere auderet, vel referret ad Comitem, si in aliquo prodigi viderentur. Sed & viri illi timentes Deum, & tam ei placere, quam Comiti cupientes, nec magnificentiam Principis minuebant, qui caritatis plenitudinem de suis impleri præceperat; nec Deo ingrati esse volebant, si invenirentur desides & avari, ubi eos promptos & expeditos dispensatores esse, tam voluntas Dei, quam Principis sufficiens bonitas injunxisset. Erat præterea horum officio deputatum, ut monachis & religiosis viris, quos ad curiam diversa mittebant negotia, hospitia providerent, & de penu & horreo Comitis necessaria ministrarent. Circumferebant etiam rigente bruma, aptatis sarcinis, pauperum indumenta, & pelles, & birros, & calceamenta, in quibus nec axungia deerat, quæ per vicos indigis erogabant. Nullum in Comitatu illo clementiæ deerat opus: ad portum illum naufragi omnes tutum habebant refugium. Temporibus famis non sicut Pharao frumenta venumdedit populo, nec in servitutem sibi erogatis annonis subjecit Ægyptum: sed Abbate sancto, quasi altero Joseph, diviniore usus consiliario, gratis egenis aperuit horrea, nec exhausit pecunia populum, nec astu circumvenit afflictos, nec re publica ad se translata, privatos in terra cumulavit thesauros: sed in cælo potius thesaurizans infatigabilis distributor, cum magna alacritate & pecunias distribuit, & annonas.

54. Nec defuit viro, inhianti cælestibus, magni ponderis & horrenda tentatio; sed aggressus est eum tam Rex, quam Principes, & commota est & contremuit terra: & quasi iratus esset ei Deus, rapinis & incendiis fere omnia ad eum pertinentia depopulatoribus exposita erant: & operuit faciem terræ Regis exercitus, & passim omnia vastabantur. Nec erat ei tutum resistere, vel obviare persecutoribus: quia & sui deseruerant eum, manifeste infestantes; & qui remanserant, in insidiis, non ad subsidia erant. Undique angustiæ graves, quia nec domi sibi cavere, nec extra poterat congrua providere, cum omnino qui sui essent, nesciret; & tam de perfidia refugarum, quam de duplicitate suorum prorsus diffideret. Inter has autem angustias conversus ad Dominum, & de cælo quæsivit auxilium; & accito viro Dei, cujus consilio maxime utebatur, nec desperans de misericordia Dei, hoc ex ejus responsione accepit, ut intelligeret, quia flagellat Deus omnem filium quem recipit: & hujusmodi correptiones vel purgant, vel probant animam: & gloriosiorem fuisse Job cum sederet in sterquilinio, quam fuisset, cum circumstante exercitu sedisset illæsus in solio. Ostendit ei vir sanctus Salomonem pec-

Margin notes: [...]. utilitatis; [li]bros [...] quæ.; impe[...]ent.; de eodem lib 4 c. 3.; [...].aspec[tum]; Hæc ex MS. Corbeiensi.; Prov. 3.; Job. 2.

» casse in otio, & abusum bono pacis defluxisse in vitia: » cum David pater ejus, Absalon filio persequente, & universo Israël adversus eum armato, permansisset in gratia. Intimavit etiam quomodo ipsum satanas colaphizarit Apostolum, in qua tribulatione immobiliter perseverans illud meruit audire, quia *virtus in infirmitate perficitur*, & quia in præsenti vita segniores nos faciunt prospera, & circumspectiores adversa.

55. Audiens hæc venerabilis Comes, magnifice animatus, duo immensi ponderis & miri operis vasa aurea (in quibus pretiosissimæ gemmæ habebantur inclusæ, quæ in sollemnitate coronæ suæ rex Anglorum Henricus avunculus ejus ad ostentationem divitiarum suarum & gloriæ suæ, in mensa coram se habere consueverat) sub omni celeritate proferre jussit in medium; & à corde suo delectationem hujusmodi avellens, gemmas [a] à retinaculis suis jussit abstrahi, & aurum confringi præcepit, ut venderetur, & de pretio eorum dilecta Domino super aurum & topazion tabernacula fundarentur. Nec desistebat Amalech ab infestatione Israël: sed Moyses elevatis in cælum manibus potitus est victoria, & retrahentibus se hostibus Abbas sanctus sequester sollicitus, clamantibus ad Deum & domi plorantibus fratribus, irrupit in acies, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, & allegationibus divinis intercurrentibus detumuere procellæ, & reversa est inter Regem & Principem tranquillitas, & pacis desiderata serenitas.

*Finis libri secundi.*

# DE VITA S. BERNARDI ABBATIS

## LIBER TERTIUS

### AUCTORE GAUFRIDO MONACHO QUONDAM CLARÆ-VALLENSI, & S. Bernardi notario, postea abbate.

### PRÆFATIO.



CLARISSIMI Patris nostri Bernardi Claræ-vallensis abbatis memoriam viri insignes, ad laudem Christi & multorum ædificationem, litteris commendarunt. Inventa sane materia uberi, prout cuique licuit, & certior ei gestorum innotuit veritas non eam totam, sed partes aliquas digessere. Videtur autem nonnullis, quod multo minus eum silere debuerat * puer sanctitatis ipsius, dignationis filius, benignitatis alumnus: quem ab ejus uberibus post annos circiter tredecim (quod sine singultu nec meminisse debeo, nec proferre queo) sola tandem, quæ sola potuit, mors avulsit. In quo tibi utinam sibi complaceat etiam nunc, Pater sancte, sicut aliquando videbatur & aliquamdiu complacere! Et quis alter tibi tam debitor, quis tam obnoxius, quis tam tuus? Momordit fateor, & dure momordit mors improba, sed non totum pariter deglutivit. Amputavit, non exstirpavit; sine misericordia portionem, quæ se contingebat, accepit. Tulit aspectum, tulit eloquium, corporale etiam tulit obsequium: sed non rapuit fidem præsentis etiam nunc opitulationis, non absorbuit spem futuræ aliquando visionis, non denique in præteritorum memoria altius radicatum filialis absumpsit devotionis affectum. Ceterum mihi quidem, ut optime novi, præsertim tanto idonea operi, nec scientia, nec eloquentia suppetit. Sed tua sane magnalia, & tuas digne eloqui laudes, non Origenis ingenium, non Ciceronis lingua sufficeret. Nec desperandum tamen, quod tuorum magis operum fructus carpere prudens Lector, quam verborum nostrorum folia indigna debebit: ut illorum magis suavitate gustata, quam istorum ariditate culpata, non tam nequiter ista mordeat, quam illos delectabiliter edat. Nam & securius, & sincerius visa solent, quam audita narrari; & in tertium vas transfusa facilius coacescunt. Sed & dulcius ea bibitur aqua, quæ ab exiguo licet alveo fontis hauritur, quem confestim repleverit vena scaturiens, quam quæ ex rivo tollitur longius jam progresso, vel ex flumine etiam copioso. Inde est quod intactis eorum libris, qui de ejusdem beatissimi Patris nostri initiis, seu etiam mediis conscripserunt, ne tamquam super alienum ædificasse videar fundamentum, circa ea potissimum noster sermo versatur, quibus pæne omnibus præsens affui: interdum etiam, licet pauca, interserens, quæ fidelissima Fratrum, qui aderant, relatione cognovi. Verumtamen opus istud libellis tribus partitum Lector inveniet. Quorum PRIMUS quidem ea maxime quæ ad habitum, mores, atque doctrinam hujus beati Patris videntur pertinere, prosequitur. SECUNDUS autem virtutes multas per eum factas eloquitur. TERTIUS in ejusdem bono fine completur. Illud etiam admonendum, in rerum narratione gestarum cohærentiam similitudinis magis, quam temporis observari. siquidem nec signa ipsa, nec opera quædam eo ordine scripta quo facta sunt: sed interdum aliqua, prout occurrere locis opportunioribus videbantur, inserta. Firmior enim videtur, & haberi acceptior solet oratio, quæ suis innititur & illustratur exemplis, velut fabrica quædam idoneis fulta columnis. Nonnulla quoque transposita sunt, ut similibus aliis jungerentur, & quæ erant ejusdem generis, sibi aptius cohærerent. Verum hæc in duobus quidem libellis prioribus. nam in tertio pæne per omnia ordini ipsi ipsius temporis series narrationis obsequitur.

(* al. debeat; simile.)

### CAPUT I.

*De moribus & virtutibus S. Bernardi summatim.*

1. INnumeris quidem signis atque miraculis, ut orbis comperit universus, fidelem famulum suum Bernardum Claræ-vallensem Deus glorificavit Abbatem, sicut gloriosus semper in sanctis suis, & in sua mirabilis est majestate. Ceterum, sicut Malachiam sanctum idem ipse commendat, primum maximumque miraculum, quod exhibuit, ipse fuit. Serenus vultu, modestus habitu, circumspectus in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione devotus, & (sicut alios ipse monebat, crebra siquidem experientia persuasus) de omni re magis fidens orationi, quam industriæ propriæ vel labori. Magnanimus in fide, longanimis in spe, profusus in caritate, summus * in humilitate, præcipuus in pietate. In consiliis providus, in negotiis efficax, numquam tamen minus, quam in otio otiosus. Jucundus ad opprobria, ad obsequia verecundus. Suavis moribus, meritis sanctus, miraculis gloriosus; affluens denique sapientia, & virtute, & gratia apud Deum, & homines. Cujus sanctæ animæ adjutorium simile sibi fecerat Deus, & speciali præventum benedictione corpus aptaverat. Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritalis tamen potius quam carnalis. In vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, sed cælestis: in oculis

(V lib. 4. consid. n. 1; * al. profundus.)

a Fortassis hæ erant gemmæ, quas à duobus Abbatibus Ordinis *Cistellensis* emit Sugerius, ex libro de ejus administratione cap. 32. Idem auctor Theobaldum Comitem *Hyacinthos rubeos* ad ecclesiæ S. Dionysii dedicationem donasse tradit apud Chesnium tomo 4. pag. 356.

angelica quædam puritas, & columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulcritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ copiose perfusus homo quoque exterior videretur. Corpus omne tenuissimum, & sine carnibus erat; ipsa quoque subtilissima cutis in genis modice rubens. In illo nimirum quicquid caloris inerat naturalis, assidua meditatio, & studium compunctionis attraxerat. Cæsaries ex flavo colorabatur & candido. Barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis. Statura mediocritatis honestæ, longitudini tamen vicinior apparebat. Alias autem thesaurus iste in vase fictili erat, contrito penitus & undique conquassato. Laborabat siquidem caro ejus multiplicibus infirmitatum incommodis, ut in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arctissimi gutturis, nil penitus siccum, vix solidum aliquid admittentis: molestior erat defectus stomachi, viscerumque corruptio. Hæ continuæ illi, præter alias sæpius incidentes. Summum ejus studium fugere admirationem. & tamquam unum sese agere ceterorum. At prosequebatur gloria fugientem, sicut è regione captantes sese alios fugere consuevit. Proverbium illud in ore ei frequenter, semper in corde: QUI HOC FACIT quod nemo, mirantur omnes. Quo nimirum intuitu vitam regulamque communem amplius æmulabatur, nil in suis actibus præferens observantiæ singularis. Ob hoc denique & cilicium, quod pluribus annis occulte gestaverat, ponere maluit, quam ut ferre sciretur: minus illum latere velle contestans, qui cum ceteris ejusdem professionis sibi communia non sectatur. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas, & devotio non communis. Nihil negligens, & minima quæque cum studio & intentione tractabat. Ex propria siquidem experientia definire solitus sapientem, cui quæque res sapiunt prout sunt.

2. A primis fere annis sic evasit illecebras gulæ, ut ipsam quoque saporum discretionem ex magna parte perdiderit. Quoties pia sibi ministrantium fraude deceptus, liquores pro aliis alios sumpsit? Nam & oleum sibi per errorem aliquando propinatum bibit, & penitus ignoravit. Nec prius id cognitum, quam superveniens quidam labia ejus miraretur inuncta. Cibus ejus buccella panis, in aqua calida penitus emolliti, cum exiguis sorbitiunculis erat. Modicus ille quidem: sed non modicam ejus partem crudam rejiciebat stomachus, ne qua illi foret in cibo voluptas, quem sumere periculum, sumptum tenere dolor, rejicere miseria. Sic nimirum fideli servo juxta desiderium cordis sui dispensatio superna providerat, ut nec fructus ei deesset abstinentiæ singularis, & odiosam semper admirationem declinaret sub umbra necessitatis. De vino quidem sæpius nobis ipse dicebat, decere monachum, quando sumere oporteret, sic gustare illud, ne exinanisse calicem notaretur. Quod sic ipse servabat, quoties sibi vinum patiebatur apponi, ut non modo post unum potum, sed post totum qualecumque prandium, suum vasculum, in quo ei propinabatur, vix aliquando videretur minus plenum à mensula reportari. Minus quidem stare poterat, sed erat sedens pæne jugiter, & rarissime movebatur. Quoties subtrahere se negotiis poterat, aut orans, aut legens, aut scribens, aut insistens doctrinæ, & fratrum ædificationi; aut in sacra meditatione persistens. In quo nimirum studio spirituali obtinuerat gratiam singularem, ut non tædium in illo, non difficultatem aliquam sustineret: libere secum habitans, & deambulans in latitudine cordis sui, & ibidem exhibens Christo (ut monere alios ipse solebat) cœnaculum grande stratum. Omnis ei ad meditandum hora brevis, locus omnis congruus erat. Frequenter tamen, licet sic affectus, divino urgente metu, immo regente spiritu, studium hoc lucris uberioribus postponebat: doctus quærere non quod sibi erat utile, sed quod multis. Alioquin in quolibet cœtu hominum vel tumultu, nisi ejus intentionem causa deposceret, tota facilitate animum colligens, interiori quadam, quam ubique ipse sibi circumferebat, solitudine fruebatur, nihil prorsus attendens quod sonaret vel appareret exterius.

## CAPUT II.

*De visitatione Hugonis Gratianopolitani episcopi, & Cartusianorum; deque mira in Bernardo sensuum custodia.*

3. CUm jam Dei famulus annos aliquot in Clara-valle peregisset, subiit animum ejus, ut sanctum Hugonem Gratianopolitanum episcopum, & Cartusienses fratres devotionis gratia visitaret. quem prædictus Episcopus tam gratanter, & tam reverenter suscepit, divinam intelligens in ejusdem hospitis visitatione præsentiam, ut prostratus solo tenus adoraret. Videns autem Servus Christi Episcopum ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum, coram se procidentem, vehementer expavit: & ipse quoque pariter corruens ante eum, ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam non sine gravi gemitu causabatur. In cujus pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filii splendoris cor unum & anima una, & se invicem fruerentur in Christo. Sicut enim Regina Saba de Salomone testatur, uterque sese in altero longe amplius, quam fama vulgasset, invenisse gratulabatur. 3. Reg. 10.

4. Cartusiæ quoque à viro reverendissimo Guigone Priore *, & à ceteris fratribus eodem affectu & eadem veneratione susceptus est servus Christi, exsultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epistolam prius noverant, talem invenerunt & præsentem. Ceterum cum in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit, quod prædictum Priorem Cartusiensem aliquatenus movit, stratura videlicet animalis, cui idem Vir venerabilis insidebat, minus neglecta, minus præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente conceperat: sed locutus uni è fratribus, aliquatenus super hoc moveri sese confessus est & mirari. Cumque ille ad Patrem sanctum quod audierat retulisset; non minus ipse miratus, quale illud esset stramentum quærebat, quod ita scilicet à Clara-valle Cartusiam usque venisset, ut numquam illud vidisset, numquam considerasset, & usque in horam illam quale esset, omnino nesciret. Neque enim suum erat animal illud, sed à quodam monacho Cluniacensi avunculo suo, & in sua vicinia demorante, fuerat commodatum: & erat sicut sibi sternere ille solebat. Quod verbum sæpe dictus Prior audiens, in eo potissimum mirabatur, quod sic ille Dei famulus foris oculos circumcidisset, intus animum occupasset, ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset. Juxta lacum etiam Lausanensem totius diei itinere pergens, penitus eum non vidit, aut se videre non vidit. Cum enim vespere facto de eodem lacu socii colloquerentur, interrogabat eos, ubi ille lacus esset: & mirati sunt universi.

* ad quem epist. 11.

5. Desideraverat tamen ab initio omni modo subtrahere se negotiis, & nusquam egredi, sed in monasterio residere. Quod & postmodum ex defectu corporis occasionem invenisse se reputans opportunam, aliquando statuit, & aliquamdiu tenuit, donec illum exire coëgit necessitas gravis Ecclesiæ Dei, & summi Pontificis, atque omnium Abbatum sui Ordinis jussio *, quibus per omnia tamquam patribus deferebat ipse omnium Pater. Ex quorum etiam mandato, novissimis quidem annis, præter cucullam & tunicam, laneo [a] panno in modum chlamydis decurtatæ, & pileo simili utebatur, inter tantos languores corporis & labores nullis umquam uti pellibus acquiescens. In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes numquam. Nimirum animi fore * indices aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut gloriolam foris affectantis humanam. Incessus ejus

* V. Epist. 110 & 48. in fine.

* id est esse.

a Mira Ordinis severitas! ut lanea interula cum pileo consimili Bernardo fuerit remissionis loco, qua nequidem Eugenius Pontifex utebatur, supra lib. 2. num. 50. De hoc pileo & pelleis pelliceis lege infra lib. 4. num. 36. Pileum laneum biretum interpretor seu calanticam. De caputio Bernardi vide infra lib. 7. cap. 17.

& habitus omnis modestus & disciplinatus, præferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reverentiam, solo visu lætificans & ædificans intuentes. De risu dicimus quod ex ore ejus frequenter audivimus, dum cachinnos religiosorum hominum miraretur, non meminisse se à primis annis suæ conversionis aliquando sic risisse, ut non potius ad ridendum, quam ad reprimendum sibi vim facere oporteret; & risui suo stimulum magis adhibere, quam frenum.

## CAPUT III.

*De rara in eo sermonis cura, modestia, simul & gratia; deque dignitatum fuga.*

6. VOcem illi in invalido corpore validam satis intelligibilemque contulerat, qui in opus prædicationis segregaverat illum ex utero matris suæ. Sermo ei, quoties opportuna inveniebatur occasio, ad quascumque personas de ædificatione animarum, prout tamen singulorum intelligentiam, mores & studia noverat, quibusque congruens auditoribus erat. Sic rusticanis plebibus loquebatur, ac si semper in rure nutritus: sic ceteris quibusque generibus hominum, velut si omnem investigandis eorum operibus operam impendisset. Litteratus apud eruditos; apud simplices simplex, apud spirituales viros perfectionis & sapientiæ affluens documentis, omnibus se coaptabat, omnes cupiens lucrifacere Christo. Cautus erat artificiosissime observare quod ad Papam Eugenium scribens *, de sui cordis plenitudine eructavit. Nugæ si incidant, interdum, inquit, ferendæ forsitan, referendæ numquam. Interveniendum caute & prudenter nugacitati. Prorumpendum sane in serium quid, quod non modo utiliter, sed & libenter audiant, ut supersedeant otiosis.

* lib. 2. de Consid. c. 13.

7. Quam vero placabilem & persuasibilem, quamque eruditam linguam dederit ei Deus, ut sciret quem & quando deberet proferre sermonem, quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret vel increpatio; nosse poterunt aliquatenus qui ipsius legerint scripta, etsi longe minus ab eis qui verba ejus sæpius audierunt. Siquidem diffusa erat gratia in labiis ejus, & ignitum eloquium ejus vehementer, ut non posset ne ipsius quidem stilus, licet eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. Mel & lac sub lingua ejus; nihilo minus in ore ejus ignea lex, juxta illud Cantici canticorum: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Inde erat quod Germanicis etiam populis loquens miro audiebatur affectu, & ex sermone ejus quem intelligere, utpote alterius linguæ homines, non valebant, magis quam ex peritissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis intellecta locutione, ædificari illorum devotio videbatur, & verborum ejus magis sentire virtutem: cujus rei certa probatio tunsio pectorum erat, & effusio lacrymarum. Utebatur sane Scripturis tam libere commodeque, ut non tam sequi illas, quam præcedere crederetur, & ducere ipse quo vellet, auctorem earum ducem Spiritum sequens. Quem nimirum ut in medio Ecclesiæ aperiret os ejus, sic impleverat Deus spiritu sapientiæ & intellectus, ut secundum quod in libro Job legitur, profunda quoque fluviorum scrutaretur, & abscondita proferret in lucem. Nam & confessus est aliquando, sibi meditanti vel oranti sacram omnem, velut sub se positam & expositam, apparuisse Scripturam.

Cant. 4.

Job 28.

8. Ceterum quam gratis evangelizaverit, quis digne prædicet? quis digne miretur? Minus fore * credidit, nullas sibi ab auditoribus transitorias petere facultates, nisi oblatas sæpius refutaret ecclesiasticas dignitates. Parum illi fuit nulla quærere stipendia militantem: ne insignia quidem recipere acquievit. Denique velut alter David, processurus ad bellum, bellica arma sibi graviora causatus est, quibus multos suo præsertim tempore cerneret prægravari: & in simplicitate sua gloriosius triumphabat. Tantam enim gratiam virtus ei divina contulerat, ut licet abjectus esse elegisset in domo Dei, ube-

* esse.

1. Reg. 87.

a Hæc epistola prima est Eugenii tomo 10. Conciliorum.

A rius tamen fructificaret in ea, quam alii quilibet in sublime porrecti, & lucens amplius illustraret Ecclesiam velut de-sub modio humilitatis suæ, quàm ceteri super candelabra constituti. Nimirum quo humilior, eo semper utilior fuit populo Dei in omni doctrina salutari, in quo tamen numquam voluit locum tenere doctoris. Beatus plane, qui, sicut ipse de quodam Sanctorum ait *, legem dilexit, & cathedram non affectavit. Quam felicius siquidem in virtutum cathedra sedere meruit, dum noluit præsidere in cathedris dignitatum! Denique sicut justus & fortis in prædicatione evangelica laboravit, sicut prudens & temperans cavit sibi semper ab ecclesiastica prælatione. Nec enim contumaciter umquam renuit,
B sed frequenter & ad maximos electus honores, prudenter egit, divina sibi cooperante gratia, ne aliquando cogeretur. Moyses quidem sanctus cessit Aaron fratri suo pontificium; sed linguæ erat impeditioris. Bernardum nostrum non ab opere evangelistæ necessitas aliqua, sed ab honore solo sola humilitas revocavit. Merito proinde apud Deum & homines obtinuit gratiam singularem, qui non modo sine sumptu temporalis facultatis, verùm etiam sine gradu ecclesiasticæ dignitatis, non autem sine fructu fraternæ salutis Evangelium posuit; & populo Dei semper prodesse studuit, numquam præesse sustinuit. Raro tamen, nisi forte ad loca proxima, ut prædicaret exivit. Sed quoties eum necessitas aliqua traheret, semi-
C nabat super omnes aquas, publice & privatim annuntians verbum Dei. Quod tamen ipsum ex mandato summi Pontificis actitabat; ad nutum quoque Præsulum ceterorum, ubicumque eorum aliquem contigisset adesse. Nimirum quanto magnus erat, humilians se in omnibus, eo magis Sacerdotibus deferebat, quo plenius intellexerat, quæ ministris Christi reverentia deberetur.

* nim- S. Ma- chia. ejus O- cio An- 1. ad tut.

V. Epist. & 48.

## CAPUT IV.

*De infelici expeditionis in Orientem successu, & nato hinc contra Virum sanctum murmure.*

D 9. NEc tacendum quod ex prædicatione itineris Jerosolymitani grave contra eum quorumdam hominum vel simplicitas, vel malignitas scandalum sumpsit, cum tristior sequeretur effectus. quod tamen verbum * dicere possumus ab eo quidem initium non sumpsisse. Cum enim multorum jam animos permovisset audita necessitas, à Rege Francorum semel & iterum propter hoc expetitus, apostolicis etiam litteris monitus, nec sic acquievit super hoc loqui, vel consilium dare, donec per ipsius tandem summi Pontificis generalem epistolam jussus ab eo est tamquam Romanæ ecclesiæ lingua exponere populis atque Principibus: cujus epistolæ [a] tenor fuit, ut in pœnitentiam & remissionem peccatorum iter arri-
E perent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posituri. Hæc & hujusmodi super hoc poterant veraciter dici: sed dicendum potius id quod potius fuit. Evidenter enim verbum hoc prædicavit, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis, & quam multiplicibus signis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam & eodem tempore scribi cœperant, sed ipsa demum scriptorem numerositas scribendorum, & materia superavit auctorem: nimirum cum aliquando una die viginti, seu etiam plures ab incommodis variis sanarentur, nec facile ab hujusmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Christus, per servi sui tactum & orationem, ex ipsis etiam matrum uteris
F cæcos videre, claudos ambulare, aridos convalescere, surdos fecit audire, & mutos loqui; mirabilius restituente gratia, quod minus præstitum fuerat à natura.

* id est ni- tium.

v. lib. 2. Consid. c.

10. Nec tamen ex illa profectione Orientalis Ecclesia liberari, sed cælestis meruit impleri & lætari. Quod si placuit Deo tali occasione plurimorum eripere, si non Orientalium corpora à paganis, Occidentalium animas à peccatis: quis audeat dicere illi, Quid fecisti sic? Aut quis recte sapiens, illorum magis non doleat, qui ad priora, vel pejora forte prioribus scelera redierunt,

quam

quam eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ purgatas variis tribulationibus Christo animas reddiderunt? Alioquin quamlibet dicant Ægyptii, dicant filii tenebrarum, qui veritatem nec videre valeant, nec proferre: 32. c *Callide eduxit eos, ut interficeret in deserto*: patienter tolerat Christus Salvator opprobrium, quod tantarum animarum salute compensat. Meminit hujus verbi ipse quoque venerabilis Pater, inter cetera dicens*: Si necesse fit unum fieri è duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum perveniant. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam. Hæc quidem ille in libro de Consideratione secundo. Accidit autem, ubi primum de ejusdem exercitus dissipatione lamentabilis intra Gallias insonuerat rumor; ut illuminandum Dei famulo filium cæcum offerens pater, multis precibus vinceret excusantem. Et imponens Sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenus, si ab eo verbum prædicationis illius exierat, si prædicanti Spiritus ejus affuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur. Dum vero post orationem orationis præstolaretur effectum, Quid facturus sum? ait puer: video enim. Attollitur ilico clamor adstantium. Plures enim non modo è fratribus, verum etiam è sæcularibus aderant, qui ut puerum videre videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant.

11. [Illud etiam jucunde satis credimus considerasse nonnullos, quod eadem hebdomada, qua felicissima anima ejus carne soluta est, ecclesia Jerosolymitana magnifice satis fuerit divino munere consolata, sicut sæpius noverant illum promisisse. Siquidem capta est Ascalon illa munitissima, paucis à sancta civitate milliariis distans, & periculose instans calcaneo ejus. Adversus hanc quinquaginta annis & eo amplius nihil profecerant Christiani laborantes. nam & tunc non humana virtute capta est, sed divina. Nec incongruum nunc ipsius interserere verba, quæ eodem scripserat anno ad virum optimum militem Templi, tunc ministrum, nunc etiam Magistrum Militiæ Templi, qui ipsius secundum carnem avunculus erat*. Væ principibus nostris, ait. In terra Domini nihil boni fecerunt: in suis, ad quas velociter redierunt, incredibilem exercent malitiam, & non compatiuntur super contritione Joseph. Confidimus autem, quia non repellet Dominus plebem suam, & hereditatem suam non derelinquet. Porro dextera Domini faciet virtutem, & brachium suum auxiliabitur ei: ut cognoscant omnes, quia bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.] Sed de his hactenus.

## CAPUT V.

*De erroribus Petri Abaëlardi, & Gilleberti Porretani operâ* S. Bernardi *confutatis.*

12. Jam & illud propter posteros memorandum, quam multipliciter Ecclesiæ sanctæ Viri Dei doctrina profuerit in Catholicorum moribus corrigendis, in schismaticorum furoribus comprimendis, in hæreticorum erroribus confutandis. Siquidem præter eos quos docuit sobrie, & juste, & pie vivere in sæculo; quantos etiam perfectius valedicere sæculo persuasit, vel ex hoc liquet, quod non cessavit, quamdiu vixit, deserta sæculi, sæculi desertoribus implere. Cujus ministerio videtur propheticum illud etiam corporaliter exhiberi: 106. *Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. Et collocavit illic esurientes, & constituerunt civitatem habitationis. Et seminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis. Et benedixit eis, & multiplicati sunt, & jumenta eorum non minoravit.* Sane in diebus schismatis generalis, quam fideliter servus Domini stetit in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus; quam efficaciter stetit & placavit, & cessavit quassatio; quam denique evidenter in tempore iræ factus est reconciliatio; non modo latius prosequendum. Sufficere interim potest, si ipsius super hoc scribentis ad eum Innocentii Papæ verba [a] ponamus: Quam firma, ait, perseverantique constantia causam beati Petri & sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis & discretionis susceperit defendendam, & se murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos Regum ac Principum, & aliarum tam ecclesiasticarum quam sæcularium personarum, ad catholicæ Ecclesiæ unitatem, & beati Petri, ac nostram obedientiam, frequentibus argumentis, & ratione munitis reducere laboraverit; magna, quæ Ecclesiæ Dei, & nobis provenit, utilitas manifestat. In quibus autem pro Fide quoque quam magnifice egerit servus fidelis & prudens, breviter intimandum.

13. Fuit in diebus illis Petrus Abaëlardus magister insignis, & celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide perfide dogmatizans. Cujus cum blasphemiis plena gravissimis volitare undique scripta cœpissent, profanas novitates vocum & sensuum viri eruditi atque fideles ad Dei hominem retulerunt. Qui nimirum solita bonitate & benignitate desiderans errorem corrigi, non hominem confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modeste, tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. Ceterum cum recessisset ab eo, Petrus idem, consiliis stimulatus iniquis, & ingenii sui viribus, plurimoque exercitio disputandi infeliciter fidens, resiliit à proposito saniori. Expetens denique Senonensem Metropolitanum, quod in ejus ecclesia celebrandum foret in proximo grande Concilium, Claræ-vallensem causatur Abbatem suis in occulto detrahere libris. Addit quoque paratum se esse in publico sua defendere scripta, rogans ut prædictus Abbas dicturus, si quid haberet, ad Concilium vocaretur. Factum est ut postulavit. Sed vocatus Abbas venire penitus recusavit, suum hoc non esse renuntians*. Postea tamen magnorum virorum monitis flexus, ne videlicet ex ipsius absentia & scandalum populo, & cornua crescerent adversario, demum pergere acquievit, tristis quidem, nec sine lacrymis annuens, sicut in epistola* ad Papam Innocentium ipse testatur, in qua plenius lucidiusque negotium omne prosequitur.

14. Affuit dies, & ecclesia copiosa convenit: ubi à Dei famulo Petri illius in medium scripta prolata sunt, & erroris capitula designata. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi; aut errorem humiliter corrigendi; aut respondendi, si posset, objiciendis sibi rationibus pariter & sanctorum testimoniis Patrum. At ille nec volens resipiscere, nec valens resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur; ut tempus redimeret, Sedem apostolicam appellavit. Sed & postea ab egregio illo catholicæ fidei advocato monitus, ut vel jam sciens in personam suam nihil agendum, responderet tam libere, quam secure, audiendus tantum & ferendus in omni patientia, non sententia, aliqua feriendus: hoc quoque omnimodis recusavit. Nam & confessus est postea suis, ut aiunt, quod eâ horâ, maxima quidem ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, & interior fugerit sensus*. Nihilo minus tamen Ecclesia quæ convenerat, dimisit hominem, mulctavit abominationem: à persona abstinens, sed dogmata prava condemnans. Quando vero Petrus ille refugium inveniret in sede Petri, tam longe diffidens à fide Petri? Et ipsum ergo auctorem eadem sententia cum erroribus suis apostolicus Præsul involvens, scripta incendio, scriptorem silentio condemnavit.

15. Fuit item Gillebertus, quem cognominavere Porretanum, Pictavorum episcopus, in sacris litteris plurimum exercitatus, sed sublimiora se etiam ipse scrutatus ad insipientiam sibi. Siquidem de sanctæ Trinitatis unitate & Divinitatis simplicitate non simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, furtivas propinabat aquas, nec facile quid saperet, immo quantum desiperet, personis authenticis fatebatur. Timebat enim quod apud Senonas Petrum ei dixisse ferunt:

*Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.*

[a] Hæc epistola exstat in Appendice epistolarum S. Bernardi, tomo 1, S. Bern. Oper. Append. seu Tom. VI.

Marginal notes: * de Consid. l. 2. c. 1. — * Litteras ... ad Andream avunculum Templarium, epist. — * V. Epist. 187. — * epist. 190. — * V. Epist. 89. & ibidem NOTAS.

Novissime tamen cum jam fidelium super hoc invalesceret scandalum, cresceret murmur, vocatus ad medium est: & librum tradere jussus, in quo blasphemias evomuerat, graves quidem, sed verborum quodam involucro circumseptas. Igitur in Concilio, quod in urbe Remorum Papa venerabilis Eugenius celebravit, egit comminus adversus hunc Gillebertum Ecclesiæ sanctæ suo tempore singularis athleta Bernardus: primo quidem totum quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur, eliciens; deinde vero tam suis ratiociniis, quam sanctorum testimoniis biduana disputatione redarguens. Considerans sane nonnullos ex his qui præsidebant, jam quidem animadvertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen avertentes injuriam à persona; accensus est zelo, & domesticam sibi ecclesiam seorsum convocat Gallicanam. Communi denique consilio, à Patribus decem provinciarum, aliis autem episcopis & abbatibus plurimis, dictante Viro Dei, novis dogmatibus opponitur Symbolum novum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, ut eorum videlicet omnium sicut irreprehensibilis fides, sic irreprehensibilis zelus ceteris innotescat. Ita demum apostolico judicio & auctoritate universalis Ecclesiæ error ille damnatur, episcopus Gillebertus an eidem damnationi consentiat, interrogatur. Consentiens, & publice refutans [a] quæ prius scripserat & affirmaverat, indulgentiam ipse consequitur, maxime quod ab initio cautus fuisset ea lege eamdem ingredi disceptationem, ut promitteret sine ulla sese obstinatione, pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio, correcturum libere suam opinionem.

## CAPUT VI.

*De hæresi Henriciana in partibus Tolosanis repressa; & patratis ibidem miraculis.*

16. IN partibus Tolosanis Henricus quidam, olim monachus, tunc apostata vilis, pessimæ vitæ, perniciosæ doctrinæ, verbis persuasibilibus gentis illius occupaverat levitatem, & ut prædixit Apostolus de quibusdam, in hypocrisi loquens mendacium, fictis verbis de eis negotiabatur. Erat autem hostis Ecclesiæ manifestus, irreverenter ecclesiasticis derogans Sacramentis pariter & ministris. Nec mediocriter in ea jam malignitate profecerat. Sic enim de eo scribens Pater venerabilis ad Principem Tolosanum, inter cetera ait: * Passim inveniebantur jam ecclesiæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia, sine Christo denique Christiani. Parvulis Christianorum Christi vita intercludebatur, dum baptismi gratia negabatur. Ridebantur orationes oblationesque pro mortuis, Sanctorum invocationes, sacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, basilicarum ædificationes, dierum sollemnium vacationes, chrismatis & olei consecrationes, & omnes denique institutiones ecclesiasticæ spernebantur.

De Henrici erroribus v. Epist. 241. Tomo 1. & ser. 65 in Cant. Tomo 4.

* Epist. 241

17. Hac necessitate Vir sanctus iter arripuit, ab ecclesia regionis illius sæpius jam ante rogatus, & tunc demum à reverendissimo Alberico Ostiensi episcopo & legato Sedis apostolicæ persuasus pariter & deductus. Veniens autem cum incredibili devotione susceptus est à populo terræ, ac si de cælo Angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset: tanta erat frequentia diebus ac noctibus adventantium, benedictionem expetentium, flagitantium opem. Prædicavit tamen in civitate Tolosa per aliquot dies, & in ceteris locis, quæ miser ille frequentasset amplius, & gravius infecisset; multos in fide simplices instruens, nutantes roborans, errantes revocans, subversos reparans, subversores & obstinatos auctoritate sua premens & opprimens, ut non dico resistere, sed ne assistere quidem & apparere præsumerent. Ceterum etsi tunc fugit hæreticus [b] ille & latuit, ita tamen impeditæ sunt viæ ejus & semitæ circumseptæ: ut vix alicubi postea tutus, tandem captus & catenatus Episcopo traderetur. In quo itinere plurimis etiam signis in servo suo glorificatus est Deus, aliorum corda ab erroribus impiis revocans, aliorum corpora à languoribus variis sanans.

18. Est locus in regione eadem, cui Sarlatum * nomen est, ubi sermone completo plurimos ad benedicendum panes, sicut ubique fiebat, Dei famulo offerebant. Quos ille elevata manu & signo Crucis edito in Dei nomine benedicens: In hoc inquit, scietis vera esse quæ à nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem. Timens autem venerabilis episcopus Carnotensium magnus ille Gaufridus, (siquidem præsens erat & proximus Viro Dei) Si bona, inquit, fide sumpserint, sanabuntur. Cui Pater sanctus de Domini virtute nil hæsitans: Non hoc ego dixerim, ait, sed vere qui gustaverint, sanabuntur: ut proinde veros nos & veraces Dei nuntios esse cognoscant. Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, & Vir sanctus per vicina loca regrediens ob concursus intolerabiles declinaverit, & timuerit illo ire.

* Sarlat

19. Præcipuum* sane miraculum quod per famulum suum in urbe Tolosa Christus exhibuit, paralytici cujusdam clerici curatio fuit. Hunc in domo regularium Clericorum sancti Saturnini, quorum unus ipse erat, ad petitionem Abbatis & fratrum circa noctis crepusculum visitans homo Dei, moribundum invenit hominem, qui extremum spiritum trahere videretur. Consolatus itaque miserum, & data benedictione egrediens, sicut postea confessus est, loquebatur in corde suo fidelis servus ad Dominum tam fiducialiter, quam fideliter, dicens: Quid exspectas, Domine Deus? Generatio hæc signa quærit. Alioquin minus apud eos nostris proficimus verbis, nisi abs te fuerint confirmata sequentibus signis. Eadem hora exsiliit paralyticus de grabato, & accurrens secutus & consecutus est eum, sacra vestigia devotione qua debuit amplexatus. cui subito procedenti obvians ex concanonicis unus expavit & exclamavit, siquidem phantasma putabat. Quando enim de lectulo eum crederet surgere potuisse? Egressam magis à corpore ejus animam phantastice sibi apparuisse arbitratus aufugit. Sed ipsa demum tam ei, quam ceteris rei veritas fidem fecit. Egreditur exinde sermo inter fratres, curritur ad spectaculum tam jucundum: ipse etiam inter primos accurrit Episcopus & Legatus. Inde pergitur ad ecclesiam, eo ipso qui convaluerat præeunte: conclamatur in laudes Dei, eodem pariter concinente: ruit undique populus, benedicitur Christus, triumphat fides, infidelis quisque confunditur, exsultat pietas & impietas contabescit. Porro Vir Dei cellam ubi manebat ingressus, diligenter omnes observari aditus, obserari januas jubet, ne quis pateat introitus populo concurrenti. [ Sane is quidem Bernardus (hoc enim clerico nomen erat, qui sanus factus est) corporali beneficio non ingratus, magisque sollicitus pro remedio spirituali, secutus est servum Christi, monasticum in Clara-valle Ordinem profitens, & habitum sumens. A quo etiam missus ad partes iterum Tolosanas, & Abbas illic constitutus, hodieque monasterio præest, quod Vallis-aquæ dicitur. ]

* al. ptin

* Valde

## CAPUT VII.

*De suavissimis beati Viri moribus, & præclaris virtutibus, & quid de suis miraculis sentiret.*

20. CUm autem per totum ab eadem provincia reditum Viri sancti magis magisque signa crebrescerent, & multiplicarentur in dies, non prætereundum quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui à Christo humilitatem cordis & mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, & ex ipsa demum locutus abundantia cordis sui, domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat. Plurimum miror quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per talem. Nil mihi videor in sacris paginis super

a Hæc fusius refert hujus libri auctor Gaufridus, qui & ipse Concilio interfuit, in epistola ad episcopum Albanensem Henricum. Ad hæc idem Gaufridus disputationem edidit adversus Gilbertum, quam habes in fine hujusce tomi cum prædicta epistola.

b Confer Gaufridi de isto Henrico epistolam, quæ habetur post vitæ librum sextum, & vide nostram Præfationem ad tomum 1. articulo VI.

hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines & perfectos: facta sunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim Sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur: confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorantur. Hæc & hujusmodi crebrius, secretiusque cum viris spiritualibus conferebat. Novissime vero opportunum sibimet visus exitum reperisse: Scio, inquit, hujusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem; & Deum in homine, per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quam opinionem: ut in eo commendet hominibus, quæ illi creditur inesse, B virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt; sed pro eis magis qui vident illa, vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Dominus operatur, ut ipsos probet ceteris sanctiores, sed ut ceteros magis amatores & æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi & signis istis: quandoquidem meæ illa famæ magis, quam vitæ noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, sed ad commonitionem potius aliorum. Satis, ni fallimur, hujus viri mirabitur animum, quisquis hoc diligenti consideratione pensaverit, nec præstantius reputabit æstimator quisque fidelis, signa atque prodigia mirabiliter operari, quam perpetrata taliter interpretari. Sibi quoque non minus utile judicabit imitandos ejus affectus, quam mi- C randos actus, & morum insignia, quam operum signa cognoscere. Sed ad hæc quis idoneus?

21. In hujus siquidem pectore Viri Dei, pari fœdere puritas suavitasque confederant: satis quidem utraque mirabilis; sed mirabilior utriusque complexus. Inde nimirum tam singulariter in unum hominem totius orbis vota pariter concurrebant, quod puritatem suavitas amabilem faceret, suavitatem puritas acceptabilem: ut difficile fuerit æstimare, gratiæ an reverentiæ amplius obtineret. Quis enim tam rigidæ conversationis, qui Claræ-vallensem non sublimiter revereretur Abbatem? quis tam dissolutæ, qui non erga eumdem dulciter afficeretur? Dulcissimis enim affectibus plenum pectus ipse ge- D rebat: sed quam libere eos, quoties causa deposceret, coercebat, humanissimus in affectione, magis tamen fortis in fide. Et ut breve aliquod hujus rei proferamus exemplum, sicut ipse quoque testatur in Sermone super Cantica canticorum vicesimo sexto; siccis oculis germani sui, & germani tam necessarii, tam dilecti, Gerardi videlicet, celebravit exsequias, siccis oculis corpus ejus tradidit sepulturæ, ne affectus fidem vincere videretur. Nam extraneum quemlibet vix, aut numquam sine lacrymis sepelivit. Talem sibi illum uberius proinde fructificaturum manus divina formaverat, ut austeritatem suavitas morum tolleret, auctoritatem sanctitas conservaret. Cui enim vel tanta benignitas esset E oneri, vel tanta bonitas non esset honori? Legimus de Salomone, quod omnis terra desideravit videre vultum illius. Grande præconium: sed forsitan in hac parte non minus quam Salomon hic. Neque enim satis credibile est, Salomonem illum in omni gloria sua tam universalem Orbis obtinuisse favorem, quam hunc in sua humilitate. Immo vero difficile omnino videretur ex historiis aliquibus invenire hominem unum, conversantem adhuc cum hominibus, in universa terra tam celebre & amabile obtinuisse nomen à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari.

22. Ut enim illas memoremus provincias, ex quibus usque hodie monumenta certiora superesse noscuntur; & in Ecclesia Orientali, & apud soles occiduos Hiberno- F rum, & à Meridie in remotis finibus Hispaniarum, & ab Aquilone in insulis quæ procul sunt Daciæ Sueciæque, celeberrima ejus opinio fuit. Crebras undique recipiebat epistolas, & reddebat. Undique ei xenia mittebantur, undique ejus benedictio petebatur. Postremo quasi vitis abundantissima suos undique palmites propagavit, excepto quod in terram Jerosolymitanam, quamvis locus esset à Rege paratus, ob incursus paganorum & aëris intemperiem, non acquievit mittere fratres suos. Neque vero Episcopus ille incongruum aliquid usurpasse videtur, qui post sacrum ejus obitum, dum fratres consolaretur, inter cetera hoc quoque in ipsius prosecutus est laudem, quia in omnem terram exivit sonus ejus, & in fines orbis terræ verba illius. Vincebat tamen sublimitatem nominis humilitas cordis: nec tantum poterat universus eum mundus erigere, quantum se ipse dejicere solus. Summus reputabatur ab omnibus, infimum ipse se reputans: & quem sibi omnes, ipse se nemini præferebat. Denique, sicut nobis sæpius fatebatur, inter summos quosque honores & favores populorum, vel sublimium personarum, alterum sibi mutuatus hominem videbatur, seque potius reputabat absentem, velut quoddam somnium suspicatus. Ubi vero simpliciores ei fratres, ut assolet, fiducialius loquerentur, & amica semper liceret humilitate frui; ibi se invenisse gaudebat, & in propriam rediisse personam. Innata ei à puero verecundia usque ad diem perseveravit extremum. Inde erat, quod licet tam magnus esset, & excelsus in verbo gloriæ; numquam tamen (sicut sæpe eum audivimus protestantem) in quamlibet humili cœtu sine metu & reverentia verbum fecit, tacere magis desiderans, nisi conscientiæ propriæ stimulis urgeretur, timore Dei, caritate fraterna.

23. Patientiam ejus maxime quidem flagellis dominicis exercitatam novimus & probatam: qui nimirum ab ipso suæ conversionis initio usque ad diem sacræ depositionis tanta sustinuit, ut vita ejus his qui noverant, nonnisi quædam mortis protelatio videretur. Ceterum erga homines quoque, etsi rarior ei occasio minora forsitan patientiæ potuit experimenta præstare, dicendum tamen vel breviter, ne hujus quidem apparuisse eum virtutis immunem. Et quia genus hoc patientiæ solitus erat dicere tripartitum, videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis læsionem; de singulis saltem singula proponamus exempla, quæ interim nobis occurrunt. Scripserat aliquando Dei famulus ad Episcopum aliquem * de curia & consilio Regis, monens eum super quibusdam verbis Regi suadere, & consulere meliora. At ille vehementer exacerbatus, amarissimam ei reddidit epistolam, dicens in ipsa salutatione prima, *Salutem, & non spiritum blasphemiæ*, tamquam videlicet Vir sanctus (quod horror est dicere) ex blasphemiæ spiritu illa scripsisset. Ad quod verbum mansuetissimus Christi servus, memor Dominicæ responsionis, *Ego dæmonium non habeo* (sicut hodieque exstans ejus epistola continet) Minime quidem, ait, spiritum blasphemiæ habere me credo, sed nec maledixisse cuiquam, aut maledicere velle me scio, præsertim Principi populi mei. Nec minus postea carum, nec minus familiarem eumdem Episcopum habuit, sed elogium illud prædictum apud eum sic fuit quasi non dictum.

* Joslenum Episc. Suess. Epist. 213.

Johan 8.

24. Abbas Farfensis [a] conventum fratrum à Clara-valle vocaverat, monasterium eis ædificaturus: sed Romanus impedivit Antistes, & sibi tollens eos in loco altero ordinavit. Unde plurimum dolens prædictus ille Vir magnus, & magnæ devotionis, collectam pecuniam sexcentarum fere marcarum argenti deposuit sub chirographo, quam ad Dei hominem veniens obtulit ei, rogans ut quod non meruerat in partibus suis, vel citra Alpes novum exinde cœnobium conderetur. Missum est pro argento, & totum prorsus amissum. Nec respondit aliud homo Dei cum ei nuntiaretur, quam, Benedictus Deus qui nobis pepercit ab onere. Nam & illis, inquit, qui abstulere, levius indulgendum. Sunt enim Romani; & pecunia videbatur immanis, ac vehemens fuit ista tentatio. Gratulari etiam consueverat, decem circiter monasteria, vel ædificandis monasteriis loca congrua numerans, fraudulenter & violenter sibi ablata, dum contendere nollet,

a Id accidit tempore Innocentii secundi, qui monachos à Farfensi Abbate petitos Romæ ad Aquas-salvias locavit. Farfæ, quod monasterium est perillustre in Sabinis, tunc præerat Adenulfus loci abbas ab anno 1125. ad 1144. laudatus in Chronico Mauriniacensi tomo 4. Chesnii pag 377. ubi dedicationis ecclesiæ Mauriniacensis ab Innocentio factæ una cum Bernardo anno 1130. interfuisse perhibetur. Gerardus ex monacho Farfensi Claræ-vallensis laudatur ab Herberto in lib. 2. de miraculis cap. 29.

& magis eum vinci, quam alios vincere delectaret. A

25. Veniens aliquando Claram-vallem clericus quidam ex his, quos Regulares vocant, importune satis instabat ut in monachum reciperetur. Suadente Patre sancto ut ad suam reverteretur ecclesiam, nec acquiescente recipere eum: Ut quid ergo, ait ille, in libris tuis tantopere perfectionem commendasti, si eam desideranti opem renuis exhibere? Et maligno spiritu iracundiæ vehementius instigatus, sicut postmodum evidenter apparuit: Jam, inquit, si illos tenerem, discerperem libros. Cui vir Domini: Puto, ait, in nullo eorum legisti, non posse te in tuo claustro esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem, si bene memini, in libris omnibus commendavi. Tum vero impetum faciens homo velut insanus in eum, percussit maxillam ejus, idque tam graviter, ut succederet statim rubor ictui, tumor rubori. Jam qui aderant in sacrilegum involabant: sed prævenit eos servus Domini clamans, & adjurans per nomen Christi nullatenus eum tangere, sed educere caute, & curam ejus habere, ne ab aliquo ei vel in aliquo noceretur. Quod tam districte præcepit, ut miser ille timens & tremens absque omni injuria eductus sit & deductus.

26. Et quidem in libertate spiritus Dei famulus excellenter enituit, cum humilitate & mansuetudine tamen, ut quodam modo videretur & vereri neminem, & omnem hominem revereri. Increpatione rarius utebatur, monitis potius & obsecrationibus agens. Quam vero invitus, & non ex cordis amaritudine verbum proferret amatum, ex eo maxime animadvertebatur, quod perfacile hujusmodi impetum cohiberet. Siquidem mirabatur hominum improbitatem, quos aliquando forte turbatos, excusationem quamlibet rationabilem, satisfactionem quamlibet humilem admittere gravat, quod ipsa suæ turbationis passio miseros sic delectet, ut oderint omne remedium; ut contineant aures, claudant oculos, objiciant manus, & omnimodis satagant, ne semel orta commotio sedari valeat & sanari. Ejus tamen objurgationem non minus facile aliquando compescebat gravis & turbulenta responsio, quam humilis & modesta; ut ab aliquibus proinde diceretur cedenti insistere, cedere resistenti. Dicebat enim, ubi resonat utrimque modestia, dulce esse colloquium: ubi vel ex parte altera, utile: ubi ex neutra, perniciosum. Ubi enim hinc inde duritia sonat, jurgium est, non correctio; nec disciplina, sed rixa: ut deceat magis interim dissimulare prælatum, & commotione sanata, utilius castigare subjectos: aut certe, si ita res exigit, observare consilium Sapientis, quia *stultus non corrigitur verbis*. (Prov. 18.) Loquitur ipse de increpationibus minus utiliter, minus patienter acceptis, in Sermone super Canticum canticorum quadragesimo secundo, inter cetera dicens: Utinam neminem objurgare necesse sit. Hoc enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere, magis autem urget caritas. Quod si arguero & fecero quod meum est, illa autem procedens increpatio minime quod suum est faciat, neque ad quod misi illam, sed revertatur ad me vacua tamquam jaculum feriens & resiliens, quid me animi tunc habere putatis, fratres? Nonne angor? nonne torqueor? Et ut mihi usurpem aliquid ex verbis Magistri, quia de sapientia non possum: prorsus coarctor è duobus; & quid eligam nescio: placerene mihi in eo quod locutus sum, quoniam quod debui, feci: an pœnitentiam agere super verbo meo, quia quod volui, non recepi. Et infra: Dicas forsitan mihi, quod bonum meum ad me revertatur, & quia liberavi animam meam; & mundus sum à sanguine hominis, cui annuntiavi & locutus sum, ut averteretur à via sua mala, & viveret. Sed etsi innumera talia addas, me tamen minime ista consolabuntur, mortem filii intuentem. Quasi vero meam illa reprehensione liberationem quæsierim, & non magis illius. Quæ enim mater, etiamsi omnem quam potuit curam & diligentiam ægrotanti filio adhibuisse se sciat, si demum se frustratam viderit, & omnes labores suos esse penitus inefficaces, illo nihilo minus moriente, propterea umquam à fletibus temperabit? Et hæc hactenus.

27. De cetero tantus æmulator erat mansuetudinis & pacis, ut si forte improbus quisque petitor durius extorsisset à negante responsum, haud facile deinceps cum eadem repulsa dimitteretur inanis. Siquidem velut naturaliter (ut fatebatur) oderat omne scandalum; & gravamen cujuslibet hominis sustinere, ei admodum grave; non sentire impossibile erat. Adeo neminem sprevit, nullius hominis scandalum parvipendit: etsi veritatem Dei, justitiamque prætulerit. Nam & quoties oporteret noxios aliquorum vel reprehendere actus, vel impedire conatus; tam considerate fiebat, ut abundanter ipsi quoque qui læsi viderentur, haberent unde sibi pro eo satisfacerent in cogitationibus suis. Sane vidimus ex ipsis B quoque nonnullos, & de quibus minus id videbatur posse sperari, ampliori devotione ejus postmodum vel obsequiis deservisse, vel etiam adhæsisse vestigiis. Dicitur tamen & invidos habuisse, ut haberet meritum & ex eis. Ceterum tam singulariter eminebat gloria nominis ejus, ut pestis illa magis desperatione, quam livore tabesceret, & timeret agnosci. Quin etiam humilitate ejus & mansuetudine vincebatur, beneficiis suffocabatur, obruebatur obsequiis. Nimirum doctus erat vincere in bono malum, sicut ad quosdam fratres scribens *, inter cetera ait: Adhærebo vobis, etsi nolitis: adhærebo etsi nolim ipse. Invitis præstabo, ingratis adjiciam, honorabo & contemnentes me. (* ad T[...] monstr[...] Epist. [...])

C 28. Usque adeo siquidem omnes homines germano amplectebatur affectu, ut eorum scandalo (sicut ipse fateri solebat) gravius ureretur, quibus nullam videretur occasionem scandali præbuisse. Plus enim piissimum pectus gratuitum affligebat alterius scandalum, quam propriæ immunitas conscientiæ solabatur. Siquidem minus sperabat posse sanari quod unde procederet non videbat; magnum sibi è regione solatium fore perhibens, quoties inveniret unde satisfacere posset, vel homini pro se, vel Deo pro homine non sine occasione turbato. Erga omnium quidem hominum spirituale commodum incommodumve amplius afficiebatur: & summum ei desiderium, summum gaudium erat animarum fructus, D conversio peccatorum. Et corporeas tamen necessitates piissimo miserabatur affectu; cujus tanta erat humanitas, ut non modo hominibus, sed irrationabilibus etiam animantibus, avibus compateretur & feris. Nec compatienti deerat virtutis effectus. Contigit enim aliquoties, ut iter agens, fugientem, & (ut videbatur) protinus capiendum vel lepusculum à canibus, vel aviculam ab accipitribus, signo crucis edito mirabiliter liberaret, diceretque sequentibus frustra sese conari, nec ullatenus se præsente ejusmodi exercere posse rapinam.

## CAPUT VIII.

### *De scriptis S. Bernardi, & animi ejus effigie in ipsis expressa.* E

29. HÆc nos quidem de sacris moribus Patris nostri pro modulo nostro sub brevitate perstrinximus. Ceterum longe eminentius in suis ille libris apparet, & ex litteris propriis innotescit, in quibus ita suam videtur expressisse imaginem, & exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum merito illi posse videatur aptari: Laude sua ipse se sonet, & laureatus spiritu scriptis coronetur suis. Si quis enim nosse desiderat, quam sollicitus ab initio sui ipsius dijudicator & scrutator exstiterit, primum opus illius de gradibus Humilitatis inspiciat. Inde si quæritur piæ mentis religiosa devotio, F transeundum ad Homilias in laudibus Virginis Matris; & illum quem de diligendo Deo edidit librum. Si fervens contra suorum vel aliorum vitia zelus, legatur is quem Apologeticum vocat. Si vigil eodem in zelo & circumspecta discretio, de Præcepto & Dispensatione disserens audiatur. Quam vero fidelis cujuslibet piæ conversationis commendator exstiterit & adjutor, Exhortatorius ad Milites Templi Sermo declarat. Quam non ingratus gratiæ Dei, ex his liquet quæ de Gratia & libero arbitrio tam fideliter, quam subtiliter disputavit. Quam liber in voce, quam disertus, & in rerum superiorum pariter

inferiorumque scientia locuples, in his quæ ad Papam Eugenium de Consideratione scripsit, diligens considerator agnoscet. Quàm devotissimus prædicator alienæ sanctitatis, tam diligenter Episcopi sancti Malachiæ vitam prosecutus ostendit. Nam & in Sermonibus super Cantica, & investigator mysteriorum, & morum ædificator magnificus innotescit. In Epistolis, quas ad diversas personas ob negotia diversa dictavit, prudens lector advertet, quo fervore spiritus justitiam omnem dilexerit, omnem æque oderit injustitiam.

30. Fidelis etenim servus Christi non quærebat aliquid suum: quicquid tamen erat Christi, sic curabat ut suum. Quæ enim scelera non arguit? quæ odia non exstinxit? quæ scandala non compescuit? quæ schismata non resarcivit? quas hæreses non confutavit? Quid vero sanctum, quid honestum, quid pudicum, quid amabile, quid bonæ famæ, quid virtutis, aut laudabilis disciplinæ, suis ortum in qualibet regione diebus non roboravit ejus auctoritas, non fovit caritas, diligentia non promovit? Quid ante promotum dilatari amplius non optavit? quid forte collapsum non totis pro loco & tempore viribus egit ut repararetur? Quis malitiam quamcumque disponens ejus zelum & auctoritatem non timuit? Quis proponens quodcumque bonum, ejus, si potuit, non consuluit sanctitatem, non desideravit favorem, opem non flagitavit? Quis ad sacrum in ejus pectore habitantis templum divinitatis, de quacumque tribulatione fideliter clamaturus accessit, & inefficaciter laboravit? Mæstus ab eo solatium, afflictus auxilium, consilium anxius, æger remedium, pauper subsidium reportabat. Ita sese omnium fecerat servum, ac si toti genitus orbi: ita tamen liber ex omnibus conscientiæ suæ curam gerens, tamquam soli deditus curæ & custodiæ cordis sui.

12. 31. [ Et quidem divisiones gratiarum commendat Apostolus: & si quis diligenter quærat, inveniet diversos ab initio Dei famulos in diversis enituisse muneribus. Legimus enim viros in fide magnificos, multiplicibus claruisse miraculis: alios spiritum habuisse propheticum, & A futura quasi præsentia, occulta velut sub oculis posita mirabiliter cognovisse. Alios nihilo minus antiquorum litteræ protestantur graviori abstinentiæ deditos, parsimoniam coluisse: alios in humilitatis proposito, spretis dignitatibus hujus sæculi, auctori sæculi plurimum placuisse: alios in doctrina verbi ad salutis scientiam plurimos erudisse: ut secundum promissionem Scripturæ sanctæ, luceant quasi stellæ in perpetuas æternitates. Alii quoque in ædificandis cœnobiis laborantes, amplificaverunt nomen sanctitatis; alii in sedandis scandalis & turbinibus hujus sæculi, promovendisque Ecclesiæ Dei negotiis efficaciter occupati, utiles in actione: alii in sacris meditationibus spiritualiter feriati, sublimes in contemplatione fuerunt. Quid horum nostro videbitur defuisse Bernardo? Immo quid horum tam insigne in eo non fuit, ut ad commendationem satis esset, etiamsi ceterorum aliquid non adesset? Nam etsi multiplicibus Ecclesia sui temporis, tam in supra memoratis negotiis, quàm in aliis pluribus, actionis ejus utilitatem meruit experiri: magnifice tamen etiam gratia contemplationis in eo tam ex visionibus & revelationibus Domini, quàm ex scriptis suis, quæ spiritualibus exuberant sensibus, elucescit. Porro monasteriorum fructus, quæ per eum Dominus ordinavit, tam copiosus & evidens, humanis sese ingerit oculis, ut nullis egeat litteris commendari. Magis autem & ex ipsa quoque eorumdem multitudine cœnobiorum omnis deinceps generatio certum capere poterit documentum, quantos collegerit ad servitium Christi, qui tam multos undique propagavit. Quod ad reliqua spectat, de humilitate ejus, & dignitatibus refutatis, sed & de tenuissimo victu, superius prosecuti, ex his quæ ad prophetiam pertinent, ostensionemque virtutum, sub alio quidem principio curabimus annotare perpauca de multis. ] Et nunc igitur jam super his, quæ in signis exterioribus, & multiplici virtutum exhibitione consistunt, secundus, ut præmissum est in præfatione, libellus aliquanta narrabit.

*Hæc inserta ex mss. variant in edit. & quibusdam mss*

*Dan. 12.*

*Finis libri tertii.*

# DE VITA S. BERNARDI ABBATIS,

## LIBER QUARTUS,

## AUCTORE GAUFRIDO MONACHO CLARÆ-VALLENSI.

### CAPUT I.

*De reditu ejus ab Urbe, & asportatis inde Sanctorum reliquiis. Item de beneficiis diversis ejus merito, sed ipso inscio, in alios collatis.*

1. SICUT Sermone super Cantica canticorum vicesimo quarto servus Domini Bernardus Claræ-vallensis gratulatur, & gratias agit illi: tertio quidem reditum ab Urbe suum clementior è cælo respexit oculus, & serenior tandem vultus arrisit, quod quievisset rabies Leonina, accepisset finem malitia, recepisset Ecclesia pacem. Tanta vero exsultatione Ecclesia illum Gallicana recepit, ut non minorem videretur de suo reditu exhibere, quàm de pace reddita nuntiare lætitiam. Unde etiam mirari ipse sæpiusque causari, quod dum sibi post tam graves frequentias hominum & tumultus, velut ab exordio valefaciendum sæculo judicaret, & tamquam de novo adoriendum sacræ propositum conversationis; tunc potissimum uberioribus exciperetur gaudiis, obsequiis coleretur. Rediens autem Pater sanctus ab Urbe, ex sanctorum Apostolorum Martyrumque corporibus xenia secum attulit pretiosa, haud modicum hunc sibi reputans fructum esse laboris. Inter quæ beati Cæsarii dentem quonam modo receperit, memorandum. Cum enim integrum ei prædicti Martyris caput exhiberetur, ut tolleret inde quod D vellet, dari petiit dentem unum. Frustra vero aliquam diu fratres qui cum eo venerant laborantes, concessum sibi trahere penitus non valebant. Fractis enim cultellis duobus aut tribus quos applicuerant, nihilo minus adhuc dens immobilis permanebat. Tum ille: Orandum nobis, ait. Nec enim habere possumus, nisi Martyr ipse concedat. Facta denique oratione reverenter accedens, incredibili facilitate duobus tulit digitis, quod ferreis ante moveri non poterat instrumentis.

2. Fratres autem Jerosolymitani Templi, fidelis militiæ professores, cum novam habere eo tempore domum in Urbe cœpissent, redeunte prædicto Patre speE cialique patrono suo, tunicam ejus pro eximia benedictione servabant: apud quos eodem anno sacerdos quidam gravissima febre correptus desperabiliter ægrotabat. Ut autem omnino deficiens devenisse visus est ad extrema, portari sese in Oratorium, & prædictam beati Viri tunicam supponi sibi fecit, in sola positus exspectatione exitus mortis: cum subito raptus in quemdam mentis excessum, ac veluti jam carne solutus, videre sibi visus est corpus suum eodem quo jacebat in loco exanime, jam circumdatum multitudine sacerdotum, apertos tenentium libros, & celebrantium exsequias ex more sollem-

res. Nec mora, in vultu habituque prædicti Patris sancti reverenda quædam persona prodiens ex altari, manu illis innuit ut tacerent, voce pariter prohibens ne mortuum reputarent, cujus vitam Claræ-vallensi Abbati donaverat Deus. Confestim denique ad se rediens, sanum se reperit, & quod viderat fratribus indicavit. Qui quidem, ut à fidelibus viris nuper accepimus, hodieque superstes, & in partibus Aquitaniæ degens, beneficium quod accepit sedulo confitetur, ipsius præconio, cujus merito vivens. Si quis hoc minus miratur, animadvertat de beato Nicolao ex innumeris quibus est decoratus miraculis, in natalis ejus annua commemoratione tamquam eximium commendari, quod Imperatorem Constantinum ab interitu quorumdam longe constitutus per visum deflexit.

3. Nec illud dissimile est quod annectimus. Abbas Gerardus [a] de Moris *, quod est monasterium proximum Claræ-valli, testatus est nobis vidisse se eum aliquando psallentium fratrum circuire choros, & sicut frequenter agebat, excitare torpentes, ita ut affectuosius & virilius psalleretur quod reliquum fuit vigiliarum. Cumque die sequenti apud eum familiariter causaretur tardius illum quàm oportuerat ea nocte visitasse psallentes; Ego, ait, nocturnis horis corporeo occupabar incommodo: sed quo non potuit corpus, spiritus venit. Expavit ille audiens non adfuisse in corpore, quem tamdiu ipse corporeo spectasset obtuitu, circumeuntem utrumque chorum, & dormitantes quosque, ut consueverat, excitantem, & manum singulis imponentem.

* de Mores, Ord Cisterc. in D. Ling. fund. anno 1153. à Samsone Rem. Arch.

4. [ Tempore, quo Pater sanctus apud Urbem morabatur, contigit fratrem quemdam, Robertum nomine, in Clara-valle graviter infirmari. Huic apparuit juvenis quidam, similis fratri infirmario, præcipiens ut sequeretur se. Visum est, quod sequeretur præeuntem, venitque ad montem excelsum, in quo Dominum invenit Jesum cum Angelis suis, audivitque eum illi ductori suo dicentem: Custodi mihi istum. Jamque misit etiam Dominus in cor ipsius infirmi quædam verba, quæ suæ Claræ-valli per illum mandavit. Facto ergo mane, resedit qui moriturus ilico putabatur, mirantibusque omnibus, dominum Godefridum, tunc Priorem, nunc Lingonensem episcopum vocari fecit. Cui præsenti inter cetera dixit: Mandat vobis Dominus, ut domos amplas faciatis, quæ gentem possint capere, quam ipse multam missurus est vobis: fratribusque grangiarum mandate, ut honeste se habeant, formamque boni exempli hominibus fæcularibus præbeant: quia væ ei, per quem unus retro abierit. Post dies ferme viginti, cum eadem adhuc valetudine desperabiliter laboraret; admirabilis Pater Bernardus corpore absens, sed spiritu præsens, Claram-vallem advenit, languentem visitavit, matutinos hymnos circa eum cum ingenti fratrum multitudine decantavit, noctemque illam ibidem juxta illum fecit, & mane facto, idem frater sanus apparuit, modum viam suæ liberationis fratribus indicavit. ]

5. Ad multorum aures famam credimus pervenisse viri venerabilis Guilielmi, qui olim Montis-Pessulani * dominus, nunc verus Christi pauper & humilis monachus, degit in cœnobio, quod Grandissilva * vocatur. Ipsius relatione didicimus, quod dicturi sumus, sicut ab ejus ore, cui contigerat, se accepisse dicebat. [ In civitate Auxitanorum *, quæ metropolis est Vasconiæ, miles quidam infirmabatur. Cujus cum inferiores corporis partes à renibus & deorsum morbus sæviens occupasset, erat diebus multis lecto decubans, non modica parte præmortuus. Compunctus denique & confisus de misericordia Dei, ad servum ejus, cujus circumquaque tam celebris sese virtutum fama diffuderat, quocumque labore se præcipit deportari. Jam per dies aliquot processerat, profeceratque non minus in fide & devotione, quàm in itinere ipso: cum miseratus hominem Deus, mirabiliter satis & infirmitati ejus subvenire dignatus est, & parcere fatigationi. Occurrens enim quidam in via, quisnam esset, aut quo tenderet inquisivit. Acceptaque itineris ejus necessitate; Ego, ait, ex parte illius Sancti præcipio tibi, ut revertaris, sciens quod ubi domum veneris, sanus eris. Persuasit illi Deus ut crederet, cujus nimirum dispositione omnia gerebantur. Rediit, rediensque paulatim recepit eam, quæ sibi promissa fuerat, misericordiam, ut non prius domum pertingeret, quàm plenariæ donum perciperet sospitatis.

* Montpellier.
* Grandselve. in D. Tolosana fundat. anno 1144.
* Ausche.

[a] Idem factum repetitum in lib. 7, cap. 7.

6. [ Anglorum quoque regina Mathildis, tantum huic famulo Dei exhibuit aliquando devotionis affectum, ut venienti Boloniam extra urbem cum populo pedes occurreret, gravida tamen ipsa, multumque jam gravis. Quæ post dies aliquot, ut pariendi tempus advenit, tam graviter est afflicta, ut tam ipsa, quàm domus omnis, de vita ejus penitus desperarent: jamque omni reliqua supellectili pauperibus & ecclesiis delegata, vestis etiam regia pararetur in qua sepeliretur, tamquam protinus moritura. Tum subito recordata hominis Dei, & nomen illius invocans plena fide, in ipsa protinus invocatione sine periculo partum edidit desperatum. Nec distulit legatum destinare fidelem, per quem gratias ageret celebri subventori, ipsum sic natum, non immerito natum ejus appellans *. ] Verum ille, quoties tale aliquid contigisset audire, non minus humiliter, quàm jucunde refutans, dicere consueverat: Hoc certe mihi sic est imputandum, sicut ei qui conscius omnino non fuit.

* V. Epi... modo 31...

7. In monasterio, cui nomen est Bella-vallis *, prope urbem Chrysopolim *, homo quidam à dæmone vexabatur, mira eo instigante faciens, mira loquens. Post multas igitur orationes fratrum, cum improbe persisteret illa nequitia spiritualis, recordatus est venerabilis abbas loci illius Pontius hodieque superstes, habere se stolam, qua beatus Pater aliquamdiu usus fuerat in oblatione hostiæ salutaris. Nec cunctatus tulit protinus arma potentia Deo, & fiducialiter aggressus est inimicum. Vix limen attigerat cellulæ, in qua miser homo jacebat, cum subito ille malignus horrendis vocibus victum se profitens: En inquit, egredior, recedo protinus; manere ultra non possum. Respondente autem Abbate, Per nomen Domini, & ipsius beati Viri meritum, cujus hæc stola fuit, tibi præcipio, exi citius, ne moreris: continuo dæmon fugatur ab homine, homo liberatur à dæmone. Quis alter non periculose forsitan exsultasset, usque adeo sibi spiritus esse subjectos ut cederent & absenti? Verum ille Abbate ipso nuntiante nil motus; magisque subsannans eos quod videbat magna super hoc admiratione moveri, hæc eadem verba respondit: Quidni facile nos duo prævaluissemus in unum? Leviter illum ejicere potuit Deus: præsertim cum ego, ut dicitis, ei socius datus sim & adjutor. Hujusmodi nempe responsis in hujusmodi rebus sæpius utebatur. Noverat siquidem verus & verax non ostentator, sed æmulator humilitatis, efficacius dissuaderi posse hominibus quod stupebant, obliqua quadam & artificiosa objectione, quàm aperta excusatione, quæ humilitatem magis prædicabilem præferendo, existimationem non minueret hominum, sed augeret. Unde quodam loco * ex propria loquens experientia: Verus, inquit, humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari.

* Ord. C... fundat. ... 1119.
* Besançon
* Serm in Cant...

## CAPUT II.

*De spiritu prophetiæ, & revelatione futurorum, qua claruit.*

8. Illud quoque notissimum fuit, quod adhuc in carne degens, apparens autem in spiritu, fratri cuidam obitus sui prænuntiaverit diem. Infirmabatur novitius quidam frater in Clara-valle bonæ conversationis, & bonæ indolis adolescens. Nec longe aberat dies, qua post annuam ex more probationem, novum indueret hominem, si non prius hominem exuisset. Siquidem consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Quinto igitur die ante ultimum diem suum, visitante se fratre quodam [ Gerardo, qui hodie abbas est monasterii Longipontis, * ] idem novitius exhilaratus plurimum, inter alia spiritualis gratiæ verba, Ecce, inquit, quinta moriar die. ] Hodie enim mihi pater noster dominus Abbas apparuit cum multitudine monachorum, & blanda consolatione refovens, quinto die moriturum me esse dicebat. Exiit sermo inter fratres, & an-

* Longpon... Ord Cist. D. Suessio... fund. anno 1131.

tequam impleretur divulgatum est verbum. Exspectabatur ab omnibus dies illa, sed præ omnibus ille beatus in exspectatione sua fuit. Jam dies quinta inclinabatur ad vesperam, illius autem spiritus magis ac magis elevabatur ad Dominum. Demum circa undecimam horam in ipso mortis agone positus, obducto prorsus, ut assolet, lumine oculorum, & nemini jam intendens, ad exitum festinabat. Interim visitans eum Pater sanctus, velut ab alto somno revocat, & quasi retrahit commeantem, nec insalutatum abire permittit. Ad cujus vocem aperiens oculos, & mirum in modum facie serenata, aliquamdiu intendebat in eum. Mirabamur omnes mortalem hominem, immo jam morientem eatenus triumphare de morte, ut in ipso mortis articulo exsultaret in gaudio, pulcherrime nobis exhibens illud Poëtæ:

*Incipe parve puer risu cognoscere matrem.*

in Bu-... cl. 4.

Tum vero consolans eum Pater sanctus, nihil timere jubet, sed recto protinus cursu pertingere ad Dominum Jesum-Christum, & offerre ei humilem pauperis suæ familiæ salutationem. Ad hanc vocem qua potuit capitis inclinatione & motu annuens labiorum, iterum clausit oculos, & eadem hora in pace quievit.

9. Multa quidem huic famulo Dei revelata per Spiritum, multa sine præcedenti revelatione mirabiliter ab eo prædicta cognovimus: ex quibus exempli gratia pauca subnectimus. Cum esset aliquando Pater sanctus in Urbe Noviomensium * in domo episcopi Simonis, adductus est ad eum Herveius de Baugenceio *, puer admodum gratiosus, ortus ex regio sanguine, & ipsius Episcopi nepos. De quo sequenti nocte famulo suo Christus ostendit, quod erat post tempora longa futurum: siquidem videbatur sibi tamquam in Missarum celebratione Angelo cuidam pacis osculum dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de revelatione eumdem Herveium renuntiaturum sæculo, & futurum aliquando devotum Christi famulum promittebat. Quæ promissio tam celebris exstitit & vulgata, ut ipse quoque Herveius nobis postea fateretur, adolescenti sibi ad omnes arguentis conscientiæ stimulos semper occurrere, impossibile esse ut post Viri sancti tale promissum, in sæculari habitu moreretur. Nec fraudatus est spe sua: siquidem venerabilis Walerannus Ursi-campi cœnobii * primus abbas monachum illum fecit, & angelico functus officio, pacem quam ex ore Patris sancti ipse susceperat, communicavit Herveio. Cujus talis postmodum apparuit conversatio, ut tali dignus oraculo videretur. Nam & prædicto Waleranno in regimine monasterii Ursi-campi ille successit; & novissime obitum suum imminentem sanus adhuc & incolumis, eodem Waleranno per revelationem sibi annuntiante, præscivit atque prædixit.

...ensi. ...gency. ...rcamps. in D. ...omensi 1139. ...none, ...90.

10. Et quod addimus, huic simile fuit. Patrem sanctum fines Parisiorum aliquando peragrantem, ut ad ipsam diverteret civitatem, episcopus Stephanus & ceteri omnes qui pariter aderant, obnixe rogantes non poterant obtinere. Magno siquidem zelo, nisi causa gravis urgeret, conventus publicos declinabat. Cumque vespere iter suum alias ordinasset, mane ubi primum locutus est fratribus, dicere jubet Episcopo, quia Parisius ibimus, ut rogasti. Conveniente igitur clero admodum copioso, sicut semper ab eo solebant expetere verbum Dei, continuo tres ex illis compuncti sunt, & conversi ab inanibus studiis ad veræ sapientiæ cultum, abrenuntiantes sæculo, & Dei famulo adhærentes: quorum ille primum intuens, cum subito inter loquendum surgeret, petereque vestigia ejus, inclinavit se modice, & fratri cuidam propius assidenti in aure locutus est, dicens: » Istum ego, sicut nunc video, venientem nocturna visio» ne prævidi, propter quem etiam Dominus nos adduxit. Qui nimirum novitius in multa postmodum puritate & devotione conversatus, plurimumque acceptus Deo & hominibus, in Clara-valle post annos aliquot beato fine quievit. Apparuerunt aliquando Viro Dei in Trecensium urbe posito venerabiles ejus filii, jam quidem carne soluti, Galdricus & Gerardus: quorum etiam secundum carnem alter germanus, alter avunculus ejus exstiterat. Cumque velut accelerantes ocius pertransirent, revocanti & retinere volenti respondebant, eumdem sibi pro fratre Gaufrido monacho, qui eorumdem à prima conversione socius, strenue satis in multis cœnobiis exstruendis militaverat Deo. Continuo Pater sanctus excitatis fratribus accelerari jubet, & ad monasterium veniens, ipso die, sicut eis prædixerat, eumdem Gaufridum jam positum reperit in extremis.

11. [ Infensus aliquando rex Francorum senior Ludovicus quibusdam sui regni episcopis, suis eos sedibus & civitatibus exturbavit. Unde etiam hic Vir reverendus plures scripsit epistolas, pro eorum pace laborans, quarum hodieque exemplaria perseverant. Accidit autem, ut præsente eodem Patre sancto, episcopi multi indignationem Regis flectere cupientes, tota humilitate prostrati solo tenus, ejus tenerent vestigia, & nec sic gratiam obtinerent. Qua ex re Vir Dei religiosa animositate permotus, die altera Regem durius increpans, quod Domini sacerdotes sprevisset, libere quoque denuntiavit, quod eadem sibi nocte fuerat revelatum: Hæc, inquit, obsti« natio primogeniti tui Philippi regis morte mulctabitur. » Vidi enim te cum minore filio tuo Ludovico ad pedes « episcoporum, quos heri contempseras, inclinatum: & « protinus intellexi, Philippo celeriter facto de medio, « pro Ludovici substitutione Ecclesiam, quam nunc oppri« mis, te rogaturum. Quod quidem non longe post miserabilis casus implevit: & decedente Philippo, egit pater, ut is, qui feliciter hodie regnat, Ludovicus junior ungeretur. ]

## CAPUT III.

*De variis futuris eventibus spiritu prophetico ab eo prædictis.*

12. Fidelissimum principem Theobaldum Comitem, in magna tribulatione probatum, non minus mirabiliter quàm misericorditer Dominus liberavit. Is nimirum potentissimus in regno, & secundus à Rege, totus tamen eleemosynis deditus, & studio pietatis intentus, omniumque servorum Dei, sed specialiter Bernardi Claræ-vallensis amator devotissimus erat. Quem eatenus impugnari & affligi passus est Deus, ut Rege pariter & vicinis potentibus fere cunctis adversus eum conjurantibus, usque adeo de ejus evasione desperaretur, ut publice quoque jam insultaretur religioni, pietati detraheretur, eleemosynis derogaretur. Monachi & conversi, inutiles ejus milites & ballistarii dicebantur. Nec modo apud extraneos, sed in ipsis quoque ejus civitatibus & castellis ejusmodi jam blasphemiæ personabant. Denique congregatis aliquando Episcopis pluribus, aliisque personis, præsente etiam Viro Dei, dum super his agerent & colloquerentur, Episcopus quidam eo tempore, auctoritate & opinione prudentiæ celeberrimus aiebat: In manu Regis est Comes Theobaldus, non est qui possit eum eruere. Respondente alio quodam Antistite, Est qui possit liberare eum: multum ille miratus, quisnam crederetur posse, quærebat. Demum audiens quia potest eum eripere qui omnia potest Deus; non parum substomachans: Potest, inquit, si manifestus appareat, si clavam teneat, hinc inde percutiat; sed hactenus ista non fecit. In tanta igitur desperatione, cum prædictum Principem vehementer urgerent extranei, gravius tamen impugnarent qui ab eo defecerant universi pæne potentes homines sui; nec minus illum affligerent pauci qui residui videbantur, ex aliorum defectu ipsi quoque suspecti: Lingonensis episcopus Godefridus frequenter & familiariter Dei hominem consulebat, quidnam sibi Dominus super his revelaret. Cui ille, cum jam sæpius respondisset, nihil sibi apparere nisi tribulationem super tribulationem, demum aliquando sciscitanti, ait, quia quinto « mense pax erit. Sane ultima die quinti mensis reformata est pax, ipso quidem & orante, & operante; ut non esset ambiguum ejus potissimum studio & merito piissimum illum Principem à tam gravibus imminentibusque periculis liberatum.

13. [ Post annos aliquot inter eumdem Regem Francorum, & Gaufridum Comitem Andegavensium exerce-

bantur inimicitiæ graves. Causa erat, quod virum nobilem Gerardum de Monasteriolo, Rege prohibente, in munitissimo oppido suo Comes obsidens, comprehenderat cum uxore ac liberis & propinquis, ipsamque diruerat munitionem. Tractabat ergo Vir sanctus de reformanda pace, multis ad hoc ipsum episcopis & principibus congregatis: cum subito Comes ille amaritudinis felle commotus, insalutatos omnes relinquens, equo insiliit, & recessit. Confusis denique omnibus, jam conventus in desperatione pacis solvebatur, & prædictus Gerardus accedens ad hominem Dei, licentiam postulabat, velut in mortem & carcerem rediturus. Sub obsidibus enim ad colloquium illuc erat adductus. Cumque Vir Domini consolaretur eum, gravius ille flens & ejulans: Meam, inquit, minus doleo sortem: meos omnes lugeo pariter morituros. Compassus itaque Vir beatus, Ne timeas, ait. Certus esto, quia Deus tibi tuisque subveniet, idque celerius, quàm valeas vel sperare. Siquidem recordatus visionis, quam veniens ad id colloquium viderat, tamquam lecturum se Evangelium, à sancto episcopo Malachia petere benedictionem, confisus est pacem sine dubio proventuram. Necdum Gerardus ille limen domus attigerat à facie ejus egrediens, cum subito quidam occurrens, redire Comitem nuntiavit. Mirati sunt omnes, tam celerem audientes promissionis effectum. Eadem etenim hora Comes rediit, & pariter pax desiderata provenit. Erat autem idem Comes pro eodem negotio ex mandato summi Pontificis anathematis vinculis innodatus; sed absolvendus humiliari, ut debuit, vel culpam super hoc fateri suam, penitus recusavit: magis autem, ut erat plurimum animosus, Deum sibi culpam hujusmodi numquam remittere imprecabatur, innocentem se reputans & injuste ligatum. Quamobrem discessit Pater sanctus non parum tristis ab illo, dicens ei, siquidem litteras noverat, in qua mensura mensus fueris, remetietur tibi. (Math. 7.) Eadem autem die, causantibus super hac improbitate personis quibusdam, & principem illum graviter errasse dicentibus, accensus zelo Dei famulus, aiebat: Graviter satis hæc temeritas punietur. Fieri omnino non potest, quin hoc eodem anno Comes ipse aut moriatur, aut evidentem aliam divinæ indignationis sentiat ultionem. Hoc verbum & ex ipsis, & ex aliis audiere non pauci. Quod tam celeriter est impletum, ut Comes idem infra diem quintum decimum moreretur.]

14. Ingressus aliquando servus Christi Germaniæ regnum, festinabat ad partes Moguntinorum *, pacem reformaturus inter regem Lotharium, & prædecessoris ejus imperatoris Henrici nepotes, Conradum scilicet, qui Lothario postea successit in regnum, & Fridericum patrem hujus Friderici, qui post Conradum electus obtinet hodie principatum. Venerabilis autem metropolitanus Moguntinorum Albertus honorabilem quemdam clericum, nomine Mascelinum, Viro Dei obviam misit. Hic igitur Mascelinus cum à domino suo missum se esse diceret ad serviendum ei, paulisper intuitus illum Vir Dei: Alius, inquit, Dominus ad sibi serviendum te misit. Expavit Teutonicus, & miratus quid dicere vellet, firmius asserebat à domino suo Moguntino sese Archiepiscopo destinatum. Econtra servus Christi: Falleris, ait, major Dominus est, qui misit te, Christus. Tunc demum intelligens homo quorsum vellet vibrare sermonem: Putas, inquit, quod monachus fieri velim? Absit à me, non cogitavi, nec ascendit super cor meum. Nihilo minus tamen renuente illo, Dei famulus affirmabat omnimodis fieri oportere, non quod ipse de se cogitaverat, sed quod de eo disposuerat Deus. In eodem denique itinere conversus ad Dominum sæculo valefecit, & cum aliis pluribus litteratis honoratisque personis, quas collegit eo tempore servus Christi, ipse quoque, sicut sibi prædictum fuerat, secutus est eum.

* Mayence. anno Chr. 1133.

15. Henricum quoque germanum Regis Francorum, qui Belvacensem * hodie cathedram ornat, non dissimili Dominus conversione mutavit. Accidit enim ut veniens idem Henricus ad hominem Dei super quodam sæculari negotio locuturus, conventum etiam fratrum visitans eorum sese orationibus commendaret. Cui Pater sanctus inter verba sanctæ exhortationis, Confido: ait, in Domino, nequaquam in eo te moriturum in quo nunc positus es, sed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi istorum prosit oratio quam expetisti. Quod eodem postmodum die non absque multorum admiratione completum est, & de tanti juvenis conversione cœnobium omni exsultatione repletum. Lugentibus autem sociis, & familia tota, ac si mortuum illum cernerent, ejulante, præ ceteris Andreas quidam Parisiensis Henricum ebrium, Henricum vociferabatur insanum, nec conviciis, nec blasphemiis parcens. Econtra sane, idem Henricus pro illius potissimum conversione Dei hominem dare operam precabatur. Cui Vir sanctus audientibus multis, Dimitte, ait, hominem: modo anima ejus in amaritudine est, nec pro eo multum sollicitus sis, quia tuus est ille. Cumque amplius spe concepta Henricus instaret ut loqueretur Andreæ, severius intuitus eum Vir Dei, Quid hoc est? ait. Numquid non jam dixi tibi, tuus est ille? Audiens hæc Andreas, adstabat enim & ipse, sicut plurimum improbus erat, & à sacra conversatione vehementer abhorrens, talia secum, ut hodieque fatetur, tacita cogitatione volvebat: In hoc nunc scio falsum te esse Prophetam. Hoc enim certus sum quia locutus es verbum, & non fiet. Hoc tibi ego coram Rege & principibus, in celebri quocumque conventu improperare non parcam, ut tua omnibus falsitas innotescat. Ceterum quàm mirabilis Deus in consiliis super filios hominum, ridens eorum vana conamina, ut propositum suum quando, & quomodo ipse voluerit impleatur! Si quidem die altera ibat Andreas mala omnia imprecans monasterio, ubi dominum dimittebat, ipsam quoque desiderans vallem funditus subrui cum habitatoribus suis. Nec parum moti sunt & mirati, qui prædictum Viri sancti de ipso audierunt verbum, cum taliter videretur abire. Sed non diu pusillanimitatem eorum & fidem modicam tentari passus est Deus. Illa tantum die procedens & repellens quodammodo gratiam Dei, nocte proxima victus & quasi vinctus trahente se & vim faciente Spiritu Dei, diem exspectare non potuit, sed exsurgens ante diluculum, velociterque rediens ad monasterium, alterum nobis Saulum, vel magis de Saulo altero Paulum alterum exhibebat.

* Beauvais.

16. Inter ceteros quos de vana conversatione hujus sæculi per ministerium servi sui Christus eripuit, de partibus Flandriæ multi aliquando nobiles, multi sapientes & litterati viri sub ipsius magisterio sacram professi sunt servitutem: quorum primus videbatur Gaufridus ille de Perona, qui postmodum in Clara-valle Prioris officio functus est, & defunctus * in eo. In quibus evidenter satis evangelicum illud impletum est: *Multi dicent vobis, Ecce hic est Christus, ecce illic.* Plurimis enim persuasionibus actum est cum eis, ut aliam magis eligere professionem, & loca alia debuissent, donec occurrit Dei famulus jam prope dispersis: & in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus, pristina omnis hæsitatio facta de medio, & omnium pariter in ipsius consilio irrefragabiliter est firmata voluntas. Quod quidem non sine subita & penitus insperata quorumdam ex ipsis mutatione factum est animorum. Denique cum jam Dei hominem ad monasterium sequeretur prædictus ille Gaufridus, gravissima cœpit tentatione pulsari. Intuitus autem illum unus è fratribus: Quid est, inquit, quod facies tua exterminata, & tristitiæ quodam nubilo graviter obvoluta videtur? Cui Gaufridus: Scio, inquit, quod numquam amplius lætus ero. Quod verbum cum ad Dei famulum idem frater satis anxius retulisset, videns ille sacram basilicam prope viam per quam gradiebantur, in eam divertit, & ingressus orabat. Ceteris autem deforis præstolantibus, Gaufridus ille gravatus tædio super lapidem obdormivit. Demum cum ambo pariter surrexissent, ille de oratione, iste de somno, apparuit idem Gaufridus tantum jucundior & hilarior ceteris, quantum tristior prius. Cumque ei prædictus frater verbum mæstitiæ quod locutus fuerat, amicabiliter improperaret: Etsi tunc, inquit, dixi, Numquam amplius lætus ero; sed nunc dico, Numquam amplius tristis ero.

* anno 1146. v. l 106. Math

17. Idem

17. Idem quoque Gaufridus primo tempore tirocinii sui pro patre suo viro nobili & potenti, quem in sæculo reliquerat, filiali pietate sollicitus, Patrem sanctum pro ejus conversione rogare Dominum, affectuosius exorabat. Cui Vir Dei: » Ne timeas, inquit, ego illum probatum monachum manibus meis in hac Clara-valle sepeliam. Utrumque secutum est: & perfectus monachus factus est; & à Patre sancto, sicut ipse prædixerat, in Clara-valle sepultus. Tamquam enim mori illo absente non posset, quinque mensibus infirmatus, & creberrimum, immo continuum responsum mortis in seipso habens, sustinuit donec Pater sanctus rediret, qui, ut olim promiserat, eum traderet sepulturæ.

18. [ Regina Franciæ, supradicti Ludovici Junioris B uxor *, plures cum eo fecerat annos, & sobolem non habebat. (margin: enordis.) Erat autem Vir sanctus apud Regem pro quadam pace laborans, & Regina in contrarium nitebatur. Cumque eam moneret desistere cœptis, & Regi suggerere meliora, inter loquendum illa cœpit conqueri super sterilitate sua, humiliter rogans, ut sibi partum obtineret à Deo. At ille: » Si feceris, inquit, quod moneo, ego quoque pro verbo, quod postulas, Dominum exorabo. Annuit illa, & pacis non tardavit effectus. Qua reformata, prædictus Rex, nam verbum ei Regina suggesserat, à Viro Dei promissum humiliter exigebat. Hoc autem tam celeriter est impletum, ut circa idem tempus anno altero eadem Regina pepererit. ]

C 19. Dominus abbas Rainardus Cisterciensis, quem ex Clara-valle assumptum Pater sanctus & ut filium amplectebatur, & reverebatur ut patrem, ob quorumdam monasteriorum ordinationem Provinciæ * partes intravit. (margin: vence.) De quo Vir Dei in Clara-valle consistens, dum fratri cuidam loqueretur, subita inspiratione permotus: » Dominus, ait, Cisterciensis, aut mortuus est, aut in proximo moriturus. Nec parum ille frater miratus est audiens verbum: magis tamen obstupuit, cum ejusdem Abbatis post dies paucos audiret obitum nuntiari.

20. [ Eodem anno, quo de hac vita Pater sanctus fuerat exiturus, tres adolescentes de proximo oppido, quod Barrum dicitur super Albam, monasterium Claræ-vallis D gratia conversionis intraverant, quorum tertius, suadente maligno, ad vomitum est reversus. Qua ex re pro duobus aliis magis solliciti fratres, ipsis quoque præsentibus, Patri sancto super hoc loquebantur. At ille intuens in eos: » Hic, inquit, nulla umquam tentatione laborabit: iste vero multa, sed tamen prævalebit. Utrumque sicut audivimus, sic vidimus: adeo ut frequentius alteri objiceremus, cum aliquoties in tentatione pæne deficeret, & inciperet jam abire, impossibile esse ut vinceretur, quem Vir sanctus dixerat nulla tentatione vincendum. ] Pernoctabat aliquando Dei famulus in oratione, in suo Claræ-vallensi cœnobio constitutus, & solita in- E tentione Dominum deprecabatur. Contigit autem eadem hora pauperem quemdam, & vere pauperem spiritu, in cella hospitum mori, cujus animam cum vocibus canoris in cælum deferri Pater sanctus audivit; & interrogatis mane fratribus, qui adfuerant, illam fuisse horam obitus ejus comperit, qua prædictas audierat in sublime tendentium voces.

## CAPUT IV.

*De mirabilibus & variis beneficiis ab eo, præsertim in regno Galliæ, præstitis.*

21. Cum beatus episcopus Malachias, cujus vitam virtutibus plenam Vir sanctus studiose descrip- F sit, juxta desiderium cordis sui in Clara-valle beatam cælo animam reddidisset; offerens pro ejus transitu venerabilis Abbas hostiam salutarem, gloriam ejus Domino revelante cognovit, & eodem inspirante, sacrificio jam expleto, formam mutavit orationis, & collectam intulit, quæ ad sanctorum Pontificum celebritates, non ad commendationes Defunctorum pertinet, ita dicens: *Deus qui beatum Malachiam pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquasti, tribue quæsumus, ut qui pretiosæ mortis ejus festa agimus, vitæ quoque imitemur exempla.* A Deinde reverenter accedens, sacra ejus vestigia devotissime osculabatur. Modum tamen & seriem visionis nec cuiquam aperire, nec in ejusdem Episcopi vita scribere acquievit: hoc tantum respondens, cum plurimum rogaretur, nimis ad propriam sui ipsius pertinuisse personam. [ Nec sane dubium, plura eum similia occultasse similiter, quæcumque videlicet passus est Dominus occultari. Nam & Virduni aliquando, quæ est civitas Lotharingiorum, cum ad tumulum reverendissimi viri Alberti * episcopi Ostiensis, noviter ante defuncti, pro commendatione ejus sacrificium laudis offerret, collectam similiter in fine mutavit: de quo tamen quid vidisset, nec interrogatus est, nec confessus, cum sine certa revelatione id fecisse minime videatur. ]

* l. Alberici, ad quem epist. 219 & supra lib. 3. num. 7.

22. Super his quæ ad gratiam pertinent sanitatum, tam multa insignia per hunc famulum suum operatus est Christus, ut in eo quoque videretur exhiberi, quod de ipso Johannes evangelista testatur: *Si omnia scriberentur, ne ipsum quidem mundum capere eos qui scribendi fuerant libros.* (Johan. 21.) Ceterum nos saltem pauca de pluribus exempli gratia proferamus. Castrum Villanum * accolæ vocant, quod à Clara-valle, ut aiunt, sex milliariis distat: ubi mulier prægnans tempus omne transierat pariendi, & aliquantis mensibus jam decursis, cum necdum pareret, amplius mirabatur. Cujus eo usque dilatus est partus, ut morbus potius videretur, nec jam C crederetur esse prægnans, sed tumens. Quis enim credere posset infantulum anno integro intra viscera posse materna teneri? Desperata igitur mulier ad monasterium Viri Dei ducitur sic se habens. Sistitur ad portam misera, & portario fratri causa tam miserabilis intimatur. Rogatus ille, & inaudito compassus incommodo, supplex adiit Patrem sanctum, fideliter ei necessitatem indicans mulieris, fideliter explens negotium susceptæ legationis. Et, ô mira divinæ virtutis operatio, mirabilius accelerantis, quod mirabiliter tardabatur! Tamquam enim hoc solum tanto tempore nasciturus infans exspectaverit, hora eadem femina peperit, & præcurrente remedio, ad portam rediens frater ille incommodum quod nuntiaverat, non invenit.

* Chasteau-villain.

23. Alio tempore in territorio Autisiodorensi, apud oppidum quod Cona * vocatur, mulier quædam periclitabatur multis diebus, quod venisset filius usque ad partum, & vires non haberet parturiens. Cumque supervenisset interim servus Christi, postulanti benedictionem, aquam benedictam misit. Gustavit mulier, & confestim natus est puer: quem venerabilis episcopus Carnotensis Gaufridus baptizavit, Bernardi ei nomen imponens. In eodem itinere & in territorio eodem, dum febricitantium multitudo, sicut ubique solebant, à Dei homine panem peterent benedictum, Girardus quidam clericus ex castro, cui nomen est Clamiceium *, male sciolus & subsannans fidem populi blasphemabat. In ipsis autem verbis blasphemiæ gravissima febre correptus, usque Autisiodorum abeuntem sequi coactus est Virum Dei: & pœnitentiam agens apud eum, ipsam, cui detraxerat, multis obtinuit precibus benedictionem. Tam multis vero gustata ejusmodi benedictio reddidit sanitatem, ut solius Dei, cujus hæc virtute fiebant, posset notitia comprehendi.

* Cosne.

* Clamecy.

24. Vidimus in Meldensi * territorio militem devotissimas referentem gratias Viro Dei, quod ad primum gustum panis ab eo benedicti, plenam receperit sospitatem à febre quartana, qua sic graviter laboraverat mensibus ferme decem & octo, ut in hora accessionis, quasi phreneticus, nec matrem agnosceret suam. Virum quoque venerabilem Gerardum Lemovicensem * episcopum testantem audivimus, juvenem quemdam de familia sua letaliter in capite saucium, cum jaceret spumans & impos mentis, immissa sibi in os buccellula panis, quem benedixerat homo Dei, tam celerem sensisse virtutem, ut incolumis surgeret ipsa hora. Neque illud tacendum, quod ipsam quoque substantiam panis ab omni corruptionis injuria eadem benedictio vindicabat, adeo ut plures viderimus, qui per septennium & ultra eosdem servaverint panes, nec colore, nec sapore mutato,

* Meaux.

* Limoges.

Ante hos paucos dies, venerabiles abbates, Girardus & Henricus, de Sueciæ partibus venientes, dum super his conferremus, testati sunt nobis, panem ante annos undecim ejus benedictione signatum manere adhuc apud se penitus incorruptum. Nec dissimilem apud aliquos nostrum usque hodie novimus, & apud alios multos credimus esse repositum. Et nunc idoneum satis & evidens hujus rei testimonium proferamus.

25. Vir magnus & magnifice honorandus Danorum archiepiscopus Eskilus * Patrem sanctum unico venerabatur affectu, unica devotione colebat. Nec contentus est in filiis eum videre, cum novum cœnobium exstruxisset, & impetrasset ab eo desideratum sacræ congregationis examen. Prævaluit apud eum desiderium vehemens, ut homo tantæ auctoritatis, & in insulis illis tam ecclesiastica quàm sæculari auctoritate singulariter potens, expositis suis omnibus, etiam semetipsum periculis multis traderet & labori. Nam de expensis dicere non est magnum, quamvis eumdem audierimus protestantem, quod expenderit in itinere ipso argenti marcas amplius quàm sexcentas. Venit ergo Claram-vallem tam humilis & sublimis, quem à finibus terræ non curiositas audiendæ sapientiæ, sed fidei zelus & plenitudo devotionis attraxerat. Ubi quantum fleverit, qualem sese non modo erga eum, quem tam unice suspiciebat, sed etiam erga minimos quoslibet fratrum exhibuerit, non est facile dictu. Demum rediturus ad propria, ut benedictum à Dei famulo panem referre posset, & diutius conservare, humano sensu præcipit ut in clibano recoquatur, sicut solent qui maria transeunt, panem ferre biscoctum. Audiens autem Sanctus non est passus errare hominem tam devotum, sed amicabiliter arguens in hac parte fidem ejus modicam inveniri; „Itane, inquit, non poterit „panem ipsum benedictio magis quàm recoctio conservare? Et non acquievit benedicere illum, sed communem sibi panem præcipiens exhiberi, benedixit, & dixit: „Ecce hunc tolle tecum, nihil deinceps de corruptione sol„licitus. Tulit, & ad suos rediens usque hodie gloriatur fidei suæ defectum evidentissima rei veritate convinci. Nec enim passus est Patris sancti non visitare sepulcrum [a], nec minus erga eum nunc afficitur, nec minus quàm olim in vivente confidit, nimirum quem verius vivere omnino non ambigit. Confessus est etiam nobis de pane quem retulit, quod nunc usque, cum jam tertius annus transierit, illæsum eum beati viri fides & benedictio custodivit.

* ad hunc exstat epist. 390.

26. Narraverunt etiam nobis viri religiosi, qui cum eodem Archiepiscopo venerant, miraculum dignum memoria nuper factum in cœnobio [b], quod, ut supra meminimus, in terra sua ipse fundavit. Erat enim, inquit, in regione eadem adolescens nobilis, ipsius quoque Archiepiscopi secundum carnem propinquus, sed ob multa sua flagitia minus carus. Correptus autem gravissima valetudine, visitationem ejus vix impetravit, & per manum ejus ad monasterium quod fundaverat, ille se contulit. Ubi & cum maxima cordis compunctione renuntians sæculo, per dies aliquot in humili & fidelissima confessione persistens, magis ac magis eadem ægritudine laborabat. Qua demum invalescente exitum sibi imminere cognoscens, Abbatis & fratrum præsentiam miro amplectebatur affectu, mira eos devotione monebat, ut spiritualia arma corriperent, egressuram protinus animam sibi commendatam efficacitet protecturi, & exhibituri fideliter necessarium prorsus inter imminentium hostium crudelissima tela conductum. Cumque in hujusmodi supplicatione divinis jam sacramentis munitus, & de eorumdem servorum Dei patrocinio, & Domini miseratione piissima devotione præsumens, ac proinde circumstantibus omnibus multam suæ salutis relinquens fiduciam exspirasset; offerebant fratres pro commendatione animæ ejus, quàm devotissime poterant, Dominici Corporis hostiam salutarem.

27. Tum subito inimicus humanæ salutis, ex ejusdem, sicut indubitabile esse videtur, liberatione animæ, quam ex multis diebus irreparabiliter sese occupasse credebat, iram magnam concipiens, & eamdem permittente Deo crudeliter satis exercens, unum è fratribus repentino furore pervasit. Clamabat igitur horrendis vocibus miserabilis homo, & vix multorum manibus tenebatur. Demum cum maximo quidem labore asportatus, & in lectulo religatus, tam sua quàm adstantium membra dentibus appetens, dirissime vexabatur. Nec illa quam prius nosset lingua, sed nova quadam, quam nec adstantium quisquam noverat, loquebatur. Et cum nihil quod diceret intelligerent, tam libere tamen & sine offendiculo non inconcinnas eum audiebant edere voces, ut indubitanter crederent quod lingua aliqua loqueretur. Post aliquantas igitur horas, cum vehementer confusi fratres quid agere possent anxie cogitarent, & studiose conquirerent; unus ex eis salubre consilium Domino inspirante concipiens, sacra pignora ab ipso Archiepiscopo eodem anno istic deposita, videlicet de capillis & barba, & dentem unum beati patris nostri Bernardi afferri monet, & ejus pectori superponi. Quod ut factum est, Germanica lingua per os ejus cœpit horrendis vocibus nequam spiritus exclamare; Tollite, tollite, amovete Bernardum. & dicebat: Heu, quàm ponderosus factus es Bernarde! quàm gravis, quàm intolerabilis factus es mihi! Cumque hæc & similia aliquamdiu clamitans loqueretur, factum est breve silentium, & subito frater idem Domino miserante purgatus, aperuit oculos, ac velut de gravi somno evigilans, circumstantes fratres & sua plurimum vincula mirabatur, verecunde satis quidnam sibi vellent hæc, vel quid accidisset, interrogans. Ex ea igitur hora pristinam sanitatem mentis & corporis per beati Patris merita sancta recepit, nil penitus quod in illo tam gravi casu fecerit aut locutus fuerit, recordatus. Hæc quidem à nobis de testimonio viri reverendissimi Eskili Danorum archiepiscopi ex occasione panis à Dei homine benedicti, non sine quadam anticipatione sunt dicta. [De cetero jam ex ordine reliqua prosequamur.]

28. Non modo autem hominibus, sed pecoribus etiam & armentis tam frequenter ejus benedictio profuit, ut monasterii sui Cellerarium dure aliquando increparit, quod sibi non indicans, mori animalia permisisset, unde fuerant pauperes sustentandi. Dehinc ut solitus erat, benedixit sal, & animalibus jussit apponi, & protinus lues orta cessavit. Quod in aliis quoque monasteriis vidimus & cognovimus, ut audiens fratrum animalia mori, interdum etiam non rogatus, sed ipse prior admonens eos eodem remedio subveniret. Gaudum dicitur locus quidam Caziacensium * monachorum, ubi vir sanctus cum aliquando pernoctaret, exhibitum sibi juvenem claudum oratione & benedictione sanavit, ita ut post dies paucissimos per eumdem locum redeunti incolumis & devotus adstaret. In eisdem partibus, vico cui nomen Algorrium, mulierem phreneticam populus obtulit transeunti: cui manus imponens & orans, sanam dimisit, & abiit. Hanc in eodem vico postea vidimus, Viro Dei cum gratiarum actionibus occurrentem.

* Chez. nast. Benedict. in Suessio

29. In remotis etiam regionibus, quocumque eum Ecclesiæ sanctæ necessitas traxit, virtus est prosecuta signorum. Apud Viride-folium (sic enim dicitur castrum territorii Tolosani, quod, ut superiore libro meminimus, aliquando Pater sanctus introiens, multis ibidem virtutibus claruit) puer mancus & claudus ex utero matris suæ, ad cujusdam memoriam Martyris, utriusque pedis & alterius manus receperat sospitatem. Hujus alteram manum adhuc invalidam, tamquam divinitus servatam sibi, Pater sanctus benedicendo sanavit, ut sanctorum innotesceret particeps esse virtutis. Caturcium * dicitur civitas Aquitaniæ, per quam Viro Dei ipso tempore transitus fuit. Ibi præter

* Cahors

a Eskilus demum in Clara-valle monachus anno 1178. ibidem decessit anno 1181. ex Chronico Claræ-vallensi.

b Is duo monasteria Ordinis Cisterciensis fundavit in Dania, unum vocabulo Granadium in diœcesi Lundensi; alterum Esconense in Roskildensi, de quo hic sermo.

alia beneficia quæ præstitit infirmantibus multis, unus de pueris Episcopi civitatis ipsius, qui ex vulnere gravi alterius oculi lumen amiserat, sub manu ejus visum recepit. In pago quoque Engolismensi, loco cui nomen est Castellare, post oblationem hostiæ salutaris, adstantibus venerabilibus episcopis, Lamberto * Engolismensi, & Gerardo Lemovicensi, puerum ex matris utero claudum & mancum, cujus in modum pilæ cubiti cum genibus umbilico, pedes autem natibus adhæsissent, Dei famulo offerebant. At ille singula membra edito prius signo Crucis attrectans, mira facilitate extendit protinus & sanavit. Apprehendens denique manum ejus erexit illum, & dimisit libere gradientem. Populus autem pro tantis nimirum virtutibus, magnis vocibus Dominum collaudabat. Nam & die sequenti in pago Lemovicensi, in vico, quem sancti Geniani * nomine vocant, signa per eum plurima claruerunt. Undique enim confluebant qui incommodis variis laborabant, & virtus erat Domini ad sanandum eos. Ubi inter ceteros puer ferme decennis, cæcus ex utero matris suæ, coram omni populo oblatus est Viro Dei. Qui in digitos suos exspuens, & liniens oculos ejus, brevem fecit orationem, & in nomine Christi aperuit oculos cæci nati.

## CAPUT V.

*De variis miraculis à beato Bernardo per Germaniam, Constantiæ, Basileæ, Francofurti, Treviris, &c. patratis.*

30. Regnum quoque Germaniæ cum introisset aliquando vir beatus, tam excellenter enituit in gratia sanitatum, ut nec verbis exprimi, nec credi valeat si dicatur. Nam & testati sunt qui affuere in territorio Constantiensi *, circa vicum quem Doniguem * nominant, ex iis qui diligentius vestigarunt & viderunt oculis suis, una die illuminatos ad ejus impositionem manus cæcos undecim; sanatos etiam mancos decem, & claudos erectos decem & octo. Ceterum ne fecisse nos inopes copia videatur, ex innumera multitudine saltem pauca memoriæ commendamus, quæ in locis celebrioribus facta noscuntur. Cum venisset Constantiam homo Dei, & undique se virtutum ejus fama diffunderet, Abbas Augiensis (quod intra lacum Lemanum antiquum exstat & nobile monasterium) hominem, quem suis eleemosynis sustentabat, cæcum misit ad eum, & confestim videntem illum recepit. *Heytersseim* dicitur locus ad ejusdem diœcesim pertinens civitatis, sed plurimum à civitate remotus. Ibi quoque sicut & in ceteris illius provinciæ per quæ transiit locis, multis in servo suo miraculis glorificatus est Deus: ubi etiam cæcus natus sub manu ejus visum recepit. Item alteri à nativitate surdo & muto auditus redditus est & loquela. In civitate etiam Basilea cum ex more sermonem habuisset ad populum, ut impleretur in eo quod de sanctis Apostolis legitur, qui videlicet profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis; oblata est ei femina muta, & confestim orante eo locuta est. Oblatus est claudus, & ambulavit: oblatus est cæcus, & vidit.

31. Apud Spirensium civitatem, præsente Romanorum rege Conrado, qui Dei hominem ab ecclesia ad hospitium devotissime deducebat, offerebant puerum claudum, rogantes ut ei manum imponere dignaretur. Quem signatum protinus erigens, super pedes statuit, & libere gradiebatur, in Dei laudem acclamantibus universis. In capella Episcopi civitatis ipsius, Rege ipso vidente, visum reddidit cæcæ cuidam mulieri, & claudo nato gressum donavit. Multa quidem & alia in manu ejus ibidem Christus effecit, sed ad exemplum pauca sufficiant. Nonnullos etiam pauperculos pueros Rex ipse devotus suis illi manibus offerens, de multorum curatione meruit gratulari. Nec modo apud prædictam Spirensium urbem, sed apud Francovadum * Moguntinæ diœcesis locum, innumeris virtutibus idem Dei servus effulsit. De tota siquidem regione quotquot patiebantur, afferebant ad eum, & tantus erat concursus, ut prædictus Rex cum aliquando populum comprimentem coercere non posset, deposita chlamyde virum sanctum in proprias ulnas suscipiens, de basilica exportavit. Inter plurimos sane qui ibidem adepti sunt sanitatem, senex quidam paralyticus de vicinia illa, homo notus & honoratus, multis suorum precibus, non sine multo labore introductus est ad hominem Dei: à quo post brevissimam, ut solebat, orationem erectus protinus & sanatus, non modo incolumis, sed & fortis apparuit, ut posses credere, si videres, non tam alteratum hominem esse, quàm alterum. Jamque eo viriliter procedente parabant alii tollere lectum ejus in quo advectus erat, cum revocans eum unus ex circumstantibus Hugo Tullensis ecclesiæ archidiaconus, evangelici illius paralytici memor; Non sic, ait, non sic vacuus reverteris, tolle grabatum tuum, & ambula. Et imponens in humeros ejus, dimisit eum libere procedentem: & omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. Ibidem etiam puer surdus & mutus ex utero matris suæ, sublevatus per scalam, & in fenestra accedens ad virum Dei, sub manu ejus auditum recepit pariter & loquelam. Sed & paralytica quædam mulier de eadem regione, dives & honorata, ibidem recepit amissam ex multo tempore sospitatem. Dumque exsiliens ambularet, omnes quidem læti sunt qui videbant, sed præ ceteris exsultavere milites qui attulerant & obtulerant eam. Nam & ipsius sibi particeps esse virtutis religiosa devotio videbatur. Per idem tempus transeunte Sancto prope vicum in littore Rheni positum, quem Bobardum * vocant, & varios per universam provinciam curante languores, oblatus est paralyticus in grabato. Audita siquidem fama virtutum, à prædicto vico in occursum ejus se fecerat apportari. Cui in medio populi manus imponens, erexit hominem, incolumemque remisit ad propria.

32. Eodem anno ingredienti urbem Treverensium * servo Christi, ex more obviam ruit populus universus. Offerunt autem ei sorores duas, quæ ab annis quatuor, amborum lumen amiserant oculorum. Quarum ille utrique imprimens signum crucis, visum reddidit lucis: & videntes virum Dei cum ceteris sequebantur. In ejusdem basilica civitatis, cum ad altare beati Petri apostoli Vir apostolicæ gratiæ immortalem Hostiam immolasset, oblatus est ei claudus, & ambulavit: oblatus est cæcus, & vidit: oblata est surda mulier, & audivit. Hæc in somnis admonitam se esse dicebat, ut Dei hominem peteret, cujus beneficio receptura esset auditum. Apud Confluentiam, Trevirensis diœcesis nobile castrum ad Mosellam fluvium, qui ibidem in Rhenum labitur, Dei famulus pertransibat: cumque paululum processisset, oblatum sibi & signatum hominem claudum deponi jussit & ambulare, sed non fuit qui obediret. Nec mora, claudus idem retractum femoris nervum clamat sponte laxari, & dum nescit, extendi velut ab altero genu suum, quod quamlibet ante conatus, nullo modo potuisset. Mirantur omnes, probatur sub omni velocitate quod dicitur: deponitur ilico, ilico graditur, ilico sanus & incolumis innotescit.

## CAPUT VI.

*De variis & illustribus miraculis Coloniæ, Aquisgrani, Leodii, Cameraci, & in Hispania factis.*

33. Non est nobis Colonia transeunda. Magna est civitas: magna illic Dei famulo virtus affuit; magna illum devotio coluit populorum. Ostenditur usque hodie in claustro beati Petri, sicut à personis veridicis nuper accepimus, adolescens olim claudus, nunc libere gradiens, qui oblatus Viro Dei, ad impositionem manus ejus gressum recepit, unde etiam filius ejus publice cognominatur. Abbas Henricus de Suecia, cujus nos supra * fecimus mentionem, nuper retulit nobis, feminam nobilem, germani sui olim uxorem, cum post obitum viri sui præ dolore phrenesim incurrisset, & multo tempore sic se habens, in vinculis teneretur, eidem Patri sancto in præfata urbe oblatam, & vix tenuiter in turba circumstrepente signatam, dum ex more ligata

revehitur, mentem pristinam atque integram recepisse A salutem. In eadem etiam civitate filiam surdam eidem Patri sancto parentes nobiles obtulerunt. Hanc aiebant à pueritia traditam sanctimonialium monasterio feminarum, ibidem amisisse prorsus auditum, & annos plures in eodem incommodo peregisse. Cujus autem signo crucis edito Pater sanctus attrectans, protinus & auditum ei, & parentibus eam reddidit audientem. Accedens inter hæc mulier honorata, Coloniensis itidem civis, quæ alterius oculi lumen amiserat, plurima jam per quinquennium inutiliter sese in medicos expendisse dicebat. Et ipsam quoque continuo per signum crucis illuminans Vir beatus, quod gratis acceperat, gratis dedit. Sed & matronam alteram in beati Petri basilica oblatam in lec- B tulo, idem Christi servus erexit protinus, & incolumem suis pedibus abire præcepit. Hujus ex multo tempore nervi femorum fuerant sic retracti, ut nec erigi ullatenus posset, nec consistere pedibus suis. Nam ex personis aliis perhibebant, qui studiosius observarunt, ad ejusdem Viri sancti orationem & manus impositionem, in civitate prædicta, intra triduum quod ibi fecit, duodecim claudos erectos, mancos duos sanatos, quinque cæcos illuminatos, loquelam redditam mutis tribus, & decem surdis auditum.

34. Aquisgrani * sede regia, dum in illa famosissima toto Romanorum orbe Capella Vir beatus Missarum sollemnia celebraret, claudo homini gressum, & cæcis qua- C tuor visum sub manu ejusdem servi sui, Rex regum & Dominus dominantium reparavit, & potenti virtute restituit. Eodem etiam tempore intra Leodiensium * fines, præter innumera alia, quæ brevitatis studio præterimus, juxta oppidum quod Fontanas vocant, orante eo aperuit Dominus oculos cæci nati. Hujus non modo oculi cæci, sed etiam ipsæ quoque palpebræ clausæ & emortuæ erant: quas sacratissimis digitis suis aperiens Vir beatus, divino munere & vigorem palpebris, & pupillis præstitit claritatem. Confestim denique idem puer lucem miratus ignotam, maxima cum exsultatione clamabat: Video diem, video omnes homines, video capillatos. Plaudens quoque manibus & tripudians; Deus, in- D quit, ex hoc jam non offendam ad lapides pedes meos. In urbe etiam Cameraco * celebranti Missarum sollemnia Viro Dei surdum & mutum à nativitate puerum offerebant. Quem audientem protinus & loquentem, qui propius aderant, super gradum ligneum statuêre, ut de eo loco eminentiori novo sermone populum salutaret. Nec mirum quod mira plebis devotio, mira protinus vociferatio sit secuta. Et hæc quidem super iis quæ in regno Germaniæ in manu servi sui mirabiliter operatus est Deus, è pluribus pauca sufficiant.

* Aix la Chapelle.

* Liege.

* Cambray.

35. Nam & in Hispaniis, ubi præsens ipse non fuit, sanctitatis ejus indicia claruerunt. Cum enim fidelis servus & prudens, & pretiosum Dominicæ crucis fructum E undique colligeret, atque iterum propagaret ubique; contigit ut de filiis suis in Hispanias mitteret, in illis quoque sicut in ceteris gentibus fructum aliquem habere desiderans. De quorum numero Albertus quidam faber in loco, cui nomen est Superadum *, gravissima valetudine occupatus, per multum jam tempus jacebat paralyticus in grabato. Interim per Abbatem suum incommodum suum nuntiat Patri sancto, & ut sui misereatur exorat. Eadem autem die qua vir beatus in Clara-valle pro eodem paralytico ad petitionem sui illius Abbatis oravit, currente velociter verbo virtutis, & virtute orationis, ille in Hispaniis repente convaluit, tamquam vas plenum aqua suo sentiens capiti superfundi. Regressus qui- F dum Abbas cum prædictum fratrem incolumem reperisset, diligenter sciscitatus ab eo modum & tempus suæ liberationis, certissime comperit orante in Galliis Dei famulo, illum in Hispaniis esse curatum.

* Sobrado in dioec. Compostellana.

36. Et quia semel ad Hispanias vertimus stilum, illud quoque quod contigit de viro Dei reverendissimo Petro Asturiensi episcopo, prosequamur. Is quidem Petrus nobilis genere, monachus professione, pietate devotus, in cœnobio quodam, quod eo tempore ipse regebat, tam vehementi dolore capitis laborabat, ut nec Regulam observare jejunii, nec sine pelliceis [a] posset pileis stare. Audiens autem celeberrimam virtutum famam quæ per Dei hominem efficiebantur, per quemdam fratrem legationem mittit suæ supplicationis, & opem flagitat suæ intercessionis. Cui Vir sanctus laneum *, quo ipse utebatur, pileum misit, & promisit ægro capiti de Domini virtute remedium. Suscepit ille missam sibi benedictionem maxima cum reverentia & devotione. Confitens enim quàm sollicite potuit delicta sua, & stola sese induens sacerdotali, ita demum velut Christi fimbriam tangens, servi Christi pileum sumpsit, & imposuit capiti suo. Nec tardavit fidei fructus, & benedictionis effectus: sed miratus & ipse est, celerem protinus sentiens medicinam, & extunc usque hodie ab hujusmodi languore sanus & incolumis annuntiat omnibus quam experiri meruerit ipse virtutem. Nam & episcopus factus xenia illa divisit, partem mediam suis secum in scriniis honorificentissime ferens, mediam in monasterio sub eadem veneratione deponens; nec locum scilicet unde vocatus, nec Sedem cui prælatus est, volens tanta benedictione fraudari.

* supra lib. num. 5.

## CAPUT VII.

*De miraculis in patria & vicinia Clara-vallis per beatum Bernardum factis.*

37. EX hoc nobis ad ea quoque quæ mirabiliter egit in regione propria, redeundum. Nam in eo forte etiam plusquam Propheta dici posse videtur, quod propheticus ei non defuerit honor, ne in patria sua quidem. [ Henricus quidam, vir magnus & potens in domo & familia Ducis Bavarorum, ex multo jam tempore, misero penitus & miserabili quodam incommodo desperabiliter laborabat. Siquidem tamquam vivum aliquid & motabile intra præcordia sentiens, & ex magna parte phreneticus, nec consolari poterat, aut securus esse: nec quid timeret aut pateretur, agnoscere, nisi quod dæmonium esse suspicabatur. Talis ad Dei hominem de Bavaria Claram-vallem usque perductus, ejus oratione perfectam meruit sospitatem. Cui etiam formam vitæ & mandata, quæ deinceps observaret, idem Sanctus imponens, incolumem remisit ad propria. Nam & usque in præsentem diem, sicut certa relatione didicimus, tam obediens perseverat, ut non modo suis contentus sit stipendiis, sed operibus etiam pietatis intentus: ita ut mirabilior ejus morum conversio, quàm curatio videatur. ] Musseium * dicitur villa super Sequanam fluvium, paucis à Clara-valle milliariis distans. Ex hac virum hydropicum ad Dei hominem adduxerunt. Cui manus imponens, & orans, proprio quoque cingulo tumentem enormiter uterum ejus accinxit, præcipiens ut incolumitate recepta, præstitutum sibi cingulum reportaret. Nec tardavit sanitas, sed paulatim tumor abscessit. Denique circa vicesimum diem gracilis incolumisque reversus, cingulum simul & gratias multas suo retulit curatori. Exeunti alio tempore monasterii claustra, senem paralyticum ex proximo viculo, qui Mundivilla * dicitur, obtulerunt. Subsistens autem modice, & breviter orans, tetigit hominem, & incolumem suis precibus abire præcepit. Quo abeunte, populus multus qui in occursum Viri Dei confluxerat, non sine lacrymis Dominum collaudabat. Item redeunti aliquando de via, præ foribus monasterii oblatus est puer surdus & mutus. Exspuens igitur tetigit linguam ejus, & digitos immisit in aures. Protinus autem aurium ejus obstacula facta de medio, & solutum est vinculum oris ejus.

* Mussy l'Evesque.

* Meurvil[le]

38. Malenvilla * dicitur vicus, tribus circiter milliariis à monasterio distans. Hunc quandoque pertransiens Vir beatus, mancam puellam tetigit & curavit, quam nunc usque superstitem & incolumem esse nuper accepimus.

* Marenv[ille]

a *Agnina caputia vel capellos* vocat Petrus Venerabilis in scripto inedito de Vestimentis Fratrum, ubi præscribit, ut Prior Cluniacensis det singulis *Tunicas, hoc est vulgari nomine frocos, cucullas pellicias, agnina caputia vel capellos, stamineas, femoralia, flumas, hoc est operteria pulvinariorum.* Confer notas ad Bernardi epistolam 1.

Per idem tempus in finibus illis, apud castrum quod nominant Burdemontem *, duo milites de beati Patris virtutibus conferebant: sed minus credulus alter, Si hunc, inquit, sanaverit puerum, ex tunc firmius credam. Dicebat autem surdum quemdam & mutum, qui apud eos nutritus, nec locutus fuisset aliquando, nec audisset. Post dies paucos transeunte propius Patre sancto, ambo pariter puerum tollunt, & offerunt ei. Imposita igitur manu puero, & signans os illius & aures, allocutus est eum, & loquentem protinus & audientem dimisit. Apud Risnelmum oppidum regionis ejusdem usque modo cernere est adolescentem, Simonem nomine, satis notum, qui præfato Dei famulo claudus oblatus est, & sub ejus manu gressum recepit. Barrum super Albam dicitur oppidum, tribus (ut aiunt) leucis distans à monasterio Claræ-vallis. Ibi quoque sæpius per hunc hominem Dei divinæ virtutis opera claruerunt. Siquidem præter ea quæ minus diligenter curavimus vestigare, quod omnis nostra curiositas signorum multitudine vinceretur, quatuor illic claudos ad ipsius orationem & manus impositionem diversis temporibus Christus erexit, cæcos duos illuminavit, duobus æque surdis & mutis auditum præstitit & loquelam. Sed & juxta alterum Barrum super Sequanam ad ejus tactum illuminatus est cæcus, convaluit etiam paralyticus, gressum recepit puer claudus ex utero matris suæ.

39. Cum reverendissimus Papa noster Eugenius tertius, ex monacho Claræ-vallensi & abbate sancti Anastasii in urbe Roma, ad apostolicam assumptus cathedram, Gallias introisset; ibat cum eo Vir sanctus, nec minus apostolica virtus in illo, quam in illo dignitas præeminebat. Tantus enim ad beatum Virum concursus erat incommodis variis laborantium, ut cum aliquando Summus Pontifex basilicam, ubi ille Missarum sollemnia celebrabat, devotus intrasset; expleto sacrificio, ex more accedentibus eis qui curam desiderabant, paulo minus idem Papa comprimeretur à turbis, & vix potuerit per ministrorum manus educi. E plurimis sane quæ in ejusdem apostolici Viri facta sunt comitatu, duo scribimus quæ nos oblivisci ipsa quam vidimus magnitudo lætitiæ non permittit. Chalera † dicitur vicus inter Provignum * castrum, & Sequanam fluvium constitutus, ubi puer ferme decennis ab anno priore paralyticus sic jacebat, ut nec ipsum caput flecteret, nisi ab altero moveretur. Quem afferentes in culcitra mater ejus ceterique propinqui offerebant Viro sancto, prope eumdem locum per stratam publicam transeunti. At ille signatum erigens statuit supra pedes suos, & ire præcepit. Nec mora, exsiliit puer, & ambulabat magnificans Deum: qui tamdiu Sanctum prosecutus est abeuntem, donec ille invitum, licet & renitentem redire præcepit. Ubi non immerito quidem magna admodum facta est admiratio, magna exsultatio omnium qui videbant: sed præ ceteris frater junior in ipsius tamquam redivivi oscula ruens, multos eorum ad lacrymas usque permovit. Hunc quidem puerum & post annos quatuor in eodem vico beato Viro mater ejus offerens, sacros monebat osculari pedes: Hic est, inquiens, qui tibi vitam reddidit, & te mihi.

40. Eodem anno * apud Cistercium juxta morem Abbatibus congregatis, prædictus Papa venerabilis adfuit, non tam auctoritate apostolica præsidens, quam fraterna caritate residens inter eos, quasi unus ex eis. Ubi cum ad cellulam, in qua jacebat, facto vespere & conventu soluto, Dei famulus divertisset, surdum ei puerum obtulerunt. Erat autem puer ille de vicinia eadem, & sicut postea didicimus, ex longo ante tempore vigilans in custodia gregis sui, subito terrore percussus, amiserat prorsus auditum. Orans itaque Pater sanctus, &, puero manus imponens, utrum audiat sciscitatur. At ille mira devotione proclamans, Audio, domine, audio; tam firmiter amplexatus est eum, ut vix ab eo posset avelli. Auditum est verbum, oblatus est puer Summo Pontifici, aliisque personis, celeberrimumque hoc miraculum fuit. Venerat Pater sanctus ad monasterium in diœcesi Bisuntina, cui nomen est Carus-locus *, & erant cum eo ex Abbatibus sui Ordinis multi, ubi matrona quædam de

A finibus illis ex multo jam tempore clauda, in carro allata & oblata est ei. Orans vero breviter, & signans eam in nomine Domini erexit & sanavit, ut eadem hora incolumis remearet ad propria. Eodem tempore in monasterio Morimundo *, quæ est Cisterciensis ordinis abbatia una de primis, monachus quidam jacebat usque adeo paralysi dissolutus, ut omnibus pæne membris officio proprio destitutis, non manum posset movere, non pedem. Interea superveniens Vir beatus paralyticum visitat, manum postulatus imponit, & continuo opem sensit ægrotus. Ut tamen gratius esset miraculum, velut gradatim prius alteram manum, secundo alteram recuperavit. Exinde profecturus palliolo suo operuit postulantem, & subito in brevi

B obtinuit etiam reliqui corporis sospitatem. In monasterio Albæripæ * monachus quidam adolescens usum vocis amiserat, ut nec psallere inter fratres, nec à quoquam, nisi multum proximo sibi, intelligi posset quid loqueretur. Cui Vir sanctus, dum idem monasterium visitaret, aquam cum vino benedicens potum dedit: & post paululum frigidus ex ejus pectore mira cum suavitate sudor erupit. Deinde ipsa die ab eodem incommodo liberatus, psallere cœpit quasi unus de ceteris fratribus: & hoc illi beneficium usque hodie perseverat. [Norunt multi devotum juvenem, qui Lugdunensis olim ecclesiæ filius, modo monachus Cisterciensis, patrui sui S. Hugonis episcopi Gratianopolitani, cujus & nomen meruit, mores imi-

C tatur. Hujus conversione Vir sanctus audita, gavisus est, quia patruo ejus singulari fuerat caritate devinctus, & consolatorias illi litteras misit *. Contigit autem, ut eodem tempore idem juvenis febre correptus, graviter laboraret. Susceptam igitur debita veneratione epistolam, fideli devotione collo suo ob remedium salutis appendit, & usque modo gratulatur perfectam se protinus obtinuisse sospitatem.]

41. Cum venisset aliquando Pater sanctus ad monasterium Trium Fontium *, oblatus est ei clericus quidam ex his qui Regulares nominantur homo grandævus & cæcus. Imposuit ei manum, & brevem ex more fecit oratio-nem, & eadem hora videntem illum remisit ad ecclesiam suam. In Trecensium urbe multa per hunc Dei famulum

D miracula claruerunt: è quibus duo quæ præsentibus episcopis Godefrido Lingonensi, & Henrico Trecensi facta sunt, memoramus. Puellam curvam, in prædicti Trecensis Episcopi domo, propinqui & noti cum multis ei precibus offerebant. Tantus vero concursus erat, ut cum eam signatam Dei famulus, ac si molle lutum intra sacras manus mirabiliter formans erexisset, & erectam incedere præcepisset, locus non potuerit inveniri. Demum super mensam magnam quæ prope posita erat, statuerunt illam, & erecta libere gradiebatur, magnifice Dominum collaudantibus universis. Hanc quoque adhuc superstitem ab his qui eam novêre, nuper audivimus. In eadem urbe filiam mutam Patri sancto obtulit mater, cui morbus

E epilepsiæ loquendi ademerat facultatem. Nec mora, servo Christi imponente ei manum, solutum est vinculum oris ejus, & loquebatur recte. In ejusdem urbis diœcesi loco, cui nomen *Domnamant*, cum Vir sanctus Missarum sollemnia celebrasset, cæcum illi filium obtulit pater. Exspuens autem in digitos suos, & palpebras ejus liniens, eadem hora videntem illum reddidit patri suo. Nec longe ab eodem vico, apud oppidum Argillerias *, post Missarum similiter celebrationem feminam claudam, quæ ibidem multo tempore mendica vivebat, cum basilicam egrede-

F retur, signans & sanans, populum multum qui undique fuerat congregatus, admiratione & exsultatione replevit. In exitu quoque oppidi quod Rosnaium * vocant, paralyticum hominem sic extenuatum corpore, ut solam circumferre videretur pallidæ mortis imaginem, impositum plaustro transeunti viro Dei offerunt. Is quoque ubi signatus est, deponi & incedere jussus, plaustrum suum suis pedibus incolumis sequebatur, vehementer stupentibus & in Dei laudem acclamantibus universis.

42. Alio tempore proximum castrum Brenam * transiens, obvium habuit populum multum, sicut ubique semper & undique in ipsius occursum confluebat innumera

Margin notes: [Bu]rlemont. — [Chalet]letre. [Prov]ins. — 1148. — [Cher]lieu — Ord Cist. fund an. 1131. — * Morimond. 4 Cisterc. filia fund an. 1115. in D. Ling. — * Auberive Ord Cist fund. in Ling an 1136. — * n. Epist. xxiii. — * Trois fontaines Ord. Cist fund. an. 1118 in D. Catalaun. — * Argilly. — * Rosnay in Campania. — * Brienne. in Campania.

multitudo. Ubi cernentibus cunctis, feminam claudam ex eodem oppido tetigit & erexit, quam & ibidem postea vidimus occurrentem ei cum ceteris, & præ ceteris gratias referentem. In pago Senonico apud castrum quod Triangulum * vocant, inter Missarum sacra sollemnia, femina cujus ibidem per annos decem cæcitas omnibus innotuerat, sub manu viri Dei mirantibus omnibus visum recepit. Apud Monasteriolum * quoque, ubi Yona & Sequana confluunt, præsente piissimo principe Comite Theobaldo, aliisque adstantibus non paucis potentibus viris, offerenti divina sacrificia Viro Dei paralyticam feminam obtulerunt: quam expletis sollemnibus tangens & erigens, ipsa hora sanam remisit ad propria, ita ut suis illa pedibus abeunte, grabatum in quo fuerat apportata, in eadem basilica vacuum viderimus. Ejusdem quoque diœcesis castrum Joviniacum * transeunti eidem famulo Christi, in strata publica cæcam feminam offerebant: substitit, & breviter orans eidem feminæ manus imposuit, & Dominus aperuit oculos ejus. Ut autem videre visa est, & exsultatio magna secuta est omnium qui aderant, & clamantes alter ad alterum, Anna videt, Anna videt (hoc enim eidem feminæ nomen erat) copiosius undique confluebant.

* Trainel. * Montereau. * Joigny.

43. Interea Vir sanctus accelerans declinabat turbas, & egrediebatur, cum juvenis quidam, altero oculo cæcus ab utero matris suæ, secutus est, & consecutus est eum. Qui quidem & ipse continuo ad ejus benedictionem visum recepit, & geminata est lætitia populi prosequentis. [ Autisiodorum aliquando veniens vir beatus, orationis causa monachorum basilicam introivit, ubi Confessor Domini gloriosus Germanus episcopus requiescit: cui post orationem regredienti mulier clauda, genibus repens & manibus, ut sui misereretur, supplicabat. At ille signo crucis edito, apprehendit manum ejus, & erexit eam: exiensque dimisit incolumem, & Deo gratias reddituram ad prædicti Confessoris memoriam misit, suis pedibus gradientem. ] Chableia * nomen est vico, qui insignem beati Martini basilicam habet. Nam & fundus ipse ad possessionem spectat ecclesiæ Turonensis, ubi corpus jacet ejusdem gloriosissimi Confessoris. Hunc vero vicum Dei famulo transeunti claudum adolescentem populus offerebat. quem ad ejus orationem erectum protinus, & libere gradientem, ad prædictam beati Martini basilicam deduxerunt, magnifice Dominum collaudantes, qui Martini sui spiritum suscitaverat in Bernardo.

* Chably.

## CAPUT VIII.

*De variis signis & miraculis promiscue editis, de quorum eventu prius in visu edoctus fuerat.*

44. Nonnullas etiam sanitates, quas in manu fidelis servi sui mirabiliter Christus effecit, per visum ei mirabilius præostendit; multas ipse, cum fierent, animi virtute persensit: ad aliquas etiam spiritu suggerente non rogatus accessit. E quibus ne videatur in immensum processisse narratio, exempla pauca subjicimus, illud etiam è regione monentes, ne quis forte tam breviter scribi opera tanta miretur. siquidem multa ex his in tam brevi fieri vidimus, ut tam celeriter ea proloqui nequeamus. Et cum dici soleat nihil esse facilius dicto; huic tamen Dei famulo per gratiam quam acceperat, signa facere magis facile videbatur, quam nobis facta narrare. Egredienti aliquando monasterium Patri sancto homo quidam de finibus illis occurrens, sanandum filium offerebat. Nam intra monasterium quidem infirmis imponere manum difficilius acquiescebat, NE VIDELICET, si concursus illuc hominum fieret, quies cœnobii turbaretur, & disciplina periret. Erat autem prædictus puer ille fatuus & mentis inops, claudus quoque, & surdus, & mutus. Qui eadem hora per ipsius orationem & manus impositionem ab omni simul incommodo liberatus, audiebat, loquebatur, & ambulabat, & sanæ mentis effectus, à priori penitus inquietudine & furore cessabat. Cumque eumdem jam incolumem filium pater devotus ad Oratorium beatæ Dei Genitricis cum gratiarum actione deduceret, loquebantur mutuo fratres, de tam multiplici unius incommodo pueri conquirentes.

NOTA.

45. Ad quos Pater sanctus: Flagellum, inquit, Dei erat, & maligni spiritus dira vexatio. Vidi enim nocte præterita hoc eodem in loco, (erat autem juxta fluvium Albam, ubi sanatus est puer) hic, inquit, vidi oblatum mihi puerum talem, exeunte ab eo spiritu nequam, omnem protinus recipere sospitatem, usumque membrorum. Addidit etiam Vir beatus de eadem scilicet visione. Cumque paululum processissem in eodem itinere, quo nunc pergimus, juxta proximum vicum (dicebat autem de eo quem nominant Longum-campum) offerebatur mihi puella clauda, & Dominus ei gressum reddebat. Audierunt & mirati sunt fratres, futuri magis attoniti exspectatione miraculi, quam recordatione præteriti. Quid enim umquam simile mundus audivit? Ventum est ad locum, inventa est ibi protinus puella clauda exspectans Dei hominem transiturum, & à simul transeuntibus, juxta verbum quod ipse dixerat, exspectata. Oblata igitur ab eis qui attulerunt eam, signata ab homine Dei, ex Dei munere gressum recepit, & ibat gratias agens.

46. Anno altero causa exstitit ut Vir sanctus Lingonas peteret, inter Episcopum & Clerum civitatis illius orta gravi admodum simultate. Ubi cum prima die inefficaciter laborasset, & mane facto pararet abire, dicebat fratribus, quia vidi per visum noctis introeunti mihi ecclesiam offerri claudam feminam, & sanari. Post unam ferè horam, cum iterum clerici convenissent, præter spem omnium reformata pace multis precibus coëgerunt illum beati Mammerti martyris intrare basilicam: & quia fames invaluerat, populum ad eleemosynam exhortari. Ubi inter loquendum (sicut prædixerat) oblata est ei clauda mulier, & erecta, mirantibus quidem omnibus, sed eis amplius, qui sicut videbant factum, ita sese recordabantur audisse futurum.

47. In pago Treverensi antiquum exstat cœnobium, quod Rutinense vocatur: ubi celebrante aliquando Missarum sollemnia Viro Dei, innumerabilis aderat multitudo. Interea Guntranus de Sura, quod est oppidum eidem proximum monasterio, claudam feminam fecit afferri. Hæc ex multo jam tempore repens humi, erigi penitus non valebat; sed scabellula tenens manibus, renes emortuos post se trahere consueverat. Cum autem præ multitudine populi ad Dei hominem introduci femina non valeret, in basilica media repente convaluit; & exsiliens ambulabat, non sine lacrymis agens gratias Deo: cujus scabellula populus jubilans tulit protinus ad altare, ut sisterent ea Domino, & Bernardo servo ejus. De cujus nobis curatione confessus est Pater sanctus, quod præcedenti nocte sibi præostensa fuisset. Videbatur enim sibi in eadem basilica, in medio populi circumstantis, clandestinus & ignotus ejusmodi feminam tangere & transire, ac protinus eamdem videre sanatam, plurimum sibi ipse congratulans & exsultans, quod agnitus non fuisset. Eadem etiam die rutilavit Rutinæ in beati Viri præsentia lux cælestis, cujus benedictio aliis quoque claudis duabus feminis gressum, visum reddidit cæcis æque duabus. Sæpissime vero contigit, ut inter orandum indubitanter Dei servus agnosceret virtutem adesse divinam. Cujus tamen modum cognitionis nullis se posse verbis exprimere fatebatur.

48. Nonnumquam vero cum signasset aliquos & transisset, sanatos esse dixit, & regressus aliquis ex his qui audierant, sicut dictum erat, invenit. Egressus aliquando Basileam * urbem, surdum quemdam signaverat, & transierat. Cumque paululum processisset, vocans Alexandrum Coloniensem: Revertere, ait, quære utrum audiat homo. Rediit ille, & illum reperit audientem. Similiter ipso die cum signasset alium cæcum altero oculo & abiret, Deus, inquit, aperuit oculum ejus. Hoc etiam prædictus Alexander, cum ad inquirendum reflexisset iter, ita esse cognovit. Iste est Alexander, qui in eisdem diebus ad Viri Dei sacra monita, ostensionemque virtutum, cum aliis ferme triginta sæculo valefecit, & secutus * est eum: à quo etiam post modicum tempus Abbas est ordinatus in monasterio Tolosanæ diœcesis, quod Grandissilva vocatur. In Constantiensi quoque diœcesi prope

* Basle. * V. de fra lib. fine Pr mii & l 7. c.

castrum *Frieborg*, cum homini cæco in via manum imposuisset, remisit qui videret eum, & inventus est videns. Quod de duobus aliis cæcis in pago Coloniensi prope monasterium, quod Brunvillare dicitur, similiter fecit; & cum videre renuntiarentur, confessus est se quoque sensisse virtutem.

49. In territorio etiam Senonensi, in oppido quod sancti Florentini nomine vocant, oblata est viro Dei mulier surda: cui manus imponens, per spiritum sensit virtutis effectum, cum illa adhuc stupida & tumultuosa (ut est genus istud) & ut ipsa ante solebat, nihil se audire clamaret. Mane autem facto, cum nec illa rediret, nec alter aliquid indicaret de ea; sciens Sanctus divinam illi misericordiam adfuisse, accersiri feminam jubet. Inventa igitur auditum recepisse, venit glorificans Deum, & Dei famulo gratias agens. Egrediebatur idem pater Metensium* civitatem, & ex more devotus eum populus deducebat, cum episcopo eorum Stephano, & fratre ejus Rainaldo Barrensi Comite, aliisque personis tam ex clericali, quam ex militari ordine multis. Interim causa exstitit, ut rogaret nobilem virum Henricum de Salmis super verbo quodam, quod ipse ei Episcopus & alii qui convenerant, suggerebant: ut videlicet Metensi civitati & populo pacem daret, qui graviter inimicabatur. Ille vero renuere penitus & abjurare, nec ullis precibus flecti. Inter hæc supervenientes alii offerebant beato Viro hominem surdum, obsecrantes ut ei manum imponere dignaretur. At ille fidei zelo succensus, sicut interdum ob causas necessarias terror quidam & auctoritas supra hominem in ejus facie rutilabat, conversus ad militem: Tu nos, inquit, audire contemnis, quos continuo coram te audiet surdus. Et imponens manus homini, signavit eum, & in aures ejus digitos misit. Quo protinus audiente, pavens Henricus & tremens ruit ad pedes hominis Dei, humiliter satisfaciens, & libere annuens quicquid fuerat postulatus.

50. Transiens aliquando servus Christi Brenam oppidum, mendicantem in platea vidit feminam cæcam. quam aliquantisper intuitus, cum ex more à transeuntibus eleemosynam flagitaret: Tu, inquit, petis argentum, & Deus tibi visum donabit. Accedens ergo tetigit eam, & oculos ejus aperuit. Quæ beneficium sentiens insperatum, non minus misericordiæ magnitudinem, quam lucem insolitam mirabatur. Inter primas propagines, quas hæc abundantissima viris emisit, in Remorum parœcia monasterium Igniacense* plantatum feliciter radicavit. Quod aliquando visitans idem Sanctus, vicum Maternæ* fluvio proximum, quem Rivolium nominant, pertransibat. Vir quoque magnificus, & devotissimus ejus amator, Samson Remorum archiepiscopus, comitabatur illum, solita veneratione deducens. Senex autem claudus ad mendicandum positus erat in via, cui unus è fratribus eleemosynam dedit. Secutus Abbas sanctus, cum jam hominem pertransisset, convertit se; & paulisper intendens in eum, quid patiatur interrogat circumstantes, & sibi illum præcipit exhiberi. Suspicati homines quod esset ei amplius aliquid ipse daturus: Domine, inquiunt, claudus est, nec moveri potest, nos ad eum feremus quod volueris dare. Quo respondente verbum & dicente: Tollite eum, & afferte ad me: primo quidem præ admiratione mutuo sese intuebantur, ignorantes quid esset facturus. Demum agnoscentes eum, clamabant ad invicem: Abbas est Claræ-vallis, & protinus illum sanabit.

51. Nimirum solitus erat, quoties poterat, operam dare ne in vicis agnosceretur, & interdicere sociis ne cui ex occurrentibus manifestarent eum, aut de eo aliquid loquerentur; sed quærentibus quis transiret, dicerent monachos esse, aut aliquem de personis simul euntibus nominarent. Igitur agnito Dei famulo ruunt undique, & levantes hominem ferunt, & offerunt ei. Qui imponens utramque manum capiti ejus, & in cælum suspiciens ac breviter orans, deponi illum jubet, & ambulare. Excusante eo & dicente, Non possum: Ego tibi, ait, in nomine Domini & ejus virtute præcipio, vade, & sanus esto jam ab hac hora. Quid plura? Statim depositus, statim sanatus est, statim libere gradiebatur repletus stupore & ecstasi in eo quod contigerat sibi. Sed & vicini ejus & noti pariter congratulantes Dominum collaudabant, qui miserabilis hominis & meritum simul & votum abundantia suæ pietatis excessit. Unde etiam usque hodie locus ab incolis demonstratur, ubi signum tam evidens divinæ virtutis effulsit, ubi senex claudus ex multis annis tota inferiori corporis sui parte præmortuus, & à renibus deorsum omni prorsus membrorum destitutus officio, dum stipem postulat, sanitatem recepit. Hic fuit Viri sancti novissimus in Remorum partes ingressus: siquidem factum est hoc ante sacram ejus depositionem corporis anno uno. De qua felicium ejus actuum felicissima consummatione erit nobis jam, sed sub alia narratione dicendum. Nimis enim fallitur, si quis arbitratur hujus sanctissimi Viri facta mirifica posse cuncta narrari: & tam necesse est multa sileri, quam impossibile omnia comprehendi.

*Metis.* *1127. fund.* *Marne.*

*Finis libri quarti.*

# DE VITA S. BERNARDI ABBATIS, LIBER QUINTUS,

## AUCTORE GAUFRIDO MONACHO CLARÆ-VALLENSI.

### CAPUT I.

*De Pace inter civitatem Metensem & vicinos quosdam Principes opera B. Bernardi reformata; editisque ea occasione miraculis.*

1. CUM post tantos & tam multos jam labores ac sudores Dominus dilecto suo Bernardo Claræ-vallensi abbati diu desideratum pretiosæ mortis somnum dare disponeret, & fidelem servum in requiem introducere suam; cœpit magis ac magis promptus in ipso proficere spiritus, & caro infirma deficere. Cognoscens enim Vir sanctus prope esse jam bravium, solito currebat alacrius, & terrestris suæ habitationis dissolutionem sentiens imminere, votis uberioribus adspirabat ad habitationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis. In cujus purissimo pectore sacri sese desiderii flamma non capiens, crebris erumpebat indiciis, & ignitum eloquium vehementer fervoris interni vehementiam declarabat, sicut in sanctis animalibus per Prophetam inter cetera describuntur scintillæ *quasi aspectus æris candentis*. Corpus lectulo decubans variis exercebatur incommodis: animus tamen nihilo minus liber & potens, quæ Dei erant exercebat invictus, non cessans in mediis quoque doloribus meditari sacrum aliquid aut dictare, orare affectuosius, fratres studiosius exhortari. In oblatione Hostiæ salutaris, quam usque ad defectum ultimum vix aliquando intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritus sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suavitatis. Quo tempore ad avunculum suum Andream Militem Templi, qui & regionis Jerosolymitanæ maxima

*Ezech. 1.* *Missa quotidie à Bernardo celebrata.*

columna habebatur, epistolam scribens inter cetera ait: "Ego enim delibor, nec puto me longum facere super terram." *Epist. 231.*

2. [In illis diebus causa exstitit, ut fratrum aliquis in remotas Germaniæ partes pro quibusdam mitteretur agendis. Et missus est frater Henricus monachus, quem ante sex annos de Constantiensis diœcesis partibus cum pluribus aliis idem Pater sanctus adduxerat. Hic ergo dum mitteretur, longioris itineris pericula timens, (nimirum hiems erat) illud tamen maxime verebatur, ne contingeret, ut idem Pater sanctus, priusquam ipse rediret, "ab hac vita migraret, & absens ipse benedictionis extremæ participio fraudaretur." At ille benedicens ei, & dicens, Ne timeas, & incolumis reverteris, & me quoque sicut desideras, invenies: consolatum illum emisit. Profectus idem frater, in territorio Argentinensium * adstrictum glacie fluvium pertransibat. Tum subito fracta glacie sub pedibus muli, quo vehebatur, corruit, & sub glaciem vehemens illum unda trahebat. Quid faceret mersus flumine, glacie clausus? Recordatus est Patris sui, recordatus est promissionis ejus, quæ inanis esse non potuit. Continuo siquidem, ut hodie quoque fatetur, Patrem sanctum sibi visus est habere præsentem: tantaque suavitate perfusus est, ut nec impetum amnis, nec molestiam frigoris, nec spirandi difficultatem, nec ullum denique incommodum sentiret aut metum. Nec mora, contra fluminis impetum sine suo conatu divina virtute reductus, ad ipsum, per quod ante ceciderat, foramen se reperit, marginem arripit, exit intrepidus, illæsus evadit, expleto negotio redit incolumis, & fideli promissione, sicut ipse promisit, inventa, multiplices gratias agit: ad sacrum cujus tumulum tam devotus hodieque persistit, quam certus est ejus sese meritis, velut de tumulo, & quidem satis horribili, revocatum. Sed non est nobis super hoc declamandum. Alii antiqua miracula conferant: nec minus hunc mirabiliter, quam beati Benedicti puerum Placidum, nec minori afferent à periculo liberatum: qui etiam, si viderent quem adstrictus glacie reddidit fluvius, ei compararent, quem evomuit cetus: nobis sufficit brevis & pura narratio.]

** Strasburg.* — *Tom. 2.*

3. Cum adhuc Pater sanctus in suo Claræ-vallensi cœnobio, licet lectulo decubans, cursum vitæ viriliter consummaret, gravis admodum plaga Metensi populo supervenit. Egressi enim in multitudine gravi adversus vicinos principes, à quibus præter morem lacessitam se esse tanta civitas indignabatur, traditi sunt multi in manus paucissimorum. Conclusi denique inter Frigidi-montis * (sic enim eum appellant) & Mosellæ amnis angustias, ac mutuo sese impetu collidentes, una hora (sicut dicebatur) plusquam duo millia corruerunt, quidam gladiis trucidati, plures amne submersi. Vehementi igitur indignatione concepta, nobilis illa civitas totis ad ultionem viribus parabatur, cum è regione adversarios quoque & fortiores præda copiosa, & audaciores fecisset eventus. Imminebat totius provinciæ certa vastatio, cum venerabilis eorum Metropolitanus Illinus * Archiepiscopus Treverensis, dolens anxie de præteritis, sed adhuc graviora formidans, & dignam gerens suorum sollicitudinem filiorum, unicum in tanta necessitate petiit refugium & expetiit Virum Dei. Veniens ergo Claram-vallem, ipsius atque omnium fratrum vestigiis tota humilitate prostratus, rogabat & obsecrabat, ut se tantis dignaretur opponere malis, quibus alter nemo posse modum ponere videretur. Dominus autem, sicut semper fidelis servi sui direxerat vias, & in præcipuis quibusque causis aptissimo usus fuerat instrumento, ex paucis ante diebus ægritudinem corporis ejus aliquatenus relevarat. Quibus diebus cum ad litteras venerabilis Hugonis Ostiensis episcopi rescriberet, ait *: "Verum est quod audistis. Infirmatus sum usque ad mortem; sed interim, ut sentio, revocatus ad mortem, atque hoc, ut me sentio, non diu." Vitam quippe mortalem, mortem magis, quam vitam reputans, non à morte, sed ad mortem revocatum se sentiebat, cum ab exitu revocaretur, licet sentiens haud diutius differendum.

** Froidmont.* — ** Hilinus.* — ** Epist. 307.*

4. Quod quidem sæpius erga eum providentia divina disposuit, in cujus manu placita erat anima illius, ut A quoties eum grandis aliqua necessitas evocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deessent, mirantibus qui videbant eum, & robustos homines in tolerantia superare. Expletis namque negotiis, velut in se rediens, multiplicibus infirmitatibus laborabat, ut vix viveret feriatus, qui occupatus deficere nesciebat. Cui in opere novissimo tam manifeste, tamque magnifice divina adfuit virtus, ut ex laboribus vires capere videretur. Accidit autem cum in prædicti Mosellæ fluvii littore residentibus hinc inde partibus mediator fidelis rogaret quæ ad pacem erant, ut pars altera, ex tanta siquidem hostium strage ferocior, quod exigebatur, obstinata animositate renueret. Subito denique tamquam agitati furiis discesserunt, B Virum Dei insalutatum, solam vero ceteris omnibus relinquentes desperationem pacis. Nec sane ex contemptu aliquo, sed ex motu reverentiæ ejus iniere fugam: siquidem verebantur, ne præsentium mentes, quamlibet improbas, facile flecteret; minus considerantes quid ille per spiritum nusquam absentem posset etiam in absentes. Jam conventus in magno turbine solvebatur, sola utrimque meditabantur arma, sola inibant consilia malignandi, cum Vir sanctus eos qui secum venerant consolatus fratres; "Ne turbemini, inquit: licet enim per multas difficultates, omnino tamen pax desiderata proveniet." Quibus etiam unde id nosset innotuit, dicens: "Videbar mihi per nocturnum soporem Missam celebrare C sollemnem. Cumque expleta paulominus oratione prima recordarer, angelicum ex more canticum, id est *Gloria in excelsis Deo*, præcedere debuisse, erubui, & quod oblitus omiseram canticum inchoans, vobiscum pariter ad finem usque complevi." Jam medium noctis transierat, cum Vir sanctus de prædictorum pœnitudine principum legatione suscepta, jucunde satis conversus ad suos: "Agnoscite, ait, promissæ nobis canendæ Gloriæ & cantici paris præparationem." Interim ergo partibus convocatis, per dies aliquot de pace tractatum est, & ob maximas difficultates occurentes utrimque sæpius desperatum, nisi quod omnes jam consolabatur, quæ omnibus innotuerat, Abbatis sancti tam certa de reformanda pace promissio. Nec D parum ipsa dilatio profuit, his præsertim qui variis incommodis laborantes remedia consequebantur in carne, seu etiam qui videntes ædificabantur in fide. Tantus enim concursus erat, ut multitudine pariter atque importunitate sua ipsum quoque negotium componendæ pacis pæne desperabiliter impedirent: donec quæsita tandem in medio flumine insula, partis utriusque primarii in naviculis accesserunt: ubi compositis omnibus secundum quod fidelis arbiter diffinivit, datis sibi invicem dextris reconciliati sunt in osculo pacis.

5. Inter omnes sane quas per manum servi sui ibidem præstitit Dominus sanitates, celeberrima fuit cujusdam curatio mulieris. Hæc ab annis octo pessima ægritudine E laborabat, vehementi tremore & validis motibus universa pariter membra concutiens. Cum autem videretur gravioribus ortis difficultatibus propemodum excidisse spes pacis, Domino disponente venit mulier ita tremens, nec minus horribilis, quam miserabilis, & omnes pariter ad spectaculum convenerunt. Orante denique Dei famulo, sub oculis omnium paulatim concussione sedata, perfectam adepta est protinus sospitatem. Quæ res in tantam admirationem etiam durissimos quosque permovit, ut percutientes pectora sua, per horam fere dimidiam cum lacrymis acclamarent. Tantus denique factus est impetus & concursus procidentium & deosculantium viri Dei sacra vestigia, ut propemodum comF primeretur, donec tollentes eum fratres, & imponentes in naviculam à terra modice subduxerunt. Cumque accedentes ad se Principes, ut cœperat, pro pace rogaret, suspirantes dicebant: Oportet nos libenter eum audire quem, ut ipsi cernimus, Deus diligit & exaudit: & audito eo multa facere, pro quo tanta faciat Deus in oculis nostris. Quibus ille (ut semper cautus erat competenter hujusmodi gloriam declinare) "Non propter me, inquit, sed propter vos facit."

6. Simili quoque miraculo & in simili opportunitate, ipsa etiam die Metensium animos Dominus inclinavit ad

ad pacem. Ingressus enim Sanctus Merensium civitatem, Episcopum simul & populum ad ea quæ pacis erant, vehementer urgebat. Graviter autem urebat illos vulnus acceptum: quibus enim valide satis reponere cogitaverant, secus quam vellent, remittere cogebantur. In ipsa hora oblata est ei mulier paralytica, de civitate eadem: cui manus imponens, & orans, dignatus est palliolum quoque proprium, quo utebatur ipse, superextendere ei, tenendumque Episcopo tradere prope adstanti, & sub eodem velamine debilia tangere membra. Expleta autem oratione & benedictione data, erexit illam: omnibusque mirantibus, per medium illorum incolumis ibat, quam attulerant in grabato. In flumine quoque Mosella, dum ob intolerabilem concurrentium multitudinem Vir beatus navicula veheretur, unus ex his qui curari desiderabant, cæcus clamabat in littore, obsecrans ut duceretur ad eum. Cumque ille jam pertransiret, audiens homo navigantem post eum in navicula altera piscatorem, diffibulatam protinus chlamydem, qua erat opertus, porrigens dabat illi, ut in navicula reciperetur. Factum est: & ut pervenit ad Sanctum, juxta suæ fidei magnitudinem magna velocitate sub manu ejus visu recepto, miratus clamabat videre se colles, videre homines, videre arbores, & cetera universa.

7. Paucis ab eodem loco milliariis distat cœnobium, quod S. Benedicti nomine vocant; ubi puer claudus, & & à renibus infra omni prorsus membrorum destitutus officio, solis ad movendum manibus utebatur & renibus, pedes emortuos post se trahens: quem ex Burgundiæ partibus pater advectum ante annos quatuor ibi reliquerat; & extunc fratrum eleemosynis alebatur. Itaque cum beati Patris adventum, & virtutes quas Dominus operabatur in ipso, per omnem circa provinciam celebris fama vulgaret; impositum plaustro eumdem puerum fratres prædicti cœnobii adduxerunt ad eum, rogantes ut solita pietate misero subveniret. Acquievit, imposuit manus, oravit, & eadem hora sanum reddidit, firmiter stantem, firmiter ambulantem. Denique, sicut ab ejusdem loci Abbate nuper accepimus, usque hodie fratrum pecora idem puer incolumis sequitur & custodit; & si quis desiderat scire, Johannes est nomen ejus. Alter etiam claudus, in ejusdem monasterii vicinia degens, eodem tempore ad prædicti Patris sancti benedictionem sanatus est, & gressum recepit. Sed & prope Leucorum * urbem, loco cui nomen est Gundervilla *, idem vir Dei feminam cæcam illuminavit sub oculis plurimorum, qui de tota confluxerant regione. Ceterum nimis difficile, aut omnimodis impossibile foret, itineris illius magnalia universa complecti. Sed neque propositi nostri est ejusmodi modo prosequi signa, & narrandis virtutum operibus operam dare. Hic enim viarum tuarum, Pater dulcissime, finis beatus, & hic labor ultimus fuit. In hoc opere non minùs utili, quàm difficili, nec minùs desperatæ, quàm necessariæ pacis labores tuos gloriose complevit, qui magnifice semper honestavit te in laboribus tuis, te in suo nomine, & nomen suum in te glorificans, Rex gloriæ Dominus Deus tuus.

*al. Gondrevil-

## CAPUT II.

*De felicissima, sed fratribus tristissimâ, beati Viri morte.*

8. UT expleta Merensium reconciliatione, & provinciæ illi pace reddita, Abbas sanctus ad monasterium rediit, gravi admodum jam jamque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suavitate, & dulcedine spiritus quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu navigans paulatim vela deponeret. Evidenter quoque fratribus aiebat: Hæc sunt verba quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem, non vobis esse quod adhuc timeretis: æstate proxima imminere (me mihi credere) hujus corporis dissolutionem. At quam evidenter proprio didicimus experimento, quod de sanctis Apostolis Evangelia sacra testantur, quod dum suam illis prædiceret Dominus passionem, erat verbum absconditum ab eis, & capere non valebant. Nimirum quod tam vehementer horrebat animus, minus facile persuadebatur ut crederet, præsertim cum & ipse compatiens filiis ejusmodi verba supprimeret. Ceterum factis quodammodo clamans, Opera consummavi, quæ dedit mihi Pater ut facerem; magis ac magis actus omittere, affectus retrahere, & sacrorum funibus desideriorum sedula intentione præjactis, vicino jam littori hærere firmius, & commodius applicare. Denique cum venerabilis antistes sedis Lingonicæ Godefridus de quibusdam eum sollicitaret agendis, & minus apponere animum miraretur; Ne mireris, inquit, ego enim jam non sum de hoc mundo.

9. Videns autem Pater sanctus, compassionis & misericordiæ visceribus affluens, carissimos sibi fratres, & filios miserabiliter admodum tabescentes & arescentes præ timore & exspectatione supervenientis desolationis gravissimæ & lamentabilis orbitatis, dulcissimis eos consolationibus refovebat: & monens eos in tuto divinæ clementiæ sinu spei fideique suæ anchoram per inconvulsibilem caritatem firmius radicare, se quoque promittebat nec post mortem aliquando defuturum. Propensius autem, quàm noster queat exprimere sermo, rogans obsecransque per multas lacrymas, timorem Dei & sacræ puritatis, ac totius perfectionis amorem nostris imprimere animis conabatur. Sed & monebat, & cum lacrymis obtestabatur, ut si quid forte virtutis, aut exemplo nobis aliquando commendasset aut verbo, id æmularemur, id firmiter teneremus, & proficeremus in eo: aliis quidem verbis, sed eodem spiritu illud apostolicum loquens: *Rogamus vos & obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis à nobis quomodo vos oporteat ambulare & placere Deo per omnia, sic & ambuletis, ut abundetis magis.* Atque utinam tam efficaciter persuaserit, quam affectuose suasit. Modum autem ægritudinis ejus si quis nosse desiderat, exstat epistola [a], quàm ad amicum quemdam paucissimis diebus ante sacram à nobis profectionem suam ipse dictavit: quam nimirum huic nostræ narrationi duximus inserendam; quod videlicet etsi aliena quoque de ipso, amplius tamen nos ipsius de se verba delectent. 1. Thess. 2.

10. Suscepimus caritatem vestram in caritate, & non in voluptate. Quæ enim voluptas, ubi sibi totum vindicat amaritudo? Nisi quod solum nihil comedere, utcumque delectabile est. Somnus recessit à me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor umquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est. Frequenter in die & nocte exigit confortari modico admodum qualicumque liquore. Nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit: sed timet graviorem, si sese vacuum omnino dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet. Et in his omnibus ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem (ut minus sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis: ut is qui insidiatur, invenire non possit unde figat dentem, & vulnus infligat. Hæc ipse dictavi *, sic me habens, ut per notam vobis manum agnoscatis affectum. * id est scripsi.

11. Hoc exemplar epistolæ, quam, ut nos diximus, & ipsa quoque ejus verba declarant, Pater sanctus exitu jam imminente dictavit. Ex cujus tenore posset nimirum diligens lector sacrum illius vel ex parte aliqua pectus agnoscere, quanta illi in ipsa sui ruina corporis tranquillitas mentis, serenitas animi, suavitas spiritus, quanta sub fiduciæ culmine radix humilitatis. Sed nostrum sub tam gravi articulo inconsolabilem luctum aliquatenus illi æstimare, ac sibimet exhibere licebit, pallidasque, si pie senserit, turmas imaginabitur filiorum, exterminatas facies, vultus exsangues, genas lacrymis sordentes, suspiria quoque pectorum ac singultus. [ Quis enim

a Epistola hæc ordine 310. in quibusdam mss. ita inscribitur, *Epistola ad Arnoldum Bona-vallis abbatem, qui ei quadam xenia mittens, de ejus valetudine sollicite fuerat sciscitatus.*

apud nos erat tumultus cogitationum, quod naufragium animorum, cum thesaurus tam amabilis raperetur à nobis, & præsentibus, & cernentibus, quia nec spes esset retinendi, nec facultas aliqua commeandi? Pater erat: sed qualis pater qui videbatur abire? Nobis quodammodo proprius, verius tamen toti mundo communis. Erat enim omnium & bonorum gloriatio, & malignantium metus, ut de eo non incongrue videretur esse psallendum: *Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.* (*Psal. 106.*) Quo præsente, sanctitas omnis jucundabatur, præsumptio frenabatur, duritia compungebatur. Quo præsente celebris quisque conventus velut quodam sole resplenduit; absente, caliginosus & quodammodo mutus apparuit. Quam devote, quam pie singulis nostrum & tunc hodieque clamandum; *Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga ejus?* (*4. Reg. 2.*) Tu fluctuantium portus, clypeus oppressorum, &, ut de seipso beatus Job loquitur, cæco fuisti oculus, & pes claudo. (*Job 29.*) Tu perfectionis exemplar, virtutis forma, speculum sanctitatis. Tu gloria Israël, tu lætitia Jerusalem, tu deliciæ tui sæculi, & unicum tui temporis decus; oliva fructifera, vitis abundans, palma florida, cedrus multiplicata, platanus exaltata. Vas electionis, & vas honoris in domo Dei; vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, fide & sanctitate solidum, & variis charismatibus tamquam gemmis ornatum. Tu Ecclesiæ sanctæ fortissima splendidissimaque columna, tu vehemens tuba Dei, tu dulcissimum sancti Spiritus organum, pios oblectans, desides excitans, debiles portans. Cujus medicinalis manus & lingua morbos utraque curabat, illa corporum, ista animorum. Cujus erat simplex habitus, simplex vultus, dulcis facies, gratiosus adspectus. Cujus denique vita fructuosa, cujus mors pretiosa: quia tibi quoque Christus vivere fuit, & mori lucrum. Quod si nobis alterum fortassis utilius, sed alterum multo melius tibi. Et quod tibi tam commodum, nobis, si pie sapimus, non potest non esse jucundum. Ceterum etsi pium est congaudere tibi, Pater bone, qui in gaudium Domini tui feliciter introisti; non tamen impium super nos ipsos flere, quos nimirum, abeunte te, solito gravius horror geminus circumsæpsit, dum nobis est vita tædio, mors timori. Et si pium congaudere tibi, qui beato transitu mortis ad torrentem voluptatis, quem ardenter sitiebas, accessisti: nostram tamen vicem dolere non impium, quibus & vivendi omnis pariter est sublata suavitas, & moriendi necdum collata securitas. Et si pia tibi impenditur gratulatio, felix anima, quæ in plenitudine lucis exsultas: non tamen impia super nos assumitur lamentatio, qui relicti sumus: post mirificam, in qua hactenus exsultavimus, claritatem, horrere magis tenebras subintrantes: post aurea, quæ paulo ante vidimus, sæcula gravius ferre hoc plane ferreum, quod successit. Sed reflectamus stilum ad ordinem narrationis, & Patroni, quibus possumus votis, exitum prosequamur, exitum nobis lugubrem, nam illi potius triumphalem.]

12. Igitur ante Patris hujus excessum accedentes ad eum filii, quos per Evangelium ipse genuerat, piissimum ejus animum lacrymabili supplicatione pulsabant, & hæc atque hujusmodi loquebantur: Numquid non misereris huic monasterio, Pater? numquid non compateris nobis, quos tanto pietatis affectu maternis lactasti uberibus, paterna consolatione fovisti? Quomodo sic exponis labores tuos, quos in loco hoc laborasti? quomodo tam dilectos hactenus filios sic relinquis? Tunc vero flens ipse cum flentibus, & columbinos oculos in cælum porrigens, ac mente tota apostolicum illum concipiens spiritum, testabatur coarctatum se è duobus, & quid eligeret ignorantem, & divinæ totum tribuere arbitrio pietatis. Nam & hinc paterna illum urgebat caritas, filiorum votis annuere, ut maneret: & inde trahebat Christi desiderium, ut migraret. Cui tamen ab olim jam atque altius radicata in pectore ejus humilitas persuaserat, ut ex intimo cordis affectu servum inutilem se esse diceret, & arborem sterilem reputaret, ex cujus vita nullus sibi fructus, nullus alteri cuiquam proveniret. Nam & solitus erat in familiari collocutione fateri, vix credere se hominibus, quod sic eum sibi utilem crederent ut dicebant. Sed nec parvum sese in suis super hoc cogitationibus perhibebat aliquando sustinuisse conflictum, quod nec tam veraces homines fallere velle, nec tam prudentes falli posse veri simile videretur, cum alterutrum excusare non posset. Quem enim totus mirabatur orbis, solus ipse (quod erat mirabilius) non videbat suæ videlicet operationis opinionisve splendorem, sicut ille quondam vir simplex & rectus, nec solem cum fulgeret, nec lunam incedentem clare vidisse se memorabat. (*Job 31.*)

13. Novissime cum exterioris habitaculi undique jam soluta compago, desideranti animæ liberum præstaret egressum, magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies, ad cujus exitum vicini Episcopi cum Abbatum & Fratrum copiosa multitudine fuerant congregati. Hora autem diei pæne tertia singularis lucerna suæ generationis, sanctus ac vere beatus abbas Bernardus, à corpore mortis in terram viventium feliciter Christo duce migravit, ex filiorum circumstantium & inter graves singultus ac lacrymas uberes utcumque psallentium choro ad multorum, quos ipse præmiserat, cœtus transiens lætabundos, ad Sanctorum cuneos gratulantes, ad obvia agmina Angelorum. Felix anima, quam sic levabant excelsa suorum privilegia meritorum, quam sic pia filiorum prosequebantur inferiorum vota: sic quoque superiorum desideria sacra trahebant! Felix illi & vere serenus dies, quo plenus ei meridies Christus illuxit! Dies cunctis vitæ suæ diebus tantis ab eo exspectatus desideriis, expetitus suspiriis, frequentatus meditationibus, orationibus præmunitus! Felix transitus de labore ad refrigerium, de exspectatione ad præmium, de agone ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad Patrem! De quo etiam transitu ejus multa novimus apparuisse quam multis, & quidem non indigna relatu, sed difficile nimis singula vestigare, & scribere omnia nimis longum. Nam & usque modo multifarie multisque modis paternus erga filios amor, vere etiam nunc, immo nunc verius vivens & vigens, crebris revelationibus eorum dignatur solari lacrymas, relevare mæstitiam, ut quo dulcius ei congaudent, minus anxie doleant sibi. Si qua tamen ex his, minus prolixam desiderantia narrationem, Lector scire desiderat, proprio magis & novissimo credimus reservanda capitulo.

14. Interim cetera prosequentes, quanta possumus violentia animos avertamus ab illo tam gravi gemitu & rugitu, quo nimirum grex miserabilis, pastore migrante, personuit. Parcamus paginæ, & quantum possumus, stringamus oculos, palpebras complodamus adversus lacrymas, quibus in illo suæ claritatis abscessu vallis nostra fluebat, Ecclesiæ protinus universæ calicem sui propinatura mæroris, cui hactenus consueverat stillare dulcedinem, gaudia fundere, fluere consolationes. Dum fidelis minister & sacerdos Altissimi feliciter ingreditur in locum tabernaculi admirabilis, ad altare Dei, sacram ei & acceptabilem hostiam sui spiritus oblaturus; corpus etiam rite paratum & ornatum sacerdotalibus indumentis, Oratorio beatæ Dei Genitricis infertur. Plurima quoque nobilium & ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda protinus turba convenit, & vallem totam ploratus & ululatus multus implebat. Amarius tamen pro foribus monasterii lamentabatur sexus miserabilior mulierum, quod accedentibus ad beata vestigia viris, monastici Ordinis disciplina [a] inexorabiliter eis etiam tunc negaret ingressum. Biduo mansit in medio gregis pastor exstinctus, dum pristina illa dulcissimi gratia vultus nil minorata, sed aucta, magis omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus. Crescebat autem supra modum ruens undique populi multitudo, & intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, bal-

a Eadem apud Claram-vallem, uti & apud Cistercium, viget etiam nunc disciplina, quæ olim apud Cistercienses communis fuit, excepto festo dedicationis, quo mulieribus concessus est in Ordinis ecclesias aditus.

theos, nummos, & alia quæque servanda sibi pro benedictione, & variis necessitatibus profutura. Maxime tamen parati in diem tertium sollemnem per loca proxima præstolabantur reponendi sacri corporis ejus horam, copiosius undique conventuri. Nam & secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, & tanto pietatis zelo stipati undique sacrum corpus obsederant, ut nulla pæne Episcopis reverentia, nulla Fratribus haberetur. Unde veriti ne quid simile aut forte gravius accideret die tertia, præoccupantes horam, & mane divina ex more Sacrificia consummantes, sicut & biduum jam in celebratione Missarum & jugi fecerant psalmodia, purissimum illud balsamum suo vasculo commisere, in lapide reponentes lapidem pretiosum, optimam margaritam.

15. Consummatis ergo feliciter vitæ suæ diebus, & annis circiter sexaginta tribus expletis, dilectus Domini Bernardus, Claræ-vallensis cœnobii primus abbas, aliorum quoque amplius quam centum sexaginta [a] monasteriorum pater, decimo tertio Kalendas Septembris inter filiorum manus obdormivit in Christo. Sepultus est autem undecimo Kalendas ejusdem mensis ante sanctum altare beatæ Virginis Matris, cujus fuerat devotissimus ipse sacerdos. Sed & pectori ejus ipso tumulo capsula superposita est, in qua beati Thaddæi apostoli reliquiæ continentur, quas eodem anno ab Jerosolyma sibi missas, suo jusserat corpori superponi: eo utique fidei & devotionis intuitu, ut eidem apostolo in die communis resurrectionis adhæreat. [ Prius tamen, quam sacratissimum illud corpus tumulo redderetur, unus è fratribus, qui ex multis annis caduco morbo graviter laboravit, plena fide opem flagitaturus accessit. Quem nunc usque superstitem novimus, & nihil umquam ex ea hora prædictæ infelicitatis expertum. ]

16. Facta sunt hæc eodem anno quo beatus Papa noster Eugenius tertius, ejusdem Patris sancti in conversatione sancta filius, ab hac luce, vel ab hac magis caligine migravit ad lucem, cujus merita in ipsa cui insigniter præfuit urbe miraculis pluribus illustrata coruscant: successore ejus Anastasio Romanæ ecclesiæ præsidente, regnantibus autem in Romanorum Imperio Friderico illustri; in Francorum regno piissimo rege Ludovico, filio Ludovici; principatum Ecclesiæ universæ ac totius creaturæ visibilis & invisibilis monarchiam tenente Dei filio Jesu-Christo, anno ab Incarnatione sua millesimo centesimo quinquagesimo tertio, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

## CAPUT III.

*De revelationibus diversis post S. Patris obitum factis.*

17. Jam de supra memoratis revelationibus pauca dicturi, ab eo sumamus initium quod prædictum est anno septimo ante quam fieret. Erant duo fratres in monasterio, de sacra beati Patris vita & felicibus ejus actibus colloquentes: quorum alter ab ineunte adolescentia educatus ibidem, ad alterum ait: Nosti quot annos sit victurus hic beatissimus Pater noster? Cui ille: Nescio, inquit. Et alter: Ego, ait, novi eum sex aut septem annos adhuc in carne victurum. Hoc autem unde sciret, minime jam scire possumus, quia nec tum indicavit, & ante Patrem sanctum ipse decessit. Porro alterius hodieque superstitis relatione hoc verbum nobis innotuit, qui tunc magis miratus est se audisse, quando ut ab olim audierat, ita vidit. Talis vero ille est, de cujus testimonio nec nos ambigimus, nec cuilibet alteri qui eum noverit, credimus dubitandum. Neque id solum, sed quod non minori dignum admiratione videtur, nomen quoque & personam successoris ipsius, indicante sibi eodem fratre, extunc innotuisse testatur. Manifeste enim eadem hora frater ille prædixit, quia dominus Robertus, qui hodie abbas est de Dunis, post hunc beatum Patrem abbas futurus est Claræ-vallis. Nam quod disjunctive sex vel septem annos victurum dicebat, ad- hoc pertinuisse videtur, quod inventus sit terminus idem ultra sextum annum, intra septimum tamen.

18. Prope erat jam tempus, & festinabat Pater sanctus ad metam. Infirmabatur enim, sicut in hujus libelli principio memoravimus, adeo ut illa jam infirmitate ipsius perfici virtus, jam imminere exitus videretur. Interea fratres instare supplicationibus & obsecrationibus, quibus poterant, apud Deum. Unde etiam Sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquanto melius secundum corpus habere cœpisset, congregatis fratribus hæc eadem verba locutus est. Quid tenetis miserum hominem? Fortiores estis, & invaluistis. Parcite quæso, parcite, finite me abire. Prius tamen cum in summo periculo & timore fratres omnes in orationibus humiliarent animas suas, uni eorum visio talis apparuit. Occurrebat cum multa exsultatione Viro Dei extra monasterii claustra innumerabilis multitudo. In qua tamen processione, solos quatuor præeuntes idem frater qui videbat agnovit, magnum illum dilectorem ejus atque dilectum, cujus & ipse in libro quarto de Consideratione cum laude meminit, Gaufridum episcopum Carnotensem, Humbertum quoque, qui Igniacensis cœnobii fuerat primus abbas; & duos ejus fratres germanos, Guidonem scilicet & Gerardum. Exceptus itaque reverenter, & post osculum pacis amica diu colloquia miscens Pater sanctus ac beatus, cum his quatuor stabat, exspectante seorsum multitudine ceterorum. Novissime salutantes eum prædicti viri, ex hoc sibi jam redeundum esse dicebant. Tum vero expalluit ille, & circumfusa sibi mæstitia internum declarans animi dolorem: Quid ergo, ait, sine me vultis abire? Et illi: Non potest adhuc tuo, & nostro satisfieri desiderio, donec veniat tempus novorum. Dicebant autem tempus novorum, quo fruges novæ colligerentur, sicut evidenter postmodum probavit eventus, dum in Augusto mense decessit. Mane ergo frater ille, cui hoc ostensum fuerat, consolatus est ceteros, velut jam imminentem Patris obitum formidantes, & quod viderat & audierat indicavit. Adhuc autem hiems erat.

19. Eodem tempore altera quoque visio prioris confirmatio fuit: nisi quod evidentius jam utriusque completa veritas probat, quam evidenter in utraque quod futurum erat, Dominus revelavit. Videbat enim frater quidam, & ecce parabat Vir beatissimus ascendere Jerosolymam, jamque ipso in procinctu itineris erat. Ad quem venerabilis Odo, qui à primis fere annis strenue satis & laudabiliter conversatus in monasterio, absentium consueverat præpositorum supplere vices, reverenter accedens, dicebat se præcessurum. Cujus visionis sic ostensa est veritas, ut prædictus Vir Deo dignus ad cælestem Jerusalem, ubi vere visio pacis, parantem jam egredi, & paulo post secuturum Patrem sanctum, felici functus legatione præiret.

20. Sed & Abbas quidam, satis ei habitatione vicinus, nec minus affectione devotus, paucis diebus ante felicissimum Patris hujus excessum, videbat eum pretiosissimis ornatum sacerdotalibus indumentis, & excellenti perfusum gloria, cum ingenti sollemnitate ad altare deduci. Ad cujus Introitum ecclesia magna magnis resultans vocibus conclamabat, *Puer natus est nobis.* Vere etenim puer ipse erat mitis & humilis corde, & sicut parvulus accipiens regnum Dei: in cujus merito gratulabunda natali angelica multitudo, & omnis pariter Sanctorum ecclesia, dum nobis videretur mori, sibi illum nasci; dum hic consummaretur, ibi incipere, non tam sonoris vocibus, quam votis paribus concinens exsultabat. Si enim ad unius pœnitentiam peccatoris tota illa cælestis regio in lætitiam suscitatur; quænam illi gaudia exhibuisse credendus est, per quem gaudia tanta receperat de tam multorum conversione & pœnitentia peccatorum? Quis enim valeat æstimare, quantis in sæculari habitu & conversatione manentibus, quantis etiam ad alias virorum seu feminarum congregationes transeunti-

a Nempe tam per se, quam per abbatias Claræ-valli subjectas: Nam Bernardus per se tantum septuaginta duo circiter monasteria excitavit vel adoptavit, nempe in Gallia 35. in Hispania 11, in Belgio 6. in Anglia 5. totidem in Sabaudia, & in Hibernia, in Italia 4. in Germania duo, duo item in Suecia; ac demum unum & alterum in Hungaria & Dania, ex Chronologia nostra.

bus, per hujus fidelis famuli ministerium dedit Dominus pœnitentiam ad salutem? Aut quis numeret eos qui sub ejus cura in centum sexaginta monasteriis per Dei benignitatem ad pœnitentiam sunt adducti? Nam ex his solis, qui speciales ejus filii videbantur, præter eos qui jam cursum vitæ feliciter consummaverant, præter eos qui per alia loca fuerant propagati, ea die qua felicissimus Pater ex Clara-valle montem ascendere meruit clariorem, reliquit habitantes in ea septingentas [a] ferme animas, Domino servientes. Quid igitur mirum si gratus curiæ, si acceptus Regi, si exceptus cum lætitia & exsultatione credatur? in quo gratia Dei usque adeo vacua non fuit, qui tam feliciter, tam efficaciter, plus omnibus sui temporis & multarum retro generationum laboravit: qui talentum sibi traditum tam copiose multiplicavit; tanta denique lucra retulit de negotio. Sed de his hactenus, ne quis nos arguat ejus quam polliciti sumus metas excedere brevitatis.

21. Sane in monasterio prædicti illius Abbatis, qui sic ejus natalem præviderat ea nocte, quam nobiscum Pater sanctus mane profecturus ultimam fecit, venerabili ejus Præposito apparens, valefecit illi, & ait: Noveris quia jam migro, nec ulterius hic morabor. Quod ut ille indicavit Abbati, accelerans Abbas & Claram-vallem veniens, ipso die Abbatem sanctum, sicut dixerat, reperit jam migrasse.

22. Frater Guillelmus de Monte-Pessulano, cujus & supra fecimus mentionem, vir magnificus olim in sæculo fuit, sed magnificentior in sæculi fuga. Hic in monasterio Grandis-silvæ monachus factus, Patrem sanctum devotissime visitavit. Rediturus autem lacrymabiliter querebatur, quod non esset eum ultra visurus. Cui vir Dei: Ne timeas, ait, adhuc fine dubio me videbis. Hujus effectum promissionis devotissimus ille Guillelmus exspectans, ipsa nocte cum beatus Pater ex hac vita decessit, in monasterio Grandis-silvæ apparentem sibi videre meruit, & dicentem: Frater Guillelme. Et ille: Ecce ego domine. Veni, inquit, mecum. Ibant igitur pariter, & ad montem quemdam altissimum pervenerunt. Interrogabat autem Sanctus an sciret quo venissent. Ille vero se nescire professus est. Cui ipse: Ad radices, inquit, montis Libani venimus. Et nunc manebis hic, ego autem ascendam in montem. Interrogatus qua de causa vellet ascendere. Discere volo, inquit. Miratus ille, Quid, inquit, vis discere Pater, quem nulli hodie in scientia credimus esse secundum? Ad quem Sanctus: Nulla, ait, hic scientia, nulla veri cognitio: sursum scientiæ plenitudo, sursum vera notitia veritatis. Et in hoc verbo dimittens eum, in montem altissimum subiit coram illo. Cumque intueretur euntem illum, expergefactus est, & occurrit protinus ei verbum illud, quod ad Johannem olim de cælo sonuit: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Ut ergo mane locutus est Abbati suo & fratribus, Patrem sanctum ex hac vita migrasse dicebat. Et notantes diem ac diligentius inquirentes, ut audierant invenerunt. Euge Pater sancte, qui ascensiones in corde disposuisti in valle lacrymarum, feliciter jam ascendisti de Clara-valle in montem Libani, montem candidationis, plenitudinem lucis, celsitudinem claritatis. Innocens manibus & mundo corde ascendisti in montem Domini, ad divitias salutis: ad thesauros sapientiæ & scientiæ pervenisti, ubi pure puram videas veritatem, ubi unus tibi cum omnibus sanctis magister est Christus: ubi omnes jam docibiles Dei. Trahe nos post te, quæsumus, & de monte excelso misericorditer respice Vallem tuam. Adesto laborantibus, subveni periclitantibus, ascendentibus manum porrige. Dat fiduciam tua nobis ab olim experta, nec exinanita modo, sed amplius cumulata benignitas. Quin etiam visio, quam subnectimus, ab eadem nostra præsumptione non discrepat.

23. Proxima nocte postquam sacrum corpus sepulturæ traditum fuerat, quantam adhuc pro filiis sollicitudinem gereret Pater sanctus, & quomodo suos quos in mundo dilexerat, in finem quoque diligeret, evidenter ostendit. A Apparens enim cuidam fratri in multa gloria, & fulgore magno vestis ac vultus, & desiderantem tenere cito pertransiens, aiebat, quia pro quodam fratre simplice veni. Audierunt hoc fratres & mirabantur: sed circa horam diei tertiam veritas comprobata est visionis. Defunctus est enim quidam frater laudabilis admodum simplicitatis, &, sicut omnino credibile est, animam ejus tanto duce felicem, qui pro eo se venire dixerat, secum tulit. Paucis quoque expletis diebus, alteri cuidam fratri magnifice satis apparens, & arguens de suo nos doluisse discessu, post verba multæ consolationis, & promissionem felicitatis æternæ in sua perseverantibus obedientia & doctrina: Hoc etiam scito, ait, & dicito fratribus, B cujusdam vere sancti corpus, cujus & ego habeo vestem, in Oratorio esse sepultum. Dicebat autem episcopum Malachiam. Ipsius enim tunicam, in qua Sanctus ille feliciter obdormierat, ad Missarum sibi servaverat celebrationem, & moriturus in ea sese jusserat sepeliri, sicut & Sanctum illum in sua sepelierat veste. Quod tamen verbum & ipsi fratri, & quampluribus aliis usque ad hanc visionem prorsus erat ignotum. Felix Pontifex, cujus merita Pater sanctus & vivens prædicaverat, & defunctus. Felix caritas, quæ in morte non excidit. Felix societas, quam nec illud divortium tam crudele diremit. Gloriosi siquidem Patres quemadmodum in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.

C 24. Nam & post dies circiter quadraginta Abbas quidam ex majoris Britanniæ insula, sacræ illius societatis virtutem feliciter experiri meruit in seipso. Qui eodem tempore cum ceteris Coabbatibus suis ex more Cistercium petens, in Clara-valle remanserat, gemino quodam desperabiliter occupatus incommodo, pleuresis scilicet, & febris quotidianæ. Jamque eatenus longa vexatione defecerat, ut solum animæ ejus exitum fratres, qui ei numquam deerant, observarent. Cumque animum ejus angeret non tam desiderium vitæ præsentis, quam absentium desolatio filiorum, quod peregre moreretur, obnixe petiit ut ad tumulum sancti deportaretur Abbatis: ubi cum orasset tota devotione qua potuit, beati D quoque episcopi Malachiæ in aquilonari ipsius Oratorii latere positum cogitavit visitare sepulcrum, auxilium flagitare: sed fatigationem veritus, & quasi jam securus de incolumitate, quod cogitaverat non implevit. Die altera iterum fratres advocans, ut ad Oratorium veniat opem sibi postulat exhiberi. Causantibus illis (periculum siquidem verebantur) Omnimodis, inquit, oportet ut sancti Malachiæ tumulum petam. Cum enim nocte præterita vix tenuiter obdormissem, expergefactus subito audiebam vocem dicentem mihi: Sanatus jam ab altera ægritudine tua, si ab altera vis sanari, Episcopum pete. Fecerunt illi ut ille voluit, & continuo factum est sicut dictum erat ad illum. Eadem die sanus factus, post paucissimos dies iter arripuit, & incolumis reversus est ad suos. E

25. Tuum in hoc opere spiritum, tuum agnoscimus, Pater dulcissime, zelum, tuam considerationem: tuum hoc opus, sic deferre collegæ tuo, ut hunc quoque ei communicares honorem & amorem, cum quo verius & felicius honorificaris in cælis. Immo vero tui sunt hæc omnia operis, tui muneris, Deus noster. Tu enim omnem replesti ab initio temporis terram præsentia tuæ divinitatis, omnem aliquando repleturus gloria majestatis: cujus tamen partes interim quasdam, & æterno prælecta loca consilio excellentius visitans, reples speciali gratia sanctitatis. Fac Domine spirituali semper abundare frumento Vallem, quam ut faceres re quam nomine clariorem, dignatus es tam F eximiæ claritatis sideribus illustrare duobus. Custodi domum, in qua tibi geminum hoc tam pretiosum depositum custoditur. Fiat nobis denique juxta verbum tuum, ut ubi est thesaurus tuus, ibi sit & cor tuum, ibi gratia & misericordia, & respectus assiduæ pietatis omnibus adsit in tuo ibidem nomine congregatis, quod est super omne nomen, sicut & tu super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

S Bern. mortuu Malach defert.

Matth.

* *In codice Vaticano n. 676. hic liber constat capitulis XXIII. quorum ultimum deest in vulgatis. Sic autem habet.*

26. In memoria æterna justus Domino constitutus & suorum non negligit memoriam filiorum; agens post

a De numero Novitiorum vide infra lib. 7. cap. 12. & cap. 29.

mortem peragensque miraculis, quod suis adhuc vivens oraculis prædicebat. Cernitur in operibus virtutis ejus sermo ille vivus & efficax, & testamentum fidele, quod disposuit dilectis suis: Agam, inquit, assidue Claræ-vallensis familiæ curam, & plantationem meam continue fovens benedictionis irriguo, sic me præsentem beneficiis exhibebo, ut inde non videar aliquando recessisse. Undique nobis materiam consolationis exquirit: ita ut nuper in ipsis partibus transmarinis, nostris inventus sit inhiare subsidiis. Factum enim post annos plurimos ab obitu Sancti hujus, ut sanctitatis suæ signa de crucis signaculo radiarent, & quàm pia cupiditate virtutem vivificæ crucis ambiret, ipse crucis consecrator ostenderet. Cum enim Sarracon dux Turcorum urbem Alexandriam, & adjacentem Ægypti provinciam disposuisset invadere, suæque subjicere ditioni; & rex Jerusalem christianissimus Amalricus requisitus à Saracenis Ægypti repentino impetu in præsidia subvectionis accingitur, timens videlicet & præcavens in futurum, ne si forte Turcos in Ægypto dominari contingeret, & majorem in Christianos agerent pro locorum vicinitate perniciem, & ipse interim ex Ægypto tributariam perderet functionem. Electis igitur militibus, & instructo progressus exercitu, in occursum properat Sarraconis, vadens & progrediens usque ad alveum Nili fluminis, quod de paradisi fonte dissiliens, aridas Ægyptiorum irrigat regiones. Cumque venisset ad flumen, fecit illud navium potestate meabile, & relinquens in custodia pontis ex utraque parte fluminis milites pedites que non paucos, & ipse cum trecentis equitibus fugientem Sarraconem insequitur, persequens eum & exercitum ejus grandem, quatuordecim millia Turcorum, & tria millia pugnatorum Arabum contrahentem. Illis autem itinere diei unius ante Regis impetum fugientibus, non deerant hinc inde nuntii de medio concurrentes, quorum alii suggerebant Regi, ut multitudinem illam contritam, & fame & lassitudine dissolutam jam jam consumpturus invaderet: & alii è contrario Turcos hortabantur, ut starent; facile admodum fore concludi paucos in manu tantæ multitudinis affirmantes. Convertitur ergo Sarraconis exercitus, & exspectato Rege instruuntur ad pugnam, qui prius præcipites ferebantur in fugam. Adveniente autem nocte castrametati sunt juxta aquas, quæ utrumque exercitum stricto satis alveo dirimebant. Cumque obdormisset Rex in ipso clypei sui concavo requiescens, confestim sibi in somnis beatus Bernardus apparuit, exprobrans & improperans ei peccata sua, & quod non esset dignus vivificæ crucis lignum (quod de consuetudine appensum collo gestabat) in illo certamine circumferre. Statimque Rex territus & turbatus veniam petit, & Sancto qui loquebatur ad eum, peccata sua flebiliter confitetur. Tunc beatus Bernardus admota propius manu crucem sanctam quæ collo Regis pendebat, accepit; & benedicens ei trino signaculo sanctæ crucis, consolabatur eum dicens: Confide Rex in hoc signo vinces, & in periculo timoris magni, quale numquam hactenus expertus es, sine læsione tui hostes evades. Cumque hoc dixisset, visus est velle discedere, crucem quam à collo Regis acceperat portans secum. Rex autem apprehendens eum ait: Non dimittam te nisi crucem dimiseris mihi. Ad quem Sanctus: Noli, inquit, noli Rex, alios filios habeo quos oportet crucis hujus signaculo benedici. Et his dictis somnus abiit, & fulgor matutinus illuxit, factaque copia splendoris & lucis, uterque exercitus sibi invicem ad ineunda certamina propinquavit. Aggreditur Regis cuneus multitudinem copiosam, & in medio ejus qui in pelago maris absorptus inimicos crucis Christi sub crucis vexillo prostravit. Cadunt à latere suo mille, & multa millia à dextris ejus, & discurrunt undique triumphantes in Christi nomine Christiani: ita ut dum illi diversis pugnæ partibus dividuntur, Rex ipse solus in quodam congesti sabuli tumulo remaneret tam morti & internecioni proximus, quàm longe erat suorum omnium solatio destitutus. Cernebat ex eminenti stationis suæ loco Turcos undique concursantes. Nam jamque imminentem sibi exspectabat interitum, nisi quia in eo quodammodo confidebat, quod se illis non ignorabat ignotum. Recordatus ilico præteritæ visionis, & pia intra se vota conficiens, pollicitus est Deo & beato Bernardo, quod si de manu inimicorum vivus evaderet, crucem quam Sanctus petierat, filiis ejus Claræ-vallensibus destinaret. Continuo igitur triginta de militibus suis Regem ipsum à longe cognoscentes, acri in se certamine Turcos provocant ad pugnandum, ut vergente in illos fortitudine tota conflictus Rex iterum ab hostibus & ignotus persisteret & securus. Quod cum quindecim milites de sacra Christi militia conspexissent, per confertissimos hostes violenter irrumpunt, persequentes juxta quod scriptum est, unus mille, & duo fugantes decem millia in militibus suis. Associati ergo aliis triginta militibus, divisis & cæsis occurrentibus inimicis, ad Regem suum cum lætitia & victoria pervenerunt. Sicque factum est, quod & Rex juxta verbum sancti Patris nostri de beneficio sanctæ crucis donum ejusdem sancti patris meritis apprehendit. Porro supradictæ ordinem visionis idem ipse Rex Richero abbati Salvationis ore proprio diligenter exposuit, qui eam postmodum in Gallicanis partibus fideliter nuntiavit, vir utique testimonii boni & conversationis honestæ, tam à mendacii suspicione remotus, quam à vitæ corruptionibus alienus Deo gratias. Amen.

[Margin, left: ...alrico ...gi in ...rcos ...stanti ...taret.]
[Margin, right: Crucem ejus Claræ-vallensibus dari jubet.]

# AD LECTOREM
## HORSTII PRÆFATIO IN LIBRUM SEQUENTEM,
### de miraculis per S. BERNARDUM editis.

I. *Inter Sanctos Miraculorum gloria celebres, eminere mihi* BERNARDUS *videtur, aut paucos sibi habere pares. Ut vel hinc facile sit obstruere loquentium iniqua &* Miracula *posterioris ævi cavillantium ora. Nimirum non desunt etiam nunc Pharaones, qui obdurant corda sua ad visa vel audita tot prodigia, ne cogantur agnoscere Deum mirabilem in Sanctis suis: sunt quoque nunc serpentes & aspides surdæ obturantes aures suas, ne audiant vocem incantantis sapienter. Quin etiam hodie reperire est cæcos & contumaces Pharisæos, aut pejores, qui potestati satanæ isthæc ausint adscribere. Nempe otiosa censent* Miracula *post claram Evangelii lucem toto orbe diffusam, & quæ postmodum facta, etiam à viris fide dignissimis accepimus, etsi toto orbe spectante & attestante, hæc ipsi inter fabulas & figmenta, immo inter præstigias deputant. O cæcum & miserum hominum genus! qui videntes non vident, & audientes non intelligunt. Sed non est abbreviata manus Domini etiam hodie facere per fideles servos suos, quæ sensum, & naturam superent; cum ita necessum fuerit. Hoc vero definire, nostrum non est, sed ejus qui omnia in pondere & mensura facit, cujus* sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. *Temerarium & impium foret, hîc leges ac limites divinæ potentiæ seu providentiæ præfigere. Hanc ipsam tantummodo* S. BERNARDI *vitam inspicite, vos*

[Margin, left: ...fra in ...tis Bel- ; ...retici mi- ...ulorum ...mnia- ...s.]

*inquam Sanctorum gloriæ mastiges, cujus sanctitatem prorsus eximiam præter quam quod scripta ejus, nedum gesta, ad vivum exprimunt, tot ac tanta irrefragabilis fidei testimonia comprobant, ut vel ipsa calumnia eam inficiari non audeat, sed & invitis, ac quantumvis invitis venerationem extorqueat.*

S. Bernardus miraculorum gratia excellit. *Miracula vero, etsi alias indubia, ac infallibilia sanctitatis argumenta non sint; in* BERNARDO *tamen vitæ sanctimonia, & Miraculorum gratia, tam arcto sibi fœdere connexa fuere, ut aut stolidos, aut impios esse necesse sit, qui vel alterutram, vel utramque viro sancto detrahere ausint.*

II. *Quocirca alii aliis eum ornent* Elogiis: *ego libens omnibus applaudo, quia nullum par ejus meritis invenio. Attamen* Thaumaturgum *per excellentiam non possum non appellare, visis scilicet tot ejus* Miraculis, *& operantis tam familiariter, nec minus mirabiliter in eo virtutis divinæ testimoniis. Esto, sit non nemo* SANCTORUM, *qui hunc sibi titulum longi temporis præscriptione vindicet: non ægre tamen is* BERNARDUM *in hujus tituli & honoris consortium recipiet. Quamvis vindicandæ sibiipsis hac in parte laudis & gloriæ nulla viris Sanctis æmulatio esse soleat.* BERNARDUS *certe studiose eam semper à se amoliri solitus est, sciens illi omnem deberi gloriam, qui* operatur omnia in omnibus, & facit mirabilia magna solus. *Nostrum nihilo minus est, Deum laudare in Sanctis suis:*

Miraculorum finis quis. *eoque diligentius recolere* MIRACULA, *quæ divina virtute, cum Dei gloria, aut fidei ac religionis confirmandæ causa, aut Christiani populi salus id exigeret, sancti homines fecerunt, ne fine suo frustretur, si à nobis neglecta, aut inofficioso, seu potius irreligioso silentio prætereita fuerint. Præcipuus autem finis est, divinam asserere gloriam, ostendere potentiam, & orthodoxam potissimum fidei veritatem, seu ad confutandos incredulos, seu ad confirmandos fideles adstruere. Ut vero jam alia infinita prætereain, per unum certe* BERNARDUM *tam frequentia & illustria ad adstruendæ fidei argumenta edita video, ut illis* RICHARDI de S. Victore *verbis Christiano cuivis, si quando infidelitatis tentatione*

Lib. 1. de Trin. c. 2. *quatitur, cum Deo agere liceat:* Domine, si error est, à teipso decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ nonnisi per teipsum fieri possunt: Certe à summæ sanctitatis Viris sunt nobis tradita, & cum summa & authentica attestatione probata teipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. *Ita ille. Vereor ne ex-*

Hom. 11. in Ezech. *cursus sit longior: non possum tamen quin S.* GREGORII M. *verba valde hic opportuna recenseam. Ille postquam miracula Sanctorum comparasset propugnaculis, virtutes eorumdem clypeis, quibus utrisque etiam nunc Christiani sese muniant, ac defendant, sic ait.* Hi itaque (*viri sancti*) quàm vera de Deo dixerint, testantur MIRACULA, quia talia per illum non facerent, nisi de illo vera narrarent: & quàm pii, quàm humiles, quàm benigni exstiterint, eorum testantur operationes. Si igitur de fide tentamur, quam ex illorum prædicatione concepimus, loquentium MIRACULA conspiciamus, & in fide, quam ab eis accepimus, confirmamur. Quid ergo illorum MIRACULA, nisi nostra sunt propugnacula? quia & muniri per illa possumus, & tamen hæc in manu arbitrii nostri non tenemus. Nam talia facere non valemus, &c. *Hæc paulo prolixius adferre visum in gratiam eorum, qui parum tribuunt aut fidunt* MIRACULIS, *&* SANCTORUM *gloriam calumniis lacerant: nec honorant, quos Deus sic voluit honorare. Spero hæc non ingrata, aut inutilia Lectori fore: certe ingenuus* Bernardi *cultor non improbabit.*

III. *His ab Horstio dictis addere licet, adeo Bernardi miracula illustria & omnibus ipso vivente, immo ante prædicationem crucis seu sacræ expeditionis, de qua in libro sequenti, comperta fuisse, ut Berengarius, ille Abaëlardi discipulus & defensor, in Apologia pro magistro suo, quantumvis Bernardo infensus, ea ut indubitata agnoscat.* Jam dudum, *inquit Bernardum alloquens,* sanctitudinis tuæ odorem ales per orbem fama dispersit, præconizavit merita, MIRACULA DECLAMAVIT. Felicia jactabamus moderna sæcula, tam corusci sideris venustata nitore; mundumque, jam debitum perditioni, tuis meritis subsistere putabamus. Sperabamus in linguæ tuæ arbitrio cæli sitam clementiam, aëris temperiem, ubertatem terræ, fructuum benedictionem. Caput tuum nubes tangebat: &, juxta vulgare proverbium, rami tui umbras montium transscendebant. Sic diu vixisti, sic Ecclesiam castis institutionibus informasti: ut ad semicinctia tua rugire dæmones autumaremus, & beatulos nos tanto gloriaremur patrono. *Hæc ille, testimonium vel invitus veritati perhibens: etsi in consequentibus Bernardum traducat, quod Abaëlardum impugnaverit.*



# DE VITA S. BERNARDI ABBATIS, LIBER SEXTUS.

## SEU MIRACULA AB EO PER GERMANIAM, BELGIUM, Galliamque patrata, anno MCXLVI, in tres partes distributa. Quæ singulæ suos præferunt Auctores.

*NARRATIO HERBERTI, ABBATIS COENOBII Morensis, de libro Miraculorum S. Bernardi, per insigne miraculum servato.*

VISITANTE nuper venerabili abbate Claræ-vallensi Petro monasteria sua *, quæ in Remensi provincia flante spiritu Dei venustissime florent, nos quoque cum illo profecti venimus die quadam una cum ipso ad monasterium Vallis-Regis. Invenimus autem ibidem miraculorum sancti Bernardi multitudinem copiosam, quæ propter legentium tædium in codice vitæ ejus inseri non potuerunt. Nam si prolixius scriberentur, plurima inde volumina conficerentur. Hunc ergo MIRACULORUM LIBRUM, quem in CLARA-VALLE non haberi comperimus, acceptum mutuo nobiscum ferre curavimus, ut eum transscribi faceremus. Portabatur autem in mantica, cum aliis septem libris, tam majoris quàm minoris voluminis. Venientibus itaque nobis ad monasterium Longi-pontis, contigit ut eorumdem librorum portitor equus cum ceteris ad aquam duceretur. Qui dum incaute dimissis habenis vadum excederet, lapsus in profundum stagni fluctuando & natando ferme unius horæ spatio huc & illuc anxie pervagabatur. Exclamantibus autem qui aderant, quod equus ille librorum atque vestimentorum sarcinam habens cum puero superposito mergeretur; accurritur undique ut ei succurratur. Interim autem quadrupes, & ipse puer sub aqua latebant, nisi quod ora protensa modice superius apparebant. Quidam vero juvenis indumentis exutus, & natando diutius insecutus pereuntes, eripere voluit, sed fugiente caballo minime potuit.

Tandem vero quæsita & de longe adducta navicula, miserante Domino, reducti & liberati sunt simul adolescentulus & caballus, non modo viventes, verum A etiam salvi & alacres: mantica vero continens ipsos libros inventa est aquis, in modum utris, plena atque distenta. Quæ dum postmodum incuria ministrorum clausa diutissime permaneret, tandem ea reserata inventi sunt libri à minimo usque ad maximum, ita madefacti atque deleti, ac si in profundo stagni diutius jacuissent. Verumtamen solus ille MIRACULORUM LIBER, cum tamen ceteris aqua imbutis atque submersis esset immixtus, ita repertus est incorruptus & siccus, ita pulcher ac floridus, ut minime tunc extractum de vivario B crederes, sed potius assumptum de armario diceres. Nam quemadmodum usque hodie cernitur, ne unam quidem in eo litterulam magnam vel modicam aquæ stilla delevit, aut tetigit, cum ceteri, sicut dictum est, libri ita fluctibus obliterati, & pellium more confecti viderentur, ut nullis deinceps usibus judicarentur apti. Unde mirati & magna jucunditate repleti, gratias egere multimodis divinæ clementiæ, qui dilecti sui Bernardi merita veneranda voluit etiam nunc hujusmodi signo glorificare. Nos quoque magnifice consolati, proprium damnum de submersione librorum non modo levissime, verum etiam lætissime tulimus: quippe qui in ejus restitutione, jucunda vere piscatione, tantum & tale miraculum C de immensitate aquarum cum libris extulimus. Et quidem duplex nobis incubuit exsultandi materia, tum pro ipsa miraculorum gloria commendata, de quorum certitudine præsenti miraculo certiores exsistimus: tum pro ipsa pueri vita donata, cujus liberationem sanctissimi Confessoris hujus precibus & meritis attribuendam esse non dubitamus.

* Fus-... Bo... on-... Si-... m. [margin, partly cut off]

a Is postea archiepiscopus Turrium in Sardinia, qui tres libros de miraculis, tum Bernardi, tum aliorum ejus discipulorum scripsit, de quibus infra.

# PHILIPPI DE CLARA-VALLE PRÆFATIO

## IN LIBRUM MIRACULORUM S. BERNARDI, ad SAMSONEM archiepiscopum Remensem.

CARISSIMO Patri & domino S. Dei gratia Remorum archiepiscopo, frater PHILIPPUS de Clara-valle, ambulare à claritate in claritatem tamquam à Domini Spiritu. Multa esset præsumptio, si non multa esset dilectio, quod vestræ præsumo scribere sublimitati. Quid enim servus ad dominum, discipulus ad magistrum, ad episcopum monachus? Nihil mihi & illi, cum illum D summa dignitas, me vilitas alta componat. Sepultus inter homines, non est revocandus ad homines, nec revocari debet ad phaleras gloriamque verborum, qui silentium imposuit ori suo. Scitis & vos, domine Pater, quia scribere nec monacho in usu, nec indocto in promptu, nec pœnitenti esse debeat in affectu. Durum quoque est, ut cum alii vacent & videant quoniam ipse est Dominus, ego stilum tabulasque involvam, quem non ignoratis durioris pœnitentiæ martyrio confringendum. In veritate didici nihil esse efficacius ad promerendum divitias gratiæ Domini, quàm sedere & tacere, & semper humilibus consentire. Humilitas virtutum regina, primogenitum filium suum silentium parit; in quo, & de quo cultus justitiæ pendet, justo attestante qui ait: *Cultus justitiæ silentium.* Isa. 32. 17 Sed nimis progredior, & interrumpendus est cursus sermonis: quia fortassis incommoda prælibatio est, si quos pluribus debetis oculos, detineam pagina longiori. Idipsum autem quando præsumpsisset pusillitas, vel pusillanimitas mei, servi vestri: nisi prævenisset vel intervenisset vestra humilis sublimitas, immo sublimis humilitas, amantissime Pater? Rogatis igitur, ut scribam vobis, quæ comperta habeo de miraculis Patris nostri, amici vestri, qui vos diligit non verbo neque lingua, sed opere, & veritate. Et illa quidem egebant diligentiori disputatione, & doctiori disputatore; cum illa tamen ego non scripserim, sed collegerim: certus autem quod auribus meis audierim, &

perspexerim oculis universa: ipsa tamen quæ in itu & reditu Stampensis collocutionis effecit, ego nec vidi, nec audivi: sed viderunt & audierunt, qui ministri fuerunt sermonis, & quibus credo sicut oculis meis. Ego enim tunc intravi scholam Jesu, & valedixi sæculo in sæculum, & in sæculum sæculi. Decrevimus autem & hæc, & alia quæ fideli stilo à principio itinerarii ipsius excerpta sunt, alicui de linguis insignibus & religiosis commendare, qui potenti virtute verborum facta lucida perducat in lucem. Vos quoque, cum hanc epistolam susceperitis, orate pro Philippo vestro, qui vester ero, quamdiu fuero, in visceribus Jesu-Christi.

## P A R S I.

Auctore PHILIPPO monacho Claræ-vallensi.

### C A P U T I.

*De profectione Bernardi Constantiam versus; item de personis & nominibus eorum, qui miraculorum oculati testes fuerunt.*

1. CUm in regno Teutonicorum verus Crucis servus BERNARDUS verbum crucis annuntiaret; necesse fuit, ut regi Conrado pro quodam pacis negotio loqueretur. Occurrit autem *Franckevært* *, quod in territorio Moguntino super Mogum * situm est castrum, & à Francorum vado nomen accepit. Ibidem quoque Constantiensis episcopus, Hermannus nomine, vir religiosus, adfuit, obnixius supplicans, ut ad partes suas ascendere dignaretur. Cujus petitioni multa quidem negotia resistebant; maxime tamen Claræ-vallensium suorum intima sollicitudo & præcordialis affectus, ad quos redire omnimodo festinabat: neque enim filiorum uteri sui mater poterat oblivisci, sed toto fere anno avelli à se viscera sua gravissime querebatur. Vicit tamen constantia domini Constantiensis, cum opportune, importune modo per se, modo per Regem & Episcopos supplicaret. Sic nimirum intolerabile sibi indicat vir benignissimus pro se anxios contristari. Magis autem prævaluit timor Domini, & spiritus ejus suggerens apertum sibi esse ostium magnum. Hoc enim studium ejus, hæc consuetudo est, ut licet animum habeat affectione plenissimum, nullum tamen apud eum propria obtineat affectio locum in deliberatione faciendorum, sed totum sibi vindicet divinæ inquisitio voluntatis. Acquievit ergo venire cum episcopo. Et dominica prima adventus Domini ingressi sumus fines episcopatus Constantiensis: & in villa cui nomen est *Kentingen* *, maxima populi devotione suscepti. Multa ex hoc divinæ miracula virtutis claruerunt: quæ etsi nos tacuerimus, lapides clamabunt. Propterea qui præsentes fuimus, dignum duximus annotare ea vitandæ gratia confusionis, & dubitationis abigendæ. Singulorum enim præscripsimus nomina; & singuli quod vidimus & audivimus, certa veritate testamur. Eramus autem cum eo ego Hermannus Constantiensis episcopus, & Eberhardus * capellanus ejus *: abbates duo Baldovvinus, & Frovvinus [a]: monachi quoque duo, Gerardus, & Gaufridus: clerici tres, Philippus Leodiensis archidiaconus, Otto, & Franco: quibus additus est in ipso itinere Alexander * Coloniensis. Romam enim proficiscebatur: sed videns opera divinæ virtutis, & audiens crebram Patris exhortationem, compunctus est & conversus. Singulorum nomina ex præscriptione primarum invenies litterarum.

* Francfort.
* Mœnum.
NOTA.
* al. Kentzigen prope Friburgum Brisgoiæ.
* al. Everardus.
* al. meus.
* V. de eodem sup lib 4. n. 48 & lib. 1. de viris illust. Ord. Cisterc. c. 29. Item inf. lib. 7 cap. 20. De Alexand. Menol. Cist. 29 Jul.

### C A P U T II.

*De miraculis per beatum Bernardum factis Friburgi, Basileæ, locisque vicinis.*

2. HErmannus episcopus. Mihi sacerdos villæ *Herenheim* ob hoc ipsum vocatus indicavit hominem cæcum jam annis decem, qui de domo sua erat, Dominica prima Adventus signatum in transitu; ubi domum A rediit statim illuminatum esse. Hoc ab alio prius audieram & in tota regione certissimum est. *Eberhardus*. Ego à duobus honestis viris, quorum alter sacerdos, alter monachus erat, audivi duos in villa *Lapenheim* * ipsa die signatos similiter illuminatos. *Philippus*. Secunda feria me præsente cæcus senex adductus est in ecclesiam, & post manus impositionem, sicut omnes audistis; illuminatum eum populus acclamavit. *Frovvinus abbas*. Ego hominem illum videntem vidi, & frater Gaufridus mecum. *Franco*. Tertia feria in *Frienburg* * puerum cæcum mater obtulit mane in hospitio: dumque reportaret eum post manus impositionem, jussit pater inquiri à puero an videret: & ego ipse secutus sum; & cum interrogassem B puerum, clare se videre respondit: quod & in multis probatum est argumentis. *Gaufridus*. Statim ut ingressi sumus ecclesiam, adolescens claudus per signum vitæ gressum accepit. *Episcopus*. Omnes vidimus eum ante altare cum populus in Dei laudibus acclamaret. *Eberhardus*. Ego illa ipsa die tres alios claudos erectos vidi. *Franco*. Mulierem cæcam, quæ in ingressu ecclesiæ illuminata est & populo præsentata, omnes vidistis. *Gaufridus*. Et puellam, cujus arida manus restituta est sanitati, de qua inter oblationes cantatum est. *Gerard*. Ego ipsa die puerum illuminatum vidi. *Otto*. Quarta feria, cum post Missarum celebrationem Pater regrederetur ecclesiam, mulieris manus aridas tetigit, quæ post paululum C incolumitatem recepit. Cantum omnes audistis: ego & Franco vidimus ipsas manus. *Gaufridus*. Sic & puero, cum egrederetur vicum, manus reddita est coram omnibus nobis. Sed & mulier clauda, quam Patris jussu, dum consequi nos non valeret, reversus Henricus noster super equum suum attulerat, nobis videntibus, gressum recepit in ipso loco, ubi puella clauda ex utero cœperat ambulare, & simul duæ currebant. *Franco*. In ipso itinere puellæ cuidam manus arida restituta est. Et ego ei baculum Abbatis tradidi, & fortiter eum tenebat.

* al. Ri... heim.
* Fribour...

3. *Episcopus*. Quid illud omisistis, quod prima die in *Frienburg* pro divitibus jussit fieri orationem, ut auferret Deus velamen de cordibus ipsorum, quia pauperibus D accedentibus, ipsi crucem suscipere cunctarentur? Neque enim otiosa fuit oratio: sed, ut scitis, ditissimi quique, etiam pessimi, vici illius signati sunt. *Philippus*. Meministis etiam cæci illius senis, qui in via signatus est, & quemadmodum sensit Pater sanctus exisse virtutem, non à se quidem, sed à verbo virtutis & signaculo vitæ; remisit enim cum paululum processissemus, qui inquirerent an videret, & inventus est videns, *Gaufridus*. Ipse nobis secreto confessus est, quod sæpius futura erga eos quos signabat beneficia præsentiret: & de surdis illis mulieribus, quæ eadem illa die in villa *Crocingen*, per quam transivimus, videntibus nobis auditum receperunt, ad tactum prioris, sicut ex ipsius ore audivi, locutus est E Deo, quod nullum adhuc surdum hac vice beneficium sensisse cognovisset, & sine hæsitatione tetigit eas. *Eberhardus*. Ego cum duabus illis etiam adolescentem vidi, qui in ipsa hora fuerat illuminatus. *Episcopus*. *Herzeretheim* * quarta feria mane, post Missarum sollemnia, puellam, cui restituta manus est, ego obtuli. *Philippus*. Et ego puerum surdum & mutum ab utero, quem protinus audistis recte loquentem & audientem clare.

* al. H... resheim 4. n. 3...

4. *Episcopus*. Ego ipse allocutus sum puerum, ubi signatus est: & libere statim respondit, & omnes audistis populi vociferationem. *Gaufridus*. Unde ei verba quæ numquam audierat? *Episcopus*. Ab eo qui linguas infantium facit desertas. *Gerardus*. Hoc erat quod præcedenF te vespera secreto colloquentibus Pater dixerat: Neminem adhuc mutum in hac vita se vidisse loquentem. Et post paululum: Cum soleant, inquit, qui muti sunt à nativitate, etiam surdi esse; mirum valde est an aliquando sic curentur, ut linguam, quam penitus ante non noverant, subito intelligant, & loquantur. *Philippus*. Puellam claudam, quæ ibidem erecta est, & gressum recepit, & puerum illuminatum omnes vidimus. *Frovvinus abbas*. Infantulum cæcum mater attulerat, & signatus receperat

a Frovvinus ex monacho Einsidlensi factus est abbas in Monte-Angelorum apud Helvetiæ Subsilvanos, idemque nonnulla opuscula erudite scripsit, quæ vidimus in Bibliotheca Einsidlensi.

visum:

visum: sed illa adhuc nesciebat, donec ego puero pomum obtuli, & extensa manu apprehendit illud. Et ex hoc probatus est videre. *Eberhardus.* Cum educeretur Vir sanctus de ecclesia, immo deportaretur magis, ante ostium me præsente & vidente claudum signavit, & tulit baculum ejus, & ille exsiliens ambulabat. *Philippus.* Cæcum à nativitate puerum, cujus, dum egrederemur, Pater beatus aperuit oculos, & ego vidi, & populus multus qui aderat; & nos fere omnes. Similiter ex media parte corporis paralyticum, cui etiam osculum dedit post signaculum, & statim sanus factus est coram nobis. nam & manum ejus aridam ante curaverat. In villa *Stieng* cæca ab annis quatuor mulier in aquæ transitu illuminata est coram populo, & omnes fere vidimus eam. *Gerardus.* Ego in eadem via puellam vidi, cujus manus arida sanata est, videntibus & acclamantibus multis.

5. *Episcopus.* Sexta feria, Basileæ, post sermonem habitum & datas cruces, mulier muta oblata est Viro Domini: cujus cum tetigisset linguam, statim solutum est vinculum oris ejus, & loquebatur recte. Hanc ego vidi, & ei locutus sum; sed claudum qui antea gressum receperat, de quo sic acclamavit populus, quis vestrum vidit? *Otto.* Omnes vidimus eum. *Eberhardus.* Ego & milites domini mei ipsa die, id est, sexta feria, puerum vidimus, quem ad hospitium sancti viri cæcum mater adduxerat, & reducebat videntem. *Gerardus.* Multa eo maxime die facta sunt, quæ præ tumultu scire nequivimus. Audivi enim ipsum dicentem, quod cæcos eo die tetigisset, quos credebat omnino illuminatos esse, aut cito illuminandos. *Episcopus.* Sabbato juxta castrum *Rinvel**, puer claudus erectus est: & ego cum audivissem vociferationem, præcedebam enim, redii, & inveni ambulantem claudum in medio populi exsultantis. *Eberhardus.* *Secking** vespere sabbati, dum egrederetur ecclesiam homo Dei, puer, cujus erant nervi cervicis indurati, & caput erigere, aut circumducere non valebat, oblatus est, & ubi signatus est rediit solutis nervis, erexit caput, & libere circumspexit. Serviens meus, qui in ipso hospitio pernoctavit & puerum vidit, mihi hoc indicavit, cum aliis sociis meis.

6. *Gaufridus.* Ipsa est villa, ubi mane die dominica, puero manus restituta est; & alter claudus à nativitate gressum recepit; & duo claudi, alter vir, & altera mulier, in egressu villæ erecti sunt, & baculis quibus sustentabantur abjectis, libere incedebant magnificantes Dominum. Nec longe processeramus, & ecce mulieris manus invalida signata est, & sanata. Omnes hoc vidimus, & ad singula clamor factus est, & exsultatio magna. Hominem etiam mente captum, quem in eadem villa Pater signaverat, & statim quietum, ac sane loquentem, & agentem gratias vidimus, & ex hoc sanum permansisse audivimus. Redeuntes juxta eamdem villam Sacerdoti locuti sumus; & dixit ex his de quibus certi erant, ipsa die ibi aut erectos aut illuminatos. Vesperi quoque, ut Dux Conradus occurrit, claudus puer coram eo & militibus gressum recepit, videntibus etiam nobis. *Episcopus.* Ibidem contigit, quod modo sileo, sed suo loco à vobis velim commemorari. *Eberhardus.* Ipso die in ingressu ecclesiæ *Doningen**, alterum claudum erectum vidimus & ambulantem. Mane secunda feria, ex utero claudus in ingressu ejusdem ecclesiæ, me præsente & vidente, gressum recepit. Puer quoque, quem in hospitio nostro mane mutum videramus, coram nobis locutus est. Sed & hospita nostra nobis testabatur, neptem suam, quæ quadraginta annis cæca fuerat, à quarto anno ætatis suæ, ipsa die illuminatam. *Gerardus.* Ego in hospitio die ipsa puerum cæcum illuminatum vidi. *Philippus.* Et ego adolescentulam cæcam quæ prope villam illuminata est, quam & ex nostris, & ex populo multi viderunt.

7. *Gaufridus.* Multa eo die vidimus, quorum jam non possumus recordari. Unum tamen occurrit, ipsa quam vidi lætitiæ magnitudine ad memoriam revocante. Dico autem de muliere, quam diu claudam in villa quadam, per quam transivimus, erectam vidimus omnes. *Eberhardus.* Ego cum militibus domini mei contuli, & ex his quæ tam illi viderunt, quàm ego ipse, numeravimus triginta sex miracula, quæ facta sunt ipso die. Cæci undecim illuminati sunt: claudis decem & octo gressus redditus est: mancis undecim manus restitutæ, surdus unus audivit. Si plus in summa veniunt quam triginta sex, inde est, quod prius personas numeraveram, modo signa. Nam erga puellam unam multa sunt facta, quæ cæca, clauda utroque pede, & muta erat, & alteram manum aridam habens: ad multa etiam alia cantantem audivimus populum qui sequebatur nos; sed quia reverti nequivimus, non vidimus ea.

8. *Philippus.* Tertia feria *Scafhusen* multa amisimus, quia tumultus intolerabilis erat, & omnino abstinere oportuit Patrem à benedictione infirmorum, & fugere, adeo se populus invicem comprimebat. *Eberhardus.* Ego ipse ante altare rogabam obnixius, ne cui manus imponeret, prorsus ignorans quâ ratione posset educi. *Philippus.* In ingressu tamen ecclesiæ clauda gressum receperat, me præsente, & populi cantum omnes audistis. Vidimus & alteram claudam, quæ egredientibus nobis de villa supra montem signata est, & confestim solutis nervis, libere ambulavit. *Eberhardus.* Me vidente in eadem villa surdus recepit auditum, & mulier gressum quæ clauda fuerat utroque pede. Audivi etiam à milite quodam domini mei, qui in ipsa turba Sanctum Domini defendebat, & præsens erat omni hora, quod aridum brachium cujusdam sanatum sit, & claudus ambulaverit. *Episcopus.* Feria quarta mane in ingressu ecclesiæ, me præsente, & vidente cum populo, & fratribus nostris, claudus utroque pede, & manum habens unam aridam, ab utroque incommodo liberatus est, & libere ambulabat, & movebat manum. *Philippus.* Cæcum puerum, qui ibidem illuminatus est, ego vidi.

## CAPUT III.

*De miraculis Constantiæ, & per viciniam à beato Bernardo editis.*

9. **B***aldovvinus abbas.* Ubi Rhenum transivimus, cantus ille quem audistis, omnes enim in altera parte remanseratis, populo præoccupante naves, fuit pro erectione claudi cujusdam pueri, quem ego vidi. *Gaufridus.* Cæcum senem, qui in eodem itinere, dum transiremus villam, lumen recepit, ego vidi, & mulierem claudam longo jam tempore, quæ sub manu benedicentis exsiliit: cui sic congratulabantur omnes qui noverant eam prius: curru enim venerat, & pedibus revertebatur. *Philippus.* Puerum utroque brachio impotentem Pater signaverat, cujus dum alterum brachium extendisset, unus ex militibus alterum dum ei offerre vellet, coram omnibus nobis extendit. *Gaufridus.* Omnes vidistis quantum exsultavit mulier insolitam lucem mirata, quæ juxta lacum illuminata est. *Episcopus.* Puerum paralyticum parte media signatum atque sanatum milites nostri se vidisse testantur. Filium quoque militis cujusdam, cujus erat manus arida, ut videbatur, fere duodennem, cum adduceretur ego vidi: statim vero cantantes audivi, & inquisivi quid accidisset. Miles autem quidam respondit, sanatam manum filii domini sui. *Alexander.* Ego hunc sanatum vidi. *Gaufridus.* Ego alterum vidi pauperem adolescentulum, cui manus arida restituta est, in villa proxima Constantiæ.

10. *Frovvinus abbas.* Quæ Constantiæ facta sunt, præ tumultu pauci viderunt: ego tamen cæcum illum, qui feria quinta ante altare illuminatus est, vidi. Abbas Augiensis adduci præceperat eum, cujus mendicus erat. Puer quoque de hospitio nostro, quem ego ipse adduci feceram, ipsa die signatus, claudus enim erat, gressum recepit. Sed & pro tribus aliis signis in ecclesia cantatum est, & campanæ pulsatæ sunt, licet nemo nostrum viderit quid ageretur. *Gaufridus.* Nulla sic ignoravimus, sicut ea quæ Constantiæ facta sunt, quia nemo nostrum se turbis immiscere audebat: & nos hæc quæ vidimus, loqui proposuimus. Ex eis quæ feria sexta facta sunt, nihil vos vidisse arbitror ipsa die. Nam sabbato mane inter oblationes puerum vidimus cum multa devotione gratias agentem Patri, cujus oratione ipsa feria sexta amissum recepit gressum. Cujus devotionem Vir sanctus intuens, ad meipsum conversus, ait: *Non est inven-*

*tus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi puer iste.* Prius autem in ipsa oblatione, adolescens surdus jam duodecim annis, sicut ipse confessus est, sub manu signantis beneficium sentiens exclamaverat in gaudio & exsultatione, quod recepisset auditum. Omnes eum vidimus; aliqui etiam ex nostris locuti sunt ei. Sic & mulierem claudam, quæ ibidem gressum recepit, vidimus, & puellam claudam, quæ similiter est erecta. Altera quoque puella quæ surda erat, ibidem recepit auditum. Hæc, ut scitis, Constantiæ in capella domini Episcopi facta sunt sabbato.

11. *Philippus.* In Solio, cum jam pararet exire, mulieris manus invalida sanata est, & hanc ego vidi. *Baldovvinus abbas.* Ego adolescenti illi qui in exitu civitatis auditum receperat, locutus sum, cum populus exsultans vociferaretur. *Philippus.* Vespere sabbati in hospitio apud *Vvinterthur* puellam mutam vidistis, cum eam mater adduceret; & quomodo postea redierit loquens, ipsi scitis: de multis enim interrogata libere respondit. Nam mane Dominica die præ tumultu omnes existis ecclesiam, nec vidistis quæ fiebant, licet clamorem populi vociferantis audiretis. Ego autem vidi puerum media parte corporis paralyticum, cui & brachium, & manum, & tibiam simul, & pedem, quæ omnia invalida erant, virtus divina restituit ad Patris benedictionem. Duabus quoque claudis, alteri quidem pede uno, alteri vero utroque, gressus redditus est, & has præsens vidi. *Alexander.* Ipsa die in via nobis videntibus puer claudus gressum, & mulier surda auditum recepit: sed prope Turegum* coram multis qui occurrerant, claudus erectus est. *Gaufredus.* Turegi secunda feria mane in ecclesia cæca mulier illuminata est. Hanc ego vidi cæcam cum adduceretur; & cum manus ei imponeretur præsens adfui, & protinus illuminatam vidimus universi. *Franco.* In eadem ecclesia, puella clauda gressum recepit, & mutus loquelam præsentibus & videntibus nobis. *Philippus.* Similiter & puella cæca, visum. Multa quoque ibidem facta sunt, quæ nemo ex nobis videre potuit præ tumultu.

* *Zuric*, *al.* Tigurum. Prius nomen mediæ ætatis Scriptoribus usitatum fuisse testatur Bertius in Germania sua.

12. *Gerardus.* Ubi fluvium *Lindemach** transivimus, cui superpositus est vicus ille, infra dimidium milliare, duo pueri manci manus, mutus unus loquelam, surdus unus auditum, senex cæcus visum, coram omnibus receperunt. Hæc nos omnia vidimus, & certissime ac diligentissime probavimus acclamante ad singula multitudine, quæ Sanctum Domini deducebat in lætitia & exsultatione. *Philippus.* In ipso itinere clauda erecta est, quam in humeris deportatam ubi signavit Pater, deponi jussit & ambulare. Hæc erat cui sic congratulabantur vicinæ mulieres, & omnes qui noverant eam. Sed & surdus quidam ipsa die juxta viculum per quem transivimus, coram nobis recepit auditum. *Gerardus.* Feria tertia profecti mane à viculo cui nomen *Birbovermesdorff*, priusquam fluvium Rufam transivimus, duas mulieres claudas vidimus in itinere erectas. Utriusque directionem Pater, dum eas agitaret, sine ulla hæsitatione cognovit. Substitit enim, & utramque deponi fecit, & libere ambulabant magnificantes Deum. *Alexander.* Ipso die juxta viculum puer intorto & rigido collo, sanatus est coram nobis, & libere caput movebat. *Eberhardus.* Unum omisistis quod ego vidi, & populus multus villæ quæ dicitur *Frichen*: omnes enim præcedebatis. Ibi Clericus quidam de villa quæ dicitur *Seckingen*, obnixius rogavit Sanctum Domini, dum ingrederetur villam, ut aliquod faceret signum, quia populus durissimus erat: & ecce mulierem, claudam ab annis viginti, offerebant: quam ubi signavit Pater, jussit deponi, & libere ambulavit.

* Lindemacus, *aliis* Limagus, amnis, qui Tigurum secat: cujus utraque pars tribus pontibus jungitur.

13. *Alexander.* Mane quarta feria apud castrum *Rinvelt*, ubi pernoctaveramus, priusquam intravit Vir sanctus ecclesiam, in atrio exteriori intortum collum pueri sanavit: & puellæ manum invalidam reddidit sospitati. *Gaufridus.* In ecclesia post Missæ celebrationem, puellam ei obtulimus, quæ ex utero matris suæ cæca, vix lucem solis videre poterat, nec aliud discernere. Cujus oculos sputo linivit Pater beatus, & continuo clare vidit, & omnia discernebat. Ibidem quoque surdus auditum, & cæcus quidam visum recepit. *Alexander.* Puer etiam alter, cujus nervi cervicis obdurari & retracti caput circumducere non sinebant, in ecclesia sanatus est ipsa hora. In via quoque, contracta mulier & omnino impotens, quam in ventilabro deportaverant in occursum sancti Viri, ut signata est, exsiliit clamitans, & facta est lætitia magna in populo. Sed & prope Basileam, vir quidam, qui graviter audiebat, clarum recepit auditum.

14. Quinta feria ante lucem egressi festinavimus *Ronascle.* In ipso autem itinere surdus quidam recepit auditum, & puer altero oculo cæcus, vidit utroque: nec latuit Patrem, sed cum paululum pertransisset eos, misit qui scrutarentur, & inventum est ita. *Eberhardus.* Cum misisset te, inquit ad Alexandrum, ut videres an puer illuminatus esset, conversus ad me qui propius incedebam, ait, *Deus aperuit oculum pueri illius.* Sexta feria in Ecclesia *Ronascle*, ubi intravit, puer allatus est, altero oculo parum, altero nihil videns: & continuo clare vidit utroque. Omnes vidimus eum. Nam continuo etiam alio signo conclamatum est, & dicebant cæcum illuminatum esse, sed videre eum nequivimus præ tumultu. *Franco.* Puerum quemdam claudum, qui post sermonem habitum ad plebem, erectus est in ipsa ecclesia, de quo etiam vociferati sunt, ego ambulantem vidi in medio populi acclamantis. *Episcopus.* Sabbato in ecclesia *Berche* post Missarum celebrationem, clericus altero oculo cæcus jam per quinquennium, visum recepit. Et ego eum vidi agentem gratias & exsultantem. *Otto.* Prius ibidem convaluerat puer intortum habens collum, cujus, sub manu Patris, nervi crepuerunt & relaxati sunt, & pueri pater, & puer ipse incredibiliter lætabantur. Omnes audistis cantantem populum: ego puerum vidi. *Gerardus.* Adolescentem, cujus arida erat manus cum brachio toto, & ibidem curatus est, omnes vidimus. Et puellam, quæ Dominica quarta Adventus Argentinæ in ecclesia post Missarum celebrationem erecta est: de qua sic exsultabat pater, sic populus acclamabat. *Philippus.* Ipsa die priusquam navem ingrederemur, puer claudus erectus est, & coram populo libere ambulabat, & qui aderant vociferabantur cum gaudio, sicut omnes audistis. Secunda feria in navi proficiscebamur, & non poterant accedere qui infirmabantur. Vespere tamen *Bagenbach* in hospitio mulier clauda gressum recepit. *Gerardus.* Ipsa hora qua mulier supervenit, querebamur invicem nihil nos ea die vidisse: & illa statim sine baculo ambulare cœpit gratulabunda & laudans.

## CAPUT IV.

*Beatus Bernardus venit Spiram in vigilia Natalis Domini ad conventum Imperatoris & Principum, & de miraculis ibidem patratis.*

15. Tertia feria, vigilia fuit dominicæ Nativitatis, & navi venimus Spiram: ibi enim diem festum celebravit Rex Conradus, ibi coronatus est: ibi adfuit Episcoporum Principumque conventus. Illuc Pater sanctus advenit, inter principes quosdam pacem cupiens reformare; quorum inimicitiis ab exercitu crucis Christi multi detinebantur. Verumtamen non crebra solent in illis conventibus apparere miracula, nec dignatur Deus, ubi tantus est concursus multitudinis curiosæ, revelare gloriam suam. Sed non fuit otiosus Patris adventus, ibi enim factum est, ut ipsius verbis utar, miraculum miraculorum. Siquidem Rex signatus est præter spem omnium, qui convenerant: cucurrit velociter sermo vivus & efficax: vere ibi probatum est, quod cor Regis in manu Dei est. Prius enim apud *Frankenvoert* Regem secreto convenerat Vir beatus, admonens ut ipse saluti propriæ provideret in tempore misericordiæ uberis. Cui cum respondisset, nullum sibi hujus militiæ inesse propositum: tacuit Vir mansuetissimus dicens, non esse parvitatis suæ importunius instare Regiæ majestati. Sic & Spiræ cum in sermone publice jam secundo Regem, sicut prius, peregrinationis admonuisset ex nomine, die tertia cum beati Johannis festivitas ageretur, secreto aggressus cum solita mansuetudine, suggerens providendum omnino, ne sic præteriret eum pœnitentia levis, brevis,

*V. Otton. Frising. l. 1. Frid. Imp. c. 39.*

honorabilis, ſalutaris quam ad ſalvandos peccatores divina pietas excogitaverat. A quo hoc tandem reſponſum obtinuit, quod deliberaret ſecum & conſuleret ſuos, ſequenti die ſuper hoc reſponſurus. Exinde intra Miſſarum ſollemnia, beati Patris animum cœpit Spiritus ſtimulare divinus, ut præter morem, nullo rogante, diceret, non oportere ſine ſermone præterire diem. Quid multa? locutus eſt, & in fine ſermonis Regem, non ut Regem, ſed ut hominem tota libertate convenit. Proponebat enim futurum judicium, hominem ante tribunal Chriſti adſtantem, imperantem Chriſtum, & dicentem: O homo! quid debui tibi facere, & non feci? Ex hoc autem numerans regni culmen, divitias, conſilia, virilem animum & corporis robur; his & hujuſmodi verbis commovit hominem, ut in medio ſermone non ſine lacrymis exclamaret: Agnoſco prorſus divina munera gratiæ, nec deinceps, ipſo præſtante, ingratus inveniar: paratus ſum ſervire ei, quandoquidem ex parte ejus ſubmoneor. Dixit, & ecce populus rapiens verbum de ore loquentis, exclamat in laudem Dei, & reſonabat terra in voces eorum. Continuo ſignatus eſt[a] Rex, & vexillum ab altari per manum Patris ſuſcepit, quod ipſe in exercitu Domini manu propria deportaret. Signatus cum eo nepos ejus dux Fridericus junior, ſignati alii Principes, quorum non eſt numerus. Ipſa autem die juxta capellam, ubi Pater ſanctus Miſſam celebravit, puer claudus me præſente greſſum recepit.

16. *Eberhardus.* Sabbato mane cum Innocentum feſtus ageretur dies, exeunti de hoſpitio Patri ſancto occurrebam, adducens mecum militem qui ſignari volebat, & ecce in media turba puerum cæcum intuens: Quid vult, inquit, puer iſte? Cujus verba cum minus intellexiſſem, quod Romana lingua loqueretur: Adduc, inquit, puerum ad me. Factum eſt ut imperavit, & confeſtim ſignatus puer viſum recepit. Ego ipſe in multis probavi quod clare videret. *Gerardus.* Poſt Miſſæ celebrationem in capellam, quæ dormitorio Canonicorum adjacet, inductus Vir Dei, virum ſignavit uno cæcum oculo, & viſum ſtatim recepit: cujus & cæcitas prima, & illuminatio ſecunda diligentiſſime probata eſt. Sic & ſurdum, dum ab ecclesia rediret, impreſſo crucis ſignaculo fecit audire, immittens digitos in aures ejus: & hoc vidimus, & probavimus. *Epiſcopus.* Sic & cæcum illum, qui Dominica ante altare illuminatus eſt, dum graduale cantaretur, quem ego ipſe obtuleram. *Eberhardus.* Multa ibidem facta arbitror quæ non vidimus. Sæpe enim cantantem audivimus populum, & nemo ex nobis irrumpere potuit, ut videret, quid ageretur. Unum tamen ſurdum, qui ibidem recepit auditum, ego vidi, & ego obtuli eum.

## CAPUT V.

### *De aliis miraculis Spiræ factis.*

17. PHilippus. Ipſo die conventus factus eſt, ubi manifeſte Spiritus adfuit: neque hinc cuiquam dubitare licebit. Convocavit enim Rex omnes principes & milites qui ſignati erant, ſimulque reſidentibus univerſis, exhortatus eſt eos Pater ſanctus, non humanis ſermonibus, ſed divinis. Ubi vero egreſſi fuimus, & Rex ipſe cum principibus Sanctum Domini deducebat, ne comprimerent eum turbæ, puer claudus oblatus eſt ei coram Rege. At ille ſigno crucis edito puerum erigit, & jubet coram omnibus ambulare. Quanta lætitia, quanta exſultatione puer deductus ſit, quis loquatur? Converſus autem Pater ſanctus ad Regem: Propter vos, inquit, factum eſt hoc, ut noveritis, quia Deus vere vobiſcum eſt, & acceptum eſt ei quod cœpiſtis. Ipſa hora priuſquam egrederemur hoſpitium, puella erecta eſt, & cæca mulier illuminata. *Eberhardus.* Mane ſecunda feria, cum ad eccleſiam Vir ſanctus proficiſceretur, multitudo languentium impediebat nos, & omnes præcedere juſſimus. Nec mora claudus quidam ante altare erectus eſt: utrum eſſet ſignatus, ignoro. Ambulantem tamen vidi, & ligni pedem in eccleſia pendentem. *Otto.* In capella Regis ipſo præſente puer claudus ex utero greſſum recepit. *Eberhardus.* Eadem die alii duo, claudus alter, & alter curvus, erecti, & me præſente ad majorem eccleſiam ab univerſo populo ſunt deducti. Nam vociferationem & ſonantes campanas omnes audiſtis. Vix redieram domum: & ecce iterum clamor, iterum compulſatio. Feſtinavi ad eccleſiam, & duos iterum claudos adduxerant, qui ipſa hora receperant greſſum.

18. *Gerardus.* Veſpere dum rediret Pater à curia Regis, multitudo languentium hoſpitii januas obſidebat: quos in ordinem fecimus reſidere, & ſingulos tetigit ac ſanavit. Ibi puer claudus ex utero greſſum recepit. Alter cæcus uno oculo illuminatus, & vir claudus ab annis decem erectus. Hos ego vidi ſtatim ſanatos ſub manu benedicentis. Unus è fratribus noſtris, unum adhuc ſurdum qui auditum recepit, ſe vidiſſe teſtatur; & mulierem gratias referentem, quod à dolore capitis convaluiſſet. *Eberhardus.* Feria tertia puer cæcus illuminatus eſt, quem ego vidi. *Philippus.* Item vir quidam in præſentia Regis & Principum, unius oculi viſum recepit. In ipſo loco factum eſt unde plurimum congratulabamur, eo quod præſens eſſet Dux quidam Græcus, miſſus à Rege C Conſtantinopolitano. Hic in capella Regis loquebatur Patri noſtro, cum mulier cæca oblata eſt: ubi vero ſignata eſt coram eo, ſtatim illuminata eſt, & homo ille compunctus eſt plurimum in hoc verbo. Sic & circa veſperam adſtante Rege, & ipſo Duce, & Principibus multis, puer claudus offerebatur. Protinus autem fiducialiter loquens vir fidelis, audientibus omnibus ait: In nomine Jeſu-Chriſti tibi præcipio, ſurge & ambula. Sonuit vox virtutis, & ſecuta eſt virtus: ſurgenſque puer, libere ambulabat, & prius quidem trementibus membris vel tibiis ibat, ſed paulatim ſub oculis omnium roborabatur.

19. *Gerardus.* Anſelmus[b] epiſcopus Havenbergenſis D in fronte & faucibus graviſſime patiebatur, ut vix aliquid guſtare poſſet, aut loqui. Hic ergo rogabat beatum Virum dicens, quia deberes etiam me curare. Cui jucunde reſpondens; Si eamdem, inquit, haberes fidem, quam habent mulierculæ, poſſet tibi forte prodeſſe. At ille: Et ſi ego, ait, fidem non habeo, ſalvum me faciat fides tua. Tandem ſignavit eum Pater & tetigit: & continuo dolor, omniſque tumor abſceſſit. *Philippus.* Victa eſt curioſitas noſtra, quia crebra miracula quotidie coruſcant. In octavis Nativitatis Mariæ, dum ad eccleſiam proficiſceremur, in clauſtro Canonicorum puer claudus greſſum recepit, & coram ipſo Patre noſtro ambulabat exſultans. *Gerardus.* Inter Miſſarum ſollemnia curvus E puer erectus eſt: & hunc vidi cum ad altare deduceret mater incolumem, ut offerret pro adepta ſalute candelam. *Otto.* Poſt Miſſarum celebrationem mulier clauda greſſum recepit, quam nos vidimus omnes ambulantem. *Gerardus.* Multa quidem & hac die, & ſequenti collata beneficia languentibus vidit Rex ipſe, vidit curia, vidit univerſa civitas Spirenſis, à cujus memoria deleri non poterunt in æternum. Noſtra quidem ſchedula, ubi hæc annotaveramus, negligentia cujuſdam fratris amiſſa eſt: parcat ei Deus. Tria tamen occurrunt memoriæ, nam cetera inveſtigare non vacat. Feria quinta pueri duo, quorum uterque oculi unius lumen amiſerat, in hoſpitio illuminati ſunt, & paralyticus curatus eſt, quem deportaverant in grabato. F *Philippus.* In capella Regis, dum perficeretur reconciliatio, pro qua nominatim venerat Pater beatus, ſignavit hominem, cujus caput ſine intermiſſione tremebat, & ſanatus eſt ipſa hora. Puer etiam claudus ibidem erectus eſt. *Gerardus.* Veſpere in hoſpitiis

a Otto Friſingenſis in lib. 1. de geſtis Friderici cap. 39. hujus rei meminit; teſtaturque, tunc Bernardum, cui alias nequaquam favere ſolet, *plurima in publico vel occulto feciſſe miracula.* Addit Rudolfum ſeu Radulfum illum monachum, qui Judæos necandos eſſe palam prædicabat, apud Bernardum epiſtola 322. ab eo accerſitum, compulſumque, ut omiſſo in poſterum prædicationis officio in cœnobium ſuum rediret, *populo graviter indignante, & ſeditionem movere volente.* Denique ſubdit in conſequentibus, Bernardi epiſtolam, Ratiſbonæ in conventu à Conrado lectam, infinitis hominibus cruce-ſignationem perſuaſiſſe.

b Hic eſt Anſelmus epiſcopus Havenbergenſis ſeu Havelbergenſis, cujus dialogi tres adverſus Græcos editi ſunt in Spicilegii tomo 13. De eo Eugenius III. apud Ottonem lib 1. de Frid. cap. 62.

duo cæci illuminati sunt coram nobis. Mane sexta feria coram nobis cæcus visum recepit.

20. Sed eundum est nobis, & qui hæc deportaturus est, nuntius jam festinat. Quærimus proinde, quid dominus Episcopus reservavit. *Episcopus.* Optime factum est, ut me commoneres: nam mihi, fateor, prorsus memoria exciderant. Sagittarius quidam serviens ducis Conradi, cum nobis Dux occurrisset, detrahebat verbo crucis, & sanctum Dominum blasphemabat, dicens, quia non plus ille signa facit quàm ego. Ubi ergo ad imponendam manum infirmis Pater substitit, accessit homo, & vidit cui derogaverat: statim cecidit exanimis, & diu jacuit sine sensu. *Alexander.* Ego illi proximus eram quando cecidit, & equus quidem immobilis stabat. Iniquus autem ille impulsus, subito virtute divina cecidit retro. Obstupuimus omnes, & advocavimus Patrem: nec prius ille miser surrexit, quàm descendens & orans erigeret eum. Sic in seipso cognita virtute, cui prius detrahebat, incredulus, sequenti die signatus est ad præceptum Patris nostri, in exercitum Domini profecturus. *Episcopus.* Per omnia benedicta miseratio Domini, qui novissimæ huic generationi unum saltem ex antiquis Sanctis reservavit, ut tamquam lucerna ardentissima temporis hujus tenebras vita, doctrina, miraculis consecraret. Felices vos, qui sub pennis ejus speratis, & satiamini ab uberibus consolationis ejus! felix congregatio, quæ tanto Patre lætatur; cujus nos miseri sæculares tenui saltem notitia gloriamur!

## PARS II.

### Miraculorum S. BERNARDI.

## CAPUT VI.

*Epistola Monachorum Claræ-vallensium & comitum S. Bernardi ad Clericos ecclesiæ Coloniensis.*

21. DOminis & amicis suis Clericis ecclesiæ Coloniensis, salutem dicunt Fratres & amici eorum, Everhardus, Gerardus, & Gaufridus monachi qualescumque, Philippus Leodicensis, Volmarus* Constantiensis, & ceteri tirones spiritualis militiæ, quos Vir sanctus eripuit de medio Babylonis. Ante omnia decet nos ex ipsis medullis cordium tibi gratias agere, Domine Deus noster. Multiplicasti enim super nos misericordiam tuam, & magnificasti facere nobiscum, immemor omnium iniquitatum nostrarum, quibus dignè puniendis nec ipsa quidem gehenna sufficeret. Et unde hoc nobis, peccatoribus utique pessimis omnium, quos tua ordinante patientia, tellus invita cogitur sustinere? Unde hoc nobis, ut sub tantæ sanctitatis patrocinio respiremus? O vere inæstimabilis cumulus miserationis! ô incomprehensibilis divinæ pietatis abyssus! Accumulavit gratiæ suæ munera super Virum quem elegit, ut ad eum colligat undique desperatissimos peccatores, in quo securius habeant sibi repositam sanctitatem. Vos autem, carissimi, usquequo gravi corde? Nonne si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ in vobis factæ sunt his diebus, egissent pœnitentiam in cinere & cilicio? Ad signum unum aliquando conversa legimus de populo, utique duræ cervicis, hominum tria millia, cum in porta templi mendicantem claudum de ore Petri prolata vox virtutis ambulare fecisset. Quantos in brevi civitas Coloniensis vidit erectos? Et multi quidem de populo, ad quod vocabantur, conversi sunt, & oblatam sibi à summo Pontifice indulgentiam, & indictam pœnitentiam devotissime susceperunt.

* al. Vvolvemarus, de quo infra num. 24. & seq.

Psal. 41. Matth. 12. Act. 3. & 14.

22. Sed certe nisi abundaverit justitia vestra plusquam eorum, non intrabitis in regnum cælorum. Laici de mundo sunt: licite cogitant quæ mundi sunt. Apostolis dictum est: *Vos de mundo non estis, sed ego vos elegi de mundo:* quorum vos hodie occupatis loca, quorum stipendiis vivitis, quorum potestatem tenetis, quorum auctoritate polletis, quorum vobis vindicatis honorem, cum quibus, ut pace vestra dixerimus, communia vobis sunt omnia, præter conversionem & conversationem, præter opinionem. Si in terra pasci gregem viderit, quis miratur? Pastorem autem similiter incurvari deorsum, similiter inhiare terrenis, & quæ inferius sunt quærere, numquid non ridiculum est, & abusio magna? *At nunc erubesce Sydon*, ait mare: *Publicani & peccatores præcedunt vos in regnum Dei.* Desperata est plaga cleri hujus: à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Ditata est Ecclesia terrenis possessionibus, sed virtutibus spoliata. Neque enim longa eis esse potuit cohabitatio, ex quo pauper factus propter nos Rex gloriæ ita paupertatem elegit ut diceret; *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Heu! heu! videmus venenum additum Ecclesiæ, sicut dictum est Ludovico, quem nominatis Pium, qui præcipue ditavit ecclesias. Legimus enim in historia ejus, quod audierit vocem dicentem sibi*: *Venenum Ecclesiæ addidisti.* An forte vobis videtur absonum, venenum interpretari divitias? Christus etiam in Evangelio *spinas* vocat: & Apostolus eas, *laqueum* definit esse *diaboli. Quicumque*, inquit, *divites volunt fieri in hoc sæculo, incidunt in tentationem & laqueum diaboli.* Evadant ergo, qui volunt fieri pauperes, & secure decantent, quia *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Agnoscite vocem jucundam, qui laqueum hunc transilistis, (fratres vestros loquimur, qui adhuc inter vos solo tantum corpore detinentur.) Neque enim otiosus fuit, videlicet ad Clerum, sermo Domini, ut magis inexcusabiles sint, qui adhuc in perditione persistunt: immo facilius trahat ceteros funiculus triplex, qui difficile rumpitur: cum verbo & signis, etiam proximorum accedat exemplum. Protrahunt epistolam, ut videtis, ubertas materiæ & desiderium fervens, quo vos omnes habere cupimus socios in visceribus Jesu-Christi. Verumtamen supersedendum est nobis, præsertim quod copiosius hæc & efficacius ab ipso Patre nostro annuntiata sunt vobis, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Multi ex vobis curiose legerunt exemplar libelli, quod ad illustrem Henricum*, regium spiritu magis quàm sanguine, misimus de signis quæ vidimus à prima Dominica Adventus usque ad discessum nostrum à curia, quæ nuper Spiræ habita est. Multi adhuc petunt, ut quæ facta sunt apud vos, non negligamus adjungere: quod hæc vobis dulcius sapiant quæ præsentes ipsi vidistis. Quod triplex nobis consideratio persuasit, ut & novi fratres, dum sæcularibus adhuc terminandis negotiis detinentur, in lectione hac recalescant; & ceteri cogitent, quale sit quod admittunt, qui tanto Patri, quem profecto ubi Deus sustulerit, multi lacrymabiliter plangent, quod eum dissimulaverint, dum vocaret, animas suas committere, aut illecti voluptatibus nolunt; aut trepidant cordis pusillanimitate retracti. Sed & habeat, ut dignum est, nobilis ecclesia Coloniensis memoriale sempiternum earum rerum, quarum præsentia meruit exaltari. Non quidem ut nostrum hoc scriptum reservandum sit: sed ut luculentius hæc & dignius scribant, qui scientiam habent, & possunt diligentiam adhibere. Nec dubitamus multo plura & apud vos, & in itinere miracula claruisse, quàm tunc potuerimus nosse, aut possimus nunc recordari. Sed certissima tantum & probatissima scripsimus: ea quoque addere proposuimus, quæ singulis adhuc diebus per fidelem servum & devotum famulum virtus Omnipotentis mirabiliter operatur. Sed & pauca ex his, quæ vidimus à Spira usque ad Coloniam, huic annotationi præmittenda credidimus, ut priori narrationi ista cohæreant. Nonnulla quoque ex his quæ præsentes viderunt venerabiles abbates Theodoricus a Campensis, & Hervvinus Steinveldensis, sicut ab eis accepimus, sub eorum nominibus sunt descripta.

Matth. 5. Johan. 8. Isa. 23. Matth. 21. Luc. 14.

* Alii Constantino tribuunt. v. Baron. ... serm. 4. domin. Quadrag.

Marc. 4. 1. Tim. 3. Psal. 123.

* Fratrem Ludovici junioris Francorum regis.



a Theodoricus electus est abbas Campensis anno 1136. Hervvinus ipse est præpositus, post abbas Steinveldensis, de quo infra num. 26. cujus epistola ad Bernardum Sermoni 65. in Cantica præmissa est, ubi Evervinus appellatur.

## CAPUT VII.

*De miraculis à Spira Coloniam usque per beatum Bernardum editis.*

23. JAm quia reverendus Episcopus Constantiensis abest, locum ejus clericus ipsius, noster jam frater, Vuolkemarus suppleat in hac relatione, & primus ipse loquatur. *Vuolkemarus!* Utinam inter nomina electorum nomen meum jubeat Deus adscribi! Utinam in libro vitæ vel ultimum inveniatur ipsius oratione & meritis, in cujus laude præsenti, primum id fieri vestræ placuit sanctitati. Sexta igitur feria, sicut prioris libri finis declarat, soluta est curia Spiræ, & nos Vuormaciam festinavimus: B ubi Pater sanctus, licet obnixius rogaretur, moram facere noluit, dicens, quia oportet me & aliis civitatibus evangelizare. Transierat enim per Vuormaciam ante duos menses, & sermone habito innumerabilem ibi signaverat populum signaculo militiæ Christianæ. Prius tamen quam egrederemur die sabbati, infirmos tetigit, qui convenerunt: ubi inter manus meas surdi duo, quos offerebam, adstante populo & acclamante auditum sibi redditum fatebantur cum multa exsultatione. *Philippus.* In itinere puer claudus erectus est, quem omnes vere vidistis. *Gaufridus.* Secunda feria, die festo Epiphaniæ apud castrum *Gruzenach*, regrediens ab ecclesia Pater beatus, puerum tetigit & erexit, quem sex annis penitus claudum fuisse parentes sui, & alii plures de populo circumstante, qui eum noverant, testabantur. Hunc nos ipsi statim vidimus ambulantem, dum ad ecclesiam duceretur, in laudem Dei acclamantibus universis. *Vuolkem.* Tertia feria *Pichenbach* (sic enim nominant viculum ubi pernoctavimus) die Apparitionis mane tria apparuerunt miracula, quæ præsens vidi oculis meis. Siquidem in ingressu ecclesiæ surdus oblatus est, à quo statim vir Domini sacratis digitis suis surditatem repulit, & immisit auditum. In ingressu quoque gressum puella altero pede clauda recepit. Necdum exierat villam Pater beatus, & ecce offerunt ei paralyticum in grabato, qui audita fama virtutum ejus à vico magno, qui supra Rhenum situs est, & nominatur Bobardus, plaustro sese fecerat deportari: D & hunc quoque signavit, tetigit, & erexit, & ad propria misit incolumem.

[Margin: …nach.] [Margin: …bach.]

24. *Gaufridus.* In parochia Treverensi situs est famosissimus vicus, ubi Rhenus & Mosella confluunt, unde & Confluentia * nominatur. Ibi multa coram omni populo ostensa sunt signa, quæ nostram notitiam aut memoriam effugerunt. Claudum tamen puerum, qui in ecclesia sancti Florini post Missarum celebrationem erectus est, memini me vidisse. Sed & cæcum ibidem illuminatum asserit Fredericus noster, qui ab eodem vico secutus est Sanctum Domini una cum Adulfo optimo adolescente. Hic ignorantibus propinquis & amicis nobiscum transiit Mosellam, indutus tantum superpelliceo, sicut E venerat ab ecclesia sancti Castoris, in qua Canonicus erat. Reliquit alter Joseph pallium cum adultera, fugitque Ægyptios, & effugit. In eodem itinere cum paululum processissemus, claudus quidam notissimus in terra illa equo advehebatur. Hujus ita nervus femoris aruerat, ut replicato genu quantum mensura est palmi unius, tibia illa brevior altera videretur. Signavit autem eum Vir sanctus, & nihil hæsitans de virtutis effectu deponi jussit, & ambulare: sed non fuit qui obediret, forte quia minus speraverunt id qui adstabant, aut quia minus F intellexerunt verbum. Siluit ergo Pater, sed non siluit vox virtutis: subito siquidem exclamavit homo laxari sentiens nervum, & extendi genu super equum quo vehebatur. Statim vero depositus libere ambulabat magnificans Deum, & tota illa die suum secutus est curatorem. Alter quoque, cujus similiter femoris nervus aruerat, ut vix summis digitis pedis unius terram tangeret, sanatus est in via eadem, ita ut libere talum deponeret, & sine baculo graderetur. *Volkem.* Feria quinta apud viculum *Riegemach* *, mane priusquam egrederemur, me præsente puer quidam gressum recepit, qui sex annis claudus exstiterat, sicut ab ipsis parentibus ejus accepi. Ibi-A dem etiam mulier surda audivit, & vir cæcus illuminatus est, cui unus tantum oculus erat, & hic quoque ad nihilum valens.

[Margin: …lentz.] [Margin: …ragem.]

25. *Gaufridus.* Memor sit in æternum diei hujus civitas Coloniensis, qua suscipere meruit hominem sanctum, quem semper optaverat. Quia tamen insperatus advenit, minor eo die fuit frequentia populorum. Sic nimirum gloriæ calcator humanæ sollemnes semper exceptiones, quoad in se est, fugere consuevit, & elegit magis occulte ingredi civitates. Raro tamen id potest, quia sequitur major gloria repellentem. Mane sexta feria, priusquam ingrederemur ecclesiam, in hospitio nostro mulier cæca oculo uno ab annis decem, ad tactum B beatæ manus coram nobis visum recepit. Hæc in ecclesia statim præsentata est Clero, & diu jacuit ante altare gratias agens Deo. Interea puer quoque cæcus in ipso hospitio est illuminatus. Ex quo ingressus ecclesiam Pater sanctus est ad altare beatæ Mariæ, quod in orientali parte locatum est, Missam celebravit: ubi vero complevit, coram omni populo puella cæca illuminata est, & matrona dives & nota in civitate, cujus crura arida ab annis tribus extendi penitus non valebant, resolutis nervis ad signum vitæ sine dilatione stetit erecta. In pulpito quoque dum sermonem habiturus ad populum ascendisset, cæcus senex visum recepit. Multa quidem & alia signa facta sunt in ipsa die, & sæpius acclamabant. Sed C nemo nostrum inquirendi exstitit curiosus. Sabbato quoque multa in hospitio vidimus, & cognovimus ea: sed quia annotare neglexımus superveniente multitudine ceterorum, nobis jam penitus exciderunt. Verba tamen quæ ad Clerum habuit (neque enim exire voluit ad populum ea die) & quomodo formam hanc Clericorum, immo vitam prorsus informem, omnibus divinarum testimoniis scripturarum probaverit esse contrariam, non omnibus eis arbitror excidisse. Vos inquit, Propheta notabat, cum diceret: *In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia.* Et Isaias eodem spiritu, immo Deus per Isaiam: *Misereamur*, inquit, *impio, & non discet facere justitiam; in terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Do-* D *mini.* Et expressius ac nominatim in alio Propheta: *Principes populi mei*, inquit, *ejicientur de domibus deliciarum propter pessimas voluntates suas, & cleri eorum non proderunt eis.* Sed hæc alias. Jam ad narrationis ordinem revertamur.

[Margin: Sermo ad Clericos Colonienses.] [Margin: Psal. 72.] [Margin: Isa. 28.]

## CAPUT VIII.

*De variis miraculis Coloniæ Agrippinæ factis.*

26. DOminica, priusquam Missa celebraretur, cæcus quidam per signaculum lucis & vitæ illuminatus & adductus est ad altare. Ea siquidem die ad promissum sermonem convenerat populus inæstimabilis, quantum nemo clericorum sese aliquando in ecclesia illa vidisse dicebat. Celebravit autem Missam Pater sanctus ad altare beati Petri, quod in occidentali parte situm, obtinet in ecclesia principatum. Ibi post Missæ celebrationem, innumera coram omnibus miracula contigerunt. Honorata mulier & notissima in civitate, quæ per quinquennium uno oculo cæca, multa sese in medicos fatebatur inutiliter expendisse, sub manu signantis visum recepit. Altera quoque similiter illuminata est. *Abbas Campensis.* De multis quæ ibidem vidi, duo tantum, occurrunt memoriæ. Dico autem de puella surda & muta quæ confestim audivit & locuta est: & de juvene claudo, quem ad servi sui orationem divina virtus erexit. *Hervinus abbas Steinveldensis.* In platea ubi sermonem habuit Vir beatus, eo quod ecclesia populum capere non sustineret, nobis adstantibus cæcus quidam visum, & mancus aridæ manus simul & brachii adeptus est sanitatem. *Abbas Campensis.* Ubi finito sermone domum regressi sumus, ex quo januam intravit exteriorem, priusquam hospitii limen attingeret, me præsente, curvum erexit puerum: mulieri insanæ reddidit mentem: claudam ambulare fecit, & cæcam uno oculo matronam Pater beatus illuminavit. *Gerardus.* Hæc fuit de qua sic

mirabatur unus è fratribus nostris, quod & diviti beneficium tam facile præstaretur; & vere digna fuit omni admiratione celeritas. Prius enim quam signata videretur, illuminatam se esse clamavit.

27. *Eberhardus.* Ex quo pransi sumus, numquam nobis illa die miracula defuerunt. Et hæc quidem certius novimus, diligenter probavimus ea. Stabat enim Vir sanctus in fenestra, & per scalam offerebantur infirmi. siquidem ostium domus aperire nullus audebat, tantus erat impetus & tumultus. Ibi quoque filia divitis cujusdam viri notissimi in civitate auditum recepit, quem ex multis annis prorsus amiserat. Hanc in claustro quodam parentes ante locaverant, sed remiserant eam sanctimoniales, eo quod penitus amisisset auditum. Diu quoque sic manserat nihil audiens, donec ad tactum sacratæ manus Deus aperuit aures ejus. Post paululum quoque contracta mulier erecta est, & ambulabat. *Gerardus.* Puerum curvum, qui erectus est ipsa die, & cæcos multos qui illuminati sunt, omnes vidistis. *Vuolkemarus.* Ego ex iis quos vidi, & quorum memini, numeravi quinque, quosdam uno oculo cæcos, quosdam utroque. *Abbas Campensis.* Circa vesperam illuminata est mulier, quæ post manus impositionem duabus aut tribus horis residebat cæca. Tandem abire volens, nec habens à quo deduceretur, palpabat miserabiliter ad parietem cum fletu & ejulatu. Omnes miserabamur eam, sed statim congratulati sumus. Acclamavit enim subito, quia videret: & festinantes ad eam multis hoc probavimus argumentis.

28. *Gerardus.* Dum hæc intus agerentur, ego foris adstabam, nec ullatenus poteram introire: ab hora nona, usque ad vesperam sic permansi cum quibusdam fratribus nostris, nec accedere quidem valens ad ostium, vel ad scalam; tanta erat undique multitudo. Vix tandem nocte secedentibus turbis ingressus, vidi confestim hominem surdum qui recepit auditum. Ubi cœnavimus, quia languentium convenerat multitudo, rogavimus Patrem, ut ad signandos eos egrederetur. Protinus autem puellis duabus surdis & mutis ad tactum sacratæ manus coram nobis Deus auditum reddidit & loquelam. *Eberhardus.* Ibidem puer quidam, & matrona de civitate ipsa, ambo claudi, ambo erecti sunt. *Philippus.* Secunda feria summo mane, vir surdus auditum, & cæca puella visum recepit. Post paululum quoque mulier cæca illuminata est, & tantus ibi tumultus factus est & concursus, ut vix potuerit in hospitium retrahi Vir beatus: & nescio, an fuerit ibi majus miraculum, quam quod evaserit incolumis. *Gerardus.* Circa horam tertiam exiturum Virum Dei exoptabat languentium multitudo, eo importunius instantes, quo modicum jam tempus viderentur habere. Egressus igitur in plateam signavit ex ordine residentes, & sub oculis omnium ipsa hora quatuordecim sunt sanati, claudi septem, surdi quinque, puer mancus, & mulier cæca, optatum quique beneficium perceperunt. Ad singula populus acclamabat, & in laudes Dei voces tonant per nubila: *Christ uns genade, Kyrie eleison, die Heiligenalle helffen uns.**

* id est Christe miserere nobis. Kyrie eleison sancti omnes adjuvent nos.

29. Porro Archiepiscopus civitatis in ipso residebat hospitio, & coram eo quoque Pater sanctus ubi egressus est, puerum cæcum illuminavit. *Abbas Campensis.* Ex hoc jam turba erat intolerabilis, ut nemini prorsus egredi domum ingredive liceret. Consilium ergo fuit, ut in domum Archiepiscopi deduceretur, liberius exinde profecturus. Ibi vero nobilis puer filius sororis advocati Coloniensis, ex longo jam surdus & mutus, coram omnibus nobis per manus impositionem recepit auditum pariter & loquelam. Ibidem quoque cæcus quidam visum, & alter cujus erat crus aridum & inutile, adeptus est sanitatem. Sed & puella quædam, cujus adhæserat lingua faucibus, & vix poterat loqui, curata est ipsa hora soluto vinculo oris. Horum omnium testes sumus, testis est civitas Coloniensis. Neque in angulo facta sunt, sed in publico, ut ab omnibus Deus glorificetur, qui in sanctis suis gloriosus est. Si quis forte aut incredulus aut curiosus exstiterit, multa ex his facile ei probare licebit, præsertim quæ in personis facta sunt non infimis, nec ignotis.

## CAPUT IX.

*De miraculis in itinere, Colonia Leodium usque, id est Juliaci, Aquisgrani, Trajecti, factis.*

30. Vix tandem egressi Coloniam venimus *Brunvillare*, quod est monasterium duobus à civitate millibus distans. In via quoque præsente populo Coloniensi, qui devotione debita sanctum prosequebatur, surdi duo oblati sunt, quorum Deus aperuit aures, cum injecisset Pater beatus digitos, & ore sacrato inspirasset auditum. *Eberhard.* Tertia feria, mane in ecclesia beati Nicolai, in ipsius siquidem honore dedicatum est monasterium *Brunvuiler*, quod Nigrum-Villare interpretatur *, coram altari puer cæcus illuminatus est, quem offerebat dominus Abbas Campensis. Vix adhuc exsultantis populi siluerat vociferatio, & ecce surdus & mutus auditu donatus est, & loquela. *Vuolkem.* Alter etiam surdus adstantibus nobis recepit auditum. *Abbas Campensis.* Primum quod in via ipso die vidimus miraculum, aridi cujusdam brachii & manus restitutio fuit. *Gerard.* Crebra vidimus in ipso die miracula: plena siquidem erat populis, & campus omnis nobis civitas erat. Secundum, nisi fallor, miraculum fuit cæcus uno oculo, qui confestim illuminatus est. In ipso autem loco contigit unde magis constupuimus universi. Obtulit enim mulier filiam jam adultam, quam ex utero surdam & mutam esse dicebat, & idipsum multi ex circumstantibus qui eam noverant testabantur. Hæc autem per manus impositionem curata est ipsa hora, & audivit, & locuta est libere coram nobis. Nec longius adhuc processeramus, quando vir surdus recepit auditum. *Gaufrid.* Usque ad hæc miracula ego turbas præcedebam: audiens autem tam crebros populi cantus substiti, & quæ deinceps facta sunt in itinere diligentissime probavi. Surda & cæca mulier audivit & vidit: surdi tres audierunt, clauda una ambulavit: illuminati sunt quinque cæci: alii quidem uno oculo, alii vero utroque: & unius quidem pueri, qui omnino cæcus erat, illuminationem certi sumus Patrem sanctum in spiritu cognovisse. Substitit enim & ad eum conversus, inquiri fecit utrum videret.

Bronvyler monast. O. S. Bened.

* alii male sic dictum Brunone mo ejus datore; q Brunonis-la.

31. *Abbas Campensis.* Sic & de cæco alio fecerat prius, & meipsum, cum pertransissem, remiserat ad inquirendum: cumque redirem, & illuminatum eum nuntiassem; Et ego senseram, inquit. Vespera venimus Juliacum *, quod à Julio Cæsare castrum ædificatum, & ejus nomine est insignitum. Ingressus autem ecclesiam Pater beatus, & intuitus mulierem claudam jacentem coram altari, novo quodam fervore spiritus; ita ut omnes miraremur, apprehendit manum ejus, & elevavit eam quanta fide, tanta etiam facilitate. Sic & in atrio ecclesiæ, cum ingrederetur, coram nobis & omni populo cæcum illuminavit. *Gerard.* Mane in ecclesia post Missæ celebrationem cæcus puer visum recepit, & vir surdus auditum. Honorata quædam mulier, neptis Comitis Juliaci, ab annis quinque altero oculo nihil, altero tam parum videns, ut vix posset sine duce tenere viam, ubi signata est, clare vidit utroque. Advocatus etiam castri illius viginti annis vixerat cæcus, & illuminatus est ipsa die. Multa quidem & alia facta sunt, sæpiusque clamabat populus suum illud, *Christ uns genade*, & in castro, & in itinere, sed nobis è plurimis pauca sufficiunt. *Eberhard.* In via, quorum ego memini, surdus puer auditum recepit, mulier cæca visum, altera quoque clauda gressum coram omnibus nobis. Est autem Aquisgranum sedes, celeberrimus & amœnissimus locus, voluptati corporum accommodatior, quam animarum saluti. siquidem prosperitas stultorum occidit illos, & væ domui indisciplinatæ. Non ad destructionem loquor, sed utinam legat qui corrigat; utinam & aliquis ipsorum recogitet, & convertatur, & vivat. Illic ergo in Capella regia, ad altare B. Mariæ, feria quinta, puella cæca visum recepit: ego ipse Patri adstabam, sed tantus ilico tumultus ut cedere oporteret. *Philippus.* Claudus quidam senex ibidem erectus est, cujus baculos in ipsa statim ecclesia ad testimonium suspenderunt. Hunc ego ipse diu repuleram, ad quid vellet accedere, aut quid expeteret igno-

* Juliers.

rans *Eberhardus*. Mulieres duæ, quarum manus omnino aruerant, ibidem sanatæ sunt ipsa hora.

32. *Abbas Campensis*. Alterius quidem manum Pater sanctus sua extendit manu, sed altera sanata est velut in fimbria vestimenti. Stabat enim post tergum ejus, & conquerebatur quod ad manum accedere non valeret. Cui ego: Applica, inquam, vestimento ejus manum, si forte palpare possis. Fecit ut ei consului, subitoque cœpit tenere cucullam: & dum traheret eam, digiti extendebantur, & sanata est statim. *Gerard*. Nusquam in itinere illo sic compressus * est Pater, ut in Capella illa, quia locus angustus erat, & turba impellebat turbam, sicut unda solet undam præcipitare. Propter hoc multa ex his, quæ facta sunt, ignoramus. Gerardus noster, tunc Canonicus ipsius ecclesiæ, qui eadem die præbendam sæculumque pariter reliquit, illuminatos ibidem asserit cæcos quinque. *Vuolkem*. Trajectum vocatur locus, ubi quondam sedes Leodiensis erat, à beatissimo confessore Servatio à Tungrensi civitate translata. Illic feria quarta pernoctavimus in ecclesia beatæ Mariæ. Mane vero feria quinta post Missæ celebrationem, in eminentem locum Patrem deduximus, ut sine oppressione sanaret infirmos. Ego illi proximus eram, & quæ fiebant novi plenius, & diligentius universa probavi. Ibi cæci illuminati sunt quinque, vir surdus audivit, mutus locutus est. Item surdus alter auditum, & manci manuum incolumitatem receperunt. *Gerard*. Ipso die in hospitio surdus & mutus puer oblatus est: cumque signaret eum Pater sanctus, honestus quidam juvenis Conradus, Coloniensis canonicus, abrenuntians sæculo sese reddebat in manus ejus. Elevavit se ut susciperet eum, & continuo puer locutus est, & audivit. Populus autem præstolabatur foris: & ecce puer audiens & loquens parentibus redditur, & sequitur exsultatio copiosa. Notus enim erat in civitate puer: & hoc famosissimum fuit in populo. Nec mora etiam clauda mulier gressum recepit; tres quoque cæci illuminati sunt, & singuli quique deducti in populum cum lætitia & exsultatione.

33. *Philippus*. Cum egrederetur Vir sanctus Trajectum, causa exstitit ut ad ecclesiam beati Servatii declinaret pro negotio fratris Norberti, qui Canonicus erat ejusdem ecclesiæ: sed is continuo & præbendæ abrenuntiavit & sæculo. In ipso autem itinere puer claudus erectus est coram nobis. In ecclesia quoque beati Servatii offerentes claudum hominem Patri nostro, rogabant ut ei manum imponeret. At ille: Nescio, inquit, si displicebit beato Servatio, si id in domo ejus præsumimus. Acclamantibus omnibus & dicentibus, Domine, non displicebit: In nomine, inquit, Domini nostri Jesu-Christi & beati Servatii surge, & sta super pedes tuos. Surrexit igitur sine mora & cunctatione, & facta est lætitia magna in populo. Heri facta sunt hæc apud Trajectum. Hodie Leodii Clerus convenerat universus, qui in civitate illa copiosissimus est, & in camera Episcopi Patrem præstolabantur, ut sermonem haberet ad eos: & ecce prævenit eos Dominus sermone virtutis, & claudus quidam Clericus ab renibus deorsum sic dissolutus, ut omnino non posset stare super pedes suos, oblatus est Viro Dei: at ille debilia membra signans & attrectans, Ambula, inquit, in nomine Jesu-Christi. Protinus autem confortatus ambulare cœpit. Et egressus est sermo in Clerum, & exclamaverunt: Tua sunt hæc Christe opera, qui sanctos tuos ita glorificas. Ipsi gloria & imperium nunc, & in omnia sæcula sæculorum, amen.

## PARS III.

Auctore GAUFRIDO monacho Claræ-vallensi.

## CAPUT X.

*Epistola Gaufridi monachi Clara-vallensis ad Hermannum Episcopum Constantiensem.*

34. DOmino dilectissimo, & reverendissimo Patri HERMANNO, Dei gratia Constantiensi episcopo, puer sanctitatis ejus GAUFRIDUS Claræ-vallis monachus qualiscumque, in orationibus suis filiorum meminisse suorum. A Ea quidem miracula, quæ à Spira usque Leodium facta vidimus & cognovimus, ad Clerum Coloniensem eo descripsimus modo, quo priora fuerant ante descripta, ut ad instar collationis, vicissim ea, quibus adfuimus, singuli loqueremur. Quia ergo libelli illius exemplar vestram, Pater beatissime, diligentiam effugere non potérit, ut confido; reliqua describere, & sanctitati vestræ dirigere non neglexi. Multa quidem nos & ex prioribus ignorasse certissimum est. Nemo quippe in transcursu prosequi poterit universa. Maxime tamen nocuit, ubi Teutonicorum exivimus regionem, quod cessaverat vestrum illud, *Christ uns genade*: & non erat qui vociferaretur. Neque enim secundum vestrates propria habet cantica B populus Romanæ linguæ, quibus ad singula quæque miracula referrent gratias Deo. Multa proinde tecta silentio ad nostram non pervenere notitiam: licet ex his quoque quæ certissime novi, omiserim non pauca scienter, veritus equidem ne forte quamlibet curioso pareret copia tanta fastidium. Illud sane non tam vobis loquor, de cujus credulitate non dubito, quam ceteris, in quorum manus hæc poterunt devenire: nil me scripsisse, nisi quod aut vidi oculis meis, aut fratrum nostrorum qui præsentes fuerunt certissima relatione cognovi.

## CAPUT XI.

C *De miraculis Leodii, Gemblaci, Villarii, Montibus, Valencenis, &c. factis.*

35. IGitur Dominica post octavas Epiphaniæ, & secunda feria, Leodii mansimus, dum Philippus noster ea quibus tenebatur implicitus, sæcularia negotia consummaret. Factum est autem Dominica die, cum ad altare beatæ Mariæ, in majori ecclesia Pater sanctus Missarum sollemnia celebrasset coram universo populo, puer oblatus est, quem ex utero claudum esse dicebant: ubi vero signavit tibias ejus & renes tetigit, apprehendens manum ipsius erexit eum protinus, & deduxit. Conclamatum est statim à Clero, *Te Deum laudamus*: sed mugitus fletuum & singultus vociferationem laudis evicit. Dabat D pro cantu lacrymas plebs ignara canendi. Duas quoque aridas manus ibidem tetigit & curavit, ut sensum pariter motumque reciperent. Necdum ab altari dimotus, senem cæcum per signum crucis illuminavit, & alterum claudum ambulare fecit in facie totius ecclesiæ, quæ convenerat. Feria secunda in domo Episcopi mane, post Missarum celebrationem, cæcus uno oculo juvenis ad tactum sacræ manus illuminatus est, & sub manu signantis exsiliit clamitans, quia visum recepit. Nec mora afferebatur alter utroque oculo cæcus, & hic quoque ibidem illuminatus est ipsa hora. Aderat autem Episcopus civitatis, explorator diligens omnium quæ fecerat. Audiens igitur adolescentem illuminatum se esse gratulabundis vocibus acclamantem, ut probaret an verum esset, de multis inter- E rogabat eum, & incunctanter ille ad singula respondebat. Ipsa die circa horam sextam exiit Pater sanctus ut signaret ægrotos, & ibi statim claudus quidam gressum recepit. Audientes autem quia semel exisset ad infirmos in spatiosiorem domum, multo plures prioribus pervenerunt. Post horam igitur nonam egressus ad eos, signavit ex ordine residentes. Et continuo ex his, de quibus certi sumus, illuminati sunt cæci quinque, & claudi tres receperunt gressum, digne admirantibus universis: vespere quoque in capella Episcopi surdus quidam recepit auditum. Tertia feria priusquam egrederemur, tres in ipsa Episcopi domo claudi erecti sunt, mulieres duæ & puer F unus. Multa quidem & alia signa Leodii & in itinere facta sunt: sed è multis pauca sufficiant.

36. Feria quarta profecti ab oppido cui nomen *Huy*, festinavimus ad monasterium quod Gembolium * vocant. In ipso autem itinere senex cæcus uno oculo, & adolescens eodem laborans incommodo, ambo simul illuminati sunt. Feria quinta mane in monasterio prædicto Gembolio, puer claudus oblatus est Viro Dei, & confestim signatus ab eo gressum recepit, & coram omnibus ambulabat. Post paulum quoque in ingressu ejusdem vici, puer alter pedibus manibusque contractus sub ocu-

* f. compressus.

* f. Gemblolium. Gemblodum.

lis omnium, utrorumque membrorum adeptus est sanitatem. Nec longe processerat, & ecce puer mutus ex utero offerebatur in via: & hunc quoque signavit & sanavit, statimque solutum est vinculum oris ejus, & loquebatur recte. In ipso itinere oblati sunt surdi duo, & qui mutum fecerat loqui, surdos fecit etiam audire. Novum in partibus illis ædificatur monasterium, cui Villare * nomen est, & ante paucos menses illuc Pater sanctus congregationem miserat monachorum. Voluit ergo plantationem novellam vel in transitu visitare, & peregrinantes filios consolari. Factum est autem cùm monasterio appropinquare cœperat, claudam mulierem tetigit, signavit, erexit, & præcepit libere ambulare. Duabus quoque claudis in ipso loco gressum, & juveni cuidam amissum unius oculi visum reddidit coram fratribus ipsis, & aliis plurimis qui convenerant.

* Villers, Ord. Cist. in Brabantia.

37. Exinde festinabat ad oppidum, cui Fontanæ nomen est, ubi Philippus noster apud propinquos suos eum rogaverat hospitari. In eodem vero itinere offerebant ei cæcum à nativitate puerum, qui nec ipsas quidem poterat aperire palpebras oculorum. Desperarant omnes, etiam qui plurima viderant maximaque miracula: at ille nihil cunctatus manum imposuit puero, factaque oratione brevissima (ut solebat) digitis suis palpebras ejus aperuit, & sciscitatus est an videret. Cui puer: Video, inquit, domine, video vos; & omnes homines video capillatos. Plaudensque & vehementer exsultans aiebat: Deus, Deus, ultra non offendam ad lapidem pedes meos. Feria sexta Fontanis priusquam egrederemur, puellæ contracta & arida manus sanata est & extensa. In via quoque juxta vicum quemdam, puer claudus gressum recepit. Ex hoc accessimus ad castrum quod nominant *Bins*, unde tanta occurrit hominum multitudo, ut totam camporum planitiem populus operiret. Illic puerum claudum humeris offerebant, quem Vir Domini signans deponi jussit ut ambularet. Vix potuit novis gressibus via parari, tantus erat concursus, tantusque tumultus: depositus tamen ambulare cœpit in medio populi, & deducentes eum in liberum campum plurimi successerunt. Aderat enim mater, aderant propinqui ejus & multi qui noverant eum, ipsa sua exsultatione fidem miraculo facientes. Interim sane dum secessisset cum puero pars non modica populi, geminata lætitia est, & alter quoque puer similiter claudus similiter gressum recepit. Tertius in eadem planitie claudus vir erectus est, & coram omnibus ambulabat, & currebat gratulabundus & laudans. Prope idem castrum cæcus unus illuminatus est, & surdi duo receperunt auditum ipso loco ubi substiterat, ut populo benediceret, & dimitteret eos. *Mons* vocatur castrum primum in provincia Haynonensium, ubi sexta feria pernoctavimus. Illic mane sabbato priusquam proficisceremur, senex quidam de proxima villa multis eorum qui aderant, & Philippo nostro non incognitus, quod à multis jam annis amiserat, oculorum lumen recepit. Sed & puer quidam scholaris cæcus altero oculo illuminatur tanta celeritate, ut non prius amoveret Pater beatus manum, quam puer clamaret, Video, domine, stupentibus universis.

Montes Hannoniæ.

38. Hæc in hospitio facta sunt coram venerabili episcopo Cameracensi Nicolao, & clericis ejus etiam, & multis religiosis viris, qui de tota provincia occurrerant Viro Dei. Iisdem quoque adstantibus, cum egrederetur castrum, mulieris aridam manum sanavit, & gressum reddidit claudo. Plurima ipso die miracula coruscaverunt, adeo ut multa ex ipsis à memoria elaberentur. Horum tamen certissime recordamur. Surdæ duæ auditum receperunt in via, & puer quidam unius oculi visum. Nec longe processeramus, & ecce in campo mulier amissum ex longo unius oculi lumen recepit. In eadem strata, capellula quædam est duobus à prædicto castro millibus distans: illuc in occursum Viri Dei venerabilis convenerat multitudo, ut faciem ejus videret, & susciperet benedictionem. Nec fraudavit Dominus populi sui devotionem, quin desiderata eis virtutis suæ magnalia demonstraret. Ibidem enim coram omnibus senex quidam, qui viginti, ut dicebatur, annis cæcus manserat, factus est videns, & mulier surda audivit non sine multa ipsorum & populi exsultatione. Alio quoque in loco cum substitisset, oblati sunt pueri duo, quorum uterque uno tantum videbat oculo, & mulier surda. Nec ante dimotus est, quam & pueris visum, & mulieri reddidisset auditum. Adhuc autem in eodem itinere prope torrentem *Huns* ante transitum puer cæcus illuminatus est: post transitum duæ surdæ receperunt auditum. Jam appropinquabamus hospitio, & ecce clauda mulier per manus impositionem gressum recepit coram multitudine copiosa plebis: quæ in occursum beati Viri de tota venerat regione. Alii quoque debiles & ægroti desiderata adepti sunt beneficia. Sed longum est singula quæque referre. Valencenas * nominant oppidum, ubi ea nocte mansimus, oppidum, grande & populosum. Illic sane prius quam ingrederemur hospitium, mulierem claudam, notissimam populo, signans & erigens Pater sanctus, fecit coram omnibus ambulare. Inde profecti, Dominica die venimus Cameracum.

* Valenciennes.

## CAPUT XII.

*De miraculis Cameraci, &c. patratis.*

39. Plurima autem & in castro ipso, & in itinere miracula contigerunt: sed è pluribus pauca collegimus. In ecclesia beati Johannis, post Missæ celebrationem, puer surdus & mutus ex utero matris suæ audivit, & locutus est, & admiratæ sunt turbæ. Hic juxta me resederat mutus & surdus, & coram me præsentatus audivit & locutus est ipsa hora. Vix cessaverat Cleri jubilatio, & ecce senex claudus erectus est & ambulabat. Ibidem contigit, unde præ ceteris miraculis obstupuimus. Puer enim cæcus à nativitate, opertis albugine oculis, (si tamen oculi dicendi erant quibus nec color, nec officium, nec ipsa saltem cavitas inerat oculorum) ad impositionem beatæ manus visum recepit. Multis hoc indiciis probavimus, vix credentes oculis nostris, quod talibus oculis visus posset inesse. In ipso loco etiam arida mulieris manus adepta est sanitatem. Ex hoc cum beatum Virum turbæ comprimerent, vix deductus est in domum Regularium Canonicorum. Ibi quoque plurima languentium beneficia contulit: sed hæc sunt quorum certissime recordamur. Claudi duo ibi erecti sunt, puer cæcus & mulier cæca visum receperunt.

40. Secunda feria in urbe Cameracensi, in ecclesia beatæ Mariæ ad altare sublimius Pater sanctus Missarum sollemnia celebravit, ut in eminentiori loco positum videre posset populus, & non comprimeret. Accedentibus ergo ceteris ad oblationem, puer adductus est surdus & mutus ex utero matris suæ. Hic in proximo vico natus, multis eorum qui adstabant, non incognitus erat. Cœperant autem, qui adduxerant, obsecrare hominem Dei, ut puero manum imponere dignaretur: sed nos concursum populi metuentes, prohibuimus, dicentes, ut finita Missa adducerent eum. Prævenit tamen exspectationem virtutis effectus. Offerens enim puer, sacratam manum ex more osculatus est, & pertransiit. Nec mora, accedens unus ex militibus prædicti fratris Episcopi interrogavit puerum dicens: *Oz tu?* quod latine interpretatur, Audis tu? Protinus autem ad ipsum puer quoque respondit dicens: *Oz tu.* Surdus nimirum ex utero ea tantum loquebatur, quæ ex ore interrogantis audivisset. Addidit ergo miles loqui ad eum, & docebat invocare Deum & beatam Virginem nominare, &c. Singula vero incunctanter puero respondente, qui propius adstabant Clerici convenerunt: cognitaque miraculi veritate, levaverunt vocem magnificantes, & laudantes Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Elevatus puer salutat populum, & exsultat in gaudio civitas Cameracensis, loquentem audiens puerum, qui ex utero matris suæ nec locutus est aliquando, nec audivit. Ipsa die in domo Episcopi, ubi Virum sanctum magna cum devotione susceperat, puellæ manus invalida ad tactum ejus sanata est & extensa. Vespere quoque claudam longo tempore filiam pater obtulit, & recepto gressu lætus reduxit ad propria. Tertia feria aridas manus duas sanavit, & mulier clauda experta est, quia efficax in Bernardi manu gratia curationum

curationum. Puerum quoque cæcum, cum jam egrederetur, illuminavit in porta, & in campo adolescentem surdum fecit audire, & mutum loqui coram universo Clero & populo civitatis.

41. Valcellam * vocant monasterium tribus ab ipsa civitate millibus distans, quod idem Pater noster missis olim à Clara-valle fratribus ædificaverat. Illic feriâ tertiâ pernoctavit, nolens fraudare filios visitatione & consolatione paterna. In ipso sane monasterio mane feria quarta priusquam egrederetur, militem quemdam de regione eadem, qui à diebus multis debilis pedibus simul & cruribus ambulare non poterat, benedictionis virtute sanavit, referentem gratias ad sua remisit incolumem. In via quoque surdus vir aure altera recepit auditum. In oppido cui nomen *Gom*, juxta monasterium Canonicorum regularium, quod Montem sancti Martini vocant, novo temporis nostri Martino claudam puellam offerebant. At ille signo crucis edito: Vade, inquit, in nomine Jesu-Christi. Statim vero deposita exsiliit, & ambulabat, currens & laudans Deum. Feria quinta in monasterio quod Humblerias * vocant, paralyticam media parte corporis filiam pater obtulit Viro Dei. Hæc & manus, & brachii, & tibiæ simul & pedis, etiam & linguæ officium morbo invalescente perdiderat: ubi vero signavit eam Pater beatus, sanata est, evidentissime loquens & ambulans, & libere movens manus. Ipsa die Laudunum venimus, ubi sexta feria in monasterio beati Johannis (illic enim hospitabatur) coram omnibus vir surdus auditum recepit. Sabbato quoque Remis, cum jam pararetur iter, cæcum uno oculo puerum per signum crucis Pater sanctus illuminavit, adstante clericorum & civium multitudine.

## CAPUT XIII.

*De miraculis in itinere versus Claram-vallem editis.*

42. DOminica die festum erat Purificationis beatæ Mariæ: & Francorum rex Ludovicus, devotissimus & Christianissimus princeps, Catalaunum occurrebat Viro Dei. Plurimi quoque ex Principibus utriusque regni convenerant; & legati Regis Romanorum, & Vuolfonis inclyti Ducis, ut de via Jerosolymitana communi consilio tractaretur, quo Vir Domini colloquio sic detentus est per biduum illud, ut ad populum exire nequiverit: licet vehementissime desideraretur. Oportebat enim generale bonum votis anteferre privatis. Egredienti vero feria tertia, mulier quædam occurrit aridæ manus postulans curationem: & juxta fidem ejus factum est ei, ut fieret ipsa hora sana. Et hoc quidem miraculum jam inter vicinos & notos factum est, ne quis objiceret illud de Evangelio: *Quanta audivimus facta in Capharnaum? fac & hic in patria tua.* Aderat enim venerabilis episcopus Lingonensis Godefridus, beati Viri quondam filius professione, nunc pater officii dignitate. Aderant & principes quidam, & milites terræ nostræ non pauci. Quarta feria, cum jam desideratæ Valli magis appropinquaret desideratus & ipse; multiplicata sunt miracula manifesta: ut plusquam Propheta probaretur, propheticus honor non deerat, ne ipsa quidem in patria sua. Ipsa siquidem die in vico Campaniæ, cui nomen *Davamant*, in honore beatæ Agathæ, cujus festivitas agebatur, Missarum sollemnia celebravit. Necdum secesserat ab altari, & ecce vir quidam cæcum filium offerebat, cujus oculos sputo liniens tetigit, & illuminatus est ipsa hora.

43. In oppido cui nomen *Rosnay*, languidum & penitus debilem virum plaustro deportabant, cui solum videbatur superesse sepulcrum: & huic quoque coram omni populo & militibus multis manum imponens, ambulare eum fecit sine dilatione; & stupentibus universis, quo prius fuerat deportatus, plaustrum sequebatur incolumis. Similiter & puerum, qui & ipse à diebus multis ne unum quidem passum poterat ambulare, signavit, ubi castrum est egressus: & statim libere ambulavit. In eadem strata, aliud situm est castrum, quod Brena * ab indigenis nominatur. Illic transeunte Viro Dei, per orationem & benedictionem ejus puella clauda gressum recepit. Ubi vero egressus est, stipem quærebat ab eo cæca mulier & mendica. Intuens autem vir in eam misericorditer, Tu, inquit, argentum quæris, sed Deus tibi visum restituet. accedensque signavit eam, & coram omnibus illuminata est ipsa hora. Interrogata vero quamdiu cæca fuisset, ab his undecim annis nihil penitus se vidisse respondit. Sic apostolicus Vir apostolicum imitatus exemplum, & petitionem mendicantis, & spem liberalitate sanctissima superavit. Nec longe processerat, & ecce puer uno oculo cæcus benedictionem flagitat, tactum requirit. Quid ei negaret, qui dederat non petenti? nihil cunctatus signavit oculum cæcum, & eum quo videre solebat manu claudens movit digitum coram eo, & quid ageret inquisivit. Audientes peregrini quidam quod homo Dei transiret, socium suum surdum ei cum precibus obtulerunt: cujus aures sputo liniens, & immittens digitos suos, auditum reddidit ei ipsa hora. Exinde cum paululum processisset, secutus homo eum, gratias egit, & signum crucis ab eo accepit, ut in exercitum Domini proficisceretur.

44. Ipsa die venimus Barrum super Albam, quod nominatissimum oppidum est, tribus à Clara-valle millibus distans. Quinta igitur feria Vir sanctus Missarum sollemnia celebravit in ecclesia sancti Nicolai. Illic ad nova divinæ virtutis magnalia obstupuere Barrenses. Addidit adhuc magnificare famulum suum Dominus, & oculos pueri cæci nati sub manu ejus aperuit. In eadem basilica post Missarum celebrationem, puella contracta, cujus tali adhæserant renibus, erecta est, & libere ambulabat. Altera quoque puella, quæ stare omnino non poterat, ibidem adepta est sanitatem. Item mulier clauda gressum recepit, & quam cito signata est, virtutem sentiens, jussit pulsari campanas, sicut ad singula quæque miracula faciebant. In eodem loco, duo surdi & muti à nativitate receperunt auditum, pariter & loquelam. Alter quidam puer, alter adolescens erat notissimus in oppido illo. Adhuc autem surdus unus auditum recepit, & puella ex utero matris suæ impos manibus, sanata est ipsa hora. Alteri quoque manum aridam ante domum eleemosynariam, cum jam proficisceretur, restituit sanitati. Ipsa die dispensator bonus multiformis gratiæ Dei fuit redditus Claræ-valli, reportans manipulos pretiosos, instar Patriarchæ Jacob cum duabus turmis regrediens. Nam & triginta secum adduxit, & totidem fere facto jam voto & constituta die venturos præstolabatur. Quid ergo dicemus ad hæc? Felix nimirum, cujus oratio tam accepta, tam salubris tactus, sermo tam vivus & efficax invenitur! Felix anima, quam implevit Dominus oleo gratiæ præ participibus suis! felix lingua tot animarum medens vulneribus desperatis! felix manus gratia sanitatum, & tot virtutum affluens signis!

## CAPUT XIV.

*De miraculis Claræ-valli, Trecis, Stampis, Senonis, & vicinis locis per Bernardum patratis.*

45. PAucos dies Claræ-valli faciens Pater sanctus, ne intromitterentur infirmi, fratrum quieti providens interdixit. Ipsa tamen die qua exiturus erat, juvenem Lingonensem, cujus auris altera ab annis multis penitus obsurduerat, venerabilis Episcopus noster obtulit: & confestim audivit homo, & gratias egit celeri medicinæ. Egrediens autem Pater monasterii januam, invenit languentium multitudinem, cæcorum, claudorum, aridorum; plurimique in tumultu illo sub manu signantis desideratam adepti sunt sanitatem. Ubi vero montem ascendit, obvium habuit puerum surdum & mutum, qui diebus multis inter fratres nostros Fontarciæ manserat, tantum innuens eis. Hujus linguam sputo liniens, & auribus ejus immittens digitos suos, Deum nominare jussit, cœpitque puer paulatim loqui: sed adhuc vox in gutture laborabat. Quod advertens unus ex fratribus nostris, rursum obtulit eum, rogans, ut gutturi ejus manum imponeret. Statimque locutus est libere, cum multis lacrymis gratias agens Deo. Tamdiu siquidem surdus & mutus exstiterat, ut ei nomen proprium penitus excidisset, & nesciret quis vocaretur. Vix recordatus civitatis nomen unde fuerat oriundus, Parisiensem se esse dicebat. In eodem itinere surdus alter audivit, pueri duo claudi gressum

receperunt; & prope Mundivillam (sic enim vocatur viculus, duobus ferme à monasterio millibus distans) curatus est paralyticus senex nobis adstantibus, turbis acclamantibus vehementer. Villa super Arnam nominatur, ubi pernoctavimus ipsa die. Mane vero in basilica post Missæ celebrationem adolescens altero crure contractus, ubi à Viro Dei signatus est, extendit nervum, & coram omni populo gradiebatur exsultans. In eodem vico, ingressus hospitium, & irruentibus multis, cæcum uno oculo puerum, & puellam mutam à nativitate, consueta benedictione sanavit. Siquidem & puer illuminatus, & puella locuta est audientibus & admirantibus universis. In platea quoque cum detineret eum populus egredientem, sanati sunt manci duo: quorum alter etiam unius oculi lumen recepit amissum, duplicique liberatus incommodo duplex gaudium reportavit.

46. Eadem die juxta castrum Barrum, quod alluit Sequana fluvius, coram multitudine copiosa plebis, quæ de tota regione convenerat, curati sunt puer cæcus, & vir cæcus, puella manca, & paralyticus senex. Hunc in plaustro detulerant, & ab annis sex sic elanguisse dicebant, ut nec sedere quidem, nec sine alio posset mutare latus. In ingressu villæ, quam Bargonium vocant, erectus est puer claudus ex utero matris suæ: in egressu quoque mulier quædam amissum ab annis quatuor gressum recepit. Nec longe progressi eramus, & ecce currebat post nos mulier cæca uno oculo: & hæc quoque ubi pervenit ad Virum Dei, ab eo signata est continuo, & visum recepit, & revertebatur gratulabunda & laudans. In ingressu diœcesis Tricassinæ, in vico, cui Fulceriæ nomen est, oblatus à populo puer à nativitate surdus & mutus, ab utroque morbo sanatus est ipsa hora. In via quoque, cum egrederemur, puellæ manum à nativitate aridam & contractam benedicta Bernardi manus extendit, quasi esset cerea: & sanata est statim, ita ut teneret fortiter baculum, quem tradidimus ei. Mirabantur omnes, qui deducebant sanctum Dei, viri de eadem regione nobiles & potentes. Magis autem mirati sunt juxta vicum, qui Vvanda vocatur, puellam claudam, mutam ex utero matris suæ, benedictione percepta ambulantem videntes, audientesque loquentem.

Civitas Trecensis. 47. Altera autem die in majori ecclesia Trecensi congregatus est populus innumerabilis, ut audiret à Dei homine verbum ejus. Factus est ergo tumultus intolerabilis comprimentium sese turbarum, & periculum metuens egressus est Vir beatus; cumque in hospitium Episcopi se recepisset, sequebatur eum languentium multitudo & pro foribus exspectabat. Ingressa est autem puella clauda, & sub oculis omnium signante Viro Dei adepta est sanitatem, & libere ambulavit. Erat autem nota in civitate puella, & ex propinquis ejus aderant eadem hora nonnulli. Post paululum quoque cæcus uno oculo puer illuminatus est: & alii duo, quorum erant aridæ manus, sanati sunt admirantibus & exsultantibus universis. Vespere quoque exspectantes infirmos juxta cancellum ecclesiæ seorsum poni præcipiens, exivit ad eos, & signavit ex ordine residentes. Aderant autem venerabiles episcopi Godefridus Lingonensis, qui fere omnia, quæ scribimus, præsens vidit, & Henricus Trecensis: aderant clerici & laici de civitate non pauci. Coram his omnibus puella clauda & muta oblata est Viro Dei. Cumque signatam apprehensa manu deduceret, loqui cœpit, & ait: Non possum domine ambulare, non possum. Obstupuimus omnes: iterum signari rogavimus eam, & gressum quoque recepit. Ibidem quoque cæcum oculum pueri sputo liniens illuminavit. Mulierem claudam ab annis quindecim, quæ

§ V. epist. 115. in ecclesia beatæ Mariæ * à sanctimonialibus alebatur, signans & attrectans curavit protinus: ita ut quod ante non poterat, & sederet, & libere graderetur. Exsultans igitur vehementer tulit baculos, quibus antea utebatur, in beati Petri ecclesia suspendendos. Item juvenis quidam, ejusdem ecclesiæ servus, amissum ab annis quinque ibidem recepit auditum. In eadem civitate facta sunt quæ sequuntur. Faber quidam longa ægritudine claudicans, ut sine baculo incedere omnino non posset, ubi

A à beato Patre signatus est, lætus rediit gradiens pedibus suis. Deinde mulier epilepticam ei obtulit filiam, cui morbus ille loquendi prorsus ademerat facultatem: cui Vir beatus manus imponens signavit eam, statimque locuta est coram nobis.

48. Mane egressus Trecas, dum transiret Vir sanctus villam, quam Prunetum vocant, oblatus est ei puer, cujus pedem retracti nervi torserant in perversum, ita ut ambulare omnino non posset. Acclamabant autem qui convenerant, levantes manus in cælum, dum Vir Domini puerum attrectaret. Nec mora signatum pedem omni facilitate detorquens, deponi jubet: & coram omnibus ambulare cœpit incolumis. In oppido quoque, quod Ro-

B mana lingua Triangulum vocant, post Missarum celebrationem feria sexta, coram omnibus ad altare adducta est mulier cæca ejusdem indigena castri. Cumque ei Vir beatus imposuisset manum, interrogata à circumstantibus, Jam cito videbo, inquit. & post paululum, Video, ait, clare, omnes vos video: benedictus Deus qui fecit mecum misericordiam. Altera quoque illuminata est, quam ab annis decem cæcam fuisse testabantur. Ibidem clauda mulier gressum recepit, & mutus loquelam, acclamantibus omnibus, maximeque illius castri, qui nulla prius similia viderant. Ipsa die transeunti prope castrum Braium (quod lutum interpretatur) occurrit vir quidam filiam portans in humeris, quæ nec loqui umquam potuerat, nec stare su-

C pra pedes suos: statimque sub omnium oculis ab utroque est incommodo liberata.

49. Apud Monasteriolum*, ubi Iona fluvius in Sequanam influit, præsente Comite Theobaldo, & multis aliis nobilibus pariter & ignobilibus, mulieres tres, prima auditum recepit, secunda amissum ab annis septem unius oculi visum, tertia paralytica sanitatem. Hæc in grabato in ecclesiam fuerat deportata: & ubi signata est, & jussa stare supra pedes suos, in medio populi stetit incolumis, & relicto grabato suo gratulabunda repetiit domum suam. Ipso die apud Moretum * oppidum, juxta leprosorum domos, surdum & mutum à nativitate puerum offerebant, cujus statim aures apertæ sunt, & solutum vinculum oris

D ejus. Ubi vero castrum egressi, flumen transivimus quod *Luten* [a] vocant, occurrit Viro Dei populus innumerabilis: & ibi quoque puer, quem bene noverant circumstantes, amissam loquelam ejus benedictione recepit.

50. Stampis * negotio Jerosolymitanæ expeditionis, & regni Franciæ, tam ipse, quam ceteri qui convenerant, intendebant. Reddidit tamen illic auditum surdo: phrenetico, quem ligatum attulerant, mentem; mulieribus duabus visum, alteri quidem unius oculi, alteri utriusque. Exiens quoque finito concilio, cæcam puellam per signum crucis illuminavit. Apud viculum Messam, qui tribus à Stampis milliaribus distat, coram universo populo qui convenerat, surdis duobus, viro & vetulæ mu-

E lieri, restituit auditum. Milliacum * oppidum transiens ipsa die, mulierem languidam & viribus corporis adeo destitutam, ut nec ambulare, nec stare posset; signavit atque sanavit, propriisque pedibus est reversa quæ fuerat apportata pedibus alienis. Illic etiam clericus quidam amissum unius oculi lumen adeptus est, & puer claudus incessum: sic & Moreti vir cæcus uno oculo, qui Viro Dei occurrebat ingredienti, confestim illuminatus est ad ejus benedictionem. Senonis, quæ Galliæ olim maxima civitas erat, in conspectu Cleri qui ad eum fuerat congregatus, mulierem surdam & cæcam per manus impositionem auditu donavit: & præter alia, quæ scribere supersedimus vitantes prolixitatem; ingredienti oppidum, cui Jovinia-

F cum * nomen est, oblata est mulier cæca. Confestim in habitum versa privatione, de cæca facta est videns, exiitque sermo in populum, & undique acclamabant, Anna videt: quia omnes noverant eam. Ubi vero egressi sumus, geminata est populi lætitia, & sub oculis omnium puer à nativitate cæcus uno oculo, negatum à natura munus adeptus est gratiæ beneficio.

* Montre-Faut-Yon

* Moret.

* Estampes.

* Milly.

* Joigny.

[a] Legendum, *Luen*, latine Lupa, vulgo *Loin*, amnis agri Vastinensis, in Sequanam influens infra Moretum, de quo supra.

## CAPUT XV.

*De miraculis Autisiodori, Molismi, &c. factis.*

51. ADveniens igitur Autisiodorum Vir beatissimus, orationis causa monachorum basilicam introivit, ubi pretiosus ille thesaurus jacet, ubi GERMANI gloriosi corpus sacratissimum requiescit. Regredienti vero mulier clauda, quæ genibus tantum & manibus gradiebatur, occurrit in porta, tenensque vestigia ejus misericordiæ viscera miserabili supplicatione pulsabat: cujus renes & genua signo crucis edito Vir beatus attrectans, elevavit eam in nomine Domini: & ad sanctissimi Confessoris altare misit suis pedibus gradientem. Ipsius etenim nomen, dum mulier elevaretur, universus qui convenerat populus invocabat. Hoc in civitate illa notissimum celeberrimumque miraculum fuit. Omnibus siquidem nota erat mulier illa, & tribus ferme annis in grabato viderant eam deportari. Hospitatus est autem Vir sanctus in domo Episcopi, & illic quoque videntibus multis aridam manum mulieris extendit libere, & sanavit. Sic & mane, cum egrederetur, simili incommodo laboranti beneficium simile contulit manus benedicta. Ipsa die Cableiam * pertranseunti claudum puerum offerebant, quem sanatum protinus & erectum in beati Martini ecclesiam deduxerunt. Ad eum siquidem & illa ecclesia pertinet, & vicus ipse, quem in Bernardo revixisse mirabantur. Adhuc enim prosequentibus eum turbis, puella clauda & alteram manum invalidam habens, ab utroque incommodo liberata est coram eis. In castro Tornodorensi, * eadem die videntibus nobis in hospitio mulier cæca uno oculo per signum crucis illuminata est: & exiit magnificans Deum. In ecclesia etiam beati Aniani feria quarta, dum ad oblationem inter Missarum sollemnia resedisset, obtulerunt puerum cæcum: cujus statim oculos sub manu fidelis servi, divina virtus aperuit. Similiter & puella cæca, cum jam egrederemur castrum, coram omnibus, qui prosequebantur beatum Virum, amissum ab annis multis signante eo visum recepit, & altera cæca uno oculo illuminata est prope fluvium qui Armantia. * nominatur.

52. Ipsa die Molismum venimus, quod est monasterium unde egressi sunt olim Patres nostri, à quibus Cisterciensis ecclesia sumpsit exordium. Exstat liber [a] Usuum Cisterciensium, ubi plenius id scriptum diligens lector inveniet. Illic ergo (ut dictum est) quarta feria Virum Domini magna cum devotione susceperunt; cumque in hospitio resedisset, vir quidam cæcus uno oculo ingressus est, & genu flexo misericordiam precabatur: ubi vero signavit eum sacris digitis, cæcum tetigit oculum, & confestim illuminatus est, & gratias egit Deo. Factum est autem post unam horam, cum advesperasceret, essetque inclinata jam dies, egressus est Vir beatus ut signaret infirmos qui pro foribus exspectabant. Primus illic convaluit puer cæcus oculo dextro, qui signatus sinistrum claudebat oculum quo prius videre solebat, & clare discernens omnia sciscitantibus nobis, quicquid ostenderetur continuo respondebat. Id ipsum tribus aliis eodem laborantibus incommodo, per manum Bernardi sui beneficium præstitit Deus; puellæ videlicet, & seniori viro & mulieri, similique & in eis probatum est diligentia. Adhuc autem in ipso loco puellula debilis pedibus & clauda ex utero matris, sanata est per manus impositionem; & exsultabat in gaudio mater, quod tunc primo stantem eam & ambulantem cernere mereretur.

53. Feria quinta egredientem Molismense cœnobium Hominem Dei, devotione debita prosequens innumerabilis multitudo, quæ de tota convenerat regione, mulierem claudam quæ plaustro subvecta fuerat, ubi signata est ab eo, suis gradientem pedibus gratulabunda reduxit. In eodem itinere dum silvam ingrederemur, adolescens surdus auditum, & mulier quædam amissum ab annis duodecim alterius oculi visum, per manus Hominis Dei impositionem receperunt, præsentibus & videntibus multis. Occurrentes deinde viri duo, & ipsi quoque quod amiserant singulorum lumen adepti sunt oculorum. Nec longe processeramus, & ecce concurrentibus turbis undique puer claudus, quem attulerant, ad tactum beati Viri sanatus est, & libere gradiebatur exsultans. Confinium dicitur villa nostris proxima finibus, per quam transivimus ipsa die. Ibi quoque sub oculis omnium qui convenerant, puerum claudum & mulierem claudam ex utero matris suæ signans Vir Domini & attrectans, amissum reddidit alteri visum, alteri novum contulit gressum. Ingredienti denique Claram-vallem unus de nostris occurrit, adducens surdum & mutum puerum, qui in monasterio diebus jam quindecim Sancti præstolabatur adventum. Nec fraudatus est à desiderio suo puer fidelis, sed continuo ut signatus est, recepit auditum pariter & loquelam. Et primo quidem vix potuit nominare Deum; ac deinde præcipientibus nobis invocare cœpit beatæ Virginis nomen: tandemque soluto penitus oris vinculo omnia loquebatur, ubertim gaudii lacrymas fundens. Multi etiam fratrum qui eum noverant prius, nec audientem penitus nec loquentem, locuti sunt in auribus ejus, & audierunt eum ad plenum verba omnia formantem. Interrogatus autem quamdiu mutus & surdus pertransisset: Tertius, inquit, annus transivit ex quo obsurdui & obmutui, & eram innuens tantum. Et hæc dicens cum lacrymis benedicebat Dominum, qui fecerat cum eo misericordiam. Ipsi & nos pro tanto Patre & patrono quantas possumus gratias referimus, glorificantes semper & laudantes Deum, qui est super omnia benedictus in sæcula.

## CAPUT XVI.

*De miraculis quibusdam Treviri, Rutilæ, & Francofurti per Bernardum editis.*

54. SExto Calendas Aprilis, ingrediente Viro Dei Treverim, obviam ruit ex more populus universus: & ecce offerebant ei puellulas sorores duas ex eadem civitate, alteram quinque, alteram quatuor annis miserabili cæcitatis incommodo laborantes: ubi vero signavit eas Vir sanctus, ambæ illuminatæ sunt, & in ecclesiam beati Petri deductæ, ubi eadem hora Missarum sollemnia celebravit. Illic eas vidit Clerus & populus: illic probavimus diligenter miraculi veritatem. Consummato demum sacrificio Vir Domini juxta altare resedit, ut super ægros manus imponeret & bene haberent. Protinus autem claudus oblatus est, & ambulavit: oblatus est cæcus, & vidit: oblata est mulier surda, & audivit. Et hæc quidem in somnis admonitam se esse dicebat, ut festinaret ad eum, cujus benedictione receptura esset auditum. Non dubito quin & alia multa diligens inveniat investigator: sed hæc ad memoriam arbitror posse sufficere. Adhuc tamen in domo Archiepiscopi puerum cæcum uno oculo coram nobis illuminatum certissime recordamur.

55. Veritus autem molestam vobis esse brevitatem, ex his quoque quæ Rutilæ facta sunt, nonnulla subjunxi. Viderat Pater sanctus in somnis, quod nobis secretius intimavit, mulierem claudam in ecclesia quærentem se, cum nec ab ea, nec à populo cognosceretur. Gloriabatur autem quod ignotus esset, & accedens clanculo signabat eam, & pertransibat: subitoque admirans illa erigebatur. Hujus autem visionis effectus apparuit manifestus. Siquidem dum in ecclesia illa Missarum sollemnia celebraret Vir beatus, allata est contracta mulier, quæ à diebus multis per terram repens erigi penitus non valebat, sed genibus & scabellulis, quæ gestabat manibus, utcumque gradiebatur. Guntrannus de Sirco, quod super Mosellam situm est castrum, à prædicto monasterio paululum distans, mulierem illam in ecclesia fecerat deportari. Necdum ad beati Patris manum accesserat, & ecce accessit ad eam spiritus ejus occulte, sicut præviderat, subitoque curvata exsiliit, & ambulabat laudans & magnificans Deum. Videns autem populus, qui claudam prius noverat eam, exclamavit in laude Dei; tollentesque scabellula ad altare protinus detulerunt, ut sisterent

Margin notes: *bly.* — *nerre.* — *Armen-tium.* — Redit Claram-vallem.

a Hæc leguntur in parvo Exordio Cisterciensi, à quo diversus modo est liber Usuum Cisterciensium, qui tunc forsan cum Exordio unicum librum efficiebat. Hinc probata libri Usuum antiquitas, quem variis additionibus subinde auctum existimamus.

eam Domino, & Bernardo servo ejus. Ibidem sane ad tactum ejus mulier de eodem vico clauda ab annis septem, & puellula contracta, cujus obstupuerant nervi femoris utriusque, ut extendere genua, aut erecta stare non posset, desideratum gressum coram omnibus receperunt. Oblati sunt ei vir quoque cæcus & mulier cæca, & confestim edito signaculo crucis ab utroque repulit tenebras, & utrisque lucem restituit. Sed forte hæc nostra descriptio, licet studiosis brevior, obliviosis prolixior videatur. Et ipsis itaque providentes, instar proverbii, quæ dicta sunt, perstringamus. Resultabat canoris vocibus ecclesia Treverensis ad Bernardi tactum ambulante claudo, audiente surda, cæco vidente. Duas quoque sorores cæcas idem Vir Domini in ingressu civitatis illuminavit, & in domo puerum cæcum uno oculo. Rutilavit Rutilæ in Bernardi præsentia lux cælestis, cujus benedictio claudis duabus gressum, visum reddidit cæcis æque duobus. In eadem ecclesia, mulier clauda, quæ genibus & scabellulis ferebatur, erecta est, priusquam perveniret ad hominem Dei.

56. Residebat aliquando *Frankenvoert* in Solio Pater sanctus, & per fenestram ad manum ejus admittebantur infirmi, quorum innumerabilis multitudo undique fuerat congregata. Et ecce oblatus est inter ceteros adolescens quidam surdus & mutus ex utero matris suæ: cui Vir beatus manum imponens confestim curavit eum, & libere audiebat, & loquebatur. Nullam tamen noverat linguam, sed ea tantum proferebat verba, quæ ex colloquentis ore audivisset. Hoc fuit quod maxime nostrum movit Hugonem, ut describi hoc miraculum postularet: sed nos multa similia videramus. In ipso quoque Solio matrona quædam dives & honorata de regione eadem deportata est, quæ ex longo tempore jacuerat paralytica. Et hanc quoque signans homo Dei, tenuit manum ejus & erexit eam, præcipiens ut libere ambularet in nomine Domini nostri Jesu-Christi, & in virtute Spiritus-sancti. Dixit, & factum est: exsiliensque ambulabat. Tunc vero acclamabant omnes; sed specialiter exsultabant milites, qui propriis humeris deportaverunt, quam videbant regredientem pedibus suis. Nimirum videbatur sibi quodammodo miraculi particeps pia devotio. Et hæc quoque excitavit amicum nostrum, ut sileri miraculum hoc, nefarium judicaret.

57. Tertium autem simile est huic. Erat siquidem in proximo vico vir paralyticus ab annis octo, notus omnibus, & omnium dignus miseratione. Neque enim movere poterat membra, nec si domus in qua jacebat, undique flagrare cœpisset incendio. Hic ergo coram nobis & aliis quampluribus qui beato Patri tunc assidebant, subvectus in culcitra, depositus est coram eo: cujus debilia membra edito signaculo salutis attrectans, confestim erexit eum, & tam perfecte curatus est, ut ad exercitum Domini profecturus ilico susciperet signum crucis; nimirum, cujus virtutem tantam, & tam celerem esset expertus. Cumque tollerent alii lectum ejus: Non sic, ait venerabilis Hugo, sed magis ipse portabit. & imponens in humeros ejus dimisit eum, & tam viriliter ambulabat, ac si nihil prius sustinuisset incommodi. Quartum quod describi Hugo miraculum postulabat, puellæ cujusdam erectio fuit. Hanc in hospitium vespere obtulerunt humeris deportantes. Cujus cum signaret genua Vir beatus, contractos & obduratos quasi in modum virgæ ligneæ nervos sentiens, Heu, inquit; hujus ex toto retracti sunt nervi, & flectere genua, immo flexa extendere omnino non potuit. Et certe sic erat, nec poterat à diebus multis gradi pedibus, sed manibus & pedibus reptabat utcumque. Igitur ad Patris benedictionem laxatus est statim nervus uterque, & elevavit eam unus è fratribus: ipse vero tenebat tibias, & paulatim extendebantur: cumque ambulare cœpisset incolumis, obstupuimus vehementer omnes; sed & Sanctus ipse præ admiratione se signans, Domino virtutum gratias referebat.

## CAPUT XVII.

*De miraculis, quæ Tulli per B. Bernardum contigerunt.*

58. Jam ad ea quæ Tulli facta sunt, veniamus. Quater siquidem hoc in anno Vir sanctus illam ingressus est civitatem; nec umquam transiit absque miraculis. Primum siquidem Dominica ante Pentecosten in ecclesia beati Stephani ad altare majus Missas celebranti, oblatus est puer cæcus notus in civitate eadem, qui per manus impositionem visum recepit; & hunc usque hodie Tullensis habet ecclesia virtutum beati Bernardi speculum testimoniumque fidele. Secundo quoque accedens civitati, proximam villulam, quam Calmas nominant, pertransibat. Et ecce ruit obvia plebs devota, aquam afferens signandam atque benedicendam, quam protinus evangelici instar miraculi sapore pariter & odore vini benedictione ipsa donavit: & qui gustaverunt, omnibus perhibent testimonium. Unde & nunc in tota regione illa certissimum est celeberrimumque miraculum, apud villam Calmas sub Bernardi manu aquam in vinum esse mutatam. Nam super vestem cujusdam sparsum est vinum novum, dum undique concurrentes certatim traherent vasculum, & multis diebus vini pretiosissimi servavit odorem.

59. Tertio deinde prædictam Tullensium civitatem ingressus timuit turbas, & quia grandis ei restabat via, nocte egredi festinavit. Idipsum autem suspicati nonnulli de populo observabant eum, nec exire vel nocte potuit sine turba: inter quos oblata est paralytica mulier in grabato, quam protinus elevans Vir beatus, in nomine Domini signavit, atque sanavit. Hujus quoque curatio universæ innotuit civitati, quam nimirum adhuc hodie incolumis mulier inhabitat, quæ in ea diu jacuerat paralytica. Similiter autem & altera mulier cæca uno oculo, quæ ad eum deducta est extra civitatem, signante eo visum recepit, quod in hoc adventu verissime certissimeque probavimus. Nuper sane apud beatum Aprum Vir Domini susceptus hospitio, monasterium illud plurimis miraculis illustravit, claudum erigens puerum, auditum surdo reddens adolescenti; tres quoque cæcos, uno visionis munere donans in ipsius nomine qui Trinus adoratur & Unus: ubi plurima quoque miracula claruisse non dubito, sed hæc coram me facta novi certius, fiducialiusque scripsi.

## EPISTOLA GAUFRIDI MONACHI CLARÆ-VALLENSIS,

Quædam S. Bernardi miracula recensens.

Magistro suo carissimo ARCHENFREDO, & utrique CAPITULO, fratribus suis uterinis, frater GAUFRIDUS, memores ejus esse, qui diligit vos in veritate.

1. Nullis mihi ad te, Magister, verborum blanditiis utendum esse certis experimentis cognovi. Latere enim non potuit familiarem filium, quem præ ceteris fovere solebas tenerius, & amplecti carius, non quod dignum, sed quia indignum esse sentires; adhærentem, inquam, lateri tuo latere non potuit, quam parum acceptes eos qui verba venantur, sentiens plane cum Apostolo, *Regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute.* Ut quid ergo verba multiplicantur? Tu scis, domine, quia amo te; tu scis, quia tuis & tuorum orationibus egeo, & quantum diligam, & quantum egeam, non ignoras. Sileo proinde de me ipso, sciens quod scienti me scribam. Ceterum cum memor sum in quanta sollicitudine reliquerim vos, & totam pariter Claram-vallem, eo quod dubia videretur domini Abbatis de itinere isto voluntas; scribo vobis de quo magis præsumo, quæ in eo vidimus & audivimus, ut habeatis consolationem, & vestris eam nihilo minus præbeatis. Hoc autem scitote nihil me scribere, nisi veritate compertum.

2. Dum appropinquaremus Pictavim, cœpit dominus Abbas infirmari, ita ut paulo minus eum pœnitere inciperet oneris, non itineris hujus. Ibi ad nostram & ipsius consolationem facta vox ad eum in visione cantans,

*Et domus impleta est ex odore unguenti.* Erat autem cantus ut versiculi, & tantummodo punctum ultimum deerat in hunc modum: *Et domus impleta est ex odore unguenti.* Quo defectu quid significatum credamus, sequentia* manifestant. Altera die cum iterum decubaret, sic in os ejus missum est Canticum novum, *Latabitur justus in Domino*, ut evigilans sæpius nil aliud posset cogitare. Pictavi, dum nocte sederemus, & ipse cum candela solus deambularet, exstincta est candela, & abbas Cari-loci vidit eum sine lumine ambulantem. Proinde autem cum sonitu quodam, ut ipse confessus est, candela reaccensa est, & ardentem eam usque ad nos deportavit.

3. In urbe Burdegali res facta est digna miraculo, quod obstinatissimos animos clericorum convertit, ut concederent in sede episcopali regulares ordinari Canonicos, pro qua re per septem annos excommunicati parvi pendebant omnino; ita ut quinquennium exsularet Archiepiscopus, vacaret ecclesia; reditus illi violenter diriperent, & tam exosus esset omni populo Archiepiscopus, ut in ingressu etiam omnibus nostris exprobrarent, dicentes, quoniam isti sunt de patronis Archiepiscopi. Sed mutavit animos eorum sermo Dei vivus & efficax, præter spem universorum, qui noverant negotii difficultatem & obligationes pessimas nimis. In castro quod dicitur *Bragerach*, allatus est ad eum vir nobilis, gravissima infirmitate laborans, & ex illa hora convaluit, ut postea didicimus. Homo civitatis illius, pauper & inops, laudat hodie nomen Domini, qui longa infirmitate fractus viribus, laborare non poterat, aut operari quicquam: sed benedicto pane vescens, cum per aliquot dies sequeretur nos, fortis & incolumis est reversus. In Caturcensi urbe quidam serviens Episcopi percussus in capite, oculi unius lumen amiserat: sed signante eo visum recepit. Ibidem burgensis quidam bibit aquam ab eo benedictam, & visum est ei ac si projiceretur super caput plenum vas aquæ; & ex hora convaluit à febre, qua per septem annos laboraverat.

4. Jam vero Petragorici populi devotionem quis explicet? Paulo minus suffocabant eum; adeo ut necesse habuerit clam discedere ab eis. In Tolosana urbe satis devote susceptus est, sed per paucos dies plus quàm satis, & etiam plusquam nimis fuere devoti. Paucos quidem habebat civitas illa, qui hæretico faverent: de textoribus, quos Arrianos ipsi nominant, nonnullos. Ex his vero qui favebant hæresi illi plurimi erant, & maximi civitatis illius. Denique non longe ante adventum nostrum unum è ditioribus civitatis illius cum uxore ejus seduxerant, ut relicta substantia sua & parvulo filio in villam secederent, quæ hæreticis plena est, & nullis deinceps propinquorum persuasionibus reduci potuerant. Vocatus est ergo Henricus, vocati sunt Arriani: & pollicitus est populus, quod nemo eos deinceps susciperet de cetero, nisi venirent & palam loquerentur. Fugas Henrici, & Arrianorum latibula longum est enarrare. Fugerunt siquidem qui in civitate erant Arriani, audientes signa & mirabilia quæ fiebant. Fautores eorum abnegaverunt eos, & credimus omnino perfecte liberatam civitatem ab omni hæreticæ contagio pravitatis. De militibus promisere nonnulli, quod deinceps expellerent, & non manu-tenerent eos. Si qui vero cupidi fuerint, & aliter voluerint agere, hæreticorum munera diligentes, data est sententia in hæreticos & in fautores eorum, atque in omnes qui manu-tenuerunt eos, ut neque in testimonio, neque in judicio suscipiantur, nemo communicet in convivio, neque in commercio. Henricum fugientem[a] secuti & persecuti sumus; sed ille eo amplius fugiebat.

5. In ipsis sane castellis, quæ seduxerat, locutus est dominus Abbas, & libenter audiente populo crediderunt, qui erant præordinati ad vitam. Milites quidem nonnullos invenimus obstinatos: sed non tam errore, ut nobis videtur, quàm cupiditate & voluntate mala. Oderunt enim Clericos; & gaudent facetiis Henrici, & quia id loquitur eis unde occasionem habeant & excusationem malitiæ suæ. Omnes tamen affirmabant, quod deinceps non manu-tenerent eum, siquidem domini Abbatis colloquium refugisset. Data proinde sententia est in hæreticum & in fautores ejus, & patefacta est omni populo pessima ejus vita, & quomodo in Pisano Concilio omnes quas nunc prædicat hæreses abjuraverit, & redditus domino Abbati, litteras acceperit ab eo in Clara-valle, ut ibi monachus fieret. Credimus annuente Domino malitiam ejus finiendam brevi. Terra tam multiplicibus errorum doctrinis seducta, opus haberet longa prædicatione: sed dominus Abbas nec tanto labori sufficere videtur, & multo magis timet molestus esse fratribus suis; & hic est, ni fallimur, ejus quem prædiximus puncti defectus in cantu versiculi quem audivit.

6. Acceptis ergo à Clara-valle multis hinc inde litteris, cum omni festinatione revertetur: & credimus annuente Deo quod non longe post octavam Assumptionis beatæ Mariæ visuri sitis desiderium, merito desiderabilem virum. Utinam enim nossemus, quantum & quam inæstimabile donum dederit nobis Deus Patrem sanctum, advocatum fidelem, patronum potentem, pastorem bonum, plenum gratia & virtutibus coram Deo & omni sæculo! Denique quod in certis locis virtutes occultet humilitate, certis didicimus experimentis, quando per ejus discessum continuo sanabantur infirmi; uti sic esset illis bene, ut ipsum nemo magnificaret. Ubi vero necesse fuit, maluit, ut ipse confessus est, sustinere proprium periculum, quàm saluti eorum non providere.

7. Erat in ecclesia sancti Saturnini, in qua hospitabamur, Canonicus quidam regularis, Johannes nomine, peritissimus medicæ artis. Is ergo septem, ut dicebatur, mensibus decubans, à sancto Pascha ita languebat, ut quotidie solum ejus obitum exspectarent. Defecerant tibiæ ejus, ita ut nequaquam viderentur puerilibus brachiis grossiores. Specialiter sane dextri femoris nervus aruerat, ut à sancto Pascha ad modicum quidem posset extendere genu. Languebat miser semivivus, & quotidie responsum mortis habens in seipso, & ne ad urinam quidem aut egestionem surgere omnino valebat. Ob fœtorem denique & languorem extra monasterium factus, erat in burgo collocatus, non sustinentibus Canonicis præsentiam ejus. Rogat ergo obnixius ut prope dominum Abbatem deferatur, & portant sex viri in grabato in cameram, quæ proxima erat hospitio nostro. Ibi visitatus à domino Abbate, confessus est ei peccata sua, & pro sua liberatione & sanitate obnixius obsecrabat. Ubi ergo benedixit ei dominus Abbas, exivit de camera, & ivimus nos quoque cum eo. Ibat autem secum cogitans & dicens tamquam servus fidelis; En, Domine, signa quærunt: & nihil proficimus aliter, quousque dissimulaveris. Et continuo exsiliens ille cucurrit post nos, ita ut vix ingressi essemus hospitium, quando sequentem nos vidimus, & ambulantem, ut ipse dicebat, non viribus, sed virtute divina. Exinde pergit ad ecclesiam gratias agens Deo, & fratres cantantes cum eo, *Te Deum laudamus.* Quanta devotione domini Abbatis osculaetur pedes, scire potest nemo nisi qui vidit.

8. Puer quidam septennis, ut dicebatur, languens inter brachia matris ignorantis quænam esset passio, cum benedictus à domino Abbate reverteretur, continuo vomuit lapidem, quem multi quoque viderunt, & sanus factus est ex illa hora. In ipsa civitate hominem jam senem, qui unius oculi lumen amiserat, per signum crucis illuminavit. Sic & puerum, qui utroque oculo cæcus erat, alterum vero jam majoris ætatis cæcum similiter illuminavit. Fuit in ipsa urbe mulier quædam, quæ subitum in capite dolorem sentiens dixit, quia non comedam donec veniam ad Virum Dei: dehinc cum cogeret eam vir ejus, ut comederet, ubi primum gustavit panem, paulo minus suffocata, & arctata gutture pervasa est à dæmonio. Exinde per triduum non poterat comedere aut bibere quicquam, donec præsentata domino Abbati, benedictum panem & aquam sumpsit de manu ejus. Præcepit deinde dominus Abbas, ut juxta nos in capella pernoctaret, volens ad eam sine turba venire secretius. In nocte vero conqueri cœpit vehementius, ita ut nunc quidem dæmon, nunc femina loqueretur, & modo in sinis-

a Confer superiorem librum tertium vitæ cap. 6.

tram, modo in dexteram partem vertebatur lingua, secundum quod mutabatur loquentis persona. Dicebat dæmon audientibus universis qui adstabant, quia non egrediar donec veniat Abbas, donec veniat Abbaticulus. Admonitus interim dominus Abbas in somnis venit ad eam: & quam in tanto cruciatu invenerat, quietam omnino dimisit. Et protinus mane facto celebrans Missarum sollemnia, dedit ei communionem sanctam, & incolumem remisit in domum suam.

9. Ex his qui manus habebant intortas in partem alteram, & digitos in partem replicatos, tres sanavit Tolosæ, tres in confiniis ejus. Allata est enim ad eum puella quædam dum oblationem susciperet: & signans manum, atque apprehendens digitos cum omni facilitate aperuit. Idipsum quoque de duobus aliis fecit, nisi quod alterius, cujus erat manus contracta utraque, erubescens propter Episcopos qui præsentes erant, parumper aperuit, & sic tradidit Militi cuidam de Templo qui præsens erat, ut ipse perficeret. Quartum ab hoc incommodo liberavit infantem quemdam apud Dameyseriam, vidente domino Engolismensi episcopo, & stupente quod ubi signavit manum & dimisit, ipsa quasi esset chorda quædam: in bonum statum conversa est, & digiti aperiri cœperunt. Ibidem sane in hora eadem & surdum fecit audire, & mutum loqui. Quintum mancum sanavit in castro quod dicitur Viride-folium, ubi sedes est satanæ, & ipse pessimi (ni fallor) hæretici puer erat. Sextum sanavit in castro quod dicitur Sanctus-Paulus, quos ex servientibus domini Legati remanere in terra aliena febris gravissima coëgisset, nisi subvenisset eis cælestis medicina panis benedicti.

10. In Albigensi civitate factum est, quod ceteris non immerito miraculis credimus præferendum. Erat enim populus civitatis illius super omnes qui in circuitu ejus sunt, hæretica pravitate contaminatus, ut audivimus; ita ut domino Legato, qui per biduum ante nos venerat, cum asinis & tympanis exierint obviam, & cum signa pulsarent ad populum convocandum, ad Missarum sollemnia celebranda, vix convenere xxx. Tertia die dominus Abbas cum multa populi lætitia susceptus est. Sed tanta mala de illis audierat, ut penitus non acceptaret devotionem eorum. Sequenti vero die, cum beati Petri sollemnitas esset, tanta ad audiendum verbum Dei multitudo convenit, ut non caperet eos grandis ecclesia. Quos allocutus dominus Abbas, Seminare, inquit, veneram, sed præoccupatum à semine pessimo agrum inveni. Verumtamen, quia rationalis est ager, Dei enim agricultura vos estis, ecce ostendo vobis semen utrumque, ut sciatis quid eligere debeatis. Et incipiens à Sacramento altaris per singula capitula, quid hæreticus prædicaret, quæve esset Fidei veritas, diligentius exponebat. Demum interrogavit eos quid eligerent: & respondens omnis populus cœpit abominari & detestari hæreticam pravitatem, & cum gaudio suscipere verbum Dei, & catholicam veritatem. Pœnitemini, inquit, igitur quicumque contaminati estis, redite ad Ecclesiæ unitatem. Et ut sciamus quis pœnitentiam agat & suscipiat verbum vitæ, levate in cælum dextras in signum catholicæ unitatis. Factum est ergo, ut levantibus omnibus dextras in cælum cum exsultatione, ipse sermoni finem imponeret. Et nos quoque epistolam terminemus. Valete.

*Finis Libri sexti.*

---

# DE VITA S. BERNARDI ABBATIS,

## LIBER SEPTIMUS.

### Excerptus ex libro cui titulus, EXORDIUM MAGNUM CISTERCIENSE, distinctione secunda.

## CAPUT I.

*De apparitione Monachi defuncti & revelatione salvandorum è Clara-valle, Bernardo facta.*

POSTQUAM divina largiente gratia, vinea Domini Sabaoth, Cisterciensis videlicet ecclesia, propagines suas emittere cœpit; fundatis jam domibus de Firmitate, & de Pontiniaco, tertio loco in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ab Incarnatione Domini M. C. quinto-decimo fundata est domus Claræ-vallis, cui etiam beatæ memoriæ dominus Stephanus Cisterciensis abbas beatissimum Patrem nostrum BERNARDUM primum ordinavit abbatem: de cujus admirabili conversatione, singulari sanctitate, speciali signorum atque virtutum prærogativa, liber licet Vitæ plenius edisserat, tamen aliqua, quæ illic prætermissa sunt, ad memoriam tanti Viri simul & ad ædificationem legentium scribere congruum puto, ne in hoc libello, qui de viris virtutum cuditur, splendidissimam columnam, cui universitas Ordinis nostri innititur, sub silentio transisse videamur.

Accidit aliquando in Clara-valle, dum Missa in conventu celebraretur, eodem venerabili Patre præsente, ut lecto Evangelio, Sacerdotis manibus lavandis aqua per negligentiam deesset; quæ cum aliquantulum diutius exspectaretur, conventus interim versis vultibus ad Orientem stabat. Cumque Pater sanctus in stallo suo inter gradum presbyterii staret, monachus quidam ante paucos dies defunctus ei visibiliter apparuit; & stans contra eum, caput quasi redarguendo movere cœpit. quem famulus Dei videns, agnovit, & quare caput contra se agitaret, quæsivit. Cui ille: O si sciretis, quantos & quales socios haberetis in cælis! profecto caveretis vobis ab omni negligentia. Quod verbum Sanctus gratanter audiens, respondit: Verene putas quod omnes qui in hoc monasterio sunt fratres, salvabuntur? Etiam, inquit, salvabuntur. Et non solum ipsi, sed & omnes qui in Ordine [a] nostro obedienter & humiliter fuerint conversati, salvabuntur. Recordatus vero pius Pater cujusdam fratris, quem pro negligentia & duritia cordis sui frequentius corripi oportebat, & ob hoc super eo multum contristabatur, subintulit dicens: Numquid de salute fratris illius certi aliquid nosti? Respondit, nec ipsi deerit misericordia Dei. Quo audito vir Domini vehementer gavisus est, & tanto alacrius cum fratribus suis propter verba labiorum Domini custodiebat vias duras, quanto certius spem mercedis æternæ sinu suo repositam tenebat.

Incuria ci- ca divina defuncto i- tata.

## CAPUT II.

*De quodam fratre defuncto, orationibus & Missarum oblationibus è Purgatorii pœnis liberato.*

DEfunctus est quadam vice conversus quidam in Clara-valle. Cumque concurrentibus fratribus commendationis officium ex more fieret, monachus quidam senior, magnæ religionis vir, audivit turbas dæmonum per catervas suas incedentium, cum magni strepitus vo-

a Eamdem sententiam Bernardo tribuit Herbertus in lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 11.

ciferatione clamare, & dicere: Eia bene, Eia modo bene! solummodo de hac mala valle unam animam in nostræ sortis partem acquisivimus. Cum vero idem senior, qui hæc audierat, per noctis quietem sopori membra dedisset, Frater defunctus ei in visu apparuit tristi & lugubri vultu, dicens ad eum: Quia audisti heri dæmones de meis suppliciis exsultantes, veni & vide, quam terribili tormento Dei omnipotentis justo judicio traditus sum. & duxit eum ad puteum quemdam magnæ latitudinis & horrendæ profunditatis, & dixit ei: Ecce in hunc puteum frequenter à dæmonibus mittor, quorum tanta est crudelitas, ut si optio daretur, mallem centies ab hominibus, quàm semel à dæmonibus hic immergi.

B Mane autem facto, dum quæ audierat & viderat, præfatus senior beato Patri Bernardo retulisset, licet ipse quoque per spiritum ea cognovisset, ingemuit, & ait: Scio quia nisi gravis causa exsisteret, numquam dæmones talem ausum præsumpsissent. Itaque capitulum fratrum ingressus, coram omnibus calamitatem fratris defuncti exponit: dehinc salubri exhortatione singulorum conscientias conveniens, monebat, ut cautius in via sanctæ religionis ambularent: multam esse malitiam dæmonum erga omnes Christianos, tamen præcipue contra monasticæ religionis professores, affirmans. Post hæc fratris animæ in suppliciis constitutæ subvenire eos attentius monens, psalmis & orationibus, Missarum quoque celebrationibus iram Domini placare hortatur, si forte pius

C Pater pulsatus precibus eorum per salutaris hostiæ immolationem, tyrannicam dæmonum superbiam debellare, & ab eorum nequitia fratris animam dignaretur liberare. Quod cum fratres devotissime facerent, paucis evolutis diebus idem frater defunctus supradicto seniori iterato apparuit, hilaritate vultus statum suum melioratum esse significans. Quærente vero sene, quomodo se haberet, respondit: Deo gratias, bene. Rursus requisitus, quomodo liberatus esset, ait: Veni & vide. Et continuo introduxit eum in Oratorium ejusdem loci, ubi ad singula altaria Sacerdotes stabant, hostiæ immolationem summa devotione celebrantes. Ecce, inquit, hæc sunt arma gratiæ Dei, quibus ereptus sum: hæcce est virtus mise-

D ricordiæ Dei, quæ invincibilis permanet: hæc est Hostia illa singularis, quæ totius peccata mundi tollit. Et vere dico tibi, quod his armis gratiæ Dei, huic virtuti misericordiæ Dei, huic Hostiæ salutari, non est quicquam quod resistere valeat, nisi cor impœnitens. Evigilans autem senex, de liberatione animæ fratris oppido gavisus est; modum quoque visionis ejusdem ceteris fratribus exponens, tanto eos devotiores ad immolationem Hostiæ salutaris reddidit, quanto certius ejus efficaciam in fratris ereptione meruerant experiri.

## CAPUT III.

*De visione beato Bernardo oblata, quæ diversa in choro psallentium merita ipsi repræsentabat.*

E Intererat aliquando nocturnis vigiliis Pater sanctus, ea puritate & devotione quâ solebat, Deo tantum nota & sibi. Cumque morosa psalmodiæ modulatio vigilias protelaret, aperuit Dominus oculos ejus: & ecce respiciens vidit singulos Angelos juxta singulos monachos stantes, & quod quisque eorum psallebat, in schedulis more notariorum, tam diligenter excipientes, ut nec minimam syllabam, quantumcumque negligenter prolatam, omitterent. Scribebant vero diverso modo. Nam quidam eorum scribebant auro, alii argento, nonnulli atramento, aliqui etiam aqua, quidam vero penitus ni-

F hil scribebant. Spiritus autem qui hæc revelabat, intelligentiam quoque diversitatis scripturæ cordi ejus inspirabat. Qui enim auro scribebant, ferventissimum in Dei servitio studium, & absolutam cordis intentionem, in his quæ psallebantur, significabant. Qui autem argento, minorem quidem fervorem, puram tamen psallentium devotionem declarabant. Qui vero atramento, continuum quorumdam bonæ voluntatis usum in psalmodia, licet non cum multa devotione, notabant. Sed qui aqua scribebant, exprimebant eos, qui somnolentia seu pi-

A gritia pressi, vel variis cogitationibus à se abducti, videntur quidem aliquid sonare, sed cor eorum longius abstractum, non concordat voci. Et ô mira Dei clementia! Sicut enim nullum malum impunitum, ita nullum bonum, quantumcumque modicum, quantumcumque negligenter factum, erit irremuneratum. Ceterum illi qui nil scribebant, lamentabilem quorumdam duritiam cordis redarguebant, qui obliti professionis suæ, timoris Dei immemores, aut letali somno, prona se voluntate immergunt; aut certe vigilantes clauso ore, vanis & noxiis cogitationibus, non ex infirmitate, sed ex voluntaria intentione occupantur; & in conspectu Domini contra legis præceptum apparere vacui non pertimescunt.

B Pater itaque sanctus qui hæc videbat, recordatus sententiæ illius, quoniam *omnes administratorii spiritus sunt in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*, sicut proficientium congratulabatur fervori, sic paterno pietatis affectu deficientium miserebatur tepiditati.

## CAPUT IV.

*De divinis hymnis pie & devote canendis, & quam id gratum Angelis.*

Celebrabantur aliquando sollemnes vigiliæ, & Vir Domini cum ceteris fratribus aderat. Cumque hym-

C nus *Te Deum laudamus* cantaretur, vidit sanctos Angelos multa claritate fulgentes, mira etiam vultus alacritate devotos, qui utrumque chorum percurrentes, modo hunc, modo illum excitabant; cantantibus aderant, & quasi congratulantes adstabant, & ut divinus ille hymnus cum devotione percantaretur, modis omnibus elaborare satagebant. Intellexit ergo Vir sanctus, hymnum illum vere esse familiarem ipsis, quos tanta instantia videbat operam dare, quatenus à fratribus ad honorem Dei cum fervore devotionis cantaretur. Cuidam etiam fratri spirituali videre concessum est, dum idem hymnus inciperetur; quod ab ore incipientis flamma magni splendoris erumpebat, & sursum conscendebat.

D

## CAPUT V.

*De pusillanimitate fratrum, notabili verbo ad fiduciam divinæ misericordiæ per beatum Bernardum erecta.*

Loquente aliquando verbum Dei fratribus beato Bernardo, cum vehementer vitia corriperet, terroremque tremendi judicii Dei mentibus incuteret; sensit in spiritu quosdam de sedentibus graviter in conscientiis suis turbari, & fere in barathrum desperationis prolabi. Tunc vero spiritu fraternæ caritatis totus flammescens, mirantibus omnibus qui aderant, in hæc verba prorupit: Quid est quod in conscientiis vestris turbamini, fratres mei?

E Ut quid enormitatem, & innumerositatem criminum vestrorum sic intuemini, ut inexhausta viscera miserationum Domini obliviscamini? In veritate dico vobis, quod si filius ille perditionis Judas, qui vendidit & tradidit Dominum, in hac Christi schola sederet, & huic Ordini incorporatus esset, per pœnitentiam veniam consequeretur. Audito itaque tam magnifico consolationis verbo, non solum illi, qui præ pusillanimitate spiritus jam fere desperabant, sed & omnes qui aderant, in spem divinæ gratiæ respirantes Dominum glorificabant.

## CAPUT VI.

F *De Monacho quodam, veritatem Sacramenti Corporis & Sanguinis Christi negante, sed cura Bernardi mirabiliter ad fidem perducto.*

Quidam Monachus hujus sancti Patris, per fallacias dæmonum, & per proprii sensus simplicitatem, in tantam cordis inopiam devenerat, ut diceret panem & vinum aqua mixtum, quæ proponuntur in altari, nequaquam transsubstantiari posse in verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu-Christi. Quapropter vivifica Sacramenta, tamquam nihil profutura sibi, sumere despiciebat. Notatus denique à fratribus, quod Sacra-

mentis altaris non participaret, convenitur secreto à A senioribus suis. Requisitus causam non negat: dicit Sacramentis se nequaquam fidem adhibere. quibus docentibus & monentibus, dum non acquiesceret, nec sanctarum Scripturarum testimoniis in medium prolatis crederet, ad venerabilem Abbatem res delata est. Cumque vocatus venisset, & Abbas sanctus secundum datam sibi sapientiam infidelitatem illius confutaret, ille respondit: Ego nullis assertionibus ad hoc potero induci, ut panem
a & vinum, quæ in altari [a] proponuntur, credam verum esse corpus & sanguinem Christi; & propterea scio, me in infernum descensurum.

Quod audiens Vir Dei, sicuti semper rebus in arcto positis mirabilem solebat auctoritatem ostendere, dixit: B Quid? Monachus meus in infernum descendet? Absit.
b Si tu fidem [b] non habes, per virtutem obedientiæ præcipio tibi; vade, communica fide mea. O pium Patrem! ô vere sapientem medicum animarum, per unctionem gratiæ docentem se de omnibus, qualiter infirmantium tentationibus mederi debeat! Non dixit, Fuge, hæretice; vade, damnare; recede, perdite: sed confidenter dixit: Vade communica fide mea. credens indubitanter, parvulum filium suum, quem sacri desiderii vulva parturiebat, donec Christus in eo formaretur; sicut nequaquam à visceribus caritatis suæ, sic nec à fundamento fidei suæ alienum exsistere. Constrictus itaque virtute obedientiæ monachus, penitus sine fide, ut sibi videbatur, C ad altare accessit: communicavit, sanctique Patris merito confestim illuminatus, fidem Sacramentorum recepit: quam etiam intemeratam usque ad diem mortis suæ conservavit.

## CAPUT VII.

*De Crucifixo Bernardum amplexante.*

*Herbert. lib. 2. cap. 19. V. hic lib. 4. n. 3.*

DOminus Menardus abbas de Moris, quod est monasterium vicinum Claræ-valli, vir religiosus, mirabilem quamdam rem, quasi de alio, retulit familiaribus suis, quam tamen sibimet evenisse putamus; ita dicens. Notus est mihi monachus, qui beatum Bernardum D abbatem aliquando reperit in ecclesia solum orantem. qui cum prostratus esset ante altare, apparebat ei quædam crux cum suo crucifixo super pavimentum, posita coram illo, quam idem vir beatissimus devotissime adorabat, ac deosculabatur. Porro ipsa majestas, separatis brachiis à cornibus crucis, videbatur eumdem Dei famulum amplecti, atque adstringere sibi. quod cum monachus ille aliquamdiu cerneret, præ nimia admiratione stupidus hærebat, & quasi extra se erat. Tandem vero metuens ne Patrem suum sanctum offenderet, si eum, veluti secretorum suorum exploratorem, ita sibi de proximo imminere conspiceret, silenter abscessit, intelligens nimirum ac sciens de illo homine sancto, quod vere supra E hominem esset tota ipsius oratio, atque conversatio.

## CAPUT VIII.

*De beneficio seu gratia quadam epileptico divinitus impetrata.*

*Ibid. cap. 20.*

EXiit aliquando Pater sanctus ad visitandum fratres suos metentes in agro. Sed quoniam infirmus erat, & pedes ire non poterat, perrexit asello. Porro monachus quidam cum eo tunc ambulans, atque asinum minans, cum ab olim pateretur caducum morbum, subito coram eo in ipso itinere corruit, & cœpit ab eadem epilepsia graviter torqueri. quo viso Vir sanctus condoluit F ei: unde & deprecatus est Dominum pro eo, ut passio illa non apprehenderet amplius improvisum. Igitur ex eodem tempore usque in diem mortis suæ, per viginti & eo amplius annos, quibus postea supervixit, datum est ei quod antea non habebat, quodque ceteris epilepticis vix contingit. Quoties enim ex eodem morbo cadere debebat, passionem ipsam per aliquantum temporis spatium præsentiebat, ita ut opportune posset lecto decumbere, & repentini casus elisionem jugiter præcavere. Et quidem Pater sanctus, qui hoc ei munus à Domino impetravit, credimus quia perfectam ei sanitatem obtinere potuisset, si hoc saluti animæ expedire cognovisset. Sed quia homo ille gravis moribus ad portandum, & duri admodum cordis erat, cui salvando & virga correctionis, & baculus consolationis semper necessaria videbantur: concessum est ei misericorditer, ut subitanei casus periculum præsciendo jugiter declinaret, & salutiferi morbi stimulo non careret.

## CAPUT IX.

*De quodam moribundo, ex mandato beati Bernardi mortem differente.*

*Herbert. lib. 1. cap. 15*

QUidam de fratribus Claræ-vallis, cum esset positus in extremis, ingressus est ad eum visitandum beatus Bernardus post Completorium; & videns hominem morti proximum, jamjamque migraturum, dixit ad eum: Nosti, carissime frater, quod conventus noster modo fatigatus est labore; & jam post modicum habet ad vigilias surgere. quod si te interim obdormiente oporteat illum suam interrumpere dormitionem, nimis vexabitur, & prægrandes vigilias minus sollemniter exsequetur. Ut ergo bene tibi sit, & æternaliter vivas in terra viventium, ad quam ingrederis possidendam, in nomine Domini nostri Jesu-Christi præcipio tibi, quatenus usque ad horam divini officii exspectes nos. Cui æger respondit: Faciam, domine, libenter, ut imperasti, si tamen voto meo tuis precibus suffrageris. Abiit itaque Abbas sanctus cum silentio in dormitorium: & ille qui extremum fere anhelitum trahebat, non obiit ante terminum constitutum. Mox itaque ut signum ad vigilias pulsari cœpit, pulsata est etiam tabula, & ille decessit. Quod non modo de isto fratre, sed etiam de pluribus aliis pluries accidit, ut ad nutum & voluntatem beatissimi Patris eorum finis protelaretur.

## CAPUT X.

*De fratre magis rei familiaris, quam fraterna caritatis studioso, & in pœnam extra Claram-vallem mortuo.*

*Idem lib. cap. 11.*

CUm audisset aliquando Vir Domini, quemdam de filiis suis spiritualibus, virum bonum & religiosum, missum ab eo in Normanniam, desperata ibidem ægritudine laborantem, decrevit mittere & reducere eum ad se, ut devotus frater in nidulo suo moreretur, & desiderata sibi sepultura non privaretur. Verumtamen unus de fratribus ejus carnalibus, nomine Guido, nitebatur huic obviare consilio: quia cum esset unus ex provisoribus Claræ-vallis, intendebat, ut credo, parcere sumptui & labori. qui cum pertinaciter hujusmodi persuasioni insisteret, dixit ad eum beatus Bernardus: Numquid major cura est tibi de pecunia vel jumentis, quam de fratribus tuis? Quia ergo non vis ut fratres nostri nobiscum requiescant in valle ista, nec tu ipse requiesces in ea. Et factum est ita. nam idem Guido, quamquam alias vir bonus & religiosus esset, tamen ut sermo Sancti impleretur, non est consummatus in Clara-valle, sed apud Pontiniacum præventus ægritudine lecto decubuit, ibique disponente Deo terminum vitæ, & locum sepulturæ accepit.

## CAPUT XI.

*De sancto Bernardo, spiritu suis in Clara-valle fratribus præsente, etiam dum foris ageret.*

*Ibid. cap.*

VEnerabilis Pater Bernardus cum aliquando per annos tres moratus fuisset in urbe Roma atque in partibus Italiæ, pro sedando schismate Petri Leonis, in quo videlicet tempore eumdem famulum suum Christus Dominus magnifice honestavit: tandem reversus Claram-vallem

a Vide aliud haud absimile factum apud Herbertum lib. 3. cap. 26

b Erat ergo involuntaria tentatio. nam alias Bernardus laudat factum Malachiæ erga quemdam presbyterum in simili errore contumacem, qui erroris tandem in morbo extremo pœnitens, *confessus reatum absolvitur, petit Viaticum.*

ram-vallem, statim post factam orationem, Capitulum fratrum intravit: & quia fatigatus ex itinere, diu loqui non poterat, brevem quidem sermonem, sed consolatione plenum protulit, ita dicens: Benedictus Deus, qui vos dilectissimos fratres meos mihi reddidit, & me qualemcumque Patrem vestrum vobis. Et ego quidem, filioli, quamvis per hoc triennium visus fuerim longe remotus à vobis, non tamen putetis me semper absentem fuisse. Sciatis enim quod tribus vicibus interim reversus sum ad vos, visitans domum istam, officinasque perambulans, & semper exhilaratus & consolatus abscessi, videns unanimitatem atque instantiam vestram in proposito Ordinis vestri.

Innumera sunt alia quæ iste famulus Dei dixit & fecit, in quibus manifeste apparebat eum prophetali gratia præditum, multoties ibi præsentem esse spiritu, ubi absens corpore videbatur; multaque abscondita & etiam longius posita Domino revelante cognoscere, quæ ipsum latere videbantur. Hæc autem significavit nobis dominus Gerardus, quondam abbas Longi-Pontis, qui unus ex antiquis senioribus Claræ-vallis, dicta & facta sancti Patris rimari studiose satagebat. Ipso quoque referente audivimus, quod iste Dei Sanctus, dum in quodam monachorum Capitulo Verbum Dei prædicaret, duo ex fratribus, qui aderant, viderunt eum in subsellio, in quo residebat, in aëre suspensum, & quasi mensura unius pedis à terra sublevatum.

## CAPUT XII.

*De gratia beato Bernardo divinitus concessa, qua absens suorum necessitates noverat.*

Iste fidelis & prudens dispensator annonæ Dominicæ quodam tempore pro causis Ecclesiæ solito diutius foris moratus fuerat. Siquidem pro pace facienda, pro schismate resarciendo, pro hæresibus confutandis, frequenter ex mandato Summi Pontificis, licet invitissimus, exire cogebatur. Explicitis itaque causarum nexibus, pro quibus exierat, ad monasterium revertitur: & quam citius opportunitas datur, cellam Novitiorum ingreditur: D quatenus novelli & teneri filioli, quos lacte nutriebat, quanto diutius sacræ exhortationis ipsius dulcedine caruerant, tanto copiosius ab uberibus consolationis ejus reficerentur. Quaquaversum enim sanctus Pater exibat, verbum Dei seminabat super omnes aquas: & vix umquam absque fœnore spiritualis lucri redibat; implens cellam probationis multitudine Novitiorum, quorum numerus aliquando ad centum extendebatur, ita ut ad horas divini officii, Noviitiis chorum replentibus, exceptis paucis senioribus, qui disciplinæ providebant, monachi[a] foris stare cogerentur. (a)

Cum ergo, sicut prædiximus, cellam Novitiorum intrasset, & in lingua sua illa placabili & ædificatoria cunctos hilares, & ad observantiam sacri propositi ferventiores reddidisset; unum ex eis seorsum revocans dixit ad eum: Fili carissime, unde tibi hæc tristitia, quæ intimos recessus cordis tui tam perniciose depascitur? Novitio autem præ verecundia vix aliquid loqui audente, ait ille vere mitis & humilis corde, qui se pastorem, & non mercenarium omnibus exhibere noverat: Scio, fili dilectissime, scio, quæ circa te aguntur; & propterea paterno pietatis tibi compatior affectu. In hac namque tanta mora absentiæ meæ, cum desideratissima semper mihi fratrum meorum præsentia corporali carere compulsus fuissem; & per Domini gratiam concessum mihi esset, ut quod corporaliter non poteram, spiritaliter supplerem; rediens in spiritu singulas circuirem officinas, qualiter se fratres haberent, diligentius explorans, etiam ad cellam Novitiorum accessi: in qua cum universos in timore Dei exsultantes, & ad pœnitentiæ labores accinctos invenissem, te solum nimia tristitia deperire considerans, ingemui. Cumque blandiendo tibi te mihi adstringere vellem, tu me aversatus, & faciem à me avertens, amarissime flebas, ita A ut cuculla nostra lacrymis tuis infunderetur. Hæc dicens Pater sanctus, & spiritualibus monitis aggressus captivum, mærorem fugavit, & in spiritalis lætitiæ libertatem, jam pæne tristitia absorptum revocavit.

Vere mirabilis Deus in sanctis suis: vere ineffabilis Deus, & ineffabilia opera ejus. Quid enim in hoc beatissimo Patre nostro magis admirer, nescio: an quod tantam & tam insolitam gratiam à Domino percipere non semel, sed pluries meruit: seu quod tam excellentem gratiam percipiens, non eam apud se servavit[*], teste conscientia: sed nec paucis familiaribus suis eam revelavit, quod certe & ipsum sine periculo vix fieri posse videretur. Verum in publico conventu, sicut supra retulimus, B coram universitate fratrum, eam sibi collatam esse manifestavit, & tamen mentem adeo in timore Dei solidatam habuit, ut vanitatis spiritu nequaquam pulsari timeret. Invenitur etiam in gestis[b] hujus beati Viri, quod adhuc in carne degens, Novitio cuidam in Clara-valle graviter ægrotanti, cum multitudine monachorum in spiritu apparuit, prædicens ei, quod quinta die foret moriturus; & quod ipsa quinta die, sole jam ad occasum vergente, visitans eum jussit confidere, & nihil timere, sed recto protinus cursu pertingere ad Dominum Jesum-Christum, & offerre ei humilem suæ Claræ-vallensis familiæ salutationem. Ad quam vocem Novitius, qua potuit capitis inclinatione, & motu annuens labiorum, clausis oculis C eadem hora obdormivit in Domino.

Vanæ gloriæ spiritu non pulsatur. b

## CAPUT XIII.

*De vocatione plurium Clericorum Parisiensium ad religionem.*

Quadam præterea die cum vir Domini Bernardus, causa exigente Parisios adiisset, rogatu Clericorum ingressus est de more scholas eorum. Quibus ostendens formam veræ philosophiæ, monebat eos attentius de mundi contemptu, & subeunda pro Christo Domino voluntaria paupertate. Explicito vero sermone, cum nemo ex eis converteretur, tristis egressus est, eo quod præter votum, & præter solitum id ei accidisset: veniensque ad domum cujusdam Archidiaconi, qui eum ad hospitium suum traxerat, recessit in oratorium ibidem constitutum. Cumque cœpisset orare in spiritu vehementi, validissima compunctione totus in lacrymas resolutus est; ita ut gemitus & singultus, quos cohibere non poterat, foris audiri contingeret. Quo comperto præfatus Archidiaconus à sociis ejus requirere cœpit, quænam esset causa tanti mæroris. Respondens autem unus ex eis, vir religiosus, quondam abbas Fusniaci, nomine Rainaldus, qui secretorum famuli Dei magis conscius erat, & ejus etiam relatu ista cognovimus, dixit ad eum: Homo iste mirabilis, totus igne caritatis accen- E sus, & totus in Deum absorptus, nihil aliud in mundo desiderat, nisi tantummodo, ut valeat errantes ad viam veritatis reducere, & eorum animos Christo acquirere: & quia modo verbum vitæ seminavit in scholis, & de conversione * Clericorum fructum verbi sui non recepit, Deum sibi putat iratum, cujus hodie in sua prædicatione non sensit respectum. Hinc ista procella gemituum; hinc effusio lacrymarum: proinde hinc certissime spero, quod hodiernam sterilitatem crastinæ satisfactionis ubertas grandi fœnore compensabit.

Herbert. lib. 2. cap. 17.

Dolet prædicationem suam fructu sperato frustrari.

* Sermo ille de Conversione ad Clericos Tom. 2.

Mane itaque facto cum scholas repetisset prædicator egregius, ad nutum Domini navem cogitationis duxit in altum, & sacræ Scripturæ retia laxavit in capturam. F Finito vero sermone, plurimi ex eisdem Clericis per manum illius sese Domino reddiderunt. Quos ille protinus de mundi periculo, tamquam de marinis fluctibus extractos, & vehiculis conductis impositos in salvatorium Claræ-vallis inferre non distulit. Tandem egressus de civitate cum comitatu suo usque ad villam sancti Dionysii venit, ibique pernoctavit. Summo vero mane, cum eum recto itinere profecturum Fratres illius æstima-

Margin notes (left, partly cut): ...tii tio- ...bsens; ...rmo- Gau- de S. ...rdo 3.

a Septingentos apud Claram-vallem monachos fuisse tum, cum Bernardus mortuus est, tradit Gaufridus supra in lib. 5. num. 20.

b Quæ sint hæc gesta, necdum nobis compertum. Consimile refertur ab Herberto in lib. 2. cap. 40.

rent, dixit: Redeundum est nobis omnibus Parisius, A quia sunt adhuc ibi aliqui ex nostris, quos etiam oportet nos inde abducere, & jungere huic ovili Dominico, ut fiat unus grex, & unus Pastor. Cum ergo cœpissent introire civitatem, vidit Clericos tres à longe in occursum ejus venientes, dixitque ad socios suos: Expedivit nos Dominus; jam in viam nostram proficiscemur. En isti sunt Clerici, propter quos venimus. Illi vero accedentes, cum eum adesse cognoscerent, gavisi sunt gaudio magno, & dixerunt: O quàm desideratus advenis, beatissime Pater, quia propositum nostrum erat adire te, & vix putabamus abeuntem consequi posse. Qui respondens, dixit ad illos: Et ego noveram, dilectissimi, propterea festinabam cum panibus occurrere fugientibus vo- B bis. Gradiamur itaque simul, eroque per gratiam Dei ductor itineris vestri. Adjunctis ergo ceteris supra nominatis, secuti sunt hominem sanctum adhærentes ei, & sub disciplina magisterii ejus spiritualem militiam exercentes cunctis diebus vitæ suæ.

## CAPUT XIV.

*De mirabili dono prophetiæ in sancto Bernardo, & de prædictionibus ejus impletis.*

AD benedictionem hujus sancti Patris Bernardi, quidam aliquando Novitii ejus veterem hominem cum actibus suis exuentes, novum qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, induerunt; C de quibus Vir beatus in spiritu Dei loquens prædixit, omnes eos gratiam spiritalis dignitatis adepturos; nomen & officium Abbatis sortituros. Cumque succedentibus annis, temporibus opportunis in singulis eorum verbum prophetiæ hujus effectui manciparetur, unus ex eis, nomine Petrus, quem in Suecia ad domum Novæ-vallis Abbas sanctus direxerat, post obitum ipsius per annos quamplurimos, usque ad senectam, immo pæne decrepitam ætatem absque hoc munere gratiæ vixit, eo quod simplicioris esset naturæ; & ad tantum officium administrandum minus idoneus existimaretur. Sed quid? numquid vel in extremis finibus mundi latens, vel gravioris D ætatis incommoda sustinens, omnipotentiam sancti Spiritus effugere potuit, quo minus impleretur de eo, quod per os prophetæ sui Bernardi idem Spiritus tanto ante prædixerat?

Denique per tanti temporis spatium, cum jam fere in oblivionem venisset, quod de hoc columbinæ simplicitatis homine Pater sanctus prædixerat, accidit ut fratres de quadam domo Novæ-vallis, in insula, quæ Gotlandia dicitur, sita, destituti pastore, secundum generalem consuetudinem Ordinis ad matrem suam recurrerent, quatenus per providentiam & sollicitudinem patris Abbatis domui ipsorum dignus dispensator constitueretur. Et volente Domino, sine cujus nutu nec folium arbo- E ris, nec unus passerum in terram cadit; tam patri Abbati, quàm ceteris, qui electioni intererant, placuit, ut prædictum senem in hanc partem sollicitudinis assumerent, qui tanto fiducialius de pietate Dei sanctissimique Patris sui meritis confideret, quanto humilius de sua insufficientia diffideret. Quod ubi factum est, & verbum quod olim Sanctus prædixerat, ad memoriam revocatum, ubique divulgatum est; mirati sunt omnes qui audierunt, dicentes, promotionem tam senis & simplicis hominis ad hoc tantum divina dispensatione fuisse provisam, ne ex omnibus, quæ per spiritum prophetiæ locutus est homo Dei, unum saltem iota vel unus apex incassum prolata viderentur.

De hoc Petro V. Henriq. in Menol. 10. Jun.

## CAPUT XV.

*De latrone à crucis supplicio per sanctum Bernardum liberato, sed cruci religiosæ deinceps addicto.*

Herbert. lib. 2. cap. 13.

F COntigit aliquando, eumdem Dei famulum pro quibusdam negotiis adire Comitem Theobaldum. Cum appropinquaret oppido, ubi ille tunc erat, obviam habuit turbam hominum copiosam, qui jubente Comite latronem quemdam facinorosum atque famosum ad supplicium pertrahebant. Quo viso clementissimus Pater apprehendens manu sua lorum, quo erat miser adstrictus, ait tortoribus ejus: Dimitte mihi sicarium istum: ego enim volo manibus meis suspendere eum. Audiens autem Comes adventum hominis Dei, festinavit illico occurrere ei: miro namque devotionis affectu semper eum dilexit, atque eum honoravit. Cumque videret funem in manu ejus, quo latronem post se trahebat, exhorruit vehementer, & dixit; Heu venerabilis Pater, quid est quod facere voluisti? ut quid enim furciferum istum millies condemnatum à porta inferi revocasti? numquid eum salvum facere poteris, quia jam totus diabolus factus est? Desperata est penitus correptio illius, nec umquam bene facere poterit, nisi moriendo. Sine ergo, domine pater; sine perditionis hominem perditum iri, quoniam de pestifera vita ejus multorum vita periclitatur.

Respondens autem Pater sanctus dixit: Scio quidem, virorum optime, scio hunc latronem esse sceleratissimum, omniumque tormentorum acerbitate dignissimum. Non me ergo existimes hujusmodi peccatorem impunitum velle relinquere, quin potius cogito ipsum tortoribus tradere, & dignam ex eo capere ultionem, quæ utique tanto dignior erit, quanto diuturnior. Tu illum decreveras brevi supplicio & momentaneo interitu consummari: sed ego eum faciam diuturno cruciatu, & morte longissima mori. Tu furcis appensum per unum, aut per plurimos dies mortuum in patibulo manere permitteres: ego crucifixum per annos plurimos faciam in pœnis jugiter vivere & pendere. Quo audito Princeps christianissimus siluit, nec ausus est ultra contradicere sermonibus sancti. Protinus ergo benignissimus Pater exuta [a] tunica sua, ex ea induit captivum suum, & attonsa coma capitis ejus sociavit illum ovili Dominico, de lupo faciens agnum, de latrone conversum. Qui veniens cum eo ad Claram-vallem, factus est deinceps obediens usque ad mortem, pulcre nominis sui etymologiam exprimens in constantia propositi sui: Constantius enim vocabatur. Itaque triginta, nisi fallor, & eo amplius annos in ordine supervivens, migravit ad Dominum, qui eum per merita beatissimi Patris nostri à duplici morte, corporis videlicet & animæ, misericorditer eripere dignatus est.

## CAPUT XVI.

*Qua reverentia S. Bernardus susceptus est Mediolani.*

DOmno Rainaldo, cujus supra mentionem fecimus, indicante cognovimus, quod famulus Dei Bernardus, cum venisset aliquando Mediolanum pro reconciliando schismate Petri Leonis, cum tanta exsultatione universorum susceptus est; ut tota civitas fere per unam leucam rueret in occursum ejus. Multi vero eorum per quatuor aut quinque milliaria processerunt. Ita denique sibi in ipso complacuerunt, ut cum eum antea non vidissent, ingressum in urbem mox in Archiepiscopum unanimi consensu raperent potius, quàm eligerent. Quod cum ille recusasset; parati erant omnino vim facere, nisi fuga latenter evasisset. Cum ergo ibi sederet in quadam amplissima domo, tanta circa eum erat hominum multitudo, ut nullus ingredi posset. Interea quidam de civibus ejusdem urbis; vestitu & vultu honorabilis, cum Dei hominem omnimodis adire cuperet, & nusquam aditum reperiret, mediis se turbis ingessit, manibus ac pedibus reptans, & super colla sedentium gradiens, quousque ad ipsum quem desiderabat perveniret. Cumque apprehendisset pedes ejus, cœpit eos mira devotione amplecti, & deosculari. Quod videns supradictus Rainaldus, qui propius assidebat, accessit ut amoveret eum, sciens utique, quia Vir sanctus hujusmodi

Herbert. lib. 2. cap. 11.

[a] Hinc non immerito infert Manricus ad annum 1146. cap. 3. tunc temporis jam morem fuisse, ut Novitii in veste non sæculari, quod Regula præcipit, & Bernardus tradit epistola 1. sed religiosa induerentur, tunicæ & cappæ addita tonsura.

venerationibus & obsequiis nimis gravabatur. Ille vero A conversus dixit ad eum: Dimitte me, obsecro, dimitte me videre & tangere hominem proximum Deo, & vere apostolicum virum. dico enim tibi, & in fide Christiana testificor, quia vidi illum inter Apostolos Christi. Quod audiens monachus ille miratus est, & cupiens plenius nosse, volebat ab eo inquirere modum visionis hujus, sed præ pudore propter adstantes non præsumpsit. verumtamen magnam exstitisse revelationem ipsam certissime credidit, pro qua vir ille tam vehementer affectus erat erga famulum Dei.

## CAPUT XVII.

*De petulantia hæretici cujusdam, Bernardo insultantis, lepide retusa & confusa.*

rt. lib. . 16.

QUodam tempore, cum Legatus domini Papæ, alique quoque Episcopi pro confutanda hæresi Manichæorum ad partes Tolosanas sanctum Domini Bernardum secum traherent, paraverunt ei fratres equitaturam solito meliorem, quæ tam longo itineri sufficere posset. Qui cum ad illas partes comitantibus Episcopis devenisset, Henricus quidam, quondam monachus niger, tunc autem apostata vilis, & eorumdem hæreticorum princeps, cognito adventu famuli Dei, veritus est à facie ejus, sciens quod non posset resistere sapientiæ & spiritui, qui in eo loquebatur. Proinde maturata fuga delituit, & minime potuit usquam eo tempore reperiri. Ibi quoque glorificavit Dominus servum suum in conspectu totius populi & principum terræ, faciens quotidie per manus illius signa & prodigia magna in plebe. Nec facile credi potest, quanta turbarum infinitas apostolicum virum tota die prosequebatur, dum alii eruditionem, alii curationem, universi ab eo benedictionem postularent. Quadam igitur die, præsente innumerabili hominum multitudine, cum eos copiosius de fide catholica conservanda, & de immunda hæreticorum societate vitanda commonuisset: contigit quemdam adesse de hæreticis illis, qui potentior ceteris atque prudentior videbatur: qui cum amaro oculo cerneret venerationem, quam Dei famulo populus impendebat; moliebatur aliquid agere, unde claritatem opinionis ejus aliquatenus obnubilaret, & daret maculam in gloriam illius. Jamque expletis omnibus, quæ ad præsens necessaria videbantur, Vir Dei equum suum ascenderat, ut abiret: & ecce, prædictus hæreticus, quasi coluber tortuosus, erecto capite venit ante hominem Dei, & clamans coram omnibus ait: Domine Abbas, sciatis quia caballus magistri nostri, qui tam malus vobis apparet, non ita cervicosus & pinguis est, sicut iste sonipes vester. Quo audito, Vir mitis & patiens respondit ei mox tranquillo vultu & animo, dicens. Non diffiteor, amice, quod adstruis. Verumtamen scire te convenit, quia jumentum istud, de quo mihi insultas, brutum est animal, unum utique ex illis, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit. Quod si pro libitu suo comedit, atque pinguescit; nihil inde justitia læditur, nihil Deus offenditur: quia jumentum, quod suum est, facit. Proinde non erimus arguendi in judicio Dei, ego & magister tuus de cervicibus jumentorum, sed unusquisque de collo suo judicabitur. Nunc ergo, si placet, respice collum meum, & vide si grossius sit collo magistri tui, unde me juste forsitan reprehendere poteris. Hoc itaque dicto capucium [a] exuit, & capite denudato usque ad humeros, apparuit ipsius collum, ut erat productum & gracile: quod quamvis esset carnibus exesum & tenue, erat tamen ex dono cælesti pulcrum & candidum nimis, sicut collum oloris, quod cum viderent universi qui aderant, lætati sunt lætitia magna, benedicentes Dominum, qui dedit in ore famuli sui tam paratum & conveniens responsum; unde confunderetur, & obstrueretur os loquentis iniqua.

## CAPUT XVIII.

*De cæco, mirabili fiducia & devotione erga ipsa S. Patris absentis vestigia, visum recipiente.*

DUm adhuc in eadem regione reverendissimus Pater moraretur, & tamquam ex Apostolis unus circuiret per castella & civitates evangelizando & curando omnes languores, hæreticorum quoque turpissima deliramenta redarguendo, convincendo, confutando: accidit, ut cæcus quidam in vicinia eadem, comperta fama virtutum atque signorum, quæ per manus hominis Dei B multiplicabantur per dies; spe recuperandæ sanitatis animatus, eumdem Dei famulum adire decreverit, si forte beneficio cælestis gratiæ, quæ per ipsum miseris mortalibus copiose tribuebatur, sibi quoque cæcitatis caligine detersa lumen dulce restitueretur. Accelerans itaque, & ubinam Sanctum Dei reperire posset, sollicitus inquirens, audivit eum in quodam celebri conventu, in medio magnæ multitudinis consistere, verbumque vitæ disseminare. Quo cum pedibus offendens, & anhelus currens pervenisset, tristi rumore percellitur, quoniam Vir Domini jam inde recesserat, & ad alia loca transmigraverat. Quid tamen ageret? siquidem desiderium recipiendæ sanitatis cum eum ulterius currere compelleret, densissimæ tenebræ quæ ejus oculos obsederunt, pi- C grum & minus expeditum reddebant. Cumque in defectione mentis multa tristitia tabesceret, subito divina gratia inspiratus, & de meritis beatissimi Viri spem toto corde concipiens, circumstantibus ait: Rogo per misericordiam Dei, ducite me ad locum illum, in quo hominem Dei stetisse certissime scitis. Quod cum benevolentia eorum, qui aderant, continuo consecutus fuisset; veniens ad locum, toto corpore in terram prosternitur, mira devotione pulverem ipsum, in quo sacra Viri Dei vestigia steterant, deosculando, Dominique misericordiam per merita Servi sui enixius implorando. Quod cum diutius faceret, & de ipso pulvere fide plenus oculos suos confricaret; repente miserante Domino, qui D sanctitatem famuli sui, licet absentis, etiam in hac gratia declarare dignatus est, lumen oculorum recepit. Quod factum non solum catholicis fidei orthodoxæ firmamentum contulit, verum etiam malegloriis hæreticis confusionis & opprobrii notam adauxit. Ceterum quis digne referre sufficiat, quam fundatus in humilitate, submissus in timore, pavidus circumspectione fuerit hic Vir beatus, in omni gloria & honore, quo colebatur à populis, tribubus, & linguis, quocumque eum negotiorum ecclesiasticorum causa devenire contigisset? Ut enim de ceterarum regionum nationibus taceam, qui catholicæ fidei puritate illustrabantur, certe hi ipsi Gasconiæ populi, quos de faucibus profundissimæ hæreseos E Pater sanctus verbo prædicationis, signis etiam & prodigiis admirandis, tamquam de ventre inferi revocabat, ipsum tanto devotionis venerabantur fervore, ut cedens aliquando importunitati eorum, & in cathedra residens, seipsum voluntati eorum exponeret. Tantaque fuit multitudo irruentium populorum benedictionem poscentium, ac sacras manus deosculantium, ut tenerrima prorsusque attenuata carne ipsius compressionem & impetum crebro deosculantium ferre non valente, manus & brachia sacra in modum pugnorum intumescerent, & unde alii benedictionem sibi, per virtutem quæ de illo exibat, procurabant, inde ipse debilitatus, & penitus conquassatus, graves corporis molestias sustineret. Per omnia benedictus F Deus, qui his novissimis diebus in Cisterciensi Ordine, tam perfectæ religionis & consummatæ justitiæ hominem suscitare dignatus est, per quem monasticus Ordo in antiquum sacræ religionis vigorem refloresceret, & Ecclesia Dei per apostolicam gratiam ipsi collatam divinæ misericordiæ beneficia plurima consequeretur.

a Huc referri potest id quod de cœnobitis sui temporis scribit Otto Frisingensis in Chronici lib. 7. cap. 35. *Ponunt ad carnem tunicas asperrimas, superque eas alias* (id est cucullas) *cum caputiis latiores. Differunt autem in hoc, quod alii ob contemptum mundi exprimendum eamdem vestem nigram tantum gerunt: alii vero de colore vel grossitudine nihil causantes, albam vel griseam, aliamve; abjectam tantum & asperam, ferre consueverunt.*

## CAPUT XIX.

*De impio quodam & blasphemo, à mortuis per beatum Bernardum resuscitato.*

TErram Jerosolymorum tempore quodam occupantibus Sarracenis, beatus Bernardus (cujus animam Christianæ desolationis gladius acerbitate singulari perfoderat) circumquaque discurrens, ad ulciscendam Salvatoris injuriam, & ad expugnationem gentis incredulæ, turmas fidelium non verbis tantum, sed signis & virtutibus hortabatur. Accidit autem cum in Alemanniam deveniret, & egredientem die quadam, de *Friburg* oppido memorabili in partibus Brisgaudiæ constituto, à quodam Henrico viro nobili, & adhuc juvenculo, ad quamdam mansionem ipsius, ubi erat in vespera pernoctandum, deduci, præeunte copiosa multitudine, & sequente. Cum autem idem Henricus accepto jam crucis signaculo non equitare, sed pedes proposuisset incedere, donec expensarum apparatu collato, propositæ peregrinationis iter arriperet: nihilo minus Abbas sanctus ipsum ascenso equo secum comitari præcepit. Ascenso igitur equo secutus est protinus Abbatem. Videns hoc, & invidens quidam vir Belial, serviens ejusdem Henrici, homo totius pravitatis amator, & boni totius incredulus, in servum Dei cœpit graviter blasphemare, & dominum suum talibus insequi maledictis: Ite modo, & diabolum illum sequimini, & ipse vos diabolus apprehendat. A latere vero duæ mulierculæ venientes, inter se tertiam deportabant, pedum & quorumdam membrorum destitutam officio & contractam, virumque Dei rogare volebant, ut calamitatem infirmæ & bajularum angustias curationis optatæ remedio relevaret.

Porro Henricus hanc intuens & misertus, Ægram, inquit, super collum equi mei mihi porrigite, & vos ad servum Domini properantes subsidium implorate. Præfatus vero serviens ad hoc etiam pietatis opus domini sui indignans & impatiens, usquequaque ipsum invectione arguit acriore, quia ad incantatorem & maleficum & mentium eversorem esset miseram delaturus. Cui Henricus: Non, inquit, sed defero, ut ad benedictionem Viri Dei recuperet sanitatem, & ex certissima ejus salutis fiducia tibi polliceor, quod si non eam sanaverit, equum cui insideo, tibi dabo. Verbum igitur hoc ille gratanter & gratulanter accipiens, tota diffidentia faciendæ virtutis risit pariter & irrisit, tam de curatione diffidens, quàm de equi adeptione prægaudens. Illa vero dum ad Sanctum Domini delata fuisset, & desideratam sibi benedictionem illius adepta, ilico surrexit incolumis, alieno jam, sicut hactenus, ministerio non gestanda. Viso hoc serviens stupefactus, in impetu spiritus maligni, quem gerebat in pectore, festinavit præire parumper, ut conversus in faciem Viri Dei, quicquid nequius vel turpius adspirante satana concepisset interius, in ipsum toto conamine maledicens & convicians jactitaret. Verum ultione Domini protinus concurrente, ipse retro corruit resupinus, & cervice collisa spiritum exhalavit. Unde subito lamentandæ mortis ejus dolore perculsus Henricus, casum lugubrem & occasum nuntiavit Abbati, supplicans ut cum paulum processisset, ad tam triste spectaculum remearet, dicente quoque eodem Henrico: Hoc ei propter vos accidit, quoniam in vos blasphemus esse & contumeliosus non timuit. Heu, inquit, nolit hoc Dominus, ut propter me quispiam moriatur.

Retrogressus igitur ad orationem, in qua sola in omni difficultate fidebat, se contulit, & ad longitudinem unius *Pater noster*, super eum silenter oravit: & mox præcepit adstantibus illum erigere: qui erectus, utpote jam defunctus, caput, carens cervicis suffragio, agebat miserabili circumflexu. rursusque ait: Tenete, tenete firmiter ei caput. Demum appropinquans, & saliva sua, cujus medicinali unctione persæpius utebatur, loca læsuræ deliniens & consignans; In nomine Domini, ait, surge. Et iterum: In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti Deus tibi spiritum tuum reddat. Ille vero recepto mox spiritu factus est in animam viventem, vel potius redivivam, A mirantibus præ gaudio, & in cælum voces ac laudes tollentibus universis qui aderant, & viderant tam manifeste mortuum revixisse. Interrogatus denique ab eodem Sancto Dei, quomodo victurus, quid acturus esset in reliquum: Domine, ait, modo quo jusseris vivam, faciamque quicquid præcipies, quicquid voles. Ab adstantibus utrum esset jam mortuus: Mortuus, inquit, eram, & sententiam damnationis acceperam, ac nisi Abbas sanctus festinasset accurrere, eram ad inferna ducendus. Ad exhortationem quorumdam adstantium crucis accepit signaculum, & cum ceteris Jerosolymam est profectus. Henricus iste in eodem itinere Deo & beato Bernardo se reddidit, & in Clara-valle postmodum monachus ejus fuit. Hoc ipse B miraculum cum fidelibus oculis esset intuitus, crederetque scriptoribus vitæ sancti Patris esse notissimum: deprehenso tandem fuisse silentio missum, indoluit, & ad gloriam Dei & Sancti sui, juxta quod præsentanee fuerat contemplatus, narravit, ut in quanta gloria sit habendus, quem ita glorificavit Altissimus, audiat & intelligat omnis generatio in sæculum sæculi secutura.

## CAPUT XX.

*De Alexandro Canonico & Doctore Coloniensi, per sanctum Bernardum ad religionem mirabiliter vocato.* Ex lib. Exordii M. dist. 1. c. 25.

APud Coloniam Agrippinam, quæ est insignis metropolis Germaniæ secundæ, fuit Magister quidam Alexander nomine, canonicus *, doctorque famosissimus in eadem urbe. Accidit autem, ut Dei famulus beatus Bernardus Claræ-vallensis abbas jubente Eugenio Papa Germaniam ingrederetur, Jerosolymitanum iter Conrado Imperatori, & populo terræ prædicaturus. Cumque ibidem signis & virtutibus innumeris coruscaret, videns Imperator mirabilia magna quæ Dominus per eum ostendebat, compunctus corde, crucis signum de manu illius accepit, Jerosolymam profecturus. Nec distulit hoc idem facere infinita hominum multitudo, ita ut incredibili fidei ardore succensi scissuras & fimbrias de vestimentis famuli Dei, qui propter hoc ipsum D nova frequenter accipere cogebatur, undique certatim diriperent, seque infelices arbitrarentur, quicumque de indumentis ejus cruces habere non mererentur. Multi quoque ex eis nobiles & sapientes viri per manum illius sese Domino reddiderunt, qui in Claramvallem ab eo deducti, & monachi facti, maximum deinceps in Ecclesia Dei fructum Deo attulerunt. Ex quibus etiam erat unus supra memoratus vir nobilis Alexander, qui eo tempore vivens, & sæcularis scientiæ typho turgens; divitiarum quoque & transitorii honoris infulis adornatus, nihilo minus conversionem, quam non cogitabat, sed Deus qui comprehendit sapientes in astutia sua, mirabili hoc ordine, sicut sequentia declarabunt, adimplevit.

*V. dicta supra lib. 6. Eadem ap. Herbert. l. 2. cap. 23.

Cum enim beatissimus Pater Bernardus ipsum de conversione monuisset, ille sæculari scientia vel opulentia tumens, respondit se ad præsens nihil minus cogitare vel velle, quàm habitum sumere monachalem. Eadem igitur nocte, cum membra sopori dedisset, apparuit ei in visione idem homo, erigens eum de grabato, in quo graviter languens jacere videbatur, ac restituere sanitati: deinde tulit habitum suum, quo erat ipse indutus, & ex eo contexit Alexandrum. qui cum eumdem habitum semel & secundo rejectum ab humeris indignanti animo repulisset, tertia tandem vice collo ejus injectum, & corpori valenter adstrictum compulsus est retinere. Deinde Pater sanctus baculum, quem manu tenebat, ipsius manui tradens, futuræ prælationis gratiam denotavit, & ita abire præcepit. Evigilans autem Alexander, nihil adhuc pro hujusmodi revelatione mollescere poterat, sed in eadem animi duritia persistebat.

Eodem vero die cum ille beatissimus Abbas ad mensam recumberet, oblatus est ei piscis, qui perca nominatur, ut ex eo reficeretur. Quo viso Vir Dei, erectis in cælum oculis, super eumdem piscem diutius oravit, & benedicens illum præfato Alexandro pro pitantia transmisit: quem cum ille gustare inciperet, ad primum ilico

Virtus benedictioni beati Bernardi.

morſum meruit in ſemetipſo feliciter experiri, quantæ A virtutis eſſet oratio famuli Dei. Nam repente mutatus in alium virum, compunctus eſt valde, & cœpit ſuper eumdem piſcem lacrymas fundere. Mirabatur vero ſeipſum, neſciens quid haberet, vel cur fleret. Tandem recordatus viſionis, quam nocte præterita viderat, intellexit à Domino gratuita ejus miſeratione ſe eſſe præventum. Unde ſupernæ vocationi ex intimo corde gratias agens, beato Dei famulo incontinenti ſe reddidit. A quo benigne ſuſceptus, & in Clara-valle monachus factus, & deinde Grandis-ſilvæ paſtor effectus, adeo in ſanctitate vitæ profecit, ut poſtmodum fieret Ciſtercienſis cœnobii abbas, ac totius Ordinis Pater [a] univerſalis. Hæc nos, ſicut ab eodem Dei famulo Alexandro audivimus, fideli relatione B depromſimus.

## CAPUT XXI. *

*Sumptum* *ed. Barno Ord. in diœc. ...enſi.*

*De mira Sacerdotis concubinarii, & monachi quondam Clara-vallenſis, converſione.*

MOnachus quidam de monaſterio ejus & diſciplina exiens, rejecto habitu, ſuadente diabolo ad ſæculum rediit, & parœciam quamdam regendam ſuſcepit. Erat quippe Sacerdos: & quia ſæpe peccatum peccato punitur, deſertor Ordinis in vitium labitur libidinis. Concubinam, ſicut multis conſuetudinis eſt, ad ſibi cohabitandum accepit, de qua & liberos genuit. Accidit ut C poſt annos plurimos, miſerante Domino, qui neminem vult perire, ſanctus Abbas per villam, in qua morabatur idem monachus, tranſiret, & ad domum illius hoſpitandi gratia diverteret. Quem ille cognoſcens, & quaſi proprium patrem cum multa reverentia excipiens, devote miniſtravit, & tam ipſi, quam jumentis neceſſaria copioſe procuravit: non tamen cognitus eſt ab Abbate. Mane cum Vir ſanctus dictis matutinis paratus eſſet ad eundum, nec poſſet loqui ſacerdoti, eo quod matutinis ſurgens iſſet ad eccleſiam, ait filio ipſius ſacerdotis: Vade, defer nuntium iſtud domino tuo. Erat autem puer idem mutus à nativitate, qui præcepto obediens, & præcipientis ſentiens in ſe virtutem, ad patrem cucurrit, & ſancti Patris verba verbis valde abſolute D expreſſit, dicens: Hæc & hæc mandat tibi Abbas. Pater primam filii vocem audiens, & præ gaudio lacrymans, ut ſecundo ac tertio eadem verba repeteret, admonuit; & quid ſibi Abbas fecerit, inquiſivit. Cui ille: Nihil aliud mihi fecit, ſed ſolummodo mihi dixit: Vade, dic domino tuo verba hæc. Ad tam evidens miraculum ſacerdos compunctus, feſtinanter ad ſanctum Virum venit, ſeque cum lacrymis ad pedes illius proſtravit: Domine, inquit, Pater, monachus veſter talis ac talis fui, & tali tempore à tali monaſterio receſſi. Rogo igitur paternitatem veſtram, ut liceat mihi redire vobiſcum ad monaſterium, quia Deus in adventu veſtro viſitavit cor meum. Cui ſanctus: Exſpecta me hic, & ego peracto negotio citius E revertens ducam te mecum. Timens ille mortem, quam prius non timebat, reſpondit: Domine timeo interim mori. Ad hæc ille: Hoc, inquit, pro certo ſcias, quia ſi in tali conditione ac propoſito mortuus fueris, coram Deo monachus invenieris. Receſſit, illumque recenter mortuum ac ſepultum audiens, ſepulcrum aperire præcepit; dicentibus quid vellet facere, reſpondit: Volo videre utrum in ſepulcro jaceat monachus, an clericus. Clericum, inquiunt, in habitu ſæculari ſepelivimus. Rejecta terra, non in veſte qua ſepultus fuit, ſed in tonſura & F in habitu monachi cunctis apparuit: & magnificatus eſt ab omnibus Deus.

*...virtus ...ten- mira- ...xem- ...lecia-*

## CAPUT XXII. *

*De vocatione Arnulfi viri nobilis in Flandria, & pœnitentia ipſi à B. Bernardo impoſita.*

* *Lib. de Vir. Illuſt. diſt. 3. c. 7.*

DUm reverendiſſimus Pater Bernardus aliquando provinciam Flandriæ intraſſet, & retia Dei quaquaverſum in capturam animarum laxaſſet, & nobiles & litteratos viros multos de fluctibus ſæculi ad littus converſionis attraheret: inter ceteros illuſtris quidam Arnulfus nomine de Majorca, dives & delicatus nimis, ſecreto in manibus ejus ſe reddidit. Fuit autem utriuſque conſilium rem ſilentio tegere propter quædam impedimenta ſæculi, uſque ad ultimum diem quo egreſſurus eſſet de terra & cognatione ſua. Erat enim magnus paterfamilias, ornatus filiis, & fratribus, tantiſque divitiis irretitus, ut abſque ſuorum damno & ſcandalo gravi abrumpere ſe non poſſet, niſi prius domum ſapienter & caute diſponeret. Interea vero dum ſilentium iſtud tenerent omnia, & arcani hujus negotii cauſam ipſi duo ſoli in mundo ſcirent, factum eſt verbum Domini ad quemdam ruſticum armentarium, cum boves minaret ad aratrum, dicens: Vade dic Arnulfo de Majorca, ut ſecum ducat te in Claramvallem, quo proxime iturus eſt ad converſionem; & tu cum eo convertere. Audivit vero vocem, ſed neminem videbat. Facta autem hac voce, cœpit pauper ille attentius orare, ut ſi à Domino ſermo fuiſſet, revelaret iterum auriculam ejus. Et adjecit ſecundo loqui ad ipſum, repetens eumdem ſermonem. Accepto itaque ſecunda vice oraculo, venit ad prætaxatum virum, &, ait: Verbum mihi ad te dominum meum. A quo cum fuiſſet ductus in partem, procidit ad genua ejus, dicens: Obſecro te per Chriſtum Dominum noſtrum, ut ducas me ad Claramvallem tuam, ut ſalves tecum animam meam; & ſi ſcire deſideras, Dominus pius & miſericors ſecreta tua, cauſa ſalutis meæ, mihi revelare dignatus eſt.

*Herbert. lib. 1. cap. 11.*

Audiens autem nobilis ille paterfamilias verba iſta, miratus & lætatus eſt valde; acceptumque hominem conduxit ad ſeipſum: quem etiam poſtmodum individuum comitem itineris pariter & converſionis habuit, habiturus, ut credimus, conſortem æternæ retributionis. Explicitis itaque negotiis, pro quibus moram fecerat, venit Claram-vallem, tam ſubmiſſus humilitate, quam ſublimis divitiarum affluentia: multaque eidem monaſterio de ſuis facultatibus contulit, ſed & aliis nonnullis cœnobiis dona etiam largitus eſt. Sanctus vero Bernardus de converſione ejus multum exhilaratus, talem de eo in conventu fratrum ſententiam protulit: De converſione fratris Arnulfi nec minus admirandus, nec minus glorificandus eſt Chriſtus, quam de reſuſcitatione Lazari quatriduani, eo videlicet quod in deliciis tantis clauſus atque ſepultus, velut in tumulo jacebat, & quaſi vivens mortuus erat. Huic autem confitenti cum gemitu & lacrymis multis delicta univerſa, quæ in mundo contraxerat, beatus Bernardus intuens cordis ejus amariſſimam contritionem, & ad omne opus bonum ſpontaneam voluntatem, injunxit ei, ut Orationem Dominicam tribus [b] vicibus diceret, atque in ſuo propoſito deinceps uſque ad mortem perduraret. Quo ille audito, contriſtatus reſpondit: Ne quæſo irrideas famulum tuum, beatiſſime Pater. In quo te, ait, irrideo? At ille ait: Jejunia ſeptem annorum, vel decem quoque, non ſufficerent, mihi etiam humiliato in ſacco & cinere; & tu mihi præcipis Orationem Dominicam tertio dicere, & in Ordine perſeverare? Et Sanctus ad eum: Ergone tu me melius noſti, quid te oporteat facere ut ſalveris? An tibi forte parum videtur, Ordinem tenere, & in ipſo uſque ad mortem perſeverare? Ille vero reſpondit: Abſit ab anima mea tam iniqua præſumptio: ſed propter Deum obſecro, ne mihi parcas in præſenti, ut melius parcas in

*Bern. levem injungit pœnitentiam intime contrito.*

a Inſignis hic locus ad illuſtrandam dignitatem abbatis Ciſtercienſis, de quo vide epiſtolam 4. num. 3. & epiſtolam 5. num. 1. ubi Commiſſor appellatur. Confer epiſtolam 6. num. 1. Idem Abbas *Ordinis Pater univerſalis* item ab Herberto appellatur, infra, num. 17.

b Huic facto obſtare videtur Petri Damiani Opuſculum 13. ubi quoſdam monaſteriorum rectores arguit, quod *quibuſlibet à ſæculo venientibus, etiamſi graviter lapſi ſint, aliam pœnitentiam non imponunt, niſi ut communem monaſterii Ordinem ſervent.* Et id quidem verum eſſe poteſt de monaſteriis laxioris diſciplinæ, non ſtrictioris, qualis erat apud Claræ-vallenſes, maximè ubi converſi animus magno pœnitentiæ ſenſu afficitur. Vide tomum 2. Analectorum pag. 346. & ſeqq.

futuro; & talem nunc impone pœnitentiam, quatenus post mortem carnis ad requiem sine pœnâ perveniam. » Cui beatus Pater ait: Fac ut locutus sum, & securum » te facio, quia depositâ mole corporis mox ad Deum si» ne molestia pervolabis. Hoc itaque responso quasi divinitus accepto confortatus est nimis, adeo ut deinceps nulla tentationum violentia, nulla infirmitatis molestia posset à cursu desiderii sui, quo totus in Deum pergebat, aliquatenus retardari.

Vide virum conscientiæ suæ perquam studiosum.

Erat autem circa observantias Ordinis & custodiam cordis & sollicitus, & timoratus nimis, ita ut neminem vidisse me recolam tam studiosum conscientiæ propriæ mundatorem. Mirabantur siquidem omnes, præsertim confessionum illius auditores, quotidianam instantiam, vel potius importunitatem, qua eos quiescere non sinebat, sicut nec ipse quiescere poterat confitendo, plangendo, plorando, nonnumquam de otioso sermone aut signo, si quando illi vel raro subreperet: verum etiam super vana & levi aliqua cogitatione, quod ceteri hominum, exceptis paucis perfectis, parvi pendere solent, seipsum scrupulosissime dijudicabat, & quasi de crimine arguebat. Quia vero veraciter scriptum est, *Quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit*; numquam huic venerabili viro paternæ misericordiæ correctio defuit, semper in eo vitia carnis resecans, & virtutes animæ pullulare & fructificare faciens. Denique per plures annos usque ad exitum suum gravibus & diuturnis incommodis flagellatus est, quæ omnia non solum æquanimiter tolerabat, verum etiam gloriabatur in illis, sicut in omnibus divitiis. Factum est quodam tempore, dum conquassatus & debilitatus esset usquequaque, ita ut non sine gravi dolore inclinis stare posset, nec propter hoc umquam omitteret, ut non ad omnem *Gloria* decantationem profunde & devote divinæ majestati inclinando reverentiam exhiberet, ut vespertina synaxis in ecclesia celebraretur. Ipso stante retro in choro juxta quemdam monachum virum æque sanctissimum, ecce Angelus Domini apparuit ibi in specie pulcherrimi monachi adolescentis, cuculla indutus nive candidiore, quem tamen idem Arnulfus minime videbat. Cumque more solito ad *Gloria* psalmi devote inclinaret, Angelus Domini stabat coram eo, & supplicantis caput suppositis manibus sustentabat. quem cum prædictus monachus collateralis ejusdem fratris Arnulfi cerneret, & ex fulgore vultus & habitu Angelum esse deprehenderet; lætatus est valde super angelico aspectu, accessitque ut teneret eum, & devote amplexaretur. Cumque expansis manibus vellet tenere atque constringere sibi, ille subito evanescens recessit ab eo: sed subito iterum apparens stetit in alio loco. Videns vero illum monachus, denuo cucurrit ad eum, & simili modo nitebatur apprehendere eum: sed mox Angelo disparente, & protinus alibi reapparente, frustratus est homo à conatu suo. Quod cum pluries factum fuisset, tandem Angelus ex toto disparuit, & qui se videndum obtulerat, teneri omnino non pertulit.

Exercetur multis adversis & morbis.

Laborabat aliquando athleta Dei Arnulfus doloribus viscerum, quibus frequenter nimium arctabatur: & erat languor fortissimus, ita ut deficiente vitali spiritu pæne usque ad mortem angustiaretur. Cumque aliquamdiu mutus & insensibilis jaceret, de vita ipsius desperatum est, & ob hoc oleo infirmorum inunctus est. At ubi primum respirare potuit, erumpens in vocem confessionis & laudis ait: Vera sunt omnia quæ dixisti, Domine Jesu. Quod cum sæpius iteraret, stupentibus qui aderant, & percunctantibus quomodo se haberet, aut quare ista diceret: nihil aliud respondebat, nisi, quia vera sunt omnia, quæ locutus est Deus. Quidam autem ex ipsis dicebant, quod præ acerbitate doloris cerebro turbatus esset, & quasi aliena loqueretur. Quibus ille respondit: Non est ita fratres, sed sano capite & mente sobria dico, quia vera sunt omnia, quæ locutus est Dominus Jesus. At illi dixerunt: Et nos hoc verum esse fatemur: sed tu cur nunc ista » commemoras? Respondit: Dominus dicit in Evangelio, » quia si quis affectibus parentum & divitiis mundi propter » amorem ipsius renuntiaverit, centuplum accipiet in hoc » sæculo, & vitam æternam in futuro. Ego itaque vim ser-

Veritas & certitudo promissorum Christi.

A monis hujus in præsenti experior, & centuplum meum « jam nunc in hac vita recipio. Siquidem immensa dolo- « ris istius acerbitas adeo mihi sapit propter spem divinæ « miserationis, quæ in ea reposita est mihi, ut hac ipsa ca- « ruisse me nolim pro centuplicata mundi substantia, quam « reliqui. Quod si ego peccator & indignus, ita confiteor, « adeo lætificor etiam in angustiis meis: quomodo puta- « mus sancti & perfecti viri tripudiant & exsultant in con- « solationibus suis? Vere etenim spirituale gaudium, quod « modo est in spe, centies millies exsuperat sæculare gau- « dium, quod nunc est in re. Si quis autem sæculum re- « linquens, & ad conversionem veniens, centuplum istud « accipere non meretur; constat profecto, quod adhuc om- « B nia perfecte non reliquit, sed ex propria voluntate, quæ « est mala proprietas, secum retinet aliquid. Hoc illo di- « cente, mirati sunt universi ab homine laico & illitterato sententiam talem esse prolatam; nisi quia manifeste dabatur intelligi, quia Spiritus-sanctus, qui eum flagellari in corpore graviter permittebat, intus suaviter in anima inungebat: cujus nimirum sacratissima unctio, quemcumque tetigerit hominem, docet de omnibus quæ oportet. Iste ergo vir sanctus, cum jam de manu Domini suscepisset duplicia pro omnibus peccatis suis, tandem longo cruciatus martyrio, & tamquam aurum in fornace probatus, pacatissimo somno obdormivit in Domino: de quo certissime credimus, quia juxta beati C Bernardi sententiam, mox ut à corpore exivit, ad Deum sine pœna pervenit. Quid ergo huic pauperi Christi umquam defuit in die certaminis sui? qui secundum Prophetam confidens in Domino, mutavit fortitudinem carnis in robur spiritus, non considerans quid caro posset, sed quid Ordo & Regula præciperet: & quasi signaculum posuit super cor suum verbum consummans & abbreviatum, quod à sancto Patre acceperat, ut scilicet pro omnibus peccatis suis Ordinem servaret.

Centuplum ser[...] vorum D[...]

Gaudium spiritus [...] perat om[...] ne gau[...] dium c[...] nis.

## CAPUT XXIII.

Exordium Magnum di[st.] 4. cap. 18.

*De monacho quodam laico, sub disciplina Bernardi miro fervore ad perfectionem virtutum anhelante.*

D **N**on *glorietur*, ait Dominus per Prophetam, *sapiens in sapientia sua, neque dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quoniam ego sum Dominus*. Hanc divinæ scientiæ formulam perfectius imitati sunt hi, qui sub beato Patre nostro Bernardo in Clara-valle cælestis Philosophiæ disciplinis imbuebantur, non solum litterati & in mysteriis sacræ legis eruditi viri multi, verum etiam laici & illitterati quamplures. Qui etsi humanæ scientiæ fabricam, per quam ad perfectionis culmen niterentur, minime consecuti sunt; habebant tamen gratiam illuminantem, & Spiritum vivificantem, qui de omnibus quæ oportebat, sæculari E scientia incomparabiliter efficacius eos docebat. Talium quidam monachus laicus, non littera doctus, sed spiritu, cum esset fervens in opere Dei, charismatumque meliorum haud segnis æmulator, didicerat sancti Spiritus magisterio, non altum sapere, sed semetipsum in omnibus humiliare sacræ religionis studia, quæ in moribus contubernalium suorum duce humilitate sedulus scrutabatur, magna & præexcelsa æstimare; suas vero virtutes, quibus non mediocriter pollebat, eorum comparatione prorsus despicere. Sicque factum est, ut eminentia sanctæ humilitatis illos præcelleret, quibus in aliis virtutibus fortassis impar non erat; dum, quod rarum valde in humano genere est, continue quod sibi F deesset, vel quibus alii florerent virtutibus, non invidiosus, sed pius scrutator attenderet.

Jerem. 9.

Contigit autem ut taliter affectus, quadam vice sollemnibus fratrum vigiliis interesset. Tum vero letali negligentia seu somnolentia propulsata, consuetudinaria corripiens arma, quibus ad debellandum inimicum nihil efficacius esse sciebat; cœpit sibi peccata proponere, negligentias quotidianas districte discutere; se miserum, se reum, se peccatorem coram oculis summæ Majestatis accusare, consequenter etiam fratrum suorum, sicut solebat, vitam conversationemque magnificare & beatificare

Ceterum unum quem gratia virtutum multos alios excellere non semel notaverat, secretario cordis humiliter inducens, ipsius humilitatem, caritatem, patientiam, & continentiam, ceteraque spiritualis gratiæ charismata, quæ in illo servo Dei inveniebat, religioso usque ad unguem scrutinio rimabatur, seque in ejus comparatione nonnisi pulverem, & cinerem reputabat. Denique sanctæ humilitatis ardorem, quem in tam sublimi contemplatione ceperat, ferre non valens, summo diluculo, tempore quo regulariter loqui posset, vix exspectato, reverendissimum Patrem Bernardum, signo in auditorium trahit, veniam petit, circumfusa sibi mæstitia internum prodens cordis dolorem. Requisitus quid causæ haberet: Væ, inquit, misero peccatori, omnibus bonis prorsus vacuo, ut qui hac nocte in illo tali fratre nostro triginta virtutes, quibus omnibus pollet, numeravi, quorum ne ultimam quidem seu minimam in me mendico reperire prævaleo. Rogo ergo te, domine Pater, ut digneris intercedere pro me ad Dominum, quatenus tuis sanctis meritis & precibus virtutum opera consequi merear, quæ peccatis meis exigentibus, hactenus habere non potui.

Audiens spiritualis magister altissimam discipuli humilitatem, cujus religionem optime noverat, licet ipse qui ea clarus erat, felici ignorantia se eam habere nesciret, gavisus est gaudio magno valde, desiderans & optans cunctos sibi commissos ita semper in virtutibus proficere, ut tam religiosa infirmitatis suæ consideratione se proficere quodammodo nescirent. Quanta vero admiratione dignum censuerit tantæ humilitatis præconium, per hoc evidentius innotuit, quod in Sermonibus * in conventu fratrum habitis, ejusdem fratris aliquoties debita cum laude meminit, asserens nullam ex omnibus virtutibus, quas idem vere monachus in simplicitate cordis sui enumerarat, tantæ fortassis excellentiæ fuisse, quantæ pia contemplantis erat humilitas, qui negligentiores & infirmiores quosque juxta se positos nec videbat, nec attendebat, solos illos pertinaci studio præ oculis habens, quos vita & moribus spectabiles esse sciebat, quatenus eorum comparatione sibimet ipsi vita sua in oculis suis vilesceret.

## CAPUT XXIV.

*De mirabili dono visionis propheticæ, qua aliorum arcana, etiam absentium, cognovit.*

INstabat aliquando sanctissima sollemnitas Assumptionis, si recte memini, intemeratæ & immaculatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ: & fratres grangiarum Claræ-vallis, ob reverentiam tantæ diei, ad Abbatiam festinabant. Verum in una ex iis grangiis, quæ viciniores erant, fuit Conversus quidam religiosus ac timens Deum, qui etsi pro simplicitate sua perfectiora quæque sacræ religionis apprehendere nequibat, bonæ tamen voluntatis & devotionis exsistens, piissimam Dei Genitricem Dominam nostram sincero venerabatur affectu. Cum autem magister grangiæ ordinaret quisnam ad Abbatiam ire deberet, vel qui ob tutelam domi remanerent, inter ceteros qui remansuri erant, eidem fratri cura custodiendarum ovium commissa est: quam commissionem licet ægerrimè ferret, quoniam sperabat & multum desiderabat, divinis hymnis & cantilenis spiritualibus interesse, quos in honorem Reginæ cæli à sancto illo conventu devotissimè persolvendas fore sciebat; nihil tamen ausus contradicere, obedientissimè paruit imperanti. Unde accidit, ut devotio sancta, quam mente conceperat, quámque per inquietudinem terrenæ occupationis, quam obedientia injunxerat, perdere timebat; eadem obedientia promptam voluntatem ipsius remunerante, velut ignis scintillans & æstuans, in præcordiis ejus magis ac magis dilatata, ferventior efficeretur.

Nocte itaque sacratissimæ celebritatis, dum sollicitus excubias supra gregem suum in pascuis quiescentem servaret; factum est ut sonitus signi matutinalis, quo fratres ad divinas laudes persolvendas in cœnobio excitabantur, quodque ob conticinii silentium procul audiri poterat, aures ipsius reverberaret. Tum verò concaluit cor ejus

A in ipso, & in meditatione ipsius exarsit ignis, cogitantis sanctæ illius multitudinis frequentiam, sed & fervorem ac devotionem, quâ scilicet sincero affectu piissimæ Matri misericordiæ cælestis harmoniæ odas in commune persolverent; seu qualiter singuli quique ad se in secreto suo ejusdem beatæ Virginis patrocinium votis & suspiriis implorarent. Protinus ergo exsurgens, tantæque devotionis pro modulo suo particeps effici cupiens, versus illam plagam cæli, qua monasterium situm erat, vultu & animo intentus stabat. Dehinc consuetudinariis precibus, quæ Conversis vice matutinarum statutæ sunt, quanto potuit devotius expletis; cum in paupere armariolo cordis sui enixius quæreret, quid precis, seu quid laudis sanctæ B theotoco Dominæ nostræ offeret, unde protelatas & in longum valde productas fratrum vigilias aliquo modo recompensare potuisset; nihil aliud præter salutationem ejusdem piæ Dominæ, quam utcumque didicerat, se scire invenit. Hanc itaque tamquam verbum consummans & abbreviatum, in quo plenitudo totius devotionis inveniri posset, assumens, & oculos ad cælum dirigens, venias * veniis, suspiria suspiriis, salutationésque salutationibus superaddidit; & in tali negotio reliquum noctis, & diluculi partem sine tædio transegit. Divina namque cooperante gratia, quæ tantum fervorem in corde sui pauperis accenderat, identitas mater fastidii, noverca devotionis, miro & contrario modo fastidium propulsabat, & devo- C tionem exacuebat, dum verba illa suavissima, & omni melle dulciora simplici corde prolata, itidemque crebrius repetita, favorem & gratiam universalis Dominæ oranti & suspiranti celerius impetrarunt.

Salutationis angelicæ ad Virg. Deiparam usus etiam olim notus

* id est genuflexiones.

Denique quod non frustra in gemitu suo laboraverit, nec incassum misericordiam à Matre misericordiæ quæsierit, Dominus reverendissimo abbati Bernardo per spiritum revelare dignatus est: qui divinis hymnis expletis, sacrisque mysteriis in honore præcelsæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ à singulis sacerdotibus devotissimè celebratis, cùm in conventu fratrum ob tantæ sollemnitatis prærogativam commendandam sermonem faceret, Spiritus-sancti gratiâ vehementer ignitum, inter cetera sic ait. D Et quidem, Fratres mei dilectissimi, dubitare fas non est, vos Domino Jesu-Christo vero Regi, necnon & speciali Patronæ nostræ gloriosæ Virgini Matri ipsius sanctum beneplacens & acceptabile devotionis nostræ sacrificium hac nocte obtulisse, ideoque fructum laboris vestri, mercedem æternam apud Dominum, & eamdem benignissimam Protectricem nostram vobis repositam esse certissima fide tenere debetis. Verumtamen scire vos volo, unum ex minoribus & simplicioribus fratribus nostris Conversis, quem obedientia hac nocte in montibus & silvis istis sub dio tantæ festivitatis gaudia celebrare coegerat, tam jucundum, tam devotum, tam festivum Dominæ nostræ matutinarum exsolvisse servitium, ut E nullius nostrum, quantumcumque suspensa contemplatio seu intensa devotio, ipsius devotioni, quam non alta contemplationis sublimitas, sed submissa sanctæ simplicitatis humilitas effecit, præferri potuerit. Quo audito mirati sunt universi, præcipue vero non solum mirati, sed & gratulati sunt, & vehementer ædificati fratres laici, quos obedientia tam festivis, quam privatis diebus frequenter in diversa opera trahebat: certissime scientes, quoniam sicut septa claustri & parietes templi sanctum non faciunt timorem Domini negligentem: sic etiam negotia, quæ causa terrenæ necessitatis obedientia injunxerit, nihil obesse poterunt puras manus in oratione levanti, F puraque conscientia Domino servire cupienti.

Obedientiæ vis.

## CAPUT XXV.

*De monachi tertio apostatantis conversione, monitis & precibus S. P. Bernardi obtenta, ejusdemque paterna castigatione, & felici morte.*

COnversus quidam, cum de domo Claræ-vallis levitate sua tertio fuisset egressus tertioque receptus, tandemque salutaribus monitis, & sanctis precibus beati Bernardi abbatis compunctus, cœpit apostasiæ suæ præcipitium, in quo jam tertio graviter periclitatus fue-

*Exord. magni dist. 4. cap. 16.*

rat, totis medulis cordis horrere, & quid pœnitentiæ vel satisfactionis Domino pro tam enormi reatu suo offerre posset, enixius quærere. Et inspirante Domino cogitavit & intellexit ad promerendam veniam delictorum, & ad obtinendam gratiam virtutum nihil efficacius, nihil in conspectu Domini acceptabilius esse sacrificio cordis contriti, & spiritus humiliati, quod solum regno cælorum vim facere prævalet, & formidabilem cunctis divinæ justitiæ districtionem gemitibus inenarrabilibus flectere consuevit. Hæc itaque pietatis arma corripiens, & seipsum contra semetipsum erigens, primo quidem universas Ordinis observantias sine dissimulatrice negligentia, quantum potuit, observare studuit, & insuper quotidianis precibus & lamentis præterita sua peccata diluere sollicitus fuit, salubri prorsus exemplo stantes ne labentur, lapsos ut erigerentur informans.

Ceterum disponente Domino, qui fortioribus peccatis fortiora solet adhibere medicamina, quique ineffabili pietate sua quandoque vasa contumeliæ transfert in vasa honoris & gratiæ, ingressa est putredo in ossibus fratris prædicti, & percussus est circa femora ulcere pessimo, apostemate canceroso, & crescente in dies angustia languoris, totus contabuit, ita ut carnibus circa locum ulceris undique corrosis, ossa nudata patescerent, & vulnera vermibus scaturirent. Annis itaque pluribus in grabato carceratus, & divinæ animadversionis flagellis humiliter subditus, quot horis vivebat, totidem pæne interitionibus subjacebat. Erat ergo patienti animæ miserabilis dolor & angor à facie putrescentis corporis sui, simulque servitoribus ejus angustia cordis immensa, præ horrore & fœtore, quem tabiosum ulcus continue exhalabat. Sed laboris & patientiæ hujus nihilo minus remuneratio copiosa penes Deum utrisque reposita. Satagebat autem frater idem infirmus in doloribus & pressuris suis semper gratias agere, corde credens, & ore confitens, sese recipere longe adhuc imparia meritis.

*Deus filios suos quos salvos vult flagellat, & castigat.*

Cum autem jam ad purum fuisset in eo scoria excocta peccati, ut secundum Sapientis dictum, ablata rubigine de argento egrederetur vas purissimum; tandem educta est anima illa beata conflatorio purgationis, & velut argentum igne examinatum, munda & nitida, cum ceteris misericordiæ vasis translata est ad palatium summi Regis. Sed antequam de lacu miseriæ, & de luto fæcis educeretur, ad consolationem omnium vere pænitentium meruit in hac vita prælibare fructum laboris & patientiæ suæ, & nescio quid ineffabile de illa superna dulcedine, ad quam sine fine fruendam in proximo erat admittenda, prægustare. Qua gustata tamquam musto cælesti inebriatus, protinus erupit in jubilum præconii cælestis, & serenata facie cœpit idiota, & qui numquam cantare aut legere didicerat, cum suavissima melodia quosdam novos multumque delectabiles hymnos ac modulos cantare de canticis Sion.

*Prov. 25. 4.*

Facta autem hac voce, convenit multitudo fratrum videre cum grandi miraculo hominem tantis miseriis & calamitatibus oppressum, in ipso mortis accessu cantando ac tripudiando insultantem, & quodammodo dicentem: *Ubi est mors victoria tua?* Ecce ego magnus peccator, & pauperculus homuncio, quoniam stigmata Domini Jesu in corpore meo pro nomine ipsius patienter sustinui, te larvalis umbra, mater mæroris, exterminatrix gaudii & perditrix vitæ, non timeo, sed potius contemno, sciens te absorptam & penitus annihilatam in victoria crucis Domini nostri Jesu-Christi. Ita ergo præcentor noster modulizans, & *Alleluia* quod in plateis cælestis Jerusalem frequentatur, quodammodo præoccupans, quid post mortem carnis facturus esset, in carne adhuc corruptibili positus præsago miraculo declaravit: sicque lætabundus & laudans, in voce exsultationis & confessionis beatam animam illam exhalavit. De cujus felici consummatione beatus Bernardus hilaratus, sermonem devotissimum ad Fratres in Capitulo fecit, commendans in eo dignum pœnitentiæ fructum, & admirabilem patientiam ejus omnibus proponens exemplum.

## CAPUT XXVI*.

** Ibid. c.*

*De sancto Bernardo, securitatem sive fiduciam cujusdam moribundi redarguente, seu potius tentante.*

Conversus quidam de fratribus Claræ-vallis, innocentis vitæ, & conversationis honestæ, cum graviter aliquamdiu ægrotasset, tandem ad extrema devenit. Introivit autem ad eum gratia visitationis beatus Bernardus, & confortans eum ait: Confide fili, quia migraturus es jam nunc de morte ad vitam, de labore temporali ad requiem sempiternam. Ille vero cum ingenti fiducia respondit: Quidni pergam ad Dominum & Creatorem meum? Vere confido, & quantum de misericordia Domini mei Jesu-Christi præsumere audeo, certus sum, quia cito visurus sum bona Domini in terra viventium. Porro beatus Bernardus, ut erat medicus sapiens, pastorque sollicitus, timens homini rusticano, ne tam fida responsio de præsumptionis magis temeritate, quàm de conscientiæ puritate procederet, ait: Signa cor tuum frater, signa cor tuum. quid est quod locutus es? Unde tibi subrepere potuit tantæ præsumptionis audacia? Enimvero tune es ille pauperculus & miserabilis homo, qui cum nihil aut prope nihil haberes in sæculo, necessitate forsitan magis, quam timore Dei cogente ad nos confugisti, multis precibus tandem aditum impetrando? Nos vero causa Dei collegimus inopem, & parem te fecimus in victu & vestitu, ceterisque commoditatibus, his qui nobiscum sunt sapientibus atque nobilibus viris; & factus es quasi unus ex illis. Quid igitur tribuisti Domino pro omnibus istis? Et ecce non sufficit ingratitudini tuæ gratis accepisse te tot beneficia de manu Domini, nisi & regnum ipsius hereditario jure vindices tibi, quod nullus umquam Regum vel Principum, quantislibet auri & argenti molibus potuit comparare.

*Herbert. 1. cap.*

Ad hæc ille respondens blando vultu, & tranquillo animo dixit: Bene, Pater carissime, bene utique perorasti, & vera sunt omnia quæ dixisti. verumtamen, si jubes, loquar ad te dominum & patrem meum, & paucis aperiam, unde mihi pauperi & misero suggeri potuit, tantæ, non præsumptionis, sed, ut ego spero, devotionis occasio. Nam si vera est illa prædicatio vestra, quam nobis sæpius inculcastis, quod scilicet regnum Dei non carnis nobilitate, non terrenis divitiis possidetur, sed sola obedientiæ virtute acquiritur; hanc unam sententiam, tamquam verbum abbreviatum à Domino, sedula commemoratione apud me continui, ponens illud quasi signaculum super cor meum, assidue meditando, & super brachium meum, sollicite operando. Quærite si placet ab omnibus magistris & sociis, quibus me obsequi ac servire jussistis, & si cuiquam illorum aliquando inobediens fui, si de fratribus nostris quempiam verbo aut signo, vel quolibet alio modo, quantum in me fuit, contristavi. Quod si operam dedi omnibus in Christo obedire, omnibus servire, cunctosque per Dei gratiam diligere: quis prohibere me potest, ut de misericordia ipsius non confidam?

*Egregi... planee... dem r... ponsum*

Beatus itaque Pater cum tale responsum ab homine rusticano accepisset, gavisus est gaudio magno, & ait: Vere beatus es, Fili carissime, quia caro & sanguis non revelabit tibi sapientiam hanc, sed Pater cælestis ipse te docuit, ipse posuit animam tuam ad vitam, rectissimoque tramite perduxit ad patriam. Jam ergo securus ingredere, quoniam patefacta est tibi janua vitæ. Defuncto itaque fratre & exsequiis celebratis, venerabilis Pater de conversatione & consummatione ejus sermonem in Capitulo luculentum sua illa devotione & facundia peroravit, omnesque illius exemplo ad amorem obedientiæ mirabiliter accendit. Vehementer namque affectus fuit in responsione illius; & magis congratulabatur ei super obedientiæ virtutem, & super ipsius animi puritatem, quàm si vidisset eum signis & prodigiis coruscantem.

CAPUT

## CAPUT XXVII.*

*De conventu fratrum in Sueciam per S. Bernardum misso, qui & uni eorum promisit, fore ut in Clara-valle moreretur, & sepeliretur.*

POstquam Aquila illa grandis magnarum alarum, multarumque plumarum, magnus videlicet pater Bernardus, magnus meritis, sublimis sanctæ contemplationis alis, ornatus varietate virtutum, medullam cedri, id est perfectionem religionis, quam de summitate Libani, id est de altitudine divinæ gratiæ, acceperat, in solitudine Vallis absinthialis * plantavit, quatenus eadem Vallis mediante amaritudine pœnitentiæ verteretur in Claram-vallem: cœpit jam religio ipsa transplantari super aquas multas, id est diversarum nationum cervicosas ac tumidas voluntates, tamquam cæruleos undarum vortices, ad veræ pietatis cultum inclinare. Volens autem idem venerablis Pater, in populis aquilonarium partium, sicut & in gentibus ceteris, aliquem fructum habere; petente religiosa femina Regina Sueciæ conventum Fratrum ad illas partes direxit. Cumque monachi & conversi, qui ad hoc denominati fuerant, ut hominibus rudibus & indomitis formam religionis & disciplinæ traderent, nimio mærore consternati, precibus quibus valebant, agerent, ne tanti Patris præsentia cariturí ad exteras & barbaras mitterentur regiones, sanctus Abbas respondit: Quid est hoc, dilectissimi fratres, quod facitis? ut quid irrationalibus fletibus & precibus affligitis animam meam? Aut numquid voluntatem meam, & non potius voluntatem Dei, cui omnes obtemperare debemus, sequor in hoc negotio? Erant autem coram eo posita vestimenta & vasa sacra, ceteraque utensilia, ad ministerium divini officii pertinentia, quæ iidem fratres, qui mittendi erant, secum ferre debebant. Volens itaque certos eos reddere, quoniam à Domino egressus esset sermo, elevavit pelvim, quæ ad recipiendam aquam sacerdotis manibus fundendam deputata erat, & digitum fundo ejus imprimens dixit: Ecce hoc vobis erit signum, quod Spiritus Domini miserit vos. Mirum in modum rigor & inflexibilitas æris teneritudini digiti ejus cedere visa est, adeo ut cujus quantitatis sacer articulus fuit, usque hodie liquido valeat dignosci: quantum autem intus cessisse, tantum foris æqualitatem excessisse videtur. In testimonium enim tanti miraculi, eadem pelvis in secretario * domus, quam tunc Pater sanctus ordinavit, summa cum reverentia servatur. Porro prædicti fratres videntes perspicuam divinæ gratiæ præsentiam adesse, stimulos edacis tristitiæ reprimentes, gavisi sunt: & licet remotissimas, & in ultimo climate aquilonaris brumæ abstrusas nationes, non sine quodam horrore spiritus adire possent, tamen eamdem gratiam Dei, meritis & precibus sancti Patris nostri intervenientibus, se comitaturam pia confidentia præsumebant.

Erat vero inter ceteros adolescens quidam honestæ indolis, & columbinæ simplicitatis, Gerardus nomine, oriundus de provincia Germaniæ secundæ, civitate Trajecto. qui impatientius aliis dolens, cum lacrymis dixit ad Virum Dei: Beatissime Pater, ego miserabilis juvenculus relicta domo paterna, spretisque omnibus quæ mihi in hoc sæculo desiderabilia & amabilia esse poterant, religionis amore paternitatem tuam adii, sperans me tua dulcissima præsentia debere perfui, tuis doctrinis & exemplis informari, tuis meritis & precibus adjuvari, subque sanctæ hujus multitudinis umbraculo, à turbine tentationum, & ab æstu juvenilium desideriorum tutari; quodque votis omnibus exopto, inter sacra corpora fratrum nostrorum in hoc cœmiterio quiescentium diem exspectare novissimum. Et ecce, ejicis me hodie à facie tua, sacrique collegii hujus consortium perdo; & insuper desiderata mihi sepultura privabor. Hinc prorsus, hinc vehementer doleo, quia cor meum conturbatum est in me.

Compassus adolescenti Vir beatus, afflictam mærore animam affatu blando mulcere curavit, & quæ post annos quinquaginta futura erant spiritu prophetico prævidens, ait ad eum: Vade fili carissime, quo te Spiritus-sanctus mittere dignatur, & in agro Dominico tamquam strenuus operator labora. Ego tibi in nomine Domini polliceor, & securum te facio, quia, sicut desideras, in Clara-valle morieris, & cælestis Sponsi gloriosum adventum una nobiscum præstolaberis. Hanc ergo tam beatam pii Patris sponsionem, velut arrham sui desiderii, frater ille suscipiens, gavisus est valde, sciens utique nec falli posse, nec fallere velle hominem, quem sapientiæ & veritatis secretarium esse manifesta signorum & prodigiorum declarabant indicia. Ivit itaque, & in domo quam cum ceteris fatribus initiare mittebatur, Prioris & Cellerarii administrationes strenue percurrens, divina largiente gratia nomen pariter & officium Abbatis sortitus est. Cujus dignitatis apicem licet invitus conscenderet, malens in humili loco salvari, quam in sublimi periclitari, susceptum tamen religiosissimæ conversationis nitore decoravit. Quia vero propter paucitatem Clericorum vix aliquis de terra convertebatur, Dominus fideli servo suo de partibus Germaniæ & Angliæ litteratas & discretas personas mittebat, per quas disciplina monasticæ religionis in regno illo fundata crescebat, & fructificabat competenter in populis, qui monachi quidem nomen audierant, sed monachum antea non viderant. Ipse etiam dominus Abbas Cellerario suo, Abraham nomine, viro prudenti, universa domus ordinatione in temporalibus, cunctisque negotiis exterioribus commissis, totum se spiritualibus studiis mancipavit: animabus lucrandis intendere, in servitio Dei vigil & sollicitus inveniri, frequens esse in labore, dum alias vacaret, frequens etiam in lectione, corporale subsidium de communi quærere, & per omnia formam pietatis, & religionis fratribus suis studens exhibere.

Tanta quoque mansuetudinis & patientiæ gratia pollebat, ut cum quadam vice monachus quidam, quem pro culpa castigarat, maligno spiritu afflatus, descendentem eum per gradus dormitorii pugno tam valide percussisset, ut dolor non modicus ictui succederet; tantæ perversitatis hominem non solum non ejiceret, seu gravi culpæ subjiceret, sed è contrario seorsim eum trahens veniam coram ipso peteret, supplicans ut rancorem quem adversus se habebat, propter Deum dimitteret. Ceterum quicquid virtutis, quicquid religionis, tam in se, quam in subditis suis deprehendebat, non hoc suæ industriæ, sed gratiæ Dei, meritisque sanctissimi Patris sui Bernardi tribuebat.

Jam vero si forte agendorum causa negotiorum certa necessitas eum de monasterio progredi postulasset, tantum se ac talem in omni disciplina & continentia sæcularibus exhibebat, ut tam Rex, quam Principes terræ illius, sicut revera hominem Dei ipsum venerarentur & colerent, & audito eo multa facerent, & libenter eum audirent. Dux etiam terræ illius, vir strenuus & potens, se ad reverentiam beati viri submittebat, fastigiumque principatus sui celsitudini sanctitatis ipsius adeo humiliabat, ut aliquoties familiaribus suis diceret: Quacumque hora abbatem Gerardum me videre confidero, tanto timore concutior, ac si omnia secreta & abstrusa pectoris mei pateant oculis ejus.

Cum autem jam senuisset, & usque ad decrepitam ætatem pervenisset, quadragesimum in prælatione complens annum, variis quoque infirmitatibus corpus ejus quateretur; cœperunt eum fratres rogare, quatenus sicut communiter multo tempore cum eis vixerat, ita etiam sepulturæ locum apud ipsos sortiri dignaretur. Quibus vir Domini respondit: Ne quæso loquamini ita, filii mei; oportet modis omnibus ut in Clara-valle moriar, & secundum sponsionem Deo dilecti Patris mei, cum sanctis qui ibi pausant in pace, in idipsum dormiam & requiescam. Causantibus illis, & dicentibus, Quomodo te Pater illuc reducere poterimus, cum præter veteranæ senectutis incommoda tot & tantis infirmitatibus quassatus & debilitatus sis, ut vix ad proximos terminos Danorum spirantem te pervenire posse putemus? cum multa fiducia respondit: Verbum Dei validum & forte, vivum & efficax, quod per os reverendissimi Viri auribus meis infusum, penetralibus cordis mei arrham bonæ spei hujus qua

feror, indidit, prosperos in hoc itinere successus præstabit; vos tantum quod præcipio, implere curate. Itaque gestario inter duos equos composito, in eo collocatur, & non sine grandi miraculo à finibus orbis per tanta terrarum spatia, per tot maris & fluminum pericula Claramvallem pervenit, ibique in infirmitorio aliquamdiu recubans, in bona confessione spiritum exhalavit. Accepit vero desideratæ sepulturæ locum juxta beatæ memoriæ domni Benedicti Humberti tumbam, qui eum familiariter in vita sua dilexerat. Cujus decessum cum Rex Sueciæ comperisset, cum gemitu protestatus est, regnum & terram suam dignam non fuisse, ut in ea tanti Viri sacra ossa requiescere debuissent.

## CAPUT XXVIII.

Ibid. dist. 2. cap. 20.

*De felicissima morte S. P. Bernardi, & operatione miraculorum eidem per Abbatem Cisterciensem inhibita.*

Dilectus Deo & hominibus venerabilis Pater Bernardus, dum in Clara-valle sua feliciter consummasset dies suos, plenus dierum, sed plenior virtutum, requievit in pace: ad cujus exitum Episcopi, & Abbates, aliique religiosi viri multi convenere. Cumque biduum exsequiæ celebrarentur, tanta multitudo hominum convenit, ut pæne nulla Episcopis, nulla fratribus reverentia haberetur. Nam gratia sanitatum quæ affuerat vivo, numquam recessit à defuncto. Cum enim sanctum corpus sacerdotalibus indumentis decenter ornatum, revelata facie, manibus quoque discoopertis in medio positum esset; frater quidam diuturno & gravi morbo epilepsiæ detritus, reverenter & humiliter accedens, Patrem sanctum, tamquam adhuc viventem, lacrymosis precibus, ut sui misereretur, orare cœpit. Nec poterat prius Pater adhuc in medio filiorum positus, tam gravem filii sui calamitatem dissimulare, sed tamquam diceret, Filii ego dormio, & cor meum vigilat; continuo quod petebatur, per gratiam Dei concessit. Nam ex illa hora frater idem perfecte convaluit, & Abbatem sanctum vivere post mortem felici experientia didicit. Pridie etiam quam reconderetur pretiosissimus ille thesaurus, puer quidam de proximo viculo advenit, præ siccitate nervorum aridum habens brachium & manum contractam: cujus ætati & debilitati, qui præsentes aderant, compassi, tanto hunc fiducialius ad sacri corporis tactum invitavere post horam orationis nonam, quanto id minus innocens ætas per se præsumere audebat. Ubi vero brachium aridum brachio sancto, & manus contracta manui benedictæ applicata est, repente vigore naturæ redeunte, brachium convaluit, & manus libere extendens, & reflectens digitos sub oculis totius multitudinis, quæ sacrum funus quaquaversum circumdederat, perfectæ sanitati restituta est. In cujus curatione tantus ilico factus est clamor omnium qui aderant, vociferantium in laude Dei, ut vix eum potuerit fratrum disciplina reprimere. Superveniente nocte allatus est alius toto corpore debilis, procubuit loculo, & coram psallentibus erectus est, & deductus ad altare.

* Gosvinus.

Enimvero dominus Cisterciensis *, qui cum pluribus aliis Abbatibus sui Ordinis ad exsequias viri Dei venerat, considerans tantam importunitatem tumultuantis populi, & ex præsentibus futura conjiciens, vehementer timere cœpit, ne, si crebrescentibus signis, tam intolerabilis turba populorum concurreret, eorum improbitate disciplina periret Ordinis, & sanctæ religionis fervor in eodem loco tepesceret. Quapropter habita super hoc deliberatione, reverenter accedens, per virtutem obedientiæ, ne signa ulterius faceret, inhibuit. Sed cum dicat Apostolus de Domino nostro Jesu-Christo, quia factus est obediens Patri usque ad mortem; & ipsius exemplo Legislator noster sanctus Benedictus * obedientiam nobis usque ad mortem in Regula proponat: sancta & vere humilis anima Patris nostri, mortali homini etiam post mortem carnis obediens fuit. Nam signa quæ tunc jam radiare cœperant, ita cessavere, ut ex illa die & deinceps numquam publica miracula facere visus sit,

* Regula c. 7.

A licet quibusdam fidelibus, præcipue sui Ordinis fratribus, pro variis incommoditatibus ad se clamitantibus usque hodie deesse non possit. Namque sola illa signa, quæ disciplinam Ordinis per turbas concurrentium populorum minuerent, domnum Cisterciensem fieri noluisse, manifestum est.

Evolutis dehinc post transitum beati Viri pluribus annis, erat in partibus Italiæ matrona quædam, quam correptam spiritus malignus atrociter vexare cœpit. Quo tam lamentabili casu propinqui & amici ejus vehementer consternati, si quid remedii foret, sedula meditatione pensare cœperunt. Erat autem in vicinia eorum cœnobium quoddam Ord. Cisterciensis: & sicut mentibus in angustia constitutis spes
B undecumque concepta solet parare fiduciam, ad eamdem domum dæmoniacam illam causa curationis ducere communi consilio decreverunt. Quod & factum est. Sistitur misera ad portam, & aliqui ex simul comitantibus, qui tantum malum Abbati & fratribus nuntiarent, opemque flagitarent, mittuntur. Abbas vero quosdam de senioribus, quos magis noverat spiritales, assumens, cum cruce Dominica & Sanctorum reliquiis egreditur ad patientem. Cumque malignus ille spiritus per Domini crucem & sacra Sanctorum pignora conjuratus non moveretur, recordatus est Abbas se habere venerandas reliquias de capillis & barba sancti Bernardi, quos eodem, ni fallor, anno ad Capitulum vadens, in Clara-valle pro be-
C nedictione acceperat, & ad tutelam continue secum ferebat: & nihil dicens, manus sub cuculla silenter misit, quatenus extractis his reliquiis dæmonem per has urgeret. Quod pestifer ille lynceis oculis deprehendens, cœpit continuo scabellum pedibus terere, sputa jacere, totius quoque corporis indecenti motu, quid intus pateretur, prodebat invitus; & erumpens in vocem; Eia, inquit, Abbatule, quid vis facere? quid modo mali contra me sub illa veste tua machinaris? Frustra niteris, incassum laboras: serva Bernardum tuum, nec enim proficies quicquam. Dicente vero Abbate, Per Domini gratiam, & hujus sanctissimi Viri merita modo egredieris; ille respondit: Quid? an excidit tibi, quod prohibitum
D est ei signa facere? Hoc ergo sciens, securus in hoc meo domicilio requiesco. Audiens ergo Abbas & Fratres, qui cum eo erant, hæc verba, valde mirati sunt, quod scilicet spiritus nequam interdictum illud in scutum suæ defensionis tam celeriter invenerit. Hæc nos de virtutibus B. Bernardi abbatis breviter perstrinximus, Domini misericordiam postulantes, quatenus dulcissimi Patris meritis & precibus nos ab omni malo custodiat, & post tanti patroni sacra vestigia divinæ gratiæ spicas legentes, æternæ vitæ participio non fraudari concedat.

## CAPUT XXIX.*

* Exord. M dist. 6. c. 1

E *Epilogus librorum de vita & gestis S. P. Bernardi.*

Fortissimorum athletarum Christi, virorum in Ordine Cisterciensi illustrium, dux & signifer exstitit beatæ memoriæ dominus Stephanus, qui decimo anno instituti Ordinis Cisterciensis, pastoralis curæ officium in eadem domo suscipiens, & propagandæ religionis desiderio fervens, cum per continuos XIV. annos paucitatis suæ tædio tam ipse, quam Fratres ejus vehementer afflicti fuissent, quinto-decimo demum anno, divina desuper adspirante gratia, nostri temporis Apostolum beatissimum Bernardum cum turba fratrum & sociorum ejus ad tirocinii spiritalis probationem suscipere meruit, Do-
F mino ad dilatandum Cisterciensem Ordinem per universas occidui orbis plagas, ex die illa & deinceps, copiosissimam dante benedictionem. Iste reverendissimus Pater Stephanus post aliquantos annos fratres beati Bernardi ad ædificandum domum Claræ-vallis mittens, ipsum venerabilem virum S. Bernardum, in juvenili adhuc ætate constitutum, sed sapientiæ & religionis maturitate multos canos transscendentem; ideoque reverendum, illis abeuntibus præfecit Abbatem, jam tunc, ut credimus Spiritu revelante prænoscens, quantæ proceritatis, quantæque pulcritudinis cedrus illa futura esset in

paradiso Ecclesiæ Dei, quantæ etiam multitudinis cœtus, ex diversis mundi partibus collectus, sub umbra condensarum frondium, id est multiplicium meritorum ejus, ab æstu carnalium illecebrarum foret refrigerandus.

Sed quis æstimare sufficiat, quam grandis multitudinis fuerit beatorum ille cœtus, vel ex quam diversis provinciis & insulis coadunatus? Nempe, ut de mediterraneis Italiæ, Germaniæ, Galliæque provinciis taceam, ipsæ extremæ insulæ Hiberniæ, Britanniæ, Daciæ & Sueciæ, quæ finem orbis faciunt, ad hunc cœtum perficiendum crebras personas mittebant; & propter Abbatem sanctum etiam locum sanctum celebri devotione venerabantur. Ut etiam de Conversis taceam, quorum longe copiosior erat numerus, quam monachorum; post decessum beati Viri simul in uno loco reperti libelli professionum octingenti octoginta octo, exceptis quampluribus aliis, qui negligentia & longinquitate temporis dilapsi, non poterant inveniri. Ubi vero aliqui de hoc sacro cœtu, disciplinæ vomere exculti, virtutumque seminibus receptis adeo profecissent, ut jam fructificare, aliisque prodesse posse sperarentur; sicut ex diversis regionibus colligebantur, ita etiam mox ad diversas regiones causa ædificandorum cœnobiorum emittebantur. Sicque fiebat, ut licet persæpe nonagenarium, nonnumquam vero centenarium numerum excederent Novitii; numquam tamen sacer ille conventus nimiæ multitudinis angustias pateretur.

Sanctæ recordationis dominus Henricus, Vita-scolæ, quod est cœnobium in Dacia de linea Claræ-vallis, primus abbas, referre solebat, quia cum esset novitius in Claravalle, & nonaginta tirones in cella probatoria sub disciplina beati Bernardi instituerentur; quadam vice discumbentibus eis intravit ad visitandos filios suos idem piissimus Pater, quem sequebatur Conversus cum sporta inciso caseo plena: & accedens ad præfatum Henricum, qui tunc Prior Novitiorum erat, dulcissima manu sua frustum casei posuit ante eum, commonitorium hoc verbum dicens: Frater comede, grandis enim tibi restat via. Dehinc fidelis minister magni illius Patrisfamilias, qui faciet servos suos discumbere, & transiens ministrabit illis, per ante universos novitios transiens, ac singulis pitantiam caritatis porrigens, eumdemque sermonem per singulos repetens, & corpora eorum jucundè refecit, & mentes ad sollicitudinem arctæ & angustæ viæ, quam terere cœperant, excitavit. Licet vero frequenter viri virtutum de sacro collegio Claræ-vallis, ad propagandam Cisterciensis Ordinis disciplinam, per distincta orbis climata emitterentur; numquam tamen aut Iberici æstus, aut Schytici frigoris horror, seu altera quælibet inclementia cæli, animos eorum inclinare poterat, ut non formam Ordinis, quam in Clara-valle didicerant, in habitu & victu, ceterisque corporis necessariis virili constantia retinerent, pulcre Horatianum illud sibi vindicantes:

*Constantes animi, quos non locus alterat alter.*

Nec solum diversarum provinciarum episcopi & magnates cœnobia de disciplina Viri Dei in suis regionibus fundari postulabant, sed etiam superbarum urbium populi ex discipulis ejus archiepiscopos & episcopos sibi eligebant: felices se arbitrantes, si de tantæ perfectionis fonte, pastores animabus suis providere potuissent: cum tamen perfectæ ejusdem multitudinis perfectissimus institutor hanc apud Deum & homines specialem gratiam obtinuisset, ut cum dignissimus esset cogi, & aliquoties in archiepiscopum vel episcopum electus fuisset; minime tamen de amica sibi paupertate raptus, dignitatis hujus apice contra voluntatem suam insigniri cogeretur. Sed quare nos ista de ceteris urbibus replicamus? cum ipsum Caput mundi, ipsa quæ est ceterarum omnium ecclesiarum mater, sancta Romana ecclesia, de hac humili societate, de hac beati Bernardi disciplina, summum Pontificem in plenitudinem potestatis assumpserit, & ipsa apostolica Curia Cardinales aliquos in partem sollicitudinis adsciverit. Tua sunt hæc, Christe Domine, opera, qui glorificantes te, & mandatis tuis obsecundantes, ita glorificas, ut servi tui, qui secundum præceptum Apostoli, subjiciunt se omni humanæ creaturæ propter te, pleno pietatis judicio super omnem mortalem naturam, exaltentur à te.

A Ceterum postquam Clara illa Vallis primum & clarissimum Abbatem suum post unum & triginta annos ad superni Imperatoris transmisit palatium, ut jure tanto esset potentior ad subveniendum, quanto summæ Majestatis faciem vicinius contemplaretur; per sanctos successores ejus, sanctæ religionis vigor conservatus, in eadem gloriosa domo illibatus duravit, sicut in temporibus venerabilis ac Deo digni viri domini Petri * ejusque successoris domini Garnerii, postea Lingonensis episcopi, divina favente gratia nobis probare concessum est. Testis enim nobis est Dominus, quia cum in Clara-valle disciplinis claustralibus & sacri Ordinis observantiis subditi essemus, tantum ibi religionis & gravitatis, tantumque puritatis & honestatis vidimus, ut sæpius in gratia Dei exsultantes diceremus in cordibus nostris, quia si ipse legislator noster beatissimus Benedictus, cujus Regulam professi sumus, in carne viveret, & per seipsum sanctum illum conventum regeret; districtius sacri Ordinis instituta in illo loco observari non potuissent. Incuria nempe vel levitas seu dissolutio, quæ est ruina Ordinis, locum ibi penitus non habebant; sed vernantium virtutum, fraternæque caritatis æmulatio ibi sancta vigebat: quodque magis mirum est, adhuc singulos austeriori aliqua castigatione cogere prælatis opus non erat, quia quasi hereditaria successione ad se transmissum tenebat sancta illa congregatio, vitia declinare, & virtutibus operam dare.

*Quamdiu observantia viguit in Clara-valle.*

** Postea Abbas ordine VIII, anno 1181.*

B

C Vidimus ibi etiam ex discipulis B. Bernardi seniores, morum gravitate, religionis integritate, prudentia & simplicitate reverendos; beatæ memoriæ domnum Gerardum Priorem; domnum Gaufridum ejusdem sancti Viri Notarium, plurimumque ab eo dilectum dominum Hugonem de Monte-Felici, dominum Petrum Catalaunensem, ceterosque tam monachos, quam conversos, qui à temporibus beati Viri, usque ad nostram ætatem durantes, & exemplum devotionis, & fervoris reliquo corpori sanctæ illius fraternitatis effecti, facile in sua amabili conversatione monstrabant, quantæ perfectionis plenitudo in Clara-valle primis diebus effulserat; quandoquidem paucorum seniorum strenuum in sacri Ordinis D observantiis exercitium, paucorum admodum devotio potuerit imitari.

Sed ecce dum de puritate religionis, quæ non solum in Clara-valle, sed etiam in Cistercio, ceterisque bene ordinatis domibus Cisterciensis Ordinis multos ad culmen perfectionis primis diebus provexit, loquimur, quid à præfato venerabili viro domno Gerardo Priore in Capitulo Claræ-vallis aliquando audivimus, non sine multo timore & tremore reminiscimur. Is namque dum quadam vice ad morum gravitatem, disciplinæque custodiam, melliflua nos admonitione adhortaretur; asserebat anterior tempore animas fratrum defunctorum cuidam spiritali viro, ejusdem cœnobii monacho, visibiliter apparuisse, seque pœnalibus locis deputatos, miserabili querimonia E prodidisse: non quia gravius aliquod peccatum commisissent, sed quia quotidianas negligentias vitare minore sollicitudine, quam oportuerat, curassent. Si ergo beatis illis temporibus, quibus negligentia vix per rimulas intrabat, rubiginem culpæ, districti Judicis animadversio pœnalis, nimiumque molesta rasura abradebat: quid de nostrorum temporum miseria sentiendum est, quando negligentia non jam per rimulas, sed per rimas, vel potius per rupturas tepiditatis irrumpit? Quapropter ne forte post negligentiam & corporis incuriam mors malitiæ & iniquitatis intret per fenestras nostras, quoniam temF pus, quod omnia consumit, etiam religionem enervat, cum procliviores sint homines ad sectanda vitia potius, quam virtutes; discussa totis viribus ignavia, vestigiis præcedentium Patrum viriliter inhærere satagamus, eorum memoriam in cordibus nostris versando, eorumque sacros actus frequenter & libenter relegendo: quatenus per rectitudinem operis ipsorum nobis fortitudo operis, quasi de speculo lucidissimo appareat: sicque salubri verecundia confusi, discamus bona etiam quæ agimus, omnino imperfecta reputare, atque ad ampliorem justitiæ perfectionem semper anhelare. Si quis verò multum proficere volens, sed non valens, ideóque tædio affectus remissius agere cœperit, audiat quid S. Pater Bernardus

» dicat: Nolo, inquit, repente fieri summus: paulatim A » proficere volo. Si ergo in studio proficiendi non continuò sequitur effectus, est tamen omni proficere volenti quoddam prodire tenus, si non datur ultra: solumque nolle proficere, totius negligentiæ & dissolutionis, atque ad extremum mortis & damnationis occasio est.

Obsecro itaque eos qui ista lecturi sunt, per Dominum nostrum Jesum-Christum, ne sola hæc curiositate legisse velint, sed diligenti consideratione pensent, quid in suis moribus à norma justitiæ, quæ in sanctis Patribus insigniter refulsit, exorbitet, & quicquid in se à tramite veræ religionis alienum repererint, totum hoc in quotidiano vitiorum & virtutum conflictu ad lineam veritatis corrigere festinent. Nam sicut jure omnium hominum stolidissimus censetur, qui ad arborem viriditate foliorum atque ubertate fructus pulcherrimam veniens, foliorum inanitate ventrem farciret, & ab utilitate fructus B jejunus remaneret: eadem rationis æquitate stultissimus reputatur, qui venustissimam & fœcundissimam seriem strenuæ conversationis Patrum sanctorum relegens, velut chronica tantum, vel annales Regum, ad solam curiosam notitiam rerum eam transcurrit; & nihil ex his quæ legit, ad accendendum in se compunctionis fervorem, ad detergendam conscientiæ suæ rubiginem, & ad librandam morum suorum inæqualitatem manu sanctæ devotionis decerpit. Neque enim propterea Patrum præcedentium laudabilia gesta describuntur, ut vanæ & inquietæ curiositati serviatur: sed ut per ea rudes instruantur, infirmi confortentur, lascivi gravitatem sectentur, duri C corde compungantur, devoti ad perfectionem informentur, & ut per ædificationem & consolationem legentium

Nota.

sancta Ecclesia roboretur, & laus Dei, cujus dona sunt bona nostra, per gratiarum actionem amplificetur.

Ceterum in hac sola parte veniam à studiosis lectoribus petimus, quod aliquibus in locis sensum, vel summam verborum quæ dicta sunt, retinentes, eamdem summam competenti formula orationis vestire curavimus. nam de rebus ipsis absit, ut, quantum in nobis fuit, minimum saltem articulum aliter, quam rei eventus fuit, mentiendi libidine læsâ conscientiâ poneremus. Ipse autem æternus Deus, æterni Dei Filius, Dominus noster Jesus-Christus, qui in diebus humilitatis suæ sacramentum perfectæ pœnitentiæ sanciens, & fundamentum veræ religionis jaciens ait, *Si quis vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; quique extremis diebus istis, quando senescente jam mundo, fides fluctuat, spes titubat, caritas frigescit, incentivum sancti amoris sui per Cisterciensis Ordinis puritatem multorum cordibus infudit, & ejusdem sacri Ordinis splendidissimam columnam, reverendissimum scilicet patrem nostrum sanctum Bernardum in Clara-valle erexit. Ipse, inquam, Dominus ac Deus noster per merita & intercessionem sanctorum Patrum, de quorum vita & moribus ad ædificationem posterorum aliqua conscripsimus, donet nobis ita vestigiis eorum inhærere, ita simplicitatis & innocentiæ sensum retinere, ita per continentiam carnis in humilitate vera roborari: ut ad illam æternæ beatitudinis gloriam, ad quam eosdem Patres indubitanter credimus pervenisse, etiam nos, cooperante gratia Dei, quandoque pervenire mereamur, præstante eodem Domino nostro Jesu-Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

---

# FRAGMENTA
## EX HERBERTI LIBRIS DE MIRACULIS
## Cisterciensium Monachorum.

*De Acardo Claræ-vallis monacho.*

Lib. 1. c. 3. 1. N eodem quoque monasterio exstitit religiosus quidam monachus, nomine Acardus, vir quidem genere nobilis, sed conversatione E nobilior. Hic autem beato Bernardo abbate suo jubente atque mittente, plurimorum cœnobiorum initiator atque exstructor fuit. Qui dum adhuc esset in probatione, isdem Pater beatissimus Bernardus unâ die venit ad novitios consolandos, ut sæpe solebat. Terminato itaque sermone, prædictum Acardum cum aliis duobus novitiis traxit in partem, & præmonuit in spiritu prophetico, ita loquens. Futurum est, inquit, ut novitius ille (designavit autem eum ex nomine) ante diem crastinum furtivè recedat. Vos igitur vigilate, & estote parati, ut fugientem cum rapinis effugere non sinatis. Et si miser à nobis exierit quia non erat ex nobis, spolia tamen quia nostra sunt retinebitis nobis. Quo audito mirati sunt illi, & cum silentio præstolati sunt exitum rei. Profunda vero F nocte duo ex illis cum fugitivum in lecto firmiter dormientem conspicerent; tunc & ipsi dormire cœperunt: erant enim oculi eorum gravati, illudente eis utique spiritu erroris. Verumtamen Acardus, quia certissime credidit verbum à sancto Patre prolatum haud posse irritum fieri, somnolentiæ spiritum, qui ei molestissimus erat, virili constantia repellebat. Et nunc frontem, nunc tempora fricans, modo pilos barbæ & capitis vellicans, modo manus & faciem lotitans, nunc de loco ad locum ambulando se excitans, tandem fallaciæ somnum quo premebatur evicit. Cumque jam prope esset ut signum ad Vigilias pulsaretur, ecce duo quasi gigantæi Æthiopes, nigerrimis cappis amicti, per ostium domus visibiliter ingrediuntur. Is vero qui præcedebat, gallinam assatam in spico portabat. Porro in ipso veru coluber ingens per caput & caudam infixus erat, qui gallinam eamdem hinc inde cingebat. Cum tali itaque ferculo accedit ad locum novitii; & gallinam fumantem naribus applicat dormientis. Quo statim expergefacto, dæmones egrediuntur, & per

iter quo venerant revertuntur. Ille vero quantocius surgit, & vestimentis onustus post dæmones exit: veniensque ad ostium armarii quod erat in claustro, machinamentis suis moliebatur firmaturam effringere, ac secum tollere libros. Porro prædictus Acardus celerrime socios excitat, & prophetatam apostatæ fugam insinuat. Tunc recedentem pariter insequentes, reperiunt illum pessulum ostii concutientem. Quos ut ille præsensit, ilico datis saltibus evolat; & præcipiti cursu per ostia pomarii ruens, murorum tandem sæptis retinetur atque reducitur. In crastinum autem cum malorum impœnitens resipiscere nollet, quia jam datus erat in reprobum sensum, dimissus est tandem ut abiret in locum suum. Eadem vero die arreptus à diabolo dementiam incurrit, & usque ad mortem furere non cessavit. Hæc nobis novitiis ipse domnus Acardus, cum jam esset ætate decrepitus, plena fide narravit, utpote qui omnia noverat, & perspexerat oculis suis.

2. Isdem vero confessus est nobis, quod in primordio conversionis suæ multa dæmonum bella, multa flagella pertulerit, multaque eorum phantasmata viderit. Sæpius quidem etiam cum esset in ecclesia psallens atque orans, copiosa coram eo luminaria quasi cereos & lampadas accendebant, quæ protinus ad invocationem nominis Christi tamquam vanitas disparebant. Quadam denique vice apparuit ei diabolus, gladiatorio cum eo conflictu in modum palæstritæ decertans, cui crebros ictus & vulnera infligebat, atque vicissim recipiebat; ad ultimum vero subactum dæmonem colliso capite excerebravit. Quem dum traheret per capillos, partem capitis confracti, cum carne & ossibus evulsam, manu retinuit: moxque ex ea tam intolerabilis putor exivit, ut possibilitatis humanæ modum fere videretur excedere. Quam cum à sua manu longius excussisset, confestim olidum monstrum quod videbatur evanuit: vestigia tamen immunditiæ suæ altius impressa reliquit. Nam per unius anni spatium ex eadem manu tantus fœtor jugiter exhalavit, ut præ angustia cordis vix eam valeret vel ori apponere, vel naribus admovere. Hic ergo benignus & magni solaminis vir, multa nobis, cum essemus novitii

narrabat exempla, unde nos in amore virtutum sæpius accendebat. De quibus & nos unum saltem stilo mandare decrevimus, eo quod ipsum affectui nostro ardentius inhærere sentimus.

*De Schocelino agri Treverensis eremita.*

cap. 6. 3. Ego, inquit, dum aliquando conversarer in episcopatu Treverensi pro construendo cœnobio, quod Claustrum nominatur, largiente superna gratia merui videre & agnoscere hominem sanctum, hominem vere divitem, & vere beatum, nomine Schocelinum. Qui videlicet eo ditior, eo beatior fuit, quo fallaces mundi divitias, tamquam vanitates & insanias falsas, verius despexit, & longius abjecit. Vere enim non qui plus habet, sed qui minus cupit dives est. Tanto namque fervore hic beatissimus Eremita mundum deseruit, tanto Christum ardore dilexit, ut temporibus & regionibus nostris neminem fuisse putemus, qui ei in contemptu visibilium & carnis mortificatione possit æquiparari. Vitam quippe illius omnes possumus mirari, multi etiam æmulari, sed nullus imitari; unde & necesse est amplius venerari. Iste enim pro Christo quotidie moriens, non unam tantum sed innumeras cruces & mortes sustinuit: quia quot diebus in eremo vixit, quasi tot martyria duxit. Quis namque hominum in hac vita mortali, quantumcumque profecerit, vel sine humano cibo, vel sine tecto, vel sine indumento, vel sine omnibus his diutius vivere possit? Porro vir iste virilis, vir veræ virtutis, naturam supergressus humanam, cum careret omnibus istis, confortante se Deo per multa tempora non defecit. Annis siquidem quatuordecim solivagus ac toto corpore nudus; montibus & silvis pro Christi amore oberrans & latitans perduravit, cælum habens pro tecto, aërem pro vestimento, pecorinum victum pro cibo humano. Herbis namque agrestibus & crudis, earumque radicibus, interdum quoque fagina & glande pro magnis deliciis utebatur, qui utique brutorum animalium pastus magis quam esca hominum esse probatur. Hujus ergo rigorem propositi inexorabili severitate per decennium integrum custodivit. Postmodum autem quatuor fere annis ante suam dormitionem, in corde hiemis, bruma sæviente asperrima; cum tellus nivibus obruta, & gelu acriore coercita, nec herbas foris exsereret, nec radices effodi sineret; tunc à facie famis & hujus frigoris sustinere non prævalens, tandem ut homo jam fere præmortuus, & obeso corpore, pelle sola circumdatus, cogebatur interdum deserta deserere, atque ad proxima rura volendo nolendo descendere. Veniens autem ad excretorias ejusdem viculi casas, si quem ibi pauperculum & honestæ conversationis hominem manere cognosceret, ad eum libentius divertebat: diversorium tamen ipsius ingredi recusabat, sed reclinato capite quiescebat in latibus domatis, vel potius in medio curtis. Hoc autem maxime procurabat, ut profunda jam nocte accederet, horaque antelucana recederet.

4. Porro homines illi, qui digni habebantur tanto hospite nobilitari; magnam ei reverentiam deferebant, ita ut nemo de inhabitantibus auderet ad eum accedere, aut in colloquio molestus exsistere; nisi forte ab illo permissus, aut etiam vocatus: nimirum metuentes ne ad ipsos amplius non diverteret, si quietem illius aliquis ibidem importune turbaret. Interdum tamen applicabant ei pro foribus modicum straminis, aut veterem saccum; si vel in eo fortasse requiescere consentiret. Porrigebant nihilo minus fragmentum ei aliquod hordeacei vel furfurei panis, scientes utique quod aliud nihil acciperet: de quo videlicet pane modicam aliquotiens crustulam ruminabat, residuam vero partem ad multorum dierum refectionem secum ad eremum deferebat. Habebat quoque vir ille locupletissimus circumligatam renibus semicinctiam vilem atque brevissimam, quæ verecundas solummodo corporis partes operire vix poterat, cum eum hominibus apparere compelleret ista tam inevitabilis causa. Possidebat nihilo minus & saccellum parvissimum collo vel renibus appensum; quo supradictas alimonias inferebat. En tota divitis istius viri proprietas, en gloriosa servi Christi hereditas, & nobile patrimonium, cui vere fideli totus mundus erat divitiarum. Ipse enim tamquam nihil habens & omnia possidens, in tali nihilo totum obtinuit: quandoquidem qui in vili semicinctia totum mundum inclusit, de toto & pro toto mundo semicinctiam solam elegit. Denique quid aliud cuivis hominum confert copia thesaurorum, atque infinita possessio rerum, nisi ut præsentem vitam ducere, & aliquamdiu producere possit? ad quam videlicet transigendam huic pauperi nostro una vetusti panniculi scissura sufficit.

5. Beatus itaque Bernardus, audita virtute conversationis illius, dedit nobis præceptum adeundi & salutandi ex nomine ipsius virum, mittens etiam ei pro signo caritatis nonnulla munuscula, hoc est, tunicam & caligas, ut pro ejus amore indueret illas. Nos ergo profecti ad easdem partes, una die, cum adhuc tenebræ essent, intravimus locum ubi quiescere putabatur: & non invenientes, sciscitati sumus ab hospite, ubinam ille esset. Ille vero respondit: Hac nocte, inquit, apud nos in curia mansit. Cui solito tempestivius recedenti & vale facienti respondimus: Cur domine Pater, tam cito egrederis, cum mediæ noctis adhuc vix hora transierit? Et ille: Modo, inquit, venturi sunt huc propter me viri quidam religiosi; à quibus nolo me ad præsens reperiri. Hæc autem sæpius & propter alios fecit; quos ad se nihilo minus venturos esse prædixit. Quo audito satis superque mirati sumus, quod tam cito in astutia nostra ab eo deprehensi fuerimus. Callide namque satis putavimus nos egisse, & incautum antequam surgeret prævenisse. In quo videlicet facto manifeste innotuit, quod etiam prophetico spiritu non caruerit. Nos ergo scientes quod absque beneplacito suo reperiri non posset, per prædictum hospitem ei mandare curavimus; obnixe rogantes, ut gratia ipsius qui nos ad ipsum direxerat; suam nobis præsentiam indulgeret. Quo tandem annuente clementer, venimus & vidimus eum; non quasi terrenum hominem, sed sicut Angelum cælestem, cujus conversatio tota in cælis & de cælis erat. Tunc eulogiis præsentatis, cum salutationem Patris humiliter & cum reverentia suscepisset, ipsaque indumenta sibi applicuisset, mox iterum ea deposuit; & ait: Benedictus Deus, qui dedit in corde apostolici viri, ut peccatoris & miseri hominis memoriam habere dignetur. Et nunc pro amore ipsius vestimenta transmissa obedienter accepi, & indui; diutius tamen ea portare non valeo, quia nec opus est mihi, nec ipse mandavit. Dico autem vobis amicis meis carissimis, quia nihil est mihi molestius, quàm ut curæ carnis sarcinam odiosam, cum tanta difficultate depositam, lassatis & dolentibus humeris denuo imponere cogar.

6. Nos itaque videntes hominem benignum atque affabilem, cum jam ei fiducialiter loqueremur, sciscitati sumus ab eo, cum reverentia tamen, utrumne adhuc de carnis illecebris vel dæmonum irritamentis aliquid molestiæ toleraret. Tunc ille, ut erat homo jocundus; & boni solatii; cum paululum subrisisset, ita loqui exorsus est. Jam diu est, amantissimi fratres, ex quo per gratiam Dei à passionibus vitiorum sentio me non mediocriter exoneratum: sed quoniam tentatio est vita hominis super terram, quis glorietur castum se habere cor? Si enim dixerimus quia peccatum non habemus; nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. In medio siquidem laqueorum ambulantes, & hostilibus gladiis circumquaque patentes; nisi scuto divinæ protectionis assidue muniamur, numquam cavere poterimus ab his qui sagittant in obscuro etiam rectos corde. Confidimus tamen in Domino; quia fidelis est, & non patietur nos tentari supra id quod possumus. Et nunc vobis aliquid exempli gratia refero, in quo poteritis advertere, cujusmodi tentationibus aliquoties inquietor. Quadam itaque die cum brumalis asperitas solito intensiore pruina rigesceret, & nix copiosa de nubibus flueret, tunc torpentibus membris in terra jacebam. Verumtamen rerum Sator omnipotens, qui dat nivem sicut lanam, & nebulam sicut cinerem spargit, ipse mihi pro laneo amictu; qui deerat; niveum opertorium dederat; magnum quidem & amplum, atque ad unius cubiti mensuram fere condensum. Quo circum-

quaque latius expanso ita operiebat; ut de corpore meo nihil penitus appareret. Tantummodo circa faciem meam virga fumantis anhelitus ab ore procedens, superjectam nivem paulatim undique reliquabat, & modicam fecerat aperturam. Interea lepusculus quidam ante faciem frigoris & nivis fugitans, atque ad pausandum latebras quæritans, casu venit ad ipsum foramen. Qui suavitate caloris illectus ilico substitit, & super caput meum ibidem accubavit. Tunc ipsa novitas rei subridere me compulit, & subripiente mihi levitate dejectus est animus meus à statu solitæ gravitatis, & prolapsus in gaudium vanitatis. Non solum autem, sed & desiderium incidit eumdem lepusculum, ut facile poteram, manu injecta corripere; non ut eum occiderem aut retinerem, sed quia est animal innocens atque lenissimum, ut contrectatione & visu illius aliquamdiu delectarer, & dicatum pœnitentiæ tempus hac inepta lætitia interim consumere non vererer. Diutius autem suggestori reluctans, desiderium vanum donante Deo superavi; tranquilloque corpore manens, pavidam bestiolam secure quiescere feci, donec tandem ultronea voluntate recessit. En id est unum de majoribus tentamentis, quæ à multis retro diebus tolerasse me memini. Quod videlicet quamvis jocose, & velut exhilarandi vos gratia fortasse videar vobis alacrius quàm oportuit retulisse, erubesco tamen & doleo cogitationes meas interdum à vanitatibus istis velut à muscis volitantibus inquietari, etiam sine consensu vanitandi.

7. Cum hæc & similia nobis ædificandi & solatiandi causa vir ille mirabilis enarraret, tunc beatum Patrem Bernardum legatione nostra humillime resalutavit, seseque orationibus ejus devotissime commendavit. Moxque benedicens ac valefaciens nobis, tamquam cervus emissus à Deo liberis saltibus ad opaca saltuum recucurrit, & veluti avis de manu tenentis elapsa, laxatis in aëra pennis ad avia nemorum cantando revolavit. Nos igitur videntes, & spiritum loquendi ulterius non habentes, in comparatione talis ac tantæ perfectionis, assimilavimus nostras turres favillæ & cineri; & qui antea putabamus nos aliquid esse cum nihil essemus, tunc universas justitias nostras quasi pannum menstruatæ existimavimus; sicque percutientes pectora nostra, humiliati atque compuncti nimis ad propria remeavimus. Referuntur & alia pæne innumera de viro illo magnalia, quæ quoniam à nobis tamquam longe remotis diligentius investigata non sunt, silentio claudimus; illa tantummodo proferentes quæ fide oculata percepimus. Hic itaque ter Beatus cum revelante Deo diem dormitionis suæ jamjamque imminere conspiceret, ad unam de propinquioribus villis accessit, ibique percepto dominici Sacramenti viatico, lætantibus Angelis, angelicæ puritatis animam reddidit. Ad cujus exsequias venerandas viri religiosi, & populi innumerabiles catervatim undique confluentes, corpus ejus honorifice sepelierunt, & super ipsum novam ecclesiam construxerunt. Postea vero translatum est inde corpus ejus apud quoddam nobile castrum, quod nominatur Luceleburgum *, & in ecclesia beatæ Mariæ honorifice tumulatum. Porro ad ipsum tumulum ejus miracula frequenter usque hodie fiunt, & sanitates ac beneficia multa ipso interveniente fideliter postulantes accipiunt. Hæc & similia nobis neophytis domnus Acardus sæpius referebat exempla, quibus rudimenta tirocinii nostri magnifice roborabat, atque in amore virtutum non mediocriter accendebat. Ad postremum autem etiam ipse deficiens, in senectute bona migravit ad Dominum, & sepultus est in sepulcro fratrum suorum.

* Luxemburg.

*De fratre laïco & converso Claræ-vallis.*

Ibid. c 7.

8. Frater quidam laïcus & conversus in eodem cœnobio exstitit, vir religiosus ac summæ mansuetudinis, qui Deo magistrante didicerat esse mitis & humilis corde. Huic omnes testimonium perhibebant, quod numquam visus fuisset irasci, numquam quibuslibet injuriis affectus ad impatientiam provocari. Hic inspirante Deo statuerat firmiter in animo suo, ut quotiens à quibuslibet fratribus suis juste sive injuste proclamaretur, totiens pro illis oraret, & pro singulis *Pater noster* prima vice ad minus diceret. Cujus exemplo salubriter instructi multi Claræ-vallensium fratrum, eamdem consuetudinem usque hodie quasi pro lege custodiunt. Quadam itaque die cum esset in via directus, necesse habuit transire per fauces cujusdam nemoris solus. Contigit autem ibidem eum incidere in latrones, qui eum despoliantes, caballum quoque cum sarcinulis rapuerunt, & nihil ei penitus præter solam caritatem dimiserunt. Illa vero quia non fuit in sitarcia, neque in forulo foris incaute relicta, sed firmissimæ patientiæ nodis intus in intimo cordis sapienter adstricta, sicariorum violentiam timere non poterat. Salva igitur caritate nihil Dei servus amittere potuit, quia pro nihilo illi erat quicquid ea remanente amisit. Recedentibus vero latrunculis ipse cum paululum processisset, prosternitur ad orationem, obsecrans Deum, ut hanc eis remitteret impietatem. Quidam ex ipsis à longe subsecutus, curiosius observabat, volens scire quid ageret; & videns eum orationi diutius insistentem, celeri cursu revertitur ad socios, percutiens pectus suum & dicens: Væ nobis miseris & damnatis. En moriemur omnes, qui hunc tam sanctum hominem, & tam sancti monasterii fratrem, (siquidem ipso revelante cognoverant quod esset de Clara-valle), nostro malo tam male tractavimus. Hic enim ex quo recessit à nobis, non cessat orare cum gemitu & lacrymis: nec dubium est quin ipse Dominum roget etiam pro suis inimicis. Quod audientes compuncti sunt animo, & venientes inveniunt illum adhuc in oratione flexis genibus intentum. Cui mox universa restituunt, & venia suppliciter postulata, in pace dimittunt. Quo viso, gavisus est frater ille gaudio magno, Salvatori Christo immensas gratias referens de compunctione prædonum, magis quàm de receptione spoliorum.

9. Hic ergo vir bonus cum in sancto proposito perseverasset, tandem vocante se Deo collectus est ad populum suum, recepturus amodo cum eis præmia meritorum. De cujus glorificatione visio talis apparuit, eadem qua defunctus est die. Erat in quodam monasterio longius à Clara-valle remoto, monachus quidam religiosus & magnæ opinionis vir, quem pro sua sanctitate omnes sinceriter diligebant, omnes singulariter honorabant. Hic igitur eodem die, quo prædictus frater mortuus est, etiam ipse moriens ad extrema devenit. Cumque jam morti proximus videretur, raptus est ab humanis, ita ut omni membrorum officio destitutus, à mane usque ad nonam in ecstasi positus, tandem ad seipsum revertitur, & virtute recepta, lingua tantum in verba laxatur. Stupentes vero qui aderant, causam ab eo repentinæ discessionis, ac reversionis efflagitant. Quibus ipse respondit: Hodie cum à sensibus corporis in spiritu sublevatus abstraherer, inveni me subito introductum velut in paradiso voluptatis, in loco glorioso atque præclaro nimis; cujus aptitudinem, pulcritudinem, atque amœnitatem humani sensus angustia æstimare non sufficit. Ibi pretiosa vasorum congeries atque ornamentorum; ibi infinita præparatio deliciarum, quomodo fieri solet in adventu cujuspiam potentissimi Regis aut Imperatoris. Erant igitur Sancti innumerabiles immensa gloria coruscantes, quorum alii jam advenerant, alii adhuc de cunctis partibus veniebant, quasi ad grande spectaculum certatim properantes, & velut ad diem sollemnem undique confluentes. Audiebatur etiam ibi suavitas harmoniæ cælestis, & resonabat undique gratiarum actio & vox laudis. Ego vero cum nimis obstupuissem, sciscitatus sum ab Angelo ductore meo super his quæ videbam. Ipse autem respondit: Hæc est celebritas nova, novi cujusdam Sancti hodie de domo Claræ-vallensi assumpti, & in gaudia ista modo sollemniter introducendi. Hoc itaque dicto jussit me citius egredi, atque ad humana reverti. Quod cum ego nimium deterrerer, obsecrabam medullitus, ut ab illa felicitate ad miserias corporis amplius non remitterer. Ille vero respondit: Modis omnibus oportet te ad fratres tuos regredi, donec annunties quæ vidisti. Quo facto protinus reverteris, & æternæ istius lætitiæ participium

obtinebis. Hujus rei gratia missus sum ad vos, indicare ista quæ vidi; ut & ipsi benefacientes proficiatis, & perseveretis in bono, scientes utique quia non deerit merces operi vestro. Et cum ista dixisset, valefecit, atque obdormivit in Domino. Planxit autem eum omnis congregatio monasterii, utpote sanctissimum & magnæ utilitatis virum; de cujus exemplo omnes erant informati, & de cujus consilio pendebant universi. Illi ergo sollicite tempus horamque notantes; cum requisissent in Claravalle, cognoverunt fratrem supra memoratum eadem die, qua visio demonstrata est, fuisse defunctum. Cujus nimirum inventa est talis ac tanta conversatio, ut fidem facile faceret tali & tanto miraculo.

10. Beatus vero Bernardus cum quidam de fratribus suis hanc visionem coram eo cum grandi admiratione referrent, ita respondit: Et vos fratres ista miramini? Ego vero magis admiror in vobis incredulitatem & duritiam cordis, qui adhuc minime creditis, aut minime forte advertitis vocem illam, qua de cælo clamatur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo jam dicit Spiritus ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* 14. 13. Mihi siquidem luce clarius, & vita qua vivo certius constat, omnes qui in cordis hujus puritate obedientes & humiles perseveraverint, mox ut carnem exuerint, ab omni miseria protinus exuendos, & immortalitatis gloria vestiendos.

### *De Simone abbate Caziacensi.*

c. 12. y, Suessensis ... st. 263.

11. VIr venerabilis Simon, quondam abbas Caziaci*, quod est non ignobile monasterium nigri Ordinis monachorum, magno cordis affectu beatum Bernardum diligebat; adeo ut de consilio & voluntate ejus totus pendere videretur. Huic autem desiderium magnum inerat curam pastoralem deserere, & fieri monachus in Clara-valle. Verumtamen beatus Bernardus sciens viri virtutem, & gratiam qua commisso cœnobio valde idoneus & necessarius erat; quamdiu vixit in carne, numquam ei voluit super hujusmodi petitione præbere consensum. Quadam igitur die dixit ad eum isdem Abbas: Domine Pater, ego jam senex & pæne decrepitus, fatiscentibus in corpore membris, & urgentibus undique morbis jamjamque resolvi me sentio. Quod si extra Claram-vallem defecero, erit mihi dolor inconsolabilis, & irreparabile damnum. Unde necesse est, ut vel nunc abire me jubeas, vel satisfacere votis meis; quia mors accelerans moram amplius facere non permittit. Cui vir Dei respondit: Mane in loco tuo, & noli timere. Ego securum te facio, quod morieris in Clara-valle. Credidit homo sermonibus Sancti, & mansit interim in sua prælatione securior pluribus annis. Post transitum vero famuli Dei, cum jam desiderii sui stimulos nullo reprimente tolerare nequiret, dimisso regimine Claram-vallem se contulit; ubi etiam magno Dei dono, magnoque miraculo septennium supervivens, mirabile prorsus in tali ætate vel infirmitate, fervoris ac devotionis exemplum nobis omnibus in fine reliquit.

### *De Gunnario, ex Sardiniæ tetrarcha monacho in Claravallensi.*

c. 13. 12. SImili modo Gunnarius vir illustris, quondam judex & dominus Sardiniæ tetrarchalis, cum venisset aliquando orationis gratia ad sanctum Martinum Turonensem, in revertendo transitum habuit per Claram-vallem: ubi à sancto Bernardo devote susceptus, & de salute animæ copiose præmonitus, converti ab eo minime potuit, quamvis beatissimus Pater, ipso ibi præsente, & multum gratulante, cæcum quemdam illuminasset. Cumque recessisset, dixit ei Sanctus: Ego rogavi Dominum instanter pro tua conversione, sed ad præsens exaudiri non merui: & nunc abire te patior, quia retinere non licet invitum. Verumtamen scias te huc iterum de Sardinia reversurum. Abiit ergo vir in terram suam, de ignito Viri Dei colloquio scintillam æmulandæ paupertatis & religionis secum reportans: quæ in ejus pectore per cogitationem interim coalescens atque exæstuans, opportuno tempore postmodum in flammam operis erupit. Cumque reversus fuisset in Sardiniam, stimulabant ejus animum incessanter verba illa prophetica, quæ de ore sancti viri prolata, quasi cæleste oraculum retinebat; & eum quiescere non sinebant, juxta quod Salomon ait: *Verba sapientium quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi.* Eccles. 12. 11. Post modicum vero tempus audito transitu sancti viri, consternatus est animo vehementer; arguens semetipsum & pœnitens, quod ad illius prædicationem conversus non fuisset. Sed quod ipso vivente non egit, post ejus obitum implere festinavit. Mox ergo dispositis omnibus quæ necessaria videbantur, primogenitum suum Barasonem in regno suo principari constituit, ceteris tribus liberis patrimonio suo communiter distributo. Quorum etiam prior natu, vocabulo Petrus, ilico post discessum patris, regnum Caralitanum conjugio sortitum potenter obtinuit, hodieque nobiliter regit. Ipse vero Gunnarius, dum adhuc quadragenarius esset, ætate corporis & animi vigore præpollens, relicta Sardinia, omnique gloria mundi deposita, pauper & humilis ingressus est Claram-vallem, ubi jam annum quinquies quinum peragens, in disciplina suscepti Ordinis assidue militat, & exspectat donec veniat immutatio ejus. Qui cum tanta pro Christi amore reliquerit, nihil omnino se reputat amisisse; quin potius gratulatur, & magni lucri existimat pro cælesti terrenum abjecisse.

### *De reditu sancti Bernardi ex Urbe ad suos.*

13. ISdem quoque venerabilis Abbas cum aliquando per annos tres moratus fuisset in urbe Roma, atque in partibus Italicis pro sedando schismate Petri Leonis, in quo videlicet opere eumdem famulum suum Christus magnifice honestavit; tandem reversus Claram-vallem, statim post factam orationem Capitulum fratrum introivit: & quia fatigatus ex itinere, diu loqui non poterat; brevem quidem sermonem, sed plenum consolatione protulit eis, dicens: Benedictus Deus, qui vos mihi reddidit, & me vobis &c. *ut supra lib. 7. cap. 11.* Ibid. cap. 14. Hæc autem signavit nobis domnus Girardus quondam abbas Longi-pontis, qui unus ex antiquis senioribus Claræ-vallensibus, dicta ejus, & facta studiose rimari satagebat.

14. Ipso quoque referente audivimus, quod ille Dei Sanctus dum in quodam monachorum Capitulo verbum Domini prædicaret, duo ex fratribus illis qui aderant, viderunt eum cum subsellio, in quo residebat, in aëre suspensum; & quasi mensura unius pedis à terra sublevatum. Hic ergo venerabilis Pater, cum esset aliquando in itinere, haud longe à castro Pruvinensi, revelatum est ei divinitus, quemdam de filiis suis Claræ-vallensibus tunc migrasse. Statimque de vehiculo descendens, fecit obsequium pro defuncto, commendans animam ejus Deo. Cumque vespere divertisset ad oppidum, quod Cantamerula * nominatur, domina ipsius loci, quæ illum in hospitio suo devote susceperat, obtulit ei filiam suam quartano incommodo jamdiu laborantem, ut ei benedicendo manum imponeret, & bene haberet. *Chantemerle. Ipse vero benedicens eam atque consignans ait: Adhuc unam accessionem passura es filia, & liberaberis. Atque ita contigit ei. Alia autem vice cum isdem vir beatissimus de Laviniaco *, nobili villa in episcopatu Meldis posita, egrederetur, oblata est ei grandiuscula puella quædam surda & muta. *f. Latiniaco. Quam cum imposuissent super collum jumenti sui, respiciens in cælum breviter oravit. Cumque saliva sua linisset labia ejus atque auriculas, benedixit illam; præcipiens ut vocaret sanctam Mariam. Mox ergo puella, quæ numquam fuerat locuta, aperiens os suum clamavit, & dixit; Sancta Maria. Rogerius ergo quidam, vir religiosus & monachus Claræ-vallensis, cum adhuc esset in sæculo, videns miraculum istud factum in oculis suis, compunctus est valde; & hæc erat, ut nobis asseruit, maxima causa, pro qua seipsum reddidit in Claram-vallem.

*De Fastrado abbate Clara-vallensi tertio.*

Lib. 2. c. 25. 15. VEnerabilis ac piæ memoriæ Fastradus [a], quondam Cistercii abbas, vir eximiæ sanctitatis; nobilis quidem genere, sed morum elegantia nobilior fuit. Qui liberalibus studiis non mediocriter initiatus, sacris tamen litteris ardentiori desiderio semper inhæsit; ita ut postmodum cum sapientia & ætate proficeret, eam præ oculis & manibus incessanter haberet, & ne ad mensam quidem sine lectione divina discumbere vellet. Quod non modo faciebat in propria domo, verum etiam in scholis peregrinando. Hic dum esset abbas Camberonensis, decedente piæ memoriæ domno Roberto, qui beato Bernardo successerat, electus est ad regimen Claræ-vallis. Ad quam tamen electionem venire dissimulavit, quamvis ex nomine vocaretur; timens utique ne hoc illi accideret quod semper accidere verebatur. Verumtamen antequam Legati Claræ-vallenses ad eum requirendum pervenire potuissent garrula fama prævolante cognovit, quia in ejus personam omnes unanimiter convenissent. Hoc itaque rumore turbatus & anxius, fugam arripuit: veniensque ad domum Vallis-sancti Petri, quod est monasterium Ordinis Cartusiensis, per dies aliquot ibidem latitavit. ubi cum die noctuque in oratione persisteret, factus est in mentis excessu: & ecce apparuit in magna gloria Virgo puerpera, domina Angelorum, portans in manibus Regem gloriæ, parvulum suum Jesum. Quam cum ille vidisset, procidit ad pedes ejus, obsecrans ut sui misereretur. Cui Beata respondit: Quid turbaris, ô homo? & imponens ei in ulnas suas, velut alteri Simeoni, nobilem illam sarcinam quam gestabat, ait: Accipe filium meum, & serva mihi illum. Quo facto sublata est visio ab oculis ejus: & rediens ad seipsum, intellexit quoniam à Domino egressus est sermo, & quia vere filii Dei, & membra Christi essent qui ejus providentiæ committebantur. Hac igitur tam læta visione præmonitus, jam non est ausus ultra recalcitrare, ne videretur ordinationi Dei velle resistere.

16. Suscepto autem præfato regimine, quàm sollicitum, quàm discretum, quamque benignissimum Pastorem exhibuerit se, non est meæ simplicitatis exponere. Nam quemadmodum alios præcellebat officio dignitatis, ita etiam præcedebat religionis exemplo, & merito sanctitatis. Castus, pius, & humilis, mansuetus atque modestus super omnes quos in diebus ejus vidisse me memini. Parsimoniam vero, ait ille Severus de beato Martino, non est necesse in eo laudare, cum adhuc in sæculo positus ita frugaliter vixerit, ut non jam scholasticus, sed monachus putaretur. Nam sicut ipse quibusdam intimis suis secrete innotuit, biennio ante conversionem suam, licet ætate nondum adultus, ita abstinentiæ operam dedit, ut numquam voluerit saltem pane & aqua saturari. Carnium autem edulium. quamvis in ipso tempore ad mortem pæne ægrotasset, numquam sumere acquievit. Jam vero monachus factus, quàm sobrie vivendo, immo quàm rigide abstinendo corpus in servitutem redegerit, supersedeo dicere: quia, ut verum fatear, vehementior fuit in hac parte. Satis etenim illum super hujusmodi novi atque notavi, quippe qui pluribus annis eidem in sua mensa ministravi. Nam cum in seipso vitia carnis sine miseratione persequeretur, ipsi quoque miseræ carni, cui naturaliter insitus erat, minus quàm oporteat, compati videbatur.

17. Ceterum in exteriori habitu & cultu, pro officii dignitate, quàm humilis & quàm temperans exstitit, hoc uno quod dicturus sum, facile advertere erit. Quadam siquidem die cum vestiarius monachus in lectulo ejus cucullam nescio, an tunicam, qua ipsum indui vellet, solito meliusculam apposuisset, increpavit eum audiente me Pater, & dixit: Quid est, dilecte mi frater, quod facere cupis, ut à communione fratrum nostrorum me separes, & notabili habitu decolores? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. An quia abbatis nomine censeor, propterea monachus esse non debeo? Numquid idcirco constitutus sum minister & servus aliorum, ut lautioribus epulis debeam saginari, & cultioribus ornari? Si ergo me diligis, si pacem meam quæris, si præceptis meis obedire non despicis, precor atque præcipio ne id amplius facere velis. Nam cum ego sim apud Deum indignus, & omnium minimus, magnum est mihi si communi omnium victu atque vestitu fuero honoratus. Ex quo enim assumptus sum ad regimen animarum, hoc unum est quod præ ceteris timui semper, & timeo; ne occasione hujus administrationis, pauperem vitam quam professus sum deseram, & monachi præmium perdam. Hic itaque dilectus à Deo & hominibus, & charismatum donis principaliter adornatus, non solum verbo & exemplo proficiebat, verum etiam gratissima corporis habitudine, mira devotione intuentes afficiebat. Tanta siquidem Spiritus paracliti gratia in ipsius vultu angelico radiabat, ut vix posset fidelium aliquis desiderabili ejus aspectu satiari; præsertim qui puritatem animi ejus, & singularem mansuetudinem cogitabant, quam in exteriori homine, velut in proprio sigillo, divina manu impressam cernebant. Qui videlicet vir venerandus, cum jam factus esset Cisterciensis cœnobii ac totius Ordinis Pater * universalis, magnum in eo; ut credimus, fructum fecisset, nisi peccatis nostris exigentibus tam cito subtractus fuisset. Sed quia ejus sanctissima vita diutius frui digni non fuimus, præcisa est velut à texente, dum adhuc ordiretur. Verumtamen ipse consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima ejus, & angelico consortio digna.

* V. supra lib. 7. c. 2[?]

18. De cujus felici transitu mox futuro, beatæ memoriæ Petro Tolosano, de quo superius multa retulimus, facta est hujusmodi revelatio. Videbat in visu noctis: & ecce in nubibus cæli Filius Dei, Sanctorum frequentia comitante de cælo adveniens, & in ipso aëre consistens, in throno gloriæ residebat, & splendor ex eo procedens mundum illuminabat. Porro ad dexteram majestatis illius monumentum quoddam gloriosissimum in aëre suspensum apparebat, quod miro opere fabricatum intuentium oculos admodum delectabat. At vero ante fores basilicæ Claræ-vallis multitudo promiscui sexus innumerabilis assistebant, qui sursum erectis vultibus Regem gloriæ Dominum nostrum Jesum-Christum, ipsumque mausoleum intente respiciebant. Præfatus autem monachus Petrus accedens ad eamdem turmam, de sepulcro illo quod coram Domino apparebat, cœpit interrogare quid esset, aut quid signaret. Tunc unus ex eis respondit ei taliter, dicens: Sepulcrum istud, de quo sciscitaris, constat esse sanctissimi cujusdam viri de terra proxime assumendi: de cujus recessione magna in partibus istis longe lateque desolatio erit; cujus etiam mors futura est in conspectu Domini pretiosa, & in conspectu hominum præclara. Evolutis postea viginti circiter diebus, cum dictus sanctus Abbas Parisius pro negotiis monasterii ac totius Ordinis sui, domino Papæ Alexandro assisteret, correptus ægritudine lecto decubuit, & infra diem quintum sancto fine quievit. Tandem apud Cistercium corpus ejus cum ingenti honore reductum, magna devotione conditum est. Ferunt in regione Angliæ quemdam religiosum, magnæque virtutis virum exsistere, qui in ipsa die qua beatus Bernardus abbas in Clara-valle de mundo migravit, cum esset in Anglia, vidit in spiritu maximum quemdam Angelum de cælo transmissum, maximam nihilo minus animam quamdam de terra assumentem, & eam cum ingenti gaudio secum ad astra deducentem. Postmodum autem cum ipse beatus Fastradus abbas exiret à corpore, eadem die vidit ille qui supra, supradictum Angelum ad terram venientem, assumptamque ex ea quamdam animam ad cæli fastigia sublevantem: quæ quamvis maxima videretur, prioris tamen animæ magnitudini non æquiparabatur [b].

a Insignem ejus epistolam habes inter Bernardinas, modo numero 411. Roberto Claræ-vallensi post Bernardum abbati successit anno 1157. mortuus anno 1163.

b In omnibus S. Bernardi miraculorum libris nulla uspiam mentio de miraculoso illo lacte, à beatissima Virgine in Bernardum expresso. quod tamen miraculum præ aliis certissimis à pictoribus & ab incautis sancti Doctoris devotis nunc venditari cernimus.

ADMONITIO

# ADMONITIO
## IN RELIQUOS SCRIPTORES VITÆ S. BERNARDI.

I. *Superioribus libris visum est mantissæ loco adjicere auctores subsequentes, qui de gestis sancti Bernardi scripserunt. Primus est* ALANUS, *ex abbate Aripatorii episcopus Autisiodorensis ab anno MCLIII. ad MCLXI. quo anno ad Claram-vallem denuo se recepit, ibidem mortuus anno MCLXXXI. Is ex quinque prioribus libris præmissis continuam rerum à Bernardo gestarum seriem contexuit, adhibitis propriis auctorum verbis, quos ad temporum ordinem utcumque reduxit. Nam ubi Gaufridus in lib. III. cap. IV. infelicem expeditionis Jerosolymitanæ exitum præponit Synodo Senonensi contra Abaelardum habitæ, quæ decem annis præcessit: Alanus contra expeditioni Synodum præponit. Item idem Gaufridus in ejusdem libri I. cap. VI. Gilberti Porretani confutationem in Concilio Remensi factam refert ante Bernardi prædicationem contra Henricum hæreticum; & post ea omnia Bernardi ex Urbe reditum lib. IV. cap. I. Hæc autem omnia recto ordine describuntur ab Alano, qui etiam sancti Doctoris testamentum, ab aliis Scriptoribus omissum, primus commemorat. Sane Gaufridus ipse in Præfatione libri tertii fatetur, in sua narratione* cohærentiam magis similitudinis rerum gestarum, quam temporis observari. *Quin etiam ex eodem Alano Gaufridi Carnotensis episcopi vulgatum annorum calculum emendare licet. Cum enim is Alberico cardinali Ostiensi episcopo & legato, in Tolosanas partes adversus Henricum hæreticum,* diebus, *inquit Alanus,* Eugenii exortum, *& quidem anno MCXLVII. proficiscenti, una cum Bernardo comes Gaufridus adhæsisse dicatur; extrema Gaufridi vitæ periodus non quidem ad annum MCXXXVIII. ut præfert Gallia Christiana, referenda est, sed post annum MCXLVII. differenda, id est in annum sequentem: tum quia Gaufridus legationis munere, quod Innocentius Papa II. post annum MCXXXI. ipsi commisit, functus est* per quindecim annos, *ex Actis Episcoporum Carnutensium editis Analectorum tomo II. tum quia Goslenus, ejus nepos & in sede Carnutensi successor, in litteris monasterio Josaphatensi anno MCLI. concessis, annum sui episcopatus tertium dicit. Quid in reliquis Alanus præstiterit, docet ejus Præfatio ad Pontium Claræ-vallensem abbatem quintum: qui anno MCLVIII. Gaufrido successit; post annos quatuor ad sedem Claromontensem promotus. Ac proinde ad annum circiter MCLXX. revocanda hæc Alani scriptio, de quo vide plura in fusioribus Notis ad epistolam CCLXXX.*

II. *Secundus auctor, qui Alanum proxime subsequitur, ab erudito Petro Francisco Chiffletio Parisiis editus anno MDCLXXIX. inter quatuor Opuscula, videtur ipsi esse* GAUFRIDUS, *ille, cujus tres posteriores de S. Bernardi vita libros cum parte altera miraculorum superius retulimus. Nec levis de auctore conjectura. Is quippe in cap. VI. testatur, se* in corpore *Bernardi* epistolarum primam eam *constituisse, quæ ad Robertum scripta est, ob miraculum, quod* ab ipsius ore, qui scripsit eam in pluvia sine pluvia, *acceperat. quod quidem videtur fuisse Notarii officium, quo Gaufridus fungebatur. Idem auctor de se addit cap. IX. conversionem suam contigisse ex sermone, quem* in Scholis Parisiensibus *vir Sanctus habuit. Id si Gaufrido aptari potest, Sermo ille de Conversione ad clericos, qui inter Opuscula tomo secundo habetur, anno MCXL. assignandus est. siquidem Gaufridus ipso anno ad conversionem venit, nempe anno tertio-decimo ante Bernardi obitum, ut ipse in Præfatione ad librum tertium de vita ejus testatur. Certe eodem fere modo loquitur Gaufridus tum in Præfatione ad librum tertium, tum in Sermone de S. Bernardo, ubi de sua ipsius conversione, atque auctor in vita sequentis cap. VI. Porro ex hoc auctore tantum Excerpta quædam retulit Chiffletius, quod cetera cum aliis auctoribus convenirent, & quidem de verbo cum ea parte libri sexti miraculorum, quæ ipsum Gaufridum habet auctorem. Hæc porro censet vir doctus quædam collectanea fuisse de vita & rebus gestis Bernardi, ac veluti materiem scribendæ ejus historiæ præparatam: cujus historiæ primum & secundum librum cum elaborassent duo viri eruditi & graves, Guillelmus & Ernaldus; noluerit Gaufridus pios eorum labores opere suo obscurare: sed intactis quæ illi tractaverant, reliquam sancti Bernardi vitam tribus libris prosecutus sit, ad priores duos adnectendis. Hæc sane veri similia.*

III. *Excerptis Gaufridi (sic eum postmodum appellabimus) succedent libri duo* JOHANNIS EREMITÆ *de vita itidem sancti Bernardi, sed imperfecti: quos Chiffletius mox laudatus vulgavit eo in opusculo, quo Diatribæ de illustri S. Bernardi genere præmisit. Johannes ex nomine Eremita dictus videtur, non ex vitæ professione. Nec fortasse monachus fuit, sed* apud quosdam discipulorum ejus, *scilicet Bernardi,* olim assiduus, adhuc puer, *ut de se ipse testatur in Præfatione secunda ad Herbertum Turritanum in Sardinia episcopum. nam prima ad Petrum Tusculanum episcopum scripta est. Ex hac duplici præfatione tempus, quo Petrus hos libros scribebat, colligi potest. Herbertus quippe libros suos scribebat anno MCLXXVIII. quo anno Petrus ab Alexandro III. creatus est cardinalis episcopus Tusculanus. Adde quæ habet Johannes de Roberto abbate, Bernardi consanguineo,* qui magis, *inquit lib. 1. num. 5.* quam sexaginta septem annis in monasterio sub jugo disciplinæ regularis vixit. *Ergo post annum MCLXXX. scribebat Johannes, cum Robertus non ante annum MCXIII. Bernardo se adjunxerit, ante oblatus in monasterio Cluniacensi.*

# SECUNDA VITA S. BERNARDI ABBATIS,

## AUCTORE SEU COMPILATORE ALANO, quondam episcopo Autisiodorensi.

### PROLOGUS AUCTORIS.

Venerando Patri Pontio, Dei providentia Claræ-vallis abbati, frater Alanus Autisiodorensis ecclesiæ humilis quondam Sacerdos, æternam in Christo salutem. Vitæ beatæ recordationis Bernardi Claræ-vallis abbatis, virtutibus & miraculis tam admirandæ quàm imitandæ, plures in describendo exstiterunt auctores, sumpta nimirum materia, quæ se copiosa inquirentibus offerebat. Quod autem nos ex eadem narratione nonnulla omittentes, & apponentes perpauca, breviori perstringimus schedula; non tam præsumptio, quàm, ut credimus, ratio persuasit. *Rationes suscepti operis.* Primo quod scriptorum, tametsi vera sint, prolixitas B onerosa solet esse legentibus. Deinde quod Godefridus, venerabilis Lingonicæ sedis antistes, ejusdem Patris Bernardi secundum carnem propinquus, secundum spiritum in conversione socius & in laboribus coadjutor, quædam in pagina, quam breviandam suscepimus, minus veritati consona denotabat, utpote qui ab infantia cum Sancto illo nutritus, visa melius, quàm alius narrata didicerat. Morte vero idem venerabilis Sacerdos præventus, quod inde cœperat & optaverat, imperfectum reliquit. Sed & in serie ipsa descriptionis multiplex sensuum recapitulatio est, dum plures eadem sæpe dixerunt, etsi aliquando dissimilibus verbis. Necnon etiam, si quis diligenter advertat, ibidem quædam aspera in- C serta reperiuntur, verbi gratia contra ecclesiasticæ & sæcularis potestatis authenticas sublimesque personas. Absit autem ut quicquam asperum vel amarum Oliva illa, suavitatem in domo Domini fructificans, erga quempiam reddat; cujus studii semper fuit, dum vixit in sæculo, omnes homines mansuetudinis suæ oleo demulcere. Sane narrationis nostræ veritas non incertam apud nos obtinet firmitatem, cum etiam plura ex his quæ vel ex ejus ore sacratissimo, vel fideli religiosorum relatu comperta cognovimus, sicut & miraculorum multitudinem scienter prætereuntes, studio brevitatis duximus sequestranda. Si igitur puritatis vestræ examini nostra placuerit abbreviatio, subtractis vel appositis aut emendatis quæ vestræ D visa fuerint sanctitati, cum Dei beneplacito, vestroque favore, ni fallimur, sine offendiculo poterit transscribenda exponi. Sin autem; nostræ humilitatis est, idem opusculum penes nos potius occultare quàm prodere, ne minime profutura temere velle pandere videamur.

## INCIPIT VITA.

### CAPUT I.

*De parentibus, pueritia & moribus sancti* Bernardi.

1. Bernardus, Burgundiæ partibus, Fontanis oppido patris sui oriundus fuit, parentibus claris secundum sæculi dignitatem, sed dignioribus ac nobilioribus secundum Christianæ Religionis pietatem. Pater ejus Tescelinus, vir antiquæ & legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, justitiæ tenax. *Luc. 3. c* Evangelicam namque, secundum instituta Præcursoris Domini, militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus stipendiis suis, quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic consilio & armis serviebat temporalibus dominis suis, ut etiam Domino Deo suo non negligeret reddere quod debebat. Mater ejus Aalaidis ex castro, cui A nomen Mons-Barrus, & ipsa in ordine suo apostolicam regulam tenens, subdita viro, sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat, operibus misericordiæ insistens, filios enutriens in omni disciplina. *Ephes. 5. d* Septem quippe liberos genuit, non tam viro suo quàm Deo, sex mares, feminam unam; mares omnes monachos futuros, feminam sanctimonialem. Deo namque, ut dictum est, non sæculo generans, singulos mox ut partu ediderat, ipsa manibus propriis Domino offerebat. Propter quod etiam alienis uberibus nutriendos committere illustris femina refugiebat, quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam. *Nota piæ educationis exemplum.* Cum autem crevissent aliquamdiu sub manu ejus, eremo magis quàm curiæ nutriebat, non patiens delicatoribus assuescere cibis, sed grossioribus & communibus pascens; & sic eos præparans & instituens Domino inspirante, quasi continuo ad Dei servitium transmittendos.

2. Hæc cum in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in utero, somnium vidit præsagium futurorum, catellum scilicet totum candidum, in dorso subrufum, & latrantem, in utero se habere. Super quo territa vehementer, cum religiosum quemdam virum consuluisset, continuo ille spiritum prophetiæ concipiens, quod David de sanctis prædicatoribus Domino dicit, *Lingua canum tuorum ex inimicis*, trepidanti & anxiæ respondit: *Psal. 67. g* Ne timeas; optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, & tamquam bonus canis gratia linguæ medicinalis in multis multos morbos curaturus est animarum. Quo responso mulier pia & fidelis quasi à Deo suscepto læta efficitur, & jam tunc in amorem nondum nati tota transfunditur, cogitans eum sacris litteris erudiendum tradere, secundum modum visionis & interpretationis, qua ei de illo tam sublimia promittebantur.

3. Quod & factum est. Mox enim ut felici partu edidit, non modo obtulit eum Deo, sicut de aliis agere consueverat: sed sicut legitur de sancta Anna matre Samuëlis, quæ petitum à Domino & acceptum filium in tabernaculo ejus destinavit perpetuo serviturum, sic & ipsa eum in Ecclesia Dei acceptabile obtulit munus. Unde & quàm citius potuit, in ecclesia Castellionis*, quæ postmodum ipsius Bernardi opera à sæculari conversatione in Ordinem regularium Canonicorum promota cognoscitur, magistris litterarum tradens erudiendum, egit quicquid potuit ut in eis proficeret. ** Chastillon sur Seine.* Puer autem & gratia plenus, & ingenio naturali pollens, cito in hoc matris desiderium implevit. Nam in litterarum quidem studio supra ætatem & præ coætaneis suis proficiebat: sed in rebus sæcularibus jam mortificationem futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat quippe simplicissimus in sæcularibus, amans habitare secum, pu- E blicum fugitans, mire cogitativus, parentibus obediens & subditus, omnibus benignus & gratus, domi simplex & quietus, foris rarus, & , ultra quàm credi possit, verecundus, nusquam multum loqui amans, Deo devotus, ut puram ei pueritiam suam conservaret; litterarum etiam studio deditus, per quas in Scripturis Deum disceret & cognosceret.



## CAPUT II.

*De ejus pietate, misericordia, ac studio castitatis.*

4. Cum adhuc puerulus gravi capitis dolore vexaretur, decidit in lectulum. Adducta autem ad eum est muliercula, quasi dolorem mitigatura carminibus. Quam cum ille appropinquantem sentiret cum quibusdam carminalibus instrumentis, cum indignatione magna exclamans, à se repulit & abjecit.

5. Aderat aliquando sollemnis illa nox Nativitatis Dominicæ, & ad sollemnes vigilias omnes, ut moris est, parabantur. Cumque celebrandi nocturni Officii hora aliquantisper protelaretur, contigit sedentem exspectantemque Bernardum cum ceteris inclinato capite paululum soporari. Affuit ilico puero suo se revelans pueri Jesu sancta nativitas, teneræ fidei suggerens incrementa, & divinæ in eo inchoans mysteria contemplationis. Apparuit enim ei velut denuo procedens sponsus è thalamo suo. Apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex utero Matris Virginis Verbum infans, speciosus forma præ filiis hominum, & pueri sancti in se rapiens minime jam pueriles affectus. Persuasum autem esse animo suo fateri solebat, quod eam crediderit tunc horam fuisse Dominicæ nativitatis. Sed & facile erat advertere his qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta eum benedictione ea hora præveneric Dominus, cum in his quæ ad illud pertinent sacramentum & sensus ei profundior, & sermo copiosior suppetere videretur. Unde & postmodum in laudem ejusdem Genitricis & Geniti, & sanctæ ejus Nativitatis, insigne edidit Opusculum, inter initia operum suorum seu tractatuum, sumpta materia ex eo Evangelii loco ubi legitur, *Missus est Gabriel angelus à Deo in civitatem Galilææ*, & cetera quæ ibi sequuntur. Neque illud tacendum, quod ab ipsis jam puerilibus annis, si quos poterat nummos habere, clandestinas faciens eleemosynas, pro ætate, immo supra ætatem pietatis opera sectabatur.

6. Cum autem aliquanto tempore evoluto, proficiens ætate & gratia apud Deum & homines, puer Bernardus de pueritia transiret in adolescentiam, mater ejus liberis fideliter educatis, & vias sæculi ingredientibus, quasi peractis omnibus quæ sua erant, feliciter migravit ad Dominum. Obdormivit autem psallentibus clericis, qui convenerant, & ipsa psallens, ut in extremis quoque, cum jam vox ejus audiri non posset, adhuc moveri labia viderentur, & lingua palpitans Dominum confiteri. Demum inter litaniæ supplicationes, cum diceretur, *Per passionem & crucem tuam libera eam Domine*, elevans manum signavit se, & emisit spiritum, ita ut manum non posset deponere quam levarat. Ex hoc Bernardus suo jam more, suo jure victitare incipiens, eleganti corpore, grata facie præeminens, suavissimis ornatus moribus, acri ingenio præditus, acceptabili pollens eloquio, magnæ spei adolescens prædicabatur. Cui, tamquam ingredienti sæculum, plures se viæ sæculi ipsius offerre cœperunt, & in omnibus assurgere prosperitates vitæ hujus, & magnæ spes undique arridere. Obsidebant animum juvenis benignum sodalium dissimiles mores, & amicitiæ procellosæ similem sibi efficere gestientes. Quæ si ei dulcescere perstitissent, necesse erat amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus insederat, castitatis amorem. Cui præcipue invidens coluber tortuosus, spargebat laqueos tentationum, ac variis occursibus calcaneo ejus insidiabatur.

7. Circa idem tempus instinctu dæmonis, in lectum dormientis injecta est puella nuda. Quam ille sentiens, cum omni pace & silentio, partem ei lectuli quam occupaverat cessit, & in latus alterum se convertit, ac dormivit. Misera vero illa aliquamdiu jacuit, sustinens & exspectans, deinde palpans & stimulans. Novissime cum immobilis ille persisteret, illa, licet impudentissima esset, erubuit, & horrore ingenti atque admiratione perfusa, relicto eo surgens aufugit. Contigit item, ut cum sociis aliquantis apud matronam aliquam Bernardus hospitaretur. Considerans autem mulier adolescentem decorum aspectu, capta est



A laqueo oculorum suorum, & in concupiscentiam ejus exarsit. Cumque tamquam honoratiori omnium seorsum ei fecisset lectulum preparari, surgens ipsa de nocte impudenter accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens, nec consilii inops, clamare cœpit: Latrones, latrones. Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exsurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minime invenitur. Ad quam vocem ad lectulos singuli redeunt, fit silentium, fiunt tenebræ sicut prius, pausant ceteri, sed non illa misera requiescit. Exsurgit denuo, & Bernardi lectulum petit: sed denuo ille proclamat, Latrones, latrones. Quæritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo qui solus noverat publicatur. Usque tertio improba mulier sic repulsa, vix tamdem, seu metu, seu desperatione victa cessavit. Cum autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernardum socii, quosnam toties ea nocte latrones somniaverit, perquirebant. Quibus ille: Veraciter, inquit, aderat latro, & mihi castitatem hospita surripere nitebatur.

## CAPUT III.

*Mundi contemptum ac fugam concipit, aliisque persuadet.*

8. Inter hæc tamen cogitans & perpendens quod vulgo dicitur, Non esse tutum diu cohabitare serpenti, fugam meditari cœpit. Videbat enim mundum & Principem ejus exterius multa sibi offerentem, multa promittentem, magnas res, spes majores, sed fallaces omnes, & vanitatem vanitatum, & omnia vanitatem. Veritatem vero ipsam interius jugiter audiebat clamantem, & dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris.* Perfectius vero relinquere mundum deliberans, cœpit inquirere & investigare, ubi certius & purius inveniret requiem animæ suæ sub jugo Christi. Inquirenti autem occurrit Cistercii innovatæ monasticæ religionis nova plantatio, messis multa, sed operariis indigens, cum vix adhuc aliquis conversionis gratia illuc declinaret, ob nimiam vitæ ipsius & paupertatis austeritatem. Quæ tamen cum animum vere Deum quærentem minime terrerent, posthabita omni hæsitatione ac timore, illuc vertit intentionem, posse se æstimans omnino ibi delitescere & abscondi. Ubi vero de conversione tractantem fratres ejus, & qui carnaliter eum diligebant, persenserunt, omnimodis agere cœperunt, ut animum ejus ad studium possent divertere litterarum, & amore scientiæ sæcularis sæculo arctius implicare. Qua nimirum suggestione, sicut fateri solebat, propemodum retardati fuerant ejus gressus. Et cum aliquando ad eosdem pergeret fratres, in obsidione castri, quod Granceium * dicitur, cum Hugone Duce Burgundiæ constitutos, cœpit in hujusmodi cogitatione vehementius anxiari. Inventaque in itinere ecclesia quadam divertit, & ingressus oravit cum multo imbre lacrymarum, expandens manus in cælum, & effundens cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Ea igitur die firmatum est propositum cordis ejus.

Matt. 11. d.

* Grancey.

9. Nec vero surda aure percepit vocem dicentis: *Qui audit, dicat, Veni.* Siquidem ab illa hora, sicut ignis qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes, hinc inde prius viciniora quæque corripiens, postmodum in ulteriora progreditur: sic ignis quem Dominus miserat in cor servi sui, volens ut arderet, primo fratres ejus aggreditur, solo minimo, ad conversionem minus adhuc habili, seniori patri ad solatium derelicto; deinde cognatos & notos, socios & amicos, & de quibuscumque poterat esse spes conversionis. Primus omnium Galdricus avunculus ejus absque dilatione aut hæsitatione in sententiam ivit nepotis, & consensum conversionis, vir honestus & potens in sæculo, & in sæcularis militiæ gloria nominatus, dominus castri in territorio Æduensi*, quod Tuillum * dicitur. Continuo etiam Bartholomæus occurrens junior ceteris fratribus, & necdum miles, sine difficultate, eadem hora salutaribus monitis dedit assensum. Porro Andreas Bernardo etiam ipse junior, & novus eo tempore miles, verbum fratris difficilius admittebat, donec subito exclamavit: Video matrem meam. Visibiliter siquidem ei apparuit serena facie, subridens & congratulans proposito

Apoc. 22. d.

* Autun.
* Touillon.

filiorum. Itaque & ipse continuo manus dedit, & de ti- A rone sæculi factus est miles Christi. GUIDO vero primogenitus fratrum conjugio jam alligatus erat, vir magnus & præ aliis jam in sæculo radicatus. Hic primo paululum hæsitans, sed continuo rem perpendens & recogitans, conversioni consensit, si tamen conjux annueret. Verum id quidem de juvencula nobili, & parvulas filias nutrienti pæne impossibile videbatur. At Bernardus de misericordia Domini spem concipiens certiorem, incunctanter ei spopondit, aut consensuram feminam, aut celeriter morituram. Demum cum omnimodis illa renueret, vir ejus magnanimus, immo jam ea præventus virtute fidei, in qua postmodum excellenter enituit, virile consilium Domino inspirante concepit, ut abjiciens quicquid habere videbatur in sæculo, B vitam institueret agere rusticanam, laborare scilicet manibus propriis, unde suam sustentaret & uxoris vitam, quam invitam dimittere non licebat. Interim supervenit Bernardus, qui undique alios atque alios colligens discurrebat. Nec mora, flagellatur prædicta Guidonis uxor infirmitate gravi. Et cognoscens quia durum esset sibi contra stimulum calcitrare, accersito Bernardo veniam deprecatur, & prior ipsa conversionis petit assensum. Denique juxta morem ecclesiasticum separata à viro, interveniente parili voto castitatis, in cœtum sanctimonialium transiit feminarum, religiose serviens Deo usque ad mortem.

10. Secundus natu post Guidonem GIRARDUS erat, miles in armis strenuus, magnæ prudentiæ, benignitatis C eximiæ, & qui ab omnibus diligeretur. Qui ceteris, ut dictum est, primo auditu & prima die acquiescentibus levitatem reputans, ut mos est sapientiæ sæcularis, obstinato animo salubre consilium & fratris monita repellebat. Tum Bernardus fide jam igneus, & fraternæ caritatis zelo mirum exasperatus in modum: Scio, inquit, scio, sola vexatio dabit intellectum auditui; digitumque lateri ejus apponens, Veniet, inquit, dies, & cito veniet, cum lancea lateri huic infixa pervium faciet iter ad cor tuum, consilio salutis tuæ quod modo aspernaris; & timebis quidem, sed minime morieris. Sic dictum, & sic factum est. Paucissimis interpositis diebus circumvallatus ab inimicis, captus & vulneratus, juxta verbum fratris, lanceam gestans ipsi lateri, eidem- D que infixam loco, cui Bernardus digitum applicuerat, trahebatur, & mortem quasi jam præsentem metuens, clamabat: Monachus sum, monachus sum Cisterciensis. Nihilo minus tamen captus & reclusus in custodia est. Vocatus est Bernardus per celerem nuntium, sed non venit. Sciebam, inquit, & prædixeram, quod durum foret ei contra stimulum calcitrare: nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam. Et factum est ita. siquidem de vulnere præter spem cito convaluit; propositum vero seu votum, quod voverat, non mutavit. Cumque jam liber ab amore sæculi hostilibus adhuc vinculis teneretur, & hoc solum esset quod ejus propositum retardaret, in hoc etiam cito affuit ei misericordia Dei. Venit frater ejus laborans ut erui pos- E set, & non profecit. Et cum nec loqui ei permitteretur, accedens ad carcerem clamavit: Scito, frater Girarde, quia ituri sumus in proximo, & monasterium introituri. Tu vero, quandoquidem exire non licet, hic monachus esto, sciens quod vis & non potes, pro facto reputari. Cumque Girardus magis ac magis anxiaretur, paucis diebus interpositis, audivit vocem dicentem sibi in somnis: Hodie liberaberis. Erat autem sacrum Quadragesimæ tempus. Circa vespertinam itaque diei horam cogitans quod audierat, compedes suas tetigit, & ecce ferrum ex parte in manu ejus crepuit; ut minus jam teneretur, & aliquatenus incedere posset. Sed quid ageret? Erat ostium obseratum, & pro foribus pauperum multitudo. Surrexit tamen, & non F tam spe evadendi quàm jacendi tædio, seu curiositate tentandi, accedens ad ostium subterraneæ domus, in qua vinctus & clausus erat, mox ut pessulum tetigit, sera tota inter manus ejus collapsa est, & ostium domus apertum. Exiensque pedetentim, sicut homo compeditus, ad ecclesiam, ubi adhuc vespertina celebrabantur officia, pertendebat. Porro mendici qui pro foribus domus adstabant, videntes quod fiebat, & divinitus exterriti, in fugam versi sunt nihil clamantes. Cumque jam ecclesiæ propinquaret, egrediens quidam de familia domus captivitatis suæ, germanus illius à quo custodiebatur, vidensque ad ecclesiam properantem, Tarde, inquit, Girarde, venisti. Expavescente Girardo, Festina, ait: adhuc superest quod audias. Oculi quippe ejus tenebantur, nec prorsus quid ageret intelligebat. Demum ad altiores gradus ecclesiæ cum adhuc compeditum data manu Girardum sublevasset, introeunte illo ecclesiam, tunc primum quid ageretur agnovit, & conatus eum retinere non potuit. Hoc modo Girardus à captivitate amoris sæculi hujus, & captivitate filiorum sæculi hujus liberatus, votum quod voverat fideliter exsolvit. In quo potissimum notum fecit Dominus, à quanta perfectione & sanctæ conversationis gratia iste Dei famulus Bernardus cœperit, qui in ejus spiritu, qui fecit quæ futura sunt, quod erat futurum videre potuit quasi jam factum. Præsentialiter quippe in latere fratris ei lancea apparebat, quando digitum applicuit, sicut postmodum ipse confessus est, cum ab his interrogaretur, quibus celare non poterat.

11. Cum die quadam Bernardus cum ceteris, secum in eodem spiritu congregatis, quamdam intrasset ecclesiam, apostolicum illud capitulum legebatur: *Fidelis Deus, quia qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem Christi Jesu.* Philip. 1. Quod devotus juvenis haud secus accepit, quàm si de cælo sonuisset. Exsultans itaque spiritualis jam pater regeneratorum in Christo fratrum suorum, & manum Domini secum operantem intelligens, cœpit ex hoc prædicationi insistere, & quoscumque poterat aggregare. Cœpit novum hominem induere, & cum quibus de litteris sæculi seu de sæculo agere solebat, de seriis & conversione tractare, ostendens gaudia mundi fugitiva, vitæ miserias, celerem mortem, vitam post mortem, seu in bonis seu in malis perpetuam fore. Quid multa? Quotquot ad hoc præordinati erant, operante in eis gratia Dei & verbo virtutis ejus, & oratione & instantia servi ejus, primo cunctati, deinde compuncti, alter post alterum credebant & consentiebant. Inter quos adjunctus est ei HUGO Matisconensis, qui postea raptus à Pontiniaco cœnobio, quod ipse ibidem abbas ædificavit, Autisiodorensi ecclesiæ præfuit merito & honore Pontificis. Hic audiens de conversione socii & amici carissimi Bernardi, flebat quasi perditum, quem sæculo mortuum audiebat. Ubi autem data est utrique primo facultas mutui colloquii, post dissimiles lacrymas & gemitus dissimilium dolorum, verba verbis cœperunt conferri, & res rebus comparari. Cumque inter ipsa verba familiaris amicitiæ Hugoni infunderetur spiritus veritatis, aliam jam faciem habere cœperunt verba mutuæ collocutionis. Datis itaque dexteris in sodalitium novæ vitæ, longe dignius veriusque facti sunt cor unum & anima una in Christo, quàm in sæculo ante fuissent. Post paucos autem dies nuntiatur Bernardo subversum ab aliis eumdem Hugonem à proposito resilire. Qui opportunitate inventa, quod magnus quidam episcoporum conventus illis in partibus haberetur, festinat ut revocet pereuntem, iterumque parturiat. Observantes autem prædicti sodales & subversores Hugonis, viso Bernardo prædam ambiunt suam, & omnem ei loquendi adimunt facultatem, omnem aditum intercludunt. At ille cum ei loqui non posset, clamabat pro eo ad Dominum. Quo orante cum lacrymis, subita & vehemens inundatio pluviæ mox erupit. Consederant autem in campo, quod aër serenus esset, & nil tale sperarent. Dispersi igitur omnes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens, Mecum, ait sustinebis hujus pluviæ guttas. Cumque soli remansissent, Dominus reddidit eis continuo & aëris, & animi serenitatem. Ibi renovatum est fœdus, & propositum confirmatum, quod non potuit deinceps violari.

12. Videbat ista peccator & irascebatur, dentibus suis fremebat & tabescebat; justus autem confidens in Domino, gloriose de sæculo triumphabat. Jamque eo publicè & privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant: quia voci ejus Spiritus-sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Crescente siquidem numero eorum, qui in hanc conversionis unanimitatem consenserant, sicut de primitivis Ecclesiæ filiis legitur, multitudinis eorum erat cor unum, & anima una in Domino, & habitabant

Mira in BER NARDO V trahendia mas.

unanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se conjungere eis. Erat enim eis Castellioni domus una propria & communis omnium, ubi conveniebant, & cohabitabant, & colloquebantur, quam ingredi vix audebat, qui non esset de cœtu eorum. Sed & si quis intrabat, videns & audiens quæ ibi gerebantur, convincebatur ab omnibus, dijudicabatur ab omnibus: & adorans Dominum, & confitens quod Deus vere esset in illis, aut ipse unanimitati eorum adhærebat, aut recedens flebat semetipsum, illos autem beatificabat. Hoc enim illis temporibus, & in illis erat partibus inauditum, ut alicujus adhuc in sæculo commorantis conversio præsciretur. Ipsi vero quasi mensibus sex, post primum propositum in sæculari habitu stabant, ut perinde plures congregarentur, dum B quorumdam negotia per id temporis expediebantur.

13. Cum autem jam suspecta esse inciperet multitudo, ne quem de numero eorum subriperet is qui tentat, placuit Deo super hoc revelare quid futurum esset. Aspiciebat enim quidam eorum in visu noctis, & videbat quasi omnes consedisse in domo una, & per ordinem singulos quasi communicare de cibo quodam miri candoris & saporis. Quem ceteris omnibus optime suscipientibus & cum gaudio magno, duos ex omni numero illo notabat à cibi illius participatione vacuos remansisse. Alter namque eorum nec sumebat: alter quidem sumere videbatur, sed tamquam minus caute sumeret, spargebatur. Utrumque vero postea probavit eventus. Alter enim, C priusquam ventum esset ad rem, conversus retrorsum abiit, & in sæculum rediit; alter cœpit quidem cum ceteris opus bonum, sed non perfecit.

## CAPUT IV.

*Bernardus cum sociis Cistercium ingreditur, ubi de ejus mortificatione tempore tirocinii.*

14. JAm vero adveniente die reddendi voti & complendi desiderii, egressus est de domo paterna Bernarnus pater fratrum suorum, cum fratribus suis, filiis suis spiritalibus, quos verbo vitæ Christo genuerat. Videns autem Guido primogenitus fratrum suorum Nivardum D fratrem suum, minimum puerum, cum pueris aliis in platea: Eia, inquit, frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. Ad quod puer non pueriliter motus: Vobis ergo, inquit, cælum; mihi terra? non ex æquo divisio hæc facta est. Quo dicto abeuntibus illis, modico post tempore & ipse fratres secutus, nec à patre, nec à propinquis seu amicis potuit detineri. Supererat de Deo dicata domo illa pater cum filia, de quibus etiam suo loco dicemus. Eo tempore novellus & pusillus grex Cisterciensis sub abbate degens viro venerabili Stephano, cum jam graviter tædio ei esse inciperet paucitas sua, & omnis spes posteritatis decideret, in quam sanctæ illius paupertatis hereditas transfunderetur, venerantibus E omnibus in eis vitæ sanctitatem, sed refugientibus austeritatem; repente divina hac visitatione tam læta, tam insperata, tam subita lætificatus est, ut in die illa responsum hoc à Spiritu-sancto accepisse sibi domus illa videretur: *Lætare sterilis quæ non pariebas, erumpe & clama quæ non parturiebas: quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum*; de quibus postmodum visura es filios filiorum usque in multas generationes.

15. Anno ab Incarnatione Domini MCXIII. à constitutione domus Cisterciensis XV. servus Dei Bernardus annos natus circiter XXII. Cistercium ingressus cum sociis amplius quam XXX. sub abbate Stephano, suavi jugo Christi collum submisit. Ab illa autem die dedit Do- F minus benedictionem, & vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, & ultra mare propagines ejus. Hæc quidem fuere viri Dei conversionis sancta principia. Conversationis autem ejus insignia, quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare posse puto, qui non vivat de spiritu, de quo ille vixit. Solius quippe donantis & accipientis est nosse, quantum ab ipso mox conversionis exordio prævenerit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis suæ; quanta repleverit gratia electionis, quo- A modo ab ubertate domus suæ inebriaverit eum. Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu, & eo adhuc tempore absconditam ac pæne nullam, intentione ibi moriendi à cordibus & memoria hominum, & spe delitescendi & latendi tamquam vas perditum, Deo aliter disponente, & eum sibi in vas electionis præparante, non solum ad Ordinem monasticum confortandum ac dilatandum, sed ad portandum nomen suum coram Regibus & gentibus, & usque ad extremum terræ. Ipse vero nil tale de se æstimans aut cogitans, potius ad custodiam cordis sui & propositi constantiam hoc semper in corde, sæpe etiam in ore habebat: Bernarde, ad quid venisti? Et sicut de Domino legitur, quia *cœpit Jesus facere, & docere*: Act. 1. 1
à prima die in cellam Novitiorum ingressus fui, ipse cœpit agere in semetipso quod alios erat docturus.

16. Ipse cum novitius esset, in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare non solum concupiscentias carnis, quæ per corpus fiunt, sed & sensus ipsos per quos fiunt. Cum enim jam interiori sensu illuminati amoris, dulcius ac frequentius sentire inciperet desursum sibi spirantem suavitatem, sensui illi interiori timens à sensibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conversationis societatem. Quod cum continui usus instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ipsa quodammodo vertebatur in naturam; totusque absorptus in spiritum, sæpe * tota in Deum * al. spe.
directa intentione, seu in meditatione spirituali tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat, nihil sapiebat gustanti, vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat in cella Novitiorum, cum exiens inde, ignoraret adhuc an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere cælaturam. Multo tempore frequentaverat intrans & exiens domum ecclesiæ, cum in ejus capite, ubi tres erant, unam tantum fenestram esse arbitraretur. Curiositatis enim sensu mortificato, nil hujusmodi sentiebat; vel si eum forte aliquando contingebat videre, memoria (ut dictum est) alibi occupata non advertebat. Sine memoria quippe sensus sentientis minus efficax est.

## CAPUT V.

*De Bernardi dotibus, & corporis habitu.*

17. NAtura quoque non dissentiebat in eo à gratia, ut in eo quoque impletum quodammodo videretur esse quod legitur: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam; & cum magis essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Sap. 8. 19
Ad contemplanda quippe spiritualia quæque seu divina, cum gratia spirituali, naturali quadam virtute pollebat ingenii; sortitusque est etiam ipse in hoc animam bonam, sensualitatem non curiose lascivam, nec superbe rebellem, sed congaudentem spiritualibus bonis & studiis, & in eis quæ ad Deum sunt, sponte subditam spiritui & servientem; corpus etiam nullius contaminatum consensu flagitii, ad serviendum spiritui in servitio Dei aptissimum instrumentum. Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritualis tamen potius quam carnalis: in vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, sed cælestis: in oculis angelica quædam puritas, & columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulcritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ copiosæ perfusus homo quoque exterior videretur. Corpus omne tenuissimum & sine carnibus erat. Ipsa etiam subtilissima cutis in genis modice rubens; illo nimirum quicquid caloris inerat naturalis, assidua meditatio, & studium sacræ compunctionis attraxerat. Cæsaries ex flavo colorabatur & candido; barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis. Statura mediocritatis honestæ, longitudini tamen vicinior apparebat. Sed cum caro in eo ex dono prævenientis gratiæ, adjutorio subsequentis naturæ, & usu bono spiritualis disciplinæ, vix jam aliquid concupisceret adversus spiritum, hoc est quod spiritum læderet: spiritus supra vires, supra virtutem carnis & sanguinis tanta adversus carnem concupiscebat, ut infirmum animal cadens sub onere resurgere non valeret.

A

## CAPUT VI.

*De fundatione Claræ-vallis, & Bernardi ordinatione in Abbatem.*

Anno 1115.

18. CUm autem placuit ei, qui eum segregavit à sæculo & vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam; & multos filios Dei qui erant dispersi, per eum congregaret in unum, misit in cor abbatis Stephani ad ædificandum domum Claræ-vallis mittere fratres ejus. Quibus abeuntibus ipsum præfecit Abbatem, mirantibus sane illis, tamquam maturis & strenuis viris, & timentibus ei tum pro tenerioris ætate juventutis, tum B pro corporis infirmitate, & minori usu exterioris occupationis. Erat autem Clara-vallis locus in territorio Lingonensi, non longe à fluvio Alba, antiqua spelunca latronum, quæ Absinthialis vallis antiquitus dicebatur. Ibi ergo in loco horroris & vastæ solitudinis consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum, templum Dei & domum orationis. Ubi simpliciter aliquanto tempore Deo servierunt in paupertate spiritus, in fame & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria sæpius ex foliis fagi conficiebantur. Panis instar prophetici illius ex hordeo & milio & vicia erat, ita ut aliquando religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio ubertim plorans clam asportaverit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quod inde viverent homines, & tales homines. C At virum Dei minus ista movebant. Summa ei sollicitudo de salute multorum, quæ à prima die conversionis suæ usque in finem tam singulariter sacrum illius pectus noscitur possedisse, ut erga omnes animas maternum gerere videretur affectum. Erat ergo vehemens in præcordiis ejus sancti desiderii & sanctæ humilitatis conflictus. Modo enim seipsum dejiciens fatebatur indignum, per quem fructus aliquis proveniret, modo oblitus sui æstuabat flagrantissimo ardore: ita ut nullam sibi nisi ex multorum salute consolationem posse admittere videretur. Sane fiduciam caritas pariebat, sed eamdem castigabat humilitas.

Paupertas primorum monachorum Claræ-vallensium.

Caritatis & humilitatis in Bernardo conflictus.

D

19. Contigit aliquando peractis vigiliis, ut egressus foras, & loca vicina circuiens, oraret ad Dominum, quatenus acceptum haberet obsequium suum & fratrum suorum. Subito vero stans in ipsa oratione modice interclusis oculis, vidit undique ex vicinis montibus tantam diversi habitus & diversæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem descendere, ut vallis ipsa capere non posset. Quæ visio quid portenderit, jam omnibus manifestum est. Hac ergo Vir Domini visione magnifice consolatus, exhortatus est fratres suos, commonens eos de misericordia Dei numquam desperare.

20 Cum autem quadam die Girardus frater ejus, cellerarius domus, apud eum conquereretur ad necessaria fratrum multa deesse; Vir Dei quantum interim ad præsentes angustias sufficere posset, inquisivit. Ille vero duodecim * libras respondit. Tunc dimittens eum, ad orationem confugit. Post paululum vero rediens Girardus, mulierem quamdam de Castellione foris esse, & velle ei loqui nuntiavit. Ad quam cum egrederetur, procidens ad pedes ejus eadem mulier, duodecim librarum benedictionem ei obtulit, orationum suffragia implorans viro suo periculose ægrotanti. Quam breviter allocutus, dimisit à se: Vade, inquiens, sanum invenies virum tuum. Illa vero abiens in domum suam, sicut audierat, sic invenit. Abbas vero consolans pusillanimitatem Cellerarii sui, ad sustinendum Dominum de cetero reddidit fortiorem. Nec tantum semel hoc, sed sæpe cum hujusmodi instaret necessitas, ei certum est divinum affuisse auxilium, unde non sperabatur. Propter quod viri prudentes, intelligentes manum Domini esse cum eo, teneritudinem mentis ejus, quasi à deliciis paradisi nuper egressi, rerum exteriorum sollicitudine inquietare pertimescebant, eas ipsi intra semetipsos, ut poterant, digerentes, & eum tantummodo de spiritualibus & interioribus consulentes.

Penuriæ monasterii orando subvenit.

* Sol. undecim.

## CAPUT VII.

*De Bernardi prædicatione, & Patris ac sororis conversione.*

21. IPse si quando pro ædificatione sermonem ad eos habebat, hominibus supra hominem loquens, vix intelligebatur. Tamen juxta sententiam sancti Job, nefas putantes contradicere sermonibus Sancti, non excusabant infirmitatem suam, sed accusabant. Cumque ad nutum arguentis humiliarentur qui arguebantur, cœpit etiam spirituali magistro adversus fratres humiles & subjectos zelus suus esse suspectus. Unde factum est, ut fieret magistra magistri pia humilitas discipulorum. Cogitabat enim eos multo meliora & viciniora saluti suo in silentio meditari, quam ab ipso audirent; devotius & efficacius salutem suam operari, quam ex ejus exemplo acciperent. Timebat vero ex prædicatione sua eos scandalizari potius, quam aliquid ædificationis concipere. Cumque super hoc turbaretur & contristaretur, & diversæ cogitationes ascenderent in cor ejus; post multos cogitationum fluctus & cruciatus cordis, decrevit ab exterioribus omnibus ad interiora se recolligere, & in solitudine cordis & secreto silentii continere, donec misericordiæ suæ super hoc ei suam revelaret Dominus voluntatem. Paucis autem postea evolutis diebus, vidit in visu noctis personam quamdam cum claritate sibi adstantem, & magna auctoritate præcipientem, fiducialiter loqui quicquid ei suggereretur in appertione oris sui; quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus Dei loqueretur in eo. Et extunc manifestius in eo & per eum loquens Spiritus-sanctus, & sermonem ei potentiorem, & sensum ei in scripturis abundantiorem suggerens, apud auditores quoque gratiam ei addidit & auctoritatem. Inde erat quod tam confidenter quam utiliter loquebatur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum; ut dum prædicaret verbum Dei, quicquid afferebat in medio, sic patens & placens efficiebat, & circa id unde agebatur, efficax ad movendum; ut mirarentur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus.

22. Præfatus quoque pater illius, qui domi remanserat, veniens ad filios suos, appositus est ad eos. Qui cum aliquantum tempus ibi fecisset, obiit in senectute bona. Soror quoque eorum in sæculo nupta & sæculo dedita, cum in divitiis & deliciis sæculi periclitaretur, tandem aliquando inspiravit ei Deus ut fratres suos visitaret. Cumque venisset quasi visura venerabilem Bernardum fratrem suum, & adesset cum comitatu superbo & apparatu, ille detestans & exsecrans eam tamquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquiescebat exire ad videndum eam. Quod audiens, illa confusa & compuncta vehementer, cum nullus ei fratrum suorum occurrere dignaretur, tota in lacrymas resoluta: Et si peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco colloquium & consilium bonorum requiro. Et si despicit frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei animam meam. Veniat, præcipiat; quicquid præceperit, facere parata sum. Hanc ergo promissionem audiens, exiit ad eam cum fratribus suis frater ejus. Et quia eam à viro separare non poterat, primo verbo omnem mundi gloriam in cultu vestium & in omnibus sæculi pompis interdixit; & formam vitæ matris suæ, in qua multo tempore vixerat cum viro, ei indixit; & sic eam dimisit. Illa vero obedientissime parens præcepto, rediit ad propria, mutata repente secundum omnipotentiam dexteræ Excelsi. Stupebant autem omnes adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu & victu, in medio sæculi vitam ducere eremiticam, instare jejuniis, & vigiliis, & continuis orationibus, & ab omni sæculo prorsus se facere alienam. Biennio sic vixit cum viro suo: qui etiam virtute ejus perseverantiæ victus, tandem liberam à se dimittens, facultatem ei concessit serviendi Deo cui se probavit. Illa vero optata libertate potita, monasterium Julleium * adiens, cum sanctimonialibus inibi Deo servientibus reliquum vitæ suæ Deo vovit: ubi tantam ei Dominus

E

F

* Tulli nunc appendix Monasterii Molismensis.

gratiam contulit sanctitatis, ut non minus animo, quam A carne illorum probaretur virorum Dei esse germana.

## CAPUT VIII.

*Abbas consecratur à Guillelmo episcopo Catalaunensi, qui valetudinis ejus curam suscipit.*

23. CUm autem missus noviter Claram-vallem Bernardus ordinandus esset, & sedes Lingonensis vacaret *, ad quam ordinatio ipsa respiciebat; quærentibus fratribus, quo eum ducerent ordinandum, obtulit se bona fama venerabilis Catalaunensis episcopi, opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis, illucque eum transmittendum diffiniunt. Sicque factum est. Abiit au- B tem Catalaunum assumpto secum Elbodone monacho quodam Cisterciensi. Intravit ergo prædicti Episcopi domum juvenis exesi corporis & moribundi, habitu quoque despicabilis, subsequente monacho seniore, & magnitudine & robore corporis eleganti; aliis ridentibus, aliis rem, sicut erat, interpretando venerantibus. Cum autem quæreretur quis eorum esset abbas; Episcopus primus oculos in eum apertos habens, agnovit servum Dei: & suscepit eum sicut servus Dei. Cum enim primo in privato colloquio, omni melius locutione prudentiam juvenis magis magisque proderet verecundia loquendi; intellexit vir sapiens divinam visitationem in adventu hospitis sui, nec defuit hospitalitatis pia instantia: C sumptaque familiaritatis fiducia & libertate loquendi, habito ad alterutrum sancto colloquio, melius eum commendabat conscientia, quam verba. Ex illa ergo die & ex illa hora facti sunt cor unum & anima una in Domino, in tantum ut efficeretur Claræ-vallensium non sola domus Episcopi, sed per ipsum tota civitas Catalaunensis. Quin etiam Remensis provincia & Gallia tota per eum in devotionem excitata est, & reverentiam viri Dei. Ab illo siquidem tanto Episcopo ceteri didicerunt suspicere eum & revereri, tamquam Angelum Dei, ita ut futuri temporis præsensisse in eo gratiam videretur homo tantæ auctoritatis, sic affectus erga ignorum monachum, & monachum tantæ humilitatis.

(* marg.: ...rum ...tiam ...ui, qui ...anno ...ann.)

24. Modico vero post tempore transacto, cum eo us- D que infirmitas Abbatis ingravesceret, ut jam non nisi mors, aut omni morte gravior vita speraretur, ab eodem Episcopo visitatus est. Cumque viso eo episcopus se non solum vitæ ejus, sed & sanitatis spem habere diceret, si consilio ejus acquiescens, secundum infirmitatis suæ modum, aliquam corpori suo curam pateretur impendi; ille vero à rigore vel usu consuetudinis suæ minus facile flecti posset: profectus Episcopus ad Capitulum Cisterciense ibi coram pauculis Abbatibus qui convenerant, pontificali humilitate & sacerdotali caritate toto corpore in terram prostratus, petiit & obtinuit, ut toto anno uno in obedientiam sibi traderetur. Quid enim tantæ humilitati in tanta posset auctoritate negari? Reversus itaque E Claram-vallem, extra claustra & terminos monasterii domunculam unam fieri ei præcepit, ordinans & mandans in cibo & potu, sive in aliquo hujusmodi, circa eum nullam teneri Ordinis districtionem, nullam de tota cura domus ad eum referri sollicitudinem, sed sibi eum vivere ibi secundum modum ab eo præstitutum. Sic igitur ex præcepto Episcopi & Abbatum feriatus ab omni sollicitudine domus, Deo vacabat & sibi, quasi in deliciis paradisi exsultans. Regium autem illud cubiculum considerantibus tantam sui reverentiam incutiebat, ac si F ad altare Dei ingrederentur. Sane cuidam homini rusticano traditus erat ab Episcopo ad obediendum, qui se curaturum eum jactitans pollicebatur. Et licet tam graviter infirmaretur, offerebantur ei cibi, quos sanus quis vix præ angustia famis attingeret, admirantibus & tabescentibus qui videbant. Ipse autem in quem hæc fiebant, indifferenter cuncta sumens, æque omnia approbabat. Sensu quippe corrupto, & emortuo pæne sapore, vix aliquid discernebat. Solam enim aquam sibi sapere dicebat, eo quod dum sumeret, fauces ei & guttur refrigerabat.

## CAPUT IX.

*De visione transferendæ Claræ-vallis, ac mira ejus sub Bernardo disciplina.*

25. NOcte quadam solito attentius orando, effuderat super se animam suam, cum tenuiter soporatus, voces audivit tamquam transeuntis multitudinis copiosæ. Evigilans autem, & easdem voces plenius audiens, cellam quoque in qua jacebat egressus, prosecutus est abeuntes. Haud procul aberat locus, densis adhuc spinarum vepriumque frutetis abundans, sed nunc longe mutatus ab illo. Super hanc aliquamdiu stabant velut alternantes chori, hinc inde dispositi, & Vir sanctus audiebat & delectabatur. Cujus tamen mysterium visionis non prius agnovit, quam translatis post aliquot annos non sine divinis revelationibus ædificiis monasterii, eodem in loco positum Oratorium cerneret, ubi voces illas audierat.

26. Erat tunc temporis videre Claræ-vallis aurea sæcula, cum viri virtutis, olim divites in sæculo & honorati, in paupertate Christi gloriantes, ecclesiam Dei plantarent in sanguine suo, in labore & ærumnis, in fame & siti, in frigore & nuditate, & angustiis multis; sanctæ illi valli eam, quam postea habuit, præparantes sufficientiam & pacem. Erat cernere quasi novos cælos in terra, & antiquorum Ægyptiorum Monachorum, Patrum nostrorum, antiquas semitas, & in eis recentia Sanctorum vestigia. Prima facie ab introëuntibus Claram-vallem per descensum montis, Deus in domibus ejus cognoscebatur, cum in simplicitate & humilitate ædificiorum, simplicitatem & humilitatem inhabitantium vallis muta loqueretur. Denique in valle illa hominibus plena, in qua nemini otiosum esse licebat, omnibus laborantibus & singulis circa injuncta occupatis, media die mediæ noctis silentium à supervenientibus inveniebatur, præter laborum sonitus, vel si fratres in laudibus Dei occuparentur. Porro silentii ipsius ordo & fama tantam etiam apud sæculares homines supervenientes sui faciebat reverentiam, ut etiam ipsi non tantum prava vel otiosa, sed aliquid etiam quod ad rem attineret, ibi loqui vererentur. Loci vero ipsius solitudo inter opaca silvarum & vicinorum hinc inde montium angustias, in quo servi Dei latebant, speluncam illam sancti Patris Benedicti quodam modo repræsentabat, in qua aliquando à pastoribus inventus est; ut cujus imitabantur vitam, habitationis etiam ejus ac solitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippe etiam in multitudine solitarii ibi erant. Vallem namque illam plenam hominibus ordinis ratione caritas ordinata singulis solitariam faciebat: quia sicut unus homo inordinatus, etiam cum solus est, ipse sibi turba est; sic ibi unitate spiritus, & regularis lege silentii in multitudine hominum ordinata, solitudinem cordis sui singulis ordo ipse defendebat. Domibus vero & habitaculis simplicibus victus inhabitantium persimilis erat. Hæc ergo fuit in tempore illo sub abbate Bernardo & magisterio ejus in clarissima & carissima valle illa spiritualium schola studiorum, hic fervor regularis disciplinæ, omnia Deo faciente & ordinante, & tabernaculum ædificante, secundum exemplar quod ei superius monstratum est.

## CAPUT X.

*De mira Bernardi mortificatione in somno; cibo, potu & labore, ac de studio sacrarum Scripturarum.*

27. ET utinam post rudimenta primæ conversationis circa semetipsum talem se exhibuisset, qualem erga ceteros, tam benignum, tam discretum, tam sollicitum. Sed continuo cum ab annuæ illius obedientiæ vinculo solutus & sui juris effectus est, velut arcus distentus ad pristinum rigorem, & sicut torrens detentus & dimissus ad prioris cursus consuetudinem reversus est, quasi repetens à semetipso pœnas diusculæ illius quietis, & damna laboris intermissi. Videres hominem imbecillem & languidum conari & aggredi quæcumque vellet, minus considerare quid posset, sollicitum pro omnibus, circa seipsum negligentem, omnibus aliis in omnibus

obedientissimum, sed de ipso vix aliquando seu caritati, seu potestati obedientem. Semper enim priora sua nulla reputans, majora moliebatur, ad non parcendum corpori, & ad studiis spiritualibus robur addendum, corpus suum variis infirmitatibus per se attenuatum, jejuniis insuper & vigiliis sine intermissione atterendo.

28. Quid dicemus de somno, qui in ceteris hominibus solet esse refectio laborum & sensuum, aut mentium recreatio? A principio suæ conversionis vigilabat, quoad vixit, ultra possibilitatem humanam; nullumque tempus magis se perdere conquerebatur, quam quo dormiebat, idoneam satis reputans comparationem mortis & somni, ut sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. In ipso namque tenuem victum tenuis somnus comitabatur. In neutro indulgebat corpori suo satietatem; nisi quod in utroque sumpsisse aliquid, sat ei erat. Quantum enim ad vigilias, modus erat ei vigiliarum, non totam noctem ducere insomnem. Porro ad comedendum vix aliquando voluptate trahebatur, sed solo timore defectus. Etenim comesturus, priusquam comederet, sola cibi memoria satur erat. Sic accedebat ad sumendum cibum, quasi ad tormentum. Laborabat siquidem caro ejus multiplicibus infirmitatum incommodis, ut in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arctissimi gutturis nil penitus siccum, vix solidum aliquid admittentis, molestior erat defectus stomachi, viscerumque corruptio. Hæ continuæ præter alias sæpius incidentes. Natura enim ejus cum teneræ nimis semper & delicatæ complexionis fuisset, jejuniis multis & vigiliis, frigore & labore, durioribus & continuis exercitiis attrita, corrupto stomacho, crudum continuo per os quod ingerebatur rejiciebat. Quod si quiddam naturali decoctione digestum transfundebatur ad inferiora, ibi nihilo minus partibus illis corporis non minoribus infirmitatum incommodis obsessis, nonnisi cum gravi tormento egrediebatur. Si quid autem residuum erat, ipsum erat alimentum qualecumque corporis ejus, non tam ad vitam sustentandam, quam ad differendam mortem. Semper autem post cibum quantum comedisset, quasi pensare solebat: si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehendisset, non impune patiebatur. Sed & usus parsimoniæ sic ei versus fuerat in naturam, ut si aliquando corporalis sibi cujuslibet refectionis plus aliquid solito vellet indulgere, vix posset.

29. Orabat stans die noctuque, donec genua ejus infirmata à jejunio, & pedes ejus à labore inflati, corpus sustinere non possent. Multo tempore, & quamdiu occultum esse potuit, cilicio ad carnem usus est; ubi vero sciri contigit, continuo illud abjiciens, ad communia se convertit. Summum enim erat ei studium fugere admirationem, & tamquam unum sese agere ceterorum. At persequebatur gloria fugitantem; sicut è regione captantes eam, fugere consuevit. Proverbium illud in ore ei frequenter, semper erat in corde: Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes. Quo nimirum intuitu vitam regulamque communem amplius æmulabatur, nil in suis actibus præferens observantiæ singularis. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas, & devotio non communis.

Singularitatem odit.

30. Cibus ejus cum pane lac vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes, quales infantibus fieri solent; aliquando buccella panis in aqua penitus emolliti cum exiguis sorbitiunculis erat. Cetera vel ejus infirmitas non recipiebat, vel parsimoniæ studio ipse recusabat. Vino si quando utebatur, raro & nimis modico, cum magis aquam & infirmitati suæ, & appetitui competere testaretur. Videbant eum, & conversationem ejus medici mirabantur, tantamque vim eum in seipso causabantur inferre naturæ, ac si agnus ad aratrum alligatus arare cogeretur. Nam cum crebra illa ex corruptione stomachi per os ejus indigestæ cruditatis eruptio aliis inciperet esse molestior, maxime autem in choro psallentium, non tamen ilico collectas fratrum deseruit, sed juxta locum stationis suæ, procurato ac defosso in terra receptaculo, doloris illius sic aliquamdiu, prout potuit, necessitatem illam transegit. At ubi ne hoc quidem permisit intolerantia rei, tunc de-

A mum collectas deserere, & seorsum secum habitare compulsus est, nisi quantum consolationis gratia, sive disciplinæ claustralis, aut certa necessitate conventui eum fratrum oportebat interesse.

31. Sic autem fuit ab initio spiritu validus, corpore infirmus; nil tamen indulgentiæ circa corporis quietem seu refectionem, nil remissionis de communi labore vel opere fieri sibi aliquando acquiescens. Ceteros namque sanctos arbitrabatur & perfectos, se vero sicut novitium & incipientem nequaquam emeritorum perfectorumque indulgentiis & remissionibus indigere, sed fervore novitio, & Ordinis districtione, & rigore disciplinæ. Propter quod communis vitæ seu conversationis ferventissimus æmula-B tor, cum opus aliquod manuum actitarent fratres, quod seu minor usus ei, seu imperitia denegabat; fodiendo, seu ligna cædendo, & propriis humeris deportando, vel quibuslibet æque laboriosis laboribus illud redimebat. Ubi vero vires deficiebant, ad viliora quæque opera confugiens, laborem humilitate recompensabat. Et mirum in modum is qui tantam in contemplatione rerum spiritualium ac divinarum acceperat gratiam, circa talia non solum occupari patiebatur, sed & plurimum delectabatur. Sed & mortificata, ut dictum est, sensualitate, ipse privilegio majoris gratiæ in virtute spiritus simul & totus quodammodo exterius laborabat, & totus interius Deo vacabat: in altero pascens conscientiam, in altero devo-C tionem.

32. Laboris ergo tempore & intus orabat, seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, & exterius laborabat absque jactura interioris suavitatis. Nam quicquid in Scripturis spiritualiter sentiebat, maxime in silvis & in agris meditando & orando se accepisse confitebatur: & in hoc nullos aliquando se magistros habuisse, nisi quercus & fagos joco illo suo gratioso inter amicos dicere solebat. Feriatus autem à labore vel opere exteriori, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, ea utebatur; sin autem, ubicumque seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, ubique solus erat. Canonicas D autem Scripturas simpliciter ac seriatim libentius ac sæpius legebat; nec ullis magis quam ipsarum verbis eas intelligere se dicebat, & quicquid in eis divinæ sibi elucebat veritatis aut virtutis, in primæ sibi originis fonte magis, quam in decurrentibus expositionum rivis sapere testabatur. Sanctos tamen & orthodoxos earum Expositores humiliter legens, nequaquam sensibus eorum suos sensus æquabat, sed subjiciebat formandos: & vestigiis eorum fideliter inhærens, sæpe de fonte, unde illi hauserant, & ipse bibebat.

Scripturarum scientiam inter quercus & fagos didicit.

Patrum tamen expositiones veneratur.

## CAPUT XI.

E *De mirabilibus à Deo per ipsum in infirmitate patratis, ob quæ à suis increpatur.*

33. Sic voluit Sapientia Dei per infirma hominis illius, tot tantaque confundere fortia mundi hujus. Quid enim aliquando pro infirmitate qualibet ejus remansit imperfectum, quod per eum secundum datam sibi gratiam fieri oporteret? Quis nostra ætate, quantumvis robusti corporis & accuratæ valetudinis, tanta aliquando fecit, quanta iste moribundus & languidus ad honorem Dei & sanctæ Ecclesiæ utilitatem? O quantum postea numerum hominum verbo & exemplo traxit de sæculo, non solum ad conversionem, sed ad perfectionem! Quantas ex eis per totum Christianum orbem constituit domos, F ceu civitates refugii! Quicumque enim peccaverunt ad mortem, & æternæ mortis rei judicandi fuerant, reminiscuntur, & convertuntur ad Dominum, & fugiunt ad eas, & salvantur in eis. Sed & quæ bona innumeris hominibus singillatim præstitit, pro causa, pro persona, pro loco, pro tempore, quis enumeret? Vita vero ejus, quæ omnibus proponebatur imitanda, frugalis continentiæ exemplo carere non debuit. In quo servus Dei etsi nimietate forsitan excessit, piis certe mentibus non de nimietate, sed de fervore exemplum reliquit. Sane non confundebatur ex hoc accusare seipsum, utpote qui verebatur

verebatur omnia opera sua, arguens se quod servitio Dei & fratrum suorum abstulerit corpus suum, dum indiscreto fervore imbecille illud reddidit ac pæne inutile.

tria ordi- tur à Deo.

34. Infirmus tamen, in opere Dei potens factus est. Virtus namque Dei vehementius in infirmitate ejus refulgens, digniorem quamdam apud homines ei effecit reverentiam, & in reverentia auctoritatem, & in auctoritate obedientiam. Jam tunc enim ad opus prædicationis divinitus aptabatur, ad quod (ut supra dictum est) ex utero matris suæ cum testimonio divinæ revelationis olim fuerat præsignatus. Et primum quidem circa resuscitandum in monastico Ordine antiquæ Religionis fervorem, primitias juventutis suæ dedicavit, exemplo & verbo intra septa monasterii ad fratrum salutem omni studio B vacans. Postmodum cum eum à communi conversatione Conventus, infirmitatis necessitas plus solito sequestraret: hæc prima cœpit esse occasio, ut quasi hominibus de sæculo expositus, quorum jam ad eum multitudo magna confluebat, ipse etiam præsentiam suam liberius eis ac liberalius accommodans, verbum vitæ prædicaret. Cumque longius à monasterio pro causis Ecclesiæ communibus interdum obedientia traheretur; & quocumque veniret, de Deo silere non posset, & agere quæ Dei sunt non cessaret: sic in brevi apud homines innotuit, ut Ecclesia Dei tam utili membro in corpore suo reperto uti ad quodcumque oportebat, non dissimularet. Ab eo tempore copiosius addita est ei de die in diem manifesta- C tio spiritus, qui erat in eo ad utilitatem, sermo scilicet fœcundior sapientiæ & scientiæ cum gratia prophetiæ, & operationes virtutum, & diversarum opitulationes sanitatum.

35. Erant autem hujus beati viri fratres & filii spirituales mirantes super his, quæ audiebant & videbant de eo. Nec tamen more carnalium in gloriam elevabantur humanam, sed juvenili ejus ætati & novæ adhuc conversationi, spirituali sollicitudine metuebant. In quo nimirum zelo Galdricus avunculus ejus & Guido primogenitus fratrum ceteros anteibant, ut ipsos tamquam geminos quosdam stimulos carnis suæ, ne gratiarum magnitudo eum extolleret, accepisse divinitus videretur. Neque D enim parcebant verbis durioribus, exagitantes teneram verecundiam ejus, calumniantes etiam bene gesta, signa omnia annihilantes, & hominem mansuetissimum, nihilque contradicentem, frequenter usque ad lacrymas improperiis & opprobriis affligentes. Narrare solebat venerabilis episcopus Lingonensis Godefridus, sancti viri & propinquus sanguine, & in conversione socius, & extunc per omnia individuus comes, primo miraculo quod per manum ejus fieri vidit, prædictum germanum ejus affuisse Guidonem. Erat enim eis transitus per Castrum-Nantonis * in territorio Senonum, & juvenis quidam, cujus pedem fistula occupaverat, prædicti Patris Bernardi tactum & benedictionem cum multa supplica- E tione petebat. Signatus autem statim convaluit, & post paucissimos dies regressi per idem oppidum sanum atque incolumem invenerunt. Ceterum sæpedictus beati viri frater ne ipso quidem poterat compesci miraculo, quominus increparet eum, & præsumptionis argueret, quod acquieverit tangere hominem: tanta siquidem caritate pro eo sollicitus erat.

* Chasteau- ton.

36. Cum autem aliquantum in Clara-valle tempus vir Domini Bernardus explesset, contigit virum nobilem, ipsius secundum carnem propinquum, Josbertum de Firmitate, quod est oppidum proximum Claræ-vallensi monasterio, graviter infirmari. Qui subito præoccupatus, amisit penitus intellectum pariter & loquelam. Unde F & filius ejus Josbertus junior & omnes simul amici eo magis affligebantur dolore, quod sine confessione & viatico vir magnificus & magnifice honoratus obiret. Currit nuntius ad Abbatem; neque enim tunc in monasterio erat. Venit, & invenit eum jam triduo sic tacentem. Compassus autem homini, sed & motus lacrymis filii ejus, & simul lugentium ceterorum, confisus de misericordia Dei, sermonem magnificum protulit eis dicens: Notum est vobis quod homo iste in pluribus gravavit ecclesias, oppressit pauperes, offendit Deum. Si mihi A creditis, ut ecclesiis restituantur ablata, & usurpatæ in gravamen pauperum consuetudines dimittantur: loquetur adhuc, & suorum confessionem faciet delictorum; divina quoque suscipiet Sacramenta devotus. Mirantur omnes; lætatur filius, familia omnis exsultat; quicquid præcipit homo Dei, firmiter ei promittitur, & impletur. Verum frater ejus Girardus & Galdricus avunculus, qui erant cum eo, non parum territi & turbati, secretius eum super tali promissione conveniunt, durius arguunt; acrius invehuntur. Quibus breviter simpliciterque respondens: Facere, inquit, potest facile Deus quod difficile credere vos potestis. Itaque post secretam orationem ad oblationem sacrificii immortalis accessit. Quo offerente, nuntius supervenit qui indicaret, præfatum Josbertum, libere jam loquentem; rogare obnixius, ut vir Dei festinaret ad eum. Cui post oblatum sacrificium venienti cum lacrymis & gemitu peccata confessus, divina Sacramenta suscepit, & duobus aut tribus post hæc diebus vivens & loquens, ea maxime quæ præceperat Abbas sanctus, constituit sine ulla retractatione servari. Sed & disposuit domui suæ, & eleemosynas dedit: & sic demum Christiano more in bona spe misericordiæ Dei animam exhalavit. Et hoc quidem signum in manu servi sui effecit Christus mundo celebre.

## CAPUT XII.

*De Galdrici curatione, & morte, ac fratris impatientis è Purgatorio liberatione.*

37. Circa idem tempus accidit, ut avunculus ejus Galdricus, qui zelo piæ sollicitudinis, ejus mansuetudinem (sicut prædiximus) duris increpationibus obruebat, gravissimis febribus laboraret. Demum ingravescente morbo, ipsa doloris magnitudine superatus, Abbatem humili supplicatione compellit, ut sui misereatur, & opem sibi ferat quam ceteris consuevit. At ille, cujus spiritus super mel dulcis, primum leniter breviterque commemorans crebras super hujusmodi objurgationes ipsius, & imponens ei, ne forte hæc diceret tentans eum, persistenti tamen manum imponit, & febrem abscedere jubet. Nec mora, ad imperium ejus reliquit eum febris, expertum in semetipso quod in ceteris arguebat. Idem quoque Galdricus cum in Clara-valle aliquantos jam peregisset annos, fervens spiritu & totius boni æmulator, ex hac luce migravit. Qui ante unam fere horam mortis turbatus ad momentum, & toto corpore terribiliter motus infremuit: sed ad pristinam statim serenitatem reversus, vultu deinceps placidissimo exspiravit. Noluit autem Dominus sollicitum Abbatis animum hujus rei cognitione fraudari: siquidem post aliquot dies idem Galdricus apparens ei in visu noctis; cum omnia erga se prospera esse sciscitanti responderet; & in magna sese gratularetur felicitate locatum; demum interrogatus est, quidnam sibi voluit tam acerba illa in morte tamque repentina commotio. Dicebat autem, quod ea hora duo spiritus nequam velut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parassent, unde territus ita contremuit: sed beato Petro accurrente ereptus, nihil sensit deinceps læsionis.

38. Longum esset cuncta narrare, quæ super his qui ex hac vita discesserant, & eorum felicitate, seu etiam necessitate divina ei gratia revelare ab ipsis initiis consuevit. Unum tamen ex eis fuit, quod ob fratrum commonitionem aliquoties etiam ipse Pater commemorare solebat. Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga ceteros fratres conversationis, & minus compatiens quam deberet, in monasterio defunctus est. Post paucos autem dies Viro Dei apparuit vultu lugubri & habitu miserabili, significans non ad votum sibi cuncta succedere. Interrogatus autem ab eo quid sibi esset, quatuor dilaceratis sese traditum querebatur. Ad quod verbum continuo impulsus est, & quasi præcipitanter expulsus à facie viri Dei. Qui gravius ingemiscens, post tergum ejus clamavit: Præcipio, inquit, tibi in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur in proximo mihi iterum innotescas. Et conversus ad orationem pro eo, & oblationem hostiæ

salutaris; aliquos etiam fratrum, quorum ampliorem noverat sanctitatem, eidem subvenire monebat. Nec vero destitit, donec (sicut præceperat) per aliam revelationem cognita ejus liberatione meruit consolari.

## CAPUT XIII.

*De Bernardi morbo, & raptu ante tribunal Dei, ac morbi curatione.*

39. INfirmabatur aliquando ipse vir Dei, & velut rivulus quidam phlegmatis incessanter ab ejus ore confluebat: unde exhausto corpore usquequaque deficiens, paulo minus ad extrema devenit. Convenerunt itaque filii & amici ejus velut ad exsequias tanti Patris. Cumque extremum jam trahere spiritum videretur, in excessu mentis ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Affuit & satan ex adverso, improbis eum accusationibus pulsans. Ubi vero ille omnia fuerat prosecutus, & viro Dei pro sua fuit parte dicendum: nihil territus aut turbatus, ait: Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cælorum. Ceterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hereditate scilicet Patris & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat; ex cujus dono jure illud mihi vindicans non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conventus ille solutus, & homo Dei in se reversus est. Cumque ex hoc magis dissolutionem sui corporis imminere speraret, visio altera longe dissimilis est secuta. Siquidem velut in littore quodam positus, videbatur sibi navem, quæ se transveheret, exspectare. Cumque applicuisset navis ad littus, festinabat ingredi, & illa cedens impingebat in aquam. Usque tertio ita faciens, tandem relicto eo navis ibat, & non revertebatur. Intellexit autem protinus necdum tempus suæ migrationis adesse. Adhuc tamen crescebat dolor, eo utique magis molestus, quominus jam eum spes imminentis exitus solabatur. Contigit autem advesperascente jam die, ut ceteris fratribus juxta consuetudinem accedentibus ad lectionem collationum, solus Abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diversorio, in quo jacebat. Cumque vehementius affligeretur, & supra vires dolor excresceret, advocans alterum è duobus jubet citius oratum ire. Excusantem denique & dicentem: Non sum ego talis orator; obedientiæ auctoritate compellit. Itum est, & oratum ad altaria, quæ in eadem basilica erant tria; primum in honore beatæ Dei Genitricis, duo circumposita in honore beati Laurentii martyris, & beati Benedicti abbatis. Eadem igitur hora affuit viro Dei prædicta beata Virgo, duobus illis stipata ministris, beato scilicet Laurentio & beato Benedicto. Aderant autem in ea serenitate & suavitate quæ eos decebat, & tam manifeste, ut ex ipso introitu cellulæ personas quoque discerneret singulorum: imponentesque ei manus, & loca doloris attactu piissimo lenientes, omnem protinus ægritudinem depulerunt. Siccatus est enim ilico phlegmatis rivus, & dolor omnis abscessit.

## CAPUT XIV.

*De quotidiano ejus exercitio, eximiisque virtutibus, ac de modo concionandi.*

40. MInus quidem jam stare poterat, sed erat sedens pæne jugiter, & rarissime movebatur; quotiens subtrahere se negotiis poterat, aut orans, aut legens, aut scribens, aut insistens doctrinæ, & fratrum ædificationi, aut in sacra meditatione persistens. In quo nimirum studio spirituali gratiam obtinuerat singularem: ut non tædium in illo, non difficultatem aliquam sustineret, libere secum habitans & deambulans in latitudine cordis sui, & ibidem exhibens Christo (ut monere alios ipse solebat) cœnaculum grande stratum. Frequenter tamen, licet sic affectus, divino urgente metu, vel caritatis compellente spiritu, studium hoc lucris uberioribus postponebat, doctus quærere non quod sibi erat utile, sed quod multis. Desideraverat autem ab initio omni modo subtrahere se negotiis, & nusquam egredi, sed in monasterio residere, *Solitudinis amor.* Quod & postmodum ex defectu corporis occasionem se reputans invenisse opportunam, aliquando statuit & aliquamdiu tenuit, donec illum exire coëgit necessitas gravis Ecclesiæ Dei & summi Pontificis, atque omnium Abbatum sui Ordinis jussio, quibus per omnia tamquam Patribus deferebat. Ex quorum etiam mandato novissimis quidem annis præter cucullam & tunicam laneo panno in modum chlamydis decurtatæ, & pileo simili utebatur; inter tantos languores corporis & labores nullis umquam uti pellibus acquiescens. *Paupertas in veste.*

41. In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes numquam. Nimirum animi fore indices aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut gloriolam affectantis humanam. Incessus ejus & habitus omnis modestus & disciplinatus, præferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reverentiam, solo visu lætificans & ædificans intuentes. De risu frequenter auditum est ex ore illius, dum cachinnos religiosorum hominum miraretur, non meminisse se à primis annis suæ conversionis aliquando sic risisse, ut non potius ad ridendum, quam ad reprimendum sibi vim facere oporteret. De otiositate verborum vel nugis cautus erat artificiose observare, quod ad Papam Eugenium scribens de sui cordis plenitudine eructavit. Nugæ si incidant interdum, inquit, ferendæ fortassis, referendæ numquam. Prorumpendum sane in serium quid, quod non modo utiliter, sed & libenter audiant, & supersedeant otiosis, interveniendum caute & prudenter nugacitati. Tanto studio fugisse nugas, quanto odio persecutus sit detractiones facile potest adverti. *Modestia.*

42. Quam vero invitus, & non ex cordis amaritudine verbum proferret amarum, ex eo maxime animadvertebatur, quod perfacile ejusmodi impetum cohibebat. Siquidem mirabatur quorumdam improbitatem & duritiam hominum, quos aliquando forte turbatos excusationem quamlibet rationabilem, satisfactionem quamlibet humilem admittere gravat, quod ipsa suæ turbationis passio sic eos delectet, ut oderint omne remedium, & omnimodis satagant, ne semel orta commotio sedari valeat & sanari. Increpatione rarius utebatur, monitis potius & obsecrationibus agens. Et quidem in libertate spiritus excellenter enituit, cum humilitate & mansuetudine tamen, ut quodam modo videretur & vereri neminem, & omnem hominem revereri. Quam vero placabilem & persuasibilem, quamque eruditam linguam dederit ei Deus, ut sciret quem & quando deberet proferre sermonem, quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret; nosse poterunt aliquatenus qui ipsius legerint scripta, etsi longe minus ab eis qui verba ejus sæpius audierunt. Vocem in invalido corpore validam satis intelligibilemque ei contulerat, qui in opus prædicationis segregaverat illum ex utero matris suæ. Sermo ei, quoties opportuna inveniebatur occasio, ad quascumque personas de ædificatione animarum, prout tamen singulorum intelligentiam, mores & studia noverat, quibusque congruens auditoribus erat. Sic rusticanis plebibus loquebatur, ac si semper in rure nutritus: sic ceteris quibusque generibus hominum, velut si omnem vestigandis eorum operibus operam impendisset. Litteratus apud eruditos, apud simplices simplex, apud spirituales viros perfectionis & sapientiæ affluens documentis, omnibus se coaptabat, omnes cupiens lucrifacere Christo. Inde erat quod Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu; & ex sermone ejus, quem intelligere, utpote alterius linguæ homines, non valebant, magis quam expertissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis intellecta locutione ædificari illorum devotio videbatur, & verborum ejus magis sentire virtutem. Cujus rei certa probatio tunsio pectorum erat & effusio lacrymarum. Tantam enim gratiam virtus ei divina contulerat, ut licet abjectus esse elegisset in domo Dei, uberius tamen fructificaret, quam plures alii in sublime porrecti, & lucens amplius illustraret Ecclesiam velut de-sub modio suæ humilitatis, quam multi super candelabrum constituti. Quoties eum necessitas aliqua foras monasterium trahebat, seminabat super omnes aquas

*Mansuetudo.* *Qualis in arguendo & prædicando.*

[..]i prædi[..]at nisi de [..]ndato Pa[..]ad nutum [..]piscoporum.

publice, & privatim annuntians verbum Dei. Quod tamen ipsum ex mandato summi Pontificis actitabat, ad nutum quoque Præsulum ceterorum, ubicumque eorum aliquem contigisset adesse, in omnibus eo magis Sacerdotibus deferens, quo plenius intellexerat, quæ ministris Christi reverentia deberetur. Innata enim erat ei à puero verecundia, quæ & in eo usque ad diem perseveravit extremum. Inde erat, quod licet esset magnus & excelsus in verbo gloriæ; numquam tamen (sicut sæpe testatus est) in quamlibet humili cœtu sine metu & reverentia verbum fecit, tacere potius desiderans, nisi aut obedientia, aut conscientiæ propriæ stimulis urgeretur cum timore Dei & caritate fraterna.

[..]ata ei ve[..]ndia.

## CAPUT XV.

*De ejus fama sanctitatis, Clara-vallis incrementis; & fratrum suorum cura & amore.*

43. Cumque dilectus Deo & hominibus Bernardus in illa valle sua, & vicinis civitatibus & regionibus, multis & magnis floreret virtutibus & miraculis, cœpit magis ac magis in oculis omnium mirabilis & venerabilis apparere. Postmodum vero feliciter in eo proficiente & usu sanctæ prædicationis, & exemplo conversationis, rete verbi Dei in manu piscatoris Dei tam copiosas piscium rationalium multitudines cœpit concludere, ut de singulis ejus capturis navicula domus illius impleri posse videretur. Unde factum est, ut in brevi, majori miraculo præ omnibus quæ in hac vita gessit miraculis, per unum hominem languidum, cooperante gratia Dei, obscura usque ad illud tempus illa vallis, re & nomine Clara-vallis efficeretur. Jam vero ad eamdem claritatem confluente quotidie diversarum regionum & ordinum multitudine copiosa, de locis angustioribus vallis illius, domus claustralis habitationis non sine divinis quibusdam revelationibus translatæ, spatiosiorem & planiorem locum inhabitantibus præbent. Jam domus Ordinis illius filiæ, & filiæ filiarum domus ipsius, citra ultraque Alpes & maria, deserta plurima impleverunt, quotidie confluentibus quibus locus erat quærendus. Siquidem petebantur undique fratres, & mittebantur ab eo, cum beatos se æstimarent reges gentium & præsules ecclesiarum, civitates & regiones quæcumque, de domo illa & disciplina Viri Dei meruissent contubernium aliquod adipisci. Nam usque ad barbaras nationes, in quibus naturalis feritas naturam quodammodo exuit humanam, religio hæc per eum profecta est, ubi per eam bestiæ silvæ homines fiunt, & cum hominibus assuetæ conversari, discunt à finibus terræ cantare Domino canticum novum. Cooperante siquidem gratia Spiritus-sancti, quocumque ibat, plenus redibat, & sua eum plenitudo comitabatur; & aliis abeuntibus, aliis succedentibus in locum ipsorum, numquam in diebus ejus sanctæ illius Congregationis plenitudo minuebatur.

44. Nec tamen dimittebat suos, quos à se transmittebat: sed ubicumque essent, ipse semper paterna sollicitudine erat cum eis. Ad eum enim quotidie seu læta, seu tristia filiorum suorum revertebantur. Sæpe etiam sine omni relatione carnis & sanguinis ei divinitus innotescebat, quid circa aliquos eorum longe à se distantes ageretur, si quid eis providendum, si quid in eis emendandum fuisset; tentationes quoque & excessus eorum, infirmitates & obitus, & diversarum tribulationum incursus. Nam & pro absentium fratrum certis necessitatibus, præsentibus circa se fratribus sæpe orationem indixit; nonnumquam etiam morientes in locis aliis ad ipsum per visionem accessisse noscuntur, benedictionem ejus & licentiam postulantes, nimirum agente hoc & obedientia missorum, & caritate mittentis. Aderat aliquando coram ipso monachus quidam Fusniacensis, continuo ad suos rediturus. Cumque accepto responso super his, pro quibus venerat, jam ab eo egrederetur; in spiritu & virtute Eliæ revocans eum Propheta Dei, & nomine fratris cujusdam de domo illa præmisso, de occultis quibusdam, audientibus nonnullis, mandavit illi ut ea corrigeret; sin autem, judicium super se Dei in

[..]culta di[..]itus intel[..]r.

A proximo exspectaret. Stupefactus ille cui loquebatur, quis hoc ei dixerit, inquisivit. Quisquis, inquit, dixerit mihi, tu vade, & dic quæ ego dico tibi; ne, si dissimulaveris, te quoque involvat par pœna peccati. Guido frater hominis Dei, major natu inter fratres suos, cujus gravitatis & veritatis fuerit vir, omnes noverunt qui eum noverunt. Hic aliquando cum de hujusmodi viris religiosis loqueretur, licet suo more & solito studio fraternas virtutes deprimeret: tandem cum eis, inter quos tunc sermocinabatur, nollet esse molestus; Quæ, inquit, nescio non dico vobis: sed unum scio & expertus sum, multa ei divinitus in oratione revelari.

B

## CAPUT XVI.

*De rebus gestis in accessu ad S. Hugonem & Cartusienses; ac Stephani de Vitreio ficta conversione.*

45. Cum jam Dei famulus annos aliquot in Claravalle peregisset, subiit animum ejus, ut sanctum Hugonem Gratianopolitanum episcopum, & Cartusienses fratres devotionis gratia visitaret. Quem prædictus sanctus Episcopus tam gratanter & tam reverenter suscepit, divinam intelligens in ejusdem hospitis sui visitatione præsentiam, ut prostratus solo tenus adoraret. Videns autem servus Christi Episcopum ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum, C coram se procidentem, expavit vehementer. Ipse quoque corruens ante eum, ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam non sine gravi gemitu causabatur. In cujus pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filii splendoris cor unum & anima una, & se invicem fruerentur in Christo. Cartusiæ quoque à viro reverentissimo Guigone Priore venerabili, & à ceteris fratribus eodem affectu & veneratione susceptus est servus Christi, exsultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epistolam prius noverant, talem invenerunt & præsentem. Ceterum cum in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit quod prædictum Priorem Cartusiensem D aliquatenus movit, stramentum videlicet animalis, cui idem vir venerabilis insidebat, minus præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente concepit: sed locutus uni è fratribus ejus, aliquantulum se moveri confessus est & mirari. Cumque ille ad Patrem sanctum quod audierat retulisset; non minus ipse miratus, quale illud esset stramentum quærebat, eo quod à Claravalle pergens usque Cartusiam, numquam illud attendisset, & usque in horam illam quale esset omnino nesciret. Neque enim suum erat animal illud, sed à quodam monacho Cluniacensi commodatum, & erat sicut sternere sibi ille solebat. Quod verbum audiens Prior, in eo potissimum mirabatur, quod sic ille Dei famulus Abbas E foris oculos circumcidisset, intus animum occupasset, ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non advertisset. Juxta lacum etiam Lausanensem totius diei itinere pergens, penitus non attendit, aut se videre non vidit. Cum enim vespere facto de eodem lacu socii colloquerentur, interrogabat eos ubi lacus ille esset, & mirati sunt universi.

46. Cum Abbas sanctus memorati gratia Guillelmi episcopi Catalaunum frequentaret, rediens aliquando traxit secum multitudinem nobilium & litteratorum clericorum & laïcorum. Quibus in domo hospitum demorantibus, dum novellas plantationes cælestibus rigaret eloquiis, supervenit portarius monachus, nuntians Stephanum de Vitreïo F magistrum eorum adesse ad renuntiandum sæculo, & cum eis manendum. Quis alius de talis viri adventu non exsultasset? præsertim cum vallis illa hujusmodi frumento non multum adhuc abundaret. Ipse vero revelante sibi Spiritu-sancto insidias spiritualis nequitiæ tacitus aliquantulum ingemiscens, erupit in vocem mirantibus universis: Malignus, ait, spiritus huc eum adduxit; solus venit, solus revertetur. Obstupuere omnes, qui prius audito ejus adventu non se poterant capere præ lætitia. Verumtamen ne pusillos adhuc filios scandalizaret, suscepit hominem, & de perseverantia, aliisque

virtutum studiis studiose commonuit: & sciens & prævidens omnia promittentem nihil acturum; cum perseveraturis in cellam novitiorum probandum intromisit. Vidit postea idem Stephanus (sicut confessus est) cum in cella novitiorum demoraretur, maurulum quemdam puerum, ab Oratorio se extrahentem. Ubi novem ferme mensibus degens, novissime tamen defecit; & (ut de eo prædictum fuerat) sicut solus venerat, sic solus recessit.

## CAPUT XVII.

*De mira Bernardi apud omnes auctoritate & fama.*

47. UT ergo ad hunc Dei hominem Abbatem sermo recurrat, tot & tanta sunt facta per eum miracula, ut si quis omnia velit, aut verbo pronuntiare aut scripto, vel incredulitatem incredulis, vel fastidiosis possit generare fastidium. In omnibus autem verbis & operibus suis quàm purus ei fuerit oculus intentionis, manifeste denuntiabat corpus lucidæ ejus operationis. Cum enim mundi hujus fugerit semper honorem, omnium honorum non effugit auctoritatem. Cujus enim aliquando voluntati sic detulit, cujus consilio sic se humiliavit omnis potestas, tam sæcularis quam ecclesiasticæ dignitatis? reges superbi, principes & tyranni, milites & raptores sic eum timebant & reverebantur, ut videatur in eis impletum quod in Evangelio legitur: *Ecce*, inquit Dominus discipulis suis, *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* (Luc. 10.) Porro inter spirituales, & ubi spiritualia spiritualiter examinabantur, longe ei alia auctoritas erat. Loquente enim eo seu tractante, sensibus ejus humiliter vel intelligentiis submittebant ceteri sensus & intelligentias suas. In hujus pectore Viri Dei pari fœdere puritas, suavitasque consederant, satis quidèm utraque mirabilis, sed mirabilior utriusque complexus. Inde est quod & puritatem in eo suavitas amabilem faciebat, & suavitatem puritas acceptabilem: ut difficile fuerit æstimare, gratiæ an reverentiæ amplius obtineret. Quis enim tam rigidæ conversationis, qui Bernardum Claræ-vallensem non revereretur abbatem? Quis tam dissolutæ, qui non erga eumdem dulciter afficeretur? Dulcissimis siquidem affectibus plenum pectus ipse gerebat, alios tamen arguens libere, quoties opus erat, in spiritu lenitatis. Humanissimus erat in affectione, magis tamen fortis in fide: & ut hinc breve proferatur exemplum, sicut ipse quoque testatur, germani sui Girardi & amici tam necessarii, siccis oculis celebravit exsequias, siccis oculis corpus ejus tradidit sepulturæ, ne affectus fidem vincere videretur. (Anno 1138. Girardi fratris sui funus siccis curat oculis.) Talem autem illum uberius perinde fructificaturum manus divina formaverat, ut austeritatem suavitas morum tolleret, auctoritatem sanctitas conservaret. Cui enim vel tanta benignitas esset oneri, vel tanta bonitas non esset honori?

48. Difficile omnino videtur ex historiis aliquibus invenire hominem unum conversantem adhuc cum hominibus in universa terra, tam celebre & amabile obtinuisse nomen à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari. Ut enim illas memoremus provincias, ex quibus monimenta certiora superesse noscuntur, & in ecclesia Orientali, & apud soles occiduos Hibernorum, & à meridie in remotis finibus Hispaniarum, & ab aquilone in Insulis quæ procul sunt Daciæ Sueciæque, celeberrima ejus opinio fuit. Crebras undique recipiebat epistolas, & reddebat. Undique illi exenia mittebantur, undique ejus benedictio petebatur. Unde non incongruum aliquid Episcopus ille usurpasse videtur, qui post sacrum ejus obitum, dum fratres consolaretur, inter cetera quoque veraciter in ipsius prosecutus est laudem, quia in omnem terram exivit sonus ejus, & in fines orbis terræ verba illius. Vincebat tamen sublimitatem nominis humilitas cordis. Denique, sicut sæpius fatebatur, inter summos quosque honores & favores populorum vel sublimium personarum, alterum sibi mutuatus hominem videbatur, seque reputabat absentem, velut quoddam somnium suspicatus. (Qualis inter honores.) Ubi vero simpliciores ei fratres, ut assolet, familiariter loquebantur, amica ejus humilitate fruentes, ibi se inve-

A nisse gaudebat, & in propriam rediisse personam. Et cum tanta Virum hunc sanctum apud Deum & homines commendarent sacrarum insignia virtutum, testimonia circumvallarent sanctitatis, charismata sancti Spiritus illustrarent: caritas, quæ totum eum possidebat, patiens & benigna, sapientia vincebat malitiam, patientia impatientiam, superbiam humilitate.

## CAPUT XVIII.

*Ejus auctoritate Innocentius Papa suscipitur.*

49. LAborabat ea tempestate sub schismate Petri Leonis Romana ecclesia. (Anno 1130.) Eapropter convocato Stampis colloquio Abbas sanctus specialiter ab ipso Francorum Rege, & præcipuis quibusque Pontificibus accersitus, sicut postea fatebatur, non mediocriter pavidus & tremebundus advenit, periculum quippe & pondus negotii non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem. unde speravit pacem sine dubio proventuram. Ubi vero ad locum ventum est, celebrato prius jejunio, & precibus ad Deum fusis, cum de eodem verbo tractaturi Rex & Episcopi cum Principibus consedissent, unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei, Dei famulo imponeretur, & ex ore ejus causa tota penderet. Quod ille C timens licet ac tremens, monitis tamen virorum fidelium acquiescens suscepit, & diligenter prosecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam & famam prioris electi, aperuit os suum, & Spiritus-sanctus implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus summum Pontificem Innocentium nominavit, & ratum esse omnes pariter acclamaverunt. Et decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter subscripserunt.

50. Interea idem dominus Papa multis in Pisis & Tuscia, & in aliis provinciis salubriter & potestative dispositis, valefaciens Pisanis & gratias agens, in Provinciam navigio delapsus est. Et Burgundiam transiens, Aurelianum D Franciæ urbem pervenit, ubi occurrentibus episcopis à rege piissimo Francorum Ludovico alacriter & honorifice susceptus est. Inde Carnotum deducitur: ibi gloriosus rex Anglorum Henricus ei cum maximo episcoporum & procerum comitatu à venerabili Abbate Claræ-vallensi adductus occurrit; quem etiam Papam potenti ejusdem Abbatis admonitione persuasus in Patrem suum & Pastorem suscepit. Reversis interim de Germania domini Papæ Legatis, tam episcoporum, quam regis Lotharii consensum & litteras deferentibus, postmodum apud Leodium eidem Romanorum Regi occurrit. In omnibus his dominus Papa Abbatem sanctum à se separari non patiebatur, qui ubique opera pietatis exer- E cens, oppressis patrocinia exhibebat. Itaque Papa Innocentius à Rege honorifice susceptus est, sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem importune idem Rex institit, tempus habere se reputans opportunum, Episcoporum sibi restitui investituras, quas ab ejusdem prædecessore imperatore Henrico per maximos quidem labores & multa pericula Romana ecclesia vindicatat. Nec consilium suppetebat, expavescentibus Romanis Regis potentiam, donec murum se opposuit Abbas sanctus. Audacter enim resistens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit. Unde dominus Papa reversus, nec longas in Galliis faciens moras, præfato Regi postea Romam occurrit, & F ab eo in Lateranense palatium deductus est. Relicto igitur Romæ Innocentio, alias Imperator digreditur. Intelligens vero Innocentius Romæ sibi infructuosam eo tempore moram, rursus Pisas revertitur, ibique aggregatis totius Occidentis episcopis, aliisque viris religiosis, magnæ gloriæ Synodus celebratur. Affuit per omnia consiliis & diffinitionibus Abbas sanctus, eique reverentia ab omnibus impendebatur.

## CAPUT XIX.

*De Mediolanensium reconciliatione, & miraculis ab ipso patratis.*

Anno 1134. 51. SOluto Concilio ad reconciliandos Mediolanenses dominus Papa virum Dei, quem multis supplicationibus expetierant, à latere suo direxit, qui schisma per Anselmum in eadem urbe factum ablueret, & ad unitatem Ecclesiæ devios revocaret. Transscenso itaque Apennino, ubi audierunt Mediolanenses Abbatem desideratum suis finibus propinquare, longe à civitate milliaribus septem omnis populus obviat, nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasi de civitate migrarent, proprios lares deserunt, & distinctis agminibus incredibili devotione & reverentia Virum Dei suscipiunt. Omnes illius pariter delectabantur aspectu, felices se præ aliis judicantes, qui ejus possent frui auditu. Deosculabantur etiam pedes illius, licet hoc ille moleste acciperet: sed nulla poterat pronos & devotos ratione compescere, nulla interdictione repellere. Et cum tractatum esset in publico de negotio propter quod Vir Dei advenerat, oblita fortitudinis suæ civitas, omnique ferocitate deposita, obedientiæ se Abbatis substravit.

52. Pacatis igitur omnibus, reconciliata Ecclesia, firmatis inter plebes concordiæ pactionibus, alia cœperunt ei nasci negotia. Insanienti quippe diabolo, & in quibusdam obsessis debacchanti, oppositum est Christi vexillum; & increpante Viro Dei, de possessis atriis, superveniente eminentiore virtute, territa & tremebunda diffugere dæmonia. Inter eos igitur qui vexabantur, mulier grandæva, civis Mediolanensis, & honorata quondam matrona, usque ad ecclesiam beati Ambrosii, post beatum virum à multis tracta est. In cujus pectore pluribus annis diabolus sederat, & jamjam ita suffocaverat eam, ut visu & auditu & verbo privata, frendens dentibus, & linguam protendens, monstrum, non femina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fœtidus, inhabitatoris satanæ colluvia testabantur. Hanc cum aspexisset Vir Dei, novit inhærentem ei & inviscatum diabolum, nec facile egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Conversus igitur ad populum, cujus innumera aderat multitudo, orare jubet attentius, & clericis & monachis secum juxta altare consistentibus, mulierem ibidem jubet constitui & teneri. Illa vero reluctans, & vi diabolica non naturali virtute recalcitrans, non sine aliorum injuria ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuetè ille contempsit, ad expulsionem non indignatione iræ, sed pacifica & humili supplicatione Deum invocat adjutorem, & ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eamdem sacram hostiam signat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo crucis edito, spiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam & ille malignus, quoties adversus eum signum crucis intenditur, percussum se indicans, acrius sævit, & recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret, prodit invitus. Expleta autem oratione Dominicâ, efficacius hostem aggreditur Vir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, & mulieris capiti superponens, talia loquebatur: Adest, inique spiritus, Judex tuus; adest summa Potestas; jam resiste si potes. Adest ille qui pro nostra salute passurus: Nunc inquit, Princeps mundi ejicietur foras. Hoc illud corpus quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cælum. In hujus ergo Majestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. Cumque eam invitus deserens, & manere ultra non valens, atrocius afflictaret malignus, tam magnam iram quàm modicum tempus habens: rediens Pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris ritè complevit, diffundendamque in populum pacem ministro dedit, & confestim pax & salus integra reddita est mulieri. Fugato

A diabolo, mulier mentis suæ compos effecta, redditis cum ratione sensibus, revoluta intra fauces lingua Deum confessa, gratias egit, & intuita curatorem suum, pedibus ejus advoluta est. Ingens per ecclesiam attollitur clamor, personant æramenta, benedicitur ab omnibus Deus, excedit veneratio modum, & servum Dei gratulabunda civitas, liquefacta caritate incredibiliter veneratur.

53. Jam Papiam advenerat, & fama virtutum adventum ejus præcesserat, & cum debito gaudio & apparatu tantæ gloriæ virum civitas lætabunda suscepit. Et ne diu populi desiderium dilatio suspenderet, qui sicut Mediolani miracula facta audierat, signum ab eo optabat videre: advenit repente post eum rusticus quidam, qui de Mediolano secutus eum fuerat, uxorem dæmoniacam secum adducens, quam ante pedes ejus, lacrymabili voce intrinsecas protestans anxietates, deposuit. Nec mora, in contumelias Abbatis per os miseræ mulieris diabolus locutus est, & irridens servum Dei: Non, inquit, me de canicula mea hic porrulos edens poterit expellere. Multa in hunc modum in Virum Dei jaculabatur convicia, ut blasphemiis provocatus, impatienter ferret opprobria, & confunderetur in præsentia populi, cum indignis se audiret sermonibus lacessiri. Sed Vir Dei astum ejus intelligens, irrisorem irrisit, & ultionem non ipse expetens, sed ad Deum remittens, ad ecclesiam sancti Syri dæmoniacam duci præcepit. Voluit quippe curationis illius gloriam dare Sancto, & primitias operationum virtuti ejus adscribi. At vero sanctus Syrus ad hospitem suum remisit negotium, nec in ecclesia sua quippiam sibi deferens, intactum opus reduci voluit ad Abbatem. Reducitur igitur mulier ad Abbatis hospitium, garriente per os ejus diabolo & dicente: Non me Syrulus ejiciet, non expellet Bernardulus. Ad hæc servus Dei respondit: Nec Syrus, nec te Bernardus ejiciet, sed Dominus Jesus-Christus. Et conversus ad orationem, pro salute mulieris Domino supplicabat. Tum vero spiritus nequam, velut priori improbitate mutata: Quàm libens, inquit, egrederer ab hac canicula, graviter molestatus in ea! quàm libens egrederer! sed non possum. Interrogatus causam: Quia necdum vult magnus Dominus, ait. Cui sanctus: Et quis est magnus Dominus? Et ille: Jesus Nazarenus. Ad quem rursum vir Dei: Unde enim Jesum nosti; aut si umquam vidisti eum? Vidi, inquit. Ubinam eum vidisti? In gloria. Et tu in gloria fuisti? Fui quidem. Et quomodo inde existi? Cum Lucifero, inquit, multi cecidimus. Hæc autem omnia voce lugubri per os vetulæ audientibus omnibus loquebatur. Respondente autem Abbate sancto: Numquid in illam redire gloriam velles, & restitui in gradum pristinum? Rursum voce mutata, & miro modo cachinnans: Hoc, inquit, tardatum est. Et nihil ultra locutus. Orante autem attentius viro Dei, nequissimus ille victus abscessit, & mulier sibi reddita quantas potuit gratias egit. Revertitur igitur vir cum muliere, & per totam viam incolumitati ejus congaudens, exspectantibus amicis domui suæ redditur. Lætabantur omnes qui ordinem rei gestæ audierant; sed repente gaudium vertitur in mærorem: quia ubi domus suæ limina mulier attigit, rursus intrat diabolus, & infestior solito miseram discerpit atrocius. Quid faceret miser maritus, quo se verteret, nesciebat. Cohabitare cum dæmonio molestissimum: relinquere, impium videbatur. Surgit igitur, & assumpta secum muliere, rursum Papiam revertitur. Ubi cum Virum Dei non invenisset, usque Cremonam prosequitur abeuntem. Indicat quid factum sit; & ut gratiam inveniat, lacrymabiliter deprecatur. Nec deest piæ petitioni Abbatis clementia, sed præcipit ut ecclesiam civitatis illius ingrediatur, orans exspectet donec ipse sequatur. Itaque memor promissi, circa noctis crepusculum, ceteris dormitum euntibus, ipse uno tantum prosequente ecclesiam ingreditur, & tota nocte illa orationi vacans, obtinuit à Domino quod petebat: & impetratâ mulieri sanitate, jubet eam securè reverti ad propria. Sed cum illa reditum ad se diaboli, sicut jam experta fuerat, formidaret: collo ejus alligari chartulam hæc verba continentem præcepit: In nomine Domini nostri

Jesu-Christi præcipio tibi, dæmon, ne hanc amodo mulierem præsumas contingere. Quod mandatum sic expavit diabolus, ut mulieri regressæ ad propria numquam deinceps appropinquare præsumpserit.

## CAPUT XX.

*De fuga dignitatum in Bernardo, ac discipulorum ad eas promotione.*

54. Erat quidem caro infirma, sed spiritus promptus, & quo minus in corpore vel corporalibus poterat delectari, amplius delectabatur in Domino, nec aliqua sæculi hujus ambitione pulsabatur, qui solis cælestibus inhiabat. Quot ecclesiæ destitutæ pastoribus eum sibi in episcopum elegerunt? Elegit eum domestica mater Lingonensis ecclesia, elegit Catalaunensis. Intra Italiam civitas Januensis; & Mediolanum, Ligurum metropolis, hunc pastorem & magistrum optaverunt. Remis nobilissima Franciæ civitas, secundæ Belgicæ Provinciæ caput, ejus prælationem ambivit. Omnibus his vocationibus postpositis, non sollicitavit animum ejus honor oblatus, nec motus est pes ejus ut se ad sublimia inclinaret. Promotionem tamen, quam in sua persona quoad potuit evitavit, in filiis quos de diversis regionibus congregatis divino manciparat servitio, Dominus adimplevit. De his enim Roma Eugenium summum meruit habere Pontificem: Præneste Stephanum habuit totius gloriæ virum: Ostia virum magnum Hugonem. Prope urbem sub Osberto pontifice Nepa refloruit. In Tuscia Pisis magnum Ecclesiæ lumen Balduinus præsul effulsit, Citra Alpes Lausannæ datus est Amedeus, Seduno Guarinus, Lingonis Godefridus, Alanus Autisiodoro, Nannetis Bernardus; Belvacis, itemque Remis Henricus, Tornaco Gerardus, Eboraco Henricus, Andreas Attrebati: in Hibernia episcopi duo, re & nomine Christiani: in Alemania, civitate Curia, Algotus, sapientia, ætate & gratia reverendus. In ipsa quoque Romana curia Henricus & Bernardus, alter presbyter, alter diaconus ordinati sunt cardinales. Hæc luminaria de Claravalle & doctrina viri Dei Bernardi abbatis assumpta, fulgore religionis prædictas illustravere civitates.

## CAPUT XXI.

*De ejus profectione in Aquitaniam, ac Guillelmi Comitis conversione.*

Anno 1135. 55. Rediens à montanis partibus Pater sanctus jam Alpes transscenderat, & descendebant in occursum ejus de summis rupibus pastores, & agreste hominum genus, & conclamabant à longe benedictionem petentes. Regredientes autem ad caulas cum gaudio, colloquebantur ad invicem: gratias Deo agentes quod Sanctum Domini vidissent, & optatæ benedictionis gratiam accepissent. Inde Chrysopolim* transiens, & usque Lingonas sollemniter deductus, tandem Claram-vallem advenit. Adsunt fratres congregati in unum, & mira devotione dilectum Patrem suscipiunt: agitur sine tumultu cum omni gravitate lætitia.

* Besançon.

56. Laborabat adhuc eo tempore sub schismaticorum oppressione tota Burdegalensis provincia: & non erat qui posset resistere Principi, qui annuente Girardo Engolismensi episcopo, & instillante in cor ejus dissensionis semina, factus erat schismatis defensor & auctor. Hic enim Girardus diu apostolicæ Sedis in Aquitania legatione functus, & nunc à magistratu tanto dejectus, non poterat se pati suæ solius ecclesiæ episcopum, qui se viderat totius Aquitaniæ principem & magistrum. His igitur duobus ob hanc malitiam in unum convenientibus, quicumque susceptioni Petri Leonis non subscribebant, persecutionibus expositi, alii damnis, alii proscriptionibus mulctabantur, alii à sedibus propriis pulsi exsulare compellebantur. Audiens hæc & hujusmodi vir venerabilis Gaufridus Carnotensis episcopus, cui à Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, vehementer indoluit, & succurrendum periclitanti Ecclesiæ, postpositis aliis negotiis, sine ulla dilatione decrevit. Abbatem igitur Claræ-vallensem petit & obsecrat, ut sibi ad tanta mala eliminanda succurrat. Assensit vir Dei, & se in proximo congregationem monachorum in Britanniam in locum, quem juxta Nannetum Comitissa Ermengardis paraverat, ducturum intimat, & promittit disposita illa domo se cum eo in Aquitaniam profecturum.

57. Ibant igitur simul, & pariter Nannetum venerunt. Erat autem in regione illa misera mulier, quæ à quodam petulante diabolo vexabatur. Habebat autem virum, hujus tamen tam exsecrabilis commercii prorsus ignarum. Abutebatur igitur ea, etiam in eodem lecto cubante marito, invisibiliter impurissimus ille adulter, & incredibili vexabat libidine. Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo vero anno confusa est in seipsa, & expavit propter timorem Dei, cujus judicio singulis momentis timebat intercipi & damnari. Confugit ad sacerdotes, & piaculum confitetur. Peragrat loca sancta, & Sanctorum implorat suffragia: sed nulla ei confessio, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio suffragatur. Quotidie ut prius & importunius à dæmone infestatur. Denique in publicum scelus tantum effusum est. Quo audito & cognito, maritus ejus contubernium exsecratur. Interea ad locum prædictum vir Dei cum comitatu suo advenerat: cujus ut audivit adventum infelix mulier, se ad pedes ejus tremebunda projecit. Aperit ei lacrymis perfusa passionem horribilem, & ludificationem inveteratam, & quod nihil ei profecissent quæcumque sibi à presbyteris imperata fuerant. Addit sibi ab oppressore suo adventum ejus prædictum, & minaciter interdictum ne ante ejus veniret præsentiam, quia nihil ei prodesset; & ipse recedente Abbate, qui fuerat amator, crudelissimus fieret persecutor. Audiens hæc Vir Dei, blandis verbis consolatur mulierem, & de cælo promittens auxilium, præcipit ut die altera, jam enim nox instabat, confidens in Domino revertatur. Reversa mane, cum Viro Dei blasphemias & minas, quas eadem nocte ab incubo suo audierat, retulisset: Ne cures, inquit Vir Dei, minas ejus; sed vade, tolle baculum hunc nostrum, & pone in lectulo tuo, & si quid potest, agat. Egit mulier quod jussum fuerat, & recubans in lectulo suo signo crucis munita, juxta se baculum ponit. Adest ille continuo: sed nec ad consuetum opus, nec ad ipsum cubile præsumit accedere; minatur tamen acerrime, quod discedente Viro Dei, ipse in ejus supplicia reverteretur. Instabat dies Dominica, & voluit Vir Dei per edictum Episcopi populum in ecclesiam accersiri. Cumque ipsa die maximus populus ad ecclesiam convenisset, inter Missarum sollemnia, comitantibus episcopis Gaufrido Carnotense episcopo & Brictio Nannetensi, ipse ad ambonem conscendit; & ut omnes qui in ecclesia erant, candelas accensas in manibus teneant, locuturus edicit. Quod & ipse cum episcopis & clericis faciens, inauditos diaboli ausus publice aperit; & fornicatorem spiritum, qui in tam horrenda inquinamenta, etiam contra naturam suam exarserat, cum omnium fidelium qui aderant subscriptione anathematizat, & auctoritate Christi tam ad illam, quàm ad omnes mulieres deinceps interdicit accessum. Exstinctis itaque sacramentalibus illis luminibus, exstincta est deinceps tota virtus diaboli; & mulieri post confessionem communicanti, numquam postea apparuit inimicus, sed irregressibiliter eliminatus aufugit.

58. Significatum est interim Comiti per viros illustres & ei familiares, quod Abbas Claræ-vallensis, & Episcopus Carnotensis, aliique episcopi & religiosi viri colloquium ejus expeterent, quorum erat studium, ut de pace sanctæ Ecclesiæ tractarent: persuasumque est illi ne tantorum devitaret colloquium, quia poterat fieri ut communicato cum eis consilio, & facile esset quod videbatur difficile; & quod videbatur impossibile, possibile redderetur. Itaque apud Partiniacum hinc inde conveniunt. Cumque ageretur de divisione Ecclesiæ & de scissuræ obstinatione, quæ infra Alpes in sola Aquitania quasi nebulæ corruptela consederat, multis modis & rationibus à servis Dei Comiti est intimatum, quod Ecclesia una est, & quicquid extra eam est, quasi extra

Arcam judicio Dei necesse est interire & dilui. Adducta quoque exempla Dathan & Abiron, quos reatu schismatis terra vivos absorbuit, nec tanto malo vindictam Dei aliquando defuisse monstratum est. His auditis, Comes ex parte sano usus est consilio, & respondit se in obedientiam Innocentii Papæ posse dare consensum, sed in restitutione episcoporum, quos de sedibus expulerat, nulla ratione posse induci: quoniam implacabiliter eum offenderant, & juraverat se eorum pacem nullo tempore suscepturum. Diu per internuntios protractus est sermo: & dum vicissim verbis se mutuo occupant, vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare sanctum oblaturus & supplicaturus accedit. Intraverant ecclesiam quibus licebat divinis interesse mysteriis: Comes sustinebat pro foribus. Peractis igitur consecrationibus, & pace data & diffusa in populum, homo Dei jam non se agens ut hominem, corpus Domini super patenam ponit, & secum tollit: atque ignea facie & flammeis oculis, non supplicans, sed minax foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem. Rogavimus te, inquit, & sprevisti nos: supplicavit tibi in altero, quem jam tecum habuimus, conventu servorum Dei ante te adunata multitudo, & contempsisti. Ecce ad te processit Filius Virginis, qui est caput & dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest judex tuus, in cujus nomine omne genu curvatur, cælestium, terrestrium & infernorum. Adest judex tuus, in cujus manus illa tua anima deveniet. Numquid & ipsum spernes? Numquid & ipsum sicut servos ejus contemnes? Lacrymabantur universi qui aderant, & orationibus intenti præstolabantur exitum rei, & omnium suspensa exspectatio aliquid divinum fieri cælitus exspectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, & sacratissimum Domini corpus ferentem in manibus, expavit & diriguit, membrisque tremebundis metu & dissolutis, quasi amens solo provolvitur: elevatus à militibus, rursum in faciem ruit, nulli quippiam loquens, aut intendens in aliquem. Tum vir Dei ad eum propius accedit, & pede pulsans acclinem surgere jubet, & stare supra pedes, & Dei audire sententiam. Præsens est, inquit, Pictavensis episcopus quem ab ecclesia sua expulisti. vade reconciliare ei, & in osculo sancto pacis cum eo jungens fœdera, ipse ad sedem suam eum reducito, & satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in universo principatu tuo divisos & discordes ad caritatis revoca unitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei omnis obedit Ecclesia, tu quoque electo à Deo tanto Pontifici obedire non differas. Audiens hæc Comes auctoritate Spiritus-sancti, & sanctorum Sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere nec poterat: sed statim in pacis osculo recepit Episcopum, & eadem qua eum abjuraverat manu, cum totius exsultatione civitatis ad propriam sedem reduxit. Sed & deinceps Abbas cum Comite jam familiarius & suavius loquens paterne cum monuit, ne ad tam impios & tam temerarios ausus ultra exsurgeret, ne Dei patientiam in tantis irritaret flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret. Pace itaque omni Aquitanicæ Ecclesiæ reddita, solus Girardus perseverabat in malis; sed non multo post adveniente die iræ, in domo sua miserabiliter exstinctus est. Subita enim morte præoccupatus, sine confessione, sine viatico reddidit spiritum. Tanto igitur malo obruto & schismate Girardi redacto in nihilum, Vir Dei cum gaudio magno Claram-vallem revertitur.

[lus e- / ius En- / lensis / ismate / us.]

## CAPUT XXII.

*De iterata ejus profectione in Italiam, ac Rogerii Siculi obstinatione, & Petri Pisani reconciliatione.*

1136. 59. HIs ita patratis, vix inter fratres suos circiter unum fecerat annum; & ecce litteræ apostolicæ virum Dei evocant, & ut adsit laboranti Ecclesiæ supplicant Cardinales. Nihil obedientiæ præferens vir Dei, valefaciens fratribus, flentibus universis discessit, & cum multa reverentia ubique susceptus, demum Romam pervenit. In cujus adventu tam dominus Papa, quàm fratres * lætati sunt, & communicatis cum eo consiliis secundum rerum proventus & statum causarum Abbas alia via opus aggreditur. Rex enim Siciliæ Rogerus, qui solus jam ex Principibus obedire Papæ Innocentio detrectabat, mittit ad eum, petens, ut ad se Abbatem mitteret Claræ-vallensem: nihilo minus idem petens à Petro Leonis, ut Petrum sibi Pisanum à suo latere delegaret. Aiebat autem se dissensionis, quæ jamdiu induraverat, velle scire originem, & cognita veritate, aut corrigere errorem, aut sancire sententiam. Audierat enim Petrum Pisanum eloquentissimum esse, & in legum & canonum scientia pæne nulli secundum. Unde putabat, quod si eloquentiæ ejus in publico consistorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis simplicitatem Abbatis obrui posse, & silentium ei vi verborum & pondere rationum imponi. Venit itaque pars utraque Salernum.

[* dinales. / etrus]

*Vener. lib. 2. Epist. 48 Albericum Cardinalem non semel vocat* fratrem suum & monachorum.

60. In illis diebus paraverat, ad bellum idem Rogerus Rex innumerabilem exercitum adversus Rannulfum Ducem. Cum autem primus eorum, qui vocati fuerant, Abbas sanctus adveniens Regem in castris positum invenisset, utpote qui jam armatas produxerat acies, per multos dies ne committerent, impedivit, denuntians Regi: Quia si conflictum inieris, victus & confusus abibis. Novissime vero cum ejusdem Regis plurimum erevisset exercitus, ignorans quod non in multitudine foret eventus belli, virum sanctum quærentem ea quæ pacis erant, ulterius audire contempsit. At ille Ducem Rannulfum & Catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, sicut Regi fugam, sic illis victoriam pollicitus est & triumphum. Subito itaque viso Duce audacter obviam procedente Rex territus fugit, effusumque exercitum prædæ & cædibus exposuit, innumeris militibus captis & interfectis, & ei juxta verbum Viri Dei omnia contigerunt. Cum enim ipse Abbas ad proximam villulam declinasset, & instaret orationi, repente fugientium & insequentium clamor auditur: siquidem per eumdem locum fugientem Regis exercitum Rannulfus Dux persequebatur. Egressus itaque frater quidam ex his qui cum Abbate erant, uni ex militibus occurrit, & quid accidisset, interrogabat. At ille (siquidem litteras noverat:) Vidi, inquit, impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat; quæsivi eum, & non est inventus locus ejus. Nec mora Dux ipse secutus, ut monachum vidit, sicut erat armatus, equo desiliit, & ejus pedibus advolutus; Gratias, inquit, Deo & fideli servo ejus, quia non nostris viribus, sed ejus fidei collata hæc victoria est; iterumque insiliens equo hostes insequebatur.

61. Post finem prœlii vir Dei à villula ad quam declinaverat, venit Salernum; venit & Petrus Pisanus. Itaque stipata militibus curia, Rex utramque partem accersiri, & de causæ suæ rationibus eloqui jubet. Prior itaque Petrus electionem Petri Leonis domini sui canonicam probare contendit, & verba sua multis Legum & Canonum assertionibus munire laborat. At vero vir Dei non in sermone, sed in virtute regnum Dei esse intelligens: Scio, inquit, Petre, virum te sapientem & litteratum esse; & utinam sanior pars & honestiora te occupassent negotia, utinam te patronum causa justior obtineret: sine dubio enim rationabilia te allegantem nulla posset impedire facundia. Et nos quidem, tamquam indocti & minus eloquentes, si causa fidei non urgeret, institutum silentium teneremus. Nunc autem cogit nos caritas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore passionis nec ethnicus præsumpsit scindere, nec Judæus; fautore hoc domino, Petrus Leonis lacerat & dirumpit. Una est fides, unus Dominus, unum baptisma. Nos neque duos dominos, nec geminam fidem, nec duo baptismata novimus. Ut ab antiquis ordiar, una arca tempore diluvii fuit: in hac octo animæ ceteris omnibus pereuntibus evaserunt, & quotquot extra arcam inventi sunt, perierunt. Arcam hanc typum habere Ecclesiæ nemo est qui ambigat. Arca alia nuper fabricata est; & cum sint duæ, alteram necesse est esse adulteram, & in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, si ex Deo est; necesse est ut arca, quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo Orientalis Ecclesia, peribit Oc-

cidens totus, peribit Francia, peribit Germania, Iberi & Angli, & Barbara regna in profundum pelagi demergentur. Religio Camaldulensis, & Cartusiensis, & Cluniacensis, & Cisterciensis, & Præmonstratensis, aliaque innumerabilia servorum & ancillarum Dei Collegia necesse est ut sub uno turbine corruant in abyssum. Episcopos, & Abbates, & reliquos Ecclesiæ Principes pelagus vorax excipiet. Solus ex Principibus mundi arcam Petri intravit iste Rogerius, & ceteris omnibus enecatis solus ipse salvabitur. Absit ut totius mundi religio pereat; & ambitio Petri, cujus vita palam est qualis exstiterit, regnum cælorum obtineat. Ad hæc verba tenens manum Petri, elevavit eum, & simul ipse surrexit: Tutiorem, inquiens, si mihi credas, intrabimus arcam. Et sicut jam pridem mente conceperat, salutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus persuasit, ut ad Urbem rediens Innocentio Papæ reconciliaretur. Soluta concione venerabilis Abbas Romam revertitur, prædictum quoque Petrum Pisanum, & quosdam alios reconciliat Ecclesiæ, & Innocentio Papæ confœderat.

## CAPUT XXIII.

*Anacleto exstincto & schismate, Bernardus Canticorum explanationem resumit, ac Theobaldum Comitem Regi reconciliat.*

Anno 1138.

62. Aderat tempus quo divina clementia Petri Leonis interitu finem imponere schismati disposuerat. Eo tempore pars ipsius Papam sibi alterum statuerunt pro illo, quatenus videlicet opportunius per aliquam temporis moram Papæ Innocentio reconciliarentur. Quod sine mora per manum servi sui Abbatis Christus effecit. Nam & ille substitutus ad eumdem virum Dei nocte se contulit, & ille nudatum usurpatis insignibus ad domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto civitas gratulabunda lætatur, Innocentio Ecclesia redditur, Romanus populus, ut pastorem & dominum suum Innocentium veneratur. Abbas Claræ-vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, & pater patriæ prædicatur.

63. Sedatis omnibus & compositis, vix paucis diebus potuit detineri, qui septem annis & ultra pro resarcienda eadem scissione sudaverat. Exeuntem Roma prosequitur, deducit clerus, honorat populus, universa nobilitas comitatur. Neque enim poterat sine communi mærore dimitti, qui colebatur amore communi. Rediens autem Pater sanctus ab urbe, ex sanctorum Apostolorum Martyrumque corporibus exenia secum retulit pretiosa, haud modicum hunc inter cetera sui reputans fructum esse laboris. Tanta vero exsultatione Ecclesia illum Gallicana recepit, ut non minorem videretur de suo reditu exhibere, quàm de pace reddita nuntiare lætitiam. Sic igitur firmata pace Vir Dei ad suos regreditur, & quocumque rediens venit, specialiter à filiis cum ingenti gratulatione suscipitur. Meminit idem Pater illius temporis & operis in sermone super Cantica canticorum vigesimo quarto sic scribens; [Hoc demum fratres tertio reditum ab urbe nostrum clementior oculus è cælo respexit; & vultus tandem serenior desuper arrisit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia, Ecclesia pacem recepit, ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, qui eam per hoc fere octennium diro schismate conturbarat. Vestris desideriis donatus sum, vestris me profectibus paro: quorum vivo meritis, volo vivere studiis & saluti.] Hoc ipse de se quod vivebat, quod bona agebat, fratrum meritis totum adscribens, ad studia sancta reversus, cœptum amplectitur epithalamium. Quàm efficaciter vero quamque evidenter in tempore iræ factus fuerit reconciliatio, Innocentii Papæ super hoc scribentis ad eum verba demonstrant. [Quàm firma, ait, perseverantique constantia causam beati Petri & sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis & discretionis susceperit defendendam; & se murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos Regum & Principum & aliarum tam ecclesiasticarum, quàm sæcularium personarum ad catholicæ Ecclesiæ unitatem, & beati Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis & ratione munitis inducere laboraverit; magna, quæ Ecclesiæ Dei & nobis provenit, utilitas manifestat.]

Labores Bernardi in exstinguendo schismate testatur Innocentius.

64. Post reditum Patris ab urbe, vix per triennium optata quiete potitus, regno Franciæ vehementer turbato ob simultates, quæ inter Regem Ludovicum & Comitem Theobaldum emerserunt, rursus ad labores reformandæ pacis expetitur. Is enim Comes potens in regno, totus eleemosynis deditus, & studio pietatis intentus, omnium servorum Dei & sanctæ religionis promptus amator, devotissimæ sanctitatis ejus consiliis adhærebat. Cumque adversus eum insurrexissent non solum vicini Principes adjuncti potentiæ Regis, verum etiam fere omnes sui recessissent ab eo; Comitis evasio in dispersionem jam venerat. Hæc audiens Vir sanctus qui in talibus sibi parcere nesciebat, ut pote pietatis visceribus affluens, decrevit se tantis malis opponere. Tandem multorum adjutus orationibus Religiosorum, assidue clamabat ad Dominum, & allegationibus divinis intercurrentibus, eo mediante detumuere procellæ, & reversa est inter Regem & Principem tranquillitatis & pacis desiderata serenitas. De qua videlicet pace spem bonam ab initio Vir Dei conceperat, sicut quidam fratres sui se ab ipso audisse testati sunt, concito venturam ejusdem Principis evasionem, quæ quasi incredibilis videbatur, evidenter eis prædixisse.

## CAPUT XXIV.

*De ejus patientia in morbis, contumeliis & bonorum jacturis.*

65. Inter tantas itineris ac laborum fatigationes, quas vir sanctus pro necessitatibus Ecclesiæ Dei susceperat, quotidiana & multiplex eum avertere non cessabat infirmitas. Unde constat patientiam ejus maxime quidem flagellis Dominicis exercitatam esse atque probatam. Nimirum ab ipso suæ conversionis initio usque ad diem sacræ depositionis tanta sustinuit, ut vita ejus his qui noverant, non nisi quædam mortis protelatio videretur. Ceterum erga homines etsi rarior ei occasio minora forsitan patientiæ potuit experimenta præstare, dicendum tamen vel breviter ne hujus quidem apparuisse eum virtutis immunem. Et quia genus hoc patientiæ solitus erat dicere tripertitum, videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis læsionem, de singulis saltem singula proponantur, quæ interim exempla occurrunt. Scripserat aliquando idem Dei famulus ad Episcopum aliquem de curia & de consilio Regis, monens eum super quibusdam negotiis Regi suadere & consulere meliora. (v. Epist. 22.) At ille vehementer exacerbatus, amarissimam ei reddidit epistolam: ad quam Christi servus, dominicæ benignitatis sedulus imitator, mansuetissime respondens, non minus postea carum, nec minus familiarem eumdem Episcopum habuit; sed durum Præsulis responsum apud eum sic fuit quasi non dictum.

66. Abbas Farfensis* conventum fratrum à Clara-valle vocaverat, monasterium eis ædificaturus: sed Romanus impedivit Antistes, & eos in loco altero ordinavit. Unde plurimum dolens prædictus ille vir magnus, & magnæ devotionis, collectam pecuniam sexcentarum fere marcarum argenti deposuit in patria sua sub chirographo, quas ad Dei hominem veniens obtulit ei, rogans ut mitteret pro argento; & quod non meruerat in partibus suis, vel citra Alpes novum exinde cœnobium conde失 retur. Missum est pro argento, sed ad mandatum venerabilis Abbatis nihil inde redditum fuit. Nec respondit aliud homo Dei cum ei nuntiaretur, quàm, Benedictus Deus qui nobis pepercit ab onere. Gratulari etiam consueverat decem circiter monasteria, vel ædificandis monasteriis loca congrua numerans injuste sibi ablata, dum contendere nollet, & magis eum vinci, quàm alios vincere delectaret.

* Farfa in Italia.

67. Veniens aliquando Claram-vallem clericus quidam habitu canonicus regularis, importune satis instabat ut in monachum reciperetur. Suadente Patre sancto ut ad suam reverteretur ecclesiam, nec acquiescente recipere eum,

eum : Ut quid ergo, ait ille, in libris tuis tantopere perfectionem commendasti, si eam desideranti opem renuis exhibere ? Et iracundiæ spiritu vehementius instigatus, sicut postmodum evidenter apparuit : Jam, inquit, si illos tenerem, discerperem libros. Cui Vir Domini : Puto, ait, in nullo eorum legisti, non posse te in tuo claustro esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem, si bene memini, in libris omnibus commendavi. Tum vero impetum faciens homo velut insanus in eum, percussit maxillam ejus, idque tam graviter, ut succederet statim rubor ictui, tumor rubori. Jam qui aderant, in sacrilegum involabant: sed prævenit eos servus Domini, clamans & adjurans per nomen Christi nullatenus eum tangere, sed educere caute, & curam ejus habere, ne ab aliquo ei vel in aliquo noceretur. Quod tam districte præcepit, ut ille timens & tremens absque omni injuria eductus sit & deductus. Nimirum doctus erat vincere in bono malum. Sic & ad quosdam scribens, inter cetera ait : [ Adhærebo vobis, etsi nolitis ; adhærebo, etsi nolim ipse ; invitis præstabo, ingratis adjiciam : honorabo & contemnentes me. ] Usque adeo siquidem omnes homines germano amplectebatur affectu, ut eorum scandalo, sicut ipse fateri solebat, gravius ureretur, quibus nullam videretur occasionem scandali præbuisse.

... 152. ad ... nonit. rat. ... omni ... sione ... dali ... oriet.

## CAPUT XXV.

*De ejus moderata correptione, mansuetudine, caritate ac scriptis.*

68. Ceterum objurgationem ejus non minus facile aliquando compescebat gravis & turbulenta responsio, quàm humilis & modesta, ut ab aliquibus perinde diceretur cedenti insistere, cedere resistenti. Dicebat : Ubi resonat utrimque modestia, dulce esse colloquium; ubi vel ex parte altera, utile ; ubi ex neutra, perniciosum. Ubi enim hinc inde duritia sonat, jurgium est, non correctio ; nec disciplina, sed rixa : ut deceat magis interim dissimulare Prælatum, & commotione sanata utilius castigare subjectos. Loquens etiam interdum ipse de increpationibus minus utiliter prolatis, minusve patienter acceptis, asserebat hora vespertina nullatenus utendum objurgationibus vel insistendum, ne frater turbatus noctem duceret insomnem, & sollemnibus vigiliis minus se devotum exhiberet. In sermone etiam super Cantica canticorum quadragesimo secundo, inter cetera dicit.
» [ Utinam neminem objurgare necesse sit ! hoc enim me-
» lius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi ta-
» cere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere,
» magis autem urget caritas. Quod si arguero & fecero
» quod meum est ; illa autem procedens increpatio minime
» quod suum est faciat, neque ad quod misi illam ; sed re-
» vertatur ad me vacua, tamquam jaculum feriens & resi-
» liens : quid me animi tunc habere putatis, fratres ? Non-
» ne torqueor ? Prorsus coarctor è duobus, & quid eligam
» nescio, placerene mihi in eo quod locutus sum, quoniam
» quod debui, feci ; an pœnitentiam agere super verbo
» meo, quia quod volui non recepi. ] Et infra. [ Dicas
» forsitan mihi, quod bonum meum ad me revertatur, &
» quia liberavi animam meam, & mundus sum à sanguine
» hominis, cui annuntiavi & locutus sum, ut averteretur
» à via sua mala, & viveret. Etsi innumera talia addas, me
» tamen minime ista consolabuntur, mortem filii intuen-
» tem. Quasi vero meam illa reprehensione liberationem
» quæsierim, & non magis illius. Quæ enim mater, etsi
» omnem, quam potuit, curam & diligentiam ægrotanti
» filio adhibuisse se sciat, si demum se frustratam viderit,
» & omnes labores suos esse penitus inefficaces, illo nihilo
» minus moriente, propterea umquam à fletibus tempera-
» bit ? Et hæc hactenus.

...nsuetudo & cari... eximia

69. De cetero tantus æmulator erat mansuetudinis & pacis, ut si forte improbus quisque petitor durius extorsisset à negante responsum, haud facile deinceps cum eadem repulsa dimitteretur inanis. Siquidem velut naturaliter, ut fatebatur, oderat omne scandalum ; & gravamen cujuslibet hominis sustinere ei admodum grave,
A non sentire impossibile erat. Plus ejus piissimum pectus gratuitum affligebat alterius scandalum, quàm propriæ immunitas conscientiæ solabatur. Siquidem dolebat, & minus sperabat posse sanari, quod unde procederet non videbat ; magnum sibi è regione solatium fore perhibens, quoties inveniret unde satisfacere posset, vel homini pro se, vel Deo pro homine, etiam sine occasione turbato. Adeo neminem sprevit, nullius hominis scandalum parvi pendit. Nam & quoties oporteret noxios aliquorum vel reprehendere actus, vel impedire conatus, tam considerate fiebat, ut ipsi quoque, qui læsi viderentur, abundanter haberent, unde sibi pro eo satisfacerent in cogitationibus suis. Ex ipsis autem nonnulli, & de quiB bus minus id videbatur posse sperari, ampliori devotione ejus postmodum vel obsequiis deservierunt, vel etiam adhæsere vestigiis. Erga omnium quoque hominum spiritale commodum incommodumve amplius afficiebatur ; & summum ei desiderium, summum gaudium erat, animarum fructus & conversio peccatorum. Et corporeas tamen necessitates piissimo miserabatur affectu. Non solum corporum, sed etiam morum infirmitates in caritate patientissime supportabat. Nam eorum qui in hujusmodi laborabant, se maxime profitebatur Abbatem, calamum quassatum non conterens, & linum fumigans non exstinguens.

70. Ceterum si quis nosse desiderat, quàm sollicitus
C ab initio sui ipsius dijudicator & scrutator exstiterit, primum Opus illius de Gradibus humilitatis inspiciat. Inde si quæritur piæ mentis religiosa devotio, transeundum ad Homelias in Laudibus Virginis Matris, & ad illum quem de diligendo Deo edidit librum. Si fervens contra suorum vel aliorum vitia zelus ; legatur is, quem Apologeticum vocat. Si vigil in zelo cordis, & circumspecta discretio ; de Præcepto & dispensatione disserens audiatur. Quàm vero fidelis cujuslibet piæ conversationis commendator fuerit & adjutor ; exhortatorius ad Milites Templi Sermo declarat. Quàm non ingratus gratiæ Dei, ex his liquet quæ de Gratia & libero arbitrio tam fideliter, quàm subtiliter disputavit. Quàm liber in
D voce, quàm disertus & in rerum superiorum pariter inferiorumque scientia locuples ; in his quæ ad Papam Eugenium de Consideratione scripsit, diligens considerator agnoscet. Quàm devotissimus prædicator alienæ sanctitatis, diligenter episcopi sancti Malachiæ vitam prosecutus ostendit. Nam in Sermonibus super Cantica canticorum, & indagator mysteriorum, & morum ædificator magnificus innotescit. In Epistolis, quas ad diversas personas ob negotia diversa dictavit, prudens lector advertet, quo fervore spiritus justitiam omnem dilexerit, & omnem æque oderit injustitiam. Fidelis etenim servus Christi non quærebat aliquid suum ; quicquid tamen erat Christi, sic curabat ut suum. Quid vero sanctum,
E quid honestum, quid pudicum, quid amabile, quid bonæ famæ, quid virtutis, aut laudabilis disciplinæ, suis ortum in qualibet regione diebus non roboravit ejus auctoritas, non fovit caritas, diligentia non promovit ? Quid ante promotum dilatari amplius non optavit ? quid forte collapsum non totis pro loco & tempore viribus egit, ut repararetur ? Quis ad sacrum in ejus pectore habitantis templum divinitatis de quacumque tribulatione fideliter clamaturus accessit, & inefficaciter laboravit ? Mæstus ab eo solatium, afflictus auxilium, consilium anxius, æger remedium, pauper subsidium reportabat. Ita sese omnium fecerat servum, ac si toti genitus orbi : ita tamen liber ex omnibus conscientiæ suæ curam gerens,
F tamquam soli deditus curæ & custodiæ cordis sui. Eo præsente omnis sanctitas exsultabat, omnis erubescebat impietas, juxta illud : *Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.* Eo præsente celebris quisque conventus, velut quodam sole resplenduit, absente caliginosus & quodammodo mutus apparuit. Hujus denique medicinalis manus & lingua, morbos utraque curabat, illa corporum, ista morum. Hæc interim de moribus sancti Patris, licet ex parte, sub brevitate perstricta sufficiant.

Ubique promovendis bonis, & malis exterminandis dat operam.

Psal. 106.

## CAPUT XXVI.

*Abaëlardum impugnat, & Henricum hæreticum.*

71. CUm jam multis pressus esset laboribus, nec minus quotidianis laboraret incommodis, jam inter fratres sibi requiem affectabat: sed divina providentia aliter providente, ut meritis ejus præmium cresceret, alterius certaminis ei labor accessit. Fuit enim in diebus illis Petrus Abaëlardus, magister insignis, & celeberrimus in opinione scientiæ: cujus scripta minus consona fidei, cum undique volitare cœpissent, viri eruditi atque fideles nonnulla ex his capitula ad Dei hominem retulerunt. Qui nimirum solita bonitate desiderans errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modeste, tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus, ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. Cum itaque in hujus correctionis exspectatione Dei famulus permaneret, eo penitus ignorante, consilio domini Henrici Senonensis archiepiscopi, dies est celebris constituta, qua prædictus Magister, & Abbas disputaturi super præfatis capitulis Senonis convenirent. Illa autem dies erat, qua idem Pontifex Regi Franciæ, & Principibus, & universæ plebi sanctas erat ostensurus reliquias. ad quam Abbas vocatus, venire penitus recusavit, non hoc suum, sed Episcoporum, fidei negotium esse renuntians. Postea tamen magnorum virorum monitis flexus, & auctoritate tractus, tristis quidem, nec sine lacrymis, demum pergere acquievit, sicut in epistola ad Innocentium Papam ipse testatur, ubi plenius lucidiusque negotium omne prosequitur. Affuit dies ubi Rex & venerabilis Samson Remorum archiepiscopus, multique de Episcopis utriusque provinciæ cum copiosa ecclesia convenerunt. Porro quàm magnifice egerit servus fidelis & prudens, & quàm utiliter in illo conventu, ecclesia propter hoc congregata evidenter agnovit. Sed & Dominus Papa Innocentius in epistola de hoc ad episcopos transmissa in Galliis plenius attestatur, qui videlicet Pontifex non multo post tempore viam universæ carnis ingreditur. Eo defuncto, & successoribus ejus Cælestino & Lucio quàm velociter consummatis, Eugenius Papa Urbis efficitur.

*Anno 1140.*

72. In diebus pontificatus illius Henricus quidam, qui olim exstiterat monachus, perniciosæ doctrinæ verbis persuasibilibus Tolosanæ gentis occupaverat levitatem; &, sicut prædixit de quibusdam Apostolus, in hypocrisi loquens, mendacium fictis verbis de eis negotiabatur. Erat autem hostis Ecclesiæ manifestus, irreverenter ecclesiasticis derogans Sacramentis pariter & ministris. Adeo pravæ suggestionis ejus malignitas invaluerat, quod omnes institutiones ecclesiasticæ spernebantur. Hac necessitate Vir sanctus iter arripuit, ab ecclesia regionis illius sæpius jam ante rogatus, & tunc demum à reverentissimo viro Alberico Ostiensi episcopo & legato Sedis apostolicæ persuasus pariter & deductus. Veniens autem, cum incredibili devotione susceptus est à populo terræ, ac si de cælo Angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset; tanta erat frequentia diebus ac noctibus adventantium, benedictionem expetentium, flagitantium opem. Prædicavit tamen in civitate Tolosa per aliquot dies, & in ceteris locis, quæ Henricus ille frequentasset amplius, & gravius infecisset, multos in fide simplices instruens, nutantes roborans, errantes revocans, subversos reparans, subversores & obstinatos auctoritate sua premens & opprimens, ut non resistere, sed nec adsistere quidem & apparere præsumerent. Ceterum etsi tunc fugit à facie ejus hæreticus ille, & latuit; ita tamen per gratiam Dei impeditæ sunt viæ ejus & semitæ circumsæptæ, ut postea vix alicubi tutus, tandem captus & catenatus Tolosano Episcopo traderetur.

*Anno 1147.*

73. In quo itinere plurimis signis in servo suo Abbate glorificatus est Deus, aliorum corda ab erroribus impiis revocans, aliorum corpora à languoribus variis sanans. Est locus in regione eadem, Sarlatum nomen est illi, ubi A sermone completo plurimos ad benedicendum panes, sicut ubique fiebat, Dei famulo offerebant. Quos ille elevata manu & signo crucis edito in Dei nomine benedicens: In hoc, inquit, scietis vera esse quæ à nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem. Timens autem venerabilis episcopus Carnotensium, magnus ille Gaufridus, siquidem præsens erat, & proximus Viro Dei: Si bona, inquit, fide sumpserint, sanabuntur. Cui Pater sanctus de Domini virtute nil hæsitans: Non hoc ego dixerim, ait, sed vere qui gustaverint, sanabuntur, ut perinde veros nos & veraces Dei nuntios esse cognoscant. Tam ingens multitudo languentium gustato eo- B dem pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, & Vir sanctus per vicina loca regrediens, ob concursus intolerabiles declinaverit, & timuerit illo ire.

*Benedicto pane sanat plurimos.*

## CAPUT XXVII.

*Quid Bernardus de mirabilibus à se factis sentiret. Ubi de Jerosolymitanæ expeditionis infelici successu.*

74. CUm autem per totum ab eadem provincia reditum Viri sancti magis magisque signa crebrescerent, & multiplicarentur in dies, non prætereundum quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui à Christo hu- C militatem cordis & mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, & ex abundantia cordis locutus, domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat: Plurimum miror, quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per talem. Nil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines & perfectos; facta sunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim Sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur: confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorantur. Hæc & hujusmodi cre- D brius secretiusque cum viris spiritalibus conferebat. Novissime vero opportunum sibimet visus exitum reperisse: Scio, inquit, hujusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem, & Deum in homine per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quàm opinionem, ut in eo commendet hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc per quos fiunt, sed pro eis magis qui vident illa vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Dominus operatur, ut ipsos probet ceteris sanctiores, sed ut ceteros magis amatores & æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi & signis istis, quandoquidem meæ illa famæ magis quàm vitæ noverim exhiberi; nec ad meam fieri E commendationem, sed ad commonitionem potius aliorum. Satis, ni fallimur, hujus viri mirabitur animum, quisquis hæc diligenti consideratione pensaverit; nec præstantius aut sublimius reputabit æstimator quisque fidelis signa atque prodigia per eum mirabiliter operari, quàm perpetrata taliter ab eo interpretari. Sibi quoque non minus utile Christianus animus judicabit, imitandos ejus affectus, quàm mirandos actus; & morum insignia, quàm operum signa cognoscere. Sic igitur divina cooperante gratia multipliciter Ecclesiæ Dei Viri sancti doctrina profuit in Catholicorum moribus corrigendis, in schismaticorum furoribus comprimendis, in hæreticorum erroribus confutandis.

*Miracula quorsum fiant ex mente S. Bernardi.*

F 75. Sane antequam idem Dei famulus à Tolosa rediret, multorum animos, & præcipue regis Ludovici Junioris, permovit Orientalis Ecclesiæ audita necessitas. Propter quod servus Christi à præfato Rege semel & iterum expetitur: nec sic acquievit voluntati & petitioni ejus, donec ipsius tandem summi Pontificis generalem epistolam jussus est ab eo exponere populis atque Principibus. Cujus tenor epistolæ fuit; ut in pœnitentiam & remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posituri. Nec tacendum quod ex prædicatione ejusdem itineris Jeroso- *Anno 1146.*

lymitani contra eumdem venerabilem Abbatem quidam minus intelligentes scandalizati fuerunt, quod tristior sequeretur effectus. Quod tamen verbum certum est, ut prædiximus, ab eo quidem initium non sumpsisse. Meminit hujus verbi ipse quoque venerabilis Pater in libro de Consideratione ad Eugenium Papam, inter cetera ita dicens: [ Quasi levitate in opere isto usi simus. Cucurrimus plane in eo, non quasi in incertum, sed te jubente, imo per te Deo. ] Et post pauca. [ Si necesse sit unum fieri è duobus, malo in nos murmur hominum, quàm in Deum esse. Bonum mihi si dignetur me uti pro clypeo. ]

## CAPUT XXVIII.

*De Gisleberti Porretani confutatione, ac instante Bernardi morte.*

1148. 76. Erat in tempore illo magister Gislebertus Pictavorum episcopus, in sacris litteris plurimum exercitatus; sed sublimiora se scrutatus, quasdam novitates & ipse conscripserat. Super quibus cum jam fidelium scandalum & murmur invalesceret, in Remensi Concilio, à venerabili Eugenio Papa celebrato, vocatus ad medium est, & librum tradere jussus. Ibi venerabilis Abbas adversus novitates per biduum agens, Sanctorum testimoniis tam modeste, quàm fideliter eas redarguebat. Demum apostolico judicio & auctoritate universalis Ecclesiæ, præfatæ novitates damnabantur: Episcopus eidem damnationi consentiens, & publice refutans quæ scripserat, indulgentiam correctus consequitur; maxime quod ab initio promiserat, sine ulla obstinatione se pro arbitrio Ecclesiæ sanctæ correcturum suam opinionem.

77. Sic Vir sanctus jam corpore quasi deficiens, mente tamen promptus & alacer, zelum Dei, quo fervebat interius, per annos aliquot bonis operibus exercebat, ac divini servitii laborabat insistere studiis indeficiens ejus sancta devotio. Et cum post tantos labores huic dilecto suo diu desideratum pretiosæ mortis somnum Dominus dare disponeret, & fidelem servum in requiem introducere suam, cœpit magis ac magis promptus in ipsum proficere spiritus, caro infirma deficere. Cognoscens enim Vir sanctus prope esse jam bravium, solito currebat alacrius, & terrestris suæ habitationis dissolutionem sentiens imminere, votis uberioribus adspirabat ad habitationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis. In cujus purissimo pectore sacri sese desiderii flamma non capiens, crebris erumpebat indiciis; & ignitum eloquium vehementer fervoris interni vehementiam declarabat. Corpus lectulo decubans variis exercebatur incommodis; animus tamen nihilo minus liber & potens, quæ Dei erant, exercebat invictus, non cessans in mediis quoque doloribus meditari sacrum aliquid, aut dictare, orare affectuosius, fratres studiosius exhortari. In oblatione hostiæ salutaris, quam usque ad defectum ultimum vix aliquando intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritus sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suavitatis. Quo tempore ad avunculum suum Andream Militem Templi epistolam scribens, inter cetera ait: [ Ego enim delibor, nec puto me longum facere super terram. ] Dumque solito gravius laboraret, fratres insistebant supplicationibus & orationibus ad Deum pro eo. Unde etiam Sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquanto melius secundum corpus habere cœpisset, congregatis fratribus hæc eadem verba locutus est: [ Quid tenetis miserum hominem? fortiores estis & invaluistis. Parcite quæso, parcite, sinite me abire. ]

## CAPUT XXIX.

*De Metensium pace per ipsum composita.*

1153. 78. Jam itaque Pater sanctus in suo Claræ-vallensi cœnobio consummationem cursus sui viriliter exspectabat, cum gravis admodum plaga Metensi populo supervenit, graviter oppresso à vicinis Principibus. Imminebat totius provinciæ certa, ut putabatur, vastatio: cum venerabilis eorum metropolitanus Hillinus archiepiscopus Treverensis, dolens anxie de præteritis, sed adhuc graviora formidans, unicum in tanta necessitate refugium petiit & expetiit Virum Dei. Veniens ergo Claram-vallem, ipsius atque omnium fratrum vestigiis totâ humilitate prostratus rogabat & obsecrabat, ut se tantis dignaretur opponere malis, quibus alter nemo posse modum ponere videretur. Dominus autem, sicut semper fidelis servi sui direxerat vias, & in præcipuis quibusque causis aptissimo usus fuerat instrumento, ex paucis ante diebus ægritudinem corporis ejus aliquatenus relevarat. Quod quidem sæpius erga eum providentia divina disposuit, in cujus manu erat placita anima illius: ut quoties eum grandis aliqua necessitas evocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deessent, mirantibus qui videbant eum, etiam robustos homines in tolerantia superare. Expletis namque interdum negotiis, velut in se rediens, multiplicibus infirmitatibus laborabat, ut vix viveret feriatus, qui occupatus deficere nesciebat. Cui in hoc opere novissimo tam manifeste, tamque magnifice divina affuit virtus & gratia, ut ex laboribus vires capere videretur.

79. Accidit autem, cum in Mosellæ fluvii littore residentibus hinc inde partibus mediator fidelis rogaret quæ ad pacem erant, ut pars altera ex strage hostium, qui dudum ab eis conclusi corruerant, jam ferocior, quod exigebatur obstinata animositate tenueret. Subito denique tamquam agitati furiis discesserunt, Virum Dei insalutatum, solam vero ceteris omnibus relinquentes desperationem pacis. Nec sane ex contemptu aliquo, sed ex metu reverentiæ ejus iniere fugam. Siquidem verebantur ne præsentium quamlibet improbas mentes facile flecteret, minus considerantes quid ille per spiritum nusquam absentem, posset etiam in absentes. Jam conventus in magno turbine solvebatur, sola utrimque meditabantur arma, sola inibant consilia malignandi, cum Vir sanctus eos qui secum venerant, consolans fratres: Ne turbemini, inquit, licet enim per multas difficultates, omnino tamen pax desiderata proveniet. Quibus etiam unde id nosset, innotuit dicens: Videbar mihi per nocturnum soporem Missam celebrare sollemnem. Cumque expleta paulo minus oratione prima recordarer angelicum ex more canticum, id est, *Gloria in excelsis Deo*, præcedere debuisse, erubui, & quod oblitus omiseram canticum inchoans, vobiscum pariter ad finem usque complevi. Jam medium noctis transierat, cum Vir sanctus de prædictorum pœnitudine Principum legatione suscepta, jocunde satis conversus ad suos, Agnoscite, ait, promissæ nobis canendæ Gloriæ & cantici pacis præparationem. Iterum ergo partibus convocatis per dies aliquot de pace tractatum est, & ob maximas difficultates occurrentes utrimque sæpius desperatum, nisi quod omnes jam consolabatur, quæ omnibus innotuerat Abbatis sancti tam certa de reformanda pace promissio.

80. Nec parum ipsa dilatio profuit his præsertim qui variis incommodis laborantes remedia consequebantur in carne; seu etiam qui videntes ædificabantur in fide. Tantus enim concursus erat, ut multitudine pariter atque importunitate sua, ipsum quoque negotium componendæ pacis pæne desperabiliter impediret, donec quæsita in medio flumine insula, partis utriusque primarii in naviculis accesserunt. Inter omnes sane, quas per manum servi sui ibidem præstitit Dominus sanitates, celeberrima fuit cujusdam curatio mulieris. Hæc ab annis octo pessima ægritudine laborabat, vehementi tremore & validis motibus universa pariter membra concutiens. Cum autem videretur gravioribus ortis difficultatibus propemodum excidisse spes pacis, Domino disponente venit mulier ita tremens, nec minus horribilis quàm miserabilis, & omnes pariter ad spectaculum convenerunt. Orante Dei famulo sub oculis omnium paulatim concussione sedata, perfectam se sentiens mulier sospitatem adeptam, exclamans, Serve Dei, inquit, convalui. Quæ res in tantam admirationem etiam durissimos quoque permovit, ut percutientes pectora sua, per

horam fere dimidiam cum lacrymis acclamarent. Tandem denique factus est impetus & concursus procidentium & deosculantium Viri Dei sacra vestigia, ut propemodum comprimeretur, donec tollentes eum fratres, & imponentes in naviculam, à terra modice subduxerunt. Cumque accedentes ad se Principes, ut cœperat, pro pace rogaret, suspirantes dicebant: Oportet nos libenter audire eum, quem, ut ipsi cernimus, Deus diligit & exaudit, & audito eo multa facere, pro quo tanta facit in oculis nostris. Quibus ille, ut semper cautus erat competenter hujusmodi gloriam declinare: Non propter me, inquit, sed propter vos facit. Ibi compositis omnibus secundum quod fidelis arbiter definivit, datis sibi invicem dextris, reconciliati sunt in osculo pacis. Difficile foret itineris illius, sicut & alia per eum à Domino perpetrata, magnalia universa complecti. Sed neque propositi nostri est ejusmodi modo prosequi signa, & narrandis virtutum operibus operam dare. Hac ergo seposita narratione, pie animadvertendum videtur, quod hic viarum suarum finis beatus; & hic labor ultimus fuit. In hoc opere non minus utili quàm difficili, nec minus desperatæ tunc pacis quàm necessariæ, labores ejus gloriose complevit, qui magnifice semper honestavit eum in laboribus suis.

## CAPUT XXX.

*De statu & monitis sancti Viri in extremis, ac de pretiosa ejus morte.*

81. UT autem expleta Metensium reconciliatione, & provinciæ illi pace reddita, Abbas sanctus ad monasterium rediit, gravi admodum, jamjamque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suavitate & dulcedine spiritus quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu navigans paulatim vela deponeret. Evidenter quoque fratribus aiebat: Hæc sunt verba quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem: non vobis esse quod adhuc timeretis, æstate proxima imminere hujus corporis dissolutionem. At erat verbum istud absconditum ab eis, & capere non valebant. Nimirum quod tam vehementer horrebat animus, minus facile persuadebatur ut crederet, præsertim cum & ipse compatiens filiis ejusmodi verba supprimeret. Ceterum factis quodam modo clamans: Opera consummavi quæ dedit mihi Pater ut facerem: magis ac magis actus exteriores omittere cœpit, affectus retrahere, velut & sacrorum funibus desideriorum sedula intentione præjactis, vicino jam littori hærere firmius, & commodius applicare. Denique cum venerabilis antistes Sedis Lingonicæ Godefridus de quibusdam eum sollicitaret agendis, & minus apponere animum miraretur: Ne miremini, inquit, ego enim jam non sum de hoc mundo.

82. Videns demum Pater sanctus compassionis & misericordiæ visceribus affluens, carissimos sibi filios miserabiliter tabescentes, & arescentes præ timore & exspectatione supervenientis desolationis gravissimæ & lamentabilis orbitatis, dulcissimis eos consolationibus refovebat: & monens eos in tuto divinæ clementiæ sinu spei anchoram, fideique suæ per inconvulsibilem caritatem firmius radicare, se quoque promittebat, nec post mortem eis aliquando defuturum. Propensius autem rogans & obsecrans per multas lacrymas, timorem Dei & sacræ puritatis ac totius perfectionis amorem eorum imprimere animis conabatur. Sed & monebat, & cum lacrymis obtestabatur, ut si quid virtutis aut exemplo commendasset aut verbo, id æmularentur, id firmiter tenerent, & in eo proficerent. Videns itaque suorum finem imminere dierum, quosdam fratres, qui in familiari sibi conversatione diutius adhæserant, seorsum advocans, alloquebatur talia dicens: Quia non arbitror me magna vobis religionis exempla posse relinquere, tria vobis imitanda commendo, quæ in stadio quo cucurri, me pro possibilitate mea memini observasse. Minus sensui meo quàm alterius credidi. Læsus de lædente vindictam non expetivi. Nemini scandalum facere volui; & si quando incidit, sedavi ut potui. Ecce quàm breviter, quamque luculenter in his Dei famulus humilitatem, patientiam, caritatemque discipulorum mentibus inserere nitebatur, imitanda proponens eis non tam verbo & lingua, quàm opere & veritate.

*Tria Pater sanctus discipulis imitanda relinquit.*

83. Modum autem ægritudinis ejus si quis nosse desiderat, exstat epistola scripta ad Arnaldum Bonæ-vallis abbatem, in qua sic ait inter cetera: Somnus recessit à me, ne vel beneficio sopiti sensus, dolor umquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est. Frequenter in die & in nocte exigit confortari, modico admodum qualicumque liquore. nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit: sed timet graviorem, si sese vacuum omnino dimiserit. Quod si pluscolum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem, (ut minus sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, ut is qui insidiatur, invenire non possit unde figat dentem, & vulnus infligat. Hæc ipse dictavi, sic me habens, ut per notam nobis manum agnoscatis affectum. Ex hujus ergo tenore epistolæ potest nimirum diligens lector sacrum illius vel ex parte aliqua pectus agnoscere, quanta illi in ipsa sui ruina corporis tranquillitas mentis, serenitas animi, suavitas spiritus, quanta sub fiduciæ culmine radix humilitatis.

84. Sed & filiorum ejus inter hæc animos aliquatenus æstimare licebit, vultus exsangues, singultus graves, crebra suspiria, anxias cogitationes. Nimirum cum thesaurus tantus & tam amabilis adhuc in eorum manibus esset: & tamen nec spes esset diutius retinendi, nec facultas pariter commeandi. Nec tamen lugendum eis ullatenus super illum, qui in gaudium Domini Dei sui feliciter invitatus, jamjamque intraturus erat, sed super seipsos, quibus erat vita tunc tædio, & adhuc mors timori. Gravis quidem erat in hac separatione conditio, post mirificam lucem horrere magis tenebras, post ejus transitum subintrantes. Igitur ante Patris ejus excessum accedentes ad eum filii, quos per Evangelium Christo genuerat, piissimum ejus animum lacrymabili supplicatione pulsabant, & hæc atque hujusmodi loquebantur: Numquid non misereris huic monasterio, Pater? numquid non compateris nobis, quos tanto pietatis affectu maternis lactasti uberibus, paterna consolatione fovisti? Tum vero flens ipse cum flentibus, & columbinos oculos in cælum porrigens, testabatur coarctatum se è duobus, & quid eligeret ignorantem, divino totum tribuere arbitrio pietatis. Nàm & hinc paterna illum urgebat pietas, filiorum votis annuere ut maneret, inde trahebat Christi desiderium ut migraret. Radicata tamen ab olim in pectore ejus humilitas persuaserat ei, ut ex intimo cordis affectu servum se inutilem esse diceret, & arborem sterilem reputaret, ex cujus vita nullus sibi fructus, nullus alteri cuiquam proveniret. Nam & solitus erat in familiari collocutione fateri, mirari se, & vix credere hominibus, quod sic eum sibi utilem crederent, ut dicebant; quod nec homines veraces fallere velle, nec tam prudentes falli posse veri simile videretur, cum alterutrum excusare non posset. Quem enim totus mirabatur orbis, solus ipse, quod erat mirabilius, non videbat, suæ videlicet vel operationis, opinionisve splendorem. Novissime cum exterioris habitaculi undique jam soluta compago desideranti animæ liberum præstaret egressum, post sacræ Unctionis celebrationem, & sacratissimi Corporis Dominici perceptionem, magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies. Ad cujus exitum vicini Episcopi cum Abbatum & fratrum copiosa multitudine fuerant congregati.

*Fratrum de ejus decessu dolor & gemitus.*

*Eximia beati Bernardi humilitas & sui contemptus.*

85. Hora igitur die pæne tertia, singularis lucerna suæ generationis sanctus ac vere beatus abbas Bernardus à corpore mortis in terram viventium, ex filiorum circumstantium, & in graves singultus ac lacrymas uberes Ann. 1153.

utrimque psallentium choro feliciter Christo duce migravit, ad multorum quos ipse præmiserat cœtus transiens lætabundos, ad Sanctorum cuneos gratulantes, ad obvia agmina Angelorum. Felix anima, quam sic levabant excelsa suorum privilegia meritorum; quam sic pia filiorum prosequebantur vota, sic quoque superiorum desideria sacra trahebant! Felix transitus de labore ad refrigerium, de exspectatione ad præmium, de agone ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad Patrem.

## CAPUT XXXI.

*De Bernardi apparitione post mortem, ac de ejus sepultura.*

86. DE quo transitu ejus multa audivimus apparuisse quammultis, & quidem non indigna relatu; sed difficile nimis singula vestigare, & scribere omnia nimis longum. Unum tamen ponimus, quod tam verum quam manifestum is, cui hoc contigit, frater Guillelmus de Monte-Pessulano ante obitum suum patri suo spirituali referando & attestando effecit. Is vir magnificus olim in sæculo, sed magnificentior in sæculi fuga, in cœnobio Grandis-silvæ monachus factus, Patrem sanctum aliquando devotissime visitavit. Rediturus autem lacrymabiliter querebatur, quod non esset eum ultra visurus. Cui Vir Dei: Ne timeas, ait, adhuc sine dubio me videbis. Hujus ergo effectum promissionis devotissimus ille Guillelmus exspectans, ipsa nocte cum ex hac vita decessit, in monasterio Grandis-silvæ apparentem sibi videre meruit, & dicentem: Frater Guillelme. Et ille? Ecce ego domine. Veni, inquit, mecum. Quo interrogante quo irent: Veni mecum, ait, usque ad radices Libani montis. Quo cum pervenissent, dixit ad eum: Tu manebis hic, ego autem ascendam ad montem. Interrogatus qua de causa vellet ascendere: Discere volo, inquit. Miratus ille: Quid, ait, vis discere, Pater, quem nulli hodie in scientia credimus esse secundum? Ad quem Sanctus: Nulla, ait, hic scientia, nulla veri cognitio; sursum scientiæ plenitudo, sursum est vera notitia veritatis. & in hoc verbo dimittens eum, in montem altissimum subiit coram illo. Cumque intueretur euntem illum, expergefactus est: & occurrit protinus ei verbum illud, quod
cap. 14. ad Johannem in Apocalypsi de cælo sonuit: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Ut autem mane locutus est Abbati suo & fratribus, Patrem sanctum ex hac vita migrasse dicebat. Et notantes diem, ac diligentius inquirentes, ut audierant, invenerunt.

87. Dum itaque fidelis Minister & Sacerdos Altissimi feliciter ingreditur in locum tabernaculi admirabilis ad altare Dei, sacram ei & acceptabilem hostiam sui spiritus oblaturus: corpus etiam rite paratum & ornatum sacerdotalibus indumentis, Oratorio beatæ Dei Genitricis infertur. Plurima quoque nobilium & ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda protinus turba convenit, & vallem totam ploratus & ululatus multus implebat. Amarius tamen præ foribus monasterii lamentabatur sexus miserabilior mulierum, quod accedentibus ad beata vestigia viris, monastici disciplina Ordinis inexorabiliter eis negaret ingressum. Biduo autem mansit in medio gregis Pastor exstinctus, dum pristina dulcissimi gratia vultus nil minorata, sed aucta magis, omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus. Crescebat supra modum ruens undique populorum multitudo; & intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles Sancti tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, baltheos, annulos, nummos, & alia quæque servanda sibi pro benedictione & variis necessitatibus profutura. Maxime tamen parati in diem tertium, per loca proxima præstolabantur reponendi sacri corporis ejus horam sollemnem, copiosius undique conventuri. Nam & secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, & tanto pietatis zelo stipati undique sacrum corpus obsederat, ut nulla pæne Episcopis adstantibus reverentia, nulla fratribus haberetur. Unde veriti ne quid simile, aut forte gravius accideret die tertia, præoccupantes horam, & mane divina ex more sacrificia consummantes, sicut & biduum jam in celebratione Missarum & jugi fecerant psalmodia, purissimum illud balsamum suo vasculo commisere, in lapide reponentes lapidem pretiosum, optimam margaritam.

88. Consummatis ergo feliciter vitæ suæ diebus, annis circiter sexaginta tribus expletis, dilectus Domini Bernardus, Claræ-vallensis cœnobii primus abbas, aliorum quoque amplius quam centum sexaginta monasteriorum Pater, decimo tertio calendas Septembris inter filiorum manus obdormivit in Domino. Sepultus est autem undecimo calendas ejusdem mensis ante sanctum altare beatæ Virginis Matris, cujus fuerat devotissimus ipse minister. Sed & pectori ejus ipso in tumulo capsula superposita est, in qua beati Thaddæi apostoli reliquiæ continebantur: quas eodem anno ab Jerosolymis sibi missas suo jusserat corpori superponi, eo utique fidei & devotionis intuitu, ut eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæreret conresuscitatus.

89. Facta sunt hæc eodem anno, quo beatus Papa tertius Eugenius, ejusdem Patris in sancta conversatione filius, ab hac luce migravit ad Dominum: cujus merita in ipsa, cui insigniter præfuit, Urbe miraculis plurimis illustrata coruscant, successore ejus Anastasio Romanæ ecclesiæ præsidente, regnantibus autem in Romanorum imperio Frederico Illustri, in Francorum regno piissimo rege Ludovico filio Ludovici, principatum Ecclesiæ universæ, ac totius creaturæ visibilis & invisibilis monarchiam tenente Dei filio Jesu-Christo, anno ab incarnatione sua millesimo centesimo quinquagesimo tertio; qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Eodem anno obiit Eugenius III, Papa & claret miraculis.

## S. BERNARDI EPITAPHIUM.

*Auctore Adamo de S. Victore.*

CLaræ sunt Valles, sed claris Vallibus Abbas
Clarior, his clarum nomen in orbe dedit,
Clarus avis, clarus meritis, & clarus honore,
Claruit eloquio, religione magis.
Mors est clara, cinis clarus, clarumque sepulcrum,
Clarior exsultat spiritus ante Deum.
Martyrio Magni celebrato, magnus ad ipsum
Colligitur Martyr; par sine morte pari.



# FRAGMENTA EX TERTIA VITA S. BERNARDI.

## AUCTORE, UT VIDETUR, GAUFRIDO Monacho Claræ-vallensi.

*I. Ortus & genus S. Bernardi.*

IN territorio Lingonis civitatis situm est castrum, nobile quondam & inclytum valde, cui Castellio nomen est, multos habens proceres armis strenuos, sed multo magis legalitate præcipuos: inter quos excellebat Tecelinus quidam, cognomento Sorus; quo nomine, vulgari linguâ subrufos & pæne flavos appellare solemus. Erat autem vir iste genere nobilis, possessionibus dives, suavis moribus, amator pauperum maximus, summus pietatis cultor, & incredibilem habens justitiæ zelum. Denique & mirari solebat, quod multis onerosum esse videret servare justitiam; & maxime (adversus quos amplius movebatur) quod aut timore, B aut cupiditate desererent justitiam Dei. Erat quidem miles fortissimus, sed non minori studio laudes ipse fugiebat, quam ceteri captare videantur. Numquam armis usus est, nisi aut pro defensione terræ propriæ, aut cum domino suo, Duce scilicet Burgundiæ, cui plurimum familiaris & intimus erat: nec aliquando fuit cum eo in bello, quin victoria ei proveniret. Erat quidem indigena Castellionis, sed dominus minoris castri, cui Fontanæ nomen est, quod famosissimo illi castro Divionis supereminet, in excelsa rupe locatum. Huic sane uxor erat, Elizabeth nomine, ex optimo genere Burgundionum, Bernardi de Monte-barro filia, digna tanto genere & tanto viro, immo & gloria utriusque.... Elizabeth filium hunc, divino C edocta oraculo, tenerius omnibus dilexit. Unde & patris sui ei nomen imposuit, Bernardum eum vocans.

*II. Visum divinum in nocte Nativitatis Domini Bernardo puerulo oblatum.*

ERat autem in Castellione ecclesia, tunc quidem sæcularium Canonicorum, sed in maxima disciplina viventium, in qua Bernardus est educatus à parvulo. Vigilia ergo dominicæ Nativitatis, dum adhuc puerulus dormiret in domo patris, videbatur sibi videre Virginem parientem, & Verbum infans nascens ex ea. Protinus autem pulsatum est ad Vigilias: & excitans eum mater, in- D duit accurate vestibus [a] canonicalibus, & secum pariter ad ecclesiam duxit, ut solebat. De quâ visione dicere ipse solebat, quod eam crederet dominicæ nativitatis horam: & quod sibi ostensum est, signum fuisse multorum quæ sibi de eadem postmodum nativitate revelata sunt mysteriorum.

*III. De ejus patre, & fratribus.*

ANdreas Bernardo dixit: Ecce, date operam ne quis fratrum nostrorum in sæculo maneat. alioqui scinde medium, quoniam nec à vobis, nec ab illis separari tolerabile est. Quid virilem illius patris animum loquar? qui una die sex filios, & filios tales videns abire, non modo non E doluit, sed & gavisus est valde; illud tantum monens, ut in omnibus modeste agerent: Quoniam ego, inquit, novi vos, quod aut vix, aut numquam possit zelus vester cohiberi. Proficiscentibus itaque fratribus, unus tantum, & ipse puerulus, remanebat, qui cum parvulis aliis in platea jocabatur. Videns ergo eum senior frater Guido; Ecce, inquit, Nivarde, secure potestis ludere, quoniam terram multam habiturus estis. At ille subsannans: Cum maledictione, inquit, fiat hæc distributio, ut vos cælum habeatis, ego terram. Fugiebat ergo quotidie puer ad A fratres suos, volens conversionis eorum socius fieri. Sed quia parvulus erat, remittebant eum, & reddebant patri suo. Tandem non ferentes importunitatem ejus, tradunt eum Sacerdoti cuidam, ut disceret litteras: & ubi paululum crevit, factus est & ipse novitius apud Cistercium; & suscepto post anni spatium habitu, redditus est fratribus in Clara-valle.

*IV. Guidonis primogeniti conjux, abbatissa Elariaci prope Divionem.*

SEnior frater ejus Guido, cum de conversione loqueretur ei, excusare se cœpit de uxoris vinculo, quod solvere non liceat. Promisit tamen in fide, & dextram dedit, venturum se se cum fratre, si posset ab uxore licentiam obtinere. Ad quem ilico frater ait: Ut meliori sis animo, ego quoque in eadem tibi fide promitto, ante proximum Pascha, aut licentia, immo & petitione, aut certè morte ipsius, solvendum te à lege uxoris. Et promisit in manu ipsius. Nec multo post factum est uti prædixit: & cœpit juvencula nobilis & decora, cum omni instantia lacrymarum, in cubiculo, stupenti viro pro conversionis licentia supplicare. Ipsa est quæ usque hodie in monasterio Lairiacus *, quod prope Divionem situm est, * Lari. perseverat mulier virtutis, & multarum in Christo Virginum mater.

*V. Ludovico seniori regi prædicit mortem Philipi filii ejus primogeniti.*

QUerelam episcoporum adversus regem Francorum Ludovicum seniorem, patrem ejus qui nunc est Ludovici, manifeste explicant epistolæ beati viri ad apostolicam Sedem pro hoc ipso directæ. Factum est autem, ut die quadam congregarentur ad regem episcopi, & vocatus ab eis Abbas Claræ-vallensis, qui licet adhuc juvenis, summa tamen totius Ecclesiæ columna jam tunc videbatur. Procidentes autem episcopi ad pedes regis, humiliter supplicabant ei, ut qui satis ante dilexisset & honorasset Ecclesiam, parceret etiam in hac parte, ne forte durius quam vellent, contra eum agere cogerentur. At ille non satis eorum precibus acquievit. In crastinum autem durius arguebat eum venerabilis Abbas, manifeste deminans: Quia offendisti terribilem, & eum qui aufert spiritum principum, terribilem apud reges terræ; certus esto, quoniam offensa hæc primogeniti tui Philippi morte multabitur. Vidi enim nocte præterita, & ecce tu cum filio tuo Ludovico procidebas ad pedes episcoporum. Intellexi autem continuo moriente Philippo supplicaturum te eis, quod non possis nisi per manus eorum substituere Ludovicum. Erat enim Philippus jam unctus in regem, magnæ omnino spei adolescens, & patri (quod ex abundanti est dicere) omnino carissimus. Unde & audito sermone commota sunt viscera patris super filio suo. Et promisit satisfacturum se episcopis: sed consiliis seductus iniquis à promissione resiliens, non post multum temporis, miserabilem satis obitum filii sui Philippi ipse & tota cum eo Francia deploravit.

*VI. S. Bernardi epistolam ad Robertum nepotem, in pluvia sine pluvia scriptam, Gaufridus ejus notarius primam inter ejus epistolas constituit.*

NEpos ejus Robertus, quemadmodum seductus fuerit, cum adhuc puer esset, ipsius, de qua loqui volumus, epistolæ verba declarant. Cum enim in alio

[a] Ut solent scilicet nonnullæ piæ matres vestes monasticas filiolis suis aptare.

Ordine jam per aliquot annos demoraretur, scripsit ad eum epistolam, erroneam ovem revocans. Exiit autem extra monasterii septa, ut dictaret secretius: & Guillelmus, qui postea in Angliis Rievallensem ædificavit abbatiam, quæ dictabantur excipiens scribebat in charta. Subito autem inundante pluvia timuit qui scribebat: erant enim sub divo. Cui venerabilis Abbas: Opus, inquit, Dei est; fac quod facis. Res mira! madebant vestes eorum, & scribebatur grandis epistola, & chartam omnino non tetigit imber. Exstat adhuc epistola: & & ego ipse primam eam constitui in corpore epistolarum, cum audissem tam grande miraculum ab ipsius ore, qui scripsit eam in pluvia sine pluvia.

*VII. Ducissa Lotharingiæ ad vitam meliorem conversio duplex.*

Ducissa Lotharingiæ (quæ nunc in monasterio sanctimonialium feminarum, quod Tartum * vocatur, servit Deo in humilitate & paupertate multa) cum adhuc corporis voluptatibus supra modum dedita esset, contigit venerabilem virum pro pace quadam rogare Ducem pariter, atque ipsam. Dumque loquens extenderet manum, casu factum est, ut Ducissæ chlamydem tangeret. cui unus de adstantibus arridens: Super religiosam, inquit, mulierem extendisti manum, Pater. At ille: Nondum venit hora ejus. Audiens Ducissa (siquidem litteras noverat) compuncta est vehementer, & usque ad medullas animæ ejus sermo vivus & efficax penetravit. Eodem quoque tempore somnium vidit, quo amplius animata est, virum Dei sentiens ab ejus utero septem serpentes horribiles manu propria extrahentem. Cui non longe post committens animam suam, sæculo abrenuntiavit: & usque hodie gloriatur se esse, de qua Pater sanctus ejecit septem dæmonia.

* Tart.

*VIII. Regina Alienordi S. Bernardus promittit obtinetque à Deo prolem.*

Et præcipuus hujus incentor odii [inter regem Ludovicum Juniorem, & Campaniæ Comitem Theobaldum] Comes Viromandensium fuit, Radulfus de Perona, sororem Reginæ tenens, dimissa quadam affini Comitis Theobaldi. Factum est in festivitate beati Dionysii, regina Alienordis in ecclesia ipsius Martyris cum Patre nostro loquebatur, conquerens quod conclusisset Dominus vulvam ejus ne pareret. Jam enim annis fere novem vixerat cum Rege: & à primis quidem annis conceperat, sed fecerat abortivum, & exinde sterilis permanebat, jam de fœcunditate desperans. Cui miserabiliter conquerenti Pater venerabilis ait: Sollicite quære quæ ad pacem sunt, & ego tibi, confisus de divina miseratione, partum promitto. Hoc & ipse rex per reginæ verbum cognoscens, ubi perfecta est reconciliatio, se-

A cretius alloquens beatum virum, quod Reginæ promiserat, exigebat, &c. Ipso denique anno regina concepit, & peperit.

*IX. Conversio Gaufridi ipsius, & aliorum de schola Parisiensi.*

Contigit aliquando virum Dei pro quibusdam negotiis ad partes Galliæ proficisci. Cumque in itinere & in reditu scholaribus Parisiensibus, ut solebat, fecisset de conversione sermonem, vespere cœpit contristari & mæstus esse, dicens Deo in orationibus suis: „Quia timeo „omnino ne forte oblitus sis mei, cum præter morem, „infructuosum penitus factum sit iter meum, & neque de B „his propter quæ veneram, aliquid obtinuerim, nec apud „clericos istos in verbo tuo apertum sit mihi ostium ullum. In ipsa enim hora ita consolatus est eum Deus, ut manifeste præscierit & prædixerit, quia nequaquam vacuus hinc abibo. Sit benedicta dies illa à Domino, qua sedenti in tenebris & in umbra mortis lux orta est mihi. Sit benedicta dies, quâ Sol justitiæ, immo misericordiæ, oriens visitavit ex alto miseram animam meam: adversum & perversum nimis hominem, in verbo uno, in momento, in ictu oculi, inæstimabili mutatione dexteræ Excelsi, prorsus in alium hominem recreans, ut sim initium aliquod creaturæ ejus. In æternum non obliviscar miserationis hujus, qua tam copiose præventus, tam subito C mutatus, multorum super me animos obstupescere feci. Multi vero in illa captura dominicis retibus irretiti sunt pisces, multi & in itinere adjuncti nobis; ita ut transacto probationis anno, ex hoc collegio monachi facti simus viginti & unus. Eodem sane tirocinii nostri tempore, absente aliquando Patre nostro, cœpi corpore infirmari, & affligi mente. Scio quia satanas expetivit me, ut cribraret sicut triticum: sed non latuere Patrem quæ circa me agebantur; & perfecte omnia cognoscens per spiritum, quæ versabantur in corde meo, sicut post reditum ejus comperi, oravit pro me ne deficeret fides mea. Ibi, ibi, supra quam essem impressisti me mirabiliter cordi ejus, Domine Deus meus. Gratias tibi, Domine, gratias tibi. D Unde enim tali animæ in tali pectore talis locus? Simile quiddam sibi venerabilis Albericus, qui hodie abbas est in loco, cui nomen est Benedictio-Dei, de se, cum novitius esset, accidisse testatur.

*X. Mors Guidonis fratris ejus primogeniti in Pontiniaco, in festo omnium Sanctorum.*

Senior frater ejus Guido *, dum cum eo à Bituricensi territorio redit, (novam quippe illuc deduxerat abbatiam *) febre acuta correptus, diebus paucis Pontiniaci infirmatus est; & ipsa nocte, qua Sanctorum omnium festivitas agebatur, felici eorum consortio meruit aggregari.

* De eo suprà lib. 7. c. 10.
* f. Coloniam.

# VITA QUARTA
# S. BERNARDI ABBATIS,
## DUOBUS LIBRIS SCRIPTA A JOHANNE EREMITA.

Incipit epistola Johannis Eremitæ ad Petrum Tusculanum episcopum, De vita beati patris nostri Bernardi, primi Claræ-vallis abbatis.

Juxta petitionem & desiderium vestrum, Pater dilectissime Petre, ad vestram & aliorum ædificationem, pro modulo nostro vitam beati Bernardi, primi Claræ-vallis abbatis, litteris commendare duximus dignum; ut per ejus imitationem & exempla, ad æternam beatitudinem pervenire possimus. Sine dubio dignus est Sanctus iste, de quo volumus facere mentionem, laudari & coli: quoniam cum sanctis & electis Dei, regni cælestis adeptus gloriam, in medio Ecclesiæ laudem habere meruit & honorem: unde

E nomen in sanctitate sortitus est, & in benedictione vivit ejus memoria. Scriptum namque est: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Vere justus est iste Sanctus, & fidelis inventus in numero Sanctorum, quasi ignis effulgens, & quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Ideoque fecit illum Dominus crescere in plebem suam, & semen ejus multiplicavit sicut arenam maris. Sermo ejus non frustra humanis auribus insonabat, sed rebus & factis causas rerum faciendarum inferebat, signis & virtutibus gloriosus. Multi etiam inventi sunt in numero Sanctorum, quos ipse per Evangelium genuit. Numerum vero miraculorum, quæ per eum facta sunt, si volumus explicare, ad hoc non sufficiet ingenii nostri parvitas. De cetero, si ea ad plenum & sciremus,

Psal. 115.

& possemus evolvere, dicentibus fortasse non crederetur. A Unde pauca in præsenti, quibus fides neganda non est, volumus explicare.

2. Monachus quidam, venerandi Abbatis verax dilector & sincerus, forte cum quodam laïco fratre, Humberto nomine, per virgultum adjacens monasterio Claræ-vallensi deambulabat, librum miraculorum sancti Patris tenens in manibus; exponens ea secundum idioma Romanæ linguæ, tam suæ quam illius ædificationis causa. Contigit ergo eos, modicæ pausationis gratia, consedere sub arbore piro, secus viam, per quam quotidie vadunt & veniunt laborantes in horto. Cumque non post modicum tempus consurgerent, supradictus monachus obli- B vione subripiente, sicut multotiens fieri solet, librum quem paulo ante in manu tenuerat, humi per improvidentiam depositum reliquit. Abiit itaque, & regularis disciplinæ studiis occupatus, cum tandem reduceret ad memoriam, quomodo, ubi, & quando perdidisset illum, nullam omnino spem recuperandi concipiens, (tum quia prope viam dimiserat, tum quia interim tanta fuerat facta inundatio pluviarum, ut etiamsi reperiretur, nihil amplius quam perditum valere crederetur) post aliquantum tempus ab illius inquisitione cessavit: immo etiam penitus desistere visus est; maxime tamen constrictus, quod per negligentiam suam miraculorum sancti viri volumen amisisset. In hunc modum transigens C unum circiter mensem, cum post modicam per hortum deambulationem, sub arbore prædicta resedisset, non tamen proposito quærendi, vel spe recuperandi, quod perdiderat; miro & inaudito modo librum, tamquam ab aliquo conservatum, & tunc de recenti, & ex industria juxta se positum, subito in medium proferri miratus est. Et ut mirabilius esse credatur quod contigit, tam charta, quam scriptura adeo sana & incorrupta permanserat (nisi quod pauculis guttis exterius operimentum respergi videbatur) ac si cum ceteris libris in bibliotheca liber idem fuisset repositus. Quid super hoc audientibus visum fuerit, nescio: ego autem pro parte mea asseverare non dubito, rem talem, tamque insolitam, nequaquam D sine miraculo contigisse: quod siquidem beati viri meritis adscribere & ratio persuadet, & veritas compellit.

3. Nocturni temporis silentio, cum post fatigationem diurni laboris, modicæ repausationis gratia recubuisset in lectulo, apparuit ei vigilanti vir venerabilis, amictus stola nivea, & staturæ mediocris, ætate grandævus, crine candidus, angelica facie reverendus. Is in manibus suis duos libros tenere videbatur. Accedens itaque ad fratrem supra memoratum, porrexit ei utrumque, dicens: Accipe, vide, & lege. Qui repentinæ visionis horrore (sicut fieri solet) attonitus, securitatem tamen ex affatu benigno, aspectu tranquillo, vultu quoque angelico sumens, respondit: Domine Pater, nescio litteras. Sim- E plex & illiteratus quomodo legam? At ille: Fili, noli timere. Ecce Dominus tecum est, & docebit te, & me intercedente bene erit tibi. Hujusmodi pia admonitione confortatus frater, utrumque volumen accepit, evolvit, & legit; mirans & obstupescens in semetipso, quonam modo id fieret. Persona deinceps assistens, quasi alterum volumen secum deferens, alterum fratri relinquens, vale faciens ei data benedictione disparuit. Quid igitur? Mirabile quidem dictu est quod dicemus. Quid enim mirabili hoc mirabilius? Fratrem novimus omnes quotquot sumus. Laïcus quidem erat paulo ante, nec etiam alphabetum noverat. Deo tamen illuminante ejus intelligentiam, & quibusdam fratrum suffragantibus, in brevi ad F hoc profecit, ut non solum legere, verum etiam cantare satis decenter & convenienter sciret. Exinde tam usu quam gratia cooperante, dictionum significationes aliquantum intelligere cœpit, & in hujusmodi scientia paulatim proficere. Visionem itaque supradictam scripsit in spe adjutorii divini, & subventionis beati viri, quem credimus ei apparuisse. Nonnulla miraculorum ipsius, quæ vel scriptoribus ignota, vel per negligentiam fuerant prætermissa, tam decenter, tam bene, tamque eleganter litteris commendavit, ut subinde rapti in admirationem, dicamus cum Propheta David: *A Domino factum est istud,* Psal. 117.23. *& est mirabile in oculis nostris.* Quis ergo neget hoc miraculose factum esse? Quod apertius, quod evidentius miraculum? Adscribimus igitur in primis gratiæ Dei illud, attribuimus deinde meritis Sancti, assignamus denique fidei & obedientiæ fratris.

4. Quid plura? Revera Sanctus iste magnus est in numero Sanctorum, inter Angelos & Archangelos, inter Apostolos & Martyres, inter Confessores & Virgines; quia numquam fuit pollutus, sed semper virgo permansit & immaculatus. Semper ejus mens erat in Deo, & Deus erat cum eo. Totum * in eo disciplinatum, totum insigne virtutis. Mortuos suscitavit, dæmonibus imperavit, claudis * Ex vita S. Malachiæ num. 43. gressum reddidit, mutis loquelam, ægrotis sanitatem. Semper apud se erat modicus, apud summos magnificus, scriptis & fama mirificus, placidus bonis, malis terrificus, clarus meritis, exemplar morum, lux & speculum Christicolarum, maxime monachorum & omnium religiosorum. Lex Dei in corde ipsius, & doctrina sua sicut sol in diebus æstatis fulgens in Ecclesia Dei. Baculus fuit claudo, oculus cæco, compatiens ægrotis, munificus pauperibus & benignus, jocundus ad omnes, fons sapientiæ, & columna justitiæ, Pater Ordinis Cisterciensium, & virtutis forma. O pietas Conditoris nostri! ô benignitas Jesu-Christi, qui talem triumphatorem nobis tribuisti! Venite, carissimi, bibite, & inebriamini. Potus quippe & cibus animæ sunt exempla sancti Patris, quorum nonnulla referimus adjuvante Domino nostro Jesu-Christo. Rogo vos, Pater, ut oretis pro me eumdem Dominum nostrum, qui est Alpha & Omega, ut inchoator sit & consummator hujus operis.

## Incipit epistola secunda ad Herbertum Turritanum in Sardinia archiepiscopum.

PEtis à me, Miles Christi H. fiducia & caritate qua me diligis, ut de vita vel actibus venerabilis patris beati Bernardi, propter quod ego apud quosdam discipulorum ejus olim assiduus fueram adhuc puer, aliquid tibi per litteras edam: quatinus memoriam suavitatis ejus os tuum frequenter eructet, & scriptura de operibus tantæ sanctitatis expressa, tuos jugiter visus & auditus oblectet. Ego autem, licet multa & magna viderim in actibus viri Dei, quæ & memoratu digna sunt, & imitatione dignissima; ea tamen ex parte non modica potuerunt subripi, & à memoria mea excidere, vel facilitate ipsa lubricæ ætatis effluere, vel puerilis animi teneritudini non hærere. De cetero si quid exinde mihi vel stupore miraculi, vel operis dignitate non excidit, quis sum ego, qui inertem stilum laudibus tanti Patris enucleandis admoveam, & in præconia viri Dei labiis incircumcisis erumpam? Illis narranda dentur gesta Sanctorum, quos non dubites doctos à Domino, quibus dedit Deus linguam eruditam, ut sciant in tempore proferre sermonem. Mihi autem inenarrabiles sunt amici tui Deus; ita ut tutius elegerim, virum sanctum non tam prædicare quam colere; relinquens prudentioribus explicandum quod fecit, contentus ipse vel æmulari quod docuit. Ceterum ne spes tua quam (sicut arbitror) de affectione, magis quam de eruditione mea conceperas, usquequaque fraudetur, accipe breviter de moribus pii Patris quod ipse jam noveras: & dum apponis in ejus narratione scientiam, appone tibi pariter ab ejus actionibus disciplinam. Erat enim vir iste mira simplicitate purissimus, ita cælestibus intentus oraculis, ut juxta evangelicam fidem, universum mundum æternorum amore contemneret, & nihil hic retinens præter corpoream mansionem, mente & animo in cælestibus habitaret. Hic est in cujus pectore patientia ædificavit sibi domum, adeo ut omne gaudium existimaret, quotiens robur animi sui actus cujuslibet adversitatis impeteret. Humilitas in eo supra humanum modum, tamquam jurasset ejus virtutis perfectione recuperare se cælum, cujus defectu diabolus lapsus est in infernum. Hunc in omni vita sua nec temperantia, nec fortitudo deseruit; ne in prosperis per læta dissolutus efflueret, nec fractus adversitatibus elangueret. Corpus ejus candor castitatis induerat, mentem caritas inexstinguibilis

guibilis inflammabat; ut esset foris lucidus, intus accensus, & totus desiderabilis. Jesu bone! quanta illi in obediendo sollertia, in imperando modestia, in exhortationibus gravitas, in exsecutionibus disciplina! Non illi de magisterio typhus, non de reverentia fastus; sed ita se submittebat omnibus, qui omnibus eminebat, ut illius se probaret esse discipulum, qui non ut ministraretur; sed ut ministraret advenerat. Blandus, pius, affabilis: non omittens in hilaritate censuram, non admittens in districtione sævitiam. De fide vero ipsius & pia credulitate quid dicam? Hæc est per quam meruit ut revelarentur ei sæpius arcana cælestia, & per effectus visibiles divina illi sese proderent sacramenta.

*Incipit Prologus in Vita sancti Bernardi.*

QUi Vitas sanctorum, fratres carissimi, vult scribere, debet se primum de mendaciis & iniquitatibus emendare. Non enim amant Sancti mendacia, sed damnant eos qui ea loquuntur. Ipsi enim sunt qui potius asserunt
1. 11. quod scriptum est: *Os quod mentitur, occidit animam.* Offendit is qui Vitas Sanctorum scribit, sicut & ille qui byssum texit, si & manus habet maculatas; quia opera eorum conquinantur. Texere byssum, est Vitas Sanctorum scribere. Manus maculatas habere, est vana gloria vel conscientia prava depravari, per quam mendacia confinguntur. Qui mendacium habet in mente, quomodo potest recta loqui de operibus Sanctorum? Dico vobis, dilectissimi, quia multum me coartat hic labor, scilicet Vitas Sanctorum scribere. Nec immerito: me namque nec propria commendant merita, nec scientia ornat. Malo tamen temeritatis notam subire, quam pudoris inordinati nebula, laudes Sanctorum contectas silentio præterire. Contestor igitur divinitatem, quæ omnia novit, quia nihil frivolum, nihilque humanæ laudis, vel avaritiæ causa scribere propono; sed quæ vera, simplex, & sancta confirmat relatio seniorum; quibus credere tam pium est, quam non credere impium. Servis & amicis Dei scribo, quos fallere periculosissimum est, sancti viri gloria pariter & virtutibus delectatus, quem etiam me tacente præconizant homines, miraculorum ejus magnitudinem vehementer admirantes. Nemo itaque contemnat quæ leguntur: quia licet rationem & possibilitatem humanam excedat magnitudo dicendorum, tamen omnia possibilia sunt apud Deum, & nihil est impossibile credenti. Verumtamen qui de his hæsitaverit, pie potius ignoscat, quam mendacii me arguat. Nihil est enim in rebus humanis quod non possit aliquo modo infamari, vel sinistra interpretatione perverti. Ecce in quo humanum judicium vel falli, vel fallere nequeat. Quare? Quia & rei certitudo
19. ambiguitatem removet, & mendacium, sicut ait Seneca, tenue est, & ut vitrum perlucet. Item dico vobis, fratres, quia minus affligit me hic labor; sed Dei (ut spero) erit adjutorium, quo bene impleri possit quod inceptum est. Te igitur invoco, Verbum, per quod omnia creata sunt, ut des mihi, sicut decet, de beato viro dicere quæ vera sunt.

*Incipit Vita sancti Bernardi.*

1. BEatissimus igitur BERNARDUS, in pago Lingonensi, Fontanis oppido patris sui, digna propagine oriundus fuit; carnis quidem prosapia nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor ejus Tescelinus nomine, genitrix vero Aalays, filia Bernardi Montis-barri domini, viri potentis & magni secundum sæculi dignitatem, & ex antiquorum (sicut asserunt multi) Burgundiæ Ducum generositate trahens originem. Sed quia de ejus genere historiam in præsentiarum explicandam non suscepimus, ad id quod potius dicendum est, revertamur. Aalays igitur filiam suam idem Bernardus, avus scilicet beati Bernardi, litteris erudiri voluit, ut in futuro monacham faceret: sed Dei providentia aliud de ea disposuit. Nam cum ad quintum-decimum ætatis suæ annum pervenisset, à Tescelino Fontanensis oppidi domino, viro nobilitate & dignitate conspicuo, & in rebus sæculi satis locupletissimo, requisita est ad conjugium. Pater vero ejus, quoniam honeste negare non potuit, requisitam concessit.

2. Quæ postquam conjuncta fuit viro suo lege conjugali, A dedit ei Deus gratiam, ut de fructu ventris sui poneret super mensam suam, sicut & fecit. Sex namque filios & unam filiam genuit, non tam viro suo, quam Deo; sicut pius Dominus demonstrare dignatus est in sanctis operibus eorum. De suo namque sanctissimo Spiritu mentes eorum illuminavit. Illi vero degustata spirituali dulcedine, militiam diaboli & pompam sæculi abnegantes, cooperante pia admonitione fratris sui Bernardi, (qui erat lux ardens, sed adhuc sub modio, non super candelabrum) ad fortissimam vitam cœnobitarum in eremum venerunt, & monachilem habitum susceperunt. Omnes itaque monachi facti, vitam Deo placitam simul aggressi sunt. Filia vero monacha facta in monasterio Juilleii. O B beatus venter, qui tales portavit! ô beata ubera, quæ lactaverunt tales! ô beati generis origo, unius uteri gloriosa fœcunditas! Vos ergo unanimiter, viri Deo digni, pro cælesti gloria præsentia contempsistis, & magis elegistis cum Christo æternaliter vivere, quam in hoc mundo infelici feliciter ad tempus vivendo gaudere. Sed hoc de conversatione vestra, quoniam plura dicere stilus historiæ non permittit. Ad nativitatem, à qua dicendi initium sumpsimus, revertentes, cœpta prosequimur in hunc modum.

3. In ordine filiorum primogenitus fuit Guido, homo disciplinatus & à Deo dilectus, sapiens in verbis simul & opere: secundus Girardus, vir vitæ venerabilis, honestus moribus, sapientia clarus, consilio providus: tertius Bernardus, C lux & speculum fratrum suorum, & sanctæ Ecclesiæ columna sublimis: quartus Andreas, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo: quintus Bartholomæus, qui primævæ indolis florentibus annis senum anticipans vitas, ætatem immaculatam mentis sinceritate decoravit: sextus Nivardus, qui terrena hereditate contempta, cælestia prælegit. Femina vero beatum Bernardum nascendi ordine subsecuta, in sacro baptismate Humbelina nomen accepit. Hos omnes Deo, ut dictum est, non sæculo mater generans, singulos mox ut partu ediderat, in illa ipsa angustia & afflictione corporis, & in contritione cordis, de terra propriis manibus elevans sursum, Domino offerebat. O mulier firma in fide, D & stabilis in Dei dilectione, perseverans in oratione! Felix es, felixque uterus tuus, feliciorque fructus ventris tui. Alias vero mulieres, quæ ad partum ejus convenerant, sicut mos est, oblationem supradictam facere non permittebat. Scripturas enim noverat, & maxime Davidicum psalmum, ubi canitur: *Sacrificium Deo spiritus* *Psal. 50. 18.* *contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Beatissimum vero Bernardum non tam cito quam alios, sed in provectiore ætate Domino obtulit. Obtulit utique, & hoc devotissime fecit: & ut ille erga Dominum devotior exsisteret, litterarum studiis eum tradidit instruendum. Iis ergo in hunc modum decursis, simul ad utrumque parentem tam gloriosæ sobolis stilum re- E flectamus.

4. Fuit in partibus Burgundiæ, ut supra texuimus, vir vitæ laudabilis, Tescelinus nomine, & uxor ejus Aalays. Fueruntque ambo generosi secundum sæculi dignitatem, clariores tamen fide & operatione; & quanto altiores, tanto humiliores, sicut scriptum est: Quanto major es, *Eccli. 3. 20.* tanto te humilia in omnibus. De fide, spe, caritate, justitia & aliis virtutibus eorum, cuncta narrare difficillimum est. Pauca tamen eruditionis causa ponemus. Cum quodam tempore vir memoratus diversis emergentibus causis (sicut inter sæculares frequenter contingere solet) cum quodam sibi adversante, multo inferiori genere, & substantiæ minoris, monomachia firmaverat decertare; adest statuta F dies, & præfixa certamini. Conveniunt utrimque. Recordatus autem vir venerabilis Tescelinus timoris Dei, & judiciorum divinorum, in quibus dicitur, Juste judica *Levit. 19. 15.* proximo tuo; & item, Quod tibi non vis fieri, alii ne *Tob. 14. 16.* feceris: quamvis fortior & potentior esset, & hostem superare, & de victoria lucrum maximum reportare valeret; ultro tamen se pacavit cum adversario; quicquid erat in controversia, sine disceptatione resignans & relinquens. O magna pietas, magna viri clementia! Magna sunt quæ narramus, sed majora quæ sequuntur.

5. Venerabilis quoque Aalays uxor ejus consueverat in-

ter cetera virtutum insignia, circuire domos, exquirere pauperes, infirmos, & egenos, eisque de suo proprio erogare quod necessarium erat. Claudorum etiam atque debilium maximam habebat curam; non servis, non aliis utens ministris ad hæc officia peragenda, sed per semetipsam hoc agens, ad eorum habitacula veniebat, & unicuique quod opus erat præbens, per ecclesiarum xenodochia devotissime discretis infirmis ministrabat; ollas eorum extergens, cibos porrigens, calices diluens, & alia cuncta faciens, quæ servis & ministris mos est serviliter operari. Quid plura? Volumus omnes virtutes ejus narrare? Minime, quia nobis non crederetur. Unum tamen relatu dignissimum proferemus in medium, rem videlicet plenam miraculo, nec sine admiratione à nobis auditam, referente quodam abbate religiosissimo, nomine Roberto, qui magis quam sexaginta septem annis in monasterio sub jugo regularis disciplinæ vixit; nepos siquidem ejusdem matronæ, de qua volumus pertractare, filius autem sororis suæ; ad quem etiam beatus Bernardus primam epistolarum suarum dirigit.

6. Mater, inquit, sancti Patris nostri religiosissima exstitit. Consuetudo autem ejus erat per singulos annos in sollemnitate sancti Ambrosii*, universos clericos, quos invenire poterat, congregare, eosque in eadem die, ad honorem Dei, & beatæ Mariæ, & memorati sancti, omniumque Sanctorum, cibo & potu sollemniter reficere. Deus autem honorem, quem illa Sancto suo exhibebat annis singulis, eidem remunerare volens, mortis suæ, quæ in anniversario ejusdem festivitatis die futura erat, illam præsciam fecit, die quadam ante festum. Unde ipsam Spiritus prophetiæ participem fuisse non incredibile est. Illa autem viro suo & filiis suis, & omni familiæ suæ, quod sibi revelatum fuerat, indicavit. Cunctique admirantes, & primo non credentes contingere sicut prædixerat, postea magis admirati sunt. Porro vigilia festivitatis imminente, febris artus occupavit. Die autem festo, post celebrationem Missæ, Corpus Domini sibi afferri devotissime petiit, quod & factum est. Deinde sacrosanctæ unctionis munita Sacramento, cum accepisset eucharistiam, universos clericos secundum consuetudinem ad cœnam convocari fecit. Illis autem recumbentibus, filium suum Guidonem primogenitum advocavit; intimans ei, & sollicite inculcans, ut statim clericos refectione completa, ante se convenire faceret. Ille autem benignæ matri suæ benignissime obediens, post refectionem clericos in unum convocans, fecit ut mater petierat. Adsunt clerici: quibus congregatis; in spiritu congratulans ancilla Christi, nuntiat dissolutionem sui corporis imminere. Illi autem Dominum pro ea suppliciter exorantes, letaniam incœperunt: cum quibus ipsa, quousque ultimum exhalaret spiritum, devotissime psallebat. Cum vero chorus psallentium jam pervenisset ad illam letaniæ supplicationem, *Per Passionem* scilicet, *& Crucem tuam libera eam Domine*, necdum cessans à supplicatione, in ipso mortis articulo, in manus Domini commendans spiritum suum, elevata manu signans se signaculo sanctæ crucis, in pace reddidit spiritum: procul dubio receptum ab Angelis, collocatum à Deo cum animabus sanctis, exspectantem cum magna felicitate & quiete resurrectionem corporis sui in die generalis resurrectionis, quando judex & advocatus noster Christus Jesus adveniet judicaturus vivos & mortuos, & sæculum per ignem. In hunc modum sancta illa anima de templo sancti corporis egressa, manus, sicut erat erecta ad indicandum signum Crucis, videntibus & admirantibus cunctis qui aderant, sic remansit.

* al. Ambrosiniani.

7. O feminam igne divini amoris incensam, fide robustam, spe patientissimam, caritate devotam! ô felix mulier & beata, quæ talem honorem erga Deum acquisisti, ut & diem depositionis tuæ prænosceres, & in tuo felici transitu adeo evidenter super te claresceret signum redemptionis nostræ; signum, inquam, in quo Deus ac Dominus noster pius Jesus, pro salute humani generis pati dignatus est. Fit itaque de migratione felicis animæ gaudium Angelis in cælo; è contra dolor & luctus pauperibus Christi, viduis & orphanis, quorum mater erat in sæculo.

8. Fama autem nuntiante circumquaque obitum illius, abbas sancti Benigni Divionensis, Gerannus nomine, vir vitæ venerabilis, statim advenit, sacrum corpus petiit, reliquias ejus thesaurum reputans gloriosum. Impetrato ergo quod petierat, tum pro reverentia sua, tum filiorum cooperante benivolentia, ipse & qui cum eo erant pietatis affectu lacrymis ubertim fluentibus, corpus sanctum, tamquam thesaurum pretiosum, submissis cervicibus secum reportantes, ad castrum Divionense tandem perveniunt. Et ecce omnis populus exierat obviam eis cum crucibus, & cereis, atque ingenti gaudio & veneratione, sacti corporis glebam usque ad basilicam beatissimi atque præclarissimi martyris Benigni, prosequentibus ibidem universis, cum magna reverentia illam sepulturæ dederunt. Post hæc prædictus Abbas super sepulturam ipsius sex imagines, in memoriam sex filiorum suorum, fabricari fecit; sicut usque in hodiernum diem evidenter ostenduntur. Illa vero deinceps per quinque annos apparere consuevit filio suo Andreæ, sicut narrat historia domni Guillelmi hominis Dei. Et cum de conversione sua tractare inciperent fratres, apparuit beato Bernardo, dicens: Fili Bernarde, noli timere, sed viriliter age, & efficaciter imple quod inchoas, quia opus Dei est. Ex hoc enim beatos vos dicent posteri. Ego vero exspecto vos in gloriam Dei. Quo dicto disparuit, & beatus Bernardus magis ac magis in Dei servitio proficiebat.

*Incipit Prologus in secundo libro.*

PAuca de virtutibus beati Bernardi, primi abbatis Claræ-vallis, pia intentione ad medium deducere volumus, ut per ejus exempla possimus gaudere cum gaudentibus, laudare Deum cum laudantibus. In parte opusculi prima, ingressum nativitatis illius protulimus: hic vero nonnulla miraculorum conferimus, quæ Deus per manus ejus operari dignatus est. Sed quid nobis agendum est? Possumus omnia comprehendere? Nequaquam: quia nobis non crederetur. Perversi sunt filii Adam, sicut fuerunt ab initio. Sed quid inde? Debemus propter incredulitatem eorum silere? Non: quin potius nobis pro posse nostro laborandum est in agro dominico. Ex abundantia cordis os loquitur. Nos autem quod habemus in corde prolatione dignum, prout ad propositum nostrum pertinet, stilo colligabimus.

*Incipit Liber secundus.*

1. BOnæ indolis puer Bernardus, jam tamen evoluto (ut à Patribus nostris accepimus) viginti duorum annorum spatio eremum petens, fortissimum monachatus propositum cum sociis à Deo sibi datis assecutus est apud locum, cui nomen Cistercium: ubi tanta erat tunc temporis penuria temporalium, ut vix possent habere vestes ad utendum ordinate qui ibi convenerant. Enimvero ante adventum ejus eo in loco habitare cœperant nonnulli viri religiosi, sed paucissimi, quibus pius Dominus noster à tempore illo & deinceps, procul dubio propter servum suum Bernardum, quem ad eos miserat, benedixit, & sanctificavit locum ipsum; & omnibus inibi commorantibus quicquid necessarium fuit, satis abunde largitus est. Igitur cum esset juvenis sanctissimus in cella novitiorum, quidam de parentibus suis venerunt ut visitarent eum, & locuti sunt cum eo. Post signum vero horæ nonæ, reversi sunt unusquisque ad sua, & religiosissimus juvenis ad opus Dei in ecclesiam. Tunc secundum consuetudinem elevans oculos ad cælum, putans se invenire gratiam Dei sicut & prius, non invenit. Excogitavit itaque in seipso, hoc sibi pro qualicumque delicto seu peccato contigisse, & non comperit nisi vanas fabulationes, quibus paulo ante per imprudentiam se exposuerat. Qua de causa cum se culpabilem intellexisset, prostravit totum corpus suum juxta altare, dicens cum Propheta; *Domine, ne in furore tuo arguas me*, &c. Et *Psal. 6, 1* cum hoc fecisset per viginti & quinque dies, apparuit ei gloria Domini, & replevit eum, & dedit ei scientiam Sanctorum, ut in bonum consummarentur opera ejus. Sed & alii venerunt visitare eum, & acceperunt

licentiam ab abbate Stephano, ut ad eum loquerentur. Et cum ad eos duceretur, accepit stupas, & misit sub capucio in aures suas; ita ut hoc artificio ab inani confabulatione se conservare posset immunem: sicque venit ad hospites, & fuit cum eis per totam horam, & nihil audivit; non locutus est, nisi pauca verba de ædificatione. Tunc pulsata campana, gaudens, & relinquens eos, venit in ecclesiam, gratia sua sibi taliter à Deo conservata. O virum præcipuæ sanctitatis, & dignum memoria! qui sibi in hunc modum providendo, audientes adhuc ædificat, & ædificabit usque in finem, non sibi solummodo, sed infinitis proficuus exsistens.

2. Post non multum vero temporis abbas Stephanus, honestate morum conspicuus, secundum dispositionem B Dei novellæ illius plantationis Pater, de fructu quem sibi Deus dederat, cum multiplici augmento oblationem Deo facere decernens, transmisso conventu, inchoavit abbatiam, Firmitatem dictam. Duas quoque alias in brevi, Pontiniacum scilicet & Vallem-absinthialem, quæ nunc Clara-vallis dicitur: cui ordinavit Abbatem, juvenem sanctæ conversationis, Bernardum nomine, qui fuit ibidem cum sociis suis, multis diebus degens & orans, in fame, in siti, in jejuniis, in vigiliis, in frigore & nuditate, in laboribus plurimis, in diversis angustiis animæ & corporis; divinorum tamen eloquiorum meditationi incessabiliter intentus, de die in diem sensus suos vigilanter emundans; & animam liberans ab omni passi- C bili affectu, impassibilitatis lumine illustrabat. Tantam in primis qui ibi fuerant congregati, passi sunt penuriam, ut cibus eorum esset panis, non de avena, (pretiosum namque tale edulium reputarent,) sed de mistura qualicumque multo viliori, immo vilissima, utcumque conglobatus potius quam confectus. Folia quoque arborum cocta in æstate pro pulmentis habebant; in hieme vero radices herbarum. O quot labores, quot angustias, quot ægritudines, quantas tribulationes, quantasque anxietates, quam graves infirmitatis & indigentiæ passiones in loco prædicto sustinuit vir beatissimus, & qui cum eo missi fuerant fratres! Fagina, & ceteri fructus silvestres, & quædam alia, quæ terra sponte procreare solet, fercula D illis erant meliora; cum carnem, & omnem pinguedinem, ova, & caseum, & vinum omnino non gustassent. Indumenta vero eorum, tam in æstate, quam in hieme, cuculla & tunica, quæ rarissime innovabantur. Caligis quoque utebantur vilibus, & calceamentis frequenter diuque diruptis manentibus & dissutis, antequam repararentur, quæ præ nimia corii paupertate ligabant funiculis. O viri generosi & magni in sæculo! Quis ad hæc loca arida & periculosa vos adduxit, nisi ille qui dives erat in cælis, & pauper humilisque in tertis in præsepio recubuit; cui unumquemque vestrum felix mater vestra cum produxisset in lucem, cum maxima devotione obtulit! Quis ergo inseruit vobis animum, ut relinqueretis possessiones ves- E tras, villas scilicet & castella, servos & ancillas, cognatos & affines, conjuges & liberos; nisi ille qui Angelorum & Archangelorum conditor, humanam naturam assumpsit pro salute humani generis?

3. In illa tanta penuria, de qua supra diximus, inter ceteras necessitates, sal die quadam defuit eis. Et vocavit sanctus Abbas unum de fratribus suis, Guibertum nomine, dixitque ei: Fili Guiberte, accipe asinum, & vade ad nundinas, & eme nobis salem. At ille respondit: Ubi est pretium? Ad quem homo Dei: Crede mihi, fili, quia nescio tempus, quod aurum vel argentum habuerim. Sursum est enim qui habet peram meam, & thesauros meos in manibus suis. Tunc frater ille quasi subri- F dens ait: Si vacuus perrexero, vacuus redibo. Cui ait Sanctus: Noli timere, fili mi, sed vade securus. Ille enim qui habet thesauros nostros, sicut jam dixi tibi, erit tecum in itinere, & præbebit omnia propter quæ mitto te. Ad hæc verba, sumpta pii Patris benedictione, perrexit cum asino ad nundinas, ad castrum cui nomen Risnellum, plusquam oportet incredulus. Sed pius & clemens Dominus non respexit suam incredulitatem, sed consideravit servi sui fidem, & tribuit ei omnem rem, pro qua missus fuerat. Itaque cum castro appropinquasset, A & venisset ad quamdam villam, obvium habuit quemdam presbyterum, qui salutavit eum, dicens: Unde es, frater? aut quo pergis? At ille respondens, exposuit ei diligenter itineris sui causam, & paupertatem loci, in quo habitabat Pater sanctus cum filiis suis. Quæ cum audisset presbyter, vehementissime compunctus est. & duxit fratrem in domum suam, deditque illi medietatem modii salis, & quinquaginta solidos vel amplius, sicut sæpe narrare consueverat idem Guibertus. Quibus acceptis, cœpit gratias agere Deo immensas, & dicere in animo suo: Procul dubio verus est sermo, quem audivi à Patre meo: sed in hoc peccavi erga eum peccato magno, quia ei non credidi, sed incredulus veni huc. Et valefaciens presbytero, reversus est ad monasterium. quod cum ingressus fuisset, cucurrit ad hominem Dei, & retulit ei omnia, quæ sibi in via contigerant. Cui dixit Pater sanctus: Dico tibi, fili, quia nulla res tam necessaria est omni Christiano, quam fides. Habe ergo fidem, & bene tibi erit omnibus diebus vitæ tuæ. A die illa & deinceps, tam frater ille quam alii, verba sancti Patris in majori habuerunt reverentia. O bone Jesu, fidem quam habuit iste Sanctus, quis enarrare potest? Scio Domine, scio, & in me agnosco, quia hoc facere non possum. Si quis tamen super hoc sollicitus est, eat ad bibliothecam, & legat in Scripturis sanctis: quarum lectione plurimum dignoscere poterit, quam caritativus fuerit Sanctus iste & timoratus, ut non offenderet erga Salvatorem suum. Ego enim in præsenti historia non suscepi laudes ejus scribere, sed tantummodo quædam miraculorum sive operum mirabilium referre, quæ Dominus per eum mundo palam facere dignatus est.

4. Quidam de Clementini-prati fratribus adveniens, visitandi gratia novellam Christi plantationem, honorifice susceptus est, prout fieri potuit. cui, qui in promptu erat, oblatus est dimidius panis avenaceus. Quo suscepto, & cum magna admiratione, quia de tali viverent, reportato ad Clementinum-pratum, omnibus inibi habitantibus annuntiavit servorum Christi voluntariam in maxima paupertate abstinentiam, in abstinentia patientiam, in egestate liberalitatem munificam. Statimque vehementer compuncti, & compatientes Clementini-prati fratres, in eorum subsidium communiter assenserunt. Tunc Magister loci illius, Odo nomine, vir venerabilis, dilectus à Deo & hominibus, oneratis equis & asinis panes & cibaria in quadrigis detulit. Tunc vero à die illo usque in hodiernum diem tanta fuit fraternitatis communio inter Claram-vallem & Clementinum-pratum, quod quando fratres Clementini-prati Claram-vallem adveniebant, ita eis deferebatur, sicut uni Claræ-vallensium in spiritualibus & humanis. Defunctis etiam vicissim reddebatur obsequium. In hunc modum pius Jesus magis ac magis providebat servis suis.

5. Advenit etiam mulier quædam centum solidos afferens, quibus contecta est pedum eorum nuditas. Cunctis animalibus carebant, excepto asino, quo Abbas ad visitationes suas deferebatur, lignaque ad necessitates comportabantur. Coacti vero fame, frigore, & aliis indigentiis, Abbati suo conquesti sunt, quod pro nimia paupertate discedere cogerentur. Quo audito, Abbas blande ac leniter consolans eos, Dei timorem & amorem, spem quoque vitæ æternæ & remunerationis divinæ, quantum potuit, insinuavit. Illi vero maxime angustiati, & angustiati dolore multiplici, nullatenus volebant consentire, sed magis volebant Cistercium reverti. Cumque vir Dei desperationem illorum vidisset, demum convertit se ad orationem. Quo facto, audivit vocem de cælo dicentem sibi coram omnibus: Surge, Bernarde, exaudita est oratio tua. Quod cum audissent fratres, glorificaverunt Deum & sanctum suum Bernardum, dixeruntque ad eum: Dic nobis, Pater, quid petisti à Domino? At ille respondit: Quid vultis scire, modicæ fidei? State hic, & scietis postea. Et cum fabularentur ad invicem, modicum temporis indulgentes fabulis, non fabulis, sed sermonibus sanctis, venit quidam, & obtulit sancto Patri decem libras. Nec mora, Barrensis quidam, cujus filius usque ad desperationem vitæ præ nimia ægritudine

cogebatur, attulit ei tredecim libras, suppliciter postulans ut misereretur filii sui. Quem sanctus Abbas hilarem dimisit, pollicens filium suum sospitem ab eo inveniendum. Revertens homo, invenit filium suum sanitati restitutum, sicut promiserat vir Dei. qua de causa, postmodum servo Dei uberes gratias exsoluit. Modico tempore interjecto, copiose ac benigne Dei misericordia super hos respexit, ut abundantes æternis & temporalibus subsidiis nihil eis deesset in ulla gratia, secundum illud: Nihil deest timentibus Deum. (Psal. 33. 10.)

6. Post duodecim annos fames in partibus Burgundiæ exorta est adeo valida, ut homines membra propria pæne consumerent. Eadem vero necessitate urgente, maxima multitudo pauperum ad portam Claræ-vallis devenit. Unde pro tanta multitudine sanctus Abbas & fratres ejus inierunt consilium, & ex consulto duo millia acceperunt sub signaculo, quatinus & aliis eleemosyna daretur; sed minor. Non enim habebant substantiam, unde omnes sustentari possent usque ad messem. quam tamen pius Dominus sic multiplicavit, ut sufficeret eis post messem, trium scilicet mensium spatio. Acceperunt itaque duo pueri signaculum, matre eorum non accipiente. Quæ penitus ignorans quid faceret, cogitavit tandem quasi puerum pannis involutum formare de musco, ut hac arte se ab imminenti famis periculo redimeret. quod & fecit. Accepit itaque aliquamdiu hoc modo eleemosynam, donec dolus denique deprehensus est. Qua imminuta, cum non sufficeret sibi quod accipiebat, postmodum tam famis angustia, quam morbo periclitans de medio facta est. Qua defuncta, sanctus Abbas prætergradiens, audivit pueros ejulantes pro morte matris suæ, & unumquemque ex itinerantibus causam planctus inquirere jussit. Pueri vero ordinem rei exposuerunt. Quo audito, vir beatus locum subiens, in quo corpus jacebat, ad orationem se prostravit. Quo orante, mulier tanquam à somno expergefacta, cunctis videntibus & audientibus, qui præsentes adstabant, vitæ reddita est; gratias agens Deo & Sancto suo, cujus meritis & precibus ad vitam redierat; prænuntians etiam quanta tormenta pro culpa sua sustinuisset.

7. Quadam die distribuebatur pauperibus in latere montis eleemosyna, pluvia ingruente. ubi forte Sanctus Dei assistens, manu elevata, signum crucis opposuit. Quo facto, visa est pluvia à dextris & à sinistris inopinatum sui ipsius pati discidium, ita ut nec gutta quidem tangeret eos. Rursus tempore messis contigit hoc miraculum. Quadam nocte dormiens vir beatus monachis circumquaque dormientibus, audivit Angelos in ecclesia voce clara & delectabili Deum collaudantes, & beatam Virginem Mariam. Quos cum audisset, occulte surrexit, & pedetentim profectus est ad ecclesiam; ut in proximo constitutus, videret manifestius quidnam esset. Vidit itaque sanctam Dei Genitricem in medio duorum Angelorum, quorum unus in manu sua thuribulum aureum, alius incensum tenere videbatur. Horum altero eum deducente, vir sanctus quasi à dextris gloriosæ Virginis incedens, ad altare usque pervenit: ubi voce angelica audivit decantari antiphonam, *Salve Regina*, ex integro usque ad finem. Quam corde tenus retinens, & postea scripsisse, atque Domino Papæ Eugenio transmisisse refertur, ut ex præcepto auctoritatis apostolicæ per ecclesias sollemnis haberetur, in honore beatæ & Gloriosæ Virginis Dei Genitricis Mariæ. quod & factum est, ut adhuc plerique testantur. In dedicatione vero ecclesiæ vir Deo dignus proposuit filiis suis sermonem valde probabilem in Capitulo Claræ-vallis; ostendens mirabiliter, illo suo modo admirabili, quid dedicationis tam sollemne mysterium prætenderet in rerum sacratarum superficie, & in actionibus consecrationis tam devotæ. Quædam præterea verba retulit, quæ in ecclesia de recenti acciderant: Nunc, inquiens, sancti Angeli sollemnizationi vestræ interfuerunt, & vos divinitus in suæ cura custodiæ susceperunt. Adjungens etiam quædam verba, quibus dabatur intelligi, quod antequam lapidem lapidi in constructione superædificasset, idem locus designatus fuisset. Alio quidem tempore sedens in Capitulo Claræ-vallis. dixit mirabile & valde consolatorium verbum, verbum siquidem amabile, verbum gaudio plenum & consolatione, & valde necessarium. Fortassis namque aliquis erat, quem de recordatione transgressionum, & peccatorum suorum nimietate pœniteret & paveret. Unde, inquit, desolationem habetis, fratres, & filii mei? Dico vobis in veritate Christi, si Judas hic esset qui tradidit Deum, ubi vos estis; & ipse misericordiam consequeretur.

8. Burgundiam adibat, Comitem Forensem & Comitem Viennæ pacificaturus. Transiens autem per quamdam villam, audivit ab incolis loci illius, duas feras immanissimas, quæ vulgo dicuntur varoli, in nemore proximo desævire. Quod cum audissent socii ejus, rogaverunt eum regredi, quia malebant duabus dietis vel multo amplius divertere, quam se periculose feris objicere. quibus nolens consentire, respondit, se numquam divertere tali causa. Nec mora; & ecce feræ progredientes in planum, occurrerunt eis terribili hiatu, quasi ad devorandum. Quas ubi vident fratres, præ timore nimio cuncti mox ad sanctum virum fugerunt, latitantes circa eum, clamaveruntque una voce: Pater sancte, libera nos. At ille: Quid timidi estis modicæ fidei? Ad hanc vocem manu elevata, signum crucis feris opposuit. quæ statim factæ sunt tamquam lapides, tamquam nullam penitus habentes nocendi potestatem. Quo signo viso, omnes qui aderant, gratias exsolverunt viro Dei immensas. Hoc vero audito, vicini valde lætificati sunt: præ timore enim ferarum, egredi non audebant pauciores quam duodecim. Proficiscens inde sanctus Bernardus, venit ad dictos Comites. Qui cum pacem ab eis quæsisset, Forensis Comes ei humiliter consensit. Comes autem Viennæ improbe refragatus est, dicens, quod numquam esset cum adversario pacem habiturus, donec eum exsulare coegisset: collectoque exercitu terram illius aggressus est. Tunc Forensis* Comes timore perterritus sanctum Bernardum exoravit, quatinus ab omnipotente Deo victoriam imperraret. Beatus vero Bernardus victoriam ei confidenter promisit. Hac fide confortatus hostes suos invasit, cepitque Comitem; & hostium tantum numerum prostravit, ut vix aliquis vivus evaderet. Hujusque victoriæ gratias reddidit sancto Bernardo.

* Du Forés

9. Quadam die sedens vir sanctus in suo Claræ-vallis Capitulo, fecit magnum & mirabilem sermonem: dixitque inter cetera quoddam verbum, in quo omnes qui audierunt valde lætati sunt. Non, inquit, expaveatis, vos qui præcepta mea tenetis, tormenta gehennæ, nec vos terreat labor quem sustinetis. Dico enim vobis, si perseveraveritis usque in finem, in die iræ Domini reddam animam meam pro animabus vestris. Quo audito fratres gratias exsolverunt Deo immensas, qui talem Patrem dedit eis. Tunc vero à die illa & deinceps, omnes qui hoc audierunt, firmiter ejus præceptis obtemperaverunt. Et vos, dilectissimi, qui eum non vidistis, scrutari debetis ejus præcepta, & illis diligenter obsequi, ut ejus interventu ad paradisi gaudia pervenire possitis. Vigilate igitur, & orate ne in tormenta veniatis: nam ille qui circuit quærens quem devoret, quærit vos. Scit enim quia per ejus instituta, Deo auxiliante liberati estis de manibus suis. Ait enim Apostolus: Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. (1. Pet. 5. 8.)

10. Monachus quidam, nomine Christianus, plantavit vineam in vertice montis, qui proximus est Claræ-vallis. Et venerunt fratres venerabilis Patris, Guido scilicet, & Gerardus, & excommunicaverunt [a] eam, dixeruntque ei: Frater Christiane, ubi est mens tua, & ubi cor tuum? Quare non considerasti scripturam dicentem,

a Et tamen ubi actum est de translatione Claræ-vallis veteris, Bernardo à Fratribus expositum est, alium locum esse spatiosum *ad vineas &c.* teste Ernaldo in lib. 2. num. 29. supra col. 1103. qui auctor item num. 48. tradit, monasterium S. Anastasii ad Aquas-salvias Cisterciensibus ab Innocentio assignatum *cum agris & vineis.* Quamquam apud Cistercienses tunc rarus vini usus erat. Lege Gaufridum supra col. 1117. num. 2.

quoniam vinum non est monachorum? At ille: Vos fratres spirituales estis, & vinum bibere non vultis; ego peccator sum, & volo bibere vinum. Tunc dixit Girardus: Dico tibi, frater Christiane, non videbis fructum ejus. Post hæc verba reversi sunt in monasterium. Ille vero vineam suam fodit, & excoluit multis temporibus. Denique mortuus est, & non vidit fructum ejus. Post multum vero temporis, venit custos vineæ ad sanctum Bernardum, & dixit ei: Pater, vinea nostra anathema est, nec potest facere fructum. At ille: Quare fili? Respondit: Fratres tui excommunicaverunt eam, & deinceps fructum non fecit. Ait illi: Affer mihi aquam in pelvi. At ille obtulit ei. Tunc vir sanctus fecit signum crucis, & sanctificavit aquam. Vade, inquit, fili, & sparge per totam vineam. Recessit frater; & fecit juxta præceptum Abbatis; & vinea crevit & multiplicata est, ita ut videntes mirarentur.

11. Dum navigaret aliquando per Ligerim, navicula ejus forte concussit ponticulum, cui puer supererat. qui statim in fluvium delapsus est, & necatus. Et excitati accurrerunt vicini, defunctum puerum plangentes. quem sanctus vir jussit sibi afferri; eoque defuncto oblato, oravit Sanctus. Puer itaque videntibus cunctis qui aderant, & Deum una voce collaudantibus, ad orationem Sancti statim suscitatus est. Tunc à die illa & deinceps hominem Dei, ut patrem filius affectuosissime diligens, postea profectus in Claram-vallem, ibi Conversus factus est, dictus Tescelinus Nascardus, quia de aqua fuerat sublatus, & piscatus sicut piscis.

12. Cum pertransiret die quadam circa horam sextam vir venerabilis, finagium de villa, cui nomen Columbeium in fossa, invenit fontem in itinere suo, à pecoribus conculcatum. Cumque ibi consisteret, jussit sibi & discipulis suis panem ministrari in eodem loco. Illi vero quia locus ille inhonestus videbatur, volebant potius in alium locum transire; dixeruntque ad hominem Dei: Non est, inquiunt, Pater, hic locus idoneus ad manducandum. Transeamus hinc, donec ad locum veniamus, ubi honestius manducare possimus. Locus enim iste coinquinatus est à pecoribus, & juxta viam quotidie tritam ab itinerantibus. Vir autem Domini noluit acquiescere sermonibus eorum. In proximo autem erant viri quidam magni nobilitate & opibus, qui obviam occurrerunt ei de villa prædicta, volentes eum ducere in domos suas. Qui nullatenus voluit eis assentire, præcipiens magis ac magis, in prædicto loco escas sibi præparari. Tunc vero unus ex discipulis suis, Hemericus nomine, dixit ad eum: Quid est hoc, Pater, quod vis facere? quia hic locus fœtet, & à pecoribus est coinquinatus: & tu vis in eo manducare? Hunc igitur sermonem cum audisset vir Dei, ultra sustinere non potuit, sed aperuit os suum, & prophetare cœpit coram omnibus, dicens: Audite me, fratres, & qui mecum estis omnes. Dico vobis in verbo veritatis, quia veniet tempus, in quo multi hunc locum requirent, ut in eo ab infirmitatibus variis curentur. Sanctus est locus, utpote à Domino sanctificatus. Hoc cum audissent discipuli, acceperunt panes & cibaria, comederuntque cum eo & alii multi; plures namque venerant obviam, ut supra diximus. Tunc vir Dei elevans manum suam, signo crucis super fontem edito, benedixit eum, & sanctificavit, dixitque ministris: Haurite, propinate comedentibus. Ministri autem hauserunt aquam, & impleverunt scyphos; & versa est in vinum: biberuntque omnes qui aderant, & gratias exsolvebant Deo immensas, dicentes cum gaudio magno: Vere homo iste sanctus est, vere Spiritus-sanctus habitat in eo.

13. Igitur vir beatus post cibum, quemdam virum de prædicta villa, nomine Johannem, vocavit, qui dives & abundans erat valde: præcepitque ei ut prædictum locum curaret, & à sorde mundaret, & de lapidibus muniret, ne pecora illum coinquinarent. Adjecit etiam dicens: Si hoc, inquit, adimplere nolueris, scias te ante obitum talem penuriam pati, quod in morte, ubi revolvi possis, panniculum non habebis. Illo autem pigritante, immo nolente jussa beati viri adimplere, res prout Sanctus ei prædixerat subsecuta est. Nam in morte de tota possessione sua sudarium habere non potuit, juxta verbum hominis Dei. Quis hæc sine spiritu prophetiæ virum sanctum prædixisse dubitet? Multa quoque dum adhuc viveret prophetavit, quæ in effectum succedere vidimus longo tempore post gloriosum transitum ejus. Nam de fonte prædicto, sicut prædixerat, multa evenerunt miracula. Nunc etiam, si cujuspiam corporis membrum, quolibet dolore gravatum, ex aquis fontis illius fidei devotione fuerit perfusum, cognitum est à multis, in melius reformari. In potu quoque sumptæ, diversarum infirmitatum incolumitati prosunt. Nam & si quis febris gravi laborans incommodo, inspirante confessore Christi Bernardo, desiderium habuerit hauriendi, protinus ut hauserit convalescit, & ita exstinguitur vis febrium, ceu si videas super immensum rogum projectis undis universa incendia repente exstingui. Tertianarum, quartanarum febrium ignibus accensis, ut potatæ fuerint, dolores compescunt.

14. Fuit vir quidam religiosus, Odo nomine, cujus pars corporis per aliquantum tempus pæne mansit emortua, adjacentis incommodi contractione. Is post mortem beati viri ad eumdem fontem perrexit. Cumque eo infirmitatis locum perfudisset, sanus & incolumis rediit. Alius dolore capitis immaniter vexatus, & omnino sensu privatus, fonte irrigatus sanatus est. Alius per septennium languerat; qui à parentibus ad sanctum fontem ductus, sospes factus est. Alius quidam, Suynus nomine, longo tempore febre quartana laboraverat, qui potu fontis ejusdem sanitatem recepit. Quidam vero maxima infirmitate gravatus, cum gustasset de eadem aqua, vermiculus quidam similis locustæ, per os illius omnibus videntibus egressus est, & statim convaluit. Mutus etiam, ut aiunt qui viderunt, ad fontem venit, & loquelam recepit. Hæc & multa alia tam à nobis quàm ab aliis visa, quibus non credere impium est, ne forte narrationis prolixitate audientibus fastidium generetur, perstrinxisse sufficiat.

15. Igitur apud Barrum super Albam erant duæ feminæ, quas duo dæmones vexabant. Deinde parentes adduxerunt eas ad hominem Dei in Claram-vallem, ut ab eo curarentur. Et cum portæ Claræ-vallis appropinquassent, dixit unus ex diabolis ad alterum diabolum per os mulieris: Oportet me exire de hac muliere. Quare, inquit alter dæmon, oportet fieri? Qui ait: Bernardum, inquit, non possum videre, nec vocem ejus audire. Cui ille: Quam ob rem? Qui ait: Cum esset Bernardus in sæculo, volui eum tentare, & virginitatem ejus auferre. Et cum hoc facere tentarem, dixit mihi: Vade retro, satana. Adjuro te per Jesum, ne me lædas, nec me umquam videas. Et propter hanc conjurationem, oportet modo me exire. Et confestim egressus est de muliere, & sanata est ex illa hora. Qui vero præsentes erant, laudantes Deum, dicebant: Vere sanctus est homo ille, & Spiritus-sanctus habitat in eo. Et cum hæc dicerent, venit servus Dei ad portam, & narraverunt ei omnia quæ audierant & viderant de his duobus dæmonibus. Quæ cum audisset vir Dei, gratias agens Deo, dixit: Gratias tibi ago, Domine Jesu-Christe, quia numquam dereliquisti me. Tu es Deus solus, tu facis mirabilia magna solus. Tu creasti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Exaudi, Domine, orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Post hanc orationem conversus ad alteram mulierem, dixit ad dæmonem: O dæmon inimice Dei, exi de femina. Ad hanc vocem egressus est de muliere, & sanata est ex illa hora. Tunc omnes qui aderant, benedicentes Deum, gratias exsolventes sancto Bernardo immensas, dixerunt: Non est in hoc sæculo, & non fuit post Apostolos, qui posset facere quæ iste facit.

16. Beatus Bernardus cum esset die quadam in cella sua cum paucis discipulis, & ungeret sandalia sua secundum consuetudinem suam, apparuit ei diabolus in similitudinem monachi nigri, dicens ei: Abba, quomodo te habes? Ego de longinquis terris veni ut te viderem, & te calceos ungentem invenio. Non debuisses hoc facere, sed servi & ministri tui. Cui respondit vir Dei:

Ego, inquit, servos non habeo, nec volui umquam habere. Filios habeo, quos genui Christo per evangelium, qui mihi ministrant cum magna caritate & mansuetudine; & ego illos in veritate diligo, & viam regni cælorum doceo, humilians meipsum exemplo summi Magistri, dicentis: *Qui se humiliat, exaltabitur.* (Luc. 14. 11.) Ipse autem multimoda humilitatis exhibitione, immo summe & præcipue sese humiliando, nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Imitando igitur Dominum meum, vilia & servilia opera pro amore ipsius exsequi non tantum non gravat, sed & plurimum delectat. Vade, & dic Abbati tuo ut faciat similiter. Cui respondit diabolus: Da mihi sandalia ut ungam. Et respiciens eum vir beatus, cognovit Spiritu-sancto revelante, quod esset diabolus; & ait ad eum, cum indignatione insultando illi: Non est rectum, ut ille qui ab initio in summa beatitudine & pulcritudine creatus fuit à Deo, ungat calceamenta mea, cum sim pulvis & cinis. Et adjecit: Vade retro, satana. Adjuro te per Jesum-Christum, ne mihi vel filiis meis in aliquo noceas. Quo dicto, statim transfiguravit se in similitudinem minuti animantis, cunctis videntibus qui aderant: & statim evanuit ab oculis eorum. Hæc narrare nobis solebat domnus abbas Morensis, Girardus nomine, vir sanctus & verax in verbis suis: cujus verbis fidem non adhibere, quasi ipsi veritati repugnare est.

17. Igitur cum esset quadam die vir beatus in suo Claræ-vallensi Capitulo, facta est conquestio de quodam monacho, qui scutellas in coquina, secundum Ordinis instituta, cum septimanarius esset, lavare negligebat. Ad quem vir sanctus: Fili, inquit, adeo negligens es, ubi majorem deberes habere diligentiam. Ad hæc ille confusus, ineptum quiddam & puerile submurmurans, excusandi se gratia, vile & sordidum nimis esse dicebat coquinæ officium. Cui vir beatus respondit: Fili, numquid non audivisti quid super hoc asseveret benedictæ institutionis nostræ promulgator Benedictus? Dicit etiam Apostolus, quod unusquisque recipiet secundum suum laborem. (1. Cor. 3. 8.) Et adjecit homo Dei, zelo sancto suggerente: O pessima superbia, peccati initium, radix omnium malorum! unde tibi permittitur contaminare qualemcumque sacrosancti gregis mei particulam? Egredere, egredere Deo adjuvante: hic tibi nusquam & numquam locus. Fuge, refuge ad eum qui tecum & per te de cælo descendit. His dictis, itidem monachum taliter aggressus est: O miser homo, immo miserrime hominum, nisi tibi propitietur Omnipotens! Ubi est mens tua? ubi est religio tua? Vide ne seductor humani generis in superstitionem transformetur. Unde tibi tanta, tamque enormis negligentia? O quàm periculosa, quàm abominabilis exaltatio! Quare non attendis illud evangelicum: *Qui se exaltat, humiliabitur*; & ab oppositis, *qui se humiliat, exaltabitur?* (Luc. 14. 11.) Fili, audi sermonem meum. Dico tibi in verbo veritatis, testem proponens Deum & conscientiam meam, quod si ex radice veræ humilitatis hujuscemodi humiliatio procederet, lucrum salubrius atque gloriosius operareris animæ tuæ, scutellas & cochlearia lavando, & cetera quæ ad officium coquinæ pertinent diligenter exsequendo, quàm frequenter, prout plerisque contingit, assistendo sive ministrando altari. Labora, fili, labora, & in mansuetudine operare quod tibi secundum Ordinis instituta, & ordinem vicis tuæ injunctum est. Quanto enim vilior erit labor tuus in conspectu filiorum hominum, tanto pretiosior erit in conspectu Angelorum. De cetero, secundum apostolicam traditionem laborare nos ex necessitate condecet. Ait namque Apostolus: *Qui non laborat, non manducet.* (2. Thess. 3. 10.) Item idem de eodem: *Laboret unusquisque operando manibus suis quod bonum est.* (Ephes. 4. 28.) Et quid melius quàm servire in commune fratribus suis? Hoc siquidem faciunt coquinæ hebdomadarii. Esto igitur, fili, esto promptus ad lavandum scutellas, sicut strenuus es ad manducandum quæ tibi in eis apponuntur. Labora, & sic securius manduca. scriptum est enim: *Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit.* (Psal. 127. 2.) Hujusmodi verbi sancti Patris, & ille in quem facta est invectio de cetero, correptus, & ceteri qui præsentes aderant, plurimum ædificati fuerunt. *Cetera desunt.*

*Prætermissa apud Chiffletium ex Gaufrido superius col. 1278. post. art. X. & postea reperta.*

Dehinc profectus ibat ad constitutum locum, ubi etiam multos undique collegit. Ait quadam die ad Fratres suos: Habeo amicum Matisconi, Hugonem de Vitreio, & ipsum oportet adducere, ut sit & ipse unus ex nobis. (De eo lib. 1. Vitæ n. 13.) Erat autem clericus nobilis, & jam maturioris ætatis, sæcularibus pariter & ecclesiasticis facultatibus affluens. Cœperunt ergo qui noverant eum temeritatis arguere: nihilo minus ipse confidens sine omni hæsitatione festinavit ad ipsum. Erat autem fama in regione, quod Jerosolymam esset iturus, sic enim ipse fingebat, non in eam in qua fuit, sed in qua est Dominus, Jerosolymam profecturus: Videns ergo eum prædictus Hugo, flens & ejulans in amplexus ejus ruit: sed Vir Dei lacrymas ejus penitus non attendebat. Ubi vero paululum respiravit, revelat ei propositum suum: & ecce innovatus est dolor, & fons lacrymarum fluxit uberior, ita ut tota die illa non acquiesceret pupilla ejus. Sequenti nocte pariter accubuerunt in angustissimo strato, ita ut vix caperet alterum. Nec tunc ergo cessabat à lacrymis Hugo, ita ut argueret eum Vir sanctus, quod dormire eum non pateretur. Ubi vero obdormivit, videbatur sibi, invocato ex more Spiritu-sancto, habere ad eum de conversione sermonem, & non deesse voci suæ vocem virtutis. Mane autem facto cum rursum fleret Hugo, moleste jam accipiens, cœpit durius objurgare eum. At ille: Non mihi, inquit, eadem hodie lugendi causa, quæ fuit heri. heri enim super vos flebam; hodie super meipsum. Novi enim conversationem vestram, & mihi quam vobis conversionem esse magis necessariam non ignoro. Ad quem Bernardus exsultans: Flete, inquit, nunc satis, quoniam optimæ sunt lacrymæ istæ; nolite cessare. Ex hinc cum vidissent eos clerici ambulantes pariter, & exsultantes simul, nec ad momentum ad invicem separari, conati sunt Hugonem avellere à Bernardo, timentes, immo jam aperte cognoscentes, quàm uno spiritu agerentur. Tenentes ergo Hugonem, jam nulla ratione pati voluerunt, ut Vir Dei cum eo de cetero loqueretur. Abiit ergo tristis: sed & nihilo minus erat adhuc cor ejus fiduciam habens in Domino. Post aliquot dies sane conventum audiens Episcoporum, festinavit illuc, ut Hugonem videret. Clerici vero cum vidissent eum, præter morem torvo oculo respicere, & stipare Hugonem undique, ne quis pateret accessus. Sedentibus ergo in campo, & colloquentibus Episcopis, in medio clericorum juxta Hugonem sedens, loqui ei non poterat propter adstantes, sed tamen flebat uberrime super collum ejus: & ecce inundaverunt aquæ, & cælum dedit pluvias, ita ut dispersi cum omni festinatione ad proximum vicum currerent: sed beatus Hugonem manu tenens: Mecum, inquit, in pluvia stabis. statimque serenitate reddita, soli stabant in campo, & confessus est Hugo juramentum quod fecerat, minime se monachum fore usque ad annum. Hoc autem fecerat, ut deciperet clericos, annuam quippe probationem non ignorans. Ibi confirmato ex integro sodalitio spirituali redierunt, manu sese tenentes alterutrum: & jam desperati omnes, nemo deinceps Hugonem detinere tentavit.

In iisdem annis Viro Dei demoranti in sua Claravalle vir religiosus, primus abbas Ursi-campi Galeramnus, cum obiisset apud Igniacum, beato Patri apparuit, & ab eo licentiam & mandatum accepit introeundi in requiem Domini. (V. Vincent. Belvac. Spec. hist. lib. 27. c. 5.) Quod certe & de multis aliis factum esse certissimum est, adeo ut pro nonnullis antequam ei nuntiaretur obitus, etiam Missarum sollemnia celebrans divina obtulerit sacrificia, stupentibus his qui cum eo erant, & sollicite notantibus diem.

Eodem denique tempore, quo pacis quærendæ negotiis occupabatur, frater ejus Andreas in Clara-valle transitoriam hanc finivit vitam; & is quoque, priusquam aliquid de infirmitate ipsius Pater sanctus audisset; per nocturnum soporem assistens ei una cum Gerardo fratre suo, dedit ei osculum pacis. Intellexit autem signum licentiæ esse, & post paucos dies obitum ejus audivit.

Sed quia super venerabili Galeramno fecimus mentionem, quæ de Herveïo, non minus moribus & religione, quam genere illustri, prædicti Galeramni successore, facta sunt, non arbitramur prætereunda silentio. Herveïus itaque puer de sanguine regio in domo avunculi sui Noviomensis Episcopi * nutriebatur. Hunc Pater sanctus cum apud prædictum Episcopum hospitaretur, cantantem aliquando audiens, sicut optime puer noverat, ex occasione cantus illius more suo multa adstantibus locutus est de spirituali conversatione. Eadem vero nocte in somnis ei videbatur, quasi Missarum sollemnia celebraret; & accedens Angelus acceptum ab ore ipsius pacis osculum puero traderet. Unde & manifeste prædixit, sine dubio religiosum eum futurum, adeo ut nec puer ipse datam de se ignoraverit prophetiam. Cujus indubitatus exspectabatur adventus, ut post multos annos, cum jam adolevisset, & gravissime à propria conscientia argueretur; tota tamen fiducia in memoria verbi illius respiraret, dicens secum, sicut nobis ipse postea testabatur: Sine causa times. Impossibile est ut pereas; omnino beati viri sermo implebitur in tempore suo. Et certe ita jam factum esse videmus. Porro angelus ille, abbas Galeramnus fuit, qui acceptam ab ore Patris sancti pacem dedit Herveïo.

[margin: ...monis.]

Ab eo siquidem, cum adhuc adolescens esset, fugiens domesticos inimicos, habitum conversationis accepit. Cui deinde in abbatia succedens homo dulcissimi spiritus & ferventissimus sui corporis castigator, consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima ipsius. Præcognovit autem obitum suum sanus adhuc & incolumis, ipso ei prædecessore suo revelante. Nec mora gravi cœpit corporis molestia prægravari: & infra sextum diem beato fine quiescens, appositus est ad patres suos.

Quod autem de eo diximus, præcognitam à sancto Domini conversionem ejus, super aliis quoque plurimis novimus contigisse. Ex quibus fuit etiam Macelinus Teutonicus adolescens illustris, & Albero vir venerabilis, qui postea abbas factus est in Suecia, & magnus vir ille Gaufridus de Peronia, qui in Clara-valle Prioris officio functus & defunctus est. Huic quoque Gaufrido, dum adhuc esset in cella novitiorum & sollicitus esset pro Patre suo, &c.

---

# PHILOTHEI MONACHI,

## DE VITA ET MORIBUS S. BERNARDI ABBATIS Claræ-vallensis Carmen encomiasticon.

### PROLOGUS.

INCLYTA dum tenui molimur gesta susurro
Dicere, Mæoniis emodulanda sonis:
Quid nisi Trinacrios revocare ad littora fluctus
Nitimur, & modicis imposuisse cadis?
Scilicet ipse rudes necdum formare loquelas
Doctus, & agresti concrepuisse lyra,
Principis ætherei titulos, qui laudibus omnem
Excessere modum, sacraque gesta canam?
Quis ferat exsilii Codrum temerasse camœna
Acta, Sophocleo condecoranda sono?
Non secus ac Phœbo si persequar addere lumen,
Hinc atque hinc sannæ Rhinocerotis erunt.
Non igitur, Bernarde, tuas mihi promere laudes
Fas erit, & tremula concinuisse cheli.
Candida laurigeri referant tibi carmina vates:
Nos inopes animum corda precesque damus.
Talia jam positis agitaram mente tabellis,
Arguerantque animos crimina nostra leves:
Cum mihi blanda quies victis subrepsit ocellis,
Et tenuit placidus pectora lassa sopor.
Tunc Dea *, cui tellus, cælum cui militat omne,
Virgo mihi tales fundere visa sonos.
Stulte tui nobis prohibes quid carminis usum?
Quidve sacerdoti munera grata meo?
Incipe: Bernardi, si nescis, gloria nostra est;
Quidquid habet nostro rivus ab amne trahit.
Hoc mihi Johannes numquam fuit arctior ille,
Qui datus est vitæ duxque, comesque meæ.
Ille quidem dulces mecum permansit in annos,
Virginis intuitu colloquioque fruens:
Hic autem cæli cum jam data sceptra tenerem,
Promeruit vultus cernere sæpe meos.
Ille erat intacti custos mihi corporis unus,
Hic nostri curam nominis usque gerit.
Sed quid plura? animis paribus mihi junctus uterque:
Nec minus ille mihi, nec minus iste placet.
Vixit uterque parem Veneris sine crimine vitam,
Virginitas bini pectoris una fuit.
His Deus æquilocas sublimi in vertice sedes
Contulit, & lateri jussit adesse meo.
Eia age, quosque Pater tribuit mihi laudis honores
Sumat, & alternas detque feratque vices.

[margin: ...rgo Dei.] [margin: Johannes ...ngelistæ Bernardi ...paratio.]

Aspicis egregia quos condidit arte libellos,
Quo referant cantu nomen in astra meum?
Spiritus illa animis bene profectura malignus
Scripta tulit, laudes quæ cecinere meas.
Proque pio Iliadem Danaosque induxit Jesu,
Abdideratque mei mystica dicta senis.
Dumque homines nugas miseri sectantur inanes,
C Hæc pæne in nullis scripta fuere locis.
Non tulit hoc summi temerata potentia sceptri,
Perfidus ut nostras hostis haberet opes.
Ipsa etenim tacito monui spiramine quemdam,
Qui mihi præcipuo munere vinctus erat:
Ut pia dispersos revocaret cura libellos,
Scriptaque sidereas quæ docuere vias:
Efficeretque, die caderent ne exesa vetusto,
Imprimeret brevibus sculptor ut illa notis.
Et quia tam longo fuerat vitiata recessu
Littera, judiciis tergeret ante suis.
Hæc ego quæ tantos illum tolerare labores,
Hæc ego te faciles hortor inire modos.
D At metuis ne forte rudi perarata cothurno,
Livor edax tetrico carmina dente petat,
Atque supercilio tua respuat orsa tumenti,
Contendatque leves ista decere viros.
Nec ferat Aonias monachum revocare sorores,
Quas semel inviso jussit abire pede.
Euge supervacuis horum latratibus obstat
Perpetuo vates junctus amore mihi,
Qui ferrugineis niveos superaddit amictus;
Inclyta Carmeli tegmina montis habens.
Qui mea dulcisono celebravit carmine gesta,
Stridentesque trucis Costidis ære rotas.
Ille dabit faciles auras, portusque secundos,
E Hoc duce Scyllæos transgrediere canes.
Aspicis ut clara stolidos ratione retundat,
Garrulaque opposita clauserit ora manu?
Hic mihi de mundi revocatus turbine plaudit,
Atque meum dulci concinit ore decus.
Fare, age, virtutum cumulis & laudis honore,
Quem deceat vati præposuisse meo?
Nam si grandiloquo liceat conferre Maroni,
Carmina quod paribus cantet uterque modis;
Hic tamen æternis tantum virtutibus illo
Clarior est, quantum noctibus alma dies.

[margin: Beatá Virgo excitat Philotheum exemplo Baptistæ Mantuani.]

Nam quæ dona meo potui præstare clienti,
 Quæ minus illustrem constet habere virum?
Quæritur eloquio quantum valet ille nitenti?
 Talis Aristocles, Mæoniusque fuit.
Quæritur innocua quantum probitate coruscat?
 Elias ardenti talis in axe fuit.
Hic docet angustum virtutis scandere culmen,
 Et celerem vitiis imposuisse modum.
Nil nisi quod rigidi possint laudare Catones,
 Nil nisi sacrato Christus in ore sonat.
Hic mea dum celebri repetit præconia cantu,
 Mille mihi æterno junxit amore viros.
Huic ego sideream tanto pro carmine sedem
 Constitui, & regni gaudia summa mei.
Hunc tamen assiduo Bavius livore fatigat,
 Ingenio æquarit cælica tecta licet.
An tibi quem nullo decoravit schemate Christus,
 Defuerint avidi murmura torva canis?
Celsior humanos pessumdabat ille favores,
 Solaque perpetuæ præmia lucis avet.
Illius exemplo nugas contemne loquaces,
 Namque magis virtus pressa micare solet.
Invenies omnes florenti laude verendos
 Invidiæ facibus succubuisse viros.
Invidiam contemnere jubet.
Gaude igitur tanto quod te dignamur honore,
 Ut tibi sit noster causa ruboris amor.
Incipe jam tali ductus stratagemate, quamvis
 Vaniloquus nullam donet Apollo lyram.
Nostra secundabit cursus Cynosura patentes,
 Ut levius cœptum perficiatur iter.
Nulla tuæ est, fateor, nulla est facundia linguæ,
 Nec Deus eloquium, sed pia corda probat.
Graminibus pecudes pascuntur, rore cicadæ,
 Quadrupedum tigris sanguine, corde Deus.
Solve igitur propero tenuem de littore cymbam:
 Deducent cursus flamina nostra tuos.
Dixit, & aëreas fuerat jam lapsa per auras,
 Cœperunt sensus cum vigilare mei.
Grande opus aggredior, veniam date jussa sequenti:
 Cogitur invito currere musa pede.
Quæque levi quondam latitans epigrammate lusit,
 Nunc graviore meat Calliopæa gradu.
Non tamen acta suo digesta ex ordine dicam,
 Pauca sed è plena margine mira loquar.
Interea nostro, Pater ô venerande, labori
 Annue, & ô sacri Doctor amoris ades.

## CAPUT I.

*Divi Benedicti pro instauratione monasticæ religionis ad Deum supplicatio, & accepta à Deo promissio.*

Astra decem celeri penetrarant sæcula cursu,
 Bis totidemque pari lustra peracta pede,
Ex quo letiferi resecans contagia morbi,
 Christus ab intacta Virgine natus erat:
Cum genus omne boni facinus mortale fugarat,
 Fœdaque terrigenis gaudia numen erant.
Undique livor edax, feritas, discordia, lites,
 Pestis, bella, fames, & metus hostis erat.
Omnibus occiderat Superum reverentia terris,
 Et decus & priscæ relligionis amor.
Quinetiam ruptis errabat pauper habenis,
 Sancte, per anfractus grex, Benedicte, tuus.
Rarus & incertus monachus statione peragrans,
 Non dabat auctori debita vota suo.
Benedictus supplicat Deo pro restauratione Ordinis sui.
Tunc proprias Benedictus oves miseratus, Olympi
 Dicitur his Regem sollicitasse modis.
Maxime Rex, parent cælum cui terra, fretumque,
 Omnia qui nutu dasque, regisque tuo:
Aspicis ut longo probitas male frigeat ævo?
 Aspicis ut toto ferveat orbe scelus?
Cernis ut adversis agitetur fluctibus omnis
 Relligio, & nullo milite fulta cadat?
Ille meus quondam teneris bene cultus ab annis
 Quo fugit antiquæ religionis honor?
Quemque ego tam lata moriens ditione reliqui,
A Ordinis heu nostri dic mihi fervor ubi est?
Jam mea progenies tandem, nisi protinus illi
 Prospicis è summo culmine, pulsa cadit.
Surge, age, jamque hominum sortem miseratus acerbam,
 Erue de tantis pignora nostra malis.
Dixit, & ex alto totum qui temperat orbem,
 Accepit tales protinus ore sonos.
Optime dux, vario cælum qui milite comples,
 Qui fueras nostræ pars modo prima ratis:
Parce pio Benedicte metu, nam morte tuorum
 Mœnia sunt ducibus restituenda meis.
Deus respondet supplicanti.
Mœnia quæ tantis agitata furoribus ardent,
 Mœnia quæ Petri jacta fuere manu.
B Respice quem teneris puerum mihi mater ab annis
 Obtulit, & patriam Gallica terra dedit.
Spiritus hunc pleno radiatum pectore sanctus
 Efficiet Mosi relligione parem.
Cernis ut ille meis stimulis agitatus amoris
 Jam terat assiduo limina sancta pede?
Aspicis ut pulcro rutilet sub pectore virtus?
 Inspice venturum ut testificatur opus.
Niligenas tanto monachorum principe cœtus
 Restituent sæptis tempora læta tuis.
Angelicis postquam compleverit omnia turmis,
 Desieritque tuam composuisse domum:
Promittens restauratorem ecclesiæ & monastici Ordinis per Bernardum.
Tunc etiam Petri nimium jactata quiescet
C Hujus ab auspicio tuta carina viri.
Solus hic ingentes monachus tractabit habenas
 Orbis, & extremo jura sub axe dabit.
Quæque vides tumidis consurgere viribus arma,
 Pax erit illius conciliata fide.
Aurea tunc placidis consurget moribus ætas,
 Et mea terrigenis gratia major erit.
Quin etiam extremi bonitas cum tempore sæcli
 Nulla erit, & toto fugerit orbe fides:
Aureus ecce tuo surget de vimine palmes,
 Siccaque nectareus perfluet ora liquor.
Urbs Patavi illustres præbebit palmitis ortus,
 Hinc feret auxiliis germina læta meis.
D Ipse etiam tanto producet fœnore fructus,
 Ut fateare tua non eguisse manu.
Quare age, tam clari proles ne germinis umquam
 Deficiat, nullo sollicitere metu.
Hæc ait, & summo Paracletum mittit ab axe,
 Bernardumque suo concremat igne Deus.

## CAPUT II.

*Bernardus quatuor germanis fratribus in eamdem sententiam adductis, religionem ingredi statuit.*

Ille Deo plenus, faciem moresque pudicos
 Induit, & mentis improba sensa fugat.
Bernardi sancta pueritia.
E Jamque puer tenero claudebat pectore numen,
 Et decor egregii maximus oris erat.
Hunc qui sollerti spectabat lumine, dixit:
 Et speciem, & mores virginis iste gerit.
Candida cui roseo facies suffusa rubore,
 Et gravitas dulcis mixta lepore fuit.
Prima juventa gravi volvebat seria sensu,
 Quæ solet in faciles luxuriare jocos.
Terræ fixa acies, modici sine murmure risus,
 Ista verecundi signa pudoris erant.
Grata quies animi fuerat, solusque peragrans
 Sæpe dabat querulo talia corde puer.
Cur mea mens brevibus miserisque exercita curis,
Deliberat de statu vitæ eligendo.
F Excipis humanas irrequieta faces?
Quando erit ut posita variorum mole laborum,
 Discat in auctorem vita redire suum?
Si cupio excelsi spectare cacumina cæli,
 Deprimis innata conditione caput.
Hinc pater, hinc genitrix, atque hinc mea cura sodales
 Distrahit, & sensus quæque favilla tuos.
Sed Deus ipse via qua sit mihi monstrat eundum,
 Et reserat sacræ relligionis iter.
Nuper structa humilis latitat sub paupere tecto
 Sancta quidem, sed non ambitiosa domus:

...istercio ...undo.

Cistercîque patres habitant ea limina pauci,
Instituunt leges qui Benedicte tuas.
Hic ego cælitibus figam mea limina regnis,
Hæc requies nostri sola laboris erit.
Si mihi nostra ferant peregrinos arva lapillos,
Sitque meum toto quicquid in orbe patet;
His tamen æternos pudeat conferre triumphos,
Gaudiaque extremum non habitura diem.
Quid moror ah demens, vel quid data tempora perdo?
Plurima commissis addidit una dies.
Talia flammato librarat pectore dicta,
Propositique gravem fixerat inde pedem,
Cum juvenis tenera superatus imagine fratrum,
Flevit, & hæc, dixit, præda petenda mihi est.
Dixit, & in Superum germanos regna ciebat,
Sic repetens animo gaudia nata suo.
Nuper in adversis errabam naufragus undis,
Nunc mihi cælestis meta reperta viæ est.
Meta reperta mihi est, quæ cælibis otia vitæ
Explicat; & tutum relligionis iter.
Hanc igitur mecum celeri contendite cursu
Arripere, & tanti lucra referre boni.
Et Deus, & cæli nostri sunt causa laboris,
Efficient pugnam præmia tanta levem.
Quis furor est opibus animos servire caducis;
Quos Deus in Superum regna beata vocat?
Cur igitur, fratres, cur vos terrena morantur
Hospitia? infesto solvite colla jugo.
Nec mora, tam facili germanos voce coëgit
Annuere, & proprios deseruisse lares.
Tunc, modo suppressus, vicina involvere tecta
Incipit, & lato spargitur ore focus.
Namque pares sancta socios ut quæreret arte,
Augeretque suo regna superna grege,
Conspicuum forma juvenem, decus omne suorum,
Non puduit medio spargere verba foro,
Et modo cælestes populis memorare triumphos,
Et modo Cerberei regna tremenda canis.
Artifici innumeras gentes sermone trahebat,
Sola docens summi castra sequenda Ducis.
Illic condensas glomerabant agmina turbas,
Quocumque optatos verterat ille pedes.
Tunc comitum illustris numeroso ex agmine cœtus
Hæsit, & huic firmo fœdere junctus erat:
In quodcumque velit, pedibusque animisque parati
Deduxisse bonum relligionis opus.
Una omnes parili socios fervore voluntas
Junxerat, immensum compuleratque gregem.
Omnibus una domus fuerat, cibus omnibus unus,
Vitaque divini plena timoris erat.
Utque petens sparsam gelidus gladiator arenam
Apta prius vacuis ictibus arma probat:
Sic juvenes validis monachorum tela lacertis
Torquentes vitiis aspera bella movent.
Sicque prius, sacras posito quàm murice vestes
Induerent, veteres deseruere vias.

## CAPUT III.

*Bernardus cum sociis amplius quàm triginta in Cisterciensi cœnobio habitum induit, ibique brevi, sanctitate mire proficit.*

Jamque dies votiva aderat, qua sancta renasci
Debuerant animo pectora juncta pari,
Cum puer ipse, virûm celebri comitante caterva,
Sidereumque polo jam resonante melos,
Clauditur in septis, veteremque exutus amictum
Tegmina jam sanctæ rusticitatis habet.
Cellula parva novæ capiebat tempora vitæ,
Cellula judiciis semper amata suis.
Hic didicit summi penetrare cacumina cæli,
Hic didicit culto quicquid ab ore fluit.
Hic didicit curare novo ceromate morbos,
Solus & exstinctam vivificare fidem.
Munera tanta quidem modicos bene culta per annos
Donat amatori cella beata suo.

A Dicite vos avido teritis qui compita passu,
Qualia clamoso lucra reperta foro?
Non ille ingenium vario problemate cœpit
Obruere, aut studiis illaqueare novis.
Cura prior stimulos Veneris domitare furentes,
Atque animi motus composuisse fuit.
Cura prior tristi luerent ut crimina planctu,
Quàm caperent tumidum pectora læta sophos.
Cura prior Superum nitida caligine pectus
Induere, & sensus mortificare suos.
Christus ob id tanto replevit honore Clientem,
Sæpe ut cælestes cerneret ille choros.
Quid referam, quoties summi Regina theatri
B Nectareos illi visa movere sonos?
Sæpe suum Virgo famulum venerata, solebat
Visere, & ambrosias sæpe referre dapes.
Nunc age, qualis erat meditanti in pectore virtus
Accipe. nam brevibus persequar ipse modis.
Ante salutarem curvato poplite Christi
Effigiem lacrymas, vota, precesque dabat,
Confixasque truci spectabat vulnere plantas,
Ossaque distinctis dinumeranda notis.
Jamque gemens tremula fundebat voce querelas,
Verbaque montanas apta movere feras.
O decus, ô nostri lenimen Christe doloris!
O mihi tam duro parta labore salus!
C Felix si tantas in me convertere pœnas,
Et liceat misero si mihi posse mori.
Ipse immaturos ausim decerpere fructus:
Christe tamen dentes obstupuere tui.
Sidera, terra, fretum, Domini miserescite vestri,
Flete meos casus, sidera, terra, fretum.
Talia dum memorat, Domini pendentis imago
Solvit in amplexus brachia mota suos.
Talis in excelso regnabat Principe virtus,
Talis in ardenti pectore fervor erat.
Sic novus interno gaudebat nectare miles,
Intimaque æternus strinxerat ossa calor:
Ut mortale nihil saperet, terrenaque semper
D Dediscens, Christi raptus amore foret.
Noctibus in lacrymas faciles solvebat ocellos,
Et minimi durus criminis ultor erat.
Carnibus abstinuit, magnique abdomine piscis,
Sedabatque sitim simplicis humor aquæ.
Artibus his summam virtutum venit in arcem,
Sic peragens lætos prima juventa dies.
Vixerat hic dulces jam dudum inglorius annos,
Tempora sed veræ plena quietis erant:
Cum Deus ipse pio disponens omnia nutu,
Bernardum ex humili jussit abire loco.
Nomine *Clara* quidem, sed clarior omine *Vallis*,
Consita vicina sub regione fuit.
E Missus in hanc sacras referens Pater optimus artes;
Condidit imperio claustra regenda suo.
Perfidus, & scelerum defessus mole suorum
Huc veniens, posito crimine tutus erat.
Quique peregrino rutilabat murice quondam,
Hic didicit cultu pauperiore tegi.
Nec pudor, hic curvis agitare ligonibus arva,
Et trahere invitos sub juga panda boves.
Hîc spes vera, fides, probitas, reverentia, cultus,
Et decor antiquæ relligionis erat.
Vestis dura, cibus tenuis, rigidique labores,
Semper & exhibitis condita claustra feris.
Vix dabat assiduo defessus vomere fructum,
F Sic locus hic sterilis pauperiorque fuit.
Quæque solent miseris præstare cubilia frondes,
Hæc etiam monachis fercula læta dabant.
Omnis odoratis populus virtutibus ibat,
Gaudebatque levi subdere colla jugo.
Nunc ego quæ latitans claustro miracula Sanctus
Ediderit, populis concelebrata canam.
Non procul inde virum nimio circumdedit æstu
Febris, ut extremam crederet ire diem.
Non ille Æmonio potuit medicamine morbus
Curari, aut medica convaluisse manu.

Qualis illi in cella occupatio.

Orationis in ipso fervor.

Victus ejus parcitas.

Mittitur ad construendam Claram-vallem.

Vivendi ibidem rigor & asperitas.

Febre laborantem curat.

Itur ad excelsi veneratas militis ædes,
Auxiliumque humili poscitur ore pium.
Ille ierat, lacrymisque Deum precibusque rogarat,
Ut celerem moriens sumeret æger opem.
Protinus ex alto languens resilire cubili
Cernitur, & valido quolibet ire pede.
Hinc jam Bernardus toti innotescere mundo
Cœpit, & ex illa clarior esse die.
Undique vicinas volitabat fama per urbes,
Miraturque novæ quisque salutis opus.
Audiit, & læto properat Germania cursu,
Quique colunt fines Bœtica terra tuos.
Frequentibus claret miraculis.
Ille oculis captam matrem, nunc ille parentem
Advehit, extremo currit ab orbe miser.
Spirituum tetro vexatus quisque furore
Pergit, & infesto liber ab hoste redit.
Loripedes etiam plures lectica vehebat,
Ut pia naturæ dextra novaret opus.
Ille crucis tantum decorabat pectora signo,
Sic poterat placita quisque salute frui.
Æger Apollineas doctique Machaonis artes
Qui coleret, toto nullus in orbe fuit.
Tanta inerat facili sermone potentia Sancto;
Tam celeris sacro venit ab ore salus.

## CAPUT IV.

*Bernardus Innocentium Pontificem maximum adversus schisma Petri Leonis egregie tuetur, eumque Sedi Apostolicæ mirabiliter restituit.*

Innocentii Pontificis electionem contra schisma strenue propugnat.

Nterea Latias gladiis stridentibus urbes
Exagitat stygio missus ab amne furor.
Romaque tartareis nimium vexata colubris
Frendet, & insana seditione furit.
Quodque Panophæi lacerabat templa Tonantis;
Fœdifragum Petri schisma Leonis erat.
Hic male dum veterum titulis & laude superbit,
Pontificis summos pugnat adire gradus.
Cumque alius, sacro procerum dictante senatu,
Debuerat sedem Christe tenere tuam:
Ille tamen dito prosternens omnia ferro,
Immeritum templi jus dabat omne tui.
Jamque sacerdotes præstanti laude verendos
Expulerat, sancta solus in Urbe potens.
Quique Leonigenas renuerunt sumere partes,
Prô facinus! gladio succubuere truci.
Ensibus hic tumido bacchantibus agmine, Christi
Viscera, Romanæ diripiuntur opes.
Nec furor hanc belli pestem intra mœnia clausit:
Gorgoneum toto virus in orbe fuit.
Nam qui legitimas Pastor retinebat habenas,
Multa dabat meritis templa regenda viris.
Perfidus at contra temeratis legibus alter
Templa sacerdotes jussit habere suos.
Ergo hinc Christicolas volitabant bella per urbes,
Dum cupit alterno quisque subesse duci.
Sicque per ambiguas errabat cymba procellas,
Ut foret incerto jam peritura mari.
Ipse Pater veræ fidei, pecorisque magister
Vix poterat propria delituisse domo.
Quid faciat? timido repetat si remige portum,
Certat in adversas ire magister aquas.
Deserat ipse ratem mediis Palinurus in undis?
Hoc prohibet sanctæ relligionis amor.
Innocentius cedit Italia.
Sed tandem rabidi defessus marte Leonis
Cedit, & Etrusco vectus ab amne fugit.
Sic tamen interea lacrymis affatur obortis,
Quos dederat profugæ Christus inesse rati.
O socii adversa felices sorte futuri,
Dummodo siderei sint rata dicta Ducis.
Auxilium sancto, nisi sit spes victa, labori,
Fidite, cælesti semper ab arce venit.
Maximus ille pater Gallorum gloria regni,
Cujus jam toto nomen in orbe micat:
Ille quidem lapsis poterit succurrere rebus;
Hæc requies longis sola reperta malis.

A Hunc etenim virtute Virum signisque potentem
Quis nescit facili volvere regna manu?
Hic ego securo statuam sub sidere puppim,
Hic poterit placido tuta latere vado.
Nec mora, Tyrrheno spumantibus æquore rostris
Excepit profugum Gallica terra ducem: Venit in Galliam.
Sicque peragrato Gallorum limite, summus
Candida per silvas Pastor ad antra venit.
Occurrunt longo venientibus ordine Patres,
Prævia Christiferæ signa fuere crucis, Visitat Claram-vallem.
Psallentesque pio mulcebant nubila cantu:
Talis in abjecto milite pompa fuit.
Hos Romanus eques nimium nimiumque beatos,
B Quos videt in tanta degere pace, vocat.
Et modo continuis celebrata silentia claustris,
Et modo Parthenii laudat honoris opes.
Nil ibi quod rapida cuperet novus advena mente,
Nil nisi præcipui candor amoris erat.
Panis, poma, nuces, hortensisque herba, legumen;
Deliciæ adductis ista fuere viris.
Maximus interea Christi sua fata Sacerdos
Tam longæ causas exposuitque viæ.
Tunc Pater ipse sui veritus mandata magistri,
Accepit profugæ vela tuenda ratis.
Non ego multiloquo septem tolerata per annos
Carmine fata notans singula quæque canam.
C Nec referam longos quos pertulit ille labores,
Dum cuperet laceram composuisse fidem.
Summa sequar tantum celebris fastigia facti,
Atque inerit chartis exitus ipse meis.
Imperium tenuit Romano in culmine summum
Lotharius tanti tempore discidii.
Ille Virum merito sanctum celebrabat honore,
Congaudens lateri semper adesse suo.
Hunc adiit, rogitatque senex, ut fortibus armis
Restituat patriæ sacra deosque suæ.
Annuit, & valido glomeratis agmine turmis,
Aggreditur sanctæ Rex pietatis iter.
Hinc precibus meritisque Pater Bernardus opimis;
D Atque hinc Lotharii castra fuere ducis. Lotharius Imperator Innocentium Romam reducit.
Sic graditur summus Romana ad tecta Sacerdos,
Hinc atque hinc duplici tutus ab arce sedens.
Ventum erat ad summi celeberrima templa Tonantis;
Vera loquar, facili sed graviora fide.
Non lituos, non castra duci, non bella movere,
Non opus ardentem conseruisse manum.
Unius, ô felix, monachi reverentia tantum
Terruit audaces sæva per arma viros.
Ipse autem tanti fuerat qui turbinis auctor,
Audiit hos simili tristis ab ore sonos.
Petre, tuam subito licuit mihi scindere vitam,
Et Phlegetontæo præcipitare lacu:
E Tu tamen, ut gemitu veniam merearis acerbo,
Tres tibi pro grandi munere sume dies. Petrus Leonis antipapa moritur.
Dicta fides sequitur: jam tertius ordine Titan
Fulserat, extremum clausit & ille diem.
Protinus expassis reserantur ovilia valvis,
Et resovent sparsos lata per arva greges.
Quod fuerat rabidi sancitum lege Leonis,
Dejicit hoc summa Præsul in Urbe sedens,
Jam poterant læti tractare negotia cives,
Et rigidam tandem vertere arator humum.
Omnibus hic igitur placida sub pace locatis,
Sanctus in optatos se tulit inde sinus.

F

## CAPUT V.

*Bernardus Romana Ecclesia felici pace donata, in Galliam honorifice redit: ibique sanctissimam Domino animam reddidit.*

PRæterea eximii tacitus miracula Patris,
Quæ fuerint longæ tempore facta viæ.
Felices etenim nimium, nimiumque fuere,
Hospitio illustrem qui tenuere virum:
Quique sacrum voluit populus retinere parentem,
Obvius in longas ibat ab urbe vias.

Gaudia quisque novo gradiens testatur amictu;
 Occurritque pio virque, puerque seni.
Luctus abit, lætis resonat concentibus æther;
 Festaque depositis artibus hospes agit.
Undique purpureos spargunt per compita flores,
 Et redolent sacris thura perusta focis.
Perque vias pueri ramos stravere virentes,
 Compita subjectis tecta fuere rogis.
Sic quondam Solymis, inopem quem vexit asellus,
 Excepit reducem grata caterva Deum.
At postquàm optati consedit limine tandem
 Hospitii, plaudens undique turba ruit.
Undique turba ruit tanto glomerata tumultu,
 Ut nequeat lassum limine ferre pedem.
Tot quoque difficili languentia corpora morbo
 Obtulerant, facili restituenda manu.
Ut male vel modici fuerit data copia somni,
 Nec tulerit properas mensa peracta dapes.
Sicque peragratis Gallorum finibus, Abbas
 Contigit optato claustra beata pede.
Tunc nemora, & patrii lapidosa cacumina montis
 Aspiceres domino plaudere cuncta suo.
Utque solet multo non visam tempore matrem
 Expetere, & plaudens basia ferre puer:
Sic hilates viso monachi pastore resultant;
 Osculaque alternis dantque, feruntque genis.
Tunc, modo qui fuerat titulis super æthera vectus,
 Cernere quem magni concupiere duces,
Ecce virum posito spectares præsule sanctum,
 Sarcula jam manibus corripuisse sacris.
Et quibus ipse humeris lassus consederat orbis,
 Cernitur in texto vimine ferre lutum.
Bis centum æthereo plaudebant agmina Regi,
 Quæ bonus ex omni traxerat orbe Pater.
Hæc fuerant tanto populis celebrata favore;
 Sic coluit sanctum virque, puerque gregem;
Totus ut ex illo resonans contenderet orbis,
 Sacrarum pariter detinuisse ducem.
Tunc Romana suo decoranda Antistite templa
 Eugenium ex humili surripuere domo.
Tunc etiam innumeræ diversis partibus urbes
 Inde sibi sacrum constituere caput.
Talibus acta viris nulla exagitante Charybdi,
 Sancta super tenues cymba fluebat aquas.
Aurea jam posito currebant sæcula fastu,
 Temporaque hæc nullis nigra fuere malis.
Omnia divinas resonabant compita laudes;
 Jam dabat angelicum terra fretumque melos.
Hæc tamen ante alias longè celeberrima valles,
 Quam coluit magni duxque paterque gregis.
Jamque decem senos lustris properantibus annos
 Clauserat extremo curva senecta pede,
Atque senescenti titubantia corpore membra,
 Pondere continui fracta laboris erant.
Nec tamen austeri laxavit frena senectus
 Culminis, aut celeres sistere visa rotas.
Sed velut in viridi properabat sævius ævo,
 Ut levis ad palmæ præmia currit equus.
Utque solet cantu modulos iterare canoro,
 Dulcius ad mortis limina ductus olor:
Sic dedit ille sonos supremo in limite dulces,
 Scriptaque decrepiti mira fuere senis.
Nam Pater æternos senio confectus amores,
 Exposuitque sacris oscula læta modis.
Jamque instare videns cælestis gaudia vitæ,
 Imposuit vili languida membra thoro.
Grex bonus ingemuit, circumfususque jacenti,
 Talia sollicito murmure dicta dabat.
Ergone jam miseros, Pater ô venerande, nepotes,
 Fert animus medio deseruisse mari?
Quisnam igitur tristes, vel quis solabitur ægros
 Pastor, & æthereî calcar amoris erit?
Quis, Pater, attonitos inopesque tuebitur agnos,
 Ne lanient avido viscera dente lupi?
Quis poterit miseris nodos aperire latentes
 Legis, & eloquii mystica verba sacri?

...ardus ...edit ab ...

...t Cla- vallem.

...enius Pontifex ...ciplina ...ardi pro-

...menta- in Can- ...m Cant.

...æ-val- ...ium ge- ...s & la- ...ta inf- ...e sancti ...is morte.



A Quis tunc torpentes animos, & frigida corda,
 Curabitque levi vulnera nostra manu?
Ah nimium properata tuæ cita tempora vitæ!
 Ah nimium leti fata severa tui!
Quid juvat assiduis defessum vocibus, olim
 Clavigerum nobis consuluisse Patrem,*
Ne quis forte suo populus pro præsule nostrum
 Surriperet sancta calliditate caput:
Invida si nostros nimium populata labores,
 Audet honoratum tollere Parca ducem?
Tu tamen, ô facili nutu qui sidera torques,
 Necte iterum vitæ fila resecta tuæ:
Ut cum fulta tuo fuerit domus ista labore,
B Lætior acceptum cernat abire patrem.
Motus erat dictis senior; paullumque levatis
 Luminibus, tenui rettulit ista sono;
Jam mihi summa quies, jam præmia læta parantur;
 Dulcis adest tandem funeris hora mei.
Sed vos femineo quid funditis ore querelas?
 Quid juvat immeritum detinuisse senem?
Anne prius toties dixi mea funera vobis,
 Ne subitus nimium læderet ossa dolor?
Christus, Olympiaca fuero cum sede locatus,
 Auxilium nostro majus ab ore pluet.
Nunc meus hic luteo circumdatur aggere sensus;
 Vix habet unde suas contueatur opes.
C Vos tantùm superi retinentes jussa Parentis,
 Ite per arreptum relligionis iter.
Non vos blandus honor, non vos labor improbus umquam,
 Non revocet toto quicquid in orbe patet.
Quid mihi si lituos inter facilesque choreas,
 Duxissent lætos tempora nostra dies?
Quid mihi præteriti prodessent gaudia fastus,
 Urgerent stygias si modo ferre faces?
Sed tandem tremulum vocat in sua regna clientem
 Christus, & hinc celeri me jubet ire pede.
Vos igitur, fratres, nati, patresque valete,
 Et mea sub memori condite dicta sinu.
Talia vix brevibus dederat mandata loquelis,
D Saucia sollicito corda dolore levans:
Cum niveus lacrymas inter gemitusque suorum
 Spiritus abjecto corpore celsus abit.
Ipsa per aërios Virgo nitidissima tractus,
 Visa est cælestes ducere læta choros:
Purpureamque trahens animam super arce locavit
 Empyrea, lateri composuitque suo.

* Claræ-vallenses privilegio Pontificis muniti de retinendo sibi Bernardo adversus quoscumque illum postulantes.

Bernardus fratres alloquitur & consolatur.

Moritur.

## CAPUT VI.

*Sanctus Bernardus non tantum antiquis heroïbus, sed Christianis quoque Martyribus jure optimo præponitur.*

E HActenus excelsi mirabar Cæsaris arma,
 Cui dedit æthereum Martia Roma decus:
Hannibalisque trucem Romano in sanguine dextram
 Et Macedûm clari gesta superba ducis.
Mirabar patria pro libertate furentes
 Scipiadas, Decios, Æmiliosque graves.
Nec minus ingenti decoratum laude fatebar,
 Qui fortem rapido torruit igne manum.
Cuique dedit clarum generoso ex ordine nomen
 Africa, quo felix consule Roma fuit.
Et qui sublicium tutatus pectore pontem,
 In Tyberis rapidas desilit actus aquas.
Quique Quirinalis posito modo consul aratro;
F Arma triumphato victor ab hoste tulit.
Et qui vectus equo radians fulgentibus armis,
 Se posuit scisso præcipitare foro.
Quique per adjunctas primævo in Marte catenas,
 Ionias Tyrio sanguine tinxit aquas.
Illum etiam titulis rebar super æthera vectum,
 Qui tenuit Phrygios obsidione lares,
Iliacosque inter proceres, qui Marte superbo,
 Inclytus, Æmonio tractus ab axe perit.
Quique gigantæo superavit robore monstra,
 Unde Molorchæi ligna leonis habet.

Hos ego credideram nimium, nimiumque beatos,
Qui tulerant forti nomen in astra manu.
Hos puer egregio simplex venerabar honore,
Cum legeret numeros prima juventa leves.
Nunc si Bernardo veteris præconia famæ,
Contulerimque meo fortia facta seni,
Quæ modo Threïcio fuerant celeberrima cantu,
Visa puellari nunc mihi digna sono:
Fama vetus taceat, cedant veterumque triumphi,
Christigenam meritis sollicitare virum.
His etenim fictæ fuerat virtutis imago,
* virtus. Huic arete* pleno pectore vera fuit.
Hic Marti & Phœbo gelidis libamina saxis
Obtulit, hic vero candida corda Deo.
Illi terrificis domuerunt barbara bellis
Mœnia, & ingenti tecta superba manu:
Hic vada tartarei domuit Phlegetontis, & omnes
Spirituum steterant ad data jussa chori.
Hi varios celebri subierunt marte labores,
Pro patria pulcrum succubuisse rati:
Hic tulit assidua gelidos sub morte dolores,
Disscissam cupiens conciliare fidem.
Illis falsus honos & inanis gloria famæ,
Solus at huic Christi causa laboris amor.
Forte triumphatis illi regionibus, ampla
Thesauros patriæ dona dedere suæ:
Hic autem miseros moriens dat habere nepotes,
Munera quæ nullo sunt moritura die.
Munera, quæ mores instauravere pudicos,
Hæc sunt quæ sacra scripserat ille manu.
Sed quid ego Herculeas Pygmæis carmine vires
Assimilo, & Phario flumina parva mari?
Optima mutato repetam præconia cantu,
Et, Pater, exemplo te meliore canam.
Nam tibi cur vanos ausim conferre Quirites,
Qui major quovis Martyre sanctus eras?
Grande quidem fuerat ferro flammisque necari,
Nec tamen æternam deseruisse fidem.
Præfertur martyribus. Majus opus summo versari in culmine rerum,
Nec tamen ulla animos ambitione premi.
Majus opus vitæ rigidum tenuisse cacumen
Semper, & angustum relligionis iter.
Bellaque spirituum telis agitata malignis
Majus opus forti corde tulisse fuit.
Fulmineos alii mirentur Martyris arcus,
Laurentique avido quos tulit ore rogos.
Vulnera Chrysogoni jactent, Paulique catenas,
Euphemiæque truci membra resecta manu.
Mirenturque graves Sanctorum funere pœnas,
Bella, crucem, gladios, verbera, tela, faces:
Solus inexhausto mirabor corde labores,
Quos Pater æterno raptus amore tulit.
Nam si Christigenum cædes, tormenta, labores,
Colligit, & fusi sanguinis omne decus;
Cedent cuncta oneri, quod pertulit ille, beato,
Lapsuram cupiens sustinuisse domum.
Namque alii lacera senserunt carne dolores,
Hic autem medio vulnera corde tulit.
Ergo animus quantum membris generosior ipsis,
Martyribus tantum celsior ille fuit.

## CAPUT VII.

*Pulcra commendatio scriptorum seu librorum S. Bernardi.*

Postquam sancta polos, cælique decemplicis orbes
Transscenditque novem Virgo parensque choros,
Æthereamque potens sociis spectantibus arcem,
Regna tenet nullo destituenda die:
Humanis numquam precibus nostræque saluti
Defuit, aut luteas spernere visa domos:
Sed potius summi moderata est Principis iras,
Spiculaque in nostros ejaculanda lares.
Auxilium sceleri visa est præstare nefando.
Sæpius, atque humiles conciliasse reos.
Illa dedit miseris veniam, totumque per orbem
Illius ex miti depluit ore favor.

A Innumeros etiam populos vix ægra trahentes
Ossa fame, immodicas jussit habere dapes.
Cumque foret Latias pestis male jacta per urbes,
Curavit stygiis ulcera missa vadis.
Illius optatos toties experta favores
Testis adest tanti Brixia * nostra boni: * Hinc conjicere licet, Philotheum Brixiensem, aut certe Italum fuisse.
Brixia, quæ quondam populis lacerata malignis
Turgebat, medica non adeunda manu.
Brixia, quæ capitis medio confecta gerebat
Ulcera, quæ subitæ causa fuere necis.
Nunc autem Mariæ precibus adjuta triumphat,
Et peragit lætis otia grata choris.
Pulcraque præcipuum Mariæ testantia munus
B Templa locat, Parii marmoris instar opus.
Hæc & plura parens Christi sanctissima nobis
Contulit, in miseras officiosa preces.
Hoc tamen audenti liceat dixisse camœna,
Atque animi sensus exseruisse mei.
Humano numquam generi, nostroque decori
Parthenice tantum muneris alma dedit,
Quantum grata suo nuper cum munere nobis
Protulit hæc brevibus scripta legenda notis.
Protulit ipsa quidem, proprio nam Diva clienti
Jussit, ut egregii quæreret orsa senis.
Jussit, & ecce novum fuerant quæ sparsa per orbem
Scripta, volens uno margine cuncta leges.
C Scripta triumphales cæli reserantia valvas,
Scriptaque communi suscipienda manu.
Omnis namque datis ætas, sexusque libellis
Perfruitur, Latio si tamen ore sonat.
Quisquis ades, si forte tuæ tibi curà salutis,
Hæc fuerint animæ grandia dona tuæ. Hortatur omnes & cujuscumque status homines ad legenda S. Bernardi scripta.
Si cupis optata connubia ducere prole,
Atque maritali tradere colla jugo:
Hic potes egregios morum decerpere fructus,
Qui tribuant natis nomina rara tuis.
Si tamen eloquii tantum tibi cura nitentis,
Hic fuit eximio non Cicerone minor.
Quod si forte pio juvat indulgere labori,
D Et populos Christi jussa docere rudes:
Hic documenta tibi varias spargenda per urbes
Collige, quæsitus hic meliora dabit.
Cum voluit placido demulsit pectora sensu,
Cum voluit rigido terruit ore reos.
Quod si cælitibus juvat indulgere tuendis,
Tutius atque humili delituisse casa:
Hic tibi præcipuo semper venerandus honore
Auctor, & æterno dignus amore coli,
Hunc relegens summo lætus spatiabere cælo,
Et poteris stygios tristis adire lacus.
Ante oculos nostri pinget tibi Principis ortus,
Et pastorali numina nata domo.
E Hinc atque hinc dulci resonat modulamine JESUS,
Et MARIA illustri nomina culta sono.
Candida tartareo statuisse ex hoste trophæa,
Anguigerumque docet diffecuisse caput.
Et quibus ille dolis miseros, quibus artibus alter
Decipiat pascens sancta per arva pecus.
Qui legit, expleri nequit, ardescitque legendo,
Et dolet assueti cum venit hora cibi.
Efficiunt animos aliorum scripta tumentes,
Et nimium sparsis luxuriare comis.
Hæc autem mundo Paracletum in pectore condent;
Accendentque novis frigida corda focis.
Hæc tibi marmoreo lacrymas de pectore dulces
F Elicient, animæ gaudia summa tuæ.
Denique cuncta novi veterisque volumina sensus
Solus hic eximia continet arte liber.
Hæc igitur toto monachi contendite cursu
Arripere, & tacito condite dicta sinu:
Ut vos sidereum faciant conscendere culmen,
Cælestesque inter regna tenere choros.
Vos quoque Christigenæ, genus immortale, clientes;
Parthenicum medio figite corde senem:
Ut cæli terræque graves eliminet iras,
Et reseret clausi limina celsa poli.

### NICOLAUS HACQUEVILLE,

Sacri Senatus Parisiensis præses æquissimus.

*De laudibus S. Bernardi, & situ Clara-vallis.*

ABdita vallis erat, mediis in montibus alto
Et nemore & viridi tunc adoperta rubo.
Hanc Claram-vallem merito dixere priores,
Mutarunt nomen, Vallis amara, tuum.
Quem licet umbrosi circumdent undique montes,
Nulla tamen toto clarior orbe fuit.
Hanc Alba irriguus mediam perlabitur amnis,
Fons tibi perpetuo munere donat aquam.
Ad quam, dive pater, primum, Bernarde, colendam
Mitteris: illo jam tempore tantus eras.
Nondum difficilis juveniles liquerat annos,
Mens tamen in tenera carne senilis erat.
Tunc fuit incultis hæc vallis consita dumis;
Tunc ibi non domitæ delituere feræ.
Illo silvestres produxit tempore fructus:
Viticolæ nulli, nullus arator erat.
Nullæ hominum sedes, vetus hæc spelunca latronum:
Nullus in hac poterat carpere tutus iter.
At postquam Claram-vallem Bernarde petisti,
Et statuis sedes fratribus ipse tuis:
Tunc subito antiquam mutarunt omnia formam:
Aspera quæ fuerant, fertiliora facis.
Vallis & in medio cellas, Christique dicatam
Ecclesiam, adductis fratribus ædificas.
Instruis angelicam hos in terris ducere vitam,
Psallere divinas nocte dieque preces.
Protinus immensum discurrit fama per orbem,
Bernardusque pater cuncta per ora volat.
Undique concurrunt pueri, juvenesque, senesque,
Flectere ad imperium colla superba tuum.
Non illos retinent matres, non mollior ætas,
Non timet austeras alba senecta vias.
Non illos remorantur opes, non denique vana
Quæ venit à claro sanguine nobilitas.
Ipseque mundanos spernens Henricus honores, (Henricus Ludovici ... Reg. ... frater ... monachus in Clara-valle.)
Cujus erat frater Gallica sceptra tenens:
Qui licet iste foret regali sanguine cretus,
Se tamen imperio subdidit ille tuo.
Omnia regna tuo nutu, Bernarde, regebas:
Tantum virtuti tunc adhibetur honos.
Si qua inter magnos fuerat discordia reges,
Omnia sunt voto conciliata tuo.
Tunc etiam insani rabies vesana Leonis
Vexabat rapidis dentibus Ecclesiam.
Sed tua pestiferas fregit prudentia vires;
Et finem tantis cladibus imposuit.
Testis Aquitanas regnans Guilielmus in urbes,
Dum Bernarde tuos concidit ante pedes.
Tu quoque fraternas acies dispergis in orbem,
Nullaque terra tuis fratribus absque patet.
Sive ea purpureos tellus quæ tendit ad ortus,
Quæque sub occiduo sole relicta jacet,
Quæcumque aut gelidas terræ flectuntur ad Arctos,
Quæve sub australi noscitur esse polo.
Aut ea quæ extremos nutrit populosa Britannos
Insula, quæ Oceano cingitur ampla mari,
Quam longe Europæ tenduntur denique fines,
Exquirunt fratres omnia regna tuos.
Omnia non possunt nunc carmina nostra notare:
Hæc pauca ex multis disseruisse sat est.
Nam gravis hæc nostras superat provincia vires,
Vena cui fluitat suavior, ille canat.
Hæc mihi sufficiat raptim tetigisse canendo;
Non facit ad tantum nostra camœna virum.

*Ad Clara-vallenses.*

POst præcepta Patris præsens dum vita superstes
Pergite, nam tacito jam fugit illa pede.
Nec vos pœniteat mundi sprevisse ruentis
A Tractandas parvo tempore delicias.
Tristitia quæ modo sunt quæcumque, & amara videntur
Gaudia post mortem non peritura parant.
Post lacrymas, gemitus, longa & suspiria vallis,
In montem excelsum vos trahet ipse Deus.

### BAPTISTÆ MANTUANI

*Carmen encomiasticum in vitam & obitum beati Bernardi Clara-vallensis cœnobii primi abbatis.*

Ex VIII. Fastorum.

BErnardi lux festa venit celeberrima Belgis.
B Belga fuit, sex germanos, unamque sororem
Traxit ad obsequium Christi. Deus omnibus unum
Inspiravit opus, vitæ genus omnibus unum.
Mater adhuc prægnans vidit per somnia, crebris
Se gestare utero catulum latratibus acrem.
Sic Deus ostendit, venturi qualia partus
Ora & corda forent contra genus omne malorum.
Ipse pudicitiam coluit, muliebria passus
Bella tamen juvenis, roseo quia candidus ore,
Corda paroxysmis gravibus torquebat, & igne
Quo Venus accendit teneras incesta medullas.
Cum peteret Celtas, & nox jam pallida cælum
Clauderet, hospitium subiit: temeraria noctu
C Hospita sopito juveni petulanter adhæsit,
Admovitque latus lateri. Scelus ille repente
Horruit, & magno sociis clamore vocatis
Nequitiam facto vicit terrore furentem.
Ingens forma malum, quo nulla nocentior herba
Per juga Thessaliæ legitur, per Phasidis arva.
Tradidit ingenium sacris sermonibus, omne
Quod docuit Christus, quod prædixere Prophetæ;
Quod didicit Moyses Panchæo in vertice, secum
Assidue meditans, sine præceptoribus ullis
Scivit, & idcirco silvas habuisse magistras
Se dicebat; inops vixit: sed munda volebat
Vestimenta, situm damnans, sordemque perosus.
Id curæ quod vulgus habet pro corpore, solam
D Transtulit ad mentem, vitiorum acerrimus hostis.
Si populis certamen erat, discordia regnis,
Bernardus pacator erat, legatus ad urbes
Ibat, & ad reges odium fracturus & iram,
Munere fungentem tali videre Alemanni.
Videre Insubres quondam, videre Aquitani.
Si quando in dubiis nutabant pectora rebus,
Ipse erat interpres ducens mortalia corda
De tenebris ad lumen, uti solet ignea lampas
Longinqua de turre micans adducere noctu
Turbine jactatos secura ad littora nautas.
Prodigiis, quot vix numero comprehendere fas est,
Claruit, occultas hominum cognoscere curas,
E Pellere avernales genios, curare jacentes
In languore potens: ideoque impleverat orbem
Fama viri, nomenque volans peregrina per ora.
Sex decies fundasse decem Cistercia tecta,
Dicitur: unius valuit prudentia tantum.
Sacra igitur meritis hujus vigesima tanti
Est aurora patris, qua sese in summa recepit
Limina supremi quod continet omnia cæli.

*In ms cod. Aquicinctensi legitur carmen sic inscriptum:* Venerabili Abbati Claræ-vallensi Bernardo Anselmus in laudem Claræ-vallis, *sub hoc initio.*
Vallis devexa, quam mons devexus opacat.

F

## DESCRIPTIO

### POSITIONIS SEU SITUATIONIS MONASTERII CLARÆ-VALLENSIS.

SI situm Claræ-vallis nosse desideras, hæc tibi scripta sint pro speculo. Duo montes non longe ab Abbatia habent initium, qui primo angustæ vallis interjectione distincti, quo magis ad Abbatiam appropiant, majore hiatu fauces dilatant: quorum alter alterum Abbatiæ latus dimidium, alter totum occupat. Alter fœcundus (Montes duo monasterio vicini.)

vinearum, alter frugum fertilis, jucundum visui, & usui commodum ministerium præbet: dum per devexa latera in alto crescit quod comedatur; quod bibatur in altera. In summis montium frequens monachis labor est, amœnus quidem & quiete jucundior, ramale vetus colligere, & colligare fasciculos ad comburendum. Squalentes exstirpare dumos, & solis aptos ignibus aptare, eruderare sentes, evellere, destruere, disperdere (ut secundum Salomonem dicam) spuria vitulamina, quæ crescentium arborum vel ligant ramos, vel radices suffodiunt, ne impediatur rigida quercus sublimi salutare sidera vertice, tilia mollis brachia explicare, fissilis & flexilis fraxinus libere se in altum extendere, patulave fagus in latum expandere.

Pomœrium. Porro Abbatiæ pars posterior in latam desinit planiciem, cujus partem non modicam murus occupat, qui Abbatiam diffuso cingit ambitu. Intra hujus septa multæ & variæ arbores variis fœcundæ fructibus instar nemoris pomœrium faciunt; quod infirmorum cellæ contiguum, infirmitates fratrum non mediocri levat solatio, dum spatiosum spatiantibus præbet deambulatorium, æstuantibus quoque suave reclinatorium. Sedet ægrotus cespite in viridi, & cum inclementia canicularis immiti sidere terras excoquit, & siccat flumina, ipse in securitatem & absconsionem & umbraculum diei ab æstu, fronde sub arborea ferventia temperat astra: & ad doloris sui solatium, naribus suis gramineæ redolent species. Pascit oculos herbarum & arborum amœna viriditas, & pendentes ante se, atque crescentes immensæ ejus deliciæ, ut non immerito dicat: *Sub umbra arboris illius, quam desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Aures suavi modulamine demulcet pictarum concentus avium: & ad unius morbi remedium, divina pietas multa procurat solatia, dum aër nitida ridet serenitate, terra fœcunditate spirat, & ipse oculis, auribus, naribus, colorum, canorum, odorum delicias haurit.

Hortus. Ubi pomœrium desinit, incipit hortus intercisis distinctus areolis, vel potius divisus rivulis intercurrentibus. Nam licet aqua dormitans appareat, pigro tamen decurrit elapsu. Pulcrum & hic infirmis fratribus præbetur spectaculum, dum super viridem puri gurgitis marginem sedent, vitrea videre sub unda pisciculos ludere, & natatu obvio militarem repræsentare congressum. Aqua hæc piscibus alendis, & rigandis oleribus duplici ministerio servit: cui Alba, famosi nominis fluvius, indefesso meatu fomenta ministrat. Hic per multas Abbatiæ officinas transitum faciens, ubique pro fideli obsequio post se benedictionem relinquit: qui ad hoc cum multo quidem labore conscendit, non integer, nec tamen otiose pertransit. Ipse quidem mediam vallem flexuosum intersecans per alveum, quem non natura, sed fratrum industria fecit, dimidium sui mittit in Abbatiam, quasi ad salutandum fratres, & se, quod totus non venerit, excusandum, quippe qui totius capax canale non invenit. Et si forte amnis ipse inundans impetuoso excursu proruit, objectu muri retroactus, subtus quo eum necesse est fluere, in seipsum recurrit, & refluum denuo defluus amplexatur. Intromissus vero quantum murus, portarii vice, permisit, primum in molendinum impetum facit, ubi multum sollicitus est, & turbatur erga plurima, tum molarum mole far comminuendo, tum farinam cribro subtili segregando à furfure.

Alba fluvius diversa Claræ-valli ministeria & commoda præstat.

Hic jam vicina domo caldariam implet, se igni coquendum committit, ut fratribus potum paret, si forte sterilis vindemia cultoris industriæ non bene responderit, & defectu sanguinis uvæ, de filia fuerit festucæ supplendus. Sed nec sic se absolvit. Eum enim ad se fullones invitant, qui sunt molendino confines, rationis jure exigentes, ut sicut in molendino sollicitus est, quo fratres vescantur, ita apud eos paret, quo & vestiantur. Ille autem non contradicit, nec quicquam eorum negat quæ petuntur: sed graves illos, sive pistillos, sive malleos dicere mavis, vel certe pedes ligneos (nam hoc nomen saltuoso fullonum negotio magis videtur congruere) alternatim elevans atque deponens, gravi labore fullones absolvit: & si joculare quippiam licet interserere seriis, peccati eo-

A rum pœnas absolvit. Deus bone, quanta pauperibus tuis procuras solatia, ne abundantiore tristitia absorbeantur! quanta pœnitentibus pœnæ alleviamenta dispensas, ne laboris violentia nonnumquam fortassis opprimantur! Nam quot equorum dorsa frangeret, quot hominum fatigaret brachia labor, à quo nos sine labore amnis ille gratiosus absolvit, etiam cum sine ipso nec indumentum nobis pararetur, nec alimentum? ipse vero nobiscum participatur, nec aliud de labore suo, quo laborat sub sole, mercedis exspectat, quam ut cum omnia diligenter perfecerit, liber permittatur abire. Tot ergo volubiles rotas rotatu rapido circumducens, sic spumeus exit, ut ipse quasi moli, & mollior fieri videatur.

B Excipitur dehinc à domo coriaria, ubi conficiendis his quæ ad fratrum calceamenta sunt necessaria, operosam exhibet sedulitatem. Deinde minutatim se, & per membra multa distribuens, singulas officinas officioso discursu perscrutatur, ubique diligenter inquirens, quid quo ipsius ministerio opus habeat, coquendis, cribrandis, vertendis, terendis, rigandis, lavandis, molendis, molliendis, suum sine contradictione præstans obsequium. Postremo ne quid ei desit ad ullam gratiam, & ne ipsius quaquaversum imperfecta sint opera, asportans immunditias, omnia post se munda relinquit. Et jam peracto strenue propter quod venerat, rapida celeritate festinat ad fluvium, ut vice Claræ-vallis agens ei gratias pro C universis beneficiis suis, salutationi ejus resalutatione condigna respondeat: statimque refundens ei aquas quas nobis transfuderat, sic de duobus efficit unum, ut nullum appareat unionis vestigium: & quem discessu suo tenuem & pigrum fecerat, mixtus ei morantem præcipitat.

Sed quia eum loco suo restituimus, redeamus ad rivulos, quos post nos reliquimus, qui derivati à fluvio, passivis per prata vagantur excursibus, ut inebrient terram & infundant eam, & germinare eam faciant: ne cum verna temperie terra prægnans in partum solvitur, renascentia gramina humoris inopia marcescant; nec opus habeant mendicatis nubium guttulis irrigari, suffi- D cienter cognati fluminis fota beneficio. Hi rivuli, vel potius sulci post peractum officium, fluvio qui eos evomuerat, absorbentur, & jam totus simul Alba collectus, prono decursu per devexa festinat. Sed quia jam eum longius conduximus, & ipse, secundum Salomonem, ad locum suum revertitur, revertamur & nos unde digressi sumus, & diffusam prati planitiem succincto sermone transsiliamus. Eccl. 1. 2.

Multum habet locus ille amœnitatis, multum quod mentes fessas allevet, luctusque solvat anxios, multum quod quærentes Dominum ad devotionem accendat, & supernæ dulcedinis ad quam suspiramus admoneat, dum ridens terræ facies multiplici colore, vernanti pictura E oculos pascit, & suaveolentem naribus spirat odorem. Sed & dum video florem, dum sentio floris odorem, historias veterum memorant mihi prata dierum. Nam cum odoris delicias haurio, occurrit animo fragantia vestimentorum Patriarchæ Jacob, suaveolentiæ agri pleni fuisse assimilata. Dumque oculos colore reficio, hanc recordor speciem purpuræ Salomonis fuisse prælatam, qui in omni gloria sua liliorum agri decorem æquiparare non potuit, cum tamen nec ars ipsius sapientiæ, nec potentiæ deesset materia: & sic dum foris fruor ministerio, non parum latenti delector mysterio. Hoc ergo pratum intercurrentis fluvii fovetur irriguo. & ad humorem ejus F mittit radices suas: ideo non timebit cum venerit æstus. In longum autem tanto tractu distenditur, ut cum tonsum vellus gramineum sol in fœnum torruerit, bis denis diebus conventum lassare sufficiat. Nec tamen solis monachis labor ille relinquitur: sed cum monachis tam conversorum, donatorum, quam conductitiorum innumerosa multitudo defectas colligit herbas, & tonsam raro pectine vertit humum.

Pratum.

Hoc pratum inter se duæ grangiæ dividunt, quibus Alba ad dirimendam litem æquus arbiter & mensor accedit, qui suam cuique partem in funiculo distributionis assignans, seipsum limitem facit, quem altera ad inva-

dendam alterius partem transire non audeat. Grangias has non conversorum esse habitacula, sed claustra monachorum crederes, nisi vel juga boum, vel aratra, vel instrumenta alia rusticanis apta laboribus, habitatores suos proderent, & nisi quod in eis libri non explicantur. Nam quantum ad ædificia spectat, ea magno monachorum conventui diceres & situ convenire, & decere venustate, & capacitate sufficere.

In parte prati, quæ est muro contigua, de campo solido factus est lacus liquidus: ubi prius æstuans operarius, fœnum falce secabat acuta, ibi frater aquarius sedens mobili per lubricam liquentis campi planitiem equo vectus ligneo, levem ramum pro calcaribus habet, quo cursum urgeat,& pro freno quo flectat. Explicatur rete sub undis quo implicetur pisciculus, & parantur ei escæ quibus libenter vescitur, sed latet hamus in illis quo capitur incautus. quo exemplo docemur spernere voluptates: quia nocet empta dolore voluptas: cujus tristes esse exitus nemo nescire permittitur, nisi qui vel non peccavit, vel non bene de peccato pœnituit. Longe autem faciat Deus à nobis delectationem, secus cujus introitum mors posita est: quæ secundum Sapientis descriptionem, *apum par volantum, ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit icta corda morsu.* Laci ambitus per altum ripæ marginem conserti vimineis ligatur radicibus, ne undæ alluenti cedat terra fatiscens. Præterfluenti rivo lacus hic pascitur, qui vix sexies senis pedibus sejunctus, per meatus exiles infundit ei aquas quibus alatur, & ipsas quoque eadem exilitate refundit. Unde & sic in eodem statu permanet, ut nec major sit influentibus, nec effluentibus minor: quia eadem mensura & recipit, & rejicit eas.

Sed dum per plana cursu feror volatili, dum anhelus in arduis ilia duco, vel purpuream prati superficiem manu ipsius Sapientiæ pictam, vel comata arboribus montium juga describo, arguit me ingratitudinis fons ille dulcissimus sæpenumero mihi bibitus, & bene quidem meritus de me, sed à me male remuneratus. Objicit mihi cum exprobratione, quod sæpe exstinguendæ siti meæ servierit, quod se meis non solum manibus, sed & pedibus lavandis humiliaverit, quod multa mihi impenderit humanitatis ac benignitatis officia: bono merito, mercede mala me respondisse: se in locorum catalogo locum ultimum, & pæne nec ultimum fuisse sortitum, cui tamen pro sui reverentia primus deberetur. Et vere diffiteri nequeo sero me ipsius meminisse, quando ante ipsum alicujus memini. Verum ipse per decursus & discursus subterraneos tacite labens, ita ut nec leni murmure transitus ejus valeat deprehendi, instar aquarum Siloë, quæ cum silentio vadunt, quasi prodi metueret, ubique caput suum cooperit, & sui declinat aspectus. Quidni crederem velle taceri, quem video non nisi sub tecto velle videri? Hic ergo fons (quod boni fontis esse fertur indicium) ex opposito solis orientis oritur, ita ut æstivo solstitio roseam rutilantis auroræ faciem ex adverso salutet. Tugurio vel (ut majori reverentia dicam) tabernaculo parvo & pulcro cooperitur & clauditur, ne undecumque sordes admittat. Ubi eum mons evomit, vallis deglutit: & in loco quo oritur, eodem quasi moritur, quin & sepelitur. Sed ne expectes signum Jonæ prophetæ, ut tribus diebus & tribus noctibus delitescat absconditus: statim ad mille passus intra claustrum monasterii, quasi de corde terræ resuscitatus progreditur, & quodammodo redivivus apparet, visui tantum & usui fratrum se offerens, ne cum aliis quam cum sanctis sors illius amodo sit futura.

## GAUFRIDI ABBATIS, CLARÆ-VALLENSIS IV.*

### SERMO.*

#### *In anniversario obitus S. Bernardi.*

1. QUam dulcis hodie, dilectissimi filii, paterna debet esse memoria! quam amabilis, quam acceptabilis, quam jucunda, quam celebris! Cum enim sit pretiosa in conspectu Domini mors servi ejus; nullatenus est negligenda mortalibus, nec sepelienda tanti Viri memoria negligentiæ tumulo, nec oblivionis est tumulanda sepulcro. Amplectendum in omnibus, & per omnia nomen sanctum, magnifica ejus opera audientibus, verba legentibus, considerantibus fructum. Nec decet illos corporeum ejus obitum oblivisci, qui ipsius vitam noverunt spiritalem: quam devota Deo, quam pura sibi, quam fuerit utilis & fructuosa quamplurimis. Verumtamen dulcior satis, & longe eis debet esse jucundior hodierna memoria, qui inserti in illius tam bonæ olivæ pinguedine, etiam nunc ab ipsa sancta radice portantur. Super omnes autem dulcissima ejus & omnimodis debet esse devota, qui memoriam abundantiæ suavitatis, quam aliquando gustaverunt, & ruminant, & eructant, dum recolunt & referunt aliis, quæ de illo Dei homine viderunt, & audierunt; & manus illorum forte contrectaverunt. Ejusmodi enim secum loquuntur, & de iis pronuntiant universi, quod de beato Elia quidam Sapiens aiebat: *Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati * sunt.* Ceterum in omni veterum jucunditate captanda nobis utilitas, & quærendus in omnibus devotionis affectus, salutis fructus, ædificationis effectus. Paupertas siquidem nostra refici magis eget, quam delectari: & si non desipit, escas potius quam delicias quærit. (Eccli 48. b; * Vulg. l. decorati,)

2. Et sane utrasque in hac sancta & fructuosa arbore, si pie quærimus, invenimus. Hoc enim lignum primo quidem plantatum secus decursus aquarum, fructum suum dedit in tempore suo. Sed jam nunc, ut alibi transplantatum est secus aquas, nec aliquem desinit facere fructum. Vivunt adhuc in nobis exempla conversationis ejus, & frequentantur eloquia oris ejus, orationum ejus suffragia sacra non desinunt. Legimus de filiis Israël, quod servierunt Domino cunctis diebus Josue, & seniorum: qui noverant omnia opera Domini quæ fecerat in Israël. Utinam longo vivat tempore hujus beati Patris generatio, quam præsentialiter per Evangelium genuit ipse, & sæpius parturivit. Utinam ejus vestigia sic sequatur, ne (quod absit) adversus eam secutura posteritas causas habeat querelarum, quod declinantes cito à via vitæ, quæ ostensa est eis, nec ipsi intraverint, nec permiserint nos deinceps introire sequaces. Hoc enim erat, quod à vobis assumendus, studiose monebat. Et nunc quoque, ni fallor, immo quia non fallor, paterna desiderat caritate, ut secundum illud Apostoli, quemadmodum accepistis ab eo quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo per omnia, sic & ambuletis ut abundetis magis. Nimirum sollicitus erat propter illud forsitan Moysi sancti terribile verbum quod legerat, ne forte dicendum aliquibus videretur: *Adhuc vivente me & ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero?* Nec minus (ut vereor) apostolica eum verba movebant, quod intraturos forte prænosceret post discessum suum in discipulorum ovilia lupos graves. Utinam ergo nobis ille in perpetuum vivat, nec aliquando moriatur! Utinam numquam discedat, sed firmiter teneatur, nec aliquando dimittat! Utinam noster ille inveniatur Abbas, & vos filii ejus: vester ille pastor, & vos oves pascuæ ejus! Nos enim (ut ipse scitis) non propter nos, sed propter illum qui dilexit nos, hodie hic sedemus, quod cavere ante omnia volueritis, ne surrexisse videretur in nobis qui ignoraret Joseph. (Jos. 24. g; B. Bernardi morientis monita.; 1. Thess. 4; Deut. 31 g; Act. 10. f)

3. Et nunc, carissimi, quæ videntur in nobis, temporalia sunt, & continuo transitura: non sic autem quæ in illo credimus, etiam videmus. Invisibilem itaque, tamquam videntes æmulemur & veneremur, in omnibus observantes præcepta ejus, consilia & exempla optantes, etiam & orantes. Utimur interim commemoratione, temporali congratulamur officio, perpetuo lætamur aspectu. Numquid enim vel modo, sicut videre eum non meremur, sic ab eo ipsi etiam non videmur? Absit à nobis, fratres, absit, ut tale aliquid vel tenuiter suspicemur. Quam multa Vir sanctus, etiam dum in carne vixit, vidit in spiritu? Quanta etiam longe positus comperit? quam multa quoque futura prænovit, atque prænuntiavit? Scio hominem, quem divini sermonis homo cum aliis quidem non paucis ipse piscatus, in cellam

Novitiorum, ubi plures eo tempore juxta legis Dominicæ sanctionem, primitiarum manipuli frangebantur, & torrebantur, induxit. Interim causa exstitit, sicut frequens illum trahebat necessitas, tam suorum, quam totius Ecclesiæ Dei, ut egressus à monasterio per dies aliquot Pater sanctus absens, sed corpore solo, non corde nec efficaci providentia spiritus, sed præsentia carnis infirma. Regressus denique de via, tirones Domini sui confestim visitat, quos ad militiam ejus (si bene memini) circiter octoginta * armis spiritalibus instruebat. quibus salutatis, non multa locutus, unum illorum nomine evocans, aiebat: Noveris quia postquam me non vidisti, ipse te vidi, & quidem mæstum nimis, ac vehementer afflictum, & cum tibi pacem, cupidus pacis osculum darem, lacrymis tuis ipse permadui. Hæc ait, & propius illum accedere jubens, sua illa piissima dignatione osculatus ac magnifice consolatus est eum. Nec mirum quod mira facilitate, mira celeritate nubem illam radius ille dissolvit. siquidem non jam illa visio fuerat. Nam in multa ante præventum benedictione dulcedinis, post ejusdem beati Patris egressum, gravissima quædam occupaverat ea tempestate tentatio, & propemodum vehemens absorbuerat mæror. Sed gemina quædam sacrorum gratia labiorum in verbo veritatis, & in osculo caritatis confestim tristitiam depulit, reddidit lætitiam salutarem.

Absens Bern. suorum necessitates & pericula novit.

V. lib. 7. Vitæ cap. 12.

* V. lib. 5. Vitæ num 20.

4. Et nunc, fratres, quis dabit capiti nostro aquas lacrymarum, fontes oculis nostris? Suspiremus lumen, suspiremus, carissimi, suspiremus ad Dominum, donec arenti nostræ terræ utrumque adjiciatur irriguum: deducant oculi nostri divisiones aquarum, si forte in illum pluant paternæ clementiæ sinum, si forte etiam nunc ad filiorum fletus paternum madeat pectus. Quem enim velut in cunis adhuc infantilibus vagientis parvuli causa non latuit, quando longe positus, & afflicti tribulationem perceperit, & tristitiam noverit, lacrymas senserit: quid putatis, quanto certius nunc nostra omnia percipit, omnia novit, omnia sentit? Aut quomodo singulis quibusque cum apparuerit adhuc, si sine ulla hæsitatione viderimus eum; (& utinam gaudeat cor nostrum, & gaudium nostrum nemo tollat à nobis) quomodo, inquam, singulos amplectetur, singulos alloquetur, singulis indicabit, quia ego tibi, cum nescires, in illa tunc necessitate affui, illos audivi gemitus, illos conatus adjuvi, illas vidi lacrymas, suspiria illa suscepi? In qua tamen nimirum exspectatione ipsos, quos Vir sanctus adhuc in carne degens spiritaliter educavit, primos conveniet, & non solos: utrumque enim eadem deseipsa Veritas ait: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis:* &, *beati qui non viderunt & crediderunt.*

Matth. 13.

5. Nonnullis etiam Pater sanctus, cum in carne eum non viderunt, benignum sese in spiritu exhibuit patrem, tulit opem, abstulit tentationem, attulit consolationem. Nam ex lavacro sacri corporis ejus, cum ex more ei post transitum debitas exhiberemus exsequias, fratres quidam in remotissimas orbis partes deportaverunt, &, sicut eorumdem certa relatione didicimus, cùm jam decimus annus transierit *, non tantum aqua illa usque modo manet omnimodis illibata, sed eamdem obtinet & gratiam quæcumque fuerit superfusa. Cum enim pluribus jam ad remedia postulantibus de eodem sacro liquore donaverint, (nam & eum multis opem tulisse confirmant) impleto tamen sæpius aqua altera vasculo, talis permanet usque hodie, qualis prima fuerat die. Atque utinam in perpetuum in ejusdem beati Patris congregatione probetur, quod in liquore fieri perhibetur, ut nec color optimus in exteriore conversatione, nec sapor in cælesti intentione, nec odor in opinione mutetur, sed eidem gratiæ in qua Vir sanctus exstitit, quicquid infunditis conformetur. Neque nunc ipsius proposuimus narrare virtutes, sed ad ejus æmulationem & reverentiam vestras, quantum possumus, erigere mentes. Quem nimirum, etsi corporaliter jam non videtis, spiritualiter quæ de illo dilectionis vestræ corda meditantur, adjuvabunt sensus nostri conatus; & quicquid sermoni meo expedire difficile est, vestra sibi pectora propriis cogitationibus eloquentur. Scriptura quodam loco

* Anno 1163.

Mirum de aqua, qua ablutum corpus S. Bernardi mortui.

continet; Sapientia in exitu cernitur: hoc est dicere, Sapientis conversatio in consummationis fine laudatur. Unde & in alio loco: *Ne laudes*, inquit, *hominem in vita sua.* & iterum: *Ante mortem ne laudaveris quemquam:* tamquam diceret; Lauda post mortem. Viventis enim laudibus laudato locus vanæ exsultationis offertur, & laudatori maxime nota assentationis affigitur.

Eccl. 11. 3

6. Multis enim modis utile est laudare defunctum. Primum quia dum abest cui gratificari laudatione possumus, necesse est, ut ad largitorem gratiæ Deum laus tota referatur. Deinde quia sola virtutis admiratio residet, ubi suspicio assentationis aufertur. Defuncti itaque in sancta congregatione fidelium laus prolata plena est ædificationis, jactantia vacuat merita: in hoc quoque eum, qui laudatur, accusans, quod plures sua laude proficiunt. Nec vereor, ne nimis forsitan favorabiliter de eo me loqui credatur, quia præterquam nihil non inferius dici suis virtutibus potest, nemo est qui illum non suum computet, suum senserit, suumque crediderit. Non tamen ego ingenii fiducia, neque fretus eloquio, ad attingendam tanti Viri vitam manum mitto: quam si quis priscæ eloquentiæ auctor attingeret, non solum nihil facundia ornaret, sed victus materiæ mole succumberet. Vester me amor provocat, vester affectus de illo aliquid loquendi fiduciam subministrat. Animabitur ipsius, ut credimus, merito sermo, quamvis repentis ingenii; & quod jacet verbis, elevabitur rebus, & effusa in illum caritate vestrorum pectorum condietur.

Defunctorum laudatio utilis.

7. Est illud votum omnibus oratoriæ disciplinæ, quorum laudandam susceperunt vitam, patriam prius & originem prædicare, ut quod in propriis virtutibus deest, in patrum gloria præcessisse videatur. Nos autem in Christo omnes unum sumus, & fastigium est nobilitatis, inter Dei famulos computari: nec addere quicquam nobis ad dignitatem hanc originis terrenæ decus, nisi contemptu suo potest. Nemo in cælis clarior, quam qui repudiato patrum stemmate, elegit sola Christi paternitate censeri. Prætermitto itaque commemorata avita illius sæcularium honorum insignia, & familiæ suæ nobilitatem majori generositate pectoris fastiditam, nec placuisse illum sibi de supervacuis suorum honoribus, qui per amorem veritatis jam suos non optabat. Ad illud potius meus sermo festinat, quam dulcissima infantia, quam modesta pueritia, quam gravis adolescentia fuerit, quam omnes ætatum gradus supra virtutem transscenderit, majorque semper inventus sit, ut prorsus divino quodam pædagogio educatum putem. Intraverat enim gratia sua omnium sensus; & cum eum Christus sibi assumeret, terram * in suis omnibus certatim mundus tenebat. Alios dulcedo sua alligaverat, alios collegii blandimentum devinxerat; alios juvenum exercitus admiratio sæcularium virtutum tenebat. Quot illi jura prioris gratiæ fuerant, tot à conversione vinculis retrahebatur. Commune quoddam decus præripi omnes timebant. Et vere quis umquam illum habitus non quasi proprius accepit? Quos aliquando amictus non ornavit? Itaque velut splendidissimam gemmam & commune omnium decus sibi simul putabant eripi, neque immutanda hæc omnia & reformanda in melius, ut vidimus, sed quasi moritura credebant. Nec immerito eum sæcularis gloria sibi à Christo præripi timebat, quem inter reliquos ornatissimum invenit, velut unicum amplectebatur.

Nobilitatis terrenæ contemptus in religione nobilitat.

* f. tamen

8. Verum fastidiebat adolescens, quo grandævi delectabantur, tali se semper adhortatione compellans: Delectat hæc vita, sed decipit. Alia in ecclesiis præcepta recitantur; alia ibi in auribus mandata sonuerunt. Illic modestia, continentia, & pudor traditur: hic luxuria effrenata mittitur. Illic ad æternum regnum Christus invitat: hic diabolus ad temporale sollicitat. *Omne quod in mundo est, vanitas & concupiscentia oculorum: & mundus transit & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum*, sicut & ipse in æternum. Festinemus erui ab his laqueis, dum adhuc minus tenemur. Diu alligata tardius solvuntur. Facilius est tenera vellere, quam robusta succidere. In monte salvam fac animam tuam; ne forte apprehendant te mala conversationis istius. Cito serpit voluptatis venenum. Servanda est

1. Johann.

» est Christo pro Christi gratia sumpta libertas. Alii aurum » argentumque mirantur: dominantur, ut video, metalla » dominantibus. Prædia atque mancipia non sine animi sui » captivitate possideant alii, honoribus gaudeant, & honori » in se divinæ imaginis præferant. Mihi satis est mancipium « non esse vitiorum; mihi salus, gaudium; mihi in virtuti- » bus, voluptas; mihi thesaurus sit. Pensabit mihi gaudia » mæroribus: dabit & in hac vita, disciplinæ studio » oblectari, & ornari; & inter hæc dignum fieri cælestibus » regnis. Nec longas talis meditatio moras pertulit, sed ilico in flammam conversionis nutrita hujusmodi fomentis scintilla perrumpit. Jugum dominicæ servitutis subdita cervice suscipiens, jugum libertatis excussit, intelligens summum esse captivitatis genus licentiam juventutis. B Transfertur ad nitorem mentis vestium splendor; cervicis lacteæ decus palliis rigentibus occupatur; transit lætitia in gravitatem: membrorum vigor animi vigore mutatur. Virtus corporis in virtutem spiritus migrat: pallescit jejunio speciosa facies; & prius succi, fit plena gravitatis. Et quid plura? totus de alio alius ostenditur. Assistit tironi suo Dominus, & consolatur; nec dissimulat germanos suos in collegium suscitare, qui exemplo ejus vocati ad conversionem, sicut collegio illum, ita & virtute comitati sunt.

[...]e Deo [...]ha liber-

9. Hinc jam inter illos certamina gratuita propositi*, cujus mens ad pietatem mollior, cujus esset cibus durior, cujus sermo blandior, cujus amictus asperior; quis loqui C rarius, quis orare crebrius posset; quem minus moveret injuria, quem magis misericordia; quis daret promptius quod sibi detraxisset; cui in ore ratior mundus, cui frequentior Christus: quis in illa sublimitate virtutum sibimetipsi minor videretur; & quo magis merito ascenderet, hoc magis compunctione decresceret. Jam quæ illorum gravitas, quæ simul maturitas, quam rara feminarum visitatio, etiam proximarum, & quæ inter tot virtutes totius vanitatis fuga! Industria horum electis Dei templum excitatur, apta monachorum tecta consurgunt, ubi angelica ab illis vita in terris ducebatur, in multa patientia, in vigiliis, in jejuniis, in scientia, in longanimitate, in Spiritu-sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, D in virtute Dei. Interea amor in illum omnium crescebat, multiplicabatur, disseminabatur, & fama in ulteriora quæque ferebatur. Tota erga illum patria obsequii amore & honore certabat. Pavebat ille interea gloriam suam; & honorem bonæ conversationis longe lateque diffusum licet ad Dei laudem referret; sibi tamen vanitatis periculum metuebat inferre: percepisse se in vita sua mercedem putabat. Certatim jam illi omnis regio quærentes Deum dirigebat: hunc expetiit quisquis Christum desideravit: plane Christum, qui hunc expetiit, invenit. Illic enim totus ille vigebat. Pectus suum quasi præcelsam arcem & splendidissimum templum insederat. Illic castitas, sanctitas, fides, sapientia, & virtus habitavit: ibi justitia fulsit & veritas. Itaque velut effusis ulnis, patentibusque brachiis in amplexum suum omnes, hoc est in amorem Christi, invitabat. Omnes undique ad illum certatim confluebant. Etenim quæ adhuc terra, quæ natio in monasterio illius cives suos non habet? Quem ille rabidum non mitigavit? Quoties de immanibus belluis quam mites fecit columbas? quam amaros interdum movit & Christi dulcedine adspersit; & quorum gravitas sibimet ipsis pœnalis fuerat, eorum postmodum gratia oblectamento omnibus erat? Degustata denique boni suavitate non poterant non magis odisse quanta* fuerant. Nam velut educti in novam lucem, antiquum illum diu insidentium errorum carcerem detestabantur.

[...] propo- [...]emula- [...]xcellere [...] virtuti-

[...]fluxus [...]uens ex [...]ibus [...]di parti- [...] ad Cla- [...]-vallem.

[...] quod [...]a.

10. Pulsa est per orationes ipsius varia pestis animorum. Amaritudo, asperitas, & rabies locum dabant libertati, quam Christus obtulerat; & delectabat requies post longam & gravem Pharaonicam servitutem. Stupenda & admirabilis permutatio! Non circeo, ut aiunt, poculo ex hominibus feras, sed ex feris homines Christi, tamquam dulcissimum poculum ipso ministrante, faciebat. Quid enim non obtineret illa instantia cum alacritate conjuncta? Aut qui lapides non in Abrahæ filios verterentur, ubi tanta in

[...]m felici- [...] multos à [...]s ad vir- [...]s amo- [...] tradu- [...]t. [...]tb. 3.

A expoliendis mentibus officina virtutum? Si minus hominem ad salutem suis exhortationibus promoverit, Deum oratione constringeret. Omnium enim ille passiones suas credidit, & tamquam suas flevit, & profectus laboresque omnium computavit suos, sciens gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Simul & virtutes, & vitia omnium in meriti sui cumulum transferebat. Sicut enim virtus ad virtutem excitat: ita miseratio miseris impensa sanctificat. Merit ergo in singulis plusquam singuli sibi. Singulorum enim salus summam illi gloriam struit. Impiger, festinans, infatigabilis perseverat, prout uniuscujusque mores naturamque conspexerat. Hunc secreto, hunc palam; hunc severus, hunc blandus aggreditur, & ad castigandi immutationem, ipsam plerumque faciem castigationis immutat. Inde illud erat, quod non facile quemquam tantum vel amari vidimus, vel timeri. Ita enim duos hos affectus in unoquoque suorum collocabat, ut amor suus dilecti metum, & timor disciplinæ amorem introduceret.

11. Incredibile est quantæ illi curæ fuerit, ne quem tristitia affligeret, ne cogitatio singularis urgeret; quam facile perspexerit quid quemque vexarit, quam singulorum mentes gestarit: quantæ præterea pietatis dispensatione provideret, ne quem nimii labores gravarent, ne quis nimia quiete torperet, ipsos (si dici potest) singulorum fratrum somnos pio pensavit affectu. Valentes corpore à desidia semper discutiens, ferventes spiritu cogebat ad requiem. Omnium vires, omnium animos, omnium stomachos instinctu (ut credo) Dei noverat, vere servus omnium factus per Jesum-Christum. Mirandum est quomodo unus tot simul officia compleverit: tam varia infirmitate præsertim vexatus, fortissimos quosque & recenti adhuc comessatione pervalidos in jejuniis, vigiliisque, impar viribus, pari lege comitatus est. Infirmos ipse infirmior visitans, refrigerium animarum simul providit & corporum: & ne cuiquam minus fuisset impensum, « animo semper recurrebat: Hic alget, hic cogitat, illi la- « bor gravis est, huic esca non congruit, ille ab alio læsus est. « Grave quod hic intulit, non minus grave quod iste sensit « injuriam. Grandi instantia opus est, ut offensa gratiam con- « sequatur: & hic sibi illatam contumeliam, aut nullam, aut « levem putet; hic autem se gravissimam intulisse suspiret. « Hæc illi jugis opera, jugis intentio erat, levigare omnibus iugum Christi: & quicquid diabolus injecisset, avertere: discusso culparum nubilo, gratiarum serena revocare; amorem Christi & proximorum amando inserere; & mentes omnium tamquam suum pectus innovare gaudio, & ad Christi desiderium tamquam primo conversionis die inardescere.

Affectus Bernardi erga suos.

12. Hinc illud erat; quod omnis congregatio cupida servitutis, ad nomen ipsius ex diversis terrarum partibus collecta, tam moribus quam linguis dissona, in illius cons- E pirabat amorem. Omnes dominum, omnes patrem vocabant, in illo sibi patrem, ac propinquos, & omnia simul reddita computantes. Didicerant omnes, ipso sibi compatiente, dolores illius suos comportare*, ut sicut sol cæli faciem, pro sua sola aut obscuritate, aut serenitate vestit: ita congregatio illa cælum sitiens, & cælestibus studiis mancipata, ab ipso vel nubila, vel serenitatem mentium quasi à speculari in Christo sole susciperet, ipsoque congruo congrueret, inspiranti revelaret. Hinc illa erat, & adhuc suis orationibus permanet diffusa in monasterio Spiritus-sancti gratia, tanti doctoris exemplo & admissione firmata, & in variis charismatum donis, & humilitate, & mansuetudine, & caritate non ficta: & una F Capitis gloria in diversitate membrorum. Magna illi inter hæc erga advenas & hospites cura: in squalore eremi, suo conspectu delicias ministrabat, tunc primum agnitos tamquam dudum suos, cum tanto gaudio & alacritate suscipiens tamquam adoptasset. Nullius pæne angustiæ ad ipsum pervenerunt, quæ ultra ipsum protenderentur, & non in ipso metam reperirent. Certatim ad ipsum undique litterarum officia perlata sunt. Quibus ille quam novis affatibus variata reddebat, quam gravia, quam blanda, quam dulcia! Quis non se bea-

*f. comparare.

tam domum, beata scrinia credidit? Sermo ex ore ipsius tam meditatus, tantum in scriptis illius salutis, tantum dulcedinis fuit, ut non scriniis aut armariis, sed arcâ patulâ conderentur. Inde est, quod plurimi ea scripta sensibus ferunt, & ad testimonium amoris sui libentissime proferunt. Denique quis umquam tantos sibi amicorum præsentium alligavit affectus, quantos qui se diligerent, avidissime desiderarent, habuerit ignotos?

S.Bernar. erga auctorem hujus sermonis merita.

13. Interea ego, dum multimodam ejus in omnes gratiam memoro, in me infinitam curam prætermitto: quæ utinam mihi non minus in Christo salutis attulerit, quam inter vos amoris. Nam profusa illius in omnes caritas (quod sine invidia dixerim) quantam in me adjecerat; & leve illud Christi jugum quanto mihi levius blandimentis suis fecerat? Aluit primum lacte, postea vero potavit etiam profluvio illo, quod in se erat, cælestis sapientiæ. Atque utinam tantum angustiæ spiritus mei recepissent, quantum ille studebat infundere! Præparasset me profecto vobis, & desiderio vestro dignum dedisset, successorem sibi idoneum erudisset. Sed non facile senseratis*, quantum amisistis boni, si redintegratum vobis bonum vestrum fuisset. Pius Dominus, qui stimulando animos vestros ad dilectionem parvitatis meæ, dedit ne à sepulcro illius abessem, illud etiam vobis orantibus donet, ne à viis illius longe recedam; sed quicquid illum egisse cognovero, sine exploratione aut disceptatione factorum agere festinem.

* f. sentire-tis

Bern. quam vultu & animo serenus & amabilis.

14. Interea ego, dilectissimi, perstringens potius cuncta quàm referens de sollertissimo Patre vestro, ea quæ erant vobis nota, replicavi. Vidistis enim, dilectissimi, illam sollicitudinis vigilantiam, illud disciplinæ studium, illas pietatis lacrymas, illam jugem ac perpetuam mentis serenitatem, cujus testimonium vultus immutabilis erat. Vidistis illam latitudinem caritatis, quæ tanta in illo fuit, ut non immerito, si caritas ipsa exprimenda esset, in vultum hujus potissimum pingi debere vultu videretur. Quis umquam illum sufficienter vidisse sibi visus est? Cui non loco omnium affectuum fuit? Quis ita mixtam hilaritate disciplinam propinavit? Quem non cum ipsius, qui corrigebatur, voluptate correxit? Quando lætitia illius lascive quicquam redolens? quando tristitia non salubris? quis eum non altiorem invenit, quam prius viderat? Semper in summitate virtutum positus, semper quo crescere posset invenit. Jam vero sub exhortatione ipsius quis anxius non dolorem suum sprevit? Quis feris moribus non insaniam exsecratus est? quis lascivus luxuriam suam non detestatus est? Quid plura? Omnibus omnia, ut Apostolus ait, factus communis omnium medicina erat. Nullam pæne gratiam non in se tam plenam habuit, ut ipsam specialiter excolere & possidere tamquam unicam putaretur. Non facile quicquam tam forti pectore exhorruit. Inter quælibet aspera & diu tolerata tormenta nec optavit improbe mortem, nec expavit. Nam quem vivere inter quælibet gravia in Christi servitute non piguit, ad novam vitam per communem illam novæ vitæ januam transire non timuit, præmeditata illi ultima hominum necessitas.

1. Cor. 9.

15. Jam eum quæ circa vos sunt audire & videre nullatenus dubitatis. Nimirum ipse est, qui prima die, qua felicissimum istud cum Domino fœdus iniit & vovit sacræ conversationis, necdum posito habitu sæculari, in fratris latere nondum infixam lanceam vidit*, & post dies circiter quindecim infigendi locum vulneris digito demonstravit. Nunc autem corruptibilibus exoneratus exuviis, corporalibus vinculis absolutus, terrenis eductus à tenebris, mundano de carcere erutus; ex his potissimum, quæ ad suorum necessitates pertinent filiorum, aliquid ignorare credatur? Non est ista sollicitudo carnalis, nec spiritualis est æstimanda paternitas in carnis resolutione dissolvi. Sane etiam nunc audire debet à filiis, audire debet è tumulo, qui auditus olim est in utero materno. Unde etiam celebranda cognoscitur in multa benedictione ejus memoria post decessum, cujus magnifice commendata est sanctitas etiam ante ortum. Sicut enim novit qui sunt ejus Dominus, & novit utique quos elegit à princi-

* V. lib. 1. Vitæ cap. 3.

Sanctitas Bernardi nondum nati præostensa in matre prægnante.

A pio: sic etiam sua quibusque tempora & momenta constituit, quibus æternæ suæ dilectionis, vel ipsis, vel de ipsis innotescat arcanum. Cumque alios in pueritia, alios in juventute, alios in senectute vocaverit: nonnullos tamen, sed paucos, velut quodam privilegio gratiæ specialis in benedictione præveniens, immo præripiens, necdum natos, quales essent, quibus voluit signis & indiciis declaravit.

16. Sic electi sui & prædilecti hanc venerabilem matrem, adhuc felicissimo onere gravidam, insolita visione perterruit, sed interpretatione ejusdem consolatus est visionis. Cum enim nobili foret gravida fœtu, somnium vidit quod religioso cuidam solitario indicans ait: Vidi & audivi " quasi catulum toto corpore candidum, in dorso subru- "
B fum, in meo latrantem utero, & expavi. Cui ille: Ne " metuas, ait, paries filium acceptabilem Deo, qui præ- " dicator efficax & eximius, magnus & excelsus in verbo " gloriæ est futurus. Sic nimirum Bernardus noster ex quo " cœpit utcumque vivere, cœpit mirabilis apparere. Necdum parturiebatur, & jam prædicabatur, vel magis jam ipse prædicabat: & nec lactans quidem adhuc erat, jam tamen laudans Dominum apparebat. Nec immerito sic commendatur antequam natus est: non immerito, inquam, divino magnificabatur oraculo, dum adhuc materno parvulus gestaretur in utero. Fidelis siquidem viri verbum quam veraciter sit prædictum, quam efficaciter adimpletum, ipsi nimirum hodie recolunt, qui in seipsis experti
C latratuum ejus efficaciam & medicinalem linguæ gratiam certius cognoverunt. Et nunc, Domine, qui te diligit, canem tuum utique diligit. Utinam & ipse diligas, quem ille dilexit. In cujus eloquio evidenter probavimus esse completum, quod in laudem sponsæ persequitur in Cantico canticorum: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Paucis siquidem verbis fervor in colore coccineo, in vitta subtilitas & latitudo, sed & cogitationum cordis cohibitio, tamquam capillorum capitis colligatio, evidenter autem & expresse eloquii est commendata dulcedo. Cujus autem doctrina tam fervens, tam subtilis, tam copiosa, tam utilis, tam dulcis denique & acceptabilis fuit?

" V. lib. 1. Vit. c. 1.

Cant. 4.

D 17. Sed quid dicimus, quod in corpore toto candido dorsum visus est habuisse subrufum? Candor enim castitas: candor, innocentia vitæ: candor corporis, puritas est actionis. Quid autem rubor est? Nonne martyrium? Quid si rufus apparuisset, nonne martyr fuisset? Nam dorso portantur onera, dorsum ad flagella præbetur: & quamvis non timuerit cavere*, quis plus currit in certamine, Confessor ista sustinens, quam Martyr ictum sufferens? Humano tamen arbitrio post bonos Martyres sanctis Confessoribus gloria in sæculo tribuitur. Ceterum si meminimus, quanta tulit & pertulit hic Dei famulus, quam multa, quam gravia, non unius ictus mortificatione, sed longa sui corporis maceratione sustinuit; non
E immerito forsitan, sicut beatum Laurentium Apostolorum supparem, sic Bernardum nostrum supparem Martyrum dicimus, quem subrufum in matris utero apparuisse cognovimus. Felix, qui inter cælestis sponsi membra, tam celeriter suo conformatus est Capiti, ut quemadmodum ille candidus & rubicundus, electus prædicatur ex millibus: sic iste suo utique modo candidus, & sine passione rubicundus, patientia tamen subrufus exstiterit. Oportet autem nos quoque imitatores ejus esse, sicut & ipse Christi. Nonne enim, etsi non aliis, nobis tamen Apostolus est? Nonne signa apostolatus vos estis ante Deum? Nec vos pauci tantum, qui cum eo etiam
F nunc præsentialiter cohabitare videmini; sed qui in locis hodie tam innumeris sub umbra nominis ejus vivunt, inter gentes tam diversas, plerumque etiam barbaras & perversas. Utinam non degeneres vos præbeatis filios tanti Patris, sed candidos in sanctimonia, subrufos in patientia, latrantes zelo Ordinis, fervore justitiæ, voce libera veritatis. Sicut enim eumdem Patrem candor excellens totius suæ conversationis & vitæ, Confessoribus sanctis & electis Virginibus sociavit, dorsum quoque subrufum Martyrum supparem fecit, apostolicum virum excellens doctrina probavit: sic ejusdem vox in utero tam

* f. currere.

S. Bernardus Martyribus suppar.

Apostolis: item, &c.

ipsius desiderabili contubernio, quàm sæculorum omnium A consortio & beata visione donabit. Nimirum non eos solos, quos prædiximus, eumdem Patrem, si mecum, fratres, in hac parte sentitis, aut quærere stupebitis, aut invenire sperabitis. Multas ille in domo Patris, ut à multis multum exoptatus advenit, mansiones sibi paratas invenit: nisi forte ambigimus, feliciter eum in prophetico cuneo esse susceptum, quem in tantis experimentis sæpe probavimus spiritum habuisse propheticum. Sed nec illud incredibile cuiquam videatur, sanctos etiam Patriarchas, ut primum ille Vir Dei cæleste palatium & divinum introivit templum, gratanter ei suum non modo aperuisse sinum, sed annuisse consessum. Siquidem non indignum judicarunt in illo sacro numero sui senatus B adscribi, in cujus semine tantas undique gentes vident, nec invident benedici.

18. Nostis etiam, dilectissimi, sanctos & summos sensisse Doctores, electorum species hominum, pro diversis suorum qualitatibus meritorum, ad sacros provehi ordines Angelorum. Dicuntur enim Angeli nuntii; Archangeli, & Principatus summi nuntii, quod per illos minora credantur, per istos summa quædam & præcipua nuntiari. Nihilo minus etiam in electis hominibus invenire est alios, qui licet minus eruditi parva capiant, fideliter tamen proximis quibus possunt, eadem ipsi annuntiant: alios, qui sublimiora quædam percipiunt, & ea quoque sine invidia perfectis & capacioribus quibusque C communicant. Et illi quidem hinc transeunt ad angelicum ordinem, obtinent isti inter Archangelos mansionem. Neutrum autem doctrinæ genus huic beatissimo Patri nostro defuisse cognovimus. Siquidem spiritualibus spiritualia comparans, sublimia proponebat: nec ineruditis tamen & parvulis condescendere renuebat. At illud in eo forsitan tunc exstitit mirabilius, & nunc sapit dulcius, quod videbatur humilius. Quoties enim & nos audire delectabat, & nunc meminisse delectat, quemadmodum iste homines rusticanos, & mulierculas pauperes ad congrua sibi humanitatis officia provocabat? Nimirum docebat illos, cum vicino alteri suus (ut assolet) panis deficeret, hilariter ei, donec reddere posset, commendare: alterum vicinum, cum sibi ille, alias forsitan occupatus, non præparaverat escas, cum caritate eum vocare ad olera: magnanimiter ei legumina modica mittere, & exigua communicare pulmenta. Sic & legitimi fidem servare conjugii; nec ingratos divino beneficio, metas transgredi indulgentiæ salutaris. Terrenis etiam dominis stipendia ministrare terrena, & fideliter debita reddere illi, vel decimas sine fraude, qui justius poterat, etiam, novem partes, quam agricola sibi, vel decimam vindicare. Ipse enim & terram condidit, & lacertos dedit, & vires contulit laboranti. Ipse etiam jacta semina gelu constringit, pluviis rigat, vernali fovet tepore, sole torret æstivo. Alioquin perdit, qui arat, laborem suum, nisi ille dederit incrementum. Sortilegos etiam & eorum sacrilega carmina studiose monebat oportere cavere: nec debere eos nocentes sibi, cum non possent gladiis, labiis insectari, nec fraudando invicem in magnam perniciem modica lucra sectari: sed illius meminisse, qui cum dives esset, propter nos factus est pauper, & quia ei derelictus est pauper.

[Left margin: ...& ipsis ...lis.]

[Left margin: ...ardi mo- ...ad sim- ...& idio-]

19. Ceterum in parvis etiam referendis parvitas nostra deficiens, ad majora ejus insignia quando sufficeret? Itaque melius arbitramur hanc ei suarum laudum cedere portionem, ut spiritualis ejus doctrina, quoniam longe alia intentione scripsisse constat, ex litteris tamen propriis innotescat. Nam & lucerna cum ad hoc magis, ut cetera F videantur, accensa fuerit, latere tamen ipsa non poterit. Nobis interim commemorasse sufficiat quod merito creditur in utroque cælestium nuntiorum ordine constitutus, qui in utroque docendi genere fuerit tam fidelis, tam efficax, tam devotus. Sane per eos Spiritus, quos Virtutes appellant, multiplicia aiunt edi signa: per Potestates, dæmonia coërceri. Quod si eisdem connumerantur ordinibus, qui eisdem pollent operibus: liquet profecto, quod à neutro etiam horum Bernardus noster excluditur, qui tam magnifice in utrisque miraculis enituisse cognoscitur. Inter Principatus & Dominationes illud forsitan interesse videtur, quod cum utrique credantur electis etiam præesse spiritibus, Principatus tamen velut ex officio ceteris facienda disponant, & tamquam strenui quidam divinorum exercituum duces in ipsa ejus operis exsecutione præcedant. Porro Dominationes gradu sublimiore illis etiam sibi obedientibus mira quadam potentia & auctoritate præeminent. Unde etiam inter homines ipsos credimus ad Principatuum ordinem pertinere, qui ceteris fratribus præsunt in sollicitudine administrationis. Illos autem ad Dominationes, qui ipsam magis obedientiam obtinere promerentur speciali quadam reverentia sanctitatis: nimirum de ejusmodi dicitur, quod ipso jure munditiæ dii inter homines appellentur. Nec difficile est animadvertere, qualiter in hoc beato Patre nostro pariter hæc utraque conveniant. Siquidem & plurimis fratribus pastoralem exhibuit sollicitudinem, & apud omnem pæne ecclesias reverentiam & auctoritatem obtinuit singularem. Cui enim sic credebatur, sic deferebatur, sic obtemperabatur à religiosis, à sæcularibus, à Principibus, à Pontificibus? Sequuntur Throni, quos nimirum inde nomen accepisse cognovimus, quod in eis sedeat Deus. Et sane pulcherrima hæc dispositio. Siquidem omni dominatione sublimius est & gloriosius, subjacere Domino. Et quamvis, jam post casum ejus, cum suis utique complicibus, qui illi similis voluit apparere, ceteros etiam omnes ordines Angelorum certissime suo constet Auctori voluntaria devotione subesse: videntur tamen nonnihil habere proprium, in quibus dicitur residere.

[Right margin: Comparatio inter angelicos spiritus & S. Bernardum.]

20. Maxime tamen hoc observandum hominibus, ut ipsi potissimum Deo subditi inveniantur, qui inter homines amplius honorantur. Alioquin væ eis, nisi omnem suum illi subjecerint dominatum, nisi suum omnem principatum substituerint Domino dominorum. Væ eis, qui præeminere & præsidere videntur hominibus, nisi eis sedeat & præsideat Dominus. Necessaria siquidem major humilitas, ubi fuerit major auctoritas. Quam nimirum in hoc ipso, de quo loquimur, Patre nostro, D quanto profundiorem & puriorem probavimus, tanto amplius gratulamur, quod beata ejus anima, & in carne posita sedes fuerit sapientiæ, quam firma & stabilis, quam quieta & humilis, tantum etiam acceptabilis. Denique tanto etiam arbitramur, quod multo magis jam carne soluta inter illas cælestes sedes meruerit apparere sublimis. Jam vero ubi humilitas ista præcesserit, non inflabit scientia, sed implebit, præsertim si accesserit supereminens gratia caritatis. Sic nimirum locata videtur in tuto scientiæ plenitudo, si sustineat eam humilitas, foveat caritas. Unde etiam non immerito octavus & nonus ordo Cherubin & Seraphin appellantur, quibus nimirum nominibus in eisdem ordinibus scientiæ plenitudo & ardor sive in- E censio commendatur. Nam Cherubin quidem plenitudinem scientiæ, Seraphin autem ardentes, vel incendentes aiunt designare. Quod si credimus ad eumdem ordinem pertinere eos, quibus inveniuntur eorumdem interpretationes nominum convenire; non nos oportet, nec super hoc quidem ordinibus summis atque supremis ambigere, quin beatus Pater & pastor noster locum habeat in utroque.

[Right margin: Ubi major dignitas, ibi necessaria major humilitas.]

21. Nimirum quam plenus scientia fuerit, usque hodie sciunt qui de plenitudine ejus acceperunt. Quemadmodum autem, vel magis quam supra modum & amando arserit, & alios loquendo accenderit, vos potissimum meministis, qui sæpius experiendo probastis, ut vobiscum (ni fallor) tacita cogitatione dicatis: *Nonne cor nostrum ardens erat in via, dum loqueretur nobis?* Quoties ex hoc auditorio, & qui tepidus forsitan introivit, non mediocriter inflammatus exivit? Ignitum ejus eloquium vehementer: & quis non illud diligeret? quis non ad illud dilectione flagraret? Felix proinde, qui sic in omnibus & inter omnes requiem invenit: sic Agnum sequitur quocumque ierit. Felix, qui sic multiplicium meritorum præmia recipit: ut multo magis nihil ei jam desit in ulla gloria, cui nihil in ulla gratia ante defuerit. Ceterum super his omnibus divisionibus gratiarum fraternitatem vestram

[Right margin: Ardens Bernardi scientia & eloquentia.]

admoneo, dilectissimi, sic in ipso tanto, & tam pretioso thesauro gloriari, ita suæ electionis signa venerari, ut quæ ad nostram magis profuerint ædificationem, & necessaria fuerint ad salutem, æmulari studeamus; magnifice in eo semper laudantes & glorificantes ejusdem salutis auctorem, indulgentiæ concessorem, gratiæ largitorem, gloriæ redditorem Jesum-Christum Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

## EJUSDEM GAUFRIDI EPISTOLA

### Ad Albinum card. & episc. Albanensem.

*De condemnatione errorum Gilberti Porretani.*

1. Amantissimo patri & domino A. Dei gratia Albanensi episcopo, domini Papæ Vicario, frater Gaufredus de Clara-valle, minimum id quod est. Injunxerat vestra paternitas venerabili fratri nostro & vestro speciali filio Augustino, ut de mandato vestro mihi imponeret, vobis per epistolam diligenter notum facere, qualiter in Remensi Concilio, quod dominus Papa beatæ memoriæ Eugenius tertius celebravit, super quibusdam capitulis, in expositione Pictaviensis episcopi magistri Gisleberti, cognomento Porretani, deprehensis & reprehensis, tractatum, quid & quemadmodum tandem fuerit judicatum. Unde vobis si tardius videor obedire, non miretur vestra serenitas: quoniam ante vigiliam festivitatis omnium sanctorum verbum aliquod parvum vel grande super hoc non audivi. Eadem die stilum & tabulas apprehendens cœpi scribere, quod optarem vobis, si possem, celerius intimare.

2. Eodem igitur anno, quo prædictus pontifex Eugenius Romanæ ecclesiæ cathedram sedens, non mediocrem primo statim auditu flagitiosis intulit metum, & honestis omnibus è regione fiduciam: magnus quidam vir & bonorum memoria dignus, Arnaldus nomine, & cognomine Quinon-ridet, in ecclesia Pictaviensi sub prædicto episcopo officium archidiaconale gerebat, non illius adeptus munere, sed ab ejus prædecessore promotus: difficile siquidem talis arbor fructum ejusmodi protulisset. Accidit autem, ut ab eodem archidiacono, satis fideli pariter & diserto, super quibusdam capitulis fidei familiariter, ut credimus, ante commonitus, nec acquiescens, in ecclesia demum palam argueretur. Appellatum denique est ad Romanam ecclesiam, & coram prænominato Papa eadem quæstio ventilata. qui in Gallias descensurus, utramque partem sibi præcepit in sollemnitate paschali Parisius præsentari. Affuit beatissimus Pater noster sanctus Bernardus cum eodem Papa in eadem sollemnitate Parisius: cui omne negotium Christi, ubicumque eum contigisset adesse, tamquam omnino proprium, nemine super hoc ambigente, protinus incumbebat. Facta est inquisitio secundum prædictum codicem expositionis super Boëtium: ab eodem episcopo requisitum ad manus se non habere respondit. Inventa est tamen apud scholares particula quædam, ubi inter cetera continebantur hæc verba: Si homo, cui diversa conferre ut sit, præ abundanti unius formæ, ut puta sapientiæ, sapientia dicitur ipsa, secundum illud, tu quantus quantus nihil nisi sapientia es: multo magis Deus, cui diversa non conferre ut sit, dicitur esse sapientia sua, bonitas sua, & cetera. In hunc modum producta est in medium hæc scriptura, & disputabat sanctus Bernardus adversus episcopum, dicens grave verbum & enorme videri, quo dicebatur, diversa non conferre Deo ut sit, quasi conferat unum. Illam quoque similitudinem locutionis emphaticæ procul esse à Deo, nec sicut quilibet hominum sapientia sua dicitur, sed vere & substantive dicam esse sapientiam suam, essentiam suam, divinitatem suam, & non quemadmodum Davus dictus est scelus. Negabat autem episcopus docuisse, vel credidisse aliquando se, vel litteris commendasse, quod divinitas non esset Deus, quod forma vel essentia esset in Deo, quæ non esset Deus; & amplius aliquid faciens, discipulos suos episcopum quemdam Ebroïcensem generosum satis, Rotomagensem

A archiepiscopum post futurum, Rotoldum nomine, & magistrum Ivonem Carnotensem testes produxit, quod illud dogma non tenuerit, nec crediderit, invitus quidem, ut satis tunc animadvertimus, sed suorum stimulatione compulsus, propter verba tamen libelli sui quæ præmisimus. Et quia aliud alii asserebant, injunxit ei summus Pontifex, quatenus ante Concilium, quod eodem anno in civitate Remorum celebrare proponebat, eumdem sibi libellum transmitteret studiose scrutandum, & paratus esset in eodem Concilio ad objecta plenius respondere.

3. Accidit autem, ut expositionem illam sæpe dictus dominus Eugenius, ab Episcopo sibi directam, venerabili B cuidam Abbati Præmonstratensi Godescalco de Monte sancti Eligii, qui postmodum factus est Attrebatensis episcopus, traderet perscrutandam. Qui diligenter, utpote vir disertus, notavit capitula, & ex libris sanctorum catholicorum Patrum auctoritates paucas manifeste contrarias scripsit in schedula, quas ad idem Concilium veniens, domino Papæ cum libello Pictaviensis Episcopi præsentavit. Tulerat autem de medio Dominus anno ipso columnam grandem Ecclesiæ, domnum Albericum Ostiensem, cum omni reverentia memorandum, qui legatione functus in Aquitaniam, super vita pariter & doctrina illius Gisleberti tanta didicerat, ut ipse sibi aliter quam oportuerat conscius, ab ejusdem Ostiensis episcopi C ferventissimo zelo præ ceteris ejusdem temporis cardinalibus trepidaret. Nec defuere qui crederent, quod si advixisset idem vir, Pictaviensis ille, quæ ausus est confiteri, præsente eo nullatenus præsumpsisset. Ventum est ad discussionem capitulorum, quæ prædictus abbas Godescalcus notaverat: sed quia ipse nimis erat elinguis, liber ille cum sanctorum testimoniis ei contrariis à domino Papa traditus Patri nostro sancto Bernardo Claravallensi. Aderant viri magni nec mediocriter litterati, Gaufredus de Oratorio, Burdigalensis ecclesiæ archiepiscopus, cujus in Pictaviensi Episcopus suffraganeus erat; Milo Morinensis episcopus, religione & scientia satis insignis, Josleinus Suessionensis episcopus, tam sæculari, D quam litterali scientia præditus; Sugerius abbas sancti Dionysii, cui Francorum rex Ludovicus, Jerosolymam proficiscens, totius regni commiserat administrationem. Hi & alii plures cum beato Bernardo prædicta capitula rationibus pariter & scripturæ sacræ testimoniis arguebant: nisi quod prædictus Gaufredus minus ceteris loquebatur, de industria parcens homini, & judicio se reservans, sicut humiliter est confessus, & pœnitentiam egit, audiens dominos Cardinales, quorum principales favisse reo, & evidenter etiam fovisse constabat, super auditis objectionibus se se promittere judicaturos.

4. Ingredientibus vero nobis consistorium, prima die cum magnorum voluminum corpora per clericos suos E Pictaviensis fecisset afferri, & nos paucas auctoritates ecclesiæ in sola schedula haberemus: occasione accepta calumniabantur fautores illius hominis, quod decurtata testimonia proferremus, cum ille codices integros exhiberet; ubi posset intelligi, quemadmodum verbis propositis præcedentia vel sequentia adhærerent. Prolatum tamen capitulum de ejus codice in hæc verba: Cum dicitur Deus, pertinet ad substantiam, non quæ est, sed qua est. Quod dum alii atque alii clamantes auctorem arguerent, & adversus eum adhuc tergiversantem non immerito causarentur: sanctus Bernardus ad Episcopum ait: Quid necesse est circa hujusmodi verba diutius immorari? Non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quod F plures credere vos credunt, & docere, quod divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate. Ausus est dicere: Forma Dei & divinitas, qua Deus est, ipsa non est Deus. Ecce, ait sanctus Bernardus, tenemus quod quærebamus: scribatur ista confessio. Præcepit summus Pontifex; & domnus Henricus Pisanus, tunc Romanæ ecclesiæ subdiaconus, futurus postea Clara-vallensis monachus, & ex abbate sancti Anastasii sanctorum Nerei & Achillei presbyter cardinalis, ad ejus mandatum porrexit

& attulit chartam, calamum, & incaustum. Cum au- A tem scriberet ipsam confessionem: Et vos, ait Episcopus ad Abbatem, scribite, quod divinitas est Deus. Nec concitatus ille respondit: Scribatur, inquiens, stilo ferreo in ungue adamantino, vel sculpatur in silice, quod divina essentia, forma, natura, deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo vere est Deus.

5. Disputatum est deinde super eodem capitulo, & eousque processum est, ut diceret Sanctus, quod si forma illa Deus non est, melior Deo est, cum ex ea Deus habeat esse; ipsa autem nec ab eo sit, nec ab eo habeat quidquam. Quod potissimum credidi memorandum propter eam specialiter causam, quia disputatione completa ecclesiæ Remensis armarium mox ingressus, plu- B res exinde tuli codices, & in libro beati Augustini de Trinitate inter alia plura testimonia eadem pæne verba, quæ sanctus Bernardus objecerat, reperi in hunc modum: » Deus magnus est non nisi ea magnitudine, quæ » est quod ipse: alioquin illa erit major magnitudo quàm Deus. Ceterum cum de primo capitulo prima die disputaretur; ego fui qui objeci eidem Episcopo, audientibus universis, quod verba illa, quæ modo profitebatur, eodem anno Parisius coram domino Papa, & majori parte majorum quæ aderant personarum, penitus abnegasset, & testes produxisset, quod talia numquam crediderat, numquam docuerat. At ille multum confidens, & amplius forsitan quàm postea voluisset, quia C negare non poterat se negasse: Quidquid tunc dixerim, modo, ait, hoc dico. Ego vero suspirans graviter, quod viderem coram tantis judicibus paulo minus impune tanta præsumi: Ergo sicut rex, inquam, vestrum dictum & dedictum habetis?

6. Et factum est, ut disputantibus personis, quæ aderant, super primo capitulo prædicto, occurreret secundum, profitente prædicto Episcopo, quod nec unus » Deus, nec unum aliquid sint tres personæ, licet tres » personæ sint unus Deus, id est una divinitate, & sint unum, id est uno. Et adversus hoc capitulum diutius est disputatum, postquam suggerente sancto Bernardo, & domino Papa præcipiente, ipsum etiam cum priore D litteris est commendatum. Cui evidens satis opposita est » auctoritas Athanasii in hæc verba: Supernarum virtutum » carmina unum tria, & tria unum esse confirmant. Sequenti die codices tantos attulimus ad disputationem, ut obstupescerent fautores Episcopi, & à nobis audirent, quia ecce schedulas non habemus. Faciebat Episcopus in libris beati Hilarii, & de corpore canonum in quorumdam Græcorum epistolis verba minus intelligibilia, præsertim in tanta festinatione, & in tanta ac tali multitudine lectitari: nec deerant qui pro eo se opponerent, licet parum intelligentes. Addita sunt eodem die capitula duo prioribus, & litteris pariter commendata, quod per- E sonales proprietates, & æternarum rerum multitudinem copiosam Episcopus idem veraciter esse sine initio profiteretur, quarum tamen nulla Deus esset, nulla à Deo.

7. Quartum fuit capitulum, quod natura divina naturam non suscepit humanam, sed persona Filii naturam nostram suscepit, contra illud beati Gregorii: Quia venit ad nos calceata divinitas humanitate. & beati Augustini in libro primo de Trinitate: Ergo quia forma » Dei accepit formam servi, utrumque Deus, & utrumque homo. Item ejusdem super Evangelio Johannis in Tractatu LXXV. semetipsum exinanivit, & homo, &c. » Quis nisi idem ipse Christus Jesus? Sed hic jam sunt » omnia, & Verbum in forma Dei, quæ accepit formam » servi, & anima & caro in forma servi, quæ accepta est F » à forma Dei. Et Leo Papa: Suscepit nos illa natura, » quæ nec nostris sua, nec suis nostra consumeret. Exinde post quàm diutius disputatum est, sub eo tenore discessum est, ut dicerent domini Cardinales, quia ecce audivimus quæ proposita sunt, deinceps judicabimus, qualiter debeant definiri. Quod verbum eatenus movit corda multorum, ut sequenti die apud sanctum Bernardum convenirent archiepiscopi decem, episcoporum quoque & abbatum, ac magistrorum plurima multitudo. Et quia judicium sibi soli videbantur reservasse, quos noverant fere omnes errantis potius quam erroris fautores: providere oportere, cum capitulis illis Gisleberti episcopi, suæ & fidei symbolum mitti, ut scirent plenius unde judicarent. Scripserunt ergo capitula totidem quam expressius potuere, illius verbis suam confessionem contrariam in omnibus & per omnia proponentes, quam de communi omnium convenientia non sine multa deliberatione dictatam judicaturis facerent exhiberi. Nec tamen verebantur, ne contrarium aliquid judicarent: sed credebant, nonnullos eorum ad hoc tendere, ut sine aliqua definitione Concilium solveretur. Propter quod eidem scripturæ, quam novissimam vobis mittimus, subscripta sunt nomina singulorum qui aderant archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, & magistrorum, de consensu & convenientia universorum.

8. Et electæ sunt tres personæ, episcopi duo reverendissimi, Hugo Autisiodorensis, & Milo Morinensis, & Sugerius abbas sancti Dionysii, qui eamdem scripturam domino Papæ & Cardinalibus præsentarent, & dicerent eis: Pro vestra reverentia sustinuimus minus dignos acceptione sermones, donec tandem audivimus, quod de eis judicare velletis. Offerimus ergo & nos vobis nostram confessionem, ut non de parte, sed de partibus judicetis. Tenetis confessionem hominis illius scriptam: convenit ut teneatis & nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, ut paratus esset corrigere, si quid vobis aliud videretur: nos hujusmodi conditionem penitus excludentes, sic vobis nostram offerimus, ut noveritis quod in hoc sumus, in hoc perseverabimus, nihil penitus mutaturi. Quibus sine cunctatione dominus Papa respondit, & universis qui miserant eos, renuntiare præcepit, quod ab eadem confessione eorum in nullo prorsus Romana ecclesia dissentiret; & si stare visi fuerant aliqui pro persona, sed non stabant aliquatenus pro doctrina. Inde fuit quod in insigni palatio, cui nomen est Thau, ecclesia universa conveniens, & interrogatus Episcopus Pictaviensis, capitulis singulis libere renuntiavit, hæc eadem verba locutus: Si vos aliter creditis, & ego; si aliter dicitis, & ego; si aliter scribitis, & ego. Ibidem dominus Papa auctoritate apostolica, de assensu totius ecclesiæ quæ convenerat, capitula ipsa damnavit, districte præcipiens, ne eumdem librum legere, vel transscribere, etiam sic reprobatum, quis auderet, nisi prius eum Romana ecclesia correxisset. Cumque responderet Episcopus: Ego corrigam ad arbitrium vestrum. Non vobis, ait, hæc correctio committetur.

9. Erant & alia, quæ in scholis suis dicebatur auditoribus suis frequenter idem Episcopus tradidisse, licet nos dissimularemus; pro multitudine tamen scholarium, qui testimonium perhibebant ab eo audivisse multoties, hæ coram omnibus scissæ & discerptæ fuerunt chartæ, quæ dicebantur ejus sententias continere: quin igne petito ad comburendum eas, dixerunt quidam sufficere si scinderentur. Quænam fuerint illa capitula, nec tum scire curavi, nec adhuc scio. De cetero super capitulis aliis, de quibus mandatum vestræ dignationis accepi, diligenter considerans in libro Glossarum psalterii, quas idem Gislebertus Porretanus composuit super versum, *Adorate scabellum pedum ejus*, ita scriptum inveni: Caro de terra « est, & de carne Mariæ carnem accepit Christus. Hæc « sine impietate adoratur à nobis, quia nemo carnem ejus « spiritualiter manducat, nisi prius adoret. Huc usque « verba sunt Augustini. Quibus continuo addidit Gislebertus declarationem, quod est additamentum eorum: Non illa dico adoratione, quæ latria est, quæ soli Crea- « tori debetur, sed illa, quæ in dulia dignior est. Dulia « enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur. quæ « duas habet species, unam quæ hominibus indifferenter, « alteram quæ soli humanitati Christi exhibetur. In libro « etiam Glossarum ejus in epistola sancti Pauli super illum locum, *Propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen*, ita est commentatus: Quibusdam videtur hoc nomen datum homini. quod « nulla ratione convenit. Hoc enim donum esse Filium « Dei, hoc nomen esse Deum, quod non per solam ap- «

pellationem, sed per naturam super omne nomen est, quod non post passionem suam, sed potius à Patre, à quo habet omnia, cum generaretur, accepit. Hoc ergo non homini datum: nisi forte quis dicat, per adoptionem omne datum: sed adoptivo Deo non flectitur omne genu, nec est in gloria Dei Patris: nam nato ex Deo hoc competit. Dicit tamen Apostolus: *Dedit illi nomen, &c.* Quod ideo dico, quia natus accepit ut per crucem manifestaretur, quod à Patre, dum generaretur accepit. Horum ergo capitulorum nihil ejusdem Concilii tempore audieramus, nihil penitus noveramus.

10. Videntur autem his contraria hæc quæ sequuntur in scripturis beati Leonis Papæ, quorum auctoritatem sacris canonibus confirmatam optime novit vestra discretio. Dicit enim in sermone paschali: Non sic creatura in societatem sui Creatoris assumpta est, ut ille habitator, & illa esset habitaculum; sed utrumque Deus de potentia suscipientis, uterque homo de humilitate suscepti. In utraque igitur natura idem est Dei Filius, & nihil est alterius naturæ, quod non sit utriusque. Item, In nullo dividentes visibilem ab invisibili, corporeum ab incorporeo, & Verbum in Christo hominem, & Christum adoremus in Verbo. & infra: Utrumque fideliter credite, utrumque fideliter adorate, & in unitate Verbi & carnis non sit ulla divisio. Idem in sermone de Natali: Ab illo tempore, quo Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare quod Deus est, cum nihil assumpto divinum, nihil assumenti deesset humanum. Nec enim divinis humana præjudicant, nec humana divinis: ipse est caro qui Verbum. Idem ad Flavianum episcopum: Sententia est Johannis apostoli & evangelistæ: *Qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est antichristus.* Quid autem est solvere Jesum, nisi humanam à Verbo separare naturam? Augustinus in definitionibus ecclesiasticorum dogmatum: Homousion Patri & homini adoratur ab Angelis & omni creatura, sicut Pater & Spiritus-sanctus, non homo propter Deum, vel Christus cum Deo, sed homo in Deo, & in homine Deus. Idem de prædestinatione sanctorum: Ille homo ut à Verbo in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Nam & ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum didicimus in Apostolo. Prædestinata ista naturæ humanæ tanta, tam celsa, & summa subvectio, ut quò attolleretur altius non haberet. Hieronymus in Breviario psalmorum super *Adorate scabellum pedum ejus:* Licet quidem assumptus sit homo, & ad comparationem Dei omnis creatura scabellum pedum ejus est; tamen hoc ipsum scabellum sociatum est Deo. Et de sedili suo videte quam rem audeam loqui: Ego ità adoro scabellum, sicut & thronum. Ego non intelligo aliud sedentem, & aliud scabellum, sed totum in Christo thronus est. Quomodo sit nescio, & tamen credo quod sit. Sufficit mihi scire quod scriptum est, quod credo: Fideles dicimur non rationales.

11. Contra capitulum quartum, secundum quod præscripsimus, sentit Leo Papa scribens ad Flavianum episcopum ita: *Hoc*, inquit Apostolus, *sentite in vobis* &c. usque *in gloria Patris*, Assumpti non assumentis provectio est quod dicitur: Deus illum exaltat. Idem scientes, quod sempiterna Filii deitas nullo apud Patrem crevit augmento, prudenter advertite, quod nec cui dictum est, *Terra es, & in terram ibis*, eidem in Christo dicitur: *Sede à dextris meis.* Idem ad Constantinopolitanos: Dicant adversarii veritatis, quando omnipotens Pater, vel secundum quam naturam Filium super universa provexit, vel cui substantiæ cuncta subjecit. Deitas enim Verbi par in omnibus & consubstantialis est Patri: sed minor erat provehente qui crevit. In natura hominis accepit à Patre, quod in natura deitatis etiam ipse donavit. Item ad Leonem Augustum, & ad Palæstinos: Exaltationem qua illum exaltavit Deus, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. item: Quidquid ergo accepit, in tempore secundum hominem accepit, cui quæ non habuit, conferuntur. Forma autem servi in gloria divinæ potestatis evecta est: nec interest, ex qua Christus substantia nominetur, vel adoretur. Hieronymus in Breviario super epistolam ad Philippenses: Si ita assumptus homo humiliari dignatus est, divinitas, quæ se humiliare non potest, eum qui humiliatus fuerat, merito exaltavit. Sed & illi donatum est nomen, quod ante non habuit. Unde rectè locus hic secundum humanam naturam intelligendus est. Idem super *Dixit Dominus Domino meo:* Istum locum Salvator, in Evangelio exposuit, dicens: Si Christus est, inquit, Filius David, quomodo in spiritu vocat eum Dominum? huic Domino, cui præcipitur ut sedeat? Deus enim non sedet: assumptione corporis sedet. Huic ergo præcipitur ut sedeat qui homo est, qui assumptus est. Augustinus contra Maximum: *Donavit illi nomen*, &c. Homini donavit ista, non Deo. Ac deinde in qua forma crucifixus est, ipsa exaltata est, ipsi donatum est nomen quod est super omne nomen, homini Christo secundum carnem mortuo, resurgenti; ascendenti. Donatur enim nomen, quod est super omne nomen.

12. De cetero ut epistola finem deinceps sortiatur, si placuerit vestræ discretioni super prioribus capitulis quatuor plenius edoceri; in sermonibus beati Bernardi super Cantica canticorum diligentior de eisdem disputatio continetur. Optamus & oramus, ut bene semper in Domino valeat vestra paternitas. Recommendamus vobis Fratres nostros de Fossa-nova. De prosperitate vestra, & statu Ecclesiæ sanctæ certitudinem satis vellemus audire.

13. Vix perfecta erat epistola hæc ab eo, cui tradita fuerat ad scribendum, & ecce eadem hora voluntas Domini fuit, ut mihi occurreret quod volebam. Ab altero siquidem fratre, priusquam mihi præsens epistola redderetur, scriptura alia diu quæsita, jam penitus desperanti mihi exhibita est, quam super eisdem capitulis ante annos pæne quadraginta edideram cum ipso symbolo, quod domino Papæ & Romanæ ecclesiæ ex parte decem archiepiscoporum, & omnium Episcoporum pæne, qui in illa adhuc die Remis inventi sunt cum abbatibus maximis atque plurimis, & magistris scholarum, & subscriptis nominibus singulorum, per superius memoratas personas fuerat præsentatum. Unde satis exsultans, illam quoque scripturam adjiciens huic epistolæ, tamquam carissimo domino meo vobis utramque filiali devotione transmitto.

14. Audivi etiam, quod super damnatione Petri Abaelardi diligentia vestra desideret plenius nosse similiter veritatem, cujus libellos piæ memoriæ dominus Innocentius Papa secundus in urbe Roma, & in ecclesia beati Petri incendio celebri concremavit, apostolica auctoritate hæreticum illum denuntians. Nam & ante plures annos venerabilis quidam Cardinalis & Legatus Romanæ Ecclesiæ, Cono nomine, regularis quondam canonicus ecclesiæ sancti Nicolai de Aruasia, Theologiam ejus, Suessione concilium celebrans, similiter concremaverat, ipsum Petrum præsentem arguens, & convictum de hæretica pravitate condemnans. Unde vestro si placuerit desiderio, per libellum de vita sancti Bernardi, & per ejus epistolas missas ad curiam satisfiet. Inveni tamen in Claravalle libellum cujusdam Abbatis Nigrorum monachorum, quo errores ejusdem Petri notantur: quem & olim me vidisse recordor, sed à multis annis, ut custodes librorum asserunt, studiose quæsitus primus quaternio non potuit inveniri. Propter quod propositi nostri est in Franciam destinare ad monasterium, cujus Abbas exstitit qui eumdem librum composuit: & si recuperare potero, transscribi facere codicem totum, & mittere vobis. Credo enim quod vestræ inquisitioni sufficere debeat, ut cognoscatis, quæ, quemadmodum, quare sint condemnata.

# ITEM EJUSDEM GAUFRIDI LIBELLUS CONTRA CAPITULA GILLEBERTI Pictavienſis epiſcopi.

Ex mſ. codice Longi-pontis.

UATUOR quædam in his ſchedulis capitula Lector invenies, quæ in magna nuper eccleſia propalata & reprobata ſunt, tamquam manifeſtæ repugnantia veritati, nec cuilibet veritati, ſed ei cujus injuriam diſſimulare non licuit; quod ea vel A maxime fidei catholicæ obtineat fundamentum. Hi ſunt panes abſconditi, quos celebris ille magiſter, Porreta agnomine, nomine Gillebertus, ſuis non parvo tempore diſcipulis venditarat: nec paucos eorum furtivis inebriarat aquis, præſertim animos juveniles novitate gaudentes; ſine clave, quæ Chriſtus eſt, in divinas paginas irruentes; ſine Spiritu, qui ſolus ea novit, ſcrutantes ipſa etiam alta Dei. Inter ejuſmodi, nova dogmata celabantur; ſed in lucem aliquando prodiere.

Horrebant Catholicorum aures profanam novitatem, & eo uſque zelus prorupit, ut prædictus Gillebertus, jam tunc quidem Pictavienſis epiſcopus, in præſentia ſummi pontificis Eugenii tertii ſuper his pulſaretur. Elegit B autem negare omnia, etiam quæ Pictavis in Synodo ſua manifeſte arguebatur fuiſſe confeſſus. Inter negandum tamen anfractuoſis quibuſdam, more ſuo, verborum cavillationibus utebatur: ut facile Vir Apoſtolicus animadverteret, prorſus aliquid apud eum de anathemate Jericho latitare.

Itaque eodem anno deſcenſurus in Galliam; cauſam diſtulit; & Pariſius facta eſt ſecunda interrogatio de eodem. Agebant quidam pro eo, quidam pro fidei veritate, maxime Claræ-vallis reverendiſſimus Abbas: ſed cautius forte videbitur ſimplici narratione contentum, quod ad perſonas pertinet, ſilentio præterire. Ibi quoque & objecta negavit, & teſtes protulit ſuos olim diſcipulos, C tunc coëpiſcopos, quod nihil tale aliquando docuiſſet. Scripſerat autem librum ſuper tractatum Boëtii de Trinitate ſatis commentitie commentatus; ubi copioſe quidem præfatos errores diſſeminarat: pluribus tamen locis, ſinuoſis quibuſdam voluminibus caput contegens ſerpentinum. Poſtulatus hunc librum, ad manum ſe habere negabat: nec facile erat, præſertim ob diſcuſſionem à ſuis eum diſcipulis obtinere. Prolatæ ſunt tamen particulæ quædam: ſed, ut poterat, etiam manifeſta capitula detorquebat, non parvis in hoc patrociniis utens: demum juſſus eſt ſummo Pontifici integrum mittere corpus libri.

Factaque eſt inquiſitio tertia in urbe Remorum, ubi prædictus Papa magnum eodem anno Concilium cele- D bravit; congregatis quatuor regnorum epiſcopis, Galliæ, Germaniæ, Angliæ & Hiſpaniæ: ubi jam diſſimulandi facultas non fuit, cum ex propriis litteris evidentius argueretur. Sed & ipſe, paratis ſibi patrociniis, factus videtur audacior, ut ex hoc dedignaretur amplius diffiteri, quod tanto tempore docuiſſet. Itaque quidquid ſemel & ſecundo coram tanto judice & teſtibus tantis negaverat, impudenti temeritate profeſſus, hoc tamen addere cautus fuit, paratum ſeſe eccleſiaſtico ſenſui poſtponere ſuum, nec contumaciter velle in eo perſiſtere quod dixiſſet.

Diſceptatum eſt aliquantis diebus, quod ibi quoque, etſi pauci admodum pro doctrina illa ſtarent, ſed pluri- E mi pro perſona, ſatagentes excuſare & extenuare etiam quæ non probabant. Unde & coactus eſt zelus eccleſiæ ciſalpinæ, ſecundum prædicti Claræ-vallis Abbatis ſanam doctrinam, adverſus eadem capitula fidei ſuæ Symbolum edere, quàm expreſſius potuit, obvians his quæ dicebantur ab illo. Demum & à ſummo Pontifice abjudicatis omnibus; timens ille ac pavens, in communi audientia, ore proprio, his, quæ profeſſus fuerat, abrenuntiavit, & ſingula quæque refutans, promiſit ſeſe nihil tale deinceps aut ſcripturum, aut dicturum, aut etiam crediturum. Porro volumen illud, in quo manifeſta eſſet inventa iniquitas, lectitari de cetero aut tranſſcribi, ſub excommunicationis pœna ſummus Pontifex apoſtolica auctoritate prohibuit, niſi forte Romana Eccleſia purgatum illud ederet & correctum: quod quidem nec factum audivimus, nec ſperamus aliquando faciendum. Quia tamen multorum adhuc ſcholarium corda videntur eum quo ſemel imbuta ſunt ſervare odorem; nec deſtiterunt, eo utique pernicioſius ſibi, quo occultius, interdictas paginas lectitare; erit forſitan non inutile, ſi ad correctionem præſentium, & futurorum cautelam, & ipſa pariter confutati erroris capitula, quemadmodum auctor eorum ſuo illa ore profeſſus, ſuo deprehenſus eſt inſcripſiſſe libello; & ſanctorum teſtimonia patrum, quibus confutata ſunt, aut confutari poſſe videntur, in medium proferamus.

*De capitulo primo.*

INitium malorum hoc erat. Forma ponebatur in Deo, qua Deus eſſet, & quæ non eſſet Deus: ut humanitas hominis forma eſt, non quæ ſit, ſed qua ſit homo. Hanc vero formam ſive naturam divinam, quam, ut diximus, Deum eſſe negabat, diverſis appellari nominibus; divinitatem, magnitudinem, bonitatem, veritatem, ſapientiam, omnipotentiam, qua videlicet una forma, non modo Deus, ſed & magnus, & verus eſſet, & bonus, & ſapiens, & quæque ſimilia: eo nempe Creatorem à creaturis differre contendens, quod illæ quidem formis ſubſiſterent pluribus, ipſe una. Unde & ejuſmodi enuntiationes, Divinitas eſt Deus, ſapientia, veritas, magnitudo, bonitas, vel omnipotentia Dei eſt Deus ipſe; ſi de ſimpliciſſima illa, excellentiſſimaque natura ſermo fieret, falſas eſſe omnino, tam impie, quam libere auſus eſt profiteri. Porro converſas earum, Deus eſt veritas, Deus eſt ſapientia, ceteraſque ejuſmodi, emphaticas eſſe tradebat, ac ſi de homine diceretur: Tu quantus quantus, totus ſapientia es: eo ſane propriam magis in Deo figuram expreſſionis aſſignans, quod in homine quidem, cui multæ ſint proprietates, abundantia formæ unius, ut puta ſapientiæ; in Deo autem ſingularitas ipſa veram faceret hujuſmodi enuntiationem. Et Dei quidem eſſe in eo conſtituebat, ut hac forma ſubſiſteret; formæ autem ipſius in eo magis, ut non hæc aliquo, ſed hac eſſet aliquid, id eſt Deus. De quo quidem capitulo ſuper Tractatum Boëtii, immo potius contra, non exponens Boëtium, ſed Boëtio ſe opponens, ſcripſerat in hunc modum. Sicut non eſt, quo Deus ſit, niſi ſola atque ſimplex eſſentia, id eſt ἐσία; ſic non eſt unde οὐσία ipſa ſit, niſi quoniam ea ſimplex & ſolus Deus eſt. Unde etiam uſus loquendi eſt, ut de Deo dicatur, non modo Deus eſt; verum etiam Deus eſt ipſa eſſentia. Recte utique. Si enim qui non modo ſapiens, ſed etiam coloratus, & magnus, & multa hujuſmodi eſt, ex ſapientiæ præ ceteris abundantia dicitur: Tu quantus quantus, totus es ſapientia: tamquam nihil aliud ſit, quod ſibi eſſe conferat, niſi ſola ſapientia. Multo proprius Deus, cui diverſa non conferunt ut ſit, dicitur ipſa eſſentia, & aliis nominibus: Idem: Ut Deus eſt ipſa divinitas ſua, ipſa ſua ſapientia: Divinitas in Patre dicitur eſſe, ſicut eſſentia in eo qui vere eſt.

Gillebert. comment. in Boët.

Aliqui parvuli ſenſu audientes quod Deus eſt ſimplex, ipſum & quæcumque de eo nominum diverſitate dicuntur, ut Deus, unus, æternus, perſona, principium, auctor, Pater, Filius, connexio, & hujuſmodi alia ejuſdem naturæ ejuſdemque rationis, eſſe ita accipiunt, ut eſſentia, quæ dicitur Deus, ſit & unitas qua unus eſt, & æternitas qua æternus eſt, & ſimiliter cetera, & è converſo:

» ipse etiam Pater sit paternitas, & unus unitas, & æternus æternitas, & conversim.

» Quæro, an Pater & Filius & Spiritus-sanctus prædicentur substantialiter de divinitate, id est de illis, qui quoniam sola divinitate sunt id quod sunt, non modo Deus, verum etiam divinitas appellantur.

» Pater veritas, id est verus: item Filius veritas, id est verus: Spiritus-sanctus veritas, id est verus; & collectim Pater, Filius, & Spiritus-sanctus non sunt tres veritates, sed sunt una singulariter & simpliciter veritas, id est unus verus.

» Qui homo est, ut Plato, vel Cicero, vel Tripho; vel, qui Deus est, ut Pater, vel Filius, vel Spiritus-sanctus, quod dicitur illorum quilibet esse homo, & istorum quilibet esse Deus; refertur ad substantiam, non quæ est, sed qua est.

» Cum dicitur Deus, Deus, Deus; primum de Patre, secundum de Filio, tertium de Spiritu-sancto, eorum quidem, qui sunt Deus, numeratio facta est: ejus vero, qua sunt Deus, repetitio.

Jam si expositorem audivimus, ne forte sit infidelis, ipsum consulamus auctorem. Formam quippe nominat, sed quid velit intelligi, manifestius exprimit, dicens: *Boët. lib. de Trin. cap. 2.* Divina substantia sine materia forma est, atque ideo unum est: & est id quod est, reliqua enim non sunt id quod sunt. Unumquodque enim habet esse suum ex his, ex quibus est, id est ex partibus suis: & est hoc atque hoc, id est partes suæ conjunctæ; sed non hoc vel hoc singulariter. Ut cum homo terrenus constet ex anima corporeque, corpus & anima est; non vel corpus, vel solum anima. In parte igitur non est id quod est. Quod vero non est ex hoc atque hoc, sed tantum hoc est; illud vere est id quod est: & est pulcherrimum, fortissimumque, quia nullo nititur. Quocirca hoc vere unum est, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud, præterquam id quod est. Neque enim subjectum fieri potest. Forma enim est, formæ vero subjectæ esse non possunt. Nam quod ceteræ formæ subjectæ accidentibus sint, ut humanitas non ita accidentia suscipit eo quod ipsa est, sed quod materia ei subjecta est. Dum enim materia subjecta humanitati suscipit quodlibet accidens, ipsa hoc suscipere videtur humanitas: forma vero, quæ est sine materia, non potest esse subjectum, nec vere inesse materiæ.

Hoc igitur unum quod solum est id quod est, hoc pulcherrimum fortissimumque quod nullo nititur; in quo nullum aliud præterquam id quod est, quod subjectum fieri non potest; forma enim est: quis sanum sapiens Deum esse negaverit? alioquin si Deo diversa non conferunt ut sit, Divinitas autem nullo nititur, ne uno quidem; eligat quisque quod judicaverit præferendum. Sane in judicio si forsitan hæsitaverit, consulat Augustinum. ait enim: Deus non ea magnitudine magnus est, *Aug. de Trin. lib 5. cap. 10.* quæ non est quod ipse, ut quasi particeps ejus sit Deus cum magnus est. Alioquin illa erit major magnitudo quam Deus. *Boët de Trin. cap. 3.* Sed quid prætergredimur viam? ad Boëtium revertamur. Catholicis vero * nihil in differentia constituentibus, ipsamque formam, ut est, esse ponentibus, neque aliud esse, quam est ipsum quod est, opinantibus, recte repetitio de eodem, quam enumeratio diversi videtur esse cum dicitur, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus-sanctus. Vides certe non esse catholicum, qui in Deo aliud quidem esse formam qua est, aliud vero quod est opinatur. De forma enim superius monstratum est, quoniam is sit forma, & unum vere, nec ulla pluralitas.

** al. deest nihil,*

Quæso te, vide quam id sancte atque inviolabiliter probes, quod boni summi summum Deum diximus esse plenissimum. *Id. lib. 3. de Consol.* Quonam, inquam, modo? Ne hunc rerum omnium Patrem illud summum bonum, quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter habere præsumas, quasi habentis Dei, habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, præstantius id quod dederit eo quod acceperit existimare possis. Sed hunc esse rerum omnium præcellentissimum dignissime confitemur. *Ibid. post pauca.* Quod si natura quidem idem est, sed est ratione diversum; cum de rerum principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit? Nullo modo quæ sunt summa bona, ea possunt esse diversa. Atqui & beatitudinem, & Deum, summum bonum esse collegimus: quare ipsam necesse est summam esse beatitudinem, quæ sit summa divinitas.

Ergo, & inter summam beatitudinem, quæ est summa divinitas, demum discernere cura: &, si placet, edissere nobis, quod è duobus sit summum bonum, cum summa bona à se diversa esse non possint. Durum enim videtur asserere, summam bonitatem, qua bona sunt omnia, etiam ipse Deus, aliquid esse non bonum: sed ne hoc quidem facile admittendum puto, inter bona media aut infima bonitatem hanc numerari. Sed consulatur & unicus ille omnium malleus hæreticorum; an vel istam blasphemiam præterire videatur intactam: ubi & illud simul attende, non novam esse, sed olim tritam & ventilatam, immo & contritam & eventilatam iterum pullulasse.

Nunc tene, inquit, inconcussa fide, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum esse Trinitatem, & tamen unum Deum: *August. epist. 222. ad Consentium.* non quod sit eorum communis quasi quarta divinitas, sed quod sit ipsa ineffabilis & inseparabilis Trinitas. Divinitas Trinitatis, quæ putatur alia esse quam sit ipsa Trinitas, *Ibid. post pauca.* & propter hanc dici non tres deos, sed unum, quod ipsa una sit in tribus, aut substantia est, aut non est substantia. Augustinus est qui loquitur, & tuam nobis tam diligenter explicat novitatem. Responde quid sentias, utrum substantia sit, an non, tua hæc divinitas, cujus sola unitate tres personas dici asseris unum Deum. Quid obmutescis? Ille partem utramque prosequitur, utrimque persequitur fugitantem.

Si, inquit, substantia est, & alia quam Pater, aut Filius, aut Spiritus-sanctus, vel ipsa simul Trinitas, *August. ibid.* proculdubio alia substantia est. Hoc autem veritas repellit & respuit. Item si non est substantia ista divinitas, & secundum hanc Trinitas unus Deus, quod hæc una sit in tribus; non debuit dici Pater & Filius & Spiritus-sanctus unius substantiæ, sed unius divinitatis, quæ non est substantia. Agnoscis autem in fide catholica, quia hoc verum, hoc firmatum est, quod Pater & Filius & Spiritus-sanctus, cum sit Trinitas, unus Deus est: quia inseparabiliter sunt unius ejusdemque substantiæ, vel, si melius dicitur, essentiæ. Nonnulli enim nostrorum, & maxime Græci, Trinitatem, quæ Deus est, magis essentiam unam, quàm unam substantiam esse dixerunt, aliquid inter hæc duo nomina arbitrantes, vel intelligentes; unde nunc disputare non opus est. Quod si divinitatem istam, quæ aliud existimatur esse quam sit ipsa Trinitas, non substantiam, sed essentiam dixerimus, eadem falsitas consequetur. Si enim alia est, quam ipsa Trinitas, altera erit essentia. quod absit, ut Catholicus sentiat. Restat itaque ut credamus, unius esse substantiæ Trinitatem, ut ipsa essentia non sit aliud quam ipsa Trinitas.

Quid evidentius dici potuit? adhuc tamen eumdem Augustinum audiamus. *Id. lib. 1. de Trin. cap. 6* Omnis substantia quæ Deus non est, creatura est; & quæ creatura non est, Deus est. Quid ergo de ea facimus, non quæ est, sed qua est Deus? Idem. *Idem. lib. 2. de Trin. c. 2.* In Dei quippe forma, sicut non est aliud Filius, aliud vita ejus, sed ipsa vita Filius est: ita non est aliud Filius, aliud doctrina ejus; sed ipsa doctrina ejus Filius est. Aliæ quæ dicuntur essentiæ sive substantiæ capiunt accidentia, quibus fiat in eis vel magna, vel quantacumque mutatio: Deo autem aliquid melius excogitari non potest. & ideo sola est incommutabilis substantia, vel essentia, quæ Deus est: cui profecto ipsum esse, unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit. Hæc Augustinus. Te vero quisquis adhuc porros esuris & cepas Ægyptiorum, fateri velim, quænam magis proprie dicatur essentia, quæ est, aut qua est Deus. Utraque enim incommutabilis est, & forte magis ei competit nomen essentiæ, qua est quicquid est.

Idem Augustinus. *Ibid cap. 18.* Ipsa enim natura vel essentia, vel quolibet alio nomine appellandum est, idipsum quod est Deus, quidquid illud est, corporaliter videri non potest. Item. *Idem lib. 7. de Trin. c. 1.* Sicut absurdum est dicere, candidum non esse candorem, sic absurdum est dicere sapientem non esse sapientiam; & sicut candor ad seipsum candidus dicitur, ita

ita

ita & sapientia ad seipsam dicitur sapiens. Sed candor A corporis non est essentia, quoniam ipsum corpus essentia est, & illa ejus qualitas. unde & ab ea dicitur candidum corpus, cui non est hoc ipsum esse, quod candidum esse. Aliud enim ibi forma, & aliud color: & utrumque non in seipso, sed in aliqua mole, quæ moles, nec forma, nec color est, sed formata & colorata. Sapientia vero & sapiens est, & seipsa sapiens est. Item.

Id. cap. 5. Res vero mutabiles, neque simplices proprie dicuntur substantiæ. Deus autem si subsistit, ut substantia proprie dici possit, in eo inest aliquid tamquam in subjecto; & non est simplex, cui hoc sit esse, quod illi est quidquid aliud de illo ad illum dicitur; sicut magnus, bonus, & si quid ejusmodi de Deo non incongrue dicitur. Nefas B est autem ergo dicere, ut subsistat & subsit Deus bonitati suæ: atque illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia ejus; neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in eo sit, tamquam in subjecto.

Ibid. cap. 6. Tres personas ejusdem essentiæ, vel tres personas unam essentiam dicimus: tres autem personas ex eadem essentia non dicimus; quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona. Item. Est igitur natura non facta, quæ

Idem. lib. 14 de Trin c. 11. fecit omnes magnas parvasque naturas, eis, quas fecit, sine dubitatione præstantior: ac per hoc, etiam de qua loquimur, rationabili & intellectuali, quæ hominis mens est. Illa autem ceteris natura præstantior, Deus est. Forsitan dixisse debuerat, illa ceteris præstantiore Deus est. C Quid tamen magnum Deo ea esse, qua est quidquid est.

Lib. 15. c. 3. Item. Per veritatem, quæ intellecta conspicitur; & per bonum summum, à quo est omne bonum; & per justitiam propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum justo; ut natura non solum incorporalis, verum etiam immutabilis, quod est Deus, quantum potest, intelligeretur, admonui. Item. Quæ vita dicitur

Cap. 5. in Deo, ipsa est essentia ejus atque natura. Non itaque vivit, nisi vita, quod ipse sibi est. Quid tibi videtur? Huicne credendum est, singulari utique Magistro catholicæ fidei, & expugnatori universæ hæreticæ pravitatis, dicenti, Natura immutabilis, quod est Deus, & vita, quod ipse sibi est; an magis ei qui dicit, Non quæ est, sed, D qua est? Sed iterum atque iterum quid Augustinus sentiat audiamus.

Aug. Tract. sup. Johan. Quid factum est in corde tuo, cum diceremus, Deus? Magna & summa quædam substantia cogitata est, quæ transcendit omnem mutabilem creaturam. Item: Diximus, ut potuimus, non temporaliter scire Filium, nec aliud esse Filii scientiam, aliud ipsum Filium; & aliud esse Filii visionem, aliud ipsum Filium: sed ipsam visionem esse Filium, & ipsam scientiam vel sapientiam Patris esse Filium. Deo non alia est substantia ut sit, & alia potestas ut possit; sed consubstantiale illi est, quidquid ejus est; & quidquid ejus est, Deus est. Item. Legitur quidem, *Et Spiritus sapientiæ multiplex*, sed recte di- E citur etiam *simplex*. Multiplex enim, quia multa sunt quæ habet; simplex autem, quia non aliud quam quod habet, est. Sicut dictus est Filius habere vitam in se-

Gennad. in veruis diffinit. metipso, & eadem vita ipse est. Quid te voluit aliud Scriptura docere, nisi ut dum legeres esse Deum, & quæ in Deo sunt, non naturam intelligas esse compositam; sed secundum compositam intelligas incompositam? Item. Nunc veniamus ad ea quæ Deus habere dicitur, quæ non possunt non haberi, quæ habere dicuntur, ut ait Apostolus; ita & quæ in Deo sunt nemo novit, nisi Spiritus qui in ipso est. Quæ sunt ergo in Deo pariter requiramus. Nonne sapientia, virtus, lux, providentia, vita, splendor, imago, immortalitas, de qua scri- F

Didym. de Spiritu-sancto. bitur; *Qui solus habet immortalitatem?* Habet enim universa quæ diximus; quæ omnia Filius est. Quod autem substantialiter bonum est, non potest extraneæ capax esse bonitatis, cum ipsum tribuat ceteris bonitatem.

Ibidem. Item. Spiritus-sanctus non accipiens aliunde sapientiam dictus est Spiritus sapientiæ. Hoc enim ipsum quod subsistit, Spiritus sapientiæ est, & natura ejus nihil est

Fulg. ad Donat. aliud, nisi Spiritus veritatis. Una quippe veritas unius Dei, immo una veritas unus Deus, non permittit servitium atque culturam veri Dei, creaturæque conjungi.

Isid. lib. etim. lib. 4 cap. 1. Deus solus, quia æternus est, hoc est, quia exordium non habet, essentiæ nomen vere tenet. Idem: Deus autem habet essentiam, habet sapientiam, sed quod habet, hoc est, & omnia unus est.

Greg. moral. lib. 16. Deus hoc est quod habet: habet enim æternitatem; & ipse est æternitas. Hoc quoque sciendum est, quod omnis substantia, quæ Deus non est, creatura est: & quæ creatura non est, Deus est. Item: Eadem ibi sapientia quæ

Alcuin. de Trin l. 2. c. 9. & 14. essentia, eadem potentia quæ essentia, eadem vita quæ essentia: & hæc omnia unum, & unus Deus.

Claudian. ad Sidon. de statu vitæ. Pati non potest, nisi passibilis creataque substantia: quæ quoniam à summa essentia, quæ Deus est, ut existeret, vocata de nihilo est, inter illud de quo facta est, & à quo facta est, media; ita superioribus affici potest, ut proficiat, sicut inferioribus ut deficiat.

Hilar. de Synod. Est præterea tertius hic error, ut cum unius substantiæ Pater & Filius esse dicatur, significari existimetur substantia prior, quam inter se duo pares habeant, ac si tres res sermo significet substantiam unam, & duos unius substantiæ velut coheredes. Idem. Per Moysen Seth

Ibidem. animæ similitudo est: per Johannem Filius Patri æqualis est: & quærimus tertium nescio quid inter Patrem & Filium quod natura non recipit. Idem: Deus autem im-

Lib. 8 de Trin. mensæ virtutis vivens potestas, quæ nusquam non adsit, nec desit usquam, se omnem per sua edocet; & sua non aliud quàm se esse significat, ut ubi sua insint, ipse esse intelligatur: non autem corporaliter; ut cum alicubi sit, non etiam ubique esse credatur; cum per sua in omnibus esse non desinat: non aliud autem sint, quam quod est ipse, quæ sua sunt. Hæc interim de primo capitulo sufficere videntur.

## *De capitulo secundo.*

SEcundum autem simile est huic, quod evidenter ex Arii fonte procedens, non unam tantum, quæ Deus sit, asserit esse substantiam. Duo siquidem nomine tradit substantiæ designari, videlicet, Quod est, & quo est; essens, atque essentiam: sicut album & albedinem interdum significare dicitur, & rem albam. Id ergo quo est, unum esse in Trinitate consentit, formam illam scilicet & naturam deificam, matremque, ut ita dixerim, Trinitatis. Porro quod hac essentia est, non unum, in Trinitate esse contendit, sed tria singularia quædam, tres res numerabiles, unitatibus tribus; quarum prima sit Pater, secunda Filius, tertia Spiritus-sanctus: idque miraculi docet in beata illa Trinitate credendum, & in eo fidei meritum omne constituit, ut formam numero unam in rebus esse pluribus fateatur. Illius nimirum unitas formæ sola in causa est, ne plures dicantur dii, quibus divinitas est una communis. Sic nimirum tres etiam homines, si fieri ullo modo posset, ut una in eis humanitas, aut eadem inveniretur albedo, dico autem, una & eadem numero; non jam tres albi, neque tres homines dicerentur esse, sed unus. Hoccine totum illud ineffabile sacramentum, hæc Trinitatis & unitatis ratio tota? vides monstruosam, quæ nobis pingitur, imaginem Trinitatis: vides, quod fingitur, non plane miraculum, sed ridiculum. Producuntur ex una radice tres rami; uni quodammodo capiti tria corpora subnectuntur. Una « est, inquit, essentia, sed qua sunt, non quæ sunt. Et qui « dixit, *Ego & Pater unum sumus*; uno sumus, dixisse debuerat. Neque enim est unum aliquid, quod & Pater sit & Filius & Spiritus-sanctus. Alioquin & Filius, inquit, Pater esset, & Pater Filius, & Spiritus eorum uterque. nimirum sic ruit qui irruit: sic percutit qui non videt. Quidni scrutator majestatis opprimeretur à gloria? Hinc illæ erant, non minus ridiculæ, quam sacrilegæ interrogationes. Cum enim sic enuntiaret quis, Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus-sanctus, nihil horum concedens simpliciter, de quo diceret, percunctabatur. Plane diligens inquisitor: Si dicis de Patre, aiebat, Deus « est Pater, & hoc sit dicere, Pater est Pater, verum di- « cis: alioquin verum esse non potest. Sic de Filio, sic de « Spiritu-sancto. Nulla enim res est, nulla substantia, ni- « hil unum, unde vere dici possit, Deus est Pater, Deus « est Filius, Deus est Spiritus-sanctus. Unde & conjunc- «

tum, unus Deus est Pater & Filius & Spiritus-sanctus, A ne Sabellianus esset, immo ne esse desisteret Arianus, negabat. Invertebat autem quas poterat enuntiationes, ut verba convertens, sententiam quoque perverteret ipsam. Pater & Filius & Spiritus-sanctus unum sunt, vel unus Deus, vel una substantia. Nihil horum, ait, umquam negaverim. Sed cur hoc? quia uno sunt, una essentia, una divinitate. Si quis autem sic pronuntiet, Deus est Pater & Filius & Spiritus-sanctus, personas prædicans; Hanc, inquit, plane nego.

Sic Pictavis in sede magni Hilarii, congregata ecclesia, dogmatizavit, qui Synodo præsidebat: sic in auribus Romanæ ecclesiæ, & multitudinis episcoporum, quos ad Remense concilium apostolica convocaverat auctoritas, B heu! inter catholicos profitenti non defuere fautores; quem tamen Viterbi, atque Parisius interrogatum similiter, non simpliciter respondisse constabat. Sic usque hodie infelices paginæ continent, è quibus ista proferimus.

*Ex comm. Gilleb. sup. Boetium.* Sabelliani, cum audiunt unius substantiæ tres esse personas, & propter eam, quæ ex illarum proprietatibus est, diversitatem, aut æqualitatem, aut cooperationem, aut coæternitatem, aut processionem ostendendam, inductas esse similitudines legunt, scilicet, vel unius animæ mentem, notitiam, amorem; vel unius mentis memoriam, intelligentiam, voluntatem: vel unius radii splendorem, & calorem, & hujusmodi alias: putant quod sicut unus solus est radius, de quo dicuntur splendor & C calor; aut una sola est mens, de qua & memoria, & intelligentia, & voluntas: ita unus solus subsistens sit, qui natura cum sit Deus, idem ipse personalibus proprietatibus sit Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus. Quos hic error patenter ostendit ignorare hujus nominis, quod est substantia, multiplicem usum videlicet, & quod est, & quo est, hoc nomine designari.

*Idem ibid.* Ne quis Sabellianus secutus ex multivoci, quod est ensis, mucro, gladius; aut univoci, quod est sol, sol, sol, comparationibus, quibus & quod est, & quo est, id est & subsistens & subsistentia, iterata significatione repetitur, in eo quod de Patre & Filio & ipsorum Spiritu prædicatur. Hæc de commentario sumpta sunt: de cetero Boëtius ipse loquatur, ut is potissimum fraudis impiæ commenta dissolvat. D

*Boët. de Trin. cap. 5.* Relatio non faciet alteritatem rerum, de qua dicitur, sed, si dici potest, personarum. Quod eisdem fere verbis beatus Augustinus docuerat: Confiteantur, inquiens, Ariani nobiscum, in una divinitatis natura pluralitatem personarum magis quàm rerum esse. Item Boëtius: Nam *Boët. ibid. cap. 6.* idem Pater, qui Filius, non est; nec idem uterque qui Spiritus-sanctus. Idem tamen Deus est Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus: idem justus, idem bonus, idem magnus, idem omnia quæ secundum se poterunt prædicari. Sane sciendum est, non semper talem esse prædicationem relativam, ut semper ad differens prædicetur; ut est ser- E vus ad dominum, differunt enim. Nam omne æquale, æquali æquale est; & simile, simili simile est; & idem ei, quod est idem, idem est. Et similis est in Trinitate relatio Patris ad Filium, & utriusque ad Spiritum-sanctum; ut ejus, quod est idem, ad id quod est idem. Quod si id in cunctis aliis rebus non potest inveniri, facit hoc cognata caducis rebus alteritas.

*Boët. ad Johan. diac.* Idem. Quæro an Pater & Filius & Spiritus-sanctus de divinitate substantialiter prædicentur, an alio quolibet modo. Et post pauca. Ex his igitur intelligimus, Patrem, Filium, ac Spiritum-sanctum non de ipsa divinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo.

** Gennad. eccl. dog.* Augustinus*. Credimus unum Deum esse Patrem & F Filium & Spiritum-sanctum. Jam forte parat invertere cavillator: sed audiat quid sequatur. Patrem vero, eo quod habeat Filium; Filium, eo quod habeat Patrem; Spiritum-sanctum, eo quod sit ex Patre & Filio. Hæc nimirum adjectio, si quis prudenter advertat, prorsus vetat inverti; & non nisi de uno Deo patitur esse sermonem.

*Aug. de Trin. lib. 1. c. 6.* Augustinus. Consequenter intelligitur, non tantum de Patre dixisse Apostolum Paulum, *Qui solus habet immortalitatem*, sed de uno & solo Deo, quod est ipsa Trinitas. Item. Beatus & solus potens Rex regum, & Dominus dominantium; quod est unus, & solus, & verus Deus, ipsa Trinitas. Recte ergo ipse Deus Trinitas intelligitur *beatus & solus potens*. Idem. Loquendi causa de ineffabilibus ut fari aliquo modo possemus, quod effari *Ibid. lib. 7. cap. 4.* nullo modo possumus, dictum est à Græcis, una essentia, tres substantiæ; à Latinis autem una essentia, vel substantia, tres personæ: quia in latino non aliter essentia, quam substantia solet intelligi. Idem. In septimo libro quæstio quæ dilata fuerat explicatur: ita ut Deus qui *Ibid. l. 15. cap. 3.* genuit Filium, non solum sit Pater virtutis & sapientiæ suæ; sed etiam ipse virtus & sapientia. Sic & Spiritus-sanctus: nec tamen simul tres sunt virtutes, aut tres sapientiæ; sed una virtus & una sapientia; sicut unus Deus & una essentia. Deinde quæsitum est, quomodo dicatur una essentia tres personæ, vel, ut à quibusdam Græcis, una essentia tres substantiæ: & inventum est, elocutionis necessitate dici, ut aliquo uno nomine enuntiaretur, cum quæritur, quid tres sint, quos tres esse confitemur, Patrem scilicet & Filium & Spiritum-sanctum.

Idem. Ad hoc ratio pervenit, ut sic sit Filius sapientia de sapientia, quomodo lumen de lumine, Deus de Deo; *Ibid. cap. 6.* nec aliud potuimus invenire Spiritum, nisi & ipsum esse sapientiam, & simul omnes unam sapientiam, sicut unum Deum, unam essentiam. Hanc ergo Sapientiam, quod est Deus, quomodo intelligimus esse Trinitatem? Non dixi, quomodo credimus; nam hoc inter fideles non debet habere quæstionem. Idem. Jam in hoc libro superius disputavi, non sic accipiendam esse Trinitatem, quæ *Ibid. cap. 7.* Deus est, ex istis tribus, quæ in trinitate nostræ mentis ostendimus; ut tamquam memoria sit omnium Pater, & intelligentia omnium Filius, & caritas omnium trium Spiritus-sanctus: quasi Pater non intelligat sibi, nec diligat; sed ei Filius intelligat, & Spiritus-sanctus ei diligat: ipse autem, & sibi & illis tantum meminerit: & Filius nec meminerit, nec diligat sibi; sed meminerit ei Pater, & diligat ei Spiritus-sanctus: ipse autem & sibi, & illis tantummodo intelligat; ipseque Spiritus-sanctus nec meminerit, nec intelligat sibi; sed meminerit ei Pater, & intelligat ei Filius; ipse autem & sibi & illis, non nisi diligat: sed sic potius, ut omnia illa tria, & omnes & singuli habeant in sua quisque natura; nec distent in eis ista; ut in nobis, aliud est memoria, aliud intelligentia, aliud dilectio sive caritas: sed unum aliquid sit, quod omnia valeat, sicut ipsa sapientia. Et sic habetur in uniuscujusque natura, ut qui habet, hoc sit quod habet, sicut immutabilis simplexque substantia.

Idem. Res quibus fruendum est, Pater & Filius & Spiritus-sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa *Idem de Doct. Chr.* res est, communisque omnibus fruentibus ea; si tamen res, & non rerum omnium causa; si tamen causa. Neque enim facile nomen, quod tantæ excellentiæ conveniat, inveniri potest. Idem. Istum unum verum, qui solus est naturaliter Deus; non Patrem solum, neque Filium solum, *ad Petrum de reg. fidei.* neque solum Spiritum-sanctum: sed simul Patrem & Filium & Spiritum-sanctum esse diximus. Idem. Si una illa essentia Patris & Filii & Spiritus-sancti una esset persona, non diceretur *ad imaginem nostram*, sed *ad imaginem meam*: nec dixisset, *Faciamus*, sed, *faciam*. Quid igitur? quod jam docemur, unam illam essentiam Patris & Filii & Spiritus-sancti, ne ullam quidem esse personam.

Idem. Quia in illo uno vero Deo Trinitate, non solum quod unus Deus est, sed etiam quod Trinitas est, naturaliter verum est: propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est, & in natura unus est. Idem. Principaliter tene, omnem naturam, quæ non est Trinitas Deus, ab ipsa sancta Trinitate, quæ solus verus & æternus est Deus, creatam ex nihilo. Edissere nobis, si potes, quæ natura sit Trinitas Deus: cum divina natura nec Deus, nec Trinitas sit: aut certe ex nihilo eam fateare creatam, quæ non sit Trinitas Deus. Id enim tenendum principaliter à magno fidei principe commendatur.

Augustinus. Satis est Christiano rerum creatarum cau- *Enchirid. c. 4.* sam, sive cælestium, sive terrestrium, sive visibilium, sive invisibilium, non nisi bonitatem intelligere Creatoris, qui est unus Deus & verus; nullamque esse creaturam, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso; eumque esse Trinita-

tem, Patrem scilicet & Filium & Spiritum-sanctum, manifesta sunt testimonia, nec ullius egent interpositionis.

*De creatione hominis ad imag. Dei.* Augustinus. Deus dicitur vis illa ineffabiliter magna, & innumerabiliter sapiens, ut scriptum est: *Magnus Dominus & magna virtus ejus.* Vis ista Deus est, & Deus ipse tria est. Idem. Omnis mens quidquid scit, amat scire. Amor non minus quam inter duos est, amantem, & quod amatur. Unus est ergo amborum amor, qui & tertius est. Non autem potest negari, hoc totum unam animam esse, & unam animam esse hæc tria. Sicut enim hæc tria vere anima una est; sic hoc unum, & hoc alterum, & hoc tertium. Comparet igitur se hæc creatura tam eminens Creatori suo supereminenti sibi, excepto hoc & multum supra se amoto, quod omnis bonitas & omne bonum, & omnis bonitatis & boni dulcedo Creatoris à seipso est.

*Athanas. contra Arium & Sabell.* Athanasius. Illuc mihi necessario video festinandum, ut tres unum esse, & unum tres esse; & si non ratione qua homo sum, tamen auctoritate perdoceam. Idem. Supernarum virtutum carmina unum tres esse, & tres unum esse demonstrant. Sed hic Theologus noster econtra tres quidem unum, sed non unum tres esse demonstrat; ne Sabellianos forte sequatur. Ceterum ad hunc nostrum audiat Athanasium suo Ario respondentem. Nec Sabellium incurrimus, tres unum Deum fatendo, nec tuæ perfidiæ laqueis irretimur, dum hunc Deum Trinitatem esse ingenue confitemur.

*Theodoret. Cassiod. de ... animæ.* Ex istis scientia est Deus, Deus est Trinitas. Idem. Ibi enim unitas vere est Trinitas, & Trinitas vere est unitas. Tunc perfecte cognoscemus, quod modo salubriter credimus. Neque enim aliter animadvertere merebimur, nisi nunc, quæ vera sunt, fateamur, hoc est, veram, coæternam, incommutabilem, distinctam personis & inseparabilem Trinitatem, replentem omnia simul substantiali virtute sua. Unum simplex, trinumque: hæc tria unum, & hoc unum tres: sed non tres Patres, nec tres Filii, nec tres Spiritus-sancti. Tres unum, & unum tres confiteor. Hæc tria unus Deus, & unus Deus hæc tria. Idem. Deus & Dominus, vera & sempiterna Trinitas in personis; vera & sempiterna unitas in substantia: quia una est substantia Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Si una substantia est Pater & Filius & Spiritus-sanctus; quare solus Filius incarnatus dicitur? quia alia persona Patris, alia Filii, alia Spiritus-sancti.

### *De Capitulo tertio.*

Tertium radicis vipereæ germen proprietates, id est relationes, personis tribus attribuit, quæ non sint ipsæ personæ: res sempiternas & ab invicem, & à divina substantia numero differentes; ut inveniatur, non Trinitas, sed quaternitas: cum divina illa substantia sit hoc unum, & qualibet trium proprietatum aliud unum. Nam & quatuor tradit unitates æternas, quarum prima quidem adsit summæ illi naturæ, qua Deus est; tres residuæ proprietatibus tribus. Porro personas ipsas illa unitate Deum unum dici, reliquis vero tribus unitatibus esse tria. Ubi, si diligenter advertas, quod imparitatem hanc relationis ratio non admittit, quatuor statim proprietates occurrunt. Neque enim referri ad Patrem & Filium Spiritus potest; quin & ipsi referantur ad Spiritum. Sed nec eadem, qua ipse, possunt relatione referri; ne sit una in Trinitate sine proprietate persona. Nempe ut diversa à paternitate filiatio est, sic & à processione productio; si tamen hoc eam nomine placeat appellari. Jam vero huic suam necesse est dare unitatem; & adhuc crescet rerum numerus æternarum, si fuerit qui prosequatur. Multa siquidem hinc pullulare necesse est, ut ex radice colubri regulus oriatur. Sed hæc disputatio supra nos est: majoribus reservetur. Forte tamen ipsa sibi impietas ad omnem confusionem sufficere poterit: dummodo lectoris diligentia perscrutetur glossam obscuriorem textu, adversantem utpote textui, & sectandis involucris laborantem. Si quo minus, abundant testimonia scripturarum, quibus impietas omnis, licet impudentissima sit, obruatur.

*... comm.* Illius enim proprietas prædicationis, qua de quo unum horum prædicatur, aliud prædicari non potest: satis patenter ostendit, non modo inter se, verum etiam ab omnibus illis, quæ de illorum subjectis communiter dicuntur; & ab eo maxime quod unum de tribus, multis nominibus substantialiter prædicatur, hæc esse diversa. Est autem hæc diversitas non modo in numero, quo scilicet hoc unum est; quodlibet vero illud est aliud unum: verum etiam natura generis, & loco rationis. *Gilbert. sup. B. ...*

Substantiam divinam dicit, eam scilicet non quæ est, sed qua est Deus, unam multis nominibus prædicari, cum dicit Deus magnus, bonus, & omnipotens, & his similia. Eadem enim in Deo est sapientia, & essentia, & veritas, & omnipotentia; & quæcumque de Deo dicimus in hunc modum. Ab hac ergo substantia divina personales proprietates (nam de his utique loquimur) numero dicit esse diversas; ut ipsa quidem sit hoc unum: qualibet vero illarum proprietatum aliud unum. Nec vero hæc differentia sufficit, nisi amplior quoque diversitas generis & rationis accedat. Vide autem: si enim hic merito verbis Boëtii respondemus, cum de rerum principe loquamur Deo, fingat, qui potest, quis hæc tam diversa conjunxerit? Nam quod ait de proprietate prædicationis, ut de quo unum illorum trium prædicatur, alterum prædicari non possit (unde & alibi quoque res oppositas nominavit, & unum Deum, tres esse personas negabat) evidenter Boëtius ipse confutat.

*Boët. ad Joan. Diac.* Quæro an Pater & Filius & Spiritus-sanctus prædicentur substantialiter de divinitate, an alio quolibet modo. Item. Ex his intelligimus, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum non de ipsa divinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo. Dico enim, si de divinitate prædicantur; & de uno, cum non sit nisi una divinitas. Deinde quod personas ipsas relationum subjecta dicit, catholicus horret auditus. Unde & ipse Boëtius de Deo utique loquens (neque enim aliud aliquid tam eleganter ceteris omnibus assereret præferendum, sicut & supra meminimus) ait. Hoc vere unum est, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præterquam id quod est. Neque enim subjectum fieri potest, forma enim est; formæ vero subjectæ esse non possunt. Et ne in hoc quidem à beato Augustino Boëtius ipse dissentit; cum & ille doceat, in Dei substantia non aliud esse substantiam, & aliud quod accidit ipsi substantiæ; sed quidquid in ea intelligi potest, esse substantiam. *Boët. de Trin. cap. 2.*

*Gilleb. ex comment. sup. Boët.* Et an forte proprietates illas non in Deo ponere, sed extrinsecus affingere videatur: ait siquidem quodam loco. Theologicæ personæ, quoniam ejus quo sunt, & simplicitate id quod sunt, essentiarum oppositione à se invicem aliæ esse non possunt; sed harum quæ dictæ sunt, extrinsecus affixarum rerum oppositione à se invicem aliæ & probantur, & sunt. Ubi, obsecro? extra Deum: siquidem ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia. Denique si quid illi affixum extrinsecus fuerit, extra veritatem, extra æternitatem esse convincitur. Semel crucifixus pro nobis Unigenitus Dei Patris, nec sibi, nec Patri, nec Spiritui utique suo quicquam à nobis deinceps patietur affingi. Postremo, si vere tres illas affingit extrinsecus, ubi illud erit, quod tamquam sibi maxime suffragaturum protulit? *In substantia unitas, in personis proprietas, & in majestate adoretur æqualitas?* Audis, inquit, *in personis proprietas:* & dubitas credere personales esse proprietates res æternas, quæ non ipsæ personæ sint, sed in ipsis? Modo affigebantur extrinsecus: sed fides catholica nec affixas recipit, nec infixas. Nimirum sicut in personis proprietatem, sic in substantia unitatem, sic in majestate æqualitatem adorat: sed hæc omnia per indifferentiam dicta sapit, quicumque non desipit. Nihil enim in Deo est, præterquam id quod est. Sed nec proprietates, ait illa scriptura, quamvis & hoc sane posset intelligi, immo vero proprietas in personis, id est, distinctio. Adoratur itaque in substantia unitas, in personis proprietas, in majestate æqualitas, id est substantia una, personæ distinctæ, majestas æqualis. Alioquin, si verbis insistere libet, adorentur ab eo in personis relationes, res æternæ quæ Deus non sint. Nam à nobis sola fideliter adoratur illa simplicissima substantia & natura, quæ est

Trinitas Deus. Adhuc tamen quemadmodum de his proprietatibus differat, audiamus.

*Ex comment. Gilleb. super Boetium.* Quoniam paternitas, & filiatio, & connexio diversa sunt; oportet unitates quoque, quæ illis adsunt, à se invicem esse diversas: & quia, quamvis substantiæ substantia alia, vel accidens adsit; accidenti tamen non potest adesse substantia; unitates quæ adsunt paternitati, & filiationi, & connexioni nequaquam poterunt esse substantiæ.

Hic, si diligens lector advertat, nil consequentiæ in eo reperiet quod infert: Propterea unitates, quæ proprietatibus adsunt, substantias esse non posse, quod accidenti non potest adesse substantia. Nisi ipsas proprietates accidentia velit intelligi: alioqui si non sunt accidentia, quid rationis habere videtur, eo quod accidenti substantia adesse non possit; quæ illis adsunt, nequaquam posse esse substantias? Atqui accidentia eas esse, ne ipse quidem proprietatum Magister voluit profiteri, medias quasdam res inter substantias accidentiaque constituens. Ad hæc, qua ratione suum hunc ternarium, aut quaternarium magis, (quatuor enim aut forte etiam plures æternas invenit unitates) hunc, inquam, numerum, qua ratione quaternitatem possit negare, non video. Manifeste siquidem numerus est, quo numeramus, numerus rerum ad invicem differentium. Ceterum si hæc ita se habent, tota illa Boëtii de numerali differentia disputatio deleatur, quæ non solum differentiam numeri, sed & ipsum quoque numerum quo numeramus, ubi repetitio unitatum pluralitatem facit, ab ineffabili illa removet Trinitate. Triplicem quippe proponens, generis scilicet, & speciei, & numeri differentiam; Age igitur, inquit, ingrediamur; & unumquodque, ut intelligi atque capi potest, dispiciamus. Post longam deinde disputationem inferens ait: Nulla igitur in Deo diversitas, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque idcirco nec numerus. Deus vero, à Deo, nullo differt, nec vel accidentibus, vel accidentalibus differentiis in subjecto positis distat. Ubi vero nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas; quare nec numerus. Igitur unitas tantum, nam quod tertio repetitur, Deus; cum Pater & Filius & Spiritus-sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsæ sunt, si advertamus ad res numerabiles, ac non ad ipsum numerum. Illic enim unitatum repetitio numerum facit. In eo autem numero, qui in rebus numerabilibus constat, repetitio unitatum atque pluralitas minime facit numerabilium rerum numerosam diversitatem. Numerus enim duplex est, unus quidem quo numeramus, alter vero qui in rebus numerabilibus constat. Etenim unum res est; unitas, qua unum dicimus. Duo rursus in rebus sunt, ut homines vel lapides; dualitas nihil, sed tantum dualitas, qua duo homines vel lapides duo fiunt: & in ceteris eodem modo. Ergo in numero quo numeramus, repetitio unitatum facit pluralitatem; in rerum vero numero non facit pluralitatem unitatum repetitio; velut si de eodem dicam, gladius unus, mucro unus, ensis unus. Potest enim tot vocabulis gladius agnosci. Hæc enim unitatum repetitio, iteratio potius est, non numeratio. velut si ita dicamus, ensis, mucro, gladius, repetitio quædam est ejusdem, non numeratio diversorum: velut si ita dicam sol, sol, sol, non tres soles effecerim, sed de uno toties prædicaverim. Non igitur si de Patre ac Filio & Spiritu-sancto, tertio prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit. Hoc enim illis, ut dictum est, imminet, qui inter eos distantiam faciunt meritorum. Catholicis vero * in differentia constituentibus, ipsamque formam, ut est, esse ponentibus, neque aliud esse, quam est ipsum quod est opinantibus, recte repetitio de eodem, quam enumeratio diversi videtur esse, cum dicitur, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus-sanctus, atque hæc Trinitas unus Deus: veluti ensis atque mucro, unus gladius; velut sol, sol, sol, unus sol.

*Boët. de Trinit. cap. 2.* — *Idem. ibid. cap. 3.* — * *supra add. dic* nihil.

Vere stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi! Hæc enim lectitans & hæc tractans homo tantarum litterarum, nihilo minus auget numeros, multiplicat unitates, simpliciffimam æternitatem rerum numerositate dispertit. Trifariam denique constituit Trinitatem, personarum, proprietatum, unitatum: nobis autem sola personarum Trinitas commendatur.

Augustinus. Si enim minus magna est caritas quam sapientia, minus quàm est diligitur sapientia. Æqualis est igitur, ut quanta est sapientia, tantum diligatur. Est autem Sapientia æqualis Patri, sicut supra diximus. Æqualis est igitur etiam Spiritus-sanctus: & si æqualis, in omnibus æqualis propter summam simplicitatem, quæ in illa substantia est: & ideo non amplius quàm tria sunt. Unus diligens eum qui de illo est, & unus diligens eum de quo est, & ipsa dilectio. quæ si nihil est, quomodo Deus est ipsa dilectio, si non est? Idem. Numerus, & mensura, & pondus ipse Deus est. Ipse est numerus sine numero, à quo omnis numerus: ipse est mensura absque mensura, à quo omnis mensura: ipse pondus sine pondere, à quo est omne pondus. Omnia ergo in numero, & mensura, & pondere disposuit, tamquam diceret, Omnia in se disposuit. Idem. Deus simplex est natura, & immutabilis, & imperturbata; nec aliud est ipse, & aliud quod habet. *De Trin lib. 6. cap 5.*

Isidorus. Simplex dicitur Deus, sive non advertendo quod habet; sive quia non aliud est ipse, & aliud quod habet. *Etymolog. lib. 2. cap. 4.*

Heronymus. Deus simplex est natura & immutabilis; nec aliud est ipse, & aliud quod habet. Idem. Omne quod est, aut ingenitum est, aut genitum, aut factum. Proprium autem Dei est non cœpisse. Idem. Quid ergo de proprietatibus dicimus personarum? Eumdem audiamus. Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel, ut Græci exprimunt, hypostases, hoc est, subsistentias confitemur. Itaque substantia unum sunt, personis ac proprietatibus distinguuntur. *De essentia Dei. Idem. lib. diffiner ad Damas. Papam.*

Gregorius Nazianz. Deum cum nomino, uno lumine illuminamini, & tribus: uno quidem secundum substantiam, tribus vero secundum uniuscujusque proprietates sive subsistentias, ut aliquibus videtur dicendum, sive personas. Nihil enim pro vocabulorum diversitate distat, cum ad eumdem sensum nominum diversitas provocet intellectum. *Lib. 3. de ... Eph.*

Alcuinus. Ingenitus, Genitus, & Procedens una natura est, tres proprietates, unus Deus. Omne quod est, aut semper fuit, & non esse cœpit; aut non semper fuit, & esse cœpit. Quod itaque non cœpit esse, sed semper fuit, Pater & Filius & Spiritus-sanctus: quod vero esse cœpit, omnis est creatura. *De Trinit. lib. 2. cap. ...*

Isidorus. Trinitas est appellata, quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi Trinitas; ut memoria, intelligentia, & voluntas, in quibus mens habet in se quamdam imaginem Trinitatis divinæ. Nam cum tria sint, unum sunt; quia & singula in se manent, & omnia in omnibus. Pater igitur & Filius & Spiritus-sanctus Trinitas & Unitas. Id enim unum, idem & tria. Cujus utique testimonii secundo manifeste erroris hujus capituli pars novissima contradicit, sicut & aliæ multæ ex his auctoritatibus, aut duobus, aut etiam tribus capitulis evidenter opponi facile diligens lector advertet: sed initium quod tertio specialiter adversatur. Ille enim Trinitatem tres unitates exponit, scribens hoc modo. Quo fit, ut nec Trinitas, id est tres unitates, de Deo substantialiter prædicentur. Isidorus vero Trinitatem trium unitatem fidelius interpretatur. *Etymolog. lib. 3. cap 4.*

*De Capitulo quarto.*

RESTAT Capitulum quartum, primi utique virulenta propago. Quocirca non illi diutius immorari necesse est: quippe quod in ipsa jam radice sua confutatum esse videtur. Divinam quippe naturam Deum non esse contendens, eo usque prorupit, etiam non interrogatus, ut incarnationem sic tribueret personæ Filii, ut ipsi divinitati eam omnino negaret. Scripserat autem super eodem capitulo in sua illa expositione, pro libitu bene dicta depravans. Hæc enim sunt verba Boëtii. Sed humana forsitan natura in deitatem videatur esse conversa.

Boët. de persona & natura. cap. 6.

Hoc vero qui fieri potest, si divinitas in generatione Christi & humanam animam suscepit, & corpus? Item. Cum in eadem persona aliud sit divinitas quæ suscepit, aliud quam suscepit, humanitas. non enim natura, sed persona. Ut quid ita? A te ipso habes, an alii docuerunt te? credo proprium est expositoris, cui nec auctor ipse, nec sanctorum quispiam consentire videtur. Propheta dicit in Psalmo: *Veritas de terra orta est*. Expone tu, *veritas*, id est verus: & audiant quorum animas non attingit zelus Dei. Dicit Salomon: *Sapientia ædificavit sibi domum*, expone, *Sapientia* id est Sapiens, sed non nobis.

Aug. de Trin. lib. 3. Tract. 2. de bapt. parvulorum.

Augustinus. Ergo qui forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, utrumque homo. Idem. Si enim divina substantia longe distantior, atque incomparabili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una persona fieret: quanto credibilius, alii & alii homines, sancti & fideles ejus fiunt cum homine Christo unus Christus? Idem. Neque enim natura æterna atque divina temporaliter nasci ex natura humana ullatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ veram nativitatem temporaliter conceptionem ineffabilis in se divinitas accepisset. In eodem. Sic veritas incommutabilis manet humanæ divinæque naturæ, ut sicut vera semper est ejus divinitas, quam de Patre incommutabilem habet: ita vera semper atque incommutabilis sit ejus humanitas, quam sibi unitam summa divinitas gerit. Idem. Licet unam personam in Christo credamus, duas tamen substantias, id est naturas fatemur, divinitatis scilicet & humanitatis, assumptricis & assumptæ, creatricis & creatæ. Idem. Adveniens divinitas in uterum Virginis, carnem sibi fabricavit ex substantia ipsius, quam pro salute nostra suscipiens, & sibi coadunans, natus est Deus homo.

Ad Petrum Diac. de reg. fidei.

In serm. de verbis Domini Si diligeretis.

Fulg. de myst. mediatoris.

Fulgentius. Hic puer sicut veram carnem, sic veram habuit animam: ut vera illa divinitas totam hominis & reparandam susciperet, & susceptam posset reparare naturam.

Greg homil.

Gregorius. Venit ad nos calceata divinitas.

Alcuin. de Trin. lib. 4. Tract. 1. & lib. eod. Tract. 16. Id. ad Fridegis. Ad eumdem.

Alcuinus. Sic est ergo Christus plenus gratiæ & veritatis, ut sicut à divinitate plenitudo humanitatis suscepta est; ita in humanitate ejus plenitudo sit divinitatis. Idem. Non enim alicubi divinitas humanitatem, ex quo in unitatem suæ personæ assumpta est, deseruit.

Utique divinitas suæ carnis conceptione concepta est, & nativitate nata: sensitque participatione humani affectus mortem, quam sponte susceperat; non naturæ suæ potentiam perdidit, per quam vivificat omnia. Idem. Omnium, quæ in Christo gesta sunt, operum auctoritas ex divinitate est: tamen carni convenit dicere, *Potestatem habeo ponendi animam meam*, non divinitati. Divinitas enim non dimisit animam, postquam assumpsit.

Hil. de Trin. lib. 9

Hilarius. Non enim defecerat natura, ne esset; sed in se humilitatem terrenæ nativitatis manens sibi natura Dei suscepit.

Leo serm. 1. de Nat. Domini.

Leo Papa. Salva igitur proprietate utriusque naturæ & substantiæ, & in unam coëunte personam, suscepta est à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: atque ad solvendum naturæ nostræ debitum, naturæ inviolabiliter unita passibili. Idem. Non sic creatura in societatem sui Creatoris assumitur, ut ille habitator, & illa esset habitaculum: sed ita vere naturæ alteri natura altera misceretur. Et quamvis alia sit quæ suscipitur, alia vero quæ suscipit: in tantam tamen convenit unitatem utriusque diversitas, ut unus idemque sit Dei Filius, qui se, & secundum quod verus est homo, Patre dicit minorem, & secundum quod verus est Deus, Patri profitetur æqualem. Idem. Verbum caro factum est provectione carnis, non defectione divinitatis; quæ sic potentiam suam bonitatemque moderata est, ut & nostra suscipiendo proveheret, & sua communicando non perderet. Idem. Probatissimum esse decebat, Verbum carnem factum, & sempiternam illam essentiam Filii Dei, hominis veram suscepisse naturam. Idem. Nisi Verbum caro fieret, & tam solida exsisteret unitas in utraque natura, ut à suscipiente susceptam, nec ipsum breve mortis tempus, abjungeret; numquam valeret ad æternitatem redire mortalitas. Idem. Suscepit nos in suam proprietatem illa natura, quæ se in quas voluit mensuras benignitatis inflexit, nec umquam conversionem incurrit mutabilitatis. Suscepit nos illa natura, quâ nec suis nostra, nec nostris sua consumeret. Suscepit nos illa natura, quæ & imaginem nostri generis à communi tramite non abrumperet, & contagionem peccati in omnes homines transeuntem excluderet. Idem. In ea, licet per nostros, non Verbum aut in carnem, aut in animam, aliqua sui parte conversum est. Cum simplex & incommutabilis natura divinitatis tota in sua sit semper essentia; nec damnum sibi recipiens, nec augmentum: & sic assumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat.

Id. serm. 3.

Id. serm. 4.

Id. serm. 4. de Epiph.

Id de Passione serm. 4 & serm. 11.

Ad Julian. Coens. episc.

Novissime paucis monemus eos, qui scientiæ magis quam conscientiæ student, ne de cetero tam facile acquiescant nova in Fide tradentibus: sed cauti sint non transgredi terminos, quos posuere patres nostri, nec circumferri omni vento doctrinæ. Id nempe solum ad omnem confutationem novitatis, præsertim in ratione fidei, satis esse debuerat, quod novitas est. Nam qui testimonia interdum aliqua scripturarum exquisita detorquet, novitatis auctor est. Quantæ præsumptionis est! tamquam soli ipsi legerint, intellexerintve scripturas. Et nemo ante te, frater, catholicus fuit, & perierat fides nostra, quando tertius è cælo cecidit Cato, & magistri tui ignoraverunt fidem: & tu ipse ante hos annos, priusquam in Parnasso somnianti novum tibi revelaretur evangelium, in errore fuisti; & adhuc, præter paucos discipulos tuos, errat Ecclesia universa. Id ut dicere impudentissimum, sic sentire superbissimum; credere stultissimum jure censetur.

Ut enim ad hæc specialiter Capitula, quæ præ manibus sunt, revertamur; numquid non audientibus tam nova dogmata considerandum fuerat, quantos Sapientes & litteratos viros non longe antehac habuisset Ecclesia sanæ opinionis & doctrinæ, qui manifeste contraria senserant, & docuerant? Dico autem insignes illos, Laudunenses, ANSELMUM, & RADULFUM; magistrum etiam ALBERICUM Remensem, post Bituricensem archiepiscopum; & fidelissimum divini verbi tractatorem HUGONEM de Sancto-Victore; sed & ROBERTUM PULLUM, apostolicæ sedis Cancellarium, ceterosque quam plures, quorum, aut præsentia adhuc, aut memoria recens in benedictione est: quorum communis exstat sententia, Quidquid in Deo est, Deum esse. Hinc magister Radulfus Laudunensis in quadam scriptura sua, sic ait. Per illa nomina, Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, nullas intelligimus poni proprietates (sicut de τὸ πῦρ superius dictum est) quæ sint aliud quam ipsæ personæ. Et magister Hugo: Quia in Trinitate est qui à nullo est; & est ibi qui ab illo est, & est ibi qui ab utroque est; Trinitas vera est, & unitas manet perfecta: quoniam in Deo nihil esse potest quod Deus non est: quia unum est totum quod est. Idem. In natura divinitatis, ubi multiplicitas aut diversitas nulla est; persona, & id quod est in persona, divisum esse non potest.

Hugo de sacram.

Recapitulatio doctrinæ Gilleberti.

Capitulum I. Quod divina essentia, substantia & natura, quæ dicitur divinitas, bonitas, sapientia, magnitudo Dei, & quæque similia, non sit Deus; sed forma, quâ est Deus.

Capitulum II. Quod nec unus Deus, nec una substantia, nec unum aliquid sint tres personæ, Pater, Filius & Spiritus-sanctus.

Capitulum III. Quod tres personæ tribus unitatibus sint tria, & distinctæ proprietatibus tribus, quæ non hoc sint, quod ipsæ personæ; sed sint tria æterna differentia numero, tam à se invicem, quam à substantia divina.

Capitulum IV. Quod divina natura non sit incarnata, nec naturam humanam susceperit.

*Explicit Libellus contra capitula Gilleberti Pictaviensis episcopi.*

*Symbolum fidei, quod adversus eadem Capitula editum est à Patribus decem provinciarum, cum Episcopis & Abbatibus plurimis, dictante reverendissimo abbate Claravallis Bernardo.*

I. CRedimus & confitemur, simplicem naturam divinitatis Deum esse, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin sit Deus divinitas, & divinitas Deus. Sicubi vero dicitur, Deum sapientiâ sapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, divinitate Deum esse, & alia hujusmodi: credimus non nisi eâ sapientiâ, quæ est ipse Deus, sapientem esse; non nisi eâ magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse; non nisi eâ æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse; non nisi eâ unitate, quæ est ipse Deus, unum esse; non nisi ea divinitate Deum, quæ est, ipse id est seipso, sapientem, magnum, æternum, unum, Deum.

II. Cum de tribus personis loquimur, Patre, Filio, & Spiritu-sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur: & è converso, cùm de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas profitemur.

III. Credimus solum Deum Patrem & Filium & Spiritum-sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, & hujusmodi alia, adesse Deo, quæ sint ab æterno, quæ non sint Deus.

IV. Credimus ipsam divinitatem, sive substantiam divinam, sive naturam dicas, incarnatam esse, sed in Filio.

*Explicit Symbolum.*

## EJUSDEM GAUFRIDI EPISTOLA AD JOSBERTUM,

*Continens Notulas in Orationem Dominicam.*

1. DIlecto suo frater Gaufridus, psallere & orare spiritu simul, & mente. Annotationem tibi in Oratione Dominica, frater mi Josberte, petisti per capitula singula orationis ipsius quadrifaria partitione distinctam, ut memoriæ firmius hæreat, & nec exilis nimium, nec diffusior videatur. Ego vero tuum mihi quaternarium exhibens, & in hac parte geminam tibi annotationem dare, & cito dare curavi, sciens quod scias, quod bis dedit qui cito dedit. Nec displiceat brevitas forsitan subobscura: ad exercitium proderit, occasionem apponendi ad sapientiam administrans. *Oportet semper orare, & non deficere*, ait Dominus. Quod fidelibus universis ex Dominica admonitione sectandum, specialiter tamen nostræ professioni noscitur convenire. Ea siquidem Danielis persona significatur & nomine, qui cum Noë & Job in Propheta legitur esse salvandus. VIR DESIDERIORUM etiam vir orationum est. BENE semper orat, qui bene optat sine intermissione. Efficacius apud Deum vota quam verba clamant, & continua cordis affectio jugis oratio est. Felix Daniel, adversus quem occasio nulla, nisi de lege Dei potuit inveniri. Felix, qui maluit periculum mortis incurrere, quam ab oratione cessare. Quanto magis nos, quibus imminet mors dissimulantibus, orantibus repromittitur vita, Semper orare, & non deficere convenit? Sed & hoc nihilo minus attendendum, ut licet interdum verbis forsitan aliis semper sic oremus, ut nulla nostra optatio, nulla oratio, nulla petitio à fonte discrepet, quam peritissimus dictavit Orator, & singularis instituit Advocatus. Sic orabitis, inquit, Patrem.

2. *Pater noster qui es in cælis.* Ad Patrem dirigenda traditur nobis oratio, quod illius gloriam quærat Filius, & quæcumque ille tribuit, pariter tribuat, qui quæcumque fecerit, similiter facit. Et dicatur plurali numero, ut pro nobis invicem semper oremus. Sicut enim communis adoptio, sic communis oratio est. Illius est singularis oratio, cui propria filiatio, juxta illud: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*, &c. *Pater noster qui es in cælis.* Præfatio brevis, sed utilis & efficax, tangit quatuor fibras cordis, affectiones lætitiæ & timoris, tristitiæ & desiderii.

A Siquidem dum recolimus Patrem nos habere Deum, ex fiduciæ conceptione gaudeamus: sed nihilo minus ad reverentiam timor sollicitat, ne nos inveniat tantus Pater indignos, degeneres vel ingratos. Cum dicimus, *Qui es in cælis*, si non desipimus, animum mordet tristitia, quod in nobis necdum inhabitet: sed quemadmodum exaltatur cæli à terra supra nos: sic à nobis nec modo peregrinemur, sed longe peregrinemur à Domino, donec simus in cælo: nihilo minus etiam merito concupiscimus fieri cives cæli, optamus esse cælibes cæli, ut perinde sit & in nobis, *Pater noster qui es in cælis. Si quis enim diligit me*, inquit, *sermones meos servabit*, &c. usque *faciemus.* Liquet necdum mansionem habere qui faciunt, sed
B ut perficiant, ut inhabitent & permaneant merito concupiscimus & optamus. Super Jesum Spiritus mansit, & hoc signum quod acceperat qui audivit: *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est qui baptizat.* Prima ergo petitio est, *Sanctificetur nomen tuum.* Sanctum equidem nomen Domini, & perpetua ejus sanctitas & perfecta. Sed optandum nobis est & orandum, ut sanctificetur nobis, in nobis, à nobis, ex nobis, per sanctitatis ejus cognitionem, participationem, devotam cordis & oris confessionem, & proximorum ad eadem tria exemplis simul & monitis exercitationem. Nobis enim quodam modo nomen sanctum Domini efficitur dum cognoscitur, & in sua semper perfectissima permanens sanctitate, no-
C bis tamen in sanctificatione tanto amplius proficit, quanto verius innotescit. Cujus nos invocatio dum sanctificat, sanctificatur in nobis; & crescit ipsius sanctitas, dum in nobis diffunditur & augetur. Sanctificatur à nobis, dum ejusdem nomini gloriam damus. Sanctificatur ex nobis, non per nos blasphematur. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, ut glorificetur Pater cælestis ex operibus vestris. *Adveniat regnum tuum.* Ad nos veniat, ut à nobis credatur, speretur, ametur, percipiatur, dicente Rege: *Percipite regnum quod vobis paratum est.* Via nempe trium dierum regni Dei ad nos, & ad ipsum, nostra est fides, spes, caritas: sed in quartam domum perveniet, quando venient benedicti. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Ad il-
D lud respicit quod præmittitur, *Qui es in cælis*, & duabus quoque prioribus adnectendum petitionibus, ut sanctificetur nomen Domini sicut in cælo & in terra, & similiter veniat regnum ejus. Fiat in nobis voluntas tua, ut nihil nisi post te, propter te, secundum te, per te velimus. Post te, ut in quibus fuerit tua certa voluntas, nostra etiam firma stabilitate permaneat. In quibus de tua ambigitur, merito etiam nostra sit suspensa, & parata sequi, quocumque eam viderit inclinari. Sed quod voluit Pater ut Filius pateretur; voluit Judas, voluerunt & Judæi pariter: & tamen neque illi profuit, neque illis. Velimus ergo Domine propter te, ut habeamus in om-
E nibus zelum tuum: velimus etiam secundum te, ut non sit zelus absque scientia, sicut qui tuos persequebantur, tibi arbitrabantur obsequium se præstare. Denique quidquid volumus, per te velimus, ut tua fiat omnis nostra voluntas, ut opereris in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panem necessitatis, doloris, laboris, vitæ, & intellectus, ad hujus vitæ sustentamentum, ad pœnitentiæ fructum, ad justitiæ exercitium, ad delectamentum saporis. Super hoc quarto pane Daniel sanctus dicebat, quod in luctu pœnitentiæ constitutus panem desiderabilem non comedit. *Et dimitte nobis debita nostra*, quæ quatuor modis contrahimus, debitam non reddentes
F corpori nostro castigationem, cordi custodiam, humanitatem hominibus, gloriam tibi. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, qui in nos peccaverunt, dando damnum, impediendo profectum, verbo vel opere irrogando injuriam, inferendo quamlibet corporis læsionem. *Et ne nos inducas in tentationem*, sed circumdet scuto veritas tua, ut non timeamus à timore nocturno, à sagitta volante, à negotio perambulante, &c. Hæc autem sunt pusillanimis impatientia in adversis, imprudens in prosperis insolentia; ista enim ad noctem pertinent. Illa ad diem: Hypocrisis, injusta simulatio, intemperans & effrenis impudentia in publicis notoriisque peccatis. Priora

duo ad duplicem aciem, quam mundus producit, pertinent: posteriora ad Got & Magot, tectum & detectum, quoque legimus in Prophetis. *Sed libera nos à malo*, ab A obligatione peccati, ab ultione temporali, à sententia damnationis in judicio, à desperatione remedii in inferno.

*Ejusdem Gaufridi epistolà ad Albinum, Albanensem episcopum & legatum, exstat apud Baronium ad annum M C LXXXVI. qua agit de quadam quæstione in Gallia tunc temporis excitata*, de substantia aquæ, vino mixta in calice, an & ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur. *cujus controversiæ partem affirmantem tuetur Gaufridus.*

# SANCTI BERNARDI CANONIZATIO.

*Non est inter Bernardi Elogia ultimo loco reponendum, quod primus ex Ordine Cisterciensi in Sanctorum album sollemni ritu referri meruerit. Poscebant hoc B. Viri sanctitas singularis, immensi pro Ecclesia suscepti labores, cælestes denique insignium miraculorum attestationes, queis serius subscribere nefas esse videretur. Vix à sacro ipsius obitu anni decem effluxerant, cum in Concilio Turonensi, anno M C LXIII. celebrato, sedente & præsidente Alexandro III. ea res primum agitari cœpit. At summus Pontifex, quamvis alioqui pro sua erga* BERNARDUM *veneratione libentissime annuisset, tantisper nihilo minus differendam censuit ob eas rationes, quas ipse in litteris Canonizationis postea exposuit.* Cum enim, *inquit*, eidem negotio, *scilicet de canonizando Bernardo*, favorabili satis intenderemus affectu, supervenit multitudo & frequentia petitorum, qui in diversis provinciis rem similem postulabant. Unde cum nos videremus non posse congruenter omnibus satisfieri, statutum fuit pro scandalo devitando etiam in hoc differri, quod oportebat pro tempore ceteris denegari. *Demum vero ipsemet Alexander, rogatu Gerardi abbatis & Conventus Claræ-vallensis, piorum votis filiorum facturus satis, Bernardum Patrem Sanctorum fastis adscribi voluit. Quo autem anno hoc contigerit, cum in litteris apostolicis diserte non exprimatur, non una est auctorum sententia, aliis ad annum M C LXIV. ut Horstio & Henriquez, aliis vero ad annum M C LXVI. referentibus: sed utrisque, ut videtur, contra temporis rationem, cum Gerardus Claræ-vallensis abbas, cui Alexandri litteræ inscribuntur, anno dumtaxat M C LXXII. præfecturam inierit. Melius omnium Ciaconius, cui ex Romanarum antiquitatum, litterarumque pontificiarum notitia tutior fides, reponit ad annum M C LXXIV. eumque secutus doctiss. Sirmundus in Notis ad Petrum Cellensem, & Manricus in Annalibus, quibus adstipulatur Albericus in Chronico. Accedit omni exceptione majus testimonium Chronici Claræ-vallensis apud Chiffletium soc. Jesu, ab Auctore anonymo, sed æquali conscripti.* Eodem anno, *inquit*, *scilicet M C LXXIV.* facta est dedicatio ecclesiæ Claræ-vallensis, & Canonizatio B. Bernardi, & elevatio ejus: ubi adfuit dominus Vvicardus Lugdunensis archiepiscopus, abbas quondam Pontiniaci. Et sequenti anno in Capitulo generali receperunt cantum B. Bernardi, & cantum de Trinitate. *Incidit ergo Bernardi sacra inauguratio in diem XVIII. mensis Januarii, anni M C LXXIV. ab ejus obitu viginti annis exactis, mensibus quatuor & diebus viginti novem. Quod spectat ad elevationem, de qua mentio in citata auctoritate; in libro sepulchrorum Claræ-vallis facta esse dicitur ab ipso Guicardo quidem Lugdunensi, & Henrico abbate Claræ-vallensi post aliquot annos à Canonizatione: sed hoc de alia sollemniori translatione intelligendum esse satis ipsa verba declarant, dum prædictum Henricum abbatem insinuant per G. archiepiscopum Lugdunensem curasse* elevari S. Bernardi corpus, & in tabernaculo marmoreo retro altare B. Mariæ Virginis, sicut hodie apparet, religiose & honorifice collocari. *Henrici abbatis hæc de re litteræ, at sine chronologicis notis, inferius referentur. Sed jam summi Pontificis Alexandri III. litteras, quibus inter Cælites ab Ecclesia relatus ostenditur Bernardus, proferamus.*

*[margin:] ...acon in ...lex. III. — ...rmund ad ...ys. 9 lib. 9. — ...pud Man... an. 1178.*

B *ALEXANDRI PAPÆ III. LITTERÆ apostolicæ ad Ecclesiam Gallicanam, de B. Bernardo in numerum Sanctorum relato, ejusque festivitate deinceps sollemniter in Ecclesia celebranda.*

Alexander Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, aliisque ecclesiarum Prælatis in regno Franciæ constitutis, salutem, & apostolicam benedictionem.

C Contigit olim, dum essemus Parisius constituti, ut magni quidam ac venerabiles viri de canonizando sanctæ recordationis BERNARDO quondam Claræ-vallensi abbate facerent mentionem, optantes utique & piis nobis precibus suggerentes, ut in Concilio, quod de proximo erat Turonis celebrandum, digno huic & laudabili voto celerem daremus effectum. Cumque nos eidem negotio favorabili satis intenderemus affectu, supervenit multitudo & frequentia petitorum, qui in diversis provinciis rem similem postulabant. Unde cum videremus non posse congruenter omnibus satisfieri, statutum fuit pro scandalo devitando etiam in hoc differri, quod oportebat pro tempore ceteris denegari. Nuper autem ex D instantia & devotione Claræ-vallis fratrum, & aliarum sublimium personarum, eisdem apud nos precibus innovatis, reduximus ad memoriam nostram ejusdem beati Viri sanctam ac venerabilem vitam: qualiter ipse singularis gratiæ prærogativa suffultus, non solum in seipso sanctitate ac religione præfulserit, sed etiam in universa Ecclesia Dei fidei & doctrinæ lumine radiarit. Fructum vero quem in domo Domini & verbo operatus est & exemplo, nullus fere terminus sanctæ Christianitatis ignorat: cum usque ad exteras quoque & barbaras nationes sanctæ religionis instituta transmiserit, atque monasteriorum fundationem extenderit, & infinitam mul- E titudinem peccatorum per viæ sæcularis latitudinem incedentem, ad spiritualis vitæ rectitudinem revocarit.

Specialiter autem sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cui auctore Deo præsidemus, ita quondam sub gravis persecutionis turbine laborantem, tam vitæ merito, quam datæ sibi cælitus sapientiæ studio sustentavit, ut digne quidem & nobis, & omnibus ejusdem Ecclesiæ filiis in memoria habendus sit, & devotione perpetua venerandus. In afflictione vero corporis sui usque adeo sibi mundum, seque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus Martyrum quoque eum merita obtinere sanctorum, F quem confessionis ordine, & parsimonia vitæ, tam longum constat duxisse martyrium. Quibus omnibus pia consideratione pensatis, & in concilio fratrum nostrorum expositis, confisi de misericordia Dei, cui perseveranter & fideliter militavit, necnon & de beatorum Petri & Pauli apostolorum, & ejusdem beatissimi Confessoris meritis præsumentes, eum apostolicæ Sedis auctoritate catalogo Sanctorum adscribi mandavimus, & commemorationis suæ festum decrevimus amodo publice celebrandum. Vos ergo, qui & ejusdem Sedis apostolicæ instituta suscipere, & Deum in Sanctis suis consuevistis gloriosius honorare, sic memoriam Sancti hujus celebretis in terris, ut precibus ejus & meritis digna præmia recipiatis in cælis. Datum Anagniæ xv. Kalend. Febr. * *Anno 1174.*

*EJUSDEM ALEXANDRI PONTIF.*
*Apostolicæ Litteræ ad Regem Franciæ.*

Alexander Episcopus servus servorum Dei, illustri Francorum Regi Ludovico, salutem & apostolicam benedictionem.

NOvit (ut credimus) regalis tuæ magnificentiæ celsitudo, quod ea quæ cum honore Dei grata tibi acceptaque cognovimus, ad utilem semper effectum magno & volenti animo promovemus. Maxime autem hoc in illis operibus observamus, in quibus specialiter & honor Dei, & suorum gloria Sanctorum declaratur: scientes quoque tibi fore gratissimum quicquid ad decorem Ecclesiæ, & superni Regis honorem auctoritate fuerit apostolica constitutum. Unde quoniam sanctæ recordationis BERNARDUS quondam abbas Claræ-vallis, & Deo semper carus, & tam tibi, quam universo regno tuo gratus exstitit & acceptus, eum ad gloriam Dei & exaltationem Ecclesiæ ac totius regni tui, canonizandum decrevimus, & inter beatissimos Confessores festiva celebritate colendum, tam de misericordia Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus confisi meritis, quam suæ conversationis & sanctimoniæ non ignari. Monemus igitur christianissimæ Serenitatis tuæ regiam pietatem, ut hoc cælestis gratiæ donum, regno tuo te regnante collatum, lætæ devotionis brachiis amplectaris, eique jam cælesti beatitudine perfruenti solita pietate devotus exsistas, quem pro sua venerabili sanctitate adhuc in tenebris positum diligebas. Claræ-vallense vero monasterium quod fundavit, in quo etiam corpus ejus venerabile requiescit, ita te ob reverentiam ejus habere volumus commendatum, ut eum semper merearis habere patronum. Datum Anagniæ xv. Kalend. Febr.

*EJUSDEM ALEXANDRI PONTIF.*
*Litteræ apostolicæ ad omnes Abbates Cisterciensis Ordinis.*

Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Cistercii, de Firmitate, & Pontigniaci, & Claræ-vallis, & Morimundi, atque universis Abbatibus Cisterciensis Ordinis, salutem & apostolicam benedictionem.

QUoties honesta nobis opportunitas exhibetur, ut fidei & devotioni, quam circa Ecclesiam Dei nostris temporibus habuistis, possimus in aliquo pro meritis respondere, opportunitatem ipsam libenter amplectimur; & in his maxime quæ specialem noscuntur redolere virtutem, vestris occurrere profectibus non moramur. Contigit autem hoc tempore, ut verbum quod ab olim fuerat de beati BERNARDI quondam Claræ-vallis abbatis canonizatione propositum, & pro quorumdam similia postulantium scandalo, à Turonensis Concilii celebratione dilatum, ad nostram reduceretur Deo volente memoriam; & faciente nobiscum signum in bonum, qui hoc pietatis opus nostris servavit manibus consummandum. Nos enim vitam & sanctitatem ejusdem beatissimi Confessoris recordatione sollicita memorantes, quomodo scilicet & in seipso religionis & sanctimoniæ prærogativa magnificus, & universæ Ecclesiæ Dei, specialiter autem Ordini vestro fide & doctrina utilis exstiterit, & copiosissime fructuosus: confisi de misericordia Dei, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, necnon de ejusdem sancti Confessoris meritis præsumentes, eum, fratrum nostrorum communicato consilio, auctoritate apostolicæ Sedis Sanctorum catalogo duximus adscribendum, & diem depositionis ipsius in Ecclesia publice celebrandum. Unde quoniam hoc ita in gloriam & honorem summi Conditoris exuberat, ut in vestram quoque ædificationem consolationemque redundet; vestra potissimum interest omnipotenti Deo gratias agere, qui modernis temporibus virum perfectæ & prædicabilis sanctitatis in vestro

A Ordine voluit suscitare. Vos igitur munificentiæ donum speciali devotione suscipite, & Deum in Sanctorum suorum glorificatione mirabilem, in ejus celebratione specialiter honorate. Datum Anagniæ xv. Kalend. Febr.

*EJUSDEM ALEXANDRI PONTIF.*
*Litteræ apostolicæ ad Claræ-vallenses.*

Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Gerardo abbati, & universo conventui Claræ-vallis, salutem & apostolicam benedictionem.

B SIcut de religione & pietate, quam circa Deum geritis, nihil nobis restat ambiguum: sic exhibitæ circa robur devotionis & fidei clara semper est certitudine manifestum. Non enim poteratis, sed nec deinceps Deo auctore poteritis à gratia sanctitatis apparere degeneres, quos sancti Patris constat esse heredes: cui & gratia spiritualis abundavit ad meritum, & operum efficacia non defuit ad exemplum. Scitis namque & pia veneratione recolitis, qualiter beatæ memoriæ BERNARDUS, cœnobii vestri primus abbas, præcipuusque fundator, Deo quidem pro virtute religionis acceptus, & Ecclesiæ Dei pro plenitudine devotionis & fidei exstiterit gratiosus, ita ut merito deberetis haberi culpabiles, si imitationis & C venerationis ipsius esseris in aliquo negligentes. Placuit ergo nobis, quod pro eo, tamquam pro pio Patre, sollicitudinem habuistis, & canonizationem ipsius voto laudabili postulastis. Nos quibus cordi semper est pro multis, fili Abba, tuæ devotionis obsequiis, & totius domus vestræ studiis religiosis & piis, vestris jugiter obtemperare precibus, & profectibus adspirare: voto huic clementer annuimus, ut nostram circa vos & gratiam & benevolentiam comprobemus. Vita igitur ejusdem beatissimi Confessoris ad memoriam revocata, quomodo scilicet fide & religione atque doctrina præfulserit, quantoque in Ecclesia Dei perspicuæ claritatis lumine radiarit: eum, fratrum nostrum consilio habito, confisi de misericorD dia Dei, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, atque de ejusdem Sancti meritis præsumentes, catalogo Sanctorum duximus adscribendum, diemque depositionis ejus festivum de cetero & celebrem observandum. Unde quia vestra potissimum interest, & ejus imitari vitam, & gloriam venerari, satagite in omnibus & studete ipsius sancti Patris & inhærere vestigiis, & festum excolere sanctitatis, ut cujus conversationis meruistis esse participes, digni habeamini ejusdem beatitudinis fore consortes. Datum Anagniæ xv. Kalend. Febr.

*Non erant satis ad Bernardi memoriam & ingentia merita tanta commendationis monumenta, nisi etiam supremus* E *Ecclesiæ Antistes ore proprio ejus Officium dictaret. Hoc præstitit Innocentius III. ad supplicationem Johannis, ex metropolita Lugdunensi monachi Claræ-vallensis, simulque Raineri monachi Heisterbacensis Innocentio à Confessionibus, litteris ad Johannem datis anno M CCI. quæ sic habent.*

JOhanni quondam Lugdunensi archiepiscopo. Negare noluimus quod petere voluisti, cum ex eo tam nobis, quam tibi fructus æternæ retributionis accrescat. Petisti namque rogatus à Fratribus, ut ad honorem beati BERNARDI primi Claræ-vallensis abbatis, quem apostolica Sedes Sanctorum adscripserat catalogo venerandum; nos ipsi Collectam & alias orationes ore proprio dictaremus, F tum propter auctoritatem dictantis, tum propter stilum dictaminis cum majore devotione dicendas. Et ecce sicut potuimus, ad instantiam dilecti filii fratris Raineri, petitionem tuam curavimus exaudire.

*Collecta.*

PErfice, quæsumus, Domine, pium in nobis sanctæ religionis effectum, & ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem, B. Bernardus Abbas & Doctor egregius suis apud te semper pro nobis meritis & precibus intercedat. Per Dominum, &c.

*Secreta,*

*Secreta.*

GRata tibi sit Deus hujus oblatio Sacramenti, quod in memoriam Dominicæ Passionis tuæ offerimus majestati.

*Postcommunio.*

SUum in nobis, Omnipotens Deus, cibus quem sumpsimus operetur effectum, ut incorporet nos sibi esus edentes. Qui tecum, &c.

Datum Laterani vi. Idus Julii.

[...]rnardo [...]ctoris no[...]n ab Ec[...]sia attri[...]tum.

*Ubi vides S. Bernardum Doctoris nomine à summo Ecclesiæ Præsule fuisse insignitum, quod quidem ab ipso etiam Alexandro III. in Missa Canonizationis usurpatum testatur vetus codex Corbeiensis, in quo Sancti vita continetur: ubi præmissis Collectis*, Adesto supplicationibus nostris, *&c. de Communi; Epistolâ.* Hæc dicit Dominus, Ego misi ad vos mandatum istud, *&c. necnon Evangelio de Doctoribus*, Vos estis sal terræ, *hæc subjiciuntur*: Hæc Missa suprascripta de S. BERNARDO à D. Papa ALEXANDRO III. in primis est celebrata. *De his hactenus.*

HENRICI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS Epistola ad Stephanum regem Anglorum,

*De elevatione corporis S. Bernardi, ejusque digito ad Regem transmisso.*

CElebratus est apud nos dies honorabilis & sollemnis, nova festivitate jucundus, & ampla jucunditate festivus, utpote quem nobis relevatio sacratissimi corA poris beati Bernardi celeberrimum reddidit, & lumine clariore perfudit. O quam voluimus gaudiis illis, plus utique cælestibus, quam terrenis, vestræ majestatis interesse præsentiam! quatenus & nobis de gloria principali decor tantæ festivitatis excresceret, & vobis de meritis illustrissimi Confessoris, miro quodam irriguo uberioris benedictionis, largitas emanaret. Verum quia id nobis ampla distantia remotissimæ regionis invidit, ad spirituale remedium vota transtulimus, fecimusque Deo propitio, quod vestra ibi, etsi præsentia defuit, memoria non vacavit. Sollemniter etenim nomen vestrum cum suæ pietatis insignibus, vestrorum, ut oportuit, & affectionibus fratrum, & cordibus impressimus filiorum: qui ampla B illud devotione susceptum, aspectui quodam modo sancti Patris offerrent, & cælestis aulæ secretario præsentarent. Præterea ne absentiæ corporalis occasio regias apothecas inventi muneris participatione fraudaret, mittimus vobis de thesauro reliquiarum ejus honorabilem portionem: indignum penitus reputantes, si pietas tanti principis, tantæ sanctitatis participio fraudaretur. Suscipite igitur digitum sacræ illius manus: quam pro eo quod vir justus, ab omni munere terreni quæstus excussit, Deus eam, ut dignum fuit, affluentissima copia cælestis benedictionis implevit. Illius, inquam, manus, cujus tactus sanabat ægros, roborabat invalidos, firmabat homines, dæmones effugabat. Illius manus, quæ C Claræ-valli nostræ, cui vos dare tecta disponitis, primum injecit lapidem fundamentis. Fuit autem studii nostri diligenter in vasculo consignare quod mittitur, ne vel thesaurus ibi reconditus per frequentes apertiones injuriæ pateat, vel devotæ surreptionis instinctu, dolus aliquis piæ fraudis irrepat.

# DE S. BERNARDO ABBATE TESTIMONIA.

*I. Summorum Pontificum.*

INNOCENTIUS II. *Epistola ad S.* BERNARDUM; Quam firma, *ait*, perseverantique constantia causam B. Petri, & sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis & discretionis susceperit defendendam, & te murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos Regum ac Principum, & aliarum tam ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum ad catholicæ Ecclesiæ unitatem, & B. Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis & ratione munitis inducere laboraveris, magna quæ Ecclesiæ Dei & nobis provenit utilitas manifestat. *Florebat anno* 1140.

ALEXANDER III. *in literis Canonizationis ad Ecclesiam Gallicanam*: B. BERNARDUS, singularis gratiæ prærogativa suffultus, non solum in seipso sanctitate ac religione præfulsit, sed etiam in universa Ecclesia Dei, fidei & doctrinæ lumine radiavit. Fructum vero quem in domo Domini & verbo operatus est & exemplo, nullus fere terminus sanctæ Christianitatis ignorat, cum usque ad exteras quoque & barbaras nationes sanctæ religionis instituta transmiserit, &c. *Florebat anno* 1170.

PIUS V. *in Bulla* Ex innumeris, &c. *inter alia quæ suggerit media reformandi Ordinis Cisterciensis, lectionem Operum* S. BERNARDI *proponit his verbis.* Ubi sacra lectio juxta Concilii Tridentini dispositionem haberi non poterit, præter eos libros, qui ad divini officii & chori usum necessarii sunt, saltem Biblia, & Catechismus ad Parochos recens editus, item OPERA S. BERNARDI, & si qui alii ad honestam monachorum occupationem poterunt, habeantur, &c. *Flor. anno* 1570.

GREGORIUS XIV. Meditabatur mane hora integra, *inquit Cicarella in ejus vita*, legens opera MelD liflui BERNARDI, & si quos ex iis erueret mentis conceptus, eos diligenter annotabat, concinneque scribebat. *Flor. anno* 1590.

*II. Cardinalium, & Ecclesiæ Doctorum.*

JACOBUS DE VITRIACO Tusculanus Episcopus & S. R. E. Card. Sedisque Apost. Legatus, *lib. de Historia Occident. c.* 14. *sic scribit.* Suscitavit Dominus eis à principio novellæ plantationis eorum agricolam peritum, prudentem & sanctum virum, quem invenit Dominus secundum cor suum... sanctum videlicet BERNARE DUM Claræ-vallis Abbatem, religionis probatissimam margaritam, lucernam Ordinis & stellam in firmamento Ecclesiæ Dei radiantem, qui non ab homine neque per hominem, sed sola Dei inspiratione præeminentem sanctarum Scripturarum accepit intelligentiam, & quasi de ipso Dominici pectoris fonte potavit cælestes aquas, quas diffunderet in plateis multis. Et quoniam potens fuit in opere & sermone, exemplo sanctæ & præeminentis conversationis, & doctrina cælestis prædicationis, sed & virtute miraculorum & mirabilium operum multis factus est odor vitæ in vitam. *Flor. anno.* 1230.

S. BONAVENTURA S. R. E. Card. & EpiscoF pus Albanens. Ord. Min. *in Meditationibus vitæ Christi, quas ubique* BERNARDI *sententiis veluti gemmis insignivit, ita loquitur cap.* 36. Audisti verba pulcherrima altissimi contemplantis, & orationis dulcedinem degustantis BERNARDI. Rumines ea, si vis, ut sapiant tibi. Ideo autem libenter ipsius verba in hoc Opusculo intersero, quia non solum spiritualia sunt & cor penetrantia, sed & decore plena, & ad Dei servitium excitantia. Ipse enim fuit eloquentissimus, & spiritu sapientiæ plenus, & sanctitate præclarus, quem te desidero imitari, & ipsius mo-

vita & verba opere exercere: propter quod sæpe tibi propono eumdem. *Florebat anno* 1260. A

S. THOMAS AQUINAS *Serm. de* S. BERNARDO, *sic ait.* Fuit ergo os ejus vas pretiosum, os aureum, os gemmeum..... Vino dulcedinis inebriavit totum mundum.... Aurum fuit BERNARDUS per voluntatis sanctitatem, multitudo gemmarum per morum honestatem & virtutum multiplicitatem, vas pretiosum per virginitatis puritatem.... Fuerunt autem in hoc novem gemmæ, de quibus dicitur Ezechielis 28. Lapides isti significant novem ordines Angelorum: quibus fuit dotatus BERNARDUS, quia in se habuit virtutes & officia omnium ordinum Angelorum, sicut dicitur in libro ubi scribuntur acta ejus. *Florebat anno* 1260. B

AUGUSTINUS VALERIUS S. R. E. Cardin. episcopus Veronensis, *lib. de Rhet. Eccl. cap.* 41. In S. BERNARDI libris, *inquit*, inest admirabilis quædam suavitas, ita ut cum sancta animi voluptate semper legantur. *Florebat anno* 1580.

CÆSAR BARONIUS S. R. E. Cardin. *Tomo xij. Annal. anno* 1130. BERNARDUM TUBAM CÆLESTEM *appellat: anno vero* 1143. ALTERUM ELIAM. *Sic autem de eo scribit anno* 1153. BERNARDUS, vir vere apostolicus, immo VERUS APOSTOLUS missus à Deo, potens opere & sermone, illustrans ubique & in omnibus suum apostolatum sequentibus signis, ut plane nihil minus habuerit à magnis Apostolis.... dicendus totius Ecclesiæ Catholicæ ORNAMENTUM SIMUL AC FULCIMENTUM: Gallicanæ vero in primis Ecclesiæ prædicandus summum decus, summa gloria, summa felicitas. Cujus memoria felicissima in benedictione & sanctificatione ad morum informationem & disciplinam, & in condemnationem hæreticorum in sancta Ecclesia jugiter perseveret. *Florebat anno* 1600. C

ROBERTUS BELLARMINUS S. R. E. Cardin. *lib. de Script. Eccl. ait* S. BERNARDUS Abbas Claræ-vallensis, vir plane apostolicus, & non minus gloria miraculorum, quàm sapientiæ splendore illustris. *Item Tomo* 2. *Controv. lib.* 4. *c.* 14. Idem beatus BERNARDUS pluribus miraculis claruit, quàm ullus Sanctorum, quorum vitæ scriptæ exstant. Nam, &c. *Florebat anno* 1620. D

## *III. Episcoporum.*

HILDEBERTUS episcop. Cenomannensis, demum Turonensis archiepiscop. *Epist.* 24. *ad Bernard. scripta.* Maximum duco, *inquit*, atque habeo, quod mihi sacrarium familiaritatis aperuistis. In eo susceptus, multis & magnis expertus sum periculis, quantum valeat deprecatio justi assidua. *Et paulo post.* Habeo igitur atque ago vestræ gratias religioni, cujus sinum, quasi reus aram, jamdudum complexus essem, si consultus Papa Pontificis munus amoliri permisisset. Ille dum me remisit ad laborem, invidit gloriam: non imputet ei Dominus. Interim in umbra alarum tuarum sperabo, donec educar de lacu miseriæ & de luto fæcis. *V. ejusdem Epist.* 72. *quæ est* 122. *inter Epistolas Bernardi. Florebat anno* 1125. E

OTHO Frisingensis Episcop. *lib.* 1. *de Gest. Frid. c.* 34. *ita habet.* Erat eo tempore in Gallia cœnobii Claræ-vallensis abbas, BERNARDUS dictus, vita & moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientia litterarumque scientia præditus, signis & miraculis clarus. Hunc Principes vocandum, ab eoque quid de hac re (n. expeditione transmarina) fieri oporteret, tamquam à DIVINO ORACULO consulendum decernunt. *Et infra.* Qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos ut PROPHETA vel APOSTOLUS habebatur. *Florebat anno* 1150. F

PETRUS Cellensis abbas, postea S. Remigii Remensis, demum episcopus Carnotensis, *lib.* 6. *Epist. ult. scribens contra* Nicolaum *quemdam Anglum (non vero Notarium* S. BERNARDI, *ut probatum est ad Epist.* 284.) *qui* S. DOCTORIS *pectori maculam post ejus mortem affingebat, quod* B. VIRGINIS *Conceptionem impugnasset, sic in* BERNARDI *laudes excurrit.* Quæ, inquiens: hujus BERNARDI sanctitas, quæ religio, quæ meritorum prærogativa? Nullus sum ego ad illius sancta præconia referenda. Vita ejus, fama ejus, opera, scripta, miracula, fides, spes, caritas, castitas, abstinentia, mortificatio demum in membris ejus, sermo, vultus, habitus & gestus ejus, & his similia; ipsa sunt quæ testimonium perhibent de eo.... Alumnus familiarissimus fuit Dominæ nostræ, cui non unam tantum basilicam, sed totius Ordinis Cisterciensis basilicas dedicavit, ad cujus laudem politissimos tractatus & facundos composuit. Si ergo potes tangere pupillam oculi DOMINÆ nostræ, scribe contra BERNARDUM suum, cui loquitur ipsa: Qui tangit te, quasi qui tangit pupillam oculi mei. *Florebat anno* 1160.

ANSELMUS Havelbergensis *in dialogo contra Græcos lib.* 2. Nostris temporibus apparuit quidam abbas in loco, qui dicitur Clara-vallis, nomine BERNARDUS, vir religiosissimus, virtute miraculorum insignis, ab Occidente usque in Orientem pro sui sanctitate famosissimus: quem venerabilis Papa Eugenius, quondam sui monasterii monachus, in Conciliis multorum episcoporum condigna reverentia plerumque honoravit. *Floruit tempore Eugenii III.*

GUILLELMUS Tyri archiepiscopus, *lib.* 16. *Belli sacri cap.* 18. D. Eugenius Papa viros religiosos potentes in opere & sermone ad diversas Occidentis partes dirigit.... Inter quos vir immortalis memoriæ & honestæ conversationis D. BERNARDUS Claræ-vallensis abbas, piæ in Domino & per omnia amplectendæ recordationis, ad prædicti Deo placiti muneris exsecutionem præcipuus eligitur. Qui injunctæ sibi dispensationis sedulus exsecutor, ejusdem operis secum Deo amabilis trahens comministros, impiger, indefessus, licet corporis esset invalidi, tum propter jejunia pæne continua & subtilem nimis dietam, regna circuit, regiones obambulat, evangelizans ubique regnum Dei. *Florebat anno* 1200.

GUILLELMUS Parisiensis episcopus, *Serm. de* S. BERNARDO *sic eum prædicat.* Excellentissime vixit, gratiosissime docuit, manifestissimis miraculis fulsit: eum non humana instructio, sed divina inspiratio sapientem fecit, quod in Scripturis specialiter sensit. *Et infra.* Sicut Deus Moïsi recitavit sua mysteria, & vultus ejus claritate resplenduit radiorum, ut non possent in eum respicere filii Israël: sic B. BERNARDO secreta multa revelavit, ut cælesti luce illuminatus multum Ecclesiam illuminarit. *Flor. anno* 1230.

THEOBALDUS Episcopus, seu quisquis est auctor *vitæ Guillelmi Aquitaniæ Ducis, cap.* 2. Eo tempore, *inquit*, fundatum est monasterium Claræ-vallis, & ibi Spiritus-sancti consilio ad regimen Abbas est BERNARDUS ordinatus, qui in tantum vita, virtutibus & doctrina clarus effulsit, ut nullus ei in orbe secundus exsisteret ingenio, moribus, ore, stilo & virtutibus. Hic est qui in diebus suis hæreses exstirpabat, hæreticos confundebat, schismaticos revocabat, erroneos instruebat, & principes arguebat. *Et paulo post.* O virtutem viri, ô animi puritatem, nec affectantis publicum, nec formidantis tyrannum (Guillelmum) pro ejus salute! Qui fugiebat publicum, quomodo affectasset Cathedræ fastigium? Deus meus, quot & quantæ Ecclesiæ Cathedrales propriis orbatæ Pastoribus eum in Pontificem elegerunt? Sed non plus delectabat eum mitra & anulus, quàm rastrum & sarculus.

## *IV. Regum & Magnatum.*

CAROLUS V. Imperator, *teste Thuano Histor. lib. xxj.* toto biennio quod mortem præcessit, in Hieronymianorum fratrum sodalitio, monitore usus Constantino quodam, qui ei à sacris confessionibus erat, præcipue B. BERNARDI abbatis lectione se solabatur. *Claruit anno* 1540.

LUDOVICUS XIII. Galliarum & Navarræ rex

christianissimus, cognomento JUSTUS, *in Diplomate Congregationi Fuliensi pro erectione Fontanensis monasterii à se concesso anno* 1618. S. BERNARDUM *appellat* magnum & celeberrimum Confessorem, Ecclesiæ Patrem & Doctorem, populorum reformatorem, schismatum & dissidiorum conciliatorem, Religiosorum Patriarcham, mirabilium patratorem, ac DEIPARÆ VIRGINIS cultorem eximium. *Regnabat feliciter anno* 1630. *Videsis apud Henriq. Menolog. Cisterc. ad diem* 20. *Aug. præclara omnium pæne regnorum & Christianorum, diversorumque statuum elogia, initialibus prædicti monasterii Fontanensis lapidibus inscripta in honorem sanctissimi Abbatis* BERNARDI; *in primis vero* Serenissimæ Reginæ Mariæ Medices, matris ipsius Christianissimi regis, quæ B. BERNARDI meritis divinitus concessam sibi fuisse fœcunditatem, *sollemni testificatione declarat.*

JOHANNES FRANCISCUS PICUS Mirandulæ Comes, *lib.* 2. *de morte Christi, c.* 8. Sed & audiamus, *inquit*, BERNARDUM devotissimum atque doctissimum, sed hoc ultimo titulo vulgo fraudatum, nulla certe sua culpa, nullo demerito, quando & ob ejus scripta, quæ doctrina solida atque salubri undique scaturiunt, & ob validissimas disputationes in Gilbertum & Petrum Abaëlardum (quarum ope ab distorto calle erroris atque mendacii ad veritatis semitam rediere) DOCTI sibi nomen vindicavit. *Flor. anno* 1500.

### V. *Abbatum & Generalium.*

PETRUS MAURICIUS, cognomento VENERABILIS, *Epist.* 29. *lib.* 6. *sic scribit.* Forti ac splendidæ monastici Ordinis, immo totius Ecclesiæ Dei COLUMNÆ D. BERNARDO Claræ-vallis abbati F. PETRUS humilis Cluniacensium abbas, &c. Si liceret, si Dei dispositio non obstaret, si in hominis potestate esset vita ejus, maluissem, carissime, beatitudini tuæ nexu indissolubili adhærere, quàm vel principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim? Nonne regnis omnibus terrenis præferri à me deberet grata non solum hominibus, sed & Angelis ipsis cohabitatio tua? Concivem te illorum si dixero, licet nondum spes in rem transierit, per misericordis Dei gratiam mendax non ero, &c. *Flor. anno* 1140.

BURCHARDUS abbas Balernensis, *in Subscriptione lib.* 1. *vitæ* S. BERNARDI, *sic de eo loquitur.* In utero matris sanctificationem visus est accepisse, de qua concepta sunt præsagia futuræ sanctitatis & doctrinæ. *Flor. anno* 1140.

B. GUERRICUS abbas Igniacensis, S. BERNARDI discipulus, *Serm.* 3. *in Natali Apost. Petri & Pauli.* Magister noster, S. BERNARDUS, ille INTERPRES Spiritus-sancti, de toto illo Carmine nuptiali (Cantico cant.) loqui instituit, spemque nobis dedit ex eis quæ jam edidit, quia si pervenerit ad locum de quo quæritis, *Donec adspiret dies & inclinentur umbræ*, umbras ipsas ponet in lucem intelligentiæ: quod dictum est vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine. *Flor. anno* 1145.

GAUFRIDUS, primum S. BERNARDI notarius, deinde Igniacensis, postmodum Claræ-vallensis abbas, *lib.* 3. *vitæ* S. BERNARDI *seu primo à se conscripto. c.* 7. Ceterum, *inquit*, longe eminentius in suis ille libris apparet & ex litteris propriis innotescit; in quibus ita suam videtur expressisse imaginem, & exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum merito illi posse videatur aptari: *Laude ipse se signet, & laureatus spiritu scriptis coronetur suis. V. Sermonem ejusdem de* S. BERNARDO *in fine Tomi* 6. *Florebat. anno* 1160.

ROBERTUS abbas S. Michaëlis in Periculo maris, Ord. S. P. Bened. *in Append. ad Sigebert. ann.* 1152. Venerabilis BERNARDUS primus abbas Claræ-vallis, vir admirandæ religionis & doctrinæ efficacis, humanæ vitæ satisfecit moriendo 14. Calend. Sept. relinquens sapientiæ suæ plurima documenta, maxime in Commentariis

A in Cantica cánt. *Flor. anno* 1180.

P. CLAUDIUS AQUAVIVA, V. Præpositus generalis Sociét. JESU, *scribente Johanne Bourhesio, in lib. cui titul.* Societas Jesu Mariæ Deiparæ sacra, *cap.* 4. Coluit certe B. VIRGINEM & S. BERNARDUM præcipuo cultu, eosque in omni re dubia sensit adjutores. *Flor. anno* 1610.

### VI. *Doctorum Theologorum.*

HENRICUS DE HASSIA, Doctor Parisiens. postea Cartusianus, *in Tractatu ad Jacobum abbatem Eberbacensem, contra* S. BERNARDI *maculatores,*
B *ita scribit, Parte* 1. *cap.* 3. Ubi quæso talis devotionis igniculus reperitur, talis compunctionis rivulus infunditur; ubi talis amoris stimulus injicitur, sicut in vita & doctrina beatissimi Patris BERNARDI abbatis Claræ-vallensis, SIDERIS ECCLESIÆ, principalis Cisterciensis Ordinis ampliatoris, & monasticæ vitæ inflammatoris ardentissimi? Et quis penetrabilior virtutum hortator occurrit, quis efficacior vitiorum eliminator decurrit, humanum excitans torporem ad cælestia, ardorem elidens ad terrestria, somnum mortis impediens, divinæ lucis radios, fugatis tenebris inclarescere satagens? Cujus insuper fœcundis ac decoris Sermonibus Virgo Christi Mater tam gloriosis extollitur laudum præconiis, pre-
C tiosissimis ornatur puritatis encomiis, integerrimis prædicatur virginitatis signaculis. Et nedum hoc, sed & ejus doctrinis universalis Ecclesiæ fabrica ut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia singulari gloriosius coruscat. Et fœcunda facundia cælestis irrigui, gratia influente, Scripturarum ænigmata reserat; solvit nodos, dilucidat obscura, declarat dubia, sicuti beati BERNARDI DOCTORIS ECCLESIÆ EXIMII, qui in gloriam patriæ abiens, sic saluberrimis omnis sanctitatis monitis doctrinæ & exemplis vitæ totam subcælestem fœcundans irrigavit ecclesiasticam Hierarchiam. Quem idéo alma mater Ecclesia exuberantis testimonii plenitudine in Sanctorum canonizatione requisiti, in mira-
D culis, doctrinis, virtutum exercitiis, luce clarius reperta ejus cælesti vita testimonium afferente, pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuissimis titulo EXIMIUM CONFESSOREM ET DOCTOREM studiis honorari sollicitis & sonoris efferri præconiis instituit, & honoribus disponit sollemnibus venerari, & Sanctorum catalogo gloriosius annotari. *Florebat anno* 1400.

JOHANNES GERSON, Doctor & Cancellarius Parisiensis *in quodam Serm. de* S. BERNARDO, *sic eum affatur.* Te vero beatissimum BERNARDUM unum esse ex consortio ignitorum illorum spirituum, quos Seraphim Scriptura nominat, ego fide pia tenens, obsecro
E jam & obsecro per amorem tuum, quatenus sumpto calculo ardenti de altari illius, cujus ignis est in Sion & caminus in Jerusalem . . . . . tu labia mea tangens purges, &c. *Et circa finem.* Consideranti mihi in ea quæ per accidens & velut ab extrinseco juverunt S. BERNARDUM ad amorem Dei capessendum, reperio illa esse quatuor inter cetera, quæ sunt, matris devotio, apta complexio, debita educatio, & solitudinis affectio. *Et infra.* Denique dici potest, omnia ista quatuor juvisse de per accidens BERNARDUM, ut propheta & miraculorum esset patrator, inter quæ præcipua ego illa deputo, quæ egit in conversione illorum, qui etiam converti toto nisu fugiebant. *Flor. anno* 1400.
F JODOCUS CHLICHTOVÆUS Neoportuensis, Doctor Theol. & Canonicus Carnotensis, *Serm.* 1 de S. BERNARDO *sic eum Johanni Baptistæ comparat.* Tertio, *inquit*, lucerna nostra, BERNARDUS, fuit, lucens multiplici sacrorum operum compositione, quæ non solum sui temporis hominibus, sed & posteritati prodessent ad ædificationem fidei & morum. . . . Illuxit certe omnibus non solum tunc præsentibus, sed & futuris usque ad consummationem sæculi, per multorum librorum elaborationem, ad profectum aliquem spiritua-

lem semper tendentium, in quibus tanta est dictionis A suavitas, ut melle dulcior illi fluat oratio, unde & MELLIFLUUS DOCTOR merito nuncupatus est. *Item in Præfat. quadam Operib. S. Bern. præfixa.* Inter opera, *ait*, à probatissimis auctoribus elucubrata, beatissimi BERNARDI volumina non postremo loco collocanda sunt. Si enim auctorem spectare libet; & vitæ sanctimonia, & præclara eruditione præstantissimus occurret. Si characterem ipsum rationemque scribendi; comperietur suavissima & sine asperitatis offendiculo cum summa facilitate elegantiaque decurrens, ut melle dulcior videatur ex ejus ore fluxisse oratio. Si denique materia quam pertractat, exquiritur; aliud invenietur nihil, nisi quod involucra sacræ Scripturæ in lucem proferat, aut vitia B gravi verborum tonitruo effulminet, aut ad virtutem studiosius invitet. *Flor. anno* 1530.

LUDOVICUS GRANATENSIS, *lib.* 2. *de Relig. Christ. c.* 27. Non erit, *inquit*, consentaneum inter tot gravissimos Doctores dulcissimum & sanctissimum BERNARDUM non inserere, qui quo fuit humilior & à vana gloria alienior, hoc majorem gratiam & virtutem ad facienda miracula consecutus est. *Et cap. xj.* De S. BERNARDO etiam legitur, quod initio gloriosi sui noviciatus ita in spiritu raptus & extra se positus ibat, quod sensuum usum amisisset..... Vis enim spiritus & divinæ suavitatis gustus, quem secum trahit caritas, ita animæ vires suxerat & secum traxerat, C ut ad nihil aliud nisi ad id ullam virtutem haberet. *Florebat anno* 1560.

CAROLUS SACCI, Doctor Theolog. Parisiens. *in Serm. de S. Bernardo, qui manuscriptus exstat in monasterio nostro de Lyra diœc. Ebroicensis, hæc inter alia commemorat.* Exstinxit profecto, ne longius serperent, universi schismatis faces, & quidem tot tamque diuturnis peregrinationibus & vigiliis, ut mirum sit in mortali adhuc viro tantas perferendarum rerum, peregrinationum, lucubrationumque vires fuisse, immo vero superfuisse. Non unam, sed in multas & longas noctes continentes interdum vigilavit. Ægrotationes graves secutæ, quas ille non patienter modo, sed jocundo quoque animo tulit, easdemque vitæ beatæ & cælestis imitatrices appellare solebat. D Interea non temperavit aut intermisit sacrarum litterarum studium, quas, velut æquissimam planiciem quamdam, oculis suis propositas videre se dicere solebat. Conciones infinitas habuit, libros elegantissimo verborum cultu expeditissime scripsit: *De Contemptu mundi librum unum, Meditationum librum unum, De Passione Christi & resurrectione librum unum, De diligendo Deum, De gradibus humilitatis, De Gratia & lib. Arb. De Præcepto & dispensatione, Ad Innocent. Papam de Petri Abaëlardi hæresibus, ad Eugenium Papam de Considerat. Ad Templarios de laude militiæ novæ, Ad Cluniacenses Apologeticum, Super Psalmum xc. homilias duas de viginti. Super Cantica* E *cantic. homilias tres & octoginta. Super Evangelium Lucæ homilias quatuor. Super Canticum Mariæ librum unum, In Vitam Malachiæ episcopi librum unum, Epistolas* quidem innumerabiles, quæ tamen in manibus adhuc versantur, ducentas quinque & quadraginta, &c. *Florebat anno* 1470.

*VII. Religiosorum ex diversis Ordinibus.*

HUGO METELLUS, canonicus regularis cœnobii S. Leonis apud Tullum Leucorum, *in epistola ad ipsum S. Bernardum hic edita tomo* 1. *col.* 378. F Oleum effusum, *inquit*, nomen tuum, fragrans more contritorum aromatum. Fama nominis tui clarissimi usque ad fines terræ pertransit, &c. *Vixit anno* 1130.

HUGO monachus sancti Mariani Autissiodorensis, *in Chronico ad annum* 1114. Eodem anno, *inquit*, Claravallis fundata est, cujus primus abbas exstitit servus Dei BERNARDUS, vir opinatissima sanctitate præclarus, per quem sui temporis Ecclesia in antiquum religionis decus refloruit. *Scribebat anno* 1200.

ANDREAS SILVIUS Benedictinus Marchianensis *in Synopsi Historiæ Franco-Merovingicæ, sic scribit ad an.* 1126. D. BERNARDUS abbas Claræ-vallensis quasi stella matutina monachicum Ordinem illustrat, & sanctitate, doctrina, miraculis claret in Gallia (immo Germania, Italia, Anglia) cujus vita in tantum excellit, ut parum sit omne quod in ejus laudem dictum, vel scriptum fuerit, &c. *Flor. anno* 1200.

HELINANDUS, Frigidi-montis in Gallia Ordinis Cisterc. monachus, *lib. de Reparat. lapsi, cap.* 8. *sic de S.* BERNARDO *loquitur.* Lege pulcherrimum librum de Consideratione ad Eugenium, ex cujus nobilissimo stilo poteris intelligere, auctorem libri sapientiorem fuisse Apolline, eloquentiorem Demosthene, subtiliorem Aristotele, moderatiorem Socrate, discretiorem Platone. *Florebat anno* 1200.

CÆSARIUS HEISTERBACENSIS monachus Ordinis Cisterc. *lib.* 14. *Mirac. cap.* 17. BERNARDUS in illa formidolosi schismatis flamma, qua Christianus orbis flagrare cœperat, lustravit provincias, infectum reddidit quidquid factum non oportuit, & gladio verbi divini succinctus fregit terrorem armorum. Vir tantæ auctoritatis, ut per unius os BERNARDI, purpurati Patres, Reges, Principesque terrarum, quasi per commune mundi ORACULUM loquerentur. *Claruit anno* 1230.

HENRICUS SUSO, Ord. Præd. *in Dialog. de æterna Sap. c.* 14. *ita S.* BERNARDUM *affatur.* Et tu quoque inter omnes Ecclesiæ Doctores benedictus sis, BERNARDE MELLIFLUE, cujus anima sempiterni Verbi mirifice fuit illustrata splendoribus, qui mellito eloquio tuo, ex cordis manante redundantia, humanitatis Christi Passionem dulcissime deprædicans evehensque ita ais, &c. Merito sane, Pater sanctissime BERNARDE, lingua tua dulcissima manat eloquia, quando cor tuum Christi melliflua passio adeo indulcarat. *Florebat anno* 1340.

DIONYSIUS CARTUSIANUS, *Serm.* 1. *in Festo S.* BERNARDI *sic eum commendat.* Beatissimum virum S. P. BERNARDUM Deus omnipotens & benignissimus tam copiosa atque multiplici gratia decoravit, ut vere de ipso dici posset, quod de Paulo apostolo dixit Salvator, *Vas electionis est mihi iste, &c.* Et quod in Ecclesiastico legitur: *Non est inventus similis illi.* Non enim tempore suo habuit ÆQUALEM IN MUNDO, sed vere APOSTOLUS fuit temporis sui. *Et Serm.* 2. Electissimus Dei BERNARDUS, omnium religiosorum excellentissimus Doctor, lumen & gloria monachorum, exemplar ac species devotorum, tot & tantis desuper præventus est gratiis, tot excellentiis decoratus, tot privilegiis sublimatus, ut non sint ingenia quæ valeant penetrare, nec loquelæ, neque sermones qui possint exprimere, tantumque Virum sufficienter laudare. *Florebat anno* 1460.

SIXTUS SENENSIS Ordin. Præd. *Biblioth. S. lib.* 4. BERNARDUS, *inquit*, vitæ sanctimonia & præclara eruditione præstantissimus, sic ab infantia sacras litteras imbibit, & per omnem ætatem memoria retinuit, ut quoties aut aliquid scribere, aut loqui tentaret, toties in verba & sententias sanctarum Scripturarum prorumpere cogeretur. Unde & diversa Scripta ejus, quæ nihil aliud quàm centones divinorum voluminum dici queunt, undecumque veteris ac novi Testamenti sententiis distincta sunt, ceu gemmeis emblematibus, hisque adeo commode & apte insertis, ut ibi nata esse credantur. Modus docendi ejus in sensibus mysticis indagandis & in moribus formandis fere semper versatur. Oratio ubique dulcis & ardens ita delectat & ardenter incendit, ut suavissima lingua ejus mel & lac verborum fluere, & ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. *Florebat anno* 1566.

HIERONYMUS PLATUS Societatis Jesu, *lib.* 3. *de bono statu Relig. cap. xj. hæc inter alia scribit.* Quid de BERNARDO dicemus? quem vere appellare possumus

plane mellitum, qui spiritualibus documentis scatens, A iisque optimis ac perfectissimis, id etiam præcipuum habet, ut ita Scripturas sacras in suum stilum immisceat, & contexat, ut vel ipse Scripturæ verbis loqui, vel Scriptura ipsius ore sonare videatur. Quæ res una cum lepore gravitatem quoque ac vim habet mirabilem. *Flor. anno* 1590.

PETRUS CANISIUS ejusdem Societatis, *Marial. lib.* 5. *cap.* 28. Florebat sub Lothario II. & Conrado III. BERNARDUS Claræ-vallensis, vir in Gallia, Germania, Italiaque percelebris, quem omnes non solum ob doctrinam divinitus inspiratam, sed etiam propter vitæ sanctimoniam, clarissimis sæpe miraculis demonstratam, merito suspicerent ac revererentur, quo uno melius nec B scripsit, nec vixit quisquam in universo cœtu monachorum, si Lutheri quidem calculum admittamus. *Florebat anno* 1597.

ALOYSIUS GONZAGA ejusdem Societatis, *ut legitur in vita ipsius, lib.* 2. *c.* 32. Lectionem BERNARDI, tam sibi in vita jucundam neque morti vicinus omisit. Nam in morbo qui illi postremus fuit, BERNARDUM adeo carum habuit, ut quotidie aliquid ex ejus in Cant. Sermonibus sibi prælegi curaret.

### VIII. *Jureconsultorum & Oratorum.*

FRANCISCUS PETRARCHA, *lib.* 2. *de* C *vita solit. c.* 14. Solebat, *inquit*, dicere BERNARDUS: omnes se quas sciret litteras, QUARUM NESCIO AN ALIUS SUA ÆTATE COPIOSIOR FUERIT, in silvis & in agris didicisse, non hominum disciplinis, sed meditando & orando, nec se ullos umquam magistros habuisse præter quercus & fagos. *Florebat anno* 1370.

NICOLAUS PITHOEUS *in epistola præmissa Thesauro suo ex Operibus S. Bernardi.* Magna mihi cum D. Karolo Perroto amicitia & familiaritas est. Eum igitur die quodam cum, uti soleo, adiissem, ac variis de rebus multa ultro citroque essemus collocuti; injecta mentio est divi Bernardi Claræ-vallensis cœnobii abbatis primi: quem tantis ille laudibus extollebat, tantique D scripta ejus faciebat, ut ad ea evolvenda animum induxerit meum.... Atque ita quod futurum ille prædixerat, verum esse comperi. Tanta enim ex ejus me lectione voluptas cepit, ut omnes pæne illas, quæ animum meum tam misere cruciabant, molestias absterserit. *Idem inferius* Bernardum quoddam quasi Ecclesiæ ruentis columen atque sustentaculum *appellat. Scribebat anno* 1589.

JUSTUS LIPSIUS, Lovanii Regius Professor & Historicus, *rogatus ab Auberto Miræo, quosnam è Patribus legendos formandis concionibus judicaret, hoc responsi dedit. Epist.* 49. *Centur.* 3. Mihi inter omnes Græcos placet Chrysostomus.... Inter Latinos BERNARDUS E me capit, & usum habet excitandi, ob acrimoniam ubique & calorem; tum etiam docendi atque imprimendi, ob sententiarum acumen quas crebro & salubriter miscet. *Flor. anno* 1610.

RENATUS CHOPPINUS, In supremo Parisi. Senatu Advocatus, *lib.* 2. *de sacra Politia.* Eadem tempestate, *inquit*, D. BERNARDUS emicuit, cœnobita quercuumque discipulus, & nullo præeunte magistro doctissimus, qui è solitudine in celebritatem, ex umbra in solem, sanctitatem eruditionemque importavit. Is tam πολύγραφος, quàm αὐτοδίδακτος; quod paucis admodum id genus scriptoribus cernimus contigisse. *Flor. anno* 1620.

### IX. *Illustrium Feminarum.*

SANCTA HILDEGARDIS Montis S. Roberti prope Bingen abbatissa, *in quadam Epistola ad sanctum Bernardum, sic illum exprimit.* Ego ante duos annos te in hac visione vidi sicut hominem in solem aspicere, & non timere.... Tu aquila es aspiciens in solem, &c. *Flor. anno* 1150.

S. GERTRUDIS abbatissa monasterii Elpedani, in Comitatu Mansfeld. *describit modum quo sibi apparuit* S. BERNARDUS, *lib.* 4. *Insin. cap.* 51. *Inter cetera vero sic ait.* Pectus quoque ejus sanctissimum, collum & manus videbantur aureis quibusdam laminis, gemmisque rosei coloris valde rutilantibus intextis honorabiliter circumamicta. Unde & per laminas aureas notabatur præcipua elegantia doctrinæ ejus salutaris, quam corde devoto sedulo retractans, per gutturis sacri ministerium ore sacrato edidit, & manibus sanctis fideliter conscripsit omnibus in eis proficere volentibus ad salutem. Per gemmas vero figurabantur illa dicta, quæ specialius redolent divinum amorem. *Flor. anno* 1300.

B. MECTHILDIS, ejusdem B. Gertrudis in eodem cœnobio comes, *sic scribit in lib. gratiæ spir. cap.* 91. In medio Ecclesiæ S. BERNARDI, singulariter à Deo in benedictionibus dulcedinis præventi Dominus aperuit os, quia Spiritus-sanctus eum tam affluenter & superabundanter influendo repleverat, ut velut cum ventus rapidissimo impetu januam aperit, ita Spiritus-sanctus impulsu, ea quæ sibi divinitus inspirabantur, caritate accensus infudit, & Ecclesiam sua doctrina multum illuminavit, & implevit eum Dominus Spiritu sapientiæ & intellectus, & supra quam dici potest mente illustratus, licet multa effuderit, multo tamen plura intellectu reservavit. *Flor. circa annum* 1300.

### X. *Heterodoxorum.*

MARTINUS LUTHERUS, *In colloq. Convivial. cap. de Patrib. Eccl.* BERNARDUS, *inquit*, omnes Ecclesiæ Doctores vincit: sed cum disputat, in alium virum mutatur, ibi nimium tribuit libero arbitrio.

MICHAEL NEANDER, *de eodem ita scribit Præfat. ad Gnomolog. Græcorum.* Plus spiritus vitæ, doctrinæ & fidei in paucis aliquot paginis D. BERNARDI reperitur, qui Philosophiam non attigit, sola Scriptura contentus, quam adeo familiarem sibi fecerat, ut mera scripturæ verba loqueretur; quàm in toto Hieronymo, qui linguarum, artium, Philosophiæ, antiquæ sapientiæ cognitione cunctis præstabat.

MARTINUS BUCERUS, *lib. de Concord. art. de Justif.* BERNARDUM virum Dei nominat.

JOHANNES OECOLAMPADIUS, *citatus à Guthberto Tonstallo lib. de verit. Corp. Christi in Euch.* Excellebat, *ait*, BERNARDUS exactiore judicio omnes suæ ætatis viros.

JOHANNES CALVINUS, *lib.* 4. *Inst. c.* 11. *§.* 10. *hac testatur.* BERNARDUS abbas in libris de Consideratione ita loquitur, ut Veritas ipsa loqui videatur. *Item cap.* 10. *§.* 17. BERNARDUM *vocat* pium & sanctum Scriptorem.

DANIEL HEINSIUS *Orat.* 3. Quis, *inquit*, suavius BERNARDO scribit? cujus ego Meditationes rivum paradisi, ambrosiam animarum, pabulum angelicum, medullam pietatis vocare soleo.

### *OBSERVATIO.*

HORSTIUS *hoc in loco refert iniquas & erroneas Centuriatorum Magdeburgensium censuras, ex eorum Centuria XII. excerptas, quibus in* S. BERNARDI *gesta & dicta nonnulla superstitionis nomine impie aut inique cavillantur. Has vero censuras, quas in xxiv. articulos dis-* F *tinxit idem Auctor, brevitatis ergo in decem capita præcipua revocavimus, ne aliquid prætermisisse videamus. Et quidem primo* S. BERNARDUM *notant Magdeburgenses*, quod Hostiæ in Missa oblatæ & consecratæ cultum adhibuerit, eaque usus sit ad dæmones expellendos. 2. Quod Sanctorum reliquias veneratus sit. 3. Quod rebus benedictione sacra munitis quamdam crediderit inesse virtutem. 4. Quod Romanum Pontificem adversus impugnatores defenderit, eique jus investiturarum asserueris contra Lotharium imperatorem. 5. Quod extra Eccle-

siam catholicam sperandam esse salutem negaverit. 6. Quod expeditionem sacram, quam Crucem vocant, prædicaverit. 7. Quod veritatem à mortuis expiscatus sit, iisque prodesse crediderit Missæ sacrificium. 8. Quod miracula ad errores, ut ipsi loquuntur, confirmandos perpetraverit. 9. Quod vitam monasticam propagaverit, & ad illam induxerit plurimos; in primisque sorori suæ licet conjugatæ interdixerit omni vestium pompa, ejusque à viro separationem probaverit, ut ipsa claustrum ingrederetur. 10. Quod ipse Bernardus in stagnum rigens se injecerit studio castitatis, ac in summa corpus suum iniquius torserit. *Et hæc quidem sunt superstitiosa illa, quæ in sancto Doctore Heretici calumniantur opera, quibus singulis acres potius invectiones, quam refutationes Horstius apposuit. Verum cum* A *illa non tam ipsum* BERNARDUM, *quam communem Catholicæ religionis causam impugnent, iisque copiose & erudite sit responsum à multis, non visum est illis diutius immorandum. Certe hæc, quæ tamquam superstitiosa criminantur heretici, longe validius in eos regeri possunt pro Bernardo: quem cum virum* Dei *appellet Bucerus, Calvinus* pium & sanctum; *eum superstitiosis ad mortem usque factis addictum fuisse nefas est opinari. Ac proinde ea nequaquam superstitionis nomine in Catholicis notanda sunt, quæ quo minus Bernardus sanctus, & miraculis à Deo illustratus fuerit, efficere non potuerunt. Ceterum consulat* LECTOR, *si lubet, Confessionem Bernardinam, ex S. Doctoris operibus expressam à* P. THEODORO PETREIO *Cartusiano Coloniensi,* B *ubi loca doctrinæ Catholicæ in certas classes digesta reperiet.*

---

# HORSTII PARÆNESIS
## AD SECTARIOS.

*De S. Bernardo cum fructu ab ipsis legendo.*

DIVERSAS Sectariorum de BERNARDO censuras audivimus. Alii laudant, alii vituperant: nisi forte in eo conveniunt omnes, quod adversantem suis ipsorum placitis & moribus omnes æque damnant ac rejiciunt. Hæc tamen quæ ipsi tamquam doctrinæ suæ contraria improbant, nos Catholici vel ideo probanda & amplectenda ducimus, quia BERNARDUM, aliosque illi similes viros sanctissimos, talia docuisse & fecisse, adeoque diversa ab illis via incessisse novimus. Sanctitas nimirum vitæ doctrinæ adstipulatur, & falsa nobis doctrina, aut erronea fides videri nequit, quam Viri tanta sanctitate illustres tenuerunt. Cur sibi plus credi volunt, nullo sanctitatis suffragio nixi, quam sanctissimo BERNARDO, aliisque orthodoxis Patribus, quorum doctrina & fides tot sanctitatis argumentis, immo tot signis & miraculis comprobatur? Sane non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos. Quis enim sanæ mentis sibi persuadeat, hominem impia, falsa, absurda, erronea docentem; idololatriæ, superstitioni, vanis observantiis deditum, qualia atri isti Censores, Centuriatores, Bernardo impingunt; inter hæc nihilo minus continuis gratiæ incrementis apud Deum & homines proficere, & ad tantam divini amoris, omnisque virtutis perfectionem emergere potuisse?

Porro quid de præcipuis orthodoxæ fidei capitibus BERNARDUS senserit, scripta ejus abunde testantur. Sed etsi nihil litteris commendasset, ipso vitæ tenore satis ostendisset, cui Ecclesiæ adhæserit, quàm à vobis doctrina & moribus alienus fuerit. Nam vos modo paulisper affari liber, ô Sectarii, quibus etiam BERNARDUM subinde legere lubet: si forte detur & aliquando intelligere, & resipiscere. MISSA vobis mera & horrenda idolomania est: at quoties BERNARDUS Missam, verum Deo sacrificium obtulit? Non facile illam intermisisse ad extremum usque spiritum, testatur *Vita*; & vos ipsi, etsi non sine calumnia. Nonne ipsa Missæ oblatione dæmones sæpe terruit & profligavit? Nonne Guillelmum Ducem Aquitaniæ, pertinacem illum schismatis fautorem, nullis cedentem minis ac monitis, post oblatum sacrificium ab altari veniens, dextra, non ferro, sed sacra Dominici corporis hostia, armata percullit, & expugnavit? Legite & intelligite, si forte & tandem expugnetur duritia cordis vestri. &c.

Sed longius progredior, quàm ferat instituti ratio: paucis dumtaxat vos commovere ferebar animus, ne præ BERNARDO vos sapere arbitremini. Cur enim novitatem à veteribus damnatam, veteres damnantem inducitis? cur non tenetis viam, qua Bernardus, sanctique illi Viri C & Confessores, totaque antiquitas cælum petiit? Si errare vos non creditis; qua isti pergant via videte: si agnoscitis, cur peritos viæ duces non sequimini? cur non vel tandem eo reditis, unde discedere numquam oportuit?

Ego quidem, ut ingenue de me fatear, si vel ab ineunte ætate vestris imbutus essem erroribus; vel si quocumque casu à tramite veritatis & orthodoxæ religionis ad sectas vestras deflectere contigisset, solus mihi BERNARDUS sufficeret, qui vestra mihi dogmata suspecta redderet: immo qui devium reduceret in viam veritatis. Sic quippe ratiocinarer mecum. Si vera non sunt, quæ vir tam eximiæ & irrefragabilis sanctitatis tenuit & docuit, quomodo tanta sanctitas cum tanta falsitate consistere D potuit? Sanctitatem ejus inficiari non possum, quam video à tot viris gravissimis, & scriptoribus omni exceptione majoribus, quin & ab ipsis ejus æmulis contestatam. Miracula quoque innumera in ejus confirmationem edita conspicio, quæ negare velle, non videtur esse hominis prudentis; calumniari autem tamquam præstigias & opera satanæ, id prorsus videtur hominis male sani, nedum maligni, cum talia non nisi divina virtute fieri potuerint. At vero in confirmationem errorum talia patrata credere, id vere foret hominis prorsus impii, & in Deum blasphemi, ac in Sanctos ejus injurii. Liceat hic merito illud sancti cujusdam Doctoris insigne dictum usurpare. *Domine, si error est, à te decepti sumus. Nam* Richard à S. Vict. lib. 1. de Trin. c. 2. E *ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te ipsum fieri possunt; certe à summæ sanctitatis viris nobis tradita, & cum summa, & authentica attestatione probata, teipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Hæc in gratiam vestri, ô Sectarii, quia sapientibus & insipientibus me debitorem agnosco: quamvis vobis super docentes vos intelligere & sapere videamini. Sed miror tamen quid vobis sit animi, dum BERNARDUM legitis, toto à vobis cælo dissidentem: conscientia haud dubie præjudicatis opinionibus reclamante. Legite deinceps; hoc unice precor, & suadeo; legite, inquam, & si ulla vobis cura salutis, intelligite. En lucem sanctitatis & F ducem veritatis BERNARDUM vobis exhibeo: aut si mavultis, ipsum vobis apprecor, qui est lux vera, immo via, veritas, & vita.

# INDEX CAPITUM
## PRIMÆ VITÆ S. BERNARDI
## LIBRIS SEPTEM COMPREHENSÆ.

### LIBER PRIMUS AUCTORE Guillelmo Abbate.



### LIBER II. AUCTORE ARNOLDO Bonæ-vallis abbate.



### LIBER III. AUCTORE GAUFRIDO Claræ-vallensi.



### LIBER IV. AUCTORE EODEM GAUFRIDO.



### LIBER V. EODEM AUCTORE.



### LIBER VI. DE MIRACULIS PER Germaniam &c. editis.

## LIBER VII. EXCERPTUS EX MAGNO Exordio Cisterciensi.



## FRAGMENTA EX HERBERTI libris de Miraculis.



## ALIÆ VITÆ.



FINIS TOMI VI. ET ULTIMI.

INDEX

# INDEX
# LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
## VOLUMINIS II.

# INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

# INDEX
# RERUM ET VERBORUM
## VOLUMINIS SECUNDI.

### A

# INDEX RERUM ET VERBORUM.



## B



## C

# INDEX RERUM ET VERBORUM.

D

# INDEX RERUM ET VERBORUM.

I

# INDEX RERUM ET VERBORUM.



## L



160.

# INDEX RERUM ET VERBORUM.



## M

## P

## Q

# INDEX RERUM ET VERBORUM.

## V

 Vuuu ij

# INDEX RERUM ET VERBORUM.



# INDEX HISTORICUS
# VITÆ SANCTI BERNARDI.

P



R



S



T



V

## *ERRATA VOLUMINIS SECUNDI.*

COl. 26. *ad litteram* C *lin.* 2. *lege* nisi cui. 31. *l. antepenult. pone virgulam loco interrog.* 60. *in marg. l. ult.* Quam admirabilis & suavis. 73. *l.* 2. *l.* Sicut greges. *ibid.* D *l.* 8. *l.* ubi Sap. *ibid.* E *l.* 6. *l.* ascenderunt. 74. F *l.* 4. *l.* Ibi. 92. B *l.* 6. *l.* mortem. *ibid.* C *l.* 6. *l.* tantum. 137. E *l.* 2. *l.* quod es. 153. B *l.* 3. *l.* Si non. 172. E *l.* 9. *pone virgulam loco interrog.* 173. E *l.* 1. *l* Visita nos ad 177. D. *l.* 7 *dele* 2. ut. 186. D *l.* 11. *l.* Providenda. 191. *l.* 21. *l.* Suggillationem. D. 217. *l.* 6. *l.* virile. 227. C *l.* 5 *l.* ipsæ 250. *l. penult. adde* qui descen- 252. C *l.* 5. *l.* Ex hoc 283. *l.* 19. *l.* passim 287. *in marg. l.* Cur justis *ibid. l.* 2. *l.* debebatur 288. D *l.* 9. *l.* cui 293. A *l.* 4. *l.* palatia 413. B *l. ult. l* propterea 433. C *l. ult. l.* pœnas 445. E *l.* 3. *l.* Salus 452. *in ult. marg. l.* lilium 476. C *l.* 5. *l.* Sine qua 496. B *l. ult. l.* ad caritatem reformatio 535. B *l. ult. l.* mediatores 537. *l.* 2. *l.* nuper 582. E *l. penult. l.* ad Deum 611. *in marg.* 1. *l.* Luc. 2. 680. *in marg. ult. l.* Luc. 10. 38. 708. *l.* 3. *l.* Quid tamen 736. *in marg. l.* Isa. 14. 893. *l.* 2. *l.* primis, *ibid. l.* 3. *l.* graviter 931. *in marg. l.* Johan. 20. 932. B *l. penult. l.* parvulis daretur *ibid.* C *l.* 3. *l.* parvulus 958. *l.* 12. *l.* redit 1055. *l. ult. l.* religionibus 1058. *m.* iv. *l. penult. l.* Dominicam 1086. C *l.* 2. *l.* in 1149. B *l.* 10. *l.* cui 1195. *l.* 5. *l.* Somnis 1216. E *l.* 9. *l.* revelabit 1219. C *l.* 8. *l.* pius 1233. *n. III. l.* 3. *l.* Diatribæ 1259. B *l. penult. l.* congregatos.

## *FINIS VOLUMINIS SECUNDI.*


Sumptibus { JOHANNIS GUIGNARD, THOMÆ MOETTE, PETRI AUBOUYN, PETRI DE LAUNAY.





SPECIAL OVERSIZE
87-B
23001
V.2
THE GETTY CENTER LIBRARY